

FRANCISCI BALDVINI I. C.
In IIII. Libros

INSTITVTIONVM IVRIS CIVILIS COMMENTARII

Recogniti & illustrati SVMMARIIS, Græcorumque interpretatione locupletati studio & opera

HENRICI PETREI HERDESIANI.

ACCESSERVNT
eiusdem Balduini.

AD

LEGES ROMVLI ET
LEGES XII. TABVLARVM
Libri duo, quibus fontes Iuris
Ciuilis explicantur.

Adiunximus rerum & verborum insignium INDICES.



ET

DVRARE MORI



NON PERIRE.






Venundantur Lugduni,

APVD CAROLVM PESNOT.

M. D. LXXXIII.

NOBILIBVS ET STRENVIS VIRIS HENRICO, BVRCHARDO, CONRADO, ET HILDEBRANDO, BVRCHARDI FILIIS, à Salder; S. P. D.

Henricus Petreus Herdesianus.



VPERIORIBVS *Francofordiæ nundinis à me petijt Carolus Pesnot, ciuis Lugdunensis, vt illos obliteratos iam propè Francisci Balduini I.C. in quatuor Institutionum Iuris Ciuilis Commentarios recenserem, et quæ Græca his ille inseruisset Latina facerē. Mihi verò, qui tunc essem amicorum & negocijs & interpellationibus occupatissimus, vt parua illa atq; nullius propè industriæ res esse videbatur, sic à doctis eam vitio mihi verti posse existimabam. Etenim audaces hodie quidam ac impudētes sunt, qui in aliorum scriptis suo temerè arbitratu, vt quodq; placet, aut addentes aut immutantes ita eruditorum animos offendūt, vt vix vlla iam alienorum operum vel recognitio vel locupletatio temeritatis crimine carere videatur. Et persuasum mihi erat, Balduino visum non fuisse, vt, cùm scripsisset eruditis Græceq; doctis, Latina translatio temerè deinceps infarciretur. Præterea te, inquam, multiplicia illa iam & varia post Balduinum edita commentaria deterreant; quorum recentissima Iohannis Schneidevvini aliorum hac in parte omnium lucubrationes iam pridem obscurārunt.*

Sed quæcunq; ego obijcerem, quibus refelli illum posse opinarer, ita ipse diluebat, vt hoc mihi tandem onus vel inuito imponeret. Si à grauioribus mihi studijs atq; à re familiari nō dari ocium dixeram; succisiuis illa posse à me horis præstari affirmabat. Si in Galliā ipsum remittebam, vnde optimi adhuc nobis magnâ copiâ libri suppeditarentur; bellorum obstabat vndecunq; calamitas, & nostratium, aiebat, Typographorum diligentiæ multum sese tribuere. Et quòd reprehensores metuerem, si alieno in opere viderer ingeniosus, vtilitatis publicæ maior, inquit, ratio habenda est quàm existimationis priuatæ. Vtq; de Rep. benè mereri videantur, qui veterum monumenta ab interitu vindicent, & iam ruinam minantia fulciant; ita nec eorum contemnendam esse operam existimabat, qui publica eruditorū scripta mendis sublatis recognoscerent, atq; vt limatius prodeāt suo quisque loco anniterentur. Cæterùm vt omnino sermonis Græci cognitione Iuris vtriusque studiosos oporteret esse instructos; tamen (sensim & paulatim ad pristinam studijs barbariem relapsis) cùm nō ita multi hodie sint, qui in adolescentia operam illi dandam putārint,

his quoq; ætate prouectioribus interpretando linguam ignotam esse consulendum. Easdem autem res à pluribus explanãdo tractari nouum non esse, neq; vlla vnquam in disciplina reprehensum. Vtq; recentiorum lucubrationes amplecti, sic antecessorum opera nequaquam aspernari nos debere. Deniq; vt vnaquæq; regio popularibus frugibus vti soleat, ita & suos nationem quamq; scriptores boni cõsulere, neq; externos illis anteponere. Tu igitur, inquit, vt tuos in Germania Mynsingerum, VVesenbecium, Schneideuuinum, cæterosq; Iuris antistites admiraris, ita & mihi arridere nostrates sine; meq; illius quam vereris culpæ & autorem fuisse tibi & impulsorem dicito, præstabo enim ego eam libenter.

Itaque, Pesnoti rationibus adductus, rem non tam difficilem quàm parum insignem aggressus sum. Cõmẽtariorum igitur istorum tum mendas (quæ ab ipso partim autore notatæ erant, partim non animaduersæ resederant) sustuli, tum Græca, vbi opus esse videbatur, qualicunq; explanaui interpretatione; quam vbi seorsum ille à contextu ad calcem adiungi nollet, istis inclusam [ ] signis, cùm essent legum allegationibus oppleti margines, subnectendam curaui. Non omnes autem dictiones & versus siue locos Græcos transferri opus fuit; nam sententiam eorum autor ipse nonnunquã expreßit; & quædam ornatus causa magis quàm neceßitatis inserta, eorum tantummodo lectioni qui Græcè docti sunt relinquenda videntur. quale est illud de Diogitone, pupillis redditurо non χήρατα sed χήρματα. *Nõ enim felicius hoc quispiam, opinor, Latinè vertet, quàm illud Latinũ Germanicè;* Surdaster erat &c, quod peius, malè audiebat.

Constitueram autem initio notare, vbi diuersam & aliam quàm in meis exemplaribus scripturam dictorum Græcorum reperirem, eorum præcipue quæ ex Nouellis Constitutionibus Iustiniani Imp. ascribuntur. Sed cùm, non temerè fortaßè Balduino suam placuiße lectionem, veniret in mentem, destiti, ne fortè sententiam eius siue opinionem corrumperem, aut intempestiua correctione quasi infuscarem. Porrò intacta reliqui & illa, si qua minus ab autore circũspectè scripta viderentur. Etenim quod in principio tituli de Capitis diminutione, M. Tullium in Verrinis, ait, vocare demtionẽ de capite, quam nos capitis deminutionem; aliud, opinor, in orationibus istis agere illum, & nimirum accusare Verrem, quòd partem aliquam de potiore illa frumenti Siculi summa, quam κοινῶν *Siculi, Caput ipse appellat, detraxisset. Et in Titulo de excusationibus tutorum vel curatorum, versic.* Si enim tres. *in principio, num.* 8. *Trium liberorum ius cum iure Tergeminorum confundit. Illud enim neque vno eos partu editos esse postulabat, neque natis ipsis sed parentibus emolumentum afferebat, vt à ciuilibus, veluti tutelæ & curæ, muneribus excusarentur, hoc verò ternos vno partu editos requirebat, atque ipsos tergeminos honore afficiebat, cùm ex publico ad pubertatem vsque alerentur.* οἱ γενόμενοι τρίδυμοι, *inquit Dionysius Halicarnasseus, non simpliciter*

τρὶς

τῶν παίδων. Neque verò, si idem parentibus trium liberorum tributum fuisset quod tergeminorum, sufficere tantis potuisset sumtibus ærarium populi Romani.

Sed hæc minutiora fortaßè videri poßint, quàm vt notationem mereantur: cùm cæteroquin prima ista Legum cunabula ita ipse adornârit, tum Iustiniani Imp. sententiam disertæ orationis copia fideliter repræsentando, tum obscuriora illustrando, atq; abstrusiora declarando, vt omnes artium optimarum, non Iuris tantummodo studiosi, nullo ea negocio assequi poßint. Neque verò in eorum eſt numerum aggregandus, qui nulla neq; litterarum neq; linguarum cognitione instructi libros tamen componunt, et res quas explicare volunt, cum oratione incerta et obscura inuoluũt, tum audacia nouandi vocabula peruertunt.

Porrò inter recensendum atq; interpretandum, singulis tum Titulis, tum (quoad potui) Paragraphis Summaria, vt appellãt, præfixi; quæ veluti indices quidam lectorem instruerent, atque cogitationes eius quasi deducendo adiuuarent ac promouerent. Sed vtinam operæ quoq; Typographicæ Pesnoti opinionem ne fallant. Equidem, quicquid harum incuria fuit erratum, notare cœperam, sed angustia temporis (cùm inter proximam veris & hanc autumni panegyrim quatuor tantùm menses intercesserint) ne ad calcem voluminis adijceretur, impedijt, parumq; abfuit, quin Indicem etiam mercatus præpropcrus intercluderet. Quamobrem si qua in errata lector inciderit, æquo animo feret, præsertim cùm ea neque multa neq; magni sint momenti.

Cæterùm de re ipsa, deq; Iuris Ciuilis dignitate quæ tempestiuè nunc differerentur, ea sunt in Prooemijs à Balduino commemorata. Neq; Cicerone solummodo sed Ecclesia Dei quoque teste, Iuris Ciuilis summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio. Etenim præclarus Hebræorum dux Iudas Machabæus ea Romanorum Legibus tribuit quæ nullis præterea gentis alterius institutis. Et D. Paulus ad Ius Ciuile, tanquam ad vnicum in his terris asylum confugiebat, atque summis in periculis constitutus Cæsarem Romanum appellabat. Redemptor etiam & Seruator noster Iesus Christus Cæsari dabat quæ Cæsaris erant, & suo nobis exemplo prælucẽs docebat fideles suos Iuri Ciuili modestè parendi modum. Quin & Deus Opt. ter Max. non potestatem solummodò suam, sed nomen quoque cum Rerumpublicarum administratoribus communicat, eosq; Deos vocat. Atq; hic in mentem mihi venit, impia quorundã nequitia, qui Magistratum, loquentem illam & quasi viuam legem, non modò non reuerentur, sed cõtemnunt etiam, & autoritatem eiusdem quibus possunt modis eleuant. Hi neque autorem rei politicæ respiciũt, neq; particulam illam panis nostri quotidiani (quibus nimirum verbis Magistratus quoq; complectimur) agnoscunt, nec deniq; mala illa ἀναρχίας, vbi sua quisque pro libidine rem gerit, attendunt.

 Ordinem

Ordinem verò Iuris Ciuilis & iudiciorum non minus ad Deum autorem esse referendum, quàm illam motuum cœlestium seriem, ex sacrarum iam literarum testimonijs constat. Atque vt numen illud mentis diuinæ cursum astrorum & vicißitudinem regit, ita Politias etiam, in Diabolorũ illis & hominum furoribus, tuetur & conseruat. Suntq́ leges et iudicia in vita hac communi luculenta Dei cum præsentia, tum sapientiæ, iusticiæ, bonitatis, simulacra. Etenim εὐνομία illa, siue legitima Iuris constitutio, sapiẽtiam eius à malis bona discernentis ante oculos nobis proponit: συναλλαγμάτων verò, siue commerciorum, æquabilitas, & pœnarum executio, iustitiam diuinam recta approbantem, & destruentem contraria, demonstrant: societatis deniq; politicæ tantis in periculis defensio atque conseruatio, bonitatem admirabilem, & præsentiam aßiduam summi illius rerum omnium administratoris declarant. Gratis igitur animis Christiani panis illam quotidiani particulam agnoscunt, atq; duo illa omnium maxima vitæ humanæ præsidia, Pacem et Disciplinam, Magistratui accepta referunt. Sed ô conditiones miseras ἀναρχίας, et earum Rerump. vbi nullus est Legibus, nullus Magistratui locus; ἔνθ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες, vbi denique nulla neq; vitijs proposita sunt supplicia, neq; virtutibus præmia. Sed hæc iam attigisse me satis est, quæ aliud quidem tempus, aliúmque locum postulant.

Cùm autẽ, viri nobilißimi, de recenti hoc opere nonnihil præfari, atque eos me compellare bibliopola ille, quem dixi, Pesnotus vellet, in quorum amplitudine ac dignitate illi iam quasi renati Commẽtarij patrocinium haberent, & quibus si probari viderentur, plus haberent apud cæteros autoritatis; vestra oculis meis obuersabatur, fratres germani, humanitas, vestra in Rempublicam merita. Quatuor sunt harum Institutionum libri, præclari quasi parentis præclara soboles. Quatuor estis fratres, eo patre, ijsq́ maioribus orti, quorum memoriam nulla vnquam ex posteritatis animis delebit obliuio. Grata in illis est ἁρμονία, & apta quasi membrorum compositio, atq; iucunda partium inter se consensio. Eadem in vos conueniunt, quos non sanguis solummodò idem, sed studiorum etiam morumq́ similitudo sibi inuicem deuinxit. Non illas hîc percensebo laudes vestras; præclaræ familiæ stemmata; fortunas; eximias dotes corporis: magis enim hæc circa nos quàm in nobis, & tunc primum in numero bonorum & nostra esse putantur, cùm ingenij acumen animiq; indoles accedit, & quasi Colophonem illis addit. Sola enim animi virtutum vera laus est, quæ & per se ipsæ laudabiles sunt, & sine quibus nihil laudari potest. Has igitur cùm in vobis admirentur boni omnes, equidem esse video, quod, si de ijs planè sileam, inuidiæ magis, quàm si mentionem earum hîc faciam, adulandi suspicionem metuam.

Etenim ostendenda vobis hominum opinio est, & cæteris hominibus demonstrãdum, quas maximè virtutes in seculi huius perturbationibus colere oporteat. Princeps siue dux virtutũ omnium Sa-

pientia est; quam & artem viuendi dixerunt veteres qua nihil sit optabilius, nihil homine dignius. Huius castra (quod vestrum praecipuè ordinem decet) à primis cunabulis secuti estis, prouidentia patris olim vestri, equitis fortissimi. qui cùm corporis robur, & formā, bona sciret esse fragilia, & omnem saepe naturae vim sine ingenuis studijs atq; artibus extingui; operam dedit, vt bonis disciplinis eruditi, cum suae tum patriae communis expectationi satisfaceretis. Praeclara & omni patrimonio praestantior haereditas. Hinc illa vobis rerum humanarū moderatrix sapientia praestò est, hinc laus, hinc honor, hinc gratia tum Principum, tum plebis, hinc quicquid in his terris optabile est, ad vos confluit. Neque verò ob hanc rerum omnium abundantiam alijs animi sese vestri praetulerunt vnquam, sed opes illae, illa copiae vestrae, benignitati solummodò & liberalitati, non superbiae, facultatem ac materiam dederunt. Suum enim cuique tribuendum esse putatis, neque decere, vt quo quisque est superior, tanto se gerat insolentius. Cumque persuasum vobis sit, nulla re homines ad Deum propius accedere, quàm, vt Cicero loquitur, salutem hominibus dando, vestras actiones ad vtilitatem magis patriae communis quàm ad priuata commoda confertis. Hoc vestrae nimirum familiae proprium est, hac maiorum, hac patris vestigia. Quod enim vnquam hic (vt de illis nihil dicam) periculum pro salute patriae vitandum arbitratus est? qui cùm illustrissimo & inclyto olim Principi & Domino, Dn. Erico, Brunsuigensium & Lunaepurgensium Duci, à consilijs, & quasi alter esset Achates; in omni virtutum genere, labore in negocijs, fortitudine in periculis, industria in agendo, celeritate in conficiendo, consilio denique in prouidendo, ita inter caeteros eminebat, vt immortalem gloriam, & illustrem meritorum famam sit consecutus. Porrò cùm principes illae, siue cardinales, vt appellāt, virtutes, Prudentia, Iusticia, Fortitudo, Tēperantia, indissolubili quasi cognationis vinculo contineantur, neque vna ab altera possit diuelli, ita sapientiae & iusticiae siue beneficentiae virtutes in vobis elucent, vt fortitudo atq; temperantia non minus quàm illae vobis dignitatis afferant.

Etenim si fortes illi sunt habendi, qui pro aequitate pugnāt, iniurias propulsant, fortunam vtranq; moderatè ferunt, opes aut contemnunt, aut ad beneficentiam liberalitatemq; conferunt, iampridem vna omnium bonorum vox eam vobis fortitudinis laudem tribuit, quae nec obliuione eorum qui sunt, nec reticētia posterorū sepulta esse poterit. Deniq; vt ij, qui in paupertate constituti voluptatum & viciorum illecebras missas faciunt, laudem inde non merentur, quòd eorum cupiditates non voluntas coërcere videatur, sed egestas, ita meritò summus illis honos defertur, qui in summa rerum affluentia voluptates omnes refrenant, neq; in vllis animi perturbationib. à suo quasi statu discedunt. Sed hic vobis honos, germani, non spe futuri beneficij, neque inuitamentum ad tempus, sed perpetuae virtutis

praemium, datur ab vniuersis & singulis, qui iudicare de honesto, atque vmbras & res discernere possunt. His virtutum illarum quasi quadrigis euectos, cum grata vos plebis obseruantia, tum beneficus optimatium amor, prosequitur.


Etenim illustrissimus Princeps & Dominus, Dn. Ericus, Dux Brunsuigensis & Lunapurgensis, Comes in Claromonte, eques summi ordinis velleris aurei, vos clementia prosequitur eadem, qua illustrissima Celsitudinis eius pater olim genitorem vestrum est complexus. Cumq; non nisi sapientia, fide, magnanimitate, temperãtia praeditis, & tam vsu rei militaris quam arte Iuris & aequi instructis apud eum locus sit; te, qui aetate germanos tuos antecedis, Henrice, meritò iamdudum inter praecipuos equestri ex ordine Consiliarios numerauit, tuamq; virtutem & consiliorum felicitatem magnis saepe in controuersijs dirimendis perspexit. In patre olim eius illustrissimo ciues, praeter caeteras principes illas virtutes, & harum quasi pedissequas, clementiam comitatemq; siue affabilitatem sermonis, praedicabant id etiam, quòd cum alias Aularum pestes tum Delatores praecipuè atque Adulatores detestaretur; imitatus in eo Impp. illos Domitianum, cuius illud esse perhibetur; Delatores qui non castigat, iritat; *& Alexandrum, qui Fumivenditores palo alligatos fumo necandos iussit; & Pertinacem, qui eos multauit exilio. Et non subditi hoc solummodo sed externi quoq; celebrârunt. Etenim illud Reinhardi Lorichij Hadamarij, pueris etiam nobis in manibus erat; Nullus adulator fuerat dilectus ab illo.*

Eandem autem virtutis praestantiam in filio eius, quem dixi. Principe clementissimo, non vos tantùm, fratres germani, cum caeteris ordinis vestri proceribus agnoscitis, sed absentes nos eandem ex publicis etiam tum aliorum virorum clarissimorum, tum Iurisconsulti grauissimi, Laurentij Kirchouij, praestantissimi olim in Academia Rostochiensi antecessoris, monumẽtis perceptam admiramur. Quapropter cùm huic Principi, patri patriae, strenuitatem vestram probari animaduerterem, atq; clementissima erga vos Celsitudinis eius affectio communi de vobis hominum meaque opinioni quasi suffragaretur, nulla apud me dubitatio relinquebatur, quin maximo futuri essetis Institutionum hisce libris ornamento, atque hanc compellationem meliorem in partem accepturi. Valete.

Data Francofordiae, 13. *die Septemb. Anni*
M. D. LXXXII.

PRAESTAN-

PRAESTANTISS. HEROI POLITICO D. FRANCISCO OLIVARIO, SVMMO GALLIARVM CANCELLARIO FRANCISCVS BALDVINVS S.



SENTENTIA est omnium, de rebus rectè iudicantium, Heros Sapientisſime, grauiter olim dictum à Platone, Legibus quidem & ordine motuum cœleſtium conuinci animos, vt fateantur hunc mundum ab æterna aliqua Mente opifice conditum, certa eius Prouidentia gubernari: ſed hoc iudicium tanquam procellis obrui, cùm rerum humanarum confuſiones intuemur. Nam cœleſtem quidem OEconomiam ſatis teſtari curam & moderationem ſummæ alicuius & diuinæ Sapientiæ: Cæterùm in terris ſic omnia ſurſum deorſum miſceri, vt videantur caſu quodam ferri potius, quàm certo regi conſilio.

Verùm in his turbis, agnoſcunt piæ mentes Malum degeneris hominum naturæ, quæ confundit omnem honeſtæ vitæ harmoniam, & tantùm non cœlum terræ miſcet: eiq; acceptam ferunt totam hanc ΑΤΑΞΙΑΝ, & inconditæ vitæ barbariem: qualem olim notauit Moſes in ijs Gigantibus, quos propriè appellat, NIPHLIM: & poëtæ in ſuis Cyclopibus aut Leſtrygonibus, qui vel truculenti vagabantur, vel in antris ſupini iacebant, ſine vlla Religione aut Politia. Interim tamen, ne latius graſſaretur, omniaque tandem confunderet hoc Malum: & cum Epicureo Dei contemptu traheret triſtem internecionem humanæ Societatis: excitauit DOMINVS omnibus ferè temporibus præſtantes aliquos Heroas, qui ſuam terris Oeconomiam redderent: & repreſsis Furijs in hac vita ciuili, referrent nobis viuam quandam diuinæ Iuſticię, Sapientiæ, & Aequitatis imaginem. vt quoties Hoſtis humani generis emitteret ſuos ΑΛΑ'ΣΤΟΡΑΣ, contrà ſtarent hi ΣΩΤΗΡΕΣ. aut ſi quam Iudicijs caliginem offunderet, eam ipſam diſcuterent hi ΦΩΣΤΗΡΕΣ.

Ergo reueremur certam Dei Prouidentiam, atque adeò præſentem ipſum DOMINVM, cùm Auguſtiſsimos illos Rerumpublicarum Principes intuemur, Ioſephum in Aegypto, Danielem in Babylonia, Athenis Periclem, Romæ Papinianum, & ſimilia Politicarum virtutum Lumina. Sed hos Collegas tuos FRANCISCE intueri non poſſumus, quin ſeſe oculis noſtris ſiſtat viua & expreſſa tui pectoris, tuique muneris imago: ſimulque affulgeat bona ſpes magni alicuius Boni. Nam & qui Maieſtatem ſummoſque faſces tuæ dignitatis, cogitatione iungunt tuis illis profundis prudentis animi curis pro Republica vt Spartam, quam nactus es, tuearis & ornes bonis legibus, quas intelligis arcano Dei inſtinctu proditas à Prudentibus, vt eſſent nerui ac decora iuſtæ Politiæ: agnoſcunt cœleſtes motus illius æternæ Mentis: & præſagiunt certis augurijs lætiorem quandam ΕΥΤΑΞΙ'ΑΝ.

Vagantur Erynnes funeſtiſsimæ, quæ triſtem quandam minantur ΑΚΑΤΑΣΤΑΣΙΑΝ in rebus humanis: & habent ſuam illam Aten Homericam (*Dij talem terris auertite peſtem.*) Sed bonos viros, qui terrentur his monſtris, recreat virtus & prudentia politicorum Heroum. Deplorant quidem aliquando diſſipatam, multiſque partibus deformatam Politiam. Sed intelligunt facilè coaleſcere, & in integrum reſtitui poſſe, reſtituta ſana Iuriſprudentia, quaſique rurſus pro Roſtris editis honeſtarum legum Tabulis: & erecto Signo liberalis fauoris, quo bona ingenia excitentur in hac luce temporum eruditorum, ad profligandam barbariem, ſi qua Leges aut Reſpublicas inuaſerit.

Huius magni Boni ſpem, ſi vnquam aliàs in rebus deſperatis DOMINVS oſtentauit, nunc certè oſtentat in tuo, FRANCISCE, Magiſtratu. Nam & Heroica tua prudentia portendit reſtitutionem iuſtæ Politiæ: eiúſque conſeruationem Poſteritati pollicetur tua cura futuri: atque adeò propenſa Humanitas in hanc ætatem ciuilibus literis deuotam, claſsicum intonare videtur, quod vel Torporem ipſum excitet. Ne mireris eius fama elici deliteſcentes in aliquo ſecreti vmbratilis receſſu Prætextatos pueros: ſináſque certatim texere corollas, ſpirantes indolem politicam, quas cum fauſtis acclamationibus effundant in tuos ſinus.

Ergo (vt nihil diſſimulem) & ipſe quoque hac illecebra eò temeritatis adactus ſum, vt vel pueriles Rapſodias non recuſarim tuis oculis exhiberi: præſertim quibus aſperſa eſſent elementa ſolidæ, purioriſque Iuriſprudentiæ Romanæ, quam & ſuo merito, & tuo iudicio conſtat tibi eſſe gratiſſimam, vt nullum aliunde accedat commendationis lenocinium. Munus noſtrum verbis non ornabo: habet tamen hic Libellus Inſtitutionum, ſuas ſingulares dotes: ac ne poſſit omniuo contemni ab vllo Iuriſconſultorum ordine, circunfert nonnulla Iuris capita maximi momenti, quæ deſunt alijs voluminibus: vt eſt illud, NEPOTES AVO SVCCEDERE IN STIRPES, NON IN CAPITA. ſed nec conquiram excuſationes noſtri facti. Verùm, ſi noſter Iuſtinianus, ſummi muneris loco, Iuuenibus obtulit hunc ſuum Libellum & Imper. Lotharius Saxo, alter vindex & autor reſtituti Iuris ciuilis, ex tenebris erutum & recognitum iiſdem commendauit: cur iuuenis erubeſcat eundem bono ſtudio locupletatum, verecundè reddere, & offerre ſummo iuris Antiſtiti, & ſapientiſs. Nomophylaci? Quanquam certè alioqui non ignorem, nihili eſſe noſtras appendices, & minimè tuis oculis digna auctaria. Tantum abeſt, vt meæ paupertatis conſcium vlla faſcinet, aut titillet philautia in oſtentatione harum nugarum: ingenuè fateor, quod ſentio. agnoſco maciem & ſqualorem ieiunæ commentationis: ſcio eſſe inanem congeriem ludicri puerilis: nec vires præuenit fiducia. Sed tamen (quæ noſtra eſt credula ſimplicitas) paſſus ſum mihi perſuaderi, ſtudioſæ pueritiæ gratas fore has quantumuis tenues Rhapſodias: & fortaſſis in ſcholis nonnulla ſparſuras ſemina, quæ poſſent aliquando bonos in Foro fructus edere: præſertim aſpirante lætiori aura tui fauoris, cuius vix tenuis radius affulgere poterit, quin ſtatim micare videamus erectos Iuuenilis alacritatis igniculos. Malunt alij fortaſſis ocioſi eſſe, quàm nihil agere: ſed ſi prudentes pueritiam malunt ludentem, quàm ocioſam: facilè ferent in ea nugas, quæ ſeria ducunt. Et vt damnant illam barbariem, quæ obruit has ſcintillas, & veluti præfocat in herba primum florem ingenuæ ſementis: ita probabunt iudicium Socratis, qui apud Xenophontem pronunciat, GENEROSVM ESSE ET OMNI FAVORE DIGNVM INGENIVM, CVI SVNT CORDI POLITICAE DISCIPLINAE: atque etiam fortaſſis cum Plutarcho laudabunt illam ingenua ambitione ardentem indolem Demoſthenis & Themiſtoclis, qui in prima ætate ſuſpirabant decus forenſis Togæ, & lucem quandam Fori. De te verò FRANCISCE, quid non ſperabit generoſa pubes, cui vultus ipſe tuus vltro confirmare videtur eam ſpem, cuius illecebra Iuſtinianus nos inuitat, & attrahit ad huius ſui libelli cultum? Nec ignoras, quàm interſit Reipublicæ ali hoc virtutis ingenuæ ſeminarium. Saltem moueris miſeratione huius ætatis: cuius alacrem ΠΡΟΘΥΜΙΑΝ qui vel contemptu vel inuidia retundunt; ſuperant barbariem Cyclopicam.

Oderunt omnes Laconicam ΞΕΝΗΛΑΣΙΑΝ: damnant Atticum illum Oſtraciſmum ad pellendos ciues ſingulari virtute præſtantes: exhorrent Mileſiam conſpirationem profligandæ Honeſtatis. Sed vbi hoc Malum nititur potentum coniuratione, & incumbit ad proculcandam primam quanque, vel tenuem ſignificationem ſurgentis, quaſiq; herbeſcẽtis Honeſti, aut placet crudelis proditio illius perfidi Faliſcorum Præceptoris: actum eſt de rebus humanis. Quid verò faciet in hac conſpiratione infœlix ætas, exploſa, perculſa, & obruta iniquis odijs, ingratoque contemptu: quæ alioqui fauore, patrocinio, & liberali applauſu deſtitura: ſtatim fatiſcere, atque animis concidere ſolet? Et quæ tandem eſt vlla tam erecta excelſaque indoles, quæ non frangatur his terroribus, aut quæ tot concuſſa malis, non labaſcat? Certè, vt eluctetur, nulla ſpes eſt. Quid verò interim animi supereſſe poteſt reliquæ pueritiæ, intuenti non modò ludibria & faſtidia ſuorum laborum, ſed & triſtiſſimas infœlicium ſtudiorum ærumnas? Veteres luxerunt cœtus illos nobilium adoleſcentum, in Academia Berytenſi, cum Iuris Profeſſoribus horrendo terræmotu abſorptos: ſenſitque tota Phœnicia, necnon & Græcia, quantum Reipublicæ damnum dederit hæc clades. Vtinam aliquando non lugeantur fruſtra, qui nunc ſqualore contabeſcunt, aut luctu abſorbentur, diſſipati conuentus literatæ iuuentutis. Certè periculum eſt, ne tandem ea tot ingratis victa laboribus, longum valere iubeat infauſtas curas, & infœlices literas.

Verùm DOMINVS, qui hoc Malum auerſatur, vultque ſupereſſe quaſdam reliquias, & aliquod ſemen ingenuitatis Politicæ: vt, vel in medijs procellis hyberni maris, tuetur placidum Alcyonis nidulum: ſic & in magnis tempeſtatibus triſtium temporum,

palabundo

palabundo gregi studiosæ pueritiæ tranquillum domicilium procurat: & aperit semper aliquod, vel Asylum profligatæ, vel Theatrum explosæ virtutis indoli: additque dignum Choragum. Asylum & Theatrum dico, hanc tuam Galliam, certissimam Humanitatis sedem, quam nec olim vnquam Italiæ cessisse in cultu & amplexu vndique affluentium bonorum ingeniorum, testis est vetus illa Massiliensium Respublica, vt nihil dicam de temporibus Caroli Magni. Choragum verò quem intelligamus, nemo ignorat, qui & prudentiam tui consilij, & propensionem fauoris intelligit eodem incumbere: nempe, vt nobilissimum hoc Regnum, recipiat formam politici decoris: & in posterum habeat excultæ pubis foecundissimum seminarium: vnde, quoties opus erit, prodeant, qui vel à fatigatis in stadio iuris dicundi, accipiant veluti lampada: vel deficientibus succenturientur, si non eo robore, quo Triarij: saltem ea, qua Tyrones, alacritate: vel eo ardore consentientium animorum, quo prodierunt olim ex schola Papiniani ad Roman Rempublicam administrandam Vlpianus, Paulus, Modestinus: ex Academia Platonis ad propugnandas Syracusas, Eudemus & Dion: ex literarijs Gymnasijs Græciæ Cleon & Phocion ad seruandam Rempublicam Byzantinam: ex puerili Atheniensium scholarum consuetudine Solon & Pisistratus, ad tuendam tranquillitatem Ciuitatis Atticæ. Non dicam pluribus, quàm sit imprimis necessaria, dignaque viris Principibus hæc cura. Non proponam, vel Sertorium illum Roman. Ducem fortissimum tanta solicitudine in Hispania excolentem studia generosæ Pueritiæ: vel prudentissimum Imperatorem Fridericum, cuius heroicam fouendæ iuuentutis studiosæ curam ostendit humanissima eius Constitutio. Erit satis illud vnum, quod ante duo annorum millia memoriæ consecratum est, exemplum Monarchæ Babylonij: qui ex captiua etiam Pueritia Isr elitica, seligi curauit fœliciora ingenia, nec minus liberaliter ali, quàm diligenter imbui e ulibus disciplinis. Fructum verò huius sementis, nemo satis dixerit. Vix enim explicari potest, quantum suo tempore profuerint Reipublicæ illi generosissimi adolescentes Daniel, Hananias, Misaël, Asarias, qui ex Regijs Scholis prodierunt ad gubernandas Prouincias: quantumque posteritati contulerint iactis fundamentis honestissimæ Politiæ, quam postea Cyrus erexit, & excitis in Perside illis Magis, quorum superstites adhuc reliquias, CHRISTVS ipse vidit. Quis autem non reuereatur hos pueros, qui *ante annos animumque gerunt curamque virilem*; & seueris studiis impallescunt, repudiatis mensis Regis, omnibusq; Aulicis voluptatum illecebris: cùm alij adolescentes ocio, luxu, & voluptatibus ebrij baccharentur in comessationibus? Vtinam verò ad eorum exemplum hodie Togata iuuentus componeret suos mores, suaque studia, & præter literas ciuilemque Prudentiam, ab iis hauriret illud, quod describit Persius.

Compositum Ius, Fasq; animi: sanctosq; recessus
Mentis: & incoctum generoso pectus Honesto.

Equidem legens historiam Danielis, magna cum voluptate intueor illos scholasticos cœtus, qui ministerio Reipublicæ destinantur. Quasique versarer in simili aliquo Sodalitio, (ignosce vanitati honestæ persuasionis) en aliquod studij communis specimen, communi totius cohortis nomine nunc tibi verecundè offero, tanquam Principi & Agonothetæ horum ciuilium Gymnasiorum: cuius fauorem & patrocinium, vt Iuuentus vel lachrymis ambiat, causam habet iustissimam. Olim post cladem Cannensem, grassante Hannibale, vnus superfuit Scipio, qui erigeret collapsos animos nobilium Adolescentum, de Republica & Italia deserenda consultantium. Nunc tu superes vnus, FRANCISCE, qui in media rerum desperatione confirmes languida pectora labascentis Adolescentiæ. Nec potes fallere spem, quam de te concepit tua Iurisprudentia. Illa, vt meminit sui squaloris, cùm videret exulantem Smyrnæ suum P. Rutilium Rufum, & in Sardinia Cassium Longinum: vel metu Heliogabali latitantem Fabium Sabinum, vel tædio tristium temporum sub Tyberio contabescentem Neruam, vel à Caracalla trucidatum Papinianum: ita recordatur decoris sui pristini, & splendoris, cùm apud Augustum Trebarius, apud Vespasianum Cassius restitutus, apud Traianum Neratius, apud Adrianum Iulianus, apud Antoninum Scæuola, apud Septimium Papinianus, apud Alexandrum Vlpianus, in magna essent autoritate. Hos suos honores si nunc, cùm te in hoc summæ dignitatis fastigio intuetur, recipere quodam veluti postliminio sperat: sibi videtur alere certam spem, eamq; confirmat recordatione

clarissimi

clarißimi tui patris. Vt quales olim habuit suæ maiestatis vindices & assertores Portios Catones, patrem & filium; duos item Tuberones, Scæuolas, Neruas, & Celsos: habeat itidem duos suos Oliuarios; & videat restitutam aliquando priscam illam suam gloriam & dignitatem.

Sed, vt id fiat, post iuuenilis institutionis curam, desiderat tuam autoritatem & operam in dispungendis, quasique cancellandis nonnullis, quibus obsessa est, & quæ iam fortaßis altius insederunt, vitijs, ex infœlici barbarie superiorum temporum relictis; sub quacunque alioqui speciosi nominis larua delitescant. Cognoscis ipse monstra prodigiosorum commentorum. Scis morbos & sordes Iurisprudentiæ degeneris. Nec meum est pluribus hæc notare. Sed si vnquam ea vel tollere, vel mitigare tandem potueris, inueterata quidem, sed eo grauiora: & summota longi temporis præscriptione ostenderis, quàm sit verum illud nostri Vlpiani Oraculum; Veritatem rerum, erroribus gestorum non vitiari; certè videbimus aliquando restitutam suam Iurisprudentiæ pristinam maiestatem. Vbi verò deinde accesserit digna Iurisconsultis morum sanctitas, & infracta excelsi pectoris virtus, pro Rep. nullis cessura periculis: fortaßis conspiciemus, terris redditam, ΕΥΤΑΞΙ'ΑΝ, illamque adeò Harmoniam, quam admiramur in cœlestium motuum Oeconomia: nec minus in hoc Telluris Globo, quàm in illo superiorum Orbium regno, certam regentis omnia & gubernantis Dei Prouidentiam omnes agnoscent.

Plutarchus disputans contra Stoicos, proponit Chrysippum aliquando disseruisse; Vt rectè verba faciamus de Legibus aut Rep. initio ex Physicis probandam esse Dei Prouidentiam, gubernantis totam hanc rerum Vniuersitatem. Verùm si Physicis non respondeat, rerum ciuilium, quæ magis in oculos incurrunt, Oeconomia: periculum est, ne aut stupidi & vecordes animi facilè obsurdescant ad illas mutas & arcanas conciones Naturæ: aut profana ingenia ex ipsa collatione potius imaginentur non itidem curæ esse Deo res politicas, in quibus eandem faciem non intuentur. Atque vtinam vel nostra, vel posterior ætas non videat ingenia multorum alioqui non mala, tandem in hisce turbulentis rerum humanarum confusionibus profanescere.

Sed nos, quorũ animus auersatur hæc auguria, *atque adeò meminisse horret, luctúq; refugit*: speramus DOMINVM daturum suis politijs aliquos semper tui similes ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΥΣ qui hoc malum depellant: & in generosa pube seruaturum superstites ingenuæ pietatis scintillas, quæ præluceant posteritati. Quam quidem vnam esse agnoscimus depulsionem impendentium calamitatum: vt si quis hanc spem tollat, actum videatur de rebus humanis. Sanè cum olim Hierosolymis sub impio Pontifice Iasone Adolescentes profanis addicti spectaculis degenerâssent in Hellenismum, confestim viderunt Iudæi suum Templum profanatum, & Ciuitatem direptam ab Antiocho. Eodem ferè tempore viderunt Lacedęmonij suam Spartam funditus euersam, & desperatione fracti conciderunt, cùm eorum Ephebi, Achæorum moribus corrumperentur. Quid dicam de Imperij Macedonici ruina, quæ ijsdem illis temporibus accidit easdem fermè ob causas? Certè Sol ipse tunc sua Eclipsi visus est deflere hasce Rerumpub. confusiones & tenebras: quasi esset aliqua Motuum cœlestium cum Politicis ΣΥΜΠΑΘΕΙΑ. Sed valeant tristia portenta: & ad confirmandos meliori spe animos potius intueamur illa tempora Legis duodecim Tabularum, quibus editi sunt fontes Iuris ciuilis: quorumque toties nos admonet hic libellus Institutionum. Occurret imago vndique surgentium Politiarum, quæ nostra pectora implebit bonis præsagijs. videbimus in Italia Decemuiros honestarum legum Tabulis Remp. constituentes, in Græcia fulminantem Periclem, nascentemque Scholam Socratis, & conflagrantes profanos impij Protagoræ libros, in Palestina; Nehemiam erigentem muros dirutæ ciuitatis Hierosolymitanæ: in Gallia, surgentis Regni Francici prima fundamenta.

Vides, clarißime FRANCISCE, quò nos abripit vaga cogitatio, dum sepositis curis humilioribus, paulo altius assurgimus recordatione maiorum rerum, & indulgemus expendendæ priori illi, quæ occurrerat initio, sententiæ. Sed tu ignosce puerili simplicitati, quæ suos sensus ingenuè patefecit, quales quales se ingerunt, & consuendis tenuibus scholijs in hoc pistrino defatigata, fortaßis captat aliquid serij, quod suis nugis & ludicris obiter aspergat. Neque enim dißimulare potest, quin suis Centonibus inanium ΛΕΠΤΟΛΟΓΗΜΑ'ΤΩΝ lubenter attexeret aliquam laciniam grauioris cõmentationis: quanquam

non

non ignoret sese conuertendis nescio quibus scopis dissolutis detritam, nihil habere posse contexti, quod edat. Interim tamen (quæ tua est profusissima humanitas) faue bonis conatibus infœlicis ætatis.

Vale Iuris Iustitiæque Antistes Augustissime. Parisijs anno Christi 1545. Diebus Alcyonijs. Quorum Imagine admoniti, oramus DOMINVM, vt componat hybernos fluctus tristium temporum, tribuatque honestis politijs tranquillum domicilium. Nam & meminimus ijsdem olim diebus ante annos 3850. primùm emersisse cacumina montium subsidentibus aquis Diluuij: quibus exiccatis præstantissimus heros Noah edidit acceptas diuinitus Leges constituendæ conseruandæque Politiæ.

INDEX



INDEX RVBRICARVM SEV TITVLORVM INSTITVTIONVM IMPERIALIVM.

Qui



FRANCISCI BALDVINI
IVRISCONSVLTI
ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ
DE IVRE CIVILI.

1 Politiarum finis est religiosa pietas.
2 Ethnicis quoque legitimi hominum cœtus cordi fuerunt.
3 Satanas hostis est Rerumpub.
4 Gubernatore hominibus opus est.
5 Heroici vitæ humanæ præsides à Deo excitantur.
6 Mens gubernatrix hominum.
7 Lex scripta est pura sapientum Mens.



EA est Dei, Principis nostri, qui hanc rerum vniuersitatem condidit ac gubernat, voluntas, vt ciuilem quoque societatem tueamur in hac vita, donec eius misericordiæ visum fuerit nos in cælestem patriam recipere, donatos quodam veluti postliminij iure. Seruit enim hæc externa Politia Religioni tum conseruandæ,
1 *tum propagandæ. Ac propterea videmus ipsis quoque olim Prophetis & Apostolis hanc rem admodũ curæ fuisse. D. Paulus commendat Ecclesiasticis precibus Magistratus & Principes, vt sub eorum imperio viuere possimus piè & tranquillè. Ezechiel in Babylonia non minus angitur cura ciuitatis, quàm Ecclesiæ instaurandæ. Daniel vel in medio vitæ aulicæ splendore squallidus deplorat dissipationem sui populi, & calamitatem Reipub. Israeliticæ: nec non etiam edit grauissimas conciones de futuris mutationibus & ruinis imperiorum: vt non possimus non reuereri solicitum de politijs & regnis totius mundi Prophetam. Quid dicam de Nehemia, principe & heroe verè politico? qui post templum restitutum, tanta cura & constantia instat vrbi reparandæ: nec vllis difficultatibus aut periculis ab hoc opere potest abduci. Nam & Zacharias Propheta, non minus*
2 *ciuitatis, quàm Aggæus templi instaurationem vrgebat. §. Prudentibus quidem Ethnicis fuit eadem res præcipuè cordi: & indicarũt, nihil esse Principi Deo, quod quidem in terris fiat, acceptius, quàm sint legitima concilia, cœtusq́ hominum iure sociati: sed non viderunt præcipuos fines politiarum: nempe, vt habeat Religio suum in terris hospitium, & tranquillum aliquod domicilium. Et quorsum tandem alioqui Iurisprudentia? quorsum Resp.? quorsum ciuitas? Imò quorsum nos viuimus, aut homines sumus? Sed cùm illam, quam dixi causam finemq́ consideramus, tum verò intelligimus, ecquò studia hæc nostra referre debeamus. Lubenter itaq́ agnoscimus & fatemur, Dominum amare & tueri honestas Resp. ne barbarica rerum confusio simul obruat eius cognitio-*
3 *nem & cultum: Contrà, Satanam semper moliri dissipationem Politiarum, vt efficiat tristẽ quandam ἐκταρασσίαν (ordinis perturbationem.)* §. *Cæterùm cùm ea sit hominum corruptio,* vt vaga prosiliat frenis natura remotis: *& statim ἀναρχία (præfecti defectus) pariat ἀταξίαν: (incōditum*
4 *rerum statum:) manifestum est, ad retinendam huius societatis ciuilis tranquillitatem, opus esse hominibus aliquo gubernatore, qui huic vitæ ciuili sapienter præsit: omnes in officio contineat: & degeneris naturæ vitiosos motus cohibeat, ne licentius erumpant. Verùm quis tandem ille debeat, aut possit esse gubernator, diu quæsitum est. Nam vlli homini demandandam esse hominum gubernationem, sapientes negârunt. Diuinius enim ac præstantius quippiam esse debere, cui tantum munus credatur. Id quod grauiter Plato libro quarto de Legibus ostendit: & docet propterea Deum humano primùm generi dedisse quosdam heroas præstantioris animi. §. Verùm vbi & hoc quoque*
5 *reliquum semen heroicæ virtutis obrutum est corruptione degeneris posteritatis: necesse fuit quærere aliud subsidium. Viderunt autem semper omnes prudentes, Mentem, illam* diuinæ particu-
6 lam auræ, *hominum gubernatricem in hac vita ciuili esse debere: sed admodum soliciti fuerunt, qua ratione possent effugere periculum inhærentis mali, & cæcarum perturbationum, quibus obsessa est. §. Tandem verò intellexerunt non alia via id effici posse, quàm si in perpetuum semel*
7 *scripto mandaretur, & fieret Lex. Est enim Lex scripta, pura sapientis hominis Mens, & Ratio veluti extra iactum vitiosarum affectionum, diuino quodam consilio posita, atq́ adeò, vt ait Arist. ἄνευ ὀρέξεως νοῦς. (mens sine effrenata appetentia)*

§. Iam autem vbi; & sequent.

1 Ius ciuile Ro. optima legis vsquã scripta formula est.
2 Ius ciuile externos tantùm mores format, interiorẽ cordis mũditiẽ siue iustitiã legi diuinæ permittit.
3 Politia Mosaica nõ erat constituta vt esset perpetua.
4 Prisci legumlatores multa hauserunt à Mose.
5 Moses annis 700. ante Romam conditam mortuus.

§. Iam autem vbi quæritur deinde, quæ vsquam extet legis scriptæ formula, cuius exemplum 1
maximè sequendum sit, statim occurrit Ius Ciuile Romanorum: quod non minus politicis moribus,
quàm æquitati naturali maximè conuenit: atq; adeò iam longo continuoq́ probatum est vsu, qui
grauissimus est legum omnium censor & explorator, quemadmodum inquit Liuius: vt omittam
hanc Romanam Iurisprudentiam esse collectam & veluti conflatam ex omnium Prudentum iu-
dicijs, omniumq́ Gentium bonis institutis. Certè apud Tullium M. Crassus hinc probat, quantum
præstiterint Romani prudentia cæteris gentibus: & iudicat non esse conferendum Ius Ciuile alio-
rum populorum cum scripto iure Quiritum: & tamen nondum nati erant Iurisconsulti, qui & or-
narunt & illustrarunt plurimum hanc Iurisprudentiam. Non excutiam hîc odiosius vel Lycurgi
ῥήτρας, (sanctiones) vel Solonis κύρβεις καὶ ἄξονας: (tabulas) sed si quis cōtulerit, facilè iudicabit, quan
tum præstent leges Romanæ: & vltro assentietur Iustiniano nostro, qui pronuntiauit, non extare
aliam, quæ sit perfecta, ἰσονομίαν (Iuris legumq́ constitutionem.) §. Quid multis? Ipsa etiam Religio
Christiana vix quicquam inuenit, quod in ea damnet. Nam & Tertullianus ipse fateri cogitur,
Romanas leges ad innocentiam pergere: & de diuina lege, vt ausiquiore, ferme mutuatas: quan-
quam rectè adijciat, quod & nos agnoscimus, nullo modo accedere ad veram illam innocentiam,
quam à Deo sumus edocti. Verùm id nequaquam eleuat dignitatem Iuris Ciuilis: vtpote quod tan- 2
tum pertineat ad externos mores formandos: & relinquat legi diuinæ dijudicandam interiorem
mundiciem, & iustitiam cordis humani. §. Scimus quidem fuisse olim, & adhuc esse quosdam sedi-
tiosos nugatores, qui obtrudunt Christianis leges Mosaicas: & nefas esse pronuntiant eas Romanis
cedere. Atqui politia Mosaica non est in eos vsus descripta, vt esset perpetua, & necessaria omnib. 3
qui Deum colerent: nec aliam imitationis necessitatem habere potest, quàm ipsa descriptio ceremo-
niarum. Atq; vtinam semper eam prudentiam & iudicium adhiberēt imitatores, vt viderent quid
incommodi habeat κακοζηλία: (praua æmulatio) & quid quibus temporibus, moribusq́ seruiat. In-
terea religiosè fatemur, Christianos Rerumpub. gubernatores debere sæpius conferre iudicia legis
Mosaicæ: & revereri multa, quæ in ijs sunt, non minus æquitati ciuili, quàm naturali honestati
præcipuè consentanea. Nec dubium est, quin prisci legumlatores plurima hauserint à nostro Mo- 4
se, qui & sapientissimus Reipublicæ gubernator fuit, & antiquissimus scriptor: nam mortuus est 5
annis septingentis ante Romam conditam.

§. Equidem quoties.

1 *Labascente Repub. Iudaica, extiterunt Athenis Archontes. Lacedæmone Ephori; Romæ Romulus.*
2 *Euersa prorsus Repub. Iudaica, florescit Romana sub Anco Martio.*
3 *Deus Remp. Romanam propagauit ad reprimendam barbariem aliarum gentium.*
4 *Non nisi vbi opus esset suas leges Romani ingesserūt.*
5 *Massilia & Rhodus Romanis confœderatæ.*
6 *Germanis sui relicti mores à victoribus Romanis.*
7 *Soli Pontifices actionum formulis præerant.*
8 *Appius Claudius Cæcus legis actiones redegit in formam certam.*
9 *Flauius euulgauit Iuris ciuilis formulas.*
10 *Professorum olim Iuris catalogus.*
11 *Cùm apud Romanos florerent præstantissimi Iurisconsult. Græcia solas habebat tabulas.*

§. Equidem quoties inuestigans Iuris Ciuilis fontes, intueor historiam temporum, & Rerump.
vicissitudines: agnosco infinitam Dei prouidentiam, qui in alijs gentibus erexit formam iustæ po-
litiæ, vbi iam collabebatur sui populi Resp. Cùm enim ea multis iam modis concussa labasceret, &
semiruta inclinaret & propenderet ad extremam ruinam: cœperunt Athenis præesse Archontes, 1
Lacedæmonijs Ephori: cœpit Romulus suam vrbem condere. Cum à Babylonio tyranno prorsus
euersa est Resp. Iudaica: iam vires collegerat Romana, regnante Anco Martio: & tamen quia in- 2
firmior adhuc erat, excitat Dominus suum Danielem, qui in Monarchia Chaldæorum tueatur for
mam honestæ politiæ: quam deinde per Cyrum Persarum Regem latius sparsit. excitat paulo post
suum Nehemiam, cui in aula regis Artaxerxis Longimani sit eadem res cordi & curæ. Interim
autem iam cœperat satis esse firma Romana Resp. quæ Regibus eiectis sese in libertatem vindica-
uerat, & certis legum tabulis innitebatur. Nec dubium est, quin Dominus Monarchiam Roma-
nam præcipuè conseruârit & propagârit, vt simul propagaretur honesta eorum politia: & repri-
meretur incondita barbaries aliarum gentium. §. Plutarchus in quodam libello disputat, vtrùm
Romani Imperij amplitudo tribuenda sit Romanorum virtuti, an verò Fortunæ. Nos certè re-
ctius eam feremus acceptam diuinæ Prouidentiæ, cui subseruierit fortitudo Romanorum ad pro-
fligandam barbariem, ad spargenda semina omnis ciuilis honestatis, ad componendas & repurgan
das Respublicas. Nam & hoc fuisse horum studium, vel ex eo iudicare possumus, quòd in prouin-
cijs deuictis diligenter conseruarint, quicquid erat melioris politiæ, nec nisi vbi opus erat, suas leges
ingesserint. Victa Carthago relicta est suis legibus. videbat enim Scipio non minus in ijs esse hone-
statis,

statis, & æquitatis ciuilis, quàm in Romanis: quod etiam Polybius ipse fatetur. Cũ Flaminius profligasset tyrannum Macedonem, Græciæ veterem statum reddidit, vt legibus viueret suis. Postea subacta Macedonia victor Paulus Æmilius iussit Macedonas retinere quoq; suas leges, si quas bene & rectè institutas haberent: addidit alias necessarias tanta cura & prudentia, vt ne ipse quidem vsus longo tempore experiundo eas arguerit, inquit Liuius. Deuicta per Iulium Cæsarem Gallia idem accepit beneficium. Videmusq; Romanis semper facilè conuenisse cum ijs populis, qui barba-
5 *riem exuerant, & honestatis Politicæ studiosi videbantur. Sic habuerunt semper in Gallia sociam & amicam ciuitatem Massiliensem, quæ colebat literas humaniores, & Græcorum Politiam. Habuerunt quoq; semper eodem nomine fœderatam Rhodon insulam, eiusq; αὐτονομίαν (libertatem vi-*
6 *uendi proprijs legibus) probarunt: & naualem disciplinam imitari non erubuerunt. Quid dicam de Germania? cui suos illos mores, quos describit Cor. Tacitus, nunquam eripuerunt victores Romani: vtpote in quibus admirarentur imaginem priscæ honestatis, & ingenuæ simplicitatis. Ne his diutius immoremur, transeamus ad tempora nostri Iustiniani. Is statim atq; Africam Vandalis extorsisset iustis armis, simul ei reddidit vsum Romani iuris. id quod testatur Nouella eius Consti. 36. Idem de Armenijs & Tzanis populis victor statuit. §. Nunc breuiter videamus reliquam huiusce iuris ciuilis historiam, hoc est, originem, progressum, iactationem, & reliqua fata. Neq; verò fontes repetemus ab ipsis Aboriginibus & Auruncis. A Romuli Legibus, aut XII. Tabulis potius ij repetendi essent. Sed quia duobus libris iam editis complexi sumus quæcunque de ijs dicere potuimus, ad eos commentarios Lector recurrat. Reliqua breuiter persequar. Actionibus autem, & iu-*
7 *diciorum formulis præerant Pontifices, qui sensim suæ tyrannidi subiecerunt totam Iuris Ciuilis*
8 *rationem. Verùm tandem Appius Claudius Cæcus centum annis post Decemuiros, legis Actiones*
9 *ad certam aliquam redegit formam: & peculiari est complexus libro, quem deinde Flauius populo tradidit, euulgans totum Ius Ciuile, quod erat in penetralibus Pontificum abditum. Florebat eo-*
10 *dem tempore summus Iurisconsultus P. Sempronius Sophus: cui postea successit T. Coruncanus, qui primus Ius Ciuile publicè professus est, annis quingentis ab Vrbe condita. Secuti sunt deinde Fabius Pamphilus, & Ælius Pætus, qui Romanam Iurisprudentiam plurimùm ornarunt. Accesserunt postea Catones, Portij: quibus acceptam ferimus illam Catonianam Regulam, quæ libro trigesimo quarto Pandectarum explicatur: vt omittam alia responsa[a]. Post Catones floruerunt tres summi Iurisconsulti, M. Brutus, P. Manilius, & P. Mutius Scæuola: quos multis libris editis fundauisse Ius Ciuile, ait Pomponius. §. Sic florebat Romana Respublica, tot præstantibus Iurisconsultis res politicas procurantibus. Sed interim eo tempore miserè vastabatur ciuitas Hierosolymitana ab impio & crudelissimo tyranno Antiocho. Ita recordatio horum temporum, & tristitiam nobis adfert, & voluptatem. Neq; verò præterire silentio possum Liuium Drusum, cùm eius meminerit in Pandectis[b] Celsus noster: multo minus P. Rutilium, tanti nominis & autoritatis Iurisconsultum: & cuius infrequens non est in iure nostro mentio[c]. Quid multis? Erat apud Roma-*
11 *nos magno in honore Iurisprudentia: & maximi quique viri eam colebant, cum iam apud Græcos euiluisset, & tantum ab infimis hominibus, qui appellabantur πραγματικοὶ, (ministros se præbentes in iudicijs oratoribus, mercede conducti) retineretur, vt scribit Tullius. Interea autem multæ nouæ leges iussu Populi Romani fuerunt editæ: multa Senatusconsulta, Plebiscita, Prætorum Edicta passim recepta. §. Sed vt ad nostros Iurisconsultos redeamus, inter primos occurrit Qu. Mutius Scæuola, Pontif. Max. quem Pomponius scribit primum cõstituisse ius ciuile generatim in libros decem & octo redigendo. Eius inuentum est, cautio illa, quæ ab eo Mutiana dicitur[d]. Discipulum autem & successorem reliquit Aquilium Gallum: quem non potest non uereri & amare nostra Iurisprudentia. Certè in Pandectis adbuc commemorantur aliquot eius responsa[e]: vt omittam legem Aquiliam, & stipulationem Aquilianam. Huius auditor fuit Seruius Sulpitius, summus & ipse Iurisconsultus: qui dicitur eloquentiæ lumen, & dialecticæ methodum adhibuisse Romanæ Iurisprudentiæ. Reliquit autem plurimos discipulos non minoris prudentiæ vel autoritatis. Nam & in Pandectis adhuc citantur Seruij auditores[f]. Sed hæc attingunt Cæsarum tempora: de quibus priusquam plura dicamus, par est nos repetere quædam priorum temporum.*

a L. 4. §. Cato. De verb. obl. L. si socer à genero D. solut. mat. §. apud Catonẽ Instit. de adop. L. item Ofilius. §. 1. De ædi. edict.

b L. si venditor. §. 1. De action. empti.

c L. 1. De arbor. cæd. L. si habitatio §. vtrũ autem. De vsu & habit.

d L. Mutianæ cautionis. De condit. & demonst.

e L. Gallus. De lib. & posth. L. si quis hæres. De hæred. instit.

f L. cum scriptum. De dote prælег.

§. Cornelium Syllam, cum §§. seq.

1 *A Cornelio Sylla dictæ LL. Corneliæ.*
2 *Pompei, Crassi, & Iulij Cæsaris studia redigendi Iurisprudentiam in methodum.*
3 *Augustus in familiam Iuliam transijt, itaq; multa ipsius LL. dicuntur LL. Iuliæ.*
4 *Trebatius Augusti familiaris.*
5 *Auli Cascelij seueritas.*
6 *Edicto Augusti Prudentes responderunt de Iure ex autoritate principis.*
7 *Antistius Labeo & Atteius Capito temporibus Augusti sectarum autores.*
8 *Tiberius, Augusti successor, Iurisp. cultor.*

9 Sæpe in tyrannis quædam est virtutis reuerentia.
10 Caligula dissipator Iurisprudentiæ.
11 Claudij erga Ius ciuile studium.
12 Nero Iuris contemptor.
13 Sergius Galba, Otho, & Vitellius, morte præuenti nihil Iurisp. conferre potuerunt.
14 Vespasianus Iuris ciuilis vindex.
15 Aristonis sub vecorde Domitiano præstantia.
16 Cocceius Nerua, Traianus, Adrianus, principes verè politici.
17 Ab Adriano cœpit Iustinianus rescripta principum colligere.
18 Saluius Iulianus edicta prætorum collegit.
19 Antonini Pij Valens & Marcellus consiliarij.
20 Antonini Philosophi consiliarius Scæuola.
21 Commodus optimi patris pessimus filius.
22 Aelius Pertinax Iuris conseruandi studiosissimus.
23 Septimius Seuerus Papiniani consilijs vsus.
24 Antoninus Caracalla Papinianum trucidari iussit.
25 Heliogabalus tyrãnus in Vlpianum & Fabium Sabinum.
26 Alexander Seuerus consilio Vlpiani Iurisprudentiam iacentem erexit.
27 Vlpianus perpetuò Ethnicus sub principe Christiano.
28 Iulius Paulus & Pomponius polygraphi.
29 Gordianus tuendi Iuris ciuilis studiosus.
30 Honestissimæ leges latæ ab impijssimis tyrannis.
31 Licinius solus fuit, qui conaretur abolere Ius ciuile.
32 Constantinus restituit Iuri ciuili suam autoritatẽ.
33 De Arcadio & Honorio, Theodosij I. hæredibus quid iudicandum.
34 Alaricus Gothorum rex, Romam capit.
35 Italia Gothis paruit 150. annis.
36 Gothorum LL. satis honestæ.
37 Theodericus rex qualis.
38 Arcadius, Theodosius, Martianus, Leo, Zeno, Anastasius, Iustinus, Orientis Imperatores, magis auxerunt quàm composuerunt leges.

§. Cornelium Syllam suo tempore gessisse magnam curam iuris ciuilis, ostendunt leges Cor- 1
neliæ, quæ adhuc celebrantur. Hũc secutus est Pompeius: cuius extat lex de parricidijs. Ac dicitur
quidem aliquando deliberâsse de certa ratione & methodo, qua breuiter & perspicuè componi pos- 2
set Iurisprudentia, quæ iam tum confusa & variè dissipata erat: verùm metu obtrectatorum nihil
effecisse. Idẽ sibi cordi & curæ aliquãdo fuisse testatur Crassus in Oratore Ciceronis. Et accepimus
simile quoq; postea fuisse consiliũ & desideriũ Iulij Cæsaris. Nam et eũ religiosè coluisse Ius Ciuile
testantur ipsæ leges Iuliæ, quæ adhuc celebrantur: quanquam ex ijs multæ sint ipsius Augusti, qui, 3
quòd in Iuliam familiã transierat, eodem vtebatur nomine: & Iurisprudentiæ Romanæ plurimùm
quoque contulit, vt indicant ea, quæ adhuc in nostris Pandectis Augusto accepta feruntur[a]. Ha-
bebat autem familiarem Trebatium, magnæ autoritatis Iurisconsultum: & qui etiam in Pande- 4
ctis sæpe citatur: quanquam sæpius reijci soleat, quæ proponitur ab eo dicta sententia[b]. Trebatio æ-
qualis fuit Aulus Cassellius: cui posteriores nostros Iurisconsultos plurimùm tribuisse vel vnus Ia-
bolenus satis indicat: refertq; Paulus[c], vas argenteum diu non fuisse habitum in supellectili, secun
dum Cassellij seueritatem, nondum admittentis supellectilem argenteam. Plurimum autem digni- 5
tatis accessit Iurisprudentiæ, cum edixit Augustus, vt Prudentes responderent de iure ex autori- 6
tate Principis. Hisce verò temporibus florebant duo magni nominis Iurisconsulti Antistius La-
beo, & Atteius Capito: quos nescio vtrùm dicere debeam illustrasse, an verò potius suis concertatio-
nibus aduersarijs confudisse Romanam Iurisprudentiam. Certè sparserunt perniciosa ciuiliũ con-
trouersiarum semina: quæ deinde ipsi discipuli diuersis veluti sectis addicti, & studia in contraria 7
scissi excitarunt, & aluerunt ea pertinacia, vt multis annis componi non potuerint hæc dissidia:
extantq; adhuc in Pandectis multa capita harum concertationum. Secuti sunt ordine Capitonem,
Masurius, Sabinus, Cassius Longinus, & Cælius Sabinus: Labeonem, Nerua & Proculus. §. Au- 8
gusto successit Tyberius: quem non abhorruisse à cultu Iurisprudentiæ, vel ea ipsa, quæ supersunt
ex eius rescriptis, perspicuè ostendunt[d]. Primus dedit Masurio Sabino autoritatem de iure publi-
cè respondendi. Cassium Longinum ornauit Consulatu. Neruam plurimùm semper reueritus est:
& amauit eius filium, cuius ingenium tanti fecit, vt permiserit eum, anno ætatis suæ decimo septi-
mo, de iure publicè respondere. Ita sæpe in tyranno inuenias quandam heroicæ virtutis, & politici 9
decoris reuerentiam. Id quidem dicere non licet de huius successore Caligula, qui totus incubuit ad
dissipandam Iurisprudentiam: Verùm saltem in Claudio, qui hunc secutus est, animaduertas hanc 10
humanitatem. nam & religiosè coluit ius ciuile: & prudenter statuit multa, quæ adhuc commemo- 11
rantur[e]. A Nerone nullum beneficium accepit Iurisprudentia: plurimum verò damni. nam Cas- 12
sium Longinum hic tyrannus in exilium egit, vt aliorum togatorum neces præteream. Sergium
Galbam testatur Suetonius coluisse studia iuris ciuilis: sed adeò breue fuit eius imperium, vt nihil 13
ei conferre potuerit. Idẽ iudicare licet de Othone & Vitellio. Certè Otho Cælium Sabinũ Consulatu,
Proculũ Præfectura Prætorij ornauit. §. Felix autem multis nominibus fuit Iurisprudentia sub 14
Vespasiano. nam quantum is fauerit Iurisconsultis, vel illud satis indicat, quòd Cassium Lõginum
ab exilio reuocarit. quantum verò contulerit iuri ciuili, ostendunt eius Constitutiones, quarum
non est infrequens in iure nostro mentio[f]. Habuit autem suo tempore Pegasum Proculi audito-
rem,

a L. 2. D. ad Sen. Velle. L. 1. L. edictũ. De Quæst. L. officium. §. 1. De re milit.
b L. fundi partẽ. De contrah. emp. L. 1. §. si dolium. De peric. & commo. rei vend. L. si vitem meam. §. si ster cus. D. quod vi aut clam. L. 3. §. 1. De aqua plu. arc. L. hæres meus. §. 1. De lega. 3. L. legatũ ita. De ann. leg. L. si quis fundum. De vsu & vsufr. le. L. quidam heredem L. vinum. De ole. vi. & tri. leg.
c L. 3. §. vlt. De supel. leg.
d L. si adulterium cũ incestu. §. vlt. D. ad leg. Iul. de adult. L. et hoc Tyberius. De hære. inst.
e L. 1. D. ad Sen. Vell. L. D. Claudius. De iure pat. L. vlt. D. ne de statu def. L. 2. D. qui sine manu. L. 3. C. de his qui sibi ascrip. § 1. Instit. De Sen. Treb.
f L. 4. §. vlt. De legatio. L. D. Vespasianus. De iure pat.

rem, & Cælium Sabinum, cui successit Priscus Iabolenus. Cæterùm quantum decoris & lucis accepit
Iurisprudentia sub Vespasiano: tantundem squaloris & caliginis sensit sub Domitiano: quanquam is
sui principatus initio, satis diligenter ius dixisset: extatque adhuc in Pandectis vnum eius rescri-
15 *ptum[a]. Verùm saltem, eo postea furente semper, vnus Aristo superfuit, cui, Plinius Secundus ait, in*
omnium penè negligentia, & illa miserabili temporum iniquitate, fuisse curæ iura publica & priua-
16 *ta, antiqua & recentia. §. Cæterùm afflictam & iacentem Iurisprudentiam erexit Cocceius Nerua,*
qui Domitiano successit. Eandem plurimùm ornauit Traianus: quod indicant eius Rescripta &
Edicta, quæ in nostris Pandectis commemorantur[b]. Certè reuerenter toluit Celsum patrem: &
Neratium Priscum Iurisconsultum tanti fecit, vt diu in animo habuerit, eum potius quàm Adria-
num, Imperij successorem relinquere. Sed quod in Neratio admirabatur, reperit etiam in Adriano.
Certè fuit hic princeps verè Politicus & Nomotheticus: & qui adeò diligenter Ius ciuile coluit, &
17 *illustrauit, vt ab eo cœperit Iustinianus Rescripta Principum colligere, quibus suum concinnauit*
Codicem. §. Excitauit autem præcipuè Iurisconsultorum studium, illa respondendi de iure liber-
tas, & concessa in vniuersum peritis omnibus autoritas, tùm Adrianus petentibus ab eo viris Pa-
tricijs, vt sibi respondere liceret, rescripsit, Hoc non tam petendum, quàm præstandum. Ergo hæc
tempora, quæ pacata erant, pretulere plurimos excellentes Iurisconsultos. imprimis Celsum filium,
qui à patre fuit imbutus cognitione Iuris ciuilis: quod & is sæpe reuerenter agnoscit[c]: quanquam a-
liquando non erubuerit parentis sententiam reijcere: sed id non fecit, nisi certa & omnibus probata
18 *ratione[d]. §. Floruit eodem tempore Saluius Iulianus Mediolanēsis, qui iussu Adriani, Edicta Præ-*
torum variè sparsa, in certum redegit ordinem. Secuti sunt alij deinde plurimi Iurisconsulti, quo-
rum grauissima responsa leguntur in Pandectis. Quid dicam de temporibus Antoninorum? Certè
videbantur Principes ipsi, cum Prudentibus certatim contendere in ornanda & excolenda Iurispru
19 *dentia. nec alios quàm Iurisconsultos à consilijs habebant. Habebat Antoninus Pius, Valentem &*
20 *Marcellum: Antoninus Philosophus, Scæuolam Papiniani præceptorem: cuius celebrantur in Pan*
dectis responsa. secundum ea, quæ proponebantur. grauiter reddita: quanquam sint nonnulla, quæ non
careant nota[e]. Cæterùm non retinuit semper hunc honoris gradum nostra Iurisprudentia: successit
21 *enim optimo patri pessimus filius Commodus, qui dissipauit totam Remp. quanquam inficiari non*
possimus, nonnulla iuris capita eius beneficio in Pandectis ferri accepta[f]: vt omittam constitutiones
quas cum patre edidit. §. Iurisprudentiam, quæ cœperat pessum ire, laudatissimus princeps Elius
22 *Pertinax erexit: multum et procul dubio collaturus, si diutius imperasset. Nam quatuor illis mensi-*
bus, quibus solis vixit in imperio, plurima prudentissimè statuit, quorum adhuc extāt in iure nostro
23 *reliquiæ[g]. Septimium Seuerum negare non possumus plurimum profuisse Romanæ Iurisprudentiæ,*
multis editis constitutionibus. Nam & amauit suum olim condiscipulum Papinianum: eumque præ-
24 *fectura Prætorij donauit. §. Sed quibus verbis satis detestari poterimus Antoninum Caracallam,*
qui nostrum Papinianum talem tantumque Iurisconsultum, omnibus heroicis virtutibus præstan-
tem, crudeliter trucidari iussit, vixdum annos triginta octo natum: nec alio quàm integritatis nomi
ne: nempe quòd parricidio nollet patrocinari? Quantum iuri ciuili accessisset lucis & dignitatis, si
iustam ætatem implere potuisset: & ad eam peruenire caniciem, quæ vel Iuliano, vel Iaboleno, vel
25 *Pomponio contigit? Quid præterea dicam de impuro illo tyranno Heliogabalo, qui nostrum Vlpia-*
num summouit à Rep. & Fabium Sabinum grauissimum Iurisconsultum trucidare voluit? §. Sed horum
infelicium temporum squalorem discussit optimus & sapientissimus princeps Alexander Seuerus,
26 *qui iacentem perculsæ Iurisprudentiæ gloriam & dignitatem erexit: & in ea extolenda superauit o-*
mnes verè politicos principes, vsus consilio Vlpiani: quem adeò reuerebatur & amabat, vt non eru-
buerit eius autoritatem & nomen suis Constitutionibus prætexere[h]. Ac sanè verbis assequi non pos-
sum, quantum Vlpiano debeat Romana Iurisprudentia. Sed vbi res ipsa loquitur, non est opus ver-
27 *bis pluribus. Vtinam verò pietatem sui principis in colenda religione Christiana fuisset imitatus.*
28 *Eodem tempore floruit Iulius Paulus, magnæ apud eundem principem autoritatis: qui reliquos o-*
mnes Iurisconsultos superasse videtur polygraphia. Quid dicam de Pomponio, qui vixit eodem seculo
in eodem honore apud eundem principem: & multitudine scriptorum proximè est assecutus Pau-
lum? Quid de reliquis Iurisconsultis, quorum sunt adeò celebria in Pandectis nomina? Certè diceres
omnes vno ore locutos: adeò in omnibus eadem prorsus relucet prudentia, eruditio, eloquencia. §. Ve-
29 *rùm quasi iam ad summum peruenisset Iurisprudentia: cœpit exinde labascere ac pessum ire. Cona-*
tus est quidem eam erigere & tueri Gordianus, qui etiam plurimas edidit constitutiones dignas Ro
mana grauitate & prudentia: sed tamen ab Alexandri temporibus nullum extat celebre nomen Ro-
mani iurisconsulti. Nempe ipsi principes ad sese reuocarant totam iuris curam & autoritatem. Nec
inficiari possumus, quin diligenter munus hoc suum impleuerint. Imò verò quoties intueor Iustinia-
ni Codicem, non possum non admirari summam Dei prouidentiam, qui nobis politicas leges honestis-

a L. Domitianus. D. ad Sen. Turp.

b L. absentem §. 1. De pœn. L. 1. §. seruū. De Quæst. L. Diuus. De milit. test. L. cū plures. §. 1. De admin. tut. L. vlt. De req. reis L. si exhæredatus. §. vlt. D. ad Senat. Syll. L. edicto. De iure fisci. L. 4. De re milit. L. siquis sui. De pollicit. L. vlt. D si quis à paren. manu.

c L. & Proculo. L. pater meus. De leg. 2.

d L. 3. §. si quis quasi. De condict. cau. da.

e L. à testatore. De cō dit. & demonst.

f L. alimenta. §. Imperatoru. De libe. agnoscen. L. Diuus. De iure fisc. L. Diuus. De iure aur. anu. L. procula. De prob.

g L. semper. §. demonstratur. §. vlt. De iure immu. L. Imperator. §. vlt. De fideicom. libert. § penult. Instit. Quib. mo. test. infir.

h L. 4. C. de contrah. stipul. L. 4. C. de loca.

ſimas dedit,per impios etiam tyrannos. Nam vt omittam Neronem, Claudium, Commodum: Decius,qui tam ſæuus fuit in Chriſtianos: Galienus,qui adeò ſceleſtus & vecors: Diocletianus & Maximianus,qui innocentum Chriſtianorum ſanguine omnia inundare fecerunt: Iulianus,qui hos adhuc omnes ſuperauit odio noſtræ religionis: quàm honeſtas & vtiles de iure ciuili conſtitutiones nobis reliquerunt? quantam componendarum controuerſiarum religionem & curam deprehendes in eorum Reſcriptis? Vix auderem proferre, quod de Iuliano ſcribit lib.22. Ammianus Marcellinus, ne fidem noſtræ orationi detrahat immanis furor huius tyranni. Vnus Licinius Imp. planè barbarus, 31
& omnibus literis,quarum adeò expers fuit, vt ne decretis quidem ſuis ſubſcribere poſſet, infeſtiſsimus,leges Romanas conatus eſt abolere,& nouas quaſdam non minus iniquas, quàm barbaras edere. Sic enim in vita Conſtantini loquitur Euſebius de hoc Licinio, τοὺς παλαιοὺς Ῥωμαίων εὖ καὶ σοφῶς κειμένους νόμους περιγράψαι τολμήσας, βαρβάρους τινὰς καὶ ἀνημέρους ἀντεισῆγε. *(veteres Romanorum bene & ſapienter conſtitutas leges circũſcribere ſeu circumducere & obliterare auſus,barbaras quaſdam & incultas ex aduerſo inuexit.) Sed hoc malum ne latius graſſaretur, ſtatim cohibuit Conſtantinus. nã*
priuſquam Byzantium migraret,reſtituit & firmauit conuulſam à Licinio autoritatem Iuris Romani, 32
vt teſtatur Euſebius lib.9. Hiſtor. Eccleſ. Idem addit in eius vita,hunc Principem ipſi Politiæ plura decora conſtituiſſe,quàm facilè poſsint enumerari. Certè huius rei fidem faciunt vel ea,quæ ab hoc Conſtantino prodita ſuperſunt in Iuſtiniani Codice. Inde quoque ſatis apparet, quid iudicandum
ſit de Arcadio & Honorio,filijs & heredibus Theodoſij primi. §. Cæterùm dum Honorius Rauen- 33
næ deſidet,Roma quæ iam biennium fuerat obſeſſa capitur ab Alarico rege Gothorum: tandemque 34
tota Italia Gothis paruit,annis ferè centum & quinquaginta. Hi totam Romanã Iuriſprudentiam 35
peſſundederunt: quanquam non fuerint adeò barbari,vt non coluerint honeſtam Politiam. Certè le- 36
ges habuerunt ſatis æquas & honeſtas,ſi quid iudicare poſſumus ex eorum Iure Ciuili,quod vidimus.
Habuerunt & paulò ante Iuſtiniani tempora regem Theodericum, in quo reueremur multas he- 37
roicas virtutes & admirabilem curam Politiæ. §. Arcadius,qui Orientis imperium nactus erat, reli- 38
quit filium,& heredem Theodoſium: de quo plura non dicam, cùm extet eius Codex, qui abundè teſtari poteſt,quantum ſtudij & curæ impenderit ſapientiſsimus hic Princeps conſeruandis reliquijs Iuris,& quaſi colligendis ex naufragio tabulis. Idem ſtudium videre poſsis in Martiano,Leone,Zenone,Anaſtaſio,Iuſtino. Sed hi fortaſsis Iuriſprudentiã ſuis Conſtitutionibus magis augebant,quàm componebant.

§. Tandem vero; cum ſequent.

1 *Iuſtinianus Imperator An.529 iuſtus Iuriſp. vindex.*
2 *Iuſtiniani religioſa in Deum pietas.*
3 *Iuſtiniani laus præcipua in rebus politicis.*
4 *Codex quando concinnatus & editus.*
5 *Digeſtorum euulgatio.*
6 *Querela de abolitis veterum Iuriſconſultorum monumentis.*
7 *Inſtitutionum editio.*
8 *Methodus Inſtitutionum opt.*
9 *Codicis noui promulgatio.*
10 *Nouellæ conſtitutiones.*
11 *Iuriſprudentia Romana in Græcia floret annis 40.*
12 *Phocæ vecordia,& Saracenorum rabies.*
13 *Baſilius Macedo, Leo Philoſophus, & ſequentes Orientis Imperatores, quid opis ad Iuriſprudentiam contulerint conſeruandam.*
14 *Pachymery & Nicephori commentaria quid contineant.*
15 *Status Occidentis perturbatiſsimus.*
16 *Rauenna conſeruata reliquiæ Iuris Romani.*
17 *Iuris Feudorum & Primogeniorum origo.*

Tandem verò in illa Iuris perturbatione,datus eſt iuſtus aliquis vindex, nempe Iuſtinianus 1
noſter,qui ad imperium peruenit anno ſalutis 529. Natus eſt autẽ obſcuris admodũ parentibus: nec minus obſcuro loco,quando ne ſui quidem temporis ſcriptores conueniant de eius natali ſolo. Sed abun-
dè nobis eſſe debet,re ipſa nobiliſsimum fuiſſe Principem. Initio religionem, ſine qua vix vlla eſſe po- 2
teſt iuſta ac diuturna Politia,compoſuit: peſſum euntẽ erexit,& nutantem ſtabiliuit. Sic enim de eo Procopius ſcribit: πλανωμένην ἐν διαφόροις τὴν ἀμφὶ τοῦ θεοῦ δόξαν, τὰ πρότερα ἐς πολλάς τε ἀναγκαζομένην ἰέναι, συντρίψας πάσας τὰς ἐπὶ τὰς πλάνας φερούσας ὁδοὺς, διεπράξατο ἐν τῷ βεβαίῳ τῆς πίστεως, ἐπὶ μιᾶς ἑστάναι κρηπῖδος. *Omitto gloriam bellorum,quibus propugnauit Orientis imperiũ aduerſus Perſas: Italiã Gothis li-*
berauit: Africã Vandalis eripuit. Præcipua eius laus eſt in rebus Politicis. §. Imperij ſui anno tertio, 3
Codicem Conſtitutionũ,ſiue Reſcriptorũ Principalium concinnari iuſsit,edidit́q; decimoſexto Calen- 4
das Maij: nẽpe eo ipſo die,quo fuerat olim Octauius fauſtis acclamationib. ſalutatus Imperator Auguſtus. Deinde intra quadrienniũ,cõtractos ex infinitis Prudentũ reſponſis, 50. libros Pandectarũ,
ſiue Digeſtorũ euulgat XVII. Calendas Ianuarias. §. Cæterũ quid deſideretur in hac congerie Ro- 5
manæ Iuriſprudentiæ,aliàs plurib. expoſuimus. Grauiſsima autẽ querela eſt de interciſis fontibus,& 6
abolitis ipſorũ autorũ monumentis: ſed nondũ ſatis cõſtat,an huius cladis verè fuerit autor Iuſtinianus. Imò

nus. Imò verò sunt iustæ coniecturæ, vel ex ipsius quadã Constitutione[a]*, quæ nos cogant aliò referre*
hoc damnum. Fortaßis absumpta fuerunt aliquo incendio (vt sub Zenone in vrbe Constantinopoli-
tana dicuntur conflagrasse centum & viginti millia librorum) vel furore barbarorum dißipata.
Quid enim non absorpsit eius temporis dira in omnes literas proluuies[b]*? Adde, ex tribus vrbibus, quæ*
custodes erant Iuris Ciuilis, nullam prorsus mansisse incolumem. nam Berytus horrendo terræ motu
fuit absorpta: Roma vastata est Gothicis incursionibus: Constantinopolis tandem etiam patuit Bar-
barorũ furoribus: vt mirum sit, vel has qualescunq; Iuris Romani reliquias superesse. §. Post editas
7 *Pandectas, Iustinianus in gratiam cupidæ Legum iuuentutis, statim componi iußit hasce Institutio-*
nes. Fuerunt autem magna diligentia concinnatæ intra vndecim menses, & editæ anno octauo Im-
perij Iustiniani, vndecimo Calendas Decembris. Vtinam verò Iustinianus simili methodo compo-
8 *suisset reliqua Iuris volumina, qua composuit suas Institutiones. fuisset sanè aliquando finitum Ius*
Ciuile: vt esse potest, & debet, inquit Neratius[b]*. Certè nemo negauerit, hunc libellum Institutionum*
multas habere dotes singulares, multisq; nominibus præstare alijs voluminibus Iuris. Complectitur
præcipua Iuris Ciuilis capita: illustrat obscura: componit controuersa. nec ingerit ociosas spinosasq;
Cõmentationes, in quibus inani studio sese fatiget lector. Quare & hunc libellum Iustinianus diligen-
ter nobis commendat multis locis: atq; vtinam nostra interpretatio eruere poßit, & illustrare, quæ-
9 *cunq; in eo latent recondita. §. Post editas Institutiones, Iustinianus voluit priorem illum suum Co-*
dicem recudi, quem ante quinquennium euulgarat: in eumq; referri omnes dignas luce & memoria
Constitutiones omnium Principũ ab Adriano, nec non & suas quinquaginta nouas Decisiones, quas
10 *interea condiderat. Deinde nouis quotidie controuersijs oborientibus, Iustinianus, qui toto illo suo*
imperio, quod annis ferè quadraginta geßit, edidit plures alias Constitutiones græca lingua in vsum
populi cõnscriptas, quas appellauit Νεαρὰς*: Itali Nouellas dixere, & Authenticas. §. Restituto ad hunc*
11 *modum & composito Iure Ciuili, statim Græcorum studia excitata sunt: cœptiq; Romana Iurispru-*
dentia in Græcia florere. Sed vix interiectis annis 40. cœpit rursus labascere & periclitari sub igna-
12 *uo & vecordi Principe Phoca. Acceßit deinde Saracenorum rabies, qui totum Orientem depopulati*
13 *sunt. Verùm tandem circa Domini annum octingentesimum & octogesimum, exortus est Basilius*
Macedo Imp. qui huic malo succurrere conatus est. Is, cum filio suo Leone Philosopho, collegit nouas
quasdam iuris Pandectas: quas libris sexaginta destinxit, & in sex volumina partitus est. Vnde ap-
pellatum est hoc opus, modò Ἑξηκοντάβιβλον*, modò* Ἑξάβιβλον*. Accesserunt deinde multæ posteriorum*
Principum Constitutiones, veluti Constantini Porphyrogennetæ, Nicephori, Alexij, Manuēlis. Sed
omnes rursus postea complexus Constantinus Harmenopulus Nomophylax Thessalonicensis, con-
cinnauit nouam vniuersi iuris Epitomen. quorum temporum historiam, simul & eorum, quæ secuta
14 *sunt in Oriente, perfectius omnes cognoscent, vbi erunt editi de hisce rebus Commentarij Pachymerij*
& Nicephori, quos hisce diebus manu descriptos vidimus. §. Is erat in Imperio Constantinopolitano
status Iurisprudentiæ, cùm in Italia & reliquis partibus occidentis regnarent variæ leges Barbaro-
15 *rum, veluti Gothorum, Hunnorum, Vandalorum, Longobardorum, Francorum. Sed tamen in illa*
tristißima dißipatione nostrarum Rerumpublicarum, Rauenna, quæ diutius paruit Græcis, & sub
16 *Exarchis Constantinopolitanis agebat, conseruauit qualescunq; Iuris Romani reliquias, allatas ex*
Græcia. Interim autem in illa miserabili terrarum vastatione, natæ sunt pro iure variæ Consuetudi-
17 *nes. nata sunt illa, quibus hodie vtimur, Feuda. natum ius Primogeniorum ad conseruandas fami-*
lias, vt alia omittam.

a L. vnica. §. necautem hoc. ad §. C. de cad. tollen.

b L. 2. De iuris & facti ignor.

§. Cùm verò, cum seq.

1 *Carolus Magnus Occidentis Imp. politicus.*
2 *Pisani Pandectas euulgârunt anno 1137.*
3 *Pandecta Florentina quæ?*
4 *Lotharius Saxo Imp. autoritatem LL. Romanis reddidit.*
5 *Dispositio Institutionum libri, temporibus Lotharij quæ?*
6 *Friderici I. fauor erga Iurispr.*
7 *Friderici I I. Constitutio.*
8 *Noua Principum Constitutiones Codici assutæ.*
9 *De Irnerio querela.*
10 *Accursius temporibus Friderici secundi glossas edidit.*
11 *Bartoli præstantia.*
12 *Baldi acumen philosophicum.*
13 *In impuro Commentatorum lacunis multi demersi.*
14 *Seruiles hodie & abiecti Iurisconsultorum animi.*
15 *Veterum Prudentum præstantia, demonstrata exemplis.*

Cùm verò ad hunc modum omnia essent confusa: indiesq; nouum ius magna licentia sibi quisq;
conderet: tandem circa Domini annum octingentesimum, Occidenti redditus est politicus Princeps,

& fortissimus heros Carolus. Is Longobardorum regnum euertit cum eorum legibus, quæ iam du-
centis annis inualuerant: & conatus est aliquem Iuris Romani vsum reddere: sed vix trecentis ex-
inde annis inueniri potuit certa & plena eius formula. Audiuit tamen aliquando bonorum virorum
bona desideria misericors Deus. §. Victores Pisani in direptione ciuitatis Malfitanæ, quæ est in A- 2
pulia, repererunt Pandectas, easque euulgarunt circa Domini annum millesimum centesimum trige-
simum septimum. Atque eæ ipsæ sunt, quæ adhuc hodie tanta veneratione asseruantur Florentiæ. His 3
verò in Italia renatis Iuris voluminibus, statim Imp. Lotharius Saxo voluit pristinam quasi postli- 4
minio reddi autoritatem legibus Romanis, quas & in scholis doceri, & in iudicijs valere iussit. Præ-
cipuè autem commendasse dicitur hunc libellum Institutionum. Certè Ioannes Apellus refert sese an-
te aliquot annos ad mare Balthicum in parua quadam bibliotheca vidisse antiquissimum harum In-
stitutionum exemplar, conscriptum tempore huius Lotharij. Et eius quidem dispositionem & œcono- 5
miam non paulo aptiorem esse, quàm sit ea, quæ hodie recepta est. Primi libri primus titulus erat de
Iure personarum. Cæterùm tituli de Iustitia & Iure, item, de Iure Naturali, Gentium, & Ciuili,
erant quædam veluti proœmia. Secundus autem liber vsque ad titulum, de Obligationibus, proten-
debatur. Tum tertius ab eo loco, vsque ad titulum, de Actionibus. Ac principium quidem tituli de
Donationibus, subijciebatur titulo de Legatis, libro secundo: nempe, quòd agat de donationibus causa
mortis, quæ legatis similes sunt. Reliquum verò eius tituli, in quo agitur de donatione inter viuos,
subiungebatur titulo Mandati, libro tertio. Sed & titulus: Quibus modis tollitur obligatio, prætede-
bat proximè titulum de Actionibus: vltimumque locum eius libri tertij occupabat. Postremò titulus
de Actionibus, cum ijs quæ sequuntur, liber quartus erat. Cuiusmodi ordo & dispositio perspicuè osten-
dit, librum primum continere tractationem personarum: Secundum verò, modos, quibus Iure Gen-
tium, vel Ciuili acquiritur dominium: Tertium, caussas, ex quibus nascitur obligatio: Quartum,
ipsum effectum & vim, tum dominij, tum obligationis. §. Non minor fuit Imperatoris Federici pri- 6
mi, quàm Lotharij fauor erga renascentem Iurisprudentiam. Certè adeò fauit studiosis, vt grauiter
vetuerit prætextu alicuius litis eos trahi extra Academiam. Hancque suam humanissimam Constitu-
tionem, ne quando intercideret eius memoria vel autoritas, nominatim iussit inseri Codici Iustinia-
ni[a]. Huius ex filio Henrico nepos Federicus secundus, qui delectus est Imperator anno Christi 1212. 7
aluit eundem fauorem erga Iuris studiosos: & edidit ipse Constitutionem, cuius vndecim capita po-
stea fuerunt Codici quoque inserta, & in suos distributa titulos. Iam enim hic mos inualuerat, vt nouæ 8
Principum Constitutiones assuerentur Iustinianeo Codici, posteaquam Irnerius qui floruit tempori- 9
bus Federici primi, idem fecisset de ipsius Iustiniani Nouellis. Verùm vtinam saltem Nouellas tran-
scripsisset ea fide, qua descriptæ sunt aliorum Principum Constitutiones. Exposuimus aliquando
pluribus iustissimam nostram hac de re querelam, vt studiosos reuocaremus ad ipsos fontes: nec opus
est hîc rursus eandem ingerere. Huius autem Federici secundi temporibus floruit Accursius Flo- 10
rentinus, qui præceptorum suorum scholijs adiutus, scripsit in omnes Iuris nostri libros glossas per-
petuas: in quibus docti & prudentes desiderant quidem plusculum eruditionis & iudicij: admiran-
tur tamen interpretis memoriam & diligentiam. §. Postea successit Bartolus, quem natum accepi- 11
mus anno 1309. Is fusiores paulo Cõmentarios edidit, in quibus agnoscas admodum sanum plerunque
iudicium. Simul autem in precio erat Baldus non obscurus Iuris interpres: in cuius scriptis videas 12
acumen quoddam ex philosophia, quæ tum in scholis celebrabatur. Post hos erupêre plurimi alij, qui
ambitiosa contentione cœperunt maiorem Commentariorum syluam congerere: sed ferè omnes hæse-
runt in præceptorum suorum dictatis: & declarandis aliorum glossematis plus operæ studijque im-
penderunt, quàm ipsorum Iurisconsultorum literis. Sic itaque sensim degenerauit Iurisprudentia:
& relictis fontibus, qualescunque supererant, sese turbidius effudit extra suum alueum in lacunas 13
minus puras: quibus dolendum est multa bona ingenia fuisse demersa. §. Verùm tandem hisce no-
stris temporibus, cum literis & fontibus ipsis cœpit Iurisprudentia vera & Romana renasci, ac
discussis superiorum temporum tenebris, quas barbaries offuderat, recipere aliquid pristini sui splen-
doris. Vtinam verò principes ipsi, quorum est necessaria autoritas, adiungerent priuatorum ho-
minum studijs suam curam in constituenda aliqua certa, pura, solidaque Iurisprudentia, qualem
postulat nostrarum Rerumpublicarum salus. Vtinam & iuuentus studijs ciuilibus deuota cum li-
teris imbibat heroicas virtutes veterum Prudentum: afferat ex scholis ad Rempublicam eorum
mores, integritatem, continentiam: animos & pectora impleat cœlesti quodam enthusiasmo ad propu-
gnandas politias: vt in hac sua statione gubernatores nullis cedant difficultatibus, nullis frangantur
terroribus: vt eos nec ciuium ardor praua iubentium, nec vultus instantis tyranni, mente quatiat soli-
da: quin & si fractus illabatur orbis, impauidos feriant ruinæ. §. Sed, cum hodie intueor viles & sor-
didas curas, seruiles & deiectos animos eorum, qui se profitentur Iurisconsultos, pudet me degeneris 14
nostræ vanitatis: multo verò magis, quoties confero veteres illos, quorum scientiam profitemur, Pru-
dentes:

[a] *Autent. habita. C. ne filius pro pat.*

dentes: qui cùm domi responsa dabant de iure, videbantur oracula ex Tripode reddere: cumq; ad gubernandas & tuendas Respublicas assurgebant, cœlesti quodam veluti classico erecti stabant infractis animis aduersus molem omnium difficultatum: vt ipsi quoque tyranni terrerentur horum constantia. Testis est Cæsar Iulius, qui Seruium Sulpitium, solum & inermem, victor & armatus habuit aduersarium suæ dominationis. Testis Tyberius, qui Neruam Cæsareæ tyrannidis inimicũ reuereri coactus est. Testis Nero, qui Cassium Longinum pro Repub. dimicantem exhorruit: nec nisi eo in exilium pulso, fuit securus. Testis Caracalla, qui prius vitam eripuit Papiniano, quàm vllam vocem Imperatorij sceleris patronam extorquere potuerit. Testis Heliogabalus, qui Vlpianum & Fabium Sabinum sensit aduersantes suæ tyrannidi. Si quærimus exempla singularis cuiusdam & incorruptæ continentiæ: turmatim statim occurrent auditores Masurij Sabini, qui præceptoris sui, quem aluerant, sanctissimam continentiam testabuntur: prodibunt Ætoli, vt nobis exhibeant Tuberonem patrẽ, qui fictilibus suis contentus reiecit argentea eorum vasa. Ipse Populus Romanus nobis ingeret Samia, & ligneos lectulos Tuberonis filij. Sed duo Scæuolæ prodeant, qui nobis ad viuum referant veros Iurisconsultos. Vnus est ille Mutius Iurisperitorũ eloquentissimus, & eloquentium Iurisperitissimus, qui Proconsul Asiæ præfuit ea integritate, vt Senatus deinceps in eã Prouinciam ituris magistratibus, Scæuolam decreto suo proponeret, quasi exemplum atq; formã officij. Alter est Qu. Mutius Augur, cuius domum dictam audimus, Oraculum totius Romanæ Ciuitatis: quem accepimus sese solum opposuisse furoribus Syllæ: quem legimus bello Marsico, cùm & grauis esset ætate & afflicta valetudine, quotidie prima luce primùm venisse in curiam: sed & confectum iam senectute, præpeditum morbo, membrisq; omnibus debilem, statim atq; Senatus decreuisset capienda esse arma propter Saturnini tumultum, hastili, quod vix tremula manus regere poterat, innixum patriæ adfuisse. At vbi nunc sunt illi philosophi, quibus beatas fore Respublicas pronuntiauit Plato? Vbi illa Maiestas Ciuilis Prudentiæ? Vbi illa Lumina virtutum Politicarum? Sed his nunc compressis suspirijs, tempus est, vt de nostro officio & instituto dicamus aliquid.

§. Diximus alio; cum seq.

1 *Iurisprudentia Rom. haurienda ex ipsis fontibus.*
2 *Bibliorum lectio necessaria studioso Iuris.*
3 *Lex prima Ciuilis Noæ proposita à Domino.*
4 *Historiarum, Romanæ & Græcæ, cognitio afferenda ad studium Iuris Ciuilis.*
5 *Morum quoq; integritate sit studiosus Iurisp. commendabilis.*
6 *Balduini Methodus interpretandi leges.*
7 *Institutiones plus habent in recessu quàm in accessu.*
8 *Thrasonismus conuerrentium allegationum & opinionum plaustra.*
9 *Disciplina legalis est vitæ honestæ formula.*
10 *Minori ætati fauent Leges.*
11 *A donatore quantum exigi possit.*
12 *Hæc Commentaria inter arma collecta.*
13 *Liber hic vtrum Institutiones sit appellandus, an verò Instituta.*
14 *Institutio est cuiusq; rei initium.*
15 *Titulus à tuendo dicitur.*
16 *Tituli vnde dicantur Rubricæ.*
17 *Legem quid appellemus.*
18 *A primo carmine sæpe totum opus denominatum.*
19 *Sæpe in iure demonstrationis caussa quid ὀνομαστί dicitur.*
20 *Græci olim sole numere LL. indicabant.*
21 *Paragraphus siue διμάνον quid?*

1 *§. Diximus alio loco pluribus verbis, primùm Romanam Iurisprudentiam esse hauriendam*
2 *ex ipsis fontibus. Huic deinde adiungendam sacrarum literarum cognitionem, vel eo nomine, quòd*
in ijs lateat archetypum omnis Iuris, & prima origo honestæ politiæ. Nam prima lex Ciuilis, ante
3 *quatuor ferè annorum millenarios ipsi Noah à Domino proposita, in ijs refertur: vt nihil dicam de*
ipsa, quæ annis deinde octingentis absoluta est omnibus numeris, Politia Mosaica. Deinde indica-
4 *mus conferenda antiquitatis instituta, non Quiritum modò, sed & Græcorum. Nam & ab ijs fluxê-*
5 *re fontes Iuris nostri. Sed interim non esse negligendos mores, quibus vtimur. De hisce quatuor par-*
tibus solidæ puriorisq; Iurisprudentiæ, cùm satis multa dixerimus alio loco, non est cur actum rur-
sus hic agamus. Vtinam verò eius aliquod specimen edere, vel nonnulla semina spargere possem in
6 *nostra commentatione: saltem desiderium aliquod fortassis ostendam. §. Porrò ratio & methodus in-*
terpretationis, quam sequemur, primùm excutiet ipsos fontes: vt hac collatione ac veluti collisione
extundamus scintillam veri. Deinde propius expendemus vim propriamq; significationem singu-
lorum verborum, vt res ipsas excutiamus, totamq; sententiam eruamus. Nam hoc interpretationis
genus maximè conuenit harum Institutionum libello, qui latè patentem sensum pauculis verbis ve-
7 *luti occulit: longéque plura, quàm fronte promittat, in recessu habet. Cæterùm omnino status bo-*
nas horas malè non collocare, vel in conuerrendis aliorũ more, nescio quibus allegationum plaustris,
8 *vel in multorum opinionibus referendis, refellendisve. Nam vtrunq; factum habere videtur nescio*
quid

*quid vani Thrasonismi, & inutilis pompæ. Verùm laudent & sectentur, qui volent, ambitiosam il-
lam ostentationem: ego sobriam solidamq́ Iuris tractationem probo. vt qui satis intelligam discipli-
nam nostram legalem, non esse Thrasonicam ostentationem vanæ scientiæ, sed legem & formulam* 9
*honestæ vitæ. §. Nec possum intelligere, quis tandem malus genius inuexit illa plaustra sordida-
rum allegationum in scholas Iurisconsultorum, in quibus magna religione, iudicio, & grauitate do-
ctores imbuere debebant iuuentutem vera illa Aequi & Boni arte. Et tamen vtcunque tolerabile
malum erat, si in vmbra scholarum delituisset. Verùm fieri non potuit, quin cum ipsis discipulis irre-
pserit in lucem fori. Certè adhuc obsidet ipsa tribunalia, ac de iure pronuntiaturos Iudices non minus
terret hæc larua, quàm prius in scholis auditores attonitos perculerat. Sed tempus est, vt aliquando
intelligamus ampullas esse nihili: nec amplius pueriliter terreamur inani crepitu, si quis vanas illas
proiiciat stupas: etiam si id faciat non minori confidentia, quàm si fulmina de cælo vibraret. Vtcun-
que sit, sequemur nos ingenuã, & simplicem Iuris interpretationem, quæ sine vlla ostentatione scru-
pos amoliatur: vt iuuentus Romanam Iurisprudentiam sine tædio legere, siue grauiori lucta intelli-
gere, & breui tempore complecti facilè possit. Non dicam plura de nostro studio:* nam & multa le-
uant promissa fidem: *& nos alio loco fortassis nimis multa diximus. §. Cæterùm stipulabor à stu-
diosa iuuentute, cui qualiacunq; nostra munera offerimus, aliquid saltem liberalis & ingenui fauo-
ris, quem & ipsa fortassis exigit gratitudinis formula, & huius ætatis ratio promeretur. Leges Ro-* 10
*manæ fauent adolescenti viginti quinque annis minori: eumq́ in integrum restituunt, si sua facilita-
te sese coniecerit in aliquas difficultates, ex quibus commodè non possit eluctari. Deinde & illud tri-* 11
buunt liberali donatori, ne amplius ab eo exigatur, quàm commodè facere [a] possit. Nos vtroq; iure

[a] *L. exhæredatum. §. vlt. De re iudic.*

*defendi possumus aduersus obligationem liberalioris promissionis, si fortè minus ei fuerimus soluen-
do. Ergo saltem verecundè licebit petere; Nos æquitate Prætoria potius iudicari, quàm seueritate
Censoria. Quanquam & illud fortassis ad nostram excusationem valeret, quòd cùm hos primùm
Cõmentarios colligerem, inter arma Leges tractarim, & in media infelicis patriæ trepidatione pro-* 12
cul ab omni commercio literatorum, & animo consternato assiduis bellorum præsentium malis:
quæque ipse miserrima vidi, & quorum pars magna fui. *Vt nihil dicam de aliis grauioribus
iniquiorum temporum iniuriis, quæ nostra studia interturbarunt, & bonos animos frangere, atque
labefactatos deiicere poterant, nisi in mediis difficultatibus, quæ nos ad desperationem solicitant, Do-
minus nostras aures circumsonaret hoc classico;* Tu ne cede malis: sed cõtrà audentior ito. *§. No-* 13
*ta est significatio Institutionum: & tamen indoctum vulgus Instituta mauult dicere. quanquam
non ignorem, aliquando apud Ciceronem harum vocum discrimen confundi: & Iustinianum ipsum,
Græculorum more, hunc libellum appellare Instituta in Nou. Constit. 21. Idem in Nou. sua Constit.
89. quòd contineat prima elementa Iurisprudentiæ, appellat τὸν ἐσῶ ὅτι προσῳδὸν λόγον. Sanè & Iuris-* 14
*consulti institutionis verbum ad initium cuiusque rei referre solent. Sic dicunt instituere vineas &
lapidicinas [b]. Titulus propriè appellatur index cuiusque scripturæ: qui & tuetur scriptoris nomen,* 15
*& indicat rem subiectam. Rubricam etiam veteres appellarunt, quòd solerent Legum titulos depin-
gere rubro colore. Vnde & Iuuenalis;* Perlege rubras Maiorum Leges. *Et Paulus [c], Interdicta* 16
(inquit) proponuntur sub Rub. VNDE VI. *Legis propria significatio satis nota est: rideq́ Valla
morem nostrum, qui legem appellamus quodcunq; caput vel responsum. Sed aliquid tribuendum est* 17
*consuetudini in hisce minutiis. Certè Martianus [d] noster Capitis verbo vsus est. An autẽ rectè leges
nuncupemus & laudemus à primo earum verbo, quidam dubitarunt. Sed Alciatus lib. Parerg. 2.
cap. 50. ridet eorum scrupulum: cùm etiam olim veteres à primo carmine totum opus denominent,
vt apud Maronem, Hæc eadem docuit, Cuium pecus, an Melibæi? Sed & Hebræis elegans videtur,* 18
libris suis titulos inscribere à primis eorum verbis. Nec nouum est in Iure nostro demonstrationis 19
*causa, dici aliquid ὁρικῶς. (quasi finitiue.) Nam & Interdicta nomen sortiuntur à primis verbis edi-
ctorum Prætoriorum, veluti, Interdictum* VTI POSSIDETIS; QVOD BONORVM, *&c.
Sed tamen olim Græci professores Iuris solo numero solebant legem indicare. Paragraphum acce-* 20
pisse videmur à veteribus Græcis, qui παραγραφὴν aliquando appellant notam quandam aut signum 21
*margini adscriptum: vt apud Isocratem, ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς παραγραφῆς ἀνάγνωθι. Et Aristoteles lib. 3. Rhe-
thoric. παραγραφὴν quoque vocat notam, quam librarius margini adscribit, vt finem orationis osten-
dat. Variam autem fuisse huius notam, indicat Alciatus. Noster vsus hanc recepit, §. Sanè Græcos
legum doctores tempore Iustiniani appellasse hoc δίγεστον testatur Haloander: idq́ nu-
mero indicasse, sicuti & caput & titulum. Lutetiæ Parisiorum,
Anno* M. D. XLV.

[b] *L. penult. Loc. ficu-
tius. §. fructuarius. De
vsufr.*
[c] *L. 2. De Interd.*
[d] *L. diuus. De custo.
& exhib. reor.*

IMP.

IMP. CAESAR FLAVIVS IVSTINIANVS, ALLEMANICVS, GOTHICVS, FRANCICVS, GERMANICVS, ANTICVS, ALANICVS,

Vandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor ac Triumphator semper Augustus,

CVPIDAE LEGVM IVVENTVTI, S.



MPERATORIAM Maiestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam: vt vtrunq; tempus & bellorum & pacis rectè possit gubernari: & Princeps Romanus non solùm in hostilibus prælijs victor existat, sed etiam per legitimos tramites, calumniantium iniquitates expellat: & fiat tam Iuris religiosissimus, quàm victis hostibus Triumphator magnificus. §. Quorum vtranque viam cum summis vigilijs, summaque prouidentia, annuente Deo, perfecimus. Et bellicos quidem sudores nostros Barbaricæ gentes sub iuga nostra redactæ cognoscunt: & tam Africa, quàm aliæ innumeræ prouinciæ, post tanta temporum spacia, nostris victorijs à cælesti numine præstitis, iterum ditioni Romanæ, nostroq; additæ Imperio, protestantur. Omnes verò populi legibus tam à nobis promulgatis, quàm compositis reguntur. Et cùm sacratissimas constitutiones antea confusas in luculentam ereximus consonantiam, tum nostram extendimus curam ad immensa veteris prudentię volumina, & opus desperatum, quasi per medium profundum euntes, cælesti fauore iam adimpleuimus. §. Cumq; hoc Deo propitio peractum est, Triboniano viro magnifico, Magistro & Exquæstore sacri Palatij nostri, & Exconsule, nec non Theophilo & Dorotheo viris illustribus Antecessoribus (quorum omnium solertiam, & legum scientiam, & eitea nostras iussiones fidem, iam ex multis rerum argumentis accepimus) conuocatis, mandauimus specialiter, vt ipsi nostra autoritate, nostrisque suasionibus Institutiones componerent: vt liceat vobis prima legum cunabula non ab antiquis fabulis discere, sed ab imperiali splendore appetere: & tam aures quàm animi vestri, nihil inutile, nihilque perperam positum, sed quod in ipsis rerũ obtinet argumentis, accipiant. Et quod priore tempore vix post quadrienniũ prioribus contingebat, vt tunc constitutiones Imperatorias legerent: hoc vos à primordio ingrediamini, digni tanto honore, tantaque reperti felicitate, vt & initium vobis & finis legum eruditionis à voce principali procedat. §. Igitur post libros quinquaginta Digestorum seu Pandectarum, in quibus omne Ius antiquum collectum est, quod per eundem virum excelsum Tribonianum, necnon cæteros viros illustres & facundissimos confecimus: in quatuor libros easdem Institutiones partiri iussimus, vt sint totius legitimæ scientiæ prima elementa: in quibus breuiter expositum est, & quod antea obtinebat, & quod posteà desuetudine inumbratum, imperiali remedio illuminatum est. §. Quas ex omnibus antiquorum institutionibus, & præcipuè ex Cõmentarijs Caij nostri tam Institutionum, quàm rerum cotidianarum, alijsq; multis Commentarijs compositas, cùm tres viri prudentes prædicti nobis obtulerunt: & legimus, & recognouimus, & plenissimum nostrarum constitutionum robur eis accõmodauimus. §. Summa itaq; ope & alacri studio has leges nostras accipite: & vosmetipsos sic eruditos ostendite, vt spes vos pulcherrima foueat, toto legitimo opere perfecto, posse etiam nostram Remp. in partibus eius vobis credendis gubernari.

D. CP. XI. Cal. Decemb. D. Iustiniano PP. III. COS.

FRANC.

FRANC. BALDVINI IN LIBROS IIII. INSTITVTIONVM IVSTINIANI IMP. Annotationes.

IN PROOEMIVM.

1 *Procemiorum vsus in tradendis disciplinis.*
2 *Hæ Institutiones habent vim Legum.*
3 *Epigraphe illa; In nomine Domini nostri Iesu Christi auspicijs legislationum conuenit.*
4 *LL. ad Deum autorem refert Iustinianus.*
5 *Ethnici suas sanctiones alicui numini ascribebant.*
6 *Poëtæ & Oratores à Dijs exordia sumserunt suorū operum.*
7 *Principes Romani quomodo Imperatores & Cæsares appellati.*
8 *Flauij prænomen quale.*
9 *Qui primi ex subactis prouincijs sortiti sint cognomina.*
10 *Assentatio populi auxit Cæsarū cognomina.*
11.12.13. *Allemanni, Gothi, Franci, qui?*
14 *Drusus primùm cognominatus est Germanicus; & post eum cæteri Impp.*
15 *Anea Istri accolæ.*
16 *Alani qui?*
17 *Africani vnde Scipiones, & vnde Iustinianus?*
18 *Imperatoriarum appellationū aliæ virtutis sunt, aliæ fortunæ.*
19 *Qui Pij primum assumserint cognomen?*
20 *Felices vnde Cæsares & Inclyti dicantur?*
21 *Victoriæ titulum qui affectârint?*
22 *Augustus vnde dictus?*
23 *Augusti & Cæsaris differentia.*
24 *Iuris cupidis Legum scripta sunt.*
25 *Seruius Sulpicius iam senex Iuris fit studiosus.*
26 *Aetas matura Iuri discendo magis idonea.*

a L. 1. De orig. iur.

ADMONET noster Caius [a], exemplo forensium Oratorum, non esse leges explicandas illotis manibus, hoc est, vt ipse interpretatur, sine vlla præfatione. In Areopago dicatur ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν [sine procemijs & affectibus] in scholis, & primis cuiusque disciplinæ institutionibus, opus 1
est aliquo exordio, quo præparentur animi discentium, captetur eorum beneuolentia commemoratione officij, & excitetur attentio pollicitatione magnarum rerum. Id nunc certè non ineleganter facit noster Iustinianus, simulque (quod præcipuum est) confirmat hasce suas Institutiones, vt vim legum habere sciamus. Itaque Theophilus hoc Procemium vocat constitutionem
Institutiones confirmantem, hæc enim inscriptio apud eum sic legitur: Η ΔΙΑΤΑΞΙΣ Η ΒΕΒΑΙΟΥΣΑ ΤΑ ΙΝΣΤΙΤΟΥΤΑ. 2

Huic præfationi siue epistolæ nuncupatoriæ vulgaria exemplaria præfigunt hanc epigra- 3
phen, IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Sed apparet esse temerè ascriptam à quodam superstitiosulo librario: vt meritò sit expuncta in editione Haloandri. Et reuera, vt forte conueniat auspicijs alicuius legislationis, parum certè conuenit præfationi, qua iuuentutem, vel alium de more compellamus. Nec eam temerè in Nouellis Iustiniani Constitutionibus ad aliquem scriptis reperies, præterquā in Nouellis Constit. 43 134. & 139. Sed vbi rem ipsam aggreditur Iustinianus, solet certè præfigere nomen Domini, vt in Nouella Constit. 17. & testatur in Nouella 85. frequentem sibi fuisse hunc morem: τὸν μέγαν θεὸν καὶ σωτῆρα ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ τὴν αὐτοῦ βοήθειαν ἐπικαλούμενοι διὰ πάντων, &c. [Magnum Deum, & saluatorem nostrum Iesum Christum: & eius auxilium, semper inuocantes.] Rursus in Nouella 109. admonet hinc esse ducenda legum exordia, προσήκει τὰς νομοθεσίας τὰς ἡμετέρας ἐκεῖθεν ἠρτῆσθαι, καὶ εἰς αὐτὸ ἀφορᾶν, καὶ ταύτην ἀρχὴν αὐτῶν εἶναι, καὶ μέσον, καὶ πέρας. [conuenit legislationes nostras inde pendêre, & eò respicere, & hoc eis principium esse, & medium, & terminum.] Libenterq; fatemur Iustinianum leges 4
suas retulisse ad authorem Deum, à quo meminerat se suum accepisse principatum. Et veteres legumlatores ethnici referebant suas sanctiones ad aliquod numen. Vt Numa Pompilius ad 5
Ægeriam, Lycurgus ad Apollinem, Solon ad Mineruam, Minos ad Iouem, Charondas ad Saturnum, Trismegistus ad Mercurium, Zamolxis Scytha ad Vestam, Zoroastes ad Otomasin. Sed nec ij solebant in exordijs suarum legum omittere inuocationem Dei. Solonem, qui leges suas versibus edere tentarat, scribit Plutarchus hunc in modum esse auspicatum: πρῶτα μὲν εὐχώμεσθα Διὶ Κρονίδῃ βασιλῆϊ· θεσμοῖς τοῖσδε τύχην ἀγαθὴν καὶ κῦδος ὀπάσσαι. [Principio te Rex Saturno nate precamur; Fortunamque bonam, formamque his legibus addas.] Et Plato lib. 4. de Legib. θεὸν (inquit) πρὸς τὴν τῆς πόλεως κατασκευὴν ἐπικαλώμεθα, ὁ δ' ἀκούσειέ τε καὶ ὑπακούσας ἵλεως εὐμενής τε ἡμῖν ἔλθοι συνδιακοσμήσων τήν τε πόλιν καὶ τοὺς νόμους. [Deum ad ciuitatis constitutionem inuocamus, qui & audiens & exaudiens propitius facilisq; nobis veniat, simul exornaturus tum ciuitatem tum Leges.] Hunc secutus Cicero libro secundo de legib. admonet quoque à Dijs immortalibus ducenda esse exordia. Quod etiam Poëtæ fecerunt relictis in suo Helicone Musis. Aratus 6
sua φαινόμενα ita exorditur: Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν ἄρρητον. [Ab Ioue exordiamur; quē nunquam, viri, silentio prætereamus.] Et Theocritus εἰδ. 17. Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ εἰς Δία λήγετε Μοῖσαι. [A Ioue incipiamus, & in Iouem desinite Musæ.] Vergilius in tertia Ecloga, Ab Ioue principium musæ. Ouidius lib. 10. Metam. Ab Ioue musa parens (cedunt Iouis omnia regno)

Carmina nostra moue. Idem & in Oratoribus licet annotare. Demosthenes in prima epistola ad Athenienses, παντὸς (inquit) ἀρχομένῳ σπουδαίου λόγου καὶ ἔργου, ἀπὸ τῶν θεῶν ὑπολαμβάνω προσήκειν πρῶτον ἄρχεσθαι. [Quodcunque incipientem serium sermonem aut negocium, à Dijs existimo decere primum exordiri.] Et Socrates apud Xenophontem in Oeconomico, iubet nos σὺν θεοῖς ἄρχεσθαι παντὸς ἔργου. [cum Deo aggredi quodlibet negocium.] Et Apollonius testatur ἔθος εἶναι ἀπὸ θεῶν προοιμιάζεσθαι. [Moris esse à Dijs procemiari.] Quid multis? Scribit Liuius lib. 8. decad. 4. Romanam ciuitatem omnibus rebus incipiendis Deos adhibuisse. Et Plinius in Panegyrico, Bene (inquit) ac sapienter maiores nostri instituerunt, vt & rerum gerendarum, & dicendi initium à precationibus caperetur, quòd nihil ritè, nihilq; prudenter sine Deorum immortalium ope, consilio, & honore, auspicarentur. Hæc pluribus commemoro, vt ostendam piam esse & ex antiquitate ductam epigraphen diuini nominis, modò suo loco addatur, nec vana superstitione parum aptè inscribatur, vbi non conuenit.

7 ¶ *Imperator.*] Apud Iustinianum in Nouellis Græcis est, αὐτοκράτωρ. Ita autem posterioribus temporibus Imperator dictus est Princeps Romanus. Olim verbum erat castrense ac militare, quo dux exercitus post aliquam insignem victoriam donabatur à militibus: vt cùm Pompeius in Africa superasset Domitium. Scipio in Hispania reijciens oblatum Regis nomen, testatus est, id, quod alibi magnum erat, Romæ exosum & intolerabile esse: sibique maximum videri nomen Imperatoris. Dion lib. 33. pluribus verbis explicat quomodo Iulio tributa sit appellatio αὐτοκράτορος, quæ & ad successores pertineret, sicuti & Cæsaris nomen. ¶ *Cæsar.*] Fuit hoc à multis populis obseruatum, vt ab insigni principe, reliqui acciperent cognomenta. Sic à Iulio Cæsare posteri principes dicti sunt Cæsares. Et à Pio Antonino, successores dicti sunt Antonini. Et Albani reges dicebantur Syluij à Syluio Ascanij filio. Nec sunt ignoti Pharaones Ægyptij, & Arsaces Parthi. Iustinianus in Nouella sua Constit. 30. prædicat nomen τοῦ φιλτάτου Καίσαρος ἡμῖν ἐπωνύμου, τοῦ δόντος ἀρχὴν ἀγαθὴν τῆς καθ' ἡμᾶς μοναρχίας, διὸ ἐν ἅπασι τῆς γῆς ἔθνεσιν ὀνομαστότατόν ἐστι τοῦ Καίσαρος ὄνομα, καὶ ὥσπερ ἡμεῖς ἀντ' ἄλλου πρὸς τὸ τῆς βασιλείας σύμβολον σεμνυνόμεθα. [cum carissimo nobis Cæsare eiusdem cognominis, qui summo orbis terrarum arbitrio, quod nos obtinemus, bonum dedit principium; qua etiam de caussa apud omnes terræ populos nominatissimum Cæsaris nomen est, & nos præter omnes alios imperatoriæ maiestatis notas eo gloriamur.] Hæc

8 Iustiniani verba satis explicant, cur ipse dicatur Cæsar. ¶ *Flauius.*] Videtur hoc quoque prænomen fuisse posterioribus Imperatoribus veluti hæreditarium. Sed non satis constat vnde primum fuerit acceptum. Scimus fuisse olim apud Romanos claram Flauiorum familiam, ex qua prodiere Vespasianus, Titus, Domitianus. Fuerat & longè antea quidam Cn. Flauius scriba Appij Cæci, qui Fastos euulgauit. Fuit & Flauius Priscus Iurisconsultus, discipulus & auditor Seruij. Sed nihil video, quod Iustiniano conueniat. Memini certè me legisse in veteri quodam legum Gothicarum exemplari, Flauij prænomen fuisse commune Regibus Gothorum, sicut Romanis etat Cæsaris: Flauiumque lingua Gothica significare splendidum & excellentem. Qui-

9 dam hic putant non Flauius legendum esse, sed, Slauius: vt sit cognomen à deuictis Slauis. ¶ *Allemanicus.*] Moris fuit veteribus, ex oppidis, aut prouincijs subactis sortiri cognomina, honoris caussa. Sic dictus est Scipio Africanus: quem quidem Liuius putat fuisse primum Imperatorem, qui nomine victæ abs se gentis est nobilitatus. Sed debuerat meminisse Cn. Martij, qui captis Coriolis vrbe Volscorum, dictus fuit Coriolanus. Eadem ratione ex Metellis quidam Macedo-

10 nicus dictus est, alius Numidicus, alius Creticus, alius Balearicus, alius Dalmaticus. In Cæsaribus magis creuit ambitiosa horum cognominum multitudo. Nam Seneca lib. 1. de clemen. testatur assentantem populum ambitiosæ maiestati tribuisse quicquid potuit titulorum congerere. Certè Iustinianus in Nouella Constit. 43. suis titulis adijcit prænomen Lazici: quia domuerat Lazos, gentem Scythicam, vt testatur Agathias lib. 3. & Procopius lib. 1. & 2. de bello Persico. Apud quos etiam scriptores legere est bella & victorias, ex quibus tot sibi titulos congessit Iusti-

11 nianus. Quod attinet ad Allemanos, ita propriè appellati primùm fuerunt Germani superiores, qui hodie Sueui, Heluerij, & Bauari. Hi cum Francis tempore Gallieni Imperatoris, nescio quid mouerũt aduersus Romanos. Victi sunt aliquando à Constantio, & Constantino Magno. Postea in potestatem Francorum venerunt temporibus Pipini patris Caroli Magni. Horum autem Iustinianus fortassis se dominũ putauit, eo iure quo & Francorum. Quod ad rationem vocis attinet, non alia esse videtur Germanorum, quàm Allemanorum significatio. Vtrunque enim verbum significat gentem prorsus virilẽ. Nam lingua Germanica, All-man, & Gar-man

12 vocat eum, qui totus vir est. ¶ *Gothicus.*] Gothi propriè appellati sunt populi, qui Germanici maris insulam Scandiam incoluerunt. Hi insignem ex Romanis victoriam retulere superato Imperatore Decio. Postea duce Alarico tentarunt inuadere Italiam circa annum 407. & ante quinquennium potiti sunt vrbe Roma. Sed hos postea profligauit per suum Narsetem Iustinia-

13 nus circa annum 560. occiso eorum Rege Totila. ¶ *Franciscus.*] Franci primas sedes habuere supra Coloniam in ea regione, quam Catti tenuere, quæ nunc est Hassia. hi secuti ducem quendam suum Posthumum, aduersus Romanos tempore Gallieni Imperatoris bella gessere. Victi fuerunt ab Aureliano prope Moguntiam: sed inde non quieuerunt ad Theodosium vsque, donec libertatem receperint, & Gallijs potiti sint: in quibus tandem regnàrunt post Theodosium. Ita Germania diuisa est in Allemanos & Francos. Libanius Sophista in oratione quam habuit in funere Iuliani Imp. Francos vocat inuictos, & quasi arces inexpugnabiles. Nec ignota sunt

B eorum

eorum trophæa. Certè duce Theodeberto Rege, vno die magna virtute fuderunt duos instructissimos exercitus, Iustiniani nempe & Gothorum, qui in procinctu erant, vt inter sese dimicarent de Mediolani possessione, anno 536. Sed annis deinde duobus & viginti elapsis, cùm per Italiam infesto vagarentur exercitu duce quodam Bucillino, prope Tarentum superati sunt à Narsete Iustinianæi exercitus Imperatore. Postea fuerūt semper focij Romanorum: quos & suis antea auxilijs multum iuuerant in debellando Attila. Tandem etiam ex Francis dominum & Imperatorem accepit Italia Carolum Magnum, cœperuntq; Græci formidare crescentem Francorum potentiam: adeò vt populari sermone iactarent, τὸν φράγκον φίλον ἔχε, γείτονα δὲ οὔ. [Francū amicum habe, vicinum verò non.] ¶ *Germanicus.*] Gemanici cognomen primùm sortitus est 14
Drusus Claudij Cæsaris pater, qui post res præclarè gestas, in Germania supremum diem in castris obijt. Postea Romani principes, qui semper aliquid ex Germania attriuerūt, dicti sunt Germanici, adeò vt Herodianus hunc titulum referat inter Imperatorios. Certè & Gratianum Imp. dictum fuisse Germanicum testis est Ausonius. ¶ *Anticus.*] Constat multas feras & barbaras 15
gentes olim insedisse vtranque ripam Istri fluminis, veluti Antas, Gepidas, Hunnos. Aduersus quos Iustinianus Childibium Thraciæ præfectum constituerat, ijsque profligatis varia victor meruit cognomina. Quædam exemplaria habent Atticus: sed nulla id quidē ratione. Et nescio an non rectè etiam possent expungi tres hi tituli, Francicus, Germanicus & Anticus. Videntur enim temerè adiecti, præsertim cùm Paulus Diaconus lib. 18. de Gestis Rom. titulos Iustiniani recensens, eorum non meminerit: ait enim, Propter honorum omnium victorias, vt Allemanicus, Gothicus, Alanicus, Vandalicus, Africanusque diceretur, habere hæc nomina meruit. ¶ *Alanicus.*] Alanos in parte Scythiæ Ptolemæus collocare videtur: Capitolinus in parte Daciæ: Iosephus inter Tanaim & Meotidem: Plinius & Marcellinus in Sarmatia Europæa. Hi cum Vandalis iuncti erant, nec minus efferæ naturæ. Lucanus lib. 8. vocat *duros æterni Martis Alanos.* ¶ *Vandalicus.*] Vandali primùm solicitati à Stilicone circa annum 400. Christi, Gallias inuasere, deinde Hispanias, postea in Africam traiecerunt: ex qua euocatus ab Eudoxia regina Rex eorum Gensericus Romam perfidè vastauit. Huic successit Gelimerus, quem in Africa per suum Belisarium vicit Iustinianus, & in triumphum duxit Constantinopoli. ¶ *Africanus.*] Meruit hoc co- 17
gnomen primus P. Scipio, qui vicit Hannibalem. Meruit & huius per adoptionem nepos Scipio Æmilianus, qui tertium bellum Punicum confecit, & Carthaginem funditus euertit. Pepulit autem ex Africa Vandalos Iustinianus, vt iam dictum est, & postea latius repetemus.

18 ¶ *Pius.*] Ausonius, Plinium Secundum secutus, in sua gratiarum actione ad Gratianum Imperatorem, partitur Imperatorias appellationes in eas quas virtus dedit, & eas quas fortuna concessit, siue in merita virtutis, & cognomina felicitatis. Posteriorisque generis esse admonet, quòd Gratianus appellaretur Germanicus deductione gentilium, Allemanicus traductione captiuorum, vincendo Sarmaticus. Prioris verò generis esse, quòd diceretur fortissimus, liberalissimus, indulgentissimus, consultissimus, pijssimus. Et sanè hos titulos lubentius audierim, quàm superiores illos martios & sanguinarios, referentes illam immanitatem Demetrij, qui, vt scribit Plutarchus, ἔχαιρε τῷ βασιλεῖ τῶν θεῶν ἀπρεπεστάτην ἐπιγραφόμενος προσηγορίαν. ὁ μὲν πολιοῦχος, ὁ δὲ πολιορκητὴς ἐπίκλησιν ἔσχεν. [gaudebat à rege Deorum quàm maxime abhorrente titulo: ille enim vrbium tutoris, hic verò expugnatoris cognomentum habuit] Certè si Iustinianus in Nouella sua Constit. 38. censet κάλλιον εἶναι τὰς χώρας ἐξ ὀνομάτων χριστιανῶν τε καὶ βασιλικῶν μᾶλλον, ἤπερ ἐκ πολέμου τε καὶ ταραχῆς γνωρίζεσθαι σημαίνεσθαι. [honestius esse prouincias ex nominibus Christianis & regijs potius quàm ex bello & tumultu nobilitatorum denominari] quanto id pulchrius ducendum est in principe Christiano. Præcipuè autem placet Pij cognomen, quod Iustinianus in 19
Nouella Constit. 78. testatur ab Antonino Pio propagatum ad principes Romanos. Ἀντωνῖνος (inquit) ὁ τῆς εὐσεβείας ἐπώνυμος, ἀφ' οὗ περ καὶ εἰς ἡμᾶς ἡ τῆς προσηγορίας αὕτη κατῆλθε. [Antoninus, Pius cognominatus, ex quo etiam ad nos appellatio hæc peruenit.] Ante eum tamen apud Romanos hoc cognomen assumpsisse Caligulam testis est Suetonius. Sed & olim Q. Metellus Numidici filius hoc habuit cognomen, quia precibus & lachrymis impetrasset, vt ab exilio pater reuocaretur. Id quoque posterioribus temporibus sortitus est Imp. Ludouicus huius nominis primus, filius Caroli Magni. ¶ *Felix.*] Plinius in Panegyrico scribit hoc cognomen sæpe fuisse à Cæsaribus vsurpatum: sed addit, non tam moribus quàm fortunis dari. Et Seneca libro primo de clementia testatur hunc titulum ambitiosæ Principum maiestati à populo tributum. Certè Tullius felicitatem inter primarias Imperatoris dotes refert. Eam autem nihil aliud esse existi- 20
mo, quàm fauorem propitij Numinis. L. Cornelius Sylla Felix dictus est, sed si fuit, non patriæ, sed sibi fuit. Habuerunt & Græci suos Eudæmonas, sed nescio quàm felices. Polycrates Samiorum tyrannus felix habitus est, qui etiam reiecit annulum fortunæ: sed postea eius inuidiæ non nisi cruce satisfecit. Timotheo Atheniensi probri loco fuit obiecta felicitas. Vnus Iustinianus fortasis meritò dictus est felix, cuius omnes conatus quantumuis arduï feliciter successerunt, si credimus Procopio libro 5. de ædif. Iust. ¶ *Inclytus.*] Iustinianus in Nouellis Græcis vocat ἔνδοξον, propter famam & gloriam immortalem rerum præclarè gestarum. ¶ *Victor.*] Hunc ti- 21
tulum admodum optauit Alexander, qui aliquando consulturus Delphicum oraculum, quum à Pythio sub primum accessum, inuictus esset appellatus, nihil vltra sciscitatus statim ad exercitum rediit. Certè Iulio Cæsari, qui in triumpho Pontico tantopere gloriatus erat hoc titulo, Veni, vidi, vici, Romani summi honoris loco statuam in templo Quirini dedicarunt, inscribentes;

Deo

Deo inuicto. ¶ *Triumphator.*] Triumphauit Iustinianus de Vandalis & Persis. In Nouellis Græcis vocat se τροπαιοῦχον. [Trophæalem.] Quanquam multum interfuit inter triumphum, qui grauem hostium cædem significabat, & Trophæum, quod fugam καὶ ἀποτροπὴν. [& prohibitionem.]
22 ¶ *Semper Augustus.*] Senatus, autore Numatio Planco, Augusti appellationem primum tribuit Octauio, propter successum eius & felicitatem in rebus gerendis. Augustus enim ab augurio dicitur, & fortunatum significat, siue eum, cui deus omnia prospera pollicetur felicibus signis. Rectissimè autem hæc appellatio tribuitur Principi, cuius potestati adest Deus. Est enim administratio Imperij, donum & ordinatio Dei. Postea factum est, vt Augustum vocaremus sanctum, & maiestatis plenum, veneratione que dignum. Dion li. 53. Αὔγουστος (inquit) ὡς καὶ πλεῖόν τι ἢ κατὰ ἀνθρώπους ὤν, ἐπεκλήθη. πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα καὶ τὰ ἱερώτατα, αὔγουστα προσαγορεύεται. [Augustus, quasi & amplius quid quàm homo subsistens, cognominatus est. Omnia enim ea quæ honore dignissima ac
23 sanctissima sunt augusta dicuntur.] Fuit autē olim alia Cæsaris, alia Augusti appellatio. Nam Cæsares erāt designati successores Augusti. Quod etiā discrimen in iure nostro licet annotare [a]. ¶ *Cu-*
24 *pida legum.*] Iura ciuilia vigilantibus scripta dicuntur [b], quanquā alio sensu. Et sane, vt in studijs feliciter verseris, necesse est eò ferri cupidè, & spontaneo Mineruæ tuæ instinctu. Nam verissimum est, quod ait Seneca, Studia coacta non respondere. Et nihil est tam facile, quin difficile fiat, si illud inuitus facias. Contrà, nihil tam difficile, quin volenti & cupienti facile reddatur. Nec potest non is plurimum addiscere, qui discendi est cupidus. Notum est dictum Isocratis, ἐὰν ᾖς φιλομαθής, ἔσῃ πολυμαθής [si fueris discendi cupidus, eris eruditus.] ¶ *Iuuentuti.*] In huius quidem potissimum gratiam conscriptæ sunt Institutiones: non tamen arceantur, si qui prouectiori iam ætate cupiunt initiari studio iuris ciuilis, satis intelligentes, quod ait Seneca, nihil esse stultius, quàm, qui diu non didiceris, non velle discere. Nota est celebris in iure nostro [c] sententia, κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῷ τάφῳ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην. [Etiamsi alterum pedem in sepulcro habeam, addiscere quid vellem.] Certè non erubuit Marcus Imp. iam senex ad philosophos itare. Nec Cato despera-
25 uit senex, nec erubuit Censor, literas Græcas addiscere. Et Seruius Sulpitius iam prouectiori ætate cœpit Iuri ciuili operam dare, in quo ita profecit, vt testetur Tullius, omnes, qui ex omni ætate in ciuitate Rom. intelligentiam iuris habuerunt, si vnum in locum conferantur, non esse cum Seruio Sulpitio comparandos. Solet quidem docilior esse iuuentus, vt ait noster Vlpianus [d]; sed Aristoteles putauit ciuilis scientiæ magis idoneum esse auditorem eum, cuius ætas, & cum ætate iu-
26 dicium maturuit, vsuque rerum valet, quàm imperitum rerum iuuenem. Sic enim scribit in Ethicis, τῆς πολιτικῆς οὐκ ἔστιν οἰκεῖος ἀκροατὴς ὁ νέος, ἄπειρος γὰρ τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων. [Ciuilis scientiæ non est aptus auditor adolescens, rudis enim est eorum quæ in vita communi euenire solent negociorum.] Interim optarem nos ea ætate Iuri operam dare, vt nostræ operæ sperari possit aliquis vsus. Quidam enim tam serò huc se conferunt, vt meditari videantur causas agere apud Minoem vel Æacum inferorum Iudices. Fertur Eudamidas, cùm videret Xenocratem seniorem adhuc in Academia versantem, & audiret, esse σοφὸν, qui virtutem quæreret, exclamasse; Ecquando hic vtetur, si eam adhuc quærat?

a *L. si excepta. C. de malef. & mathe.*
b *L. qui autē. §. sciendum. L. diuus Pius, in fi. D. Quæ in fraud. cred.*
c *L. apud Iulianum, De fideicom. libert.*
d *L. præcipimus. De ædil. edict.*

§. *Imperatoriam Maiestatem: & seq.*

1 *Dispositionis Proœmij ratio.*
2 *Arma & LL. decora Reip.*
3 *Imperatoris modesta periphrasis.*
4 *Romanorum olim principum iactantia.*
5 *Castrorum disciplina olim caritate liberorum antiquior.*
6 *Armis inscio Principe non vtendum.*
7 *Decorari armis, Græcorum imitatione dicitur.*
8 *Armari Legibus, imitatione Ciceronis.*
9 *Impp. Iureconsultis stipati magis quàm satellitibus.*
10 *Duo tempora Reip. belli & pacis.*
11 *Duo nerui Reip. Concordia domi, fortitudo foris.*
12 *Calumniantes & Sycophantæ dicti.*
13 *Imperator quomodo religiosissimus.*
14 *Imperium Rom. sub Augusto maximum.*
15 *Omnes successus Deo accepti ferendi sunt.*
16 *Sphæra Impp. cum cruce infixa quid notet.*
17 *Supputatio ab vrbe condita emendanda.*

§. Sed vt aliquando audiamus Iustinianum, tempus est nos missam facere hanc epigraphen. Initio autem admoneo, vt ex nostris προλεγομένοις repetatur historia, quæ sententiam totius huius
1 præfationis copiose explicat. Deinde obseruemus Iustinianum captandæ beneuolentiæ causa commemorare suum officium, initio ducto ἀπὸ τῆς γνώμης, & quodam rhetorico syllogismo vti. Nam πρότασις [propositio] hæc est, Oportet Romanū Principem & armis & legibus pollere. Addit κατασκευήν. [astructionē] quæ est ipsius protaseos ratio & confirmatio; Vt rectè possit præesse Reip. & belli & pacis tempore. Deinde sequitur assumptio; Ego Iustinianus vtrunque præstiti: adijcitur probatio ex victorijs bellicis, & studio restituendi iuris ciuilis. Conclusio, quia iam satis nota erat, Rhetorum more omittitur: fiat autem hæc; Ego igitur veri principis munia obiui, multumque mihi debet grata Respub. ac propterea meritò sese mihi credere iuuentus debet, meaque munera excipere alacriter. Interim autem dum hæc Iustinianus agit, obiter ostendit quo tempore, per quos, & ex quibus concinnatæ sint hæ institutiones, vt ijs quoque nominibus magis commendentur. Porrò quod attinet ad primam eius γνώμην, eandem Iustinianus grauiter tractat multis alijs in locis. Nam in Nouellis Constit. 24. 25. 26. desiderat in præside prouinciæ decora τὰ

τι πολιτικὰ, τά τε πολεμικὰ, [disciplinam tum politicam tum militarem,] & ostendit Reip. tranquil- 2
litatem esse ἐν τῷ συνελθεῖν τοὺς νόμους ὁμοῦ καὶ τὰ ὅπλα εἰς ταὐτὸ. [Si leges simul & arma in vnum coëant.]
Sanè veteribus quoque Romanis semper fuit vtriusque par cura. Et, vt ait Salustius, se suamque
Remp. tutati sunt, audacia in bello: vbi pax euenerat, æquitate. Vnde & Maro;

Tu regere imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacisq; imponere morem:
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Et Flaccus ad Augustum,

Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes.

Nota est etiam Homeri de Agamemnone sententia, quam solitus est semper in ore habere Alexander, ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής. [vtrunque: Rex bonus, acerque bellator.]
Notum & illud testimonium Dionysij Halicarn. de Romulo, τά τε πολέμια ἀγαθὸς καὶ φιλοκίνδυνος ὁμολογεῖται γενέσθαι, καὶ πολιτείαν ἐξηγήσασθαι τὴν κρατίστην φρονιμώτατος. [& bello magnus & periculorũ contemtor dicitur fuisse, atque in administranda Rep. prudentißimus.] Deinde subijcit, Rom. Remp. & belli & pacis artibus ornatißimã instructißimamq; fuisse: cumq; sermonẽ instituit περὶ τοῦ κόσμου τῆς πολιτείας, [de ornatu seu dispositione reip.] addit, ὃν ἐγὼ πάντων ἡγοῦμαι πολιτικῶν κόσμων αὐταρκέστατον ἐν εἰρήνῃ τε καὶ κατὰ πολέμους. [quam equidẽ omnibus reliquis prætulerim, vt paci æq; ac bello idoneam.] Sic & apud Thucydidem lib. II. Pericles laudat Atheniensium Rempub. καὶ ἐς πόλεμον, καὶ ἐς εἰρήνην αὐταρκεστάτην, [& ad bellum & ad pacem instructißimam.] ¶ *Imperatoriam Maiestatem.*] Non est hæc omnino ociosa Imperatoris periphrasis. Nam indicat hîc non agi de Imperatore, qui sit tantum dux alicuius exercitus, sed de Rom principe & Monarcha, qui sacrosancta, nec impunè violabili maiestate fulget. Meminerunt etiam Principalis maiestatis Modesti-
nus [a] & Paulus [b]. Estque hæc longè modestior loquendi ratio, quàm vbi principes suæ vanitatis 3
parum memores, nunc sui iactant diuinas numinis [c] aures, nunc adorandã suam serenitatem [d],
nunc suam perennitatem [e], atque etiam æternitatem [f]. Sed omnium amentiam superauit Domi- 4
tianus, qui Antiochum (opinor) secutus, voluit dici Deus simul & Dominus. ¶ *Non solùm armis.*]
Iustinianus in Nouella sua Constit. 116. scribit ἀσφάλειαν τῶν ὑπηκόων εἶναι, τὴν τῶν στρατιωτικῶν πραγμάτων εὐταξίαν καὶ κατάστασιν. [custodiam subditorum esse militarium rerum ordinationem.] Et sanè dedit Deus principi arma & gladium, vt patriam suæ fidei concreditam tueatur, iniuriam à suis propulset, & grassatores tam publicos quàm priuatos coërceat. In hos vsus si habeatur armorum peritia, eam non negauerim cum Pyrrho, εἶναι τῶν μαθημάτων βασιλικωτάτην. [esse disciplinarum maximè regiam,] nec improbarim, quod idem Pyrrhus rex multa de ea conscripserit, sicuti fecit etiam
Octauius Augustus, cuius in Pandectis citatur militaris disciplina [g]: Nec damnarim, quod noster 5
Paulus [h] ait, Disciplinam castrorum fuisse parentibus Romanis antiquiorem liberorum charita-
te. Porrò & illud hoc loco annotandum est, iure ciuili armorum vsum inscio principe interdictũ [i] 6
esse, & lege Iulia maiestatis teneri, qui iniussu principis bellum gesserit, delectum habuerit, exercitumve cõparauerit, vt ait Martianus [k]. Est enim belli suscipiendi autoritas, sicuti & pacis componendæ, penes vnum principem. Testatur id Iustinianus in Nouella sua Constit. 105. inquiens, ὁ χρόνος εἰς αὐτοκράτορας εὐσεβεστάτους μετατεθεὶς τὴν τοῦ πολεμεῖν τε, καὶ εἰρήνην ἄγειν ἐξουσίαν. [Tempus in Impp. pijssimos transposuit bellandi & pacificandi potestatem.] Et Strabo libro 17. loquens de Augusto, ἡ πατρὶς ἐπέτρεψεν αὐτῷ τὴν προστασίαν τῆς ἡγεμονίας, καὶ πολέμου καὶ εἰρήνης κατέστη κύριος διὰ βίου. [patria ei totius Imperij administrationem permisit; & pacis & belli potestatem ad annos vitæ] Apud Platonem lib. 12. de Legib. extat hæc lex: ἐάν τις ἰδίᾳ ποιῆται πρός τινας εἰρήνην ἢ πόλεμον ἄνευ τοῦ κοινοῦ, θάνατος ἔστω ζημία. [Si quis proprio motu vel bellum vel pacem cum quopiam, sine Reip. iussu fecerit, morte multator.]

a L. famosi. D. ad leg. Iu. ma.
b L. pen. De her. inst.
c L. vlt. C. de acq. poss.
d L. prima. C. de Silent.
e L. 3. C. de epis. aud.
f L. 2. C. de Fabricen.
g L. officium. §. 1. De re milit.
h L. postliminium. §. filium. de capti. & postlimin. reuer.
i L. vnica. C. vt arm. vsus insc. prin. interd. sit.
k L. 3. §. 1. D. ad leg. Iul. maiest.

¶ *Decoratam.*] Solent hîc annotare quandam αἰτιματολογίαν, qui hoc verbum magis ad leges, quàm ad arma referri & pertinere putant. Sed nescio an non aptius referatur ad ipsam gloriam
& decus armorum, peritiamque rei militaris, quodam exemplo & imitatione Græcorum, qui sic 7
vtuntur verbo κοσμεῖσθαι. Nam & Iustinianus in Nouella Constit. 24. cum imperium & curam disciplinæ militaris cõmittit Prætori Pisidiæ, iubet eum στρατιώτας κοσμεῖν, καὶ τάττειν καὶ παρασκευάζειν. [milites pulcre regere, & in ordinem redigere, & instruere.] Rursus in Nouella 25. Prætori Lycaoniæ commendat τὴν στρατιωτικὴν εὐκοσμίαν. Iterumque in Nouella 26 admonet, στρατιώτας κοσμεῖν. Et apud Herodotum κόσμος dicitur ordo & dispositio exercitus: & apud Homerum κοσμήτορες appellantur duces belli & principes. Si quis tamen vulgatam & simplicem decorandi significationem sequi malit, licet. Et memini sanè Iustinianum in Nouella 24. simplicioribus verbis & communioribus, hanc suam γνώμην tractare, iubet enim τὴν ἀρχὴν ἐκ τῶν ὅπλων ἰσχυρὰν εἶναι, καὶ τὴν ὁπλιτεύουσαν τάξιν καλλωπίζεσθαι τοῖς νόμοις. [Iurisdictionem ex armis vires colligere, & armatam cohortem cõdecorari lege.] Et rursus in Nouella 25. commendans τήν τε ἐν ταῖς παρατάξεσιν ἰσχὺν, τήν τε ἐν τοῖς νόμοις εὐκοσμίαν. [tam in instruenda acie robur, quàm in ferendis legibus rectum & decentem ordinem.]

¶ *Sed etiam legibus.*] Iulius Pollux principem quem instituit, vult non modò esse πολεμικὸν sed etiam νομοθετικὸν, qui leges salutares sciat condere & tueri. Nam & hoc esse proprium Principis opus, quod sit ei diuinitus demandatum, elegantissimè scribit Iustinianus in Nouella 73. βασιλείαν διὰ τοῦτο ὁ θεὸς ἐξ οὐρανοῦ καθῆκεν, ἵνα τοῖς δυσκόλοις ἐπιτιθῇ τὰ παρ' ἑαυτῆς ἀγαθὰ, καὶ τοὺς νόμους ἁρμόζῃ πρὸς τὴν τῆς φύσεως ποικιλίαν. [Imperatoriam maiestatem propterea Deus cælitus instituit, vt difficili-
bus se

bus se rebus pro bonitate sua interponeret, & Leges ad naturæ varietatem attemperaret.] ¶ *Ar-*
8 *matam.*] Sic & Tullius in Orat. de Arusp respon. vocat arma Iudiciorum atque legum. Cor. Tacit.
in Dialogo de claris Oratoribus loquens de eloquentia forensi, quid (inquit) tutius, quàm exer-
cere artem qua semper armatus, præsidium amicis, opem alienis, feras? Et sanè nihil æquè valet ad
muniendam Remp. & tuendum principatum. Vt non temerè à veteribus laudati sint Imperato-
9 res, qui iurisconsultis magis, quàm satellitibus septi & stipati fuerunt. Vt Adrianus, qui Iulio, Cel-
so, Saluio Iuliano, Prisco, atque Netario plurimum vsus est. Et Antoninus Pius, qui Valentem,
Martianum, Marcellum, Iabolenũ coluit. Et M. Antoninus Philosophus, qui Scæuolæ consuetu-
dinem præcipuè amauit. Itemque Alexander Seuerus, qui frequentes apud se habuit Sabinum,
Paulum, atque Vlpianum: & (vt ait Lampridius) ideo summus fuit Imperator, quòd Vlpiani con-
silio Remp. administrarit.

¶ *Vtrunque tempus, & bellorum & pacis.*] Prisci omnes scriptores vniuersam administrandæ Reip.
10 rationem in duplices artes secuêre, pacis videlicet, & belli. Et hæc sanè sunt duo tempora, quæ plu-
rimum habent momenti in vita humana. Testatur id Isocrates, inquiens; *πόλεμος καὶ εἰρήνη μεγίστην
ἔχει δύναμιν ἐν τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων.* [bellum & pax maximam habent vim in vita hominum.] Et pa-
rasitus ille apud Lucianum, *εἰσὶν* (inquit) *δύο καιροὶ τοῦ τῶν ἀνθρώπων βίου, ὁ μέν τις εἰρήνης (οἶμαι) ὁ δ' αὖ πο-
λέμου. ἐν δὴ τούτοις πᾶσα ἀνάγκη φανερὰς γίνεσθαι τὰς τέχνας.* [Duo sunt tempora vitæ humanæ: aliud qui-
dem pacis, existimo, aliud verò belli. Etenim in his necessariò manifesta fit hominum industria.]
Et Theon Sophista in suis progymnasmatibus, *δύο* (inquit) *καιροὶ πάντα διαιτῶσι τὰ τῶν ἀνθρώπων
πράγματα, λέγω δὲ πόλεμον καὶ εἰρήνην.* [Duo tempora omnia continent hominum negocia; intelligi
autem volo bellum & pacem.] ¶ *Rectè possit gubernari.*] Grauiter censuit Augustus [a], Nulli magis
conuenire quàm Principi, salutem Reip. tueri. Verùm id nullus Princeps facere poterit, nisi & vim *a L.3. De offi. præf. vigil.*
hostium armis propulset, & bonis legibus Remp. liberet ab intestinis malis. Certè verissimum est,
quod Polybius lib. 6 scribit, duabus rebus Remp. rectè gubernari, domi concordia, foris virtute &
11 fortitudine: ipse vocat *τὴν πρὸς τοὺς πολεμίους ἀνδρείαν, καὶ τὴν πρὸς σφᾶς αὐτοὺς ὁμόνοιαν.* Quemadmodũ
& apud Dionysium Halicarn. Romulus ait, duo hæc esse, quæ ciuitates cõseruent, *ἐν μὲν τοῖς ὀθνείοις
πολέμοις τὸ διὰ τῶν ὅπλων κράτος, ἐν δὲ ταῖς ἐμφυλίοις ταραχαῖς τὴν τῶν πολιτευομένων ὁμοφροσύνην.* [nimi-
tum in externis bellis armorum potentiam, in ciuilibus verò perturbationibus concordiam ci-
uium.] Lubenter confero hasce grauissimas optimorum autorum sententias, vt magis illustrem,
quod hîc abs Iustiniano dictum est.

¶ *Per legitimos tramites.*] Hoc est, per iuris iustitiæque viam ac rationẽ. Theophilus vertit *ἐπι-
νοίας νομίμους.* [per legales adinuentiones.] ¶ *Calumniantium.*] Calumniantes hoc loco accipie-
mus lata illa significatione, quam docet Caius [b]. Vt non eos modò intelligamus, qui falsa crimi- *b L. si calumnietur. De ver. sig.*
12 na intendunt [c]; sed omnes, qui alijs improbè facessunt negotium. Theophilus vertit Sycophan-
tas. ¶ *Expellat.*] Iustinianus in Nouella Constit. 13. iactat se nihil non agere, vt tuta sit aduersus *c L.1. D. ad Sen. Turp.*
sycophantas innocentia: *ἵνα μή τινι* (inquit) *τῶν ὑμετέρων ὑπηκόων ἐπενεχθείη τις συκοφαντία.* [ne alicui
nostrorum subiectorum inferatur aliqua calumnia.] Et rursus in Nouella 26. ait se nihil ardentius
optare, quàm omnes suos *πανουργίας ἁπάσης ἀποτελεῖν ἐλευθέρους.* [ab omni fraude & dolo reddere
immunes.] Laudatur sanè hoc nomine apud Herodianum Pertinax Imp. *ἐπεὶ καὶ τοὺς συκοφάντας τῆς
πόλεως ἐξελάσας, καὶ τοὺς πανταχοῦ ἂν καταληφθεῖεν κολάζεσθαι τὰ μάλιστα ἐπιτάξας, μήτε ματαίοις ἐγκλήμασι πε-
ριπίπτειν προνοούμενος.* [nam & delatores vrbe exegerat, & vbiubi inuenirentur puniri imperauerat:
cauens ne cui iniuria fieret, aut de vanis criminibus periculum conflaretur.] Et huc fortassis per-
tinet, quod respondit Paulus [d] huius principis rescriptum secutus, imperatorem litis causa non *d L. pen. De hered. instit.*
posse hæredem instituí, quòd occasio calumniæ capi non debeat ex principali maiestate. Sed gra-
uissimus est, & aptissimus locus in Panegyrico Plinij ad Traianum, quem nos ascribere non gra-
uabimur: nam elegantissimè agit de calumniatoribus expellendis. At tu Cæsar, quàm pulchrum
spectaculum pro illo nobis execrabili reddidisti? Vidimus delatorũ iudicium, quasi grassatorum,
quasi latronum: non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant: nulla iam te-
stamenta secura, nullus status certus: non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum prin-
cipum auaritia: aduertisti oculos, atq; vt antè castris, ita postea pacẽ foro reddidisti: excidisti inte-
stinũ malũ, & prouida seueritate cauisti, ne fundata legibus ciuitas, euersa legibus videretur, &c.
Porrò autem quanquam Domitianus ante Traianum, sub finem imperij sui laxarit frænũ delato
ribus, initio tamen eos represserat: adeo vt dicere soleret; Princeps qui delatores non castigat, irri-
tat, quemadmodum scribit Suetonius.

¶ *Iuris religiosissimus.*] Facilius est quod vertit Theophilus, *ἐν νόμοις σεβάσμιος.* [iure constitu-
13 endo venerabilem se præbeat.] Sed nescio an huius loci non sit autor Papinianus, qui Marcum
Imp. appellat [e] Principem prouidentissimum, & iuris religiosissimum. Idem alibi vocat Princi- *e L. vnum ex fami-*
pem Optimum Maximum [f]. Scæuola Imperatori tribuit titulum Sanctissimi & nobilissimi [g]. *lia. §. vlt. De lega. 2.*
Fortassis cùm religionem iuri tribuit Iustinianus, illud spectat, quòd sit hæc ars sacrosancta, cuius *f L. in honoribus. De*
sacerdotes appellari possunt principes, vt & reliqui iurisconsulti, quemadmodum ait Vlpianus [h]. *vacat. muner.*
Nam & alibi Iustinianus suum iuris corpus, appellat templum iustitiæ. Et Seruius Sulpitius à Fa- *g L.3. De natalib. rest.*
bio dictus est, iuris antistes. *h L.1. De iust. & iur.*

¶ *Tam Africa.*] Notum est ex historijs Vandalos per Belisarium ducem Iustiniani Libya pul-
sos esse. Hic solùm addam magnum quoddam diuini erga Iustinianum fauoris argumentum in
illa expeditione. Cùm enim eius exercitus magna premeretur aquarum inopia, præter soli natu-

ram omniumq́ue expectationem Deus ei fontem vberrimum exciuit. Nam scribit Procopius,
militibus vallum fodientibus, scaturijsse magnam vim aquarum: quibus recreatus exercitus, fortiter Libyam penetrarit. ¶ *Aliæ innumeræ prouinciæ.*] Ex indice, qui subijcitur Nouellæ Constitutioni octauæ, apparet Iustinianum præfuisse infinitis prouincijs. Quanquam sanè fuerit adhuc 14
maius Rom. imperium sub Augusto, si credimus ijs, quæ scribit Strabo vel Appianus.

¶ *Post tanta temporum spacia.*] Quod attinet ad Africam, fuerat ea iam ferè centum quinquaginta annis occupata à Vandalis, cùm à Iustiniano restituta est imperio Rom. Venerant autem in Africam ex Hispanijs Vandali, euocati à quodam Bonifacio Africæ præfecto, temporibus Theodosij iunioris circa annum 433. ¶ *Victorijs à cælesti Numine præstitis.*] Multus est in hac pietate Iu- 15
stinianus, vt omnes suos successus acceptos ferat Deo, cuius & συμμαχίαν, [socium auxilium] prædicat in sua Nouella Constit. 30. Apud Xenophontem Cyrus itidem Deos laudat victoriam assecutus. Et Plutarchus in Marcello scribit, Romanis Ducibus moris fuisse initio pugnæ superos adorare & precari. Samuel quoque non nisi rediuina peracta, Iudaicum populum emittit in hostes Palæstinos. Et leges sacræ Leuitam religionis administrum in aciem producebant.

¶ *Omnes Populi.*] Præfixum est Pandectis Pisanis epigramma vetus, quod de legislatore Iustiniano ita loquitur: Ἄνθρωποι δ' Ἀσίης τε δορυκτήτου τε Λιβύης, Εὐρώπης τε τίθενται ὅλου σημάντορι κόσμου.
[Homines & Asiæ, & armis subactæ Libyæ, Europæque, parent totius Imperatori orbis. Et scri- 16
bit Procopios in Palatio Constantinopolitano erectam fuisse statuam Iustiniani, quæ sphæram siue orbem gestabat cum cruce infixa, vt significaretur eum auspicijs diuinis esse dominum mundi. Certè Antoninus Imp. quodam loco [a] vocat se τὸν κόσμου κύριον. [Mundi dominum.] Sed hæc sapiunt hyperbolen vel synecdochen. Reuera enim multæ gentes Romanis nunquam paruerunt. Scythia eorum audiuit, non sensit arma. Itemque Sarmatia tota, & quicquid est Orientalis plagæ vltra Euphratem. ¶ *Veteris prudentia.*] Hanc Iustinianus in præfatione Pandectarum ait se repe- 17
tijsse ab vrbe condita per mille & quadringentos annos. Sed suspicor locum esse corruptum. Nam si tempora supputes ab vrbe condita ad imperium Iustiniani, non interfuerunt nisi mille ducenti & quadraginta anni.

a ἀξίωσις. D. ad leg. Rhod. de iact.

§. *Cumq́ hoc Deo propitio: & seq.*

1 *Tribonianus auaritiæ labe notatus.*
2 *Quæstor olim qui nunc Cancellarius.*
3 *Professores Iuris vnde Antecessores.*
4 *Mandati specialis magna vis.*
5 *Battologia vitanda in legibus ferendis.*
6 *Lytæ & Prolytæ Erasmo qui?*
7 *Desuetudo obscurat, non tollit leges.*
8 *Institutiones Iuris qui olim scripserint?*
9 *Caius ille noster quis fuerit?*
10 *Iustinianus non fuit indoctus.*

¶ *Triboniano.*] Fuit hic genere Pamphilius, Macedoniani cuiusdam filius, singulari doctrina
omnium artium, & memoria præditus, moribusque integris, si credimus Procopio, & vnam aua- 1
ritiæ notam excipiamus. ¶ *Magistro.*] Videtur hic significare μεγαλομάγιστρον, hoc est, Magistrum officiorum, qui gubernabat Scholas & Fabricas. ¶ *Ex quæstore Sacri Palatij.*] Iustinianus alibi hunc simpliciter vocat Quæstorem [b]. Et sanè eo tempore, cuius meminit, verè adhuc Quæstor erat. Sed tempore, quo hæ Institutiones editæ sunt, Quæstorius erat. Sed & prius aliquando hac quæstura priuatus fuit: quam tamen postea recuperauit. Dicebatur autem hic Quæstor apud Græcos κύαισωρ, vt testatur Procopius lib. 1. de bello Pers. eratque summus post Principem Magistratus: qui 2
Principis responsa & rescripta dictabat [c], omniaque ciuilia negocia administrabat, sicuti hodie apud Gallos Cancellarius. Iustinianus in Nou. Constit. 53. appellat τὸν ἐνδοξότατον κοιαίστωρα, τοῖς θείοις ὑπηρετούμενον γράμμασιν. Et in Nouella 114. præcipit, vt diuinæ iussiones à Quæstore subscribantur. Alibi dicitur [d] Quæstor sacrorum iudiciorum Præses. Nam cum Præfecto sacri comitatus siue curiæ iudicabat de appellationibus, quæ ab omnibus spectabilibus iudicibus in sacrum principis auditorium inferebantur, vti etiam apparet ex Nouella 23. Erat autem hoc auditorium in ipso Palatio Constantinopolitano, in quo erat & sacrum Consistorium, cui princeps præerat cum Proceribus sui comitatus [e]. Fuerunt & in prouincijs multa Palatia. nam sic appellabantur omnes sacræ ædes dicatæ habitationi [f] principis. ¶ *Antecessoribus.*] hoc est, Iuris professoribus, vt ipse interpre- 3
tatur Iustinianus ad Pandectas. Videtur autem hæc vox efficta imitatione Græcorum, apud quos προηγεῖσθαι per metaphoram significat, præeundo & docendo deducere discipulum in alicuius artis penetralia, quasi dicas προηγουμενεύειν. Hinc apud Aphrodiseum vox scholastica προηγουμένως. Apud Isocratem ad Demonicum est, ὑφηγεῖσθαι νεωτέροις: apud Demosthenem ἀεὶ προεξηγεῖσθαι. Ergo Antecessores erant, qui nunc in Academijs dicuntur doctores regentes. Sic in schola Constantinopolitana tempore Iustiniani Theophilus & Cratinus, adolescentum Ciuilia studia regebant: in Berytensi verò Academia Dorotheus & Anatolius: viri certè maximis etiam honoribus perfuncti. Nam & Dorotheus Quæstor fuit & Theophilus Magister officiorum. Neque verò primus Iustinianus huius generis Antecessores aut coluit aut summis honoribus ornauit. Multis ante eum annis optimus princeps Valentinianus, eos, qui in vrbe Cōstantinopolitana longo tempore leges docuissent, vicaria dignitate donauit [g]. ¶ *Mādanimus specialiter.*] hoc est expressim & nominatim, vt alijs 4
locis dicitur [h]. Cuius specialis mandati magna vis est in Iure ciuili, & plerumq; necessarius vsus [i].

b L. maximum vi- ...um. C. de lib. præte. ... dedititios, inf. de ...ber.
c L. vniuersa C. de ...iuer. rescrip.
d L. præcipimus. §. 1. C. de appellat.
e L. vlt. §. in his. C. de temp. appell. L. in of- ...rendis. C. de appell. ... omnem. C. quando ...on. non est nec.
f L. vna. C. de palat. ... quicunque locus. C. ... ope pub.
g L. vna. C. de prof. ... in vrb. Const.
h L. Pomponius. De ...oc. L. illud. §. vlt. ... e minorib.
i Dist. §. vlt. & L. nō ...num. §. vlt. De pro... r. L. 3. De acceptil. ...nam & nocere. De ...

¶ *Nostrumq́*

¶*Nostriq́; suasionibus.*]Quidam hîc suspicantur deesse OBTEMPERANTES, maximè cùm id
addat Theophilus. ¶*Legum cunabula.*]Sic postea Iustinianus has Institutiones appellat [a] prima le-
gum cunabula. Theophilus vertit προοίμια. Et Pomponius [b] scribit Sextum Ælium veterem Iu-
risconsultum scripsisse librum, qui continebat Iuris cunabula. Ac ne putemus hanc esse infrequen-
tem metaphoram, Iustinianus prima vrbis Romæ cunabula [c]. & prima fideicommissorum cuna-
bula [d] d cit. Aurelius [e] quoqoe appellat cunabula præfectorum Prætorio. ¶*Non ab antiquis fabulis.*]
hoc est Incertis falsisque traditionibus, cuiusmodi multas suo fuisse tempore sparsas à quibusdam
improbis & adulterinis doctoribus Cæsareæ & Alexandriæ, conqueritur quodam loco Iustinia-
nus.

¶*Nihilq́; perperam positum.*] Theophilus vertit εἰκῇ, hoc est, frustra. quasi admoneat Iustinia-
nus nihil esse in hisce Institutionibus ociosum, nec παρὰ μέτρον, hoc est, supra iustos limites, & vltra
quàm sit necesse. Ac forsitan vult significare, quod in Pandectis iactat, nullam esse ociosam repe-
titionem, nec temerè quicquam bis dictum: vt sanè in omni legislatione diligenter vitanda est o-
5 mnis Battologia. Demosthenes κατὰ Λεπτ. testis est, Solonem etiam hoc sapiêter legibus suis cauis-
se, ἵνα εἷς ᾖ περὶ τῶν ὄντων νόμος [vt vna esset lex de ijs quæ contingere solerent.] Et Æschines κατὰ Κτη-
σιφ. pluribus verbis ostendit hâc rem curæ fuisse Thesmothetis. ¶*Vix post quadriennium.*]Erat enim
hoc tempus olim præstitutum studijs legalibus: sed vsque adeò præpostero ordine, vt eo elapso vix
possent studiosi intelligere principum Cõstitutiones. Iustinianus aliam methodum instituit, præ-
fixitque absoluendo Iuris ciuilis studio quinquennium. Et primo quidem anno voluit Institu-
tiones tradi. Deinde alijs annis alias Iuris partes. Quarto autem anno studiosi appellabantur λύ-
6 ται, qui scilicet iam poterant ipsi nodos Iuris dissoluere, & sequenti anno προλύται. Memini tamen
Erasmum quodam loco hæc verba passiuè interpretari, pro dimissis iam veluti veteranis, & discê-
di necessitate solutis. ¶*Necnon & cæteros viros illustres.*]Nempe Theophilum antecessorem Constan
tinopolitanum: Dorotheum & Anatolium antecessores Berytienses: Item Stephanum, Mennam,
Prosdocium, Timotheum, Leontium, Platonem, Constantinum, & plures alios disertissimos
causarum patronos. Qui autem propriè appellarentur viri illustres, & qui nam hoc titulo ornaren
tur, consulendus est Cassiodorus. ¶*Desuetudine inumbratum.*] Apposite Iustinianus ita locutus est,
7 indicans obiter non eam esse vim solius desuetudinis, vt legem tollat, sed tantum vt obscuret. Le-
gis enim, etiamsi rarior sit illius vsus, quia sit rara vtendi occasio, manet eadem vis. quanquam for
tassis minus nota. Sed munus est nomophylacis, luci restituere bonas leges delitescentes in tene-
bris. vnde & Iustinianus in Nou Constit. 1. testatur sibi curæ esse, τοὺς νόμους ἀμεληθέντας ἀνακαλεῖσθαι.
[leges neglectas reparare.] ¶*Ex omnibus antiquorum institutionibus.*]Præter Caium multi veteres scri
8 pserunt Iuris ciuilis Institutiones. Scripsit Iulianus libros Institutionum sedecim, Vlpianus duos,
(quorum epitome nuper edita est.) Paulus duos Callistratus tres, Florentinus duodecim. memi-
nit etiam postea Iustinianus in tractatu legis Aquiliæ, Institutionum Martiani. Et Lactantius lib.
1. suarum diuinarum Institutionum, prædicat prudentes & arbitros æquitatis, qui institutiones
Iuris ciuilis compositas ediderunt. quibus ciuium dissidentium lites contentionesque sopirent.
9 ¶*Caij nostri.*]Cùm multi fuerint hoc prænomine Iurisconsulti, nempe Caius Iuuentius Mutij
discipulus, C. Aulus Offilius, C. Attilius Proclus, auditores Seruij, item C. Trebatius Testa, & C.
Cassius Longinus: difficile est conijcere quis fuerit is, cuius hîc meminit Iustinianus, præsertim
cùm eius nomen nusquam addatur. Ac verisimile est quendam intelligi omnibus superioribus
posteriorem, quem nonnulli tradunt vixisse sub Caracalla, solo prænomine satis eo tempore no-
tum. Et reuera sæpe fecit celebritas prænominis vt subticeretur nomen proprium. Sic Tullius in
Lælio, Caium quendam prædicat solo prænomine: sed satis apparet eum intelligere C. Sulpitium
Gallum, qui bello Macedonico eclipsim Solis in exercitu Pauli Æmilij demonstrauit. Rutilius dũ
solicitè inuestigat nomen nostri Caij, suspicatur id deprauatum in vocem NOSTRI. quam hic
putat esse ineptam, quia Caius ante Iustinianum multis seculis mortuus fuerit. Sed nescio quàm
grauis sit hæc coniectura. Sanè & in vltimo harum institutionum titulo legitur [f], Caius noster.
Sed & Pomponius quodã loco [g]. Non est (inquit) sine ratione, quod Caius noster dixit, & extant
hodie quædam Institutiones Caij. Sed nescio an non is recentior sit: in ijs etiam fit mentio rerum
Ecclesiasticarum.

¶*Et legimus & recognouimus.*] Vides curam Iustiniani in editione harum Institutionum,
quas si verè legit & recognouit, non videtur prorsus fuisse, vt quidam existimant, ἀναλφάβητος.
Idque certè ex hoc loco aptius colligemus, quàm illud, quod hîc nonnulli falsò comminiscun-
tur. in arduis negocijs non sufficere mandatum præcedens, nisi & rei confectæ sequatur ratihabi-
tio & confirmatio. Neque hoc commentum probat, quòd is cui mandatum est, vt de marito
dispiciat, non potest nuptias contrahere [h]. Nam id responsum est, nõ quia matrimonium grauio-
ris sit momenti: sed quod mandatum non erat illud: nec liceat mandati fines egredi [i]. Alioqui &
per procuratorem possumus nuptias contrahere, si is hoc habeat in mandatis.

a §. sed ne in primis inf. de leg.
b L. 2. § deinde. De orig. iur.
c §. libertinorum. inf. de libert.
d §. et quia, inf. de fid. hæredit.
e L. vnica. De offic. præf. præt.
f §. telum autem, Inf. De pub. iud.
g L. pen. De stipul. ser.
h L. generali. De ritu nupt.
i L. diligenter. D. manda.

§. *Summa itaque ope.*

1 *Honos alit artes.*
2 *Eruditis committenda Respub.*
3 *Noui Iurisconsultis vsu opus est & merã cognitione.*
4 *Vmbratiles disputationes inutiles.*

 5 *Iurispr.*

5 Iurispr. scopus est Reip. gubernatio.
6 Constantinopolis olim Byzantium.
7 Tempora annotata per Impp.
8 Impp. ipsi olim gerebant consulatus.

¶*Summa itaque ope.*] Post commendationem harum Institutionum, Iustinianus intelligens honore ali artes, proponit magna laborum præmia, & pulcherrimum finem atque vsum horum 1
studiorum, vt excitet bonæ indolis iuuentutem studio rerum magnarum ardentem, quæ præcipuè capitur luce administrationis publicæ, vt ille apud Plutarchum Themistocles. Nec dubito generosos animos hac præcipuè spe excitari, vt appetant politicas disciplinas, quibus se & suos atq; adeò patriam tueantur. Nec meum est hoc iudicium, sed Socratis, qui vt ait Xenophon, *ἐτεκμαίρετο τὰς ἀγαθὰς φύσεις μάλιστα ἐκ τοῦ ἐπιθυμεῖν τῶν μαθημάτων πάντων, δι' ὧν ἔστιν οἰκίαν τε καλῶς οἰκεῖν καὶ πόλιν, καὶ τὸ ὅλον ἀνθρώποις καὶ ἀνθρωπίνοις πράγμασιν εὖ χρῆσθαι. τοὺς γὰρ τοιούτους ἡγεῖτο παιδευθέντας οὐκ ἂν μόνον αὐτούς τ' εὐδαίμονας εἶναι, καὶ τοὺς ἑαυτῶν οἴκους καλῶς οἰκεῖν, ἀλλὰ καὶ ἄλλους ἀνθρώπους καὶ πόλεις δύνασθαι εὐδαίμονας ποιεῖν.* [conijciebat bona ingenia ex cupiditate discendarum omnium disciplinarum, per quas datur tum domum rectè administrare tum ciuitatem, & hominibus planè & vita humana rectè vti. Etenim tales existimabat institutos nõ ipsos solummodò beatos fore, & rem suam familiarem probè curaturos, sed & alios homines atque ciuitates posse felices reddere.] Iam *si quem nulla capit tantarum gloria rerum, Nec super ipse sua molitur laude laborem*: is ad stiuam relegandus est cum sua degeneri socordia. At vos quibus est erectior indoles, vos agitedum in hæc sanctißima studia mecum incumbite, grandia laturi meritorum præmia. *Hoc agite ô iuuenes, circumspicit & stimulat vos, Materiamq; sibi ducis indulgentia poscit*, vt verbis Iuuenalis vtar. Interea tamen, eùm leuis animi lucem splendoremq́ue fugientis, esse audieris, honores & iustam gloriam, qui est fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare: memineritis etiam, multo turpioris fore leuitatis atq; vanitatis, & Iurisconsulto maximè indignæ, ardere vel præmiorum vel honorum stulta quadam & puerili cupiditate. Tam leues aut ineptè ambitiosos non fuisse veteres Iurisconsultos, quorum exemplum proponere nobis debemus, scimus. In solam virtutem tota defixa eorum mens erat, nec eos à suo officio aut iniqua aut ingrata tempora abducere potuerunt. ¶*Sic eruditos.*] Eruditis debet Princeps committe-
re gubernacula Reip. Notum est elogium Alexandri Mammæi Imp. qui committebat (vt ait He- 2
rodianus) *τὰς πολιτικὰς καὶ ἀγοραίους διοικήσεις τοῖς ἐπὶ λόγοις δοκιμωτάτοις καὶ νόμων ἐμπείροις.* [ciuiles & forenses administrationes insignibus doctrina viris legumq; peritis.] Atque vtinam hodie Principes maiorem haberent virtutis & eruditionis rationem in demandandis publicis muneribus, ne studiosos eruditos omnino fallat spes, quam hîc proponit Iustinianus. ¶*Posse.*] Si quis obijciat nouos Iurisconsultos, qui ex scholis redeuntes nihil hodie minus possunt, quàm Reipub. præesse Re-
spondebo, totum hoc opus legitimum eos non absoluisse: quod non constat frigidis modò qua- 3
rundam legum ciuilium argutijs, sed magna prudentia, rerum vsu, & morum, quibus nunc vtimur, plena cognitione. Sed horum ferè nihil hodie in scholis traditur. Nam ex occupatę vanis nescio quibus digladiationibus, & ambitiosa congerendorum sine fine commentorum ostentatione, nec antiquitatis historiam colunt, nec rationem morum, quibus vtimur: atq; adeò nihil, quod ad Reip. gubernationem vel vsum ciuilem pertineat. Videoq; doctos grauesque viros frequenter deplorare hoc malum, & infelicis iuuentutis conditionẽ. Plutarchus in Themistocle laudat quendam Phrearium professorem ciuilis sapientiæ à Solone primùm traditæ, quæ tota erat politica, &
consistebat in actione, ipsaq; Rerump. administratione. Ac conqueritur eam postea corruptam à 4
Sophistis, redactamq; ad nudas disputationes, & vmbratiles dissertationes. Nunc quo iure hanc querelam intenderim, intelligũt, qui scholarum barbariem. & infinitam inutilium quæstionum
vanitatem cognoscunt. ¶*Gubernari.*] Reip. gubernatio est verus prudentiæ scopus ac finis. Vnde 5
Aristoteles lib. 1. Ethicorum loquens de hac ciuili philosophia, *τὸ τέλος* (inquit) *οὐ γνῶσις ἀλλὰ πρᾶξις* [finis studiorum non in cognitione, sed in actione consistit.] Eoq; nomine Vlpianus [a] scribit hanc vnam esse veram, nec simulatam philosophiam. Et apud Plinium Euphrates philosophus docet pulcherrimam philosophiæ partem esse, agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, promere, & exercere iustitiam. Nam hoc est inter homines quendam Deum agere. ¶*D. C. P.*] hoc est, Datum Constantinopoli. Quæ clarißima vrbs est Thraciæ ad Propontidem, olim primùm ap-
pellata Byzantium: sed à Constantino cincta mœnium circuitu ampliori, dicta est Constantino- 6
polis. In ea fuit sedes & regia Imperatorum Orientis. ¶*D. Iustiniano.*] Iustinianus in Nouella sua
Constit. 47. statuit, vt adnotarentur tempora per Imperatores, sicut olim per Consules. ¶*P P.*] hoc 7
est, Patre patriæ. Meruit hoc cognomen primus Cicero, deinde Imperatoribus tributum est. Eius autem nominis rationem eleganter declarat Seneca lib. 1. de clemen. Sanè Cor. Tacitus lib. 11. scribit. Vipsanum Consulem retulisse, Patrem Senatus appellãdum esse Claudium: quòd nimis promiscuum iam esset Patris Patriæ cognomentum. Sed & legimus olim Cyrum à Persis appellatum quoq; fuisse patrem. Certe & apud Iustinianum in Nouella Constit. 7. laudantur *οὕτως ἄρχοντες τῶν ὑπηκόων, ὡς αἱ πατέρες υἱῶν* [ita imperantes subditis, vt patres filijs.] quod sumptum videtur ex quadam Demosthenis epistola ad populum Atheniensem. Et nota est Xenophontis sententia; *ἄρχοντας ἀγαθοὺς οὐδὲν διαφέρειν πατέρων ἀγαθῶν*: [Principes bonos nihil differre à bonis patribus familiâs.] Itemq; Liuij dictum libr. 4. deca. 1. Imperatorem parentis loco esse debere. ¶*III. Cos.*] hoc
est, Tertiùm Cõsule. Ita enim has notas explicandas esse docet Gellius. Non erubescebant autem 8
olim & ipsi principes ambire & gerere Consulatus, sicuti & alia publica munera.

a L. 1. De iust. & iur.

INSTI-

INSTITVTIONVM SEV ELEMENTORVM IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS LIBER PRIMVS.

De Iustitia & Iure, Tit. I.

IVSTITIA est constans & perpetua voluntas, ius suum cuiq; tribuendi. Iurisprudentia est diuinarum atq; humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia. §. His igitur generaliter cognitis, & incipientibus nobis exponere Iura populi Rom. ita videntur posse tradi commodissimè, si primò leui ac simplici via; pòst deinde diligentissima atque exactissima interpretatione singula tradantur. alioqui si statim ab initio rudem adhuc & infirmum animum studiosi, multitudine ac varietate rerum onerauerimus; duorum alterum, aut desertorem studiorum efficiemus, aut cum magno labore, sæpè etiam [illegible] diffidentia (quæ plerunq; iuuenes auertit) serius ad id perducemus, ad quod leuiore via ductus, sine magno labore, & sine vlla diffidentia maturius perduci potuisset. §. Iuris præcepta sunt hæc; Honestè viuere, Alterum non lædere, Ius suum cuique tribuere. Huius studij duæ sunt positiones, Publicum & Priuatum. Publicum Ius est, quod ad statum rei Romanæ spectat: Priuatum, quod ad singulorum vtilitatem pertinet. §. Dicendum est igitur de Iure priuato: quod tripartitum est: collectum est enim ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut ciuilibus.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Ius à Iustitia quomodo deriuetur.
2 Ius est ars seu institutio ἐπιεικείας, id est, æqui & boni.
3 Scientia est theoretica. Ars practica.
4 Iustitia hic externa & politica intelligitur.
5 Iustitia vniuersalis quæ.
6 Particularis iustitia, eiusq; diuisio.
7 In iustitia distributiua est proportio Geometrica, in Commutatiua Arithmetica.
8 Reipub. status opt. qui constituitur proportione Geometrica.

ADmonet Vlpianus [a] eum, qui iuri operam daturus est, ante omnia scire debere, vnde a L.1. De iust. & iur.
1 iuris nomen descendat: docetque à iustitia appellari: quod nos interpretamur, ab eo,
quod iustum est: ne quis hic iustitiam accipiat eam, de qua mox dicemus, quæ iuris est
executio & obtemperatio. Nam tum (vt etiam in Ethicis scribit Aristoteles) non ius
à iustitia, sed à iure iustitia esset. Fortasse Græcorum more locutum dicerem Vlpia-
num, apud quos aptissimè dicitur, appellari τὸ δίκαιον ἀπὸ τῆς δίκης (iustum à iure.) Sed propriè eo loco
agit de iure, hoc est, de Iurisprudentia ipsa: nam subijcit esse artem æqui & boni. Ex illa autem supe-
riori iuris origine manifestum est, quod olim Cornelius Scipio in Rep. Ciceronis collegit his verbis,
Cùm illud ipsi ius esse dicant, quod de iustitiæ fonte manarit, falsum est, quod à quibusdam non re-
ctè sentientib. dici solet, id ius esse, quod ei, qui plus pollet, vtile est. Addit præterea Vlpianus ex Cel-
2 so breuem iuris definitionem, quòd sit ars æqui & boni, hoc est, quædam institutio æquitatis illius quã
Græci appellant ἐπιείκειαν, & certa collectio omnium præceptorum, quibus iudicium prudentis viri
formetur, cùm ad constituendam pro rerum circunstantijs æquitatem: (quæ alioqui vno certoq; fine
describi non potest [b]: sed in sola ratione consistit, variéque æstimatur pro varijs rerum circunstan- b L. de accessionibus. De diuers. temp. præscrip.
tijs.) tum verò ad colligendam certam rationẽ & methodum, qua iurisprudentiam accommodet ad
3 vsum ciuilẽ. Sic enim Aristoteles discernit artem à scientia. Vt scientia quodãmodo sit theoretica, ars
verò practica. Illa versetur circa vniuersalia, hæc circa singularia. Sic cũ ius definit Celsus esse artẽ,
intelligamus ipsam nostram iurisprudentiam definiri. Quod ad iustitiam attinet, primum admonẽdi
4 sumus hic agi de externa quadam & ciuili iustitia, quæ tantum pertinet ad formandos in hac vita po
liticos mores, nec aliud exigit, quàm exteriorem quandam honestatem, vt sit in tuto Reip. tranquil-
5 litas. Hanc iustitiam philosophi diuidunt in vniuersalẽ & particularem. Vniuersalis, est obedientia

erga omnes leges, omniumq; honestarum actionum studium. Particularis verò, de qua hîc dicere pa- 6
ramus, vnam certam virtutis speciem complectitur, quæ est cõtraria iniuriæ. Diuiditur autẽ ab Ari-
stotele in Distributiuam, quam appellat διανεμητικὴν, & Commutatiuam siue συναλλακτικὴν. Prior perti-
net ad præmia & pœnas distribuendas pro ratione & varietate meritorum: altera versatur circa con-
tractus, & æquabilium rerum permutationes, paresque compensationes. Vtramque autem, & magi-
stratus, & priuatus colere debet. Nam & commutatiua vtitur magistratus, cùm ius dicit de sarci-
endo damno dato. Et distributiua vtitur priuatus, cùm gradus officiorum obseruat erga pa-
rentes, liberos, amicos, hospites. Vtriusque medium est idem, nempe æqualitas. Sed iubet Aristote- 7
les hanc æqualitatem in distributiua iustitia sumi proportione Geometrica, in Commutatiua verò,
proportione Arithmetica. Proportio Geometrica dicitur, cùm obseruamus & metimur gradus cir-
cumstantiarum, tum in personis, tum in rebus: tantumq; retinetur similitudo & æqualitas proportio-
num, neglecta numerorum collatione vel calculo. Sic dicimus in iustitia distributiua solùm obseruari
proportionum æqualitatem neglectis numeris. Nam hîc conferũtur res, & personæ: & vt virtutum
& delictorum, ita præmiorum & pœnarum varij gradus constituuntur, vt iusta proportione habeat 8
quisq; quod meruit. Vnde grauiter dictum est à Platone; Optimum Reip. statum esse, qui constituitur
Geometrica proportione, hoc est, vbi certi[illegible] gradus officiorum, & personarum, & idoneis aptæ fun-
ctiones tribuuntur. In commutatiua autem [illegible] quæritur æqualitas Arithmetica, hoc est, vt sim-
pliciter congruant numeri. Proportionum enim nulla hîc est ratio. nam simpliciter res rei confertur
sine vlla comparatione personarum, aut æstimatione circumstantiarum. Vt in contractibus solùm con-
fertur damnum & lucrum.

§. *Iustitia est constans & perpetua.*

1 *Iustitia quomodo dicatur voluntas.*
2 *Ex habitu animi voluntas, ex voluntate actio.*
3 *Virtutum duæ causæ: Mens & voluntas.*
4 *Iustitia est quædam voluntatis qualitas.*
5 *Habitus animi duplices.*
6 *Iustitia quid præ cæteris virtutibus habeat peculiare.*
7 *Iustitiæ omnes æquè esse capaces.*
8 *Voluntas nostra ex sui corruptione mala est.*
9 *Virtutis causæ principales duæ.*
10 *φύσις, δόξα, βούλησις quid.*
11 *Suum cuique tribuere quid.*
12 *Lex à delectu cur dicta sit.*
13 *Græci in distribuendis honoribus habuerunt personarum delectum.*
14 *Cyri puerile iudicium.*
15 *Definitio Iustitiæ Platonica.*
16 *Definitio Sapientiæ Philosophica.*
17 *Iurisprudentia pro ciuili Sapientia hîc sumitur.*
18 *Iurisconsulti veri philosophi sunt.*
19 *Verbosa simulatio prudentiæ formulariorum.*
20 *Philosophiæ tres partes.*
21 *Ethica, potissima philosophiæ pars, subdiuiditur in Oeconomicam & Politicam.*
22 *Iureconsulti ipsi olim aut Pontifices erant aut Augures.*

a L. iustitia. De iustit. & iure.

§. Iustitia est.] Hæc Iustitiæ definitio, sicuti & Iurisprudentiæ, descripta est ex respõso Vlpiani [a].
Et quanquam à veteribus philosophis primùm tradita sit, negat tamen Rodolphus Agricola ex
arte factam: sed non aperit, quid desideret: opinor eum parum assecutum, qua ratione loco gene-
ris, quod in definitionibus requiritur, Iustitia dicatur voluntas. Verùm hîc sciamus, voluntatem 1
appellari ἕξιν siue habitum animi volentis, post receptam illam perpetuam naturæ vocem, ius cui-
que suum reddendum; sicuti Aristoteles appellat προαίρεσιν. Sic itaque voluntatis verbo hîc in-
telligemus significari ἕξιν προαιρετικὴν. Voluntas, sicut cupiditas, significare posset temporalem
aliquam affectionem: sed cùm hîc dicatur constans & immutabilis, intelligimus illam, vt Ari-
stoteles vocat, προαίρεσιν; immò verò & habitum ipsum, qui hanc voluntatem præcedit, & ex quo 2
hæc descendit. Sicut ex voluntate proficiscitur actio & officium: sic ex habitu animi voluntas.
Sed vt actionem ipsam melius intelligimus, quàm voluntatem, & effectum quàm causam: sic
voluntatem magis quàm habitum. Ideoque maluerunt veteres constantis voluntatis quàm ha-
bitus verbo Iustitiam hîc describere: eoque etiam magis, vt huius virtutis & causas & effectus si- 3
mul describerent. Virtutis duæ sunt causæ, Rectum mentis iudicium, & Obsequium voluntatis
rationi obtemperantis. Primùm itaque proponimus naturales illas æqui & boni notitias, per-
petuas & immutabiles, quibus iudicium rationis assentitur. sed, vt fiat virtus, necesse est acce-
dere voluntatem, quæ obtemperet: vt quemadmodum iudicium informatur, ita voluntas fle-
ctatur, & concipiat motus eò incitantes. Vnde satis intelligimus Iustitiam, rerum esse non exi- 4
stentium, sed inhærentium. Non enim per se subsistit, sed hominum animis accedit, & est quæ-
dam voluntatis qualitas. Aristoteles primam qualitatis speciem facit ἕξιν, siue habitum, quem Tul
lius definit esse, animi aut corporis constantem & absolutam aliqua in re perfectionem. Habitus 5
autem animi sunt duplices: alij enim pertinent ad intellectum, vt ars, scientia, prudentia: alij sunt
voluntatis, qui mouent & inclinant ad agendum. Vt virtutes incitant ad rectè agendum, sic vitia
ad iniquè agendum. Cicero lib. 2. de Inuentione, definit iustitiam esse habitum animi, suam cuiq;
tribuentis dignitatem communi vtilitate conseruata, hoc est, id quo quisque dignus est. Lib. 5.
de Finib.

de Finib. ait, Iustitiam esse animi affectionem, suum cuique tribuentem, & hanc societatem coniunctionis humanæ munificè & æquè tuentem. Lib. 3. de natura Deorum, scribit simplicius, iustitiam esse, quæ suum cuiq; distribuit. Autor lib. 3. ad Heren. definit eam esse æquitatem, ius vnicuiq; tribuentem pro dignitate cuiusque. Si quis Græcos coniungere velit, vnus Aristoteles in Ethicis multorum loco esse potest. Sed & lib. 1. Rhetor. describit iustitiam esse virtutem, propter quam singuli res suas habent, & vt lex præcipit. ¶*Constans & perpetua.*] hoc est, Certis illis & immutabilibus notitijs, humanæ menti diuinitus impressis prædita, rationisque iudicio & lumine gubernata: vt quanquam negotia & casus varient, habeat tamen semper in tanta rerum & circunstantiarum varietate illam suam affulgentis veri scintillam, certamq; rationem & formulam, ius suum cuique reddendi, tam altè insidentem animo, vt nō temerè posit excuti. Imò verò cùm nihil aliud sit virtus quàm executio eius, quod ratio iudicauit amplectendum, non potest non vno perpetuoq; motu agi: nec potest non esse voluntas constans, quę regitur certo & immutabili iudicio, eique tota obtemperat. ¶*Voluntas.*] Hoc est, habitus animi volentis & incitati ad agendum id quod ei præscripsit constans & perpetua ratio, & lumē naturalium notionum. Notum est Aristotelis dictum lib. 5. c. 1. Ethicorum, ὁρῶμεν δὴ πάντας, τὴν τοιαύτην ἕξιν βουλομένους λέγειν δικαιοσύνην ἀφ' ἧς πρακτικοὶ τῶν δικαίων εἰσὶ, καὶ ἀφ' ἧς δικαιοπραγοῦσι καὶ βούλονται τὰ δίκαια. [Videmus omnes velle, cùm nominant iustitiam, intelligi talem habitum quo fiat vt aliqui ij sint, qui actionibus iustis operam dare studeant, quique iustas actiones exerceāt, & iusta appetant.]
Hicq; latet discrimen virtutis à scientia, quæ non in agendi voluntate, sed potentia consistit. Et
6 habet Iustitia hoc præ cæteris virtutibus, vt tota prorsus pura putaque sit voluntas, impellaturq;
omnino spontaneo & gratuito studio. Aliæ virtutes habēt aliunde quoddam veluti calcar. nam
vt quis fortis sit aduersus hostes, incitamento est amor patriæ, liberorum, coniugis: odium hostis, timor captiuitatis, & impendentis periculi. At iustitia nullis eiusmodi affectibus extrinsecus propriè mouetur, sed ἔνδοθεν [intrinsecus] volūtario motu agitur. Vnde & Plutarchus in Catone Vticensi, grauiter scribit, alias virtutes natura magis, quàm voluntate antecellere, vt Forti
7 tudinem & Prudentiā: hanc enim ingenij acumine, illam robore quodā animi cōstãte. Sed iustitiæ omnes æquè esse capaces, quę à voluntate, nō ab alia natura pendeat: & proinde iniustitię, vt malitię inexcusabilis, maximè quemq; pudere debere. nos verò ex sacris literis addamus, non esse in natura corrupta iustam omnino volūtatem: verùm proficisci à Deo, & arcano motu Spi-
8 ritus sancti, qui nostram voluntatem ex sui corruptione malā, noua diuini beneficij gratia reddat bonā: præsertim si agatur de interiori cordis mundicie, quæ veram efficit virtutem: nec hæreamus in vanis virtutū simulacris, quæ ad ipsam voluntatē non penetrant, sed in externa quadam honestate subsidunt. Aristoteles veræ virtuti tribuit προαίρεσιν, quæ continet certam delibe-
9 rationem, siue rectum iudicium, & firmam solidamq; voluntatē obtemperandi. hæ sunt enim duæ principales virtutis causæ. Et prudenter discernit alia quædā vicina simulacra, & falsas spe-
10 cies, inanesq; laruas virtutis. Ac propriè nominat φύσιν, quæ significat naturæ inclinationem sine iudicio, siue inconsultum quendam impetum: & δόξαν, leuem quandā persuasionem, quam nulla certa ratio regit: ac ὑπόκρισιν, externam quandam simulationem. ¶*Ius suum cuique tribuendi.*]
11 Apud Ciceronem in libris de Finib. simpliciter est. Suum. Apud Simonidem, τὸ ὀφειλόμενον: [debitum siue meritum:] apud Platonem, τὸ προσῆκον [consentaneum seu conueniens.] Et quod hic dicimus tribuere, idem Plato dixit ἀποδιδόναι καὶ διανέμειν. [reddere & assignare.] Iustinianus verò in Nouel. βραβεύειν. [pręmia distribuere] Porrò vt duplex est Iustitia, ita duplex intelligitur ratio tribuendi ius suum cuiq;: nempe in distributionibus pœnarum & pręmiorum pro meritis: & in commutationib. rerum, ne qua sit iniuria. Itaq; possumus hic etiam intelligere Ius ἀνάλογον [proportione accōmodatum] quod æqualiter tribuitur pro dignitate, & meriti proportione. Nā & id quidem diligenter quoq; obseruarunt Romani, apud quos etiam lex ipsa à delectu dicta est.
12 Græci autem magis considerantes Iustitiam commutatiuam, simpliciter νόμον appellarunt, ἀπὸ τοῦ νέμειν [à distribuere] Vnde Cicero lib. 1. de Legib. scribit, Græcos Ius appellare, quia suum cuique tribuat, Romanos verò legem à legendo. Nam (inquit) vt illi æquitatis, id est, æqualitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus. Proprium tamen vtrunque legis est. nam & quædam æqualiter omnibus iure tribuuntur, veluti vt damnum datum sarciatur: & quædam cum delectu
13 personarum, veluti honores. Vtque intelligamus in ijs distribuendis etiam Græcos habuisse rationem & delectum personarum, nec omnino secutos simplicem æquabilitatem, lubet adscribere elegantissima Isocratis verba, ex eius Areopagitico: μέγιστον αὐτοῖς συνεβάλετο πρὸς τὸ καλῶς οἰκεῖν τὴν πόλιν, ὅτι δυοῖν ἰσοτήτοιν νομιζομέναιν εἶναι, καὶ τῆς μὲν ταὐτὸν ἅπασιν ἀπονεμούσης, τῆς δὲ τὸ προσῆκον ἑκάστοις, οὐκ ἠγνόουν τὴν χρησιμωτέραν, ἀλλὰ τὴν μὲν τῶν αὐτῶν ἀξιοῦσαν τοὺς χρηστοὺς καὶ πονηροὺς ἀπεδοκίμαζον, ὡς οὐ δικαίαν οὖσαν. τὴν δὲ κατ' ἀξίαν ἕκαστον τιμῶσαν, καὶ κολάζουσαν, προῃροῦντο, καὶ διὰ ταύτης ᾤκουν τὴν πόλιν οὐκ ἐξ ἁπάντων τὰς ἀρχὰς κληροῦντες, ἀλλὰ τοὺς βελτίους καὶ τοὺς ἱκανωτάτους, ἐφ' ἕκαστον τῶν ἔργων προκρίναντες. τοιούτους γὰρ ἤλπιζον ἔσεσθαι καὶ τοὺς ἄλλους, οἷοί περ ἂν ὦσιν οἱ τῶν πραγμάτων ἐπιστατοῦντες. Huc etiam pertinet, quod Tullius libro primo de Natura Deorum, ἰσονομίαν interpretatur æquabilem tributionem, quando (inquit) omnibus omnia, paria paribus respondent. Atque hæc quidem duplex ratio ius cuique suum tribuendi diligenter tenenda atque discernenda est, ne quid confundamus. vt olim cùm puer grandior indutus breui tunica eripuisset alteri minori longiorem tunicam, data illi breuiore: & res ad puerile iudicium delata esset, nimis puerili-
14 ter Cyrus adolescēs pronunciauit grandiorem retinere debere longiorē vestem. Xenophon ait,
Cyrum

Cyrum eo nomine vapulasse castigatum à magistro, quòd non meminisset legem præcipere, vt
suum cuique reddatur, & in discernenda æqualitate errasset vsus proportione Geometrica pro
Arithmetica. Porrò priusquam hanc iustitiæ finitionem missam faciamus, admonendi sumus,
cùm similem tradidisset Simonides, repudiatam esse à Platone. Iudicauit enim Plato, nō solùm 15
quærendum esse, qui sit ordo homini ad alios, sed etiam qui sit ordo homini ad sese. Itaque defi-
nit Iustitiam esse consensum inferiorum virium in homine cum mente rectè iudicante. Sed Pla
to de Iustitia vniuersali agere videtur. Cęterùm Simonidis definitionem, quam nostri Iuriscon-
sulti amplexi sunt, rectè conuenire Iustitiæ particulari, de qua hîc agitur, non existimo Plato-
nem negasse: aut si negarit, causam non video.

¶*Iurisprudentia est,*] Tullius lib. 2. Offi. scribit veteres Philosophos definire Sapientiam, esse re-
rum diuinarum & humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientiam. Idem lib.
1. principem omnium virtutum Sapientiam esse ait, rerum diuinarum atque humanarum sci-
entiam: in qua continetur Deorum & hominum communitas, & societas inter ipsos. Sed Iuris-
prudentiæ vim propius exponimus, cùm adijcimus esse iusti atque iniusti scientiam. Differtque
sanè aliquando prudentia à sapientia, vt ars à scientia. Et si prudentiam acciperemus hoc loco 17
pro ea, quæ ad vsum accommodas præcepta sapientię, aptissimè diceremus, Iurisprudentiam es-
se artem æqui & boni. Sed hic non distinguitur à sapientia. Est autē hæc ciuilis sapientia vel ma-
ximè digna sapientiæ nomine. Vlpianus[a], Iustitiam (inquit) colimus, boni & æqui notitiá pro-
fitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes: bonos, non solùm metu
pœnarum, verùm præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes: veram, nisi fallor, Philo
sophiam, non simulatam affectantes. Equidem memini Tullium pro Murena, satis odiosè Ser- 18
uij Iurisconsulti prudentiam appellare verbosam simulationem prudentię: sed tum foro & cau-
sæ seruiebat: nec propriè loquitur de veris Iurisconsultis, quorum sapientiam tantopere laudat
in libris de Oratore, sed potius de formularijs. Atq; vt magis intelligamus veram esse hanc Phi- 19
losophiam, quam profitemur, meminerimus omnem philosophiam in tres partes à veteribus 20
distributam esse, in disserendi rationem, quæ appellatur λογική: in naturæ obscuritatem, quæ φυ-
σική: in vitam & mores, quæ ἠθική, siue moralis, vniuersam bene honesteque viuendi rationem
continens. Hanc verò vnam, vt cæteris omnibus præstantem, coluit Socrates ille totius Philo-
sophiæ Princeps. Et Isocrates ad Demonicum testatur eos, qui de moribus præcepta tradunt, at- 21
tingere τὸ κράτιστον τῆς φιλοσοφίας [potissimam & vtilissimam partem philosophiæ.] Huius autem
moralis Philosophię duę partes potissimùm celebrantur, videlicet οἰκονομικὴ & πολιτική. Prior est,
quam sibi priuatus quisque in tuenda & regenda re familiari proponit. Altera, quam sectantur
qui in Reip. luce versantur. Sed soli Iurisconsulti vtramq; vitam ciuilem honestissimè pertra-
ctarunt, vt meritò à veteribus Romanis P. Sempronius Longus propter Iurisprudētiam dictus
fuerit Σοφός, quemadmodum & Acilius Iurisconsultus à populo appellatus est Sapiens. ¶*Di-
uinarum & humanarum rerum*] Diuinas res hîc appellamus, quæ ad sacra pertinent, quorum ius e-
rat penes collegium Pōtificum. Ii enim decernebant, quibus hostijs, quo die, quo ritu, à quibus,
& in quo templo sacra fierent, secundum ea, quæ Numa statuerat. Huiusq; Iuris Diuini siue Pon
tificij cognitio apud Romanos magno semper fuit in precio: & clarissimi quique Iurisconsulti, 22
aut Pontifices erant aut Augures. Si quis de Romanorum sacris veteribus, & diuinis eius gene-
ris rebus plura requirat, extant copiosissimi Commētarij Lilij Gregorij. Porrò humanas res hîc
vocamus prophanas, & politicas, quæ pertinent ad negotia ciuilia. Vt itaque huius loci senten-
tiam aptè explicemus, Iurisconsultum siue Prudentem definiamus verbis Athenæi, ἔμπειρον εἶναι
ἱεροεργιῶν τῶν νομισθεισῶν ἀπό τε τοῦ τῆς πόλεως ἐπωνύμου Ῥωμύλου, καὶ Πομπιλίου Νουμᾶ, καὶ ἐπιστήμονα νόμων πο-
λιτικῶν. [vt & peritus sit sacrorum institutorum ab vrbi cognomine Romulo Pompilioque Nu-
ma, & gnarus legum politicarum.]

§. *His igitur generaliter.*

1 In disciplinis primùm generalia, deinde singula exactius tradenda.
2 Ab ipsis hypothesibus quidam ad theses.
3 Multitudine præceptorum non docentur sed deterrentur discentes.

¶*Ita videntur posse tradi commodissimè.*] Iustinianus hîc commendat methodum, qua initium
ducatur à communibus naturæ præceptis, deinde sensim fiat progressus ad ciuiles leges. Et est
sanè hic discendi ordo naturalis, sicuti est & sentiendi. Primum enim sensuum exteriorum mi-
nisterio excipimus communia quædam & cōfusa: paulo pòst deinde singula exactius: vt si quid
conspicimus è longinquo, primum sentimus esse corpus, quia oculis subijcitur: deinde progre-
diendo, cùm motum agnoscimus, animal esse iudicamus: cùm propius ventum est, agnoscimus
esse hominem: cùm proximè, videmus esse Titium. Ad hunc modum in disciplinis, primùm 1
communia quædam & generalia ostentantur: deinde in progressu gradatim singula proponun
tur exactius. Rectè itaque Arist. principio suæ φυσικῆς ἀκροάσεως admonet, initia semper ducenda
ab vniuersalibus, vt notioribus: deinde sensim progrediendum ad singulas partes. ἐκ τῶν (inquit)
καθόλου ἐπὶ τὰ καθ' ἕκαστα δεῖ προϊέναι. τὸ γὰρ ὅλον κατὰ τὴν αἴσθησιν γνωριμώτερον· τὸ δὲ καθόλου, ὅλον τι ἐστι.
Sunt tamen qui aliam magis probant rationem & methodum in studijs Iuris ciuilis, nempe vt 2
incipiamus

a L. 1. De iust. & iur.

Incipiamus ab ipsis hypothesibus, quæ nobis sunt familiares: deinde sensim progrediamur ad summas theses, & prima illa capita secretioris philosophiæ. ¶ *Quæ plerunque iuuenes auertit.*] Nihil studia nostra æquè alit & excitat, quàm spes profectus, boniq; fiducia successus. Contrà si bonam spem tollas, tollis simul & animum. Et si statim ingenia discentium obruas vel multitudine, vel
3 difficultate præceptorum, non doces, sed deterres. Sicque promptum est, vt ait Plautus, quantumuis bene confidentem, actutum diffidentem reddere. Et Lucianus, ἡ ἀπόγνωσις (inquit) ἀπάγει τῆς ἄγαν ἐπιθυμίας [desperatio abducit à seria spe seu cupiditate.] Ergo prudens præceptor habebit semper præ oculis, quod Fabius ait; Magistrum, cùm adhuc rudia tractabit ingenia, nõ debere statim onerare infirmitatem discentium, sed temperare vires suas, & ad intellectum audientis descendere. Nam vt vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem influentibus, vel etiam instillantibus complentur: sic videndum esse, quantum accipere possint animi puerorum.

§. *Iuris præcepta, &c.*

1 *Ius naturale nihil aliud est, quàm communes noticiæ illæ vt philosophi appellant.*
2 *Lumen rationis humanæ relictum nobis ex misericordia Dei.*
3 *Tria repagula opposita tribus Furijs, Libidini, Iræ, Auaritiæ.*
4 *Animalis homo nõ percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.*
5 *Non quid liceat, sed quod honestum est spectandum.*
6 *Honestas etiam in dictis est seruanda.*
7 *Proprium hominis, beneficio afficere homines.*
8 *Iuris humani præcepta vsu ciuili exculta.*
9 *Nihil ad nos veterum paganismus.*
10 *Alijs temporibus & locis alia est ciuilium munerum ratio.*

Quæ proficiscuntur ex primo illo naturali Iure omnium animis diuinitus impresso, & relicto naturæ etiam corruptæ, vt infelix homo, qui tam profundis alioqui tenebris obrutus est, haberet in colenda hac ciuili societate aliquod veluti lumen, quod sequeretur: quãquam interim (quæ nostra est infinita vanitas) non sit illud perpetuò rectum aut purum coram Domino. Hæ sunt illæ
1 communes notitiæ, quibus mens humana iudicat de bono & æquo, de ciuili honestate & formandis moribus. Philosophi appellãt κοινὰς ἐννοίας καὶ προλήψεις [communes notiones, & anteceptas ãnimorum informationes.] Augustin. dicit esse quædam extrema lineamẽta imaginis Dei. Aristo. lib. 1. Rhetor. vocat κοινὸν νόμον τὸν κατὰ φύσιν [communem legem secundum naturam.] Et addit explicationem, ἔστι γὰρ ὃ μαντεύονταί τι πάντες φύσει κοινὸν δίκαιον καὶ ἄδικον, κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ᾖ. Apud Arrianum nobilis philosophus Epictetus elegantissimè disputat, huius generis ἔμφυτον ἔννοιαν [insitam notitiam] vt appellat, sic & omnibus esse communem & omnium animis natura ingenerari, vt sine alio doctore, omnes homines facilè intelligant discrimen boni & mali, honesti & turpis, decori & indecori. Sed & Cicero in libris de Rep. grauissimè scribit, hanc Naturæ legem esse rectam rationem constantem & sempiternam, diffusamq; in omnes: quæ vocet ad officium iubendo, vetando à fraude deterreat, &c. Sed omnium elegantissimè D. Paulus ad Rom. ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες, ἑαυτοῖς εἰσὶ νόμος, οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως [Gentes quę legẽ non habẽt, naturaliter ea quę legis sunt faciunt. Eiusmodi legẽ non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimoniũ reddente illis conscientia ipsorum.] Quo quidẽ loco Apostolus agit tantũ de notitia, iudicio, & intellectu, non etiam de voluntate & affectu cordis: agnoscit humanæ naturæ quantumuis alioqui corruptæ esse relictum quoddam iudicium, quo distinguatur æquum ab iniquo: & ipsos quoque impios sic veritatis potentia vinci, vt retineant quoddam discrimen boni & mali, quanquam ad eius regulam non componant suas actiones. Nam id hærere in intellectu, nec ad cordis affectus penetrare, satis indicat idem Apostolus. Deinde & illud satis significat, finem quendam huius Iuris naturalis esse, vt impij sint inexcusabiles, nec vllam queant obtendere iustam ignorantiam. Interea autem ijs non tribuit plenum lumen, vel modis omnibus sanum iudicium: ne quis nimium fidat suæ rationi naturali, aut contemnat collationem ipsius diuini Decalogi, qui circunfert certas Dei leges perspicuè scriptas, vt illustret qualescunque notitias in animis nostris obscuratas vitio corruptæ naturæ, præcipuè quod attinet ad primam tabulam de cultu Dei. In rebus ciuilibus & externa politia, fortassis acutior est humana ratio: magnumque
2 in hac parte lumen & iudicium hominibus reliquit Deus infinita sua misericordia, vt tueretur & conseruaret hanc rerum vniuersitatem: nec grauatus est eo nomine etiam impios & paganos diuina quadam ingenij luce ornare, vt Reip. præfuturi haberent aliquam Iuris formulam cordibus inscriptam. Testatur id grauissimè Chrysostomus in quadam homelia scripta aduersus eos, qui nullum agnoscebant humanæ cõscientiæ iudicium: & proponit exemplum Ethnicorum legumlatorum, qui ex notitijs naturalibus veluti fontibus, prodidẽre tot honestas & salutares Reip. leges. Verba Chrysostomi, quæ publicè nondum extare puto, non grauabor ex fragmentis quarundam eius Græcarum Homeliarum, quę penes me sunt, ascribere: Τί ποτ' ἂν εἴποιεν οἱ λέγοντες, οὐκ ἔστιν ἡμῖν αὐτοδίδακτος νόμος ἐν τῷ συνειδότι κείμενος, οὐδὲ τῇ φύσει τοῦτο ἐγκατέθηκεν ὁ θεός. πόθεν οὖν, πόθεν, εἰπέ μοι, περὶ γάμων, περὶ φόνων, περὶ διαθηκῶν, περὶ τοῦ μὴ πλεονεκτεῖν ἀλλήλους, περὶ μυρίων ἑτέρων, νόμους ἔγραψαν οἱ νομοθέται, ὅτι μὲν γὰρ οἱ νῦν ἴσως παρὰ τῶν πρώτων ἔμαθον, καὶ ἐκεῖνοι παρὰ τῶν προτέρων, καὶ οὗτοι παρὰ τῶν αὖ πάλιν ἄνω. οἱ δὲ

ἐξ ἀρχῆς καὶ πρῶτοι, παρ' αὐτοῖς νόμους θέντες, οὐδὲ τίνες ἔμαθον, οὐκ ἄδηλον ὅτι οὐδὲ τοῦ συνειδότος, οὐ γὰρ ἂν ἔχοιεν
εἰπεῖν, ὅτι Μωσῇ συνεγένοντο, ὅτι προφητῶν ἤκουσαν· πῶς γὰρ Ἕλληνες ὄντες, οὐκ ἄδηλον ὅτι ἀπὸ τοῦ νόμου, ὃν ἔδωκεν ὁ
θεὸς τῷ ἀνθρώπῳ ἐξ ἀρχῆς αὐτὸν πλάσας, ἀπὸ τούτου καὶ νόμους ἔθηκαν, καὶ τέχνας εὗρον, καὶ τὰ ἄλλα πάντα. καὶ γὰρ καὶ αἱ
τέχναι ὄντως συνέστησαν, τῆς ἐξ ἀρχῆς αὐτοδιδάκτου ἐπ' αὐτοὺς ἐλθούσης οὕτω καὶ διασαφεῖα γέγονεν, καὶ κολάσεις ὡρί-
σθησαν. ¶ *Sunt hæc.*] Tria videlicet, quibus potissimùm conseruari potest ciuilis societas, quæque
continent tres illas virtutes, quibus ait Cicero omnem actionem vitæ contineri: nempe Modesti-
am siue Temperãtiam, quæ docet honestè viuere: Fortitudinem, cuius proprium est iniurias pro-
pulsare, inferre verò minimè: deinde Iustitiam, quæ suum cuique tribuit. Rursus tria hæc naturæ
præcepta videntur opposita quasi repagula tribus illis Furijs, Libidini, Iræ, Auaritiæ, quarum con- 3
citatione & impetu, nisi ratione coërceantur, in omne vitium præcipites agimur. Porrò alia plura
sunt & his longe maiora naturæ præcepta, videlicet de Deo & religione: sed quæ ad externam &
ciuilem politiam non ita pertinent, multumque alioqui habent erroris, & caliginis propter cor-
ruptionem humanæ naturæ. Vlpianus, qui tria superiora Iuris præcepta enumerauerat, alio quo-
a L. 2. De inst. & iur.
dam loco agens de hoc Iure naturali, primum eius præceptum esse ait [a], Religionem erga Deum.
Quemadmodum & Xenophon lib. quarto ἀπομνη. inquit: παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις πρῶτον νομίζεται, θεοὺς
σέβειν. Et Tullius lib. 2. de Inuentione, Naturæ (inquit) Ius est, quod non opinio genuit, sed quæ-
dam innata vis inseruit, vt religionem, pietatem, &c. Idem alio loco ait: Nullam gentem esse tam
feram, cuius mentem non imbuerit Deorum religio. Verùm totum hoc naturæ iudicium de Deo
& eius cultu admodum esse infirmum & cæcum, vbi non regitur certo Dei verbo, docent nos ἑ-
τεροδοξίαι omnium gentium. Nempe animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Cæ- 4
terùm in vita ciuili & externis moribus, maior est vis rationis humanæ. ¶ *Honeste viuere.*] Tullius
in libris Officiorum, inquit: Nec verò illa parua vis est naturæ, quòd vnum hoc animal sentit, quid
sit ordo, quid deceat in factis dictisque, quis sit modus. Itaque eorum ipsorum, quæ aspectu senti-
untur, nullum aliud animal, pulchritudinem, venustatem, conuenientiam partium sentit. Quam
similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritu-
dinem, constantiam, ordinem in consilijs factisque probat, cauetque ne quid indecorè effœmi-
natéve faciat. Tum in omnibus, ne quid libidinosè aut faciat aut cogitet. Quibus ex rebus con-
flatur & efficitur id, quod quærimus, honestum. Idem lib. 3. de Finib. interpretatur honestè viuere,
esse, cum virtute viuere. Iustinianus in Nouella 77. Græcè dixit, καλῶς ζῆν. Quàm autem latè pateat
hoc honestum siue decorum in omni vita, nemo ignorat. Eius certè apud bonos viros ea vis est, vt
b L. semper in coniunctionibus. De ri. nupt.
non modò quid liceat, spectent: sed magis quod honestum est, siue in coniunctionibus [b], siue eti- 5
am in contractibus [c]. Cicero pro Corn. Balbo, est (inquit) quod non oporteat, etiamsi licet: quic-
c L. semper in contractibus. De reg. iur.
quid verò non licet, certè non oportet. Sanè tametsi fortè Iure ciuili toleretur concubinatus [d],
d L. 1. §. vl. De cõcub.
quia tamen, vt ait Marcellus [e], concubina non habet honestatem, vir bonus eam abominabitur.
e L. stuprũ. De ri nup.
Idem de donationibus erga meretrices, quas lex quidem omnino non prohibet, sed tamen iudi-
f L. affectionis. De donat.
cat esse inhonestas [f]. Neque verò in factis modo, sed & in dictis verbisque, à quibus omnis obscœ- 6
nitas abesse debet, hæc honestas seruanda est. Extat vetus Romuli lex; NE QVIS PRÆSENTIBVS
g L. item apud Labeonem. §. qui turpib. De iniur.
FOEMINIS OBSCOENA VERBA FACITO. & Vlpianus [g], eum coërceri vult, qui turpibus verbis
est vsus. ¶ *Alterum non lædere.*] Omnes boni viri, qui habent aliquid naturalis iudicij, intelligunt
h L. seruum ea lege. De ser. expor.
abstinendum esse ab iniurijs, si hanc humanæ societatis coniunctionem, tueri volumus. Papinia- 7
nus [h] etiam proprium esse homini putat, hominem beneficio afficere. Et Tullius in Officijs gra-
uissimè probat, hominem naturæ obedientem homini nocere non posse: etsi (inquit) etiã hoc na-
tura præscribit vt homo homini, quicunq; sit, ob eam ipsam causam tamen, quòd is homo sit, con
sultum velit, necesse est, secundum eandem naturam, omnium vtilitatem esse communem. Quod
si ita est, vna continemur omnes & eâdem lege naturę. Idque ipsum si ita est, certè violare alterum,
lege naturæ prohibemur: & qui tollunt aut dirimunt communem hanc generis humani societa-
i L. vt vim. De inst. & iur.
tem à Dijs constitutam, impij iudicandi sunt. Hæc Tullius. Sed & noster Florentinus [i], Cùm (in-
quit) inter nos cognationem quandam natura constituerit, consequens est, hominẽ homini insi-
diari nefas esse. Certè Alexander Seuerus, quod à Christianis audierat, sæpe dicere solebat: Quod
tibi fieri non vis, alteri ne feceris; Esseq; hanc Naturæ iustissimam vocem.

¶ *Suum cuiq. tribuere.*] Ergo id non solius est Iudicis, sed vniuscuiusque etiam priuati, volentis
vitam suam componere ad præscriptum Iuris, & rationis naturalis. Porrò autem hoc generale &
indefinitum Iuris humani præceptum quomodo temperatum sit & excultum vsu ciuili, docet e- 8
k L. bona fides. Depos.
leganter Tryphoninus [k] agens de restituendo deposito. Vult enim nos ita suum cuique tribuere,
vt non distrahamur ab vllius iustiore petitione: & si duobus aliquid tribuendum sit, ei potius tri-
buatur, cuius est æquior ratio.

¶ *Duæ sunt positiones.*] Hoc est, genera siue species. Græci etiam θέσεις dicunt. Hîc autem obser-
l L. 1. §. huius studij. De Inst. & iur.
uandum est, Iustinianum cum Vlpiano (ex cuius responso hic locus est descriptus [l]) duabus spe-
ciebus concludere tres illas, quas Fabius lib. 2. commemorat, species Iuris, nempe sacri, publici, &
priuati. Hic enim Publicum continere intelligitur etiam Sacrum.

¶ *Quod ad statum rei Romanæ.*] Vlpianus addit explicationẽ, publicum Ius cõsistere in sacris, sacer-
dotibus ac magistratibus. nam hæ Iuris partes principaliter agunt de publica vtilitate, etiamsi
istinc plurimum emolumenti ad priuatos singulos deriuetur. ¶ *Quod ad singulorum vtilitatem.*]
Principaliter scilicet & generaliter spectat aut pertinet. Addo autem, principaliter, ne cõfundatur
discrimen Iuris publici. Addo quoque, generaliter, vt discernamus aliud quoddam Ius priuatũ &
singulare,

ſingulare,quod Priuilegiũ dicitur:& pertinet quidem ad vtilitatem ſingulorum priuatorumque, ſed in ſpecie tantùm. Vt ſit veluti priuata quædam & ſingularis lex priuati iuris communis,quaſi ſpecies generis. ¶ *Dicendum eſt igitur.*] Proponit ſe dicturum tantum de Iure priuato,quod verſatur in vſu quotidiano, & ad ſingulos pertinet, omiſſa Iuris publici tractatione, quæ minus eſt neceſſaria,cùm alia ſit hodie apud Chriſtianos ſacrorum ratio,nihilque hac in parte conferre poſ-
9 ſit exemplum veteris paganiſmi.neq; enim Deus probat cultum,quem Ethnici comminiſcuntur ſuo arbitrio. Quinimo cùm damnet omnes ἐθελοθρησκείας,[nouas religionũ inuentiones,]non poteſt non abominari εἰδωλομανίας[idolorum inſanias] Gentium. Deinde.quæ ad magiſtratus attinent,licet ea politica rectè peti poſsint ab Ethnicis, cùm Euangelium,quod de remiſsione peccatorum & ſpirituali regno Dei concionatur, non confundat externam politiam aut Iuriſdictio-
10 nem ciuilium magiſtratuum: tamen non conueniunt omnibus aut temporibus aut locis.Alia enim longè eſt hodie ciuilium munerum ratio. ¶ *Collectum eſt enim.*] Hoc eſt, compoſitum: ne quis hic ſibi fingat diuiſionem,quam deinde cum Agricola rideat, quia & in ſequentes ſpecies Ius publicum diuidi poſsit. quanquam ſi meminerimus Iuſtinianum diſertè admonuiſſe,non niſi de priuato Iure ſe dicturum,non mirabimur,ei peculiariter accommodari illas tres ſpecies.

DE IVRE NATVRALI, GENTIVM ET Ciuili, Titulus II.

IVs naturale eſt,quod natura omnia animalia docuit. Nam ius iſtud non humani generis proprium eſt, ſed omnium animalium, quæ in cælo, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur. Hinc deſcendit maris atq; fœminæ coniunctio,quam nos matrimonium appellamus. Hinc liberorum procreatio,hinc educatio. Videmus etenim cętera quoque animalia iſtius iuris peritia cenſeri. §. Ius autem ciuile à iure gentium diſtinguitur, quòd omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim ſuo proprio,partim communi omnium hominum iure vtũtur. Nam quod quiſque populus ipſe ſibi ius conſtituit,id ipſius proprium ciuitatis eſt: vocaturque Ius Ciuile, quaſi ius proprium ipſius ciuitatis. Quod verò naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes populos peræquè cuſtoditur: vocaturque Ius Gentium, quaſi quo iure omnes gentes vtantur. Et populus itaque Romanus partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum iure vtitur. Quæ ſingula qualia ſint, ſuis locis proponemus. §. Sed Ius quidem ciuile ex vnaquaque ciuitate appellatur, veluti Athenienſium. nam ſi quis velit Solonis, vel Draconis leges appellare Ius ciuile Athenienſium,non errauerit. ſic enim & ius, quo Romanus populus vtitur, ius ciuile Romanorum appellamus: vel ius Quiritum, quo Quirites vtuntur. Romani enim à Romulo, Quirites à Quirino appellantur. Sed quoties non addimus nomen,cuius ſit ciuitatis, noſtrum ius ſignificamus: ſicuti cùm poëtam dicimus, nec addimus nomen, ſubauditur apud Græcos egregius Homerus: apud nos Virgilius. Ius autem gentium omni humano generi commune eſt. Nam vſu exigente, & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ iura quædam ſibi conſtituerunt. Bella etenim orta ſunt, & captiuitates ſequutæ, & ſeruitutes, quæ ſunt naturali iuri contrariæ. Iure enim naturali omnes homines ab initio liberi naſcebantur. Et ex hoc iure gentium omnes penè contractus introducti ſunt: vt emptio & venditio, locatio & conductio, ſocietas, depoſitum, mutuum, & alij innumerabiles. Conſtat autem ius noſtrum,quo vtimur,aut ſcripto,aut ſine ſcripto: vt apud Græcos, τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι.

Scriptum autem ius eſt, Lex, Plebiſcitum, Senatuſconſultum, Principum placita, Magiſtratuum edicta, reſponſa Prudentum. Lex eſt, quod populus Romanus Senatorio magiſtratu interrogante (veluti Conſule) conſtituebat. Plebiſcitum eſt,quod plebs plebeio magiſtratu interrogante (veluti Tribuno) conſtituebat. Plebs autem à populo eo differt, quo ſpecies à genere. nam appellatione populi, vniuerſi ciues ſignificantur, connumeratis etiam Patricijs & Senatoribus. Plebis autem appellatione, ſine Patricijs & Senatoribus cæteri ciues ſignificantur. Sed & plebiſcita lege Hortenſia lata, non minus valere, quàm leges cœperunt. Senatuſconſultum eſt, quod Senatus iubet, atq; conſtituit. Nam cùm auctus eſſet populus Romanus in eum modum, vt difficile eſſet in vnum eum conuocari legis ſanciendæ cauſa: æquum viſum eſt, Senatum vice populi conſuli. Sed & quod principi placuit, legis habet vigorem: quum lege Regia, quæ de eius imperio lata eſt, po-

pulus ei & in eum omne imperium suum & potestatem concedat. Quodcunq; ergo Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decreuit, vel edicto præcipit, legem esse constat. Hæc sunt, quæ constitutiones appellantur. Planè ex his quædam sunt personales, quæ nec ad exemplum trahuntur: quoniam non hoc princeps vult. nam quod alicui ob meritum indulsit, vel si quam pœnam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit, personam non transgreditur. Aliæ autem, cùm generales sint, omnes procul dubio tenent.

Prætorum quoque edicta non modicam obtinent Iuris authoritatem. Hoc etiam ius honorarium solemus appellare, quòd qui honores gerunt, id est, magistratus, authoritatem huic iuri dederunt. Proponebant & Aediles Curules edictum de quibusdam causis, quod & ipsum Iuris Honorarij portio est. Responsa Prudentum sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de Iure respondere. nam antiquitus constitutum erat, vt essent qui iura publicè interpretarentur: quibus à Cæsare ius respondendi datum est, qui Iurisconsulti appellabantur: quorum omnium sententiæ & opiniones eam authoritatem tenebant, vt iudici recedere à responsis eorum non liceret, vt est constitutum.

Sine scripto ius venit, quod vsus adprobauit. nam diuturni mores consensu vtentium comprobati, legem imitantur. Et non inelegantet in duas species ius ciuile distributum esse videtur. nam origo eius, ab institutis duarum ciuitatum, Athenarum scilicet, & Lacedæmoniorum, fluxisse videtur. In his enim ciuitatibus ita agi solitum erat, vt Lacedæmonij quidem magis ea, quæ pro legibus obseruabant, memoriæ mandarent: Athenienses verò ea, quę in legibus scripta comprehendissent, custodirent. Sed naturalia quidem iura, quæ apud omnes gentes peræquè obseruantur, diuina quadam prouidentia constituta, semper firma atque immutabilia permanent: ea verò, quæ ipsa sibi quæque ciuitas constituit, sæpe mutari solent, vel tacito consensu populi, vel alia posteà lege lata.

IN TIT. DE IVRE NATVRALI, gentium & ciuili annotationes.

1 στοργαὶ φυσικαὶ, & mens necessaria prospiciens, sunt duæ causæ duplicis iuris naturæ.
2 Ius ciuile explicat & determinat Ius naturale, & Theses ad Hypotheses accommodat.

DVo sunt humanæ naturæ insita, quibus impellimur ad aliquid agendum: nempe naturalis affectio se, suosq; tuendi: et mens siue ratio, quæ rerum humanarũ necessitates prospicit, curatq; in hac vita retineri ciuilem societatem. Illa communis est omnibus animantibus: hæc solis hominibus. Ex his autem duabus causis profectum est duplex Ius naturæ. Prius est illud generale & omnibus animantibus cõmune, circumferens naturalem quendam & iustum instinctum siue propensionem, veluti, vt iniuriam propulsent, vt generent, vt sobolem foueant. Alterum est Ius naturæ humanæ siue gentium, quo naturaliter omnes homines, rationis participes, vtuntur. Suntq; illæ communes de moribus notitiæ omnium animis diuinitus impressæ, de quibus plura diximus superiori titulo. Porro ex hoc Iure naturæ humanæ, siue gentium, tanquam ex semine, natum est ius ciuile, ipsius naturalis Iuris præcepta veluti exerẽs, & pro varijs rerum circumstantijs explicans, communesq; illas theses accommodans ad ipsas hypotheses. In summa, tria necessaria sunt ad conseruationem humanæ societatis atq; adeò rerum omnium conditarum. Primum est, vt omnia animalia se & suos tueantur, vt generent, vt educent. atq; hinc primum illud & generale ius naturale, quod complectitur illas, quas philosophi appellãt στοργὰς φυσικὰς. Deinde ne cœtus hominum, latronum veluti conuentus essent, ne esset vita Cyclopica, necesse fuit, omnium hominũ animis quasdam de moribus, de honesto, de æquo & bono, notitias insculpi. simul autem & quandam prudentiam inseri, qua consuleretur necessitatibus huius vitæ; vt si bellum esset, aliqua tamen humanitas retineretur; Si pax, iusta rerum commutandarum communicandarumq; ratio iniretur.

The marginal numbers 1 and 2 stand beside the lines "...necessitates prospicit" (1) and "...tria necessaria" (2).

§. Ius naturale est.

1 Vaga libidines non sunt Iuris naturalis.
2 Boni affectus degenerarunt in malos per lapsum primorum parentum.
3 In arborib. quoq; nonnullis quidã est cõiugij affectus.
4 Insecta propriè aues non sunt.
5 Generandi affectus primus omnium est.
6 Bestialis coniunctionis & matrimonij differentia.
7 Matres proprio lacte fœtus suos educare debent.
8 Senatuscõsulta & Rescripta in ius naturæ cõpellẽtia.
9 Romana puella suis vberibus patrem alens.

a L.1.§.pen. De iustit. & iur.

Totus hic locus descriptus est ex responso Vlpiani [a]. Initio autem admonendi sumus; Ius naturale

turale hic tractari, quod est ab hominibus Iure constituto receptum: continetq; id quod æquum,
iustum, bonumque est. nam nec aliter Ius esset. Ius itaque appellamus, affectus illos, instinctus, &
propensiones, siue, vt Philosophi appellant, ὁρμὰς φυσικάς, de quibus hic agitur. Sunt enim tales,
vt iustum & bonum contineant, ac propterea ab hominibus, rationis iudicio præditis, recipiãtur.
1 ne quis hic vagas & incestas libidines huius Iuris esse arbitretur. Neq; enim Iure constituto ab ho-
minibus receptæ sunt aut probatæ, ac ne quidem Iuris sunt. Ergo meminerimus hic non proponi
belluinos prorsus affectus, & qui nihil penitus habeant rationis, aut iuris: sed eos, qui quidem o-
mnibus animantibus inditi sunt ad conseruationem huius vniuersitatis: conueniunt tamen cum
ratione, erantq; futuri in natura hominis, etiam si non fuisset corrupta: quanquam nunc propter
vitium morbi originalis, fateamur eos contaminari, fierique vitiosos. Ita facilè est explicare argu-
mentum, de quo aduersus Iulianum prolixè disputat Augustinus, an generare sobolem, sit opus
prauæ concupiscentiæ. Nam respondere possumus, simpliciter non esse, quod attinet ad primam
2 eius conditionem. Imo verò diuinitus hoc fuisse inditum humanæ naturæ. Sed fieri per accidens
opus malæ concupiscentię, cùm vitio suę corruptionis ebullit in turpem quandam appetitionem
voluptatis. Sicq; iudicandum est de omnibus affectibus, qui ab ipsa prima creatione proficiscun-
tur, nec primum inoleuerunt per peccatum, etiamsi postea vi huiusce mali degenerarint in quan-
dam ἀταξίαν. Longius etiam traduxit Ius Naturæ C. Cotta, cùm diceret vitam & mortem esse iure
Naturæ, hoc est, omnibus omnino rebus natis commune & æquè proprium. ¶ *Natura omnia ani-
malia docuit.*] Nempe insita quadam propensione, & indita lege, quæ (vt ait Tullius pro Milone)
non scripta, sed nata est: quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex natura ipsa arripui-
mus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: nõ instituti, sed imbuti sumus, &c. Xe-
nophon lib. 2. παιδ. agens de animalibus, quę magisterio solius naturę docentis didicerunt se suos-
que tueri, & iniuriam propulsare, καὶ ταῦτα (inquit) εἰς οὐδενὸς διδασκάλου οὔποτε φοιτήσαντα, οὐδὲ παρ' ἄλλου
μαθόντα, ἢ παρὰ φύσεως [& hæc nullum vnquam præceptorem adeuntia, neq; ab alio quopiam
discentia nisi ex natura.] Et Plutarchus ex hac naturæ schola brutas animantes plurima hausisse
admiratione digna, docet in libello περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι [Quod bruta ratione vtãtur.] Rursus
in alio, πότερα τῶν ζῴων φρονιμώτερα, τὰ χερσαῖα, ἢ τὰ ἔνυδρα [Vtrũ animalia terrena, an marina sint pru-
dentiora.] Sed tamẽ fuerunt Epicurei, qui ad sese omnia referẽtes, & ipsis brutis indociliores, ne-
garunt naturalẽ esse affectũ erga partũ. Sed hæc insana hominũ monstra magis elleboro, quã con-
futatione opus habebãt, grauiterq; eos refutarunt Stoici. Et Cic. ad Attic. li. 7. Filiola tua (inquit)
te delectari lætor, & probari tibi φυσικὴν esse τὴν πρὸς τὰ τέκνα. intelligit aũt στοργήν. ¶ *Sed omniũ anima-
3 lium.*] Atq; adeò etiã quorundã inanimatorũ, si Plinio credimus, qui testatur in arboribus quoq;
inueniri quendã coniugij affectum & propensionẽ, manifesto sexus discrimine. adeò vt nisi mari-
ta arbor in fœminas circumstantes ramis incumbat, eæ prorsus steriles maneant. Sanè Aristoteles
in Politicis videtur tribuere καὶ τοῖς φυτοῖς, ὥσπερ τοῖς ζῴοις, φυσικὸν τὸ ἐφίεσθαι, οἷον αὐτὸ τοιοῦτον καταλιπεῖν ἕτε- a L. si intercedat. De
ρον. ¶ *Quæ in cælo.*] Vlpianus dixit. Auium, quæ sunt in aëre. Nec nouum est cælum accipi pro aëre [a], seruitut. §. feræ, inst.
etiam apud Hebræos. Portò Moses in sua Genesi primam volucrum natiuitatem non videtur tri- de rer. diuis.
buere aëri, sed mari, sicut & piscium. Plutarchus autem, qui duplicis tantùm generis animalia re-
fert, nempe τὰ χερσαῖα, καὶ τὰ ἔνυδρα. aues siue volucres annumerat terrenis animalibus, non marinis.
Sed illud fortassis est magis huius loci, vt obseruemus hic agi de animantibus, quæ non degene-
4 rant à cõmuni natura: ne moremur insecta, si quæ fortè non coëunt aut educant (nam nec ea pro-
priè aues sunt) vel alias efferas & immanes belluas. ¶ *Hinc descendit.*] Iustinianus in Nouella sua
Const. 89. ἡ φύσις (inquit) ἐξ ἀρχῆς τὰ περὶ τῆς τεκνογονίας ἐνομοθέτησε. Intelligit autem naturam omni-
5 bus animantibus initio indidisse quendam affectum generandi, vt salua sit, & in genere suo con-
seruetur rerum vniuersitas. Vnde & Lactantius lib. 6. Cùm (inquit) excogitasset Deus duorum se-
xuum rationem, attribuit ipsis, vt se inuicem appeterent, & coniunctione gauderent. Itaq; arden-
tissimam cupiditatem omnium animantium admiscuit corporibus, vt in hos affectus auidissimè
ruerent, eaque ratione propagari & multiplicari genera possent. Sic & Tullius lib. 2. de nat. Deor.
Quid loquar (inquit) quanta ratio in bestijs ad perpetuam conseruationem earum generis appa-
reat? Nam primum aliæ mares sunt, aliæ fœminæ, quod perpetuitatis causa machinata est natura.
Deinde partes corporis, & ad procreandum & ad concipiendum aptissimæ: & in mare, & in fœ-
mina commiscendorum corporum miræ libidines. Quum autem in locis semen insedit, rapit o-
mnem ferè cibum ad sese, eoq; septum fingit animal: quod cùm ex vtero elapsum excidit, in ijs a-
nimantibus quæ lacte aluntur, omnis ferè cibus matrum lactescere incipit: & ea, quæ paulò antè
nata sunt, sine magistro, duce natura mammas appetunt, earumq; vbertate saturantur. Atq; vt in-
telligamus nihil horum esse fortuitum, & hæc omnia esse opera prouidæ solertisque naturæ, quæ
multiplices fœtus procreant, vt sues, vt canes, his mammarum data est multitudo, quas easdẽ pau-
cas habent hæ bestiæ, quæ pauca gignunt. Quid dicam, quantus amor bestiarum sit in educandis
custodiendisque ijs, quæ procreauerunt, vsque ad eum finem dum possint seipsa defendere, &c.
Hactenus Tullius. Sed & Aristoteles agnouit quod Moses prodidit, Deum creasse marem & fœ-
minam ad conseruationem cuiusque generis. Sic enim scribit in Oeconomico: ἅμα δὲ καὶ ἡ φύσις ἀνα-
πληροῖ ταύτῃ τῇ περιόδῳ τὸ ἀεὶ εἶναι, ἐπεὶ κατ' ἀριθμὸν οὐ δύναται, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸ εἶδος. οὕτω προῳκονόμηται ὑπὸ
τοῦ θειοτέρου ἡ φύσις τοῦ τε ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικὸς πρὸς τὴν κοινωνίαν. Idem Aristoteles alio loco ait, In a-
nimalibus esse opus φυσικώτατον, generare simile. Sed hic occupatus scriptis philosophorum, ferè b L. liberorum. §. vlt.
prætermiseram dictum nostri Callistrati [b], Idcirco nos filios concipere atque edere, vt ex eorum De verb. sign.

prole diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus. Quod etiam eleganter ſcribit Dionyſius Halicarn. in methodo τῶν γαμηλίων. & addit (quod propriè huius loci eſſe videtur) ὅτι τοῦτο τῆς φύσεως ἔργον τὸ γεννᾶν καὶ κύειν, καὶ ὅτι διῆλθε διὰ πάντων τῶν ἔργων αὐτῆς καὶ ζώων καὶ φυτῶν [quòd ipſius naturæ ſit opus, gignere & cõcipere, communeq́; omnibus eius operibus, tum animãtibus, tum ſtirpibus,] vt autem intelligamus, aliud tamen eſſe brutorum cõiugium, aliud hominum matrimoniũ: diſcrimen ſubijcit: εἶτα τὴν διαφορὰν ἐπάξομεν τῆς ἐν τοῖς ἀνθρώποις μίξεως καὶ κοινωνίας, ὅτι τὰ μὲν ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχε μίγνυται, ὁ δὲ ἄνθρωπος τάξιν τινὰ καὶ νόμον ἐξεῦρε τοῦ γάμου, &c. [Sed hanc differẽtiam addemus commiſtionis & cõiunctionis hominum, quòd bruta quidem ſine omni reſpectu, & vt ſors fert, miſcentur, homines verò ordinem quendam & legem inuenerunt nuptiarum.]

¶ *Matrimonium appellamus.*] Nempe in hominibus. Nam & Iuſtinianus [a] poſtea definit matrimonium, eſſe viri & mulieris coniunctionem, quæ continet indiuiduam vitæ ſocietatem. In quo quidem, ſi ſolùm ſpectes naturalem illam coëundi propenſionem, rectè id dixeris eſſe Iuris huius
naturalis. Sed ſi conſideres certum illum & prudentem mutuumq́ue animorum conſenſum, qui 6
propriè matrimonium [b] facit, nihil habebit commune cum brutarum animantium coniunctione. ¶ *Hinc educatio.*] Hoc eſt, Naturalis quædam propenſio ad educandũ fœtum. Iuſtinianus [c] alio loco ait, naturalem ſtimulum hortari ad liberorum educationem. Multa autem de hoc affectu elegantiſsimè diſſerit Plutarchus in libello περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίας. & ſcitè ratiocinatur, ideo naturam collocaſſe mammas in ſuperiori parte fœminei corporis, & quaſi in medijs amplexibus, vt doceret infantem tenerè & molliter ſouendum eſſe. Apud Gellium lib. 12. cap. 1. Phauorinus co-
piosè diſſerit mulieres ſuo lacte debere ſuos fœtus educare. Saltem educationis curam nullo colo- 7
re poſſunt parentes abijcere. Quia tamen erant quidam ἄστοργοι, brutis ipſis inhumaniores, qui facilè contemnebant omnem naturalẽ educandi affectum, rectè iudicarunt veteres, non eſſe, quod
putabat Seneca, ſuperuacaneum, in Naturæ ius compelli. Itaque factum eſt Senatuſconſultum de 8
alendis liberis, quod Vlpianus diligenter explicat [d]. Et Seuerus Antoninusq́ue reſcripſerunt [e], patrem, qui vltro pietatem alendi non præſtat, eſſe cogendum à Iudice. Porrò autem vt liberorum
parentibus, ita liberis parentum educandorum curam inſeuit natura, docuitq́ue ἀντιπελαργεῖν. No 9
ta eſt Romana illa, plebeia quidem, ſed pietate nobiliſsima puella, quæ patrem carcere clauſum proprijs aluit vberibus, cùm prohiberetur ei deferre cibaria. Rectè itaque & grauiter Ariſtoteles lib. nono Ethic. δόξειε δ' ἂν τροφῆς μὲν γονεῦσι δεῖν μάλιστ' ἐπαρκεῖν ὡς ὀφείλοντας καὶ τοῖς αἰτίοις τοῦ εἶναι κάλλιον ἢ ἑαυτοῖς εἰς ταῦτ' ἐπαρκεῖν. [vt victus parentibus abundè ſuppetat curandum eſt, quòd hoc eis debeatur, & his tanquam autoribus vitæ ſuppeditare honeſtius ſit quàm ſibijpſis.]

¶ *Huius iuris peritia cenſeri.*] Budæus interpretatur, æſtimationi nobis eſſe hoc nomine animalia. Sed aptius Theophilus, qui hunc locum ita vertit, ὁρῶμεν γὰρ οὐ μόνον ἀνθρώπους, ἀλλὰ καὶ τὰ λοιπὰ ζῶα ἐν τοῖς τηροῦσι τοῦτον τὸν νόμον ἀναγεγραμμένα. [videmus enim non homines modò, ſed cætera quoq; animalia ijs qui legem hanc obſeruant aſcribi.] Quaſi hic dictum ſit, non homines modò, ſed cætera quoque animalia aſcribi & referri, ſiue recenſeri inter ea, quæ hanc legem obſeruant, eiusq́ue motu impelluntur. Nam apud Latinos per tranſlationem cenſeri dicũtur, quæ in aliquem ordinem & numerum rediguntur, & in eundem quaſi cenſum aſcribuntur. Reuera autem (vt ait Tullius) communis eſt omnium animantium coniunctionis appetitus, & cura quædam eorum, quæ procreata ſunt. Sanè optimo iure bruta animalia referri atq; recenſeri inter eas creaturas, quæ colunt naturalem coniunctionem, & ſobolis educationem, grauiter probat Plutarchus in libello περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίας. Et teſtatur pleraſq; brutas animantes longè moderatius vti venerea coniunctione, & maiori pietate fouere ſuam ſobolem, quàm permultos homines. Allegat exemplũ Halcyonum, Perdicum, Gallinarum, Vrſarum, & ſimilium, in quibus plena relucet imago naturalis pietatis. Et addit, ἄκρατον ἐν ἐκείνοις ἡ φύσις καὶ ἀμιγὲς καὶ ἁπλοῦν φυλάττει τὸ ἴδιον [Puram in illis natura, & in promiſcuam atque ſimplicem ſuam ſeruat proprietatem ſeu legem.] Rurſus in libello πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα, non minora in piſcibus generationis & educationis miracula commemorat adfertq́ue exempla Anthiarum, Galeorum, Teſtudinum, Crocodilorum.

§. *Ius autem Ciuile à Iure Gentium diſtin.*

1 *Lex aut propria aut communis, ſecundum Ariſtot.*
2 *Ius non ſcriptum aliud moribus conſtat, aliud ex circumſtantijs pendet, quod æquũ et bonum dicitur.*
3 *Barbari quidam non ſunt homines.*
4 *Lex propriè eſt ſcriptum ius.*
5 *Ius ciuile quid.*
6 *Diſsimilitudo ciuitatum diſsimilitudinẽ iuris affert.*
7 *Nimis licenter effuſa temporibus noſtris αὐτονομία.*
8 *Ius gentium, hominum, naturæ, humanum, idem eſt.*
9 *Draconis leges, & interitus, & ſtatus Reipub. Athenienſis.*
10 *Romulus cur Quirinus vocatus.*

¶ *A iure gentium diſtinguitur.*] Hæc diſtinctio ſiue diuiſio ex differentijs ſumpta eſt, & vtriuſq; Iuris naturam ſiue ſubſtantiam ſatis explicat. Ideo non addit Iuſtinianus finitionem. Sed prius fortaſſis & diuidere & definire debebat ipſum Ius gentium, quòd humani generis proprium ſit: & hoc nomine differat à ſuperiori iure naturali, quod latius patet, ipſiſque etiam brutis eſt commune. Porrò Ariſtoteles in Rhetoricis eandem proponit diuiſionem, eamq́ue etiam explicat, nempe
Legem aut propriam eſſe, aut communem. Communem vocat Ius illud omnium hominum 1
conſenſu

a §. 1. inſ. de pat. pot.
b L. nuptias. De reg. iur.
c L. vna. §. taceat. C. de rei vxor. act.
d L. ſi quis à liberis. De lib. agnoſc.
e L. vl. C. de alen. lib.

consensu pasim receptum, etiam si scriptum non sit. Legem propriam, siue ἴδιον, vocat, quæ sin-
gulis ciuitatibus nationibúsve definita est. Hancque rursus diuidit in Legem scriptam, & consue-
2 tudinem institutáve non scripta. Sed & ius non scriptum diuidit, quod aliud moribus constet.
aliud sit illud, quod à Legislatore comprehendi non potuit, sed ex circumstantiis pendet, quod
æquum & bonum dicimus: Ipse appellat τὸ ἐπιεικές. [Iuris æquitatem atque rigoris remißionem,]
& hoc etiam vocat ἔλλειμμα νόμου γεγραμμένου. [reliquum legis scriptæ.] quod scilicet à Legislatore
prætermissum sit, & relictum. ¶ *Quod omnes populi.*] Hic locus descriptus est ex Institutionibus
Caij, & extat etiam in Pandectis [a]. ¶ *Qui legibus & moribus reguntur.*] Hæc verba indicant hîc non *a L. omnes populi. De*
agi de barbaris & efferis Cyclopibus, sed de ijs propriè hominibus, qui & rationem & humanita- *Iust. & Iur.*
tem aliquam retinent: ne miremur, immanes quosdam & barbatos populos nihil habuisse com-
3 mune cum hoc Iure gentiũ: nam nec propriè ij homines fuerunt. Porrò autem Theophilus hunc
locum legit per distinctionem, LEGIBVS AVT MORIBVS: vt sit sensus, Omnes populos, qui non
solùm naturæ ductum in ratione viuendi sequuntur, sed etiam scriptas quasdam maiorum con-
stitutiones, vel sanè mores vtentium consensu receptos, vti partim communibus Iuris gentium
præceptis, partim proprijs suis & peculiaribus institutis. Atque hîc quidem obiter obseruemus,
4 Legem propriè dici de Iure scripto, & opponi moribus: vt & apud Tullium lib. primo de legibus.
Quoniam (inquit) in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui
necesse erit, & appellare eam legem, quæ scripto sancit quod vult, aut iubendo aut vetando.
¶ NAM *quod quisque.*] Hic Iustinianus subindicat Iuris ciuilis finitionem, quam explicatius tradit
5 Theophilus, addita etiam eius constituendi causa. Nec absimilis est Ciceronis finitio, Ius ciuile
esse æquitatem constitutam ijs, qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas. Vlpianus autem
ius ciuile esse ait, quod neque in totum à Naturali iure vel Gentium recedit, neque per omnia ei
seruit: sed vel aliquid addit vel detrahit, sic vt proprium quoddam Ius fiat, nempe Romanorum
ciuium. Non addam exempla huius generis. sunt enim infinita & paßim obuia. ¶ *Quisq; popu-
lus*] Cùm variæ sint rerum circumstantiæ, variaq; regionum ingenia, nec omnibus omnia conue-
niant, cuique populo data est quædam αὐτονομία, & libertas earum sibi legum constituendarum,
6 quibus suis necessitatibus succurrerent. Dissimilitudo ciuitatum variationem Iuris habeat neces-
se est, inquit Tullius pro Balbo. Et huius rei apta & elegantia exempla proponit hic Theophilus,
veluti σιτεμπόρων ἀτελείας, [vt negotiatores omnes frumentarij immunitatem vectigalium habe-
rent.] apud Athenienses ξενηλασίας. [qua peregrinos expellebant; ne immistis peregrinis mores
ciuium indeterius mutarentur.] apud Lacedæmonios. Plura possem ex nostris moribus comme-
7 morare: sed hic sentio nimis licéter effusam fuisse αὐτονομίαν. Vix enim vllus est hodie pagus qui nõ
habeat peculiares nescio quas suas leges, à reliquis diuersas, prout paucorum vtentium cæca te-
meritas voluit: neq; enim alia ratione plerunq; nituntur. Quæ res parit magnam iuris confusio-
nem in iudicijs nostris.

¶ *Id ipsius ciuitatis proprium est.*] Fatetur & ipse Hermogenianus [b], quasdam esse proprias cu- *b L. 1. §. 1 De mu. &*
iusque ciuitatis leges. Et alibi in Iure nostro fit mentio legum municipalium [c]. Cicero libro ter- *hon. c L. item eorum.*
tio Offic. appellat leges populorum. Neque verò (inquit) hoc solùm natura, id est, iure gentium, *D. quod cuiusc. vniu.*
sed etiam legibus populorum, quibus in singulis ciuitatibus Respub. continentur, eodem modo *nomi. L. 1. C. de emãc.*
constitutum est, vt non liceat sui commodi causa nocere alteri. Theophilus hoc ius ciuile appellat *liber.*
χωρῶδες, vt pote receptum vsu & quadam necessitate: appellat & τοπικόν, quòd sit vni alicui loco pe-
culiare & proprium. Conuenit autem nos obtemperare legibus regionis, in qua viuimus. Nam &
prouerbio admonemur, seruiendũ esse νόμῳ καὶ χώρᾳ. [legi & regioni.] Et extat apud Plutarchum
in Themistocle grauis quædam in hanc rem sententia Artabani: νόμοι διαφέρουσιν ἀνθρώπων, ἄλλα δὲ
8 ἄλλοις καλά, καλὸν δὲ πᾶσι τὰ οἰκεῖα κοσμεῖν καὶ σώζειν. [leges differunt ab hominibus, alia enim alijs pulcra;
pulcrum verò omnibus domestica ornare & tueri.] ¶ *Vocaturq; Ius Gentium.*] Eadem ratione ap-
pellatur & Ius humanum à Liuio, & Ius hominum à Cornelio Tacito libro 19. & Ius naturæ, nem-
pe humanæ, à Tullio. ¶ *Nam si quis Solonis vel Draconis.*] Athenienses vixerunt sub regibus vsque
ad Codrum: deinde habuerunt ex eius posteris ἄρχοντας, qui erant Principes decennali potestate
præditi. Hicque Principatus mansit annos ducentos & viginti, nempe vsque ad Erixiam, post
quem vniuersum ius ciuitatis ad populum transijt. Cumque graues exortæ essent dissensiones,
delectus est Solon, qui turbatos Reipub. mores constitueret. Is Areopagum instituit, multasque
præclaras & salutares leges sanxit abrogatis constitutionibus Draconis, quæ atrociores erant, &
9 magis sanguine quàm atramento scriptæ dicebantur. Fuerat tamen is Draco aliquando Athe-
niensibus admodum gratus: adeò vt nimia populi fauentis gratia fuerit ei exitialis. Cùm enim in
theatro staret, & populus ob latas leges, cum faustis acclamationibus, tunicas & vestimenta pro-
miscuè illi inijceret, sub pondere misilium suffocatus interijt. Apud Lucianum Draco & Solon
dicuntur οἱ ἄριστοι τῶν νομοθετῶν. [optimi legislatorum.] ¶ *Romani à Romulo.*] Romam ab eius autore
& conditore Romulo nomen accepisse receptum est, eamque ait Plutarchus sententiam esse vul-
gatiorem & probabiliorem. Et Iustinianus in Nou. Constit. 47. Romanorum originem tribuit
Romulo. Athenæus quoque lib. 1. Romulum appellat τὸν τῆς πόλεως ἐπώνυμον. [vrbi cognominem.]

¶ *Quirites à Quirino.*] Fabulantur Romani suum Romulum iam inter deos relatum, in som-
nijs apparuisse Iulio Proculo, iußisseque deinceps se Quirinum appellari. Quod esse nomen viri
fortis & præstantis ex eo coniiciunt, quòd veteres Quirim appellarent lanceam. Alij autem Qui-
rites dictos putant à Curibus vrbe Sabinorum. Sed facessant hæ minutiæ.

¶ *Nostrum Ius significamus.*] Per quandam videlicet antonomasiam καὶ κατ' ἐξοχὴν. [& secundum excellentiam.] Sic cùm vrbem dicimus, Roma intelligitur: cùm magistratum, Prætor. Cicero nomine consilij Atheniensium, ait satis intelligi Areopagum. ¶ *Sicuti cum Poëtam dicimus.*] Frequens est hæc similitudo. Nam & Strabo scribit Ponti nomine intelligi mare illud, quod à Mæotide palude vsque ad Tenedum protenditur; quemadmodum propter excellentiam Poëtæ nomine intelligitur Homerus. Et Cicero in Topicis, Vt (inquit) Homerus, propter excellentiam, commune poëtarum nomen efficit apud Græcos suum; sic cùm omnis sententia Enthymema dicitur, quia videtur ea, quæ ex contrarijs conficitur, acutissima, sola propriè commune nomen possidet. Seneca lib. 8. epist. Poëta (inquit) cōmuniter dicitur (omnibus enim versus facientibus hoc nomen est) sed iam apud Græcos in vnius notam cessit: Homerū intelligas, cum audieris poëtam. Sanè Claudianus [a] intelligens Homerum, dixit præcipuum poëtarum. Caius [b] verò summum dixit apud Græcos poëtarum Homerum. A Platone Homerus appellatur ἄριστος καὶ θειότατος τῶν ποιητῶν. [optimus & diuinissimus poëtarum.] Aristoteles libro 1. Rhetor. Homerum intelligens, simpliciter ait, ὁ ποιητής φησιν. [poëta inquit.]

a L. aut facta. §. euentus. De pæn.
b L. qui venenum. De verb. signif.

§. *Ius autem Gentium, &c.*

1 *Belli finis pax.*
2 *Seruitutis gradus tres.*
3 *Belluina seruitus naturæ contraria.*
4 *Permutatio quoque dici potest emtio & venditio.*
5 *A Iure ciuili introducti contractus qui?*
6 *Ius ciuile constat scripto & moribus.*
7 *Lex significat ius scriptū, & omnes eius species complectitur.*
8 *Res iudicata & æquitas ad Mores seu Consuetudinem referenda.*
9 *Prætorium Ius à iure ciuili separatum.*
10 *Xenophon νόμους naturales vocat legē non scriptā.*
11 *Romulus primùm leges tulit Curiatas.*
12 *Rogationum olim mos.*
13 *Senatus olim Romani potestas.*
14 *Plebiscitum vnde.*
15 *Sylla tribunitiæ potestatis aduersarius.*
16 *Patricij qui olim Romæ, & qui postea apud Græcos.*
17 *Equites olim plebe continebantur.*
18 *Latius patet Populi quam Plebis nomen.*
19 *Plebiscita nonnunquam nominantur Leges.*
20 *Senatusconsulta quomodo fieri solita.*
21 *Senatus autoritas sub Cæsaribus quæ?*

Hîc Iustinianus describit non tam causam primam Iuris gentium, quàm vsum quendam accommodatum ad præsentes circumstantias, & seruientem necessitatibus humani conuictus, ciuilisque societatis. hoc est, nō tam significat Ius illud hominum siue naturæ, quod semper æquum & bonum est, quàm Ius consuetudinis omnium Gentium. Est autem totus hic locus desumptus ex responso Hermogeniani [c]. ¶ *Bella orta sunt.*] Quæ fuerunt necessaria, vt in pace viueretur sine
iniuria, & coërcerentur, qui publicam turbant tranquillitatem. ¶ *Captiuitates secuta & seruitutes.*] 1
Hæc incommoda magis profecta videntur ex ingenio victorum, quàm vllo iure aut necessitate.
Fuit quidem bellum necessarium ad coërcendos malos, & propulsandas iniurias: seruitus autem
captiuorum est ex clementia victoris, qui maluit seruare, quàm sæuire. Hîcque obseruemus, qui-
bus gradibus seruitutis conditio durior facta sit. Primùm quidem seruire, nihil erat aliud quàm 2
seruatorem agnoscere. Receptum est deinde, vt seruorum operis & ministerio vteremur. Tandem
(vt modum nullum habet effrenis libido dominandi) etiam ius vitæ & necis in eos vsurpauimus:
nec meliori loco habuimus, quàm brutas animantes. Cuiusmodi belluina seruitus indigna est 3
homine, & verè contra naturam, primamq; nostram conditionem: quemadmodum etiam apud
Athenæū libro 6 eleganter significatur, expressa hac seruitutis causa τύχη ταῦτα μεταφέρει τὰ σώματα.
[Fortuna transfert huc & illuc corpora.] ¶ *Omnes contractus.*] Qui idonei visi sunt & necessarij ad
commodam rerum & officiorum in ciuili societate communicationē: cuiusmodi sunt omnes qui
hîc subijciuntur. Vlpianus quoq; agens [d] de Iuris gentium conuentionibus, quæ pariunt actionē,
cùm transeunt in proprium nomen contractus, enumerat venditionem, emptionē, locationem,
conductionem, societatem, depositum. Alij autem sunt innominati Iuris gentium contractus,
qui actionem non pariunt nisi causa subsit. Sed huius rei tractatio grauior est ac difficilior quàm
vt in hunc locum sit infulcienda. Illud verò hîc obiter admonendi sumus, nomine emptionis &
venditionis posse nos rectè intelligere permutationem, quæ apud omnes æquè gentes semper in 4
vsu fuit, & multis seculis prior. ¶ *Pene.*] Apud Hermogenianum est, EXCEPTIS QVIBVSDAM.
Et eius quidem exceptio videtur propriè pertinere ad stipulationem, à Iure ciuili primùm intro-
ductam; item ad tutelæ actionem. Nos possumus addere Donationem propter nuptias, quæ non 5
modò non est antiquo Gentium iure prodita, sed etiam Romanis Iurisconsultis diu fuit incognita, primumque est à iunioribus diuis Principibus introducta, quemadmodum & postea Iustinianus [e] ait, & in Nouella Constitution. centesima decimanona, sancit hunc specialem esse contractum. Sed & cū olim dubitaretur de Emphyteutico contractu, primus Zeno Imp. dicitur constituisse propriam eius naturam. ¶ *Constat autem.*] Dionysius Halicarnasseus libro vndecimo scribit Romulum multas vtiles leges tulisse, non modò scriptas, sed plures etiam non scriptas. νόμους καλοὺς (inquit) καὶ συμφέροντας, ἀγράφους μὲν τοὺς πλείους, ἔστι δ' οὓς καὶ ἐν γράμμασι κειμένους καταστησάμενος, &c. Idem Dionysius testatur, Numam, qui Romulo successit, suas leges partim scripto complexū esse, partim

c L. ex hoc iure. De Iust. & Iure.
d L. Iuris gentium. De pact.
e §. est & aliud genus. inst. de donat.

partim diuturnis moribus conformasse. τὰ μὲν (inquit) ἐγγράφοις ἀσφαλισθέντα νόμοις, τὰ δ' ἔξω γραφῆς εἰς
6 ἐπιτηδεύσεις ἀχθέντα καὶ συναχθέντας χρόνους. Ex his manifestè constat, quod hic Iustinianus ait, con-
stare Ius ciuile scripto & moribus. Hæc autem eius diuisio sumpta est ex Vlpiano [a]: & superius obi- a L. Ius ciuile. §. 1. De
7 ter indicata, cùm fieret mentio legum & morum. Quo loco etiam admonui, legem significare Ius Iusti. & Iur.
scriptũ: hic verò addo, eam complecti omnes Iuris scripti species, quæ hoc loco recensentur: quem-
admodum & Cic. lib. 1. de legibus generaliter ait, Legem esse, quæ scripto sancit quod vult, aut iu-
bendo aut vetando. Idem in Topicis proponit eandem partitionem, quam hîc Iustinianus. Inquit
enim: Ius ciuile est, quod in Legibus, Senatusconsultis, Rebus Iudicatis, Iurisperitorum autoritate,
Edictis Magistratuum, More, Æquitate consistit. Atque sunt hæ quidem omnes iuris tam scripti,
8 quàm non scripti species. Res enim Iudicatas & æquitatem moribus ascribimus. Nam & idem in
libris de Inuentione, Consuetudinis Iuri subijcit iudicatum: quod videlicet summotum magistra-
tuum & iudicum sententijs constitutum est, ad exemplum reliquorum iudiciorum. Æquitas au-
tem est Ius ex æquo & bono, quod scribi, aut certò semel definiri non potest, sed variè sumitur pro
varijs rerum circumstantijs. Illud prætereundum non est, Papinianum [b] vniuerso Iuri ciuili non b L. Ius autem ciuile.
nisi quinque partes subijcere, Legem, Plebiscita, Senatusconsulta, Decreta Principum, Autorita- De Iustit. & Iur.
tem Prudentum: separare autem Ius Prætorium, vt Ius non scriptum, à Iure ciuili.

9 ¶ *Vt apud Græcos, τῶν νόμων, &c.*] Budæus legit, Ius τὸ μὲν ἄγραφον, τὸ δὲ νόμιμον. Sed eódem recidit.
Sanè Aristoteles in Ethicis ait quoque τὸ δίκαιον εἶναι διττόν, τὸ μὲν ἄγραφον, τὸ δὲ κατὰ νόμον. [Iustum esse
duplex, aliud quidem non scriptum, aliud verò secundum legem.] Demosthenes aduersus Ari-
stocratem, Ius etiam Atheniensium partitur εἰς γεγραμμένους νόμους, καὶ ἄγραφα νόμιμα. Et Pericles a-
pud Thucydidem libro 2. loquens de legibus Atheniensium ait, alias quidem leges κεῖσθαι, [ferri]
alias verò ἀγράφους εἶναι. [non scriptas esse.] Plato autem ius vniuersum trifariam partiri videtur,
εἰς νόμους, ἔθη, καὶ ἐπιτηδεύματα [in leges, mores, & studia.] Polybius verò εἰς νόμους καὶ ἔθη, sicuti Latini
10 in leges & mores. Porrò Xenophon libro 4. ἀπομνη. appellat ἀγράφους νόμους, leges illas & notitias
naturales, quæ sunt à Deo impressæ animis hominum. Apud Sophoclem Antigone celebrat ἄγρα-
πτα κἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα. [non scripta solidaque edicta deorum.] Apud Basilium in libris de
Spiritu sancto, commemorantur instituta quædam & dogmata Ecclesiæ Christianæ ἄγραφα. Sed
ea non sunt huius loci.

¶ *Lex est quod Pop. Rom.*] Hic legem accipimus speciali & singulari appellatione, vt non nisi v-
nam aliquam Iuris scripti speciem significet, nempe, quam Pop. Rom. sanxerit. Primus apud Ro-
11 manos Romulus tulit leges quasdam Curiatas, hoc est, receptas & approbatas suffragijs populi
per lictorem curiatim accersiti. Ideoque & eas Cicero appellare videtur leges populares. Tulerunt
etiam sequentes Reges: sed ferè contemptis populi suffragijs. Quòd si aliam legis generalẽ descri-
ptionem siue definitionem desideramus, Papinianus ex Demosthenis oratione contra Aristogi-
tonem, edidit: quæ in Pandectis extat. Sanè apud Iurisconsultos nostros & Ciceronem simplici
Legis appellatione significari solet Lex XII. Tabularum. ¶ *Interrogante.*] De veteri Rogationum
12 legumq; ferendarũ more, deq; suffragiorũ ratione apud Rom. multa passim scripta extant. Illud
autem singulare est, quod accepimus, moris olim fuisse, vt cùm Populus in campũ Martiũ conue-
nisset, rogationẽ aliquam aut accepturus aut antiquaturus, tabulæ singulis binæ darentur: altera
cũ litera A: quæ nota esset antiquatæ siue sublatæ rogationis: altera verò sic inscripta, VTI ROGAS:
qua quis significabat, se assentiri roganti, & rogationẽ accipere, & velle vti rogassetis, qui rogatio-
nẽ ferebat. ¶ *Veluti Consule.*] Cõsulatus fuit Senatorius magistratus, donec tandẽ post longa certa-
mina, impellente Fabio Ambusto, Licinius & Sextius euicerunt, vt ex plebe quoque possent crea-
13 ri Consules. Porrò hic meminisse debemus olim Senatum Romanum habuisse omnium rerum
potestatem, præterquam Magistratuum creandorum, Belli inferendi, Legum sanciendarum. Hæ
enim pertinebant ad potestatem totius populi. Sed magistratus Senatorij poterant ad populum
leges ferre, eumque rogare, veluti Consules, Dictatores, Prætores, Ædiles, Censores. De Consuli-
bus, quorum hic Iustinianus meminit, ita Polybius scribit, αὐτοὶ δὲ ὅσον χειρισμὸν τῶν δογμάτων ἐπιτελοῦσι,
καὶ μὲν ὅσα δεῖ διὰ τοῦ δήμου συντελεῖσθαι τῶν πρὸς τὰς κοινὰς πράξεις ἀνηκόντων, τούτοις καθήκει φροντίζειν καὶ συνά-
γειν ἀεὶ τὰς ἐκκλησίας, τούτοις εἰσφέρειν τὰ δόγματα, τούτοις βραβεύειν τὰ δοκοῦντα τοῖς πλείοσι.

¶ *Plebiscitum.*] hoc est, Plebis statutum. Sciscere enim statuere est. Vnde videtur scribendum
14 Plebiscitum. Cicero contra Rullum, & lib. 3. de legibus, vocat legem Tribunitiam, propter roga-
tionem Tribunorum. Athenienses appellabant ψήφισμα. Et quia debebat præcedere decretum Se-
natus, lege lata cauebant ἀπροβούλευτον ψήφισμα μὴ εἶναι ἐν τῷ δήμῳ. Apud Ciceronem in libro de
opt. gen. orat. legimus & Populiscitum. ¶ *Veluti tribuno.*] Cùm plebs à Patribus secessisset propter
crudelitatem creditorum, creauit sibi Tribunos, qui fuerunt Plebeij magistratus, quanquam ali-
15 quando finito Decemuirali Imperio in collegium Tribunorum cooptati fuere Sp. Tarpeius, &
Aulus Æternius, patricij & consulares viri. Et postremis temporibus Sylla, Tribunitiæ potestatis
perpetuus aduersarius, conatus est Tribunatum promiscuum reddere, eique adimere omnem le-
gis ferendæ, rogandæque plebis potestatem. ¶ *Quo species à genere.*] Nam vt amplior est generis,
quàm speciei significatio: ita latius patet populi, quàm plebis nomen. Interim tamen nemo putet
Plebem esse populi speciem, nam potius pars est. Sic dixit Vlpianus [c], inter donum & munus hoc c L. inter donum. De
interesse, quod inter genus & speciem. verb. signif.
16 ¶ *Connumeratis etiam Patricijs.*] Patricij apud Romanos erant nobiliores, à primis illis patri-
bus & senatoribus, quos instituerat Romulus, oriundi: non dissimiles ijs, qui apud Athenienses
dicebantur

dicebantur ἐυπατρίδαι. Alij autem erant apud Græcos Patritij, tempore Iustiniani, de quibus nos
alio postea loco agemus. ¶ *Et Senatoribus.*] Capito apud Gellium tractans hunc locum, Patririo-
a L. plebs est. De verb signif. tum nomine complectitur Senatores. Sicut è diuerso Caius [a] appellarione Senatorum, Patritios,
cum ait, Plebem esse cæteros ciues, sine Senatoribus. Porrò quod attinet ad Equites, illi olim ple-
be continebantur, postea ordinem quendam proprium acceperunt, & tertium veluti corpus in 17
Rep. fuerunt, agente hoc in primis in suo Coosulatu Cicerone, vt scribit Plinius libro 33. ¶ *Plebs*
autem.] Sic etiam Capito apud Gellium libro 10. cap. 20. diuidit populum à plebe, in qua gentes
b L. 2. §. deinde. De orig. Iur. patritiæ non inerant. Et noster Pomponius [b] satis indicat, plebis appellationem non tam latè pa- 18
tere quàm populi, cùm ait, difficile fuisse plebem conuenire, populum autem multo difficilius.

¶ *Sed & plebiscita.*] Liuius libro 3. deca. 1. loquens de L. Valerio & M. Horatio COSS. inquit,
Omnium primum, cùm veluti in controuerso iure esset, tenerenturne Patres plebisciris, legem
centuriaris comitijs tulere, vt quod tributim plebes iussisset, populum teneret. Sed alij hoc referũt
c dict. §. deinde. ad Q. Hortensium dictatorem, vt Iustinianus & Pomponius [c]. Et apertissimè Lælius ad Q. Mu-
tium, cuius hæc fuisse verba refert Gellius libro 15. cap. 27. Tribuni neque aduocant patritios, neq;
ad eos referre de vlla re possunt. Ita ne leges quidem propriè, sed plebiscita appellantur, quæ Tri-
bunis pl. ferentibus accepta sunt. Quibus rogationibus antè patritij non tenebantur, donec Q.
Hortensius dictator eam legem tulit, vt eo Iure, quod plebs statuisset, omnes Quirites teneneotur.
Vt vt sit, satis constat, quod hic dicitur, plebiscita tandem non minus valuisse quàm leges: quodq;
ait Pomponius, inter plebiscitum & legem, speciem tantùm constituendi interesse, potestatem
esse eandem. Quo fit vt mirari non debeamus, si quandoque legis nomine donetur plebiscitum, 19
vt lex Aquilia, lex Falcidia, lex Atilia.

¶ *Senatusconsultum.*] Vt fuit apud Lacedæmonios γερουσία, ita apud Romanos Senatus à Ro-
mulo institutus. Cui quidem primùm non fuisse Ius legis sanciendæ iam diximus: sed vt id postea
tribueretur, effecit difficultas conuocandi populi, qui numerosior erat. Porrò fieri debebat Sena- 20
tusconsultum in templo, siue loco per Augures consecrato, & post solem exortum. Nec poterant
duo Senatusconsulra fieri eodem die. Necesse autem erat conuenire Senatores centum, præsertim
in rebus grauioribus: simul & Tribunos sui suffragij notam subscribere, literam T. quòd si interce-
debant, ratum non erat Senatusconsultum. ¶ *Senatus iubet.*] Hoc est, Vniuersus ille Senatorum
d L. non ambigitur. De legib. ordo, quem Ius facere posse non putauit ambigendum Vlpianus [d]. Et quanquam sub Cæsaribus 21
admodum fuerit imminuta autoritas Senatus, retinuit tamen semper quasdam pristinæ illius suę
summæ potestatis reliquias, vt adhuc vim legis haberet Senatusconsultum, etiam non confirma-
e L. vnica. C. de Senatuscons. tum à Principe [e]: & vt ab eo non appellaretur, non magis quàm à Principe [f]. Fuit autem Senatus
cum reliquis Romani Imperij insignibus etiam Byzantium translatus à Constantino. Vnde No-
f L. 1. §. sciendum. D. à quib. app. non lic. uella Iustiniaoi Constit. 81. scribitur, τῇ ἱερᾷ συγκλήτῳ τῆς βασιλίδος πόλεως. [sacro Senatui huius re-
giæ ciuitatis.] In qua Senatores Constantinopolitani appellantur σεβασμιώτατοι πατέρες. [coleo-
dissimi patres.]

§. *Sed & quod Principi placuit, &c.*

1 *Princeps sapiens est νόμος ἔμψυχος.*
2 *Menses duo tribuuntur cognitioni Constitutionum Principum.*
3 *Cur omne ius populi translatum in Principem.*
4 *Aduersus decreta Principum quæ remedia.*
5 *A rescripto Principis cur appellari possit.*
6 *Mithridates cur linguas 22. didicerit.*
7 *Philippus Macedo ipse causarum præses.*
8 *Alexander M. altera aure obturata causas audijt.*
9 *Sententia in absentem à Principe lata, non statim lex est.*
10 *Principum interlocutiones inter eorundem Constitutiones relata.*
11 *Orationes Principum quæ? & eadem quoq; Senatusconsulta.*
12 *Personales Constitutiones dicuntur Priuilegia, & Ius singulare.*
13 *Nulla lex commoda omnibus.*
14 *Persarum lex de non mutando Regis edicto.*
15 *Cessantibus causis priuilegiorum, cessent & ipsa priuilegia.*
16 *Personalia beneficia non dantur heredibus, nisi ex mixta causa.*
17 *Parendum eius loci consuetudini, in quo contraximus.*

g L. 1. De const. princ. Totus hic locus descriptus est ex primo libro Institutionum Vlpiani [g]. Inirio autem in-
telligemus hic Principem, sapientem, qui sic animum instituat suum, nihil vt velit nisi quod ho-
nestum, & è Rep. futurum est: cui nihil libeat, nisi quod liceat: qui sequatur Antiochum illum ter-
tium: quem ferunt datis ad singulas ciuitates suas literis iussisse, ne sibi parerent, si quid fortè præ-
ter ius & fas ediceret. Denique qui lubenter imitetur Alexandri Seueri exemplum: quem accepi-
mus nihil decreuisse sine Iurisconsultis viginri, & pluribus alijs disertissimis viris. Eiusmodi (in-
quam) vero & sapienti Principi quod placet, æqoum est vim legis habere: Estque reuera ipse (vt ait
quodam loco Iustioianus) νόμος ἔμψυχος, [lex animata,] & in hos vsus Principem à Deo datum 1
Reip. testatur idem Iustin. in Nou. Constit. 73. Apud Isocratem rex Nicocles populũ suum alloquens
τοὺς (inquit) λόγους ἐμοὺς, νόμους εἶναι νομίζετε. [sermones meos leges esse existimate.] Scilicet probè
memioerat eorum, quę aliquando ab ipso Isocrate acceperat, præceptorum, inter quæ vnum illud
insigne

insigne extat, Interesse Reip. ratas manere Principis senteotias non minus quàm leges rectè latas.
Verba Isocratis sunt hęc: καὶ ἀρίστη καὶ συμφέρει τὴν τῶν βασιλέων γνώμην ἀμετακινήτως ἔχειν περὶ τῶν δικαίων
ὥσπερ τοὺς νόμους τοὺς καλῶς κειμένους. Sed ne longius abeam, quomodo accipiendum sit, quod veteres
dixerunt, principis placitum, Legem esse, optimè ostendit Mecœnas, qui apud Dionem libro 52.
Augustum mooet, oe quid statuat sine prudentum virorum consilio: & tum demum lex sit, quod
& illi & his placuerit ἵνα (inquit) καὶ νόμος ἐνθὺς τὸ πᾶν ὅ, τι ἂν βουλευσαμένῳ σοὶ μετὰ τῶν ὁμοτίμων ἀρέσῃ.
Scribit Capitolinus Opilium Macrinom Imperatorem nequaquam Iuris ignatum, voluisse aliquando tollere omnia Principum rescripta, qoòd nefas esse duceret pro legibus haberi voluntates Commodi, Caracallæ, aliorumque tyrannorum. Sed nos huic malo tectius consulimus, cùm solas bonorum & sapientum Principum leges tuemur, & iniqua tyrannorum edicta repudiamus, habentes semper præ oculis quod diuus Petrus ait, Melius esse obedire Deo, quàm hominibus.

¶ *Placuit.*] Gregorios Nazianzenus ά. στηλιτευτικῷ io Iulianum, scribit τὸ βούλεσθαι. [velle] esse tyrannorum ἄγραφον νόμον. [legem non scriptam.] Sed cùm certis ex causis aliquid Principi placet, nec est omnino pro ratiooe voluntas, nō debemus temerè damoare Principis placitum. Imò vero potius vim generalis legis ei tribuere, si nullo certo casu suam voluntatem concludat Princeps. ¶ *Legis*
2 *habet vigorem.*] Pomponius simpliciter ait, ratum esse, quod Princeps statuit [a]. Sed id accipi debet, *a L. 2. §. post deinde*
post duos meoses, ex quo fuerit edita Principis constitutio. nam tantum liberi temporis tribuitur *De orig. Iur.*
eius cognitioni, oe quis ignarus circumueniatur. Qua de re extat Nouella Iustiniani Constit. 66.
περὶ τοῦ τὰς γινομένας νέας διατάξεις, μετὰ τὴν ἐμφάνισιν ἀνθ' μετὰ δύο μῆνας ἄλλως κρατεῖν.

¶ *Lege Regia, quæ de eius imperio.*] Hæc alibi dicitur lex Imperij [b], quòd contineret eius conditio- *b L. ex imperfecto.*
nes à populo, cuius erat ex Romuli institurione Regem creare, præscriptas: quemadmodum & o- *C. de testam.*
lim apud Athenieoses, vt ait Thucydides lib. 1. πρότερον δὲ ἦσαν ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι πατρικαὶ βασιλεῖαι. videtur autem hæc lex etiam alia continuisse capita. Nam Marcellus [c] memioit legis Regiæ, quæ vetabat, mulierem, si prægnans esset mortua, humari, anteqoam partus ei excidatur. Et eum qui con- *c L. 2. de mor. infer.*
trà fecisset, videri spem aoimantis cum grauida peremisse. ¶ *Concedat.*] Apud Vlpianum est, contulerit [d]. Alibi Iustiniaous vtitur verbo transferendi. Nam in præfatione Pandectarum ait, anti- *d L. 1. de const. princ.*
qua lege, quæ Regia ouncupabatur, omne ius, omnemque potestatem populi Rom. in Imperatoriam translatam potestatem. Et Arcadius [e], Regimeotis (ait) Reip. ad Imperatores perpetuò trans- *e L. vna. De offi.*
laris. Strabo autem libro 17. ἡ πατρὶς (inquit) ἐπέτρεψεν αὐτῷ τὴν προστασίαν τῆς ἡγεμονίας, καὶ πολέμου καὶ εἰ- *præf. præt.*
ρήνης κατέστη κύριος διὰ βίου. [Patria commisit ipsi totius Imperij administrationem, atque constitutus est & belli & pacis domi ous ad annos vitæ.] Pomponius, dum hunc locum tractat, dissimula-
3 ta vi Iulij Cæsaris, videtur προκατασκευάζειν. [præmunire,] inquiens, è Rep. fuisse, vni alicui Principi summum ius dari, tum vt omnis factionum occasio tolleretur, tum vt ille Senatui quodammodo succenturiaretur io administratiooe Italiæ & Prouiociarum. Exemplum huius cessionis indicat Tranquillus scribens; Caligulæ vrbem ingresso, consensu Senatus, & irrumpentis in curiam turbæ, ius arbitriumque omnium rerum permissum esse. ¶ *Imperator.*] Aliud est de inferiori magistratu, licet is publica potestate præditus sit. Quanquam enim leuis non sit autoritas rerum iudicatarum, nullius tamen magistratus senteotiam tanti faciemus, vt vim legis ei tribuamus [f]. *f L. nemo. C. de sen-*
Nam nec solemus sequi aliorum præiudicia, vti etiam admonet Fabius lib. 5. cap. 2. & addit quod *ten. & interloc.*
4 huc pertinet, aduersus consulta Senatus & decreta Priocipum, remediom nullum esse, nisi vel inuenta causæ differentia, vel aliqua eorundem eiusdémve potestatis hominum constitutione posteriori, quæ sit priori contraria. ¶ *Per epist.*] Addit Vlpianus [g], ET SVBSCRIPTIONEM. Episto- *g dict. L. 1. De constit.*
lam autem hic intelligimus vel rescriptum publicum, vel priuatum responsum, modò non con- *princ.*
cludatur vllo certo casu. Meminit eiusmodi epistolæ Paulus [h]. Et apud Plinium iuniorem extat *h L. regula. §. vlt. De*
5 quædam Neruæ epistola, quæ iubet epistolis Domitiani, tanquam legibus stari. Neque vero ali- *iu. & fact. ignor.*
quis miretur prouocari posse à senteotia, quæ lata est interueniente Principalis rescripti autoritate [i]. Id enim permittitur, vt excutiatur veritas consultatioois Priocipi propositæ: quam si constite- *i L. 2. C. de appell. l.*
rit veram fuisse, nihil amplius quæritur. ¶ *Vel cognoscens.*] Non puduit olim Principes interesse *1. §. 1. D. eod.*
6 iudicijs & actionibus causarum. Quioimo Mithridates, vt suo ore, nulloque interprete, suis populis ius redderet, perdidicit linguas vigioti duas. Sed nec Philippus Macedo indecorum putauit
7 quotidie præsidere causis cognoscendis: nec ægrè tulit cuiusdam anitulæ admonitionem, Ne rex
8 esset, si non vacaret ei suorum causas audire. Imitatus est patrem Alexander, cui moris fuisse dicitur, actiones foreoses audire altera aure mano obturata, quam dicebat se integram seruare aduersæ parti. Idem & de Romanis Priocipibus cognoscere est ex Suetonio. Et noster Paulus dicitur conscripsisse libros sex Imperialium seotentiarum in cognitione prolatarum. Certè Iustinianus sæpe in suis Nouellis hoc nomine gloriatur. Et nominatim in Nouella Constit. 108. testatur se ex foreosibus controuersijs, quibus interest, frequenter sumere occasionem multarum salutarium legum ferendarum. τοῦτο (inquit) δὴ τὸ ἡμῖν σύνηθές ἐστι, ἐκ τῶν ἀναφυομένων ζητήσεων, νόμων χρηστῶν λαμβάνειν ἀφορμάς. [consuetudinis nostræ est, vt ex quæstionibus in speciebus factorum motis, bonarum Legum condendarum occasiones arripiamus.] ¶ *Decreuit.*] Decretum hoc loco simpliciter, & generaliter accipitur pro sententia definitiua, quæ lata est causa cognita, & partibus cominus constitutis, vt alio loco ait Iustinianus [k]: qui & illud obiter indicat, senteotiam in absen- *k L. vlt. C. de legib.*
9 tem à Principe latam non statim habere vim legis generalis: quia magis lata videatur ob absentis *l L. qui repudiantis.*
contumaciam, quàm ipsius causæ iniquitatem [l]. Porrò oe hæreamus in sententia definitiua, no- *C. de inoff. testa.*
minatim addidit Vlpianus [m] (qood mirum est hic à Iustiniano esse prætermissum, nisi vtrunque *m L. 1. De const. princ.*
voluerit

voluerit complecti verbo decreti) idem esse, etsi de plano interlocutus fuerit Princeps. vt intelli-
gamus quodcunque Principis placitum habere vim legis: nempe vbi satis apparet, hanc esse Prin-
cipis voluntatem. Alioqui sanè tantum non erit temere tribuendum quibuscunque vel leuissimis
Principum interlocutionibus: quas apparet non in hoc esse dictas [a]. Certè si qua Principis inter- 10
locutio relata fuerit inter alias eius constitutiones (vt sunt pleræque in Iure [b]) amplius dubitan-
dum non erit de vigore legis.

¶ *Constitutiones appellantur.*] Apud Græcos verò *διατάξεις*. apud Plutarchum in Marcello com-
memorantur *διατάγματα τῶ ἄρχοντος*. Porrò in Iure nostro celebrantur plurimæ Principum Oratio-
nes, veluti Seueri [c] de rebus eorum, qui sub tutela sunt, non alienandis. Et Marci Imp. de transa-
ctione alimentorum [d], de fugitiuorum requisitione [e], de bonis maternis [f]. Item Antonini [g],
de donationibus inter virum & vxorem. Et Adriani [h], de petitione hæreditatis. Dicebantur au- 11
tem Orationes, cùm Principes modestius se gerentes, quod ipsi sua poterant statuere & decernere
autoritate, vltrò referebant ad Senatum. Et quia hîc non minus Senatus, quàm Principum partes
interueniebant, ad vtrunque poterat trahi autorem quod ita constituebatur. Vnde Oratio Adria-
ni de petitione hæreditatis, appellatur quoque Senatusconsultum [i]. Et quam Iustinianus Ora-
tionem Pertinacis vocat [k], Capitolinus appellauit Senatusconsultum. & Senatusconsultum Ma-
cedonianum scimus esse factum autore Vespasiano.

¶ *Quædam sunt personales.*] Quæ à Latinis dicuntur Priuilegia. Sunt enim leges ad priuos ho-
mines singulosque pertinentes, vt inquit Gellius libro 9. neque refert supplicium contineant, an 12
præmium, modò semper illud sit singulare. Nam & Tullius legem de sua proscriptione latam, ap-
pellat priuilegium. A nostris Iurisconsultis appellatur Ius singulare, quod aduersus communes le-
ges propter aliquam rationem peculiarem introductum est [l]. Sunt autem in Rep. plerunque ne-
cessaria priuilegia. Neque enim (vt ait Cato apud Liuium) vlla lex satis commoda omnibus esse 13
potest. Nam vel beneficium quoddam singulare, vel supplicium nouum, humanæ vitæ varietas
exigit. Sed nescio quomodo videntur olim Satrapæ Persici negasse Dario Regi hoc ius priuilegij,
quo Danieli succurrere volebat, allegantes vetustam quandam legem apud Persas, quæ prohibet
vllo modo immutari edictum, quod Rex semel condiderit, vt refert Daniël cap. 6. Papinianus [m] 14
Legem esse ait commune præceptum. sicut & Vlpianus respondit, Iura non in singulas personas,
sed generaliter constitui. Sed & apud Athenienses scribit Demosthenes contra Aristocratem, Le-
gem hanc fuisse, *Μὴ νόμον ἐπ' ἀνδρὶ ἐξεῖναι θεῖναι*. [Legem super vno homine ferri non licere.] Sed ta-
men ob singulares quasdam grauissimasque causas, personales quædam constitutiones magna
religione editæ sunt. Vetus Lex XII. Tab. saltem Centuriatis Comitijs priuilegia irrogari patieba-
tur. ¶ *Ad exemplum non trahuntur.*] Hoc est, vt interpretatur Paulus [n], ad consequentias non pro-
ducuntur. Et Papinianus respondit [o], sententiam quandam in fideicommissarijs libertatibus iu-
re singulari receptam, non trahi ad reliqua fideicommissa. Sanè vbicunque cessant priuilegiorum
causæ, nihil est in Repub. perniciosius priuilegijs: vt diligenter curandū sit, ne quando fines suos 15
egrediantur. Idque metuens olim Traianus, cùm videret priuilegijs à se datis plures inniti, noluit
amplius libellis ex scripto respondere, sed verbo tantum.

¶ *Sicut sine exemplo subuenit.*] Vt si alicui damnato pœnam remittat (quod solus [p] potest,) non
est quod alij similem sibi promittant indulgentiam, vel impunitatem. Princeps enim cuius vult,
miseretur. Certè Iustinianus Nouel. sua Constit. 139. cùm pœnas nuptiarum illicitè contractarum
benignè remitteret quibusdam incolis Syndyos pagi, & Hebræis Tyri insulæ, disertè id vetuit tra-
hi in exemplum, vel ad spem eiusdem impunitatis. *ἵνα* (inquit) *εἰς παράδειγμα ἕτερον, τοῦτο παρ' ὑμῶν ἀχθείη*. ¶ *Personam.*] Quæ locum fecit priuilegio [a]. Sæpè itaque iure ciuili traditum est, perso-
nalia beneficia non dari hæredibus [b]. Quod si priuilegium mixtam causam haberet, nec videre- 16
tur indultum ob solam conditionem personæ, posset transmitti ad hæredes. Vt est priuilegium mi-
norum & mulierum, de in integrum restitutione [c]. Nam quòd ijs præter communes Iuris regu-
las succurratur, non sola causa est ætas, vel sexus imbecillis, sed & ratio damni accepti, eiusque sar-
ciendi benigna & æqua solicitudo. ¶ *Omnes tenent.*] Quicunque videlicet sunt subiecti ditioni
& imperio huius Principis: alios enim tenere non possunt, nisi quatenus in huius Principis terri-
torio, contrahendo vel delinquendo prorogarent eius potestatem siue Iurisdictionem: quia pa- 17
rere debemus legi & consuetudini eius loci, in quo contraximus [d]. eiusque pœnas subire, in quo
deliquimus [e].

a L. 3. §. vlt. C. de leg.
b L. metum autem præsentem. §. aut prætor. De eo quod met. cau.
c L. 1. De reb. eo. qui sub. tut.
d L. cum hi. De trans.
e L. diuus de ser. fug.
f L. pen. D. ad. Sena. Tertul.
g L. cum hic statu. De donat. inter vir. & vxor.
h L. si & rem. §. illud. De petit. hæred.
i §. L. item veniunt. pridie. De petit hær.
k §. vlt. infr. quib. mo. testa. infir.
l L. Ius singul. De legib.
m L. 1. De legib.
n L. quod vero. De legib.
o L. fideicommissaria libert. §. etiam. De fideicom. lib.
p L. acta. §. de ampliandâ. De re iudic. L. Diui fratres. De pœnis.
a L. in omnibus causis id obseruatur. De reg. Iur.
b L. priuilegia. De reg. Iur. L. maritum. D. Sol. mat. L. ætatē. De censib. L. 1 L. 5. §. immunitati. De Iur. immun.
c L. non solum. De in inte. rest. L. minor autem. §. vlt. De minorib. L. hæredes. C. ad Velleianum.
d L. si fundus. De euict.
e L. Imperatores De Iure fisci. L. saccularij. §. sunt quædam. De extr. crimi.

§. *Prætorum quoque edicta, cum sequentib.*

1 *Prætoris olim autoritas Romæ.*
2 *Proconsulum autoritas in Prouincijs.*
3 *Magistratuum voce generaliter Prætores intelliguntur.*
4 *Aediles Plebeij & Patricij.*
5 *Aediles quid administrarint.*
6 *Opiniones in dictu testium non habent locum.*
7 *Prudentes non potuerunt mutare seu tollere ius.*
8 *A temporibus Gordiani vsque ad Lotharium Saxonem nullus apud Latinos extitit I.C. celebris.*
9 *Cur hodie passim scripta sint Consuetudines.*
10 *Consuetudo singularum ciuitatum ad ius ciuile eiusdem loci est referenda.*
11 *Consuetudo generalis quæ?*
12. & 17. 27. *Maior habenda ratio æquitatis quàm inueteratæ iniquitatis.*

13 *Veritas*

¶ *Prætorum quoq; edicta.*] De Prætorum edictis quędam diximus, cùm nostrum ederemus con-
silium de ea, quam meditamur, Iuris ciuilis demonstratione: cuius libro tertio plura dicemus.
1 eum enim totum Prætorijs edictis destinamus. Illud nunc dicam, quod Liuius scribit, sic creuisse
Prætoris autoritatem, vt data sit illi omnis priuati publicique Iuris potestas. Certè apud nostrum
quoque Iustinianum in Nouell. Constitut. 26. Prætor vocatur ὁ Ρωμαίων στρατηγὸς ὁμοῦ ϗ ὁ Νομοθέ-
της. [Romanorũ Imperator simul & legislator.] Idem in Nouella 24. ait Prętorem Rom. potuisse τὰ
ἀεὶ τῶν νόμων γράφειν. [leges præscribere.] Item, προεστάναι (inquit) τῶν νόμων αὐτῶν τῶν Πραιτώρων ἴδιον
2 ἦν. [præfici legibus, initio Prætorum erat proprium.] Vt autem Romæ Prætoribus, sic etiam post-
ea in prouincijs Proconsulibus similem potestatem edictorum proponendorum concessam fuis-
se testes sunt, vel ipsius Caij Commentarij ad Edictum prouinciale. sicuti & tempore Probi Imp.
Ius Prætorium omnibus prouinciarum Præsidibus datum esse scribit Vopiscus. Sub Cæsaribus ta-
men vt aliorum sensim magistratuum, sic & Prætorum potestas valde imminuta est. Nam & eos
ad Principem magis retulisse, quàm pro suo arbitrio statuisse, de Iure controuerso, ijsque Princi-
pem veluti ius dixisse, quidam adhuc in Pandectis loci ostendunt[a]. Et quidem posteaquàm A-
drianus Imp. edictum perpetuum à Iuliano collectum edidit, non videntur sequentium Præto-
rum noua Edicta magni fuisse ponderis. Sed hac tota de re longiorem tractatum reijcio ad eum,
quem dixi, librum.
3 ¶ *Magistratus.*] Prætores nempe: hos enim κατ' ἐξοχὴν intelligimus generali magistratuum
voce. Fueruntque semper Prætores inter maiores magistratus, qui creabantur maioribus auspi-
cijs, quæ comitijs centuriatis captabantur, veluti Consules, Censores, & Prætores, vt scribit Gelli-
us libro 13. cap. 14. Temporibus nostrorum Iurisconsultorum sine vllis comitijs vel auspicijs ab
Imperatoribus deferebantur magistratus: & tum maiores magistratus dicti sunt, qui imperium
4 potestatémve haberent[b]. ¶ *Aediles curules.*] Fuerunt apud Romanos duo Ædilium ordines, Ple-
beiorum scilicet, & Patriciorum Curulium: quibus quid fuerit curæ, copiosè scribit Tullius in 7.
Verrina. ¶ *De quibusdam causis.*] Extat in Pandectis Ædilitium Edictum, extantque nostræ in id
5 annotationes, quibus explicuimus actiones Ædilitias Redhibitoriam, & quanto minoris. Fue-
runt autem alia multa nudæ simplicisque administrationis ijs commissa, veluti vt curarent ædifi-
cia sarta tecta esse, & cloacas mundas, & aquæ ductus integros, & vias expeditas. Quæ omnia ele-
gantissimè continentur quodam Græco Papiniani responso ἐκ τοῦ αὐτοῦ μονοβίβλου ἀστυνομικοῦ. [ex eius
libro singulari de officio ædilium,] quod extat in Pandectis[c]. Præterea Iure ciuili proditũ est, eos
potuisse concidere lectos in via[d], & falsas mensuras frangere[e]: quod etiam testantur Iuuenalis
& Persius. ¶ *Iuris honorarij portio.*] Vnde posteà Iustinianus ait, Prætoriarum stipulationum ap-
pellatione contineri etiam Ædilitias[f].
¶ *Sententia & opiniones.*] Theophilus interpretatus sententiam hîc esse αὐτοτελῆ ϗ ἀναμφίβολον
ἀπόκρισιν, [perfectam & indubiam responsionẽ,] addit opinionem significare, ὑποσταλμένην ϗ μετὰ
ἐνδοιασμοῦ προφερομένην ἀπόκρισιν, hoc est, suspensam, & cum quadam dubitatione redditam respon
sionẽ. Vt cùm quis ait se existimare, aut aliquid fortè iustũ esse. Cuiusmodi formula respondendi
aliquando vtuntur nostri Prudentes, multaque supersunt in Iure vestigia huius[g] ἐνδοιασμοῦ. Et to-
6 lerantur etiam in sententijs Iudicum[h] & arbitrorum[i]: non tamen in dictis testium. Eorum enim
non auditur opinio, sed exigitur certa sententia[k]. ¶ *De Iure respondere.*] Alij legunt, IVRA CON-
DERE, & Theophilus vertit νομοθετεῖν. Sed Prudentibus videtur tantum permissum fuisse per in-
7 terpretationem Iura condere, cùm scilicet consulerentur de Iure controuerso & dubio: non etiam
potuisse mutare vel tollere certum ius Populi Rom. ¶ *Antiquitus constitutum erat.*] Sublato apud
Romanos Decemuiratu, cui ius erat leges interpretati, vt semper aliqua certa extaret legum sen-
tentia, successit Prudentum opera, quorum esset ratum in hoc genere iudicium. Ac plurimi qui-
dem & maximi semper viri in ciuitate Rom. fuerunt, qui ius ciuile interpretari Populo & respon-
sitare soliti sunt. Verùm cùm iusta deesset autoritas, eaque ipsa quam habebant Prudentes, in con-
temptum abiret, & euilesceret omnibus passim sese ingerentibus, Augustus Cæsar vtrique malo
prudenter occurrit. Primùm enim edixit, Ne quis sola suorum studiorum fiducia fretus, sine Prin-
cipis permissu de iure responderet. Deinde voluit, vt ij, quibus permitteret, publica & principali
donarentur autoritate. Hoc edictum Augusti Tiberius secutus, primus dicitur summi muneris
loco permisisse Masurio Sabino, vt responderet de Iure. Postea (quæ est priuatorum hominum

a *L. verum. §. ex facto. De minorib. L. 2. De vent. inspic.*
b *L. nec magistratib. De iniur.*
c *L. 3. De via publ.*
d *L. lectos. De peri. & com rei vend.*
e *L. item quæritur §. si quis mensuras. D. locat.*
f *§. prætoria. inst. de diuis. stipulat.*
g *L. si duo. De rec. arbi. L. mutus. De procur.*
h *L. diui fratres. §. item omnes iudices. De lib. caus.*
i *L. quid tamen. § si arbit. De recep. arb.*
k *L. testium. C. de testib.*

D ambitio,

ambitio, & Principum negligentia) hoc sapientissimum institutum sensim est sublatum, præser-
tim vbi Imp. Adrianus respondisset, Ius respondendi non peti, sed præstari debere. Qua semel aper-
ta fenestra, statim velut agmine facto, exilijt magna Iurisconsultorum multitudo. Et sanè vsque
ad Gordiani Imp. tempora mihi videntur munus suum probè ornasse, & autoritatem, quantum
licuit, conseruasse. Sed reliqua posteritas omni suo iure sensim excidit. Nam omnis disceptatio iu-
ris controuersi relata est ad Principem (penes quem vnum ab eo tempore cœpit esse omnis auto-
ritas iuris condendi) & iurisconsulti nudam quandam & vmbratilem solùm retinuerunt docen-
di operam: quam nec satis tueri aut ornare potuerunt. Certè vix vllius Latini Iurisconsulti nomen
celebratur à temporibus Gordiani, vsque ad Lotharium illum Saxonem, qui rursus erexit colla- 8
psa Iuris ciuilis studia, & excitauit nouos professores, vt est alio à nobis loco dictum. sed restitutis
ab eo Prudentibus, restituta non est illa rata autoritas de iure respondendi, vt nō liceret Iudici re-
cedere ab eorum responsis. Fortasse quidem semper est verū, quod ait Tullius pro Cecinna. aliud
iudicari de iure, aliud responderi non oportere: & eum, qui Iurisperitis non putat obtemperan-
dum, labefactare leges atque iura. Sed non omnes sunt Iurisperiti, qui dicuntur.

¶ *Sine scripto ius venit.*] Autor Rhetoricorum ad Herennium, scribit Consuetudinem ius esse,
quod sine lege, æquè ac legitimum sit, vsitatum est. Et Tullius libro 2. de Inuent. Ius (inquit) esse
putatur, quod voluntate omnium, sine lege, vetustas comprobauit. Hodie Principis iussu & auto- 9
ritate passim scriptæ sunt Consuetudines, vt certior esset earum cognitio, & paratior probatio. Ac
rex quidem Galliarum Carolus VII. ante annos nonaginta, omnium sui regni prouinciarum
Consuetudines conscribi, & ad Senatum referri; suaque autoritate confirmari primus curauit.

¶ *Quod vsus.*] Ipsorum Quiritum. Agitur enim hic de ea Consuetudine, quæ Iuris ciuilis pars
est, moribus Romanorum recepta: vnde descendit Ius Patriæ potestatis, Pupillaris substitutionis,
Prohibitæ inter coniuges donationis, Interdictionis bonorum, quæ fit prodigis. Sed eodem mo- 10
do in singulis ciuitatibus Consuetudo, quæ moribus vtentium inoleuit, est referenda ad ius ci-
uile illius loci. Est autem alia quædam communis & generalis Consuetudo, quæ propter natura- 11
lem rationem qua nititur, propriè est bonorum & sapientum virorum firmus apud omnes natio-
nes consensus, & certum vtendi iudicium de quibusdam rebus. vnde Tullius ait: Iustitiæ initium
à natura profectum est. Deinde quædam in consuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt: postea
res & à natura profectas, & ab consuetudine probatas, legum metus & religio sanxit.

¶ *Vsus approbauit*] Scribit quodam loco Liuius, Vsum esse grauissimum Iuriscensorem, &
exploratorem: vt non possit non æquum esse & vtile, quod is probauit sæpius facto periculo. Cer-
tè si quid fortè mali inueheret (vt multa sæpe iniusta & praua moribus fiunt, inquit Comicus) ni-
hili facere debemus inueteratam iniquitatis consuetudinem. Sic enim edixit ipse Iustinianus in
Nouell. sua Constitut. 134. *τὰ κακῶς ἐπινοούμενα, οὐδὲ μακρᾷ συνηθείᾳ βεβαιοῦσθαι βουλόμεθα* [quæ improbè
excogitata sunt, ea ne longa quidem consuetudine confirmari volumus.] Neque quis satis esse
credat, malum longo vsu inualuisse, aut quamcunq; consuetudinem statim ins esse putet. Notum
est quod Basilius in epistola 80. ad Eustathium medicū ait, *ὃν νομίζομεν δίκαιον εἶναι, τὴν παρ' αὐτοῖς ἐπι-
κρατοῦσαν συνήθειαν, νόμον καὶ κανόνα τοῦ ὀρθοῦ ποιεῖσθαι λόγου.* Laudat Tacitus priscos Germanorum mores,
eo præcipuè nomine, quòd apud eos, corrumpere aut corrumpi, seculum non vocaretur. hoc est,
nulla temporis vel consuetudinis excusatio sceleribus prætexeretur. Sanè nihil vnquam in Rep.
rectè fiet, si quamcunque consuetudinem habeas pro iure: maioremque putes esse temporis ratio-
nem, quàm ipsius æqui & boni. Rectè itaque Demosthenes in Oratione contra Androtionem, 12
σὺ μὴ λέγε, ὡς γέγονε τοῦτο πολλάκις, ἀλλ' ὡς οὕτω προσήκει γίγνεσθαι. [Ne dicas, quòd factū sit hoc sæpe, sed
quòd sic oportuerit fieri.] Et rursus ad Iudices in Oratione contra Aristogitonem, *εἰ ἐπανορθώσασθαι
ταῦτ' ἔτι καὶ νῦν οἴεσθε χρῆναι, καὶ τὰ πεπραγμένα πόρρω καὶ πολὺν ἤδη χρόνον, αἰσχρῶς καὶ κακῶς ὑπό τινων διακεί-
μενα, βέλτιον ποιῆσαι, πάντα τὰ τοιαῦτα ἤδη παριδόντας τὸ μέρος ὀρθῶς δεῖ δικάσαι, τὴν τὰ δίκαια ἐγκαταστήσαντας εὐνο-
μίαν ἀεὶ πλείστου ποιησαμένους.* Vtinam hanc grauissimam Demosthenis sententiam sibi proponant, 13
qui Reipub. præsunt. & intelligant, veritatem rerum, non vitiari erroribus gestorum, vt ait Vlpia-
nus [a]. ¶ *Diuturni.*] Vulgo interpretantur, decem annorum. quanquam hodie forenses Causidici,
consuetudinis allegant tempus, cuius nō extat memoria. Et certè antequā inueterata consuetudo 14
dici possit, & ab vniuerso populo tacitè recepta videatur, tā longo vsu est opus, vt neq; temerè neq;
leuiter aliquid hic statuere videamur. Ac semper etiam meminerimus, ante omnia explorandum
esse, an etiam contradicto aliquando iudicio fuerit firmata consuetudo [b]. ¶ *Mores.*] Morem La- 15
tini vocant institutum patrium, propriè quidem pertinens ad religiones ceremoniasque maio-
rum: sed tamen generaliter significans obseruationem, quæ non aliquo præscripto vel legislator s
iussu constat, sed ipso vsu inoleuit: magisque animis vtentium, quàm tabulis inscripta est. Vnde
illud Ouidij. Morem fecerat vsus. Et Fabius ait, pleraque in iure non legibus, sed moribus consta-
re. Græci, vt Latini, appellant *ἔθη*. Commemorantur autem multa in Iure nostro, quæ moribus
introducta dicuntur, vt pupillaris [c] substitutio, prohibitio [d] donationis inter coniuges. Est tamen
vbi commemorantur mores, qui propriè referendi sunt ad Ius naturæ siue consuetudinem gen-
tium, non autem ad Ius ciuile [e]. ¶ *Legem imitantur.*] Plutarchus in libello de capienda vtili-
tate ab inimicis ait, *τὸ ἔθος λαβεῖν νόμου δύναμιν.* [consuetudinem accipere vim legis.] Sed no-
ster Iulianus copiosius hunc locum explicat, inquiens [f]: Inueterata consuetudo pro lege
non immeritò custoditur. Nam cùm ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quàm
quòd iudicio populi receptæ sunt: meritò & ea, quæ sine vllo scripto Populus probauit,
tenebunt

a L. illicitas. §. veritas. De offic. præs.

b L. cum de consuetudine. De legib.

c L. 2. De vulg. & pup.

d L. 1. De donat. inter virum & vxor.

e L. libertinus. De ritu nupt.

f L. de quibus. De legib.

tenebunt omnes. Nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, & factis? Ergo vbi scriptis legibus non vtimur, vel quia nullæ extant, vel aduersus eas aliud vsu re-
16 ceptum inualuit, ante omnia inspicimus peculiarem consuetudinem cuiusq; loci [a]: deinde ipsius prouinciæ. Et si desit certa consuetudo vel lex scripta, quæ nominatim dirimat controuersiam, sequimur quod proximum est, & consequens. Quod si etiam illud desit: ait Iulianus, inspiciendam consuetudinem ciuitatis Romanæ. Idque probat Iustinianus in præfatione Pandectarum. Sed in-
17 terim semper meminerimus, quod Proculus [b] ait, non tam spectandum, quid Romæ factum sit, quàm id quod fieri debeat.

a L. venditor. § si con. stat. D. Cōmu. diuid.

b L. sed licet in. De offic. præsi.

¶ *Origo eius ab institutis.*] Si quis vniuersam Rom. Remp. propius intueatur, comperiet esse verissimum, quod ait Polybius, Romanos optimè solitos καὶ μεταλαβεῖν ἔθη, καὶ ζηλῶσαι τὸ βέλτιον. [& assumere mores, & quod optimum visum esset æmulari.] Quod & Salustius scribit, & Athenæus lib. 6. qui etiam addit, quod huc propriè pertinet, eos melius tutatos politiam Lacedæmoniorum, quàm Lacedæmonios ipsos. μιμησάμενοι (inquit) κατὰ πάντα τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν, διετήρησαν
18 αὐτὴν μᾶλλον, ἢ ἐκεῖνοι. [omnibus in rebus Lacedæmoniorum Remp. imitantes, melius quàm ipsi obseruarunt.] Sed & quàm diligenter omnes suæ Reip. partes conformarint ad exemplum Græco-
19 rum, facile intelligent qui vtriusque Reip. mores & instituta propius intuebuntur. Quomodo autem à Græcis leges suas petierint, historia nota est, nempe anno ab vrbe condita 300. missos esse tres Legatos, Sp. Posthumium Album, Sulpicium Camerinum, & A. Manlium, vt Solonis leges describerent, & aliarum Græciæ ciuitatum instituta moresque perdiscerent. Reliqua copiosius alio loco descripsimus. Si quis antiquiorem originem desideret, memini me legisse, Lacedæmoniorum manum per id tempus, quo Lycurgus eorum ciuitatem moribus & institutis ornabat, seditione orta, Laconia excessisse, tandemque in Pometinis agris consedisse, vbi Feroniæ templum condiderunt. Mox eorum quosdam cum Sabinis habitasse, eorumque consuetudine factum, vt pleraque Sabinorū instituta fuerint Laconicis simillima: quorū multa deinde Numa Rex ex Curibus Sabinis oriundus, ad Rom. transtulit Remp. Sed ne longius abeamus, Dionysius Halicarn. non obscurè ostendit, & Romulum & reliquos Reges Rom. in constituenda sua Rep. omnino Græ-
20 cos esse imitatos. ¶ *Duarum ciuitatum.*] Quarum in Græcia facilè principum, laudem eleganter perstringit Tullius pro Flacco, obiter etiam indicans rationem, cur ab his potissimum censuerint Romani leges esse petendas. Inquit enim: Ab Atheniensibus humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur. Lacedæmoniorum virtus spectata & nobilitata, non solùm natura corroborata, verùm etiam disciplina putatur, qui soli toto orbe terrarum septingentos iam annos & amplius, vnis moribus, & nunquam mutatis legibus viuunt. Sed & apud Thucydidem lib. 2. Pericles suos Athenienses laudat eo maximè nomine, quòd alijs Populis leges videantur præscripsisse: ipsi autem aliunde non acceperint, χρώμεθα (inquit) πολιτείᾳ οὐ ζηλούσῃ τοὺς τῶν πέλας νόμους, παράδειγμα δ' αὐτοὶ μᾶλλον ὄντες τισὶν, ἢ μιμούμενοι ἑτέρους. Isocrates quoque in suo Panegyrico testatur Athenienses ipsis quoque Græcis legum bonarum & omnis honestæ politiæ exemplum dedisse. Isocratis verba, quæ non parum commendare possunt fontes Iuris nostri, sunt hæc de Atheniensi Rep. παραλαβοῦσα τοὺς Ἕλληνας ἀνόμως ζῶντας καὶ σποράδην οἰκοῦντας, καὶ τοὺς μὲν ὑπὸ δυναστῶν ὑβριζομένους, τοὺς δὲ δι' ἀναρχίαν ἀπολλυμένους, καὶ τούτων τῶν κακῶν αὐτοὺς ἀπήλλαξε, τῶν μὲν κυρία γενομένη, τοῖς δ' αὑτὴν παράδειγμα ποιήσασα. πρώτη γὰρ καὶ νόμους ἔθετο, καὶ πολιτείαν κατεστήσατο. δῆλον δὲ ἐκεῖθεν. οἱ γὰρ ἐν ἀρχῇ περὶ τῶν φονικῶν ἐγκαλέσαντες καὶ βουληθέντες μετὰ λόγου καὶ μὴ μετὰ βίας διαλύσασθαι τὰ πρὸς ἀλλήλους, ἐν τοῖς νόμοις τοῖς ἡμετέροις τὰς κρίσεις ἐποιήσαντο περὶ τούτων. Fuisse autem Atheniensium leges (quarum exemplar Romanis placuit) omnibus numeris absolutissimas, testatur idem Isocrates in suo Panathenaico his verbis: ὀλίγους μὲν, ἱκανοὺς δὲ τοῖς χρῆσθαι μέλλουσι, καὶ ῥᾳδίως συνιδεῖν. ἔπειτα δικαίους καὶ συμφέροντας, καὶ σφίσιν αὐτοῖς ὁμολογουμένους καὶ μᾶλλον ἐσπουδασμένους τοὺς περὶ τῶν κοινῶν ἐπιτηδευμάτων, ἢ τοὺς περὶ τῶν ἰδίων συμβολαίων, οἵους περ εἶναι χρὴ παρὰ τοῖς καλῶς πολιτευομένοις.

¶ *Lacedæmonij magis.*] Huius loci optimus interpres est Plutarchus in Lycurgo, vt operæ pretium fuerit eius verba subijcere: νόμους γεγραμμένους ὁ Λυκοῦργος οὐκ ἔθηκεν, ἀλλὰ μία τῶν καλουμένων ῥητρῶν ἐστὶν αὕτη. τὰ μὲν οὖν κυριώτατα καὶ μέγιστα πρὸς εὐδαιμονίαν πόλεως, καὶ ἀρετὴν ἐν τοῖς ἤθεσιν ᾤετο, καὶ ταῖς ἀγωγαῖς τῶν πολιτῶν ἐγκατεστοιχειωμένα μένειν ἀκίνητα, καὶ βεβαίαν ἔχοντα τὴν προαίρεσιν, δεσμὸν ἰσχυρότερον τῆς ἀνάγκης, καὶ τὴν παίδευσιν ἐποίει τοῖς νέοις νομοθέτου διάθεσιν ἀπεργαζομένην περὶ ἕκαστον αὐτῶν. τὰ δὲ μικρὰ καὶ χρηματικὰ συμβόλαια, καὶ μεταπίπτοντα ταῖς χρείαις ἄλλοτε ἄλλως, βέλτιον ἦν μὴ καταλαμβάνειν ἐγγράφοις ἀνάγκαις, μηδὲ ἀκινήτοις ἔθεσιν, ἀλλ' ἐᾶν ἐπὶ τῶν καιρῶν προσθέσεις λαμβάνοντα καὶ ἀφαιρέσεις, ἃς ἂν οἱ πεπαιδευμένοι δοκιμάσωσι. τὸ γὰρ ὅλον τῆς πάσης νομοθεσίας ἔργον εἰς τὴν παιδείαν ἀνῆψε. μία μὲν οὖν τῶν ῥητρῶν ἦν (ὥσπερ εἴρηται) μὴ χρῆσθαι νόμοις ἐγγράφοις. [Leges scriptas Lycurgus non posuit; atque hoc ipsum in Rhetris eius cautum est. Ita enim iudicabat, ea quæ ad felicitatem ciuitatis & virtutem, omnium maximum afferrent momentum, ita demum permanere immobilia, si moribus & educationi ciuium implantarentur; nam firmam voluntatem ex his elementis oriri, quæ necessitatis est validissimum vinculum, eam porrò disciplina (quæ legum conditoris vicem gerit) apud iuniores effici. Atqui exiguos illos & pecuniarios contractus, quique propter vsum vitæ subinde immutantur, melius censebat scriptis legibus non comprehendi, neque immobilibus consuetudinibus illigari; Sed permittendum vt pro ratione temporis augerentur diminuerentur ve, secundum probè institutorum hominum arbitrium, totum enim legislationis negocium ad disciplinam referebat. Itaque, sicuti demonstrauimus, ex Rhetris hæc vna erat; Legibus scriptis non vtendum.] Sed
21 & Gallos olim ex instituto Druidum paucissima literis commendasse, & omnia quæ ad Publicum

ius aut sacra pertinebant, memoria tenuisse scribit Iulius Cæsar. ¶ *Athenienses verò.*] Hos tamen
etiam vsos fuisse quibusdam moribus, siue νόμοις ἀγράφοις, ostendit Pericles apud Thucydidem lib.
2. Et sanè non sunt omnia scriptis sancienda, sed & mores ferendi, inquit Tullius libro 1. de Legib.
Nam & parum prosunt vanæ sine moribus leges, ait Flaccus.

a §. commodius inst. de rerum diuis. ¶ *Diuina prouidentia.*] Iustinianus posteà vocat Rerum naturam [a]. Sed magis pium est &
Christianum dicere diuinam Prouidentiam. Verè enim sapiens ille noster, & clemens Pater reli-
quit naturæ corruptæ quoddam lumen rationis & iudicij naturalis ad formandos politicos mo- 21
res in hac ciuili societate. Vnde orta sunt prima illa Iuris præcepta, de quibus suprà copiosius dis-
seruimus. Vnum hic adijciam memorabilem locum, qui extat apud Xenophontem libro quarto
ἀπομνημονευμάτων, & grauiter describit Ius naturale, quod omnium animis diuinitus inscriptum 22
est: ἀγράφους τινὰς οἶσθα ὦ Ἱππία νόμους; τούς γ' ἐν πάσῃ (ἔφη) χώρᾳ κατὰ ταῦτα νομιζομένους. ἔχοις ἂν οὖν εἰπεῖν (ἔφη)
ὅτι οἱ ἄνθρωποι αὐτοὺς ἔθεντο. καὶ πῶς ἂν (ἔφη) οἵ γε οὔτε συνελθεῖν ἅπαντες ἂν δυνηθεῖεν, οὔτε ὁμόφωνοί εἰσι; τίνας οὖν
(ἔφη) νομίζεις τεθεικέναι τοὺς νόμους τούτους; ἐγὼ μὲν (ἔφη) θεοὺς οἶμαι τοὺς νόμους τούτους τοῖς ἀνθρώποις θεῖναι.
καὶ γὰρ παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις πρῶτον νομίζεται, θεοὺς σέβειν. οὐκοῦν καὶ γονέας τιμᾶν πανταχοῦ νομίζεται; τοῦτο, καὶ ἔφη.
[Non scriptas quasdam, ô Hippia, cognouisti esse leges? Has, inquit, quæ quidem vbiuis locorum
similiter habentur. Potes igitur eas tu dicere esse ab hominibus latas? At id quónam pacto, inquit,
cum neque in vnum omnes conuenire posint, neque vnius sint linguæ? Quos igitur tu putas, Le-
ges istas tulisse? Ego quidem deos putem istas hominibus leges dedisse. Nam lex quidem inpri-
mis apud omnes homines vna est; vt deos colas; & vt parentes item honores, vbique iubet lex,
ait.] ¶ *Sunt immutabilia.*] Naturales enim illæ notitiæ nobiscum nascentes, sic animis nostris im-
pressæ sunt, vt abradi nequeant. Et quæ promanant ex ijs præcepta, contemni non possunt sine
horribili confusione rerum omnium. Interim tamen fatemur esse quasdam inferiores naturæ le- 23
ges, quæ aliquando mutantur, non quidem propter aliquod vitium, quod in ipsis sit, sed propter
varias humanarum rerum circumstantias. Earumque mutatio magis tuetur, quàm confundit pu-
blicam tranquillitatem, vtpote cui omnino accommodetur. Veluti, Lex naturalis iubet, vt do-
minia distinguantur. Eadem iubet, vt quarundam rerum communio retineatur. Sed nihilomi-
nus semper constat quod hic dicitur, & à Caio pridem responsum est, naturalem rationem nullius
autoritate commutari posse, & illa prima summaque iuris præcepta esse perpetua. Testatur autem 24
id grauissimè Tullius libro 3. de Repub his verbis: Est vera lex, recta ratio: naturæ congruens, dif-
fusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium iubendo, vetando à fraude deterreat.
Huic legi nec prorogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec
verò aut per Senatum, aut per Populum solui hac lege possumus. neque quærendus est explanator
aut interpres eius alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis: alia nunc, alia posthac. Sed & omnes
Gentes, & omni tempore, vna lex & sempiterna & immutabilis continebit, vnusque erit com-
munis quasi Magister, & Imperator omnium Deus. Ille huius legis inuentor, disceptator, lator.
Cui qui non parebit, ipse se fugiet, & naturam hominis aspernabitur, atque hoc ipso luet maximas
pœnas, etiamsi cætera supplicia effugerit. Hactenus Cicero. Sed & apud Sophoclem Antigone
vim sempiternã huius legis, cum qua pugnantia Principum placita confert, grauiter & eleganter
exprimit his versibus,

Οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,
Οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Δίκη,
Οἳ τούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους·
Οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
Κηρύγμαθ', ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
Νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄνθ' ὑπερδραμεῖν.
Οὐ γάρ τι νῦν γε, κἀχθές, ἀλλ' ἀεί ποτε
Ζῇ ταῦτα, κ' οὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη.

Quem locum Aristoteles commendat libro primo Rhetoricorũ, & adijcit sententiam Empedo-
clis περὶ τοῦ μὴ κτείνειν τὸ ἔμψυχον. τοῦτο γὰρ οὐ τισὶ μὲν δίκαιον, τισὶ δ' οὐ δίκαιον, ἀλλ' τὸ μὲν πάντων νόμιμον. [de
non tollenda lege illa quasi animata. Hæc enim non alijs iusta, alijs iniusta, sed omnibus vbiuis
locorum æqua est.]

¶ *Sæpe mutari solent.*] Periculosa est quidem omnis in Rep. mutatio legum. Nam eam sequitur
repentina quædam & morum & vitæ mutatio: sed non ita mordicus nulloque rerum aut tempo-
b L. 2. De constitut. princip. L. Diuus. De rest. in integ. rum discrimine, priscis legibus inhærendum est, vt rationem publicæ vtilitatis contemnamus [b].
Itaque fuit iniqua & perniciosa lex illa vetustissima apud Persas, quæ refertur in historia Danielis
cap. 6. Ne mutari vllo modo posset vllum edictum aut lex, quam Rex Persarum condidisset. Lau- 25
datur sanè vetus illud Locrensium institutum, vt nemo ageret de abrogatione legis, nisi laqueo
collum circumducto, vt si non persuasisset, statim strangularetur: & omnes hoc periculo admone-
rentur, ne quam temerè tentarent legum mutationem. Sed interea id rectè & laudabiliter tentari
poterat, vbi iusta suberat causa. Nemoq; sanus iudicabit, malum perpetuò tolerari deberi in Rep.
si posit corrigi. Imò verò quo magis inualuit, eò magis esse tollendum. Apud Gellium Sex. Cæci-
lius grauiter pronunciat, Legum opportunitates & medelas, pro temporũ moribus & Rerump.
generibus, proque vtilitatum præsentium rationibus, vitiorúmve, quibus medendum est, feruo-
ribus, mutari atque flecti debere. Est & illa memorabilis Valerij sententia apud Liuium; Ex ijs le-
gibus, quæ perpetuæ vtilitatis causa latæ sunt, nullam esse abrogandã. nisi quam vel vsus coarguit, 26
aut status Reip. inutilem fecit. ¶ *Tacito consensu.*] Quem videlicet ipso vsu contrario satis declara-
c L. de quibus. De legib. uit. Nam (vt ait Iulianus [c]) quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus
ipsis & factis? Et addit, Rectissimè illud receptum est, vt leges non solo suffragio legislatoris, sed
etiam tacito consensu omnium, per desuetudinem abrogentur. Hic autem desuetudinem accipi-
mus, pro

mus, pro contraria consuetudine. Porrò & huc pertinet, quod apud Liuium Licinius Prætor cen-
set; Non exoletis vetustate annalium exemplis, sed recentissimæ cuiusque consuetudinis vsu Ius
stare debere. Verùm, vt per consuetudinem posteriorem ius scriptum tolli potest, ita rursus con-
27 suetudo potest aboleri per posteriorem legem, si id nominatim statuat legislator. Nam consuetu-
do, cuius est improbatus vsus, tantum non valet, vt rationem vincat aut legem [a]. ¶ *Alia posteà le-*
gelata.] Inquit noster Modestinus [b]: *αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσίν.* [Constitu-
28 tiones tempore posteriores, potiores sunt his quæ ipsas præcesserunt.] Et hoc est in multis iuris
partibus receptum; posteriora semper derogare prioribus. Veluti in pactis [c], contractibus [d], testa-
mentis [e], fideicommissis [f], legatis [g], tutelis [h], atque id genus quamplurimis. Illud porrò semel ad-
29 monendi sumus, legem aliquam nouam aut posteriorem, referri quidem ad tempus præteritum,
quod attinet ad vim abrogationis, sed spectare tempus futurum, si agatur de causarum decisione [i].
Quod sæpe in Nouell. Iustinianus inculcat. Et Tullius in 3. Verrina scribit; Nullius legis in præteri-
tum tempus vim esse, nisi eius rei, quæ sua sponte scelerata & nefaria est, vt etiam si lex non esset,
magnopere vitanda fuerit.

a L. 2. C. Quæ sit long. consuet.
b L. vlt. De constit. princ.
c L. pacta nouissima. C. de pact.
d L. pacta. De cõtrah. emptio. L. 2. de rescin. vend.
e §. 1. inf. quib. mo. testa. infir.
f L. clari. C. de fideicom.
g L. si mihi & tibi. §. in legatis. De legat. 1.
h L. tutor datus. §. 1. L. si hereditas. §. De testa. tute.
i L. leges. C. de legib.

DE IVRE PERSONARVM

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

1 *Scopus studiorum liberalium quis?*
2 *Ius ciuile ex diuinis institutis ortum.*
3 *Religio Christiana tuetur politias.*
4 *Ciuiles Personarum gradus Deus ipse constituit.*
5 *Nulla Respub. esse potest sine re œconomica.*
6 *Eunus Syrus quondam seditiosus seruos 40000. concitauit ad arma.*
7 *Libertas Euangelij quæ?*
8 *Regnum Christi, & Ordinatio Ciuilis longè differunt.*
9 *In colendis sacris nihil inter liberos & seruos discernitur.*
10 *Synodus Gangrena & Theodoretus seruorum conditionem stabiliunt.*
11 *Sæpe inferior natura imperat præstantiori.*
12 *Religio Christiana effrenem in seruos tyrannidem dominorum summouit.*
13 *Antoninus Imp. sustulit dominorum in serues vitæ & necis arbitrium.*
14 *Leo Imp. mulcta seruis remisit.*
15 *Veteres clientelæ Romuli.*
16 *Mendicorum onera & obsidiones.*
17 *Obœdientia politica est mater honestatis.*
18 *Harmonia virium humanarum.*
19 *ἀταξία earundem.*
20 *Oeconomica gubernatio exemplum est gerendæ Reip.*
21 *Vt retinenda rerum dominia, ita & conseruanda personarum discrimina.*



IHIL est quod gratius solatium, acriùsve calcar generosis studiosorum in-
genijs addat, atque si intelligant studiorum suorum rationem, & Superis fa-
1 *uentibus gratam esse, & humanæ profuturam societati. Hunc enim habent*
scopum laborum suorum. Et nescio quo melioris naturæ instinctu, ab ijs stu-
dijs abhorrere solent, quæ paruum habent cum virtute ac philosophia commer
cium, quorúmque finem & vsum, vel parum pium, vel sordidum esse putant.
Nobis itaque rationem iuris ciuilis obiter tueri visum est. cuius eius origo
2 *non est ex temerarijs hominum commentis, sed diuinis planè institutis: habentque tres illæ Iuris par*
tes, quæ hîc proponuntur, solidissima fundamenta, & honestissimum finem, nempe conseruationem
3 *ciuilis societatis. Cumque Christiana Religio non dissipet, sed magis tueatur politias, non potest non*
probare totam Iuris ciuilis rationem certo iudicio firmatam in Repub. nec abhorrentem ab æquitate
4 *& honestate naturali. Primum enim quod attinet ad ciuiles personarum gradus, & Politica discri-*
mina, omnes qui sani sunt, intelligunt ea maximè conuenire cum Dei voluntate, & naturalis ratio-
nis indicio. De publica Magistratuum potestate hîc non loquor, quam certo certius est ipsis-
simam esse Dei ordinationem: sed de priuato iure dominorum & parentum, deque seruorum statu &
conditione. Ac ne longius abeam, cùm Deus præcipit parentes honorari, in vniuersum satis videtur
constituere personarum discrimina, & domesticas potestates, quibus pareat filius aut seruus. Nec
sanè alioqui familia vlla, vel res œconomica potest consistere: non magis quàm Resp. sine magistra-
5 *tu. Imo verò, vt domus prior est ciuitate, & hæc sine illa non est: ita necesse est publicam potestatem*
conseruari priuata & domestica veluti Iurisdictione, & vtranque pariter similiq; ratione defendi.
Sic Paulus apostolus ad Ephesios cap. 6. ex præcepto honorandorum parentum, tuetur ius & pote-
statem dominorum, quibus vult seruos sincerè, & ex animo parere. Idem in priori epistola ad Ti-
motheum cap. 6. diligenter admonet, esse coërcendam seruorum contumaciam, ne turbetur herilis po-
testas, eoque nomine Christiani malè audiant, & Euangelium notetur, quasi dissipet politias. Ac

*videtur sanè Paulus metuisse fanaticos illos & seditiosos spiritus, cuiusmodi hodie natos videmus in
gente Anabaptistica, qui nona grata nescio cuius libertatis iactatione, vulgus ad pileum vocant, nec
erubescunt Euangelium prætendere, vt dicitur olim Syrus quidam nomine Eunus, fanatico furore 6
simulato, dum Syriæ Deæ ceremonias iactat, ad libertatem & arma seruos quasi numinis imperio
concitasse. Atq; vt id diuinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure & igne stipauerat,
leuiter inspirando, flammam inter verba fudisse: hocque miraculo collegisse plusquam quadraginta
millia seruorum. Huiusmodi furores fuerunt olim, & nunc sunt obiecti falso Euangelij prætextu.
Promittitur quidem in Euangelio libertas omnibus Christianis, sed ea spiritualis est, nec pertinet 7
ad exteriorem hanc & ciuilem vitam, sed ad interiorem hominem pacandum, & conscientiam terro-
ribus mortis, & Iudaicarum ceremoniarum seruitute liberandam, simul & à tyrannide Satanæ, &
peccati asserendam. Huius libertatis vsum aut fructum nullo modo impedit ciuilis potestas. Et qui
inter corpus & animam, interq; præsentem hanc mortalemq; vitam, & futuram illam æternamq; no- 8
uit discernere, facilè intelliget spirituale Christi regnum, & ciuilē ordinationem, res esse plurimùm
diuersas: ac Iudaicæ fore superstitionis vanitatisq;, regnum illud Christi quærere sub elementis huius
mundi. Oportet itaq; libertatem Euangelicam, quæ fidelibus in Christo promittitur, continere intra
suos fines: ne quo eius prætextu conturbemus politicos gradus in Rep. necessarios, & iusta persona-
rum discrimina, sine quibus nulla ciuilis societas constare potest. Nec aliò pertinet sententia Pauli
ad Galatas scribentis, inter eos, qui baptizati sunt in Christum, neque seruum esse, neque liberum.
non enim agit de seruitute aut libertate politica, sed spirituali. Illudq; solum docet, quod etiam disertè
noster Iustinianus in Nouella Constit. 5. ait, Quantum ad Dei cultum attinet, non esse liberum neque 9
seruum: sed omnes in Christo eosdem haberi. Sed interim non vult eo nomine confundi politias, aut in
ciuili societate tolli conditionis & personarum discrimina, siquæ sunt consentanea rationi naturali.
Itaque & Philemon receptus inter Euangelicos præcones, atque adeò ipsius Pauli συνεργὸς, vsus est,
vt prius, seruo suo Onesimo, retinuitq; Ius herile: adeò vt nec Paulus voluerit sine eius consensu de-
tinere Onesimum, quo opus habebat in grauissimo etiam & iustissimo ministerio, nempe Euangelij,
quemadmodum licet iudicare ex epistola ipsius Pauli ad Philemonem. Quid multis moror? non est
obscurum decretū vetustissimæ & purissimæ Synodi Gangrenæ aduersus eos, qui pietatis aut Euan- 10
gelij prætextu iactabant omnes seruos esse debere liberos.* εἴ τις δοῦλον προφάσει θεοσεβείας διδάσκοι κατα-
φρονεῖν δεσπότου, καὶ ἀναχωρεῖν τῆς ὑπηρεσίας, καὶ μὴ μετ' εὐνοίας καὶ πάσης τιμῆς τῷ ἑαυτοῦ δεσπότῃ ἐξυπηρετεῖσθαι, ἀνά-
θεμα ἔστω. *Denique legi potest Theodoriti Cyrensis Episcopi liber de prouidentia Dei septimus, in quo
multis verbis probat, seruitutem & herilem potestatem ad humanæ vitæ vsum à Deo constitutas es-
se. Ac ne quis aliqua sua virtute superbus, existimet posse contemni dominum, qui non ea pollet natu-
ræ præstantia, vt alios gubernare possit, videturq; tanto indignus honore: meminerimus non esse hoc
pium aut rectum iudicium, quo insolescimus aduersus ordinationem Dei, & seruo suggeritur nimis
curiosa inquisitio. Qualis qualis tandem sit dominus, non sine diuina prouidentia nactus est eam po-
testatem, cui omnino mos geri debet, si nihil imperet quod cum pietate Christiana pugnet. ac videtur
id quidem sensisse Petrus Apostolus iubens seruos parere dominis etiam* σκολιοῖς. *Fortasse Philosophi
indicant eam vnam esse iustam & naturalem potestatem, cùm præstantior natura imperat inferio- 11
ri. Sed periculosum esset, in Republ. mordicus id tueri, & ad viuum resecare: nec rarò pugnaret
cum diuina prouidentia, quæ non regitur philosophicis iudicijs, sed longè alias habet causas: nec vult
nos aut curiosos aut morosos esse suarum ordinationum censores, sed candidos & morigeros fauto-
res. Interea autem, ne quis probari putet effrenem illam & infinitam dominorum tyrannidem,
quæ putat sibi licere, quicquid libet: nequaquam patietur Deus seruos vt belluas proculcari: qui
non minus heros, quàm famulos admonet sui officij. Facit diligenter id Paulus scribens ad Ephe-
sios. Rursus ad Colossenses capite quarto,* οἱ κύριοι *(inquit)* τὸ δίκαιον, καὶ τὴν ἰσότητα τοῖς δούλοις παρέ-
χεσθε, εἰδότες ὅτι καὶ ὑμεῖς ἔχετε κύριον ἐν οὐρανοῖς. *[Domini, quod iustum est & æquum, seruis præstate,
scientes quod & vos dominum habetis in cælis.] ac dictum certè est à nostris Iurisconsultis non ma-
lè, contra naturam videri inhumanam illam & crudelem seruitutis speciem, qua mancipium con-
fertur brutis animantibus, vixque hominis nomen retinet. Vnde & religionis Christianæ clemen-
tia hanc tandem summouit. Nam & absurdum erat inter Christianos eodem precio redemptos, 12
in eandem assertos libertatem, & ad eandem vocatos hæreditatem, manere barbaram illam
& immanem seruitutem, qua homo poterat homine abuti, vt pecude: & quæ iam nimis excesse-
rat omnes fines naturalis rationis, pudoris, vel honestatis, omnesque adeò sui officij metas. Pri-
mùm herilis potestas ad tuendam rem œconomicam simul & ciuilem societatem concessa fuit, ma-
gno interim bono seruorum, cùm eos ab alijs gubernari intererat, & ipsi non onerabantur nisi
honesto & humano ministerio. Posteà creuit insolens & effrenis dominandi cupiditas, sibique arro-
ganti ius vitæ et necis in seruos, non minus quàm in pecudes: eoque tandem euasit, vt putaret sibi*

licere

licere quicquid liberet. Hunc intolerabilem abusum, et immanem barbariem sensim mitigauit huma-
13 *nitas ætatis posterioris. Antoninus Imp. nonnihil coercuit sæuitiam dominorum, & sublato illo vitæ*
& necis arbitrio, voluit seruos paulò humanius tractari. Sed in alijs partibus reliquit illibatam po-
testatem dominis, qui multum adhuc retinuerunt iuris pristini. Tandem Leo Imp. iudicauit non de-
14 *bere hominem duriori seruitute premi. Itaque seruis suis multa remisit, vt & sibi acquirere possent,*
& testamentum facere. Quod exemplum deinde multi secuti, paulatim relaxarunt conditionem ser-
uorum, & ad primum iustumque & naturalem modum redegerunt, vt non nisi quantum opus vide-
retur ad familiam tuendam & rem œconomicam, tantum esset iuris & imperij in seruos, cætera libe-
15 *ros. Vtinam verò in vsum reuocari potuissent veteres illæ clientelæ, quas cum suis patronis pruden-*
tissimè Romulus instituerat, firmissima Reip. vincula. Nec dissimulare possum, quod non sine
magno malo Reip. fit, ita famulos à dominis esse disiunctos, vt nullis officijs contineantur. Habuit
quidem illa, quæ tot annis vsitata fuit, prisca seruitus multum inhumanitatis. Sed illud saltem com-
modi Reip. adferebat, quòd infimi & tenues homines seruabantur, & vindices habebant, ne potenti-
orum iniurijs obnoxij essent, nec modò alerentur à suis dominis, sed etiam docerentur & instituerentur:
nullique inertes & ociosi vagarentur mendici, quorum nunc agminibus Ciuitates & oneran-
16 *tur, & veluti obsidentur. Cæterùm illud, opinor, nemo negauerit, vt humaniter sublata sit sæua illa*
priscæ seruitutis tyrannis, ita rectè conseruari naturales personarum gradus, & ciuilia discrimina
quorum est necessarius vsus ad tuendam œconomiam & politiam. Quis enim non videt, quàm triste
alioqui esset chaos, & quàm horrenda rerum humanarum confusio, si seruus domini, filius parentis,
vxor mariti, cliens patroni, iustum & honestum imperium impunè posset habere ludibrio & con-
temptui? nec vllo Iuris vinculo contineretur illa obedientia, quam non temerè Æschylus in The-
17 *bis dixit* εὐπραξίας εἶναι μητέρα. *(felicitatis siue rei bene gerendæ, matrem). Memini Platonem in*
18 *bene constituta hominis natura intueri pulcherrimam quandam harmoniam ipsarum inter sese viri-*
um. Eam nos in Rep. intuebimur, si sua quisque memor conditionis, suo fungatur munere: si magi-
stratibus rectè imperantibus obtemperet populus, si patriæ potestatis reuerentia morigeros habe-
at filios, si seruilis fortuna herile agnoscat imperium, & dominus humaniter imperet, quæ digna sunt
homine. Hinc scilicet orietur illa, quam & Iustinianus in Nou. Constit. 8. tantopere prædicat, καλή τις
καὶ σύμφωνος τῶν τε ἀρχόντων καὶ τῶν ἀρχομένων ἁρμονία *(elegans & correspondens tum regentium tum pa-*
19 *rentium harmonia.) Contrà si hos gradus confundas, & priuatas potestates, omniaque personarum*
discrimina; efficies illam ἀταξίαν, *quam deprehendunt Christiani in corrupta hominis natura. Re-*
ctè itaque & grauiter Augustinus ad Macedonium epist. 54. scribit, non frustra institutas esse potestates:
necessariam esse disciplinam dominantis, & seueritatem, etiam boni patris. Habent (inquit) ista om-
nia modos suos, causas, rationes, vtilitates. hæc cùm timentur, & coërcentur mali, & quietius inter
malos viuunt boni. Finem faciam, si addidero quod Aristoteles lib. 8. Politic. grauiter scribit, in fa-
20 *milijs reperiri similitudines, & quasi exempla Rerumpub. Nam potestatem, quæ patri est cum libe-*
ris, obtinere formam regalis potestatis. Patri enim curæ esse liberos. Regiamque potestatem esse pa-
trium imperium, quanquam id in tyrannidem versum sit apud Persas, qui pro seruis vtuntur libe-
ris suis. Esse verò domini in seruos tyrannicum imperium, quippe in quo domini commoda agantur.
Atque hoc quidem Ius rectum esse, Persicum verò à via deflexisse. Dispares enim disparia imperia
sequi. Viro autem cum vxore Ius id intercedere, quod est in optimorum potestate. Nam pro digni-
tate virum ijs in rebus imperare, quæ dignæ sunt viro: quæ autem fœminam decēt, ea ei tribui. Quod
si in omnibus præsit vir & dominetur, fieri popularem potestatem. Verba Aristotelis sunt hæc:
ἡ μὲν πατρὸς πρὸς υἱεῖς κοινωνία, βασιλείας ἔχει σχῆμα. τῶν τέκνων γὰρ τῷ πατρὶ μέλει. ἐντεῦθεν δὲ καὶ Ὅμηρος τὸν
Δία πατέρα προσαγορεύει. πατρικὴ γὰρ ἀρχὴ βούλεται ἡ βασιλεία εἶναι. ἐν Πέρσαις δ' ἡ τοῦ πατρὸς, τυραννική. χρῶν-
ται γὰρ ὡς δούλοις τοῖς υἱέσι. τυραννικὴ δὲ καὶ ἡ δεσπότου πρὸς δούλους. τὸ γὰρ τοῦ δεσπότου συμφέρον ἐν αὐτῇ πράττεται. αὕ-
τη μὲν οὖν ὀρθὴ φαίνεται, ἡ Περσικὴ δ' ἡμαρτημένη. τῶν διαφερόντων γὰρ αἱ ἀρχαὶ διάφοροι. ἀνδρὸς δὲ καὶ γυναικὸς ἀριστο-
κρατικὴ φαίνεται. κατ' ἀξίαν γὰρ ὁ ἀνὴρ ἄρχει, καὶ περὶ ταῦτα, ἃ δεῖ τὸν ἄνδρα, ὅσα δὲ γυναικὶ ἁρμόζει, ἐκείνῃ ἀποδίδωσιν.
21 ἁπάντων δὲ κυριεύων ὁ ἀνὴρ, εἰς ὀλιγαρχίαν μεθίστησι. παρὰ τὴν ἀξίαν γὰρ αὐτὸ ποιεῖ, καὶ οὐχ ᾗ ἀμείνων. *Quid*
multis? manifestè apparet non magis esse confundenda personarum ciuilia discri-
mina, quam dominia rerum, quarum iustam & naturalem di-
uisionem in omni Republica retinendam esse,
alio loco dicemus.

De Iure Personarum, Titulus III.



MNE autem ius,quo vtimur,vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Et prius de personis videamus. nam parum est ius nosse, si personæ,quarum causa constitutum est,ignorentur.

Summa itaque diuisio de iure personarum hæc est: quòd omnes homines, aut liberi sunt, aut serui. Et libertas quidem (ex qua etiam liberi vocantur) est naturalis facultas eius, quod cuiq; facere libet, nisi si quid vi aut Iure prohibetur.

Seruitus autem est constitutio Iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur. Serui autem ex eo appellati sunt, quòd Imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solent: qui etiam mancipia dicti sunt, eò quòd ab hostibus manu capiuntur.

Serui autem aut nascuntur, aut fiunt: nascuntur, ex ancillis nostris: fiunt aut iure gentium, id est, captiuitate aut iure ciuili, cùm liber homo maior viginti annis ad pretiũ participandum sese væ nundari passus est. In seruorum conditione nulla est differentia: in liberis autem multæ. aut enim sunt ingenui, aut libertini.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

§. Omne autem Ius, cum §. seq.

1 *Continuatio tituli.*
2 *Tria illa capita, Persona, Res, & Actiones, cur hic explicata.*
3 *Ioan. Apellus quid in partitione illa desideret.*
4 *Dominium & obligatio propria Iuris capita.*
5 *Partitionis Iustinianeæ declaratio.*
6 *Arctior appellatio rei.*
7 *Factum alienum promitti non potest.*
8 *Primùm persona, deinde Iuris ratio quærenda.*
9 *Qui inter liberos & seruos referendi.*
10 *Libertatis definitio & discretio.*
11 *A coniugatis quomodo argumentemur.*
12 *Homo in fructu non est.*
13 *Facultas dicta quasi facilitas.*
14 *Obsequi & velle sunt diuersa.*
15 *Libertatis discrimen vnde propriè eluceat.*
16 *Euripidis temeraria libertas.*
17 *Persij libertas.*
18 *Inhonesti nulla est libertas.*
19 *Seruitus secundum Cic. quid?*

¶ *Omne autem ius.*]Hîc, neglecta vulgari distinctione, cõstituimus initium huius tituli: primùm 1
quia id fecerit Theophilus: deinde quia idẽ factũ sit in Pandectis, ac fieri omnino debere ostendat
rerum connexio: quam temerè secare, & in diuersos spargere titulos, non oporteat. Cùm Iulianus
colligeret Edictum perpetuum, rem totam iudiciariam iusto ordine præcipuè est complexus.
Eumque ordinem secuti sunt & architecti Pandectarum. Sed quia nullum est negocium, in quo
tractando statim nõ agatur de personis, veluti an cõtrahere potuerint, de rebus, veluti, cuius qua- 2
litatis & conditionis eæ sint, postremò & de actionibus, cuius generis sint: tria hæc capita in hoc
libello prius explicata sunt, quàm ad Pandectas veniret Iuuentus. Equidem memini Ioannem
Apellum eruditum Iurisc. multa desiderare in hac generali Iuris partitione. ac primùm quidem 3
admonet, personam non videri proprium ac peculiare Iuris caput: sed quandam potius circum-
a L. aut facta. De pœ. stantiam, vt est causa. locus, tempus, quantitas, qualitas [a]. Quia tamen hæc circumstantia latissimè
patet, fatetur non esse incommodum separatim eam explicari. Quod autem attinet ad secũdum
caput, existimat aptiorem fuisse dominij vocem quàm rei: nec satis commodè in Actione consti-
tui tertiã partem. Cùm enim dominiũ sit vna vera iuris vniuersi pars, magis obligatio quã actio,
debet altera dici. Nã par est coniungi has duas causas efficientes, ex quibus deinde pariter nascitur
actio. Vnde colligit dominiũ & obligationẽ, duo esse propria iuris capita, ad quę referãtur reliqua 4
omnia, quę sunt in legibus. Sed vt intelligamus vsum partiũ, quas hîc Iustinianus proponit, memi
nerimus, in personis considerari status, ordines, & officia. In rebus, acquisitionẽ, conseruationem, 5
alienationẽ: in actionibus, iudiciorum originẽ, materiã, formam, & finẽ. Postremò admonendi su
b L. rei appellatione. De verb. sign. mus, in hac partitione, rei appellationem esse arctiorẽ. Nam alioqui generalis eius significatio cõ- 6
c L. non quocunque. §. vlt. De lega. 1. plecteretur etiã personas [b], veluti seruũ. Hic itaq; seruus consideratur specialiter vt persona, cũ agi-
tur de eius statu. Cæterũ haberetur vt res alia quælibet, si aut venderetur, aut donaretur, aut legare-
d §. versa vice. inf. de inutil. stipulat. tur [c]. Vnde & licet factũ alienũ promitti nõ possit [d]: qui tamen seruũ suũ vendit, promittere potest 7
non esse fugitiuum aut furẽ [e]. Id enim promittit de seruo, sicuti faceret de alia qualibet re sua, quã
e L. si ita quis. De euict. rectè promittere potest non esse vitiosam. ¶ *Nam parum est.*] Sic olim, cùm ageretur de quibusdã le
f L. quidam referũt. De Iure codic. gatis, an valerent, respondit Scæuola [f], prius esse debere, cui ea dentur, ac tũ demum quæri, an data
cõsistant: vt nõ antè iuris ratio, quã persona quæratur. Sanè quanquã persona nõ videatur propriũ 8
iuris

Iuris caput, sed potiùs quædam circumstantia: quia tamen ea non minus latè patet, quàm dominij vel obligationis tractatio, necesse fuit nos semel in vniuersum admoneri de eius ratione, ne quid scrupuli esset in reliquis duabus iuris partibus, ad quas æquè & communiter ea pertinet.

¶*Summa diuisio.*] Hoc est, prima & generalis distributio, quæ quidem non caret arte, cum & omnia necessaria, nec quicquam superflui complectatur, magisque explicet membra diuidentia
9 per genera quàm per species. ¶*Aut liberi.*] Quorum numero saltem quod attinet ad conditio
nem & statum, habentur coloni ascriptitij, parabolani [a], & ἀπόλιδες [b] [ciuitate carentes] ¶*Aut serui.*] Inter quos referendi sunt & statuliberi [c], & addicti, licet ad tempus. ¶*Libertas est.*] Totus hic locus descriptus est ex Institutionibus Florentini [d]. Meminerimus autem hic agi de libertate, quæ statum & conditionem ciuilem significat, non de ea quæ arbitrij dicitur à Philosophis. Neque est
10 noua definitio, quæ hic proponitur. Nam & Tullius in Paradoxis, Quid est (inquit) libertas? Potestas viuendi, vt velis. & in libr. Officior. scribit, libertatis esse proprium, viuere vt velis. Aristoteles quoque libro sexto Politic. scribit libertatis esse, τὸ ζῆν ὥς τις βούλεται [viuere aliquem vt libet] Huc alludit Plutarchus in libello περὶ τοῦ ἀκούειν, inquiens τῷ λόγῳ τοὺς ἑπομένους ἀξιοῦν δεῖ μόνους ἐλευθέρους νομίζειν. μόνοι γὰρ ἃ δεῖ βούλεσθαι μαθόντες ζῶσιν. ταῖς δ' ἀπαιδεύτοις καὶ παραλόγοις ὁρμαῖς καὶ πράξεσιν ἀγεννὲς ἔνεστι καὶ μικρὸν, ἐν πολλῷ τῷ μεταμελοῦντι τὸ ἑκούσιον. Ita Plutarchus eleganter philosophicam libertatem coniungit cum ciuili: cui primùm tribuit rectum iudicium, deinde liberum arbitrium, liberamque actionem. Sed qui intelligunt humanæ naturæ corruptionem, magis deplorant amissam illam veram libertatē, quàm eius nomine gloriantur. Nam vt in exterioribus ciuilis huius & corporalis vitæ rebus, aliquid fortassè nobis relictum sit pristinæ libertatis: certè in alijs non possumus agnoscere superbam illam Græcorum αὐτεξουσίαν. ¶*Ex qua etiam Liberi vocantur.*] Locus est à coniugatis. Docet enim Cicero in Topicis ea dici Coniugata, quæ sunt ex verbis eiusdem generis, quæque ab vno orta variè commutantur: vt sapiens, sapienter, sapientia. Græci quoque appel-
11 lant συζυγίαν, hanc verborum coniugationem. Ducuntur autem inde plura argumenta, etiam in iure ciuili, veluti, Qui libertate potitur, liber est: Qui tutelam gerit, tutor est [e]. Si compascuus ager est, ius est compascere. Si quis cognationi legauerit, cognatis legasse videtur [f]. Fructuarius in par-
12 tu hominis non habet vsumfructum, quia homo in fructu non est [g]. ¶*Naturalis facultas.*] Hoc est, Libera quædam & plena potestas, rerumq; pro arbitrio gerendarum facilitas, nullis aliunde im-
13 pedimentis interturbata. Nam & Festus facultatem interpretatur, quasi facilitatem: & hic à Græcis Iuris interpretibus dicitur ἄδεια. ¶*Quod cuique facere libet.*] Ergo liber est, cui quod libet, licet:
14 & hoc libêre aut velle, proprium est libertatis. Neque enim seruus dicitur velle, dum imperio domini sui obsequitur [h]. Hucq; pertinet vulgatum illud apud Græcos epigramma, de eo qui ex seruo liber factus est. vnius literæ commutatione, quæ est inter δουλεύειν & βουλεύειν [seruire & velle.]

¶*Nisi si quid.*] Ne quis cauilletur id quoque seruo ademptum esse, adijciamus prætereà illud seruo non licere, quod vetat dominus, cui parere necesse est. Atq; hic demum propriè vis liberta-
15 tis & discrimen elucet. Rectè enim dictum est ab Isocrate in Archidamo, μὴ ποιεῖν τὸ προσταττόμενον, σημεῖον ἐλευθερίας ἐστίν [Non facere imperata, signum libertatis est.] Aristoteles lib. 4. ethic. significat πρὸς ἄλλον ζῆν esse, δουλικόν [ad alterius nutum viuere, esse seruile.] Idem lib. 1. Rhet. ἐλευθέρου (inquit) τὸ μὴ πρὸς ἄλλον ζῆν. ¶*Aut vi aut iure.*] Hanc exceptionem dum contemnit Euripides in Hecuba, re-
16 merè clamat non esse liberum, qui quoquo modo prohibetur facere quod vult. Ideoq; neminem prorsus esse liberum, quia vel fortuna, vel pecunia, vel lex scripta, vel multitudo ciuium vetat nos nostro viuere arbitrio. verba Euripidis sunt hæc.

——φεῦ
Οὐκ ἔστι θνητῶν, ὅστις ἔστ' ἐλεύθερος.
Ἢ χρημάτων γὰρ δοῦλός ἐστιν, ἢ τύχης
Ἢ πλῆθος αὐτὸν πόλεως, ἢ νόμων γραφαὶ
Εἴργουσι χρῆσθαι μὴ κατὰ γνώμην τρόποις.

Sed nemo sanus optare debet infinitam eiusmodi libertatem, effrenemq; licentiam, & plusquam humanam potestatem. ¶*Aut iure.*] Persius de homine libero.

Cur mihi non liceat, iussit quodcunq; voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica notauit.

17 De liberto tamen propriè loqui videtur, & significare illa Masurij Sabini responsa, quæ in Pandectis etiam citantur, de seruis manumittēdis, & de obsequijs, quæ libertus patrono præstare debet. Porrò autem rectè hominis libertas quibusdam iuris veluti septis coërcita est, ne fortè in immoderatam licentiam erumperet. Verum enim est, quod ait Demosthenes, νόμων λυθέντων, καὶ ἑκάστῳ δοθείσης ἐξουσίας ὅ,τι βούλεται, ποιεῖν, οὐ μόνον ἡ πολιτεία οἴχεται, ἀλλ' οὐδ' ὁ βίος ἡμῶν τοῦ τῶν θηρίων οὐδὲν ἂν διενέγκοι. [si leges abrogentur, & cuiuis licentia faciendi quicquid voluerit, data sit, non solùm Respub. pessum ibit, sed nec quicquam intererit inter nostram & ferarum vitam.] Nec sanè vir bonus existimabit suæ libertati offici, si quid iure facere prohibeatur [i], quod nec alioqui facturus erat. nam quod honestè fieri nō potest, nullo modo fieri posse iudicat [k]. ¶*Constitutio Iuris Gentiū.*] μετωνυμικῶς ita dictum est, pro ipso vinculo & status genere, quod venit ex Iure gentium. Cicero in Paradoxis
19 definit seruitutem, esse obedientiam fracti animi & abiecti, arbitrioque carentis suo.

a L. placet cum l. seq. C. de episc. & cler.
b L. quidā. De pœnis.
c L. statuliberum. De statulib.
d L. Libertas. De statu hominum.
e §. 2 inst. de tute.
f L. si cognatis. §. vlt. De reb. dub.
g L. vetus fuit. De vsufruct.
h L. velle. De reg. iur.
i L. si stipulatio facta fuerit. De verb. obl.
k L. filius. De condit. instituc.

§. *Serui autem ex eo appellati sunt, cum §. seq.*

1 *Vocabuli, Seruus, deriuatio.*
2 *Imperatores qui?*
3 *Agesilas Lacedæmonij clementia.*
4 *Alexandri victoriæ quales?*
5 *Pyrrhi crudelitas, Agamemnonis humanitas.*
6 *Sauromatarum Zitim, & Græcorum ζωγρεῖ.*

7 Thulita

¶ *Nostrum Ius significamus.*] Per quandam videlicet antonomasiam κατ' ἐξοχήν. [& secundum excellentiam.] Sic cùm vrbem dicimus, Roma intelligitur: cùm magistratum, Prætor. Cicero nomine consilij Atheniensium, ait satis intelligi Areopagum. ¶ *Sicuti cum Poëtam dicimus.*] Frequens est hæc similitudo. Nam & Strabo scribit Ponti nomine intelligi mare illud, quod à Mæotide palude vsque ad Tenedum protenditur; quemadmodum propter excellentiam Poëtæ nomine intelligitur Homerus. Et Cicero in Topicis, Vt (inquit) Homerus, propter excellentiam, commune poëtarum nomen efficit apud Græcos suum; sic cùm omnis sententia Enthymema dicitur, quia videtur ea, quæ ex contrarijs conficitur, acutissima, sola propriè commune nomen possidet. Seneca lib. 8. epist. Poëta (inquit) cõmuniter dicitur (omnibus enim versus facientibus hoc nomen est) sed iam apud Græcos in vnius notam cessit: Homerũ intelligas, cum audieris poëtam.

a L. aut facta. §. euentus. De pœn.
b L. qui venenum. De verb. signif.

Sanè Claudianus [a] intelligens Homerum, dixit præcipuum poëtarum. Caius [b] verò summum dixit apud Græcos poëtarum Homerum. A Platone Homerus appellatur ἄριστος καὶ θειότατος τῶν ποιητῶν. [optimus & diuinissimus poëtarum.] Aristoteles libro 1. Rhetor. Homerum intelligens, simpliciter ait, ὁ ποιητής φησιν. [poëta inquit.]

§. *Ius autem Gentium, &c.*

1 Belli finis pax.
2 Seruitutis gradus tres.
3 Belluina seruitus naturæ contraria.
4 Permutatio quoque dici potest emtio & venditio.
5 A Iure ciuili introducti contractus qui?
6 Ius ciuile constat scripto & moribus.
7 Lex significat ius scriptũ, & omnes eius species complectitur.
8 Res iudicata & æquitas ad Mores seu Consuetudinem referenda.
9 Prætorium Ius à iure ciuili separatum.
10 Xenophon noticias naturales vocat legẽ non scriptã.
11 Romulus primùm leges tulit Curiatas.
12 Rogationum olim mos.
13 Senatus olim Romani potestas.
14 Plebis scitum vnde.
15 Sylla tribunitiæ potestatis aduersarius.
16 Patricij qui olim Romæ, & qui postea apud Græcos.
17 Equites olim plebe continebantur.
18 Latius patet Populi quam Plebis nomen.
19 Plebis scita nonnunquam nominantur Leges.
20 Senatusconsulta quomodo fieri solita.
21 Senatus autoritas sub Cæsaribus qua?

c L. ex hoc iure. De Iust. & Iure.

Hîc Iustinianus describit non tam causam primam Iuris gentium, quàm vsum quendam, accommodatum ad præsentes circumstantias, & seruientem necessitatibus humani conuictus, ciuilisque societatis. hoc est, nõ tam significat Ius illud hominum siue naturæ, quod semper æquum & bonum est, quàm Ius consuetudinis omnium Gentium. Est autem totus hic locus desumptus ex responso Hermogeniani [c]. ¶ *Bella orta sunt.*] Quæ fuerunt necessaria, vt in pace viueretur sine
iniuria, & coërcerentur, qui publicam turbant tranquillitatem. ¶ *Captiuitates secutæ & seruitutes.*] 1
Hæc incommoda magis profecta videntur ex ingenio victorum, quàm vllo iure aut necessitate.
Fuit quidem bellum necessarium ad coërcendos malos, & propulsandas iniurias: seruitus autem
captiuorum est ex clementia victoris, qui maluit seruare, quàm sæuire. Hîcque obseruemus, qui-
bus gradibus seruitutis conditio durior facta sit. Primùm quidem seruire, nihil erat aliud quàm 2
seruatorem agnoscere. Receptum est deinde, vt seruorum operis & ministerio vteremur. Tandem
(vt modum nullum habet effrenis libido dominandi) etiam ius vitæ & necis in eos vsurpauimus:
nec meliori loco habuimus, quàm brutas animantes. Cuiusmodi belluina seruitus indigna est 3
homine, & verè contra naturam, primamq; nostram conditionem: quemadmodum etiam apud
Athenæũ libro 6 eleganter significatur, expressa hac seruitutis causa τύχη πάντα μεταφέρει τὰ σώματα.
[Fortuna transfert huc & illuc corpora.] ¶ *Omnes contractus.*] Qui idonei visi sunt & necessarij ad
commodam rerum & officiorum in ciuili societate communicationẽ: cuiusmodi sunt omnes qui

d L. Iuris gentium. De pact.

hic subijciuntur. Vlpianus quoq; agens [d] de Iuris gentium conuentionibus, quæ pariunt actionẽ,
cùm transeunt in proprium nomen contractus, enumerat venditionem, emptionẽ, locationem,
conductionem, societatem, depositum. Alij autem sunt innominati Iuris gentium contractus,
qui actionem non pariunt, nisi causa subsit. Sed huius rei tractatio grauior est ac difficilior quàm
vt in hunc locum sit infulcienda. Illud verò hîc obiter admonendi sumus, nomine emptionis &
venditionis posse nos rectè intelligere permutationem, quæ apud omnes æquè gentes semper in 4
vsu fuit, & multis seculis prior. ¶ *Pene.*] Apud Hermogenianum est, EXCEPTIS QVIBVSDAM.
Et eius quidem exceptio videtur propriè pertinere ad stipulationem, à Iure ciuili primùm intro-
ductam; item ad tutelæ actionem. Nos possumus addere Donationem propter nuptias, quæ non 5
modò non est antiquo Gentium iure prodita, sed etiam Romanis Iurisconsultis diu fuit incognita, primumque est à iunioribus diuis Principibus introducta, quemadmodum & postea Iustinia-

e §. est & aliud genus. inst. de donat.

nus [e] ait, & in Nouella Constitution. centesima decimanona, sancit hunc specialem esse contractum. Sed & cũ olim dubitaretur de Emphyteutico contractu, primus Zeno Imp. dicitur constituisse propriam eius naturam. ¶ *Constat autem.*] Dionysius Halicarnasseus libro vndecimo scribit Romulum multas vtiles leges tulisse, non modò scriptas, sed plures etiam non scriptas. νόμους καλοὺς (inquit) καὶ συμφέροντας, ἀγράφους μὲν τοὺς πλείστους, ἔστι δ' οὓς καὶ ἐν γράμμασι κειμένους κατεσκευασμένος, &c. Idem Dionysius testatur, Numam, qui Romulo successit, suas leges partim scripto complexũ esse,

partim

partim diuturnis moribus conformasse. τὰ μὲν (inquit) ἐγγράφοις ἀσφαλισθέντα νόμοις, τὰ δ' ἔξω γραφῆς εἰς
6 ἐπιτηδεύσεις ἀχθέντα καὶ συνασκήσεις χρονίους. Ex his manifestè constat, quod hic Iustinianus ait, con-
stare Ius ciuile scripto & moribus. Hæc autem eius diuisio sumpta est ex Vlpiano [a]: & superius obi- a L. Ius ciuile. §. 1. De
7 ter indicata, cùm fieret mentio legum & motum. Quo loco etiam admonui, legem significare Ius Iusti. & Iur.
scriptũ: hic verò addo, eam complecti omnes Iuris scripri species, quæ hoc loco recensentur: quem-
admodum & Cic. lib. 1. de legibus generaliter ait, Legem esse, quæ scripto sancit quod vult, aut iu-
bendo aut vetando. Idem in Topicis ptoponit eandem partitionem, quam hic Iustinianus. Inquit
enim: Ius ciuile est, quod in Legibus, Senatusconsultis, Rebus Iudicatis, Iurisperitorum autoritate,
Edictis Magistratuum, More, Æquitate consistit. Atque sunt hæ quidem omnes iuris tam scripti,
8 quàm non scripti species. Res enim Iudicatas & æquitatem moribus ascribimus. Nam & idem in
libris de Inuenrione, Consuetudinis Iuri subijcit iudicatum: quod videlicet summorum magistra-
tuum & iudicum sententijs constitutum est, ad exemplum reliquorum iudiciotum. Æquitas au-
tem est Ius ex æquo & bono, quod scribi, aut certò semel definiri non potest, sed variè sumitur pro
varijs rerum circumstantijs. Illud prætereundum non est, Papinianum [b] vniuerso Iuri ciuili non b L. Ius autem ciuile.
nisi quinque partes subijcere, Legem, Plebiscita, Senatusconsulta, Decreta Principum, Autorita- De Iustit. & Iur.
tem Prudentum: separare autem Ius Prætorium, vt Ius non scriptum, à Iure ciuili.

9 ¶ *Vt apud Græcos, τῶν νόμων, &c.*] Budæus legit, Ius τὸ μὲν ἄγραφον, τὸ δὲ νόμιμον. Sed eódem recidit.
Sanè Aristoteles in Ethicis ait quoque τὸ δίκαιον εἶναι διττόν, τὸ μὲν ἄγραφον, τὸ δὲ κατὰ νόμον. [Iustum esse
duplex, aliud quidem non scriptum, aliud verò secundum legem.] Demosthenes aduersus Ari-
stocratem, Ius etiam Atheniensium partitur εἰς γεγραμμένους νόμους, καὶ ἄγραφα νόμιμα. Et Pericles a-
pud Thucydidem libro 2. loquens de legibus Atheniensium ait, alias quidem leges κεῖσθαι, [ferri]
alias verò ἀγράφους εἶναι. [non scriptas esse.] Plato autem ius vniuersum trifariam partiri videtur,
εἰς νόμους, ἔθη, καὶ ἐπιτηδεύματα [in leges mores, & studia.] Polybius verò εἰς νόμους καὶ ἔθη, sicuti Latini
10 in leges & mores. Porrò Xennphon libro 4. ἀπομνη. appellat ἀγράφους νόμους, leges illas & noritias
naturales, quæ sunt à Deo impressæ animis hominum. Apud Sophoclem Antigone celebrat ἄγρα-
πτα νόμιμα κἀσφαλῆ θεῶν. [non scripta solidaque edicta deotum.] Apud Basilium in libris de
Spiritu sancto, commemorantur instituta quædam & dogmata Ecclesiæ Christianæ ἄγραφα. Sed
ea non sunt huius loci.

¶ *Lex est quod Pop. Rom.*] Hic legem accipimus speciali & singulari appellatione, vt non nisi v-
nam aliquam Iuris scripti speciem significet, nempe, quam Pop. Rom sanxerit. Primus apud Ro-
11 manos Romulus tulit leges quasdam Curiatas, hoc est, receptas & approbatas suffragijs populi
per lictorem curiarim accersiri. Ideoque & eas Cicero appellare videtur leges populares. Tulerunt
etiam sequentes Reges: sed ferè contemptis populi suffragijs. Quòd si aliam legis generalẽ descri-
ptionem siue definitionem desideramus, Papinianus ex Domosthenis oratione contra Aristogi-
tonem, edidit: quæ in Pandectis extat. Sanè apud Iurisconsultos nostros & Ciceronem simplici
Legis appellarione significari solet Lex XII. Tabularum. ¶ *Interrogante.*] De veteri Rogarionum
12 legumq; ferendarũ more, deq; suffragiorũ ratione apud Rom. multa passim scripta extant. Illud
autem singulare est, quod accepimus, moris olim fuisse, vt cùm Populus in campũ Martiũ conue-
nisset, rogationẽ aliquam aut acceptutus aut antiquatutus, tabulæ singulis binæ darentur: altera
cũ litera A: quæ nota esset antiquatæ siue sublatæ rogationis: altera verò sic inscripta, VTI ROGAS:
qua quis significabat, se assentiri roganti, & rogationẽ accipere, & velle vti rogasset is, qui rogatio-
nẽ ferebat. ¶ *Veluti Consule.*] Cõsulatus fuit Senatorius magistratus, donec tandẽ post longa certa-
mina, impellente Fabio Ambusto, Licinius & Sextius euicerunt, vt ex plebe quoque possent crea-
13 ri Consules. Porrò hic meminisse debemus olim Senatum Romanum habuisse omnium rerum
potestatem, præterquam Magistratuum creandotum, Belli inferendi, Legum sanciendarum. Hæ
enim pertinebant ad potestatem totius populi. Sed magistratus Senatorij poterant ad populum
leges ferre, eumque rogare, veluti Consules, Dictatores, Prætores, Ædiles, Censores. De Consuli-
bus, quorum hic Iustinianus meminit, ita Polybius scribit, αὐτοὶ ὅλον χειρισμὸν τῶν δογμάτων ἐπιτελοῦσι,
καὶ μὲν ὅσα δεῖ διὰ τοῦ δήμου συντελεῖσθαι τῶν πρὸς τὰς κοινὰς πράξεις ἀνηκόντων, τούτοις καθήκει φροντίζειν καὶ συνά-
γειν ἀεὶ τὰς ἐκκλησίας, τούτοις εἰσφέρειν τὰ δόγματα, τούτοις βραβεύειν τὰ δοκοῦντα τοῖς πλείοσι.

¶ *Plebiscitum.*] hoc est, Plebis statutum Sciscere enim statuere est. Vnde videtur scribendum
14 Plebiscitum. Cicero contra Rullum, & lib. 3. de legibus, vocat legem Tribunitiam, propter roga-
tionem Tribunorum. Athenienses appellabant ψήφισμα. Et quia debebat præcedere decretum Se-
natus, lege lata cauebant ἀπροβούλευτον ψήφισμα μὴ εἰσιέναι ἐν τῷ δήμῳ. Apud Ciceronem in libro de
opt. gen. orat. legimus & Populiscitum. ¶ *Veluti tribuno.*] Cùm plebs à Patribus secessisset propter
crudelitatem creditotum, creauit sibi Tribunos, qui fuerunt Plebeij magistratus, quanquam ali-
15 quando finito Decemuirali Imperio in collegium Tribunorum cooptati fuere Sp. Tarpeius, &
Aulus Æternius, patricij & consulares viri. Et postremis temporibus Sylla, Tribunitiæ potestatis
perpetuus aduersarius, conatus est Tribunatum promiscuum reddere, eique adimere omnem le-
gis ferendæ, rogandæque plebis potestatem, ¶ *Quo species à genere.*] Nam vt amplior est generis,
quàm speciei significatio: ita larius patet populi, quàm plebis nomen. Interim tamen nemo putet
Plebem esse populi speciem. nam potius pars est. Sic dixit Vlpianus [c], inter donum & munus hoc c L. inter donum. De
interesse, quod inter genus & speciem. verb. signif.

16 ¶ *Connumeratur etiam Patricijs.*] Patricij apud Romanos erant nobiliores, à primis illis patri-
bus & senatoribus, quos instituerat Romulus, oriundi: non dissimiles ijs, qui apud Athenienses
dicebantur

dicebantur εὐπατρίδαι. Alij autem erant apud Græcos Patritij, tempore Iustiniani, de quibus nos
alio postea loco agemus. ¶ *Et Senatoribus.*] Capito apud Gellium tractans hunc locum. Patritio-
a L. plebs est. De verb. signif. rum nomine complectitur Senatores. Sicut è diuerso Caius [a] appellatione Senatorum, Patritios,
cum ait, Plebem esse cæteros ciues, sine Senatoribus. Porrò quod attinet ad Equites, illi olim ple-
be continebantur, postea ordinem quendam proprium acceperunt, & tertium veluti corpus in 17
Rep. fuerunt, agente hoc in primis in suo Consulatu Cicerone, vt scribit Plinius libro 33. ¶ *Plebs
autem.*] Sic etiam Capito apud Gellium libro 10. cap. 20. diuidit populum à plebe, in qua gentes
b L. 2. §. deinde. De orig. Iur. patritiæ non inerant. Et noster Pomponius [b] satis indicat, plebis appellationem non tam latè pa- 18
tere quàm populi, cùm ait, difficile fuisse plebem conuenire, populum autem multo difficilius.
¶ *Sed & plebiscita.*] Liuius libro 3. deca. 1. loquens de L. Valerio & M. Horatio COSS. inquit,
Omnium primum, cùm veluti in controuerso iure esset, tenerentúrne Patres plebiscitis, legem
centuriatis comitijs tulere, vt quod tributim plebes iussisset, populum teneret. Sed alij hoc referũt
c dict. §. deinde. ad Q. Hortensium dictatorem, vt Iustinianus & Pomponius [c]. Et apertissimè Lælius ad Q. Mu-
tium, cuius hæc fuisse verba refert Gellius libro 15. cap. 27. Tribuni neque aduocant patritios, neq;
ad eos referre de vlla re possunt. Ita ne leges quidem propriè, sed plebiscita appellantur, quæ Tri-
bunis pl. ferentibus accepta sunt. Quibus togationibus antè patritij non tenebantur, donec Q.
Hortensius dictator eam legem tulit, vt eo Iure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur.
Vt vt sit, satis constat, quod hic dicitur, plebiscita tandem non minus valuisse quàm leges: quodq;
ait Pomponius, inter plebiscitum & legem, speciem tantùm constituendi interesse, potestatem
esse eandem. Quo fit vt mirari non debeamus, si quandoque legis nomine donetur plebiscitum, 19
vt lex Aquilia, lex Falcidia, lex Atilia.
¶ *Senatusconsultum.*] Vt fuit apud Lacedæmonios γερουσία, ita apud Romanos Senatus à Ro-
mulo institutus. Cui quidem primùm non fuisse Ius legis sanciendæ iam diximus: sed vt id postea
tribueretur, effecit difficultas conuocandi populi, qui numerosior erat. Porrò fieri debebat Sena- 20
tusconsultum in templo, siue loco per Augures consecrato, & post solem exortum. Nec poterant
duo Senatusconsulta fieri eodem die. Necesse autem erat conuenire Senatores centum, præsertim
in rebus grauioribus: simul & Tribunos sui suffragij notam subscribere, literam T. quòd si interce-
debant, ratum non erat Senatusconsultum. ¶ *Senatus iubet.*] Hoc est, Vniuersus ille Senatorum
d L. non ambigitur. De legib. ordo, quem Ius facere posse non putauit ambigendum Vlpianus [d]. Et quanquam sub Cæsaribus 21
admodum fuerit imminuta autoritas Senatus, retinuit tamen semper quasdam pristinæ illius suę
summæ potestatis reliquias, vt adhuc vim legis haberet Senatusconsultum, etiam non confirma-
e L. vnica. C. de Senatuscons. tum à Principe [e]: & vt ab eo non appellaretur, non magis quàm à Principe [f]. Fuit autem Senatus
cum reliquis Romani Imperij insignibus etiam Byzantium translatus à Constantino. Vnde No-
f L. 1. §. sciendum. D. à quib. app. non lic. uella Iustiniani Constit. 81. scribitur, τῇ ἱερᾷ συγκλήτῳ τῆς βασιλίδος πόλεως. [sacro Senatui huius re-
giæ ciuitatis.] In qua Senatores Constantinopolitani appellantur σεβασμιώτατοι πατέρες. [colen-
dissimi patres.]

§. *Sed & quod Principi placuit, &c.*

1 *Princeps sapiens est νόμος ἔμψυχος.*
2 *Menses duo tribuuntur cognitioni Constitutionum Principum.*
3 *Cur omne ius populi translatum in Principem.*
4 *Aduersus decreta Principum quæ remedia.*
5 *A rescripto Principis cur appellari possit.*
6 *Mithridates cur linguas 22. didicerit.*
7 *Philippus Macedo ipse causarum præses.*
8 *Alexander M. altera aure obturata causas audijt.*
9 *Sententia in absentem à Principe lata, non statim lex est.*
10 *Principum interlocutiones inter eorundem Constitutiones relatæ.*
11 *Orationes Principum quæ? & eadem quoq; Senatusconsulta.*
12 *Personales Constitutiones dicuntur Priuilegia, & Ius singulare.*
13 *Nulla lex commoda omnibus.*
14 *Persarum lex de non mutando Regis edicto.*
15 *Cessantibus causis priuilegiorum, cessent & ipsa priuilegia.*
16 *Personalia beneficia non dantur heredibus, nisi ex mixta causa.*
17 *Parendum eius loci consuetudini, in quo contraximus.*

g L. 1. De const. princ. Totus hic locus descriptus est ex primo libro Institutionum Vlpiani [g]. Initio autem in-
telligemus hîc Principem, sapientem, qui sic animum instituat suum, nihil vt velit nisi quod ho-
nestum, & è Rep. futurum est: cui nihil libeat, nisi quod liceat: qui sequatur Antiochum illum ter-
tium: quem ferunt datis ad singulas ciuitates suas literis iussisse, ne sibi parerent, si quid fortè præ-
ter ius & fas ediceret. Denique qui lubenter imitetur Alexandri Seueri exemplum: quem accepi-
mus nihil decreuisse sine Iurisconsultis viginti, & pluribus alijs disertissimis viris. Eiusmodi (in-
quam) vero & sapienti Principi quod placet, æquum est vim legis habere: Estque reuera ipse (vt ait
quodam loco Iustinianus) νόμος ἔμψυχος, [lex animata,] & in hos vsus Principem à Deo datum 1
Reip. testatur idem Iustin. in Nou. Constit. 73. Apud Isocratem rex Nicocles populũ suum alloquens
τοὺς (inquit) λόγους ἐμοὺς, νόμους εἶναι νομίζετε. [sermones meos leges esse existimate.] Scilicet probè
meminerat eorum, quę aliquando ab ipso Isocrate acceperat, præceptorum, inter quæ vnum illud
insigne

insigne extat, Interesse Reip. ratas manere Principis sententias non minus quàm leges rectè latas. Verba Isocratis sunt hæc: καὶ φρόνει ὅτι συμφέρει τὴν τῆς βασιλείας γνώμην ἀμετακίνητον ἔχειν ὥσπερ τοὺς νόμους τοὺς καλῶς κειμένους. Sed ne longius abeam, quomodo accipiendum sit, quod veteres dixerunt, principis placitum, Legem esse, optimè ostendit Mecœnas, qui apud Dionem libro 52. Augustum monet, ne quid statuat sine prudentum virorum consilio: & tum demum lex sit, quod & illi & his placuerit ἵνα (inquit) καὶ νόμος εὐθὺς ᾖ πᾶν, ὅ, τι ἂν βουλευσάμενος σὺ μετὰ τῶν ὁμοτίμων εἴπῃς. Scribit Capitolinus Opilium Macrinum Imperatorem nequaquam Iuris ignarum, voluisse aliquando tollere omnia Principum rescripta, quòd nefas esse duceret pro legibus haberi voluntates Commodi, Caracallæ, aliorumque tyrannorum. Sed nos huic malo rectius consulimus, cùm solas bonorum & sapientum Principum leges tuemur, & iniqua tyrannorum edicta repudiamus, habentes semper præ oculis quod diuus Petrus ait, Melius esse obedire Deo, quàm hominibus.

¶ *Placuit.*]Gregorius Nazianzenus ἐν στηλιτευτικῷ in Iulianum, scribit τὸ βούλεσθαι, [velle] esse tyrannorum ἄγραφον νόμον. [legem non scriptam.] Sed cùm certis ex causis aliquid Principi placet, nec est omnino pro ratione voluntas, nō debemus temerè damnare Principis placitum. Imò vero potius vim generalis legis ei tribuere, si nullo certo casu suam voluntatem concludat Princeps. ¶ *Legis*

2 *habet vigorem.*]Pomponius simpliciter ait, ratum esse, quod Princeps statuit [a]. Sed id accipi debet, *a L. 2. §. post deinde* post duos menses, ex quo fuerit edita Principis constitutio. nam tantum liberi temporis tribuitur *De orig. Iur.* eius cognitioni, ne quis ignarus circumueniatur. Qua de re extat Nouella Iustiniani Constit. 66. ὥστε τοῖς γινομένοις νόμοις διατάξεσι, μετὰ τὴν ἐμφάνισιν αὐτῶν μετὰ δύο μῆνας ἄλλους κρατεῖν.

¶ *Lege Regia, quæ de eius imperio.*]Hæc alibi dicitur lex Imperij [b], quòd contineret eius conditio- *b L. ex imperfecto.* nes à populo, cuius erat ex Romuli institutione Regem creare. præscriptas: quemadmodum & o- *C. de testam.* lim apud Athenienses, vt ait Thucydides lib. 1. πρότερον δὲ ἦσαν ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι πατρικαὶ βασιλεῖαι. videtur autem hæc lex etiam alia continuisse capita. Nam Marcellus [c] meminit legis Regiæ, quæ vetabat, mulierem, si prægnans esset mortua, humari, antequam partus ei excidatur. Et eum qui con- *c L. 2. de mor. infer.* trà fecisset, videri spem animantis cum grauida peremisse. ¶ *Concedat.*]Apud Vlpianum est, contulerit [d]. Alibi Iustinianus vtitur verbo transferendi. Nam in præfatione Pandectarum ait, anti- *d L. 1. de const. princ.* qua lege, quæ Regia nuncupabatur, omne ius, omnemque potestatem populi Rom. in Imperatoriam translatam potestatem. Et Arcadius [e], Regimentis (ait) Reip. ad Imperatores perpetuò trans- *e L. vna. De offi.* latis. Strabo autem libro 17. ἡ πατρὶς (inquit) ἐπιτρέψασα αὐτῷ τὴν προστασίαν τῆς ἡγεμονίας, ὡς τέλειον κύριον *præf. pret.* ἀπέδειξε πολέμου καὶ εἰρήνης κύριον διὰ βίου. [Patria commisit ipsi totius Imperij administrationem, atque constitutus est & belli & pacis dominus ad annos vitæ.] Pomponius, dum hunc locum tractat, dissimula-

3 ta vi Iulij Cæsaris, videtur προσταλεῖν, [præmunire,] inquiens, è Rep. fuisse, vni alicui Principi summum ius dari, tum vt omnis factionum occasio tolleretur, tum vt ille Senatui quodammodo succenturiaretur in administratione Italiæ & Prouinciarum. Exemplum huius cessionis indicat Tranquillus scribens; Caligulæ vrbem ingresso, consensu Senatus, & irrumpentis in curiam turbæ, ius arbitriumque omnium rerum permissum esse. ¶ *Imperator.*]Aliud est de inferiori magistratu, licet is publica potestate præditus sit. Quanquam enim leuis non sit autoritas rerum iudicatarum, nullius tamen magistratus sententiam tanti faciemus, vt vim legis ei tribuamus [f]. *f L. nemo. C. de sen-* Nam nec solemus sequi aliorum præiudicia, vt etiam admonet Fabius lib. 5. cap. 2. & addit quod *ten. & interloc.*

4 huc pertinet, aduersus consulta Senatus & decreta Principum, remedium nullum esse, nisi vel inuenta causæ differentia, vel aliqua eorundem eiusdémve potestatis hominum constitutione posteriori, quæ sit priori contraria. ¶ *Per epist.*]Addit Vlpianus [g], ET SVBSCRIPTIONEM. Episto- *g dict. L. 1. De const.* lam autem hic intelligimus vel rescriptum publicum, vel priuatum responsum, modò non con- *princ.* cludatur vllo certo casu. Meminit eiusmodi epistolæ Paulus [h]. Et apud Plinium iuniorem extat *h L. regula. §. vlt. De*

5 quædam Neruæ epistola, quæ iubet epistolis Domitiani, tanquam legibus stari. Neque vero ali- *iur. & fact. ignor.* quis miretur prouocari posse à sententia, quæ lata est interueniente Principalis rescripti autoritate [i]. Id enim permittitur, vt excutiatur veritas consultationis Principi propositæ: quam si constite- *i L. 2. C. de appell. l.* rit veram fuisse, nihil amplius quæritur. ¶ *Vel cognoscens.*]Non puduit olim Principes interesse *1. §. 1. D. eod.*

6 iudicijs & actionibus causarum. Quinimo Mithridates, vt suo ore, nulloque interprete, suis populis ius redderet, perdidicit linguas viginti duas. Sed nec Philippus Macedo indecorum putauit

7 quotidie præsidere causis cognoscendis: nec ægrè tulit cuiusdam aniculæ admonitionem, Ne rex

8 esset, si non vacaret ei suorum causas audire. Imitatus est patrem Alexander, cui moris fuisse dicitur, actiones forenses audire altera aure manu obturata, quam dicebat se integram seruare aduersæ parti. Idem & de Romanis Principibus cognoscere est ex Suetonio. Et noster Paulus dicitur conscripsisse libros sex Imperialium sententiarum in cognitione prolatarum. Certè Iustinianus sæpe in suis Nouellis hoc nomine gloriatur. Et nominatim in Nouella Constit. 108. testatur se ex forensibus controuersijs, quibus interest, frequenter sumere occasionem multarum salutarium legum ferendarum. τοῦτο (inquit) ἐθὰς ἡμῖν ἐστὶν ἐκ τῶν ἐν ταῖς ὑποθέσεσι κινουμένων ζητήσεων, νόμων χρηστῶν λαμβάνειν ἀφορμάς. [consuetudinis nostræ est, vt ex quæstionibus in speciebus factorum motis, bonarum Legum condendarum occasiones arripiamus.] ¶ *Decreuit.*]Decretum hoc loco simpliciter, & generaliter accipitur pro sententia definitiua, quæ lata est causa cognita, & partibus cominus constitutis, vt alio loco ait Iustinianus [k]: qui & illud obiter indicat, sententiam in absen- *k L. vlt. C. de legib.*

9 tem à Principe latam non statim habere vim legis generalis: quia magis lata videatur ob absentis *l L. qui repudiantis.* contumaciam, quàm ipsius causæ iniquitatem [l]. Porrò ne hæreamus in sententia definitiua, no- *C. de inoff. testa.* minatim addidit Vlpianus [m] (quod mirum est hic à Iustiniano esse prætermissum, nisi vtrunque *m L. 1. De const. princ.*

voluerit

voluerit complecti verbo decreti) idem esse, etsi de plano interlocutus fuerit Princeps. vt intelli-
gamus quodcunque Principis placitum habere vim legis: nempe vbi satis apparet, hanc esse Prin-
cipis voluntatem. Alioqui sanè tantum non erit temerè tribuendum quibuscunque vel leuissimis
Principum interlocutionibus: quas apparet non in hoc esse dictas [a]. Certè si qua Principis inter- 10
locutio relata fuerit inter alias eius constitutiones (vt sunt pleræque in Iure [b]) amplius dubitan-
dum non erit de vigore legis.

¶ *Constitutiones appellantur.*] Apud Græcos verò διατάξεις. apud Plutarchum in Marcello com-
memorantur διατάγματα τῶν αὐτοκρατόρων. Porrò in Iure nostro celebrantur plurimæ Principum Oratio-
nes, veluti Seueri [c] de rebus eorum, qui sub tutela sunt, non alienandis. Et Marci Imp. de transa-
ctione alimentorum [d], de fugitiuorum requisitione [e], de bonis maternis [f]. Item Antonini [g],
de donationibus inter virum & vxorem. Et Adriani [h], de petitione hæreditatis. Dicebantur au- 11
tem Orationes, cùm Principes modestius se gerentes, quod ipsi sua poterant statuere & decernere
autoritate, vltrò referebant ad Senatum. Et quia hic non minus Senatus, quàm Principum partes
interueniebant, ad vtrunque poterat trahi autorem quod ita constituebatur. Vnde Oratio Adria-
ni de petitione hæreditatis, appellatur quoque Senatusconsultum [i]. Et quam Iustinianus Ora-
tionem Pertinacis vocat [k], Capitolinus appellauit Senatusconsultum. & Senatusconsultum Ma-
cedonianum scimus esse factum autore Vespasiano.

¶ *Quædam sunt personales.*] Quæ à Latinis dicuntur Priuilegia. Sunt enim leges ad priuos ho-
mines singulosque pertinentes, vt inquit Gellius libro 9. neque refert supplicium contineant, an 12
præmium, modò semper illud sit singulare. Nam & Tullius legem de sua proscriptione latam, ap-
pellat priuilegium. A nostris Iurisconsultis appellatur Ius singulare, quod aduersus communes le-
ges propter aliquam rationem peculiarem introductum est [l]. Sunt autem in Rep. plerunque ne-
cessaria priuilegia. Neque enim (vt ait Cato apud Liuium) vlla lex satis commoda omnibus esse 13
potest. Nam vel beneficium quoddam singulare, vel supplicium nouum, humanæ vitæ varietas
exigit. Sed nescio quomodo videntur olim Satrapæ Persici negasse Dario Regi hoc ius priuilegij,
quo Danieli succurrere volebat, allegantes vetustam quandam legem apud Persas, quæ prohibet
vllo modo immutari edictum, quod Rex semel condiderit, vt refert Daniël cap. 6. Papinianus [m] 14
Legem esse ait commune præceptum. sicut & Vlpianus respondit, Iura non in singulas personas,
sed generaliter constitui. Sed & apud Athenienses scribit Demosthenes contra Aristocratem, Le-
gem hanc fuisse, Μὴ νόμον ἐπ' ἀνδρὶ ἐξεῖναι θεῖναι. [Legem super vno homine ferri non licere.] Sed ta-
men ob singulares quasdam grauissimasque causas, personales quædam constitutiones magna
religione editæ sunt. Vetus Lex XII. Tab. saltem Centuriatis Comitijs priuilegia irrogari patieba-
tur. ¶ *Ad exemplum non trahuntur.*] Hoc est, vt interpretatur Paulus [n], ad consequentias non pro-
ducuntur. Et Papinianus respondit [o], sententiam quandam in fideicommissarijs libertatibus iu-
re singulari receptam, non trahi ad reliqua fideicommissa. Sanè vbicunque cessant priuilegiorum
causæ, nihil est in Repub. perniciosius priuilegijs: vt diligenter curandũ sit, ne quando fines suos 15
egrediantur. Idque metuens olim Traianus, cùm videret priuilegijs à se datis plures inniti, noluit
amplius libellis ex scripto respondere, sed verbo tantum.

¶ *Sicut sine exemplo subuenit.*] Vt si alicui damnato pœnam remittat (quod solus [p] potest,) non
est quod alij similem sibi promittant indulgentiam, vel impunitatem. Princeps enim cuius vult,
miseretur. Certè Iustinianus Nouel. sua Constit. 139. cùm pœnas nuptiarum illicitè contractarum
benignè remitteret quibusdam incolis Syndyos pagi, & Hebræis Tyri insulæ, disertè id vetuit tra-
hi in exemplum, vel ad spem eiusdem impunitatis. ὥστε (inquit) εἰς παράδειγμα ἑτέροις, τοῦτο παρ' ἡμῶν δεδόσθαι. ¶ *Personam.*] Quæ locum fecit priuilegio [a]. Sæpe itaque iure ciuili traditum est, perso-
nalia beneficia non dari hæredibus [b]. Quod si priuilegium mixtam causam haberet, nec videre- 16
tur indultum ob solam conditionem personæ, posset transmitti ad hæredes. Vt est priuilegium mi-
norum & mulierum, de in integrum restitutione [c]. Nam quòd ijs præter communes Iuris regu-
las succurratur, non sola causa est ætas, vel sexus imbecillis, sed & ratio damni accepti, eiusque sar-
ciendi benigna & æqua solicitudo. ¶ *Omnes tenent.*] Quicunque videlicet sunt subiecti ditioni
& imperio huius Principis: alios enim tenere non possunt, nisi quatenus in huius Principis terri-
torio, contrahendo vel delinquendo prorogatent eius potestatem siue Iurisdictionem: quia pa- 17
rere debemus legi & consuetudini eius loci, in quo contraximus [d]. eiusque pœnas subire, in quo
deliquimus [e].

a L. 3. §. vlt. C. de leg. b L. metum autem præsentem. §. aut prætor. De eo quod met. cau. c L. 1. De reb. eo. qui sub. tut. d L. cum hi. De transf. e L. diuus de ser. fug. f L. pen. D. ad. Sena. Tertul. g L. cum hic statu. De donat. inter vir. & vxor. h L. si & rem. §. illud. De petit hæred. i §. L. item veniunt. pridie. De petit hær. k §. vlt. infr. quib. mo. testa. infir. l L. Ius singul. De legib. m L. 1. De legib. n L. quod vero. De legib. o L. fideicommissaria libert. 11. §. etiam. De fideicom. lib. p L. acta. §. de ampliãda. De re iudic. L. Diui fratres. De pœnis. a L. in omnibus causis id obseruatur. De reg. Iur. b L. priuilegia. De reg. Iur. L. maritum. D. Sol. mat. L. ætatẽ. De censib. L. 1 L. 5. §. immunitati. De Iur. immun. c L. non solum. De in inte. rest. L. minor an tem. §. vlt. De minorib. L. heredes. C. ad Velleianum. d L. si fundus. De euict. e L. Imperatores De Iure fisci. L. sacculari. j. §. sunt quædam. De extr. crimi.

§. *Prætorum quoq; edicta, cum sequentib.*

1 *Prætoris olim autoritas Romæ.*
2 *Proconsulum autoritas in Prouincijs.*
3 *Magistratuum voce generaliter Prætores intelliguntur.*
4 *Aediles Plebeij & Patricij.*
5 *Aediles quid administrarint.*
6 *Opiniones in dictu testium non habent locum.*
7 *Prudentes non potuerunt mutare seu tollere ius.*
8 *A temporibus Gordiani vsq; ad Lotharium Saxonem nullus apud Latinos extitit I. C. celebris.*
9 *Cur hodie passim scripta sint Consuetudines.*
10 *Consuetudo singularum ciuitatum ad ius ciuile eiusdem loci est referenda.*
11 *Consuetudo generalis quæ?*
12. & 17. 27. *Maior habenda ratio æquitatis quàm inueteratæ iniquitatis.*

13 *Veritas*

¶ *Praetorum quoq; edicta.*] De Prætotum edictis quędam diximus, cùm nostrum ederemus con-
silium de ea, quam meditamur, Iuris ciuilis demonstratione: cuius libro tertio plura dicemus.
1 eum enim totum Prætorijs edictis destinamus. Illud nunc dicam, quod Liuius scribit, sic creuisse
Prætoris autoritatem, vt data sit illi omnis priuati publicique Iuris potestas. Certè apud nostrum
quoque Iustinianum in Nouell. Constitut. 26. Prætor vocatur ὁ Ῥωμαίων στρατηγὸς πόμῦ ϗ ὁ Νομοθέ-
της. [Romanorũ Impetator simul & legislator.] Idem in Nouella 24. ait Prętorem Rom. potuisse τὸ
ϖεὶ τῶν νόμων γράφειν. [leges præscribere.] Item, ϖεοσβεβλῆσθαι (inquit) τῶν νόμων αὐτὸν τῶν Πραιτώρων ἴδιον
2 ἦν. [præfici legibus, initio Prætorum erat proprium.] Vt autem Romæ Prætoribus, sic etiam post-
ea in prouincijs Proconsulibus similem potestatem edictotum ptoponendorum concessam fuis-
se testes sunt, vel ipsius Caij Commentarij ad Edictum prouinciale. sicuti & tempore Ptobi Imp.
Ius Prætorium omnibus prouinciatum Præsidibus datum esse scribit Vopiscus. Sub Cæsaribus ta-
men vt aliorum sensim magistrarunm, sic & Prætorum potestas valde imminuta est. Nam & eos
ad Principem magis tetulisse, quàm pro suo arbitrio statuisse, de Iure controuerso, ijsque Princi-
pem veluti ius dixisse, quidam adhuc in Pandectis loci ostendunt [a]. Et quidem posteaquàm A-
drianus Imp. edictum perpetuum à Iuliano collectum edidit, non videntur sequentium Præto-
rum noua Edicta magni fuisse ponderis. Sed hac tota de re longiorem tractatum reijcio ad eum,
quem dixi, librum.

a L. verum. §. ex facto. De minorib. L. u De vent. inspic.

3 ¶ *Magistratus.*] Prætores nempe: hos enim κατ' ἐξοχὴν intelligimus generali magistratuum
voce. Fueruntque semper Prætores inter maiores magistratus, qui creabantur maioribus auspi-
cijs, quæ comitijs centuriatis captabantur, veluti Consules, Censores, & Prætores, vt scribit Gelli-
us libro 13. cap. 14. Temporibus nostrorum Iurisconsultotum sine vllis comitijs vel auspicijs ab
Imperatoribus deferebantur magistratus: & tum maiores magistratus dicti sunt, qui imperium
4 potestatémve haberent [b]. ¶ *Aediles curules.*] Fuerunt apud Romanos duo Ædilium ordines, Ple-
beiorum scilicet, & Patriciorum Curulium: quibus quid fuerit curæ, copiosè scribit Tullius in 7.
Verrina. ¶ *De quibusdam causis.*] Extat in Pandectis Ædilitium Edictum, extantque nostræ in id
5 annotationes, quibus explicuimus actiones Ædilitias Redhibitoriam, & quanto minoris. Fue-
runt autem alia multa nudæ simplicisque administrationis ijs commissa, veluti vt curarent ædifi-
cia sarta tecta esse, & cloacas mundas, & aquæ ductus integros, & vias expeditas. Quæ omnia ele-
gantissimè continentur quodam Græco Papiniani responso ἐκ τοῦ αὐτοῦ μονοβίβλου ἀστυνομικοῦ. [ex eius
libro singulari de officio ædilium,] quod extat in Pandectis [c]. Prætereà Iure ciuili proditũ est, eos
potuisse concidere lectos in via [d], & falsas mensuras frangere [e]: quod etiam testantur Iuuenalis
& Persius. ¶ *Iuris honorarij portio.*] Vnde posteà Iustinianus ait, Prætotiarum stipulationum ap-
pellatione contineri etiam Ædilitias [f].

b L. nec magistratib. De iniur.

c L. 3. De via publ.
d L. lectos. De peri. & com. rei vend.
e L. item quaeritur §. si quis mensuras. D. locat.
f §. praetoria. inst. de diuis. stipulat.

¶ *Sententiae & opiniones.*] Theophilus interpretatus sententiam hìc esse ἀπόφασιν τελείαν ϗ ἀναμφίβολον
ἀπόκρισιν, [perfectam & indubiam responsioné,] addit opinionem significare, ὑπεσταλμένην ϗ μετὰ
ἐνδοιασμοῦ προσφερομένην ἀπόκρισιν, hoc est, suspensam, & cum quadam dubitatione redditam respon
sioné. Vt cùm quis ait se existimare, aut aliquid fortè iustũ esse. Cuiusmodi formula respondendi
aliquando vtuntur nostri Prudentes, multaque supersunt in Iure vestigia huius [g] ἐνδοιασμοῦ. Et to-
6 leratur etiam in sententijs Iudicum [h] & arbitrorum [i]: non tamen in dictis testium. Eorum enim
non auditur opinio, sed exigitur certa sententia [k]. ¶ *De Iure respondere.*] Alij legunt, IVRA CON-
DERE. & Theophilus vertit νομοθετεῖν. Sed Prudentibus videtur tantum permissum fuisse per in-
7 terpretationem Iura condere, cùm scilicet consulerentur de Iure controuerso & dubio: non etiam
potuisse mutare vel tollere certum ius Populi Rom. ¶ *Antiquitus constitutum erat.*] Sublato apud
Romanos Decemuiratu, cui ius erat leges interpretari, vt semper aliqua certa extaret legum sen-
tentia. successit Prudentum opera, quorum esset ratum in hoc genere iudicium. Ac plurimi qui-
dem & maximi semper viri in ciuitate Rom. fuerunt, qui ius ciuile interpretari Populo & respon-
sitare soliti sunt. Verùm cùm iusta deesset autoritas, eaque ipsa quam habebant Prudentes, in con-
temptum abiret, & euilesceret omnibus passim sese ingerentibus, Augustus Cæsar vtrique malo
prudenter occurrit. Primùm enim edixit, Ne quis sola suorum studiorum fiducia fretus, sine Prin-
cipis permissu de iure responderet. Deinde voluit, vt ij, quibus permitteret, publica & principali
donarentur autoritate. Hoc edictum Augusti Tiberius secutus, primus dicitur summi muneris
loco permisisse Masurio Sabino, vt responderet de Iure. Postea (quæ est priuatorum hominum

g L. si duo. De rec. arbi. L. mutus. De procur.
h L. diui fratres. §. item omnes iudices. De lib. caus.
i L. quid tamen. § si arbit. De recep. arb.
k L. testium. C. de testib.

D ambitio,

tenebunt omnes. Nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, & factis? Ergo vbi scriptis legibus non vtimur, vel quia nullæ extant, vel aduersus eas aliud vsu re-
16 ceptum inualuit, ante omnia inspicimus peculiarem consuetudinem cuiusq; loci [a]: deinde ipsius prouinciæ. Et si desit certa consuetudo vel lex scripta, quæ nominatim dirimat controuersiam, sequimur quod proximum est, & consequens. Quod si etiam illud desit: ait Iulianus, inspiciendam consuetudinem ciuitatis Romanæ. Idque probat Iustinianus in præfatione Pandectarum. Sed in-
17 terim semper meminerimus, quod Proculus [b] ait, non tam spectandum, quid Romæ factum sit, quàm id quod fieri debeat.

a L. venditor. §. si constat. D. Commu. diuid.

b L. sed licet ii. De offic. præsi.

¶ *Origo eius ab institutis.*] Si quis vniuersam Rom. Remp. propius intueatur, comperiet esse verissimum, quod ait Polybius, Romanos optimè solitos καὶ μεταλαβεῖν ἔθη, καὶ ζηλῶσαι τὸ βέλτιον. [& assumere mores, & quod optimum visum esset æmulari.] Quod & Salustius scribit, & Athenæus lib. 6. qui etiam addit, quod huc propriè pertinet, eos melius tutatos politiam Lacedæmoniorum, quàm Lacedæmonios ipsos. μιμησάμενοι (inquit) κατὰ πάντα τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν, διετήρησαν
18 αὐτὴν μᾶλλον, ἢ ἐκεῖνοι. [omnibus in rebus Lacedæmoniorum Remp. imitantes, melius quàm ipsi obseruarunt.] Sed & quàm diligenter omnes suæ Reip. partes conformarint ad exemplum Græco-
19 rum, facile intelligent qui vtriusque Reip. mores & instituta propius intuebuntur. Quomodo autem à Græcis leges suas petierint, historia nota est, nempe anno ab vrbe condita 300. missos esse tres Legatos, Sp. Posthumium Album, Sulpitium Camerinum, & A. Manlium, vt Solonis leges describerent, & aliarum Græciæ ciuitatum instituta moresque perdiscerent. Reliqua copiosius alio loco descripsimus. Si quis antiquiorem originem desideret, memini me legisse, Lacedæmoniorum manum per id tempus, quo Lycurgus eorum ciuitatem moribus & institutis ornabat, seditione orta, Laconia excessisse, tandemque in Pometinis agris consedisse, vbi Feroniæ templum condiderunt. Mox eorum quosdam cum Sabinis habitasse, eorumque consuetudine factum, vt pleraque Sabinorũ instituta fuerint Laconicis simillima: quorũ multa deinde Numa Rex ex Curibus Sabinis oriundus, ad Rom. transtulit Remp. Sed ne longius abeamus, Dionysius Halicarn. non obscurè ostendit, & Romulum & reliquos Reges Rom. in constituenda sua Rep. omnino Græ-
20 cos esse imitatos. ¶ *Duarum ciuitatum.*] Quarum in Græcia facilè principum, laudem eleganter perstringit Tullius pro Flacco, obiter etiam indicans rationem, cur ab his potissimum censuerint Romani leges esse petendas. Inquit enim: Ab Atheniensibus humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur. Lacedæmoniorum virtus spectata & nobilitata, non solùm natura corroborata, verùm etiam disciplina putatur, qui soli toto orbe terrarum septingentos iam annos & amplius, vnis moribus, & nunquam mutatis legibus viuunt. Sed & apud Thucydidem lib. 2. Pericles suos Athenienses laudat eo maximè nomine, quòd alijs Populis leges videantur præscripsisse: ipsi autem aliunde non acceperint, χρώμεθα (inquit) πολιτείᾳ ου ζηλούσῃ τοὺς τῶν πέλας νόμους, παράδειγμα δ' αὐτοὶ μᾶλλον ὄντες τισὶν, ἢ μιμούμενοι ἑτέρους. Isocrates quoque in suo Panegyrico testatur Athenienses ipsis quoque Græcis legum bonarum & omnis honestæ politiæ exemplum dedisse. Isocratis verba, quæ non parum commendare possunt fontes Iuris nostri, sunt hæc de Atheniensi Rep. παραλαβοῦσα τοὺς Ἕλληνας ἀνόμως ζῶντας καὶ σποράδην οἰκοῦντας, καὶ τοὺς μὲν ὑπὸ δυναστειῶν ὑβριζομένους, τοὺς δὲ δι' ἀναρχίαν ἀπολλυμένους, καὶ τούτων τῶν κακῶν αὐτοὺς ἀπήλλαξε, τῶν μὲν κυρία γενομένη, τοῖς δ' αὑτὴν παράδειγμα ποιήσασα. πρώτη γὰρ καὶ νόμους ἔθετο, καὶ πολιτείαν κατεστήσατο. δῆλον δ' ἐκεῖθεν. οἱ γὰρ ἐν ἀρχῇ περὶ τῶν φονικῶν ἐγκαλέσαντες καὶ βουληθέντες μετὰ λόγου, καὶ μὴ μετὰ βίας διαλύσασθαι τὰ πρὸς ἀλλήλους, ἐν τοῖς νόμοις τοῖς ἡμετέροις τὰς κρίσεις ἐποιήσαντο περὶ τούτων. Fuisse autem Atheniensium leges (quarum exemplar Romanis placuit) omnibus numeris absolutissimas, testatur idem Isocrates in suo Panathenaico his verbis: ὀλίγους μὲν, ἱκανοὺς δὲ τοῖς χρῆσθαι μέλλουσι, καὶ ῥᾳδίως συνιδεῖν. ὅπου τε δικαίους καὶ συμφέροντας, καὶ σφίσιν αὐτοῖς ὁμολογουμένους καὶ μᾶλλον ἐσπουδασμένους τοὺς περὶ τῶν κοινῶν ἐπιτηδευμάτων, ἢ τοὺς περὶ τῶν ἰδίων συμβολαίων, οἵους περ εἶναι χρὴ παρὰ τοῖς καλῶς πολιτευομένοις.

¶ *Lacedæmonij magis.*] Huius loci optimus interpres est Plutarchus in Lycurgo, vt operæ pretium fuerit eius verba subijcere: νόμους γεγραμμένους ὁ Λυκοῦργος οὐκ ἔθηκεν, ἀλλὰ μία τῶν καλουμένων ῥητρῶν ἐστὶν αὕτη. τὰ μὲν οὖν κυριώτατα καὶ μέγιστα πρὸς εὐδαιμονίαν πόλεως, καὶ ἀρετὴν ἐν τοῖς ἤθεσιν ᾤετο, καὶ ταῖς ἀγωγαῖς τῶν πολιτῶν ἐγκατεστοιχειωμένα μένειν ἀκίνητα, καὶ βεβαίαν ἔχοντα τὴν προαίρεσιν, δεσμὸν ἰσχυρότερον τῆς ἀνάγκης, καὶ ἣν ἡ παίδευσις ἐποίει τοῖς νέοις νομοθέτου διάθεσιν ἀπεργαζομένη περὶ ἕκαστον αὐτῶν. τὰ δὲ μικρὰ καὶ χρηματικὰ συμβόλαια, καὶ μεταπίπτοντα ταῖς χρείαις ἄλλοτε ἄλλως, βέλτιον ἦν μὴ καταλαμβάνειν ἐγγράφοις ἀνάγκαις, μηδ' ἀκινήτοις ἔθεσιν, ἀλλ' ἐᾶν ἐπὶ τῶν καιρῶν προσθέσεις λαμβάνοντα καὶ ἀφαιρέσεις, ἃς ἂν οἱ πεπαιδευμένοι δοκιμάσωσι. τὸ γὰρ ὅλον τῆς πάσης νομοθεσίας ἔργον εἰς τὴν παιδείαν ἀνῆψε. μία μὲν οὖν τῶν ῥητρῶν ἦν (ὥσπερ εἴρηται) μὴ χρῆσθαι νόμοις ἐγγράφοις. [Leges scriptas Lycurgus non posuit; atque hoc ipsum in Rhetris eius cautum est. Ita enim iudicabat, ea quæ ad felicitatem ciuitatis & virtutem, omnium maximum afferrent momentum, ita demum permanere immobilia, si moribus & educationi ciuium implantarentur; nam firmam voluntatem ex his elementis oriri, quæ necessitatis est validissimum vinculum, eam porrò disciplina (quæ legum conditoris vicem gerit) apud iuniores effici. Atqui exiguos illos & pecuniarios contractus, quique propter vsum vitæ subinde immutantur, melius censebat scriptis legibus non comprehendi, neque immobilibus consuetudinibus illigari; Sed permittendum vt pro ratione temporis augerentur diminuerenturve, secundum probè institutorum hominum arbitrium, totum enim legislationis negocium ad disciplinam referebat. Itaque, sicuti demonstrauimus, ex Rhetris hæc vna erat; Legibus scriptis non vtendum.] Sed
21 & Gallos olim ex instituto Druidum paucissima literis commendasse, & omnia quæ ad Publicum

ius aut sacra pertinebant, memoria teouisse scribit Iulius Cæsar. ¶ *Athenienses verò.*] Hos tamen
etiam vsos fuisse quibusdam moribus, siue νόμοις ἀγράφοις, ostendit Pericles apud Thucydidem lib.
2. Et sanè non sunt omnia scriptis sancieoda, sed & mores serendi, inquit Tullius libro 1. de Legib.
Nam & parum prosunt vanæ sine moribus leges, ait Flaccus.

a §. commodius inf. de rerum diuis.

¶ *Diuina prouidentia.*] Iustinianus posteà vocat Rerum naturam [a]. Sed magis pium est &
Christianum dicere diuinam Prouidentiam. Verè enim sapiens ille noster, & clemens Pater reli-
quit naturæ corruptæ quoddam lumen rationis & iudicij naturalis ad formandos politicos mo-
res in hac ciuili societate. Vnde orta sunt prima illa Iuris præcepta, de quibus suprà copiosius dis-
seruimus. Vnum hic adijciam memorabilem locum, qui extat apud Xenophontem libro quarto
ἀπομνημονευμάτων, & grauiter describit Ius naturale, quod omnium animis diuinitus inscriptum 22
est: *ἀγράφους τινὰς οἶδα ὦ Ἱππία νόμους; τούς γ' ἐν πάσῃ (ἔφη) χώρᾳ κατὰ ταὐτὰ νομιζομένους. ἔχοις ἂν οὖν εἰπεῖν (ἔφη) ὅτι οἱ ἄνθρωποι αὐτοὺς ἔθεντο. καὶ πῶς ἄν (ἔφη) οἵ γε οὔτε συνελθεῖν ἅπαντες ἂν δυνηθεῖεν, οὔτε ὁμόφωνοί εἰσι; τίνας οὖν (ἔφη) νομίζεις τεθεικέναι τοὺς νόμους τούτους; ἐγὼ μὲν (ἔφη) θεοὺς οἶμαι τοὺς νόμους τούτους τοῖς ἀνθρώποις θεῖναι. καὶ γὰρ παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις πρῶτον νομίζεται, θεοὺς σέβειν. οὐκοῦν καὶ γονέας τιμᾶν πανταχοῦ νομίζεται; τοῦτο, καὶ ἔφη.*
[Non scriptas quasdam, ô Hippia, cognouisti esse leges? Has, inquit, quæ quidem vbiuis locorum
similiter habentur. Potes igitur eas tu dicere esse ab hominibus latas? At id quónam pacto, inquit,
cum neque in vnum omnes conuenite posint, neque vnius sint linguæ? Quos igitur tu putas, Le-
ges istas tulisse? Ego quidem deos putem istas hominibus leges dedisse. Nam lex quidem inpri-
mis apud omnes homines vna est; vt deos colas; & vt parentes item honores, vbique iubet lex,
ait.] ¶ *Sunt immutabilia.*] Naturales enim illæ notitiæ nobiscum nascentes, sic animis nostris im-
pressæ sunt, vt abradi nequeant. Et quæ promanant ex ijs præcepta, contemni non possunt sine
horribili confusione rerum omnium. Interim tamen fatemur esse quasdam inferiores naturæ le- 23
ges, quæ aliquando mutantur, noo quidem propter aliquod vitium, quod in ipsis sit, sed propter
varias humanarum rerum circumstantias. Earumque mutatio magis tuetur, quàm confundit pu-
blicam tranquillitatem, vtpote cui omnino accommodetur. Veluti, Lex naturalis iubet, vt do-
minia distinguantur. Eadem iubet, vt quarundam rerum communio retineatur. Sed nihilomi-
nus semper constat quod hîc dicitur, & à Caio pridem responsum est, naturalem rationem nullius
autoritate commutari posse. & illa prima summaque iuris præcepta esse perpetua. Testatur autem 24
id grauissimè Tullius libro 3. de Repub his verbis: Est vera lex. recta ratio: naturæ congruens, dif-
fusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium iubendo, vetando à fraude deterreat.
Huic legi nec prorogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec
verò aut per Senatum, aut per Populum solui hac lege possumus. neque quærendus est explanator
aut interpres eius alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis: alia nunc, alia posthac. Sed & omnes
Gentes, & omni tempore, vna lex & sempiterna & immutabilis continebit, vnusque erit com-
munis quasi Magister, & Imperator omnium Deus. Ille huius legis inuentor, disceptator, lator.
Cui qui non parebit, ipse se fugiet, & naturam hominis aspernabitur, atque hoc ipso luet maximas
pœnas, etiamsi cætera supplicia effugerit. Hactenus Cicero. Sed & apud Sophoclem Antigone
vim sempiternā huius legis, cum qua pugnantia Principum placita confert, grauiter & eleganter
exprimit his versibus,

Οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,
Οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Δίκη,
Οἳ τούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους·
Οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
Κηρύγμαθ', ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
Νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄνθ' ὑπερδραμεῖν.
Οὐ γάρ τι νῦν γε, κἀχθές, ἀλλ' ἀεί ποτε
Ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη.

Quem locum Aristoteles commendat libro primo Rhetoricorū, & adijcit sententiam Empedo-
clis *περὶ τοῦ μὴ κτείνειν τὸ ἔμψυχον. τοῦτο γὰρ οὐ τισὶ μὲν δίκαιον, τισὶ δὲ οὐ δίκαιον, ἀλλ' τὸ μὲν πάντων νόμιμον.* [de
non tollenda lege illa quasi animata. Hæc enim non alijs iusta, alijs iniusta, sed omnibus vbiuis
locorum æqua est.]

¶ *Sæpe mutari solent.*] Periculosa est quidem omnis in Rep. mutatio legum. Nam eam sequitur
repentina quædam & morum & vitæ mutatio: sed non ita mordicus nulloque rerum aut tempo-
rum discrimine, priscis legibus inhærendum est, vt rationem publicæ vtilitatis contemnamus [b].
Itaque fuit iniqua & perniciosa lex illa vetustissima apud Persas, quæ refertur in historia Danielis
cap. 6. Ne mutari vllo modo posset vllum edictum aut lex, quam Rex Persarum coodidisset. Lau- 25
datur sanè vetus illud Locrensium institutum, vt nemo ageret de abrogatione legis, nisi laqueo
collum circumducto, vt si non persuasisset, statim strangularetur: & omnes hoc periculo admone-
rentur, ne quam temerè tentarent legum mutationem. Sed interea id rectè & laudabiliter tentari
poterat, vbi iusta suberat causa. Nemoq; sanus iudicabit, malum perpetuò tolerari deberi in Rep.
si posit corrigi. Imò verò quo magis inualuit, eò magis esse tolleodum. Apud Gellium Sex. Cæci-
lius grauiter pronunciat, Legum opportunitates & medelas, pro temporū moribus & Rerump.
generibus, proque vtilitatum præsentium rationibus, vitiorúmve, quibus medendum est, feruo-
ribus, mutari atque flecti debere. Est & illa memorabilis Valerij sententia apud Liuium; Ex ijs le-
gibus, quæ perpetuæ vtilitatis causa latæ sunt, nullam esse abrogandā. nisi quam vel vsus coarguit, 26
aut status Reip. inutilem fecit. ¶ *Tacito consensu.*] Quem videlicet ipso vsu contrario satis declara-
uit. Nam (vt ait Iulianus [c]) quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus
ipsis & factis? Et addit, Rectissimè illud receptum est, vt leges non solo suffragio legislatoris, sed
etiam tacito consensu omnium, per desuetudinem abrogentur. Hic autem desuetudinem accipi-
mus, pro

b L. 2. De constitut. princip. L. Diuus. De rest. in integ.

c L. de quibus. De legib.

mus, pro contraria consuetudine. Porrò & huc pertinet, quod apud Liuium Licinius Prætor censet; Non exoletis vetustate annalium exemplis, sed recentissimæ cuiusque consuetudinis vsu Ius stare debere. Verùm, vt per consuetudinem posteriorem ius scriptum tolli potest, ita rursus con-
27 suetudo potest aboleri per posteriorem legem, si id nominatim statuat legislator. Nam consuetudo, cuius est improbatus vsus, tantum non valet, vt rationem vincat aut legem [a]. ¶ Alia posteà lego lata.] Inquit noster Modestinus [b]: αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσίν. [Constitu-
28 tiones tempore posteriores, potiores sunt his quæ ipsas præcesserunt.] Et hoc est in multis iuris partibus receptum; posteriora semper derogare prioribus. Veluti in pactis [c], contractibus [d], testamentis [e], fideicommissis [f], legatis [g], tutelis [h], atque id genus quamplurimis. Illud porrò semel ad-
29 monendi sumus, legem aliquam nouam aut posteriorem, referri quidem ad tempus præteritum, quod attinet ad vim abrogationis, sed spectare tempus futurum, si agatur de causarum decisione [i]. Quod sæpe in Nouell. Iustinianus inculcat. Et Tullius in 3. Verrina scribit; Nullius legis in præteritum tempus vim esse, nisi eius rei, quæ sua sponte scelerata & nefaria est, vt etiam si lex non esset, magnopere vitanda fuerit.

a L.2.C.Quæ sit long. consuet.
b L.vlt. De constit. princ.
c L.pacta nouissima. C.de pact.
d L.pacta. De cõtrah. emptio. L.2.de rescin. vend.
e §.1.inf.quib.mo.testa.infir.
f L.clari. C.de fideicom.
g L.si mihi & tibi.§. in legatis. De legat.1.
h L.tutor datus.§.1. L.si heredit.u.§.De cesta.tute.
i L.leges, C.de legib.

DE IVRE PERSONARVM

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

1 *Scopus studiorum liberalium quis?*
2 *Ius ciuile ex diuinis institutis ortum.*
3 *Religio Christiana tuetur politias.*
4 *Ciuiles Personarum gradus Deus ipse constituit.*
5 *Nulla Respub. esse potest sine re œconomica.*
6 *Ennus Syrus quondam seditiosus serues 40000. concitauit ad arma.*
7 *Libertas Euangelij quæ?*
8 *Regnum Christi, & Ordinatio Ciuilis longè differunt.*
9 *In colendis sacris nihil inter liberos & seruos discernitur.*
10 *Synodus Gangrena & Theodoretus seruorum conditionem stabiliunt.*
11 *Sæpe inferior natura imperat præstantiori.*
12 *Religio Christiana effrenem in seruos tyrannidem dominorum summouit.*
13 *Antoninus Imp. sustulit dominorum in seruos vitæ & necis arbitrium.*
14 *Leo Imp. multa seruis remisit.*
15 *Veteres clientela Romuli.*
16 *Mendicorum onera & obsidiones.*
17 *Obœdientia politica est mater honestatis.*
18 *Harmonia virium humanarum.*
19 *ἀταξία earundem.*
20 *Oeconomica gubernatio exemplum est gerendæ Reip.*
21 *Vt retinenda rerum dominia, ita & conseruanda personarum discrimina.*



IHIL est quod gratius solatium, acriùsve calcar generosis studiosorum ingenijs addat, atque si intelligant studiorum suorum rationem, & Superis fa-
1 uentibus gratam esse, & humanæ prosucuram societati. Hunc enim habent scopum laborum suorum. Et nescio quo melioris naturæ instinctu, ab ijs studijs abhorrere solent, quæ parum habent cum virtute ac philosophia commercium, quorúmque finem & vsum, vel parum pium, vel sordidum esse putant. Nobis itaque rationem iuris ciuilis obiter tueri visum est. cuius eius origo
2 non est ex temerarijs hominum commentis, sed diuinis planè institutis: habentque tres illæ Iuris partes, quæ hîc proponuntur, solidissima fundamenta, & honestissimum finem, nempe conseruationem
3 ciuilis societatis. Cumque Christiana Religio non dissipet, sed magis tueatur politias, non potest non probare totam Iuris ciuilis rationem certo indicio firmatam in Repub. nec abhorrentem ab æquitate
4 & honestate naturali. Primum enim quod attinet ad ciuiles personarum gradus, & Politica discrimina, omnes qui sani sunt, intelligunt ea maximè conuenire cum Dei voluntate, & naturalis rationis indicio. De publica Magistratuum potestate hîc non loquor, quam certo certius est ipsissimam esse Dei ordinationem: sed de priuato iure dominorum & parentum, deque seruorum statu & conditione. Ac ne longius abeam, cùm Deus præcipit parentes honorari, in vniuersum satis videtur constituere personarum discrimina, & domesticas potestates, quibus pareat filius aut seruus. Nec sanè alioqui familia vlla, vel res œconomica potest consistere: non magis quàm Resp. sine magistra-
5 tu. Imo verò, vt domus prior est ciuitate, & hæc sine illa non est: ita necesse est publicam potestatem conseruari priuata & domestica veluti Iurisdictione, & vtranque pariter similiq; ratione defendi. Sic Paulus apostolus ad Ephesios cap. 6. ex præcepto honorandorum parentum, tuetur ius & potestatem dominorum, quibus vult seruos sincerè, & ex animo parere. Idem in priori epistela ad Timotheum cap. 6. diligenter admonet, esse coërcendam seruorum contumaciam, ne turbetur herilis potestas, eoque nomine Christiani malè audiant, & Euangelium notetur, quasi dissipet politias. Ac

 videtur

*videtur sanè Paulus metuisse fanaticos illos & seditiosos spiritus, cuiusmodi hodie natos videmus in
gente Anabaptistica, qui noua grata nescio cuius libertatis iactatione, vulgus ad pileum vocant, nec
erubescunt Euangelium prætendere, vt dicitur olim Syrus quidam nomine Eunus, fanatico furore 6
simulato, dum Syriæ Deæ ceremonias iactat, ad libertatem & arma seruos quasi numinum imperio
concitasse. Atq; vt id diuinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure & igne stipauerat,
leuiter inspirando, flammam inter verba fudisse: hocque miraculo collegisse plusquam quadraginta
millia seruorum. Huiusmodi furores fuerunt olim, & nunc sunt obiecti falso Euangelij prætextu.
Promittitur quidem in Euangelio libertas omnibus Christianis, sed ea spiritualis est, nec pertinet 7
ad exteriorem hanc & ciuilem vitam, sed ad interiorem hominem pacandum, & conscientiam terro-
ribus mortis, & Iudaicarum ceremoniarum seruitute liberandam, simul & à tyrannide Satanæ, &
peccati asserendam. Huius libertatis vsum aut fructum nullo modo impedit ciuilis potestas. Et qui
inter corpus & animam, interq; præsentem hanc mortalemq; vitam, & futuram illam æternamq; no- 8
uit discernere, facilè intelliget spirituale Christi regnum, & ciuilē ordinationem, res esse plurimùm
diuersas: ac Iudaicæ fore superstitionis vanitatisq;, regnum illud Christi quærere sub elementis huius
mundi. Oportet itaq; libertatem Euangelicam, quæ fidelibus in Christo promittitur, continere intra
suos fines: ne quo eius prætextu conturbemus politicos gradus in Rep. necessarios, & iusta persona-
rum discrimina, sine quibus nulla ciuilis societas constare potest. Nec aliò pertinet sententia Pauli
ad Galatas scribentis, inter eos, qui baptizati sunt in Christum, neque seruum esse, neque liberum.
non enim agit de seruitute aut libertate politica, sed spirituali. Illudq; solum docet, quod etiam disertè
noster Iustinianus in Nouella Constit. 5. ait, Quantum ad Dei cultum attinet, non esse liberum neque 9
seruum: sed omnes in Christo eosdem haberi. Sed interim non vult eo nomine confundi politias, aut in
ciuili societate tolli conditionis & personarum discrimina, si quæ sunt consentanea rationi naturali.
Itaque & Philemon receptus inter Euangelicos præcones, atque adeò ipsius Pauli συνεργὸς, vsus est,
vt prius, seruo suo Onesimo, retinuitq; Ius herile: adeò vt nec Paulus voluerit sine eius consensu de-
tinere Onesimum, quo opus habebat in grauissimo etiam & iustissimo ministerio, nempe Euangelij,
quemadmodum licet iudicare ex epistola ipsius Pauli ad Philemonem. Quid multis moror? non est
obscurum decretū vetustissimæ & purissimæ Synodi Gangrenæ aduersus eos, qui pietatis aut Euan- 10
gelij prætextu iactabant omnes seruos esse debere liberos.* εἴ τις δοῦλον προφάσει θεοσεβείας διδάσκοι κατα-
φρονεῖν δεσπότου, καὶ ἀναχωρεῖν τῆς ὑπηρεσίας, καὶ μὴ μετ' εὐνοίας καὶ πάσης τιμῆς τῷ ἑαυτοῦ δεσπότῃ ἐξυπηρετεῖσθαι, ἀνά-
θεμα ἔστω. *Deniq; legi potest Theodoriti Cyrensis Episcopi liber de prouidentia Dei septimus, in quo
multis verbis probat, seruitutem & herilem potestatem ad humanæ vitæ vsum à Deo constitutas es-
se. Ac ne quis aliqua sua virtute superbus, existimet posse contemni dominum, qui non ea pollet natu-
ræ præstantia, vt alios gubernare possit, videturq; tanto indignus honore: meminerimus non esse hoc
pium aut rectum iudicium, quo insolescimus aduersus ordinationem Dei, & seruo suggeritur nimis
curiosa inquisitio. Qualis qualis tandem sit dominus, non sine diuina prouidentia nactus est eam po-
testatem, cui omnino mos geri debet, si nihil imperet quod cum pietate Christiana pugnet. ac videtur
id quidem sensisse Petrus Apostolus iubens seruos parere dominis etiam* σκολιοῖς. *Fortasse Philosophi
iudicant eam vnam esse iustam & naturalem potestatem, cùm præstantior natura imperat inferio- 11
ri. Sed periculosum esset, in Republ. mordicus id tueri, & ad viuum resecare: nec raro pugnaret
cum diuina prouidentia, quæ non regitur philosophicis iudicijs, sed longè alias habet causas: nec vult
nos aut curiosos aut morosos esse suarum ordinationum censores, sed candidos & morigeros fauto-
res. Interea autem, ne quis probari putet effrenem illam & infinitam dominorum tyrannidem,
quæ putat sibi licere, quicquid libet: nequaquam patietur Deus seruos vt belluas proculcari: qui
non minus heros, quàm famulos admonet sui officij. Facit diligenter id Paulus scribens ad Ephe-
sios. Rursus ad Colossenses capite quarto,* κύριοι *(inquit)* τὸ δίκαιον, καὶ τὴν ἰσότητα τοῖς δούλοις παρέ-
χεσθε, εἰδότες ὅτι καὶ ὑμεῖς ἔχετε κύριον ἐν οὐρανοῖς. *[Domini, quod iustum est & æquum, seruis præstate,
scientes quod & vos dominum habetis in cælis.] ac dictum certè est à nostris Iurisconsultis non ma-
lè, contra naturam videri inhumanam illam & crudelem seruitutis speciem, qua mancipium con-
fertur brutis animantibus, vixque hominis nomen retinet. Vnde & religionis Christianæ clemen-
tia hanc tandem summouit. Nam & absurdum erat inter Christianos eodem precio redemptos, 12
in eandem assertos libertatem, & ad eandem vocatos hæreditatem, manere barbaram illam
& immanem seruitutem, qua homo poterat homine abuti, vt pecude: & quæ iam nimis excesse-
rat omnes fines naturalis rationis, pudoris, vel honestatis, omnesque adeò sui officij metas. Pri-
mùm herilis potestas ad tuendam rem œconomicam simul & ciuilem societatem concessa fuit, ma-
gno interim bono seruorum, cùm eos ab alijs gubernari interesset, & ipsi non onerabantur nisi
honesto & humano ministerio. Posteà creuit insolens & effrenis dominandi cupiditas, sibique arro-
gauit ius vitæ et necis in seruos, non minus quàm in pecudes: eoque tandem euasit, vt putaret sibi
licere*

licere quicquid liberet. Hunc intolerabilem abusum, et immanem barbariem sensim mitigauit huma-
13 *nitas ætatis posterioris. Antoninus Imp. nonnihil coercuit sæuitiam dominorum, & sublato illo vitæ*
& necis arbitrio, voluit seruos paulò humanius tractari. Sed in alijs partibus reliquit illibatam po-
testatem dominis, qui multum adhuc retinuerunt iuris pristini. Tandem Leo Imp. indicauit non de-
14 *bere hominem duriori seruitute premi. Itaque seruis suis multa remisit, vt & sibi acquirere possent,*
& testamentum facere. Quod exemplum deinde multi secuti, paulatim relaxarunt conditionem ser-
uorum, & ad primum iustúmque & naturalem modum redegerunt, vt non nisi quantum opus vide-
retur ad familiam tuendam & rem œconomicam, tantum esset iuris & imperij in seruos, cætera libe-
15 *ros. Vtinam verò in vsum reuocari potuissent veteres illæ clientelæ, quas cum suis patronis pruden-*
tißimè Romulus instituerat, firmißima Reip. vincula. Nec dißimulare possum, quod non sine
magno malo Reip. fit, ita famulos à dominis esse disiunctos, vt nullis officijs contineantur. Habuit
quidem illa, quæ tot annis vsitata fuit, prisca seruitus multum inhumanitatis. Sed illud saltem com-
modi Reip. adferebat, quòd infimi & tenues homines seruabantur, & vindices habebant, ne potenti-
orum iniurijs obnoxij essent, nec modò alerentur à suis dominis, sed etiam docerentur & institueren-
tur: nullique inertes & ociosi vagarentur mendici, quorum nunc agminibus Ciuitates & oneran-
16 *tur, & veluti obsidentur. Cæterùm illud, opinor, nemo negauerit, vt humaniter sublata sit sæua illa*
priscæ seruitutis tyrannis, ita rectè conseruari naturales personarum gradus, & ciuilia discrimina
quorum est necessarius vsus ad tuendam œconomiam & politiam. Quis enim non videt, quàm triste
alioqui esset chaos, & quàm horrenda rerum humanarum confusio, si seruus domini, filius parentis,
vxor mariti, cliens patroni, iustum & honestum imperium impunè posset habere ludibrio & con-
temptui? nec vllo Iuris vinculo contineretur illa obedientia, quam non temerè Æschylus in The-
17 *bis dixit* εὐπραξίας μητέρα. *(felicitatis siue rei bene gerendæ, matrem). Memini Platonem in*
18 *bene constituta hominis natura intueri pulcherrimam quandam harmoniam ipsarum inter sese viri-*
um. Eam nos in Rep. intuebimur, si sua quisque memor conditionis, suo fungatur munere: si magi-
stratibus recta imperantibus obtemperet populus, si patriæ potestatis reuerentia morigeros habe-
at filios, si seruilis fortuna herile agnoscat imperium, & dominus humaniter imperet, quæ digna sunt
homine. Hinc scilicet orietur illa, quam & Iustinianus in Nou. Constit. 8. tantopere prædicat, καλή τε
καὶ σύμφωνος τῶν τε ἀρχόντων καὶ τῶν ἀρχομένων ἁρμονία. *(elegans & correspondens tum regentium tum pa-*
19 *rentium harmonia.) Contrà si hos gradus confundas, & priuatas potestates, omniaque personarum*
discrimina; efficies illam ἀταξίαν, *quam deprehendunt Christiani in corrupta hominis natura. Re-*
ctè itaq; & grauiter Augustinus ad Macedoniũ epist. 54. scribit, non frustra institutas esse potestates:
necessariam esse disciplinam dominantis, & seueritatem, etiam boni patris. Habent (inquit) ista om-
nia modos suos, causas, rationes, vtilitates. hæc cùm timentur, & coërcentur mali, & quietius inter
malos viuunt boni. Finem faciam, si addidero quod Aristoteles lib. 8. Politic. grauiter scribit, in fa-
20 *milijs reperiri similitudines, & quasi exempla Rerumpub. Nam potestatem, quæ patri est cum libe-*
ris, obtinere formam regalis potestatis. Patri enim curæ esse liberos. Regiamque potestatem esse pa-
trium imperium, quanquam id in tyrannidem versum sit apud Persas, qui pro seruis vtuntur libe-
ris suis. Esse verò domini in seruos tyrannicum imperium, quippe in quo domini commoda agantur.
Atque hoc quidem Ius rectum esse, Persicum verò à via deflexisse. Dispares enim disparia imperia
sequi. Viro autem cum vxore Ius id intercedere, quod est in optimorum potestate. Nam pro digni-
tate virum ijs in rebus imperare, quæ dignæ sunt viro: quæ autem fœminam decēt, ea ei tribui. Quod
si in omnibus præsit vir & dominetur, fieri popularem potestatem. Verba Aristotelis sunt hæc:
ἡ μὲν πατρὸς πρὸς υἱεῖς κοινωνία, βασιλείας ἔχει σχῆμα. τῶν τέκνων γὰρ τῷ πατρὶ μέλει. ἐντεῦθεν δὲ καὶ Ὅμηρος τὸν
Δία πατέρα προσαγορεύει. πατρικὴ γὰρ ἀρχὴ βούλεται ἡ βασιλεία εἶναι. ἐν Πέρσαις δὲ ἡ τοῦ πατρὸς, τυραννική. χρῶν-
ται γὰρ ὡς δούλοις τοῖς υἱέσι. τυραννικὴ δὲ καὶ ἡ δεσπότου πρὸς δούλους. τὸ γὰρ τοῦ δεσπότου συμφέρον ἐν αὐτῇ πράττεται. αὕ-
τη μὲν οὖν ὀρθὴ φαίνεται, ἡ Περσικὴ δὲ ἡμαρτημένη. τῶν διαφερόντων γὰρ αἱ ἀρχαὶ διάφοροι. ἀνδρὸς δὲ καὶ γυναικὸς ἀριστο-
κρατικὴ φαίνεται. κατ' ἀξίαν γὰρ ὁ ἀνὴρ ἄρχει, καὶ περὶ ταῦτα, ἃ δεῖ τὸν ἄνδρα. ὅσα δὲ γυναικὶ ἁρμόζει, ἐκείνῃ ἀποδίδωσιν.
21 ἁπάντων δὲ κυριεύων ὁ ἀνὴρ, εἰς ὀλιγαρχίαν μεθίστησι. παρὰ τὴν ἀξίαν γὰρ αὐτὸ ποιεῖ, καὶ οὐχ ᾗ ἀμείνων. *Quid*
multis? manifestè apparet non magis esse confundenda personarum ciuilia discri-
mina, quam dominia rerum, quarum iustam & naturalem di-
uisionem in omni Republica retinendam esse,
alio loco dicemus.

De Iure Personarum, Titulus III.



MNE autem ius, quo vtimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Et prius de personis videamus. nam parum est ius nosse, si personæ, quarum causa constitutum est, ignorentur.

Summa itaque diuisio de iure personarum hæc est: quòd omnes homines, aut liberi sunt, aut serui. Et libertas quidem (ex qua etiam liberi vocantur) est naturalis facultas eius, quod cuiq; facere libet, nisi si quid vi aut Iure prohibetur.

Seruitus autem est constitutio Iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur. Serui autem ex eo appellati sunt, quòd Imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solent: qui etiam mancipia dicti sunt, eò quòd ab hostibus manu capiuntur.

Serui autem aut nascuntur, aut fiunt: nascuntur, ex ancillis nostris: fiunt aut iure gentium, id est, captiuitate aut iure ciuili, cùm liber homo maior viginti annis ad pretiũ participandum sese vænundari passus est. In seruorum conditione nulla est differentia: in liberis autem multæ. aut enim sunt ingenui, aut libertini.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

§. *Omne autem Ius, cum §. seq.*

1 *Continuatio tituli.*
2 *Tria illa capita, Persona, Res, & Actiones, cur hîc explicata.*
3 *Ioan. Apellus quid in partitione illa desideret.*
4 *Dominium & obligatio propria Iuris capita.*
5 *Partitionis Iustinianeæ declaratio.*
6 *Arctior appellatio rei.*
7 *Factum alienum promitti non potest.*
8 *Primùm persona, deinde Iuris ratio quærenda.*
9 *Qui inter liberos & seruos referendi.*
10 *Libertatis definitio & discretio.*
11 *A coniugatis quomodo argumentemur.*
12 *Homo in fructu non est.*
13 *Facultas dicta quasi facilitas.*
14 *Obsequi & velle sunt diuersa.*
15 *Libertatis discrimen vnde propriè eluceat.*
16 *Euripidis temeraria libertas.*
17 *Persij libertas.*
18 *Inhonesti nulla est libertas.*
19 *Seruitus secundum Cic. quid?*

¶ *Omne autem ius.*] Hîc, neglecta vulgari distinctione, cõstituimus initium huius tituli: primùm 1
quia id fecerit Theophilus: deinde quia idẽ factũ sit in Pandectis, ac fieri omnino debere ostendat
rerum connexio: quam temerè secare, & in diuersos spargere titulos, non oporteat. Cùm Iulianus
colligeret Edictum perpetuum, rem totam iudiciariam iusto ordine præcipuè est complexus.
Eumque ordinem secuti sunt & architecti Pandectarum. Sed quia nullum est negocium, in quo
tractando statim nõ agatur de personis, veluti an cõtrahere potuerint, de rebus, veluti, cuius qua-
litatis & conditionis eæ sint, postremò & de actionibus, cuius generis sint: tria hæc capita in hoc 2
libello prius explicata sunt, quàm ad Pandectas veniret Iuuentus. Equidem memini Ioannem
Apellum eruditum Iurisc. multa desiderare in hac generali Iuris partitione. ac primùm quidem 3
admonet, personam non videri proprium ac peculiare Iuris caput: sed quandam potius circum-
a L. aut facta. De pæ. stantiam, vt est causa. locus, tempus, quantitas, qualitas [a]. Quia tamen hęc circumstantia latissimè
patet, fatetur non esse incommodum separatim eam explicari. Quod autem attinet ad secũdum
caput, existimat aptiorem fuisse dominij vocem quàm rei: nec satis commodè in Actione consti-
tui tertiã partem. Cùm enim dominiũ sit vna vera iuris vniuersi pars, magis obligatio quã actio,
debet altera dici. Nã par est coniungi has duas causas efficientes, ex quibus deinde pariter nascitur
actio. Vnde colligit dominiũ & obligationẽ, duo esse propria iuris capita, ad quę referãtur reliqua 4
omnia, quę sunt in legibus. Sed vt intelligamus vsum partiũ, quas hîc Iustinianus proponit, memi
nerimus, in personis considerari status, ordines, & officia. In rebus, acquisitionẽ, conseruationem, 5
alienationẽ: in actionibus, iudiciorum originẽ, materiã, formam, & finẽ. Postremò admonendi su
b L. rei appellatione. De verb. sign. mus, in hac partitione, rei appellationem esse arctiorẽ. Nam alioqui generalis eius significatio cõ- 6
plecteretur etiã personas [b], veluti seruũ. Hîc itaq; seruus consideratur specialiter vt persona, cũ agi-
c L. non quocunque. §. vlt. De lega. 1. tur de eius statu. Cæterũ haberetur vt res alia quælibet, si aut venderetur, aut donaretur, aut legare-
d §. versa vice. inf. de inuti. stipulat. tur [c]. Vnde & licet factũ alienũ promitti nõ possit [d]: qui tamen seruũ suũ vendit, promittere potest 7
non esse fugitiuum aut furẽ [e]. Id enim promittit de seruo, sicuti faceret de alia qualibet re sua, quã
e L. si ita quis. De euict. rectè promittere potest non esse vitiosam. ¶ *Nam parum est.*] Sic olim, cùm ageretur de quibusdã le
f L. quidam referũt. De Iure codic. gatis, an valerent, respondit Scæuola [f], prius esse debere, cui ea dentur, ac tũ demum quæri, an data
cõsistant: vt nõ antè iuris ratio, quã persona quæratur. Sanè quanquã persona nõ videatur propriũ 8
iuris

iuris caput, sed potiùs quædam circumstantia: quia tamen ea non minus latè patet, quàm domi-
nij vel obligationis tractatio, necesse fuit nos semel in vniuersum admoneri de eius ratione, ne
quid scrupuli esset in reliquis duabus iuris partibus, ad quas æquè & communiter ea pertinet.

¶*Summa diuisio.*] Hoc est, prima & generalis distributio, quæ quidem non caret arte, cum &
omnia necessaria, nec quicquam superflui complectatur, magisque explicet membra diuidentia
9 per genera quàm per species. ¶*Aut liberi.*] Quorum numero saltem quod attinet ad conditio
nem & statum, habentur coloni ascriptitij, parabolani [a], & ἀπόλιδες [b] [ciuitate carentes] ¶*Aut ser-*
ui.] Inter quos referendi sunt & statuliberi [c], & addicti, licet ad tempus. ¶*Libertas est.*] Totus hic
locus descriptus est ex Institutionibus Florentini [d]. Meminerimus autem hic agi de libertate, quæ
statum & conditionem ciuilem significat, non de ea quæ arbitrij dicitur à Philosophis. Neque est
10 noua definitio, quæ hic proponitur. Nam & Tullius in Paradoxis, Quid est (inquit) libertas? Po-
testas viuendi, vt velis. & in libr. Officior. scribit, libertatis esse proprium, viuere vt velis. Aristote-
les quoque libro sexto Politic. scribit libertatis esse, τὸ ζῆν ὅπως τις βούλεται [viuere aliquem vt libet]
Huc alludit Plutarchus in libello περὶ τοῦ ἀκούειν, inquiens τῷ λόγῳ τοὺς ἑπομένους ἀξιόω δεῖ μόνους ἐ-
λευθέρους νομίζειν. μόνοι γὰρ ἃ δεῖ βούλεσθαι μαθόντες ζῶσι. ταῖς δὲ ἀπαιδεύτοις καὶ παραλόγοις ὁρμαῖς καὶ πράξε-
σιν ἀγεννὲς ἔνεστι καὶ μικρὸν, ἐν πολλῷ τῷ μεταμελοῦντι τὸ ἑκούσιον. Ita Plutarchus eleganter philosophicam
libertatem coniungit cum ciuili: cui primùm tribuit rectum iudicium, deinde liberum arbitri-
um, liberamque actionem. Sed qui intelligunt humanæ naturæ corruptionem, magis deplorant
amissam illam veram libertatē, quàm eius nomine gloriantur. Nam vt in exterioribus ciuilis hu-
ius & corporalis vitæ rebus, aliquid fortasse nobis relictum sit pristinæ libertatis: certè in alijs non
possumus agnoscere superbam illam Græcorum αὐτεξουσίαν. ¶*Ex qua etiam Liberi vocantur.*] Locus est
à coniugatis. Docet enim Cicero in Topicis ea dici Coniugata, quæ sunt ex verbis eiusdem gene-
ris, quæque ab vno orta variè commutantur: vt sapiens, sapienter, sapientia. Græci quoque appel-
11 lant συζυγίαν, hanc verborum coniugationem. Ducuntur autem inde plura argumenta, etiam in
iure ciuili, veluti, Qui libertate potitur, liber est: Qui tutelam gerit, tutor est [e]. Si compascuus ager
est, ius est compascere. Si quis cognationi legauerit, cognatis legasse videtur [f]. Fructuarius in par-
12 tu hominis non habet vsumfructum, quia homo in fructu non est [g]. ¶*Naturalis facultas.*] Hoc est,
Libera quædam & plena potestas, rerumq; pro arbitrio gerendarum facilitas, nullis aliunde im-
13 pedimentis interturbata. Nam & Festus facultatem interpretatur, quasi facilitatem: & hic à Græ-
cis Iuris interpretibus dicitur εὐχέρεια. ¶*Quod cuique facere libet.*] Ergo liber est, cui quod libet, licet:
14 & hoc libère aut velle, proprium est libertatis. Neque enim seruus dicitur velle, dum imperio do-
mini sui obsequitur [h]. Hucq; pertinet vulgatum illud apud Græcos epigramma, de eo qui ex seruo
liber factus est. vnius literæ commutatione, quæ est inter δουλεύειν & βουλεύειν [seruire & velle.]

¶*Nisi si quid.*] Ne quis cauilletur id quoque seruo ademptum esse, adijciamus prætereà illud
seruo non licere, quod vetat dominus, cui parere necesse est. Atq; hic demum propriè vis liberta-
15 tis & discrimen elucet. Rectè enim dictum est ab Isocrate in Archidamo, μὴ ποιεῖν τὸ προσταττόμενον,
σημεῖον ἐλευθερίας ἐστίν [Non facere imperata, signum libertatis est.] Aristoteles lib. 4. ethic. significat
πρὸς ἄλλον ζῆν esse, δουλικόν [ad alterius nutum viuere, esse seruile.] Idem lib. 1. Rhet. ἐλευθέρου (inquit)
τὸ μὴ πρὸς ἄλλον ζῆν. ¶*Aut vi aut iure.*] Hanc exceptionem dum contemnit Euripides in Hecuba, te-
16 merè clamat non esse liberum, qui quoquo modo prohibetur facere quod vult. Ideoq; neminem
prorsus esse liberum, quia vel fortuna, vel pecunia, vel lex scripta, vel multitudo ciuium vetat nos
nostro viuere arbitrio. Verba Euripidis sunt hæc,

——φεῦ
Οὐκ ἔστι θνητῶν, ὅστις ἔστ' ἐλεύθερος.
Ἢ χρημάτων γὰρ δοῦλός ἐστιν, ἢ τύχης,
Ἢ πλῆθος αὐτὸν πόλεως, ἢ νόμων γραφαὶ
Εἴργουσι χρῆσθαι μὴ κατὰ γνώμην τρόποις.

Sed nemo sanus optare debet infinitam eiusmodi libertatem, effrenemq; licentiam, & plusquam
humanam potestatem. ¶*Aut iure.*] Persius de homine libero.

Cur mihi non liceat, iussit quodcunq; voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica notauit.

17 De liberto tamen propriè loqui videtur, & significare illa Masurij Sabini responsa, quæ in Pande-
ctis etiam citantur, de seruis manumittēdis, & de obsequijs, quæ libertus patrono præstare debet.
Porrò autem rectè hominis libertas quibusdam iuris veluti septis coërcita est, ne fortè in immo-
deratam licentiam erumperet. Verum enim est, quod ait Demosthenes, νόμων λυθέντων, καὶ ἑκάστῳ δο-
θείσης ἐξουσίας ὅ,τι βούλεται, ποιεῖν, οὐ μόνον ἡ πολιτεία οἴχεται, ἀλλ' οὐδ' ὁ βίος ὑμῶν τοῦ τῶν θηρίων οὐδὲν ἂν διενέγ-
κοι. [si leges abrogentur, & cuiuis licentia faciendi quicquid voluerit, data sit, non solum Respub.
pessum ibit, sed nec quicquam intererit inter nostram & ferarum vitam.] Nec sanè vir bonus exi-
stimabit suæ libertati offici, si quid iure facere prohibeatur [i], quod nec alioqui facturus erat. nam
quod honestè fieri nō potest, nullo modo fieri posse iudicat [k]. ¶*Constitutio Iuris Gentiū.*] μετωνυμικῶς
ita dictum est, pro ipso vinculo & status genere, quod venit ex Iure gentium. Cicero in Paradoxis
19 definit seruitutem, esse obedientiam fracti animi & abiecti, arbitrioque carentis suo.

a L. placet cum l. seq. C. de episc. & cler.
b L. quidā. De pœnis.
c L. statuliberum. De statulib.
d L. Libertas. De statu hominum.
e §. 2 inf. de tute.
f L. si cognatis. §. vlt. De reb. dub.
g L. vetus fuit. De vsufruct.
h L. velle. De reg. iur.
i L. si stipulatio facta fuerit. De verb. obl.
k L. filius. De condit. institut.

§. *Serui autem ex eo appellati sunt, cum §. seq.*

1 *Vocabuli, Seruus, deriuatio.*
2 *Imperatores qui?*
3 *Agesilai Lacedæmonij clementia.*
4 *Alexandri victoriæ quales?*
5 *Pyrrhi crudelitas, Agamemnonis humanitas.*
6 *Sauromatarum Zirim, & Græcorum ζωγρεῖ.*

tueantur. Quo modo enim eam ruëtur, si accepta priuatim pecunia, quoscunqoe hostes nullo discrimine statim liberant, & emittunt mox redituros efferatiores? Quid hoc aliud est, quàm si magistratus apprehensum latronem & sicarium soluat, truculentius deinde grassaturum in obuios quosque? Scio non esse sæuiendum in captiuos: sed crudelis est & sæua clementia, quæ nullam ha-
13 bet rationem publici periculi. Certè Vlpianus respondit[a], dolo non carere intempestiuam eius misericordiam, qui hominem vinctum temerè soluerit. Ac vide clementiam nostrorum ducum. Qui tam humaniter & ciuiliter tractant hostes cædibus & incendijs omnia vastantes, crudeliter sæuiunt in miseros & insontes rusticos, nihil minus quàm iniustis bellis assentientes. An illud est, gestare gladium à Deo commissum ad tuendos bonos, & coërcendos malos, propulsandasq; in-
14 iurias? ¶ *Qui etiam Mancipia dicti sunt.*] Dicitur & apud Latinos mancipium, comparatio certi dominij, perpetuumque Ius possidendi. Vnde elegans ille versiculus Lucretij; *Vitaq; mancipio nulli datur, omnibus vsu.* Et mancipio dare dicimur, cùm euictionē præstare pollicemur. Resq; mancipi vocantur, quæ abalienari possunt.

15 ¶ *Nascuntur ex ancillis nostris.*] Hos propriè vernas appellamus. Cuius vocis originem nos alio explicabimus loco. ¶ *Fiunt.*] Hunc locum non parum illustrabit Dionysius Halicarn. qui lib. 4. dum probare vult iustas esse Romanis seruorum possessiones, narrat seruos ijs factos esse autem-
16 ptione, aut bello. Sed præstat eius verba subijcere. ἐτύγχανον δὲ τοῖς Ῥωμαίοις αἱ τῶν θεραπόντων κτήσεις κατὰ τοὺς δικαιοτάτους γινόμεναι τρόπους. ἢ γὰρ ὠνησάμενοι παρὰ τοῦ δημοσίου τοὺς ὑπὸ δόρυ πωλουμένους ἐκ τῶν λαφύρων, ἢ τοῦ στρατηγοῦ συγχωρήσαντος ἅμα ταῖς ἄλλαις ὠφελείαις καὶ δορυαλώτους τοῖς λαβοῦσιν ἔχειν, ἢ πριάμενοι παρ' ἑτέρων κατὰ τοὺς αὐτοὺς τρόπους κυρίων γενομένων ἐκέκτηντο τοὺς δούλους. [parabantur Romanis serui modis iustissimis, aut sub hasta empti è præda publica, aut ab ipsis dominis bello capti & Imperatoris permissu derenti cum cæteris militię cōmodis, aut empti ab his qui tabulis modis eos sibi compa-
17 rauerant.] ¶ *Aut iure Gentium, id est, captiuitate.*] iure gentium nostra fieri, quę bello cepimus, postea docet Iustinianus[a], & nos eodem loco hanc rem pluribus excutiemus. Solùm hic repetam senten- *a §. item ea, inf. de*
tiam Regis Cyri, quæ extat apud Xenophontem lib. 3. παιδ. ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιος νόμος ἐστὶν, ὅταν *rer. diuis.*
πολεμούντων πόλις ἁλῷ, τῶν ἑλόντων εἶναι καὶ τὰ σώματα τῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ τὰ χρήματα [Apud omnes homines peculiaris lex est, vt capta hostium ciuitate victoribus cedant & capita in ciuitate & opes.] Portò Athen. lib. 6. assentiens Romanis Iurisc̄osultis, tradit quoq; in bello captos, nō natura sed fortuna
18 seruos esse, & hoc rectius, quàm Iure gētium. eiusmodiq; seruos à Thessalis propriè dictos πενέστας, nempe τοὺς μὴ γένει δούλους, διὰ πόλεμον δ' ἡλωκότας [non genere quidem seruos, sed in bello captos.]
19 Alij tamen aliam eius vocis rationem reddidere. ¶ *Aut Iure ciuili, cum liber homo.*] Hoc exemplum non constringit regulam, quin aliter quoque seruus iure ciuili fieri posit, vt sanè potest, veluti in-
gratitudine[b], assertione principali[c], & autoritate Principis propter fugam in familiā latronum. *b L. 2. C. de libertis et cor. liberis.*
Portò autem totus hic locus, quem proponit Iustinianus, descriptus est ex institutionibus Martia *c L. vnic. §. omnis. C.*
20 ni[d]. ¶ *Maior viginti annis.*] Extat rescriptum Diocletiani & Maximiani[e], Placere minores viginti *de asser. toll.*
annis nulla ratione mutare statum posse, ac pro liberis seruos fieri: ne antè libertatem inconsultò *d L. & seruorum. De*
amittant, quam alij propter ætatis rationē præstare non possunt sine consilio. Portò si quis hic ob- *stat. hom.*
ijciat, nec huius quidem ætatis adolescenti licere, vel minimam rem suam vendere: Respondeo, ni *e L. si maiStierinus C. de libe. caus.*
21 hilominus sui venditionem quantumuis grauiorem, esse permissam odio quodam degeneris & seruilis animi, qui sordidi nescio cuius lucelli causa sciens prudensq; sese vltrò conijcit in voluntariæ seruitutis pistrinum: meritoque iudicatur indignus libertate, cuius certam possessionem sponte abijcit. Certè adeò seruus efficitur hac ratione, vt nec vllam sperare posit restitutionem in inte-
grum, ætatis minoris nomine[f]: & manumissus pristinum ingenuitatis statum non recipiat, sed li- *f L. si ex causa. §. Pōp: De minor.*
bertinam solùm adipiscatur conditionem[g]. quanquam benignè permiserit Adrianus[h] Imper. vt *g L. homo liber. de statu homi.*
redire posit ad primam suam ingenuitatem, si emptori precium reddat, & paratus sit emptor re-
cipere. ¶ *Ad precium participandum.*] Diuidebatur enim precium inter hunc seruum, & subornatum *h L. 2. D. si liber. ingeesse dic.*
aliquem dominum, qui eum vendiderat tāquam suum seruum. Quod si hic seruus venditus non
recepisset suam partem, poterat rescissa venditione proclamare ad pristinam suam libertatem[i]. *i L. 1. D. et C. quib. ad libert. procla. non lic.*
¶ *Venundari passus est*] Sciens prudensque[k]: sed tamen ignaro emptore, & existimante verè seruum *k L. penul. D. quib. ad libē. procla. non lic.*
esse. Nam eius bona fides potissimùm sustinet hanc venditionem, quæ alioqui nulla esse solet li-
beri hominis[l]. Quod si quis bona fide partem emerit, alius mala fide alterā, efficiet necessitas com *l L. liberi. de cōt. emp.*
22 munionis, vt tota emptio rata sit, prositque huius malæ fidei, alterius bona fides[m]: quia non po- *m L. liberis. De libera cau.*
test pro parte tantùm emptio valere[n]. Nec nouum est, vt cōditio socij capacis prosit alteri alioqui *n L. si pars. L. duobus. De liber. cau.*
incapaci[o]. Portò quæ hic dicuntur de venditis seruis, quibus denegatur ad libertatē proclamatio,
pertinent & ad donatos, & in dotem datos, & eos, qui pignori se dari passi sunt, vt scribit Paulus[p]. *o L. si in quis duos. De liber. lega. 1.*
Cæterùm simplici pactione, qua inter me & te conuenisset, vt tu, quem liberum esse constat, ser-
uus esses meus, non ita posses Iure ciuili seruus fieri. Et si volens scripsisses seruū te esse, nō liberum: *p L. si vsumfru. §. in summa. de liber. cau.*
libertati tuæ non præiudicares[a]. Transactio tamen in causa status admittitur[b]. Tum enim de re *a L. nec si volens. C. de liber caus.*
dubia, & controuersa quæstione status agitur, tùm incertum est, liber sis an seruus.
¶ *Nulla est differentia.*] Omnes enim æque subijciuntur alterius dominio: quanquam inte- *b L. vlt. C. de trans.*
23 rim officijs differre posint. Alij itaque olim erant serui Atrienses, alij Insularij, alij Focarij, alij Topiarij, qui ruri effingebant arbusculas & virgulta ductilia in varias formas figurasque. Rursus alij erant Ordinarij, & alij Vicarij. Portò varia seruorum nomina apud Græcos commemo-
24 rat Athenæus lib. 6. ¶ *In liberis multa.*] Quarum discrimina etiam Reip. interest conseruari, ne confundantur familiarum origines atque imagines. Vituperatur Romanus ille Imperator, qui

tentauit

tentauit aliquando omnem memoriam illustrium genealogiarum abolere, & desiderauit nulla superesse discrimina generis, vt interea ignobilis suæ familiæ probrum tegeret. Sed de nobilitate aliter philosophi iudicant, aliter Iurisperiti. Illi virtutem, hi natales vel dignitatem intuentur, & 25
nobiles vocant sæpius bene natos. Legimus hac de re inter Appium Pulchrum, & Ciceronem fuisse olim aliquod certamen. Appius irridens Ciceronis nouitatem, iactansque familiæ suæ antiquitatem, & splendorem, putabat nobilitatem non esse, vbi non esset εὐγένεια [generis splendor.] Contrà Cic. lib. 3. Epist. eum admonet, vt paulò diligentius attendat, quid Athenodotus Stoicus de his rebus dicat: vt quid sit εὐγένεια, quid nobilitas, intelligat. Posse aliquem εὐγένειαν habere, nec tamen nobilem esse, cùm pleriq; ex bonis & illustribus parentibus nati, sint flagitiosissimi, quos verè nemo nobiles dixerit. Ex virtute itaq;, non ex natalibus veram nobilitatẽ nasci. Errare vulgum, qui putat omnes ex claris familijs ortos esse nobiles, cùm potius sint δυσγενεῖς. nec quisquam, nisi virtute sua clarus sit, suisque factis gloriam & nobilitatem sibi paret. Sanè tamen credere debemus claros natales plerunq; tribuere maiores ad virtutem impetus: & in heroicis familijs vim naturæ præstãtiorem esse, quàm in reliqua multitudine: Heroicoq; generi, quod Deus præfecit cæteris hominibus, additos motus animorum acriores & generosiorem indolem, & quosdã veluti enthusiasmos: vt admodum deplorare debeamus, illam vim naturæ ex: miam sæpè rapi ad malum corrupta institutione: illosq; magnos motus frequenter agi transuersos, cùm nulla doctrina reguntur: & illa virtutum semina non excitari, sed potius obrui. Vt de Nobilitate ciuili breuiter dicam, constat ab initio Romæ fuisse homines liberos alios Plebeios ignobiles: alios Patritios genere nobiles. Tempore posteriorum Cæsarum nobiles etiam erant dignitate, nempe titulo aliquo dignitatis vel ci- 26
uilis vel militaris insigniti: & licet alioqui genere & natalibus nobiles ipsi non essent: tamẽ eorum liberi genere nobiles habebantur. Neque verò inane erat hoc nomen nobilitatis: sed multis priui-
legijs donabatur. Diocletianus [a] inquit: Diuo Marco placuit eminẽtissimorum & perfectissimo- 27
rum virorum vsq; ad pronepotem liberos, plebeiorum pœnis vel quæstionibus non subijci: si tamen propioris gradus liberos, per quos id priuilegium ad vlteriorem gradum transgreditur, nulla violati pudoris macula adspergit. In Decurionibus autem & filijs eorum hoc obseruari, vir prudentissimus Domitius Vlpianus in publicatum disputationum libris ad perennem memoriam refert. Hæc Dioclet. Certè extat in Pandectis responsum Vlpiani [b], Decuriones neq; in metallum damnari posse, neq; furcæ subijci, neq; viuos exuri. Eorumq; liberos in eadem causa esse. Atq; hæc est ex titulo dignitatis vel præfecturæ nobilitas, cuius frequentissima est in Iure Ciuili mentio. Quamuis autem multis priuilegijs donata sit, & à muneribus quoq; personalibus esset immunis:
non habebat tamen immunitatem à muneribus patrimoniorũ [c]. Hodie verò in Gallia nobilitas 28
non modò hæreditaria est, sed à muneribus patrimonialibus immunis, sicuti & personalibus, excepto militari officio. Neq; tamen aut omnino ignota fuit veteribus Rom. aut nullum in Iure Ciuili fundamentum habet. Imp. Theodosius II. & Valentin. testantur eodem modo agros Limitaneos militibus Castellanis antiquitus assignatos sine vllo prorsus collationis onere [d].

a L. Diuo. C. de quæst.

b L. moris. §. iste. De pœnis.

c L. vlt. §. patrimoniorũ. De mun. & honor. L. qui immunitatem. C. de munerib. patri.

d L. 2. C. de fund. lim.

De ingenuis, Titulus IIII.



INGENVVS est is, qui statim, vt natus est, liber est: siue ex duobus ingenuis matrimonio editus est, siue ex libertinis duobus, siue ex altero libertino, & altero ingenuo. Sed & si quis ex matre nascitur libera, patre verò seruo, ingenuus nihilominus nascitur: quemadmodum qui ex matre libera, & incerto patre natus est: quoniam vulgò conceptus est.

Sufficit autem liberam fuisse matrem eo tempore, quo nascitur, licet ancilla conceperit. Et è contrario si libera conceperit, deinde ancilla facta pariat: placuit eum, qui nascitur, liberum nasci: quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre est. Ex his illud quæsitum est, si ancilla prægnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta pepererit: liberum, an seruum pariat? Et Martianus probat liberum nasci. sufficit enim ei, qui in vtero est, liberam matrem vel medio tempore habuisse, vt liber nascatur. quod & verum est.

Cùm autem ingenuus aliquis natus sit, non officit ei in seruitute fuisse, & postea manumissum esse. sæpissimè enim constitutum est, natalibus non officere manumissionem.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Ingenuorum alij nascuntur, alij fiunt.
2 Iurisiurandi eadem autoritas quæ rei iudicatæ.
3 Nati libertinorum duorum propter ingratitudinem fiunt serui.
4 Cur matris hîc conditio spectetur.
5 In dominio quoq; partus ventrem sequitur.

6 Liberi patrem quando sequantur.
7 Lyciorum lege filij à matribus nomina sumebant.
8 Claudij Cæsaris constitutio contra liberas nubentes seruis.
9 Apud Garamantes nulli certus pater est.
10 Apud Aegyptios solus pater tribuebat genus.
11 Conceptionis tempus spectatur tum in matre, tum in patre.
12 Filius conceptus ante diuortium, legitimus est.
13 Ex perpetuò serua matre nasci potest ingenuus.
14 Præscriptio quinquennij olim ingenuitatem subuertebat.
15 Liberi nati & expositi ingenuitatem non amittunt.

1 ¶*Statim vt natus est.*]Nasci solet ingenuus [a],& cum sole videre libertatem, vt alibi ait Iustinia-
nus [b].non omnes tamen ingenui, nati sunt ingenui. Nam & libertinus natalibus per Principé re-
stitutus, fit ingenuus [c].Sic quod de seruis dictũ est, dici potest & de ingenuis, alios nasci, alios fieri.
Certè & is ingenuus fit, quem iudex ingenuum pronunciauit [d], præsente saltem & seriò conten-
dente iusto contradictore. Nam ob eius penuriam [e], vel contumaciam, vel collusionem [f] lata sen-
2 tentia non tribueret ingenuitatem. Sed & ingenuitatem tribuere potest Iusiurandum, vtpote cu-
ius non minor est, quàm rei iudicatæ autoritas [g].Itaq; si libertus deferente patrono iurarit se inge-
nuum esse, erit ingenuus [h].Nam & è diuerso, si iurauero me tuum esse patronũ, fieri poteris ex in-
3 genuo libertus meus [i]. ¶*Ex libertinis duobus.*]Ex his tamen nati olim nõ habebantur pro ingenuis.
& sanè adhuc iure ciuili habent hoc commune cum libertinis, quòd viuo patre manumisso, pro-
pter ingratitudinem, seruitute plectantur [k]: quanquã aliter in eos non protendatur Ius patrona-
tus. ¶*Ex matre libera nascitur.*] Martianus,(ex cuius responso totus hîc ferè titulus descriptus est)
simpliciter eum esse ingenuum [l] ait, qui ex matre libera natus est. Cicero quoq; lib.3.de Nat.Deo.
vt(inquit)Iure Ciuili qui est de matre libera, liber est: ita Iure Naturæ, qui Dea matre sit, Deus sit
4 necesse est. Et solet quidem matris conditio, quia semper ea certa est, spectari, cùm agitur de statu
liberorum. Ideò ex ancilla nascitur seruus, licet fortè pater fuerit ingenuus. Sed & cùm de dominio
5 agitur, partus ventrem sequitur [m]. Vtraq; de re Dionysius Halicar.lib.11.legem cõmemorat, quam
& vetustissimam esse, & omnibus semper hominibus communem fuisse ait, & iam tempore XII.
Tabularum Romæ receptam fuisse significat. Sic enim in illo iudicio, quo Virginia in seruitutem
asserebatur quasi nata ex ancilla Claudij. Claudius loquitur: ἐπὶ τὸν κοινὸν ἁπάντων καταφεύγω νόμον, ὃς
τῶν μητέρων εἶναι τὰ ἔκγονα δικαιοῖ, ἐλευθέρων τε ἐλεύθερα, δούλων δὲ δοῦλα, τοὺς αὐτοὺς ἔχοντα κυρίους, οὓς
ἂν καὶ αἱ μητέρες αὐτῶν ἔχωσι[ad communem omnibus legem confugio, quæ matrum esse filios iustum
censet, liberarum liberos, seruarum seruos, ipsos sequentes dominos quoscunque matres eorum
6 habeant.]In alijs patrem liberi sequuntur [n]. veluti quod attinet ad originem [o]: nisi priuilegio ali-
quo materna origo inspici deberet, quale olim concessum fuit Iliensibus. Rursus patrem sequun-
tur in conseruanda dignitate Senatorij [p] ordinis, & decurionatus [q]. Denique hodie nobilitatem
quam vocant, à patre trahunt, non à matre. quanquam Poëta, loquens de Drance oratore, scripse-
rit: *Genus huic materna superbum Nobilitas dabat: incertum de patre ferebat.* Et Silius loquens de Sycheo
filio sororis Hannibalis, ait, *Cui vano corda tumore Maternum implebat genus.* Et apud Papinium. *Stem-
mate materno felix.* Sed hæc Poëtarum dicta confirmant Iurisconsultorum Rom. sententiam, matris
conditionem spectari, cùm agitur de statu liberorũ. Hic prætereunda non est vetus illa lex Lycio-
7 rum, quam Herodotus lib.1. commemorat, & cum aliarum Gentium legibus parum conuenire si-
gnificat, vt liberi à matribus, non à patribus nomina sumerent, familiamque repeterent, & si mu-
lier ingenua seruo nupsisset, liberi ingenui nobilesq; essent: si ingenuus vilem aut peregrinã vxo-
rem duxisset, ignobilis esset partus. Verba Herodoti sunt hæc. ἓν δὲ τόδε ἴδιον νενομίκασι Λύκιοι, καὶ οὐδα-
μοῖσι ἄλλοισι συμφέρονται ἀνθρώπων: καλέουσι ἀπὸ τῶν μητέρων ἑωυτούς, καὶ οὐκὶ ἀπὸ τῶν πατέρων. εἰρομένου δὲ ἑτέρου
τὸν πλησίον τίς εἴη, καταλέξει ἑωυτὸν μητρόθεν. καὶ ἢν μὲν γυνὴ ἀστὴ δούλῳ συνοικήσῃ, γενναῖα τὰ τέκνα νενόμισται. ἢν
δὲ ἀνὴρ ἀστὸς καὶ ὁ πρῶτος αὐτῶν γυναῖκα ξείνην ἢ παλλακὴν ἔχῃ, ἄτιμα τὰ τέκνα γίνεται. Plutarchus quoque in
libro de claris mulieribus scribit apud Xanthios. qui sunt in Lycia, lege cautum fuisse, cuius etiam
causam adijcit, vt à matribus liberi appellarentur. νόμος ἦν τοῖς Ξανθίοις, μὴ πατρόθεν, ἀλλ᾽ ἀπὸ μητρῶν
χρηματίζειν. Et sanè noster Vlpianus [b] testis est non minus Iliensibus & Ponticis, qui in eadem Asia
sunt, quàm Delphis, iure singulari concessum esse, vt materna origo censeretur: sic vt eius ciuitatis,
8 cuius est mater, sit & filius municeps. ¶*Ingenuus nihilominus nascitur.*] Legimus Claudium Cæsaré
detestatum coniugia liberarum mulierum, quæ seruis nubebant, voluisse filios ex ijs natos, esse li-
bertinæ conditionis, non ingenuæ. Verùm diu rata non fuit eius constitutio, quæ durior erat, &
iniquior partui, nihil tale promerito.
9 ¶*Quoniam vulgo conceptus.*] Id olim in vniuersum fuisse obseruatum apud Garamanticos Æ-
thiopes scribit Solinus, his verbis; Hi matrimonia priuatim nesciunt, sed omnibus vulgò in Vene-
rem licet. Inde est, quòd filios matres tantùm recognoscant: nã paterni nominis nulla est reueren-
tia. Quis enim virum patrem nouerit in illa luxuria incesti lasciuientis? Contrà olim apud Ægy-
10 ptios solus pater genus tribuere putabatur, nihil autem mater natalibus conferre.
¶*Placuit eum.*]Iure ciuili sæpè traditũ est, conceptionis tempus hîc spectari. siue de matre agatur,
11 siue etiam patre. Nam & conceptus priusquam pater Senatu motus esset, licet nascatur post amis-
sam patris dignitatem, filius tamen Senatoris dicetur [c]. Et si pater ordine Decurionum moueatur
post filij conceptionem, ea calamitas filio nihil detrahet [d]. Sed tempus hoc aliquando spectatur,
etiamsi partui incommodum sit. Nam conceptus è seruo, nõ erit filius Decurionis, si pater posteà
natalibus restitutus, fuerit Decurio [e]. Et qui conceptus est viuo auo, sine cuius consensu filiafa. nu-
E psérat,

a L.ingenui. C.de inge.manu.
b L.cum inter. C.de fideicom.libert.
c L.2.C.de nata.resti.
d L.ingenuum. De statu homi.
e L. Diui fratres. De lib.caus.
f L.1.De collus.dete.
g L.2.De iureiur.
h L.eum qui.§.si libertus.De iureiur.
i L.adoptiuum.§.patronũ. De in Ius voc.
k L.2 C.de libertis & eor.liber.
l L.& seruum.§.vlt. De statu homi.
m L.partum.C.de rei vend.
n L.cùm legitimæ.de statu homi.
o L.1. L.assumptio.§.filius.D.ad municip.
p L.liberos. De senat.
q L. exẽplo. C.de decur.
b L.1. D.ad municip.
c L.emancipatũ.§.si quis cõceptus.De Sen.
d L.2.§.in filijs. De Decur.
e L.ex libera. C. De suis & legiti.

a L. eum qui. de statu homi. pserat, non erit iustus filius, licet nascatur mortuo auo, & eo tempore, quo iam habetur iustũ ma-
trimonium filiæ sui Iuris effectæ [a]. Adeò semper hic obseruatũ est conceptionis tempus, vt nec ven
tri nocerent nec prodessent, quæ postea eueniebant. Sed in matre ita demum spectatur si partui v-
b L. qui in vtero. De stat. hom. l. quod dicimus. de verb. signif. tile sit. Sicuti & dicere solemus, eum qui est in vtero haberi pro nato, si de eius commodo agatur [b].
Porrò & huius loci esse videtur, quod decreuit Alexander Pontifex [c], filium conceptũ ante diuor 12
c c. 2. qui filij sint leg. tium, esse legitimum, etiamsi post diuortium nascatur. Postremò & huc pertinet, quòd si ancilla,
d L. vlt. §. vlt. D. quæ in frau. credit. cùm in fraudem creditorum alienaretur, prægnans fuerit, partus editus simul reuocetur [d]. ¶ *Mar-
tianus probat.*] Extat adhuc eius responsum [e], quo traditur, Rectius probatum esse hunc liberum
e L. & seruorum. De statu homi. nasci. ¶ *Sufficit enim.*] Quinimo est etiam vbi ex matre, quę fuit perpetuò serua, nascatur ingenuus. 13
f L. pen. C. de his quæ vt indig. Nempe, si ventri fideicommissaria aut directa libertas data [f] sit. Item si ancillæ fuerit libertas reli-
cta, & ea, interim dum hæres differt adire, pariat: partus erit ingenuus, cui obesse non debet hære-
dis mota aut tergiuersatio. ¶ *Non efficit.*] Ne post quinquennium quidem, quo perstitisset in con-
g L. vl. C. vbi cau. sta. ditione libertina. Est enim sublata illa præscriptio quinquẽnij [g], quæ habebat olim locum ad sub- 14
h L. 1. §. 1. D. si libert. inge. esse dica. uertendam ingenuitatem [h]. ¶ *In seruitute.*] Hoc est, In conditione, statu, & obsequio putatiuæ ser-
uitutis, cùm reuera semper esset ingenuus. ¶ *Manumissum.*] Non iure, neque enim potuit, cùm ser-
uus non esset. Sed tamen eiusmodi ludicra inanisq; manumissionis vmbra interdum est eius mo
menti, vt sufficiat ad implendam conditionem. Nam si quis seruum iussus sit manumittere, & de-
i L. mulier. §. 1. de con dit. institut. inde hæres esse, respondit Labeo [i], hæredem fore, si ipso facto manumittat: quamuis reuera, vtpote
k L. 2. C. de inge. ma. nondum dominus, nihil agat. ¶ *Sæpissimè constitutum est.*] Præter Iustiniani constitutionem, extat
alia Gordiani [k], his verbis: Neque nutrimentorum sumptus, neque seruitutis obsequium, inge-
nuam natam faciunt ancillam, neq; manumissio libertinam. Porrò huc pertinere videtur, quod
Plinio rescripsit Traianus, de ijs, qui cùm liberi nati essent expositi, deinde à quibusdam sublati, 15
& in seruitute fuerunt educati, quos propriè appellabant θρεπτοὺς. Iis enim Traianus noluit dene-
gari assertionem libertatis, & ingenuitatis. Imò nec voluit libertatem esse redimendam precio ali
mentorum. Postremò nec prætereundus est, qui mihi nunc occurrit, locus quidam apud Ciceronẽ
lib. 1. de Oratore, vbi fit mentio controuersiæ Marcellorum & Claudiorum patritiorum: cùm Mar
celli, stirpe contendebant ab liberti cuiusdam filio hæreditatem ad se redijsse: Contrà Claudij pa-
tritij gentilitate niterentur: & illum nunquam seruijsse, nisi iniustam quandam & imaginariam
seruitutem, quæ non potuerit obesse gentilitati, siue natalibus ingenuis. ¶ *Non efficere manumissio-
nem.*] Hoc est, non inurere notam libertinæ cõditionis, nec aliquid detrahere ingenuitati. cùm re-
uera nihili fuerit ea manumissio κατὰ τὸ περιττὸν παρασχεθεῖσα [frustra seu superuacuò data,] vt ait hoc lo-
co Theophilus.

De Libertinis, Titulus V.



LIBERTINI sunt, qui ex iusta seruitute manumissi sunt. Manumissio autem est de manu datio, nam quandiu aliquis in seruitute est, manui & potestati suppositus est: & manumissus liberatur potestate. Quæ res à iure gentium originem sumpsit: vtpote cùm iure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissiò, cùm seruitus esset incognita. Sed postquàm iure gentium seruitus ingenuitatẽ inuasit: sequutum est beneficium manumissionis. & cùm vno communi nomine omnes homines appellarentur, iure gentium tria hominũ genera esse cœperunt: Liberi, & his contrarium Serui, & tertium genus Libertini, qui desierant esse serui.

Multis autem modis manumissio procedit: aut enim ex sacris constitutionibus in sacrosanctis Ecclesijs, aut Vindicta, aut inter amicos, aut per epistolam, aut per testamentum, aut per aliam quamlibet vltimam voluntatem. Sed & alijs multis modis libertas seruo competere potest, qui tã ex veteribus, quàm ex nostris cõstitutionibus introducti sunt.

Serui verò à dominis semper manumitti solent: adeò, vt vel in transitu manumittantur: veluti cùm Prætor, aut Præses, aut Proconsul in balneum vel in theatrum eunt.

Libertinorum autem status tripertitus antea fuerat: nam qui manumittebantur, modò maiorem & iustam Libertatem consequebantur, & fiebant ciues Romani: modò minorem, & Latini ex lege Iunia Norbana fiebant: modò inferiorem, & fiebant ex lege Aelia Sentia, Dedititij. Sed quoniam Dedititiorum quidẽ pessima conditio iam ex multis temporibus in desuetudinem abierat, Latinorum verò nomen non frequentabatur: * ideoq; nostra pietas omnia augere, & in meliorem statum reducere desiderans, duabus constitutionibus hoc emendauit, & in pristinum statum reduxit: quia & à primis vrbis Romæ cunabulis vna atque simplex libertas competebat, id est, eadem, quam habebat manumissor: nisi quòd scilicet libertinus sit, qui manumittitur, licet manumissor ingenuus sit. Et Dedititios quidem per constitutionem nostram expulimus, quam promulgauimus inter nostras decisiones: per quas, suggerente nobis Triboniano viro

** al. ideo nostra*

excelso

excelso Quæstore nostro, antiqui iuris altercationes placauimus. Latinos autē Iunianos, & omnem, quæ circa eos fuerat obseruantiam, alia constitutione per eiusdem Quæstoris suggestionem correximus, quæ inter imperiales radiat sanctiones. Et omnes libertos, nullo nec ætatis manumissi, nec dominij manumittentis, nec in manumissionis modo discrimine habito (sicut iam antea obseruabatur) ciuitate Romana decorauimus: multis modis additis, per quos possit libertas seruis cum ciuitate Romana, quæ sola est in præsenti, præstari.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Libertinorum & libertorum discrimen.*
2 *Manumissio vnde dicta.*
3 *Libertorum varia genera apud Athenæum.*
4 *Vt serui manumissi, sic filij emancipati.*
5 *Manumissio sacrorum causa facta.*
6 *Manus plura significat.*
7 *Chirographum dicitur Modestino manus emissa.*
8 *Ius patronatus inæstimabile.*
9 *Serui non natura, sed fortuna.*
10 *Apud Parthos perpetua seruitus.*
11 *Omnes animantes rationis participes sunt homines.*

1 Initio admonendi sunt iuuenes, non alios esse Libertinos, quàm libertos: sed hoc interesse, quòd homines Libertini dicantur absolutè, quicunque sunt manumissi. Liberti verò qui habent patronum. Quod discrimen deprehendi etiam potest ex quodam Vlpiani responso [a]. Sed pluribus verbis explicatur à Laurentio Valla lib. 4. cap. 1. ¶*Ex iusta.*] Nam si vera aut legitima non fuerit seruitus, nihili erit manumissio, nec libertinæ conditionis notam inuret, vt superiori titulo di-
2 ctum est. ¶*Manumissio autem.*] Manumissio appellata est, quòd dominus tenens caput, aut aliud membrum serui, quem volebat libertate donare, dicens; Hunc hominem liberum esse volo; eum
3 manu sua emittebat. Vnde Plautus manu emissum dixit. Athenæus lib. 6. scribit, apud Lacedæmonios eadem ratione appellatos ἀφέτας seruos manumissos, atq; etiam ἀδεσπότους, vtpote alterius do-
4 minio liberatos. Porrò seruorū propria fuit manumissio, sicut liberorū emancipatio. Sed cōfunditur sæpè hoc discrimen: quia nec olim aliter liberabantur filijfa. quàm serui. nam à patre naturali venditi, manu mittebantur tanquam serui ab imaginario emptore. Apud Festum lib. 14. legimus
5 aliam quādam veterum manumissionem, quæ sacrorum causa fiebat, eratque oblationis species,
6 sic dicta, quòd quæ Deo donantur, à nostra manu & dominio exeant. ¶*Manui & potestati.*] Manus verbum est πολύσημον [variæ significationis.] Et plerunque μεταφορικῶς significat potestatem, modò herilem [b], modò patriam [c], modò regiam [d]. Significat etiam aliquando ipsam artem, vt Caius [e]
7 ait, sæpe plus esse in manus precio quàm in re. Modestinus [f] dixit manum emissam, pro data cautione manu nostra conscripta: Græci χειρόγραφον appellant. ¶*Liberatur potestate.*] Remanent tamen
8 quædam prioris potestatis vestigia. Nam superest ius illud patronatus, quod latissimè patet, adeò vt Paulus [g] iudicarit esse inæstimabile. Et certè ius habet patronus, quo potest ingratum libertum reuocare in priorem potestatem & seruitutem. ¶*Cùm iure naturali omnes liberi nascerentur.*] Dictum
9 est id sæpè à Iustiniano, & olim à Rege Seruio Tullio dictum quoque fuit. Nam cùm patritij ægrè ferrent manumissos non libertate modò, sed & ciuitate donari: Seruius contrà obiecit, seruos à liberis non natura, sed fortuna differre, vt est apud Dionysium Halicarnass. lib. 4. Apud Aristophanem in Pluto seruus Carion conqueritur iniquitate Fortunæ comparatum esse, vt qui verè & naturaliter corporis sui dominus est, in corpus ius non obtineat. sed qui corpus illud ab alio emit. τοῦ σώματος οὐκ ἐᾷ τὸν κύριον κρατεῖν ὁ δαίμων, ἀλλὰ τὸν ἐωνημένον. ¶*Secutum est beneficium manumissionis.*] Quod tamen ad Parthos vsque non videtur olim abijsse. Legimus enim apud eos nullam fuisse manu-
10 missionem: ac propterea seruorum numerū infinitum eos habuisse. Certè M. Antonio cùm occurrerent quinquaginta millia Parthorum, vix erant ex ijs octingēti liberi. ¶*Vno communi nomine ho-*
11 *mines appellarentur.*] Sacræ literæ testantur Deum effinxisse primum hominem luteum, eumq; ex re appellasse Adam, hoc est, hominem. Est enim vtrunq; nomen ab humo deductum. Pertinet autem ad omnes animantes rationis participes, nullo discrimine sexus [h], status aut ætatis.

a L. vl. D. si liber. inge. esse dic.
b L. Titius. De ser. expor.
c L. vl. C. de emā. lib.
d L. 2. in princ. De orig. iur.
e L. mulieres. §. res ab esse. De verb. signi.
f L. quidā. de probat.
g L. naturalis. §. vlt. de præscript. verb.
h L. hominis. de verb. signific.

§. *Multis autem modis.*

1 *Quomodo per Censum libertatē consecuti sint serui?*
2 *Quomodo olim in templo Feroniæ manumissi sint?*
3 *Vindictà quid?*
4 *Festuca etiam in manumissione adhibita.*
5 *Manumissio per mensam.*
6 *Vt per epistolam, sic & per nuncium conferri potest manumissio.*
7 *Per imperfectum etiam Testamentum procedit manumissio.*
8 *Ab intestato fideicommissaria tantummodò libertates dantur codicillis.*
9 *Varij libertatis assequendæ modi.*
10 *Lege Mosaica 7. anno seruitutis fiebant liberi.*
11 *Negocia extraiudicialia liberè fiunt vbiq;.*

¶*Multis modis manumißio procedit.*]Tacitus lib.13.non nisi duas species manumißionis enume-
rat:quarum altera specialiter dicitur, Vindicta: Altera in genere comprehendit reliquos modos
conferendæ libertatis. Tullius in Topicis commemorat tres modos faciendi liberi, Testamen- 1
tum, Vindictam,& Censum.Fiebat autem per censum liber seruus,qui domino consentiente de-
ferebat nomen in censum tanquam liber.

¶*Ex sacris constitutionibus in sacrosanctis Ecclesijs.*]Historiæ Ecclesiasticæ referunt Constantinum
Imp.edidisse tres constitutiones, quibus cauebat omnes in ecclesijs manumissos sub testimonio
sacerdotum, cum libertate consequi Romanam ciuitatem. Et extat adhuc in Codice[a] quædam
Constitutio Constantini,qua testatur iamdudum placuisse,vt in ecclesia serui poßint libertate do-
nari præsente populo Christiano & Antistite.Sic & olim apud Romanos serui in templo Feroniæ 2
Deæ solebant capite raso accipere pileum.Erat autem hoc insigne libertatis acceptæ.

a L. 1. C. de ijs qui in eccle.ma.

¶*Aut vindicta.*]Corn.Tacitus scribit hanc fuisse potißimam manumittendi rationem.& addit,
ita manumissos non potuisse propter ingratitudinem reuocari in seruitutem. Sed parum id con-
uenit cum nostris legibus[b]. Dicebatur autem Vindicta,virgula illa Prætoria,qua tangebatur ca- 3
put serui. qui manumittebatur. quo modo manumissum primum ferunt Vindicium seruum ob
detectam iuuenum coniurationem de opprimendis Consulibus. Præter vindictam adhibebatur
& festuca.vnde Plautus in Milite, Quid(inquit)ea an festucâ libera facta est? Meminit & Plutar- 4
chus in libello περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων,inquiens;Ῥωμαῖοι, ὅταν εἰς ἐλευθερίαν ἀφαιρῶνται,
κάρφος αὐτῶν λεπτὸν ἐπιβάλλουσι τοῖς σώμασι.[Romani eorum quos in libertatem asserũt,corpora tenui
festuca contingunt.]Ridet autem eo loco Plutarchus eiusmodi ludicras & pueriles ineptias. Per-
sius & vindictæ & festucæ meminit:*Vindicta postquã meus à Prætore recessi.*Et alio loco;*Non in festuca li-
ctor quem iactat inani.* ¶*Inter amicos.*] Sicuti & quandoque per mensam, cùm libertatis dandæ & 5
honoris causa dominus mẽsæ suæ & conuiuio seruum adhibebat. Sanè Tertullianus in lib. de re-
surrect.carn.inter manumißionis insignia refert mensæ honorem.

b L. si manumissum.C. de liber. & eor.liber.

¶*Per epistolam.*]In hoc ipsum nempe scriptam,vt tribueret seruo libertatem. Nam leuis quæ-
dam,& quæ aliud agenti temerè excidit,liberi mentio,nõ statim tribuet ius libertatis[c].Nam nec
solent eiusmodi verba obligare[d].Vt autem per epistolam,ita etiam conferri potuit per nuncium, 6
qui personam domini à quo mittitur,referret,& eius nomine verba conciperet, non etiam per a-
lium procuratorem[e]. ¶*Testamentum.*]Etiam imperfectum[f].Quin & si quid in testamento for- 7
tè fuerit cancellatum aut inductum,quod libertatis dationem continebat,vt ea sustineatur,in du
bio interpretabimur lituram inconsultè & temerè excidisse[g]. Sanè si ex testamento falsò præstita
fuerit libertas ab hærede per errorem,non poterit ea reuocari:sed hæredi dabuntur viginti solidi.

¶*Aliam vltimam voluntatem.*]Veluti per codicillos,quibus testamento confirmatis etiam dire-
ctæ libertates rectè dantur.Sed ab intestato non nisi fideicõmissariè possunt dari codicillis. Quod 8
alio posteà loco diligentiùs excutiemus.

c L. iubemus. C. de libera.caus. l. non epistolis.C.de proba.
d L. Publica Mæuia. Depositi.
e L. si pater. de manu. vindic.
f L. in testamento. C. de fideic.libert.
g L. proxime, in fi. De ijs quæ in test. delen.
h L. cum ex falsis. De manu. vindic.

¶*Alijs multis modis.*]Primùm enim,qui hac lege vænijt, vt intra certum tempus liber fiat,statim 9
atque is dies venerit, ipso iure fiet liber sine alia manumißione[i]. Item si à domino fuerit oblatus
sacro cubiculo[k] principis.Rursus si fuerit à domino expositus[l],vel hæres tutórve scriptus.Prater-
ea potest seruus viginti annis vsucapere libertatem[m]. Eandemque suo merito consequetur,si vel
eum, qui dominum occidit, vel autorem adulterinæ monetæ, vel desertorem militiæ accusarit[n].
Extant & alij multi libertatis assequendæ modi,in cõstitutione Iustiniani,Vt si dominus actis in-
teruenientibus seruum suum vocarit filium, aut seruitutis instrumenta vltrò ei reddiderit, vel si
ancillam coniunxerit libero homini.Adeò verum est quod Iustinianus iactat in Nouella Consti.
89.sibi admodum curæ fuisse, πολλοὺς εἰς ἐλευθερίαν ἀγαγεῖν ἐκ τῆς ἔμπροσθεν δουλείας [multos in liber-
tatem perducere ex priore seruitute.]Addit autem in Nouel. Const 5.seruum,qui per aliquot an-
nos in monasterio vixerit,si velit monachus fieri, potestate domini liberari. Quod statuisse vide-
tur Iustinianus superstitioso illo suo augendorum monasteriorum studio.Et fortaßis voluit resti-
tuere illam,quæ fuit olim in Africa,[illegible].in quam si quis seruus lapidem importasset,statim
liber fiebat.Postremò sciendum est,olim ex lege Mosaica omnes seruos libertatem fuisse,consecu- 10
tos septimo seruitutis anno,vt legere est Deuteronomij cap.15.

i L. 1. & 3. D. Qui sine manum.
k L. iubemus. C. De præfect.sac.cubic.
l L. nemini. C. de episc. audien. l. 2. D. qui sine manum.
m L. 2. C. de præscrip. lon.temp.quæ pro lib.
n L. qui ob necem. D. qui sine ma. l. 3. § vtrum autẽ. D. ad Sen. Silla l. 2. C. quibus ex cau.ser propræmio.

¶*Semper manumitti.*]hoc est,Quolibet loco & tempore,etiam si decreto ipsius Prætoris id fiat:
qui tamen alioqui diligenter solet obseruare loca & tempora:cùm nec ipsis quidem consequenti-
bus litigatoribus die festo ferat sententiam[o],nec in loco priuato[p].

¶*Vel in transitu.*]Quo quidem modo etiam dari potest à Prætore bonorum possesio[a]. Cæte-
rùm controuersiæ,quæ requirunt maiorem animi intentionem, non possent ita dijudicari obiter
vel in transitu,imò nec forenses dilationes concedi[b]. Leges enim volũt iudicem pro tribunali se-
dere[c],& Prætorem salua maiestate imperij sui ius dicere[d]. Sed negocia extraiudicialia liberè fieri
possunt quocunque loco & tempore[e]. atque etiam hæ manumißiones, quæ vindicta fiunt apud 11
Prætorem.nam voluntariæ sunt iurisdictionis,non cõtentiosæ,nec vllam causæ cognitionem de-
siderant:quam sanè si quando desiderarent, vt sunt manumißiones, quæ ex lege Ælia Sentia fie-
bant à domino minore viginti annis,rectè dicetur, eas non æquè posse obiter quocunque loco &
tempore fieri.

¶*In theatrum eunt.*] Æschines in oratione contra Ctesiphontem scribit, non licuisse olim a-
pud Athenienses in theatro seruum manumittere.Ait enim extare νόμον, ὃς διαῤῥήδην ἀπαγορεύει, ἐκ-
κηρύττειν μὴ ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ.

o L. si feriatis de inin.
p L. cum sententiã. C. de senten. & interlo.
a L. 2 § dies. D. quis ordo in bo poß.
b L. à procedente. C. de dilat.
c L. vlti. C. de offic. diuer. iu l. 1. C. de offic iudic.
d L. pe. de iust. et iur
e L. non minorem C. de transact. l. ad testium. § testamenta De testam. l. 1. §. dies. D. quando appellandum sit.
f L. 2. de offic. procon. & lega.

§.Liber-

§. *Libertinorum autem ſtatus.*

¶*Status tripertitus.*] Hunc locum repetit poſtea Iuſtinianus [a]: ſuperſuntque adhuc in iure Ci-
uili veſtigia huius vetuſti diſcriminis libertinorum [b]. Et Auſonius in ſuis Gryphis meminit tripli-
1 cis libertatis. Sed & Athenæus lib. 6. ſcribit, apud Lacedæmonios quoque varia fuiſſe manumiſſo-
rum ſiue libertorum genera. Quoſdam enim appellabát ἀφέτας, quoſdá ἀδεσπότους, quoſdá ἐρυκτῆρας,
alios νεοδαμώδεις, qui cùm eſſent Helotæ, nuper fuerant & libertate & ciuitate donati. Poſtremò
δεσποσιοναύτας, οὓς εἰς τοὺς στόλους κατέταττον. erant enim ij liberti, qui claſſes conſcendebant.

¶*Modo maiorem.*] Vt cùm fiebat manumiſsio cenſu, vindicta, aut teſtamento ex iure Quiritum, à
legitimo & maiore domino. ¶*Fiebant ciues Rom.*] Hoc eſt, Conſequebantur omnia Romanæ ci-
uitatis iura, veluti patriæ poteſtatis, adoptionis, agnationis, teſtamenti, & alia eiuſmodi plura Iu-
2 ris ciuilis beneficia. Fuit itaq; Ius ciuitatis Romanæ magnum. Ac ſcribit quidem Tullius pro Bal-
bo, Exemplo Romuli, qui Sabinos in ciuitatem recepit, nunquam à veteribus Romanis intermiſ
ſam largitionem & communicationem ciuitatis. Sed tamen conſtat, inſigne deſideratum fuiſſe
meritum, quòd remunerarentur Iure ciuitatis. Certè id parciſsimè largitus eſt Auguſtus, negauit-
que Liuiæ ſuæ vxori, pro quodam Gallo id petenti: ſed immunitatem obtulit, dicens: facilius ſe
paſſurum, fiſco ſuo aliquid detrahi, quàm honorem Romanæ ciuitatis vulgari, qui in plures diffu-
ſus facilè vileſceret. Poſtea tamen id leuiter communicatum eſt plurimis ex omni gente. Veſpaſia-
nus aliquádo vniuerſæ Hiſpaniæ dedit Ius ciuitatis; Otho Lingonibus; Claudius Græcis, Britan-
3 nis, & Gallis omnibus. Itaq; Roma tandem habita eſt communis quædam omniú patria [c]. Et An-
toninus Imp. in vniuerſum ſtatuit [d], omnes, qui agerent in Romano orbe ſiue imperio, haberi pro
ciuibus Romanis, & vti poſſe Iure Quiritum. ¶*Modo minorem.*] Vt cùm manumiſsio fiebat per e-
piſtolam, vel inter amicos, vel in conuiuio ſiue per menſam. Sed & in quibuſdam fragmentis Vl-
piani legimus; Qui tantum in bonis, non etiam ex Iure Quiritum ſeruum habet, manumittendo
Latinum facit. ¶*Fiebant Latini.*] Latini populi à Romanis deuicti, ſuis quidé legibus relicti ſunt,
ſed Ius ciuitatis non habuerunt. Imò qui in Latinas colonias mittebantur, Ius ciuitatis Romanæ
amittebant, conſecuti Ius illud Latinitatis: quod certè multis nominibus erat deterius, nó tamen
ignominioſum. Saltem enim ſupererat ſpes adipiſcendæ ciuitatis Romanæ vt olim deportati ſpe-
4 rare poterant reditum & reſtitutionem [e]. Ad horum (inquam) Latinorum exemplum dicti ſunt
Liberti Latini, qui quidem cum libertate non conſequebantur ciuitaté: ſed eius aſſequédæ ſpem.
Nam ſi rurſus à patronis teſtamento, aut vindicta, aut in æde ſacra veluti ex integro fuiſſent ma-
numiſsi, fiebant ciues Romani. In fragmentis Inſtitutionum Vlpiáni, quæ nuper ſunt inuenta, le-
gimus; Latinos libertos Ius Quiritum conſecutos eſſe beneficio Principali, iteratione, liberis, mi-
litia, naue, ædificio, piſtrino. Et addit, naue accepiſſe ciuitatem Romanam, ſi nó minorem, quàm
decem millia modiorum nauem fabricauerit, & Romam ſex annis frumentum portauerit, ex e-
dicto Diui Claudij. ¶*Ex lege Iunia Norbana.*] Quis huius legis autor fuerit, ſcriptores non prodút.
5 Sed memini legiſſe me apud Dionyſium Halicar. lib. 7. Norbam fuiſſe Latini generis vrbem non
obſcuram. alia autem fuit Norba Cæſarea, Luſitaniæ vrbs, cuius meminit Ptolemæus lib. 2. c. 5.
6 ¶*Ex lege Aelia Sentia.*] Huius legis autores duo fuerunt Ælius & Sentius: & fortaſſe ij fuerunt,
qui temporibus Auguſti Conſules fuiſſe dicuntur, Sext. Ælius Catulus, & C. Sentius Saturninus.
Habuit autem hæc lex multa capita. Nam etiam vetabat in fraudem creditorum ſeruum manu-
mitti: & permittebat filio, hæredi proximo, paternum libertum ingratitudinis reum agere [f]. Scri-
pſit autem interpretationem huius legis Vlpianus, ex cuius ſcriptis ad legem Æliam Sentiam, eſt
hoc reſponſum, quod in Pandectis refertur [g]; Eum, qui in carcere clauſus eſt, non videri neq; vin-
ctum, neq; in vinculis eſſe, niſi corpori eius vincula ſint adhibita. Ergo ſeruus, propter delictum à
domino vinctus, ex manumiſsione non niſi dedititiam libertatem conſequebatur per legem Æ-
liam Sentiam. Sed Vlpianus exiſtimat eam locum non habere, ſi carcere tantùm incluſus fuerit
7 ſeruus: quanquam alioqui dici ſoleat; non intereſſe, parietibus quis, an vinculis teneatur [h]. ¶*De-*
8 *ditītij.*] Ita primùm dicti ſunt populi, qui cùm defeciſſent, rurſus victi ſeſe dediderunt, & à victori-
bus Romanis donabantur infima quadam libertate, ſed abſq; vlla ſpe aſſequendæ ciuitatis Roma
næ. quales fuerunt olim Gabij populi. Ad horum ſimilitudinem dicti ſunt Liberti Dedititij, qui
manumittebantur poſteaquam ob nequitiam pœnas luiſſent, & gerebant notas atque ſtigmata,
quæ cauterio fronti inurebantur. Sanè tamen quod dictum eſt de populis Dedititijs, non videtur
ſemper Romæ tanta ſeueritate vſitatum fuiſſe. Quinimo XII. tabulis cautum fuerat, vt idem Iuris
9 eſſet Sanatibus quod fortibus. Sanates vocabant, qui cùm defeciſſent, breui pòſt rediere in amici-
tiam, quaſi ſanata mente, aut ad ſaniorem mentem reuerſi. Eos voluerunt eodem iure eſſe, quo for
tes, hoc eſt, boni & conſtantes, qui à populo Romano nunquam defecerant. Cóſule noſtros Com-

a §. vl. inf. de ſucc. lib.
b L. qui Romæ. §. Flauius. de verb. obl.
c L. Roma. D. ad municip.
d L. in orbe. de ſta. ho.
e L. intercidit. de cond. & demonſt.
f L. ſciendum. §. item in lege. de verb. ſign.
g L. verū eſt. de verb. ſignific.
h L. ſuccurritur. D. ex quib. cau. maior.

mentarios

mentarios ad XII.tabulas. ¶*Deditiorum pessima conditio.*] Nam nec spem ciuitatis aliquando conse
quendæ habebant, & illam suam qualem qualem libertatem cum vita perdebant. adeò vt de bo-
nis suis testari non possent, sed ijs quasi seruorum peculijs manumissores potirentur, vti alio po-
stea loco Iustinianus indicat [a]. Erant & liberti, qui in vita serui erant, & in morte primũ liberi effi- 10
ciebantur. ideoq; vendi poterant. Apud Horatium lib.II.Serm. fit mentio Libertini, qui pro man
cipio venditur. ¶*Duabus constitutionibus.*] Extat vtraque Constit. lib.7. Codicis [b]. Nobis aliò prope-
rantibus satis est obiter indicasse. ¶*A primis vrbis Romæ cunabulis.*] Hoc est, à temporibus Seruij Tul-
lij regis. Is enim primus legem Romæ tulit, vt omnes manumissi cum libertate consequerentur 11
ciuitatem Romanam. quod quidem qua tandem ratione ab eo factum sit, elegáter describit Dio-
nysius Halicarn. lib 4. locum inspiciat lector. longior enim est, quàm vt hic ascribere possim.

¶*Nec ætatis manumissi.*] Sic, vt iam posit infans manumitti simul & ciuis Romanus fieri, quod
olim ante annum trigesimum non concedebatur. Sed & qui in vtero est, manumitti potest [c]. Ve-
rùm cùm is nascatur ingenuus, non pertinet ad tractatum libertorum. ¶*Nec dominij manumitten-* 12
tis.] Hanc esse veram huius loci lectionem ex Theophilo didicimus, vt referatur ad sublatum dis-
crimen dominiorum [d], quorum alterum dicebatur in bonis esse, alterum ex Iure Quiritum. Cęte-
rùm ad ætatem domini manumittentis, non potest commodè hic locus referri, cùm nondum de
eius ætate quicquam dictum sit. Posset fortasis retineri vulgaris lectio, DOMINI MANVMIT-
TENTIS, modò intelligamus per aphæresim, DOMINI, dictum, pro DOMINII. Nam & id fre-
quens esse in Iure constat. ¶*Nec in manumissionis modo.*] Quoquo enim tandem modo quis manu-
mittatur, fit semper & liber, & ciuis. Sed interea manet differentia alia, quæ est inter ipsos modos
manumissionis, vt, quidam testamento manumittere possunt, qui non possent inter viuos.

¶*Multis modis additis.*] Possunt hi modi repeti ex Constitutione Iustiniani [e]. Et nos paulò antè plures congessimus.

a §.vlt.inf.de succes. libert.

b L.1. C. de dedit. liber. toll. l.1. C. de lati. lib. toll.

c L. cum inter. C. de fideicom. liber.

d L. vna C. de nudo iur. Quir. sublato.

e dict. l.1. C. de Lati. liber. toll.

Quibus ex causis manumittere non licet. Tit. VI.



NON tamen cuicunque volenti manumittere licet. nam is, qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit: quia lex Aelia Sentia impedit libertatem.

Licet autem domino, qui soluendo non est, in testamento seruum suum cum libertate hæredem instituere, vt liber fiat, hæresque ei solus & necessarius: si modò ei nemo alius ex eo testamento hæres extiterit: aut quia nemo hæres scriptus sit, aut quia is qui scriptus est, qualibet ex causa hæres ei non extiterit. Idq; eadem lege Aelia Sentia prouisum est. & rectè. Valde enim prospiciendum erat, vt egętes homines, quibus alius hæres extiturus non esset, vel seruum suum necessarium hæredem haberent, qui satisfacturus esset creditoribus: aut hoc eo non faciente, creditores res hæreditarias serui nomine vendant, ne iniuria defunctus adficiatur.

Idemq; iuris est, & si sine libertate seruus hæres institutus est. Quod nostra constitutio non solùm in domino, qui soluendo non est, sed generaliter constituit noua humanitatis ratione: vt ex ipsa scriptura institutionis etiam libertas ei competere videatur: quum non sit verisimile, eum, quem hæredem sibi elegit, si prætermiserit libertatis dationem, seruum remanere voluisse, & neminem sibi hæredem fore.

In fraudem autem creditorum manumittere videtur, qui vel iam eo tempore, quo manumittit, soluendo non est: vel qui datis libertatibus, desiturus est soluendo esse.

Præualuisse tamen videtur (nisi animum quoque fraudandi manumissor habuerit) non impediri libertatem, quanuis bona eius creditoribus non sufficiant. sæpè enim de facultatibus suis amplius, quàm in ijs est, sperant homines. Itaque tunc intelligimus impediri libertatem, cùm vtroq; modo fraudantur creditores: id est, & consilio manumittentis, & ipsa re, eò quòd eius bona non sunt suffectura creditoribus.

Eadem lege Aelia Sentia domino minori viginti annis nõ aliter manumittere permittitur, quàm si vindicta apud consilium, iusta causa manumissionis adprobata, fuerint manumissi. Iustæ autem manumissionis causæ hę sunt: veluti si quis patrem, aut matrem, filium filiámve, aut fratres sorórésve naturales, aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem, aut alumnum alumnámve, aut collactaneum manumittat: aut seruum procuratoris habendi gratia, aut ancillam matrimonij habendi causa: dum tamen intra sex menses in vxorem ducatur: nisi iusta causa impediat: & seruus, qui manumittitur procuratoris habendi gratia, non minor decem & septem annis manumittatur. Semel autem causa adprobata, siue vera sit, siue falsa, non retractatur.

Cùm

Cùm ergo certus modus manumittendi minoribus viginti annis dominis per legem Aeliam Sentiam constitutus esset, eueniebat, vt qui quatuordecim annos expleuerat, licet testamentum facere, & in eo sibi hæredem instituere, legataque relinquere posset, tamen si adhuc minor esset viginti annis, libertatem seruo dare non posset. quod non erat ferendum. Nam cui totorum suorum bonorum in testamento dispositio data erat: quare non similiter ei, quemadmodum alias res, ita & de seruis in vltima voluntate disponere, quemadmodum voluerit, permittimus, vt & libertatem eis possit præstare? Sed quum libertas inæstimabilis res sit, & propter hoc ante XX. ætatis annum antiquitas libertatem seruo dare prohibebat: ideò nos mediam quodammodo viam eligentes, non aliter minori viginti annis libertatem in testamento dare seruo suo concedimus, nisi decimumseptimum annum impleuerit, & decimumoctauum attigerit. Quum enim antiquitas huiusmodi ætati, & pro alijs postulare concesserit, cur non etiam sui iudicij stabilitas ita eos adiuuare credatur, vt ad libertatem dandam seruis possint peruenire?

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 *Quod in fraudem creditorum fit, ratum non est.*
2 *Lex Aelia Sentia, quatenus cum edicto Pratoris: Qua in fraudem creditorum: conueniat.*
3 *Consilium fraudis & fraudem ipsam euentumq́, concurrere necesse est, si quis in fraudem alterius quid egisse dicatur.*
4 *Bona in fraudem creditorum alienata, edicto Pratoris restituuntur in statum pristinum.*
5 *Nullus creditorum defraudandus.*
6 *Quando fraudulenti manumissoris manumissio rata maneat.*
7 *Nemo potest factum proprium vocare in controuersiam.*
8 *Propriam turpitudinem allegans non est audiendus.*
9 *Qui alios conantur fraudare nihil agunt.*
10 *Libertatis causa fauorabilis, semel concessa difficulter reuocari potest.*
11 *Res fraude alienatas reuocare facile est.*
12 *Cur legatum libertatis primum ab adita hereditate cedat.*
13 *Sceuini coram Nerone imprudens responsum.*
14 *Seruus pignori datus nullo modo manumitti potest.*
15 *Inter plures seruos heredes scriptos primus prafertur.*
16 *Interest defunctorum vt successores habeant.*
17 *Egens facultates suas habent suspectas.*
18 *Locupletes, item inopes & egentes qui?*
19 *LL. pauperibus succurrunt.*
20 *Heres satisfaciat creditoribus, quatenus de bonis relictis potest.*
21 *Beneficia separationis & inuentarij heredibus reseruata.*
22 *Ignominia proscriptorum bonorum relictorum ad heredes transit.*
23 *Tria commoda serui heredis.*
24 *Proscriptio bonorum non caret opprobrio.*
25 *Curatores constituuntur personis illustribus, si eorum bona venire debeant.*

¶ *Non tamen.*] Hæc verba significant quandam regulæ prius propositæ exceptionem, & nonnullam sequentium cum superioribus diuersitatem. ¶ *In fraudem.*] In vniuersum edixit Prætor[a],
1 non esse ratum, quod fit in fraudem creditorum. Et nos postea cum Iustiniano[b] illud edictum
2 pluribus excutiemus: nunc illud obiter obseruare vtile est, quatenus cum eo conueniat Lex Ælia
3 Sentia, quæ antiquior esse videtur. Primum in eo conuenit, quòd fraudem & consilij & euentus, vt appellant, requirat, vt ratum non sit & nihili quod agitur. Deinde, vt Prætor, quamuis hic pluris faciat emptoris bonam fidem, quàm venditoris fraudem: tamen si cui donatum sit, quæri noluit, an sciente eo, cui donatum est, gestum sit: nec videri iniuria affici eum, qui ignorauit: cùm lucrum extorqueatur, non damnum infligatur, vt ait Vlpianus[c]: Sic & lex Ælia Sentia collatam in fraudem libertatem ratam esse noluit, quamuis seruus huius fraudis conscius non fuerit. Cæterùm ex Lege Ælia Sentia ipso iure nulla est, & nihili libertas in fraudē collata, propter eam, quam mox dicam, rationem. Aliarum verò rerum alienatio, quarum Lex non meminit, summo iure rata erat. Sed Prætoris auxilio rescindebatur, nempe cùm creditores instituta prius sua in personam actione, missi in bona condemnati debitoris possidenda, si ea ad executionem rei iudicatæ non
4 essent satis, impetrabant à Prætore, vt ea quæ in fraudem alienata erant, in pristinum statum restituerentur, vt cum alijs debitoris condemnati bonis possiderentur, & in executione rei iudicatæ
5 venundari possent. ¶ *Creditorum.*] Quorumlibet, inquit Hermogenianus[d]. Vt hic omnes creditores accipiamus, quibus cum fraudatore ex aliqua causa actio[e] est, siue purè, siue in diem, siue sub conditione quid ijs debeatur: quanquam pendente conditione manumissus liber maneat[f], donec ea euenerit.
¶ *Nihil agit.*] Hoc est, (vt interpretatur Caius) collata manumissio non valet: nempe si aga-
6 tur de re creditorum: nam si ijs aliunde esset consultum, maneret rata libertatis datio. neque enim
7 ipse, qui dedit, posset eam rescindere[g]. tum quòd non possit factum proprium in controuersiam
8 vocare[h]: tum etiā quòd non audiretur allegans suæ fraudis turpitudinem[i]. Est autem obseruanda

a *L. 1. de ijs, quæ in fran. cred.*
b *§. item si quis in fraudem inst. de act.*
c *L. quod autem. §. simili modo. D. Quæ in fraud. cred.*
d *L. qui in fraudem. D. qui & à quib. manu.*
e *dict. l. qui in fraud. & l. si cum fideiusserit. D. eo tit.*
f *L. si cum fideicommissaria. §. pen. D. eo tit.*
g *L. si creditoribus. C. de ser. pig. dato.*
h *L. post mortem. de adop. l. per fundum. de seruit. præd.*
i *L. si seruus plurium. §. 1. de lega. 1. l. filios. C. de reuo. ijs quæ in fran. l. apud Iulianū. §. Marcellus. de doli ma. except.*

hæc loquendi formula, NIHIL AGIT, qua frequenter vtuntur Iurisconsulti [a], & habet nescio quid
prouerbialis schematis, quo inanem & frustraneam alicuius operam significamus. Vnde illud est;
Satius fore ociosum esse, quàm nihil agere. Et sanè hic verè nihil agit, frustraque laborat debitor, 9
qui conatur suos fraudare creditores. Nam si fraudati videantur, ipso iure nihili erit, quod agitur.
Atqui (inquiet aliquis) venditio serui, etiam si emptor fraudis sit conscius, ipso iure valet [b], licet à
fraudatis creditoribus posit rescindi. Cur igitur nō itidem rata manet libertas, donec saltem eam
creditor fraudatus iudicio reuocarit? Respondeo, magnam esse discriminis rationem, Quòd liber-
tas, quæ semel competijt, difficilius reuocetur [c]. Itaque ne fraudati creditores in reuocanda liber- 10
tate laborarent & luctarentur aduersus causam fauorabilem, visum est, potius ab initio summo-
uendam esse huius difficultatis occasionem: eoque tardius id concedi, quo difficilius reuocaretur
semel concessum, vt ait Tullius quodam loco in Officijs. At res alias in fraudem alienatas reuoca- 11
re nullius est nogocij, cùm nos eò Prætor vltrò inuitet. Atque hæc quoque fuit ratio, cur legatum 12
libertatis non cedat, nisi ab adita hæreditate [d], cùm aliorum legatorum dies cedat statim à morte
testatoris. Et cur olim seruum sub conditione legatum, licebat quidem alienare [e], at non manu-
mittere [f].

¶ *Qui soluendo non est.*] hoc est, Qui non habet vnde æs alienum dissoluat, & satisfaciat quibus
obligatus est. ¶ *In testamento.*] Non etiam inter viuos. Tum enim nullus est prætextus hæredis
quærendi, nec vlla satis iusta ratio, cur id in fraudem creditorum permittatur. Vnde aliquando vi-
sus est mihi parum prudens Iurisque peritus ille apud Cornelium Tacitum libro 15. Sceuinus, cui 13
apud Neronem accusato perduellionis, cùm illud inter indicia obijceretur, quòd liberalius solito
seruos manumisisset: Respondit, libertatem seruis se tum largius dedisse, quòd esset re familiari te-
nui, & instantibus creditoribus, testamento diffideret. Atqui potius videbatur debuisse diffidere
dationi inter viuos, quàm in testamento. ¶ *Seruum suum.*] Qui nulla alioqui ratione impeditur 14
consequi libertatem in testamento datam [g], quique datus non sit pignori [h], saltem specialiter &
expressim. Nam is nexus pignoris omnino impedit & remoratur manumissionem [i]. ¶ *Heresq;
es solus.*] Neque enim hic plures licet manumittere futuros hæredes in fraudem creditorum [k], ne
militi quidem testatori [l]. Quod si quis plures scripserit hæredes, non omnium libertas impedie- 15
tur: sed is qui primo loco scriptus est, solus hæres & liber erit Id quod etiam disertè statuit lex Ælia
Sentia [m]. Sanè vt debitor non soluendo habeat duos ex testamento hæredes, efficit ciuilis neces-
sitas vno casu, quem Caius [n] proponit, his verbis, Ei, qui soluendo non est, aliquo casu euenit, vt
etiam si seruus cum libertate hæres existat, & præterea alius hæres adijciatur. veluti si seruo cum
libertate hærede instituto, ita adiectum sit, Si mihi Stichus hæres erit, tunc Titius quoque hæres
esto. Nam Titius, antequam Stichus ex testamento hæres extiterit, hæres esse non potest. Cum au-
tem semel hæres extiterit seruus, non potest adiectus efficere, vt qui semel hæres extitit, desinat hæ-
res esse. Erit itaque hic seruus hæres, nec tamen solus.

¶ *Et necessarius.*] Rationem huius vocis, simul & totius præsentis loci, proponit alio postea lo-
co Iustinianus [o]. ¶ *Nemo hæres scriptus.*] Aliquo gradu. Nam si qua ratione liceat consulere hono-
ri debitoris citra vllum creditorum dispendium, id cupidè amplectemur, neglectis etiam Iuris
communis regulis. Vnde Celsus ait [p]; Si quis non soluendo seruum scripserit hæredem, eique li-
berum aliquem substituerit, incipiendum esse à substituto: quanquam alioqui non soleat hic or-
do peruerti [a]. Et licet responsum sit ex pluribus seruis institutis, eum, qui primo loco scriptus est,
liberum fore: tamen si quis ex ijs fuerit, cui alioqui debita erat libertas à testatore: is, neglecto scri-
pturæ ordine, solus hæres erit, & ex testamento liber [b]. Et sanè Lex Ælia Sentia ita demum ei, qui
in fraudem creditorum hæres institutus est, conseruat libertatem, si nemo alius ex eo testamento
hæres esse potest [c]. ¶ *Valde prospiciendum.*] Prætor dicitur id sedulò curare, ne quis sine successore
moriatur [d]. Interestque defunctorum (inquit Vlpianus [e]) vt successores habeant. Et Iustinianus 16
in Nouella prima ait. defunctos ἔχειν τινὰ παραψυχὴν ἐκ τῆς αὐτῶν διαδοχῆς. [habere quandam consola-
tionem ex hæredum suorum successione.] ¶ *Egentes homines.*] Qui (inquit postea Iustinianus [f]) 17
facultates suas suspectas habent, ne parū creditoribus respondeant. Vt autem locupletes eos dici- 18
mus, qui satis & idoneè habēt pro ratione rei, de qua agitur [g]: ita egentes & inopes eos accipimus,
qui soluendo non sunt, nec satis habent, pro ratione rei, de qua agitur. Est autem id nostris legi-
bus frequens, vt humaniter succurrant pauperibus alio destitutis auxilio. Plutarchus in libello de 19
vitanda vsura, ait, ἀπορίᾳ βοηθεῖν τὸν νόμον. [Indigentiæ opitulari Leges.] ¶ *Qui satisfacturus esset.*] Sal-
tem quatenus possent satisfacere bona quæ relicta sunt à defuncto, & quibus hic hæres succedit.
Quod si creditoribus non faciant satis: non ideò capientur res, quas hic hæres post mortem patro- 20
ni debitoris acquisiuit: nam ei reseruantur vel beneficio separationis, vel inuentarij iure, quo nunc
magis vtimur [h]. Cæterùm sine inuentario metuendum esset, ne in solidum à creditoribus con- 21
ueniretur, non habita ratione bonorum hæreditariorum: nisi post simplicem aditionem, exclusus
beneficio inuentarij petat & impetret separationem. ¶ *Serui nomine veudant.*] Vbi hæres non est,
res hæreditariæ væneunt defuncti nomine [i]. Sed quandiu hæres est, si is non satisfaciat, eius no-
mine væneunt, vtpote cuius patrimonium iam facta est ipsa hæreditas [k]. Ergo si quid ignominiæ 22
fuerit ex hac bonorum proscriptione, hic hæres, tanquam dominus, sustinebit. Verùm (inquit po-
steà Iustinianus [l]) pro hoc incommodo, illud ei commodum præstatur, vt omnia quę post mortem
patroni sui sibi acquisierit, ipsi reseruentur. Quibus verbis Iustinianus tria complectitur. primum 23
libertatis commodum, quod est inæstimabile [m], & quo nihil gratius seruis præstari potest [n]. Dein-

de Ius

a L. vlt. de lib. & posth. l. nisi. de iure. & rat. distrah.
b L. sciens eman. de contrah. empt.
c L. ait Prætor §. sed quid Papinianus. de minorib. §. si n qui. inf. de eo cui libert. cau.
d L. vna. § in nouissimo C. de cadu. tollen.
e L. seruo legato §. vlt. de lega. 1.
f L. generaliter. §. 1. D. qui & à quib.
g L. si non lex. de hæred. institu.
h L. 1. C. de nec. ser. hære. institu.
i L. pen. D. ex quib. cau. pig. tac. cont. l. 3. C. de ser. pig. dat.
k L. si n qui soluendo. 1. de here. institu.
l L. in fraudem. de mil. testa.
m L. si n qui soluendo. 2. de hæred. instit.
n L. ei qui soluendo non est. de hær. institu.
o §. 1. inf. de hær. quali. & differ.
p dic. l. si n qui soluen. 2. de hær. institu.
a L. quandiu. de acqui. hær.
b L. si n qui soluendo non. 1. de hær. instit.
c dict. l. si n qui solue. 2.
d §. adhuc autem. inf. de bon. possess.
e L. & quia de interrogat. actionib.
f §. 1. inf. de hær. qual. & differen.
g L. quot nos. §. locuples est. de verb. sign.
h L. vlt. C. de iure deliber.
i L. 4. de bon. auto. Iud. possiden.
k L. sed & si plures. § filio. de vul. & pu. l. cum hæredes. de acqui. poss. l. Stichum. §. Mutio de solut.
l §. 1. inf. de hær. qual. & differen.
m L. libertas de reg. Iuri.
n L. Paulus de fideicom. liber.

de Ius acquisitionis, & emolumentum, quod sine libertate non haberet. Postremò beneficium separationis, vt bona, quæ ipse acquisierit, ipsi reseruentur, nomine hæredis nihilominus seruato [a]: quod extraneis hæredibus olim non tribuebatur: sed postea Iustinianus introduxit simile benefi-
24 cium inuentarij, quod nulli non tribuitur [b]. ¶ *Ne iniuria.*] Neque enim opprobrio is carere potest, cuius bona publicè væneunt, & proscribuntur. Vnde Tullius pro Quinrio, Hercule, inquit, cuius bona ex edicto possidentur, huius omnis fama & existimatio cum bonis simul possidentur. De quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certè tacitè, obscureque conceditur. Cui magistri fiunt, & domini constituuntur, qui qua lege, & qua conditione pereat, pronuncient: de quo homine præconis vox prædicat, & precium conficit: huic acerbissimum viuenti videntique funus ducitur: si funus id habendum sit, quò non amici conueniunt ad exequias cohonestandas, sed bonorum emptores, vt carnifices, ad reliquias vitæ lacerandas, & distrahen-
25 das. Hæc Cicero. Huc pertinet quod Caius respondit [c], ex Senatusconsulto Curatorem constitui, quoties clara persona in ea causa est, vt eius bona vænire debeant. Quò honestius (inquit) ex bonis eius satisfaciat creditoribus, curatot distrahendorum bonorum gratia constituitur.

a L.1.§. vlt. de separat.
b L. vlti. C. de iure deliber.
c L. Curator. de curat. fur.

§. Idemq́ Iuris est, & sequent.

1 Vt cum datione tutelæ, sic & cum hæreditate, libertas seruis tribuitur.
2 Tacita priuilegia non solent cumulari.
3 Miles per legatum etiam libertatem confert.
4 Defunctorum voluntas religiosissimè custodienda est.
5 Non minus valet honestas quàm necessitas.
6 Qui voluit consequens, idem & antecedens voluit.
7 In fraude creditorum hæreditatis non hæredis facultates inspiciuntur.
8 Soluendo est, qui solidum potest soluere.
9 Quæ à debitore alienata reuocari possint.
10 Non refert penes quem fraus hæreat.
11 Plus sæpe habent homines in opinione quàm in calculo.
12 Hæres nihil tenetur præstare vltra vires hæreditatis.
13 Fraudem non ex solo euentu, sed ex consilio quoq; interpretamur.
14 Bona debitoris fisco tacitè obligata sunt.

¶ *Sine libertate.*] Hoc est, Nulla libertatis facta mentione. Cæterùm si nominatim testator vetuisset libertatem competere, nihili esset institutio. ¶ *Hæres institutus.*] Aut etiam simpliciter pupillo substitutus [d]: etiam si alioqui primo gradu esset alteri legatus. Id enim non oberit, quin pupillo ante pubertatem defuncto, cùm substitutioni locus erit, fiat liber & hæres.
1 ¶ *Nostra constitutio.*] Extat hæc Iustiuiani Cõstitutio libro sexto Codicis [e]: qua testatur sese statuisse cum hæreditate libertatem datam intelligi, ad exemplum dationis tutelæ, quæ tribuit libertatem seruo. ¶ *Noua humanitatis ratione.*] Est quidem humanitatis plenissima Iustiniani Constitutio: sed quam posteà ipse fatetur [f], sese non per innouationem induxisse, verùm quia æquius erat, & dudum Atilicino placuerat. ¶ *Ex ipsa scriptura.*] Qua seruus nominatim hæres scriptus est: ne-
2 que enim locus hic erit coniecturis: quia non solemus plura congerere tacita priuilegia [g]. Fit autem adeò ex ipsa institutionis scriptura liber, vt contemnat apertam libertatis dationem, postcà fortè in codicillis adiectam [h]. Nam ne videatur hæreditatis datio codicillis confirmari, si ex ijs tribueretur libertas, quæ ad hæreditatem est necessaria: præualebit tacita ex institutione libertas, & reijcietur aperta ex codicillis: quanquam in alijs rebus aliter sit statutum [i].
¶ *Institutionis.*] Non etiam legati [k]. Nam cùm ex eo non pendeat effectus testamenti, nihil periculi est, si non acquiratur seruo, sed eius domino. Sanè tamen si miles legatum reliquerit, li-
3 bertatem conferet. Sic enim scribit Iustinianus in Nouella Constitut. 78. στρατιώτης καταλιμπάνων προσβεῖον τινὶ τῶν οἰκείων θεραπόντων, αὐτῇ δόσει τοῦ προσβείου καὶ τὴν ἐλευθερίαν δεδωκέναι δοκεῖ. [miles relinquens legatum alicui suorum seruorum, ipsa datione legati & libertatem dare videtur.] Portò huc pertinet illa Plinij Secundi ad Sabinum Epistola, quæ tractat quæstionem huius loci, & extat libro eius Epistolarum 4. his verbis; Scribis mihi Sabinam, quæ nos reliquit hæredes, Modestum seruum suum, nusquam liberum esse iussisse: eandem tamen sic ascripsisse legatum; Modesto, quem liberum esse iussi. Quæris quid sentiam. Contuli cum prudentibus: conuenit inter omnes, nec libertatem deberi, quia non sit data: nec legatum, quia seruo suo dederit. Sed mihi manifestus error videtur. Ideò puto nobis, quasi scripserit Sabina, faciundum, quod ipsa scripsisse se credidit. Confi-
4 do accessurum te sententiæ meæ, cùm religiosissimè soleas custodire defunctorum voluntatem,
5 quam bonis hæredibus intellexisse, pro iure est. Neque enim minus apud nos honestas, quàm apud alios necessitas valet. moretur ergo in libertate sinentibus nobis. fruatur legato, quasi omnia diligentissimè cauerit. cauit enim, quæ hæredes bene elegit. Vale.
¶ *Quum non sit verisimile.*] Argumentum est ἐκ τῶν τεκμηρίων, hoc est, à vehementibus & proba-
6 bilibus coniecturis. Nam in vniuersum intelligimus, eum, qui velit consequens, voluisse quoque necessarium antecedens: vt è diuerso, concesso antecedenti concessum intelligimus & id quod ex eo sequitur. Scilicet (inquit Tullius pro Cecinna) qui extrema concessit, principia negare non voluit: vt qui principia dedit, dedisse videtur, & quæ ex ijs proficiscuntur omnia. Possem hunc locum pluribus Iuris exemplis illustrare, sed nunc sit satis obiter quosdam locos indicasse [l]. aliò enim properamus.

d L. pen. §. vlt. C. de nec. ser. hæred. instit.
e D. l. pen.
f §. 1. inst. de hær. inst.
g L. 1. C. de dot. promiss.
h D. l. pen. §. sed quia C. veteres.
i §. pen. inst. de Codicill.
k D. l. pen §. illo.
l L. 2. de iurisd. l. ad rem mobilem. de procur. l. 3. §. qui habet. de ser. rust. præd. l. 1. §. 2. D. si vsufr. petat.

¶ Vel

¶ *Veliam eo tempore quo manumittit.*] Inter viuos. nam si in testamento manumittat, non inspi-
ciemus tempus illud, quo manumittit, siue testamentum scribit: sed nec tempus mortis, quo te-
stamentum confirmatur, & incipit ratum esse: verùm illud rempus, quo hæreditas adita est [a]. adeò
vt si hæreditas, quæ prius soluendo erat, interim dum cunctatur & deliberat hæres, facta fuerit nõ
soluendo, id noceat datis libertatibus: quemadmodum è diuerso ijs prodesset, si quid interea hęre-
ditati accresceret, & quæ soluendo primùm non erat, fiat soluendo. Porrò autem nihil profuerit,
locupletem succedere egenti. Nam cùm agitur de fraude creditorum, nos hæreditatis, non hære- 7
dis vires inspicimus. ¶ *Soluendo non est.*] Soluendo nemo dicitur, nisi qui solidum potest solue- 8
te [b]. ¶ *Datis libertatibus.*] Etiamsi dentur ea lege & conditione, vt serui dent sui æstimationem
hæredi [c]. nam hæres eam capiet non hæreditario titulo, sed vt donationem causa mortis [d]. sic vt in-
de creditoribus nihil accedere posiit, nec hæreditas magis soluendo fiat.

¶ *Prævaluisse tamen videtur.*] Nam & in vniuersum ea solùm in fraudem alienata intelligun- 9
tur, vt reuocari posint, quæ sint dolo alienata à debitore non soluendo, vt & is fraudare voluerit,
& euentum fraus habuerit, iuquit Vlpianus [e]. ¶ *Manumissor.*] Vel is qui manumittere iubet. Si 10
enim patre iubente manumittat filius, nõ refert penes quem fraus hæreat, ne quis hoc nouæ frau-
dis commento speret se suam occulere posse fraudem [f]. ¶ *Sæpe enim.*] Quod frequenrer (inquit
Paulus [g]) accidit ijs, qui transmarinas negociationes per seruos & institores suos exercent. Et alio-
qui sanè ea est hominum philautia, vt cuique sua facilè quàm maxima videantur, & plus sæpe sit
in opinione, quàm calculo. Sed hæc proprij patrimonij ignorantia iustior est in negociatoribus, 11
faciliusque in ijs toleratur, & recipitur ad summouendam omnem fraudis suspicionem. Cæterùm
in æstimanda vna aliqua re nostra, non temerè vllus iustus & probabilis esset error [h]. ¶ *Homines.*]
Scribit sanè Tullius in Catone; Neminem tam decrepitum esse, nullaque memoria, quin probè
teneat, qui sibi, & cui ipse debeat, suique thesauri vim & locum. Sed vbi in ea re peccamus, fit erro-
re opinionis, non quidem eleuantis, aut minuentis censum, qui maior est, sed potius extollentis
minorem, & ita liberaliter magnifacientis, vt plerunque non respondeat opinioni calculus.

¶ *Impediri libertatem.*] Directam. Sic enim nominatim rescripsit Imperator Alexander [i], Di-
rectas libertates per legem Æliam Sentiam, in fraudem creditorum datas reuocari, si consilium
fraudis euentus damni sequatur. Sed ad impediendã fideicommissariam libertatem, solum frau-
dis euentum inspici obtinuit [k]: quòd hæc, quæ ab hærede præstatur, veluti inter viuos detur. hæres 12
autem nihil facere tenetur supra vires hæreditarias, quantumuis sincerum & simplex fuerit testa-
toris consilium [l], quia nec is temerè intelligitur mandasse quicquam fieri in fraudem suorum cre-
ditorum. ¶ *Cum vtroque modo.*] Inquit Iulianus [m]: Si quis, cùm haberet Titium creditorem, &
sciret sese soluendo non esse, libertates dederit testamento: deinde dimisso Titio, posteà Sempro-
nium creditorem habere cœperit, & eodem testamento manente decesserit: libertates datæ ratæ
esse debent, & si hæreditas soluendo non sit. quia vt libertates rescindantur, vtrunque in eotun-
dem persona exigimus, & consiliũ & euentum. Siquidem & creditor, cuius fraudandi consilium
initum erat, non fraudatur: & aduersus eum, qui fraudatur, consilium initum non est. Libertates
itaque ratæ sunt. Hæc ille. Sed & fraudis interpretationem non ex euentu duntaxat, sed ex consi-
lio quoque faciundam docet Iuris regula [n]. Et rescriptum est [o], non infirmandam libertatem à 13
debitore fisci collatam in seruum etiam pignori obligatum (ex eo scilicet priuilegio, quo tacitè in- 14
telliguntur obligari bona contrahentis cum fisco [p]) nisi & fraudis consilium detegatur.

a L. si mortis tempore. D. qui & à quib. ma. § qualitas. inst. ad le Falcid.
b L. soluendo. De ver. signific.
c L. qui mortis tempore D. qui & à quib. ma.
d L. qui pretio. De do. caus. mort.
e L. ait Prætor. § 1. De ijs quæ in fraud. cre.
f L. si cum fideicommissaria. § vlt. D. qui & à quib. manu.
g L. in fraudem. 1. D. qui & à quib.
h L. quisquis. C. de rescind. vend.
i L. 1. C. qui manu. nõ poss.
k L. vlt. C. illo sit. L. ergo. § in fraud. De fideicom. libertat.
l L. 1. § pen D. ad Se. Treb. L. successores, C. ad L. Falcid.
m L. si quis cum haberet. De ijs quæ in frau. credit.
n L. fraudis interpretatio. De reg. iuris.
o L. 2. C. de ser. pign. da.
p L. 2. C. in quibus cau. pig. tacit.

§. *Eadem lege Aelia: & sequent.*

1 *Manumißionis causam approbare quid?*
2 *Consilium, id est, tribunal Prætoris, Proconsulis & Legati Cæsaris.*
3 *Hæres quando seruum legatum retinere poßit.*
4 *Seruum an domino beneficium dare poßit.*
5 *Contra naturam est, parentem seruire filio.*
6 *Magna filijs ignominia parentum seruitus.*
7 *Parentum interest filios seruitutem non subire.*
8 *Pollucis & Castoris fraterna amicitia.*
9 *M. Fabius Max. triumphum recusat ob fratris desiderium.*
10 *Intaphernis Persa vxor fratrem ipsi marito & liberis prætulit.*
11 *Fraterna pietas grata olim Romanis.*
12 *Pædagogia munus olim seruis domesticis demandatum.*
13 *Diogenes seruus venditus vt liberorum imperator.*
14 *Syrus Terentianus fuit pædagogus.*
15 *Præceptores sanctè colendi; & vbi ipsis meritum obsit.*
16 *M. Antonij pietas in nutricium suum.*
17 *Aeneæ pietas in nutricem suam Caietam.*
18 *Statij Papinij versus de pietate educatorum in alumnos.*
19 *Nutrici concessa postulatio suspecti Tutoris.*
20 *Educator potest petere suis alumnis Tutores.*
21 *Nuptiæ filiæ cum filio educatoris sunt fauorabiles.*
22 *Multa argumenta pietatis mutuæ alumnorum & educatorum in iure extant.*
23 *Danda collactaneo libertatis causa quæ?*
24 *Procurator non tantùm litium est, sed & negociorum domesticorum.*
25 *Serui à foro arcentur.*
26 *Iusta impedimentorum causa quæ?*
27 *Decretum ex falsis allegationibus ortum retractatur.*
28 *Fauor libertatis non admittit retractationem.*
29 *Legatis continentur & libertates relictæ.*
30 *Libertatis infinita æstimatio.*

31 *Mediocri-*

31 Mediocritate sunt dirimendæ causæ ancipites.
32 Non amplius 17. anni sed 15. duntaxat requiruntur ad dandam libertatem.
33 Attigisse postremum diem anni 14. satis est.
34 Aetas 17. annorum idonea est ad procedendum in publicum.
35 Nerua filius, anno ætatis 17. de Iure publicè respondit.
36 Caluus, Cæsar, Pollio, Demosthenes, penè pueri in publicum processerunt.
37 Minor annis 25. procurator in iudicio esse non potest.
38 Quando manumissio impediatur ex persona Manumissoris.
39 Quando manumissioni obstet persona manumittendorum.
40 Apud Lacedæmonios ab Agide perpetuò damnati serui.
50 Seruus Hebræorum contemnentibus anno 7. libertatem aure perforata.
51 Diocletianus vetuit seruos Christianorum manumitti.
52 Christiani Turcis captiui seruientes quomodo liberentur?

¶ *Domino.*] Hic dominum vulgò accipiunt eum, qui in solidum dominus est, nec alium ha-
bet consortem: quia si plures sint eiusdem serui domini minores viginti annis, satis sit ad iustam
manumissionem vnum eorum causam probasse. Sed propriè id non continet lex, quam allegant
ad hanc rem [a]. Nam in Florentinis Pandectis ita legitur: Seruus communis qui à minoribus *a L. seruum commun. De ma. vindic.*
viginti annis dominis possit apud consilium manumitti, quamuis vnus ex socijs causam appro-
1 bauerit, dubium non est. Causam autem approbare eo loco, idem est quod in consilio Prætoris,
aut Consulis adesse, vt intelligamus ipsum quidem Consulem, aut Prætorem minorem, nisi causa
probata apud collegam manumittere non posse [b]: eum tamen qui in seruo partem haberet, posse *b L. vnica. De offi. Consul. l. apud filium. §. vlt. de manu. vin.*
ex Iuliani sententia in consilio esse. ¶ *Manumittere.*] Neque inter viuos (qua in parte nihil im-
mutauit Iustinianus) neque testamento. Sed nec directò, nec per fideicommissum [c], nisi eius quo- *c L. minor ann. C. de fideicomiss. liber.*
que probetur causa [d]. Postremò nec à promissore serui stipulari potest minor, vt seruum promis- *d L. illud in causis. §. eo si quis. de ma. vin.*
2 sum manumittat [e], nec seruum eo lege vendere [f]. ¶ *Apud consilium.*] Hoc est, pro Tribunali apud *e L. si minor. de ver. oblig.*
Prætorem, Proconsulem, Legatúmve Cæsaris. Nam ij cogebant pedaneos Iudices, vt in consilium *f L. si minor. de ser. expor.*
irent. Quod facere non poterat Legatus Proconsulis [g]. Theophilus hic legisse videtur, CONSI- *g L. 2. de offi. eius cui mand. est iurisd.*
LIVM, quod appellat *συνέδριον*, & multa de eo comminiscitur, sed nescio an satis conueniant iudi-
cijs Romanis.

¶ *Iustæ manumissionis causæ.*] Vt dominus minor viginti annis quosdam è suis seruis manumit-
tat. nam omnes manumittere nunquam potest, & si vnum tamen habeat, nulla satis iusta causa
fuerit, cur eo debeat egere [h]. Porrò quæ hic referuntur iustæ manumissionis causæ, similes sunt ijs, *h L. si collactaneus. §. præterea D. de manu missis vindicta.*
3 ob quas hæres liberatur, oblata serui legati æstimatione, vt possit eum sibi retinere, fortè manu-
missionis causa, vt si doceat patrem suum esse, vel matrem, vel fratrem. Etenim (inquit Vlpianus [i]) *i L. si domus. §. qui confitetur. de legat. 1.*
æquissimum est ex hac causa sufficere, si æstimationem præstet. Quasi pietatis ratio nullo modo fe-
rat, vt quem manumittere ipsi debemus, patiamur à nobis abduci futurum alterius mancipium.

¶ *Sunt hæ.*] Potissimæ, & exempli gratia propositæ: desumptæ autem ex tribus Vlpiani re-
sponsis [k]. Omnes verò causas exequi (inquit Paulus [l]) longum esset, quia multa merita incidere *k L. si minor annis viginti. cum ll. seq. De ma. vind.*
possunt, quibus honestum sit libertatem cum decreto præstare, quæ æstimare debet is, apud quem
4 de ea re agitur. Sanè scribit Seneca lib. 3. de benef. quæsitum fuisse à veteribus, an beneficium dare
seruus domino possit. Sed qui id negarunt, negat Seneca intellexisse vim iuris humani: simul & *l L. etiam §. 1. D. eo tit.*
multos commemorat seruos, qui morte propria vitam dominorum redemerunt.

¶ *Patrem vel matrem.*] Quos parentes natura fecit, fortuna seruos, aut alterius domini senten-
tia. finge enim filium & patrem seruijsse: Dominum autem, eum filium scripsisse hæredem: certè
hic hæres cum libertate, vt aliarum rerum hæreditariarum, sic & parentum suorum, qui serui sunt
hæreditarij, dominium nanciscitur [m]. Iam si parentes manumittere velit pius filius, quis non iu- *m L. cum hered. de acquir. hær.*
dicabit iustissimam esse causam, vt ijs reddat naturalem libertatem, quos habet vitæ suæ & lucis
5 autores, & pro quibus etiam potius illi esset vicaria seruitus subeunda. Certè contra naturam esset,
6 parentem seruire filio. Rectè itaque Vlpianus ait [n], non modicam esse filij ignominiam, si paren- *n L. 1. de liber. cau.*
tem seruum habeat. Sed si est hoc ignominiosum, cùm alteri seruit, multo magis cùm ipsi filio.

¶ *Filium filiámve.*] Quos fortè pater ex ancilla suscepit, & eadem possidet conditione, qua &
matrem, vel alio modo suo mancipio acquisiuit. Quam suorum seruitutem si non ferat pius pa-
rens, & quibus lucis & vitæ beneficium impertitus est, velit etiam libertatem conferre: meritò vi-
detur æquissimum, vt quibus naturali voto relinquere cupit hæreditatem [o], relinquat libertatem. *o L. nam etsi parentib. de inoff. testa. l. scripto herede. §. vlt. D. vnde libe.*
7 Sanè respondit Vlpianus [p], semper parentis interesse, filium seruitutem non subire. Sed id multo
magis, vbi seruitutem ipsius patris subiret.

¶ *Fratres naturales.*] Vel alios sanguine iunctos [a], quorum seruitus ad dolorem nostrum, iniu- *p L. 1. de liber. cau.*
riamque porrigitur [b]. sed in fratre iustior est ratio, vt liberum habeamus, quem habemus ferè alte- *a L. vel si sanguine. de manu. vind.*
rum, post parentes liberosq; proximum, quem omni fauore prosequamur, vt docet Plutarchus *περὶ*
φιλαδελφίας, & sine quo nec libertas nostra nobis grata aut plena esse potest, atq; adeò cui partem li- *b L. 2. de liber. cau.*
8 bertatis nostræ potius impendere deberemus, sicuti Pollux dicitur partē suæ diuinitatis fratri Ca-
9 stori elargitus. Certè apud Romanos M. Fabius Maximus insignem amplissimi ex deuictis Ve-
ientibus triumphi honorem recusauit ob fratris desiderium. sine quo nihil sibi iucundum esse
10 putauit. Et Persica illa mulier Intaphernis vxor, cùm ei Darius optionem dedisset, fratrem, mari-
tum, aut filios morti adiudicatos liberandi: fratrē elegit, inquiens; Alius maritus, alij liberi possunt
contin-

contingere:at non alius frater defunctis parentibns. Quàm autem fuerit grata Romanis fraterna 11
pietas,indicat etiam Flaccus his versibus;

Viuet extento Proculeius æuo, *Notus in fratres animi paterni:*
Illum aget penna haud metuente solui *Fama superstes.*

¶*Pædagogum.*] Pædagogus est is, cui ducendorum puerorum cura,simul & eorum instirurio
committitur. Quod munus olim demandari solebat seruis domesticis. Vude Plautus in Mercat. 12
Setuum vnà mittit, qui olim à puero paruulo pædagogus mihi fuerat. Quiuimo noster Vlpia-
a L.quæsitum.§.si instructum De instructo vel instrum leg.
nus [a], pædagogium appellat mancipium.Notus est Diogenes,qui cùm in Creta venderetur,dixit 13
præconi, vt clamaret se vendere seruum, qui sciret imperare liberis: eaque lege hunc emit Xenia-
des,eique liberos suos concredidit. Aqud Terentium in Adelphis manumittitur Syrus,qnòd Æ- 14
schinum & Ctesiphontem à pueris curasset,docuisset,monuisset.Et sanè nibil nõ debet pædagogo
b L. Aquilius Regulus. De donat.
aut præceptori suo gratus discipulus,qui eius diligentia & melior & doctior redditus est [b]. Itaque
etiam veteres *præceptorem sancti voluere parentis esse loco,*vt ait Iuuenalis. Sed illud notandum est,esse 15
aliquando,vbi pædagogi meritum,& necessarius vsus,sit magis caussa seruituris, quàm libertaris.
Nam hæres, qui rogatus est setuum suum manumittere, excusatur, si is sit vel proprius vel libero-
c L.Caij Cassij.De fideicom.liber.
rum suorum pædagogus, cuius ministerio carere non possit [c]. ¶*Nutricem aut educatorem.*] His
quoque pietas iubet omnia humanitatis officia rependi. Sic apud Tetentium in Adelpbis ma-
numittitur ancilla, quæ primam mammá dedit, & hoc nomine dignissima iudicatur,quæ emit-
tatur. Sed & Lælius apud Tullinm admonet, pædagogorum & nutricum curam esse gerendam.
Et Seneca libro tertio de Benef. eum damuat magnæ ingratitudinis, apud quem(vt ait)non pa-
rentum qui debet, honor est, non educatoris, uon præceptorum. Laudatus est olim M.Antoni- 16
nus, quòd humaniter fleuerit educatorem suum mortuum: placuitque Autonino Pio bæc pietas
erga nutricium. Laudatus quoque est Æneas, qui suam nutricem Caietam multo est honote pro-
secutus. Et sanè plerunq; id mereutur educatores,in quibus nõ raro maiorem erga suos alumnos 17
pietatem reperias, qnàm in veris parentibus. Qua de re extat elegans Carmen Statij libro 2.Syl- 18
uarum,quod lubet adscribere;

Ten erosic blandus Achilli
Semifer Hæmonium vincebat Pelea Chiron:
Nec senior Peleus natum comitatus in arma
Troica,sed charo Phœnix hærebat alumno.
Optabat longè reditus Pallantis ouantes
Euander:fidus pugnas spectabat Acestes.
Cumq́,procul nitidis genitor cessaret ab astris,
Fluctiuagus volucrem comebat Persea Dictys.
Quid referam altricum victos pietate parentes?
Quid te,post cineres deceptaq́, funera matris,
Tutius Inoo reptantem pectore Bacche?
Iam secura parens Thuscis regnabat in vndis
Ilia,portautem lassabat Romulus Accam.

Hæc mouisse videntur nostros Iurisconsultos, vt multa specialiter introduxerint singulari quo-
dam fauore nutricum & alumnorum. Suspecti tutoris postulatio, quæ alijs mulieribus denega-
d §. consequens. inf. de suspect.tut.
tur,conceditur [d] nutrici pupilli non secus atq; matri. Et educatori permittitur petere suis alum- 19
e L.2.D. qui pet.tutor.
nis tutores [e]. Non auditur remerè pater refragaturus filiæ volenti nubere filio sui educatoris [f]. 20
f L. patrem. C. de nups.
Nutricium suum alumnus non potest accusare [g]. Ex testamento imperfecto educatoris possunt 21
g L.iniquum est.C. de his qui accus. non poss.
alumni legata capere [h]. In generali obligatione non comprehenduntur alumni [i],quia nec id vo-
luisse videtur educator. Extant & alia multa in iure nostro argumenta pietatis erga alumnos [k]. 22
h L. in testamento. De fideicom liber.
Quinimo dubitarum aliquando fuit, an uon æquè nutricijs, vt parenribus esset deferenda hære-
ditas, & legitima succesśio alumnorum. Sed tamen tescriptum est tanrum ijs uon tribui [l]: quia
i L.1.C quæ res pign. oblig.non poss.
nec ij teneantur suos alumnos hæredes instituere, aut legitimam vllam portionem relinquere [m].
Reuera enim non sunt, quamuis dicantur, parentes [n]. ¶*Collactaneum.*] Martialis & Iuuenalis
k L.vxorem.§.Seiü. De legat. 3. L.alumnæ.De adim.legat.
collacteum dicunt. Visa est autem iusta caussa libertatis collactaneo dandæ, propter sauctam il- 23
lam mammę & educationis societatem, mutuumque amorem cum ipso lacte inbibitum.Notum
est dictum Aristotelis libro 8.Ethic. μεγά τι εἶναι πρὸς φιλίαν τὸ σύντροφον. [magnum quid conferre ad
amicitiam,assnetudinem eiusdem educationis.] ¶*Procuratoris habendi graria.*]Procurator appel-
l L. nutritoribus. C. commun.de success.
latur non is modò, qui lites curat,sed & qui rem familiarem, aut quæcunque alterius negocia do- 24
mestica. Alibi dicitur admiuistrator negociotum [o]. De hoc procuratore hic quoque locus intel-
m L. sancimus. C. de infan.expos.
ligitur. Vnde Theophilus eum sic vertit, ἔτι τὸ, ὡς ἐλεύθερον αὐτὸν ὄντα, ἀκωλύτως πάντα μου διοικεῖν τὰ
πράγματα. [vt liber factus sine vllo impedimenro negocia mea administret.] Et quanquam non
n L.si quis alumnam. C.de nups.
sit ei omnino necessaria libertas, sicuri nec ætas annorum septendecim [p]: tamen procurandis al-
o L.3.C.de procur.
terius negocijs longè aprior est liber homo & adultus. Deinde est aliquando lis subeunda ratione
p L.plerig. De instito.
commissi negocij [a]. at seruus à foro prorsus arcetur. ¶*Matrimonij habendi causa.*] Hæc est sanè iu- 25
stissima dandæ libertatis causa,modò id ex bonesto affectu maritali faciat,non ex luxuria [b]. ¶*In-*
a L.in certü. De iudic.
tra sex menses.]Interea auté hæc quæ matrimonij causa manumissa est, à nullo alio vxor duci pote-
b L. illud in causis. De manu.vind.
rit, nisi eius nuptijs ex causa patronus renunciauerit [c]. Quod si temerè & sine causa reuunciaret,
non omnino esset rara libertas in fraudem data, vano quodam prætextu matrimonij. ¶*Nisi iu-* 26
c L. matrimonii causa.De ritu nupt.
sta causa.]Veluti necessariæ absentiæ, infirmitatis,vel alicuius noui impedimenti perpetui:vt si hic
manumissor fiat Senator.

¶*Semel autem causa approbata.*] Hoc est, libertatis, quæ seruo proprio confertur,semel tecepta
causa,non potest postea in controuersiam vocari.Sanè aurem decretum iudicis ex falsis allegatio- 27
d L.& si præses.C.de præd.minor.
nibus interpositum in alienarione bonorum pupillarium retractatur [d]. ueque enim alienatio ni-
titur eo fauore,quo libertatis datio. ¶*Siue vera siue falsa.*] Hoc est,Siue minor veram, siue falsam
aliquam

aliquam & commentitiam causam proposuerit, eamque prætori rerum ignaro vtcunque proba-
rit. ¶ *Non retractatur.*] Vt sanè nullus est, qui eam retractet. nam manumissor ipse non conuellet
quod fecit, aut fieri curauit: nec audiretur, si fraudem suam proponeret. Deinde is est fauor liber-
28 tatis. vt quæ semel competijt, non temerè soleat retractari. Quod si allegetur fraus ipsius, qui ma-
numissus est, æquum erit eum sarcire damnum, quod dominus ab eo circumscriptus accepit. Sed
interea semper manet rata libertas, atque ita sæpe rescriptum [a] est. Alia est conditio alterius sen-
tentiæ ex falsa causa latæ: cùm non eo fauore nitatur, & semper alicui obsit, qui expostulet de eius
iniquitate. Quod tractatur duobus titulis Codicis, nempe; Si ex falsis instrumentis, &c. Item, Si
ex falsis allegationibus, &c.

29 ¶ *Legatáq; relinquere.*] Adde, generali appellatione Legatorum contineri etiam libertates re-
lictas [b]. ¶ *In testamente.*] Quid autem possit inter viuos minor, dicemus in titulo, Quibus alie-
30 nare licet, vel non. ¶ *Libertas inæstimabilis res sit.*] Libertatis infinitam esse æstimationem sæpe iure
ciuili traditum est [c]. Atque hæc fuit causa, cur iudicarint veteres cunctantius esse dandam, cum
nec vlli, quantumuis maiori, & prudenti, integrum sit ex rebus suis, sine insinuatione, donare su-
pra quingentos aureos.

¶ *Mediam viam eligentes.*] Vbi paribus vtriusque rationibus ancipites distrahimur, tutissimum
31 est mediam viam amplecti. Sicque Paulus testatur sese multas causas diremisse per mediocrita-
tem [d]. Sed vbi maior aliqua verisimilitudo in alteram nos magis partem traheret, erimus in eam
propensiores exemplo eiusdem Pauli [e]. Sanè Iustinianus ipse postea mediam hanc viam, quam hic
delegerat, dereliquit, & simpliciter iudicauit non esse necessarios plures annos ad libertatem te-
32 stamento dandam, quàm ad testamentum faciundum. vnde apparet non amplius desiderari an-
nos septendecim, sed quindecim sufficere [f]. Verba id statuentis Iustiniani ex Nouella eius Con-
stitu. 119. sunt hæc, καὶ τοῦτο δὲ διὰ τῆς παρούσης διατάζομεν διατάξεως, ὥστε ἄδειαν εἶναι τοῖς ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ, ἐν
ᾧ περ ἔξεστιν αὐτοῖς διατίθεσθαι περὶ τῆς ἄλλης αὐτῶν περιουσίας, καὶ τοὺς ἰδίους δούλους τελευταίαις βουλήσεσιν ἐλευ-
θερεῖν, μηδένα τούτοις ἐμποδισμὸν τῆς ἡλικίας ποιούσης, ἀλλὰ σχολάζοντος τοῦ νόμου τοῦ πρώην κωλύοντος. [Sed &
hoc per præsentem constitutionem sancimus, vt quo tempore minoribus ætate in alijs facultati-
bus suis testandi potestas permissa est, ab eo ipsis etiam in extremis voluntatibus seruos suos liber-
tate donandi licentia sit: nullum his impedimentum afferente ætate; lege videlicet quæ prius id
prohibebat abolita.] Cumque ad testamentum faciundum satis sit attigisse postremum diem an-
33 ni decimiquarti: erit & ad libertatem relinquendam. Sicuti & ipsa Lex Ælia Sentia satis esse sta-
tuerat attigisse postremum diem anni vigesimi [g]. Et hoc quidem ex ea lege argumentum Paulus
proposuit in causa quadam grauissima [h]. Sed an satis aptè vel omnino suo loco: dicam aliàs.

¶ *Huic ætati.*] Nempe annorum septemdecim. Prætor enim qui pueros postulare prohibuit,
34 id permisit adolescentibus qui septemdecim annos impleuint, eamque ætatem idoneam esse ra-
35 tus est ad procedendum in publicum, cum ea ætate aut paulo maior e Nerua filius de iure publicè
36 responderit [i]. Et legimus Caluum, Cæsarem, Pollionem ante Quæstoriam omnes ætatem grauis-
simas causas suscepisse, ac Demosthenem adhuc ferè puerum pupillares actiones habuisse. Minor
37 tamen annis 25. procurator [k] in iudicio esse non potest. Nam cùm procurator tanquam dominus
litis, & qui cauit iudicatum solui, illi contra quem litigat obligetur: falleret litigatorem aduersa-
rium, si in ea causa esset, vt in integrum restitui posset.

¶ *Ad libertatem dandam.*] Hoc est, testamento relinquendam. Nam quod attinet ad manumis-
sionem inter viuos, nihil immutauit Iustinianus ex lege Ælia Sentia. Nunc priusquam omnino
missum faciamus manumissionum tractatum, colligamus, manumissionem impediri vel ex per-
38 sona manumittentis, vel eius, qui manumittitur. Primùm frustrà manumittit inops aut impubes
dominus, vt iam dictum est. Item is qui dominus non est. Quare nec pater castrenses seruos filij
sui [l], nec maritus, saltem qui soluendo non est, dotales [m] potest manumittere. Frustra quoque ma-
numittit qui ipse seruus est. vt si ordinarius manumitteret suos vicarios. Sed id tamen per inter-
39 positam personam facere potest [n]. Manumitti autem non possunt serui ad vincula damnati [o], &
quos testator manumitti prohibuit [p], vel qui sunt ea lege & conditione distracti [a]. Plagiarij serui,
pro quibus pœnam intulit dominus, intra decennium manumitti non possunt [b]. Et serui mulie-
ris adulteræ, ante diem sexagesimum à diuortio [c]. Et qui adulterij accusati sunt, à domina eiusdem
40 criminis rea, non possunt interim manumitti [d]. Porrò apud Lacedæmonios legimus aliquando
Helotas perpetua & indissolubili seruitute damnatos ab Agide rege, vt apud Parthos æterna erat
50 seruitus. Apud Iudæos seruus Hebræus qui oblatam septimo anno libertatem contemnebat, subij-
ciebatur perpetuæ seruituti, eique perforabatur auris in huius rei signum. Cuius legis frequens est
51 in sacris literis mentio. Exodi capit. 21. & Deuter. capit. 15. Præterea scribit Eusebius libro octauo
52 suæ historiæ Ecclesiasticæ, Diocletianum publico edicto prohibuisse aliquando, seruos Christia-
norum manumitti. Certè quod attinet ad Christianos qui nunc Turcis seruiunt bello capti, vt
miserrima est eorum seruitus, ita parua spes manumissionis. Si perseuerant in religione Christia-
na, nec Turcico more patiuntur sese circumcidi, grauiore seruitute premuntur; sed plerunque ijs
certum tempus seruitutis præstituitur, post quod liberi fiunt, & ius in patriam reuertendi nanci-
scuntur, relictis tamen in seruitute filijs. Quod si Turcicam superstitionē receperint, longè mitior
est seruitus, sed nō aliter liberantur, quàm si facti sint inutiles senio, vel dominus in bellum profe-
cturus testamentariá ijs libertatem reliquerit. Quoties barbariem & tyrannidem Turcicam ani-
mo reputo, nō possum nō ingemiscere. Nihili enim est collata seruitus Ægyptiaca vel Babylonica.

a L. 1. 2. & 3. C. si aduer. lib. l. 1. C. de vind. & apud cons. man. l. insta can. §. 1. de ma. vind.
b L. in generali petitione. de ver. sig. l. cū in substitutione de lega. 3.
c L. libert. n. l. non est §. infinita. de reg. iur.
d L. filio vel seruo. D. vt legat. no. cau.
e L. Nesennius. de neg. gest.
f L. qua ætate. D. de testam.
g L. 1. de manumiss.
h L. qui filium. §. Fa- nius. D. Ad Treb.
i L. 1. §. postulare. de postulan.
k L. minor. de procur. l. exigendi. C. eod.
l L. serui. de manumissionibus.
m L. seruū dotalem. D. illo tit.
n L. 2. C. qui man. nō poss.
o L. 1. C. qui non poss. ad lib. per.
p L. vlt. C. illo tit. l. contra volunt. tit. C. de test. m. manu. l. ille seruus. §. vlt. D. qui & à quibus.
a L. ea quidem. C. si mancip. ita fue. aliena.
b L. lege Flauia. de mann.
c L. 3. C. ad leg. Iul. de adulte.
d L. hu verbū. §. interdum. de hæred. instit.

De lege Fusia Caninia tollenda, Tit. VII.

LEGE Fusia Caninia certus modus constitutus erat in seruis testamento manumittendis, quam, quasi libertates impedientem, & quodam modo inuidam, tollendam esse censuimus: quum satis fuerat inhumanum, viuos quidem licentiam habere totam suam familiam libertate donare, nisi alia causa impediat libertatem: morientibus autem huiusmodi licentiam adimere.

IN SVPERIORE M TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Augusti determinatio de certo numero, conditione & differentia manumittendorum.*
2 *Lex Fusia suas habuit rationes.*
3 *Leges Fusiæ apud Romanos fuerunt plures.*
4 *Lege Aelia quid datum, Fusia verò quid vetitum: vtraq; sublata à Clodio.*
5 *Quis huius nostræ L. Fusiæ Caniniæ fuerit autor parum liquet.*
6 *Modus & numerus seruorum testamento manumittendorum qui?*
7 *Rationes legis Caniniæ tollendæ quæ?*
8 *Alia ratio delendæ Caniniæ.*
9 *Claudius Isidorus 4000. Nicias 1000. Mnason 1000. seruos possedit.*
10 *Apud Athenienses, & Aeginetas inuenta 40. myriades seruorum.*
11 *Quod viuis permittitur, idem & morientibus licet; & contrà.*

Scribit Suetonius Augustum aliquando certum manumittendi modum determinasse: nec
modo multis difficultatibus seruos multos remouisse à iusta libertate, sed & multa curiosè cauisse 1
de numero, & conditione, & differentia eorum qui manumitterentur. Vnde apparet non solùm
Fusium Caninium, quisquis tandem ille fuit, inuidisse libertatibus. Ac fortasis ea ratione mouebatur,
quæ Dionysium Halicarnasseum libro quarto commouit, vt iudicaret libertatem illam
manumissionis, qua serui & liberi & ciues Romani fiebant, fuisse perniciosam ciuitati Romanæ,
cùm quidem improbissimi quique passim manumitterentur: & pro turpis alicuius obsequij vel
sceletis veluti compensatione libertatem à dominis consequerentur. Deinde, quod huc propriè
pertinet, narrat Dionysius, multos se vidisse, qui stulta quadam & profusa honoris ambitione
omnes seruos suos testamento vel flagitiosissimos manumitterent, vt pileati funus sequerentur.
Proptereaque multos offensos damnasse totam manumissionem. Ἔγωγ' οὖν οἶδά τινας ἅπασι τοῖς
δούλοις συγκεχωρηκότας εἶναι ἐλευθέροις μετὰ τὰς ἑαυτῶν τελευτὰς, ἵνα χρηστοὶ καλῶνται νεκροὶ, καὶ πολλοὶ ταῖς
κλίναις αὐτῶν ἐκκομιζομέναις παρακολουθῶσι τοὺς πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες. ἐν οἷς ἐπόμπευόν τινες ἐκ τῶν
δεσμωτηρίων ἐξεληλυθότες κακοῦργοι ἀρτίως, μυρίων ἄξια διαπεπραγμένοι θανάτων. εἰς τούτους μέντοι τοὺς δυσκαθάρτους πίλους ἐκ τῆς πόλεως ἀποβλέποντες οἱ πολλοὶ δυσχεραίνουσι, &c. [Noui equidem quosdam, qui vniuersos
seruos testamento liberos esse iusserunt, vt benignitatis laudem ferrent post obitum; & funus
suum deduceretur magna pileatorum frequentia: in qua pompa quidam erant recens dimissi
è carcere malefici, mille supplicia commeriti. Istos impuros pileos multi opprobrant vrbi cum
stomacho, indignum facinus clamitantes, populum rerum dominum, & vsurpantem sibi orbis
imperium, talibus contaminari ciuibus.] Atque hæc quidem ascribo, vt intelligamus aliquid 2
rationis habuisse legem Fusiam, & multis olim placuisse: quam hic Iustinianus tantopere damnat.
Porrò plures leguntur apud Romanos Leges Fusiæ. meminit enim Cicero legis Fusiæ. in Va- 3
tinium, & quinta Verrina. Et libro primo epist. ad Atticum meminit Legis Æliæ & Fusiæ. Lege
Ælia datam esse accepi obnunciationem omnibus Magistratibus, vt si intercederent, impedire 4
possent, Legem aliquam perferri. Legem verò Fusiam, certis diebus Legem aliquam ferri vetuisse.
Itaque P. Clodius, vt leges & quas vellet, & quo tempore vellet, ferre posset, perniciosa rogatione
tam Æliam legem quàm Fusiam sustulit. Cicero pro Sestio inuehens in Tribunatum Clodij,
Mitto (inquit) eam Legem quæ omnia iura religionum, auspiciorum, potestatum, omnes leges,
quæ sunt de Iure & de tempore legum rogandarum, vna rogatione deleuit. Idem in Pisonem:
Te inspectante & tacente, à P. Clodio, fatali portento prodigioque Reipub. Lex Ælia & Fusia
euersa est, propugnacula murique tranquillitatis atque ocij. Quæ autem fuerit illa, quæ hic tol- 5
litur, & quis eius autor, parum liquet. & præter Iurisconsultos nullum habeo veterem scriptorem
qui meminerit huius legis Fusiæ Caniniæ, nisi Flauium Vopiscum. is in vita Taciti. Seruos (inquit)
Vrbanos omnes manumisit vtriusque sexus, intra centum tamen, ne Caniniam transire
videretur.

¶ *Certus modus.*] Hunc modum Paulus sic explicat, vt à duobus vsque ad decem, pars dimi- 6
dia: à decem vsque ad triginta, pars tertia: à triginta vsque ad centum, pars quarta: à centum vsque
ad quingentos, pars quinta manumitti posset. nunquam autem plures quàm centum. Idem
tradit in suis Institutionibus Caius.

¶ *Quodammodo inuidam.*] Duri hominis est, non misereri seruilis conditionis tot nominibus
mi-

7 miserabilis: Crudelis, alicui inuidere beneficium naturalis libertatis: Inhumani, velle etiam impedire, & facere, quo minus dominus (qui rei suæ liberum habere debet arbitrium [a]) in testamento suo (cuius liber quoque stilus esse debet [b]) possit seruos fortè promeritos libertatem, & seruitute indignissimos donare libertate, cuius pia & fauorabilis causa est [c]. Sed ratio legis Caniniæ fuisse videtur, quòd multi plerunque nimium sint liberales in fraudem hæredum. ¶ *Tollendam esse censuimus.*] Extat hac de re Iustiniani constitutio in Codice [d]. Vidit Iustinianus aperiendam esse libertatibus viam, & laxanda frena manumissionum, ne Resp. seruis repleatur. An non tristes erant
8 illæ diuitiæ Claudij Isidori, quem Plinius testatur possedisse plusquam quatuor seruorum millia?
9 aut Niciæ vel Mnasonis, quorum vtrunq; mille habuisse seruos testatur Athenæus lib. 6. qui etiam
10 addit, aliquando apud Athenienses & Æginetas, inuentas plusquam quadraginta seruorum myriadas. ¶ *Totam suam familiam.*] Familia propriè de seruis dicitur [e]. Vnde Theophilus hic vertit, *πάντας τοὺς οἰκέτας.* [omnia sua seruitia.] ¶ *Morientibus autem.*] Indicat hic Iustinianus, id quod in-
11 ter viuos permittitur, si non sit dispar ratio, permittendum quoque in testamento. sicut è diuerso trahitur aliquando argumentum ab vltimis voluntatibus ad negocia inter viuos [f].

a L. in re mandata. C. manda.
b L. 1. C de sacros. eccles.
c L. 3. §. ait prætor. de liber. homi. exhib. l. vlt. C. de patr potest.
d L. vnica C. de lege Fus. Cani. subla.
e L. 2. §. familiæ. D. vi bon. rapt. l pronunciatio. §. seruientium. de verb signifi.
f L. pactum inter hæredem. de pact. l. non est mirum. de pigner. act.

De his, qui sui, vel alieni iuris sunt, Tit. VIII.



SEQVITVR de iure personarum alia diuisio. Nam quædam personæ sui iuris sunt, quædam alieno iuri subiectæ, rursus earum, quæ alieno iuri subiectæ sunt, aliæ sunt in potestate parentum; aliæ in potestate dominorum. Videamus itaque de his, quæ alieno iuri subiectæ sunt. nam si cognouerimus, quæ istæ personæ sunt; simul intelligemus, quæ sui iuris sunt. ac prius inspiciamus de his, quæ in potestate dominorum sunt.

In potestate itaque dominorum sunt serui. quæ quidem potestas, iuris gentium est. nam apud omnes peræquè gentes animaduertere possumus, dominis in seruos vitæ necisque potestatem fuisse: & quodcunque per seruum adquiritur, id domino adquiri. Sed hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio nostro sunt, licet sine causa legibus cognita, in seruos suos supra modum sæuire. Nam ex constitutione diui Antonini, qui sine causa seruum suum occiderit, non minus puniri iubetur, quàm si alienum seruum occiderit.

Sed & maior asperitas dominorum, eiusdem principis constitutione coërcetur. nam Antoninus consultus à quibusdam Præsidibus prouinciarum de his seruis, qui ad ædem sacram, vel ad statuam principum confugiunt, præcepit, vt si intolerabilis videatur sæuitia dominorum, cogantur seruos suos bonis conditionibus vendere, vt precium dominis daretur. & rectè: expedit enim Reipublicæ, ne sua re quis malè vtatur. Cuius rescripti ad Aelium Martianum missi verba sunt hæc; Dominorum quidem potestatem in seruos suos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum ius suum detrahi. sed & dominorum interest, ne auxilium contra sæuitiam, vel famam, vel intolerabilem iniuriam denegetur eis, qui iustè deprecantur. Ideoque cognosce de querelis eorum, qui ex familia Iulij Sabini ad sacram statuam confugerunt, & si vel durius habitos, quàm æquum est, vel infami iniuria adfectos esse cognoueris: venire iubet, ita vt in potestatem domini non reuertantur. Quòd si meæ constitutioni fraudem fecerit: sciat me hoc admissum aduersus se seuerius exequuturum.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

§. Sequitur de Iure Personarum: & seq.

1 Ex contrariorum loco ducuntur syllogismi demonstratiui.
2 Gallis in vxores, Romanis in filiosfamilias vitæ necisque fuit potestas.
3 Nunquam quiduis impune licuit in seruos.
4 Iupiter per somnium admonet T. Latinum de crudelitate cuiusdam in seruum.
5 Augustus in cœna Pollionis probibet seruum obijci murenis.
6 Euangeli apud Macrobium expostulatio in sæuitiam dominorum.
7 Lycurgus tantùm facinorosos seruos occidere permisit dominis.
8 Atheniensium lex de seruis tutandis ab iniuria.

 9 Lex

9 Lex Mosaica prohibet seruos cædi ad mortem.
10 Germani veros seruos non habuerunt.
11 Adrianum quoq; vetuit seruos occidi: itē Constantinum.
12 Vmbricia relegata ob sæuitiam in ancillas.
13 Filios interimere non licet.

a L.1 D. hoc tit.
b §.1. inst. de tutel.
c L. qui accusare. de accusat.

¶ *Sequitur.*] Tota hæc prior pars huius tituli ad verbum descripta est ex primo libro Institutionum Caij, cuius etiam verba referuntur in Pandectis [a]. ¶ *Simul intelligemus.*] Sic postea Iustinianus [b], Si (inquit) cognouerimus personas, quæ in tutela & curatione sunt, intelligemus & quæ non tenentur eo iure. Et Marcellus [c], Qui (inquit) accusare possunt, intelligemus, si scierimus qui
non possunt. Meminit huius loci à contrarijs Aristoteles, inquiens, εἷς τόπος τῶν δεικτικῶν ἐκ τῶν ἐναν- 8
τίων. [vnus locus demonstratiuorum ex contrarijs.] Et Tullius libro secundo de Orat. Est (inquit) illud perspicuum, omnium rerum in contrarias partes cognitionem ex ijsdem suppeditari locis.

d L. in suis. inst. de libe. & posthu.

¶ *Vitæ necisq; potestatem.*] Fuit similis potestas olim apud Gallos maritis tributa in vxores, vt
testatur Cæsar libro sexto. Et apud Romanos patribus in filiosfamilias [d]. ¶ *Id domino acquirit.*] 2
Hanc rem nos postea suo loco diligentius tractabimus, in tit. Per quas personas cuique acquiratur. ¶ *Sed hoc tempore.*] Sed nec olim sanè omnino quiduis impune semper licuit in seruos. Scri- 3
bit Liuius, cùm quidam apud Romanos seruum suum crudelius tractasset, Iouem ipsum per som- 4
nium indicasse T. Latino, sibi admodum ingratam fuisse illam domini sæuitiam. Quod cùm resciuisset Senatus, assentientibus Pontificibus, sumpsit supplicium de crudeli domino. Sed & cùm a-
liquando Augustus apud Pollionem cœnaret, & quidam seruus ob fractum chrystallinum vascu- 5
lum, iussus esset ab ipso hero Pollione murenis obijci lacerandus; Augustus huius herilis sæuitiæ nouitate motus, grauissimè incanduit in hospitē Pollionem (quem etiam hoc nomine dignum mille mortibus fuisse putat Seneca) simulque iussit coram eo omnia eius chrystallina frangi, vt ijs, pro seruo quem liberum emisit, impleretur piscina murenarum. Sic humanus princeps heros
docuit clementiam & humanitatem. Vtinam præterea omnes legāt grauissimam illam Euan- 6
geli apud Macrobium, & tantum non Euangelicam expostulationem in dominorum sæuitiam. Legant quæ scribit Diuus Paulus ad Ephesios, & ad Colossenses: & intueantur eum deprecantem pro Onesimo seruo. ¶ *Nullis hominibus, qui sub imperio nostro sunt.*] Vt nec alijs plurimis olim popu-
lis id licuit. Lycurgus dominis seruos occidere non alios permisit, quàm facinorosos. Et Demo- 7
sthenes contra Midiam prædicat humanissimā Atheniensium legem, quæ seruos ab omni iniuria 8
tutabatur. Athenæus quoq; libro sexto ostendit magnā seruorū curam gessisse Græcos. Vbi enim hanc velut legem tulit, ὑβρίζειν ἥκιστα εἰς δούλους, [seruos non esse contumelia afficiendos,] subijcit, Ἀθηναῖοι δὲ καὶ τῆς τῶν δούλων τύχης φροντίζοντες ἐνομοθέτησαν καὶ ὑπὲρ δούλων γραφὰς εἶναι [Athenieses autem seruorum etiam fortunæ succurrentes, lege sanxerūt, vt seruorum etiam iniuriæ audirentur & ac-

Exod. cap. 21.

cusationes.] Apud Iudæos legem tulit Moses, herum criminis reum fore, qui seruum ita cecidisset, 9
vt is statim moreretur. Sed si vno die, aut duobus superuixisset, impunitum fore domini factum.
Apud priscos Germanos scribit Tacitus rarum fuisse verberare aut vinculis coërcere seruum, quia 10
nec apud eos veri erant serui. Addit tamen solitos aliquando eos occidere suos seruos, non disciplina ac seueritate, sed impetu & ira, vt inimicum, nisi quod impune. ¶ *Ex Constitutione Antonini.*]
Scribit quoque Spartianus Adrianum vetuisse seruos à dominis occidi, & iussisse à Iudicibus eos 11

e L.2. §. vlt. D. hoc tit.

damnari, si digni essent. Refertque Vlpianus [e] Adrianum relegasse in quinquennium Vmbriciam 12
matronam nobilem, quòd ex leuissimis causis ancillas suas atrocissimè tractasset. Extat præterea

f L. vnica. C. de emendat. seruor.

Constitutio [f] Constantini Imp. vt omnino sit reus homicidij dominus, qui seruum quo immoderatè vtebatur, occiderit. Excusetur autem si non nisi de more castigabat. Tollit autem Constantinus illam temporis distinctionem quam Moses definierat. ¶ *Sine causa.*] Ergo videtur Antoninus dominis permisisse ex causa, seruos morte dignos occidere saltem id factum non puniuit. Sanè Adrianus causam hanc à iudicibus voluit examinari: & ab ijs seruos si digni essent, damnari
voluit vt intelligamus id domino ademptum quod & patri, qui omnino prohibetur filium suum 13

g L. 2. D. ad le. Cor. de sicar.

inauditum nec condemnatum, hoc est, ἄκριτον, interimere [g]. Sicque refert Caius Antoninum non vetuisse simpliciter, sine causa seruum occidi, sed sine causa legibus cognita. Nostri autem Iurisconsulti simpliciter tradunt seruum promerentem, & ob facinus, impunè posse occidi à domino:

h L. quid ergo si maiorem. §. si hæres. de leg. 1.
i L. qui seruum. de verb. obli.
k L. locum. §. ex eo. De vsufr.
l D L. vnica. C. de emen. seruo.
m L. vnica. C. de emē. prop.
n L. 1. §. in fi. D. ad leg. Cor. de sicar.

adeò vt hîc etiam excusent hæredem aduersus eum, cui seruus is legatus erat [h]: & debitorem, aduersus eum, cui stipulanti promissus erat [i]: & proprietatis dominum, aduersus fructuarium [k]. Sed vtut sit, non conuenit priuatis hominibus hæc potestas. Rectè itaque Constantinus & iurisdictionem & animaduersionem capitalem, omnemque infligendæ priuato iudicio mortis potestatem ademit dominis [l], sicuti & parentibus Valentinianus & Valens Impp. qui iusserunt [m] filios aut propinquos enormis delicti reos, dedi iudicum notioni, qua id excedat ius domesticæ emendationis. ¶ *Non minus puniri iubetur.*] Lege Cornelia de sicarijs, punitur qui hominem occiderit, non habita differentia cuius conditionis hominem interemerit, inquit Martianus [n]. Nec est noua lex, quæ non minus serui quàm liberi necem vindicat. Euripides in Hecuba, νόμος (inquit) ἐν ὑμῖν τοῖς τ' ἐλευθέροισιν, καὶ τοῖσι δούλοις αἵματος κεῖται πέρι. [Lex apud nos de cęde liberis æquè ac seruis posita est.]

§. *Sed & maior.*

1 Potestas herilis consistit in moderata castigatione.
2 Potestas manus, vbi deest ius coërcendi contumaciam.

3 Liberti

3 *Liberti flagris cæsi à patronis, habent actionem iniuriarum.*
4 *Patresfam. suarum familiarum principes sunt.*
5 *Parentes in filiorum delictis grauioribus accusatores sint, non iudices.*
6 *Patria potestas in pietate magis quàm in atrocitate consistit.*
7 *Auxonis olim in filium sæuitia quomodo punita.*
8 *Nimia Præceptorum sæuitia culpæ assignatur.*
9 *Plagosi quidam Orbilij coërcendi.*
10 *Maritorum ius in vxores quale.*
11 *Catonis sententia de sæuis maritis.*
12 *Vxorum auxilia contra atroces maritos quæ?*
13 *Magistratui non licet sæuire.*
14 *Præsidis nomen generale erat apud Romanos.*
15 *Præsides proconsulares, item Principis Legati, qui?*
16 *Cadmus asylum seruis primus aperuit.*
17 *Herculis templum apud Aegyptios, Dianæ apud Ephesios, asyla seruorum.*
18 *Sepulcrum Thesei apud Athenienses asylum.*
19 *Asylorum finis, oppressæ infirmitatis perfugium.*
20 *Vetus asylia statuarum Principum.*
21 *Lædentes statuam Principis tenebantur iudicio maiestatis.*
22 *Leges omnibus æqualiter securitatem tribuunt.*
23 *Principes instar Deorum sunt.*
24 *Callidromus à statua Traiani abductus ad magistratum.*
25 *Nemo cogitur vendere rem suam.*
26 *Quando quis abuti non possit re sua.*
27 *Aelius Martianus Proconsul Beticæ.*
28 *Politiani de Martiano I.C. ambiguitas.*
29 *Paulus noluit retinere Onesimum seruum inuitò domino Philemone.*
30 *Principes non concedunt beneficia in alterius iniuriam.*
31 *Principi licet ex causa iusta ius nobis nostrum detrahere.*
32 *Principum finita est potestas, vel teste impio Rege Achab.*
33 *Principis vim vi repellere non licet, nisi impiam.*
34 *Nihil formidabilius homine desperato.*
35 *Proconsulis in prouincia, Præfecti vrbi Romæ officium.*
36 *Infamis iniuria quæ?*
37 *Fraudem Legi fieri quid?*
38 *Contemtus Legum non ferendus.*

1 ¶ *Sed & maior asperitas dominorum.*] Potestas herilis ius habet moderatæ castigationis, quæ
nempe satis sit ad tuendam rem familiarem, & coërcendam seruorum contumaciam vel nequi-
tiam; ne alioquin sit in dominatu seruitus, & in seruitute dominatus, vt ait Cicero pro Deiotaro:
Sed est aliquis modus. Sic igitur oportet omnem potestatem temperare, vt nec impunè contem-
2 ni aut ludibrio haberi possit; nec soluta vel effrenis erumpat in tyrannidem. Est sanè omnis po-
testas inanis & ridicula, quæ nullum habet ius coërcendi contumaces: sicuti ait Paulus [a]; Iurisdi-
ctionem sine modica coërcitione nullam esse. Sed modum conuenit semper tenere. Ergo quod
apud Tullium Cato probat in sene, nos probamus in eo, qui alios habet in sua potestate, nempe,
Seueritatem; sed eam (sicut alia) modicam: acerbitatem nullo modo. Sic iure datur dominis ius
coërcendi serui, sed ita ne supra modum sæuiant. Datur & ea lege & conditione patronis in libert-
3 tos [b]: sed asperitas non probatur. quiuimo si flagellis eos cæderent, tenerentur iudicio iniuria-
rum [c]. Eadem conditione, modi & decori seruandi, habet patria potestas ius castigandi domesti-
4 ca & leuiora suorum delicta [d]. Nam & patresfamiliâs quodammodo sunt familiarum suarum
principes [e]. Sed vetant Imperatores hanc potestatem in immensum extendi: & delictum gra-
uiori supplicio dignum volunt dedi iudicum notioni, vt sit potius accusator parens, quàm iu-
5 dex [f]. Cuius accusatio pietatis nomine promerebitur mitiorem accusati filij pœnam, ne videatur
pater ad supplicium filium obtulisse, vt ait Martianus [g]. Certè nec in castigatione domestica to-
leratur maior parentum asperitas [h]. debet enim patria potestas magis in pietate consistere, quàm
6 in atrocitate [i]. Legimus quendam olim Auxonem Equitem Romanum, quòd filium virgis im-
7 moderatius cecidisset publicè à parentibus omnibus & liberis, nihil reueritis equestrem dignita-
tem, stylis confossum, vt vix eum potuerit Augustus periculo mortis subducere. Rectè Seneca li-
bro primo de clementia, Pessimus (inquit) pater est, qui assiduis plagis liberos, etiam ex leuissimis
causis, compescit. Addit idem Seneca idem iudicium de præceptore. Et leges nostræ permittunt
illi verbera emendationis causa [k], & castigationem: sed leuem tantum. Nimiam verò eius sæui-
8 tiam culpæ assignant [l]. Vnde sutorem illum, qui discipulo imprudens eruerat oculum, cùm eum
calcei forma cæderet, iudicauit Vlpianus teneri lege Aquilia [m], & Iulianus addidit conueniri quo-
9 que posse iudicio locati [n]. Certè hodie multum interesset Reipubl. coërceri plagosos quosdam
Orbilios, qui tenera generosæ iuuentutis corpuscula non aliter, quàm si ea perdere vellent, loris
flagrisque tundunt, simulque instillant quoddam literarum odium: dignissimi sanè, qui ad eum
tractarentur modum, quo ille olim crudelis & perfidus Faliscorum præceptor. Fugiat iuuentus
tales carnifices. Nam nec leges nostræ iudicant seruum esse fugitiuum, qui præceptorem fugerit
10 discipulo immoderatè vtentem [o]. Adeò maior omnis asperitas prudentibus exosa est. Quid ve-
rò de maritis dicemus? Certè habent hi quoque ius quoddam castigandarum vxorum, vt etiam
probat Alexander apud Curtium libro septimo, sed interim semper decori meminerint, vel po-
tius omnino malint (quod ait apud Liuium Valerius) sese patres vxorum, quàm dominos osten-
11 dere: semperq; teneant, quod olim dicebat Cato; eos in sanctissima templa impias inferre manus,
qui vxores suas durius tractarent. Simulque probè sciant aduersus sæuitiam & maiorem asperi-
12 tatem, non defuturum vxoribus auxilium, cùm non desit seruis ipsis dotalibus [p]. Olim quidem
mulieri, quæ probasset sese à marito verberibus cæsam, diuortio consulebatur [q]. Iustinianus verò
dari tantum iubet, quanti est tertia pars donationis propter nuptias. Sed nec in magistratu om-

a *L. vlt. de offi. eius cui mand. est iur.*
b *L. prætor edix. §. præterea. de pœnn.*
c *L. sed etsi lege. §. prætor ait. de in ius voc.*
d *L. respiciendum. §. furta. de pœnn.*
e *L. familiæ. de verb. signif.*
f *L. vnica. C. de emea prop.*
g *L. 2. D. ad leg. Cor. de sicar.*
h *L. milites agrum §. desertorem. de re mil.*
i *L. vlt. D. si quis à par. manu.*
k *L. Diuus. D. ad le. Pomp. de parric.*
l *L. aut facta. §. causa. de pœnn.*
m *L. præceptoris. D. ad le. Aqui.*
n *L. 5. in fi. D. ad le. Aqui.*
o *L. item quæritur. §. item Iulianus. D. locati.*
p *L. quis sit fugitiuus. §. item nec omn. de ædil. edict.*
q *L. si constante. §. si maritus. D. Solu. matr.*

a L. apud Labeonem. §. quæstionum. de iniur. b L. de minore. §. tormenta. de quæst. c L. quæstionis modum de quæstionib. d L. 2. de his qui sui suns vel alie. iur.

nino impunita est maior asperitas aut sæuitia. Nam is punitur [a], si dum reum quæstioni subijcit, 13
vel crudelius fidiculas intendat, vel equuleo inhumanius sæuiat, vel aliter excedat moderatæ ta-
tionis temperamenta, vt verbis legis vtar [b]. Sic enim torquendus est reus, vt vel innocentiæ vel
supplicio saluus reddatur [c].

¶ *Nam Antoninus.*] Totus hic locus ad verbum descriptus est ex responso Vlpiani [d]. ¶ *Præsi-
dibus prouinciarum.*] Præsidis nomen generale fuit apud Romanos etiam sub Cæsaribus. Mitteban- 14
tur autem ex Vrbe in singulas prouincias, qui ius redderent prouincialibus. Et hi quidem propriè 15
appellabantur Proconsulares, si consulares erant prouinciæ. Sin autem Augustales, hoc est, quas
princeps suæ curæ nominatim reseruarat, dicebantur principis Legati. ¶ *Ad ædem sacram.*] hoc
est, locum sacrosanctum, quem Græci appellant ἄσυλον καὶ αἰδέσιμον. [asylum & inuiolatum.] Sic
Pausanias in Laconicis loquens de æde sacra Mineruæ, & inuiolato eius templo, ἦν (inquit) τὸ ἱερὸν
τοῦτο ἐκ παλαιοῦ πελοποννησίοις αἰδέσιμον. [erat hoc templum ab antiquo Peloponnesijs verendum.]
Porrò primus dicitur Cadmus, dum Thebas conderet, asylum seruis aperuisse, vnde scilicet non 16
possent auelli. Fuit & apud Ægyptios Herculis templum, quod idem ius habebat. Et Romulus 17
asylum Romæ aliquando constituit. Apud Ephesios quoque Dianæ templum omni nexu manci- 18
pij liberabat seruos, sicut apud Athenienses sepulchrum Thesei, vt scribit Plutarchus, describens a-
sylum εἶναι ἱερὸν τε φύξιμον τοῖς ἀφισαμένοις οἰκέταις, καὶ πᾶσι τοῖς ταπεινοτέροις καὶ δεδιόσι κρείττονας. [esse augu-
stum quendam siue sacrum portum fugitiuis seruis, & omnibus qui inferioris ordinis sunt & po-
tentiores reformidant.] Et declarat quidem hæc descriptio verum vsum asylorum, & iustam au-
toritatem, quæ magis seruiebat affectis iniuria, quàm iniuriam inferentibus. Id quod etiam Iusti-
nianus in Nouella sua Constitutione decimaseptima apertè scribit, inquiens, τὴν ἐκ τῶν ἱερῶν ἀσφά-
λειαν, οὐ τοῖς ἀδικοῦσι, ἀλλὰ τοῖς ἀδικουμένοις δεδῶσθαι. [sacrarum ædium securitatem datam esse feren-
tibus non inferentibus iniuriam.] Et ante Iustinianum idem grauiter dictum est in Senatu à
C. Cestio, vti mox referemus ex Tacito. Hocque solo nomine par est tueri religionem asylorum,
vt habeat oppressa infirmitas securum aliquod perfugium aduersus vim præsentem & iniurias 19
potentiorum.

¶ *Vel ad statuam principum.*] Seneca libro primo de Clement. Seruis (inquit) ad statuam licet
confugere. Videtur autem hæc fuisse vetus statuarum principalium asylia. Liuius enim libro ter- 20
tio deca. tertiæ, testatur eiusmodi olim fuisse statuam Ptolemæi Regis apud Cyrenas; & refert
quendam Decium Magium Campanum, qui à Pœnis vinctus Carthaginem ducebatur, ad eam
confugiendo euasisse manus hostium. Non minorem suis statuis (quas qui læderent etiam volue-

e L. non contrahit. D. ad leg. Iul. maiest. f L. vnica. C. de his qui ad stat. confug. g L. capitalium. §. ad statuas. de pœnis.

runt teneri iudicio maiestatis [e]) tribuerunt maiestatem Principes Romani. Adeò vt relatum sit, 21
imperante Tiberio fuisse capitale, cecidisse seruum circa Augusti simulachrum. Et Tiberij statu-
am fuisse ἄσυλον scribit Philostratus. Extat Valent. Theodosij & Arcad. Impp Constitutio [f], vt qui
ex certa iustaque causa ad Imperatoria simulachra confugiunt, iure & legibus vindicentur. Qui
verò inuidiæ alicui creandæ causa id fecerint, abrepti puniantur. Sic Callistratus [g], ad statuas (in-
quit) confugere vel ad imagines Principum in iniuriam alterius, prohibitum est. Cùm enim le-
ges omnibus hominibus æqualiter securitatem tribuant, meritò visum est in iniuriam potius al- 22
terius, quàm sui defensionis gratia ad statuas vel imagines Principum confugere, nisi quis ex vin-
culis vel custodia, detentus à potentioribus, ad eiusmodi præsidium confugerit: his enim venia tri-
buenda est. Ne autem ad statuas vel imagines quis confugiat, Senatus censuit. Eumque qui ima-
ginem Cæsaris in inuidiam alterius prætulisset, in vincula publica coërcere, Diuus Pius rescripsit.
Hæc Callistratus. Sanè refert etiam Tacitus libro tertio, quòd cùm deterrimus quisque abuteretur
imagine Cęsaris, & ea arrepta excitaret probra & inuidiam in bonos, C. Cestium grauissimum vi-
rum in Senatu multum contendisse, vt id aboleretur. Et fassus quidem est (inquit Tacitus) princi- 23
pes instar Deorum esse: sed addidit, neque à Dijs nisi iustas supplicum preces audiri, neque quen-
quam in Capitolium vel alterius vrbis templa, perfugere, vt eo subsidio ad flagitia vtatur. Certè

h L. 1. §. si quis vltro. de quæstionib. i L. iniustum. C. de contrah. empt. l. nec emere. C. de iu. delib. k L. 2. C. quib. ex caus. ser. pro prec. liber. accip. l L. 1. §. cura carnis. de offi. præf. vrb. l. si quis sepulchrum. de relig. & sumpt. fun. m L. vlti. D. si quis à paren. manu. n L. in re mandata. C. man. l. nemo exterorum. C. de Iudæis. l. 2. D. si quis à par. ma. l. iniuriarum. 1. §. si quis me. de iniur. o L. sed et si lege. §. consuluit. de peti. hær.

Plinius in epistolis testatur fugitiuum quendam seruum Callidromum, qui ad statuam Traiani
confugerat, inde abductum ad magistratus.

¶ *Cogantur bonis conditionibus vendere.*] Ad hunc modum Diui fratres, eum seruum qui malue- 2.
rat homicidium falsò confiteri, & damnari, quàm ad crudelem dominum reuerti, iussere [h] alteri
vendi, conditione addita, ne quando in prioris domini potestatem reuertatur. Nemo quidem te- 25
merè solet cogi vendere rem suam [i]. sed est hîc grauissima causa cur id fiat. Et est vbi dominus qui
nihil peccauit, cogatur vendere seruum, vt si Respublica velit donare seruum libertate quam
promeruit [k]. & frequenter fit vt quis ex causa cogatur bonis conditionibus rem suam ven-
dere [l].

¶ *Vt precium dominis daretur.*] Magna certè hæc est humanitas aduersus crudelem & inhuma-
num herum, qui dignus erat non modò seruum, sed & serui precium amittere. Sanè Traianus fi-
lium, quem pater contra pietatem malè afficiebat, simpliciter iussit emancipari [m].

¶ *Ne sua re quis malè vtatur.*] Ac potissimum, seruo, qui & si seruus sit, homo tamen est. In man-
cipio (inquit Seneca libro primo de clemen.) cogitandum est, non quantum illud impunè pati
possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura. Et est aliquid quod homini in hominem
licere commune ius animantium vetet. Sanè alijs rebus facultatibusq; nostris possumus liberius
vti (nam hanc libertatem admodũ leges nostræ tuentur [n]) atq; etiam aliquando fortasis abuti [o]:

Si quis

26 Si quis tamen non faciat finem profundendi vel abutendi, datur curator: & prodigo bonis interdicitur, non secus atque furioso.

27 ¶ *Ad Aelium Martianum.*] addit Vlpianus[a], Proconsulem Beticæ. Hunc autem non fuisse Iuris-
consultum illum nostrum Martianum, quem Lampridius refert ioter discipulos Papiniani, &
28 consiliarios Alexandri Imper. constat, cùm inter tempora Antooini Pij & Alexandri intercedant ferè centum anni. Politianus scribit Martianum Iurisconsultum in discrimen mortis venisse iussu Didij Iuliani Imp. Sed nescio ad quem id magis referri debeat, quòd inter tempora Iuliani & Alexandri intercedant triginta anni, æquè vt ab Antonino Pio ad Iulianum. Porrò & hîc commemorari potest humanissimum rescriptum Diui Pij, qui ait, se motum esse querela cuiusdam Syluani, qua significauit filium suum ingenuum iuuenem admodum, raptum atq; conclusum, mox verberibus ac tormentis vsque ad summum periculum afflictum. Ergo (inquit Pius Imperator) Gemine charissime velim audias eum; & si competeris hæc ita admissa, rem seuerè exequaris[b].

a L. 2. de his qui sui sunt vel alie. iur.

b L. & eum. Ad leg. Iul de vi pub.

¶ *Illibatam esse oportet.*] hoc est, integram & nulla parte imminutam; Theophilus vertit *ἀμείωτον*. Apud Iustinianum alio loco legimus[c]; Vt maneat in omnibus honor parentibus & patrono illibatus atque intactus. Et in Nouella Constitutione septuagesima octaua, patronis
29 seruandam reuerentiam *εἰλικρινῆ καὶ ἐλευθέραν.* [puram & liberam.] Quare nec principes soliti sunt temerè quenquam dominum cogere ad manumittendum seruum, vt nec parentes ad emancipandum filium, quod alio loco dicemus[d]. Sanè nec Diuus Paulus voluit Onesimum Philemonis seruum, sine consensu domini retinere, quantumuis eo opus haberet in grauissima causa,
30 nempe Euangelij.

c L. vl. C. qui & aduersus quos in integr. rest. non poss.

d §. vl. inf. quib. mo. ius patr. pot. solui.

¶ *Nec cuiquam homini ius suum detrahi.*] Profitentur sæpe Romani principes sese conseruaturos iura priuatorum, nec coocessuros beneficia in cuiusquam iniuriam[e]. nam & cùm quidam à principe impetrasset ius ædificandi in publico loco, respondit Vlpianus[f], nequaquam esse con-
31 cessum sic ædificare, vt cum iucommodo alicuius id fiat, nisi id nominatim quoque princeps addiderit: tum enim non putauit Vlpianus esse contradicendum. Et sanè principi ius est, ex iusta causa, Ius quandoque nostrum nobis detrahendi. Capit alienas naues quibus eget, summota omnis immunitatis præscriptione[g]. Assignat suis veteranis alienos agros[h]. Seruos pri-
32 uatorum aliquando libertate donat. Sed interea semper meminerit, precium domino restituendum[i], nec sine graui causa ius alterius esse imminuendum. Neque enim est infinita principum potestas, neq; iure ijs licet quiduis in bona subditorum. Sensit etiam id aliquo modo impius rex Achab, qui non est statim ausus vi eripere Naboth suo ciui vineam, quanquam offerret ei iustum eius precium, aut aliam etiam meliorem vineam. Audacior fuit eius vxor Iezabel, & immanioris tyrannidis, quæ mortem huius Naboth machinata est, vt occuparet eius vineam. Peccauitque rex Achab, qui hoc suæ vxoris factum probauit. Et dominus id sibi admodum displicuisse satis declarauit horrendo vtriusq; exitio per Eliam prophetam denunciato. Refertur historia libro tertio Reg. capite vigesimoprimo. Scilicet habebant Israëlitæ quoque legem, & quidem diuinitus datam, quæ discernebat possessiones, & singulis proprium dabat: vt non licuerit regi hoc ius confuodere, & rectè potuerit Naboth ei negare vineam suam. Sanè si rex Achab vim intentasset, fortassis non licuisset homini priuato seditiosè resistere, aut regem interficere. Samuel propheta loquens de potestate principis, Rex, inquit, agros vestros tol-
33 let, &c. Significans non quid Regi iure liceat (quem scimus lege Diuina fuisse institutum ad omnem virtutem, ius & fas) sed quid possit Regis imperium quo iure, quáque iniuria, quod non liceat priuatis hanc vim vi repellere. sed potius pati debeant iniuriam, & cedere imperio maioris potestatis, quandiu non adigit ad malum, nec præcipit ea, quæ Deus vetuit.

e L. sed cū. D. ad Se. Treb. l. 4. C. de eman. liber. l. rescripta. C. de precib. Imp. offer.

f L. 2. §. si quis à principe. D. Ne quid in lo. publ.

g L. iubemus. C de sacros. excle.

h L. Lucius. de Evict. l. item si verberatū. §. 1. de rei vindic.

i L. seruus. C. quib. ex cau. ser. propter. lib. accip. l. venditor. §. si constat. D. commu. prædior.

34 ¶ *Dominorum interest.*] Nam alioqui metuendum est, ne seruus sui doloris vindex fuga compilet herum, aut illius necem aliqua machinetur arte; vt nullum est animal formidabilius homi-
35 ne, quem atrox iniuria docuit vitæ suæ contemptum. aut si seruum crudelis interimat dominus, & seruum amittet, & homicidij pœnas dabit.

¶ *Cognosce de querelis eorum.*] Rectè tribuitur hæc cognitio Proconsuli, qui in sua prouincia omnem iurisdictionem & imperium habebat. Romæ autem pertinebat hæc cognitio ad præfectum vrbi, cui commissa erat omnium criminum cognitio atque animaduersio. Et Vlpianus nominatim ait[k], Præfectum vrbi debere audire seruos, qui ad statuas confugerint, de dominis suis querentes: non quidem si eos accusent (nam seruo non licet accusare) sed si verecundè expostulent, si sæuitiam, si duritiem, si famem, qua eos comprimant, si obscœnitatem, in quam eos compulerunt, vel compellunt, exponant. Hoc quoque officium præfecto vrbi à Diuo Seuero datum est, vt mancipia tueatur, ne prostituantur. Hæc Vlpianus. Seneca libro tertio de Benef. Po-
36 situs est (inquit) qui de iniurijs dominorum in seruos audiat, qui & sæuitiam & libidinem, & in præbendis ad victum necessarijs, audaciam compescat. ¶ *Infami iniuria.*] Hæc verba videntur significare illam, quam dixit Vlpianus, obscœnitatem, & alio loco[l], impudicitiam, turpemque violationem, vel, vt ait Seneca, libidinem. Cuius periculum, dignissima est liberationis causa. Olim cùm C. Publius adolescens ob debitum paternum nexus esset apud fœneratorem L. Papirium, & ab obscœno creditore solicitaretur ad nefandam libidinem. Senatus iussit eum li-

k L. 1. De offic. præf. vrb.

l L. 2. in princ. de his qui sui sunt vel al. iu.

a L. si lenones. C. de episc. audient.
b L. contra legem. De legib.
c L. fraus enim. de le.

berari, simulq; totum ius nexus creditoribus adimi. Huc prætetea pertinet Constitutio [a] Valent.
& Theod. quæ iubet per Episcopum liberari ancillas & filias, quibus lenones, domini, vel patres,
imponunt necessitatem peccandi. ¶*Fraudem fecerit.*] Hoc est, si non paruerit, vel sententiam &
vim meæ constitutionis aliquo commento aut techna eluserit. Veluti (inquit Theophilus) si hic 37
Sabinus cum emptore clam conueniret, vt rursus aliquando seruū redhiberet. Paulus ait [b], in frau
dem legis eum facere, qui saluis verbis sententiam eius circunuenit. Vlpianus addit [c], fraudem le-
gi fieri, vbi id fit, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit. ¶*Seuerius executurum.*] Non debet prin-
ceps tolerare suarum legum ludibriū aut contemptū. Nam & frustra sunt nomothetæ, nisi sint no- 38
mophylaces: frustraque feruntur leges, nisi seuerè puniantur contemptores. Vnde Demosthenes
in oratione contra Midiam, ad magistratus Athenienses; οὐδέν ἐστ' ὄφελος καλῶς καὶ φιλανθρώπως τοὺς νό-
μους ὑπὲρ τῶν πολλῶν κεῖσθαι, εἰ τοῖς ἀπειθοῦσιν, καὶ βιαζομένοις αὐτοὺς, ἡ παρ' ὑμῶν ὀργὴ τῷ ἀεὶ κυρίων μὴ γενήσεται. [Ni-
hil prodest honestas & benignas super multis statuere leges, nisi contemnentibus & violantibus
ipsas magistratus incumbat vindicta.] Extat & similis sententia in oratione Æschinis: οὐδέν ἐστιν ὄφε-
λος πόλεως ὅπου μὴ νεῦρα ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἔχει. [Nullius momenti ciuitas est, quæ neruos contra laces-
sentes & noxios non habet.] Et Iustinianus in Nouella sua Const. 161. οὐ τὸ (inquit) νομοθετεῖν τὰ πρέ-
ποντα μόνον ἐστὶν ἀγαθὸν μέγιστον, ἀλλὰ καὶ τὸ τὰ διατεθέντα φυλάττειν ἀκριβῶς, καὶ εἰς ἔργον ἄγειν, καὶ τοὺς παραβαί-
νοντας ταῖς ἁρμοδίαις ὑποβάλλειν ποιναῖς. [Non tantùm honestas leges ferre ingens bonum est, sed & la-
tas accuratè tueri, & ad effectum perducere, & transgredientes competentibus pœnis subijcere.]
Huc pertinet Papiniani responsum [d] de Sanctione legum, quæ generaliter pœnam irrogat ei, qui
legis præceptis non obtemperauerit: proprieque pertinet ad eas species, quibus non est specialiter
addita pœna.

d L. sanctio legum. de pœnn.

IN TITVLVM SEQVENTEM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Potestas plura significat. *2 In sacris patris esse.*

e L. quidam cùm filiū De verb. oblig.
f L. potestatis. de ver. signific.
g L. quod si filium. §. sed si ambo. De capti. & postli. reuer.
h L. vlt. C. de inoff. test. l. cum oportet. l. vlt. §. vlt. C. de bon. quæ liber.

*DE potestate dominorum hactenus dictum est, nunc transeamus ad parentum potesta-
tem, in qua sunt liberi, vel ex iustis nuptijs suscepti, vel legitima adoptione asciti. Ari-
stoteles in Moralibus cōmemorat ius* δεσποτικὸν, *& ius* πατρικὸν, *hoc est, paternum, siue
vt ait Paulus [e], patrium. Lucianus in Abdicato appellat* πατρικὴν δυναστείαν, *siue* ἐξου-
σίαν. *Liuius verò lib. 3. Decad. 3. Patriam maiestatem. Porrò, verbo potestatis (inquit
Paulus) [f] plura significantur. In persona magistratuum, Imperium: in persona serui, dominium: in 1
persona liberorum, patria potestas. Dicuntur aūt propriè in potestate esse, filijfa. quanquam nouiter
dixerit Papinianus [g], filium in potestate esse, qui sui iuris & potestatis est. Vt autem dicitur filiusfa. 2
esse in potestate patris, ita & in sacris patris [h]. Nam lege veteri duodecim tabularum, hæres filiusfa.
eadem domi sacra colebat, quæ pater. De his sacris plura legere licet in Legibus Ciceronis. Sed totam
patriam potestatem ex veteri Lege Romuli copiosissimè describit Dionysius Halicarn. lib. 11. & nos
ad eam ipsam multa scripsimus.*

De Patria potestate, Titulus IX.



IN potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex iustis nuptijs procreauimus.

Nuptiæ autem, siue matrimonium, est viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens.

Ius autem potestatis, quod in liberos habemus, proprium est ciuium Romanorum. nulli enim alij sunt homines, qui talem in liberos habeāt potestatem, qualem nos habemus. Qui igitur ex te, & vxore tua nascitur, in tua potestate est. Item qui ex filio tuo & vxore eius nascitur, id est, nepos tuus & neptis, æquè in tua sunt potestate, & pronepos, & proneptis, & deinceps cæteri. Qui autem ex filia tua nascuntur, in potestate tua non sunt, sed in patris eorum.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

§. *In potestate, cum seq.*

1 Mulieres non habent in sua potestate liberos.
2 Liberorum appellatione & nepotes continentur.
3 Ex illegitimo coitu suscepti, nō sūt in nostra potestate.
4 Apud Hebræos quædam soboles legitima non erat in potestate

potestate patris.
5 *Onan cur noluerit ducere vxorem fratris defuncti?*
6 *Nuptiæ quid?*
7 *Corporum commixtio non necessaria ad iustas nuptias, sed consensus honestus.*
8 *Circumuenti seu errantes in contrahendis nuptijs non videntur consensisse.*
9 *Matrimonium non potest ad tempus contrahi.*
10 *Omnes miseriæ ex peccato sunt ortæ.*
11 *Vxoris encomia apud veteres.*
12 *Vxor quasi domina rerum mariti.*
13 *Theogenis, Regis Agathoclis vxoris, elegans dictum.*
14 *Præcipui fines coniugij qui?*
15 *Vxor quare in sacris literis dicatur ædificium.*

Principium huius tituli descriptum est ex [a] Caio. Et cùm dicuntur liberi esse in nostra pote- *a L. 3. De his qui sui*
1 state, intelligemus potestatem patris vel aui. nam mulieres non habent in sua potestate liberos, *sunt vel alie. iur.*
2 quod etiam Iustinianus tradet post absolutum nuptiarum & adoptionis tractatum. ¶ *Liberi.*]
Liberorum appellatione continentur & nepotes [b], & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Sunt *b L. liberorum. De*
autem ij pariter omnes in potestate nostra. ¶ *Nostri.*] Qui scilicet nondum emancipati sunt. *verb. sign.*
Nam emancipatos constat non esse in potestate, quanquam adhuc contineantur appellatione li-
3 berorum [c]. ¶ *Ex iustis nuptijs.*] Ex coitu verò minus iusto ac legitimo susceptos liberos non esse *c L. cognoscere. §. libe*
in potestate patris, docet etiam paulò pòst Iustinianus, vbi absoluit tractatum de iustis nuptijs. *rorum. De verb. sign.*
Illud verò ex Hebræorum Iurisprudentia obiter admonebo, fuisse apud Iudæos aliquando sobo-
4 lem, quæ quanquam ex iustissimis nuptijs quæsita esset, tamen non erat in potestate patris. Nam
si quis vxore ducta sine liberis decessisset, ne corrueret eius domus, & familia, iubebatur frater vi-
duam illam ducere, & primogenitum ex ea in locum demortui fratris substituere, tradita eidem
filio hæreditate defuncti, quam cum illius vxore acceperat: Quod dum faciebat, filium amittere
dicebatur, quia is statim patria potestate liberatus, & emancipatus, paterfamilias in domo & hæ-
5 reditate defuncti erat. Sicque accipiendum est, quod Genes. 33. impius ille Onan recusabat hoc
coniugium, cùm cogitaret semen suum in sua ipsius potestate non futurum.
6 ¶ *Nuptiæ autem.*] Modestinus [d] definit, nuptias esse coniunctionem maris & fœminæ, consor- *d L. 1. De ritu nupt.*
tium omnis vitæ, diuini & humani iuris communicationem. Dionysius Halicarn. in methodo τῶν
γαμικῶν, coniugium definire videtur, σύμμιξιν καὶ κοινωνίαν δυοῖν τοῖν προσφορωτάτοιν εἰς ἅπαντα τὸν βίον.
[coniunctionem & consortium duorum in quancunque vitæ sortem paratissimorum.] Sed ple-
nior est & sacris literis conuenientior eorum definitio, qui coniugium esse dicunt, vnius maris, v-
niusque fœminæ, qui legitimè iungi possunt, coniunctionem indissolubilem, institutam à Deo
7 propter generationem, & ad vitãdas vagas libidines. ¶ *Coniunctio.*] Animorum. Corporum enim
commixtio non fuit hoc iure necessaria ad iustas nuptias [e]. Vnde & Vlpianus [f], Nuptias, inquit, *e L. licet. C. de inc.*
non concubitus, sed consensus facit. Et Iustinianus in Nou. Constit. 22. γάμον διάθεσις ἀμοιβαία ποιεῖ. *nupt.*
[matrimonium mutua constituit affectio.] Ac debet hic quidem mutuus consensus liber esse, ho- *f L. nuptias. de reg.*
nestus, sobrius, ac prudens. Nam & lex ciuilis [g] auersatur in matrimonijs luxuriam, & delicias, de- *iur.*
8 sideratq; iustas & honestas affectiones. Et sanè cùm non consentiat, qui errat [h], nõ potest omnino *g L. illud in causis. de manu. vind.*
videri consensisse, qui per lænarum fallacias circumuentus est, vel per temulentiam captus, vel in- *h L. si per errorẽ. De*
sidiosis blanditijs irretitus, vbi iam totus est immersus voluptatibus, parumq; suæ mentis aut iu- *iurisd.*
tis. ¶ *Indiuiduam*] Nam ea mente, qua [i] dos dati dicitur, matrimonium initur, vt sola morte diui- *i L. 1. De iure dot.*
9 datur hęc coniunctio. Ideoq; non posse ad tempus contrahi Pontifices decreuere [k]. Interea tamen *k c. vlt. cond. apposi.*
10 possunt incidere causæ, propter quas fiat diuortium. Sed hoc malum ex peccato natum est. Prima
enim coniugij institutio nesciebat has ærumnas, & verè continebat indiuiduam vitæ consuetu-
dinem, & arctissimam societatem, propter quam etiam liberi relinquerent domum & cohabita-
tionem parentum, habituri cum coniugibus proprios suos, quasi nidulos, & suauissima domici-
lia perpetuæ consuetudinis.
¶ *Vitæ societatem.*] Apud Modestinum est [l], Consortium omnis vitæ, diuini & humani iuris *l L. 1. De ritu nupt.*
11 communicationem. In Gordiani rescripto [m], vxor dicitur socia rei humanæ, atque diuinæ do- *m L. aduersus. C. de*
mus. Sed hunc locum optimè illustrat Dionysius libro vndecimo, cùm explicat veterem illam *cri. exp. hæred.*
legem Romuli, quæ statuit, mulierem viro legitimè coniunctam, fortunarum omnium &
sacrorum sociam illi esse: vtque ille dominus domus est, ita hanc dominam. Sanè in Pandectis
refert Paulus [n], Neruam & Cassium existimasse propter hanc vitæ societatem, quam esse dicimus *n L. 1. De act. rer.*
12 inter coniuges, vxorem fieri quasi dominam rerum mariti. Sed Sabinum & Proculum id non *amot.*
13 probasse: fortè quòd iam in desuetudinem abierat lex Romuli. Celebratur vetus verbum Theo-
genis, quæ vxor fuit Regis Agathoclis; Sese nubendo non prosperæ tantùm, sed & aduersæ fortu-
næ inijsse societatem: quasi data sit in hoc vxor, vt sua societate solitudinis tædium depelleret, &
14 vtramque fortunam redderet vel gratiorem, vel tolerabiliorem. Verùm hæc non satis explicant
præcipuos fines coniugij. Institutum est à Deo coniugium, generationis caussa, vt conseruetur
humanum genus cum vero Dei cultu. Et in hanc rem à principio vtrique sexui indita est mirabi-
lis quædam appetitio mutuæ coniunctionis. Nunc cùm hæc appetitio post peccatum fit inrem-
peratior, & ebulliat in quandam effrenem & vagam libidinem, tenere debemus alterum cõiugij
finem esse, vt sit remedium errantium appetitionum. Itaque D. Paulus præcipit, vt vitandæ for-
nicationis causa, habeat vnusquisque suam vxorem, & vnaquæque suum maritum. Sed tamen
negligenda non est hæc vitæ societas, quæ est inter coniuges. Descendit enim à prima illa com-
munione & arctissima coniunctione, quæ est à Domino instituta: & continet quasdam re-
liquias illius felicissimæ cohabitationis, quæ inter primos coniuges erat. Certè scriptura

sancta

sancta vxorem sæpè appellat ædificium, quòd ea procuret œconomiam, & matito præparet tuea- 15
turq; certas sedes, quasique suauissimum nidum. Sed illius fortunati ædificij & cõsuetudinis, quæ in paradiso erat, iustam imaginem per peccatum amisimus.

§. *Ius autem potestatis.*

1 *Potestas patria alia ex lege naturæ, alia ex iure Quiritum.*
2 *Omnes sunt ciues Romani, qui sunt in orbe Romano.*
3 *Apud Gallos hodie alia est patriæ potestatis ratio.*
4 *Ex lege Romuli patri plus potestatis fuit in filium quàm in seruum.*
5 *Pater à filio non potest accusari.*
6 *Quæsitum à filiofa. patri acquiritur.*
7 *Non ferendus, qui filium suum nõ vult agnoscere, qui natus est ex vxore cohabitante.*
8 *Matrum est statuere ex quo nata sit soboles.*
9 *Nec militia, nec matrimonium olim patria filium potestate liberabat.*
10 *Vxor sequitur viri sui forum, domum, ciuitatem, familiam.*
11 *Filij νόθοι qui dicantur.*

¶ *Proprium est ciuium Rom.*] Naturalis quidem ratio, quæ apud omnes valet, dictat filios debe-
re subesse parentibus. Sed hæc patria porestas de qua nunc agimus, & quę proptium quoddam ius 1
habet, fuit ex iure Quiritum, quo vel parés vtebatur, vel saltem vxor, aut ipse filius. Legimus olim
quibusdam mulieribus concessum fuisse ius Quiritum, vt ex ijs nati, essent in potestare. Et Plini-
us à Traiano ciuitatem petit liberis Chrysippi, vt sint in patris potestate. Porrò cùm iam ciues Ro- 2
mani omnes habeantur, qui sunt in orbe Romano [a], non est mirum patriam potestarem ad om-
nes propagatam. Quanquam hodie apud Gallos longè alia sit eius ratio & vis, siue ius acquirendi 3
spectes, siue authoritatem, siue modos emancipationis. ¶ *Nulli enim alij sunt homines, qui talem.*]
Hũc locum pulchrè illustrat Dionysius lib. 2. cùm eam commemorat patriam potestatem, quam
in liberos patribus dedit Romulus. quæ longè alia erat, quàm ea quæ Græcis dabatur ex Legibus
Solonis, vel Pittaci, vel Charondæ. Quid multis? ὁ δὲ Ῥωμαίων νομοθέτης (inquit) ἅπασαν, ὡς εἰπεῖν,
ἔδωκεν ἐξουσίαν πατρὶ καθ' υἱοῦ, καὶ παρὰ πάντα τὸν τοῦ βίου χρόνον, &c. [Romanorum aurem legislaror omnem,
vt ita dicam, potestarem patri dedit in filium, idq; toto vitæ tempore.] Deinde commemorat po- 4
tuisse patrem occidere filium, ac ter vendere, eoque nomine plus in eum iuris habuisse, quàm in
seruum. Atque hanc quidem legem multis annis probasse Romanos, & inter leges duodecim ta-
bularum fuisse relatam. Sed leges, quibus nunc vtimur, mitigarunc [b] summum illud ius distrahen
di filijsfa. & ius vitæ & necis sustulerunt [c]. statutumque [d] est, patriam potestatem, quam air Sene-
ca debere esse temperatissimam, iam in pietate magis sitam esse. Sed nihilominus verũ est, quod
ait Martianus [e], esse inæstimabilem. Primum illa reuerentia tribuitur patriæ potestati, vt nullo 5
possit iudicio lacessi à filiofa. [f] cùm patrem in ius vocare possit emancipatus, saltem precatus ve-
niam. Deinde patria potestas suum facit, quod est à filiofam. quæsitum. hodie tamen à Iustiniano 6
addita est quædam distinctio, quam suo loco videbimus. ¶ *Qui ex te & vxore tua nascitur.*] Hic lo-
cus descriptus est ex primo libro Institutionum Vlpiani [g]. Idem Vlpianus alio loco [h], definit filium
esse eum, qui ex viro & vxore nascitur. agit aurem de filio legitimo, in quem sit patria potestas. Ec 7
addit ex sententia Iuliani non esse ferendum, qui cùm assiduè moratus sit cum vxore sua, potuit-
que generare, non vult vt filium suum agnoscere eum, qui sit interea natus. Ergo is pater esse cre-
ditur, quem nuptiæ demonstrant [i]: & coniugium cohabitantium, ei, qui natus est, demonstrat v-
trunque patentem, satisq; probat [k] adeò vt ad conuincendum illegitimum partum, nihil profue
rit probasse, mulierem aliquando rem habuisse cum adultero [l]. Sed & si mater ipsa id professa es-
set, nihilominus veritati locum superfore respondit Sceuola [m]. Sanè Aristoteles lib. 2. Rhetor. scri-
bic matres omnibus in locis, si de patre sobolis quæratur de ea re statuere. Eius verba sunt hæc: 8
ἀεὶ περὶ τῶν τέκνων αἱ γυναῖκες πανταχοῦ διορίζουσι τἀληθῆ. [de liberis fœminæ vbique definiunt verum.] Ac
huius quidem rei probationem duobus exemplis confirmat. Narrat, id cùm antea incertum esset,
Athenis Mantiæ oratori matrem pueri dixisse, cùm inter eum & patrem hac de re lis esset. Et cùm
Thebis inter Stilbonem atq; Ismeniam, quorum vterque se patrem Thessalisci esse contendebat,
lis quoq; esset, matrem pronunciasse eum esse Ismeniæ filium: matrisque iudicium ratum fuisse.
Sanè quod ad patrem attinet, certum est ad eum non pertinere, vt hac de re quicquam statuat nõ
enim id certo rescire potest. Ergo si profiteatur eum, qui ex ipso natus intelligitur, ex adulterio po-
tius esse natum: filio non præiudicat. ¶ *Item qui ex filio tuo.*] Etiam milite [n]: neque enim militia
liberat aliquem patria potestate: sicuti nec matrimonium [o]: quanquam parentes tum mitius vti 9
debeant iure suo, ne bene concordantia matrimonia distrahant [p]: & permittere vxores esse in
officio maritorum, vt esse debent [a]. Sanè cùm Romulus lege lata patri permisisset filium vendere:
Numa deinde staruit. ne id in eum liceret. quem pater permisisset vxorem ducere. Sic enim edi-
xisse Numam testis est Dionysius libro II. ἐὰν πατὴρ υἱῷ συγχωρήσῃ γυναῖκα ἀγαγέσθαι κοινωνὸν ἐσομένην
κατὰ τοὺς νόμους, μηκέτι τὴν ἐξουσίαν εἶναι τῷ πατρὶ πωλεῖν τὸν υἱόν. [Si pater filio concesserit vxorem duce-
re, futuram sacrorum ac bonorum iuxta leges participem, patri posthac nullum ius esto vendendi
filium.] Hodie aurem matrimonium filios liberat patria potestate. Vxorq; tota est in viri manu &
arbitrio, non tamẽ sicut filiafa. erat in potestate patris, sed potius vt in potestate curatotis est ado-
lescens patria porestate liber. Olim quoque apud Gallos refert Cæsar, omne ius datum maritis in
vxores. Et apud Liuium Cato fatetur veteres Romanos voluisse, viros æquè ac parétes, esse autho-
tes, si

a *L. in orbe, de sta. ho.*
b *L. 2. C. de patr. qui fil.*
c *L. in sun. De libe. & posth. l. vlt. C. de pat. pot.*
d *L. diuus. D. ad leg. Pomp. de parricid.*
e *L. filiusf. §. secundũ vulgarem. De lega. 1.*
f *L. liu nulla. de iudi.*
g *L. 4. De his qui sui sunt vel alie. iur.*
h *L. filium. D. illo tit.*
i *L. quia semper. De in ius voc.*
k *L. si vicini. C. de nupt.*
l *L. miles. §. defuncto D. ad le. Iul. de adult.*
m *L. Imperatores. §. vlt. De probat.*
n *L. 1. § idem ait. De Carb. edict. l. si posthumus. §. vlt. De lib. & posth.*
o *L. si maritus. C. de patr. pot.*
p *L. si vxorem. C. de cond. inse. §. 1. inst. de Sen. Tertull.*
a *L. 1. §. vlt. de libe. exhib.*

10 res, si quid ageret fœminæ. Sanè iure ciuili vxor sequitur viri sui forum [a], domicilium [b], ciuitatē [c], & familiam. suæ autem familiæ finis est [d]. Ideoq; apud Gellium lib. 13. Labeo ait, nuptam separari ab ea domo in qua nata est, & transgredi in alienam familiam, nempe mariti, cuius domus domicilium est matrimonij, inquit noster Pomponius [e]. Dionysius lib 11. ait. ex Græcorum legibus filios
11 mansisse in potestate patris, ἕως ἂν χρόνον ἠΐθεοι μένωσιν, hoc est, quandiu vxores non duxissent. nam ἠΐθεοι dicuntur ἄπειροι γάμου, expertes nuptiarum.

a L. cum quidam. De iurisd.
b L. exigere. De iudi.
c L. vl. §. ité rescripse runt. D. ad municip.
d L. pronunciatio. in fi. De verb. signif.
e L. mulierem. de rit. nupt.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Sine iustis nuptijs Respublica à lupanaribus parum differret.*
2 *In qualibet Rep primū constituenda leges nuptiarū.*
3 *Leges Romanorum de nuptijs omnium honestißimæ.*
4 *Causæ duæ prohibitarum nuptiarum.*
5 *Primus locus contrahendarum nuptiarum quis?*
6 *Regula de gradibus consanguinitatis.*
7 *Regula de gradibus affinitatis.*
8 *Ius Pontificium temerè imminuit autoritatem Iuris Ciuilis.*
9 *Præstantia matrimonij.*
10 *Prima de nuptijs lex in Paradiso edita est.*
11 *Ptolemæus Physco, Aegypti rex, prodigiosum, libidinosum & sæuum monstrum.*

*CVM Iustinianus dixisset eos, qui ex iustis nuptijs nati essent, esse in patria potestate,
quid sint nuptiæ definijt: nunc quæ iustæ sint nuptiæ docet. Omnino enim necessaria
fuit huius generis digreßio ad hunc de nuptijs tractatum: eóque etiam magis, quòd is
imprimis & diligenter & religiosè sit explicandus, sine quo Respublica vix à lupa-*
1 *naribus aut lustris quicquam differret. Omnibus animantibus naturam indidisse ap-
petitum quendam coniunctionis suprà dictum est. Sed quid à brutis homines differrent, si non intel-
ligant, quæ iusta sit & honesta legitimaq; maris & fœminæ, siue viri & mulieris coniunctio, quam ma*
2 *trimonium appellamus? Certè prudenter vidit Plato, in omni Repub initio constituendas esse de nu-
ptijs leges, quas lib. 4. de Legib. appellat* νόμους γαμικούς. *Et Dionysius lib. 2. appellat* κυριώτατα καὶ πρῶτα μέρη τῆς νομοθεσίας περὶ γάμων καὶ τῆς πρὸς γυναῖκας ὁμιλίας *(quæ in primis ad legislatoris curā pertinent,
leges nimirum de nuptijs & conuictu cum fœminis.) & addit,* ἀφ' ἧς ἄρχεσθαι δεῖ τὸν νομοθέτην, ὥσπερ καὶ ἡ φύσις ἡμῶν τοὺς βίους ἐνεῖναι ἤρξατο *(vnde incipiendum est, vt & natura vitas nostras auspicatur à con-
iunctione sexuum.) Atque hac quidem in re constituenda ait veteres Legumlatores sæpe errasse: Ro-
mulum verò prudentißimè de ea iudicasse. Ac videtur sanè magnoperè is voluisse,* concubitu pro-
hibere vago, dare iura maritis, *vt verbis Horatij vtar: sed cùm legitimas nuptias definierit, quæ
farris communicatione coijssent, neque alias præterea de ijs leges tulerit: rationem legitimæ coniun-
ctionis non satis explicuit. Qui autem deinde Romanæ Reip. præfuerunt, tanta sunt & prudentia &*
3 *cura eam prosecuti, vt dicere ausim nullas de nuptijs esse, nec esse posse, honestiores leges quàm Roma-
nas, quæ tempore nostri Iustiniani fuere: eóque magis, quòd planè conueniant cum lege Mosaica, quæ
commemoratur Leuitici cap. 18. vt mirari nequaquam debeamus Iustinianum suis Osroënis, dum
sublata, quæ apud eos inualuerat, barbarie, iustam ineundarum nuptiarum rationem reddere vult,
Romanam præscribere, Nouel. Constit. 154. Diximus in nostris ad eam constitutionem commenta-
rijs, quæ sic hac de re legum Rom. sententia, quid deinde iudicarit posteritas, quid Pontifices Rom.
Dixi & de nuptijs nonnulla ad 16. caput XII. Tabularum. Illud nunc tamen repetam; Duas potis-
simùm esse causas, quæ quidem perpetuæ sint, & apud omnes Gentes minus barbaras receptæ, cur in-*
4 *ter aliquos nuptiæ prohibeantur. Aut enim tam magna est sanguinis communio, vt eum rursus mi-
sceri natura non ferat: veluti inter fratrem & sororem. aut verò, si parentes & liberi sint vel esse vi-
deantur, non patitur pudor naturalis matrimonio iungi. Rectè itaque Iustinianus, inter eas (in-
quit) personas, quæ parentum liberorúmve locum inter se obtinent, contrahi nuptiæ nō possunt. Qui-
bus sanè verbis non modò parentes liberíve, sed & qui eorum loco sunt, parentum nostrorum fratres
sorores've, & nostrorum fratrum sororúmve liberos omnes. si, vt possumus, intelligamus, iam omnes
personas enumerauerimus, à quarum sit nuptijs abstinendum. Primum nuptiarum locum esse posse*
5 *iudicarunt Romani inter fratrum liberos, hoc est. consobrinos vel patrueles, quia & iam vtrinq; di-
uersus longè abijt sanguis, & inter eos nulla sit parentis filiíve similitudo. Quòd si consobrinā possim
ducere vxorem: potero & eius filiam & neptem. Quid multis? vbicunque duo cognationis gradus in*
6 *ascendendo, totidem in descendendo numerari possunt, nuptias esse posse: vbi ij gradus nō sint, nuptias
non esse rectè dicemus. ascendentes voco gradus ad communem stirpem vel originem: descendentes
ad eam quam volumus vxorem ducere. De affinitate, si quid ea sit, intelligamus, quod de ea dici po-*
7 *test, vno verbo complecti possumus: vt nuptias non esse dicamus, vbicunque affinitas erit. ea enim es-
se non potest, quin aut fratrum sororúmve loco esse videantur, vt est leuir fratriæ, aut glos sororio:
aut parentum certè liberorumque, vt est socer, socrus, genero, nurui: vitricus, nouerca, priuigno,*

priuigna

priuignæ. Leuiri glorisq́ liberos, vt fratris sui sororis ve, liberorum loco habere debet fratria aut sororius. & propterea ab eorum quoque affinium coniunctione honestè abstinebunt. Hæc si Iuris Pon-
tificij autores satis intellexissent, fortaßè aut abs iuris Ciuilis ratione minus abhorruissent: aut eius 8
certè autoritatem tot iam annis & receptam & constitutam non libenter imminuissent. Sed de ijs
nunc quidem agere non instituo. Magnū verò in hac vita decus esse, magnum ornamentum quis non 9
videt, si honestè coëant matrimonia, si reprimantur vagæ & incestæ libidines. Prima de nuptijs Lex
diuinitus edita est in paradiso, cùm Dominus edixit, coniuges duos fore vnius veluti corporis & 10
carnis: vtque sibi inuicem adhæreant, relicturos etiam vtrunque parentem. Postea Moses, quænam ea essent personæ, quæ honestè coniungerentur, pluribus verbis explicuit. cum quo Romanæ leges si consentiant, cur non ausim eas dicere & castas esse & pudicas? Neque sanè alium noui veterem populum, qui honesta connubia magis coluerit, magisque reiecerit incestas coiunctiones. Cùm ad Ptole-
mæum Physconem Ægypti regem mißi legati essent Scipio & Polybius, exhorruerunt quidem eius 11
impuri tyranni prodigiosam deformitatem, & monstrosam corporis speciem: sed multo magis detestati sunt nefarias libidines, cùm sororem suam, fratri etiam ereptam sibi coniunxisset, eaq́ postea repudiata, eius fratrisq́ sui filiā. neq; minus hoc eius factum detestati sunt, quàm horribilem sæuitiam, quam non modò in ciues suos, sed & filium, quem dissectum matri dedit epulandum, exercebat.

De Nuptijs, Titulus X.



VSTAS autem nuptias inter se ciues Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coëunt: masculi quidem puberes, fœminæ autē viri potentes, siue patresfamiliarum sint, siue filijfamiliarum: dum tamen si filijfamiliarum sint, consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. nam hoc fieri debere, & ciuilis & naturalis ratio suadet, in tantum, vt iussus parentis præcedere debeat.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Iustum quid significet.*
2 *Olim ciues Romani non poterant nuptias inter sese contrahere.*
3 *Athenienses non nisi inter se contrahebant nuptias.*
4 *Lex Periclis de nuptijs Atheniensium.*
5 *Iudaorum inter se coniugia.*
6 *Vnam tribum apud Iudaeos cum alia potuisse coniungi.*
7 *Christiani matrimonium inituri Religionis discrimē non contemnant.*
8 *Vbi inter coniuges est dissensio Religionis, ibidem est & matrimonium illegitimum.*
9 *Si cōtracto matrimonio superuenerit Religionis discrimen non dirimitur coniugium.*
10 *Seruorum nulla nuptiæ, sed contubernia.*
11 *Seruorum liberi non iusti habebantur sed naturales.*
12 *Tria præcepta ineundi matrimonij, consistentia in ætate legitima, consensu parentum, & gradu.*
13 *Euaristi Pontificis rescriptum vetus ad Eccl. Africanam.*
14 *Veterum oblationes in die nuptiarum.*
15 *Pubertatis æstimandæ diuersitas.*
16 *Præmatura venere iuuentus eneruatur, malo Reip.*
17 *Senum matrimonijs certi anni præstituti erant.*
18 *Nupta non est, quæ virum pati non potest.*
19 *Puellam nondum viripotentem veneri subijcere nefas est.*
20 *Qui corrumpit nondum viripotentem damnatur in metallum, aut relegatur.*
21 *Emancipati suo arbitrio possunt ducere vxores.*
22 *Respiciendum in contrahendis nuptijs honestum.*
23 *Sine iustis nuptijs non possunt esse iusti liberi.*
24 *In redintegrandis quoq; & transferendis olim nuptijs consensus parentum requirebatur.*
25 *Cato vxorem Martiam Hortensio, non nisi consentiente socero Philippo, concesßit.*
26 *Sisynnius ignouit filio temere vxorem ducenti.*
27 *Hermione recusat nuptias cum Oreste, quòd parentibus non placerent.*
28 *Ero nuptias ad nutum parentum refert.*
29 *Cupidinis & Psyches nuptiæ clandestinæ.*
30 *Iudaorum coniugia consensum parentum requirebant.*
31 *Veteres Christiani coniugiū inuitis parentibus contractum, pro raptu habebant.*
32 *Iure Canonico consensum parētum in ineundis matrimonijs floccipendi.*
33 *Sine consensu parentum contracta nuptiæ non soluuntur.*
34 *Caroli V. constitutio contra clandestinas nuptias.*
35 *Filia post annum ætatis 25. suo arbitrio potest nubere.*
36 *Vtrum vel matris vel tutoris consensus sit in nuptijs vel filij vel pupilli necessarius.*
37 *Filij non cogendi ad nuptias contrahendas, contra opinionem Gellij.*
38 *Pauli sententia de patria potestate in contrahendis filiorum nuptijs.*
39 *Parentes elocaturi filias, consulere debent earum voluntates.*
40 *Parentum voluntas in nuptijs filiorum paciscendis est inanis absq; consensu eorundem.*

41 Ratihabitio

41 Ratihabitio parentum sequens nuptias æquiparatur consensui.
42 Infecto viro suo concepta, & post eiusdem obitum nata soboles non est iusta.
43 Conceptionis tempora solent spectari.

1 IVstas.] hoc est, legitimas, & in quibos nihil iure posit desiderari. Sic appellamus iustam vxo- *a L. si senatori. de rit.*
rem [a], & iustos liberos [b]. Et generaliter iustum vocamus, quod est numeris omnibus absolutū, *nupt. l. si vxor. D. ad*
2 quod Græci *ἔκριβὲς*. ¶*inter sese.*] Aliquando tamen ciues ipsi Romani, ne inter sese quidem iu- *le Iul de adult.*
stas olim poterant contrahere nuptias, cùm per Decemuiros essent dirempta plebis & patrum *b L. cùm quis. §. 1. C.*
connubia. Sed M. Genutio & P. Curiatio Coss. post longa certamina, lata est à C. Canuleio Tribu- *de nat. liber.*
no pl. rogatio connubij promiscui plebis cum patricijs, vt refert Liuius deca. 1. lib. 4. Cęterùm opor
3 tuit semper inter ciues contrahi matrimonia, vt iusta essent. & probarentur iure Quiritum. Sic &
4 Athenienses olim non nisi inter sese poterant iustas nuptias contrahere. vt apparet in oratione
5 Demosthenis *κατὰ Νεαίρας*. Et Plutarchus testis est, legem latam esse à Pericle: nothos eos fore, qui
non nascerentur ex duobus Atheniensibus. Iudæi quoque non nisi inter sese inibant coniugia.
Nam & disertè vetuerat Dominus eos alienigenis misceri, ne paganorum consortio inquinaretur
aut confunderetur populus, quem certò sibi elegerat, suoque veluti peculio ascripserat. falsum est
autem quod quidam iactant, vnam Iudæorum tribum non potuisse coniungi cum alia tribu:
6 frustraque proponunt legem, quæ vulgò legitur Numer. vltimo, cùm ea nusquam extet in fonti-
bus Hebraicæ veritatis, & ipsius Mosis matrimonium aliud doceat. Nec scriptura sancta damnat
illud quod refert, coniugium Ioadæ Pontificis de tribu Leui, & Iosabeæ de tribu Iudæ. Nec sanè a-
liter potuisset Elisabetha esse cognata vel consanguinea, siue vt ait Lucas *συγγενὴ*, virgini Mariæ,
quæ erat ex domo Dauidis, cùm Elisabetha esset ex filiabus Aaronis, de tribu Leui. Hodie inter
7 Christianos nullum est quidem discrimen regionum: sed adhuc contemni non potest totum re-
ligionis discrimen. Nec rectè facit, qui sciens prudensque ducit vxorem abhorrentem à pietate;
vixque potest vllam sperare Domini benedictionem, cuius religionem veram pluris non fecit:
parumque sibi consulit. qui hoc sibi malum vltro accersit, nec considerat illa incommoda diuersæ
inter coniuges religionis, quæ grauiter descripsit Tertullianus lib. 2. ad vxorem. extat & elegans
Ambrosij epistola 70. ad Vigilium de vitandis coniugijs alienigenarum. Sed an nihilominus ma
trimonium illud constat? Certè idem Tertullianus, & postea tota Synodus Constantinopolitana
8 in Trullo iudicârunt. non esse legitimum matrimonium, nec esse in Domino contractum, quod
à principio dissentientes habuerit in religione coniuges. quanquam nolint dirimi matrimoni-
9 um si postquam contractum est, forte superuenerit discrimen religionis: in eaque tantùm specie
loqui Diuum Paulum existimant, vbi non vult dimitti coniugem infidelem, quandiu maritum
non adigit ad impietatis suæ consortium. Certè potest fidelis rectè vti vxore infideli, vt reliquis *1. Corinth. 7.*
Dei creaturis, quæ certos suos habent vsus & fines. Et quandiu mulier facit officium suum, quod
vxorem decet, non est cur maritus dicat sibi intolerabilem eius superstitionem. præsertim quæ
non interturbat vsum ipsius matrimonij: nec potest hoc nomine abijcere coniugem alioqui mo-
rigeram, & quæ virum relinquit libertati suæ religionis. D. Pauli ad Corinthios hac tota de re sen-
tentia hæc est, Quod ad coniugatos attinet, ijs ex lege Domini denuncio, diuortium non permit-
ti, & indiuiduum esse matrimonij nexum, vt etiam, si vxor, fortè domo pulsa, vel alia ratione se-
cesserit, alium virum habere non posit, sed potius marito reconciliari debeat. Cæterùm alia est
ratio coniugij inter infidelem & fidelem. Et siquidem infidelis non recusat vxorem habere fide-
lem: ea maritum relinquere non potest prætextu religionis. Sanctum est enim mulieri nihilomi-
nus & purum coniugium: liberique tanquam ex pijs parentibus nati, sancti erunt, ad eosque per-
tinet fœdus, quod cum altero eorum parente fideli pepigit Dominus. Verùm si infidelis maritus
piam vxorem religionis causa repudiet vel eijciat: ea iam liberatur vinculo coniugij. Sed cùm pa-
cem, ad quam vocati sumus, quantum licet cum omnibus colere debeamus, non est temere disce-
dendum ab infideli coniuge, nec aliter quàm si prior is diuortium faciat aut sanctam religionem *c L. plerunq. de ædil.*
planè non ferat. Certè etiam bona spes est tandem lucrifacere posse, & seruare infidelem. Hæc D. *edict. l. adoptiuum. § 1.*
10 Paulus. ¶*Ciues Romani.*] Liberi primùm homines. Seruorū enim non tam erant nuptiæ aut connu- *De rit. nupt. l. 3. C. de*
bia, quàm contubernia; (sic enim passim appellantur [c]) adeò vt ijs violatis locum non haberet lex *incest. nup. l. 3. l. de an*
Iulia de adulterijs [d]. Itaque seruorum coniuges, non vxores, sed potius contubernales dicuntur [e]. *cilla. C. de liber. cau. l. 4. C. de dolo.*
11 Et eorum liberi naturales habentur, non autem iusti [f]. Deinde oportebat. vt omnino iustum esset *d L. seruis. C. ad l. Iul.*
connubium siue matrimonium, ex eoque nati liberi in potestate patris essent, inter ciues Roman. *de adult.*
esse contractum. In quibusdam fragmentis Institutionum Vlpiani legimus: Connubium est vxo- *e L. vxorē. §. codicil-*
ris iure ducendę facultas. Connubium habent ciues Rom. cum ciuibus Rom. Cùm Latinis autem *lis. §. concubinæ. De*
& peregrinis ita demum, si concessum sit. *legat 3. l. Stichum. De ali. leg. l. Titian. §. he-*
12 ¶*Qui secundum præcepta legum.*] Hæc legum præcepta tradit hoc ipso titulo Iustinianus. In sum *rede. De fideic. liber.*
ma autem tria sunt præcipua, nempe, ætatis legitimæ, consensus parentum, & gradus. reliqua fue- *l. Iulius Paulus de cō-*
runt sublata, qualia Romani plurima habuerūt in vsu. Interdum coëmptione, interdum vsu vxor *dit. & demōst. l. quæ-*
accipiebatur. Deinde materfam. quæ iam in manum viri conuenerat, differebat ab ea quæ vxor *situm § contubernales. De fun. instr.*
erat tantùm, vt Cicero in Topicis ostendit. Non commemorabo multa recentiorum Pontificum *f L. Lucius Titius. §.*
13 præcepta de ceremonijs nuptiarū. Illud vetus est, quod pontifex Euaristus ante annos mille qua- *tres hæredes. D. ad*
dringentos in quadam sua ad ecclesiam Africanam epistola complexus est, nempe, Legitimum *Sen. Treb. l. denique. de*
non esse coniugium, nisi vxor ab ijs petatur, in quorū est potestate: & à parentibus vel propinquis *pignor. l. ex libera. C. de iure & legat.*

desponsata, publicè copuletur & benedicatur à sacerdote cum precibus & oblationibus. Sanè ve-
terum oblationum, quæ fiebant nuptiarum die apud priscos Christianos, meminit etiam Tertul 14
lianus in libello De corona militis. Conferebatur aliquid in mensam, quæ in ecclesia rum publicè
pau peribus seruiebat. ¶*Masculi puberes.*] hoc est, annorum 14. Ita tamen pubertatem leges Roma-
næ æstimant, quanquam aliquando in alijs causis requirant annos octodecim [a]. Anno autem 14. 15
in masculis moueri vim generationis ait Macrobius. Aristoteles fatetur quidem semen abundare,
sed non credit satis esse maturum ad generationem ante annū 20. Ita enim lib. 5. de histor animal.
scribit, loquens de masculo, ἄρχεται φέρειν τὸ σπέρμα τοῖς δὶς ἑπτὰ ἔτη· γεννητικὰ δὲ τοῖς τρὶς ἑπτά. [inci-
pit semen producere circiter annum bis septimum: vim verò procreandi habet circiter annum ter
septimum.] Idem Aristoteles in suis politicis agens de nuptijs, præstituit maribus annum 37. puel-
lis 18. Plato & Hesiodus contenti sunt annis triginta. Et interesset sanè Reip. non eneruari præma- 16
tura venere iuuentutem. Sed qui morbum vitiatæ naturę humanę norunt, ne cui laqueus injicia-
tur. grauiter iudicant non debere certis annorum cancellis concludi libertatem nuptiarū, ne hoc
legitimo remedio destituta iuuentus turpius polluatur, & ruat in libidines nefarias. Sublatæ sunt
leges Iuliæ & Papiæ quæ Senectuti præstituebāt certos annos, vltra quos non admitteretur ad ma 17
trimonium. Et voluit Iustinianus liberum esse nuptiarum vsum senibus [b], statuitq; haberi legiti-
mam sobolem, etiam si maritus maior esset annis sexaginta [c]. Eadem libertas relinquenda quoq;
videtur iuuentuti. Nam & ei magis est necessaria. quanquā Iustinianus nō credat quenquam esse
tam acceleratæ & effusæ libidinis, qui ante annum 15. cogatur vxorē ducere. Sic in Nou. Const. 100.
ait τοὺς σφόδρα τάχιστα συναλλάττοντας γάμον, οὐκ ἐλάττους τῶν ιε΄ ἐτῶν περὶ τοῦτο ἰέναι. ¶*Fœminæ viripotentes.*]
hoc est, vt ait poëta, Iam maturæ viro, & nubiles: vel (vt inquit Flaccus) quę viri ferre iugū possunt,
nempe annorū duodecim [d]. nam ijs æstimatur pubertas fœminina generationi apta. Macrobius
ait fœminas biennio ante masculos legibus liberari propter votorum festinationem. Sed verior
causa est in ipsa natura. Certè ait Labeo [e], nuptam non esse, quæ virum pati non potest. Et respon-
sum [f] est, huic conditioni; cùm nupseris, eam non patuisse, quæ nondum nubilis ætatis in domum 18
mariti deducta est. Et, si dos sit promissa, minorque duodecim annis puella, vt maior, ducta sit;
tum primùm dos peteretur, cùm maior annis 12. apud eundem esse cœperit, inquit Papinianus [g].
Quinimo si sponsa dotem dederit, eam condicere potest. si quidem nupserit ante annum duodeci
mum, non secus atque si omnino non nupsisset [h]. quia perinde vxor non habeatur, nec consistat
matrimonium. Sed tamen ei tribuuntur priuilegia dotium. Et si quis bona fide duxisset impube-
rem puellam autoritate parentum, eaque decesserit intra annum duodecimum. Respondit Iulia-
nus, maritum in ijs casibus lucraturus dotem, in quibus lucraturus erat, si verum constitisset ma-
trimonium: saltem vbi in dolo fuisset parens, quem liceat exceptione doli summouere, si perat do
rem. Cæterùm in dubio ignoscendum esse patri, qui filiam suam maturius in familiam sponsi per-
ducere voluit: quasi affectu propensiore magis quàm dolo id fecerit. Interim meminerimus pa-
rum esse sanum aut prudentem hunc affectum, cùm periculosum sit ac nefarium, puellam non-
dum viri potentem veneri subijci. Notum est quid Iustinianus in Nouel. 14. statuat de Lenonibus, 19
qui audent (vt eius verbis vtar) κόρας οὐδὲ τὸν δέκατον ἄγουσας ἐνιαυτὸν εἰς ἐπισφαλῆ καταγαγεῖν φθοράν. [pu-
ellas nec decimum agentes annum, ad periculosam deponere corruptionem.] Et respondit Pau-
lus [i], eos qui nondum viri potentes virgines corrumpunt, damnandos in metallum, vel relegan- 20
dos. Cumq; ius nostrum permittat habere concubinam. grauiter vetuit [k] haberi minorem annis
12. ¶*Si filijfa.*] Etiam si sint milites [l]. Nihilominus enim filijfa. sunt. Emancipati autē filij suo qui- 21
dem arbitrio liberè possunt vxores ducere [m], eorumq; liberi erunt legitimi hæredes aui, etiam si is
nuptijs non consenserit [n]. Verùm honestius fecerint, si non contempserint hac in re parentis auto-
ritatem & consilium, meminerintq; in coniunctionibus semper inspiciendum esse, nō tam quod
liceat, quàm quod honestum est [o], quodq; suadet naturalis pudor [p]. Et sanè filia quantūuis eman- 22
cipata & vidua, si intra 25. annum velit nuptias reperere, omnino iubetur patris consensum habe-
re [a]. maiores annis 25. quātumuis filiæfa. sint, possunt, non expectato amplius cessantis patris con-
sensu, maritum sibi deligere: vt suprà dictum est. ¶*Parentum habeant consensum.*] Non possunt (in-
quit Paulus [b]) nuptiæ consistere, nisi omnes consentiant. hoc est, qui coëunt, quorumq; in pote-
state sunt. Idemq; respondit, non aliter iustos fore liberos [c]. Iustinianus quoq; in Nouel. sua Const. 23
22. ἐν συστάσει (inquit) τῶν γάμων ἀναμένομεν τὴν τῶν πατέρων συναίνεσιν. [in constitutione nuptiarum spe-
ctamus patrū comprobationē.] Nec sunt ignota rescripta aliorū Cæsarū hac de re [d]. Atq; id quidē
non modò iure obseruabatur in contrahendis, sed & in reconciliandis redintegrandisq; nuptijs [e]: +
atq; etiā in transferendis, cùm hāc translationē in vsu haberent Rom. Vnde Cato non aliter Mar-
tiam vxorē suā petenti Hortensio cōcedere voluit, quā si eius pater Philippus probasset hāc cessio- 25
nem, vt testatur Plutarch. in Cato. Porrò nō apud Roma. modò, sed & alios olim populos recepta
hæc est lex, vt filij non temerè contrahant matrimoniū sine consensu parentū. Nam & apud Xeno
phont. lib. 8. Cyri pæd. cum Cyaxares offerret filiā suā Cyro vxorē cū magna dote, multisq; mune-
ribus: respondet Cyrus, ἐπαινῶ σὺν τὸ τοῦ πατρὸς γνώμη, καὶ τὸ τῆς μητρὸς ταῦτα συναινέσαι. [volo de patris
sententia & matris tibi in his assentiri.] Vnde Tertull. lib. 2. ad vxor. Nec in terris, (inquit) filij sine
cōsensu parentū, ritè & iure nubent. Certè D. Ambros. in sua quadā epist. 43. Sisynniū laudat, quòd 26
filio, qui incōsulto patre vxorē duxerat, ignouerit: ac fatetur quidē filiū peccasse, & iustā fuisse cau
sam cur ei pater succenseret: sed hāc tamē offensā remittere, esse pietatis. Cæterū alio loco idē Ambr.
cōsensū parētū in nuptijs liberorū requiri, cōmuni iudicio naturalis honestatis & rationis, pbat ex
eo, quòd

a L. arrogato. de adopt. l. Mela. De alim. & cib. leg.
b L. pen. C. de nupt.
c L. si maior. C. de legiti. hæred.
d L. 4. de ritu nupt.
e L. pen. D. quādo dies lega. ced.
f L. hæc cōditio 1. De cond. & demonstr.
g L. dotis promissio. de iure dot.
h L. si sponsa. de iure dot. l. 2. §. vlt. de priuileg. cred. alias est l. quæsitum est. De reb. aut. iud. poss.
i L. si quis aliquid. §. qui nondum. de pœn.
k L. 1. §. vlt. de cōcu.
l L. filiusfa. miles. de ritu nupt.
m L. filius. de ri. nup.
n L. 3. §. si emancipatus. De bon. poss. cont. tabu.
o L. semper in cōiunctionibus. de reg. iur.
p L. adoptiuus. de ritu nupt.
a L. vidua. l. in coniunctione. C. de nupt.
b L. 2. de ritu nupt.
c L. Paulus. de statu hom.
d L. nec filiū l. in coniunctione. C. de nupt.
e L. nuptiæ. De ritu nupt.

27 eo, quòd ſit etiam id traditũ à veteribus poëtis. Certè apud Euripidẽ in Andro. cùm Oreſtes pete-
ret connubium Hermiones, ea prudenter reſpondet, id pertinere ad arbitriũ & curam ſui parentis.
Νυμφευμάτων τῶν ἐμῶν ὁ πατὴρ ἐμὸς Μέριμναν ἕξει, κ᾽ οὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.
28 [Connubiorum meorum pater meus curam habebit, neque meum eſt decernere hæc.] Et apud
Muſæum antiquiſsimum poëtam, Seſta illa puella Ero, ita reſpondet Leandro proco ſuo:
Ἀμφαδὸν οὐ δυνάμεσθα γάμοις ὁσίοισι πελάσσαι: Οὐ γὰρ ἐμοῖς τοκέεσσιν ἐπιανδάνει.
[Palàm non poſſumus nuptias ſanctas inire, non enim meis parentibus placitæ ſunt] Et apud
Plautum in Sticho, Panegyris mulier loquens de ſuis nuptijs, Hoc (inquit) in patris poteſtate eſt
29 ſitum: faciundum id nobis, quod parentes imperant. Apud ipſum quoque Apuleium Venus iudi-
cat non eſſe legitimas nuptias inter Cupidinem & Pſychen, quòd res acta ſit furtim, ſine teſtibus,
30 patre non conſentiente. Sed nec olim Iudæi exiſtimabant iuſta eſſe matrimonia, quæ temerè coi-
erant ſine conſenſu parentum: & iudicabant ad parentes pertinere, de coniugio liberorum diſpi-
cere, vt apparet ex hiſtoria Bathuelis elocantis filiam ſuam Rebeccam. Cumque lex diſertè præci- *Geneſ. 24.*
peret Iudæis parentibus, non elocare vel matrimonio iungere gentibus ſuos liberos, non obſcurè *Deuter. 7.*
indicat, quæ fuerit eorum autoritas. Nam fruſtraneum erat id præcipere, ſi filij hac in re omnino
ſui iuris erant & arbitrij. Sed & D. Paulus ſcribens ad Corinthios videtur parentibus tribuere ius
elocandorum liberorum. conſtatque diu apud Chriſtianos id fuiſſe obſeruatum, ne contraheren-
tur nuptiæ furtim ſine conſenſu parentum. Et tempore Iuſtiniani adeò id receptum erat, vt is iu- *a L. vnica. C. de ra-*
31 dicarit [a] raptum eſſe illud coniugium, quod inuitis parentibus cõtrahebatur. Sed neſcio quo mo- *ptu virg.*
do id deinde mutatum eſſe dicatur à poſterioribus Pontificibus, quos patriam poteſtatem nihil
32 moratos, decreuiſſe aiunt rata eſſe matrimonia, qualitercunque ab adoleſcentibus inita, aut fur-
tim etiam contracta. Sed neſcio an omnino id voluerint Rom. Pontifices. Certè aliud huius gene-
ris decretum proferri non poteſt, quàm Nicolai II. Pontificis. Atqui ille ait generaliter requiri con
ſenſum eorum, de quorum coniunctione agitur. alio loco adijcit nuptias contrahi conſenſu eo-
rum, qui eas contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt. Paulus iuriſconſ. lib. 11. Sent. tit. 20.
33 magis ſuffragari videtur opinioni receptæ, cùm ait, eorum qui in poteſtate patris ſunt, ſine volun-
tate eius matrimonia non contrahi: ſed tamen contracta non ſolui. Contemplationem enim pu-
blicæ honeſtatis priuatorum commodis præferri. Sed, quiſquis tandem huius rei author fuerit,
inualuit hic mos, vt ſine conſenſu parentum poſſent filijfa. nuptias contrahere. Quæ res magnam
aperuit feneſtram lenonum ac meretricum fraudibus, & clandeſtinis illis coniunctionibus, quæ
vt inſidioſis captionibus extortæ ſunt, ita triſtes & infelices exitus nanciſcuntur, non ſine magno
34 Reip. malo. Atque hoc quidem malum coëgit Carolum Quintum Imp. cùm ageret in ſua Belgica
anno 1540. vt diſpiceret de aliquo remedio. Extatque eius hac de re Conſtitutio. Sanè intereſſet
Reip. vt hîc diligenter aduigilarent Epiſcopi & magiſtratus, quò rectè & honeſtè coëant matrimo
nia, ne circumueniatur iuuentus: ne contemnatur parentum autoritas, & conſilium: rurſus ne eo-
rum auaritia aut ſtultitia impediat honeſtas filiorum affectiones. Nam & Iuſtinianus ſtatuit in
35 Nouella ſua Conſt. [b] 115. Filiam poſt annum 25. poſſe nubere ſuo arbitrio: nec amplius morari de- *b Authen. Sed ſi poſt.*
bere autoritatem eius parentis, qui tot annis nullam habuit imbecillis ſexus rationem, & virgi- *C. de inoff. teſt.*
nem grandem tandiu coëgit domi emarceſcere. Pluſculum quoque libertatis poſt annum 25. fi-
liabus nupturis dederunt etiam ante Iuſtinianũ multi Cæſares [c]. ¶*Conſenſum.*] Vel expreſſum, vel *c L. viduæ. l. in ſõium*
ſanè tacitum, vt ſi cùm ſciret pater nuptias tractari, non contradixerit [d]. ¶*Quorum ſunt in poteſtate.*] *Btone. C. de nupt.*
36 Matris ergo, quæ liberos in poteſtate non habet, nõ eſt hîc neceſſarius conſenſus: multò minus tu- *d L. in ſponſalibus. de*
toris vel curatoris in nuptijs pupillæ [e]. Quod cũ dico, ſtatim occurrit vetus & memorabile iudiciũ, *ſponſalib. l. ſi (vt pro-*
olim inter tutorem & matrem puellæ ortum, cùm vterq; ius elocandæ virginis ſibi arrogaret, & *ponis) pater. C. De*
tutor plebeio iuueni, mater nobiliori puellam coniungere vellet. Non potuit res peragi intra pri- *nupt.*
uatos parietes. Ventum in ius eſt, & audito poſtulatu matris atq; tutoris, Magiſtratus ſecundum *e L. ſciendum eſt. ad officiũ. De ritu nupt.*
parentis arbitrium dederunt ius nuptiarum, vt ſcribit Liuius lib. 4. deca. 1. Hocq; decretum tutati
ſunt Romani, cùm plebs & tutores Ardeæ grauè eius reſcindẽdi cauſam mouiſſent ſeditionem, & vi
puellã abducere vellent adiuuantibus Volſcis Ciuilio duce. Illud non eſt prætereundum, quod Pa
pinianus reſpondit [f], Si in arbitrio matris pater eſſe voluerit, cui nuptum filia communis colloca- *f L. quanquam. de ri*
retur: fruſtra tamen ab ea tutorem datum eligi. Neq; enim intelligi patrem de perſona tutoris co- *tu nupt.*
gitaſſe: cùm ideò maximè matrem prætulit, ne filiæ nuptias tutori committeret. ¶*Et naturalis.*]
Quæ iubet nos reuereri parentes: ijſque obtemperandum eſſe [g], præcipientibus quæ recta ſunt & *g L. 2. de iuſti. & iur.*
ſalubria: noſtroſque affectus ijs ſummittendos, vt eorum conſilio prudenter gubernentur. Diſpu-
tat Gellius lib. 2. cap. 7. in ijs, quæ ſunt ἀδιάφορα ſiue μέσα, omnino parendum eſſe patri: Veluti (in-
quit) ſi vxorem ducere imperet: ſed enim ſi imperet vxorem ducere infamem, propudioſam, cri-
minoſam, non eſſe parendum, quia accidente aliquo turpitudinis numero, deſinant eſſe per ſeſe
hæc media atque indifferentia. Equidem probo ſententiam generalem Gellij: ſed exemplum o-
mnino probare non poſſum. Neque enim omnino indifferens eſt, vxorem ducere aut non duce-
37 re: nec omnibus vtrunque pariter conuenit: propterea que nec iure poteſt vllius imperio intertur-
bari neceſſaria libertas in hac re. Ergo ſi filio, cui magis conuenit & placet cœlibatus, pater imperet
matrimonium, non putarunt Iuriſconſulti aut Cæſares filium cogi obtemperare [h]. Multo minus *h L. non cogitur. De*
cogitur parere filius, ſi parens μισόγαμος [nuptijs infeſtus] ab eo, cui placet & conuenit matrimo- *ritu nupt. l. neque ab*
nium, exigat cœlibatum. Eſt enim tyrannicum hoc & violẽtum nimis imperium. Vnde & noſter *initio. C. de nupt.*
Martianus [i] ait, Qui liberos, quos habent in poteſtate, iniuria prohibent vxorẽ ducere, vel nubere: *i L. qui liberos. De ri tu nupt.*

vel qui dotem dare non volunt: ex constitutione Diuorum Seueri & Antonini per Proconsules
Præsidesque prouinciarum coguntur in matrimonium collocare & dotare. Prohibere autem vi-
detur, & qui conditionem non quærit. Sententia D. Pauli ad Corinthios, hac de re hæc est: Si pa- 38
rentes iudicauerint filiæ non conuenire cœlibatum, quia matrimonium necessarium sit infirmi-
tati ipsius puellæ: ne vereantur filiam elocare. Quod si prudenri & maturo consilio apud sese con-
stituerint non esse elocandam, quo magis eius commoditari & libertari consulatur; suæq; volun-
tati & deliberationi consentientem habeant puellam, cui non sit coniugium vel gratum vel ne-
cessarium; laudo proboq; parentum honestum consilium. hæc Apostolus. Nos ergo illud patri re-
linquimus, vt filius qui deliberauit esse maritus, non temerè contemnat fidelis patris cõsilium in
deligenda vxore: sicut nec hic pater contemnere debet affectum & consensum filij. Vt in sacris li- 39
teris Bathuel elocaturus filiam suam Rebeccam Isaac filio Abrahæ, consulit ipsius filiæ voluntatẽ.
Er apud Terentium, vbi quæritur vxor Cliriphoni, postquam ab eo impetrauit pater, vt relicto a-
more meretricio, vxorem ducat: non obtruditur inuito, quæ non placet. Notanda autem est illa
relinquendæ meretricis iustissima cansa, ob quam filius debeat obtemperate patri nuptias impe-
ranti, vt matrimonium amplectatur relicto impuro cœlibatu. Notum est illud Simonis patris de
filio Pamphilo apud eundẽ Comicum: Si, propter amorẽ, vxorem nolit ducete, ea primùm ab illo
animaduertenda iniuria est. vt omnes qui amant, ægrè sibi ferunt vxorem dari. Porrò quàm nihi-
li sit parentum voluntas, nisi adsit filiorum consensus, ostendit noster Paulus [a]. Cùm enim paren- 40
tes conuenissent de matrimonio liberorum suorum, adiectaq; esset pœna, Respondit; liberum ni-
hilominus esse, negligere parentum conuentionẽ, & repudiare pactas nuptias, nec propterea pœ-
nam committi. Illud autem prætereundum non est, quod ait [b] Celsus: Si patre cogente filiusfa. du
cat vxorem, quam non duceret, si sui arbitrij esset: contraxit tamen matrimonium, quod inter in-
uitos non contrahitur: maluisse enim hoc videtur. ¶ *Iussum præcedere debeat.*] Est in vniuersum Iure
traditum, iussum debere præcedere negocium [c]. Sed nõ minus sæpe valet ratihabitio, quæ rem se- 41
qui solet. Vnde & iustum erit matrimonium iustaq; soboles ex ea suscepta, quod quidem inscio pa
tre coijt, sed cui postea cognito pater non contradixit [d]. Sanè si mortuus fuerit pater ignarus con-
iunctionis liberorum, respondit Paulus [e], nec eam quidem iustam fore sobolem, quæ prius conce- 42
pta, post mortem aui nata est. Nec ad rem pertinere putauit Paulus, quòd nata sit eo tempore, quo
iam erat iustum matrimoniũ, nempe filia iam sui iuris effecta, & eo sublato, cuius superstitis desi-
derabatur consensus. Nã & satis constat, vt etiã alibi docuimus, conceptionis tẽpora magis inspici. 43

a L. Titia, de verb. oblig.
b L. si patre. De ritu nupt.
c L. si quis mihi bona. §. iussum de acqu. hered.
d L. si (vt proponis) pater. C. de nupt.
e L. eũ qui. de sta. ho.

§. *Vnde quæsitum.*

1 *Furor nec patriam potestatem, nec nuptias soluit.*
2 *Graue est inuito alicui agnasci suum hæredem.*
3 *Sufficit non contradici nuptijs filiæ.*
4 *Furiosus pro absente habetur.*
5 *Nec filiusfa. donationem propter nuptias, nec filiaf. dotem dare potest suo arbitrio.*

Vnde quæsitum est, an furiosi filia nubere, aut furiosi filius vxorem ducere possit. Cumq; super filio variabatur, nostra processit decisio, qua permissum est ad exemplum filiæ furiosi, filium quoque furiosi posse, & sine patris interuentu matrimonium sibi copulare, secundum datum ex nostra constitutione modum.

¶ *Furiosi filius.*] Neq; enim furor patriam dissoluit potestatem, sicuti nec matrimoniũ, quod 1
prius sana mente est initum [f]. ¶ *Super filio variabatur.*] Alibi apud Iustinianum est, in filiofa. dubi-
tabatur [g]. Veteres autem de hoc magis dubitasse videntur, quòd per eum auo agnoscatur suus hæ-
res. Graue certè est & durum alicui inuito agnasci suum hæredem [h]. ¶ *Nostra processit decisio.*] Hæc 2
extat in Codice duobus locis, nempe libro primo [i], & rursus libro sexto [k]. ¶ *Ad exemplum filiæ.*] Scri
bit alio loco Iustinianus [l], Omnes penè iuris antiqui conditores admisisse filiam furiosi, marito
posse copulari. Sufficere enim putauerunt, si pater non contradiceret. Deinde addit, Sese & aliud 3
exemplũ secutũ, nempe, Marci Imp. qui statuit liberos mente captos, cuiuscunq; sexus essent, libe
rè posse nuptias contrahere. Sic videtur Iustinianus constitutionẽ Marci, quæ de mente captis lo-
quebatur, traxisse ad furiosos. ¶ *Sine patris interuentu.*] Quorsum enim interueniret, qui nec cõsu-
lere, atq; adeò nec cõsentire potest, cùm nihil habeat sensus? Sanè furente patre, solus filiusf. liberè
potest hæreditatem adire [m], & iniuriarum actionem intendere [n], & filiaf. soluto matrimonio do-
tem condicere [o]. Et si absente patre liberum est filijsfam. contrahere matrimonium [p], sicut & in 4
iudicio contendere [q]: Cur non liberum erit eo furente, cùm etiam furiosus pro absente haberi so-
leat? ¶ *Matrimonium copulare.*] Donationem verò propter nuptias, solus suo arbitrio cõstituere non
potest, sicuti nec filiafam. dotem dare: sed filij patrisque curator interuenire debet, itemq; præfe- 5
ctus vrbi, vel Præses aut Episcopus.

f L. patre furioso De his, qui sui sunt vel alie. iur.
g L. si furiosi. C. de nupt.
h §. sed etsi, inf. de adopt.
i L. cum dementis. C. de episc. aud.
k L. si furiosi. C. de nupt.
l dict. l. si furiosi.
m L. cùm hæres. De acquir. hæred.
n L. sed si vnius. §. filiofa. de iniur.
o L. si cum dotẽ. §. soluto. D. solut. matr.
p L. si ita pater. cum l. seq. de ritu nupt.
q L. filiusfa. l. si longius. de iudic. l. cùm filiusfa. D. si cer. pet. l. filiusfa. §. sed puto. de procurat.

§. *Ergo non omnes.*

1 *Quæ non prohibentur, ea videntur esse permissa.*
2 *Edicta prohibitoria quam vim habeant.*

3 *Prohibiti*

3 *Prohibiti iure concubitus puniuntur diuinitus.*
4 *Heraclij Imp. nefariæ nuptiæ cū Martina fratris filia.*
5 *Naturalis pudor genitorum in genitores etiam brutis notus est.*
6 *Semyramidis edictum pro nefario parentum cum liberis coitu.*
7 *Artaxerxes filias suas duxit in vxores.*
8 *Incestus concubitus Loth vnde occasionem sumpserit.*
9 *Genesis Persarū, Exodus Aegyptiorum mores refert.*
10 *Parentes sunt omnes ascendentes, liberi omnes descendentes.*
11 *Incestus quid?*

Ergo non omnes nobis vxores ducere licet: nam à quarundam nuptijs abstinendum est. inter eas enim personas, quæ parentum liberorúmve locum inter se obtinent, contrahi nuptiæ non possunt: veluti inter patrem & filiam, vel auum & neptem, vel matrem & filium, vel auiam & nepotem, & vsq; in infinitum. Et si tales personæ inter se coierint, nefarias atq; incestas nuptias contraxisse dicuntur. Et hæc adeò vera sunt, vt quantumuis per adoptionē parentum, liberorúmve loco sibi esse cœperint, non possint inter se matrimonio iungi, in tantum, vt etiam dissoluta adoptione, idem iuris maneat. Itaque eam, quæ tibi per adoptionem filia, vel neptis esse cœperit, non poteris vxorem ducere, quamuis eam emancipaueris.

¶*Ergo non omnes.*] Inuerso enthymemate vtitur Iustinianus. Nec est ociosum quod ait, à qua-
1 rundam nuptijs esse abstinendum. Nam ijs verbis indicat, edictum de nuptijs esse (vt ita loquar)
prohibitorium, nempe, vt quæ non prohibentur nuptiæ, videantur permissæ: nec ab alijs abstine-
2 re debeamus, quàm quæ nobis adimuntur. Sic edictum de testamentis, de legatis, de procurato-
ribus, dicitur esse prohibitorium, eandemq; vim habet[a]. ¶*Non omnes nobis vxores ducere licet.*] Ciui- a *L. cætera. de legat. 1. l. multis. §. 1. de procuratorib.*
lem prohibitionem quarundam nuptiarum, à quibus abstinendum esse dictat ipsa quoque natu-
ralis honestas, magnificare debemus, cùm etiam constet eam magna ex parte nominatim diuini-
3 tus edici. Nec dubium est, grauissimè à Deo puniri prohibitos iure concubitus, vt nos admonet
scriptura sacra, loquens de causis diluuij, de Chananæis & Pherezeis deletis. Notiq; sunt illi à vete-
4 ribus descripti tristes & tragici exitus Ptolemæorum, Oedipi, Iocastæ. Et quis non horreat inaudi-
tam illam pœnam Heraclij Imp? Hic cùm illicitas nuptias cum Martina fratris sui filia contraxis-
set, miserrimè perijt, vsq; adeò distento membro virili, vt quoties meieret, lotio aspergeret vultū.
Pudet certè me id commemorare: sed interest cognoscere prodigiosam pœnam effusæ effrenisque
libidinis. ¶*Inter eas personas, quæ parentum.*] Inter parentes & liberos in infinitum prohibitas esse
5 nuptias, docet naturalis pudor non ipsos modò homines, sed & bruta animalia. Nam apud Pli-
nium & Aristotelem inuenies in brutis exempla huius rei. Itaq; Iustinianus in Nouel. sua Consti.
12. scribit eum, qui se polluit his nefarijs coitibus, ea facere, quæ ipsa bruta detestantur, hoc est, vt
ait. *πράττειν ἀσεβῶς τι καὶ ἀθέσμως, καὶ τοιαῦτά γε ἐπιθυμῶν, ὁποῖα πολλὰ καὶ τῶν ἀλόγων ἀποστρέφεται ζώων.* [perpetrare &
pietati simul & religioni contraria, penitusq; ea appetere, quæ complures animantes rationis ex-
pertes auersantur.] Et Socrates apud Xenophontem lib. 3. *ἀπομνημ.* testatur, diuinitus latam esse
hanc legem, *μήτε γονέας παισὶ μίγνυσθαι, μήτε παῖδας γονεῦσιν.* [neq; parentes liberis, neq; liberos paren-
tibus misceri.] Gentes tamen esse feruntur, in quibus & nato genitrix, & nata parenti iungitur.
Adeò insana est plerunq; humana libido, & ruit præceps in omnem turpitudinem. Ferunt reginā
6 Semyramidem publico edicto probasse parentum & liberorum nefarios coitus. Et Persis fas erat
7 implere parentem, inquit Lucanus. Itaq; legimus Persarum Regem Artaxerxem matrimonio si-
8 bi iunxisse filias suas Athesin atq; Misttin. Et fortasis huc referendus est concubitus Loth cum fi-
liabus, quas verisimile non est eò propudij potuisse descendere, nisi tales mores passim in Perside
9 frequentatos probatosq; animaduertissent. Certè liber Geneseos & in alijs quibusdam locis mo-
res Persarum referre videtur: sicut Exodus, Aegyptiorum. Certè cùm ab initio Deus hanc legem e-
didit: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ; non obscurè significat parētum
10 & liberorum nefariā esse coniunctionem. ¶*Parentum liberorumq;.*] Appellatione parētum conti-
nentur omnes ascendentes sicuti liberorum, omnes descendētes. ¶*Incestas nuptias.*] Incestus idem
11 est, quod pollutus & non castus. Vnde Plinius incestas noctes appellat. Dicitur & substantiuè in-
cestus, vel incestum, pro ipso fœdo impudicitiæ crimine, vbi cum ijs rem habemus, quas aut legi-
bus, aut moribus prohibemur habere vxores[b]. extat in Codice titulus de incestis nuptijs. Et Nou. b *L. sororis. §. 1. De ritu nupt.*
Iustiniani Constit. 12. *περὶ ἀθεμιτογαμιῶν.* [de incestis & nefarijs nuptijs.] Sunt qui incestam coniun-
ctionē dici credant, quæ contracta est ritibus & ceremonijs nuptialibus non adhibitis: quòd *κεστὸς*
significet sponsæ zonam nuptialem.

§. *Inter eas quoque.*

1 *Cur inter cognatos nuptias prohibuerint Romani.*
2 *Abrahami nuptiæ cum Sara quomodo excusentur.*
3 *Persarum, Aegyptiorum, Epirotarum matrimonia cum sororibus.*
4 *Cyri cum consobrina, Cambisis & Darij cum sorore inita matrimonia.*
5 *Philosophorum & Chrysippi super nuptijs deliriumi.*

Inter eas quoq; personas, quæ ex transuerso gradu cognationis iunguntur, est quædam similis obseruatio, sed non tanta. Sanè enim inter fratrem sororemq; nuptiæ prohibitæ sunt: siue ab eodem patre, eademque matre nati fuerint: siue ab altero eorum.

¶*Inter eas quoque personas.*] Cur inter has personas prohibitæ fuerint à Romanis nuptiæ, Plu- 1
tarchus in Problematibus tres adfert rationes, quas malo eius verbis commemorare, quàm meis;
*διὰ τί τὰς ἐγγὺς γένους οὐ γαμοῦσιν; πότερον αὔξειν τοῖς γάμοις βουλόμενοι τὰς οἰκειότητας, καὶ συγγενεῖς πολλοὺς ἐπι-
κτᾶσθαι, διδόντες ἑτέροις καὶ λαμβάνοντες παρ' ἑτέρων γυναῖκας; ἢ φοβούμενοι τὰς ἐν τοῖς γάμοις τῶν συγγενῶν διαφο-
ρὰς, ὡς τὰ φύσει δίκαια, προσαπολλυούσας; ἢ πολλῶν βοηθειῶν τὰς γυναῖκας ὁρῶντες δι' ἀσθένειαν δεομένας, οὐκ ἐβούλον-
το τὰς ἐγγὺς γένους συνοικίζειν, ὅπως ἂν οἱ ἄνδρες ἀδικῶσιν αὐτὰς οἱ συγγενεῖς βοηθῶσιν.* [cur cognatas non du-
cunt in vxores? An quod necessitudines augere volunr per nuptias, & multos propinquos acqui-
rere, tum elocando alijs, tum item ab alijs accipiendo fœminas? An verò quod metuũt, ne nuptijs
istis cognatarum discrimina quæ natura ipsa præscribit simul intereant? An denique quòd vide-
runt, multis subsidijs opus esse mulieribus propter earum infirmitatem, nõ voluerũt genere pro-
pinquas ædibus vitæque contubernio sociare, vt, si viri minus decentet ipsas tractarent, cognati
venirent subsidio.] Sanè initio orbis conditi fratres & sorores matrimonio iungebantur, cùm de-
essent aliæ personæ, & necesse esset genus humanum propagare. Sic Augustinus excusat Abraham, 2
qui duxit Saram sororem suam ex Thare, vel sanè filiam fratris sui Aram. Sed quibus hæc non pla
cet excusatio, tradunt Saram solùm fuisse legalem filiam Thare, nempe susceptam ex quadam mu
liere, cum qua deinde vidua iunctus fuerit Thare. Quod si verum est, Abrahæ nuptiæ ne nostro
quidem Iure ciuili damnari possunt. Nam mariti filium ex alia vxore, & vxoris filiam ex alio ma-
rito, coniungi posse docet paulò pòst Iustinianus.

a L. & nihil. De ritu nupt.

¶*Sed non tanta.*] Nam inter fratrum filios, eorúmve liberos, permissæ sunt nuptiæ. quod paulò
pòst latius explicabimus. ¶*Inter fratrem sororemq.*] Etiam vulgo quæsitos [a]. adeò diligenter hanc
legem coluerunt Romani, quam effrenis multorum populorum libido confudit. Nam Persæ, Æ- 3
gyptij, & Epirotæ probarunt inter fratrem sororemque nuptias. Ac Cyrus quidem consobrinam 4
suam duxit Ciaxaris filiam. Cambises verò, sicuti & Darius, suam sororem. quanquam Persis non
semper id permissum fuerit Quod ad Ægyptios attinet: duxit quidẽ Ptolemæus sororem suam Ar
sinoën. Sed Herodianus libro primo ait, factum id fuisse contra Macedonum & Græcorum leges.
Certè apud Ouidium Canace conqueritur ac deplorat sese cum fratre Machareo tanquam marito
rem habuisse:

Cur vnquam plus me frater, quàm frater amasti? Et tibi, non debet quod soror esse, fui?

b L. vlt. de rit. nupt.

Scio quid philosophi quidam nimium indulgentes iudicarint. Sed quis ijs assentiatur, cùm etiam
Chrysippus cum filia vel matre misceri fas esse iudicet. ¶*Nuptiæ prohibitæ sunt.*] Non ita esse tamen
prohibitas, vt inter parentes liberosque Iure naturali, significat Paulus [b], cùm ait iure gentium in- 5
cestum committi, si ex gradu ascendentium vel descendentium vxor ducatur. Si verò ex latere ea
ducta sit, quæ vetatur: siquidem palàm id factum sit, leuiorem esse pœnam, quasi per ignorantiam
factum sit: si verò clàm, grauiorem esse pœnam.

§. *Sed si qua per adoptionem.*

1 Cur Paulus responderit, posse hæredem institui posthumum ex sorore adoptiua.

2 Adoptionem impediri nuptijs præcedentibus, non nuptias adoptione dissolui.

Sed si qua per adoptionem soror tibi esse cœperit, quandiu quidem cõstat adoptio,
sanè inter te & eam nuptiæ consistere non possunt: cùm verò per emancipationem ado-
ptio sit dissoluta, poteris eam vxorẽ ducere. Sed & si tu emancipatus fueris, nihil est impe-
dimento nuptijs. Et ideò constat, si quis generum adoptare velit, debere eum anteà filiam
suam emancipare: & si quis velit nurũ adoptare, debere eum antea filiũ suum emãcipare.

c L. per adoptionem. De ritu nupt.

d L. si stipuler. §. s. De verb. obligat.

¶*Sed si qua.*] Inquit Caius [c], Per adoptionem quæsita fraternitas, eo vsq; impedit nuptias, do-
nec maneat adoptio. Ideoque quam pater meus adoptauit, & emancipauit, potero vxorem duce-
re. æquè & si me emancipato illam retinuerit in potestate. Huc pertinet quod Paulus respondit,
posse me hæredẽ instituere posthumum ex sorore mea adoptiua, quia scilicet possim eam aliquan 1
do iustam habere vxorem. Sed tamen idem Paulus [d] non putauit hanc spem sufficere ad sustinen
dam stipulationem, si quis stipuletur sororem adoptiuam sibi nupturam: quia (inquit) statim id
contra bonos mores fiat, licet perpetua non sit prohibitionis causa. ¶*Per emancipationem.*] Ipsius
scilicet adoptatę filię. Nam de ea hic agitur. Quod si filius ipse naturalis emancipetur: ipsa quidem
cognatio, quæ inter eum & sororem adoptiuam erat, æquè dissoluitur: sed non dissoluitur ipsa ad-
optio. manet enim nihilominus adoptata filia. ¶*Et ideo constat.*] Huius consilij ratio est, quòd ad-
optio ciuili quadam veluti cognatione iungat adoptatum ipsi adoptanti, simul & omnibus ijs

e L. qui in adoptionẽ. De adopt.

qui prius ipsi adoptanti iure familiæ coniuncti erant [e]. Sed si quis fuerit emancipatus tempore
adoptionis, eum adoptio non coniunget adoptato. ¶*Debere eum antè filiam suam emancipare.*] Sed
quid si id non fecerit, & nihilominus adoptarit? Certè crediderim adoptionem nullius fore mo-
menti, potius quàm irritas fieri nuptias, quę prius ritè contractę sunt. Neq; enim nostro cõmento
vel arbitrio dissolui debet ratum matrimoniũ. Nec moror Theophilũ, qui hoc loco videtur aliter
sentire. nam & alio paulò pòst loco palinodiam canit: cùm in titulo De adoptionibus ait, nisi nu- 2
ptiæ prohibuissent, nihil esse, quod hanc adoptionem impedisset. satis innuens, adoptionem im-
pediri nuptijs præcedentibus, non autem eas iam contractas adoptione impediri, vel dissolui.

§. Fratris

§. *Fratris verò vel sororis.*

1 Miles habens sororis filiam in contubernio, adulterij reus est.
2 Impudicitiæ Romanorum procerum exempla.
3 Inter sororem meam, eiusq́; filiam, neptem, proneptem, generalis est prohibitio, vt inter parentes & liberos.
4 Nuptiæ generaliter prohibentur non modò cum parentibus & liberis, sed & cum ijs qui parentum liberorúmve loco sunt.
5 Nuptiæ cur inter consobrinos, 4. gradibus distantes permittantur.
6 Nuptiarum ineundarum rationem quomodo mutarit Pontifex Innocentius.
7 Cur mulieris à patre meo adoptatæ, non viri, filiam possim vxorem ducere.

Fratris verò vel sororis filiam, vxorem ducere non licet, sed nec neptem fratris vel sororis quis ducere potest, quamuis quarto gradu sint. Cuius enim filiam vxorem ducere non licet, neque eius neptem permittitur. Eius verò mulieris, quam pater tuus adoptauit, filiam non videris impediri vxorem ducere: quia neque naturali neque ciuili iure tibi coniungitur.

¶ *Vxorem ducere non licet.*] Quinimo Papinianus respondit[a] eum militẽ, qui sororis filiam ha- *a L. miles. D. ad leg. Iul. de adulter.*
1 buerat in contubernio, teneri pœna adulterij. Scio tamen non tam pudica semper fuisse Roma-
2 norum iudicia. Seruius Tullius rex elocauit filias fratribus suæ vxoris, hoc est, earum auunculis.
Multis pòst annis Claudius Imp. vt id Senatusconsulto comprobaretur, operam dedit, cùm Agrip-
pinam fratris sui filiam duxisset. Sed non nisi vnum Talledium Seuerum Equitem Rom. reperit
imitatorem, eumq́ue gratia Agrippinæ impulsum. Nero, qui Claudio successit, videtur incestam
eius generis coniunctionem non probasse: apertissimè autem Nerua Imp. lege lata improbauit;
cùm Domitianus eam turpitudinem iterum probasse videretur, rem habens cum Iulia fratris sui
filia. Postremò Heraclius Imp. ausus est id committere, ducta Martina fratris sui filia. Sed sensit
vindicem manum Domini, vt suprà dixi. ¶ *Sed nec neptem.*] Imò nec proneptem, quòd ei sim
3 æquè loco parentis[b]. Nec ad rem pertinet, quòd ab ea distem quinque gradibus. Nam hic gradus *b L. sororis, de ritu nupt.*
non numeramus, non magis quàm inter parentes, & liberos: sed generalis est prohibitio, vt inter
ascendentes & descendentes. ¶ *Cuius enim.*] Tradit hic Iustinianus generalem regulam, cuius ra-
tio si rectè intelligatur, breuiter explicabit, quod in hoc tractatu præcipuè expendendum est. Di-
4 ximus in vniuersum prohiberi nuptias cum parentibus & liberis. nunc docemur, in vniuersum
quoque cum ijs prohiberi, qui parentum liberorúmve loco sunt, hoc est, cum fratribus sororibúsve parentum nostrorum, vel nostrorum fratrum sororúmve liberis omnibus. huc enim pertinet
5 hæc regula; *Cuius filiam non licet vxorem ducere, eius nec neptem ducere licet.* Cæterùm inter consobrinos,
qui quatuor inter se gradibus distant, eorúmve liberos nuptiæ permittuntur. nulla enim est amplius inter eos parentum liberorúmve imago aut similitudo, & iam quodammodo sublata videtur consanguinitas, quod ad matrimonium attinet. Nihil itaque obest, quo minus cognationem iam longissimè dissitam noua coniunctione colligamus, ac propemodum extinctam rursus excitemus. Atque hæc quidem non Romani modo, sed & Iudæi ex lege Mosaica prudenter intellexerunt. Sed posteriorum Pontificum Rom. aliud fuit iudicium. fuitq́ue post Iustinianum annis
6 plusquam sexcentis variè iactata & incertis legibus agitata ineundarum nuptiarum ratio. Tandem illud receptum est, quod Pontifex Innocentius decreuit, tum inter propinquos nuptias contrahi posse, si quinto (vt ille quidem numerat) gradu distarent à cognationis origine. Itaque permissum fuit vxorẽ ducere abneptem fratris sororisve, aut (quod eodem recidit) maximã amitam materterámve. quod certè prohibuerant veteres leges, quia hæ personæ parentum liberorúmve loco sint, & cuius filiam hac ratione non licet vxorem ducere, eius nec neptem vel alios descendentes liceat. Contrà autem iure Pontificio prohibitum fuit non modò inter duorum fratrem filios filiásve, sed & pronepotes proneptésve matrimonium: necnon & cum pronepote patrui mei, aut magni patrui nepte, aut maioris filia. Cuiusmodi omnia coniugia iure ciuili erant permissa, quia nec hic vlla esset parentum liberorúmve similitudo, nec adeò magna sanguinis communio.
¶ *Eius verò mulieris.*] Quòd si non mulierem, sed virum pater tuus arrogasset, non posses eius
7 filiam habere vxorem. Discriminis ratio est ex ipso sexu. Quòd qui arrogatur, liberos quos in sua potestate habet, transferat secum in potestatem arrogatoris: fiantq́ue arrogantis nepotes. sed mulier, cùm liberos in potestate non habeat, non potest eos alterius potestati subijcere. Itaque nullò modo eius liberi iunguntur ei qui mulierem hanc arrogat, nec ipsius arrogatoris liberis.

§. *Duorum autem fratrum.*

1 Matrimoniorum inter consobrinos, exempla Romana, & Mosaica.
2 Haloandri emendatio Legis.
3 Lex XVII. in fine ff. de ritu nupt. rectè emendata ab Haloandro.

Duorum autem fratrum vel sororum liberi, vel fratris & sororis, coniungi possunt.

Item amitam, licet adoptiuam, ducere vxorem non licet, item nec matetteram: quia parentum loco habentur. Qua ratione verum est, magnam quoque amitam, & materteram magnam prohiberi vxorem ducere.

a L. Lucius Titius. §. filiam. D. ad Senat. Trebell.
b L. qui ex fratribus. de cond. institut.

¶ *Couinngi possunt.*] Ergo inter consobrinos iustum est hoc iure matrimonium, & fuit semper 1
apud Romanos. Legimus Brutum duxisse vxorem Porciam consobrinam suam. Et Tullius pro Cluentio refert, quandam Cluentiam ritè nupsisse M. Aurio Melino consobrino suo. Nota quoq; est illa fideicommissi formula, quæ apud Scæuolam extat [a]; Lucio Titio, fratris mei filio, genero meo, ducentos aureos relinquo. & illa conditio apud Papinianum [b]; Qui ex fratribus meis Titiam consobrinam vxorem duxerit, hæres esto. Si quæruntur meliorum gentium exempla, Duxit Iacob Rachelem, & Liam, filias auunculi sui Laban, qui frater erat Rebeccæ matris ipsius Iacob. Duxit & iunior Tobias suam consobrinam Saram, filiam Raguelis, qui maioris Tobiæ frater erat. Quid multis moror? Lex Mosaica apertè probauit hæc consobrinorum coniugia. ¶ *Licet adoptiuam.*] Quæ videlicet ab auo tuo paterno adoptata, eaque ratione patri tuo, qui erat in eius aui potestate, coniuncta iure sit agnationis tanquam soror, tibique amita. ¶ *Item nec materteram.*] Iustinianus hîc non repetit, LICET ADOPTIVAM, quia nec auunculus, aut matertera esse possit per adoptionem. Cùm enim vera naturalisque matertera nō nisi per fœminam, nempe matrem meam, mihi coniungatur, non nisi cognata mihi esse potest. Atqui constat adoptatum agnatis tantum, non etiam cognatis adoptantis cognatum fieri [c]. Rectè itaque Haloander in quodam responso Caij [d], pro matertera substituit amitam, vt legatur; Vtique autem & amitam, & amitam magnam prohibemur vxorem ducere, & si per adoptionem nobis coniunctæ sint.

c L. qui in adoptione. de adopt.
d L. per adoptionem. §. 1. de ritu nupt.

§. *Affinitatis quoq;.*

1 *Vxoris cognatis vir est affinis, & contra.*
2 *Coniuges quoq;, sponsumq;, & sponsam, dici affines.*
3 *Vbicunq; est vera affinitas, iustæ nuptiæ esse non possunt.*
4 *Leges Romanæ quousq; conueniant cum Mosaicis super affinium nuptijs.*
5 *An inter Henricum VIII. Anglum, & fratris eius Arturi relictam viduam Catharinam, iustum matrimonium esse potuerit.*
6 *Herodis Antipæ & Herodiadis coniunctio fuit adulterium cum incestu.*
7 *Herodes cum Herodiade, iussu Caligulæ, deportatus Lugdunum.*
8 *Archelaus, Herodis Antipæ frater, duxit Glaphyram, viduam relictam fratris sui Alexandri.*
9 *Glaphyra somnio conterrita expirat.*
9 *Iuda Israëlita propudium.*
10 *Inter affines superioris & inferioris ordinis infinita est prohibitio.*
11 *Nulla est affinitas inter coniuges, & affines alterius coniugis.*
12 *Altera causarum principalium deficiente, vna sufficit.*
13 *Licet morte eius per quem contracta est affinitas soluatur, tamen impedimentum eius semper durat.*
14 *In legatis quoq; & fideicommissis dissoluta, non præsens, affinitas vim habet.*
15 *Quod relictum est familiæ, ad nurum & generum quoq; pertinet, consanguineis deficientibus, filioq; scilicet, vel filia mortuis.*
16 *In quibus Iuris partibus magis præsentes quàm præteritæ affinitates accipiantur.*
17 *Soceri nomen adimit mors filiæ.*
18 *Si qua viuo marito de alio meditatur, repudio digna est.*
19 *Mahomet libidinosus.*
20 *Medicis mulieribus viros habere pauciores quàm quinq; calamitosum visum est.*
21 *Papyrij adolescentis commentum ad Romanas matronas.*
22 *Concubinas duas eodem tempore habere non licet.*
23 *Naturalis soboles duas habet vncias cùm matre in successione patris; si nullas præterea concubinas simul habuerit pater.*
24 *Iulius Cæsar cur plures vxores ducere permiserit.*
25 *Valentiniani lex de duabus simul habendis vxoribus.*
26 *Dionysius Siculus duas eadem die duxit.*
27 *Demetrius, Socrates, Euripides, singuli simul duas habuerunt.*
28 *Lamech Cainicus, primus fuit qui duas simul haberet vxores.*
28 *Non tantùm Episcopi, sed vniuersi Christiani sint vnius vxoris viri.*
29 *Matrimonium iterare semper fuit liberum.*
30 *Romæ vir vnus 20. sepeliuerat vxores, vigesimus secundus tum coniugi suæ maritus.*
31 *Targelia Milesia 14. nupta fuit.*
32 *Superstitio abhorrentium à secundis nuptijs.*
34 *Duas simul capiens vxores fit infamis.*
35 *Apud Romanos olim posterioris coniugis coniunctio prioris erat repudiatio.*

Affinitatis quoque veneratione à quarundam nuptijs abstinere necesse est. vt ecce priuignam aut nurum vxorem ducere non licet, quia vtræque filiæ loco sunt. Quod ita scilicet accipi debet, si fuit nurus aut priuigna tua. nam si adhuc nurus tua est, id est, si adhuc nupta est filio tuo: alia ratione vxorem eam ducere non poteris, quia eadem duobus nupta esse non potest. Item si adhuc priuigna tua est, id est, si mater eius tibi nupta est: idcò eam vxorem ducere non poteris, quia duas vxores eodem tempore habere non licet.

e L. non facilè. §. affines. de gradib.

¶ *Affinitatis veneratione.*] Paulus [e] ait, affines esse viri & vxoris cognatos. quibus verbis intelligere debe-

1 gere debemus vxoris cognatis virum esse affinem: contraque, viri cognatis vxorem esse affinem.
Cæterùm inter ipsos viri vxorisque cognatos nulla propriè affinitas intercedit. Affinem enim di-
ximus alterum coniugem alterius cognatis. Affinis ergo est gener, nurus, socero, socrui: vitricus,
2 nouerca, priuigno, priuignæ: fratria leuiro: sororius glori. Interdum tamen impropriè affinitas
quoque dicitur inter ipsos coniuges, interque sponsum & sponsam [a].

a L. non ideo. C. de hæred. instit. l. quod Seruum. de cond. cau. da.

3 ¶ *A quarundam nuptijs.*]Poterat dicere ab omnium affinium nuptijs esse abstinendum. Nam
vbicunque vera est affinitas, iustas nuptias esse non posse rectè dicemus. In ordine directo superio-
rum & inferiorum affinium perpetuam esse prohibitionem clarum est, cùm ij parentum libero-
rumque loco sint. Sed & cùm superiorum affinium fratribus sororibusve, & collateralium (vt ita
appellem) filijs filiabúsve patrum iustas esse nuptias, sicuti & cum ipsis collateralibus non ineptè
dixerim. Fratriam cum leuiro, aut sororium cum glore non posse coniungi, principum rescriptis
4 cautum [b] est. Sororem soceri, aut filiam leuiri glorisve non vetuerunt leges Rom. vetuit tamen
expresßim Moses, Leuit. 18. Sed, vt apertius intelligamus & appellationes & gradus affinitatis, quę
nuptijs est impedimento, illud tenendum est; propriè affinem esse alterum coniugem, qui ad a-
liorum fines accesßit. hic si suprà respiciat socerum aut socrum; erit gener aut nurus: si infrà priui-
gnum aut priuignam; erit vitricus aut nouerca: si à latere dextro, leuirum; erit fratria: si à sinistro,
glorem; erit sororius. Prohibetur autem cum omnibus ijs coniungi. & si Mosen sequimur, prohi-
bitum quoque erit cum filijs aut filiabus leuiri glorisve, vel (quod eodem recidit) cum soceri so-
5 crusve fratre sororéve misceri. Ex his dijudicari potest illa superioribus annis agitata quæstio; an
Henrici VIII. Angliæ regis cum Catharina filia Ferdinandi regis Arragonum, quæ aliquando nu-
pta fuerat Arturo fratri ipsius Henrici, iustum ac legitimũ matrimonium esse posset. Sed ineptum
est, quod quidam huc detorquent dictum Ioannis Baptistæ ad Herodem, eius & Herodiadis ne-
fariam coniunctionem damnantis. Aliæ enim & grauisßimæ erant causæ; sed non omnibus for-
tasse notæ. Hic Herodes, quem & Antipam vocant, Tetrarcha Galileæ, iam vxorem duxerat fi-
liam Aretæ regis Arabum. Herodias suum habebat maritum, fratrem huius Herodis; siue is fuerit
(quod D. Marcus Euangel. scripsit) Philippus, siue (quod Iosephus existimat) Herodes secundus.
Deinde hæc Herodias erat filia Aristobuli, fratris ipsius Herodis. Sic in eorum nefaria coniunctio-
6 ne adulterium cum incestu videmus. Neque sanè impunitùm fuit hoc malum. Nam, vt omittam
Aretæ regis, illatam filiæ suæ iniuriam vindicantis, factum; hic Herodes accusatus ab Herodiadis
fratre Agrippa, facultatibus omnibus spoliatus, cum sua Herodiade Lugdunum deportatus est;
7 iussu Caligulæ. Sed si quæritur in hac Herodis familia exemplum, ab eo, quod hîc agitur, minus a-
8 lienum; huius Herodis frater Archelaus repudiata, quã habebat, vxore Marianne, duxit Alexan-
dri defuncti fratris sui viduam Glaphyram, Archelai, regis Cappadocum, filiam. Dicitur autem
hæc Glaphyra, paulò ante, quàm Archelaus in exilium missus est, expirasse conterrita tristi quo-
dam somnio, quo ei visus est maritus primus, Alexander, nefarium fratris connubium exprobra-
re. ¶ *Nurum.*] Eandem prohibitionem nominatim continet lex Mosaica, vt mirum sit Iudam,
9 virum principẽ in Israël, eò propudij descendisse, vt cum sua nuru Thamar misceretur. Sed ignoti
non sunt magni lapsus magnorum sanctorumque virorum. Posset fortasßis excusari Iudas, quòd
nesciret esse suam nurum. Sed sciebat saltem non esse suam vxorem.

b L. fratrũ. l. penult. & vlt. C. de incest. nupt.

10 ¶ *Vtraeq; filiæ loco sunt.*] Vnde nec earum filias neptésve fas est habere vxores. Omnino enim
inter affines superioris & inferioris ordinis infinita est prohibitio, vt inter parentes & liberos. Sed
nec vxorem quondam priuigni posse coniungi vitrico, nec nouercam nubere posse ei qui priui-
gnæ maritus fuit, Papinianus respondit [c]; quod singulari iure tributum videtur reuerentiæ, quæ
11 debetur maioribus, & ijs, qui parentum loco sunt. alioqui constat, nullam esse affinitatem inter
coniugẽ & affines alterius coniugis. ¶ *Quod ita accipi debet.*]Hinc vulgo solet colligi; duarũ rationũ
vel causarũ, quæ sunt æquè principales αὐτάρκεις, [idoneæ sibiq; sufficientes,]alteram sufficere, vt
12 si altera desideretur, nihil obsit. Quam regulã probare possemus & alijs quibusdam locis [d]. Sed pe-
riculosæ sunt hæ generales definitiones [e]. Frequenter. n. subuertuntur: nec omnibus suis speciebus
13 conueniunt. ¶ *Si fuit nurus.*] Quæ iam amplius non est post mortem mariti. Nam affinitas dis-
soluitur morte eius, per quem est contracta: quanquam duret semper eius impedimentum: tunc-
14 que propriè vim suam exerit prohibitio, cùm dissoluta iam affinitas impedimento est nuptijs. Sic
& in legatis & fideicommisßis habetur ratio eius affinitatis, quæ quondam fuit, quando scilicet
eius quæ præsens erat, nulla potuit esse vis. Vnde cùm fideicommissum esset relictum familiæ, sta-
15 tuit Iustinianus [f] pertinere etiam ad nurum & generum, deficientibus scilicet propinquis consan-
guineis. Et ideo disertè addit, sese intelligere nurum & generum, qui fuerunt: nec iam amplius
sunt, dissoluto, morte filij filiæve, matrimonio. Quia matrimonio constante admitti non posßit
16 nurus vel gener: cùm præcedat filius filiáve. In alijs forte iuris partibus magis solemus affinitates
accipere præsentes, quàm præteritas [g]. Certè affinitatem dissolui morte eius per quem est contra-
cta, Cicero etiam non obscurè significauit. Loquens enim de C. Albino, cuius filiam duxerat vxo-
17 rem P. Sestius, Ademit Albino (inquit) soceri nomen mors filiæ. ¶ *Eadem duobus nupta esse non po-
test.*] Vt nec vlla mulier creditur id meditari [h]. Certè si qua viuente adhuc suo marito fuerit de a-
18 lio solicita, visa est Iustiniano digna repudio, in Nouella Constitutione 22. Sed tamen honestisßi-
mam hanc legem, quæ damnat plurimum vxorum confusionem, multi populi confuderunt.
19 quorum libidines probauit, & secutus est Mahomet. Scribit Strabo Medicis mulieribus fuis-
se gloriosum, quamplurimos viros habere; pauciores quàm quinque, calamitosum. Medorum
exemplum

c L. vxorem quond. ff. de ritu nupt.

d L. si non lex Aelia. de her. instit. l. si ven tri. §. in bonis. de priui. cred.

e L. omnis definitio. de reg. iur.

f L. vlt. C. de verb. signif.

g L. cui eorum. §. affinitates. de postulan.

h L. si mulier. de iure dotium.

exemplum placuit multis apud alias gentes mulieribus, & fortaſsis placebat Romanis illis ma- 20
tronis, quas adoleſcens ille Papyrius in Senatum Romanum exciuit ingenioſo & faceto com-
mento, cùm diceret in Senatu deliberari, an expediret vnum virum duas habere vxores, aut mu- 21
lierem vnam duos viros. ¶ *Duas vxores.*] Sicuti nec duas ſponſas, nec vxorem vnam, & alteram
ſponſam [a]. Imò nec duas concubinas. Nam quamuis ius ciuile toleret concubinatum, ex eoque 22
ſuſceptæ ſobolis habeat rationem, vt cum matre duas habeat vncias in ſucceſsione patris inteſtati: 23
Iuſtinianus tamen id adimit, ſi quis parens habuerit plures concubinas, vt apparet in Nouell. eius
Conſtit. 18. & 89. additque pro ratione exemplum & collationem nuptiarum, ὥσπερ γὰρ (inquit)
οὔτε νομίμῃ συνοικῶν γυναικὶ, ἄλλας ἐπεισαγαγεῖν δύναιτ᾽ ἂν διαμένοντος τοῦ συνοικεσίου συνεστῶτος. [ſicut enim quis
legitimæ vxori coniunctus alias ſuperinducere non poterit, matrimonio conſiſtente.] Certè olim 24
apud Romanos dicitur aliquando Iulius Cæſar permiſiſſe, vt liberorum quærendorum cauſa, quot
quiſque vellet, vxores duceret. Et Valentinianus Imp. cùm Iuſtinam poſt Seueram matrimonio 25
ſibi copulare vellet, legem tulit ſuæ libidini conuenientem, qua permittebat duas ſimul habere
vxores. Apud Siculos Dionyſius ſenior duas eodem die duxit vxores, Ariſtomacham & Dorida. 26
Apud Athenienſes quoque videtur id paſsim licuiſſe. Nam & Demetrius Antigoni filius duobus 27
ſimul coniugijs potitus eſt. Et Socrates Xantippem habuit ſimul & Mirtonem Ariſtidis filiam.
Habuit vxores duas Euripides poëta, quantumuis alioquin μισογύνης, [à nuptijs abhorrens,] &
qui in ſua Andromache pronunciarat; κακόν γε, δύ᾽ ἄνδρα δισσὰ ἔχειν λέχη. [Graue eſt, vnum virum duo
ſiue gemina habere coniugia.] Nos retineamus rationem & honeſtatem legis naturalis, quæ iu-
bet duos tantùm copulari. Scio apud Iudæos non fuiſſe à Moſe latam legem, quæ plures vxores
prohiberet: & allegari exemplum Lamech ex ſtirpe Cainica, qui duas ſimul vxores primus ha- 28
buit. Sed quod D. Paulus Eccleſiarum miniſtris præcepit, vt ſint vnius vxoris viri, iudicat Chryſo-
ſtomus ad omnes Chriſtianos pertinere. Nam ijs Pauli verbis damnari credit illam ἀμετρίαν, [im-
modeſtiam ſiue nimietatem,] à Iudæis receptam; & prohiberi, vt eius verbis vtar, δύο ἔχειν κατὰ ταὐ-
τὸν γυναῖκας. [duas accipere eodem tempore vxores.] ¶ *Eodem tempore.*] Poſt amiſſam verò coniu-
gem, matrimonium repetere liberum ſemper fuit, quotieſcunque tandem placuit. Semper enim 29
videtur vir vnius vxoris, & vxor vnius viri. Hieronymus ſcribens ad Geruntiam teſtatur, ſeſe Ro-
mæ vidiſſe, recenti matrimonio copulatos duos ex plebe, quorum alter iam viginti ſepeliuerat v- 30
xores, altera viceſimum ſecundum habebat eum maritum. adeò rectè conuenerant polygami. Et
nota eſt illa Targelia Mileſia, quam Athenæus libro 13. ſcribit quatuordecim virorum nuptias ex- 31
pertam eſſe. Sanè apud Romanos non niſi octo ad ſummum maritos honeſtè mulierem habere
potuiſſe accepimus. Martialis libro 6.

Et nubit decimo iam Thelesina viro. Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege eſt. 32

Porrò de ſuperſtitione eorum, qui abhorruerunt à ſecundis nuptijs, quanquam multi in veteri
quoque Eccleſia viri magni in eo errore fuerint, alio loco multa dici poſſent.

¶ *Non licet.*] Et qui id tentarit, ex edicto Prætoris notatur infamia [b]. reſcriptumque eſt, ne iu- 34
dices hoc crimen relinquant inultum [c]. neque enim leuius eſt adulterio. Ex duabus autem vxori-
bus abijcienda eſt poſterior, quæ non niſi pellicis locum tenere poteſt. Olim tamen apud Roma-
nos cùm liberum eſſet vxorem repudiare, & alteram accipere, plus ferè tribuebatur ſecundæ po-
ſterioriq; vxori, quaſi eius coniunctio eſſet prioris repudiatio. Hinc illa controuerſia apud Cicero- 35
nem in libris de Oratore: Paterfam. qui ex Hiſpania Romam venerat, cùm vxorem prægnantem
in prouincia reliquiſſet, Romæque alteram duxiſſet, neque nuncium priori remiſiſſet, mortuus eſt
inteſtatus relicto ex vtraque filio. Quæſitum fuit de puero, qui ex poſteriore natus erat, deque
eius matre: quæ (ſi iudicaretur certis quibuſdam verbis, non nouis nuptijs, fieri cum ſuperiori di-
uortium) in concubinæ locum duceretur. Contrà, ſi ad repudium prioris, ſufficeret poſterius cum
altera matrimonium, hæc vera ſolaque vxor eſſet.

a L. ea quæ tibi. C. de donat. ante nupt.

b L. 1. §. vlt. l. quid ergo. §. 2. de ijs qui not. infa.

c L. eum qui duas. C. ad le. Iul. de adulter.

§. *Socrum quoq;.*

1 Lex Moſis cum lege ciuili de nuptijs propinquarum conuenit.
2 Ruben inceſtus coitus cum nouerca, in qualem inceſtum inuehitur Paulus ad Corinthios.
3 Hippolytus maluit vitam, quam cum Phædra nouerca pudorem perdere.
4 Iulia inceſta nuptia cũ priuigno Antonino Caracalla.
5 Seleucus Antiocho filio cõcedit Stratonicem nouercã.
6 Adrianus quomodo patrem, qui filium ob inceſtum cum nouerca necaſſet, deportandum iuſſerit.
7 Patris tui nec concubinam nec ſponſam potes ducere vxorem.
8 Nouercarum appellatione, aui quoq; & proaui cæterorumq; vxores intelliguntur.

Socrum quoque, & nouercam prohibitum eſt vxorem ducere, quia matris loco ſunt. Quod & ipſum diſſoluta demum affinitate procedit. alioquin ſi adhuc nouerca eſt, id eſt, ſi adhuc patri tuo nupta eſt: communi iure impeditur tibi nubere, quia eadem duobus nupta eſſe non poteſt. Item ſi adhuc ſocrus eſt, id eſt, ſi adhuc filia eius tibi nupta eſt, ideo impediuntur tibi nuptiæ, quia duas vxores habere non potes.

¶ *Et nouercam.*] Eandem prohibitionem diſertè continet lex Moſaica, & addit pœnam vl- 1
timi ſupplicij. Ipſaque certè naturalis honeſtas idem dictat. Vt non potuerit non eſſe turpis in-
ceſtus

2 cestus Ruben filij Iacob, qui rem habuit cum sua nouerca. Certè cùm D. Paulus audiuisset inter
Corinthios esse quendam, qui se miscuerat suæ nouercæ, exhorruit tantum scelus, quod nec inter
gentes audiri scribit; & grauiter increpat Corinthios, qui statim non abegerint ab ecclesiæ consor-
3 tio tale hominis monstrũ. Inuentus est inter Ethnicos vnus Hippolytus, qui maluerit vitam per-
dere, quàm pudorem cum sua nouerca Phædra. Sed inuenies etiam exempla, in quibus hanc con-
4 tinentiam desideres. Nota est Iulia, quę priuignum suum Antoninum Caracallam ad incestas suas
nuptias solicitauit & impulit. Et notatur illa nimis soluta Regis Seleuci indulgentia erga filium
5 suum Antiochum, cui cessit vxorem suam Stratonicem, quam ille deperibat insano nouercæ per-
6 culsus amore. Sanè Adrianus Imp. iussit in insulam deportari quendam parentem, quòd necasset
filium, qui cum nouerca sua rem habuerat [a]. Non sanè quòd is Princeps excusare vellet tam nefa- *a L. Diuus. D. ad le.*
rium & turpem filij incestum: sed quia pater eum insidiosè necasset in venatione, latronis magis *Pul. de parricid.*
7 quàm patris iure. Porrò autem adeò ius ciuile damnauit omnem cum nouerca coniunctionem,
vt nec eam, quæ patris fuit concubina, vxorem ducere permittat [b]. Illud postremò addendum est, *b L. 4. C. de nupt.*
ne patris quidem sponsam quamuis propriè non sit nouerca [c], posse nos vxorem ducere. Sicut per *c L. si qua mihi. §. 1.*
contrarium non potest patri meo nubere, quæ aliquando sponsa mea fuit. ¶ *Matrum loco sunt.*] Hoc *de ritu nupt.*
est, locus, quem obtinent, dictat maternam reuerentiam ijs tribui debere. Quare etiam diximus,
8 inter affines inferioris & superioris ordinis perpetuam esse prohibitionem. Itaque appellatione
nouercarum hic intelligere possumus omnes non patris modò, sed & aui & proaui & reliquorum
parentum vxores. Idemque iudicare de socru & nuru, aut priuigna [d]. *d L. adoptiuus. §. nunc videamus. de ritu nupt.*

§. *Mariti tamen filius.*

1 Inter priuignos contrahi nuptiæ possunt.
2 Affinitas vltra personas iunctas non extenditur.
3 Matrimonij inter priuignos contracti exemplum.

Mariti tamen filius ex alia vxore, & vxoris filia ex alio marito, vel contrà, matrimonium rectè contrahunt: licet habeant fratrem, sororémve ex matrimonio postea contracto natos.

¶ *Mariti tamen filius.*] Breuius Papinianus [e], Inter priuignos (inquit) contrahi nuptiæ possunt, *e L. generali. §. inter. de ritu nupt.*
1 & si fratrem communem ex nouo parentum matrimonio susceptum habeant. ¶ *Rectè contra-*
hunt.] Nam propter viri & vxoris nuptias, cognati viri, cognatis vxoris, vel contrà, nullo vinculo
2 affinitatis coniunguntur. Nam affinitas tantum contrahitur inter alterum coniugem & alterius
3 consanguineos. matrimonij contracti inter mariti filiam & filium vxoris, extat exemplũ in quo-
dam responso nostri Pauli [f]. *f L. Titia quæ. de ver. oblig.*

§. *Si vxor tua.*

1 Diuortia veterum Romanorum quomodo probare videatur Iustinianus.
2 Repudij libelli formula apud Iudæos.
3 Diuortium solam dirimere tori consuetudinem, non matrimonij vinculum, decernunt Hieronymum, Augustinum, Pontifices Rom. contra Origenem, Tertullianum, Ambrosium, Lactantium.
4 Sponsæ meæ matrem non possum ducere vxorem.
5 Soceri & Socrus appellatione continentur & pater & mater sponsi sponsæve.
6 Sponsalibus non propriè contrahitur affinitas nec sponsa propriè vxor est.
7 Sponsalia non continentur appellatione Nuptiarum.
8 Nuptiarũ prohibitarũ tẽpus an pertineat ad spõsalia.
9 In fauorabilibus Iuris articulis appellatione vxoris, intelligitur & sponsa, & mariti vocabulo sponsus.
10 Sponsa nuncium mittens sine causa, apud Romanos multabatur pecunia.
11 Sponsalia verbis Futuri temporis concepta, non obligant, secundum Ius Canonicum.

Si vxor tua post diuortium ex alio filiam procreauerit: hæc non est quidem priuignà tua: sed Iulianus ab huiusmodi nuptijs abstineri debere ait. nam constat nec sponsam filij nurum esse: nec patris sponsam, nouercam esse: rectius tamen, & iure facturos eos, qui ab huiusmodi nuptijs abstinuerint.

¶ *Si vxor tua post diuortium.*] Hic locus desumptus est ex responso Vlpiani, cuius verba sunt [g] *g L. si qua mihi. §. si vxor. de ritu nupt.*
hæc: Si vxor mea post diuortium alij nupserit, & filiam susceperit, putat Iulianus, hanc quidem
1 priuignam non esse, veruntamen nuptijs eius abstinendum. Quem locum dum hic Iustinianus
probat, videtur probare veterũ diuortia, quæ totum matrimonij nexum penitus dissoluebant, &
libertatem noui matrimonij contrahendi tribuebant, sicuti constat veteres Romanos diuortijs
2 vsos esse, atque adeò Iudæos ex lege Mosaica. Nam & apud eos ipse repudij libellus (cuius adhuc
formula extat in Iurisprudentia Hebræorum) idipsum disertè & nominatim continebat. Sed an
Christus id mutarit, diu quæsitũ est. Negant certè Origenes, Tertullianus, Ambrosius, & Lactan-
tius, multique alij. quos qui sequuntur, locum Matthæi capit. 19. ita accipiunt, vt, cùm ibi Christus
affirmat, mœchari ei qui repudiatã ducit, repetatur superior exceptio fornicationis. Nam & frus-
trà id dici videretur de mulieribus adulteris, quarum apud Iudæos capitalis erat pœna. Sed tamen
aliter

aliter visum est Hieronymo, qui post diuortium quantumuis iustum, nullas admisit alias nuptias:
& Augustino, qui duobus contra Pollentium libris negat ius esse diuortio facto alteras contrahe-
re nuptias ante mortem alterius coniugis: quasi diuortium, quantumlibet iustum, solam dirimat 3
tori consuetudinem, non etiam ipsius matrimonij vinculum. quod & Pontificibus Rom placuit.
¶ *Nam constat nec sponsam.*] Desumptus est hic locus ex eodem responso Vlpiani, qui ait [a], Inter
me & sponsam patris mei nuptiæ non possunt contrahi: quanquam nouerca mea non propriè di-
catur. Addit deinde Paulus [b]: Item eius matrem, quam sponsam habui, non posse me vxorem du-
cere Augustus interpretatus est. Fuisse quippe eam socrum meam. Certè & in lege Pompeia de 4
parricidis respondit Martianus [c], patrem & matrem sponsi sponsæve, contineri appellatione soce-
rorum Sed tamen constat per sponsalia propriè non contrahi affinitatem: & sponsam non esse ve- 5
ram vxorē. Vnde nec appellatio nuptiarū propriè continet sponsalia [d]: nec tempus prohibitarum 6
nuptiarū pertinet ad sponsalia [e]. Vbi tamen omnino nuptiæ prohiberentur: & sponsalia, quæ eas 7
antecedunt, intelligerentur prohibita. Nec possumus negare in plurimis iuris articulis, præsertim 8
ijs qui sunt fauorabiles, appellatione vxoris intelligi quoq; sponsam, & appellatione mariti spon- 9
sum [f]. Illud postremo semel dicendum est: Romanos veteres de sponsalibus leuius iudicasse, quasi
simplices essent & leues futurarū nuptiarum repromissiones [g], quæ liberè possent [h] dissolui & in-
fringi. quanquā iudicio ex sponso multarent aliqua pecunia eum, qui sine causa sponsæ nuncium 10
misisset. Romani verò Pontifices de sponsalibus ita iudicarunt, vt, si concepta fuerint verbis futuri 11
temporis, non obsint, quin alias contrahamus nuptias.

a L. si qua mihi. §. inter. de ritu. nupt.
b L. adoptiuus. §. vlt. de ritu nupt.
c L. 4. D. ad leg. Pōp. de parricid.
d L. oratio. D. sponsa lib.
e L. solet. §. 1. De his qui not. infa.
f L. si sponsa de in. dot. l. lex Iulia. de fun do dot. l. item apud. §. sponsum de iniur. l. si vxor. §. diuus. & §. si minor. D. ad leg. Iul. de adult. l. assiduu. §. 1. C. qui pot. in pig. l. 2. §. si sponsa. de pri. cred.
g L. 1. de sponsalib.
h L. si puellæ. l. in potestate. de sponsalib.

§. *Illud certum est.*

1 In matrimonijs contrahendis pudor naturalis inspiciendus est.
2 Sanguinis iura nec pacto nec legibus abolentur.

Illud certum est, seruiles quoque cognitiones impedimento nuptijs esse: si fortè pater & filia; aut frater & soror manumissi fuerint.

¶ *Illud certum est.*] Videtur hic locus desumptus ex responso Pauli, qui ait [i]: Seruiles quoque
cognationes in hoc iure obseruandæ sunt. Igitur suam matrem manumissus non ducet vxorem.
tantundem iuris est in sorore & sororis filia. Idem è contrario dicendum est, vt pater filiam non
possit ducere, si ex seruitute manumissi sunt. & dubitetur patrem eum esse Vnde nec vulgo quæsi-
tam filiam pater naturalis potest vxorem ducere: quoniam in contrahendis matrimonijs natura-
le ius & pudor inspiciendus est. Contra pudorem est autem, filiam suam vxorem ducere. ¶ *Ser-* 1
uiles cognationes.] Hoc est, in seruitute contractas. quarum certè seruus capax est. Nam licet quod ad
ius ciuile attinet [k] nihili sit: Iura tamen sanguinis retinet, quæ nec pacto. nec iure ciuili dirimi pos- 2
sunt aut aboleri. ¶ *Cognationes.*] Addit Paulus [l], idem statuendum esse & de seruilibus affinitati-
bus, veluti (inquit) vt eam, quæ in contubernio patris fuerit, quasi nouercam, non possim vxorem
ducere; & contrà, eam, quæ in contubernio filij fuerit, patrem, quasi nurum, non ducere: æquè nec
matrem eius, quam quis in seruitute habuit vxorem, quasi socrum. ¶ *Manumissi fuerint.*] Constan-
te verò seruitute, alia quoque ratione prohiberentur nuptiæ, nempe propter seruitutem. nam ser-
uorum non est matrimonium, sed contubernium.

i L. adoptiuus. §. 1. de ritu. nupt.
k L. quod attinet. de reg. iur.
l dict. l. adoptiuus. §. idem tamen.

§. *Sunt & aliæ personæ.*

1 Nuptiæ inter pupillam & tutorem, vel curatorem eorumq́; filios, cur prohibitæ.
2 Tutela curaq́, vt impedit matrimonium, ita matrimonium prius contractum impedit curam.

Sunt & aliæ personæ, quæ propter diuersas rationes nuptias contrahere prohibentur, quas in libris Digestorum seu Pandectarum ex vetere iure collectarum enumerari permisimus.

¶ *Sunt & aliæ personæ.*] Veluti Senatoriæ, quæ cum libertinis coniungi non poterant [m]. quan-
quam hanc prohibitionem sustulit Iustinianus Nou. Constit. 87. Sed & prohibentur nuptiæ inter 1
pupillam eiusque tutorem, vel curatorem eorúmve filios [n], ne videlicet ea ratione interuerteretur
redditio rationum. Vnde quemadmodum tutela vel cura impedit matrimonium, ita matrimo- 2
nium prius contractum impedit Curam. Neque enim maritus potest esse curator suæ vxoris [o].

m L. lege Iul. de ritu nupt.
n L. 1. C. de interd. ma. inter pup. & tut. l. Senatusconsulto. de ritu nupt.
o §. pen. inst. de excus. tut.

§. *Si aduersus ea.*

1 Iustus error Iuris ciuilis excusat.
2 Iuris naturalis nulla esse potest ignorantia iusta.
3 Nuptiæ sine dote esse possunt, non dos sine nuptijs.
4 Pater & filius naturalia sunt nomina.
5 Nothi siue naturales filij, quoad patriam potestatem, sunt similes spurijs, in cæteris non item.
6 Spurij matri suæ (nisi sit mulier illustris) habentur pro legitimis.

7 Diogenis

7 *Diogenis scomma in spurium iacientem lapillos in populum.*
8 *Pater is creditur quem nuptiæ demonstrant.*
9 *Spurij vnde dicantur.*
10 *Diuersa lectio vulgaris ab Haloandrina.*
11 *SP. id est, sine patre, quomodo transierit in Spurium.*
12 *Legitimus quoque spurius quando dicatur.*
13 *Soluto illegitimo matrimonio non est locus exactioni dotis aut donationis, sed fisco applicantur.*
14 *Non potest alter coniugum, à quo dos siue donatio exigitur, ius fisci obijcere.*
15 *Turpitudinem suam allegans non est audiendus.*
16 *De incestis coniunctionibus sacræ Constitutiones quæ?*

Si aduersus ea quæ diximus, aliqui coierint: nec vir, nec vxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur. Itaq; ij qui ex eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt: sed tales sunt (quantum ad patriam potestatem pertinet) quales sunt ij, quos mater vulgo concepit. nam nec hi patrem habere intelliguntur, cùm & his pater incertus sit; vnde solent spurij appellari, παρὰ τὴν σποράν, & ἀπάτορας, quasi sine patre filij. Sequitur ergo vt dissoluto tali coitu, nec dotis, nec donationis exactioni locus sit. Qui autem prohibitas nuptias contrahunt, & alias pœnas patiuntur, quæ sacris constitutionibus continentur.

1 ¶ *Aliqui coierint.*]Mala fide. Nam iustus parentum error posset tueri statum [a], saltem si plures *a L. qui in prouincia. §. 1. de ritu nupt.*
sint filij: simul & parentes ipsos excusare, ne quam pœnam luant; saltem vbi statim errore detecto,
illicitam coniunctionem diremerunt [b]. Iustum autem errorem facti dicimus, & in dubio eum (vt *b L. qui contra. C. de incest. nupt.*
ita loquar) præsumimus, præsertim si palam contractum fuerit matrimonium [c], quasi nulla fuerit *c L. vlt. de ritu nupt.*
prohibitionis conscientia, quæ latebras quæsisset Sed & errorem iuris ciuilis hîc toleramus in muliere. naturalis verò iuris nullo modo: nam cùm sit omnium animis diuinitus id impressum, nulla
2 eius esse potest iusta ignorantia [d]. Rectè ergo Papinianus [e], Mulier (inquit) tum demum eam pœ- *d L. 2. de in ius voc.*
nam, quam mares, sustinebit, cùm incestum iure gentium prohibitum admiserit. Nam si sola iuris *e L. si adulterium cum incestu. §. 1. D. ad leg. Iul. de adulter.*
nostri obseruatio interueniat, mulier ab incesti crimine erit excusata. ¶ *Nec dos.*] Nam nec ea si-
ne iustis nuptijs esse potest [f]. quanquam sine dote esse possint nuptiæ. *f L. 3. de iure dot.*
3 ¶ *In potestate patris non sunt.*]Sicuti nec in familia. Sed tamen cùm hæc nomina, pater & filius,
4 naturalia [g] sint: nullumque faciat natura discrimen inter spurios & legitimos: vbi agetur de reue- *g L. tutelas. de capi. dimi.*
rentia aut affectu naturali, comprehenduntur hi filij naturales, æquè ac legitimi [h]. Hîc verò ob er- *h L. 3 de liber. caus. l. parêtes. de in ius voc.*
uemus Iustinianum post suam de nuptijs digressionem, redire ad tractatum patriæ potestatis.
5 ¶ *Quantum ad patriam potestatem.*] Nam quantum ad alia multa pertinet, filij nothi siue naturales, veluti ex concubina suscepti, non sunt similes spurijs. Nam & deficientibus saltem iustis filijs, sextantem hæreditatis paternæ cum matre capiunt. De concubinis plura diximus in nostro
6 Constantino. ¶ *Quales sunt hi.*] Respectu ipsius patris, quem non habere videntur. Cæterùm ipsi
matri, nisi sit ea illustris mulier [i], pro legitimis habentur, & cum legitimis succedunt [k]: inofficio- *i L. si qua illustris. C. ad Sen. Orph*
sumque matris testamentum dicere possunt [l]. ¶ *Nam nec hi patrem.*]Quem videlicet demonstra-
re nõ possunt, aut saltem honestè non possunt [m]. Apud Synesium est, ἄνθρωπος οὐκ ἔχων εἰπεῖν ὄνομα *k §. nouissimè inst. de Sen. Orph.*
7 πατρός. [homo non habens dicere nomen patris.] olim Diogenes videns spuriũ puerũ ex meretrice *l L. si suspectum. §. de inofficioso. de inoff. testa.*
natum iacientem lapillos in populũ, exclamauit; Caue patrem ferias. ¶ *Cùm & his pater incertus sit.*]
Dicitur quidẽ sola ex parentibus mater semper certa [n], cum patris sit incerta demonstratio, & diffi-
cilior probatio [o], vt etiam ait Telemachus apud Homerum lib. 1. Odyss. & Aristeus apud Maronem *m L. vulgo. de statu homi.*
lib. 4. Georg. Sed tamen iure ciuili creditur certum habere vtrumq; parentem, qui ex viro & vxore
8 simul habitantibus natus est vicinis scientibus [p]. Pater enim is habetur, quẽ nuptiæ demonstrant, *n L. quia semper. de in ius voc. as.*
9 quod & supra dictum est. ¶ *Spurij παρὰ τὴν σποράν.*]Hæc est etymologia Modestini [a]. Græci autem *o L. Lucius. de cond. & demonst.*
propriè vocant σποράν, sationem: vt dicantur spurij, quasi sparsim & promiscuè suscepti, & ex incer-
to confusoque multorum semine. Quidam hîc legunt, σποράδην. Et sanè vtranque etymologiam *p L. filium. de his qui sui sunt vel alie. iur. l. si vicinis. C. de nupt.*
10 apertius indicat vulgaris huius loci lectio, quæ habet; Vnde solent filij spurij appellari, vel à Græca
voce σποράδην, quasi vulgo concepti. Vel SP. id est, quasi sine patre filij. Atque ita legisse videtur *a dict. l. vulgo. de statu homi.*
Theophilus. sed Haloander aliam lectionem secutus est. ¶ *Quasi sine patre.*] Hîc indicatur altera
etymologia spuriorum, quam & Plutarchus in problematibus tradit, sentiens hinc potius, quàm
à Græcis, petendam Romanæ vocis originem. Scribit autem olim apud Romanos Spurium fuisse
prænomen vulgare, vt erat Sextus. Cùm autem Romani integra nomina non scriberent, sed prioribus tantùm literis indicarent, velut Sex. Cn. Sp. & eos qui vulgo erant concepti, etiam significa-
11 rent duabus literis, S P. quasi sine patre; errore factum esse, vt temerè confusis notis & nominibus
spurij dicti sint, sine patre filij. Addit Plutarchus & aliam rationem, sed quam fatetur esse absurdam, vt est etiam obscœna. λέγεται δὲ (inquit) καὶ τις ἕτερος λόγος, ἔστι δὲ ἀτοπώτερος. Τοὺς γὰρ Σαβίνους
φασὶ τὸ τῆς γυναικὸς αἰδοῖον ὀνομάζειν σπόριον, εἶτα οἷον ἐφυβρίζοντας οὕτω προσαγορεύειν τὸν ἐκ γυναικὸς ἀγάμου
12 καὶ ἀνεγγύου γεγενημένον. Illud prætereundum non est, in quodam Marcelli responso [b], Spurium dici *b L. Diuus de capti. & postli. reuer.*
eum etiam, qui est ex matrimonio susceptus, nempe cùm vxor ab hostibus capta cum marito, in
seruitute est enixa; deinde sola cum filio libera reuertitur, relicto apud hostes marito.

¶ *Sequitur ergò.*] Tullius in Topicis, dum argumentatur à consequentibus, Si mulier (inquit) cùm fuisset nupta cum eo, cui connubij ius non esset, nuncium remisit; quoniam qui nati sunt, patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet. sensit fortasis Cicero dotem matri restituendam, cùm matrem sequuntur liberi. Sed cùm hîc doceat Iustinianus exactioni dotis non esse locum: sequitur eam fisco applicari. Sicque apertè statuit Iustinianus in sua Nouella 12. excepit ta-

men causam legitimorum ex alia coniunctione liberorum, quibus iniquum iudicauit adimere 13
omnia bona parentis. Paulus [a] ait; Incestas nuptias dotem non habere: ideoque omne, quod per-
ceptum est, etiam fructuum nomine, auferri. Valentinianus, Theodosius, & Arcadius perspicuè
sanxerunt fisco vindicari [b]. Nec est obscutum Vlpiani responsum [c]: Si quis eam, quam sibi copula-
re prohibetur, desponsauit & duxit, ea quæ donata sunt, quasi ab indignis ablata, fisco vindican-
tur. Est autem obseruandum quòd disertè ait; Desponsauit & duxit, vt intelligamus agi de con-
summata coniunctone. alioqui dos à muliere data cõdici posset. Sic enim respondit Papinianus [d]
de quadam puella, quæ auunculo nuprura, pecuniam in dotem dederat, vt si non nupserit, ean-
dem posit repetere. Sed & post nuprias omnino contractas, dabitur iusto errori venia, si modò
statim errore detecto dirimatur iniusta coniunctio [e], quod etiam suprà diximus. Illud postremò 14
hic sciendum est; Exactioni dotis vel donationis propter nuptias, non posse alterum coniugem,
qui eo nomine conuenitur ab altero, ius fisci obijcere [f]. Nam & niteretur iure alieno, & turpitudi- 15
nem suam proponeret. ¶ *Quæ sacris constitutionibus.*] Extant ex in titulo Codicis de incestis nu- 16
ptijs. Extat & alia Iustiniani Nou. Constit. 12. *περὶ ἀθεμιτογάμων*. Et in Pandect. extat Papiniani ele-
gans responsum de pœna incestarum coniunctionum [g], & quando ijs venia detur.

a L. incesta. de ritu nupt.
b L. qui contra. C. de incest. nupt.
c L. cum hic status. §. ult. de dona. inter virum & vxorem.
d L. ult. de condict. sine caus.
e L. qui contra. C. de incest. nupt. l. si adulterium cum incest. ad l. Iul. de adulter.
f L. hinc consequenter. D. fami. ercisc.
g dict. l. adulterium cum incestu. § 1.

§. *Aliquando autem euenit.*

1 *Legitimationum modi quatuor.*
2 *Decuriones vnde dicti.*
3 *Legitimandorum naturalium per curiæ oblationem occasio.*
4 *Matrimonium cum ea, cum qua commisit adulterium, inire potest.*
5 *Naturales filij fiunt & manent legitimi compositis dotalibus instrumentis, etiam si nulli posteà nascantur liberi.*

Aliquando autem euenit, vt liberi, qui statim vt nati sunt, in potestate parentum non sunt, postea redigantur in potestatem patris: qualis est is, qui dum naturalis fuerat, postcà curiæ datus, potestati patris subijcitur: nec non is, qui à muliere libera procreatus, cuius matrimonium minimè legibus interdictũ fuerat, sed ad quam pater consuetudinem habuerat, posteà ex nostra constitutione dotalibus instrumentis compositis, in potestate patris efficitur. Quod & alijs liberis, qui ex eodem matrimonio postea fuerint procreati, similiter nostra constitutio præbuit.

¶ *Aliquando autem.*] Iustinianus hic proponit duos modos *τῆς γνησιότητος*, [ingenuitaris] qui-
bus filius naturalis tantùm fit quoque legitimus, & subijcitur patriæ potestati. Eosdem repetit &
alio postea loco in hisce institutionibus [h]: vnde repeti poterunt, quæ hic desiderabuntur. Ean- 1
dem rem latè tractat in Nou. Constit. 89. explicans has, vt ita loquar, legitimationes, *διὰ τῆς εἰς βου-
λὴν ἐπιδόσεως, καὶ διὰ τῆς προικῴων συμβολαίων ποιήσεως*, [per oblationẽ in Curiam, & per dotalium pa-
ctorũ confectionem,] addit & tertiam rationem *διὰ βασιλικῆς ἀντιγραφῆς*, [per Principis rescriptum]
cuius hic non meminit: cum tamen & vetus & frequens sit illius vsus. Refert enim Martianus [i],
Marcum & Lucium Imperatores, rescripto suo confirmasse statum quorundam filiorum, qui ex
matrimonio parum legitimo erant suscepti. Est præterea & alia quædam quarta, & omnium qui-
dem expeditissima ratio, quam Iustin. in Nouel. Constitut. 117. introduxit, nempe cùm pater spu-
rium dignatur filij nomine. Nam inde conijcere possumus non omninò semper habuisse eius
matrem pro concubina. Sed ea de re nos paulo pòst rursus agemus [k].

h § quibus inf. de her. quæ ab intest. defer.
i L. qui in prouincia. §. diuus. de ritu nupt.
k §. ult. inf. de adop.

¶ *Posteà redigantur.*] Adeò, vt etiam ab initio semper in potestate fuisse videantur, perinde
atque si in ea nati essent [l]. Sed tamen non erit temerè id trahendum in fraudem alterius. ¶ *Cu-
riæ datus.*] Olim cum aliquod oppidum incolis esset destitutum, Triumuiri colonias eò deduce-
bant, & decimum quemque consilio siue curiæ ascribebant: vnde dictos esse Decuriones scribit
Pomponius [m]. Fuitque is vetus legendorum primò Curialium mos. Sed cum deinde multi fuge- 2
rent Curialia munera, & collaberentur curiæ hominum penuria, Theodosius statuit [n], naturales
liberos, curijs ciuitatum deditos, fieri legitimos, vt hoc præmio plures allicerentur ad Remp. Sic 3
enim propter aliorum penuriam necesse fuit spurios recipere; quod fieri rectè posse grauiter olim
responderat Vlpianus [o]. Hanc Theodosij constitutionem probauit Iustinianus, & addidit multa,
quæ eò pertinebant, vt apparet ex Nouella eius Constit. 89.

l L. liberum. l. ult. §. ult. de natal. restit.
m L. pupillus. §. decuriones. de ver. sig.
n L. sin. l. quoniam. C. de natu. libe.
o L. generaliter. §. spurios. de decur.

¶ *Cuius matrimonium.*] Eo ipso tempore, quo rem cum ea habuit. Nam ex adulterio susceptus
non posset hac ratione fieri legitimus: quia nec secuto postea matrimonio commissum adulteri-
um purgatur, aut eius velamento extinguitur [p]. Imò nec tale matrimonium iure consistere olim 4
putauit Papinianus [a].
¶ *Nostra Constitutione.*] Extant in Codice duæ Iustiniani Constitutiones, quæ huc pertinere
videntur [b]. ¶ *Quod & alijs liberis.*] Id parum habuit olim controuersiæ. Illud verò memorabilius
est, quod Iustiniani constitutio addidit, hæc obtinere, & si non progeniti fuerint alij post dotalia 5
instrumenta liberi. Id quod etiã Iustinianus alio posteà in hisce Institutionibus loco disertè com-
memorat, agens de filijs, qui parenti intestato succedunt. Quo etiam loco nos plura dicemus, de
ratione, qua filij fiunt legitimi. Nunc quod instat agamus.

p L. commissum. C. ad le. Iul. de adulter.
a L. Claudius. de ijs quæ vt indig.
b L. cum quis. l. nuper. C. de natur. liber.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Adoptio quid?
2 Adoptionis vsus vetustissimus.
3 Adoptio Græcis est θέσις, ἐκποίησις, & ποίησις.
4 Adoptionis species noua Platonica.

*POST expositionem eius patriæ potestatis, quæ ex iustis oritur nuptijs, transit Iusti-
nianus ad alteram speciem, quæ ex iure ciuili proficiscitur, nempe ex adoptione. Sed
indicat, eam tantùm propriè tribuere ius patriæ potestatis, quæ fit à consanguineo;
vel cùm adoptatur quis sui iuris. Addit autem vtriusque ritum, & leges alias. Gel-
1 lius libro quinto capite decimonono, docet adoptionem esse genus transitus seu commi-
grationis in alienam familiam, & explicat veterem conditionem eius, itemque arrogationis. Esse au-
2 tem vetustissimum huius rei vsum constat, cùm Moses dicatur adoptatus à filia Pharaonis, & The-
seus ab Aegeo: vnde & nomen sortitus est. Græci enim θέσιν appellant adoptionem. Sic & Plutar-
chus scribit ipsum Aegeum fuisse Pandionis θετόν, hoc est, filium adoptiuum. Isocrates adoptionem
3 appellat ἐκποίησιν: Demosthenes autem ποίησιν. qui etiam eleganter grauiterque pronunciat de vi &
iure ipsius. Sic enim in oratione πρὸς Λεώχαρην δεῖ κλήρου ait, ὁμολογοῦμεν ἐναντίον ὑμῶν, δεῖν τὰς ποιήσεις
κυρίας εἶναι ὅσαι ἂν κατὰ τοὺς νόμους δικαίως γίνωνται. [disertè coram vobis affirmamus, oportere adoptio-
nes ratas esse, quæ quidem secundum leges iustè fiunt.] Plura eo loco Demosthenes de iure adoptionis,
4 & Cicero in Oratione pro domo sua ad Pontifices. Plato autem lib. 9. τῶν νόμων, commentus videtur
nouam quandam necessariæ adoptionis speciem, faciens in sua Rep. vt si quis plures liberos masculos
habuerit, vnum sibi retineat, reliquos tradat ijs ciuibus, qui nullos habent.*

De adoptionibus, Tit. XI.

NON solùm autem naturales liberi, secundum ea quæ diximus, in potestate nostra sunt: verùm etiam ij, quos adoptamus.

Adoptio autem duobus modis fit: aut Principali rescripto, aut imperio Magistratus. Imperatoris authoritate adoptare quis potest eos easve, qui quæve sui iuri sunt: quæ species adoptionis dicitur adrogatio. Imperio Magistratus adoptamus eos easve, qui quæve in potestate parentum sunt: siue primum gradum liberorum obtineat, qualis est filius, filia: siue inferiorem, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis.

Sed hodie ex nostra constitutione, cùm filiusfamilias à patre naturali extraneæ personæ in adoptionem datur, iura patris naturalis minimè dissoluuntur: nec quicquam ad patrem adoptiuum transit, nec in potestate eius est: licet ab intestato iura successionis ei à nobis tributa sint. Si verò pater naturalis non extraneo, sed auo filij sui materno, vel si ipse pater naturalis fuerit emancipatus, etiam auo vel proauo simili modo paterno vel materno, filium suum dederit in adoptionem: in hoc casu, quia concurrunt in vnam personam & naturalia, & adoptionis iura: manet stabile ius patris adoptiui, & naturali vinculo copulatum, & legitimo adoptionis modo constitutum: vt & in familia & in potestate huiusmodi patris adoptiui sit.

Cùm autem impubes per Principale rescriptum adrogatur, causa cognita adrogatio fieri permittitur: & exquiritur causa adrogationis, an honesta sit, expediatque pupillo. Et cum quibusdam conditionibus adrogatio fit, id est, vt caueat adrogator personæ publicæ, si intra pubertatem pupillus decesserit, restiturum se bona illis, qui, si adoptio facta non esset, ad successionem eius venturi essent. Item non aliter emancipare eum potest adrogator, nisi causa cognita dignus emancipatione fuerit: & tunc sua bona ei reddat. Sed & si decedens pater eum exhæredauerit, vel viuus sine iusta causa emancipauerit: iubetur quartam partem ei bonorum suorum relinquere, videlicet præter bona, quæ ad patrem adoptiuum transtulit, & quorum commodum ei postea adquisiuit.

Minorem natu, maiorem non posse adoptare placet. adoptio enim naturam imitatur: & pro monstro est, vt maior sit filius, quàm pater. Debet itaque is, qui sibi filium per adoptionem vel adrogationem facit, plena pubertate, id est, decem & octo annis præcedere. Licet autem & in locum nepotis, pronepotis vel proneptis, vel deinceps adoptare,

quamuis filium quis non habeat. Et tam filium alienum quis in locum nepotis adoptare potest, quàm nepotem in locum filij.

Sed si quis nepotis loco adoptet, vel quasi ex filio, quem habet iam adoptatum, vel quasi ex illo, quem naturalem in sua potestate habet, eo casu & filius consentire debet, ne ei inuito suus hæres adnascatur: sed ex contrario, si auus ex filio nepotem det in adoptionem, non est necesse filium consentire.

In plurimis autem causis adsimilatur is, qui adoptatus vel adrogatus est, ei, qui ex legitimo matrimonio natus est. & ideò si quis per Imperatorem, vel apud Prætorem, vel Præsidem prouinciæ non extraneũ adoptauerit, potest eundem in adoptionem alij dare.

Sed & illud vtriusque adoptionis commune est, quòd & ij, qui generare non possunt (quales sunt spadones) adoptare possunt, castrati autem non possunt.

Fœminæ quoque adoptare non possunt, quia nec naturales liberos in sua potestate habent: sed ex indulgentia principis ad solatium liberorum amissorũ adoptare possunt.

Illud proprium est adoptionis illius, quæ per sacrum oraculum fit, quòd is, qui liberos in potestate habet: si se adrogandum dederit, non solùm ipse potestati adrogatoris subijcitur, sed etiam liberi eius in eiusdem fiunt potestate, tanquã nepotes. sic etenim Diuus Augustus non antè Tiberium adoptauit, quàm is Germanicum adoptasset: vt protinus adoptione facta, inciperet Germanicus Augusti nepos esse.

Apud Catonem bene scriptum refert antiquitas, seruos, si à domino adoptati sint, ex hoc ipso posse liberari. Vnde & nos eruditi in nostra constitutione etiam eum seruum, quem dominus actis interuenientibus filium suum nominauerit, liberum esse constituimus: licet hoc ad ius filij accipiendum ei non sufficiat.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Legitimus filius dicitur naturalis, ad differentiam adoptiui.*
2 *Adoptatus ab adoptante nomen ducebat.*
3 *Caius Iulius Cæsar Octauianus, adoptiuus C. Iulij Cæsaris.*
4 *T. Pomponius Atticus; Q. Aemylius Paulus & Aemylius frater eius, à quibus sint adoptati.*
5 *Adoptionis & Arrogationis modus ex Gellio.*
6 *Imperium, item Magistratus, in adoptione requisita qualia intelligantur.*
7 *Adoptionis nomen generale est.*
8 *Iurisconsulti vtuntur vocabulo generis pro specie, cum speciale vocabulum non habent.*
9 *Arrogatio vnde dicta sit.*
10 *Arrogationum formula antiqua.*

N*Aturales liberi.*] Ex iustis scilicet nuptijs suscepti. Hi enim hoc loco ita appellantur ad discrimen 1
adoptiuorum, qui non natura filij sunt, sed tantùm iure ciuili habentur. Sic apud Græcos, cùm vtrique sint æquè legitimi, siue γνήσιοι, dubitationis tollendæ causa, vbi significatur naturalis filius, dici solet ὁ γόνῳ γεγονὼς παῖς, [semine genitus filius,] ad discrimen τοῦ εἰσποιητοῦ. [adoptiui.] Vnde Demosthenes πρὸς Λεωχ. inquit. ἀλλὰ τὰ μὲν ἐν ταύτῃ διαμεμαρτυρημένα εἶναι, ὡς ὄντος υἱοῦ γόνῳ γεγονότος, τὰ δ' ἐντεῦθεν μάλα ῥᾳθυμούμενα, ὡς εἰσποιητοῦ. ¶ *Verumetiam ij, quos adoptamus.*] In quos etiam, non secus atque in naturales, olim dabatur ius vitæ & necis, vti apparet ex Ciceronis Oratione pro domo sua.
Sed & adoptatus ab adoptante nomen ducebat. Nam quasi prioris suæ familiæ oblitus, vnum so- 2
lum ex prioribus conseruabat nomen: atque id etiam ratione quadam conformatum. Reliquam appellationem sumebat ab eo, qui adoptasset. Meminit huius priscæ Romanorum Legis Dion historicus. Loquens enim de Octauio, qui fuit adoptatus à Iulio Cæsare, inquit; καὶ οὕτως ἐξ ἐκείνου 3
Γάϊος Ἰούλιος Ὀκταουιανὸς ἐπεκλήθη. νενόμισται γὰρ αὐτοῖς εἰσποιηθέντι, τὴν μὲν ἄλλην αὐτὸν πρόσρησιν ἀπὸ τοῦ ποιησαμένου λαμβάνειν. ἓν δέ τι τῶν προτέρων ὀνομάτων σχηματισθέν πως τηρεῖν. [& sic ab ipso C. Iulius Octauianus vocatus est. Lege enim receptum est, vt, si quis adoptatur, aliam is denominationem ab adoptante capiat; vnum tamen aliquod priorum nominum formatum paulo aliter seruare.] Cuius rei multa passim occurrunt in Rom. historijs exempla. T. Pomponius Atticus postquam adoptatus 4
esset ab auunculo suo Q. Cæcilio, dictus est Q. Cæcilius Pomponianus. Sic Q. Æmylius Paulus adoptatus à Q. Fabio Maximo dictus est Q. Fabius Maximus Æmylianus; & eius frater adoptatus à P. Cornelio Scipione vocatus est P. Cornelius Scipio Æmylianus, qui postea minoris Africani nomen etiam meruit. Sed & sunt qui nostrum Iustinianum tradant ita esse appellatum à Iustino patre suo adoptiuo. ¶ *Adoptio autem.*] Totus hic locus descriptus est ex primo libro Institutionum 5
a L. 2. de adopt. Caij[a]. Nec dissimilis est ille locus apud Gellium lib. 5. cap. 19. cuius verba sunt hæc: Cùm in alienam familiam, inque liberorum locum extranei sumuntur, aut per Prætorem fit, aut per Populum. Quod per Prætorem fit, adoptatio dicitur; quod per populum, arrogatio. Adoptantur autem, cùm à parente, in cuius potestate sunt, tertia mancipatione in iure ceduntur: atque ab eo qui adoptat, apud eum apud quem legis actio est, vindicantur. Arrogantur ij, qui cùm sui iuris sint, in alienam sese potestatem tradunt, eiusque rei ipsi autores fiunt.

Aut im-

6 ¶ *Aut imperio Magistratus.*]Impetium hîc intelligimus illud mixtum,cui iurisdictio inest;cùm
Magistratus causâ cognita simul decernit & imperat adoptionem fieri. Et quia nullum hîc est al-
terius periculum,potest Magistratus ipse apud sese in adoptionem dare [a],suamque autoritatem in
ea interponere. Et Magistratum quidem intelligimus, apud quem sit legis actio. Vnde dictum
est, non posse quem adoptare apud Legatum Proconsulis nondum prouinciam ingressum, quia
7 nondum sit apud eum legis actio [b]. ¶ *Quæ species adoptionis.*]Adoptionis verbum generale est,sed eo
specialiter vti magis solemus pro altera specie,cuius alioqui nô est propria & peculiaris appellatio.
8 Idq; frequens est in iure nostro,vt genera ad suas species contrahantur. ¶ *Dicitur adrogatio.*]Caius
9 addit rationê,quòd & is qui adoptat,rogatur, hoc est, interrogatur,an velit eum,quê adoptaturus
sit,iustum sibi filium esse:& is,qui adoptatur,rogatur,an id fieri patiatur. Cuius etiam rogationis
meminit Tullius in Orat. pro domo sua. Gellius autem scribit, adrogationem esse dictam, quia
10 genus hoc in alienam familiam transitus, per populi rogationem fiebat. Cuius rogationis verba
hæc erant; Velitis iubeatis, vti L. Valerius L. Titio,tam iure legeque filius fiet,quàm si ex eo patre
matreque familiâs eius natus esset; vtique ei vitæ necisque in eum potestas fiet. vti patiendo filio
est.hoc ita,vt dixi,ita vos Quirites rogo.Atque huius quidem antiquæ adrogationum formulæ,in
Pandectis meminisse videtur Proculus [c], & indicat maiorem fuisse talis adrogationis vim, quàm
adoptionis,quæ apud Prætorem fieret.

a L. magistratum de adop.
b L. 3. de offi. procons. & legat.
c L. si is qui 44. de adop.

§. *Sed hodie.*

1 *Vtrum extraneus sit adoptans nécne, multum interest.*
2 *Quid patri adoptiuo extraneo debeat filius adoptiuus.*
3 *Adoptiui filij ius quale.*
4 *Ius natiuum superioris ordinis parentum.*
5 *Qui natiuitati filij adoptandi nihil contulerunt, an habeantur pro extraneis.*
6 *Aeschynus à suo patruo Mitione adoptatus.*

¶ *Sed hodie ex nostra constitutione.*]Extat hæc adhuc Iustiniani Constitutio [d], quam ipse restatur
editam summouendæ veteris ambiguitatis causa. Certè & olim cùm ageretur de iure successionis
1 legitimæ, multû intererat,an omnino extraneus esset,qui adoptaret,an verò aliquo naturali vin-
culo iunctus. Nam emancipatio non adimebat bonorum possessionem. Vnde liberi ei,qui alio-
qui extraneus non erat,adoptanti [e]. Meminitque etiam huius discriminis postea Iustinianus [f];
vtque id maiori firmaret ratione,fortassis addidit hoc discrimen in iure patriæ potestatis.
2 ¶ *Nec quicquam.*]Iuris scilicet patrij,vel potestatis. Cæterùm debetur ei,tanquam patri,natu-
ralis quædam reuerentia & honor, cuius nomine in ius vocari non possit sine venia [g]. ¶ *Licet ab*
3 *intestato.*]Hîc demum elucet ius adoptiui filij. Cæterùm si succedat ex testamento,non nisi liberali
& spontanea testatoris voluntate succedit. Contra autem testamentum nihil iuris habet.
¶ *A nobis tributa sint.*] Beneficium Iustiniani in eo est, non esse cum patria potestate sublatum
ius succedendi: quod quidem olim tribuebatur, sed patriæ potestatis [h] nomine. ¶ *Et naturalia.*]
4 Theophilus interpretatur τὸ ἐκ τῆς γενέσεως. Quasi hîc agatur de natiuo quodam iure parentum su-
perioris ordinis, veluti aui; nec hîc locus pertineat ad patruû vel auunculû,qui nihil propriè con-
5 tulerunt natiuitati filij fratris;proindeque hîc habeantur extraneorû loco. Quod si verum est,pro-
culdubio hodie non constaret, quod apud Senecam in Declamationibus quidam patruus ait de
eo,quem adoptarat; Desinit esse filius, qui ab alio adoptatus est:quodque apud Terentium Mitio
6 sibi totum vindicat suum Æschynum, quem adoptarat, fratris sui Demeæ filium.

d L. pen. C. de adop.
e L. 2. §. adoptiui. D. ad Senat. Tertu.
f §. minus. ergo. inst. de hæred. quæ ab intest. def.
g L. generaliter de in ius vocan.
h L. si te parens. C. de suis & legit.

§. *Cùm autem impubes.*

1 *Iusiurandum in arrogatione præstandum.*
2 *Cur in adoptione quæ fit imperio Magistratus nulla præcedat nec causæ cognitio nec cautio.*
3 *In arrogatione impuberis quomodo causa cognosci solita sit.*
4 *Arrogatio pupillorum quibus sit permissa.*
5 *Ciceronis locus de adoptione.*
6 *In Arrogatione conficienda tutorum vel curatorum consensus requiritur.*
7 *Tutoribus non licet liberum caput ditioni alienæ subijcere.*
8 *Arrogato licet petere emancipationem, & in integrum restitutionem.*
9 *Ab Arrogatore cautio præstanda seruo publico.*
10 *Arcadius Imp. vetuit ne seruus ciuitatum præponeretur tabulis publicis.*
11 *Cur pubertate arrogati euanescat spes heredum, siue substitutorum.*
12 *Pupillaris substitutionis ius pubertate finitur.*
13 *Arrogator decedenti arrogato puberi heres est.*
14 *Pupillo substitutus per fideicommissum, non succedit pupillo sed patri.*
15 *Dignus emancipatione, quid?*
16 *Pronominis, SVVS, abusus frequens in iure.*
17 *D. Pij constitutio pro Arrogatis.*
18 *Relinquere quid?*
19 *Quæ Adoptatus adoptiuo acquisiuit, eo mortuo recipit.*
20 *Domitius Lucanus gener & heres Curtij.*

¶ *Cùm autem impubes.*] Inquit Gellius: Adrogationes non temerè, nec inexploratè commit-

tuntur.

tuntur. Nam comitia arbitris etiam Pontificibus præbenrur, quæ Curiata appellantur. Ætas quo-
que eius, qui arrogare vult, an liberis potius gignundis idonea sit; bonaque eius qui adrogatur, ne
insidiosè appetita sint; considerarut. Iusque iurandum à Q. Mnrio Pontifice Max. conceptum dici- 1
tur, quòd in arrogando iuraretur. Sed arrogari non potest, nisi iam vesticeps. Quo quidem nomi-
ne cùm pubes significetur, apparet aliquid de veteri iure mutatum. hic enim agitur de arrogatio-
ne impuberis: nec sanè aliter poruit habere locum cautio restituendorum bonorum. ¶ *Per prin-
cipale rescriptum adrogatur.*] In illa autem adoprione, quæ fit imperio Magistratus, nulla est eiusmo-
di causæ coguitio vel cautio. Primum enim qui sic adoptatur, patrem habet in cuius est potestate, 2
cuius consilium satis sit ad hanc rem. Deinde nullum is habet patrimonium, cuius nomine sit in-
terponenda caurio, si fortaßis impubes decesserit.

¶ *Causa cognita.*] Latißimè patet hæc causæ cognitio, quam nostri Iurisconsulti & copiosè & 3
a L. si paterfa. §. vlt. de adopt.
eleganter descripserunt. Primum (inquit Vlpianus [a]) in arrogationibus cognitio vertitur, num
forte minor sexaginta annis sit qui arrogat: quia magis liberorum procreationi studere debet: nisi
forte morbus, aut valerudo in causa sit: aut alia iusta causa arrogandi: veluti si coniunctam sibi per-
sonam velit adoptare. Item non debet quis plures arrogare: sed nec libertum alienum: nec maio-
rem minor. Nec ei permittitur arrogare, qui tutelam vel curam alicuius administrauit, si minor
25. annis sit, qui arrogatur: ne forte eum ideò arroget, ne rationes reddat. Item inquirendum, num
fortè turpis causa arrogandi subsit. Ijs duntaxat pupillorum arrogatio permittenda est, qui vel na- 4
turali cognatione, vel sanctißima affectione ducti adoptarent. Cæterorum autem prohibenda
est: ne sit in potestate rutorum, & finire tutelam, & substiturionem à parente factam extinguere.
Et primum quidem excuriendum erit, quæ facultates pupilli sint, & quæ eius, qui adoptare eum
velit: vt æstimetur ex comparatione earum, an salubris adoptio poßit pupillo intelligi. Deinde
cuius vitæ sit is, qui velit pupillum redigere in familiam suam. Tertiò cuius demum ætatis sit, vt
æstimetur, an melius sit de liberis procreandis cogitare eum, quàm ex aliena familia quenquam
redigere in potestarem suam. Præterea videndum est, an non debeat permitti ei, qui vel vnum ha-
bebit, vel plures liberos, adoptare alium: ne aut illorum, quos ex iustis nuptijs procreauit, dimi-
nuatur spes, quam vnusquisq; liberorum obsequio parat sibi: aut ne, qui adoptarus sit, minus per-
cipiat, quàm dignum erit eum consequi. Interdum & ditiorem permittitur adoptare pauperiori, si
b L. nec ei. D. eod.
vitæ eius sobrietas clara sit vel affectio honesta, nec incognita. Hæc Vlpianus [b]. Similia sunt, quæ 5
nos supra retulimus ex Gellio, & quæ Tullius in Oratione pro domo sua ad Pontifices tradit, in-
quiens; Quod est Pontifices ius adoptionis? Nempe, Vt is adoptet, qui neque procreare iam libe-
ros poßit; & cùm potuerit, sit expertus. Quæ deinde causa cuique sit adoptionis. Quæ ratio gene-
rum, ac dignitatis. Quæ sacrorum: quæri à Pontificum collegio solet. His addendum est quod
c L. vlti. C. de autor. præstan.
Iustinianus [c] sanxit; necessariam quoque esse omnium simul tutorum vel curatorum autoritatem 6
& consensum. Olim autem nulla hic erat tutorum autoritas, quia nec arrogari poterant impube-
tes pupilli: & tutoribus (inquit Gellius) in pupillos tantam esse autoritatem potestatemque fas 7
non est, vt caput liberum fidei suæ commissum alienæ ditioni subijciant. Illud postremò sumus
admonendi; nullam esse tam circumspectam impuberis arrogationem, quin pubes factus poßit
petere emanciparionem, si probarit non expedire sibi in potestatem arrogatoris redigi, vti tradi- 8
d L. nonnunquam. de adopt.
tum est à Papiniano [d] & Marriano [e]. Idemque respondit Vlpianus & de minore viginti quinque
e L. & si pubes. de adopt.
annis arrogato, qui si probet sese in arrogarione circumuentum, in integrum est restituendus [f].

f L. 3. §. si quis minor. de mino. viginti quinque annis.
¶ *Vt caueat arrogator.*] Inquit Marcellus [g]: Non aliter voluntati eius, qui arrogare pupillum 9
volet, etiamsi causam eius ob alia probauerit, subscribendum erit, quàm si caoerit seruo publico,
se restiturum ea, quæ ex bonis eius consecutus fuerit, illis, ad quos res peruentura esset, si arroga-
g L. non aliter. de adopt.
tus permansisset in suo staru. Et addit idem Marcellus [h], Hanc satisdationem locum habere, si im-
h L. hæc autem. de adopt.
pubes decesserit. Quod si hæc satisdatio fuerit omissa, nihilominus, ait Vlpianus [i], vtilem actio-
nem in arrogatorem dari, perinde atque si interposita esset.

¶ *Persona publica.*] Apud Marcellum est, Seruo publico [k]. Sed meminerimus, olim quidem
i L. his verbis, in fi. D. illo tit.
seruos ciuitatum præpositos fuisse tabulis publicis: postca autem id prohibuisse Arcadium [l] Imp. 10
¶ *Si intra pubertatem pupillus decesserit.*] Alioqui enim nulla vis est cautionis, quæ tantummodo fuit
k dict. l. non aliter. & l. nec ei. de adopt.
interposita eius periculi nomine, quod impendebat ex arrogatione legitimis hæredibus, vel sub-
l L. generali. C. de tabular.
stitutis, quorum certa spes cùm finiatur adueniente pubertate, non debet diuturnior esse eius se-
curitas. Legitimis quidem hæredibus certa est expectatio hæreditatis vsque ad pubertatem, quam
ijs æquum non esset adimi, vel interuerti per arrogatorem. Sed ea euanescit pubertate, cùm iam a- 11
liquis sibi ipsi poßit alios hæredes quærere, & testamentũ facere. Sic & ius pupillaris substitutionis 12
m §. finitur, inf. de pup. substit.
pubertate finitur [m]. Itaque post pubertatem nulla videtur aliorum fraus esse, aut certum damnum
ex arrogatione. Quod si euenerit, vt arrogatus, post pubertatem decesserit intestatus: certè legiti-
mus hæres est arrogator: quanquam ex Iustiniani constitutione præferantur ei liberi & fratres, 13
n §. mortuo autem, inf. de acquis. per arrog.
qui & naturali parenti præferebantur. Id quod alio postea loco Iustinianus tradet [n], loquens de
acquisitione per adrogationem.

¶ *Illis qui ad successionem.*] Generaliora sunt verba apud Marcellum [o], Illis, ad quos res peruen-
o L. non aliter. de adopt.
tura esset. Et Vlpianus [p], His (inquit) verbis satisdationis, quæ ab arrogatore præstari debet; ad
p L. his verbis. D. illo tit.
quos ea res pertinet; & libertatibus prospectum esse, quæ secundis tabulis datæ sunt, & multo ma-
gis substituto seruo, item legatarijs, nemo dubitat.

¶ *Ad successionem eius.*] Hoc est, Ipsius pupilli arrogati, cui succedit vel legitimus ab intestato
hæres,

hæres, vel ex testamento, qui pupillariter substitutus est. Qui verò per fideicommissum pupillo
14 substitutus est, non dicitur succedere pupillo, sed patri. Itaque nec ei cauendum erit, non magis quàm creditori. sed tamen arrogator debebit præstare fideicommissum, vt æs alienum: poteritque ex hac causa saltem nomine filij conueniri. Id quod etiam postea indicat Iustinianus[a].
15 ¶ *Dignus emancipatione fuerit.*] Hoc est, Indignus familia patris arrogatoris. Vt intelligas emancipationem hic esse quandam abdicationem iustam. ¶ *Bona sua.*] Hoc est, Ipsius arrogati, quæ ad
16 patrem arrogatorem transtulit, & quorum commodum ei postea acquisiuit. Abusus autem est Iustinianus pronomine S V A. Sed id non est infrequens in iure[b] nostro. Nihil autem ex bonis arrogatoris consequetur arrogatus, qui sua culpa meruit emancipari[c]. ¶ *Exhæredauerit.*] Sine iusta causa. Quod si præteritus fuerit arrogatus, totum patris adoptiui testamentum subuertet. ¶ *Iube-*
17 *tur.*] Nempe, Constitutione Diui[d] Pij. Ne quis id pendere puret à cautione, vel sanè à querela inofficiosi. Neque enim ea nititur arrogatus, qui alio certiori iure petere potest hunc quadrantem, tanquàm æs alienum[e]. Reuera enim ei ex lege debetur, adeò, vt si in fraudem eius aliquid alienatum fuerit, posit reuocari[f]. Et quanquam in eo posit arrogator pupillariter substituere arrogato: non potest tamen ei fideicommissum ascribere: quia (inquit Vlpianus[g]) hæc quarta non iudicio arrogatoris ad arrogatum peruenit, sed principali prouidentia.

¶ *Quartam partem bonorum suorum.*] hoc est, Eorum, quæ mortis tempore eius, qui adoptauit, fuerunt, inquit Paulus[h]. Itaq; Iustinianus hic propriè vsus est pronomine, S V O R V M.

¶ *Et.*] Eiusve hæredibus: quemadmodum & ipsius arrogatoris hæredes tenentur[i].

¶ *Relinquere.*] Post mortem suam. Tum enim primùm nascitur quartæ petitio, inquit Vlpia-
18 nus[k]. Quod & verbum relinquendi satis significat[l]. Cætera bona sua arrogatus statim atque liberatus fuerit potestate arrogatoris recipiet, nec morabitur eius mortem.
19 ¶ *Videlicet præter bona.*] Bona quæ patri adoptiuo adoptatus acquisiuit, omnimodo post mortem adoptantis ad adoptatum redire, probat etiam Plinius Secũdus lib. 8. epist. Loquitur de testamento Domitij Tulli, qui filiam fratris, quam adoptarat reliquit hæredem: & ait, non fuisse ei liberum alio testamento mori, neque enim reliquisse opes filiæ, sed reddidisse, quibus auctus per fi-
20 liam fuerat. Nam Curtius (inquit) generum suum Domitium Lucanum (is frater erat Tulli) sub ea conditione & filiam eius instituerat hæredem, si esset manu patris emissa. Emiserat pater, adoptauerat patruus, & quidem cum opibus amplissimis.

a §. vl. inf. de acquis. per arrog.
b L. 2. §. Prætor ait. D. qui satisd. cog. l. ante pe. §. vl. de lega. 2. l. ex facto. D. ad Senat. Treb.
c L. vlti. D. si quid in fraud. patr.
d dict. l. vl. & l. 1. §. si impuberi. De Collat.
e L. Papinianus. §. si quis impubes. De inoffic. testamento.
f dict. l. vlt.
g L. si arrogator. De adopt.
h dict. l. vlt.
i dict. l. si arrogator.
k L. 1. §. si impuberi. De collat.
l L. 1. §. penul. de tab. exhi.

§. *Maiorem natu, & seq.*

1 *Minor cur non posit adoptare maiorem?*
2 *Adoptio est imago naturæ: nemo igitur per adoptionem frater fieri potest.*
3 *Plena pubertas 18. annorum.*
4 *In adoptione nepotis, quare requiratur cõsensus filij.*
5 *Filij plerunq; oneri magis sunt, quàm honori.*
6 *Adoptiui aut hæredes instituendi aut exhæredandi sunt.*
7 *In quibus causis non conueniant liberi adoptiui cum naturalibus.*
8 *P. Scipio Censor quid in adoptione reprehenderit.*
9 *Ne adoptio in aliqua parte publici muneris iuuet; quare sit Senatusconsulto prohibitum.*
10 *Cum conditione, vt reddamus tandem alteri in adoptionem, adoptare non possumus.*
11 *Adoptiuus filius emancipatus, vel in adoptionem datus, non potest ab eodem rursum adoptari, nisi sit naturalis.*
12 *Naturæ veritas non est obumbranda imaginibus.*

1 ¶ *Maiorem non posse adoptare.*] Hic locus sumptus videtur ex responsis Vlpiani, & Iaboleni. Vlpianus[m] ait; Minorem nõ posse adoptare maiorem. Et addit rationem Iabolenus; Adoptio enim in iis personis locum habet, in quibus etiam natura potest. Tullius in oratione pro domo sua ad Pontifices, exponens, non potuisse Clodium adoptari à Fonteio, Factus es (inquit) eius filius contra fas, cuius per ætatem pater esse potuisti. Dico apud Pontifices; nego istam adoptionem Pontificio iure esse factam: primùm, quòd hæ vestræ sint ætates, vt is qui te adoptauit, vel filij tibi loco per ætatem esse potuerit. Et; Illud imprimis, ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur: Vt hęc simulata adoptio filij quàm maximè veritatem illam suscipiendorum liberorum imitata esse videatur; Quæ maior calumnia est, quàm venire imberbem adolescentulum, bene valentem, ac maritum, dicere, filium Senatorem Populi Romani sibi velle adoptare? &c. ¶ *Adoptio naturam imitatur.*] Papinianus[n] adoptionem vocat imaginem naturæ. Et quia per naturam non nascitur frater ex fratre, rescriptum est[o], neminem per adoptionem fieri fratrem, auferendámque hæreditatem, quæ eo nomine possideretur. ¶ *Is qui sibi filium.*] Idem & si nepotem vel pronepotem. Ne quis existimet in horum arrogatione eam requiri in arrogante ætatem, itemque in arrogato, vt per naturam ille proauus, is pronepos esse posset. Alioqui enim rarissimè posset quis adoptare nepotem: quod tamen fieri commodè posse subiicit Iustinianus. ¶ *Plena pubertate, id est, 18. annis.*] Hæc plenæ pubertatis interpretatio sumpta est ex Modestino, qui etiam refert Imp. Adrianum statuisse, vt relicta ad pubertatem vsque alimenta, debeantur vsque ad annum 18.[p]

§. ¶ *Licet autem.*] Inquit Paulus[a]: Adoptare quis loco nepotis potest, etiam si filium non habet. Et Pomponius[b], Adoptiones (inquit) non solùm filiorum, sed & quasi nepotum fiunt: vt aliquis

m L. si paterfa. §. vlt. De adopt.
n L. filio quem pater. De libe. & posthu.
o L. nec apud. C. de hæred. instituen.
p L. Mela. de alime. lega.
a L. adoptare. De adopt.
b L. adoptiones. D. illo tit.

 nepos

nepos noster esse videatur: perinde quasi ex filio, vel deinceps natus sit. ¶ *Vel quasi.*]Indicant hæc
verba nominatim hîc aliquem adoptati in nepotem, quasi ex vno aliquo expresiini nominato fi-
lio. vt meritò requiratur cõsensus eius filij, cui ita nouus tribuitur filius. ¶ *Et filius consentire debet.*] 4

a L. cũ nepos. D. illo ti.
b L. si quis cùm filiũ. D. illo tit.

Inquit Paulus[a]: Cùm nepos adoptatur quasi ex filio natus, consensus filij exigitur. Idq; etiam Iu-
lianus scribit. Idem Paulus alio loco[b] addit, nisi filius autor factus sit, mortuo auo non esse nepo-
tem in potestate filij. Quibus verbis docet eum non fore suum hæredem filij. Imò totam adoptio-
nem nullius prorsus esse momenti, sic, vt nec fiat suus hæres ipsi auo, qui adoptauit. nam & si filius
consensisset, non succederet auo hic nepos, vtpote sommotus à filio proximiori. ¶ *Ne ei inuito suus*
hæres agnascatur.] Agnasceretur autem, si constaret adoptio eo inuito facta. quia per eam quæretur

c L. si quã, nepotem. D. illo tit.

ei filius & hæres magis, quàm ipsi auo adoptanti. Nam (inquit Paulus[c]) si quis nepotem quasi ex
filio natum, quem in potestate habet, consentiente filio, adoptarit: non agnascitur auo vt suus hæ-
res; quippe cùm post mortem aui, quasi in patris sui potestatem recidat.

¶ *Sed ex contrario.*]Sentit hîc Iustinianus, posse nos liberè minuere liberorum numerum: quan-
quam inuitis nostris filijs, per adoptionem liberos adijcere non possimus. Scilicet plerunque filij
plus habent oneris, quàm honoris vel emolumenti.

d §. adoptiui liberi. inst. de exhær. lib.

§. ¶ *In plurimis autem causis.*]Sic postea Iustinianus[d], Adoptiui (inquit) liberi, quãdiu sunt in po- 5
testate patris adoptiui, eiusdem iuris habentur, cuius sunt iustis nuptijs quęsiti. Itaque hęredes in-
stituendi vel exhæredandi sunt, secundum ea, quæ de naturalibus exposuimus. Et in bonorũ pos- 6

e L. 1. De bon. poss. contra tab.
f L. 1. §. vlt. De lega. præstan.
g L. 4. C. de decurionib.
h L. si ita quis. §. vlt. De lega. 2.
i L. fideicommissum. de cond. & demonst.
k L. 2. § adoptiui. de vacat. mune.

sessione contra tabulas, respondit Vlpianus[e], Liberos accipiendos esse, siue naturales sint, siue ad-
optiui. Sed & his, vt alijs liberis, legata præstantur, quamuis petita sit contra tabulas bonorum pos-
sessio[f]. Denique in priuilegio Decurionum idem ius habent, atque filij naturales[g]. Sed infinitum
fuerit omnia persequi. Potius obseruemus, in quibus causis non conueniant. Et primùm quidem 7
respondit Vlpianus[h]; Legatum alicui relictum in tempus liberorum, non deberi, si filium ado-
ptârit. Et Papinianus ait[i], Fideicommissum à filijs relictum: si quis ex his sine liberis diem suum
obierit; adoptionis cõmento non excludi. Sed nec adoptiui filij (inquit Vlpianus[k]) in numerum
proficiunt eorum liberorum, qui excusare parentes solent. Sanè Gellius lib. 5 c. 19. scribit, P. Scipio-
nem, in ea oratione, quam Censor habuit ad populum de moribus, inter ea, quæ reprehendebat, 8
id etiam culpauisse, quòd filius adoptiuus patri adoptatori inter præmia patrum prodesset. Et
Cornelius Tacitus lib. 15. refert Neronis tempore P. Mario & L. Asinio Coss. factum Senatuscon- 9
sultum, ne simulata adoptio in vlla parte publici muneris iuuaret, ac ne vsurpandis quidem hære-
ditatibus prodesset. Nam tum (inquit) percrebuerat grauissimus mos, cùm propinquis comitijs,
aut sorte prouinciarum plerique orbi, fictis adoptionibus sibi filios adsciscerent, præturasque aut
prouincias inter patres sortiti, statim emitterent manu, quos adoptarant. Itaq; veri parentes ma-
gna cum inuidia Senatum adeunt. Ibi naturæ ius, labores educandi, aduersus fraudem & breuita-
tem adoptionis enumerãt. Satis precij esse orbis, quod multa securitate, nullis oneribus, gratiam,
honores, cuncta prompta & obuia haberent. Sibi promissa legum diu expectata in ludibrium ver-
ti, quando quis sine solicitudine parens, sine luctu orbus, longa patrum vota repentè adæquaret.

¶ *Non extraneum.*] Id tantùm referendum est ad proxima verba de Prætore vel Præside, apud
quos fit illa adoptio, quæ non tribuit hodie ius patriæ potestatis, si sit extraneus, qui adoptat vel
adoptatur. Cæterùm si agatur de arrogatione, quæ fit autoritate Imperatoris, nihil refert sitne ex-
traneus, an non. ¶ *Adoptauerit.*]Simpliciter scilicet, nullaque conditione huius secundæ adoptio-
nis. Nam si hæc à principio interponeretur; veluti si quem adoptẽ hac lege, vt post triennium eun- 10
dem alteri dem in adoptionem; nihil ageretur: quia nec moribus nostris conueniat filium tempo

l L. si tibi filius. De adopt.
m L. adoptare. §. 1. de adopt.

ralem habere, inquit Paulus[l]. ¶ *Potest eundem.*]Vbi autem eum semel abalienarit, non poterit re- 11
cipere. Nam (inquit Paulus[m]) eum, quem quis adoptauit, emancipatum vel in adoptionem da-
tum, iterum non potest adoptare. Aliud autem est de naturali filio, quia & si eum emancipatum
iterum arrogarit (quod potest) magis redditus quàm trãslatus videatur, quia nec veri patris ado-

n L. filio. De liber. & post.

ptiuus filius vnquam intelligitur: ne imagine naturæ veritas obumbretur, inquit Papinianus[n]. 12

§. *Sed & illud cum §§. seq.*

1 *Spadones qui?*
2 *Spado cur adoptare possit?*
3 *σπέω & σπαδὼς quid?*
4 *Spadones vbi non habeantur pro vitiosis?*
5 *Castrati qui dicantur?*
6 *Castratus, vxorem ducens, non potest exigere dotem.*
7 *Fœminæ cur difficilius arrogari potuerint.*
8 *Pietatem non obedientiam æqualem debemus tam matri quàm patri.*
9 *Mater adoptiua nulla nobis esse potest.*
10 *Ioanna Neapolitana adoptat Alfonsum Tarraconensem, & adoptione mox rescissa Ludouicum III. Andegauensem.*
11 *Adoptionis & Arrogationis differentiæ ratio.*
12 *Principum olim arrogantia.*
13 *Omnes res adoptati transibant in ius adoptantis.*
14 *Octauius quos quo euentu adoptauerit?*
15 *Tiberius Nero, priuignus & adoptiuus Augusti, & pater adoptiuus Germanici, Drusi fratris filij.*
16 *Germanicus fraude Tiberij veneno sublatus.*
17 *Adrianus Imp. adoptauit M. Antonium et L. Verum.*
18 *Adoptione quæri successores cognatorum, nõ nouum est.*
19 *Imperatorum adoptiuorum catalogus.*
20 *Africanus maior adoptat Pauli Aemilij filium.*

21 *Germa-*

21 Germanici filius, C. Cæsar Germanicus Caligula, successit Tiberio.
22 Harmenopulus & Theophilus de adoptione seruorum.
23 In adoptionem dari potest à domino seruus.
24 M. Porcius Cato Licinianus, M.P.C. Censorij F. Pauli Aemilij gener, Iurisconsultus.
25 Adoptio non nisi in personis liberis rata est.
26 Voluntas domini sufficit ad dandam seruo libertatẽ.
27 Patronus libertum, quem liberum esse voluit, adoptans, non facit eum omnino ingenuum.
28 Libertum alienum cur adoptare non liceat.
29 L. Martius affectauit in Hispanijs titulum Proprætoris.
30 Magnum sæpe oritur ex sola nominatione præiudicium.
31 Nothus à patre per scripturam seriam aliquam nominatus filius fit legitimus.

¶ *Sed & illud.*] Hic locus descriptus est ex lib. 1. Institutionum Caij [a], quanquam Iustinianus de suo addiderit mentionem castrarorum, quorum Caius non meminerat, si credimus Ant. Augustino, qui lib. 3. emendat. cap. 5. testatur in Pandectis Florentinis Caij responsum non nisi de Spa- *a L. 2. §. illud. de adopt.*
1 donibus agere. ¶ *Quales sunt Spadones.*] Theophilus hoc loco rectè interpretatur Spadones accipiendos, *οἱ διὰ πάθος, ἢ ψύξιν ἐνοχλήσασαν τοῖς γονίμοις μορίοις, παιδοποιεῖν κωλύονται: τούτου δὲ ἀπαλλαγέντος παιδοποιοῦσι.* [qui propter affectionem aliquam continuam, siue refrigerationem obstantem genitalibus membris, liberos procreare impediuntur, eo verò sublato sobolem suscipiunt.] Additque propter spem sanitatis posse eos adoptare. Sic & Galenus libro decimoquinto de vsu par-
2 tium, docet Spadones propriè dici, quibus meatus seminis contortus est, vt semen, quod in virgæ flexibus hæret, ferri prorsus nequeat. Idque comprobari ipsa curatione. Si quidem vinculo illo abscisso, generant. Id quod ne pugnare videatur cum ipsius nominis ratione, sciendum est apud
3 Græcos *τὸ σπᾶν* accipi, non semper pro auello, sed etiam plerunque pro contorqueo. Vnde & *σπασμὸς* morbus, qui membra non tam abrumpit quàm distorquet: Estq; genus Herniæ. Posse autem Spadonibus succurri docet etiam Iuuenalis Satyra sexta: & interim eos nequaquam abhorrere à venere ostendit Philostratus in suo Apollonio. Ergo & Spadones vxores ducere possunt [b], & matrimonij causa ancillam manumittere [c], & posthumos suos instituere [d], si quos fortè habuerint sa- *b L. si serua. in fi. De iure dot.* *c L. alinot. §. & si spado. De man. vind.*
4 nitati restituti. Certè in ædilitio edicto non habentur Spadones pro vitiosis aut morbosis [e]. *d L. sed est quæsitum. De libe. & posth.*

¶ *Adoptare possunt.*] Inquit Modestinus [f]: Spado arrogando suum hæredem sibi accersere po-
5 test; nec ei corporale vitium impedimento est. ¶ *Castrati.*] Qui nec coire vnquam possunt, nec generandi vllam facultatem sperare. Quales sunt qui omnino sine testiculis nati sunt, aut quibus ante pubertatem excisi fuere. Hi enim sunt propriè castrati [g], habenturque in ædilitio edicto pro vitiosis [h]. Sicque Theophilus hoc loco interpretatur castratos esse, *ἐφ' ὧν γέγονεν ἐκτομὴ τῶν γεννητικῶν μορίων.* [quibus execta sunt membra virilia.] Hucque pertinet quod Vlpianus ait [i]: Si spadoni nu-
6 pserit mulier, distinguendum arbitror, castratus fuerit, necne, vt in castrato dicas dotem non esse: in eo, qui castratus non est, quia est matrimonium, & dotem & dotis exactionem esse. ¶ *Fœminæ adoptare non possunt.*] Adoptari tamen possunt [k], vel arrogari. quanquam id olim difficilius admit-
7 teretur, quia cum fœminis nulla comitiorum communio esset, inquit Gellius lib. 5. cap. 19. ¶ *Quia nec naturales.*] Sic & alio postea loco [l] Iustinianus ait, fœminas in potestate liberos nõ habere. Paulus autem ait [m], eas non habere suos hæredes. Vlpianus [n] quoque fatetur inæqualem esse parẽtum
8 potestatem, licet æqualis debeatur ijs pietas. Et Quintilianus in declamationibus, Nihil (inquit) impudentius, nihil indignius, atque cùm matres sibi de liberis credunt licere tantundem, & æquum ius matris & patris esse contendunt. Porrò si non habent in potestate naturales filios ex marito suo susceptos, multo minus habebunt ex eo adoptatos. Ita ergo nos semper vnam eandemque matrem habemus, quam nobis natura dedit: adoptiuam habere non possumus. Id quod etiam o-
9 lim Isæus orator eleganter tradidit his verbis; *μητρὸς οὐδεὶς ἐστιν ἀλλότριος, ἀλλ' ὁμοίως ὑπάρχει τὴν αὐτὴν εἶναι μητέρα, κἂν ἐν τῷ πατρῴῳ μένωσιν οἴκῳ, κἂν ἐκποιηθῶσιν.* [à matre nullus per adoptionem alienus esse potest, neque matrem habere nisi propriam, siue in gentilitate maneat, siue inde per adoptionem migret.] ¶ *Sed ex indulgentia principis.*] Audio circumferri quandam Græcam Nouellam Leonis Imp. constitutionem, qua omnibus fœminis permittitur adoptare. Quod si potest mulier ex principis indulgentia adoptare, certè poterit & ea, quæ principatum tenet. Verùm horreo exemplum fœmininæ adoptionis, quæ multis annis Europam commisit bellis exitialibus. Ioanna Regina
10 Neapolitana, quæ nupta fuerat Iacobo Borbonio, eo absente adoptat, & ex Hispania euocat Alphonsum Tarraconensium regem, anno 1422. Contrà autem Martinus Pont. Ludouicum huius nominis tertium, Ducem Andegauensem, & vult, & pronunciat esse Regem Neapolitanum: & paulò pòst Ioanna Alphonso irata, rescissa alterius adoptione, Ludouicum eum adoptat.

e L. Pompon. §. vl. de ædil. edict. *f L. arrogato. §. vl. de adopt.* *g L. seruus. §. sed & si puerũ. D. ad le. Aqui.* *h L. si autem quis. De ædil. edict.* *i L. si serua. in fin. De iure dot.* *k L. hæc autem & l. seq. de adopt.* *l §. cæteri. inf. de hæred. qual. & differẽ.* *m L. illud. §. ad testamenta. De bon. possess. contra tab.* *n L. furiosæ. de cura. fur.*

11 ¶ *Illud proprium.*] Descriptus est hic locus ex Caio [o]. nec obscura est ratio, cur non conueniat adoptioni, quæ fit imperio magistratus: nempe, quòd per eam adoptatur filiusfam. qui nullos in sua potestate potest habere liberos, multo minus subijcere alterius potestati *o L. 2. §. vlt. de adopt.*

¶ *Per sacrum oraculum.*] Simplicius & modestius dixerat Caius, per principem. Sed nescio quo-
12 modo ipsi principes de se loqui nesciunt, nisi gloriosè suam maiestatem euehant supra humanam conditionem, cùm non erubescunt sua responsa vel rescripta comparare Deorum oraculis.
13 ¶ *Sed etiam liberi eius.*] Non modò naturales, sed etiam adoptiui, vt indicat subiectum exemplũ. Sed & omnes eius, qui adoptatur, res olim transisse in potestatem & ius adoptantis, docet alio postea loco Iustinianus [p]. ¶ *Sic etenim Diuus Augustus.*] Octauius Augustus Claudio Marcello, sororis *p §. 1. inf. de acquis. per arrog.*
14 suæ filio extincto, M. Agrippã generum asciuit, & ex eo natos Caium, & Luciũ in familiã Cæsarum induxit,

IN TITVLVM SEQVENTEM

ΠΡΟΘΕΟΡΙΑ.

1 *Methodi Iustinianeae ratio.*
2 *Patriae potestatis soluendae causa quot?*
3 *Pupillus quis dicatur?*

1 *VTherilis potestatis primùm constitutionem, deinde dissolutionem, quae est ex manumissione, tradidit Iustinianus: Ita hîc proposita patriae potestatis συσάσ[compositione & quasi coagmentatione] ordine naturali subijcit τὴν ἀνάλυσιν [coagmentationis illius explicationem siue resolutionem,] quam docet contingere per mortem, tam natura-*
2 *lem, quàm ciuilem, Captiuitatem, Dignitatem Patriciatus filiofa. collatam, Emancipationem, & Adoptionem. Quae omnia breuius videtur complexus Pomponius, inquiens [a], Pupillũ* a *L. pupillus eß. De verb. sign.*
3 *eum dici, qui cùm impubes sit, desijt in patris potestate esse vel morte, vel emãcipatione, vel lege lata.*

Quibus modis ius patriae potestatis soluitur, Tit. XII.



Ideamus nunc, quibus modis ij, qui alieno iuri sunt subiecti, eo iure liberentur. Et quidẽ quemadmodũ liberentur serui à potestate dominorum, ex ijs intelligere possumus, quae de seruis manumittendis superius exposuimus. Hi verò, qui in potestate parẽtis sunt, mortuo eo, sui iuris fiunt. Sed hoc distinctionem recipit. nam mortuo patre, sanè omnimodo filij filiaeve sui iuris efficiuntur. Mortuo verò auo, non omnimodo nepotes neptesque sui iuris fiunt: sed ita, si post mortem aui in potestatem patris sui recasuri non sunt. Itaq; si moriente auo pater eorum viuit: & in potestate patris sui est: tũc post obitum aui in potestate patris sui fiunt. Si verò is, quo tempore auus moritur, aut iam mortuus est, aut per emãcipationem exijt de potestate patris: tunc ij, qui in potestatem eius cadere non possunt, sui iuris fiunt.

Cùm autem is, qui ob aliquod maleficium in insulam deportatur, ciuitatem amittit: sequitur, vt qui eo modo ex numero ciuium Romanorum tollitur, perinde quasi eo mortuo, desinant liberi in potestate eius esse. Pari ratione & si is, qui in potestate parentis sit, in insulam deportatus fuerit, desinit esse in potestate parentis. sed si ex indulgentia principis restituti fuerint, per omnia pristinum statum recipiunt. Relegati autem patres in insulam, in potestate liberos retinent. Et ex contrario liberi relegati, in potestate parentum remanent.

Poenae seruus effectus, filios in potestate habere desinit. Serui autem poenae efficiuntur, qui in metallum damnantur, & qui bestijs subijciuntur.

Filiusfamiliàs si militauerit, vel si senator, vel cõsul factus fuerit, remanet in potestate patris. militia enim, vel consularis dignitas, de patris potestate filium non liberat.

Sed ex constitutione nostra summa Patriciatus dignitas illico, imperialibus codicillis praestitis, filium à patria potestate liberat. quis enim patiatur patrem quidem posse per emancipationis modum potestatis suae nexibus filium liberare: imperatoriam autẽ celsitudinem non valere eum, quem sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate?

Si ab hostibus captus fuerit parens, quamuis seruus hostium fiat, tamen pendet ius liberorum propter ius postliminij: quia hi, qui ab hostibus capti sunt, si reuersi fuerint, omnia pristina iura recipiunt, idcirco reuersus parens etiam liberos habebit in potestate: quia postliminium fingit eum, qui captus est, in ciuitate semper fuisse. Si verò ibi decesserit: exinde, ex quo captus est pater, filius sui iuris fuisse videtur. Ipse quoque filius, nepósve si ab hostibus captus fuerit: similiter dicimus, propter ius postliminij, ius quoque potestatis parentis in suspenso esse.

Dictum est autem postliminium à limine, & post. Vnde eum, qui ab hostibus captus est, & in fines nostros postea peruenit, postliminio reuersum rectè dicimus. Nam limina, sicut in domo finem quendam faciunt: sic & imperij finem esse limen, veteres voluerũt. Hinc & limen dictum est, quasi finis quidam & terminus: ab eo postliminium dictum est, quia ad idem limen reuertebatur quod amiserat.

Sed & qui captus, victis hostibus recuperatur, postliminio redijsse existimatur.

Praeterea emancipatione quoq; desinunt liberi in potestate parentũ esse: sed emancipatio antea quidem, vel per antiquam legis obseruationem procedebat, quae per imaginarias vẽditiones, & intercedẽtes manumissiones celebrabatur: vel ex Imperiali rescripto.

Nostra

Nostra autem prouidentia etiã hoc in melius per constitutionem reformauit: vt fictione pristina explosa, recta via ad competentes iudices vel magistratus, parentes intent: & filios suos, vel filias, vel nepotes, vel neptes, ac deinceps, à sua manu dimittant. Et tunc ex edicto Prætoris, in bonis huiusmodi filij, vel filiæ, vel nepotis, vel neptis, qui quæve à parente manumissus vel manumissa fuerit: eadem iura præstantur parenti, quæ tribuuntur patrono in bonis liberti. Et præterea si impubes sit filius, vel filia, vel cæteri: ipse parens ex manumissione tutelam eius nanciscitur.

Admonendi autem sumus, liberum arbitrium esse ei, qui filium, & ex eo nepotem vel neptem in potestate habet, filium quidem de potestate dimittere: nepotem verò vel neptem retinere: & è conuerso filium quidem in potestate retinere, nepotem verò vel neptem manumittere, vel omnes sui iuris efficere. Eadem & de pronepote, & pronepte dicta esse intelligantur. Sed & si pater filium, quem in potestate habet, auo vel proauo naturali secundum nostras constitutiones super his habitas, in adoptionem dederit: id est, si hoc ipsum actis interuenientibus apud competentem iudicem manifestauerit, præsente eo, qui adoptatur, & non contradicente, necnõ eo præsenti, qui adoptat: soluitur quidem ius potestatis patris naturalis: transit autem in huiusmodi parentem adoptiuum, in cuius persona & adoptionem esse plenissimam antea diximus. Illud autem scire oportet, quòd si nurus tua ex filio tuo conceperit, & filium postea emancipaueris, vel in adoptionem dederis prægnãte nuru tua: nihilominus quod ex ea nascitur, in potestate tua nascitur. Quod si post emancipationem vel adoptionem conceptus fuerit: patris sui emancipati, vel aui adoptiui potestati subijcitur.

Et quidem neque naturales liberi, neque adoptiui vllo penè modo possunt cogere parentes, de potestate sua eos dimittere.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 *Seruus mortuo domino non liberatur, sed dominum commutat.*
2 *Parentis vocabulum quàm latè pateat.*
3 *Mors soluit omnia, Ius patriæ potestatis, Nuptiarum, Tutelæ, Societatis, Mandati.*
4 *Mortalitate parentis sui iuris facti, ius agnationis tamen & consanguinitatis retinent.*
5 *Semel quæsita libertas nepotibus non adimitur.*
6 *Qui per dignitatem exijt potestate patris, retinet iura filiorumfam.*

H*I verò.*]Rectè hoc loco Iustinianus vsus est aduersatiua particula. Hic enim primus soluendæ 1
potestatis modus, filiofamilias proprius est, nec communis seruo, qui morte domini non liberatur, sed potius commutat dominum, fitque hæredis. ¶*In potestate parentis.*] Hoc est, patris, vel
aui. Latè quidem patet parentis appellatio, nec minus fœminæ quàm masculo cõuenit: interdum 2
tamen restringitur ad mares, vt hoc loco, & apud Anastasium [a] Imp. ¶*Mortuo ec.*] Vlpianus quodam loco ait [b], filium fieri sui iuris mortalitate parentis. Intelligit autem mortem, quæ est vltima
linea rerum humanarum. Vnde & Iustinianus in Nouella Constit. 22. θάνατος (inquit) πάντα ὁμοίως λύει. 3
[Mors omnia pariter soluit.] Certè soluit etiam Nuptias, Tutelam, Societatem, Mãdatum.
¶*Fiunt sui iuris.*] Sed quoties ita liberantur, retinent nihilominus ius agnationis & consanguinita- 4
tis, quemadmodum & si patre capite diminuto fiant sui iuris [c]. At diuersum est, si liberentur per emancipationem. ¶*Nam mortuo patre.*] Qui scilicet habebat filios in sua potestate. ¶*Et in potestate patris sui est.*] In potestate videlicet illa prima & natiua, in qua & natus est, & qua nunquam fuit li-
beratus. Nam alioquin si semel nepotibus quæsitum ius fuisset libertatis post mortẽ aui, receptus 5
in familiam pater illud non adimet. Quam rem Modestinus eleganter docet his verbis [d]; Si pater filium, ex quo nepos illi est in potestate emancipauerit, & postea eum adoptauerit: mortuo eo nepos in patris non reuertitur potestatem. Sed nec is nepos in patris reuertitur potestatem, quem auus retinuerat, filio dato in adoptionem, quem denuò redadoptauit. ¶*Aut per emancipationem.*]
Quod si per dignitatem, vt nihilominus retinet iura filiorum familias, ita etiam retinebit hoc ius
patriæ potestatis in filios mortuo auo. Sic enim Iustinianus agens de ijs, quos per dignitatem pu- 6
blicam vult sui iuris fieri, loquitur in Nouella Consti. 81. ὥστε παῖδες αὐτῶν μετὰ τελευτὴν τῶν πάππων εἰς τὴν αὐτῶν μεταπιπτέτωσαν ὑπεξουσιότητα, ὥσπερ ἂν εἰ ἔτυχον οἱ τούτων γονεῖς τελευτῇ τῶν οἰκείων πατέρων, ἀλλ' οὐκ ἐκ τοῦ παρόντος νόμου, αὐτεξούσιοι γενόμενοι. [& filij eorum post mortem auorum sub eorum recidant potestatem, ac si contigisset eorum parentes morte suorum patrum, & non ex præsenti lege, suæ potestatis fieri.]

a L. 5. C. de emanc. li.
b L. si ita esset. D. quãdo dies lega. ced.
c L. hi quorum. De suis & legit.
d L. si pater filium. de adopt.

§. *Cùm autem is.*

1 *Exilia fuisse olim voluntaria.*
2 *Neminem posse duarum ciuitatum esse ciuem.*
3 *Interdictioni*

3 Interdictioni aquæ & ignis successit deportatio.
4 Deportati siue ἀπόλιδας & peregrini habent ea tantùm quæ iuris Gentium sunt.
5 Deportatione adimi, id est, vehementer imminui libertatem.
6 Maxima vel media capitis diminutione intereunt homines.
7 Dum spiramus speramus.
8 Restitutionis spes prodest deportato legatario.
9 Indulgentia Principis aliâs plena in integrum restitutio est, aliâs sola pœnæ gratia.
10 Deportati contumacia cumulat pœnam.
11 Restituere in integrum quid sit?
12 In plena principis indulgentia quid veniat?
13 Relegatorum genera duo.
14 Relegatio, Ostracismus, Petalismus, quid?

¶*Cùm autem.*] Cicero in oratione pro domo sua, & pro Cecinna scribit, Veteres Romanos
1 nulli inuito ciuitatem ademisse: sed voluntarium fuisse exilium, vt cùm aliquis in aliam ciuitatem
esset receptus, amitteret Romanam, quia non posset duarum ciuitatum esse ciuis. Sed posteritas a-
2 liter iudicauit hac de re. Et vbi in vsu esse desijt interdictio aquæ & ignis, recepta est deportatio,
quæ statim adimeret condemnato ius Romanæ ciuitatis.

¶*Ciuitatem amittat.*] Vlpianus [a], itemque Martianus [b] deportatos vocant ἀπόλιδας, quia perdãt
3 omnia ciuitatis Romanæ iura, hoc est, ea omnia, quæ iuris ciuilis sunt. quanquam retineant ea,
4 quę sunt iuris gentium. Alibi dicuntur peregrini [c], qui ius ciuitatis non habent. Quia autem amis-
sa ciuitate, libertas, quæ reliqua est, non magni sit momenti, Callistratus [d] dixit deportatione adi-
mi libertatem quam intelligebat vehementer imminui. Huc etiam pertinet quod Cicero pro Ce-
5 cinna dixit: si semel ciuitas adimi potest, retineri libertas non potest. qui enim potest iure Quiri-
rum liber esse is, qui in numero Quirirum non est?

a L. 1. §. hi quibus. De legat. 3.
b L. quidã. de pœnis.
c L. 1. C de hære. inst.
d L. 5. de extr. cog.
e L. verũ. §. societas. D pro socio

¶*Perinde quasi eo mortuo.*] Intereunt homines maxima vel media capitis diminutione, inquit
Vlpianus [e]. Et Paulus [f] inter capitales pœnas refert exilium siue deportationem, per quam de ciui
6 tate caput eximitur. quanquam aliter iudicetur de relegatione. quod etiam probat Plinius lib. 8.
epist. Sanè patre deportato, non secus atque mortuo, nepos admittitur ad aui bonorum possessio-
nem [g]. Et deportati patroni filio competit bonorum possessio in bonis liberti: nec erit (inquit Pau
lus [h]) impedimento superstes patronus, qui mortui loco habetur. ¶*Sed si.*] Quæ pendent ab in-
7 dulgentia principis, non solent sperari [i]. tamen quia quis quandiu spirat, sperare debet, non adi-
mit deportatio cum ciuitate omnem prorsus spem restitutionis. Quinimo cùm legatum interci-
8 dat, si pendente conditione legatarius sublatus sit: eo deportato sustinetur propter hanc spem re-
9 stitutionis [k]. ¶*Indulgentia Principis restitutus.*] Significant hæc verba plenam in integrum restitutio-
nem: non autem solam criminis condonationem vel nudam indulgentiam. Nam ea nihil præ-
ter reditum tribueret. Vnde Imperator Alexander, [l] Si ademptis (inquit) bonis in insulam de-
portatus sis, quamuis ex indulgentia communi redijsti, actiones tamen quascunque habuisti, re-
manent in causa bonorum publicatorum. Et Gordianus rescripsit, [m] In insulam deportato filio,
hacque ratione vinculo patriæ potestatis exempto: si postea ex indulgentia Principis reditus in
patrium solum, præcedénsque dignitas restituta sit: tamen non videri repetitam patriam potesta-
tem. Addit Imp. Philippus, [n] Generalem indulgentiam Principis reditum deportatis tribuere,
non etiam integram atque illibatam existimationem. Scilicet indulgentia non tollit infamiam
criminis, sed pœnæ gratiam facit [o]. Porrò nemo potest commeatum remeatúmve dare exuli, nisi
10 Imperator ex aliqua causa, inquit Marcellus [p]. Et addit; deportatum, qui sine hac indulgentia ex-
cedit insulam, pœna capitis puniri; quia eius contumacia cumulet pœnam.

f L. 2. de publi. iud.
g L. 1 § quidã filiũ. de bon. poss. contra tab.
h L. fin et cẽ. § si deportatus. de bon. damn.
i L. apud Iulianum. §. vlt. De lega. 1.
k L. intercidit. De condit. & demonst.
l L. si ademptis. C. de senten. pass. & resti.
m L. in insulam. C. illo tit.
n L. generalis. C. illo tit.
o L. vlt. C. de gener. abolit.
p L. relegati de pœn.

¶*Per omnia pristinum statum recipiunt.*] Extat in Codice [a] exemplum, quod hunc locum illu-
strat, his verbis: Cum salutatus esset à Gentiano & Auento, & Opilio Macrino Præfectis prætorio;
clarissimis viris, item amicis & principalibus officiorum, & vtriusque ordinis viris, & processisset:
oblatúsque esset ei Iulianus Licinianus ab Opilio Vlpiano tunc Legato, in insulam deportatus:
tunc Antoninus Augustus dixit: Restituo te in integrum prouinciæ tuæ. & adiecit: vt autem scias
quid sit in integrum restituere: honoribus, & ordini tuo, & omnibus cæteris te restituo. Huc
11 pertinet & illud Imp. Constantini rescriptum [b], In quæstione testamenti, quod deportati filius
remeante patre fecisset, remotis Vlpiani atque Pauli notis, Papiniani placet valere sententiam:
vt in patris sit filius potestate, cui dignitas ac bona restituta sunt. Ita tamen, vt gesta per filium, cu-
ius consilia legitima ætas firmauerat, rata sint, eodem in potestatem patriam redeunte: ne eorum
rescisio efficiat (quod est maximè absurdum) eodem tempore nec in patris, nec in sua quenquam
12 fuisse potestate. deinde subdit: Tantum ad restitutionem indulgentia valeat, quantum ad corre-
ctionem sententia valuit: vtque deportationis ipsum per se nomen rerum omniũ spoliatio est:
ita indulgentiæ restitutio, bonorum ac dignitatis vno nomine amissorum omnium fit recupera-
tio. Intellige autem semper de plena indulgentia, quæ continet in integrum restitutionem. Nam
alioqui nec bona publicata [c], nec ius patriæ potestatis [d] redderet. Corn. Tacitus lib. 18. scribit, Vi-
tellium Imp. cùm exulibus quibusdã bona ablata fuissent, & ius in libertos: ijs ab exilio reuersis
iura libertorum concessisse, hoc est, iura patronatus reddidisse. ¶*Relegatus in insulam.*] Inquit Vl-
13 pianus [e], Relegatorum duo genera sunt. Sunt quidam, qui in insulam relegantur: & sunt qui sim-
pliciter: vt prouincijs eis interdicatur, non etiam insula assignetur. Sanè apud Latinos relegare
generaliter significat separare, aut summouere, siue, vt Cicero ait, amandare.

a L. 1. C. de sentẽ. pass.
b L. vlt. C. illo tit.
c L. 2. C de sentẽ. pa.
d L. si pater vester. C. illo tit.
e L. relegatorum. De interdict. & releg.

¶*In potestate liberos retinent.*] Inquit idẽ Vlpianus [f], Siue ad tempus, siue in perpetuũ quis fuerit
relegatus, & ciuitatem Romanam retinet, & testamenti factionem non amittit. Sic Marcellus [g]

f dict. l. relegatorum. §. siue ad tempus.
g L. 4. D. illo tit.

 ait, Rele-

ait, Relegâti in insulam, in potestate sua liberos retinent: qnia & omnia alia iura sua retinent. Ergo
deportatione leuior multis nomitibus fuit relegatio, vtpote quæ non temerè adimebat bona; si-
cuti nec olim apnd Athenienses ostracismus, nec apud Syracusanos petalismus. Sed hic admo-
nendi sumus aliquando καταχρηστικῶς relegatos dici, qui reuera deportati sunt. Vt cùm Paulus ait,
relegatos ciuitatem amittere.[a]

a L. amißione.§.1.De capi diminu.

§. *Pœna seruus, cum §§. seq.*

1 *Seruitutis pœna quæ sit vis?*
2 *Nemo liber supplicij nomine fit iam seruus.*
3 *Damnatio in metallum generalis non excessit decennium.*
4 *Damnatio in ludum venatorium.*
5 *Sanguinaria Romanorum spectacula.*
6 *Militia indignus, qui contemnit parentes.*
7 *In peculio castrensi filiusfa. est loco patrisfa.*
8 *Quando non possit pater filium prohibere militia.*
9 *Castrorum disciplina Romanis nihil fuisse antiquius.*
10 *Primipilariorum filios paternam conditionem sequi oportuit.*
11 *Subtrahentis filium militia multa.*
12 *Silentiariorum summa dignitas.*
13 *Consul filiusfamilias potest apud semetipsum emancipari.*
14 *Patria potestas apud Græcos olim exigua.*
15 *Filiusfa. in publicis causis est loco patrisfa.*
16 *Taurus Philosophus de potestate patria in filios gerentes magistratum.*
17 *Fabius Maximus consul imperat patri suo proconsuli.*
18 *Iustiniani constitutiones duæ de Dignitatibus soluentibus patriam potestatem.*
19 *Patricij olim Romanis qui Atheniensibus erant εὐπατρίδαι.*
20 *Patricij apud Græcos erant supremo Principis consilio præfecti.*
21 *Codicilli vocantur diplomata principis.*
22 *Codicillaris potestas quæ?*
23 *Episcopi debent esse patres spirituales omnium.*

b L. qui vltimo. De pœnis.
c L. quidã. de pœnis.
d L. aut damnum. §. vlt. de pœnis.
e dict. l. aut damnũ §. est pœna.
f L. in metallum. & l. seq. De pœnis.
g dict. l. aut damnũ. §. quicunque.

¶ *Pœna seruus effectus.*] Inquit Paulus[b]; Qui vltimo supplicio damnantur, statim & ciuitatem
& libertatem perdunt. Itaque præoccupat hic casus mortem: & nonnunquam longum tempus
occupat: quod accidit in personis eorum, qui ad bestias damnantur. Martianus autem ait[c]; Qui-
dam sunt serui pœnæ, vt in metallum dari, & in opus metalli. Et si quid eis testamento datum
fuerit, pro non scripto est: quasi non Cæsaris seruo datum, sed pœnæ. Vtque magis intelligamus
vim huius nouæ seruitutis, tollit ea ius alterius seruitutis. Nam si seruus in metallum damnatus 1
fuerit, quia pœnæ fit seruus, desinit esse prioris domini. Adeo vt beneficio principis liberatus, non
reddatur potestati prioris domini[d]. Sed vt hæc pœnæ seruitus adhuc locum habeat in seruis: in a-
liis certè personis locum habere amplius non potest. Extat enim Nouella Iustiniani Constitut. 22. 2
quæ non patitur aliquem liberum nomine supplicij aut pœnæ, seruum fieri. ἰδίνα (inquit) τὴν ἐξ ἀρ-
χῆς δὲ γεγονότων ἐκ τῆς τιμωρίας γίνεσθαι συγχωροῦμεν δικαίως. ¶ *In metallum damnantur.*] Huius supplicij
conditionem pluribus verbis explicat Vlpianus[e]: & indicat etiam Modestinus[f] non excessisse 3
decennium, cùm id intelligatur, si quis damnatus sit non præfinito tempore. Diodorus quoque
Siculus libro sexto describit grauitatem huius supplicij. ¶ *Bestiis subijciuntur.*] Idem si damnentur
in ludum venatorium[g], cum bestiis iusto Marte dimicaturi. Nam his immanibus & sanguinariis 4
spectaculis delectabatur populus Romanus, etiam si Imperator Caracalla non potuerit sine la- 5
crymis interesse.

h L. filiusfa. miles. de ritu nupt.
i L. 1. de obseq. à libe.
k L. 2. D. ad Se. Mace.
l L. 3. C. de castren. pecu.
m L. 1. §. & generaliter. de ven. in poss. mitt.
n L. postliminium. §. filius. De captiuis & postli. reuer.
o L. 2. C. de filijs officialium militar.
p L. quicunque. C. de cohortalib.
a L. 4. §. qui filium de re milit.
b L. honor. §. plebeij. de mun. & honorib.
c L. iubemus. C. de silent.
d L. 3. de adopt.

¶ *Si militauerit*] Non pertinet militia ad dissoluendam patriam potestatem. Itaque etiam re-
sponsum est, militem debere in suis nuptiis morari parentis consensum[h]. Et Vlpianus grauiter
admonet[i], etiam militibus pietatis rationem in parentes constare debere: pronunciatque eum
militia indignum, qui contempserit parentes. Illud vnum tribuit militia, quòd in castrensi pecu- 6
lio filiusfa. miles habeatur loco patrisfa[k]. Rectè itaque Imp. Alexander rescripsit[l]: Errat, qui tibi 7
persuasit, quod nexu paternæ potestatis, iure sacramenti solutus es. Manent enim nihilominus
milites in potestate parentum: sed peculium castrense proprium habent: nec in eo vllum ius patris
est. Interim admonendi sumus, non posse patrem prohibere militia filium. Est enim potior ratio 8
patriæ, cui non minus nos, quàm parentibus nasci scribit Vlpianus[m]. Et Paulus ait[n], Disciplinam 9
castrorum antiquiorem fuisse parentibus Romanis, quàm charitatem liberorum. Certè Impp.
Arcadius & Honorius iusserunt[o] filios Primipilariorum paternam sequi conditionem, Vtque 10
Primipilarius ex duobus filiis, alterũ militiæ, alterum curiæ tradat[p]. Sed & Arrianus respondit[a], 11
Patrem, qui filium suum subtrahit militiæ, tempore belli: exilio & bonorum parte multandum: si
in pace, fustibus cedendum. Quid multis? Nota est illa vox Seueri, quam refert Callistratus[b], Re-
sistere, quo minus patriæ obsequatur filius, iure patriæ potestatis non potes. ¶ *Vel si Senator, vel
Consul.*] Vel etiam Silentiarius[c]: cuius tamen summa erat dignitas; vtpote cùm Anastasius ex ea 12
fuerit euectus ad Imperatorium culmen, quasi de proximo gradu. Porrò autem Consulem hoc iu-
re non fuisse patria potestate liberum, indicat etiam Paulus[d], qui meminit Consulis Præsidisq; fi- 13
lijfamilias: & docet eum posse apud semetipsum emancipari.
¶ *Remanet in potestate patris.*] Dionysius lib. 11 Græcos Legumlatores ait, definijsse, vt filij in patris
potestate tantùm essent, qui nondum ascripti essent publicis muneribus gerendis, hoc est, vt ait, 14
μέχρι τῆς εἰς τὰ ἀρχεῖα τὰ δημόσια ἐγγραφῆς [donec publicè inter viros ascripti fuerint.] Sed Romulum
potestatem omnẽ patri dedisse, etiã in filium, qui summũ magistratũ gereret: κἂν τὰ πολιτικὰ πράτ-
τοι ὁ παῖς

των ὁ παῖς ἤδη τυγχάνῃ, κἂν ἐν ἀρχαῖς ταῖς μεγίσταις ἐξεταζόμενος, κἂν διὰ τὴν εἰς τὰ κοινὰ φιλοτιμίαν ἐπαινούμε-
νος. [etiamsi filius tractet Remp. etiamsi Magistratus gerat maximos, etiamsi liberalitatis laudem
15 publicè sit promeritus.] Interim tamen filiusfa. qui magistratum gerit, in publicis causis loco pa-
trisfa. habetur, inquit Pomponius [a]. nec, quod ad ius publicum attinet, sequitur ius potestatis [b].
16 Huc pertinet illa Tauri philosophi sententia, quam refert Gellius lib. 2. cap. 2. In publicis locis, atque
muneribus, atque actionibus, patrum iura, cum filiorum, qui in magistratu sunt, potestatibus col
lata interquiescere paululum, & conniuere. Sed cùm extra Remp. in domestica re atque vita se-
deatur, ambuletur, in conuiuio quoque familiari discumbatur, tum inter filium magistratum, &
17 patrem priuatum, publicos honores cessare, naturales & genuinos exoriri. Addit Gellius exem-
plum Fabij Maximi, qui cùm esset creatus Consul, & eius pater Proconsul equo insidens ad eum
veniret, per lictorem iussit patrem descendere, & in publica causa, si quid à filio Consule petiturus
esset, pedibus accedere. Nec inuitus Consulati imperio paruit pater.

a L. filiusfa. de his qui sui sunt vel alie. iur.
b L. nam quod. D. ad Senat. Trebel.

18 ¶ *Sed ex constitutione nostra.*] Extat hæc adhuc Iustiniani Constitutio [c]. Sed admonendi sumus
aliam deinde ab eo editam, quæ longè latius pateat. Nam exemplo patritiatus sanxit omnes di-
gnitates quæ liberarent nexu curiæ, etiam iure patriæ potestatis liberare. Veluti Consularem di-
gnitatem, Præfecturam Prætoriorum, Præfecturam Vrbicariam, Magisterium militum, itemque
& munus Episcopatus. Extatque adhuc hac de re Nouella Iustiniani Constit. 81. ad Senatum Con
stantinopolitanum. Cuius hæc est inscriptio, ἡ διάταξις, ἡ διὰ τῶν ἀξιωμάτων, καὶ τῆς ἐπισκοπῆς, ἐλευθερῶ-
σα τοὺς παῖδας τῆς ὑπεξουσιότητος. [Constitutio quæ per dignitates & Episcopale munus filios libe-
rat potestate patria.] Atque hæc quidem ratio dissoluendæ patriæ potestatis, illud quoque singu-
laris beneficij habet, quòd nihil imminuat legitimi iuris, aut commodi, quod haberet filiusfam.
19 ¶ *Summa patritiatus dignitas.*] Olim patritij apud Romanos vocabantur qui à primis illis patribus
& Senatoribus à Romulo conscriptis, trahebant originem. Cuiusmodi erant olim apud Athenien
ses εὐπατρίδαι. Et horum quidem conditionem Suetonius appellat Patritiatum. Sed apud Græcos
20 alij fuere Patritij, qui præerant supremo consilio, quasi patres patriæ. Erat enim Patritius, vt scri-
bit Suidas, ὁ πατὴρ τοῦ κοινοῦ [pater communis siue Reip.] nec Iustinianus hic erubescit eum agnosce-
re patrem. ¶ *Illico imperialibus Codicillis præstitis.*] Apud Iustinianum in Nouella Constit. 81 est, τῇ τῆς
21 ἀξίας δόσει. Ibidemque appellantur, σύμβολα, qui hoc loco dicũtur Codicilli. Sunt autem diploma-
ta, quæ continent testimonium collati à principe publici muneris. Vtiturque hac voce in eadem
significatione noster Hermogenianus [d]. Et apud Suetonium in Claudio legimus Codicillos da-
22 totum officiorum. Et Codicillaris potestas à Lampridio dicitur ea, quæ à Principe confertur.
¶ *Quis enim patiatur.*] Hunc locum tractat etiam Iustinianus in sua Cõstitutione [e], item in No-
uel. 81. vbi etiam de Episcopis loquens, simili vtitur ratiocinatione: οἱ γὰρ πάντων ὄντες πνευματικοὶ πα-
τέρες, πῶς ἂν ὑπὸ τῆς ἑτέρων ἐξουσίας τελοῖεν. [qui enim omnium sunt spiritales patres, quomodo sub a-
liorum potestate consistant.]

c L. vl. C. de cõsulib.
d L. administrantes. de excus. tut.
e dict. l. vlt.

§. *Si ab hostibus, & § seq.*

1 Non amici habentur pro hostibus.
2 A piratis, latronibus, in bello ciuili capti, permanent liberi.
3 Verbum capi complectitur & deduci in hostiũ præsidia.
4 Capitur qui repugnat.
5 Dedentes se hostibus, vt & transfugæ, carent postliminio.
6 Tutore capto datur vicarius, dum ille redeat.
7 Suspensi iuris constitutionem quid appellent Papinianus & Vlpianus.
8 Pendere ius liberorum patre capto, explicat quoddam Pauli responsum.
9 Capto patre videtur & status liberorum pendere.
10 Postliminio non videtur reuersus, qui animum remanendi non habet.
11 Miles stipendium eius temporis, quo captiuus apud hostes fuit, non accipit iure postliminij.
12 Miles expleto militiæ tempore ex captiuitate rediens accipit emerita.
13 Non vxor à marito, vt filius à patre, iure postliminij recuperatur.
14 Matrimonium solui captiuitate prohibuit Iustinianus.
15 Legis Corneliæ beneficio fingebatur mortuum apud hostes, ipso captiuitatis momento mortuus.
16 Filius captiuus reuertens duplicem causam habet postliminij.
17 Postliminium vnde dictum.
18 Postliminio quis redijsse videatur?

¶ *Si ab hostibus.*] Hic locus desumptus videtur ex Tryphonij responso [f], cuius verba sunt hæc;
Si quis capiatur ab hostibus, ij, quos in potestate habuit, in incerto sunt, vtrum sui iuris facti, an
adhuc pro filijsfam. computentur. Nam defuncto illo apud hostes, ex quo captus est, patresfami-
liarum; reuerso, nunquam non in potestate eius fuisse credentur. ¶ *Ab hostibus.*]. Vel ab ea gente
1 (inquit Pomponius [g]) cum qua neque amicitiam, neque hospitium, neque fœdus amicitiæ causa
factum habemus. Hi hostes quidem non sunt, sed pro hostibus habentur. Porrò à piratis vel la-
2 tronibus capti, liberi permanent [h]. Itemque & in ciuilibus dissensionibus capti [i]. ¶ *Captus.*] Et in
3 præsidia hostium deductus. Prius enim liber manet [k] & ciuis. Et captus quidem esse debet, cum
4 repugnatet. Nam postliminio carent, qui hostibus se dediderunt, inquit Paulus [l]. Sed nec trans-
5 fugæ vllum est postliminium [m].

f L. in bello. §. si quis. De capti. & postlim. reuers.
g L. 5. §. in pace. D. illo tit.
h L. postliminium. §. à piratis. D. illo tit.
i L. si quis ingenuã. §. in ciuilibus. D. illo tit.
k dict. l. 5. D. illo tit.
l L. postliminio. D. illo tit.
m dict. l. postliminiũ. §. transfugæ.

¶ *Fuerit parens.*] Idem & in tutore quo capto pendet conditio pupillorum. Expectatur enim 6
eius reditus: & interim vicarius tutor à iudice datur. ¶ *Pendet ius liberorum.*] Papinianus hunc locũ
a L. penult. de suis & legit.
tractans appellat suspensi iuris constitutionem [a], & ostendit eam obtinere, etiam si liberi interim 7
decesserint. nam & si postea apud hostes moriatur pater, credentur (inquit) patresfam. decessisse,
quamuis patria potestate, quandiu vixerit, non fuerint in plenum liberati: Et si postliminio re-
dierit iam ijs defunctis, nihilominus habiturum quicquid medio tempore per eos quæsitum fue-
rit. Vlpianus quoq; meminit huius suspensi iuris, traditq; etiam locum habere in Macedoniano
b L. 1. § si pendeat. D. ad Sen. Maced.
Senatuscõsulto. Inquit enim [b]: Si pendeat, an sit in potestate filius, vt puta quoniam patrem apud
hostes habet: in pendenti est, an in Senatusconsultum sit commissum. Nam si reciderit in potesta-
tem, Senatusconsulto locus est. Si minus, cessat. interim igitur deneganda est actio. Deniq; quòd 8
hic dicitur; pendere ius liberorum patre capto; pertinet ad explicandum, atque adeò castigãdum
c L. si quis posthumos. § si filium. de lib. & posth.
quoddam Pauli responsum, quod corruptum etiam in Florẽtinis libris mihi esse videtur [c]. Quod
si quis vrgeat, patre capto non propriè statum liberorum interea pendere, quia sint interea sui iu-
ris: saltem respectu ipsius patris captiui pendet: qui quamuis interea filios in potestate nõ habeat,
tamen propter spem postliminij non dicitur omnino amisisse ius patriæ potestatis. Hæc igitur sal-
tem interea non tam finita dicetur, quàm esse in suspenso. eaque ratione & status liberorum pen- 9
dere videtur. ¶ *Si reuersi fuerint.*] Quacunque tandem ratione, modò sit animus remanendi. Sic
d L. nihil interest. De capti. & postli.
enim ait Florentinus [d], nihil interest quomodo captiuus reuersus est: vtrum dimissus, an vi vel fal
lacia potestatem hostium euaserit: ita tamen, si ea mente venerit, vt nõ illò reuerteretur. Nec enim
e L. 5. § vl. D. illo tit.
satis est corpore domum quem redijsse, si mente alienus est. Et ideo (inquit Pomponius [e]) M. Atti- 10
lium Regulum, quem Carthaginenses Romam miserant, responsum est, non esse postliminio re-
uersum: quia iurauerat Carthaginem se reuersurum, & non habebat animum Romæ remanendi.

f L. postliminium. D. illo tit.
¶ *Omnia pristina iura recipiunt.*] Paulus ait [f], Pristinum statum: Sed a prior est vox Iuris, vt discer
g L. deniq; et l. seq. D. ex quib. cau. ma. l. cũ hæredes. § 1. de acqu. possess. l. si is qui pro emptore. de vsucap.
namus ea, quæ facti causam continent, quia iure postliminij non recipiuntur [g]. An autẽ eius tem-
poris, quo miles fuit apud hostes, stipendium reuersus accipiat, quæsitum est. Et rescripsit Antoni- 11
nus, id non tribui [h]. Paulusque respondit [i], Ex causa desertionis restitutum in militiam, non aliter
medij temporis stipendia & donatiua accipere, quàm si hoc ei specialiter liberalitas Principalis
h L. 1. C. de re milit.
indulserit. Sanè tamen Modestinus ait [k], eum, qui ab hostibus captus est, si expleto militiæ tempo- 12
i L. qui excubias. De re milit.
re redeat, vt veteranum restitui, & accipere emerita, hoc est, ea, quæ ob militiæ tempus expletum
dari solent veteranis. ¶ *Etiam liberos.*] At non (inquit Pomponius [l]) vt pater filium, ita vxorem
k L. 3. § sed si ex improuiso. de re mili.
maritus iure postliminij recipit: sed consensu redintegratur matrimonium. Et Paulus [m] respon-
dit, non, vt à patre filius, ita vxorem à marito iure postliminij recuperari: sed tunc cum & voluerit 13
l L. cum duæ. § vl. de capti.
mulier, & adhuc alij post constitutum tempus nupta non est. Si tamen noluerit nulla causa pro-
babili interueniente: pœnis dissidij teneri. Verùm non satis intelligo qua tandem ratione veteres
m L. non vt à patre. D. illo tit.
iudicarint captiuitate dissolui matrimonium, cùm deportatione non dissoluatur: nisi beneficij
loco duxerint liberari vxore, & onere matrimonij. Sed Iustinianus Nouella Constitut. 22 prohi- 14
buit matrimonium hoc modo solui, veritus fortasis ne hac spe multi non inuiti ab hostibus faci-
le caperentur, vel etiam affectarent captiuitatem. ¶ *Postliminium fingit eum.*] Inquit Vlpianus [n];
n L. retro. D. illo tit.
Retro creditur in ciuitate fuisse, qui ab hostibus aduenit. ¶ *Si verò ibi decesserit.*] Inquit idem Vl-
o L. in omnibus. D. illo tit.
pianus [o]: In omnibus partibus Iuris, qui reuersus non est ab hostibus, quasi tunc decesisse videtur,
cùm captus est. Atque hoc fuit beneficium legis Corneliæ, cuius toties fit in iure nostro mentio, &
p § vlt. inf. quib. non est per. fac. testamen.
nominatim ab ipso Iustiniano quodam postea loco harum institutionũ [p]. Ea fingebat mortuum
apud hostes, ipso captiuitatis momento mortuum, antequam seruus hostium fieret. Dicitutque 15
lata primo bello Punico, cùm tot Romanorum millia cum Regulo capta essent, nec redimerẽtur,
& tamen æquum esset eorum testamenta ante captiuitatem facta sustineri. ¶ *Ipse quoque filius.*] In-
a L. cum duæ. de capt. & postl. ren.
quit Pomponius [a]: Cùm filius reuertitur, duplicem in eo causam esse oportet postliminij: & quod 16
b § item finitur. inf. quib. mod. tut. fini.
pater eum recuperet, & ipse ius suum. Porrò autem aliud statutum est de pupillo, cuius captiuitate
statim finitur tutela [b]. nihil enim pupillus habet iuris in tutorem, quod posit recuperare postli-
minio reuersus: at filius multa habet cõmoda ex patria potestate. ¶ *Dictum est postliminium.*] Cice-
ro in suis Topicis inquit; Scęuola P. Filius, Postliminium iunctum putat esse verbum, vt sit in eo, 17
& post & limen: vt quę à nobis alienata sunt, cùm ad hostem peruenerint, & ex suo tanquam limi-
ne exierint; hinc cùm redierint pòst ad idem limen, postliminio redijsse videantur. ¶ *Et in fines*
c L. postliminiũ. § postliminio. D. illo tit.
nostros.] Inquit Paulus [c]: Postliminio redijsse videtur quis, cùm fines nostros intrauerit: sicut vbi fi- 18
nes nostros excesit, amittitur. Sed & si in ciuitatem sociam amicámve, aut ad Regem socium vel
amicum venerit, statim postliminio redijsse videtur: quia ibi primùm nomine publico tutus esse
incipiat.

d L. nihil interest in fi. de capt. & postli.
¶ *Sed & qui.*] Hæc appendix ad verbum descripta est ex responso Florentini [d].

§. Præterea emancipatione, & §§. seq.

1 *Abdicatio veterum prorsus est sublata.*
2 *Emancipationis obseruatio antiqua quæ?*
3 *Emancipari filius nequit, nisi deductus in imaginariam seruilem causam.*
4 *Filius nisi tertio venderetur à patre, redibat in potestatem.*
5 *Emancipationis via expeditior, permittere filium sua sibi agere.*

6 Bona

6 *Bona filijfa. mortui occupabat pater suo iure, filij emancipati vt hæres.*

7 *Emancipationis & patriæ potestatis discrimina hodie sunt sublata.*

8 *Patri non gratis emancipanti filium denegatur possessio bonorum eius.*

9 *Iniquum, ingenuis non esse liberam rerum suarum alienationem.*

10 *Si emancipatus hæredes fecerit turpes personas, totorum bonorum contra tabulas possessio datur parenti.*

11 *Non contradicens, videtur consentire.*

12 *Emancipato me abs te, reuersus ab hostibus filius meus loco nepotis tibi est.*

13 *Veteres semper aluerunt filiorum erga parentes reuerentiam.*

14 *Ius cuique suum tribuendum illibatum.*

15 *Nec patres nec filij inuiti vel emancipant vel emancipantur.*

16 *Ex quibus causis cogantur parentes emancipare liberos.*

17 *Hypothecarius ancillam oppigneratam volens prostituere, ius pignoris amittit.*

¶ *Præterea emancipatione*]Proponit hic Iustinianus modum patriæ potestatis maximè vulga-
1 tum, quique vnus semper est obuius. Nam abdicatio qua veteres vtebantur, similior erat exhære-
dationi, quàm emancipationi. nec efficiebat ne aliquis filius non esset, sed ne hæres: vt etiam osten
dit Fabius lib. 3. cap. 8 Hodie autem prorsus est sublata [a]. ¶ *Per antiquam legis obseruationem.*]Huius *a L. abdicatio. C. de pat. potest.*
veteris obseruationis meminit Caius libro priori suarum Institutionum. Naturalis pater coram
2 Præside præsentibus septem testibus, & libripende mancipabat, tradebatque filium suum fiducia-
rio patri, qui loco emptoris erat, & aliquot numos precij loco dabat. Et hunc filium ita emptum
vt seruum suum deinde manumittebat. Itaque & Paulus ait [b]; Emancipato filio capitis diminu- *b L. 3. 1. De capi. dimi.*
3 tionem manifestè accidere, quia emancipari nequeat, nisi sit in imaginariam seruilem causam de-
ductus. Meminit & Iustinianus in sua Consti. iniuriosorum rhapismatum, hoc est, alapatum, qui-
bus etiam veteres vtebantur in emancipationibus [c]. Meminit & in Nou. sua Constit. 81. inquiens, *c L. vl. C. de emancip. liberorum.*
ἡ τῆς αὐτεξουσιότητος πρᾶξις, πάλαι μὲν ἀπὸ τῶν καλουμένων legis actiones γινομένη, καὶ μεθ' ὕβρεων καὶ ῥαπισμά-
των ἀπήλλαττεν αὐτοὺς τῶν τοιούτων δεσμῶν, &c. [emancipationis actio, dudum quidem per eas quæ nun
cupantur legis actiones facta, cum iniurijs & alapis, liberabat eos huiusmodi vinculis.] Sanè o-
lim cùm filium pater vendidisset, sicuti vendere poterat, & ab emptore domino is manumissus es-
4 set, redibat in patriam potestatem, nisi iam tertiò à patre venditus esset. autor est Dionysius lib. 11.
¶ *Imperiali rescripto.*] Anastasius Imperator (cuius adhuc extat constitutio [d]) videtur veteris *d L. pen. C. de emancip. liber.*
obseruationis loco statuisse, vt à Principe rescriptum de emancipatione impetraretur, eiusque au-
thoritate apud competentem iudicem perficeretur emancipatio Iustinianus non sustulit huius
Imperialis rescripti vsum, sed ostendit non esse necessarium, cum & sine eo liberè posit apud com
petentem iudicem filius emancipari. Qua de re adhuc extat Iustiniani constitutio [e]. Addit autem *e L. vl. C. de emãcip. liber.*
5 Harmenopulus aliam deinde editam constitutionem à Leone Imperatore, quæ faciliorem red-
didit emancipationis viam. Statuebat enim satis esse, si pater permitteret filium rem suam sibi a-
gere. ¶ *Et tunc.*] Id ex veteri iure est. Olim peculium & bona mortui filijfa. occupabat pater iure
6 suo, nec hæres erat emancipati autem, beneficio Prætoris factus est hæres per bonorum possessio-
nem contra tabulas, si in ijs esset præteritus. Id quod diligenter pertractatur lib 37. Pandectarum,
tit. Si à parente quis manumissus fuerit. Quomodo autem fuerit legitimus ab intestato hæres, do-
cet posteà Iustinianus [f]. Sed hodie nullus est harum rerum vsus, cùm etiam Iustinianus Nouel. sua *f §. vlt. inf. de legiti. agna. success.*
7 Constit. 118. sustulerit discrimina emancipationis & patriæ potestatis, & simpliciter statuerit, pa-
trem esse hæredem filij, qui sine liberis mortuus est. Sed tamen videamus antiqui iuris ordinem.
¶ *A parente manumissus.*] Sponte & gratuito. Nam si parens vel accepit pecuniam vt emanciparet,
vel posteà in eum filius viuus quantum satis est, contulit, ne iudicia eius inquietaret: exceptione
doli repelletur [g]. Sed & cùm Traianus coëgisset patrem emancipare filium, quem durius tracta- *g L. 1. §. si parens. D. si a paren. quis m.m.*
8 bat; filio defuncto, refert Papinianus, consilio Neratij Prisci & Aristonis, patri propter necessita-
tem soluendæ pietatis, denegatam bonorum possessionem. ¶ *Eadem iura præstantur parenti.*]Est ta-
men aliquid discriminis, & modò plus, modò minus iuris præstatur patri. Nam eius liberis non
datur bonorum possessio contra tabulas. datur tamen liberis [h] patroni. Deinde scribit Caius [i], non *h dict. l. 1. §. liberos. i L. 2. D. illo tit.*
vsque adeò exæquandum esse patrono parentem, vt etiam Flauiana aut Caluisiana actio ei detur;
9 quia iniquum est, ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienationem. Sed subij-
10 cit Paulus [k] (in quo plus iuris habere videatur pater.) Quod si turpes personas veluti meretrices e- *k L. 3. D. illo tit.*
mancipatus hæredes fecerit, totorum bonorum contra tabulas possessio parenti detur. Illud verò
inter discrimina non retulero, quòd non detur parenti bonorum possessio aduersus tabulas filij
emancipati, qui militare [l] cœpit: nam nec patrono datur [m]. ¶ *Et præterea.*] De legitima parentum *l dict. l. 1. §. est et alius. m L. etiam. §. si patronus de bo. liber.*
tutela suo loco posteà commodius dicemus.
¶ *Admonendi.*]Totus hic locus ad verbum descriptus est ex Caio: cuius responsum extat in Pan-
dectis [n]. Sed clarius est, quàm vt desideret operã interpretis. ¶ *Non contradicente.*] Scribit Celsus [o], *n L. liberũ. de adopt. o L. in adoptionib. De adopt.*
11 in adoptionibus filiorum fam. & patris. & filij arbitrium spectandum: sed addit, consentiendo vel
non contradicendo. ¶ *Antea diximus.*]Et nos quoque antea diximus, quæ huc pertinent: nec ope-
ræ precium est repetere, præsertim cùm non tam dissoluant, quàm permutent patriam potestatem.
12 ¶ *Ex filio tuo.*]Naturali vel arrogato. Nam etsi me tibi arrogandum dedissem: emancipato me, re-
uersum ab hostibus filium meum, loco nepotis tibi futurum ait Paulus [p]. Porrò quod hîc dici- *p L. si me tibi. De capti. & postli. reu.*
mus de emancipato filio, non habet locum in ancilla prægnante manumissa. quia partus liber est,

a §.1.supra de ingen.
b L.nõ potest.de adop.
c L.4.C.de emancip. liberi.
d L.penul.D.vnde liberi.

nec inspicitur tempus conceptionis fauore libertatis, quemadmodũ suo superius loco diximus [a].
Et quidem neque.] Videtur hic locus desumptus ex responso Martiani, quod extat his verbis [b]; Non
potest filius, qui in potestate patris est, vllo modo compellere eum, ne sit in potestate; siue natura-
lis, siue adoptiuus sit. Et testantur Diocletianus & Maximianus [c], sese nequaquam compulsuros
parentes ad emancipationem. Vnde & Papinianus tradidit eum [d], qui à cognato esset institutus
sub hac conditione; si in potestate patris nõ manserit; posse statim petere bonorum possessionem,
agnationis nomine. Nam quod ad illam conditionem attinet, non esse in eius potestate. Sanè &
si pater condemnatus fuerit; voluit Iustinianus [e], filium à patre petere emancipationem: vt liber-
tatem, non damnationis, sed lenitatis paternæ testem habeat. Adeò semper veteres aluerunt natu 13
ralem filiorum erga parentes reuerentiam. Vt autem non temerè coguntur parentes emancipare,
ita nec patroni assentiri restitutioni natalium [f]; nec domini manumittere [g]. Itaq; Adrianus Imp.
non est assensus populo, volenti aurigam, qui in circo placuerat, liberum fieri, ne domino fieret
iniuria. Et Cato in summo Vticensium periculo non permisit seruos inuitis dominis eripi, & qua-
si liberos militiæ nomen dare. Vsque adeò veteres curarunt vnicuique ius suum illibatum mane-
re [h]. Verùm illud interest inter seruum & filiumfa. quod ille etiam inuitus quandocunque posit 14
manumitti. Hic verò, vt non potest ab inuito patre emancipationem extorquere, ita nec à volen-
te potest inuitus emancipari: nisi sit indignus familia. Rectè itaq; Iustinianus in Nou. sua Constit. 15
89. λύειν (inquit) τὰς ἐξουσίας τοῖς ἀκόντων τῶν παίδων ἐν ἀφειμένον ἐστὶ τοῖς πατράσι. [soluere potestatem
inconsultis liberis non est permissum patribus.] Posletq; filius illud è declamationibus obtende-
re; Etsi parendum in omnibus patri, in eo non parendum, quo efficitur, ne pater sit. *Pene.*] Re-
ctè Iustinianus addidit hanc notam exceptionis, quam Martianus omiserat. Sunt enim quædam
causæ, ob quas cogantur parentes emancipare liberos suos. Veluti si agnouerint legatum ea condi 16
tione relictum [i]. Et quem promiserunt tractare vt filium, si non emancipaut, pœnam stipulationi
additam præstant [k]; Sed & filium, qui contra pietatem durius tractabatur, voluit Traianus eman-
cipari [l]. Postremò si leno sit pater, qui filiabus suis peccandi necessitatem imponat, iubetur [m] Epi-
scopus filias liberare. Notumq; est illud è Tragœdia; Adulterorum virgo deserui domum. Et sanè 17
si creditor hypothecarius ancillam sibi obligatam pignori prostituere vellet, eo ipso amittit ius sui
pignoris, & ancilla illi eripitur [n].

e L.vlti.§.vlti. C.de senten.pass.
f L.vlt.de nat. rest.
g L.si priuatus. D. qui & à quib.man.
h §.vlt.supra de his qui sui sunt vel al.iu.
i L.si cui legatum. de condi.& demonst.
k L. quidam cũ filiũ. de verb.obligat.
l L.vlti. D. si à patre quis manu.
m L. si lenonũ. C. de episc.andien.
n L.eleganter.§.vlti. de pignerat.act.

IN TITVLVM SEQVENTEM

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Continuatio huius tituli.*
2 *Principes soliciti sint, vt lubricum ætatis minoris certo fulciatur subsidio.*
3 *M. Antoninus philosophus creauit Prætorẽ Tutelarẽ.*
4 *Legumlatorum Atheniensium vnus destinatus erat rebus Orphanorum & minorum curandis.*
5 *Demosthenes adolescens perfidiam suorum Tutorum vlus est.*
6 *Noua quadam in Gallia tutelæ species.*
7 *Dionysius Syracusius fructus rerum pupillarium ad se pertraxit.*
8 *Malcolmus Scotiæ, Henricus III. Angliæ Reges, tutelam pupillorum ipsi assumpserunt, eorumq; fructum fisco addixerunt.*



Actenus dictum est de ijs, qui sunt alieno iuri subiecti: nunc transit Iustinianus ad eos 1
qui sunt quidem sui iuris, sed tamen adhuc ab alijs reguntur, nempe à Tutoribus vel
Curatoribus. Ac prius quidem ordinem naturæ secutus agit de tutelis, primumq; docet
titulo sequenti, quid tutela sit, & cuius testamento detur. Reliqua deinde reliquis titu-
lis diligenter pertractat, admodum solicitus vt lubricum minoris ætatis certo fulcia- 2
tur subsidio. Et fuit profectò legumlatoribus semper curæ & cordi tutela pupillorum. Testatur id
Iustinianus in Nou sua Constit. 72. his verbis: διαφερόντως ἡ περὶ τοὺς νέους φροντὶς, μεγίστη γὰρ ἐστι σπουδῆς ἀξίων τοῖς τὰ νομοθετεῖν παρὰ θεοῦ τὴν ἐξουσίαν λαβοῦσι. *[potissimùm quæ circa minores curatio est summo stu-*
dio ab illis affectatur, qui ferendarum legum autoritatem & potestatem à Deo acceperunt.] Et Se-
uerus Imp. Vlpio Rufino scribens gloriatur, omnibusq; liquere desiderat [o], sese omnem rationem ad-
hibere subueniendis pupillis, cùm etiam id pertineat ad curam publicam. Certè quidam olim existima
runt [p] vtilitati publicæ repugnare hanc conditionem: Si pupillus tutores non habuerit. Vt non teme- 3
rè M. Antoninus philosophus in hanc rem crearit nouum Prætorem, quem dixit Tutelarem. Apud 4
Athenienses vnus ex Thesmothetis, qui dicebatur ὁ βασιλεὺς, *curabat, vt inquit Libanius,* τὰ τῶν ὀρφανῶν καὶ ἐπικλήρων: *vel sanè, vt alij volunt, is qui dicebatur* ἄρχων ἐπώνυμος, *cui incumbebat cura dandorũ*
pupillis tutorũ, quos propriè appellabant τοὺς τῶν ὀρφανῶν ἐπιτρόπους, *vt differrent à viduarum defenso-*
ribus, quos appellabãt χηρῶν ἐπιτρόπους. *Lysias non obscurus orator apud Athenienses meminit* τῶν νόμων, οἳ κεῖνται περὶ τῶν ὀρφανῶν. *[legum quæ constitutæ essent de pupillis.] Et Xenophon in Poris, siue de*
reditibus, indicat Athenienses habuisse suos ὀρφανοφύλακας. *Certè & Plato lib. 11. de Legib. diligenter*
admonet præcipuè curã esse habendã pupillaris ætatis. μηχανᾶσθαι δεῖ τινα παραμυθίαν τῆς ὀρφανίας τύχῃ τοῖς γενομένοις ὀρφανοῖς ὡς ἧκιστα ἔλαττον ἔχειν τῆς συμφορᾶς. *Quo fit, vt feruentiorib. animis incumbere debeamus*
in hanc tam piam & necessariã iuris ciuilis partem. Et vt adolescens Demosthenes vlturus perfidiã
suorum

o L.2.D.qui pet.tut.
p L.2.§.tractari.D. ad Sen.Tertyll.

5 *suorum tutorũ, ab hac fauorabili causa eloquentiæ suæ tyrociniũ auspicatus est, magnamq́ sui spem excitauit: ita nunc agedũ ô iuuentus, alacribus animis totam tutelarũ rationem perdiscens, maioris deinde grauiorisq́ studij futuri specimen edito, & veluti in tua causa excitator, maximè cùm nihil hic habeas obsoletæ antiquitatis, aut quod plus tædij, quàm fructus habeat. Porrò illud obiter admo-*
6 *neo, paßim in Gallia moribus esse receptam, quandam nouam & priscis Romanis incognitam, tutelæ speciem, quam appellamus,* GARDE, *vel* BAIL, *Cuius ea vis sit, vt rerum pupillarium fructus tutor suos faciat, modò pupillum alat, eiusq́ æs alienum dissoluat, & possessiones sartas tectas tueatur. Datur autem parentibus vel agnatis, qui hac ratione fiunt quodammodo rerum pupillarium domini, etiam si eas restituant adulto. Sed liberum est eius loco suscipere legitimam tutelam, quam ius ciuile introduxit. Nec cui autem omnino noua videatur: scribit Aristoteles lib. 2. Oeconomicorum,*
7 *Dionysium tyrannum Siciliæ, voluisse fructus rerum pupillarium aliquando suos fieri.* Διονύσιος *(inquit)* συρακούσιος ἀνδρῶν χρημάτων ἐκέλευσεν ἀπογράψασθαι χρήματα πρὸς αὐτὸν, ἕως οὗ οἱ ὀρφανοὶ ... καταψηφίζων δὲ ἄλλων, τὰ τούτων χρήματα ἀπεχρᾶτο, ἕως ἕκαστος εἰς ἡλικίαν ἔλθοι. *Legimus quoque quendam*
8 *Scotiæ Regem Malcolinum statuisse pupillos in Regis tutela esse, eorumq́ interim fructus fore fisci. Idq́ etiam in Anglia secutum Regem Henricum tertium, testis est Polydorus.*

De Tutelis, Tit. XIII.

TRANSEAMVS nunc ad aliam diuisionem personarum. Nam ex his personis, quæ in potestate non sunt, quædam vel in tutela sunt, vel in curatione, quædam neutro iure tenentur. Videamus ergo de his, quæ in tutela vel in curatione sunt. Ita enim intelligemus cæteras personas, quæ neutro iure tenentur. Ac prius dispiciamus de his, quæ in tutela sunt.

Est autem tutela (vt Seruius definiuit) vis ac potestas in capite libero ad tuendũ eum, qui per ætatem se ipse defendere nequit, iure ciuili data ac permissa.

Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent, exq́ue ipsa re nomen acceperunt. Itaque appellantur tutores, quasi tuitores atque defensores, sicut æditui dicuntur, qui ædes tuentur.

Permissum est itaque parentibus, libetis impuberibus, quos in potestate habent, testamento tutores dare. Et hoc in filios filiasq́; procedit omnimodo. nepotibus verò neptibusq́; ita demum parentes possunt testamento tutores dare, si post mortem eorum in potestatem patris sui non sunt recasuri. Itaque si filius tuus mortis tuæ tempore in potestate tua fit: nepotes ex eo non poterunt ex testamento tuo tutores habere, quamuis in potestate tua fuerint, scilicet quia mortuo te, in potestatem patris sui recasuri sunt.

Cùm autem in compluribus alijs causis posthumi pro iam natis habeantur: & in hac causa placuit non minus posthumis, quàm iam natis testamento tutores dari posse: si modò in ea causa sint, vt si viuis parentibus nascerentur, sui hæredes, & in potestate eorum fierent.

Sed & si emancipato filio tutor à patre datus fuerit testamento: confirmandus est ex sententia Præsidis omnimodo, id est, sine inquisitione.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Filiusfamilias tutor esse potest.*
2 *Si ætas indigeat tutela, cessat cura.*
3 *P. Seruius Sulpitius Rufus arte tractauit primus ciuilem scientiam.*
4 *Vis pro iure accipitur.*
5 *In præpositionis constructio.*
6 *Seruus tutorem quando petere poßit.*
7 *Tutores non rebus duntaxat sed & moribus sunt præpositi.*
8 *Curator non solùm patrimoniũ sed & corpus tuetur.*
9 *In iuuentutis institutione spes sita est Resp.*
10 *Principes debent esse patres imbecillorum.*
11 *Tutores rarò respondent suo nomini.*
12 *Lysias filiorum Diodoti patronus contra Diogetonẽ.*
13 *Verres tutor Malleoli.*
14 *Mulier præferens lubrico tutelæ, remedium fideicommissi.*
15 *Æditus etymologia nominaq́ diuersa.*

IN *potestate non sunt.*] Neque herili, neque patria. Nam prior prohibet seruum habere, vel alijs esse, tutorem. Altera filiumfamilias non patitur tutelæ subijci, quanquam non obstet, ne sit alijs tutor.

a §.1. Supra de his qui sui sunt vel alie. iuris.
¶ *Ita enim intelligemus.*] Locus est à contrarijs, de quo supra diximus [a]. ¶ *Ac prius dispicia-* 1
mus.] Nam & id exigit ordo naturæ: vtque prior, ita & porior est ratio ætatis, quàm demenriæ, ob
b L.3. de tutel.
quam daretur curator: & cessat cura, si tutelæ ætas indigeat, inquit Vlpianus [b]. 2
¶ *Vt Seruius definiuit.*] Fuit hic P. Seruius Sulpitius Rufus, iuris peritißimus, qui primus arte 3
quadam pertractauit ciuilem scientiam. Dialecticam enim adhibuit, multasque iuris partes defi-
nitionibus & distinctionibus illustrauit: vt eius autoris nomine non parum commendetur defi-
nitio tutelæ, in qua & causam & officium tutelæ licet deprehendere. De hoc Seruio extat oratio
Ciceronis; eiusque vita diligenter perscripta à Rutilio. ¶ *Vis & potestas.*] Hæc affinia sunt & ea-
dem ferè Ideoque paßim apud Latinos nostrosque iurisconsultos coniungi solent, alioque posteà
c §. adipiscendæ. inf. de interd.
loco à Iustiniano coniunguntur [c]. Et vim quidem rectè accipiemus pro iure; nam & Theophilus 4
& Harmenopulus vertetunt *δίκαιον*.
d L.1. de tutel.
¶ *In capite libero.*] In Pandectis [d] adijcitur hæc vox, CONSTITVTA: sed prudenter eam hîc omi-
sit Iustinianus, vt clarius magisque significaret caput pupilli, quàm tutoris. quod apertè indicat
Theophili versio; *κατὰ ἐλευθέρας κεφαλῆς, πρὸς ἀσφάλειαν αὐτῆς.* [in liberum caput, ad securitarem siue
præsidium eius & cautionem.] Et ne quem moueat Latinæ phraseos nouitas, annotat Gellius li-
bro primo capite septimo, apud veteres hanc præpositionem, IN, modò accusatiuo, modò ablatiuo 5
iungi. Nec sunt ignota illa legis duodecim tabularum verba; SI FVRIOSVS EXISTET, agnatorum
gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto. Porrò autem satis constat, liberum esse debere
caput, quod tutelæ subijcitur: adeò vt nec filiusfamilias tutorē habere poßit; nedum seruus. quan-
quam si seruus aspiret ad libertatem fideicommissariam, & hæreditatem relictam petat, potest pe- 6
tere tutorem; quemadmodum & is, qui de statu suo litigat. Sed hæc tutoris datio ita demum rata
erit, si liber fuerit iudicatus.
¶ *Ad tuendum eum.*] Hoc est, eius potißimum personam, cuius hîc prima cura, & ratio haben-
e L.1. de legi. tutel.
da est; deinde etiam patrimonij. Nam & bona tueri debent tutores, inquit Vlpianus [e]. Et Paulus
f L. cùm in plures. §. cum tutor. de admi. tutorum.
vtrunque est complexus, inquiens [f]; Cùm tutor non rebus duntaxat, sed etiam moribus pupilli 7
præponatur, imprimis mercedes Præceptoribus constituet, &c. Et lex vetus [g] iubebat tutorem su-
g L. sæpe ita. de ver. signif.
per pecunia & super tutela pupilli dari. Gordianus Imper. ait [h], Curatorem sustinere solam rei fa-
h L. in copulandis. C. de nupt.
miliaris administrationem. Sed interim pati non debet corrumpi mores minoris. Certè Caius re-
spondit [i], Consilium & operam Curatoris tueri debere non solùm patrimonium, sed & corpus, & 8
i L. consilio. de curat. fur.
salutem furiosi.
¶ *Qui propter ætatem se defendere nequit.*] Qui per sese satis non sapit, alterius prudentioris consi-
lio niti debet, & par est, sapientiores opitulari imperitioribus, præcipuè ætati imbecilliori, cuius e-
k L.1. de minorib.
tiam hostes misereri solent: eoque diligentius, quo magis insidiis & captionibus est exposita, [k] 9
non sine magno Reip. periculo, si quidem eius spes est in recta institutione iuuentutis. Certè pie-
tatis & humanitatis plenum est illud Iustiniani in Nou. Constit. 72. votum, *ἵνα διὰ πάντων πατέρες* 10
τοῖς ἑαυτοῖς βοηθεῖν μὴ δυναμένοις γενώμεθα. [vt per omnia patres eorum, qui sibi auxiliari nequeunt,
existamus.] Atque is est naturæ cuiusdam melioris instinctus, vt propensiores simus in eos tuen-
dos, qui nondum per ætatem sese tueri possunt.
¶ *Tutores autem sunt.*] Locus est à coniugatis, de quo superius plura diximus. ¶ *Quasi tuitores
atque defensores.*] Aristoteles libro quinto Politicorū, contrariorum loco habet, *δεῖ μὴ σφετεριστὴν, ἀλλ'
ἐπίτροπον εἶναι.* [nō oportere interuersorem sed curatorē esse.] Sed nescio quomodo nimis verum est
l L. taberna. de verb. signif.
quod dicitur [l], multa nomina ab antiquo more deducta manere, etiam si mos ille fuerit mutatus.
Certè horrendū est, quàm nō respondeant plerunq; tutores suo nomini. Id olim magno suo malo 11
Demosthenes expertus est, & filij illi Diodoti, quorū causam egit Lysias aduersus Diogetonē tu- 12
torem, vt est apud Dionysium Halicarn. in lib. de antiquis Oratoribus, aut si magis Romana quæ-
ris exempla, testem producam illum Malleolum, cuius tutor Verres, quod argenti placuit, inuasit: 13
quæ mancipia voluit, abduxit; de cæteris rebus, quantum libuit, abstulit: nec rationem interim
dans, nec pecuniam reddens; vt scribit Cicero. Vnde est, quod illa prudens mulier apud Papinia- 14
m L.3. §. pen. de vsur.
num [m], prætulit lubrico tutelæ, remedium fideicommißi. quodque dictum est ab Apuleio: Tuto-
rem magis imminuere, quàm tueri opes pupilli. Atq; vtinam solas opes perderet, non etiam mo-
res, quibus tuendis formandisque potißimum datus est. Sed noti sunt tutores illius P. Ebutij, de
quo Liuius libro 9. Decad. 4. ¶ *Sicut æditui.*] Gellius lib. 12. cap. 8. Varronem secutus admonet, re- 15
ctius dici ęditimum, quasi ædis intimum; & ęditui vocabulum recenti nouitate fictum, quasi à tu-
endis ædibus. Veruntamen vsus (penes quem est ratio & norma loquendi) magis probauit vocem
n L.3. de tabu. exhib.
ęditui. Meminit Vlpianus [n] æditiuorum, & ait ijs demandatam curam locorum sacrorum. Memi-
o L. cùm pater. §. donationis. de leg. 2.
nit & Papinianus [o]. Plinius libro 14. cap. 7. appellat tutelarium, eum, qui tuetur ædes sacras pu-
p L. annua. §. Attia. de annu. lega.
blicasque: Græci *νεωκόρον*. Erat autem alius ædium sacrarum custos, quem Aristoteles *ναοφύλακας*, no-
ster Scæuola [p] appellat *ἱεροφύλακας*.

§. Permissum est.

1 *Iustinianus eo ordine tractat tutelas quo & deferuntur.*
2 *Testamentariam tutelam esse antiquißimam.*
3 *Ancus Martius dedit filijs suis tutorē L. Tarquinium.*
4 *Liberis etiam exhæredatis Testamento tutores dari possunt.*

5 *Mater*

5 *Mater instituto filio haredi tutorem dare potest.*
6 *Extraneus impuberi haredi instituto potest dare tutorem.*
7 *Ius alienum minui non potest.*
8 *Posthumi habentur pro iam natis, vbi de eorum commodis agitur.*
9 *In dubia lectione inspiciendum archetypum.*
10 *Inquisitio de personis tutorum qualis.*
11 *Non scriptura testamenti sed vtilitas pupillorum sequenda est.*

1 ¶ *Permissum est itaque.*] Iustinianus eo ordine tutelas tractat, quo & deferuntur. Primo itaque
loco agit de testamentaria tutela, cuius est prior potiorque causa: & ostendit à quibus ea detur, re-
2 ferens permissionem legis duodecim tabularum, quæ etiam extat apud Caium [a]. Nec dubium
3 est, quin apud Romanos fuerit etiam in vsu ante duodecim tabulas. Nam legimus Ancum Mar-
tium Regem Romanorum dedisse filijs suis tutorem L. Tarquinium. Certè & Plato in suis Legi-
bus iubet ratam esse dationem tutelæ, quæ ex patris testamento proficiscitur. Inquit enim; ἐὰν ὁ πα-
τὴρ διαθέμενος τελευτᾷ, ᾗ χήρας ἐπιτρόπους τοῖς παισὶν ἑλόντας τε καὶ ὁμολογοῦντας ἐπιτροπεύσειν, οὕστινας ἂν καὶ
ὁπόσους ἂν ἐθέλῃ, κατὰ ταῦτα τὰ γραφέντα ἡ τῶν ἐπιτρόπων αἵρεσις γιγνέσθω κυρία. ¶ *Parentibus.*] Etiam mi-
noribus 25. annis, modo sapiant, satisque perpenso consilio [b] vsi sint.
4 ¶ *Liberis.*] Etiam [c] inuitis, & exhæredatis [d]. Neque enim ideò minus sunt in potestate. Vnde
& ijs potest pater pupillariter substituere [e]. ¶ *Impuberibus.*] Neque enim puberibus dari potest tu-
tor. Et si detur, inutilis prorsus erit datio, vt nec curator datus intelligatur. ¶ *Quos in potestate ha-
bent.*] Id indicat tantum hic agi de parentibus masculini sexus. Nam & hi soli in potestate liberos
habere possunt: mater verò non habet. Ideoque nec tutorem dare potest, sed tamen solet ab ea da-
5 tus tutor à præsidibus confirmari, inquit Imp. Alexander [f], & addit (quod etiam Modestinus ait [g])
6 eam rectè posse tutorem dare filijs, quos instituit hæredes. Sanè (inquit Paulus [h]) & si extraneus
impuberi, quem hæredem instituit, tutorem dederit, & extra ea nihil in bonis pupillus habeat:
non malè dicetur iudicium eius sequendum esse: quippe qui & personam eius, quem tutorem esse
voluit, nouerit: & impuberem ita dilexerit, vt eum hæredem institueret. Quæ tamen videntur in-
7 telligenda de eo pupillo, qui non sit in potestate patris. Nam alienum ius minui non potest [i]. ¶ *Te-
stamento.*] Vel etiam codicillis testamento confirmatis [k]. Quod si quis testamento parum iusto da-
tus sit tutor, confirmabitur, inquit Iulianus [l].
¶ *Ita demum parentes.*] Etiam milites. Nam nec militem liberis recasuris in potestatem posse
tutorem dare, docet Vlpianus [m] ex rescripto diuorum fratrum: quanquam aliter statutum sit de
substitutione pupillari. Sic enim scribit idem Vlpianus [n]; Cùm filiusfamilias miles decessisse, filio
impubere hærede instituto, eique substituisset in aui potestate manenti, tutoresque dedisset: Diui
fratres rescripserunt, substitutionem quidem valere: tutoris autem dationem non valere: qui hære-
ditati quidem suæ miles, qualem velit substitutionem facere potest: veruntamen alienum ius mi-
8 nuere non potest. ¶ *In compluribus alijs causis.*] Nempe in ijs omnibus in quibus agitur de iure &
emolumento ipsius posthumi [o].
¶ *Non minus posthumis.*] In eo tamen minus hic aliquid est, quòd posthumo datus tutor, non
nisi posthumo edito tutor [p] sit: & interea (si opus sit) ventri detur curator [a]. ¶ *Sed & si emancipa-
to.*] Idem & de filio notho siue naturali tantum, modo pater aliquid ei relinquat [b]. Nam alioquin
datus ei tutor, sine inquisitione non confirmabitur [c]. ¶ *A patre.*] Quod si ab alio datus fuerit tu-
tor, sine inquisitione non cõfirmabitur: etiam si esset à matre datus vel patrono. ¶ *Omnimodo, id est,
sine inquisitione.*] Papinianus ait [d], Prætorem debere confirmare citra inquisitionem. Modestinus [e]
inquit, Præsidem plerunque solere non inquirere, sed simpliciter confirmare. Sic enim eum Mo-
9 destini locum legendum esse ostendit Græcum archetypum. Nec est ociosa vox hæc, PLERVNQVE.
significat enim multas esse causas, propter quas non confirmetur tutor sine inquisitione. Porrò
autem cùm hic dicimus sine inquisitione tutorem à patre datum confirmari, intelligimus inqui-
10 sitionem illam, an persona sit idonea. Cæterùm de ipsius patris voluntate semper inquirendũ est.
Rectè itaque Tryphonius ait [f], In confirmando tutore hoc Prætor inquirere debet: an durauerit
patris voluntas. quod in facili est, si proximo morti tempore tutores non iure vel curatores scripse-
rit pater. Nam si ante annos: vt medio spacio poruerit facultatum tutoris non iure à patre dati
fieri imminutio, vel motum ante celata vel ignorata emerserit improbitas, aut inimicitiæ cum
11 patre exarserint: vtilitatem pupillorum Prætor sequetur, non scripturam testamenti, vel codicil-
lorum. Nam patris voluntatem Prętor ita accipere debet, si non fuerit ignarus, scilicet eorum, quæ
ipse Prætor de tutore comperta habet. Quid denique, si postea de eo pater, quem testa-
mento codicillisve non iure dedit, scripsit tutorem esse nolle? Nempe non
sequitur primam voluntatem Prætor, à qua
pater discessit.

a L. 1. de testa. tutel.
b L. 3. §. quamuis. de admi. tut.
c L. necnon de tut. & cur. dat. ab his.
d L. 4. de testa. tutel.
e § non solum. suf. de pup. subst.
f L. 4. C. de testa. tut.
g L. 4. de testa. tutel.
h L. 4. de confir. tut.
i L. cùm filiusfa. de mil. testa.
k L. 3. de testa. tutel. l. 2 C. eo tit.
l L. 3. de confir. tut.
m L. 2 de testa. tut.
n L. cùm filiusfa. de mil. testa.
o L. qui in vtero est, de statu homi. l. quod dicimus. de verb. sig.
p L. si nemo tutorum. §. vlt. de testa. tut.
a L. 1. §. tandiu. de vent. in poss. mitt.
b L. vlt. C. de conf. tut.
c L. natural. D. eod.
d L. si filio. D. eo tit.
e L. 1. D. eo tit.
f L. in confirmando. D. eo tit.

Qui Te-

Qui Testamento tutores dari possunt, Tit. XIIII.



ARI autem tutor potest testamento non solùm paterfamilias, sed etiam filiusfamilias.

Sed & seruus proprius testamento cum libertate, rectè tutor dari potest. Sed sciendum est, eum & sine libertate tutorem datum, tacitè libertatem directam accepisse videri: & per hoc rectè tutorem esse. Planè si per errorem, quasi liber, tutor datus sit: aliud dicendum est.

Seruus autem alienus purè inutiliter testamento datur tutor: sed ita, CVM LIBER ERIT, vtiliter datur. Proprius autem seruus inutiliter eo modo tutor datur.

Furiosus, vel minor vigintiquinque annis tutor testamento datus, tutor tunc erit, cùm compos mentis, aut maior vigintiquinque annis fuerit factus.

Ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub conditione, vel ante hæredis institutionem posse dari tutorem, non dubitatur.

Certæ autem rei vel causæ tutor dari non potest: quia personæ, non causæ, vel rei tutor datur.

Si quis filiabus suis vel filijs tutores dederit: etiam posthumæ vel posthumo dedisse videtur: quia filij vel filiæ appellatione & posthumus & posthuma continentur. Quòd si nepotes sint, an appellatione filiorum & ipsis tutores dati sint? Dicendum est, vt & ipsis quoque dati videantur: si modo liberos dixerit. Cæterùm si filios: non continebuntur. Aliter enim filij, aliter nepotes appellantur.

Planè si posteris dederit: tam filij posthumi, quàm cæteri liberi continebuntur.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 *Filius sine venia potest in ius vocare patrem tutorio nomine, vt & libertus patronum.*

2 *Pater filijfamilias tutoris nomine quando in solidum, vel non nisi de peculio, vel de in rem verso, teneatur.*

3 *Veteres tum pædagogos tum tutores ex seruis deligebant.*

4 *Anaxilaus serui Micythi tutelæ credidit & liberos & regnum.*

5 *Tutelæ datio statim tribuit ius libertatis.*

6 *Vt ex simplici tutelæ datione, ita & ex delatione hæreditatis competit tacita libertas.*

7 *Seruus qui putabatur liber, neq; tutor erit neq; liber ex datione tutelæ.*

8 *Tacita conditione quando aliunde non sint asciscendæ.*

9 *Tutoris instituti conditione pendente, datur interim à Prætore tutor alius.*

10 *Dum tutela speratur testamentaria, cessat legitima.*

a L. filiusfam. de his qui sui sunt vel alie. iur. l. nam quod. D. ad Sen. Treb.
b L. quæsitum. de in ius vocan.
c §. tutor. inst. de inoff. testa.
d L. Lucius Titius Caium. de admi. tut.
e L. si filiusfa. de tut.

S*Ed etiam filiusfamilias.*] Neque enim patriæ potestatis habetur ratio in muneribus publicis [a]. Vn- 1
de & filius, tutorio nomine, poterit sine venia in ius vocare patrem: sicut & potest libertus patronum [b]. Et postea docet [c] Iustinianus, filiumfamil. tutorem, si pupilli nomine legatum petierit ex testamento, nihilominus adhuc posse id dicere inofficiosum suo nomine, si queratur se iniuria exhæredatum. Porrò vbi datus est testamento tutor filiusfam. respondit Marcellus [d], patrem qui- 2
dem, si intercesserit pro filio, & quasi in se periculum receperit, in solidum teneri, si peccarit filiusfamilias tutor. Sed si tantum simpliciter cõsenserit, non nisi de peculio, vel de in rem verso. Quanquam vbi à Prætore datus est tutor filiusfamilias in solidum pater obligetur, si tutelam agnouerit: & si non agnouerit, de peculio [e].

¶ *Sed & seruus.*] Multi iniquitate fortunæ seruiunt, qui digni sunt, vt etiam liberis imperent. Itaque veteres non dubitarunt suis pupillis præficere virtutem in seruis deprehensam. Et tam pædagogos quàm tutores soliti fuere ex seruis deligere. Legimus olim Anaxilaum Rhegynorum ty- 3
rannum cuidam Micytho seruo suo credidisse tutelam liberorum suorum cum vniuersi regni ad- 4
ministratione. ¶ *Sed sciendum est.*] Hoc amplius sciendum est, tutelæ dationem statim tribuere 5
ius libertatis, etiam antequam tutela administretur: vt si datus tutor seruus sit, 25. annis minor, liber fiet ab adita hæreditate: sed tutela non onerabitur ante legitimam ætatem, vt docet Paulus [f].
Porrò, vt ex simplici tutelæ datione competit tacita libertas, eaque directa beneficio Iustiniani: ita 6
& ex delatione hæreditatis, vti suo superius loco satis dictum est. ¶ *Planè si per errorem.*] Inquit Vlpianus [g]; Si quis tutorem ideò scripserit, quia liberum putauit: certissimum est, neque libertatem peti posse, neque tutelam libertatis præstationi patrocinari. Vnde sequitur, inutilem esse dationem, quæ in seruo non potest valere. Rectè itaque & Paulus [h] ait, Si quis tutorem dederit filio suo 7
seruum, quem putabat liberum esse: is neque tutor, neque liber erit.

f L. quæro. §. vlti. de testa. tute.
g L. generaliter. §. si quis tutorem. de fid. liber.
h L. si quis tutorem. de testa. tut.

¶ *Seruus*

¶ *Seruus autem alienus.*] Inquit idem Vlpianus [a]; Seruus alienus ita dari tutor potest, Si liber *a L. si hæredit.us. §. vlt. de testa. tute.*
erit, tutor esto. Quinimo & si purè datus sit, videtur inesse hæc conditio, cum liber erit. Potest au-
tem quis & extraneo seruo defendere ex hac causa fideicommissariam libertatem. Ex quibus ver-
bis Vlpiani colligi potest vera præsentis loci interpretatio, vt intelligatur seruus alienus, qui purè
datus est tutor, ita inutiliter dari, quòd scilicet hoc nomine non fiat statim tutor, etiam si aliquan-
do vtilis esse posit hæc tutoris datio, nempe cum seruus liber fiet: & hæres rogatus videatur eum à
domino redimere & manumittere. Quod si à testatore exprimatur hæc conditio, cum liber erit,
8 dicitur vtilis esse datio: quæ scilicet efficax est eo modo, quo est concepta, eoque tempore, quod te-
stator præstituit: nec adiuuari debeat tacita quadam conditione aliunde ascita, cum eam nomina-
tim ἐξ ὑποθέσεως habeat. ¶ *Inutiliter eo modo tutor datus.*] Sic videlicet, vt omnino tutor fieri nequeat,
non etiam, si euenerit conditio libertatis. Neque enim hic dominus videtur seriò tutorem scripsis-
se, quem his ludificatur ambagibus, & procrastinationibus vltrò ascitis suspendit. ¶ *Tutor testa-
mento datus.*] Etiam purè & simpliciter, omissaq; hac cõditione, cum sanę mentis esse cœperit. Eam
enim tacitè intelligi docet Paulus [b], & assentitur Vlpianus [c] Pomponium secutus, reiecta Proculi *b L. furiosus. de tut.* *c L. si hæreditas. §. si furiosus. de testa. tut.*
9 aduersantis sententia. ¶ *Tutor tunc erit.*] Hoc est, Tutoris officio tunc fungetur. Interea autem
dabitur alius à Prætore tutor.

¶ *Ad certum tempus.*] Sic Paulus Apostolus ad Galatas cap. 4. ait, pupillum sub tutoribus & cu-
ratoribus esse vsque ad tempus à patre definitum. *Ex certo tempore, vel sub conditione.*] Interea autem
10 alius tutor à Prætore dandus est, quamuis legitimum pupillus habeat. Quandiu enim testamen-
taria speratur tutela, legitima cessat, inquit Vlpianus [d]. ¶ *Posse dari.*] A testatore scilicet. Hic enim *d L. si quis sub conditione. de testa. tute.*
de tutela testamentaria quærimus. Et constat non posse à Prætore dati tutorem sub conditione [e], *e L. muto. §. 1. de tut.*
quia lex non patiatur suspendi à iudice, quod vult præsens purumque statui.

§. *Certè autem rei, cum §. sequent.*

1 *Tutor persona datur non rei vel causa.*
2 *Nomen filiorum non potest trahi ad posthumos qui latuerunt testatorem.*
3 *Filiorum appellatione nõ continentur illi quos testator ignorabat se habere.*
4 *Fr. Balduinus puram solidamq́; sectatur Iurisprudentiam.*
5 *Filiorum appellatio propria primum gradum non excedit.*
6 *Legum facilius quàm voluntatum ratio deprehendi potest.*
7 *Posthumorum appellatio generalis quæ?*
8 *C. Caligulæ cauillatio, solos filios dici posteros.*
9 *Posterorum appellatio quando fœminas non complectatur.*
10 *Inter liberos continetur & nepos ex filia.*
11 *Iulius Cæsar quales tutores suo posthumo nominauerit.*

¶ *Certè autem rei.*] Hic locus videtur confutus ex tribus responsis Iurisconsultorum [f]. Primum *f L. certarum cum ll. seq. de testa. tute.*
enim, inquit Vlpianus, Certarum rerum vel causarum testamento tutor dari non potest, nec de-
ductis rebus; Subijcit Pomponius, Et si datus fuerit, tota datio nihil valebit: addit rationem Mar-
1 tianus, Quia personæ, non rei vel causæ detur: Postremò Vlpianus adijcit explicationem; Si tamen
tutor detur testamento rei Africanæ vel rei Syriacæ, vtilis datio est.

¶ *Si quis filiabus vel filijs.*] Totus hic locus ad verbum descriptus est ex duobus responsis Vlpia-
ni [g]. Sed priusquam eum excutiamus, adijciamus aliud eiusdem Vlpiani responsum, quod extat *g L. 5. cum le. seq. de testam. tute.*
his verbis [h]; Si quis ita dixerit; Filijs meis tutorem do; in ea conditione est, vt iam filijs quàm filia- *h L. si quis ita dixerit. de testa. tut.*
bus dedisse videatur: Filiorum enim appellatione & filiæ continentur. Si quis filio tutorem dede-
rit, & plures filios habeat an omnibus filijs dedisse videatur? Et de hoc etiam Pomponius dubitat.
Magis est autem, vt omnibus dedisse videatur. ¶ *Tutores dederit.*] Idem & si quod legatum ijs re-
liquerit [i]: vel etiam eas exhæredauerit [k]. Æquè enim semper filiorum appellatione continebuntur *i L. qui filiabus. de lega. 1.*
2 posthumi, si aliquo modo constet, non fuisse ventris ignarum testatorem, vtpote cuius memine- *k §. posthumi quoque ad si. inst. de exhær. lib.*
rit aliqua parte testamenti. alioqui nomen filiorum non poterit trahi ad posthumos, qui latue-
3 runt testatorem. Nam nec filij nati continebuntur, quos testator ignorabat se habere, vt docet Vl-
4 pianus [l]. Scio alia esse vulgarium interpretum commenta; sed ego puram solidamque iurispru- *l dict. l. si quis ita dixerit. §. si quis cũ ignoraret.*
dentiam sector, nec moror vana vulgi somnia. ¶ *Dicendum est.*] Prior pars huius responsi non
propriè pertinet ad propositam quæstionem: sed ad illustrandam & omnibus numeris absoluen-
dam generalem definitionem. ¶ *Si modò liberos dixerit.*] Inquit Callistratus [m], Liberorum appel- *m L. liberorum. de verb. sig.*
latione nepotes & neptes, cæterique qui ex his descendunt, continentur. Et Modestinus, *ἡ τῶν τέκνων* *n L. ἡ τῶν τέκνων. i. natorum. de verb. signif.*
(inquit [n]) *προσηγορία καὶ ἐπὶ τοὺς ἐγγόνους ἐκτείνεται.*] Natorũ appellatio & ad nepotes extenditur.] ¶ *Si*
5 *filios.*] Propria filiorum appellatio arctior est, nec primum gradum excedit. Sed tamen vbi eadem
6 est ratio (quam facilius est in legibus deprehendere, quàm in hominum voluntatibus) iusta in- *o L. iusta. l. filij. de verb. signif.*
terpretatione recipimus, vt appellatione filij etiam nepos contineatur [o].

¶ *Planè si posthumus.*] Sic etiam legit Theophilus: quasi doceat hoc loco Iustinianus, generali
7 appellatione posthumorum intelligi filios liberosque posthumos, & quicunque post testamen- *p L. si quis ita dixerit §. vlt. de testa. tut.*
tum nascentur ab illis, etiamsi ante mortem testatoris [p]. quanquam non comprehendantur, qui
iam nati erant, cùm testamentum scriberetur [q]. Haloander tamen hic legit, POSTERIS. nec *q L. nomen filiarum. de verb. signif.*
ratione caret eius lectio, verum enim est, posterorum appellatione cõtineri omnes liberos. quan-
quam

quam aliquando C. Caligula cùm nullum rapinis modum faceret, improbè cauillatus sit, posteros solùm dici filios. Illa tamen inter liberos & posthumos notanda differentia est, quòd in Posteris maiorem haberi rationem familiæ atque gentilitatis generísve, traditum sit. Itaque respondisse Vlpianum [a], Generi posterisque datas immunitates, ad eos, qui ex fœminis nati sunt, non pertinere. Atqui inter liberos nepotem quoque ex filia contineri dubium non est. & idem Vlpianus respondit [b]. Porrò autem ipsis posthumis dari potuisse tutores vel illud indicio est, quod scribit Suetonius, Iulium Cæsarem testamentum facientem, plures ex ijs qui eum occiderunt nominasse tutores filij, si quis sibi nasceretur. 8 9 10

a L.1.§.1.de in.immu.

b L.vlti.de pollicit.

De legitima Agnatornm tutela. Tit. XV.



QVIBVS autem testamento tutor datus non est: his ex lege duodecim tabularum agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi. Sunt autem agnati, cognati per virilis sexus cognationem coniuncti, quasi à patre cognati: veluti frater ex eodem patre natus, fratris filius, nepósve ex eo: item patruus, & patrui filius, nepósve ex eo. At qui per fœminini sexus personas cognatione iunguntur, agnati non sunt, sed aliàs naturali iure cognati. Itaque amitæ tuæ filius, non est tibi agnatus, sed cognatus: & inuicem tu illi eodem iure coniungeris: quia qui ex ea nascuntur, patris, non matris, familiam sequuntur.

Quòd autem lex duodecim tabularum ab intestato vocat ad tutelam agnatos: non hanc habet significationem, si omnino non fecerit testamentum is, qui poterat tutores dare: sed si, quantum ad tutelam pertinet, intestatus decesserit: quod tunc quoque accidere intelligitur, cùm is, qui datus est tutor, viuo testatore decesserit.

Sed agnationis quidem ius, omnibus modis capitis deminutione plerunque perimitur. nam agnatio, iuris ciuilis nomen est: cognationis verò ius non omnibus modis commutatur: quia ciuilis ratio, ciuilia quidem iura corrumpere potest, naturalia verò non vtique.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Sperantes successionem tueantur bona.*
2 *Alcibiadis Atheniensis tutores qui?*
3 *Diogeiton eorundem tutor quorum & auus & auunculus.*
4 *Pupillum committere ei qui ex morte eius expectat commodum, vetuit Solon.*
5 *Pupillo educando quomodo Leges prospiciant.*
6 *Platonis lex de tutela legitima.*
7 *Cognati tum ad successionem tum ad tutelam hodie æquè vt agnati admittuntur.*
8 *Vbi nullus testamentariorum tutorum superest, succedunt legitimi.*
9 *Excusato seu remoto testamentario tutore prætor dat alium.*
10 *Agnationis ius & nomen non naturale sed ciuile est.*

c L.1.de leg.tutor.

L*Ege duodecim tabularum.*] Cuius, inquit Vlpianus [c], summa fuit prouidentia, vt qui sperarent habere successionem, ijdem tuerentur bona, ne dilapidarentur. Sanè & olim apud Athenienses 1
mortuo Clinia Alcibiadis patre, tutores legitimi Alcibiadis impuberis fuere Pericles & Ariphon, 2
vtpote, inquit Plutarchus, προσήκοντες κατὰ γένος. [genere propinqui.] Apud Lysiam oratorem, cuius verba extant apud Dionysium Halicarn. in eius vita, proponitur aliud exemplum memorabile cuiusdam Diogeitonis, qui eorum tutor fuit, quorum & auus & auunculus erat. filiam suam in 3
matrimonium dederat fratri suo Diodoto, ex quibus ij suscepti erant. Diodotus cùm ad bellum proficisceretur, hoc omine suum illum fratrem socerumq; illis tutorem dat: πάππον δὲ τῶν παιδίων καὶ θεῖον ἡγούμενος διὰ ταύτας τὰς ἀναγκαιότητας οὐδένα μᾶλλον προσήκειν ἐπιτρόπῳ εἰς τοὺς παῖδας ἐπίτροπον γενέσθαι. [Auum filiorum & auunculum, & nullum potius alium, tutorem fieri conuenit,] hæc enim verba sunt Lysiæ apud Dionysium. Sed tamen constat Solonem aliquando vetuisse ad eos tutelam deferri, ad quos pertineret pupilli hæreditas, quoniam periculosum videretur vitam pupilli com- 4
mitti eius fidei, qui ex pupilli morte magnum commodum expectat. vt ferè quisq; conatur eum, quem proximus hæres insequitur, expungere, inquit Persius. Verùm leges nostræ alia ratione huic 5
periculo occurrerunt. Nam iubent Prætorem præsentibus cæteris propinquis prouidere, vbi pupillus tuto moretur, & sine vlla suspicione alatur [d]. Porrò de legitima tutela extat apud Platonem 6
libro de Legibus vndecimo, certa lex, quæ satis conuenit cum iure nostro, ἐὰν οὖν τὸ παράπαν μὴ διαθέμενος τελευτήσῃ τις, ἢ τῆς τῶν ἐπιτρόπων αἱρέσεως ἐλλιπής, ἐπιτρόπους εἶναι τοὺς ἐγγύτατα γένους πρὸς πατρὸς καὶ μητρὸς κυρίους, δύο μὲν πρὸς πατρός, δύο δὲ πρὸς μητρός, ἕνα δ' ἐκ τῶν τοῦ τελευτήσαντος φίλων. [si aut planè intestatus quis decesserit, aut tutorum aliquem creatio defecerit; legitimi tutores sint qui proximo gradu

d L.1. & 5. D. vbi pup. educat. vel mor. deb. l.1. & 2. C. illo tit.

gradu contingunt patrem & matrem; duo quidem ex agnatis, duo item ex cognatis; vnus verò ex amicis defuncti.] ¶ *Agnati.*] Quibus hoc iure debebant cedere cognati, hoc est per fœminam con-
7 iuncti. Verùm Iustinianus Nouella sua Constit. 118. sustulit hoc discrimen, & vt voluit eos omnes pariter succedere, ita etiam statuit æquè vocari ad tutelam. ¶ *Sunt autem agnati.*] Hunc locum diligenter explicat Modestinus [a], & aliquoties inculcat Iustinianus in his suis Institutionibus. Et Paulus quodam loco exponit rationem ipsarum appellationum [b]. Sed res non meretur longiorem moram.

¶ *Quod autem.*] Totus hic locus ad verbum descriptus est ex responso Pauli [c], & conuenit lex Platonis, quam supra retuli. ¶ *Non hanc habet significationem.*] Tantum scilicet: quod nominatim addidit Paulus. Sed noua non est eius vocis omissio in iure ciuili [d]: sicuti nec apud alios Latinos autores. *Cùm is qui datus est.*] Vnicus scilicet. Nam si duo pluresve fuerint tutores testamentarij: quandiu vnus superstes esset, in locum eius, qui decesserit, alius à iudice dabitur: nec admittetur
8 legitimus. Sed vbi nullus superest, legitima tutela succedit [e]. ¶ *Viuo testatore.*] Vel etiam mortuo,
9 sed adhuc impubere pupillo [f]. ¶ *Decesserit.*] At si excusatus aut remotus fuerit: non redibit tutela ad agnatos, sed à Prætore tutor dabitur [g].

¶ *Quia ciuilis ratio*] Hanc ætiologiam repetit & alio posteà loco Iustinianus in hisce Institutio-
10 nibus [h]. Et Pomponius ait [i]; Iura sanguinis nullo ciuili iure dirimi posse. Esse autem agnationis ius & nomen ciuile, cognationis verò naturale, docet Paulus [k]. ¶ *Non omnibus modis.*] Quibus autem, docet Iustinianus tit. sequenti.

a L. non facile. §. 1. de gradib.
b L. iurisconsultus. §. nomen de gradib.
c L. intestato. de legit. tutor.
d L. in illa stipulatione. de verb. oblig. l. 1. D. furti. adu. nau. l. quod si nolit. §. culpà. de ædil. edict. l. Lex Cornelia. §. dominum. de iniur. l. non enim. D. ad Sen. Treb. l. armatos. D. ad leg. Iul. de vi publ. l. res. de pigno. l. 1. de aqua quot.
e L. si quis sub conditione. §. vlt. de testa. tut.
f dict. l. intestato.
g dict. l. si quis sub conditione.
h §. minus ergo. inf. de her. quæ ab intest.
i L. iura sanguinis. de reg. iur.
k L. iurisconsultus. §. nomen. de gradib.

De Capitis dèminutione, Titulus XVI.



EST autem capitis deminutio, prioris status mutatio: eaque tribus modis accidit. Nam aut maxima est capitis deminutio, aut minor (quam quidam mediam vocant) aut minima. Maxima capitis deminutio est, cùm aliquis simul & ciuitatem & libertatem amittit. quod accidit his, qui serui pœnæ efficiuntur atrocitate sententiæ: vel libertis, vt ingratis erga patronos condemnatis: vel his, qui se ad pretium participandum vænundari passi sunt. Minor, siue media capitis deminutio est, cùm ciuitas quidem amittitur, libertas verò retinetur. quod accidit ei, cui aqua & igni interdictum fuerit: vel ei, qui in insulam deportatus est. Minima capitis deminutio est, cùm ciuitas retinetur & libertas, sed status hominis commutatur. quod accidit his, qui cùm sui iuris fuerint, cœperunt alieno iuri subiecti esse, vel contrà veluti si filiusfamiliàs à patre emancipatus fuerit, est capite deminutus.

Seruus autem manumissus, capite non minuitur: quia nullum caput habuit.

Quibus autem dignitas magis, quàm status permutatur. capite non minuuntur: & ideò à senatu motos capite non minui constat.

Quod autem dictū est, manere cognationis ius, etiam post capitis deminutionem: hoc ita est, si minima capitis deminutio interueniat. manet enim cognatio. nam si maxima capitis deminutio interueniat, ius quoque cognationis perit, vtputa seruitute alicuius cognati: & ne quidem si manumissus fuerit, recipit cognationem. Sed & si in insulam quis deportatus sit, cognatio soluitur.

Quum autem ad agnatos tutela pertineat, non simul ad omnes pertinet: sed ad eos tantùm, qui proximiore gradu sunt: vel si plures eiusdem gradus sunt, ad omnes pertinet. veluti si plures fratres sunt, qui vnum gradum obtinent, pariter ad tutelam vocantur.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Caput quid?*
2 *Ausonij versus de capitis deminutione.*
3 *Minor capitis deminutio vocatur interdum magna.*
4 *Transfuga & hostes, mediam capitis deminutionem patiuntur.*
5 *Capti ab hostibus maximam patiuntur capitis deminutionem.*
6 *Manlius apud Liuium cur redimi ab Hannibale captiuos dissuaserit.*
7 *Emancipati cur capitis deminutionem patiantur.*
8 *Mulieres capite deminuuntur, cum in manum viri conueniunt.*
9 *Seruile caput nullum habet ius.*
10 *Amittere & carere quis dicatur.*
11 *Liberari, item rumpi seu solui, quid?*
12 *Senator etiam infamis factus retinet tamen ciuitatem.*
13 *Si plures sint agnati eodem gradu, omnes fiunt tutores.*
14 *Iustiniani nouella de legitima agnatorum & cognatorum tutela.*

EST autem capitis deminutio.] Hæc definitio Caij est, referturque etiam in Pandectis[a] :& indicat 1
caput hîc accipi pro statu & iure libertatis, familiæ, vel ciuitatis. Vnde & Tullius in Pisonem,
ciuem indamnatum dicit, integri esse capitis. Idem in Verrinis vocat demptionem de capite,
quam nos capitis deminutionem. ¶ *Eaq; tribus modis accidit.*] Hęc distinctio, totaque eius expli-
catio descripta est ex responso Pauli[b]. Eiusque meminit Ausonius in suis Gryphis, inquiens; 2

Triplex libertas, capitisq; minutio triplex.

¶ *Vt ingratis erga Patronos condemnatis.*] Atque ea ratione in priorem seruitutem redactis. Porrò
de seruis pœnæ suprà diximus; item & de ijs, qui sese vænire patiuntur, vt partem precij cōsequan-
tur. Nec sunt hæc tanti, vt vel repetitionem vel longiorem moram mereantur. Et nos aliò prope-
ramus. ¶ *Minor siue media.*] Hæc tamen aliquando magna quoque vocatur ab Vlpiano[c] & Calli- 3
strato[d]. Sed quod ait Callistratus, per eam adimi libertatem, veluti deportato: intelligendum est
de imminuta libertate, quia iam amissa ciuitate plena non sit. Boethius quoque in Top. Cic. ait,
deportationem esse maximam capitis diminutionem. sed eodem sensu id accipiendum esse vide-
tur. ¶ *Quod accidit ei.*] Ei quoque qui ad hostes deficit, vel quem Senatus hostem iudicauit[e]. Ab 4
hostibus autem captus, cùm fiat seruus, patitur maximam capitis diminutionem. Vnde & Man- 5
lius apud Liuium, Decad. tertiæ libro tertio, cùm dissuaderet redimi illa octo milia Romanorum 6
post Cannensem cladem ad Hannibale capta, clamat eos seruos hostium, abalienatos iure ciuium
capite diminutos esse.

¶ *Aqua & igni interdictum.*] Fuit hæc grauissima apud veteres Romanos pœna, quæ adimebat
necessarium duorum elementorum vsum. In cuius locum posteà successit deportatio, de qua nos
suprà diximus. Apud Athenienses aqua & igni interdici, appellabatur, εἴργεσθαι τῶν νομίμων. Hucque
pertinet illud Herodoti in Vrania; τάχων δὲ τοιάδε ἠτίμωτο, ὅτι οἱ πῦρ οὐδεὶς ἔναυε, ὅτι διελέγετο. ¶ *Sed
status.*] Hoc est, familia. de hoc enim statu hîc agitur. ¶ *Alieno iuri subiecti.*] Veluti per arrogatio-
nem. Sic enim Paulus[f] scribit; Liberos, qui arrogatum parentem sequuntur, placet minui capite
cùm in aliena potestate sunt; & familiam mutauerunt.

¶ *Si filiusfamilias emancipatus.*] Causam huius capitis diminutionis Paulus[g] aliam videtur si- 7
gnificare. nempe quòd olim emancipari nemo posset, nisi foret in imaginariā seruilē causam de-
ductus. Porrò si filius, aliter quàm per emancipationem, fiat sui iuris, veluti morte parentis, non
dicitur capite diminui[h]: quia nec reuera mutat statum. Retinet enim ius agnationis & familiæ
cum reliquis fratribus[i]. Illud prætereundum non est, olim apud Romanos, mulieres, quæ erant in 8
perpetua tutela & potestate donec nuberent, statim atque conuenerant in manum viri, capite
diminui: quod licet colligere ex Topicis Ciceronis.

¶ *Seruus autem manumissus.*] Hoc est, cùm manumittitur: quemadmodum etiam ait Pau-
lus[k]. Vt intelligas in manumissione nullam esse capitis diminutionem. Vbi autem quis iam ma-
numissus est, cùm caput habeat, potest pati capitis diminutionem, eamq; maximam, vt si propter
ingratitudinem reuocetur in seruitutem. ¶ *Quia nullum caput habuit.*] Paulus ait[l]; Seruile caput 9
nullum ius habere: ideoque nec minui posse. Et subijcit Modestinus; Eo enim die incipit statum
habere, quo manumittitur. Porrò ratiocinatio, qua hic vtitur Iustinianus, nititur vulgari dicto; 10
nō posse quem amittere, quod nunquam habuit: sicuti nec carere, nisi qui habuit, & amplius non
habet, vt est apud Tullium libro primo Tusc. Quæst. Sic Paulus ait[m], non posse nobis morte vel
capitis diminutione perire vsumfruct. quem nondum habuimus. Et alibi respondit[n], non posse
videri desijsse habere, qui nunquam habuit. Cumq; fortè Papinianus dixisset aliquem liberatum,
qui reuera non fuerat obligatus; idem Paulus[o] admodum seuerè notauit, reprehenditque hoc 11
dictum. Huc pertinet quod Vlpianus ait[p], id non rumpi, quod nullum est: quodque Iustinianus
in Nouella sua Constitut. 22. loquens de eo, qui per errorem duxit in vxorem seruam pro libera,
inquit, οὐ φάσομεν λύεσθαι τὸν γάμον, ἀλλὰ αὐτὸ, τὴν ἀρχὴν οὐδὲ γάμον γενέσθαι. [non dicimus solui matri-
monium, sed ab ipso initio matrimonium non esse.

¶ *Quibus autem.*] Inquit Modestinus[a]: Senatorem remotum Senatu, capite non minui, sed
Romæ morari, Diui Seuerus & Antoninus permiserunt. Neque hîc referre puto, qua ex causa mo-
tus sit. Nam & si ob turpitudinem, licet infamis fiat[b], non tamen perdit vel ciuitatem, vel liberta- 12
tem, vel familiam.

¶ *Cùm autem.*] Tandem Iustinianus post digressionem redit ad propositam suam tractatio-
nem legitimæ tutelæ. Vt hæc appendix magis videatur esse superioris, quàm præsentis tituli. Sed
id nouum nō est in hisce Institutionibus. Est autem desumpta ex Caij libro secundo Rerum quo- 13
tidianarum, cuius verba sunt[c] hæc; Si plures sint agnati, proximus tutelam nanciscitur: & si eo-
dem gradu plures sint, omnes tutelam nanciscuntur. Iustinianus autem in Nouella sua Constit. 14
118. iubet omnes tam agnatos quàm cognatos, qui proximi sunt & idonei ad tutelam, vt hæredes
ita & tutores esse. Sed ne administratio in plures diuisa negligentius procuretur, vult
vnum è multis deligi, cui tota res curæ sit, periculo
tamen omnium.

a L. 1. de capi. demi.
b L. vlt. D. illo tit.
c 1 ad Sen. Tert.
d L. 5. de extraord. cognit.
e L. amißione. §. 1. D. illo tit.
f L. 3. D. illo tit.
g dict. L. 3. §. vlt.
h L. si filiusfa. §. vlt. D. ad Sen. Maced.
i L. pronunciatio §. familiæ. de ver. sig.
k dict. L. 3. §. vlt.
l dict. §. vlt.
m L. Sempronius Atticus. de vsu & vsufruct. legat.
n L. non potest videri desijsse. de reg. iu.
o L. decem. de verb. oblig.
p L. 5. de iniusto rup.
a L. 3. de Senat.
b L. 2. D. illo tit.
c L. si plures. de leg. tut.

De legi-

De legitima patronorum tutela, Tit. XVII.

EX eadem lege duodecim tabularum, libertorum & libertarum tutela ad patronos liberósque eorum pertinet: quæ & ipsa legitima tutela vocatur: non quia nominatim in ea lege de hac tutela caueatur, sed quia perinde accepta est per interpretationem, ac si verbis legis introducta esset. Eo enim ipso, quòd hæreditates libertorum libertarumque, si intestati decessissent, iusserat lex ad patronos liberósve eorum pertinere: crediderunt veteres voluisse legem etiam tutelas ad eos pertinere: cùm & agnatos, quos ad hæreditatem lex vocat, eosdem & tutores esse iusserit: quia plerumque vbi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. Ideò autem diximus, plerunque, quia si à fœmina impubes manumittatur, ipsa ad hæreditatem vocatur, quum alius sit tutor.

DE IVRE PERSONARVM
ANNOTATIONES.

1 Patronorum tutela legitima per consequentias hæreditatum est introducta.
2 In legibus eam sententia est inspicienda, quàm verba textus.
3 Qui sentit commodum, sentiat & onus.
4 Mulieres non possunt gerere tutelam, nisi matres vel auia vidua.

INitio admonendi sumus, Vlpianum [a] breuius esse complexum totam sententiam huius tituli, his verbis; Tutela legitima, quæ patronis defertur lege duodecim tabularum, non quidem spe-
1 cialiter vel nominatim delata est: sed per consequentias hæreditatum, quæ ex ipsa lege patronis datæ sunt. Et profectò non poterat hic esse alius, cui patronus cedere deberet: cùm nec agnatos habeat libertus, nec sit in potestate patris, à quo tutorem testamentarium accipiat. ¶ *Ad patronos.*] Siue sponte, siue etiam compulsi ex causa fideicōmissi, manumiserint addit deinde Vlpianus [b]; Sed & si hac lege emit, vt manumitteret, & ex constitutione Diui Marci ad Aufidium Victorinum peruenit ad libertatem; dicendum est tutorem esse. Planè si fortè ex Rubriano Senatusconsulto peruenerit ad libertatem, non habebit tutorem eum, qui rogatus est. Sed Orcinus libertus effectus, ad familiam testatoris pertinebit. In qua specie incipit tutela ad liberos patroni primos pertinere, quæ ad patronos non pertinuit. ¶ *Liberosque.*] Qui scilicet proximi sunt hæredes liberti. Proinde si alter ex patronis filium, alter nepotem reliquerit: cùm legitima hæreditas ad solum filium pertineat, pertinebit & tutela: vt non nisi post filium admittatur nepos, inquit Vlpianus [c]. Et addit ex sententia Marcelli, filio remoto vel excusato non succedere nepotem in tutela, sed à iudice tutorem dari. ¶ *Perinde accepta est.*] Verbum, ex legibus (inquit Vlpianus [d]) sic accipiendum est; tam
2 ex legum sententia, quàm ex verbis. Porrò quæ pertinent ad successionem libertorum, suo loco proponentur. ¶ *Vbi successionis est emolumentum.*] Alibi generalius traditur [e] hæc iuris regula, quæ
3 dictat eum, qui sentit cōmodum, etiam debere sentire onus: & è diuerso. Sed latius id patet, quàm vt hic possit breuibus absolui. ¶ *Ideo autem diximus.*] Huc pertinet quod Vlpianus [f] ait; Si duo pluréive manumittant, omnes tutores sunt. Sed si mulier sit inter manumissores: dicendum est solos masculos fore tutores. Sic & Iustinianus in Nouella Constit. 118. cùm vocaret proximos agnatos cognatosque ad tutelam legitimam, vt vocantur ad hæreditatem, nominatim excepit minores
4 25. annis, & mulieres, quibus non permittit tutelam, nisi sint matres vel auiæ. Nam has, etiam postpositis omnibus cognatis agnatisque admittit, modò renuncient secundis nuptijs, & Senatusconsulto Velleiano.

a L. 3. de leg. tut.
b dict. l. 3. §. sed & si.
c dict. l. 3. §. proinde.
d L. nominis. §. 1. de ver. sig.
e L. secundum naturam. de leg. tut. l. vnica. §. pro secunda. C. de cad. toll. l. n. qui in potestate. §. vlt. de legat. præstan.
f L. 5. §. si duo de legi. tut.

De legitima parentum tutela, Tit. XVIII.

EXEMPLO patronorum recepta est & alia tutela, quæ & ipsa legitima vocatur. Nam si quis filium aut filiam, nepotem aut neptem ex filio, & deinceps impuberes emancipauerit: legitimus eorum tutor erit.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 Parentis emancipantis & patroni iura eadem.
2 Pater quomodo poterat legitimus tutor fieri.
3 Cur pater emancipans hodie necessariò fiat tutor legitimus.

PAulò ante dictum est [g], ex edicto Prætoris eadem iura tribui parenti, qui emancipauit, quæ tribuuntur patrono in bonis liberti. Itaque fuit consequens, vt etiam tutela tribueretur: quæ

g §. & tunc ex edict. Supra. Quib. mo. ius pat potest. solui.

K 2 cum

cum magis descenderet ex Prætorio iure, quàm lege duodecim tabularum, primùm dicta est susti-
a L.3.§.vlt.de legi. tut. nere vicem legitimæ tutelæ[a]. Quòd si parens nominatim contracta fiducia emanciparet, iure ci- 2
uili poterat succedere: ac proinde verè legitimus tutor fieri. Hodie autem cùm ex Iustiniani con- 3
stitutione semper intelligatur parens contracta fiducia emancipare, non potest non fieri tutor verè legitimus. Atque hæc quidem sufficiunt ad enarrationem huius tituli.

De fiduciaria tutela, Tit. XIX.



EST & alia tutela, quæ Fiduciaria appellatur: nam si pater filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, vel deinceps, impuberes manumiserit: legitimam nanciscitur eorum tutelam. Quo defuncto, si liberi eius virilis sexus existant: fiduciarij tutores fratris vel sororis, & cæterorũ, efficiuntur. Atqui patrono legitimo tutore mortuo, liberi quoque eius legitimi sunt tutores: quoniam filius quidem defuncti, si non esset à viuo patre emancipatus, post obitum eius, sui iuris efficeretur, nec in fratrum potestatem recideret: ideoque nec in tutelam. Libertus autem, si seruus mansisset, vtique eodem iure apud liberos domini post mortem eius futurus esset. Ita tamen hi ad tutelam vocantur, si perfectæ sint ætatis. quod nostra constitutio in omnibus tutelis & curationibus obseruari generaliter præcepit.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Fiduciarius pater olim quis?*
2 *Fiduciaria tutela vnde orta.*
3 *Fiduciam olim accepisse quis dicatur.*
4 *Fiduciarius hæres est idem qui fideicommissarius dicitur.*
5 *Cur fiduciariam tutelam debeamus hodie legitimam dicere.*
6 *Fiduciaria tutela semper succedebat legitimæ parentum tutelæ.*
7 *Fratris fides, post parentem, certior est.*
8 *Filiorum suorũ tutor fiduciarius aliquis fieri potest.*
9 *Causa tutelæ legitimæ parentis non conuenit eius liberis.*
10 *Cur in liberis patroni non mutetur nomen tutelæ legitimæ.*
11 *Potestas patria, & quæ ex ea proficiscũtur, nõ transeunt in liberos hæredes.*
12 *Fratris impuberis tutela recidit in fratres maiores.*
13 *Iustinianus neminem admittit ad tutelam nisi annis 25. completis.*

Q*Væ fiduciaria appellatur.*] Olim fiduciarius pater appellabatur, cui naturalis parens imaginaria 1
venditione filium mancipabat, vt ipse deinde eum manumitteret. Fiebatque is tutor fiducia-
rius manumissi. Atque hinc videtur profecta appellatio fiduciariæ tutelæ, quæ tribuitur fratri vel 2
patruo impuberis post mortem parentis, qui eum emancipauit. Sanè olim fiduciam accepisse is 3
dicebatur, cuius fidei res aliqua credebatur ea lege, vt aliquando redderet mancipanti. Et à nostro
b L. Scio. D. ad Sen. Treb. Iaboleno[b], fideicommissarius hæres, appellatur fiduciarius: sicut ab Vlpiano fiduciaria hæredi- 4
tas[c]. Porrò cùm hodie sublatum sit patriæ potestatis, & emancipationis discrimen; & fratres sint 5
c L. certi. D. si cer. pet. condict. legitimi hæredes fratrum, etiam emancipatorum; non dubitabimus tollere priscum nomen fi-
d L.3.C.de except. duciariæ tutelæ, eamque verè legitimam dicere. Certè & Imp. Antoninus[d] olim videtur contempsisse hoc discrimen, qui fratrem appellauit tutorem legitimum, cùm re vera esset fiducarius.

¶ *Nam si pater.*] Hic locus confutus est ex duobus responsis Iurisconsultorum Primum inquit
e L.3.fi.§.vlt.de legit.tut. Vlpianus[e]; Si parens filium vel filiam, vel neporem vel neprem vel deinceps, quos in potestate habeat, emancipet: vicem legitimi tutoris sustinet: addit Modestinus; Quo defuncto, si liberi perfectæ ætatis existant, fiduciarij tutores fratris vel sororis efficiuntur. Obseruandum est autem fidu-
ciariam tutelam semper succedere legitimæ parentum tutelæ. Nam si filius semper fuerit in pote- 6
state patris, nec eum vnquam tutorem habuerit, sed primum eius morte, sui iuris factus sit, non dissolueretur ius agnationis: ac proinde magis locus esset legitimæ, quàm fiduciariæ tutelæ. Sed vtut sit de nomine, secundum parentem, nullius est certior sincerior q; fides, quàm fratris: vt me-
ritò parentis loco succedat. Qua de re multa eleganter scribit Plutarchus in libello περὶ φιλαδελφίας, 7
& nominatim addit, quod huc pertinet: fratrem maiorem debere curam minoris gerere, & minorem maiori obtemperare. Sic enim de fratribus loquitur; τῷ μὲν πρεσβυτέρῳ τὸ κήδεσθαι καὶ καθηγεῖσθαι καὶ νουθετεῖν προσῆκόν ἐστι, τῷ δὲ νεωτέρῳ τὸ τιμᾶν, καὶ ζηλοῦν, καὶ ἀκολουθεῖν.

¶ *Vel fratris, vel sororis.*] Quidam hic addunt, VEL FILIORVM SVORVM. Verùm id additamentum non est Iustiniani, sed potius ex cuiusdam vetusti interpretis scholio petitum. Ac eius quidem meminit Theophilus: sed ita, vt satis appareat non fuisse nominatim à Iustiniano propositum. Interim autem & nos fatemur fieri posse, vt quis etiam filiorum suorum fiat tutor fiducia-
rius: nempe, cùm auus, qui emancipauit nepotem, eo adhuc impubere moritur: relinquitque su- 8
perstitem

perstitem eius patrem, suum scilicet filium. Sed & in patruum cadere posse ius fiduciariæ tutelæ
constat. ¶ *Atqui patrono.*] Iustinianus hic obijcit, quod videbatur obstare supradictis: nomen le-
gitimæ tutelæ non mutari in liberis patroni. vnde videri posset, nec in liberis parentum mutari
debere. Sed addit rationem discriminis, qua diluat hanc obiectionem: nempe, quod causa, per
9 quam parens nanciscitur tutelam legitimam, nõ conueniat eius liberis. Nam etiam si non eman-
ciparit impuberem, non recidet is in potestatem fratris: multo minus ab eo mancipari poterit. Et
si nepos recidat in potestatem sui patris post mortem aui, in cuius potestate vterque est, id non fit
10 hæreditario, sed patrio iure. At in patrono aliud est: qui si non manumittat seruum, recidet is in
potestatem filiorum patris hæredum, & ab ijs, vt veris dominis, posset manumitti, eaque ratione
hos habere tutores legitimos. Veteres itaque habuerunt rationem huius iuris, perinde atque si
non fuisset interceptum.
11 ¶ *Ideoque nec in tutelam.*] Eiusmodi scilicet, quæ patri competebat ex emancipatione. Vt enim
patria potestas à defuncto non transmittitur in liberos hæredes, ita nec ius emancipationis, aut
12 legitimæ tutelæ, quæ ex ea proficiscitur. Sed interim fatemur, fratris non emancipati & adhuc im-
puberis tutelam recidere in fratres maiores, eamq; etiam legitimam, sed ex iure agnationis, quòd
nulla emancipatione dissoluta sit.
¶ *Nostra constitutio in omnibus.*] Ante Iustinianum requirebatur perfecta ætas, nempe anno-
rum 25. in fiduciario tutore: ita enim Modestinus respondit [a]. Sed quia in alijs tutoribus idem non *a L. 4. de legit. tut.*
exigebatur: magisque excusabat, quàm remouebat à tutela minor ætas: Iustinianus periculosum
13 ratus admitti minorem, etiam maximè volentem, statuit neminem esse idoneum tutorem, qui
non compleuisset annos 25. Extatque eius constitutio [b]. *b L. vlt. C. de legit. tut.*

DE ATTILIANO TVTORE, ET EO, QVI ex Lege Iulia, & Titia dabatur, Tit. XX.



I cui nullus omnino tutor fuerat, ei dabatur in vrbe quidem à Prætore vrbano, & maiore parte Tribunorum plebis, tutor ex lege Attilia: in prouincijs verò à Præsidibus prouinciarum, ex legibus Iulia & Titia.

Sed & si in testamento tutor sub conditione, aut ex die certò datus fuerat: quandiu conditio aut dies pendebat, ex eisdem legibus tutor alius interim dari poterat.

Item si purè datus fuerat: quandiu ex testamento nemo hæres existebat, tandiu ex eisdem legibus tutor petendus erat: qui desinebat esse tutor, si conditio extiterat, aut dies venerat, aut hæres extiterat.

Ab hostibus quoque tutore capto, ex his legibus tutor petebatur: qui desinebat esse tutor, si is, qui captus erat, in ciuitatem reuersus fuerat. nam reuersus recipiebat tutelam iure postliminij.

Sed ex his legibus tutores pupillis desierunt dari, posteà quã primò Cõsules pupillis vtriusq; sexus tutores ex inquisitione dare cœperunt, deinde Prætores ex cõstitutionibus. Nam supradictis legibus, neq; de cautione à tutoribus exigenda, rem saluam pupillis fore; neque de compellendis tutoribus ad tutelæ administrationem, quidquam cauebatur.

Sed hoc iure vtimur, vt Romæ quidem Præfectus vrbi, vel Prætor secundum suam iurisdictionem; in prouincijs autem Pręsides ex inquisitione tutores crearent, vel magistratus iussu Præsidum, si non sint magnæ pupilli facultates. Nos autem per constitutionem nostram huiusmodi difficultates hominum resecantes: nec expectata iussione Præsidum, disposuimus, si facultates pupilli vel adulti vsque ad quingentos solidos valeant: Defensores ciuitatũ vnà cum eiusdem ciuitatis religiosissimo Antistite, vel alias publicas personas, id est, magistratus, vel iuridicum Alexandrinæ ciuitatis, tutores vel curatores creare: legitima cautela secundum eiusdem constitutionis normam pręstanda, videlicet eorum periculo, qui eam accipiunt.

Impuberes autem in tutela esse, naturali iuri conueniens est: vt is, qui perfectæ ætatis non sit, alterius tutela regatur. Quum ergo pupillorum pupillarumque tutores negotia gerant: post pubertatem, tutelæ iudicio rationem reddunt.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Prætoris tum Vrbani, tum Peregrini discrimen. *2 Tribuni primùm duo, tandem decem creati.*

3 *Lex Attilia quando lata sit.*
4 *Plures fuerunt Romæ LL. Attilij.*
5 *A quo quis instituitur hæres, ab eodem & tutorem accipere potest.*
6 *Capto pupillo finitur tutela.*

N*Vllus omnino tutor.*] Vel testamentarius, vel legitimus. Sed & si imminutus fuerit numerus tu-
torum testamentariorum, sarcietur à Iudice Ar si omnes decesserint, legitima tutela succedit.
a L. si quis sub conditione. de testa. tut. non etiam si vel excusati, vel remoti fuerint. Quæ omnia continentur responso Vlpiani [a]. ¶ *A præ-*
tore vrbano.] Qui inter ciues Romanos ius dicebat. Alius autem erar Prætor peregrinus, qui in vrbe 1
petegrinis, hoc est, ijs qui ciues non erant, ius reddebat ex Iure gentium. Sed nos alibi plura dixi-
mus de Prætoribus, sicuti & de Tribunis. Hoc tantum addam; Tribunos, qui primum duo tan- 2
tum creati fuerant, ad decem vsque excreuisse trigesimo sexto anno à prima institutione. ¶ *Lege*
Attilia.] L. Attilius Tribunusp. cum C. Martio collega, autor fuit huius Plebiscit, M. Valerio & P. 3
Decio Coss. anno ab vrbe condita 443. Alius fuit apud Romanos L. Attilius Tribunus militum 4
consulari potestate. Alius L. Attilius Tribunuspl. qui autor fuit, vt omnes illi Campani, qui sese in
arbitrium Populi Rom. dedidetant Fuluio Proconsuli, venderentur.

b dict. l. si quis sub conditione. ¶ *Sed & si in testamento.*] Hic locus videtur desumptus ex responso Vlpiani, cuius verba sint [b]
hæc; Si quis sub conditione, vel ex die tutorem dederit: medio tempore alius tutor dandus est,
quamuis legitimum tutorem pupillus habeat. Sciendum est enim, quandiu testamentaria spera-
tur tutela, legitimam cessare. Porrò hic obseruabimus agi nominatim de expectatione tutelæ te-
stamentariæ ad tempus suspensæ. Aliud verò dicendum est, vbi ad certum diem datus esset tutor.
nam eo finito, cum prorsus tutela finitetur, nullæ erunt partes Iudicis, cum nihil supersit spei testa-
mentariæ turelæ: sed legirimi tutores succedant.

¶ *Item si pure.*] Hic locus descriptus est ex alio eiusdem Vlpiani responso, quod in Pandectis
c L. si hæreditas. de testa. tut. extat his verbis [c]; Si hæreditas nondum adita sit, ex qua tutor speratur: verius est alium tutorem
dari posse, quasi nondum sit, nec speretur. ¶ *Nemo hæres existebat.*] Vtpote quia fortassis aliquis
extraneus & non suus erat scriptus, qui adhuc delibetabat, an adiret. Sed & si pupillus ipse scriptus
d L. 4 de confir. tut. fotet hæres, simulque datus ei tutor (vt à quo quis instituitur, & tutorem accipere potest [d]) turor à 5
e L. impuberi. de tut. & cur. da ab his. iudice dandus erit pupillo ad hæreditatem adeundam [e]. Nam qui testameuto datus est, tutor prius
esse non potest.

f L. 1. §. si apud hostes. de leg. tut. ¶ *Ab hostibus quoq.*] Huc pertinet tesponsum Vlpiani [f]; Si apud hostes sit frater: inferioris gra-
dus agnato tutela non defertur. Nam etsi patronus apud hostes sit: patroni filio tutela non defer-
tur, sed interim à Prætore datur. ¶ *Tutore.*] At pupillo capto, statim finitur rutela. nullum enim 6
ius habet in turorem, quod reuersus iure postliminij tecuperet.

¶ *Capto.*] Deportato autem prorsus tutela finietur. neque enim spes est restitutionis, aut post-
liminij: aut si qua sit, pendet à beneficio principis.

§. Sed ex his legibus.

1 *Legis Attiliæ autoritas valuit supra annos 200.*
2 *Tutelares tutores creati ab Antonino Imp.*
3 *Claudius dandi tutoris potestatem à Prætoribus in Consules transtulerat.*
4 *Curatores voluntarij quærendi, non cogendi.*
5 *Ius creandorum tutorum à posterioribus Iurisconsultis conditum quandiu durauerit.*
6 *Tutoris dationem non imperij esse, nec Iurisdictionis, sed tantùm legis.*
7 *Latior Præfecti quàm Prætoris iurisdictio.*
8 *Iurisdictio idem est quod territorium.*
9 *Pupillo etiam ibi tutor dari potest, vbi nihil nisi domicilium habet & patriam.*
10 *Mores dandorum tutorum inuestigandi.*
11 *Ingerentes se in alterius tutelam remouendi sunt.*
12 *Datio tutoris cur mandari non possit.*
13 *Constitutio Iustiniani, qua dationem tutelæ transtulit in Episcopos, intercidit.*
14 *Solidus idem est quod aureus.*
15 *Solidorum precium non semper fuit idem.*
16 *Defensores creati à posterioribus Impp.*
17 *Syndici quoque olim dicti Defensores ciuitatum.*
18 *Alexandria Aegypti ciuitas clarissima.*
19 *Aegyptus ab Augusto Cæsare tributaria facta.*
20 *Præfectus Augustalis quis.*
21 *Iuridicus Alexandriæ præfecto Augustali subiectus.*

¶ *Ex his legibus desierunt dari.*] Mansit tamen semper eadem condirio dandi, & ratio hæc est, vt
quandiu spes esset tutelæ testameutariæ, detur à iudice tutor. Item & quandiu speratur reditus im-
pediti tutoris. ¶ *Posteaquam primò Consules.*] Scribit Tranquillus Claudium Cæsarem primùm
constituisse, vt pupillis extra ordinem Tutores à Consulibus ex inquisitione darentur. Quod si ad
eum vsque in vsu fuit Lex Attilia, supra ducentos annos valuit eius authoritas. Porrò Consularis 1
potestatis, quæ tutores testamento aut Codicillis datos confirmat, meminit quodam loco noster
g L. 1. de confir. tut. Modestinus [g].

¶ *Prætores ex Constitutionibus.*] Intelligit Prætores illos tutelares, cuiusmodi primus creauit An- 2
toninus Imperator. nisi malis posteriorũ Cæsarum edictis restitutam esse Prætoribus potestatem 3
dandi tutoris, quam ijs Claudius ademerat, vt in Consules transferret.

¶ *Neque de cautione quicquam cauebatur.*] Hodie verò cautum est, vt ea præstetur, saltem à qui-

buidam

busdam tutoribus, eamque magistratus quidam debeant exigere, vti postea dicemus. ¶ *Neque de*
compellendis.] Itaque periculum erat, ne pupilli destituerentur omnium auxilio, quorum tuendo-
rum munus non temerè quisquam vltrò subiret. Quocirca rectius visum est, vt qui nullam habe-
4 rent iustam excusationem, compellerentur ad pietaris officium. Sanè tamen si curatores ad qua-
rundam solummodò rerum administrationem desiderentur, voluntarios esse quærendos respon-
dit Vlpianus [a]. *a L.2.§. quæritur. de cur. bo. dam.*
¶ *Sed hoc iure vtimur.*] Proponit Iustinianus ius à posterioribus Iurisconsultis cõditum, & ter-
tio loco receptum, quod durauit vsque ad nouam eius constitutionem. Nec est prætermittendum
5 quod rescriptum est [b]; Illustribus personis, Præfectum vrbi, adhibitis decem viris è numero Sena- *b L.1. C. de illust. pers.*
tus, & Prætore tutelari, debuisse tutores dare vel curatores. Illud autem in vniuersum teneamus,
6 quod ait Vlpianus [c]; Tutoris dationem neque imperij, neque iurisdictionis esse, sed ei soli compe- *c L. muto. §. tutoris. de tuto.*
tere, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel Senatusconsultum, vel princeps: Vt intelligamus datio-
nem tutelæ esse meræ nudæque potestaris, quæ à lege datur; vt si lex patiatur, etiam priuato com-
petat, veluti parenti: nec cuiquam aliter competat, quàm si lex permittat. Imperium & iurisdictio
ad magistratũ pertinent: at magistratus cùm dat tutorem, non id agit tanquã iudex, sed tanquam
is, cui nominatim id ei à lege concessum est. vt etiam si nihil haberet imperij vel iurisdictionis, æ-
que posset tutorem dare. Huiusque rei exemplum extat in Tribunis, qui nullam habebant iuris-
dictionem, & tamen tutorem dabant. Contrà Præses prouinciæ licet omnem iurisdictionem &
merum haberet imperium, non potuisset tamen tutorem dare, nisi nominatim id ei fuisset certa
lege tributum. Quam rem diligentius inculco, quia parum vulgo nota sit. ¶ *Secundum suam iurisdi-*
7 *ctionem.*] Latior paulò fuit Præfecti quàm Prætoris iurisdictio. nam protendebatur ad centesi- *d L.1. §. quicquid igi-*
8 mum ab vrbe lapidem [d]. Et iurisdictionem quidem hic appellamus territorium siue locum, in *tur de off. præf. vrb.*
quo potest quis ius dicere: cuiusque limites non possunt transiliri [e]. Sed quia hæc res in tutore dan *e L. vlt. de iurisd.*
do obscurius definita est, paulò diligentius hunc locum explicemus. Ac primùm quidem si quæ-
ratur de tutore ipso, constat eum dandũ, qui subditus est iurisdictioni dantis magistratus [f]. Quod *f L.3. De tut. & cur. dat. ab hu.*
si desit in eo loco tutor idoneus, rescripsit Diuus Marcus Proculo [g]; Officium esse magistratuum, *g L. Diuus. D. illo tit.*
inquirere ex vicinis ciuitaribus honestissimum quemque, & nomina Præsidi prouinciæ mittere:
non autem ipsos arbitrium dandi sibi vindicare. Quod ad pupillum attinet, cui tutor dandus est,
primum constat. eum accipere tutorem à magistratu eius loci, ex quo est oriundus, & vbi habet
9 domicilium, suasque facultates [h]: vel saltem aliquam earum partem [i]. Imo & si nihil eo loco bo- *h L. vnica. C. vbi pet. tut.*
norum habeat. nihilominus tutor rectè dabitur, & is vniuersum patrimonium administrabit. Id *i L.2. C. de excusat.*
enim sequitur personam, cui potissimùm datur tutor, & quam satis est subijci iurisdictioni magi-
stratus. Quod si alibi habeat pupillus domicilium, quàm vnde trahit originem: Si quidem cum
domicilio habeat partem suarum facultatum, poterit ab eius loci magistratu tutoré accipere, non
minus, quàm à magistratu natalis sui soli & & originis [k]. *k L. pupillo. de tut. & cur. da. ab hu.*
¶ *Ex inquisitione.*] Vt quod dictum est de iurisdictione pertinet ad omnes magistratus: ita &
10 quod hîc dicitur de inquisitione. Sic enim generaliter ait Modestinus [l]; Cum reliquis oportet Ma- *l L. scire. §. pen. de tu.*
gistratum, & mores creandorum inuestigare. neque facultates enim, neque dignitas ita sufficiens *& cur. dat. ab hu.*
est ad fidem, vt bona electio, vel voluntas. vel benigni mores. Semper autem maximè hoc obser-
11 uent magistratus, ne creent eos qui seipsos volunt ingerere vt creentur, quique pecuniam dant.
¶ *Iussu præsidum.*] Hoc est, præcepto, vt alibi Paulus ait [m]. Ne quis hic nescio quam delegatio- *m L. Lucius. §. cũ te-*
12 nem somniet. Re uera enim mandari non potest tutoris datio, quæ nec Imperij est, nec iurisdictio- *stamẽto. de admi. tut.*
nis. Vnde Vlpianus [n], Nec (inquit) mandãte Præside alius tutorem dare poterit. Hic ergo solum *n L. nec mãdante. De tut. et cur. dat. ab hu.*
intelligemus Præsidem, vbi res erat leuior. potuisse inferiori magistratui mandare, non quidem
generalem tutoris dationem, sed curam dandi vnius alicuius tutoris, quem præsens necessitas de-
siderabat. ¶ *Per constitutionem nostram.*] Non extat hæc Iustiniani Constitutio: sed cum priori Co-
13 dice intercidit. Et nescio an satis sustulerat priscas difficultates, cùm loco iussionis Præsidum, in-
troduxit autoritatem Episcopi, siue Antistitis.
14 ¶ *Quingentos solidos.*] Aureorum siue solidorum (nam vtriusque vocis eadem est significatio)
15 non fuit idem semper precium. Primum aureus pondere didrachmali æstimatus est centum nu-
mis, hoc est, circiter duobus Gallicis coronatis. Postea excusi sunt alij aurei multò leuiores, qui
æstimabantur sexaginta sex numis, hoc est, duodesexaginta Gallicis duodenis. Et tamen dicti
sunt solidi, hoc est. integri, quia in vsu adhuc erant alij minores, nempe semisses. Atque de his soli-
dis aureis intelligendus videtur hic locus: & si calculum subducere lubet. quingenti poterant ęsti-
mari mille & vigintiquinque libris Franciscis. Si quis aliam de his tractationem requirat, repetat,
licet, ex Ant. Augustini libro secundo cap. 9. ¶ *Defensores ciuitatum.*] Exemplo veterum munici-
16 palium magistratuum posteriores Cæsares curârunt in singulis ciuitatibus creari peculiares ma-
gistratus. qui Defensores Ciuitatum appellarentur. De ijs extat titulus lib. 1. Codicis. & Nouella
Iustiniani Constit. 15. *περὶ τῶν ἐκδίκων*. Alij autem fuere Defensores ciuitatum, quorum nostri Iuris-
17 consulti meminere, appellabanturque [o] Syndici. ¶ *Iuridicum Alexandrinæ ciuitatis.*] Inquit Vlpia- *o L. vl. §. defensores. De mu. & ho.*
nus [p]: Iuridico, qui Alexandriæ agit. datio tutoris constitutione Diui Marci cõcessa est. Fuit autem *p L. 2 de offi. iuri. l.*
18 hæc Alexandria clarissima ciuitas Ægypti, ad ostium Nili sita, ab Alexandro magno condita,
quondam insignis scholâ Christianarum *κατηχήσεων*, quibus præfuerunt Pantenus, Clemens,
Origenes. Post Heraclium à Saracenis occupata est. Quod autem attinet ad eius magistratus,
19 sciendum est, superato Actiaca pugna Antonio, Octauium Cæsarem redegisse Ægyptum in pro-

uinciæ tributariæ formam: & qui ei præerat, appellatum præfectum Augustalem: de cuius officio extat titulus in Pandectis. Sub hoc præfecto erat Iuridicus, qui Alexandriæ agebat, & potissimùm iuri dicundo præerat. vnde etiam Græcè appellabatur δικαιοδότης. Id quod eleganter scribit Strabo 20
libro decimo septimo, loquens de Ægypto, his verbis: ἐπαρχία δὲ νῦν ἐστί, φόρους μὲν τελοῦσα ἀξιολόγους, ὑπὸ σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν διοικουμένη τῶν πεμπομένων ὑπάρχων ἀεί. ὁ μὲν οὖν πεμφθεὶς τὴν τοῦ βασιλέως ἔχει τάξιν. ὑπ' αὐτῷ δ' ἐστὶν ὁ δικαιοδότης, ὁ τῶν πολλῶν κρίσεων κύριος. [nunc prouincia est, tributa maxima pendens: ab hominibus modestis administratur, qui in eam mittuntur. Qui igitur mittitur regis loco est. Huic subest dicæodotes, qui iudicia exercendi pleraque potestatem habet.]

§. *Impuberes autem.*

1 Frequentes in Institutionibus appendices.
2 Pupillorum tutela nititur ratione naturali.
3 Cui lubricum minoris ætatis committitur, verè tutor sit non prædo.
4 Parentes etiam tutores coguntur ad rationes reddendas.
5 Si pater pupilli, testamento remiserit tutori necessitatem rationum quid iuris.
6 Curatores etiam, Procuratores item, & negociorum alienorũ gestores tenentur ad reddendas rationes.
7 Magistratum esse reddendis rationibus obnoxium.
8 Athenienses moram quinquennij tribuebant rationibus tutorum.
9 Rationum distrahendarum iudicium.
10 Tutoris belluonis libelli accepti & expensi qui?
11 Tutelæ iudicia directum & contrarium.
12 In rationibus tutorum obseruanda duo.
13 Tutor omnem culpam præstare tenetur.
14 Diogetonis tutoris rationes ab Atheniensibus confutata.
15 Pupillum non posse cogi ad reposcendas rationes.
16 Si per tutorem non stet, vt continuus restituat tutelam, quid iuris?
17 Consignatio in reddendis rationibus necessaria.

¶ *Impuberes autem.*] Quæ sequuntur, non propriè sunt huius tituli, sed generaliter pertinent 1
ad totam superiorem tractationem tutelarum. Cuiusmodi frequentes sunt in his Institutionibus appendices. Nam & aliquot similes suprà annotauimus, & rursus postea nonnullas habebimus [a].
Primùm itaque Iustinianus hîc admonet, tutelam pupillorum naturali ratione niti. cui consenta- 2
neum est, quod ait Cicero in Officijs; Ineuntis ætatis imbecillitatem, maiorum natu prudentia regendam & constituendam. Vnde & Vlpianus [b] scribit; Prætorem naturalem æquitatem secutum, suscepisse tutelam minorum, & opitulatum fragili infirmoque huius ætatis consilio, quod multorum insidijs expositum est. Nec est ignota Hesiodi sententia, eos, qui per sese non sapiunt, aliorum sapientum consilijs debere obtemperare. Sed vt minoris ætatis lubricum alterius tutelæ
& fidei committimus: ita par est, eum, qui tutor delectus est, verè tutorem esse, non prædonem: & 3
iustam suæ administrationis rationem reddere. quod non temerè Iustinianus hic adiecit, priusquam explicaret autoritatem tutorũ. Voluit enim quodammodo statim admonere vnumquemque tutorem sui officij, & ne adeò fidat suæ autoritati, vt speret sese impunè fallere fidem posse, vel sua autoritate abuti. Ac ne vllo nomine confidat sese eximere necessitate rationum reddẽdarum, in vniuersum traditur; omnes tutores cogi reddere rationes: quod etiam disertè scribit Vlpianus [c].
Nec parentes quidem hoc iure liberantur. Extat Nouella Iustiniani Constitut. 155. περὶ τοῦ δεῖν τὰς 4
μητέρας ὑποκεῖσθαι ἐπιτροπικοῖς λογισμοῖς. [vt matres etiam tutelæ rationibus obnoxiæ sint.] Sed nec il-
lud tutorem iuuerit, quòd ei pater pupilli, testamento remiserit necessitatem reddendæ rationis, 5
iusseritque eum esse ἀνυπολόγιστον, [à quo tutelæ ratio nõ reposcatur,] quamuis enim eo nomine fiat, vt non ita scrupulosè excutiatur, nec tam morosa fiat indagatio quarumcunque rerum etiam minutissimarum, leui fortassis aliqua culpa deperditarum: non tamen liberabitur ab omni ratione reddenda [d]. Nam & ea remissa nihil aliud intelligitur, quàm ne scrupulosa fiat inquisitio: non autem, vt id remittatur, quod dolo vel fraude factum fuerit [e]. Idem, etsi pupillus iam pubes factus suo tutori liberationem reliquisset, aut adolescens curatoribus, testatus etiam sese omnem rem suam gessisse. Nihilominus enim & reliquorum, & fraudis ratio reddenda est [f]. quanquam si id tutori parenti legatum esset, præsumptio sit propter naturalem effectum omnia videri concessa, nisi aliud sensisse testatorem, ab hæredibus eius approbetur, inquit Scæuola [g]. Idem Scæuola [h] docet, & si fuerit legatum à tutore relicto pupillo ea conditione, si rationes non reposceret, eademque lege ab eo receptum; non tamen adhuc omnem petitionem rationum perimi, si modò pupillus paratus sit reddere, quod ex causa fideicommissi percepisset. Adeò leges noluerunt deuitari neces-
sitatem rationum reddendarum: cui etiam nominatim subiecerunt curatorem [i], procuratorẽ [k], 6
& negociorum alienorum gestorem [l]. Sed & magistratum iusserunt esse ὑπεύθυνον. [qui ex admi- 7
nistratione rerum teneatur.

a §. vl. inf. de dona. §. vl. inf. de Sen. Orph.
b L. 1. De minorib.
c L. 2. §. rationibus. de tut. & rat. distr.
d L. ita tamen. §. quidam decedens. de adm. tut.
e L. si seruus vetitus. De lega. 1. l. non solum debitorem. §. pen. de lib. leg.
f L. Aurelio. §. Caius. De libe. leg.
g L. Aurelius. §. Titius. D. illo tit.
h L. Tutor decedens. D. illo tit.
i L. aduersus. l. rationes. C. de adm. tut.
k L. qui proprio. §. procurator. de procurat.
l L. 2. §. & sane. De neg. gest.

¶ *Post pubertatem.*] Qua finitur tutela. nisi enim ea finita sit, non est locus huic iudicio [m]. Sed hîc non refert an pubertate, an alio modo finiatur tutela. Itaq; si tutor moriatur, statim conueniri poterunt hæredes etiam ab impubere. Plato lib. 9. de Legib. iubet finita tutela rationes reddi: sed tri-
buit moram quinquennij, quam etiam scimus olim publicis Atheniensiũ legibus tributam. ¶ *Tu-* 8
telæ.] Est & aliud iudicium rationũ distrahendarũ, in duplum, si quis in tutela gerenda rẽ ex bonis 9
pupilli abstulerit, inquit Paulus [n]. Et si non sit tutor soluendo, extra ordinẽ punietur; etiam si tantùm peccarit in cessatione; veluti propter omissam comparationem fundorum [o]. Quo fit, vt nemo

m L. nisi finita. de tut. & rationibus distrah. l. rationes. C. de admin. tut.
n L. 2. De tut. et rat. distrah.
o L. ob fœnus. De admin. tut.

nemo facilè peccet inopiæ fiducia, aut ex sua prodiga improbitate consequatur impunitatem: cuius si qua spes affulgeret, fortasis multis placeret exemplum cuiusdam helluonis, qui cùm tutor pupillis datus esset, eorumque patrimonium decoxisset, & iuberetur rationem reddere, proferre-
10 que libellos, qui acceptum continerent & expensum: ridens, ostendit primùm gulam suam, deinde podicem, indicans, illic recepta esse omnia, hic exposita. ¶ *Iudicio.*] Directo. quod pupillo com-
11 petit aduersus tutorem. Est autem aliud tutelæ iudicium contrarium, quod finito officio datur tutori aduersus pupillum, vt recipiat, quæ in tutelæ administratione de suo inutiliter impendit. de
12 quo nos postea suo loco dicemus[a]. ¶ *Reddunt rationem.*] In rationibus reddendis, duo faciunda sunt[b]. Primùm, vt tutor rationes legendas offerat, & discutiendas cum vniuerso actus sui instrumento, vt examinari possint computationes, probè an improbè referantur, & an accepta rectè relata, an non rectè[c]. Deinde, vt reliqua, quæ supersunt ex rebus pupillaribus, bona fide reddat persoluatque. nec alterum sine altero[d] sufficit. Reddit autem rationem tutor omnium, quæ vel fecit,
13 vel facere debuit[e]: præstatque dolum & culpam etiam leuem[f]: ac restituit fructus, non quos percepit modò, sed & quos percipere potuit[g]. Sed infinitum fuerit omnia persequi, & fortasis alienum à nostro officio Illud præterire non possum vetus & memorabile iudicium tutelæ apud Athenienses, quod in quadam Lysiæ oratione legitur apud Dionysium Halicarn. in lib. de vetustis o-
14 ratoribus. Accusatur tutor quidam Diogeton malè gestæ tutelæ, & confutantur rationes, quas improbè reddebat. Sic enim agebat, vt eleganter ait Lysias, ὥσπερ διὰ τοῦτο ἐπίτροπος τῶν παίδων καταλειφθείς, ἵνα γράμματα αὐτοῖς ἀντὶ τῶν χρημάτων ἀποδείξειε, καὶ πενεστάτους ἀντὶ πλουσίων ἀποφήνειεν. [non secus ac si eam ob rem tutor liberis datus esset, vt rationum ipsis libellos pro bonis exhiberet, & pauperrimos pro diuitib. redderet.] Sed legatur quicquid ex ea Lysiæ oratione superest apud Dionysium.
15 Illud potius pro coronide hic adijciamus, quod Imp Diocletianus[h]; pupillum quidem non posse cogi, vt rationes reposcat, & suam actionem tutelæ intendat. sed si interea tutor inhibere velit cursum vsurarum pupillarium, debere non modò offerre redditionem rationum & persolutionem reliquorum; sed etiam tergiuersantem adolescentem frequenter admonere, atque etiam ad iudicium prouocare, saltem vbi res forenses intelligit: ac si nihilominus is tergiuersetur, securum fore tutorem apud acta protestantem, per se non stare, quo minus rationes reddantur & reliqua. Dixerat Marcellus; tutorem, per quem non stetit, quo minus conuentus restitueret tutelam, ad præsta-
16 tionem vsurarum non compelli, ex quo obtulit pecuniam. Vlpianus verò idem notans, quod confusè nimis & concisè dictum erat, adiecit; non esse satis obtulisse, nisi & deposuit consignatam tuto in loco[i]. Sic enim & antea responderat Papinianus[k]; Si tutelæ iudicio nolentem expetiri tutor vltrò conuenerit, & pecuniam obtulerit, eamque obsignatam deposuerit: ex eo tempore non præstare vsuras. Consignationem autem hâc maximè requiri accepi. vbi iam certus est tutor, quid debeat: vt cùm redditæ sunt quidé rationes, sed nondû persoluta reliqua. Alioqui quomodo posset tutor deponere quod debet, cùm id ipsum incertum sit? Deniq; & cùm illi res est cum eo, cui pro-
17 pter ætatem tuto solui non bene potest: & cui etiam facilè imponi posset inani alia oblationis specie. Alioqui consignationem non esse necessariam, sed id satis esse quod Diocletianus requirit, credemus.

a §. tutores quoq. inf. de oblig. quæ quasi ex contr.
b L. cùm seruus. l. qui sub cõditione. de cõdi. & demon. l. statulibera. §. vlt. de statulib. l. si ita fuerit. §. quæstio hæc. de ma. testa.
c dict. l. cùm seruus.
d L. non solum debitorem. §. n qui reddere. de lib. lega.
e L. 1. de tut. & rat. distrah.
f L. tutori, C. de neg. gest.
g L. si fine. §. Modestinus. 2. de admin. tut.
h L. vlti. C. de vsur. pupill.
i L. tutor pro pupillo. de admin. tuto.
k L. 1. §. vlti. de vsur.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Tutor fidelis habetur loco domini.*
2 *Autoritas quid?*
3 *Potestas nondum est autoritas.*
4 *Autoritas Senatus erat sententia quæ nondum in Senatusconsultum transierat.*
5 *Autor deriuatur ab αὐτός.*

TVtorum autoritas maxima est, maximéque necessaria pupillis, cùm sine ea nihil in-
1 *telligantur vel agere vel intelligere[l]. tantúmque est ei tributum, vt tutor, si suo officio rectè vtatur, domini loco habeatur[m]: quemadmodũ & olim apud Athenienses tutor mulieris, dicebatur κύριος τῆς ἀνθρώπου. Porrò autoritas verbum est cõfirmationis, qua niti dicimus, quod actum gestúmve est. quemadmodum dicitur rei iudicatæ autoritas, qua nititur ipsa executio. Sic Liuius scribit, mortuo Romulo, Plebi quidem summam fuisse à patribus concessam potestatem, penes Patres tamen remansisse autoritatem: Vt cùm populus Regem*
3 *creasset, non aliter id ratum haberetur, quàm si Patres fuissent autores. Dicebatur & Autoritas Se-*
4 *natus, eius sententia non satis confirmata, & quæ nondum in Senatusconsultum transierat, vt quia Populus intercesserat, vel Senatus fuisset non legitimo numero, die, aut loco, vt Dion scribit libro 55. Quod attinet ad orthographiam & originem vocis,* Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis
5 est. *Memini me aliquando audiuisse à Budæo, proficisci à Græco verbo αὐτός, quo veteres ratam alicuius potestatem significabant, cui nemo posset refragari. Notum est illud Pythagoreorum, αὐτὸς ἔφα.*

l L. vlt. de in. & fact. ign. l. vl. de ma. vin.
m L. qui fundũ. § si tutor. D pro empt. l. interdum fur. §. qui tutelam. de furt. l. tutor qui tutelam. De admin. tut.

De auto-

De autoritate tutorum, Titulus XXI.



AVtoritas autem tutoris in quibuſdam cauſis neceſſaria pupillis eſt, in quibuſdam non eſt neceſſaria. vt ecce, ſi quid dari ſibi ſtipulentur: nõ eſt neceſſaria tutoris autoritas. quòd ſi alijs promittant pupilli: neceſſaria eſt tutoris autoritas. Nanque placuit meliorem quidem conditionem licere eis facere, etiam ſine tutoris autoritate: deteriorem verò, non aliter, quàm cum tutoris autoritate.

Vnde in his cauſis, ex quibus obligationes mutuæ naſcuntur, vt in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, mandatis, depoſitis, ſi tutoris autoritas non interueniat, ipſi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur: at inuicem pupilli non obligantur.

Neque tamen hæreditatem adire, neque bonorum poſſeſſionem petere, neque hæreditatem ex fideicommiſſo ſuſcipere aliter poſſunt, niſi tutoris autoritate, quamuis illis lucroſa ſit, nec vllum damnum habeat.

Tutor autem ſtatim in ipſo negotio præſens debet autor fieri, ſi hoc pupillo prodeſſe exiſtimauerit. Poſt tempus verò, vel per epiſtolam, aut per nuntium interpoſita autoritas, nihil agit.

Si inter tutorem pupillumq́; iudicio agendum ſit: quia ipſe tutor in rem ſuam autor eſſe non poteſt: non Prætorius tutor (vt olim) cõſtituitur, ſed curator in locum eius datur: quo curatore interueniente, iudicium peragitur: & eo peracto, curator eſſe non deſinit.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Pupillus ſtipulando acquirere et per traditionem accipere ipſe poteſt.
2 Omnis aduerſus pupillum in iudicio irrita eſt actio, ſine tutore ſuſcepta.
3 Autoritas tutoris in quibus cauſis non ſufficiat.
4 Verbum dandi quam vim habeat?
5 Tutoris abſentia non obeſt ſtipulationi pupilli.
6 Stipulari, paſsiuè vſurpatum.
7 Pupillum poſſe nonnunquam ſtipulanti promittere.
8 Pupillus non poteſt rem ſuam imminuere.
9 Pupillus de communiter geſto negocio tenetur.
10 Ex dolo pupillus obligatur.
11 Pupillus ſine tutore promittens ne naturaliter quidem obligatur.
12 Naturaliter obligari quid?
13 Cui bonis interdictum, & cui alimenta ſunt legata, nihil promittunt alijs efficaciter.

INitio admonẽdi ſumus, regulam, qua hîc ante omnia traditur, pupillum ſine tutore poſſe conditionem ſuam meliorem facere, deteriorem non poſſe: rurſus alio poſtea loco repeti à Iuſtiniano, cùm agitur de ijs, quibus alienare licet: item & vbi quæritur de inutilibus ſtipulationibus: & à
Caio explicari his verbis [a]; Obligari ex omni contractu pupillus ſine tutoris autoritate nõ poteſt;
acquirere autem ſibi ſtipulando & per traditionem accipere etiam ſine tutoris autoritate poteſt. 1
¶ *In quibuſdam cauſis.*] Nempe in ijs omnibus, quæ damni periculum habent. Iuſtinianus hîc ſubijcit exemplum hæreditatis adeundæ, & obligationis contrahendæ. Certè & pupilli confeſsio, cui
non adfuit tutor, nullius eſt momenti [b]: nec poteſt pupillus ſine tutore iuſiurandum deferre [c]: nec
damnari à iudice [d], vel arbitrio [e]. Nam in vniuerſum ſi pupillus ſine tutore in iudicio fuerit, irritũ
eſt, quicquid aduerſus eum agitur [f]. Præterea reſponſum eſt [g], nullam eſſe pupilli nunciationem, 2
niſi tutor acceſſerit: & pupillum ſine tutore interpellatum non conſtitui in mora [h]. Quamuis vbi
tutor non comparet, poſsit pupillo emptor denunciare litem motam, vt etiam committatur ſtipulatio duplæ euictione ſecuta [i]. Sed & pupillo accipienti pignus neceſſaria eſt tutoris autoritas
propter metum & periculum actionis [k] pigneratitiæ. Porrò ſunt quædam cauſæ, in quibus nec tu-
toris autoritas ſufficiat, veluti in alienatione rerum pupillarium, vel manumiſsione ſeruorum. 3
¶ *Si quid ſibi dari.*] Ex aliqua cauſa lucratiua. Eam enim vim habet verbum dandi. Sed & ſi ſti-
puletur pupillus ſibi aliquid remitti, non deſiderabitur tutoris autoritas [l]. ¶ *Stipuletur.*] Extat 4
duobus locis [m] reſcriptum Impp. Diocletiani & Maximiani; Tutoris abſentiam non obeſſe ſtipu-
lationi pupilli. Quod autem Suetonius ait; legem Lectoriam olim vetuiſſe, minorem 25. annis ſti- 5
pulari, debet intelligi paſsiuè, hoc eſt, interrogari, an promittat alteri ſtipulanti: quod certè non 6
poteſt popillus facere, vti ſubijcit Iuſtinianus. ¶ *Si alijs promittant.*] Hoc eſt, ſi alijs ſe obligent, vt
inquit alio poſtea loco Iuſtinianus [n]. Quod ſi promiſsio tenderet ad liberationem; veluti ſi obligatio, re aut conſenſu contracta, conuertatur in verborum obligationem, vt poſsit accepto ferri; non video, cur non poſſet pupillus ſtipulanti promittere, quod mox ei remittetur. quanquam vbi non ſequeretur hæc acceptilatio, fruſtra promitteretur, etiam quod alioquin debetur. Neq; enim pupillus ſine tutore ex conſtituta pecunia poteſt obligari [o], quia licet hac fortaſsis ratione non faciat con-

a L. obligari. de aut. tut.
b L. certum. §. in pupillo. de confeſſ.
c L. iuſiurãdum quod ex conuentione. §. 1. de iureiur.
d L. acta. §. fi. de re iu.
e L. ſi pupillus. de arbit.
f L. 1. C. qui legi perſo. hab ſtat. in iud.
g L. de pupillo. de ope. no. nunc.
h L. ſed ſi ex ſtipulatu. de verb. oblig.
i L. ſi dictum. §. vl. de euict.
k L. pupillo. de pigne. act.
l L. contra iuris. de pact. l. 2. de acceptila.
m L. 1. C. de auto. præſt. l. neque. C. de cont. ſtip.
n §. pupillus. inſ. de inuti. ſtip.
o L. 1. §. de pupillo. De conſt. pecu.

ciat conditionem suam deteriorem: non facit tamen meliorem. Adeò nihil potest pupillus aliis
8 promittere, multominus remittere, si quid ei debeatur [a]. Omnino enim pupillo consultum est,
ne possit rem suam imminuere, non modo verborum obligatione, sed nec ea, quæ consensu con-
trahitur, & desiderat aliquod iudicium [b]. Sanè tamen vbi ex re actio veniret, pupillus, vt & furio-
sus [c], obligari posset. Et ideo licet ex societate sine tutore inita non obligaretur: tamen de commu-
9 niter gesto negocio tenebitur [d]. Idem & si quid impensum fuerit in rem cum illo communem [e]:
ne miremur pupillum ipsi quoque tutori obligari ex administratione. Sed & ex delicto pupillus,
10 si doli capax fuerit, obligari potest [f]. & in eum datur actio, si in deposito dolose versatus [g] sit. ¶ *Ne-
cessaria est tutoris autoritas.*] Adeò vt si ea non interueniente pupillus promiserit; ne naturaliter qui-
11 dem, hoc est, iure gentium obligetur. & si soluerit, possit repetere [h]. Obligari tamen dicitur natu-
raliter [i], hoc est, natura tantum, siue eo modo, quo naturaliter obligari dicitur [k] *πρὸς αὐτὶ δωρα.* [ad
12 gratiam referendam.] is, cui alius liberaliter quippiam donauit. Sed eius generis obligatio, quæ
ne iure quidem gentium nititur, sed tantum ex æquo & bono, & naturali quadam honestate pro-
ficiscitur, planè est inefficax, nec magis ad retinendum valet, si per errorem solutum sit, quàm ad
13 petendum. ¶ *Namq; placuit pupillum.*] Idem placuit, & in eo, cui bonis interdictum est [l]: & eo, cui le-
gata sunt alimenta, saltem in eorum causa [m]. ¶ *Non aliter.*] Sed nec reuera vel sic facit conditionem
suam deteriorem. Nam vel tutor damnum sarciet, si eius culpa id datum sit: vel pupillus in inte-
grum restituetur [n].

a L. contra iuris. De pact.
b L. pupillus. de regu. iur.
c L. furiosus. de act. et oblig.
d L. in condictionibus. D pro soc.
e L. si quis cum. D. comm. diuid.
f L. pupillum. de reg. iur.
g L. 1. §. in pupillum. D depos.
h L. quod pupillus. De cond. indeb.
i L. 1. de n. nat.
k L. sed et si lege §. consuluit. de petit. hære.
l L. is cui bon. De verb. oblig.
m L. cum hi. §. eam autem transactionem. de transact.
n L. 2. C. si tutor vel curat.

§. *Vnde in his causis, & §. seq.*

1 *Contractum esse συνάλλαγμα.*
2 *Commodati contractus non constringit pupillum.*
3 *Mutui contractus singulare ius.*
4 *Naturalis obligatio non idem semper significat.*
5 *Priuilegio in fraudem alterius vti non licet.*
6 *In pari causa potior damni vitandi ratio est.*
7 *Pupillus alterius nomine contrahere potest.*
8 *Pupilli, quatenus locupletiores facti, obligantur naturaliter.*
9 *Pupillus cur ipse possit contrahere, nec tamen hæreditatem oblatam consequi sine autoritate tutoris.*
10 *Hæreditas plerunq; plus damni affert quàm lucri.*
11 *Legatum cur pupillus agnoscere ipse possit.*
12 *Extranei heredes hæreditatem vel adire vel repudiare dicuntur.*
13 *Pupillus suus hæres cur ipse paternæ hæreditati se immiscere possit.*
14 *Pupillus ab extraneo institutus sub conditione, cur conditionem ipse adimplere possit.*
15 *Pupillus cur hæreditatem ex fideicommisso suscipere non possit.*
16 *Absentiam tutoris sarcire potest autoritas iudicis.*
17 *Tutor si in rem pupilli autoritatem suam interponit, id ei fraudi non est.*
18 *Lectionis illius,* nec vllum damnum habeat, *confirmatio.*

1 ¶ *Ex quibus mutuæ obligationes.*] Labeo scribit contractum esse *συνάλλαγμα.* [conuentionem mu-
tuorum commerciorum.] quod vltro citroque obligat [o]. ¶ *Depositis.*] Quanuis hæc obligatio re
contrahi dicatur: desiderat tamen certum consensum & iudicium; ne miremur hoc cōtractu non
2 obligari pupillum. Porro hoc loco licet adijcere cōtractum commodati, ex quo etiam mutua na-
scitur obligatio [p]: nec tamen cōstringit pupillum. Contractum autem mutui quidam excipiunt:
3 quod in eo, singulari iure, nescio quid à reliquis diuersum statui videatur: Nam, cùm ex aliis iuris
gentium contractibus, pupillus, etiamsi locupletior factus non sit, naturaliter tamen obligetur;
ex mutui datione [a] nullo modo obligari: & quatenus locupletior factus est, non nisi naturaliter:
vt etiam tum demum obstet ei condicenti exceptio, si pubes factus vltro soluerit [b]: At ex alijs con-
tractibus arctius obligari quatenus est factus locupletior [c]. Sed videntur tamē Cæsares hoc quoq;
casu dare in pupillum ex mutuo actionem si minus directam, saltē vtilem [d]. Et Papinianus quo-
dā loco significat, si pupillus mutuos numos accipiat sine tutore, nec locupletior sit factus, saltem
4 obligari naturaliter [e]. Sed, vt iam admonui, non eodem semper modo Iurisconsulti naturalē obli-
gationem vocant. Nam interdum solum respiciunt naturalem quandam honestatem, quæ dictat
fidem seruandā esse: interdum Ius gentium, quod cōmercia cōstituit. Primo modo potest dici ob-
ligatus pupillus, posteriori non itē. & Iurisconsulti cùm loquuntur de hac posteriori specie obliga-
tionis naturalis, solent etiā meminisse Iuris gentium [f]. ¶ *Si tutoris.*] Veri. Nam falsi alicuius tutoris
autoritas nihili est: nec eo nomine pupillus obligatur. obligat tamen contrahentē, saltē eum, qui
non ignorauit verum non fuisse tutorē [g]. ignoranti aūt & decepto prætor succurrit [h]. ¶ *Non inter-
ueniat.*] Quòd si dubitetur an interuenerit, is probare cogetur interuenisse, qui contendit ratum &
iustū esse contractū. Sic enim ait Caius [i]: Qui à pupillo emerit, probare debet tutore autore, & lege
nō prohibente, se emisse. ¶ *Ipsi quidē, qui cum his contrahunt.*] possuntq; rectè contrahere, & obligari.
5 Nā si pupillus cū pupillo contraheret: omnino nihil ageretur [k]. Neuter enim obligabitur: cùm nō
6 liceat vti priuilegio, in fraudē alterius simili iure vtentis [l]. Nā & in pari causa potior est dāni vitādi
ratio [m]. ¶ *At inuicem.*] Significat hic Iustinianus, eū, qui cū pupillo sine tutore contraxit, licet cogi
possit pactis stare, nō tamen inuicē cogere posse pupillū inuitū obseruare contractū, quē pupillus
vult esse irritū. Atq; hoc illud est discrimen totū, quod hoc loco traditur. Interea aūt fatendum est,
non posse pupillum ex eo contractu, quē non obseruat, aliū conuenire: vt si rem emerit, non potest
eam consequi nisi preciū soluat. Nā alioqui eo agente, retentio conceditur [n]. Illud aūt solū pupillo
tributum

o L. Labeo. de verb. signific.
p L. in commodato. §. sicut autem. D. cōmo.
a L. pupillus. de act. & oblig.
b L. naturaliter. §. vl. de cond. indeb.
c L. 1. § nam in pupillū. D depos. l. 3 D. Commod. l. pupillus. §. pupillus. de aut. tut.
d L. 5. de aut. tut.
e L. cū illud. §. 1. Quādies leg. ced.
f L. cum amplius de reg. iur. l. si operæ de præs. ver.
g L. qui à quolibet. de cont. empt.
h L. 1. §. vlti. D. quod fal. tut. aut.
i L. quacunq. §. vlti. de public. in rē act.
k L. 3. D. quod fal. tu. autor.
l L. verū. §. idē quæritur. de minorib.
m L. vlti. D. ex quib. cau. maio.
n L. si id quod pure, ad S. de rescin. ven.

tributum est, vt liberè posit statuere de vi contractus, & obligatione: vt eius arbitrio, vel in vniuer
sum rata sit, vel irrita. Sicque est accipiendus ille apud Vlpianum locus [a]: Si quis à pupillo sine tu-
toris autoritate emerit, ex vno latere constat contractus. nam qui emit, obligatus est pupillo: pu-
pillum autem sibi non obligat. ¶ *Pupilli.*] At hi quorum nomine pupilli contraxerunt, bene ob- 7
ligantur. Vt si pupillus institor contrahat, omnino ratum est quod agit: & obligatur dominus, qui
eum tabernæ præfecit [b]. Sic & minor procuratorio nomine contrahens, dominum obligat: nec
vlla datur restitutio, etiam si fuerit circumscriptus [c]. ¶ *Non obligantur.*] Hoc est, Nulla actione co-
gi possunt parere contractui. Obligantur tamē, saltem naturaliter ex hisce contractibus iuris gen-
tium, sic vt non posint, quasi indebitum condicere, si quid ex ijs vltrò soluerint puberes. Quate-
nus autem locupleriores facti sunt, bene obligantur, & iudicio conueniri possunt [d]. Cæterùm ex 8
iuris ciuilis contractibus ne naturaliter quidem obligantur pupilli sine tutore. Itaque si pupillus
pubes factus, quod prius stipulanti spoponderat soluerit: cōdicere potest quasi indebitum [e]. Qua-
tenus autem locupletior esset pupillus ex hoc contractu, naturaliter tantum obligatur. Idque exi-
stimo sensisse Vlpianum [f], cùm traderet pupillum sine tutore promittentem, naturaliter obligari.
Quod autem hic dicimus in contractu iuris ciuilis, habet locum in mutuo, vti paulò antè à nobis
probatum est.

¶ *Neque tamen.*] Descriptus est hic locus ex responso Caij [g]. Sed primùm obseruemus hæc Iu-
stiniani verba, NEQVE TAMEN, quæ habent notam cuiusdam cum superioribus diuersitatis.
Quasi dicat Iustinianus; Quamuis pupillus sine tutore posit conditionem suam meliorem facere
contrahendo; non potest tamen hæreditatem delatam consequi, vel ex lege, vel Senatusconsulto,
vel Prætoris edicto. Discriminis rationem non addit Iustinianus. Eam autem puto hāc esse; Quòd 9
contractuum causa commodè posit diuidi: hæreditatis verò non posit: quia referat personam
defuncti, & tam onera quàm commoda contineat. Itaque filiusfa. adeundo hæreditatem non ac-
quirit patri ignoranti: ne scilicet ignorans pater simul obligetur æri alieno [h], quod non potest se-
parari ab hæreditate. Cùm ergo hic non posset statui exemplo contractuum, vt pupillus adeundo
hæreditatem, obligaret sibi debitores hæreditarios: ipse autem non obligaretur creditoribus: rectè
statutum est, vt pupillus nihil hic tentaret sine tutore, etiam si qua spes commodi affulgeret. Nam
tametsi locuples videatur hæreditas (inquit Vlpianus [i]) semper tamen subest periculum, vel nego-
ciorum, vel vexationis, vel æris alieni: & plerunque plus damni adfert, quàm lucri [k]. Et vt reuera
fortasis nullum damnum habeat, tamen periculosa est præceps temeritas aditionis, cùm magnā 10
pariat litium segetem, quibus non vexari proculdubio pupilli interest [l]. Et quorsum tandem iuue
nis rerum imperitus tam periculosæ plenum opus aleæ tractet, & temerè solus incedat per ignes
suppositos cineri doloso: cùm præstò sit tutor, qui rem omnem suo periculo prudentius conficiet,
& si fuerit negligens, damnum contemptæ hæreditatis sarciet? Denique non fuit pupillo permit-
tendum, quod illi aliquādo vtile esse posset, si itidem aliquando posset esse inutile & damnosum.
Semper enim verendum est, ne modus non adhibeatur, qui sit tolerandus, vt aliquando rescripsit
Augustus [m]. ¶ *Hæreditatem.*] Legatum verò liberaliter relictum posse pupillum sine tutore agno- 11
scere, non est dubitandum, cùm ea in re nihil esse posit captionis. ¶ *Adire.*] Hoc verbum propriè
pertinet ad extraneos hæredes institutos, qui hæreditatem vel adire vel repudiare dicuntur. Et re- 12
uera in ijs solis locum habent, quæ hic traduntur. Nam pupillus suus hæres potest sine tutore sese
immiscere hæreditati paternę, cùm ipso iure etiam hęres fiat. Sed & vbi non ipso iure, sed quodam 13
facto interueniente hic pupillus hæres fieret: idem respondebimus. Potest enim solus pupillus pa-
rere conditioni, sub qua hęres à patre scriptus est [n]. Sed & si ab extraneo sub conditione instituere-
tur: solus quoque & sine tutore poterit conditionem adimplere [o]: quia nec eo statim nomine hæ- 14
res fit, sed tantùm reddit institutionem puram, quæ conditionalis erat: & sternit sibi aditum faci-
liorem ad eam acquirendam, si id tutori videatur. ¶ *Neque hæreditatem ex fideicommisso suscipere.*] In-
quit Vlpianus [p]; Si pupillo sit restituenda hæreditas, non posse pupillo sine tutoris autoritate resti 15
tui constat. addit Paulus; Non enim tantùm solutio est hæreditatis restitutio: sed & successio, cùm
obligētur. Subijcit deinde Vlpianus: Sed nec ipsi tutori indistinctè restitui potest: nempe cùm pu-
pillus ipse, si non fuerit infans, interuenire debeat.

¶ *Nisi tutoris.*] Saltem eius, qui gerere potest tutelam, etiamsi non gerat [a]. Sed & autoritas iu-
dicis decernentis pupillo bonorum possesionē, sarcire potest absentiam tutoris [b]. Sanè curatoris 16
aliqua peculiari de causa pupillo dati autoritatem nihili esse ad adeundam hæreditatem respon-
sum est [c]. ¶ *Autoritate.*] Quam ne vereatur tutor interponere in rem pupilli, statutum est [d], id ei
fraudi non fore, hoc est, vt si fuerit ipse iniuria exhæredatus, nihilominus posit dicere testamen- 17
tum inofficiosum, etiam si ex eo acquirendæ hæreditatis autor pupillo fuerit. Nam eum excusat
officij necesitas [e]. ¶ *Lucrosa.*] Vtitur hac voce duobus locis Caius [f]. Vtitur & Plinius. ¶ *Nec vllum
damnum habeat.*] Sic coniunctim legit & Caius [g], ex quo hic locus desumptus est, quasi sit hęc inter- 18
pretatio lucrosæ hæreditatis. Nec aliter legisse videtur Theophilus, qui vertit, ϗ μηδεμίαν ἔχει ζημίαν.
consentiuntq; duo vetera exēplaria Albornotianæ Bibliothecæ, vt testatur Ant. August. lib. emen.
3. c. 7. Vulgo tamen legitur, NE VLLVM DAMNVM HABEANT, referendo id ad ipsos pupillos.

a L. Iulianus. §. si quis à pupillo. De act. empti.
b L. sed & si quis. §. pupillus. De contrah. empt.
c L. cum mandato, in fi. De minor.
d L. 1. §. an in pupillum. D. deposi. L. 3. D. commod. L. eatenus. D. instito. act.
e L. quod pupillus. De cond. indebi.
f L. 1. in fi. De nouat.
g L. obligari. §. pupillus. De aut. tut.
h L. acquiritur. De acquir. hæredit.
i L. quia poterat. D. ad Sen. Treb.
k L. si hæreditatem, in fi. D. mandat.
l L. minoribus. De minorib.
m L. officium. De re mil.
n L. conditionibus. De condit. & demōst.
o L. si pupillus. De condit. institut.
p L. restituta. §. vlt. D. ad Sen. Treb.

a L. pupillum. De acquir. hæred.
b L. bonorum. C. qui admin.
c L. cum in vna §. tutor. De appel.
d §. si tutor. Inst. de inoff. test. l. cum quidā. C. de admi. tut.
e L. tutorē. de ijs quæ vt indig.
f L. obligari. §. pupillus. de auto. tut. l. si quis omissa. D. si quis omissa cau. testamen.
g dict. §. pupillus.

§. Tutor autem, & §. seq.

1 Iussu parentis & autoritas tutoris, differre videtur. *2 Pro absente habetur, qui animo præsens non est.*

3 Autor

3 *Autor fit tutor, cùm dicit se approbare contractum.*
4 *Tutor non cogendus vt autor fiat pupillo.*
5 *Valetudo, vel alia iusta causa, excusat tutorem.*
6 *Prius actum potest repeti.*
7 *Iussus præcedere debet negotium, non interuenire.*
8 *Non fieri aliquid, & perperam fieri, perinde est.*
9 *Debitor vel creditor olim potuerunt dari tutores.*
10 *Iustinianus noua constit. prohibuit, ne vel debitor vel creditor fiat tutor.*
11 *Tutor se se vel creditorem vel debitorem pupilli dissimulans quomodo mulctetur.*
12 *Inter tutorem & pupillum nullum admittitur iudicium.*
13 *Matres non arcentur à tutela obligationis nomine.*
14 *§.hic: Si inter tutorem, de in litem dando tutore, vbi adhuc locum habeat.*
15 *Si quis, iam tutor, acquirat obligationem contra pupillum, quid iuris?*
16 *Tutorem non posse in rem suã esse pupillo autorem, quomodo intelligendum.*
17 *Rem pupilli ritè venditam quomodo consequi tutor possit.*
18 *Curatoris olim dandi ratio, pupillo cum tutore litem agere volente.*
19 *Qui nihil præter negocium gessit, frustra conuenit.r.*

¶ *Tutor autem.*] HIC QVOQVE LOCVS EX CAIO descriptus est[a]. ¶ *In ipso negocio.*] Siue sit ineundus contractus, siue adeunda hæreditas. Etsi conditionalis contractus sit, tutor statim *a dict. l. obligari. §. pe.*
debet autor fieri purè[b]. Sanè vbi filiusfam. aditurus est hæreditatem, iussus parentis omnino præ- *b L. etsi conditionalis. De aut. tuto.*
1 cedere debet[c]: eoque nomine differre videtur iussus ab autoritate, quam hic solùm desideramus *c L. si quis mihi bona. § iussum de acqu. hæ.*
in ipso negocio. ¶ *Præsens.*] Saltem ipsi pupillo. Alteri enim contrahenti non debet præsens adesse. Sic enim Caius ait[d]; Etiam si non exaudiat tutoris autoritatem is, qui cum pupillo contrahit, *d dict. l. obligari. §. vl.*
scriptis tamen hoc approbetur; rectè negocium geritur. veluti si absenti pupillo per epistolam vendam aliquid, aut locem, & is tutoris autoritate consentiat. Porrò præsentem hic intelligimus non corpore modò, sed animo, vt intelligat quod agitur. Neq; enim alioquin (inquit Vlpianus[e]) præ- *e L. 1. §. vl. de aut. tut.*
sentia corporis sufficit ad autoritatem: vt si somno aut morbo comitiali occupatus tacuisset. Nec
2 nouum est in iure nostro, vt is pro absente habeatur, qui animo præsens non est[f]. ¶ *Autor fieri.*] *f L. diem proferre. §. si plures. de recep. arbi. l. coram. de verb. sign.*
3 Paulus[g] scribit autorem fieri tutorem, cùm dicit se approbare id quod agitur. Ergo hic voce opus est, quam cùm non habeat mutus, tutor esse non potest[h]. Nec vllius est momenti præsentia tuto- *g L. 3. de aut. tut.*
ris, si tacuerit[i]. ¶ *Si hoc pupillo prodesse.*] Hoc propriè Iustinian. adiectum est quod tutorem ad- *h L. 1. §. mutus. De tutel.*
4 monet sui officij. Interim autem liberum ei est sequi, quod voluerit. Etsi (inquit Paulus[k]) tutor
pupillo nolit autor fieri, non debet eum Prætor cogere: primùm, quia iniquum est, si non expedit *i L. 1. §. vl. de aut. tut.*
pupillo, autoritatem eum præstare: deinde, & si expedit, tutelæ iudicio pupillus hanc iacturam *k L. si tutor. de aut. tut.*
5 consequitur. Idem Paulus ait[l], eum tutorem excusari, nec teneri, qui per valetudinem vel absentiam vel aliam iustam causam autor fieri non potuit. *l L. tutor qui. de aut. tut.*

¶ *Post tempus.*] Hoc est, aliquo longiori interuallo post contractum negocium. nam periculum est, ne quid interim pupillus egerit, quod simul confirmaret imprudens tutor. Alibi, post tem-
6 pus opponitur verbis, confestim[m], & ilico[n]. Sanè si quod prius actum est, præsente tutore repeta- *m L. generaliter. § si tut. de fideicõ. lib. l. si patroni. §. fideicõ. D. ad Treb.*
tur, poterit eius autoritate confirmari à principio. Sic enim scribit Paulus[o].

¶ *Per epistolam.*] Iussus tamen per epistolam interponi rectè potest[p]: vt si tutor iubeat seruum
7 adire hæreditatem. neque enim iussus in ipso negocio interuenire debet, cùm magis præcedat. *n L. 3. §. Stichus. De statulib.*
8 ¶ *Nihil agit.*] Nulla (inquit Vlpianus[a]) differentia est, non interueniat autoritas tutoris, an perperam adhibeatur. *o L. si per epistolã. De acq. hæred.*
9 ¶ *Si inter tutorem.*] Sciendum est hoc iure debitorem vel creditorem potuisse dari tutorem, *p L. si id quod pure. de rescin. vend.*
neq; propterea impeditas fuisse actiones inter eum & pupillum. saltem eas, quarum causa & origo
fuit ante tutelam. nam aliæ, quæ post tutelam primùm oriebantur, interim cessabant[b]. Cùm au- *a L. 2. de aut. tut.*
tem iudicium erat inter tutorem & pupillum, si non erat alius tutor[c], cuius autoritate pupillus ni- *b L. sed non datur. De tut. & rat. distrah.*
teretur, vnus aliquis in litem dabatur[d]. Sed hodie per Nouel. Iustiniani Consti 72 admodum imminuta est tota huius loci ratio & vsus. Nam prohibitum est, ne vel debitor vel creditor fiat tutor, *c L. si plures. de testa. tut*
10 πῶς ἄν, inquit Iustinianus, ὁ περιζώσας ἑαυτῷ ἑαυτοῦ τι ἄν, καὶ τὴν τοῦ ἀντιδίκου πραγμάτων γενόμενος. [quid enim pro se ille non agat, qui potestatem & in se & in res aduersarij acceperit?] Quod si *d L. 1. C. de in lit. dand. tut.*
11 quis dissimularit se creditorem esse & ita factus sit tutor, perdit ius suæ contra pupillum actionis.
Quod si dissimulârit se debitorem, nõ poterit tutelæ tempore vllo modo sese debito liberare. Atq;
hæc quidem in omnibus etiam curatoribus locum habere vult Iustinianus, qui hac ratione præ-
12 scidit omnem occasionem iudicij inter pupillum & tutorem. Sed hac lege postea exemit matrés
per Nouellam suam Constitut. 94. neque enim vult eas vllius obligationis nomine arceri à filio-
13 rum suorum tutela quæ cùm peculiari naturalis pietatis motu agantur, non sunt extraneis conferendæ. τὴν μητέρα γὰρ (inquit Iustinianus) φυσικός ἔρως ἀνύποπτον περὶ τοὺς παῖδας ἀπὸ τοῦ πλείστου ποιεῖ. τοῖς δὲ οὐδεμίαν ἔχουσιν ἀνάγκην πρὸς τοὺς παῖδας εὐνοίας, εἰκότως οὐ συγχωροῦμεν τὴν μητρῴαν ... [matrẽ enim pius ille & à natura insitus circa liberos amor, vt plurimum suspicione liberã reddit: qui verò nullam erga liberos necessariã habẽt causam, cum his maternus animus merito conferendus nõ est.]
14 Ergo adhuc in matre saltem locum habere poterunt, quæ de in litem dando tutore hîc traduntur.
Illud præterea sciendum est, quod Iustinianus eadem in illa sua Nouel. Constit. 72. statuit, vt si quis
15 cùm iam tutor esset, acquisierit obligationem contra pupillum: adiungatur ei alius tutor, qui curabit, ne quid interuertatur ex rebus minoris.

¶ *Quia ipse tutor.*] Vlpianus testatur[e], Regulam esse iuris ciuilis; in rem suam autorem tuto- *e L. 1. de aut. tut.*
rem fieri non posse: & adijcit, idem esse, & si in rem sui filij sit autor fieret: sed addit hanc regulam ita intelligi, vt directè & principaliter in rem suã autor esse nõ possit: per cõsequentiã verò alterius

negocij esse posit. Potest enim tutor autoritatem accommodare pupillo adeunti hæreditatem eius, qui tutori debitor est: quamuis per hoc debitor tutoris efficiatur pupillus. Nam (inquit Vlpianus) Prima ratio autoritatis ea est, vt hæres fiat: per consequentias autem contingit, vt debitum subeat. Sanè tamen non posset tutor petere ex fideicommisso hæreditatem sibi à pupillo restitui se autore[a]. Nam tum principaliter & directò in rem suam autor esset. Porrò si rem pupilli tutor ritè vendidisset: non soluente precium emptore, poterit ipse rem eandem consequi, eodem precio bona fide persoluto[b]: quia non videatur hîc vlla noua esse emptio, sed tantùm prioris, quæ ritè contracta erat, translatio: vt in rem suam non videatur autor esse, cùm ad eiusmodi translationē nulla sit autoritate opus: quemadmodum & vbi ageretur tantùm de traditione rei, quam tutor prius emerat à patre ipsius pupilli[c]. ¶ *Curator in locum eius datur.*] Quomodo autem detur, eleganter explicat Vlpianus his verbis[d]: Si pupillus pupilláve cum iusto tutore litem agere vult, & curator in eam rem petitur: vtrum ipsis poscentibus datur, an verò & aduersario petente? Et sciendum est, siue agant, siue conueniantur, dari his hunc curatorē posse: sed non alias, quàm si ipse petat, cui dari eum oportet. Denique Cassius lib. 6. scripsit talem curatorem neminem dari posse, nisi præsentem: neque cuiquam, nisi præsenti, & postulanti. Itaq; infanti non potest dari. Idem Cassius ait; si pupillus curatorem poscere non vult, quo minus cum eo agatur: cogi eum à Prætore debuisse. Quolibet loco & tempore hunc curatorem dari posse Pomponius lib. 16. ad Sabinum scripsit. Hęc Vlpianus. ¶ *Curator esse definit.*] Nec alio nomine, quàm ipsius negocij conueniri potest. Sic enim Imp. Gallienus Valerio rescripsit[e], Ad protegendam causam tutor siue curator datus, conueniri non potest administrationis periculo: cùm sola suscepti negocij tutela mandata est. Si nihil igitur (vt allegas) præter negocium gessisti, frustra conuenires.

17, 18, 19 (in the right margin, beside the lines "…quæ ritè contracta…", "…& curator in…", "…(vt allegas)")

a L. 1. §. fuit quæsitū. D. ad Sen. Treb.
b L. tutor rerum. De admin. tut.
c L. fistula. §. 1. de contrah. emp.
d L. 3. § si pupillus De tutel.
e L. 3. C. de in lit. dan. tut.

Quibus modis tutela finitur, Titulus XXII.



Vpilli pupillæque, cùm puberes esse cœperint, à tutela liberantur. Pubertatem autem veteres quidem non solùm ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant. Nostra autem maiestas dignum esse castitate nostrorum temporum existimans, bene putauit, quòd in fœminis etiam antiquis impudicum esse visum est, id est, inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculos extendere.

Et ideò nostra sancta constitutione promulgata, pubertatem in masculis post decimumquartum annum completum illico initiū accipere disposuimus: antiquitatis normam in fœminis bene positam, in suo ordine relinquētes, vt post duodecim annos completos viripoten tes esse credantur.

Item finitur tutela, si adrogati sint adhuc impuberes, vel deportati: item si in seruitutem pupillus redigatur, vel si ab hostibus captus fuerit. Sed & si vsq; ad certam conditionem datus sit tutor testamento: æquè euenit, vt desinat esse tutor existente conditione.

Simili modo finitur tutela morte pupillorum, vel tutorum. Sed & capitis deminutione tutoris, per quam libertas vel ciuitas amittitur, omnis tutela perit.

Minima autem capitis deminutione tutoris, veluti si se in adoptionem dederit, legitima tantùm tutela perit: cæteræ non pereunt. Sed pupilli & pupillæ capitis deminutio, licet minima sit: omnes tutelas tollit.

Præterea qui ad certum tem pus testamento dantur tutores, finito eo, deponunt tutelam. Desinunt etiam tutores esse, qui vel remouentur à tutela ob id, quod suspecti visi sunt: vel qui ex iusta causa se excusant, & onus administrandę tutelæ deponunt, secundum ea, quæ inferius proponemus.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Liberatio à tutela pueris gratissima.*
2 *Lexiarchicon Athenis quid?*
3 *Principes pueros admouere Reip. gubernaculis periculosum.*
4 *Principes subesse debere tutoribus ad annum 20.*
5 *Olradus I.C. quando floruerit.*
6 *Phaëthontis temeritas.*
7 *Metij Falconij Nicomachi oratio in principes pueros.*
8 *Epirotarum reuocato Pyrrho prudentia.*
9 *Rationes eorum, qui etiam Principis tutelam pubertate finiri volunt.*
10 *Rufinus & Stilico, perfidi tutores Arcadij & Honorij.*
11 *Cleopatra Photinum, fratris tutorem, accusat apud Cæsarem.*
12 *Tutores Principis sint minus imperiosi.*

13 *Caroli V.*

13 *Caroli V. Regis Galliæ constitutio, de Regum Franciæ filijs coronandis.*
14 *Carolus VI. & Carolus VIII. adolescentes Reges.*
15 *Antigono in Macedonia, Seleuco in Asia impuberes succedunt.*
16 *Tutela finita quarum obligationum ius maneat.*
17 *Tutor finita tutela petat puberi curatores.*
18 *Si per errorem tutor in officio durauerit, caret periculo.*
19 *Pubes in suam tutelam venire dicitur.*
20 *Cassianorum & Proculeiorum diuersæ opiniones de pubertate.*
21 *Platonis de æstimanda pubertate lex.*
22 *Lycurgus nudas voluit exhiberi virgines puberes.*
23 *Spartanæ fœminæ ἀνδρομανεῖς.*
24 *Virgines solæ debent seipsas erubescere.*
25 *Fœmina deponit posita cum veste pudorem.*
26 *Romæ olim puberes filij non vtebantur eodem simul cum parentibus balneo.*
27 *Rutilij Seueri vxor Domitia commissa non custodibus, sed tribus obstetricibus.*
28 *Facies sæpe annos supputat.*
29 *Tertullianus de pubertate minorum.*
30 *Computatio annorum 14. & 25.*
31 *Minoru ætatu semper habenda ratio est.*

CVm pararem sua superiori titulo subijcere scholia, fortè superuenit amicus & familiaris meus
Theophilus adolescens doctissimus: ac post mutuam salutarionem iubet me nonnihil respi-
rare: placideque rogat ecquid haberem præ manibus. Tum ego, Certè id, quod huic ætati soler es-
1 se gratissimum, nempe, liberationem à tutela, quæ puberi pupillo tribuitur, posteaquá iam nonni
hil maturuit eius iudicium, & relictis nucibus incipit sapere, vt ei amplius non possit temerè re-
bus suis interdici sine iniuria: sed tandem custode remoto debeat habere liberam sui suorumq; bo
norum potestatem. quemadmodum olim apud Athenienses puberes adolescentes, qui sui iuris
2 tutelęque fiebant, hoc est, αὐτοκράτορες καὶ αὐτεξούσιοι, inscribebantur εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, [in li-
brum in quem nomina puerorum referebantur, qui iam tutelæ suæ facti statuere de patrimonio
poterant pro arbitratu,] & fiebant κύριοι τῆς οὐσίας, vt scribit Æschines κατὰ Τιμάρ. Ille ad hæc, Profectò
(inquit) par est honestos adolescentes rebus suis liberè frui, si quibus ante pilos venit præcox sapi-
3 entia; sed vereor ne sit hæc periculosa in multis libertas, præcipuè in Principibus; quos statim cum
prima pubertate admoueri Reip. gubernaculis, & tutorum potestate liberari ætatem rerum impe-
ritam, & adhuc primo calore lasciuientem, parum videtur consultum. Nec fortassis absurdum fo-
4 ret, pupillos semper eos intelligi ad annum vsque vigesimum. Hic ego rursus, Equidem audio hác
fuisse Oldradi clariss. Iurisconsulti, qui floruit ante annos ducentos, sententiam, quę adhuc extat in
5 eius consilio 52 Nempe terret prudentes ambustus Phaëthon, qui temerè volens ante ętatem mo-
6 derari parentis currum, omnia perturbauit, & se præcipitem dedit. Notaque est etiam grauissima
7 illa apud Vopiscum oratio Metij Falconij Nicomachi; Dij à nobis auertant Principes pueros: aut
patres patriæ dici impuberes, quibus adhuc ad subscribendum magistri literarij manus teneant:
quos ad Consulatus dandos dulcia, & circuli, & quæque voluptas puerilis inuitet. Quæ (malum)
est ratio, habere Imperatorem, qui quid sit Respub nesciat, &c. Itaque iudicantur prudenter fecisse
8 Epirotæ, qui cùm reuocassent Principem suum Pyrrhum vndecim tantùm annos agentem, dede-
runt ei tutores ad maiorem vsque & adultam ætatem. Sed tamen multis è Rep. magis videtur, pu-
9 pilli etiam Principis tutelam pubertate finiri: vt scilicet cesset inuidiosa illa tutorum vis potestas-
que: & adolescens Princeps potius nitatur communi suorum Principum consilio: proque vno plu
res habeat tutores, sed moderatiores, nec eò potestatis euectos, vt quicquid ijs lubeat, liceat. Pericu
10 losum enim est vni alicui tantam tamque diuturnam esse potestatem in res alienas. Exemplo sunt
Rufinus & Stilico, qui cùm Arcadio & Honorio relicti essent tutores, & diutius liberè dominaren
tur: sua perfidia autores fuere euertendi imperij Romani. Ac metuenda est abalienatio procerum
& primatum: ne qui vero Regi fauerent, non ferant vicarium diutius pro arbitrio regnantem. Si-
11 cut Cleopatra apud Lucanum lib. 10. non fert Photinum Ptolemæi Regis fratris sui tutorem, & a-
pud Cæsarem conqueritur de eius iniurijs.

Puer (inquit) *ipse sororem,*
Sit modò liber, amat: sed habet sub iure Photinus
Affectus ensesq; suos: nil ipsa paterni
Iuris habere peto: culpa tantoq; pudore
Solue domum: remoue funesta satellitis arma:
Et regem regnare iube.

12 Ergo Principi pubescenti non tam tutores adimo, quàm addo, sed minus imperiosos, minusque
inuidiæ obnoxios: quod etiam facit apud Herodianum M. Antoninus, filio suo Commodo suc-
13 cessionem imperij relicturus. Apud Gallos Carolus V. Rex, qui Sapiens dictus est, constituit, vt
regum Franciæ filij, anno 14. consecrari atque coronari possint. Eius itaq; filius Carolus sextus, &
14 deinde Carolus octauus susceperunt in prima & vixdum puberi adolescentia, regni administra-
tionem. Ac si libuerit conferre vetustiores historias, legimus olim in Macedonia mortuo Antigo-
15 no vitrico & tutore, puerum vix attingentem annos quatuordecim, regnum suscepisse. Eodemq;
tempore in Asia mortuo Seleuco impuberem adhuc Antiochum constitutum Regem. Hæc atque
eiusmodi plura familiariter contulimus animi gratia. Et operæpretium putaui huius rei mentio-
nem obiter hîc fieri. Nunc veniamus ad nostrum Iustinianum. ¶ *A tutela liberantur.*] Item & à cu-
16 ra tutelæ adiuncta [a]. Manet tamen ius obligationum, quarum vis collata est in tempus finitæ tu-
telæ. Itaq; si tutor rectè crediderit pecunias pupilli nomine: pupillus quantumuis pubes, & à tuto-
re liber, non poterit prius eas exigere, quàm venerit dies earum exigendarum [b]. Sed & causæ prius
17 cœptæ tutor adesse iubetur etiam post pubertatem [c]. Et ne puberis adolescentis negocia statim se-
curè negligat, admonendus mihi est, vt petat puberi curatores. Neq; enim omnino prius liberabi-

[a] *L. 1. C. quando tut. vel cur. esse desi.*
[b] *L. si tutel. de admi. tut.*
[c] *L. vnica. C. vt cau. post pub. adsit tut.*

a L. à tutoribus. §. 1. de admin tut.
b L. tutores qui post. de admi. tut.

tut periculo tutelæ [a]. Quod si tutor post finem tutelę, per errorem in officio durauerit, & rerum ad-
ministrationem retinuerit: Respondit Papinianus [b], non præstaturum nominum paternorũ pe- 18
riculum, quæ post pubertatem adolescentis idonea fuerunt, cùm actionem inferre non potuerit.
Porrò vt adolescens pubes liberatur ab aliorum tutela: ita & in suam tutelam venire dicitur. quod

c L. cũ filiof. de lega. 3.

Vlpianus eleganti responso diligenter tractat [c]. 19
¶ *Veteres.*] Legi aliquando in vetustis quibusdam fragmentis, quæ Vlpiani esse dicuntur, 20
Cassianos puberem esse dixisse, qui ex habitu corporis pubes appareret, & generare posset per ęta-
tem. contrà autem Proculianos, qui quatuordecim esset annorum. Cassiani autem videntur secu- 21
ti Platonem, qui libro de Legibus vndecimo, iubet ætatem ad nuptias idoneam æstimari inspe-
ctione nudi corporis, etiamsi virginum pudenda nolit omnino nudari. Apud Lacedęmonios Ly- 22
curgus etiam virgines omnino nudas proponebat oculis omnium in publicis spectaculis. Sed
Chrysostomus quodam loco grauiter admonet, eos à dæmonibus impelli, *ὅταν παρθένους γυμνώσαν-
τι ὅτι τῆς παλαίστρας ἄγουσιν ἐπὶ θέαν ἀνθρώπων.* [cùm virgines denudantes in palæstram producunt ad
spectationem hominum.] Certè Euripides mulieres Laconicas appellat *ἀνδρομανεῖς*, quòd impu- 25
dica suorum corporum nuditate, multos ad furorem turpis amoris & libidinis adigerent. Profe-
ctò Hieronymo non placuerunt lauacra in adulta virgine, quòd etiam sola seipsam debeat erube-
scere. Notum est, quod apud Herodotum grauissimè ait Gyges; *ἅμα τῷ χιτῶνι συνεκδύεται καὶ τὴν αἰ-
δῶ ἡ γυνή.* [vnà cum tunica exuit & pudorem mulier.] Et sanè verissimum est quod ait Tullius lib. 24
1. Offic. Omnes qui sana mente sunt, ea, quæ natura occultauit, remouere ab oculis, & quàm occul 25
tissimè dare operam ipsi necessitati. Quinimo prisca Romanorum verecundia non est passa, vt pu
beres filij cum parentibus irent in balneum. Et vbi secretior aliqua necessitas cogit pudendas cor- 26
poris partes deregi: leges Romanæ iubent, vt id quàm honestissimè fiat: nec nisi à matronis proba-
tæ fidei & honestatis inspiciantur verenda mulierum. Vnde cùm quidam Rutilius Seuerus postu 27
lasset custodes apponi vxori, quæ ab eo diuerterat, & negabat se prægnantem: Diui fratres Valerio

d L. 1. de ven. inspic.

Prisciano Prætori Vrbano rescripserunt [d], commodissimum esse eligi honestissimæ fœminæ do-
mum, in qoam Rutilij vxor Domitia veniat: & ibi tres obstetrices probatæ & artis & fidei eam in-
spiciant. ¶ *Ex habitu corporis.*] Hoc est, ex impudica inspectione ipsius pubis, & earum partiũ, quę
deformem habent aspectum. Cæterùm ex honesta inspectione habitus corporis, nihil impedit a-

e L. minor 25. annis adito. de minorib.
f L. vl. C. quãdo tuto. vel cur. esse desinant.

liquando æstimari ætatem, vt sæpè facies supputat annos. Sic legimus apud Paulum [e], ex aspectu 28
corporis probatam aliquando ætatem.
¶ *Nostra sancta constitutione.*] Extat hæc adhuc Iustiniani constitutio, his verbis [f]; Indecoram
obseruationem in examinanda marium pubertate resecantes, iubemus: quemadmodum fœmi-
næ post impletos duodecim annos omnimodo puberes iudicantur; ita & mares post excessum
quatuordecim annorum puberes existimentur, indagatione corporis inhonesta cessante. Sed &
olim ante Iustinianum id aliquando fuisse obseruatum indicat Tertullianus in libro de virgini-
bus velandis, inquiens, Tempus etiam Ethnici obseruant, vt ex lege Naturæ iura sua ætatibus red 29
dant. Nam fœminas quidẽ à duodecim annis, masculum verò à duobus amplius ad negocia mit-
tunt. ¶ *Completum*] Iustinianus in sua Constit. ait, excessum. Sed tamen meminerimus pupillum

g L. qua ætate. de testamen.

si attigerit vltimum diem decimiquarti anni, posse testamentum condere [g]. atque hoc quidẽ tri- 30
buimus fauori pupillorum aspirantium ad honestam libertatem, quando etiam alioqui *satis est
piger annus Pupillis quos longa premit custodia*, vt inquit Flaccus. Sanè tamen minorem 25. annis semper

h L. 3 §. minore. De minor.
i §. masculo. inf. De pup. substit.

accipimus vsq; ad vltimum momentum completorum 25. annorum [h]. Nam & id postulat fauor 31
restitutionis. Et pupillaris substitutio prius quoque non finitur [i].

§. Item finitur, cum §§. seq.

1 *Tutela finitur omnibus capitis pupillaris deminutionibus.*
2 *Quod omnes similiter tangit, ab omnibus comprobari debet.*
3 *Pupilli pubertati proximi possunt esse doli capaces.*
4 *Scipio Africanus Maßiuam captum donatumq́; remittit auunculo Masanissæ.*
5 *Pupillis captiuis bonis datur curator.*
6 *Hæres defuncti tutoris inchoata ab eo debet explicare.*
7 *Ciuitatis iure pereunte, perit & tutela.*
8 *Hæreditas vno momento acquisita amittit suum nomen.*
9 *Mortuo patre tutela sequuntur filios.*
10 *Legitima tutela, ex lege 12. tab. nituntur agnationis iure.*
11 *Ex Nouella Iustiniani 118. tutelæ nec minima capitis deminutione pereant.*
12 *Tutela quomodo finiri propriè dicatur.*

¶ *Item finitur.*] Docet nunc Iustinianus, tutelam finiri omnibus capitis pupillaris demi- 1
nutionibus: & primùm quidem minima, nempe arrogatione: deinde progreditur ad mediam,
veluti deportationem: postremò ad maximam, nempe seruitutem. Sed iusta docendi ratio vide-
batur desiderare contrarium ordinem, quo scilicet cresceret & insurgeret oratio, quemadmodum

k L. si arrogati. De tutel.
l L. vlti. C. de aut. præst.
m L. pupillũ. de reg. iu.

docet Fabius libro nono capite quarto. Verùm hîc Iustinianus videtur secutus Vlpianum [k]. ¶ *Ad-
rogati.*] Autoritate scilicet & consensu omnium tutorum. Vt quod omnes similiter tangit, ab o- 2
mnibus comprobetur, inquit alibi Iustinianus [l]. ¶ *Deportati.*] Pupillos, qui proximi pubertati 3
sint, capaces esse doli & iniuriæ scribit Caius [m]. Itaque possunt delictum committere, & pro-
pter id

pter id mereri deportationis pœnam: qua cùm ciues esse desinant, non possunt amplius habere tu-
tores. ¶ *In seruitutem redigatur.*] Veluti si libertus pupillus, quòd esset erga suum patronum ingra-
tus, in pristinam retrahatur seruiturem. Nam de hac seruitutis specie hic agi indicat Theophilus.
¶ *Vel si ab hostibus captus fuerit.*] Pupillus scilicet. Tutore autem capto, magis suspenditur, quàm
finitur tutela propter spem postliminij, vt alio superius loco dictum est. Cùm autem pupillus ni-
hil iuris habeat in tutorem, quod recuperet postliminio reuersus: nihil moramur spem reditus.
Nam nec sperandum est, vt sic omnes hostes agant cum pueris captiuis, quemadmodum legimus
4 olim egisse Scipionem Africanum cum Masiua puero capto: quem multis etiam muneribus do-
natum, vltrò statim remisit ad auunculum Masanissam, quo inscio puer clam sumptis armis in a-
ciem exierat, vt est apud Liuium Decad. 3. lib. 7. Porrò autem, quanquam is qui in hostium pote-
5 state est, tutorem habere non posit: tamen curatorem eius bonis plerunq; constitui docet Vlpia- *a L. ab hostibus. §. 1.*
nus [a]: ne scilicet medio tempore pereant, vti alio loco ait idem Vlpianus [b]. *D. ex quib. cau. maio.*
¶ *Vel pupillorum.*] Quorum hæredibus statim reddenda erit à tutore ratio: eoque nomine po- *b L. muto. §. vlti. de*
terunt hæredes pupillorum tutorem conuenire [c]. ¶ *Vel tutorum.*] Hac ratione non tam pupillus *tutel.*
superstes liberatur tutela (nam alium tutorem habebit) quàm ipse tutor mortuus, ad cuius hære- *c L. 2. C. commu. de*
des non transit onus tutelæ [d]. Sed inquit Pomponius [e], quamuis hæres tutoris non sit, tamen ea, *success.*
6 quæ per defunctum inchoata sunt, per hæredem, si legitimæ ætatis & masculus sit, explicari debet. *d L. tutela plerunq.*
¶ *Omnis tutela perit.*] Nam cuiuscunque tandem generis sit, semper ex iure ciuili est: vt cum ci *De tutel.*
7 uitatis iure non posit non perire. nec prodest eam esse delatam ante omnem capitis deminutio- *e L. 1. de fideiuss. &*
nem, quia tractum habet temporis & continuam actionem: ne miremur aliud esse de hæreditate [f]: *hær. tut.*
8 quoniam vno momento statim tota acquiritur, simulque amittit nomen hæreditatis [g]. vt eiusmo *f L. vl. D. vnde liber.*
di negocio semel absoluto, nihil posit obesse casus superueniens. ¶ *Veluti si se in adoptionem dederit.*] *g L. Paulus. de acqui.*
Hoc vnicum erat exemplum, quod præsenti loco poterat accommodari, & aliquẽ vsum eius osten *hæred.*
dere Nam emancipatio filijfam. tutoris, vt æquè pertineat ad finiendam tutelam legitimam, rarò
tamen euenit vt filiusfa. fiat tutor legitimus, cùm eum præcedat pater superstes. Vnde à Paulo di-
9 ctum est [h]; Mortuo primum patre, tutelas sequi filios. Verùm si quando id eueniat, veluti, quia pa- *h L. si maritus. D. fa-*
ter perpetuo furore impediatur: eoque nomine succedat in legitima tutela filiusfam eius emanci- *mi. ercisc.*
patio eam finiret, vt arrogatio eius, qui sui iuris erat. ¶ *Legitima tantum tutela perit.*] Explicat dili-
genter hunc locum Paulus, cuius verba hæc sunt [i]; Tutelas etiam non amittit capitis deminutio, *i L. tutelas. de capit.*
exceptis ijs, quæ in alieno iure personis positis deferuntur. Ergo testamento dati, vel ex lege, vel ex *deminut.*
Senatusconsulto, erunt nihilominus tutores. Sed legitimæ tutelæ ex lege duodecim tabularum in-
tereuertuntur, eadem ratione qua & hæreditates exinde legitimę, quę agnatis deferuntur: quia de-
sinunt esse, familia mutata. Ex nouis autem legibus & hæreditates & tutelæ plerunq; sic deferun-
tur, vt personæ naturaliter designentur: vt ecce deferunt hæreditatem Senatusconsulta matri & fi-
10 lio. hæc Paulus: cuius hæc esse videtur sentẽtia; Legitimæ tutelæ, quæ ex lege duodecim tabularum
descendunt, nituntur agnationis iure: itaque pereunt minima etiam capitis deminutione, per
quam perit agnatio. Sed vbi agnationis non habetur ratio, non finit tutelam ea capitis deminu-
tio, etiam si ab aliqua lege deferatur tutela: modò non nitatur agnationis iure. Ergo cùm Nouella
Iustiniani Constit. 118. tollat discrimen agnationis & cognationis, & tam agnatos quàm cognatos
11 vocet ad tutelam: nulla tutela peribit minima capitis deminutione.
¶ *Præterea.*] Quæ sequuntur, desumpta sunt ex parte responsi Vlpiani [k], & clariora videntur, *k L. si arrogati. de tut.*
quàm vt desiderent interpretem. ¶ *Secundum ea, quæ inferius proponemus.*] Non ineptè hæc verba
possent accipi, vt specialiter indicent eum propriè locum, quo agitur, nõ tam de recusanda à prin-
12 cipio tutela, quàm de ea, quæ cùm suscepta sit, deponitur propter nouã causam excusationis [l]. Sic *l §. item qui reip. inf.*
enim propriè finiri dicetur. *de excus. tut.*

IN TITVLVM SEQVENTEM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

Tutorum successores qui?
2 *Curatores & Tutores in paucißimis differunt.*
3 *Quibus dentur curatores.*
4 *Athenis adolescentes cur dicti regionis Episcopi.*



Actenus tradidit Iustinianus quæ specialiter pertinebant ad tutores: nunc iusto ordine
1 *transit ad Curatores, qui sunt veluti tutorum successores in officio naturalis erga mi-*
norem ætatem pietatis. Iustinianus in Nouella sua Constitut. 155. curatorem appellat
κυβερνήτην τῆς δευτέρας ἡλικίας. [*moderatorem secundæ ætatis.*] *Et Vlpianus respondit* [m], *m L. quì neque. §. 1. de*
2 *coniunctim pro tutoribus curatores accipi. Modestinus autẽ ait* [n], *in paucißimis parti* *reb. eo qui sub tu. sit.*
3 *bus eos differre. Scribit quidem Hermogenianus* [o], *Curatorum multa esse genera: sed nos hoc titulo de* *n L. eidem, hoc est,*
illis propriè agimus, qui dantur ijs, quos apparet non posse rebus suis superesse propter animi vel cor- *scire. de excusat. tut.*
poris vitium. Porrò legimus olim Athenis adolescentes priusquam τῆς λήξεως ἄρχειν, id est, rei hære- *o L. 1. de mun. et hon.*
ditariæ, & bonorum suorum potestatem haberent, debuisse biennio circuire vicinas regiones, hoc est,
à decimooctauo anno, quo ex ephebis excedere mos erat, ad vigesimum. Ideóque appellabantur

ἀείπολοι vel ἄφοδοι, & ἐπίσκοποι τῆς χώρας. Ab eo tempore fiebant deinde ληξιαρχικοί, & referebantur inter eos, qui suæ omnino potestatis erant, suóque arbitrio poterant res suas, καὶ τὴν λῆξιν, hoc est, hereditatem tractare. 4

De Curatoribus, Titulus XXIII.



MASCVLI quidem puberes, & fœminæ viripotentes, vsque ad vicesimumquintum annum completum curatores accipiunt: quia licet puberes sint, adhuc tamen eius ætatis sunt, vt sua negotia tueri non poßint.

Dantur autem curatores ab eisdem magistratibus, à quibus & tutores. Sed curator, testamento non datur. datus tamen confirmatur decreto Prætoris vel Præsidis.

Item inuiti adolescentes curatores non accipiunt, præterquam in litem: curator enim & ad certam causam dari potest.

Furiosi quoque & prodigi, licet maiores vigintiquinque annis sint: tamen in curatione sunt agnatorum ex lege duodecim tabularum.

Sed solet Romæ præfectus vrbi vel Prætores, & in prouinciis Præsides ex inquisitione eis curatores dare. Sed & mente captis, & surdis, & mutis, & qui perpetuo morbo laborant (quia rebus suis superesse non possunt) curatores dandi sunt.

Interdum autem & pupilli curatores accipiunt, vt puta si legitimus tutor nō sit idoneus: quoniam habenti tutorem tutor dari non potest.

Item si testamento datus tutor, vel à Prætore, aut Præside, idoneus non sit ad administrationem, nec tamen fraudulenter negotia administret: solet ei curator adiungi.

Item loco tutorum, qui nō in perpetuum, sed ad tempus à tutela excusantur, solent curatores dari.

Quòd si tutor vel aduersa valetudine, vel alia necessitate impediatur, quò minus negotia pupilli administrare poßit, & pupillus vel absit, vel infans sit: quem velit actorem, periculo ipsius tutoris, Prætor, vel qui prouinciæ præerit, decreto constituet.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Curatorum officium durat vsq; ad annum 25.
2 Curatoris tutori adiuncti potestas. finitur pubertate.
3 Virilis vigor post annum 25. completur.
4 Qui à Principe veniam impetrare poßint?
5 Cum iis, qui nec curatorem habent, nec ætatis veniam impetrant, non temerè contrahendum.
6 Curatoris potestas quæ?
7 Curator nuptias cur impedire non poßit.
8 Imberbi iuueni cur opus sit curatore.
9 Si quis maior factus comprobat quod minor gessit, cessat restitutionis beneficium.
10 Rei cum minore cœpta, sed cum maiore perfecta tribuitur restitutio.

M*Asculi quidem puberes.*] Qui nempe per pubertatem sunt liberati tutela. Tum enim primùm
accipiunt veros curatores, quorum officium durat vsque ad annum vigesimum quintum mi
norum adolescentum. Quòd si quis adhuc impubes liberatus esset tutela, non accipiet curato- 5
rem, sed alium tutorem ad finem vsque pupillaris ætatis. Et si tutori pupilli impuberis additus sit
a L. 1. C. quando tut. vel cur. esse desi. curator, pubertate finietur vtriusque potestas. Sic enim Imperator Antoninus rescripsit [a], Si cu-
ratores tutoribus adiuncti sunt, pubertate pupilli tam tutorum quàm curatorum adiunctorum 2
officium finiri: ideoque alios propter ætatis infirmitatem curatores esse dandos manifestißimum
b L. curatorē. de tut. & cur. dat. ab his. est. Et Paulus [b], Curatorem (inquit) impuberi datum quacunque ex causa, perseuerare in diem
pubertatis in eadem cura respondi: ergo post pubertatem alium curatorem sibi petere debebit.
c L. 3. §. minorē antē. de minor. ¶ *Completum.*] Adeò, vt etiam temporis huius extremum momentum sit elapsum [c]. Nam
eatenus minores 25. annis habentur, quò diutius poßint in integrum restitui. ¶ *Curatores acci-*
d L. 1 §. vl. de minor. *piunt.*] Inquit Vlpianus [d]: Apparet minoribus annis vigintiquinque Prætorem opem polliceri.
Nam post hoc tempus compleri vigorem virilem constat: & ideò hodie in hanc vsque ætatem
adolescentes curatorum auxilio reguntur: nec antè rei suæ administratio eis committi debet, 3
quamuis bene rem suam gerentibus. Sanè tamen adolescentes honestate morum præditi post
annum vicesimum: fœminæ autem post decimumoctauum, poßunt à Principe impetrare ve-
e L. 2. C. de iis qui ven. ætat. imp. niam ætatis [e], vt poßint res suas administrare: ac tum quidem in integrum restitui non solent, si 4
f L. 1. C. illo eit. minus idoneè rem suā administrauerint [f]: quanquā nec res suas immobiles alienare, nec obligare
poßint

posſint ſine decreto, non magis, quàm alij minores [a]. Porrò ſi pubes adoleſcens adhuc 25. annis *a L.3.C.illo tit.*
5 minor, nec curatorem habuerit, nec veniam ætatis impetrarit: non eſt tutum cum eo contrahere,
propter beneficium reſtitutionis, qua poterit reſcindere negocium ſibi damnoſum. Sed vbi nul-
lum eſt eius damnum, liberam habet rerum ſuarum adminiſtrationem: &, excepta alienatione
vel hypotheca, ratam diſpoſitionem, non ſecus atque maior: cùm tamen ſi curatorem acceperit, ſi-
6 milis pupillo habeatur, vel ei, cui à Prætore bonis interdictum eſt [b]: & curatoris ſui autoritatem *b L.ſi curatorem habens. C.de in inte.reſtitu.*
7 morari debeat, eaque niti: quanquam in copulandis nuptijs nihili ſit autoritas curatoris, vtpote
qui ſolam rei familiaris ſuſtinet adminiſtrationem, inquit Imperator Gordianus [c]. Sed & quan- *c L. in copulandis.C. de nupt.*
quam principaliter detur curator rebus vel negocijs: non debet tamen negligere inſtitutionem,
& gubernationem motum. Nam & reuera ipſe pubes minor maximè opus habet ſapienti curato-
8 re: vtpote qui poſt pubertatis annos grauioribus affectionum motibus præceps agatur. Notum eſt
illud Flacci;

Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto Gaudet equis. Cereus in vitium flecti, &c.

Itaque tum præcipuè debet eius temeritas gubernari conſilio maiorũ; niſi adoleſcens ipſe cum vi-
rili toga virilem ſumat prudentiam, & pro curatore vtatur certo rationis ſuæ iudicio. In quam rem
extat grauiſsima Plutarchi ſententia in libello *περὶ τοῦ ἀκούειν*. Sed verum ſolet eſſe quod dictum eſt
à Chryſoſtomo; *χαλεπὸν ἡ νεότης, καὶ ἄπιστον, καὶ ὀλισθηρὸν, καὶ σφοδροτέρου δεῖται τοῦ χαλινοῦ.* [intractabilis
eſt iuuentus, inſtabilis, atque lubrica, & acriore freno indiget.] ¶ *Sua negocia.*] Aliena verò rectè
curare & adminiſtrare poteſt, nempe eius, qui mandauit, periculo [d]. ¶ *Tueri non poſsint.*] Vnde & *d L.cum mandato. de minor.*
Prætor miſertus huius ætatis rerum imperitæ, multorumq; captionibus & inſidijs expoſitæ, ei ſuc-
9 currit beneficio reſtitutionis in integrum [e], ſi fuerit aliquo modo circumuenta. Quod ſi quis maior *e L.1.de minor.*
factus comprobauerit quod minor geſſerit: reſtitutionem ceſſare ait Vlpianus [f]. Et cùm quærere- *f L.3.§.ſi quis cũ minore.de minorib.*
tur vtrum initium negocij ſpectaremus, an finem, qui fortaſsis incidit in tempus minoris ætatis:
10 videtur idem Vlpianus ita demum tribuiſſe reſtitutionem, ſi res cum minore cœpta, cum maiore
fuerit perfecta, eo incommodo, quod omnino profluit ex ipſo initio, & neceſſaria quadam prio-
ris erroris cauſa ſiue conſequentia.

§. *Dantur autem, cum §§. ſequent.*

1 *In ſua cuiq; patria, vel vbi facultates cuiq; ſunt ſua, ibi dantur tutores vel curatores.*
2 *Puberi domino non eſt temerè adimenda rerum ſuarum adminiſtratio.*
3 *Curator à patre datus filio, à prætore eſt confirmandus.*
4 *Furioſo vel prodigo inuito confirmatur curator,*
5 *Curator non confirmatus ſine periculo ceſſat.*
6 *An expediret inuitis dari curatores.*
7 *Minoribus quatenus bona ſua adminiſtrare ſit permiſſum.*
8 *Minores teſtari poſſunt ſine curatoris quem habent conſenſu.*
9 *Minores tenentur in litem curatores poſcere.*
10 *Minores non habent legitimam perſonam ſtandi in iudicio.*
11 *Momentaneæ poſſeſsionis interdicto ſi agitur, non opus Minori curatore.*
12 *Curator cauere debet, Rem pupilli ſaluam fore.*
13 *Prodigo Leges 12. tab. interdicebant bonorum adminiſtratione.*
14 *Prodigo, vt furioſo, datur hodie curator.*
15 *Re ſua abuti ciuibus non licet.*
16 *Prodigus promittendo non obligatur.*
17 *Prodigis & furioſis curatores quando tribuantur.*
18 *Ad agnatos & gentiles deduci oportere quid?*
19 *Patris furioſi aut prodigi curatio datur filio.*
20 *Paternum affectum nullus extraneus vincit.*
21 *Verba Legis duodecim tabularum de Furioſis, ex Cicerone.*
22 *Furoris vitium maius quàm inſania.*
23 *Prodigorum curatio quando agnatis deferatur.*
24 *Inſania iuncta ſtultitia, id eſt amentia, curatori eget.*
25 *Inſaniæ genera varia ſunt.*
26 *Verba illa, SED SOLENT, quomodo intelligenda.*
27 *Aduerſus furentes Vlyſſes opus eſt Palamedis prudentia.*

1 ¶ *Ab iiſdem Magiſtratibus.*] Vnde Imperator Antoninus reſcripſit [g]: Magiſtratus eius ciuitatis, *g L.vni. C. vbi petit. vel cur.*
vnde filij tui originem per conditionem patris ducunt, vel vbi eorum ſunt facultates, tutores vel
curatores his quamprimum ſecundum formam perpetuam dare curabunt. ¶ *Sed curator teſta-
mento non datur.*] Nam principaliter rebus datur, quarum adminiſtratio non temerè debet adimi
2 puberi domino. Sed vt à quolibet dari poteſt tutor, ratione rerum pupillo relictarum [h], ita & cu- *h L.ſi patronus. de confir.tut.*
rator. Vnde Iuſtinianus in Nou. ſua Conſtit.117. inquit. *εἰ τὴν ἡλικίαν ὦσιν ἀτελεῖς, τὰ πράγματα τὰ οὕτω
καταλιμπανόμενα ἢ δωρούμενα δι' ὅσου ἂν συνειδῇ ὁ διαθέμενος, ἢ ὁ δωρούμενος διοικεῖσθαι, μέχρις ὅταν ἐκεῖνοι
3 οἷς ἐδωρήθη ἢ καταλείφθη, εἰς τελείαν ἔλθωσιν ἡλικίαν.* ¶ *Datus tamen confirmatur.*] Scribit Papinianus [i], *i L.ſi filio.de confir. tut.*
curatorem à patre datum puberi filio, citra inquiſitionem à Prætore confirmari debere. Et Thry-
phonius, Si, (inquit [k]) furioſo puberi, quanquam maiori vigintiquinque annis, curatorem *k L.ſi furioſo.de cur. fur.*
pater teſtamento dederit: eum Prætor dare debet ſecutus patris voluntatem. Manet enim ea
datio curatoris apud Prætorem, vt reſcripto Diui Marci continetur. His conſequens eſt, vt ſi
prodigo curatorem dederit pater: voluntatem eius ſequi debeat Prætor, eumque dare curato-
rem. Sed vtrum omnimodo, an ita ſi futurum eſſet, vt niſi pater aliquid teſtamento cauiſſet, Præ-
tor ei bonis interdicturus eſſet? Et maximè ſi filios habeat iſte prodigus. Deinde ſubijcit, Sed

L 4 quid ſi

quid si non consentiat prodigus? Per omnia iudicium testatoris sequendum est: ne quem pater
vero consilio prodigum credidit, eum Magistratus, propter aliquod fortè suum vitium, idoneum
putauerit. Hæc Thryphonius. Verùm quanquam inuito furioso vel prodigo curator confirmetur: 4
tamen puberi filio simpliciter datus, non nisi eo petente & consentiente confirmatur. omnino
enim is inuitus non accipit curatorem. Porrò antequam curator confirmatus sit, non cedit ei 5
tempus [a] proponendæ excusationis: & sine periculo potest interim cessare, dummodo prius nihil
vltrò cœperit gerere [b].

¶ *Inuiti adolescentes curatores non accipiunt.*] Scribit Capitolinus, cùm antea curatores non nisi
lege Lectoria, vel propter dementiam darentur: statuisse M. Antoninum Philosophum Imp. vt o-
mnes adulti curatores acciperent, non redditis causis. Ac passim quidem ita leges nostræ loqnun- 6
tur, quasi magis etiam expediret inuitis dari: quia sit hæc ætas multorum obnoxia captionibus [c]
& insidijs. Sed tamen nusquam cogunt minores accipere curatores: & periculo minoris ætatis
succurrunt beneficio restitutionis in integrum. Itaque si volunt, ijs est integrum sua bona, saltem 7
extra iudicium & alienationem vel hypothecam, suo arbitrio administrare: qui tamen, si curato-
rem semel accepissent, similes habeþentur ijs, quibus est bonis interdictum [d]: & curatoris autori-
tate niti deberent [e], nisi ageretur de testamento, quod sine suo curatore facere [f] possunt: vel de re- 8
stitutione fideicommissariæ hæreditatis, quam etiam suo curatori possent restituere [g]. Verùm
quicquid agant puberes vigintiquinque annis minores, etiam si curatores habeant: si lædantur,
habent beneficium restitutionis, quod non adimitur nisi ijs, qui veniam ætatis impetrauerint,
priusqnam contraherent.

¶ *Præterquam in litem.*] Eum, qui curatorem in litem poscere non vult, quo minus cum eo a- 9
gatur, à Prætore cogendum, Cassius [h] ait. Et sanè in iudicijs puberes vigintiquinque annis mino-
res comparantur pupillis. nec aduersus eos solos sententia proferenda est [i], cùm non habeant legi-
timam personam standi in iudicio [k]. nec voluit Iustinianus minores sine curatoribus interesse cri- 10
minalibus iudicijs [l], Cùm (inquit) cautius & melius sit, cum suasione perfectissima & responsa fa-
cere minores, litemque inferre: ne ex sua imperitia, vel iuuenili calore aliquid vel dicant vel tace-
ant: quod si fuisset prolatum, vel non expressum, prodesse eis poterat, & à deteriore calculo eos li-
berare. Sanè si tantum agatur interdicto momentaneæ possessionis: non cogetur in eam litem 11
minor curatorem accipere [m]. Et si semel veniam ætatis impetrauerit, liberatur omni necessitate
curatoris accipiendi. ¶ *Curator enim.*] Hic Iustinianus non reddit rationem, cur inuiti adolescen-
tes accipiant curatorem in litem, sed cur possint. Et quia supra docuerat tutorem certæ rei non da-
ri: hic veluti per antypophoram admonet, aliud esse de curatore, qui & ad vnam aliquam rem, &
quodlibet negocium dari potest, nihil habiturus potestatis extra illam suam causam. Sed tamen 12
semper cauere debebit, rem pupilli saluam fore [n].

¶ *Furiosi quoque & prodigi.*] Inquit Vlpianus [o]: Lege duodecim tabularum prodigo interdici- 13
tur bonorum suorum administratione. Quod moribus quidem ab initio introductum est: sed so-
lent hodie Prætores vel Præsides, si talem hominem inuenerint, qui neque tempus, neque finem 14
expensarum habet, sed bona sua dilapidando & dissipando profundit, curatorem ei dare, exem-
plo furiosi: & tandiu erunt ambo in curatione, quandiu vel furiosus sanitatem, vel ille sanos mo-
res receperit. Extat elegans Diui Pij ad matris querelam de filijs prodigis. vt curatorem accipiant,
rescriptum, in hæc verba [p]: Non est nouum quosdam, etsi mentis suæ videbuntur ex sermonibus
compotes esse: tamen sic tractare bona ad se pertinentia, vt nisi subueniatur eis, deducantur in e-
gestatem. eligendus itaque erit, qui eos consilio regat. Nam æquum est prospicere nos etiam ijs,
qui, quod ad bona ipsorum pertinet, furiosum faciunt exitum. Et sanè cùm Reip. intersit, ne quis
re sua malè vtatur, rectè statutum est, vt per Prætorem bonis interdiceretur prodigo. Certè olim 15
Areopagitæ Athenienses grauiter etiam solebant punire prodigos. Sic enim scribit Athenæus lib.
4. Τοὺς ἀσώτους καὶ τοὺς μὴ ἔκ τινος περιουσίας ζῶντας, τὸ παλαιὸν ἐκάλουν οἱ Ἀρεοπαγῖται καὶ ἐκόλαζον. [helluo-
nes luxuq; perditos, & qui nõ ex opum redundãtia genio indulgebant, citabant olim Areopagi-
tæ, atque castigando in ordinem redigebant.] Ergo prodigus cui bonis interdictum est, promit- 16
tendo non magis obligabitur, quàm furiosus, quanquam possit acquirere [a]. Nam ea in parte ma-
gis comparatur [b] pupillo. Diximus hac de re plura ad 24. caput 12. Tabularum. ¶ *Licet maiores 25.
annis.*] Imò tum demum, cùm maiores sunt, accipiunt curatores ex hoc capite. Vnde Imp. Anto- 17
ninus rescripsit [c]; Curatores impleta legitima ætate prodigis vel furiosis tribui. Et apertius Vlpia-
nus [d], Quia (inquit) in pupillorum furiosorum persona agnatos curatores non admittimus: idcir-
co putamus, si minor 25. annis furiosus sit, curatorem ei, nõ vt furioso, sed vt adolescenti dari: quasi
ætatis sit impedimentum. & ita definiemus, ei, quem ætas curæ vel tutelæ subijcit, non esse necesse
quasi dementi curatorem quæri: & ita Imp. Antoninus Augustus rescripsit: cùm magis ætati, quàm
dementiæ tantisper sit consulendum. ¶ *In curatione agnatorum.*] Vnde & veteres cùm significarent
aliquem furere, prouerbiali schemate dicebant; ad agnatos & gentiles esse deducendum. Itaque 18
ait Columella, Catonem dicere solitum, eum, qui agrum coleret nec salubri cœlo, nec fertilem, ad
agnatos & gentiles deducendum, quasi parum sanæ mentis. Et Horatius libro secundo Sermo-
num, loquens de furioso,

Interdicto (inquit) huic omne adimat ius Prætor: & ad sanos abeat tutela propinquos.

Porrò cùm olim quæreretur; an patris furiosi, aut prodigi curatio daretur filio: tandem obtinuit, 19
dari debere, eumque agnatis præferri [e]; quemadmodum è diuerso pater sanus præfertur in cura-
tione

a L.2.C.de confir.tu.
b L.tutores.§.curator.de adm.tut.
c L.1.de minor.
d L.si curatorem habens.C.de in int.rest.
e L.cum quædam.C.de adm.tut.
f L.cum pater.§.curatoru de legat.2.
g L.1.§.fuit quæsitũ.versic.curatori.D.ad Sen.Treb.
h L.3.§.pen.de tut.
i L.acta.§.vlt.de re iud.
k L.2.C.qui legiti.person.stan.in iud.hab.
l L.pen.C.de auto.præstan.
m L.vlt.C.qui legit.person.hab.stan.in iud.
n L.et si ad species D.rem pup.sal.fore.
o L.1.de curat.fur.vel prod.
p L.his qui in ea.§.vlti.de tut.et cur.dat.
a L.is cui bonis.de verb.obli.
b L.certi condictio.§.idem quæru.D.si cer.pet.cond.
c L.1.C.de cur.fur.
d L.3.de tutel.
e L.his qui in ea.de tut.et cur.dat.ab his l.1.§.vlti.l.2.l.4.de curat.fur.

20 tione filii. Quis enim (inquit Iustinianus[a]) affectus extraneus inueniatur, qui vincat paternum? a L. vlt. C. de cur. fur.
21 ¶ *Ex lege duodecim tabularum.*] Cicero lib 2. de Inuentione scribit, legé fuisse his verbis conceptam; SI FVRIOSVS EST, AGNATORVM GENTILIVMQVE IN EO, PECVNIAQVE EIVS POTESTAS ESTO. Idem lib. 3. Tusc. quæst. de furioso loquens, ait; Duodecim tabulas vetare eum do-
22 minum esse rerum suarum: definitque furorem, mentis ad omnia cæcitatem, & maius aliquid esse, quàm insaniam: ideoque non esse scriptum, SI INSANVS, sed, SI FVRIOSVS. Quod ad prodi-
23 gos attinet, eorum curatio non defertur agnatis ipso statim iure: sed vbi iudex bonis interdixit.
¶ *Mente captis.*] Cicero lib. 3. Tuscul. quæst. scribit animi affectionem lumine mentis carentem, acutè veteres nominasse amentiam, siue dementiam: eiusmodique insaniam à furore distingui. Insaniam enim esse inconstantiam sanitate vacantem: posse tamen tueri mediocritatem officiorum, & vitæ communem cultum atque vsitatum. Vt propter eam nemo cogi debeat curato-
24 rem accipere: nec nisi volenti, & petenti dari debeat. Sed si ea fuerit iuncta stultitiæ, latius patet: meritoque iudicabitur opus habere curatore. Atque hanc quidem dicere possumus amentiam, quam Græci appellant μώρωσιν, cùm scilicet labefactata est illa pars rationalis animæ, quam vocant λογιστικήν. Id quod Galenus existimat proficisci ex humenti maloque temperamento in capite hærente. Certe Vlpianus testatur[b], interdum vitium corporale vsque ad animum peruenire: veluti contingit phrenetico: quia id ei ex febribus accidit. Sed & constat ex sanguine melancholico, vbi b L. 1. §. interdum, de ædil. edict.
25 non exhalant fumi, amentias multiplices nasci. vt intelligamus infinita esse insaniæ genera: quod etiam Lucianus in suo Abdicato non obscurè scribit, τῆς μανίας μυρία εἴδη ἐστὶν, καὶ παμπόλλους ἔχει τὰς αἰτίας, καὶ οὐδὲ ὀνοματολογίας αὐτῆς ὅμοιας. οὐ γὰρ ταυτὸν παραφρονεῖν, καὶ παραπαίειν, καὶ λυττᾶν, καὶ μεμηνέναι.
¶ *Sed solent.*] Nulla hîc intelligenda est correctio præcedentiũ: sed magis ordo quidam: nempe, vt cùm desunt agnati, vel idonei desunt, tum à iudice detur curator. quod Paulus apertè docet his verbis[c]; Sæpe ad alium, ex lege duodecim tabularum, curatio furiosi aut prodigi pertinet: alij c L. sæpe. de cur. fur.
26 Prætor administrationẽ dat: scilicet cùm ille legitimus minus idoneus ad eam rem videtur. Quod si prætereà ex hisce verbis, SED SOLENT, intelligere velis aliquid correctionis: quòd hodie non omnino ipso iure agnati statim fiant curatores, sed etiam iudex interuenire debeat: non admodum refragaturus sum. ¶ *Ex inquisitione.*] Tum eius, qui dandus est, vt detur idoneus: tum etiam eius, cui dandus est, vt inquiratur de vero furore. Vnde Vlpianus[d] ait, Obseruare Prætorem oportebit, d L. obseruare. de curat. fur.
ne cui timerè, citra causæ cognitionem plenissimam, curatorem det: quoniam plerique vel furo-
27 rem, vel dementiam fingunt: quo magis curatore accepto onera ciuilia detrectent. Ergo aduersus eiusmodi Vlysses, opus est Palamedis prudentia.

§. *Sed & mente, cùm §§. sequent.*

1 Surdi & Muti conferuntur debilibus.
2 Cæci rebus suis superesse possunt.
3 Appius Claudius Cæcus, optimus senator & paterfa.
4 Sonticus morbus qui perpetuò nocet.
5 Quicunq; rebus suis superesse non possunt, accipiant curatores.
6 Filius quoq; patri curator dari potest.
7 Regula illius; Habenti tutorem, tutor dari non potest. qua ratio?
8 Tutor legitimus cur non statim propter suspicionem fraudis remoueatur.
9 Aucto pupillari patrimonio curatorem adiungi posse.
10 Tutores posse Actorem constituere, non procuratorem facere.
11 Pupillus infante maior quomodo procuratorem constituere possit.

¶ *Surdis & mutis.*] Solent hi, quasi curatore omnino egentes, in iure nostro conferri prodigis,
1 adolescentibus, debilibus[e]. Vnde & cùm permissum esset infames postulare pro ijs, quibus cura- e L. dabimus. §. vlti. cum le. seq. de priuil. credit.
2 tores dantur: id Vlpianus interpretatus est[f], de prodigo, muto, surdo, & adolescente. Cæcorum
autem nulla vnquam fit mentio: quasi suis rebus superesse possint, nec egeant curatore, cùm etiam f L. cui eorum. §. vlt. de postulan.
3 alijs tutores maneant[g]. Nec est ignotum quod Cicero scribit Appium Claudium Cæcum optimè præfuisse rei suæ familiari: atque adeò Senatoris munia rectè eum obijsse, testatur noster Vlpia- g L. etiam sitie. de aut. ius.
4 nus[h]. ¶ *Perpetuo morbo.*] Hoc est, Sontico. Nam sonticus morbus dicitur, qui perpetuò nocet[i]. adeò vt etiam mutus dicatur morbosus, vbi agitur de redhibitione[k]. h L. 1. §. quamuis autem de postulan.
¶ *Quia rebus suis.*] Hæc ætiologia, vt videtur superiora quodammodo restringere, quasi supra- i L. vlt. de ædil. edict.
dicti tum demum accipiant curatores, cùm suis rebus adesse nequeunt: ita continet generalem k L. mutum. de ædil. edict.
5 regulam, vt, quicunque non possunt suis rebus superesse, accipiant curatores. Itaque meritò hîc possumus adijcere captiuos[l]. Sic vbi dictum esset de curatoribus dandis furioso & prodigo, adie- l L. muto. §. vlt. de tu. l. idem priuilegium. de priuil. cred.
ctum est generale responsum Caij[m]; Sed & alijs dabit Proconsul curarores, qui rebus suis superes-
6 se non possunt: vel dati iubebit. Nec dubitabit filium quoque patri curatorem dare. Extat & aliud m L. 2. de cur fur.
simile, quod ascribitur Vlpiano, responsum his verbis[n]; His, qui in ea causa sunt, vt superesse rebus n L. hi qui in ea. de tut. & cur. dat. ab his.
suis ipsi non possint, dare curatorem Proconsulem oportebit. Nec dubitabit filium quoque patri curatorem dare. Quamuis enim contra sit apud Celsum, & apud alios plerosque relatum, quasi indecorum sit patrem à filio regi: attamen Diuus Pius Iusto Celeri, item Diui Fratres rescripserunt, etiam filium, si sobriè viuat, patri curatorem dandum, magis quàm extraneum.
¶ *Curatores accipiunt.*] Qui tutori adiungantur, & cum eo desinant esse curatores, cùm aduenerit pubertas pupilli. o L. curatorem. D. illo tit.

Quoniam

¶ *Quoniam tutorem habenti.*] Hæc regula, quæ tam Iurisconsultorum responsis, quàm Princi-
a L. idem fiet. de testa. tut. l. 4. C. in quib. cau. tut. haben.
pum rescriptis probatur [a], reddit rationem, cur loco tutoris non idonei, non tamen remoti, potius
curator detur, quàm tutor. Qood si ipsius regulæ rationem quæras, memineris tutorem simplici-
ter datum, ad vniuersum patrimonium intelligi datum, vt nihil supersit, in quo sit alteri tutori lo- 7
cus: & habere ius in caput liberum: à qua potestate si velis disiungere administrationem patrimo-
nij, necesse est ei quæras curatorē. Is enim rebus propriè datur, & certæ rei dari potest: sic vt curato-
rem habenti, quo minus alius curator detur, regula iuris non sit impedimento, inquit Modesti-
b L. ventri. §. vlt. de tut. & cur. dat.
nus [b]. Porrò diligenter obseruandum est, quod dicitur tutorem non dari habenti tutorem: vt in-
telligamus notari priorem quendam tutorem, & deinde alterum posteriorem. Cæterùm à princi-
pio plures simul dari possunt: quia nullus dabitur habenti. Et si quis remoueatur: in eius locum a-
lius substitui poterit Id quod etiam alio supra loco attigimus. ¶ *Nec tamen fraudulenter negocia ad-
minestret.*] Hoc Iustinianus supra non addidit, cùm de legitimo tutore ageret: nempe, quòd non
c L. si tutor. de susp. tut.
statim remoueatur propter suspicionem fraudis, ne remotus noretur [c]. Id enim tribuendum est 8
sanguinis necessitudini. Sed testamentarius vel Attilianus turor, propter fraudis suspicionem fa-
cilius remouetur, sic vt alteri tutori posit tum esse locus. Atq; ita rescripserunt Impp. Valerianus
d L. 4. C. in quib. c. tu. tut.
& Gallienus [d]. ¶ *Item loce tutorum.*] Hic Iustinianus agit, non de adiungendis curatoribus, sed
substituendis loco eorum, qui desierunt esse tutores. Sed & si ad tempus excusati sint, & post rem-
pus recipiant tutelam: tamen eorum etiam loco dari possent tutores: vt non sit hic omnino neces-
sarius curatoris vsus. Verùm si aliam iustam curatoris adiungendi causam desideras, porius hic 9
e L. quoties. §. vlt. de admi. tut. l. vlt. C. in quib. cau. tut. hab.
proponam causam aucti pupillaris patrimonij [e]. ¶ *Quod si tutor.*] Hic locus descriptus videtur ex
responso Pomponij, quod in Pandectis extat his verbis [f]; Solet etiam curator dari aliquando
f L. soles. de tutel.
tutorem habenti, propter aduersam tutoris valetudinem, vel senium ætatis: qui magis admini-
strator rerum, quàm curator esse intelligitur, sed etiam actor tutelæ, quem solet Prætor permittere
tutoribus constituere, qui non possunt sufficere administrationi tutelæ: ita tamen, vt suo periculo
eum constituant. Sicque intelligendum est, quod Imp. Alexander rescripsit, tutores non posse ex 10
g L. neque tutores. C. de procurat.
sua persona in re pupilli procuratorem facere: sed actorem constituere debere [g]. ¶ *Alia necessitate
impediatur.*] Priuata scilicet, & quę non mereatur illam temporariam excusationem, quam tribue-
h L. tutor Reip. causa de tut. & rat. dist.
remus absenti Reip. causa, vt & interim detur curator, qui tutelam administret [h], iuxta ea, quæ su-
pra dicta sunt. ¶ *Vel absit, vel infans sit.*] Quòd si pupillus infante maior, præsens adsit: ipsemet au- 11
i dict. l. neq. tutores.
tore suo tutore, tam ad agendum, quàm ad defendendum, constituet procuratorem [i]. ¶ *Decreto
constituet.*] Hoc est, delectum & constitutum ab ipso tutore confirmabit. Sicque Theophilus hoc
loco ait; posse tutorem apud Prætorem constituere actorem.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Libera Tutorum & Curatorum potestas cur non possit omnino coërceri iudicio reddendarum rationum.
2 Satisdatio, Rem pupilli saluam fore.
3 Iuramentum Tutorum.
4 Tutor primum omniū debet conficere inuentarium rerum pupillarium.

*HACTENVS separatim tractata sunt, quæ tutoribus & curatoribus separatim 1
conueniunt. Nunc quæ deinde sequuntur, vtrisq; sunt communia: ac proinde simul
coniunctimq; pertractantur. Et quidem ex ijs, quæ supra dicta sunt, satis apparet, libe-
ram admodum & magnam esse potestatem tutorum & curatorum: quam iudicio red-
dendarum rationū (de quo obiter superius aliquid dictum est) non omnino posse coër-
ceri, ne pupillo sit damnosa, periculum est: quia hoc iudicium non nisi finita tutela competit. Itaque 2
nunc proponitur alia cautio, quæ omnem impunitatis spem tollat improbo tutori, & periculo pupillo-
rum tempestiuè occurrat. Nam tutor, cuius nondum fides satis probata est, iubetur ante omnia satis- 3
dare, rem pupilli saluam fore. Porrò Iustinianus in Nou. sua Constit. 72. addit præterea; tutorem iu-
rare debere sese omnia ex officio facturum: nec prius posse administrare, quàm id ei Prætor decreto
k L. de creationibus. C. de episc. aud. l. 4. de aut. tut.
permiserit. Quæ & alijs locis in iure nostro traduntur [k]. Postremò aliquid adijciendum esset de in-
uentario rerum pupillarium, quod etiam tutor ante omnia conficere debet: sed nos alio properamus. 4*

De Satisdatione tutorum vel curatorum, Tit. XXIIII.



NEtamen pupillorum pupillarúmve, & eorum, qui quæve in curatio-
ne sunt, negocia à curatoribus tutoribúsve consumantur, vel demi-
nuantur: curet Prætor, vt & tutores, & curatores eo nomine satisdent.
Sed hoc non est perpetuum. nam tutores testamento dati, satisdare
non coguntur: quia fides eorum & diligentia ab ipso testatore ad-
probata est.

Item

Item ex inquisitione tutores vel curatores dati, satisdatione non onerantur: quia idonei electi sunt.

Sed si ex testamento vel inquisitione duo pluresve dati fuerint: potest vnus offerre satisdationem de indemnitate pupilli vel adolescentis, & contutori suo vel concuratori præferri, vt solus administret: vel vt contutor aut concurator satis offerens præponatur ei, vt & ipse solus administret. itaque per se non potest petere satisdationem à contutore suo vel concuratore: sed offerre debet vt electionem det cõcuratori vel contutori suo, vtrum velit satis accipere, an satisdare. Quòd si nemo eorum satis offerat: si quidem adscriptum fuerit à testatore, quis gerat: ille gerere debet. Quòd si non fuerit adscriptum: quem maior pars elegerit, ipse gerere debet, vt edicto Prætoris cauetur. Sin autem ipsi tutores dissenserint circa eligendum eum, vel eos, qui gerere debent: Prætor partes suas interponere debet. Idem & in pluribus ex inquisitione datis comprobandum est: id est, vt maior pars eligere posit, per quem administratio fiat.

Sciendum autem est, non solùm tutores vel curatores pupillis, vel adultis, cæterisq; personis ex administratione rerum teneri: sed etiam in eos, qui satisdationem accipiunt, subsidiariam actionem esse, quæ vltimum eis præsidium posit afferre. Subsidiaria autem actio in eos datur, qui aut omnino à tutoribus vel curatoribus satisdari non curauerunt, aut non idoneè paßi sunt caueri. Quæ quidem tam ex Prudentium responsis, quàm ex Constitutionibus Imperialibus etiam in hæredes eorum extenditur.

Quibus Constitutionibus & illud exprimitur, vt nisi caueant tutores & curatores, pignoribus captis coërceantur. Neque autem Præfectus vrbi, neque Prætor, neque Præses prouinciæ, neque quisquam alius, cui tutores dandi ius est, hac actione tenebitur: sed hi tantummodo, qui satisdationem exigere solent.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Prætor id facere dicitur, quod edicto suo fieri mandat.*
2 *Prætor exigat satisdationem à tutore legit. & dato sine inquisit.*
3 *Discrimen notabile inter tutores & curatores.*
4 *Satisdare est cauendo securum facere alium fideiussoribus.*
5 *Fideiussores tutoris, obligati pupillo, non habent beneficium diuisionis.*
6 *Patronus tutor liberti vbi non satisdet.*
7 *Agnati locupletes non onerandi satisdatione.*
8 *Mater satisdare tenetur.*
9 *Testimonium paternum pro satisdatione sufficit.*
10 *Si testatoris fallatur opinio. quid iuris?*
11 *A minoribus Magistratibus dati tutores satisdare debent.*

C*Vret prætor.*] Cùm Iustinianus paulò pòst nominatim liberet Prætorem à cura & necesßitate satisdationis exigendæ, saltem ab eo tutore, quem cum inquisitione dederit: fortasßis (quod præceptor quondam meus Gabriel Brechthanus existimabat) hoc loco rectius legeretur, CVRAT PRÆTOR: vt intelligamus Iustinianum hic agere, non de officio & cura viui alicuius Prætoris: sed de Prætorio edicto, quo in vniuersum Prætor statuit, iubet, & curat, tutores vel curatores satis-
1 dare. Nec nouum est in iure nostro, vt dicamus Prætorem id facere, quod suo edicto curat, & mandat fieri. Si quis nouam hanc lectionem non recipiat, velitque omnino tueri vulgarem: necesse est
2 hic intelligat solùm illud mandare Prętori, vt satisdationem exigat à tutore legitimo, vel eo, quem dedit sine inquisitione.

¶ *Et tutores & curatores.*] Vlpianus loquens de hac satisdatione siue stipulatione; Rem pupilli saluam fore; inquit [a]; Pertinet hæc stipulatio ad omnes curatores datos, siue puberibus, siue impu- *a L. 4. §. vlt. D. rem*
beribus, propter ætatis infirmitatem: siue prodigis, siue furiosis, vel quibusdam alijs, vt fieri solet, *pup. sal. fo.*
dati sint. Deinde addit [b]; Et si ad species curator datus sit: Rem saluam fore, stipulatio interpone- *b L. & si ad species. D. illo tit.*
3 tur. Sed hic obseruandum est discrimen inter tutores & curatores, quod diligenter annotauit Vl-
pianus [c]. nempe hanc stipulationem à tutoribus finita demum tutela committi, & fideiussoribus *c dict. l. 4. §. hanc stipulationem, & §. pen.*
diem exinde incipere cedere: sed in curatoribus, statim, atque quid saluum esse definit. ¶ *Eo no-*
4 *mine satisdent.*] Inquit Vlpianus [d]; Cauetur pupillis hac stipulatione per satisdationem. Est autem *d dict. l. 4.*
5 satisdare, ita cauere, vt alium securum faciamus datis fideiussoribus [e]. Ergo hic tutor fideiussores *e L. 1. D. qui satisd. cog.*
dabit: atque hi quidem omnino in solidum obligabuntur, vt nec beneficium diuisionis habeant [f]. *f L. vlt. D. rem pup. sal. fo.*
¶ *Sed hoc non est perpetuum.*] Videtur hic locus sumptus ex rescripto Impp. Diocletiani & Ma-
ximiani, cuius verba sunt [g] hæc; Non omnium tutorum par similisque causa est. quapropter cum *g L. pen. C. de tut. qui non satisd.*
exemplo testamentarij confirmatum à Præside, vel datum ex inquisitione non onerari satisdatione, rem pupillorum saluam fore, manifestum sit, &c. Supersunt ergo soli legitimi tutores vel curatores, qui satisdare debeant: sed tamen nec in ijs illud perpetuum est. Nam constat patronum legi- *h L. legitimos. de legit. tutor.*
timum sui liberti tutorem, non satisdare, saltem vbi honesta est persona patroni [h]. Et traditum est,

agnatos

agnatos locupletes non onerari satisdatione [a]. Sanè mater, cui singulari quodam iure permisit Iu- 7
stinianus gerere tutelam filiorum suorum, omnino satisdare iubetur per Nouellam Constit. 118. ad 8
finem. ¶ *Quia fides eorum.*] Iustinianus alibi ait [b]; paternum testimonium pro satisdatione suffi- 9
cere. Vlpianus nullam reddit rationem, sed simpliciter [c] ait; Certo certius esse, testamento datos
tutores non esse cogendos satisdare. Sanè si tutor datus falleret opinionem testatoris: vt si ante ce- 10
lata vel ignorata emerserit morum improbitas: non erit tantum tribuendum parentis errori, vt
pupilli vtilitas negligatur [d].

¶ *Ex inquisitione dati.*) A maioribus scilicet Magistratibus, veluti Prætore, Præfecto vrbi, & Præside prouinciæ, quibus plenum ius est dandi tutoris, non secus atque parentibus. Sed si à minoribus dentur, debent satisdare: veluti si à defensoribus ciuitatum; iuxta ea, quæ alio supra loco dicta [e] sunt. Quod autem hic dicitur de datione tutoris, locum habet & in confirmatione [f].

a L. vlt. § & si quidē curator. C de cur. fur. l. de creationibus. § pen C. de epis. aud.
b dict. l. vlt. § & si quidē parens, & dict. l. de creationibus.
c L. testamento datos de testa. tut.
d L. in confirmando. l. vtilitatem. de conf. tut.
e §. pen sup. de Atti. tut.
f L. pen. C de tut. qui non sat. l. tutores. de confir. tut.

§. *Sed si ex testamento, cum §§. sequent.*

1 *Testamentarij tutores, ad postulationem exteri, satisdationi subijciendi non sunt.*
2 *Causæ cognitio in recipiendis tutoribus duplex est.*
3 *Satisdatio non vacat contumelia.*
4 *Non omnino qui satisdat, contutoribus est præferendus.*
5 *Tutelam geri per vnum, interest pupilli.*
6 *Liuius cur iudices, Complurium imperium inutile esse.*
7 *Cui satisdatio offertur, vel iusiurandum, is habet electionem.*
8 *Inter plures satis offerentes idoneior præfertur,*
9 *In confirmando contutorum aliquo parentis statur voluntati.*
10 *Honorarij tutores qui?*
11 *Honorarius tutor cur ipse quoque periculum patiatur.*
12 *Honorario tutori rectè solui potest.*
13 *Nemo cogitur succedaneus esse alicui periculi.*
14 *Permittitur tutoribus vni omnibus tutelam administrare.*
15 *Qui diuidi inter se volunt tutelam, audiendi sunt.*
16 *Diuisione inter tutores facta, quando pro sua tantum quisque parte conuenitur; quando in solidum?*
17 *Magistratus præstare tenetur periculum tutoris non idonei.*
18 *Pupillus in bonis tutoris præfertur cæteris creditoribus.*
19 *Subsidiariæ actiones quæ?*
20 *Subsidiarij, & Triarij milites qui?*
21 *Subsidiaria actio pupillis vel adulto quando conueniat.*
22 *Tutor aduersus Magistratus nunquam habet actionem.*
23 *Si omnes in solidum obligari sint soluendo, prius conuentus postulat diuisionem.*
24 *Qui solus periculum in se recepit, is prius est excutiendus.*
25 *Magistratus non tenetur pupillo de futuris casibus.*
26 *Magistratus cautionem a tutoribus non exigens, ipse habetur loco Fideiussoris.*
27 *Non tenentur ita Magistratuū hæredes vt ipsi Magistratus.*
28 *Hæres Magistratus, tantum succedaneus est culpæ dolo proximæ.*
29 *Subsidiaria datur etiam pupillorum hæredibus in Magistratus.*
30 *Fraude satisdare nolens, remouetur à tutela cum infamia.*
31 *Cur in magistratus minores tantum competat pupillis subsidiaria?*
32 *Falsa de tutorum facultatibus Præsidi renunciantes tenentur subsidiaria.*

¶ *Sed si ex testamento vel inquisitione.*] Edictum de iure satisdationis offerendæ, non loquebatur nisi de tutoribus testamentarijs: sed pertinere etiam ad eos, qui ex inquisitione dati sunt, Marcellus tradidit [g]: idque ait etiam significari oratione Diuorum fratrum. Certè extat rescriptum Impp. Diocletiani & Maximiani, quo disertè id continetur [h]. Porro tutorum legitimorum nulla hic fit mentio: sed extat Nouell. Iustiniani Constitut. 118. vt ex pluribus legitimis tutoribus vnus aliquis eligatur, qui solus administret.

g L. si nemo. §. 1. de testa. tut.
h dict. l. pen.

¶ *Potest vnus.*] Qui vnus est ex tutoribus ipsis. Nam si nemo tutorum prouocet ad satisdationem: sed existat quidam, qui tutor non est: desideretque vt vel satisdent tutores, vel parato sibi satisdare committant tutelam: non audietur. Neque enim aut extero committenda est tutela, aut
testamento dati tutores, contra ius satisdationi subijciendi sunt. Atque ita respondit Vlpianus [i]. 1
¶ *Præferri.*] Causa tamen cognita. Nam Vlpianus grauiter respondit [k], duplicem hic versari 2
causæ cognitionem: vnam ex persona eius, qui obtulit satisdationem: quis & qualis sit: aliam verò
contutorum: quales sint: num fortè eius existimationis, vel eius honestatis sint, vt non debeant 3
hanc contumeliam satisdationis subire. Ergo rectè constat, quod prius respondet idem Vlpia-
nus, Non omnimodo eum qui satisdat, præferendum esse. Quid enim (inquit) si suspecta persona 4
sit, vel turpis, cui tutela committi nec cum satisdatione debeat: &c. ¶ *Solus administret.*] Interest
pupilli, per vnum tutelā administrari: idque fuisse Prætori curæ testatur Vlpianus [l]. Facilius enim 5
vnum tutorem & actiones exercere, & excipere: & incommodum esse, per multos tutelam spargi.
Certè Liuius ait complurium imperium inutile esse: quia tendendo quisque ad sua consilia, ape- 6
riant mille incommodorum occasiones. Adde quod

Segnius expediant commissa negocia plures: Quisque enim curam reijcit in socium.

Quo nomine Rex Nicocles apud Isocratem, Monarchiam præfert Democratiæ, ὁ μὲν (inquiens)

i dict. l. si nemo.
k L. testamento datos. de testa. tut.
l L. 3. §. apparet. de admi. tut.

πολλὰ γὰρ ἀμελοῦσιν εἰς ἀλλήλους ἀποβλέποντες· οἱ δὲ τύραννοι οὐδὲν ὅλως παρορῶσιν, εἰδότες ὅτι δεῖ πάντα δι' αὐτῶν
γίνεσθαι. [Multa negligunt qui sese inuicem respectãt; Tyranni verò nihil omittunt, scientes omnia
oportere per sese expediri.] ¶ *Itaque per se non potest.*] Videtur hic locus desumptus ex responso
Modestini, quod extat his verbis [a]: Datiuus vel testamentarius tutor siue curator non petet satis à — *a L. datiuus. D. rem pup. sal. fore.*
7 collega suo: sed offerre ei poterit, vtrum satis accipere velit, an satisdare. Similis est conditio iuris-
iurandi, quod defertur. ¶ *Si nemo eorum.*] Tutorum scilicet. Nam extraneum non audiri iam di-
8 ctum est. Quod si plures simpliciter satis offerant, & satisdare parati sint: tunc (inquit Callistra-
tus [b]) idoneior præferendus erit: vt & tutorum personæ inter se, & fideiussorum comparentur. — *b L. quod si plures. de testa. tut.*
¶ *Si quidem ascriptum fuerit à testatore.*] Hunc locum eleganter explicat Vlpianus his verbis [c];
Si parens vel pater, qui in potestate habet, destinauit testamento, quis tutorum tutelam gerat: il- — *c L. 3. §. 2. de admi. tut.*
9 lum debere gerere Prętor putauit. merito: quia parentis statur voluntati, qui vtique filio rectè pro-
10 spexit. Cæteri ergo tutores non administrabunt: sed erunt ij, quos vulgo honorarios appellamus.
Nec tamen putet quisquam ad hos periculum non redundare. Constat enim hos quoque, excus-
sis prius facultatibus eius qui gessit, conueniri oportere. Dati sunt enim quasi obseruatores actus
eius, & custodes: imputabiturque ijs quandoque, cur, si malè eum conuersari videbant, suspectum
non fecerint, &c. Sed & Caius alibi fatetur [d], honorarium tutorem periculum solere pati, si male — *d L. si quis tutor. §. quid ergo. de rem nupt.*
11 passus sit administrari tutelam. Porrò quamuis honorarij tutores non administrent: tamen quia
periculum ad eos pertineat, docet Vlpianus [e] rectè ijs solui, nisi interdicta ijs fuerit à Prætore ad-
ministratio. — *e L. quod si forte. § 1. de solut.*
12 ¶ *Quod si non fuerit ascriptum.*] Hunc quoque locum perspicuè interpretatur Vlpianus his ver-
bis [f]; Si non erit à testatore electus tutor, aut gerere nolet: tunc is geret. cui maior pars tutorum tu- — *f L. 3. §. vlt. de admi. tut.*
telam decreuerit. Prætor igitur iubebit eos conuocari: aut si non coibunt, aut coacti non decer-
nent: causa cognita ipse statuet, quis tutelam geret. Planè si non consentiant tutores Prætori: sed
velint omnes gerere, quia fidem non habent electo: nec patiuntur vt succedanei sint alieni pericu-
13 li: dicendum est Prætorem permittere eis omnibus gerere. Porrò huc pertinet quod alio loco idem
14 Vlpianus [g] agens de tutoribus, qui ad hoc dantur, vt gerãt, ait, Et hoc vel pater adijcit. vt vnus (pu- — *g dict. l. quod si forte.*
ta) gerat: vel voluntate tutorum vni committitur gestus: vel Prætor ita decernit. Sed adijciamus
15 aliquid de diuidenda tutela. nam si diuidi inter se tutelam velint tutores: audiendi sunt, inquit
Vlpianus [h]: vt distribuatur inter eos administratio, vel in partes. vel in regiones. Sed hic notan- — *h dict. l. 3. §. vlt. cum le. seq.*
dum est discrimen à Carino & Numeriano Impp. peculiari constitutione proditum [i]: quòd diui- — *i L. vlti. C. de diuid. tute.*
16 sione à Præside vel testatore facta, vnusquisque tantum pro sua administratione conueniatur: non
autem nomine contutoris, nisi per dolum aut culpam non curârit remoueri suspectum. Sed si ipsi
tutores inter se diuiserint administrationem: non prohibetur adolescens vnum ex his in solidum
conuenire: ita tamen, vt in eum transferat actiones quas habet aduersus alios. quanquam & sine
hac cessione, is qui ex facto alterius condemnatus est, habeat vtile iudicium [k]. — *k L. 1. §. nunc tractemus de tut. & rat. distrah.*
¶ *Sed etiam in eos, qui satisdationem accipiunt.*] Hoc est. in magistratus, ad quos cùm pertineret sa-
17 tisdationem exigere: non tamen curarunt eam præstari. Ac ne nouum esse putemus, quod magi-
gistratus præstet periculum tutoris parum idonei: lubet hîc adijcere similem Platonis legem, quæ
apud eum extat libro vndecimo *τῶν νόμων*, his verbis; *ἐὰν δὲ τῇ ἀρχῇ τῶν ὀρφανῶν ἀμελεῖν δόξῃ τι τὸν*
ὀρφανόν, ὅ,τι χρὴ τίνειν αὐτὸν τῷ παιδί, τιμάτω τὸ δικαστήριον. [si eorum qui præsunt negligentia pupillo de-
trimentosa fore visa fuerit, quanti pueri interfuerit, iudicium in eos animaduertito.] ¶ *Subsidia-*
riam actionem.] Eam ipsam, quæ in tutores daretur [l]: sed eo discrimine, quo in bonis magistratus — *l L. vlt. de mag. conuenien.*
priuilegium non habeat pupillus [m]: cùm tamen præferatur creditoribus [n] tutorum. — *m L. 1. §. priuilegium. de mag. conue.*
18 ¶ *Quæ vltimum præsidium.*] Explicat Iustinianus, cur hæc dicatur actio subsidiaria, nempe quòd — *n L. quæsitum. § si qui cum tutor. de priu. credit.*
19 reliquis deficientibus veluti succenturietur. Sicque etiam dicitur actio de dolo subsidiaria, quia
tum demum competat, vbi nullum aliud auxilium superest. Et olim apud Romanos appellaban-
20 tur milites subsidiarij. qui (vt ait Liuius) integri seruabantur ad longioris pugnæ casus, veluti Tri-
21 arij. Continet autem hæc actio vltimum præsidium, quia tum demum exercetur, vbi non est in-
demnitati pupilli satisfactum excussis bonis tutoris, itemque fideiussoris eius, nec non collega-
tum, qui etiam periculum propter consortium administrationis subeunt; vt rescripsit Gordia-
nus [o]. ¶ *Eis.*] Nempe pupillis vel adultis. Ijs enim datur hæc actio subsidiaria: non autem alijs. — *o L. aduersus. C. de mag. conuen.*
Vnde cùm proponeretur, duos tutores à magistratibus municipalibus datos cautione non exa-
cta: & alterum inopem decessisse, alterum in solidum conuentum satis pupillo fecisse: & quærere-
tur an tutor iste aduersus magistratus municipales habere posset aliquam actionem, cum sciret à
contutore suo satis non esse exactum: Vlpianus respondit [p], Tutorem ad magistratus redire non — *p L. 2. D. eo tit.*
22 posse; cùm nunquam tutor aduersus magistratus habeat actionem: & Senatusconsultum pupillo
tantùm subuenire.
¶ *In eos datur.*] At non in eorum fideiussores, qui Rempub. saluam fore promittunt: sicuti nec
23 in nominatores eorum magistratuum [a]. Datur autem in solidũ aduersus quemlibet. Sed si omnes — *a L. 1. D. eo tit.*
sint soluendo: qui conuentus est, postulabit diuisionem [b]. Et si magistratus inter se conuenissent, — *b L. 3. C. de mag. conuen.*
24 vt vnius tantum periculo tutores darentur: prius excutiendus erit. qui hoc suscepit [c]. ¶ *A tutoribus.*] — *c L. 1. §. si inter. D. eo tit.*
Quantumuis etiã alioquin idoneis, cùm darẽtur. Sic enim ait Vlpianus [d]; Si magistratus ab initio
tutoré idoneum dedit, & satis nõ exegit, non sufficit. Addit tamen, quod si fuerit idoneus eo tem- — *d dict. l. 1. §. si magistratus.*
pore quo tutelæ agi potuit, sufficere. ¶ *Aut non idonee.*] Culpa scilicet eorum magistratuum, vt ad-
dit Vlpianus [e]. Nam si ab initio curarint idoneè satisdari, & postea forte lapsi sint facultatibus fi- — *e dict. l. 1. §. vlti.*

deiussores: non tenebitur magistratus, cui nihil est, quod imputetur. Neque enim debet magistra- 25
tus futuros casus & fortunam pupillo præstare. Probatio autem non pupillo incumbit, vt doceat
fideiussores soluendo non fuisse, cum acciperentur: sed magistratibus, vt doceant eos soluendo fu-
isse. Quæ omnia continentur Vlpiani responso [a]. ¶ *Tam ex prudentum responsis quàm Constitutioni-*
bus.] Inquit Vlpianus [b], Quod ad hæredem magistratus pertinet: extat Diui Pij rescriptum, causa
cognita dari debere actionem. Nam si magistratus tanta fuit negligentia, vt omnem cautionem 26
omitteret: æquum est haberi eum loco fideiussoris: vt & hæres eius teneatur. In Codice Iustiniani
relata est Constitutio Imp. Alexandri [c], In hæredes magistratus, cuius lata culpa idoneè cautum
pupillo non est, actionem dari: sed si ea culpa non fuerit, non dari. Nam & Vlpianus disertè ad-
monet [d], non aliàs in hæredem dandam actionem, quàm si euidenter magistratus cum minus
idoneis fideiussoribus contraxerit. Vnde rectè constat, quod idem Vlpianus ait [e], non similiter te- 27
neri hæredes magistratuũ, vt ipsi magistratus tenentur: quia magistratus in omne periculum suc-
cedit, hæres verò tantum succedaneus est culpę dolo proximæ: nec tenetur tutoris negligentiæ no- 28
mine. Porrò autem, vt in hæredes magistratuum datur hæc actio subsidiaria: ita etiam datur hære- 29
dibus pupillorum [f]. ¶ *Quibus Constitutionibus & illud exprimitur.*] Nullis Constitutionibus, quæ
quidem extent, reperio id expressum. Sed extat Constitutio Imperatorum Valeriani & Gallie-
ni [g], vt tutor, si secundum Præsidis præceptum & iuris formã satis non dat, remoueatur à tute- 30
la, sine infamia, siquidem inopia hoc faciat: sed si fraude, cum infamiæ nota. ¶ *Neque autem.*]
Hic locus explicat, quod ab Vlpiano dictum est, Neque Prætorem, neque quem alium, cui tutoris
dandi ius est, hac actione teneri. ¶ *Neque quisquam alius.*] Veluti Præfectus Augustalis, aut Lega- 31
tus Proconsulis. Nam & ijs plenum ius erat tutoris dandi quibuscunque pupillis. Tantumque
tributum est prudentiæ horum maiorum magistratuum, vt creditum sit, non esse necessariam sa-
tisdationem. Nec dubitat princeps eos, qui ob singularem industriam, explorata eorum fide &
grauitate, ad horum officiorum magnitudinem adhiberentur, non aliter iudicaturos esse pro sa-
pientia & luce dignitatis suæ, quàm ipse foret iudicaturus, vt inquit quodã loco noster Aurelius [h].

¶ *Sed hi tantummodo qui satisdationem exigere solent.*] Veluti Magistratus municipales, Defen-
sores ciuitatum, Iuridicus Alexandriæ, & reliqui minores eiusmodi magistratus, qui non aliter tu-
tores rectè dare possunt, quàm exacta satisdatione. Idem de ijs, ad quos à Præsidibus tutores remis-
si sunt, vt eos ipsi dent, vel vt ab ijs exigant satisdationem, cùm essent ab ipso Præside dati. Sed & 32
tenentur, qui gratia fortè vel pecunia, Præsidi tutores danti falsã renunciârunt de tutorum fa-
cultatibus [i].

a dict. l. 1. §. si magistratus. & §. probatio.
b L. quod ad hæredẽ. D. illo tit.
c L. 2. C. illo tit.
d dict. l. quod ad hæredem.
e L. non similiter. D. illo tit.
f L. 1. §. non tantum. D. illo tit.
g L. 2. C. de tut. qui non satisd.
h L. vnica. de offic. prefect. prat.
i L. 1. §. si preses. de mag. conue.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Excusationes nitantur æquitate.*
2 *Iusta excusationum tutorum causa quæ?*
3 *Herennij Modestini I.C. libri 6 de excusationibus tut. vel curat.*
4 *Fontibus repertis contemnenda sunt lacuna.*
5 *Tutela necessitate liberari magnum est beneficium.*
6 *Numus multis quàm fides pluris est.*
7 *Cur fora sint hodie occupata magis contentionibus ambientium quàm recusantium tutelas.*



VM sit tam graue ac periculosum munus tutelæ vel curæ: æquitas postulat rationem haberi excusationum, & iudicem cognoscere de ijs, quæ iustæ sunt. Rectè itaque Vlpianus, agens de vacatione & excusatione munerum [k], ait; Omnis excusatio sua æqui- 1
tate nititur. Sed si prætendentibus aliquid sine iudice credatur: aut passim sine temporis præfinitione, prout cuique libuerit, permissum fuerit se excusare: non erunt qui munera necessaria in rebus publicis obeant. Hoc itaq; titulo Iustinianus agit de proponendis excusationibus, & enumerat aliquot iustas earum causas, veluti, trium liberorum; trium tutelarum; admi- 2
nistrationis Reip. vel absentiæ causa Reip. Paupertatis; infirmitatis; ignorantiæ literarũ; ætatis maioris 70. annis, vel minoris 25. Inimicitiarum; Militiæ; Professionis Grammatices; Rhetorices; Medicinæ, &c. Ac de his quidem omnibus noster Herennius Modestinus Iurisconsultus non contemnen- 3
dæ autoritatis, vt ait Gordianus Imp. [l] Græca lingua ad suum Ignatium Dextrum conscripserat libros sex, ex quibus multa in Pandectis fuerunt relata. ac quæ hactenus fuerant desiderata græca responsa, nunc extant in Pandectis Heruagianis: vt tandẽ fontibus repertis debeamus contemnere im- 4
puras lacunas vulgaris interpretis, præsertim cùm nunc alia edita sit multis nominibus melior Latina translatio Antonij Augustini. Vt autem Modestinus nobis cõmendaret Lectionem huius suæ græcanicæ commentationis, initio testatur, εἶναι σύγγραμμα χρησιμώτατον. [cõmentarium vtilissimum.] Et fuit sanè olim multa semper grauisq; contentio eorum, qui satagebant excusari à tutela: magniq; bene- 5
ficij loco habitũ est, ea necessitate liberari. Vnde illud est quod scribit Capitolinus: summi muneris loco Senatũ, singulari iure, aliquãdo tribuisse familiæ Gordiani Principis, vt à tutelis, eius posteri, si vellent, semper vacarent. Verũ vbi multis, quibus pluris est numus quàm virtus aut fides, cœpit placere 6
munus

k L. 1. de vacat. & excus. mune.
l L. ad exhibendum. C. ad exhib.

7 *munus tutelæ quasi admodum quæstuosum; factum est ut magis fora fuerint occupata contentionibus ambientium, quàm recusantium tutelam. Scilicet verißimè dictum est à nostro Iustiniano in Nouella Constit. 72. τοῖς πολλοῖς, ὅσοι βούλονται τὰ τῶν κηδευομένων εἰς ἑαυτοὺς ἀσεβῶς στρέψαι, τὸ πρᾶγμα ἐράσμιόν τε καὶ ἐπίδρομον ὤφθη, ἡ ἐπιτροπή. [Multis, qui suæ curæ commissorum bona impiè cupiunt in se transferre, res tum amabilis tum accessu plausibilis est procuratio siue tutela.]*

DE EXCVSATIONIBVS TVTORVM VEL curatorum, Titulus XXV.

EXCVSANTVR autem tutores & curatores varijs ex causis: plerumque tamen propter liberos, siue in potestate sint, siue emancipati. Si enim tres liberos superstites Romæ quis habeat, vel in Italia quatuor, vel in prouincijs quinque: à tutela vel cura potest excusari, exemplo cæterorum munerum. nam & tutelam & curam placuit publicum munus esse. Sed adoptiui liberi non prosunt: in adoptionem autem dati, naturali patri prosunt. Item nepotes ex filio prosunt, vt in locum patris sui succedant: ex filia non prosunt.

Filij autem superstites tantum ad tutelæ vel curæ muneris excusationem prosunt: defuncti autem non prosunt. Sed si in bello amissi sunt: quæsitum est, an prosint. Et constat eos solos prodesse, qui in acie amittuntur. hi enim qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur.

Item diuus Marcus in Semestribus rescripsit, eum, qui res fisci administrat, à tutela vel cura, quandiu administrat, excusari posse.

Item qui Reipublicæ causa absunt, à tutela vel cura excusantur. Sed & si fuerint tutores vel curatores dati: deinde Reipublicæ causa abesse cœperint: à tutela vel cura excusantur, quatenus Reipublicæ causa absunt: & interea curator loco eorum datur. qui, si reuersi fuerint, recipiunt onus tutelæ. nam nec anni habent vacationem, vt Papinianus lib. 5. Responsorum scripsit. nam hoc spacium habent ad nouas tutelas vocati.

Et qui potestatem aliquam habent, se excusare possunt, vt Diuus Marcus rescripsit: sed susceptam tutelam deserere non possunt.

Item propter litem, quam cum pupillo vel adulto tutor vel curator habet, excusari non potest: nisi fortè de omnibus bonis, vel hæreditate controuersia sit.

Item tria onera tutelæ non adfectatæ, vel curæ, præstant vacationem, quandiu administrantur: vt tamen plurium pupillorum tutela vel cura eorundem bonorum, veluti fratrum, pro vna computetur.

Sed & propter paupertatem excusationem tribui, tam Diui Fratres, quàm per se Diuus Marcus rescripsit, si quis imparem se oneri iniuncto possit docere.

Item propter aduersam valetudinem, propter quam ne suis quidem negocijs interesse potest, excusatio locum habet.

Similiter eos, qui literas nesciunt, esse excusandos, Diuus Pius rescripsit: quamuis & imperiti literarum possint ad administrationem negociorum sufficere.

Item si propter inimicitias aliquem testamento tutorem pater dederit: hoc ipsum præstat ei excusationem:

Sicut per contrarium non excusantur, qui se tutelam administraturos patri pupillorum promiserant. Non esse autem admittendam excusationem eius, qui hoc solo vtitur, quòd ignotus patri pupillorum sit, Diui Fratres rescripserunt.

Inimicitię, quas quis cum patre pupillorum vel adultorum exercuit: si capitales fuerunt, nec reconciliatio interuenit: à tutela vel cura solent excusare.

Item is, qui status controuersiam à pupillorum patre passus est, excusatur à tutela.

Item maior septuaginta annis à tutela, & cura se potest excusare: minores autem vigintiquinque annis, olim quidem excusabantur: nostra autem constitutione prohibentur ad tutelam vel curam adspirare: adeò, vt nec excusatione opus sit. Qua constitutione cauetur, vt nec pupillus ad legitimam tutelam vocetur, nec adultus: quum sit inciuile, eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab alijs reguntur: aliorum tutelam vel curam subire.

Idem & in milite obseruandum est, vt nec volens ad tutelæ onus admittatur.

Item Romæ grammatici, rhetores, & medici, & qui in patria sua has artes exercent, & intra numerum sunt, à tutela & cura habent vacationem.

Qui autem vult se excusare, si plures habeat excusationes, & de quibusdam non probauerit: alijs vti intra tempora constituta non prohibetur.

Qui autem excusare se volunt, non appellant: sed intra quinquaginta dies continuos, ex quo cognouerint se esse tutores vel curatores datos, se excusare debent: cuiuscunque generis sint, id est, qualitercunque dati fuerint tutores: si intra centesimum lapidem sunt ab eo loco, vbi tutores dati sunt. Si verò vltra centesimum lapidem habitant: dinumeratione facta viginti milium diurnorum, & amplius triginta dierum: qui tamen (vt Scæuola dicebat) sic debent computari, ne minus sint, quàm quinquaginta dies.

Datus autem tutor, ad vniuersum patrimonium datus esse creditur.

Qui tutelam alicuius gessit, inuitus curator eiusdem fieri non compellitur: in tantum, vt licet paterfamilias, qui testamento tutorem dedit, adiecerit se eundem curatorem dare, tamen inuitum eum curam suscipere non cogendum, Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

Iidem rescripserunt maritum vxori suæ curatorem datum, excusare se posse, licet se immisceat. Si quis autem falsis allegationibus excusationem tutelæ meruerit, non est liberatus onere tutelæ.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Qui liberi à tutela excusent.*
2 *Propter liberos quomodo quis magis asciscatur ad tutelam quàm excusetur.*
3 *Discere in pupillis primum, Pater esse, periculosum.*
4 *Sobolis numerosa patri cur faueant leges.*
5 *Olim etiam locata esse liberorum onera.*
6 *Liberi non nisi legitimi tribuunt excusationem à tutela.*
7 *Pater emancipato filio tutor datus non debet vti excusatione III. liberorum.*
8 *Tergeminorum ius quale?*
9 *Ancilla pariens III. vacationem, IIII. libertatem consequitur.*
10 *Matrum, quæ III pepererant, priuilegia.*
11 *Pater III. liberorum legationibus publ. liberandus.*
12 *Beneficium olim Iure III. liberorum quale?*
13 *Numerus liberorum eandem implens susceptis antea mortuis non liberat.*
14 *Liberi V. excusant à muneribus personalibus.*
15 *Patrimoniorum onera numero liberorum non excusantur.*
16 *Athenis olim neminem à conferendis in sumptus bellorum pecunijs fuisse excusatum.*
17 *Numerus liberorum XVI. excusat ab omnibus muneribus.*
18 *Cur à publicis muneribus excusati, non item à tutela statim excusentur.*
19 *Adoptiui filij cur à ciuilibus muneribus non excusent.*
20 *Nepotes ex filio, supplent vnius locum.*
21 *Qui in vtero est quando non habeatur pro iam nato.*
22 *Acies & bellum quid differant.*
23 *Pro patria morientes quomodo perpetuò viuant.*
24 *Hippodami lege Athenis cautum, vt filij pro Rep. cæsorum alerentur ex publico.*

P*Lerumque*]Non tamen semper, nec propter quoscunque liberos. Nam tres esse oportet, & qua- 1
les hic describit Iustinianus. Deinde aliquando propter liberos magis quis adsciscitur ad tute- 2
lam, quàm excusatur. Nam cùm agitur de idoneo tutore, lex ciuilis inquirit an habeat liberos: vt ex pietate & affectu, quem erga eos gerit, iudicetur idoneus: vt qui iam didicerit esse pater bonus,
credatur quoque futurus tutor bonus. Certè periculosum est, vbi quis in alijs primùm discit pater 3
esse. ¶ *Propter liberos.*]Hoc est, Propter quendam numerosæ sobolis fauorem, & quandam remu- 4
nerationem fœcunditatis: quæ cùm sit Reip. vtilis (nam interest ciuitatem liberis repleri & ampli-
ari [a]) non debet esse sine præmio. Tertullianus ad Vxorem, Olim (inquit) etiam locabantur one- 5
ra liberorum. Nec sunt ignota in iure nostro priuilegia fœcunditatis [b]. Nec Romani modò ea coluerunt, sed etiam olim Persæ & Lacedæmonij.

¶ *Liberos.*] Nempe tres. Modestinus dum hunc locum tractat, inquit [c], *ἀφίησιν ἐπιτροπῆς πολυπαιδία.* [excusat à tutela liberorum multitudo.]

¶ *Siue in potestate sint, siue emancipati.*] Apud Modestinum est, *κἂν μὴ ὦσιν ἐν ἐξουσίᾳ.* Vlpianus ait [d], Incolumes liberos, etiamsi in potestate patris sui desierint esse, excusationem à muneribus ci-
uilibus præstare. Addit autẽ Modestinus, liberos esse debere legitimos, vt tribuant aliquam excu- 6
sationem. Et Impp. Seuerus & Antoninus [e], nominatim inquiunt, liberos esse debere, de quorũ sta-
tu non ambigatur. Illud porrò hoc loco prætereundum nõ est, quod Paulus grauissimè respondit, 7
pium patrem non debere excusatione, quam ex numero liberorũ habet, vti aduersus liberos, si qui eorũ emancipati opus habeant tutore vel curatore. Verba Pauli sunt [f] hæc, Lucius Titius ex tribus filijs incolumibus vnũ habet emancipatũ eius ætatis, vt curatores accipere debeat: quæro, Si idem

a L. 1. D. solu. mat. l. vlt. § si plures. de bon. damnat.
b L. 2. de minorib. l. ad Remp. de mune. et honor. l. semper. § demonstratur. de iure immun.
c L. 2. de excusat.
d L. 2. § incolumes. de vacat. & excu. mu.
e L. 1. C. qui nu. lib. se excus.
f L. amicissimos. § vlt. de excusat.

Titius pater, petente eodẽ filio emancipato, curator à Prætore detur: an iure publico vti posit,&
nihilominus trium liberorum nomine vacationem postulare? Respondi, Præmium quidem pa-
tri, quod propter numerum liberorum ei competit, denegari non oportet: sed cùm filio suo cura-
tor petatur: contra naturales stimulos facit, si tali excusatione vtendum sibi putauerit.

¶ *Si eum tres liberos.*] Hæc distinctio disertè tradita est à Diuo Seuero & Antonino, quorum
adhuc extat rescriptum [a]. Est autem ius trium liberorum admodum vetus; nempe à tempore illo- *a L.1.C.qui nu lib.se*
rum Tergeminorum, in quorum gratiam fuit statutum; Vt quibus trini essent liberi, cùm ex pu- *excus.*
8 blico ij alerentur, vsque ad pubertatis annos, tribueretur patria potestas sine onere & sumptu edu-
cationis. Diouysius Halicarn. lib. 3. ait hanc legem suo quoque tempore obseruatam fuisse. Lo-
quens enim de Horatijs Tergeminis, ἔστιν (inquit) καὶ νόμος δι' ἐκεῖνο κυρωθεὶς τὸ πάθος, ᾧ καὶ εἰς ἐμὲ χρῶν-
ται, τιμὴν καὶ δόξαν ἀθάνατον τοῖς ἀνδράσιν ἐκείνοις φέρων, ὁ κελεύων, οἷς γένωνται τριδύμοι παῖδες, ἐκ τοῦ δημο-
σίου τὰς τροφὰς τῶν παίδων χορηγεῖσθαι μέχρις ἥβης. [Lex tum primum lata etiamnum durat, ad perpe-
tuam illorum Iuuenum gloriam, iubens, vt quoties nascantur Trigemini, alimenta ex publico
vsque ad pubertatem accipiant.] Sed & Q. Numidius Censor, & postea Iulius Cæsar, itemque Au-
9 gustus, voluerunt ancillæ, quæ tres peperisset, vacationem: quæ quatuor, libertatem dari. Et olim
10 mulieribus, quæ trium liberorum matres essent, ex SC. Tertulliano concedebatur intestatorum
filiorum successio, si modò essent ingenuæ: item ius testandi, & libertas rerum suarum sine curato-
re administrandarum. Sanè & qui trium liberorum incolumium pater est, legationibus publicis
11 liberatur [b]. Atque hoc quidem ius trium liberorum latissimè patuisse, indicat etiam Plinius Se- *b L.1.C.de legat.*
cundus, qui id à Traiano petiturus Suetonio suo, parum fœlix matrimonium experto, præfatur
12 sese non ignorare, quantum petat beneficium, & quàm non omnibus id concedatur. Idem lib. 2.
Epist. de quodam Voconio loquens, ait se ius trium liberorum ei impetrasse ab optimo principe:
quanquam id alioqui parcè & cum delectu daret. Idem ad Traianum lib. 10. verbis exprimere se
non posse ait, quantum sibi gaudium attulerit, quòd dignus visus esset iure trium liberorum. Sed
& olim apud Lacedæmonios trium liberorum parens immunis erat ab vrbis custodia, & excu-
bijs. & qui quatuor haberet liberos, ab omni prorsus onere. Sic enim Aristoteles lib. 2. politic. scri-
bit, ἔστι γὰρ αὐτοῖς νόμος, τὸν μὲν γεννήσαντα τρεῖς υἱοὺς, ἄφρουρον εἶναι· τὸν δὲ τέτταρας, ἀτελῆ πάντων. [Illis enim
lex est, procreantem tres filios à ciuitatis custodia, quatuor verò, ab omnibus vectigalibus immu-
nem esse.] ¶ *Superstites.*] Saltem cùm patres dantur tutores. Nam postea mortui non nocent, si-
cut nec postea nati prosunt. Sic enim ait Modestinus [c], δεῖ ζῶντας εἶναι τοὺς παῖδας, ὅτε οἱ πατέρες δίδον- *c L.2.de excusat.*
ται ἐπίτροποι· οἱ γὰρ πρὶν τελευτήσαντες οὐ συναριθμοῦνται· οὔτε πάλιν βλάπτουσιν οἱ μετὰ ταῦτα ἀποθανόντες. [O-
portet superstites esse liberos cum patres eorum tutores dantur nam qui antea mortui sunt, non
numerantur inter liberos; neque etiam nocent qui postea moriuntur.] Vlpianus autem ait [d]; Qui *d L.2.§. qui ad mu-*
13 ad munera vocantur, viuorum se liberorum numerum habere, tempore, quo propter eos excusari *nera de vacat.& ex*
desiderant, probare debent. numerus enim liberorum postea impletus, susceptis antea muneribus *cus.mun.*
14 non liberat. ¶ *In prouincijs quinque.*] Excusationis, quæ propter liberos quinque tribuitur à mu-
neribus personalibus, frequens est in iure mentio [e]. ¶ *Ceterorum munerum.*] Personalium. Nam *e L.4. de mune.&*
15 quæ patrimoniorum onera sunt, numero liberorum non excusantur, inquit Vlpianus [f]: sicuti nec *hon. l. vnica. C. de*
ætate, nec alia prærogatiua, quæ solet à personalibus muneribus excusare [g]. Certè & Demosthenes *sumptuum recuperat.*
in oratione contra Leptinem, testatur apud Athenienses olim neminem prorsus excusatum fuisse *l.3.& l pen & vlti.*
16 à conferendis in sumptus bellorum pecunijs, quanquam ab alijs liturgijs facile excusarentur, qui *C de his qui nu liber.*
17 de Rep. benemeriti essent. Sed memorabile est quod Ælius Pertinax iussit rationem haberi libe- *vel pauper. excusat.*
rorum sedecim in muneribus municipalibus: quod ad patrimonialia facilè trahi patietur huma- *meruer.*
nus princeps. *f L.2 §.quæ patrimo-*
niorum. de mune. &
hon.

¶ *Publicum munus esse.*] Modestinus scribit, Tutelam non esse Reip. munus, nec quod ad im- *g L.rescripto.§. vlti.*
pensam pertinet: sed ciuile. Intelligit autem ciuile, quod hic publicum dicitur: nempe quod singu- *de mu.& hon l.sunt*
lis ciuitatibus publice vtile est. quanquam non sit totius Reip. Rom. munus publicum, nec patri- *munera. de vacat.*
18 moniale. Et sanè qui à publicis muneribus excusatur, nõ ideo statim à tutela excusabitur, nisi eius *mu.l. neque. C.demu*
quoque immunitatem nominatim impetrarit. Vnde Ædilis, qui à priuatis muneribus excusatur, *nerib.patrimo.*
à tutela non excusatur [h]. ¶ *Adoptiui liberi non prosunt.*] Inquit Vlpianus [i]: Adoptiui filij in nume- *h L. non tantum.§.is*
rum non proficiunt eorum liberorum, qui excusare parentes solent. Et sanè adoptio Remp. liberis *qui ædilitate. de ex-*
cus.
19 nouis non auget: essetque absurdum hoc commento deferi ciuilia munera. Et nos supra ex Tacito *i L. 2. §. adoptiui.de*
retulimus, Senatusconsultum tempore Neronis factum, Ne adoptio ad excusationem publico- *vacat.mune.*
rum munerum prodesset adoptanti. ¶ *Item nepotes ex filio prosunt.*] Modestinus ait [k], satis id colli- *k L.2.de excusat.*
gi ex constitutione Seueri & Antonini, quæ meminit liberorum. eorum enim appellatione con-
tineri nepotes. ¶ *Vt in locum patris sui succedant.*] Hæc verba indicant nepotes tum demum prodes-
20 se auo, cùm mortuus est eorum pater (vt etiam Antoninus rescripsit [l]) & ita solum prodesse, vt sup- *l L. 2. C. qui nume.*
pleant vnius locum. nam & hîc, vt in successionibus, non numeramus capita, sed intuemur solam *lib.se excus.*
stirpem. Modestinus eleganter expressit vtrunque his verbis; Συμβάλλονται δὲ τότε, ὁπόταν τοῦ πατρὸς αὐτῶν
ἀποθανόντος, τὸν ἐκείνου τόπον πληρώσωσι πάππῳ. ὅσοι δ' ἂν ὦσιν ἔγγονοι ἐξ ἑνὸς υἱοῦ, ἀντὶ ἑνὸς τέκνου ἀριθμοῦνται.
[iuuant verò tunc, cum eorum pater mortuus est, & ipsi eius locum supplent auo: qui licet plures
sint ex vno filio, pro vno numerantur.]

¶ *Ex filia non prosunt.*] Prosunt tamen ex filio non minus neptes, quàm nepotes, vt docet idem
Modestinus. ¶ *Defuncti autem.*] Ante susceptam videlicet tutelam. Sicuti nec postea nati pro-
21 sunt, vt iam antè diximus. Sed nec qui in vtero est, prodest. nam cùm de alterius iure agitur, non

a L. quod dicimus. de verb. signif.
b dict. l. 2.
c L. bello amissi. De excusat.
d L. vlt. de vaca. mu.
e L. 3 C. de his qui nu me. lib. vel paup. excusat. mer.
f dict. l. bello amissi.

habetur pro iam nato aut superstite [a]. Rectè itaque Modestinus ait [b]; ὁ δὲ ἐν γαστρὶ ὤν, εἰ καὶ ἐν πολλοῖς
μέρεσι τοῦ νόμου συγκρίνεται τοῖς ἤδη γεγενημένοις, ὅμως οὔτε ἐν τῇ παρούσῃ ζητήσει, οὔτε ἐν ταῖς λοιπαῖς πολιτι-
καῖς λειτουργίαις συμφέρει τῷ πατρί. [Qui in vtero est, etsi in multis iuris partibus æquiparatur iam na-
tis, tamen neq; in hac quæstione, neque in cæteris ciuilibus muneribus prodest patri. ¶ *Qui in acie*
amittuntur.] Hoc est, in ipso conflictu. Nam acies propriè significat exercitum iam ad pugnam in- 22
structum, & manus conserentem. Bellum verò totum illud tempus dissidij. Cùm ergo ageretur de
liberis bello amissis, qui prosunt ad excusationem tutelæ, & quæreretur quinam essent isti: vtrum
hi, qui in acie sunt interempti, an verò omnes omnino, qui per causam belli parentibus sunt abre-
pti, in obsidione fortè? Respondit Vlpianus [c], Melius probari, eos solos, qui in acie amittũtur, pro-
desse debere. Sic ergo accipi debet, quod Modestinus [d] simpliciter respondit, filium in bello amis-
sum prodesse ad excusationem munerũ. Hucq; pertinet quod rescriptum [e] est, filium ab hostibus
captum non prodesse, quasi mortuum, nec in acie amissum.

¶ *Hi enim, qui pro Rep.*] Vlpianus simpliciter dixerat [f]; Hi enim pro Republica ceciderunt. Sed
Iustinianus hunc locum magis illustrat & amplificat, quòd qui pro salute patriæ salutem neglexe 23
runt suam, viuere adhuc intelligantur sempiterna gloria celebres. Sic Tullius Philippica nona
ait, horum mortuorum vitam in memoria viuorum positam. Et rursus Philippica decima quar-
ta, O fortunata (inquit) mors, quæ naturæ debita, patriæ est potissimùm reddita. Breuis nobis vita
data est: at memoria bene redditæ vitæ sempiterna. quæ si non esset longior, quàm hæc vita, quis
esset tam amens, qui maximis laboribus & periculis ad summam laudem gloriamque contende-
ret? Idem Cicero in Orat. pro Balbo, constituit hoc discrimen inter gratiosos ciues, & fortes: quòd
illi viui fruantur suis operibus: horum etiam mortuorum, si quisquam (inquit) huius imperij de-
fensor mori potest: viuat autoritas immortalis. Neque verò apud Romanos modò, sed & alios
priscos populos hæc gratia reddita est ijs, qui pro Republica vitam suam profudissent. Extat hac
de re apud Thucydidem libro secundo, Periclis ἐπιτάφιος λόγος. [funebris oratio.] Et non solùm
ijs, qui mortui sunt, hunc honorem esse persoluendum; sed eorum quoque proximos consolan-
dos, ait Cicero decimaquarta Philipp. Et parentibus quidem hanc esse consolationem optimam,
quòd tanta Reip. præsidia genuerunt. Deinde addit; Atque etiam censeo, Patres Conscripti, quæ
præmia militibus promisimus, nos Rep. recuperata tributuros; ea viuis victoribusque cumulatè,
cùm tempus venerit, persoluenda. qui autem ex his, quibus illa promissa sunt, pro patria occide-
runt; eorum parentibus, liberis, coniugibus, fratribus tribuenda censeo. Sanè scribit Aristoteles li- 24
bro 2. Politic. Hippodamum apud Athenienses aliquando lege cauisse, vt ex publico alerentur fi-
lij, quorum parentes pro patria cecidissent. Idem apud Thucydidem libro secundo Pericles faci-
undum esse iudicat.

§. D. *Marcus, &c.*

1 Semestres Constitutiones quæ?
2 Labeonis studiorum ratio.
3 Principum res administrantes excusantur à tutela.
4 Procurator fisci prius susceptas tutelas deserere non potest.
5 Abesse Reip. causa qui dicantur.
6 Trans mare Reipublica causa absentes, aut circa Principem occupati, tutelam deponere possunt.
7 Absentes Reip. causa reuertentes, ab omni noua tutela annum vacare debent.
8 Annus vacationis à noua tutela quomodo numeretur.
9 Magistratus municipales qui?
10 Dignitas sine onere publico nemini tribuit excusationem tutelæ.
11 Iurisperiti in cõsilium principum assumpti, tutelam deponere possunt.
12 Cui lis cum pupillo est, hodie ad tutelam non admittitur.
13 Fratris sororisve mea lis cum pupillo, ab eiusdem me tutela excusat.
14 Tres gerens tutelas à quarta excusatur.
15 Vna tutela quomodo ab altera noua excuset.
16 Honoraria tutela cur non numeretur.
17 Oneri esse non videtur quod quis affectauit.
18 Tria tutelæ onera totam domum excusant.
19 Appellans à tutela tertia ad quartam interim suscipiendam cogendus non est.
20 Non pupillorum numerus, sed patrimoniorum separatio plures facit tutelas.

g L. pactum inter heredes. de pact. l. et qui se non immiscuit. De acq. her.
h L. 2. §. post hunc maxime. De orig. iur.
i L. administrantes. De excusat.
k L. exactores. C. de excusat. tut.

¶ *D. Marcus in Semestribus.*] Non est in iure nostro infrequens Semestrium mentio [g]. Theophi-
lus hîc vertit, ἐν ἑξαμηνιαίαις διατάξεσιν. Vnde apparet fuisse quasdam Constitutiones Semestri con-
ditas. Fortassis Marcus Imp. imitabatur Labeonem, qui annum ita diuiserat, vt sex mensibus Ro- 1
mæ esset, & sex menses impenderet libris in secessu conscribendis, vt testatur noster Pomponius [h]. 2
Rescriptum autem Marci, quod hic citat Iustinianus, nusquam extare arbitror. Extat autem Her-
mogeniani responsum, quod huic loco respondet his verbis [i]; Administrantes res Principum, ex
indulgentia eorum, licet citra codicillos, à tutela, itemque cura, tempore administrationis delata, 3
excusantur. Extat etiam rescriptum Imp. Alexandri in hæc verba [k]: Exactores tributorum tanto
tempore, quanto rationem tributariam tractauerint, non solùm ab oneribus, sed etiam à tutelis
vacationem habere, dubitare non debuisti. ¶ *Quandiu administrat.*] Adde verbum, DELATA: quo
magis hunc locum intelligas de tutela tempore administrationis delata, vt inquit Hermogenia-
nus: & colligas fisci procuratorem nõ nisi à nouis tutelis excusari: prius autem delatas & susceptas
eum deserere non posse; sicuti nec qui potestatem aliquam habent, vt paulò pòst ex rescripto Diui 4
Marci

Marci docet Iustinianus. Alia est ratio absentium Reip. causa, de quibus mox agemus.

¶ *Qui Reip. causa.*]Eorúmve comites, qui sunt intra statutum numerum: quanquam hi susceptam anteà tutelam deponere non possint[a]. Procuratores autem absentium Reip. causa, nullã habent vacationem[b]. Porrò abesse Reip. causa dicuntur, qui bona fide, non dolo absunt, & publici
5 commodi, nõ priuati causa. Id quod multis Prudentum responsis tractatum est[c]. ¶ *Quatenus Reip. causa.*] Ergo ad tempus tantum excusantur à tutelis prius susceptis[d]: sicut ij, quibus princeps curã
6 alicuius rei iniunxit. excusantur à tutela, sed non nisi donec curã gerunt[e]. Sanè eos susceptam tutelam omnino deponere, qui trans mare Reipub. causa absunt, non secus atque ij, qui circa principem sunt occupati, indicat Vlpianus[f]. ¶ *Interea curator loco eorum datur.*] Hic autem ab ijs peti debet & saltem proponi excusatio, ne medij temporis periculo obstringantur, vt est in rescripto Gordiani[g]. ¶ *Vt Papinianus respondit.*] Non puto extare hoc Papiniani responsum; Sed extat Græcum Modestini[h]: ἐς μέντοι περὶ τοῦ εἶχον ἐπιτροπάς, διὰ δὲ τοῦτο ἀπέθεντο, ὅτι δημοσίου ἕνεκα πράγματος ἀπεδήμουν· ταύτας ἐπανελθόντες πρὸς ... ἐπαναλήψονται, οὐδὲ αὐτοῖς βοηθοῦντος τοῦ ἐνιαυτοῦ· ὁ γὰρ ἐνιαυτὸς πρὸς τὰς μελλούσας νέας δίδοται, οὐ πρὸς τὰς ἀναληφθῆναι ὀφειλούσας. [quas antea gerebant tutelas, & ob id reliquetunt quod Reip. causa abibant, eas reuersi statim suscipient, neq; eis annus proderit, qui ad futuras nouasque tutelas datur, non ad eas quas recipere debent.]Extat quoq; Imp. Gordiani rescriptum non dissi-
7 mile, his verbis[i]; Certum est eos qui Reip. causa abesse desierũt, ab omni noua tutela anuo vacare
8 debere. Et hoc quidẽ tẽpus vacationis, quod datur ijs qui Reip. causa abfuetunt, scribit Neratius[k], non ex eo die numerandum esse, quo quis abesse desijt, sed cum laxamento quodã itineris. Si quis tamẽ plus iusto tempore in itinere hæserit, ex eo tempore vacationis diem incipere ei cedere, quo iter ex commodo peragere potuisset. Sic etiã Modestinus, ἐνιαυτὸς (inquit) συναριθμεῖται ἡμερῶν ἐξ ὅτου ἐπανῆλθεν ἢ ὤφειλεν ἐπανελθεῖν ..., οὐχὶ τὴν ἐκ περιόδου. [annus continuorum dierum accipiendus est, ex quo vel reuersus est, vel reuerti debuit recta via redeundo, non si circuitione vsus sit.] ¶ *Potestatem aliquam.*] Hoc est. publicum aliquem magistratum, etiam municipalem.
9 Apud Modestinũ excusari dicuntur, οἱ στρατηγοὶ τῶν πόλεων. Quos rectè interpretamur magistratus municipales. Interim fatemur quod Vlpianus respõdit[l], propter magistratum, quem quis in municipio erat administraturus, tutelæ excusationem non habere. Sed aliud est loqui de futuro magistratu, aliud de eo. qui in magistratu est. Sed & prouinciarum Præfecturã veluti Asiæ, Bithyniæ, Cappadociæ tribuisse excusationem testatur Modestinus[m], saltem quandiu administratio duraret; ait enim, ἐθναρχία παρέχει ἀλειτουργησίαν ἀπὸ ἐπιτροπῶν, τουτέστιν, ἕως ἂν ἄρχῃ. Sanè Ædilitas non habes à
10 tutelis excusationem, quamuis habeat à priuatis muneribus[n]. Sed nec solus honor vel dignitas sine alicuius publicæ administrationis onere & cura, tribuit excusationem. Sic accipio quod Modestinus ait[o], εἰδέναι δεῖ ὅτι ἀξίωμα οὐδενὶ παρέξει παραίτησιν. [Scire oportet, dignitatem nemini præbere excusationem.] ¶ *Vt Diuus Marcus rescripsit.*] Non puto extare hoc rescriptum. Sed extat simile responsum Callistrati[p], in hæc verba: Sanè notum est, quod gerentibus honorem, vacationem tutelarum concedi placuit. vacare autem eos, qui tunc primùm vocentur ad suscipiendum officium tutelæ. Cæterùm eos, qui iam se miscuerunt administrationi: nec tempore quidem magistratus vacare. Quod attinet ad posteriorem hanc partem, de non deponendis tutelis iam susceptis, addi potest quod Vlpianus[a] scribit, Curatorem quẽdam Saluianum perperam fuisse à quodam indocto Prætore excusatum propter vrbicam procurationem, quam postea fuerat adeptus: Sed fatetur eos, qui trãs mare absunt Reip. causa, vel circa principem sunt occupati, deponere posse susceptam
11 prius tutelam. Et Papinianus[b] scribit, Iurisperitos, qui tutelam gerere cœperunt, in consiliũ principum assumptos excusari: quoniam circa latus eorum agerent, & honor delatus finem certi temporis ac loci non haberet. Sanè Anastasius[c], Silentiarios circa latus principis militantes à tutelis excusari, generaliter ait. Et addit generalem rationem Iustinianus[d]; absurdum fore eos cogi, administrationẽ alienatum rerũ subire, qui propter Reip. ministeria vix suis superesse possunt. ¶ *Item propter litem.*] Videtur hic locus descriptus ex responso Martiani, cuius verba sunt[e] hæc; Propter litem, quam quis cum pupillo habet, excusare se à tutela non potest: nisi forte de omnibus bonis,
12 aut plurima parte eorũ controuersia sit. Verùm hodie nouo iure hæc causa non tam excusat, quàm omnino remouet à tutela. Nam Iustinianus in Nou. sua Constit. 72. non vult debitorem vel creditorem pupilli, aut qui cum eo vllam litem habet, eius tutorem esse. ¶ *Tutor habet.*] Sed & si tutoris
13 frater aut soror habuisset litem cum pupillo, erat excusatio, ne tutelæ occasione quis cogeretur aduersus rationem humanitatis, actionum necessitates cõtra suos suscipere, vt est in rescripto Impp.
14 Diocletiani & Maximiani[f]. ¶ *Item tria.*] Imo vnius tutelæ onus tam graue esse potest, vt sufficiat
15 ad excusationem: vt si tam difficilis & negociosa sit tutela, vt pro pluribus cedat, quemadmodum
16 respondit Paulus[g]. ¶ *Onera.*] Honorariæ ergo tutelæ non numerantur, cùm non habeant onus, saltem administrationis. Periculum autem quod ex alterius administratione pendet, non numeratur: ideoq; nec magistratus, qui tutorem dedit, nec fideiussor tutoris, potest id computare ad excusationem, vt eleganter docet Paulus. Breuius autem Modestinus[h]: ἐὰν ὁ τῆς πόλεως ἄρχων, τουτέστιν στρατηγὸς, διὰ τὸ τιθέμενος αὐτὸς τῆς χειροτονίας ὑπόδικος γένηται κινδύνῳ ἐπιτροπῆς, ταύτην οὐ συναριθμήσει ἄλλαις ἐπιτροπαῖς, ὥσπερ οὐδὲ ὁ ἐγγυησάμενος ἐπίτροπον, ἀλλ' οὐδὲ οἱ κατὰ τιμὴν ἐπίτροποι χαθέντες. [Magistratus municipalis, hoc est, στρατηγὸς, si ob creationem tutoris obligatus sit tutelæ periculo, eam tutelam cum alijs non computat, quemadmodum neq; fideiussor tutoris, neque tutor honorarius.] ¶ *Tutela.*] Inter has tutelas poterit pater numerare tutelam filij sui emancipati[i].

¶ *Non adfectata.*] Inquit Modestinus, ἴσ' ὅτι καὶ ὁ τρεῖς ἔχων ἐπιτροπὰς, οὐκ ἔχει δὶς ἀφίεσθαι

ἀφίεσθαι,

a dict. l. administrantes, §. eorũ. de excusa.
b L. procuratores. C. de excusat. mu.
c L. item ij. l. & qui data. L. Reip. l. non verè dicitur. D. ex quibus cau. maio.
d L. Geometræ. De excus.
e L. 1. C. si tut. vel cu. Reip. cau. ab.
f L. verũ. §. ex facto. De minor.
g dict. l. 1. C. si tut. vel cur. Reip. cau ab.
h L. ἐὰν μόνον. de excus.
i L. 2. C. si tut. vel cu. Reip cau. ab.
k L. 4. de vaca. mun.
l L. propter magistratum. de excusat.
m L. καὶ δύο. §. penul. de excus.
n L. nõ tantũ. §. 1. & qui ædilitate. De excus.
o L. ἀδέλφων. §. 1. de excusat.
p dict. l. non tantum. §. pen.
a L. verũ. §. ex facto. De minor.
b L. Iurisperitos. De excusat.
c L. vlt. C. de excusat. tut.
d L. vl. C. de silentia.
e L. propter litem. De excusat.
f L. humanitatis. C. de excusat. tutor.
g L. si u qui tres. §. vl. De excusat.
h dict. l. ἀδέλφων.
i dict. l. ἀδέλφων. §. item Vlpianus.

ἀφιλοτίμως, ὅτι ἑαυτοὺς ἐπὶ τὸ δ᾽ ἐκεῖνα ἐνεδίξαντο. Scilicet non videtur esse oneri, quod vltro captatum est: nec 17
causari possumus esse graue, quod ipsi cupidè ambiuimus. Certè nõ fauetur, nec quicquam indul-
getur negocijs affectatis. Ideò nec Reip. causa dicetur abesse, vt excusetur, si affectârit abesse [a]. Neq;
nos excusabit impedimentum ascitum & affectatum, siue cui nos vltrò causam dederimus [b].

¶ *Præstant vacationem.*] Non ipsi modò tutori, sed & eius familiæ. Inquit enim Vlpianus [c]; Tria 18
onera in domo vna esse sufficit. Proinde si pater alicuius, vel filius, vel frater, qui est in eiusdem po-
testate, tria onera sustineat, quæ ad periculum patris sui spectent, quia voluntate eius administrãt:
omnibus excusatio à tutela competit. Eadem continentur & in Græco Modestini responso [d].

¶ *Quandiu administrantur.*] Quarumque administratio videtur duratura aliquo longiori tem-
pore. Cæterùm (inquit Callistratus [e]) si priorum pupillorum ætas prope pubertatem sit, ita vt tan-
tummodo semestre tempus reliquum fuerit: aut eorum, quorum suscipere tutelam cogitur: non
dabitur excusatio Porrò etsi tertia tutela non administretur, sed prouocatione sit suspẽsa: interim 19
non poterit addi quarta, vt docet Modestinus [f], qui allegat constitutionem Seueri & Antonini, μὴ
δύνασθαι τετάρτην προσχειρίζεσθαι τὸν ἀπὸ τῆς τρίτης ἐκκλήτου ἀνηρτημένον.

¶ *Vt tamen.*] Vlpiani est hæc moderatio. Is enim respondit [g], tria onera sic accipienda esse, vt 20
non numerus pupillorum plures tutelas faciat, sed patrimoniorum separatio: & ideò eum, qui tri-
bus fratribus tutor datus est, qui indiuisum patrimonium habent, vnam tutelam suscepisse vide-
ri. Sic etiam Paulus [h] scribit, non esse plurium loco habendos fratres, si idem patrimonium habẽt,
& ratio administrationis pariter redigenda est. Ex diuerso autem plures esse tutelas fratrum diui-
so patrimonio. Non enim numerum pupillorum, sed difficultatem rationum conficiendarum, &
reddendarum, considerandam esse.

a L. et qui data. D. ex quib. cau. maio.
b L. 2. §. vlt. D. si quis caut. l. 2. §. subuenitur. D. ad S C. Silla.
c L. tria onera in domo. De excusat.
d L. 4. §. vl. D. illo tit.
e L. non tantum. D. illo tit.
f. dict. l. 4.
g L. 3. D. illo tit.
h L. fiu qui tres. §. vl. D. illo tit.

§. Sed & propter.

1 *Paupertas oneri tutelæ impar, cur tribuat vacationem.*
2 *Valetudo cur excuset à tutela.*
3 *Quot à valetudine sumantur excusationes.*
4 *Podagra an prosit ad personalium munerum excusationem.*
5 *Tutelam obire non debent, qui cum incommodo pupilli obituri sunt.*
6 *Valetudo tam à suscepta quàm à noua tutela excusat.*
7 *Litteras nescire quid?*
8 *Litterarum inscitia quatenus à tutela excuset.*
9 *Prudentia gerẽdorum negociorum ex ipso rerum vsu & foro comparatur.*
10 *Propter inimicitias ad munera ciuilia creatus non tenetur.*
11 *Si Magistratus tutorem propter inimicitias dederit, quid iuris?*
12 *Promittens se tutorem fore, non debet promissum officium deserere.*
13 *Ignotum fuisse patri pupillorum à tutela non excusat.*
14 *Ignotus quotupliciter quis dicatur?*
15 *Inimicus esse, et, propter inimicitias tutor dari, quid differant.*
16 *Filij non sint paternæ simultatis successores.*
17 *Procurator, Iudex, Arbiter, Tutor, inimici facti, reijciuntur.*
18 *Discordia fieri cariorem concordiam.*
19 *Amicorum reconciliatorum exempla.*
20 *Qui statim pupillo controuersiam mouet, excusatur à tutela.*
21 *Aetas excusat à tutela.*
22 *Maiores 55. annis ad munera personalia non vocantur inuiti.*
23 *Senectus olim Romæ venerabilis.*
24 *Senes à corporis vexatione, non à pecuniæ erogatione sunt immunes.*
25 *Ad honores & munera quæ iusta sit ætas.*
26 *Leges annales apud Cic.*
27 *Militia præbet immunitatem à tutela.*
28 *Ecclesiastæ non admittuntur ad tutelas, nisi ad legitimas propinquorum.*
29 *Chalcedonensis Synodi decreta sub Martiano Imp.*
30 *Cyprianus prohibuit gerere tutelam presbyteros.*
31 *Iudæi olim ad tutelas cæteráque munera admittebantur.*
32 *Veterani cõmilitonum suorum pupillis dari possunt tutores.*
33 *Miles etsi tutor fieri non possit, cur tamen legati, tutelæ nemine relicti, capax sit.*
34 *Philosophi vacationem habent à tutela & cura, sed non à muneribus patrimoniorum.*
35 *Vanæ philosophorum disputationes nullo fauore digna.*
36 *Philosophi tum à Romanis olim, tum ab Antiocho rege proscripti.*
37 *Grammaticorum priuilegia & præstantia.*
38 *Luctatius Daphnis, Grammaticus 200000. numûm emptus à Q. Catulo.*
39 *L. Apuleius Grammaticus quanti conductus.*
40 *Iulius Cæsar ciuitate donauit Professores artium liberalium.*
41 *Vespasiani & Antonini Pij liberalitas in Rhetores & artium opt. professores.*
42 *Quales Rhetores vrbe eiecti à Censoribus.*
43 *Poëtas nulla immunitatis prærogatiua iuuari.*
44 *Medici præcipuè à muneribus ciuilibus cur excusentur.*
45 *Medicorum olim stipendia qualia?*
46 *Roma olim medicis caruit.*
47 *Occidens medicum, cur leuiter olim multatus.*
48 *Iurisprudentia magis vocat ad tutelam quàm ab ea excuset.*
49 *Singularis eruditio singulare ius consequitur.*
50 *Numerus doctorum præstitutus ab Antonino Pio quis?*
51 *ὀψιμαθεῖς qui?*

¶ Sed &

¶ *Sed & propter paupertatem.*]Hic locos descriptus est ex responso Vlpiani [a]. Eodemque perti-
1 net, quod Paulus ait [b]; Paupertatem, quæ operi & oneri tutelæ impar est, tribuere vacationem. Vi-
detur autem impar oneri iniuncto, qui totus occupatur, vt sibi suisque victum quæritet. Et quan-
quam hæc paupertatis iusta esse possit ratio, cur à pupillo præstentur alimẽtorum sumptus [c] (nam
& naturali ratione cibariorum impensæ ad eum pertinent, qui vteodum accepit [d]) Tamen id non
fuerit satis, cur miser tutor pendeat ab alieno nutu. nec sibi suisque prospicere possit. Nec etiã opus
est ooerare pupillum educatione pauperis tutoris.

¶ *Item propter aduersam valetudinem.*] Hic locus descriptus est ex responso Vlpiani, quod refert
2 Modestinus [e]. Et huc pertioet quod idem Vlpianus generaliter respondit [f]; corporis debilitatem,
eorum munerum excusationem præstare, quæ corpore sunt implenda. Vnde & hoc nomine arbi-
ter excusatur à sententia dicunda [g]. Item & Iudex [h]. Est etiam hęc iusta excusatio vadimonij deser-
3 ti [i]: & alienationis mutandi iudicij causa [k] factę: & longioris moræ, eius qui Reip. causa abest [l]. Sed
& emansorem militem excusat afflictæ valetudinis ratio [m]. ¶ *Propter quam ne suis quidem negocijs.*]
Vnde rescripserunt Impp. Diocletianus & Maximianus [n]; Podagræ quidem valetudinem non
4 prodesse ad personalium munerum excusationem: sed si quis ita se valetudine pedum afflictum
probet, vt rebus proprijs interesse commodè non possit excusari. Huc quoqoe pertinet, quod no-
ster Tryphonius ait [o]; Si tanta corporis aut mentis valetudine ab agẽdis rebus libertus prohibea-
tur, vt ne suis quidem negocijs sufficiat: necessitati erit succurrendum: ne impossibile ei inionga-
tur tutelæ munus, quod obiri à liberto non possit, nisi cum incommodo pupilli, & aduersus vtili-
5 tatem eius. Porrò cùm agitur de excusatione, valetudinarijs solent, tanquam sint in eadem causa,
coniungi [p], cæcus, mutus, surdus, furiosus. ¶ *Excusatio locum habet.*] Non modò à noua tutela, sed
6 & ab ea, quę iam suscepta est [a]. Excusatio autem vel perpetua est, vel ad tempus, prout valetudo est,
inquit Vlpianus [b].

¶ *Qui literas nesciunt.*] Sunt qui putant de ijs propriè hîc agi, qui legere aut scribere non didi-
7 cere: quia Latinis id significet literas nescire. Sicuti & Paulus [c] cùm agit de ijs, qui se inscribere de-
bent, ait; si quis literas nesciat, alium pro eo subscripturum. Et Vlpianus eos qui prima elementa
docent, literas docere ait. ¶ *Quamuis & imperiti literarum possint.*]Sed tamen eorum, qui literas ne-
8 sciunt, excusatio non aliter recipietur, quàm si doceant se quoque imperitos esse negociorum ad-
ministrandorum. Nam responsum est [d], eius, qui se negat literas scire, excusationem accipi nõ de-
9 bere, si modò expers non sit negociorum. Prudentiam autem negociorum administrandorũ ple-
runqoe rectius ex ipso rerum vsu, & foro, quàm ex libris vel ocioso studio colligi constat. Atq; hæc
quidem rerum peritia diligentius tuetur rem familiarem, & rectius administrat œconomiam,
quàm vlla philosophorum vmbratilis sapientia. Notum est illud Ciceronis in Officijs; De re fami-
liari, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de vtenda, commodiûs à quibosdam optimis vi-
ris ad Ianom medium sedentibus, quàm ab vllis philosophis vlla in schola disputatur. Ergo nos
fortassis non ineptè & illud dicemus, negociorũ imperitos excusari, quamuis literarum non sint
imperiti.

¶ *Si propter inimicitias*] Extat Imp. Alexandri rescriptum [e]; Si propter inimicitias ad munera
10 ciuilia creatus es: hanc tibi nominationem non nocere. Præsidis æquitas facit: cùm & publicæ vti-
litatis intersit, non ex inimicitia creationes fieri. sed æstimatione vera & commodo Reipub. Sed &
cùm tutor quærendus sit iudicio. non odio: nõ debet esse rata datio, si quis tutorem scribat, vt eum
implicet periculo negociorum, quæ fortassis eo nomine, dolo malo relinquit intricatiora, magis
solicitus, vt opprimat aduersarium his clancularijs insidijs, quàm vt liberorum tutelæ prospiciat.
Et sanè durum foret, aliquem inuitũ eò necessitatis adigi, vt cogatur tractare tam periculosæ ple-
oum opus aleæ, & quasi incedere per ignes suppositos cineri doloso, vt verbis Flacci vtar. ¶ *Pater*
11 *dederit.*] Quod si magistratus dederit, fortassis vt redimeretur hæc iniuria: seueriter puniri iube-
tur [f]. nam etiam teoetur lege Iulia repetundarum [g]. ¶ *Hoc ipsum.*]Hoc est hæc improba datio, &
scelestum consilium, tutorem non alia ratione scribentis, quàm vt eum implicet oneribus tutelæ.
Omnino enim datur excusatio, cùm (vt ait Modestinus [h]) διὰ τοῦτο δοκεῖ δεδόσθαι ἐπίτροπος, ἵνα ὑποβλη-
θῇ ζημίαις καὶ πράγμασιν. [ob id ipsum videtur datus esse tutor, vt subijciatur damno atq; negocijs.]

¶ *Sicut per contrarium.*]Quasi dicat Iustinianus; fit aliquando, vt vbi nulla alioquin est excusa-
tionis ratio, tribuat tamen excusationem solus animus, & consilium dantis tutorem: vt si det pro-
pter inimicitias: Quemadmodum per contrarium fit aliquando, vt quantumuis iustam excusa-
tionem quis habeat, eam tamen obtendere non possit: vt si promiserit parenti se tutorẽ fore. Neq;
12 enim debet promissum officium deserere [i], fidemque fallere [k], & tam pupillum quàm patrem lu-
dificarier. Respondit itaque optimè Modestinos [l] (ex quo hic locus est desumptus) ὁ τῷ πατρὶ ἐπαγ-
γειλάμενος ἐπιτροπεύσειν τῶν παίδων, ὀφείλει πάντως τῆς ἐπιτροπῆς μὴ λύεσθαι, κἂν ἄλλως ἔχῃ δίκαια ἀφέσεως. [qui
patri pupillorum promisit se futurũ tutorem. excusare se hac tutela nõ potest, quamuis aliâs excu-
sare se iure possit.] ¶ *Promiserant.*]Vnde & qui se in testamento tutorẽ scripsit, si etiam nitatur ma-
nifesta patris volũtate, quę liberet eum omni suspicione: omnino tutorem fore ait Papinianus [m]:
nec admittendam excusationẽ, quam iure publico habebat quoniam promisisse videatur. ¶ *Non*
13 *esse admittendam excusationem.*]Nã si legitimus sit tutor, saltem moueri debet naturali coniunctione
sanguinis: Si Attilianus, saltẽ non est ignotus iudici, qui eum delegit: Si testamentarius, quãquam
fortassis non cognouerit testatorem, & ipsi de facie fuerit ignotus: tamen cùm hominis proprium
sit hominem beneficio afficere [n], non est illud satis ad denegãda humanitatis officia, & elu-
dendam

a L. paupert. D. illo tit.
b L. post susceptam. §. 1. D. illo tit.
c L. 1. §. si pupillus. De tute & rat. distrah.
d L. in rebus. § possũt. D. Commod.
e L. si Nou. §. vlt. De excusat.
f L. 2. §. corporis. De vacat. mun.
g L. licet autem, cum l. seq. De arbit.
h L. si lõgius. de iudic.
i L. 2. § si quis in iudicio. D si quis caut.
k L. 4. §. si quis aũt. De alie. iud. mu. cau. fac.
l L. sicut in prouincia, in fin. D. ex quib. caus. maio.
m L. 4. §. vl. de re mi.
n L. 3. C. qui morbo se exc.
o L. pen. §. vl. de excu.
p L. post susceptã. De ex us. l. vnica. C. qui mor. se excus. L. 1. & 2. C. qui mor. se excusat.
a L. & non tantum. l. post susceptã. de excu.
b L. idẽ Vlpianus. D. illo tit.
c L. libellorũ. de acca.
d L. lai δύο. §. vlt. D. illo tit.
e L. vnica. C. si propt. inimic. creat. fac. sit.
f L. seueriter. C. de excusat.
g L. 3. & 4. D. ad l. Iul. repetun.
h dict. l. lai δύο. §. pe.
i L. si quis alicui. §. qui suscepit. D mandat.
k L. 1. De const. pec.
l L. ἐστὰ δορτ. de excusat.
m L. ex sententia. de testam. tutel.
n L. seruum ea lege. de ser. expor.

dendam boni testatoris fiduciam, qui probitatis fama impulsus hunc delegit, cuius fidem tot mo
a §. vl. inf. de hæred. instit.
dis collaudari, & vno omnium ore prædicari audiebat. Et sanè si hæres scriptus eo nomine repelli
non potest, quòd fuerit ignotus testatori [a]: cur aliquis hoc prætextu à se repelleret onus deman-
datæ tutelæ? ¶ *Qui hoc solo vtitur.*] Quod si adijceret sibi esse ideo ignotum testatorem, quòd in a-
lia ciuitate habeat domicilium: possit excusari, non tam quòd ignotus fuerit, quàm quòd alibi do
b L. De excusat.
micilium habeat [b]. ¶ *Quod ignotus patri.*] Si hic agatur de tutore testamentario, ignotum intelli-
gemus de facie, sed cuius alioquin fides & probitas satis fuerit nota testatori, cùm hunc elegerit. 14
c L. ὁ φάσκων. D. illo tit.
Apud Modestinum [c] agitur de quocunque tutore, qui se dicit ignotum patri, ὁ φάσκων (inquit) ἑαυ-
τὸν ἀγνοεῖσθαι τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρὶ ὀρφανοῦ, οὐ διὰ τοῦτο ἀφεθήσεται. [is qui se ignotum esse dicit patri aut
matri pupilli, ea de causa liberandus non est.]

¶ *Inimicitia.*] Dictum est, eum, qui propter inimicitias datus est, excusari: Nunc Iustinia-
nus addit, & eum excusari, cui intercessit cũ testatore capitalis simultas. Potest quis inimicus esse,
d L. καὶ δύο. §. pen. D. illo tit.
non tamen propter inimicitias tutor datus. Ideo hæc discerni debent. Modestini locus [d], qui huic 15
respõdet, videtur nonnihil corruptus, saltem obscurus: nec Græcum exemplar mihi facit satis. Sed
vtut sit, Certè hodie tutores Christiani nõ debent hoc nomine distrahi ab humanitatis officijs: sed
potius meminisse, mortales esse debere inimicitias; nec filios esse paternæ simultatis successores.
Vt autem tutores ipsi suam operam non debent recusare: ita magistratus prouidebit, ne temerè pu 16
pillum committat inimico. Repellitur procurator etiam post litem cõtestatam, si inimicus factus
e L. vel exilio. De procurat.
fuerit [e]: & reijcitur eodem nomine iudex, aut arbiter [f]. Fortassis intererit ex eadem causa tutorem 17
f L. nõ distinguemus. §. cum quidam. de recep. arbi.
aliquando non recipere, etiamsi sese non excuset. ¶ *Nec reconciliatio interuenerit.*] Quæ videlicet
gratiam sarserit, & simultatem sempiterna deleuerit obliuione. Nota est Thrasybuli ἀμνηστία. Et
quanquam amico reconciliato non temerè esse fidendum multi clament: multa tamen exempla 18
nos admonent; discordiã interdum fieri chariorem concordiam: & ex reconciliatione firmiorem
nasci amicitiam. Romanæ historiæ commemorant exempla P. Africani, & Tib. Gracchi: item Æ- 19
milij Lepidi, & Fuluij Flacci: Pompeij item, & Crassi.

g dict. § pen.
¶ *Item is, qui status controuersiam.*] Depender id ex superiori. E diuerso quoque Modestinus [g]
scribit, tribui excusationem à tutela, ei, qui status controuersiam pupillo mouit, dum ne id fictè, 20
sed bona fide faciat.

¶ *Maior est septuaginta annis.*] Qui annum septuagesimum excesserit, non modò intra tempora
h L. 2. de excusat.
excusationum, sed iam eo ipso tempore, quo datio rata est, vt scribit Modestinus [h]. Sed & Vlpia- 21
i L. 3. de iure immu.
nus [i], Maiores (inquit) septuaginta annis, à tutelis & muneribus vacant, sed qui ingressus est se-
ptuagesimum annum, nondum egressus, hac vacatione non vtetur: quia non videtur maior esse
septuaginta annis, qui annum agit septuagesimum. Porrò interdum habetur ratio annorũ quin-
quaginta quinque: vt videlicet, qui eius ætatis sunt, non vocentur inuiti ad honorem decuriona-
k L. 2. §. vlt. de decur.
tus [k]. Sic rescripserunt Impp. Diocletianus & Maximianus [l], manifesti iuris esse, maiores quinqua 22
l L. vl. C. qui æta. vel profess. se exc.
gintaquinque annis inuitos ad munera personalia vocari non posse. Cato apud Tullium de Sene-
ctute loquens, & Legibus (inquit) & institutis, vacat ætas nostra muneribus ijs, quæ non possunt
m L. semper. De iure immu.
sine viribus sustineri. Et Callistratus noster respondit [m], Semper in ciuitate Romana Senectutem 23
venerabilem fuisse: Sed tamen priuilegio ætatis non omnino excusari, si non tam corporis habeat
vexationem, quàm pecuniæ erogationem, indicti muneris administratio. Scilicet à muneribus 24
n L. sunt munera. De vacat. mun.
patrimonialibus, neque numerus liberorum, neque ætas, neque militia tribuit excusationem [n].
Imò verò par est senes liberalius obire hæc onera, cùm ijs, quibus minus superest viæ, minus opus
sit viatico. ¶ *Olim quidem excusabantur.*] Hoc verbum indicat, saltẽ volentes fuisse admissos: quod
& verum est, præterquam in tutela fiduciaria. nam ad eius administrationem veteres nominatim
desiderasse ætatem vigintiquinque annis maiorem, suprà dictum est. ¶ *Nostra constitutione prohi-*
o L. vl. C. de legi. tut.
bentur.] Extat hæc adhuc Iustiniani Constitutio [o]. Et sanè olim in vniuersum responderat Vlpia-
p L. ad remp. de mu. & honor.
nus [p], ante vigesimum quintum annum non admitti minores ad munera, quæ non patrimonij 25
q L. 2. §. 1. De vacat. mune.
sunt. Et hanc iustam ætatem in muneribus vel honoribus seruandam, idem alio loco [q] scribit. Ci- 26
cero in 1. Philippica meminit legum annalium: sed non est animus omnia huiusce generis conge-
rere. ¶ *Vt nec pupillus ad legitimam.*] Multo itaq; minus ad alia, in qua tantundem iuris nõ habeat.
Interim fatemur ita testamento dari posse tutorem, vt cùm maior fuerit, incipiat tutelam gerere:
quod & suprà suo loco dictum est.

b L. ab administratione. C. de legat.
¶ *Idem & in milite obseruandum est.*] Scribit Imp. Antoninus [b], religionem sacramenti militem
c L. 4. C. qui dare tut.
eripere ab administratione tutelæ. Et Imp. Philippus rescripsit [c], militiæ armatæ muneribus occu-
patum, neque si legitimus sit, neque si ex testamento datus fuerit, nec alio modo (etsi voluerit) tu- 27
torem vel curatorem fieri posse. Porrò autem, vt non sunt milites auocandi à suis signis & castris: 28
ita nec ministri ecclesiarum. Et ideò Iustinianus cùm aliquando Episcopis permisisset sese à tutela
d L. generaliter. C. de Episc. & cler.
excusare [d]: postea statuit, vt nec volentes admittantur. Nam in Nouel. sua Constit. 123. τοὺς (inquit)
ἐπισκόπους ἐκ μηδενὸς νόμου ἐπιτρόπους ἤ κουράτορας οἱουδήποτε προσώπου γίνεσθαι συγχωροῦμεν. [Episcopos ex nulla lege
tutores cuiuscunq; personæ fieri permittimus.] Diaconis tamen & Presbyteris permisit tutelam
legitimam ex iure cognationis administrare. Idq; videtur Iustinianus hausisse ex decretis Synodi 29
Calchedonensis, quam Martianus Imper. congregauit anno 437. Sanè D. Cyprianus in quadam 30
Epistola ad Diaconos & Presbyteros Furnenses, succẽset cuidam Geminio Victori, qui testamen-
to suo nominasset tutorem Geminium Faustinum presbyterum: & testatur olim in Cõcilio Epi-
scoporum fuisse statutũ, ne quis decedens clericum nominaret ad tutelam vel curam: ac eius, qui
hoc fe-

hoc fecisset, memoriam damnatam. Additque rationem huius decreti, Ne ministerijs ecclesiasti-
cis addicti, occupentur alijs negocijs prophanis. Interim tamen nemo negat admodum pium esse
opus, procurationem & tutelam pupillorum, quos Deus tam solicitè nobis commendat. Ideò &
pagani olim Principes voluerunt tutelam geri etiam à Iudæis & Christianis: iudicantes eorum re- a dict. l. ἀπὸ λόγου.
31 ligionem minimè pollui hoc ciuili munere. Sic enim scribit Modestinus [a] καὶ οἱ Ἰουδαῖοι τῶν μὴ Ἰουδαί-
ων ἐπιτροπεύσουσιν, ὥσπερ καὶ τὰ λοιπὰ λειτουργήσουσιν. αἱ γὰρ διατάξεις ἐκείνοις μόνοις ἀνοχλήτους αὐτοὺς εἶναι κε-
λεύουσιν, δι' ὧν ἡ θρησκεία χραίνεσθαι δοκεῖ. [Iudæi quoq; non Iudęorum tutores erunt, quemadmodum
cętera munera subeunt. Nanque constitutiones eos solutos esse volunt solis illis rebus, per quas re-
ligio eorũ inquinari videatur.] ¶ *Cum milite.*] Quid de veterano, qui militiā solutus est? Certè qui ho-
nestè missus est, vacationē habet a tutelis paganorum pupillorum, si se velit excusare: Sed vnicam
32 saltem tutelam pupilli, qui sui quondam commilitonis filius est, non potest recusare [b]. Additque b L. 2. C. de excusat. veter.
Modestinus [c] rationem: τὸ γὰρ ἰσότιμον τῆς στρατείας ἰσχυρότερον ἐνομίσθη τῆς τῶν παλαιστρατιωτῶν προνομίας. c L. οἱ πάλαι. de excu.
[fortior enim esse creditur eiusdem militię ęqualitas, ipsorum veteranorum priuilegio.] Porrò cui
tādem missioni tribuatur vacatio, & quàm sit varia excusatio pro varia ratione temporis militiæ:
repeti debet ex eodem Modestini responso. ¶ *Ad tutelæ onus.*] Nihilominus tamen admittetur ad
33 emolumentum legati, quod fortè ratione tutelæ est relictum, vt rescripsit Imp. Antoninus [d]. Nam- d L. ab administratione. C. de legat.
que (inquit) ab hac petitione non iustè repellitur, cùm, etiam si vellet tutelam administrare, pro-
hibeatur. Sanè tamen, si quid militi dedissem, vt procurator meus esset: cōdicere potero: cùm pro-
curator esse prohibeatur [e]. ¶ *Admittatur.*] Si tamen per errorem fuerit admissus, & res admini- e L. si militi. C. de cond. ob causam.
strauerit: conuenietur vtili actione negociorum gestorum [f]. f L. 4. C. qui dare tut.
¶ *Item Romæ Grammatici.*] Modestinus [g] (ex cuius responso videtur hic locus descriptus) diser- g L. ἀπὸ δύο. §. περὶ δὲ τῶν φιλοσόφων. de excusat.
tè, ac primo quidem loco meminit Philosophorum: & citat cōstitutionem Diui Pij: ex qua etiam
addit nullum esse præstitutum horum numerum, quòd rari sint qui philosophentur. Deinde sub-
34 ijcit, eos non posse vacationem petere à muneribus patrimoniorum, cùm profiteantur se diuitias
contemnere. εἰ δὲ ἀκριβολογοῖντο περὶ τὴν οὐσίαν, αὐτόθεν ἤδη φανεροὶ γενήσονται μὴ φιλοσοφοῦντες, hoc est, Si ve-
rò contendant de re familiari, & auarè suarum diuitiarum vel possessionum rationem subducant,
iam eo nomine appareret non esse Philosophos. Vetus interpres, cuius hactenus recepta fuit ver-
sio, hunc locum non videtur assecutus, dum ita vertit; *Si autem propriè loquantur de substantia, inde tam
manifesti fiant non philosophantes.* Quis tandem sensus ex ijs verbis posset elici? Sed totam Modesti-
ni sententiam nemo purius extulerit, quàm noster Papinianus, qui respondit [h]; Philosophis, qui h L. in honoribus. §. in philosophis. de vacat. mun.
se frequentes atque vtiles per eandem studiorum sectam contendentibus præbent, tutelas, item
munera corporalia sordida remitti: non ea, quæ sumptibus expediūtur. etenim verè philosophan-
tes pecuniam contemnere, cuius retinendæ cupidine fictam asseuerationem detegerent. Simile
extat Diocletiani rescriptum [i]. Iustinianus autem nullam hîc facit mentionem Philosophorum, i L. professio. C. de muneri b. patri.
quòd iam philosophia degenerasset in futilem sophisticam, & vanas disputationes, non minus
35 bonis disciplinis, quàm Reip. perniciosas, certè indignas vllo publico fauore. Ac sanè iam olim Ro
36 mani vrbe sua eiecerant aliquando Philosophos, hoc est, vanos Sophistas, qui rixis inanibus cor-
rumpebant studia iuuentutis. Et Rex Antiochus olim publico decreto eiusmodi Philosophos ex
omni sua ditione proscripsit: & seuerissimè animaduerti iussit, tum in adolescentes ipsos, qui ita
philosopharentur, tum in parentes, qui id permitterent. ¶ *Grammatici.*] Qui scilicet diligenter
docent illam Grammaticam, pueris necessariam, senibus iucundam: quæque sola in omni studio-
rum genere, plus habeat operis & vtilitatis, quàm ostentationis, vt scribit Fabius Proinde & Cęsa-
res huius professionem retulerunt inter grauissimas disciplinas Reip. necessarias, & ijsdem hono-
37 ribus affecerūt [k]. Cæterùm magistelli illi abecedarij, qui pueros primis tantū literis imbuunt, nul- k L. 1. C. de profess. vrb. Constan. l. 1. et 2. C. de offic. vicar.
lam habent à muneribus ciuilibus vacationē [l]. Nam vilior eorū opera visa est, quàm vt mereretur
vllam immunitatem. Sed Grammatica maioris est momenti, grauiorisque muneris: & quæ olim l L. vt gradatim. §. vl de mun. & hon. l. 2. §. vltim. De vacat. mune.
etiam Rhetoricam complectebatur. adeò vt Suetonius testetur quosdam à Grammaticorum scho
lis statim transijsse in forum, atque in numerum præstantissimorum patronorum receptos. Initio
quidem, vt scribit idem Suetonius, Romæ Grammatica ne in vsu quidem, nedum in honore vllo
erat: sed postea ita culta fuit, vt temporibus quibusdam in vrbe fuerint plusquam viginti celebres
38 Grammaticorum scholæ: & eorum tanta precia & mercedes tam magnæ, vt Luctatius Daphnis
Grammaticus seruus ducentis millibus numûm emptus fuerit à Q. Catulo. ac traditum sit L. A-
puleium ab Eficio Calnino Equite Romano prædiuite, quadringentis annuis cōductum, multos
39 edocuisse. Sed de illustribus Grammaticis legatur libellus Suetonij. ¶ *Rhetores.*] hoc est, Oratores.
Sic enim Paulus ait [m], Philosophi, Oratores, Grammatici, qui publicè iuuenibus prosunt, excu- m L. ἀπὸ δύο. §. philosophi. de excusat.
santur à tutelis. Porrò apud Isocratē Rex Nicocles elegantissima oratione ostendit, quātum sit tri-
40 buendum Rhetoribus. Certè Iulius Cæsar omnes liberalium artium professores ciuitate Romana
donauit. Nempe veteres intellexerunt quantum hi prosint Reip. & quàm intersit, iuuenturem di-
ligenter erudiri, cùm in ea ætate velut herba, sit tota Reip. spes, omnisque vel boni vel mali semi-
41 narium. Itaq; etiam Vespasianus Græcis Latinisq; Rhetoribus annua centena dari constituit: &
Antoninus Pius per omnes prouincias professoribus annua salaria dari curauit. Videntur tamen
42 aliquando Romani fuisse Rhetoribus iniquiores. Nam Cn. Domitius Ænobarbus, & L. Licinius
Crassus Censores edixerunt, ne in vrbe Rhetores essent. Erant hi fortassis indocti Sophistæ, quorū
43 meritorias linguas vel potius meretricias, non ferebant Romani. De poëtis quid iudicandum sit,
si quis quærat, extat Philippi Imp. constitutio; Poëtas nulla immunitatis prærogatiua iuuari [n]. n L. 3. C. de profess. & med.

¶ *Medici,*

a L. 1. § medicorũ. De var. extraord. cognit.
b L. inter eos. § 1. D. ex quibus cau. ma.

¶ *Medici.*]Et horum quidem iustiorem esse causam, quàm professorum, ait Vlpianus [a], quòd salutis hominum curam agant: & eorum officium publicè prosit, vt inquit Modestinus [b]. Itaque etiam Reip. interest, eos à reliquis munerib. ciuilibus posse feriari: quo magis liceat ijs sedulò præstare, quod profitentur. Ac meretur sanè huius diuinæ artis excellentia omnem immunitatem: testaturque Lucianus in Abdicato, ciuitates illi omnes solitas exhibere (vt eius verbis vtar) *τιμάς, καὶ προεδρίας, καὶ ἀτελείας, καὶ προνομίας.* [honores, & prima quasi subsellia, immunitatesque & priuilegia.] Scribit quoque Plinius lib. 29. Romæ multos celebres medicos annua mercede habuisse à Principibus ducenta & quinquaginta sestertia, hoc est, 6250. aureos coronatos. Sed nescio quo tamẽ mo- 44
do factum est, vt à Romanis culta non fuerit admodum medicina. Eam enim vnam Græcarum artium, non exercuisse Romanam grauitatem, idem Plinius testis est. quinimo scribit populum Rom. medicinæ auidum, expertum demum amasse. Itaq; cauisse medicis ad annum sexcentesi- 45
mum. Certè huius art's curam & meditationem vel Græcis hominibus vel libertis suis aut seruis delegarunt & occidenti medicum, quòd plerunque seruiessent, pœna erat ex constitutionibus nõ 46
valdè magna pecunia. Cùm memoria repeterem, quæ apud Romanos prima lex fuerit de priuilegijs & immunitate medicorum, commodè occurrit, quod Dion lib. 53. narrat, Augustum morbo liberatum opera & arte Antonij Musæ, non solùm huic suo medico, qui libertus erat, dedisse ius aureorum annulorum, sed & immunitatem: nec illi modò, sed & in vniuersum omnibus medicis, & qui tum erant, & qui postea essent. Sic enim Dion loquens de Antonio Musa ait: *τὴν ἀτέλειαν καὶ ἑαυτῷ, καὶ τοῖς ὁμοτέχνοις, οὐχ ὅτι τοῖς τότε οὖσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔπειτα ἐσομένοις ἔλαβεν.* Porrò autẽ Iurisperitorum nulla hic fit mentio: nempe quòd sola Iurisprudentia magis vocet ad tutelam, quàm ab ea excuset: cùm non habeat iustiorem campum, in quo exerceatur, nec quicquam ei magis conueniat, 47
quàm tueri pupillos. Sed si accedat vel publicæ professionis occupatio, vel consilij Principalis: tribuetur excusatio [c]. ¶ *Et intra numerum sunt.*] Addit Modestinus, *καὶ περὶ τὸ ἔργον ὀλιγωροῦντες μὴ ἔχωσιν.* 48

c L. καὶ δύο. § νόμων. l. iurisperitos. de excus.

Vt intelligant artium professores, sese diligẽter & sedulo debere suo muneri vacare, vt ab alijs muneribus vacationem habeant. Sed id commune est, tam ijs, qui Romæ docent, quàm qui in patria. Sanè si qui sint excellentiores, & singularis eruditionis, tribuetur eis singulari iure, vt etiamsi nec 49
intra numerum sint, nec in patria sua doceant, tamen immunitatẽ habeant. Sic enim scribit Modestinus, *τοὺς μέντοι ἄγαν ἐπισήμους, καὶ ὑπὲρ τὸν ἀριθμόν, καὶ ἐν ἀλλοτρίᾳ πατρίδι τὰς διατριβὰς ποιουμένους εἶναι ἀλειτουργήτους.* ¶ *Intra numerum.*] Qui nominatim præstitutus est ab Antonino Pio: nempe vt mi- 50
nores ciuitates habere possint quinque Medicos, & tres tum Rhetores, tum Grammaticos. Maiores ciuitates septem Medicos, & quatuor tum Rhetores, tum Grammaticos. Maximę ciuitates, decem Medicos, & Rhetores quinque, totidemque Grammaticos. ¶ *A tutela vel cura.*]Sicut ab alijs omnibus muneribus publicis [d]: cuiusmodi plurima enumerat Modestinus. Inter cætera autẽ meminit *ἐπισταθμίων*, qua voce intelligimus significari præfecturas mansionum siue statiuorum. Nam *ἐπίσταθμοι* appellabantur, quos Galli vocant *Fouriers*. Sed hic opinor melius cum diphthongo legi *ἐπισταθμείων*, vt significetur necessitas illa militis hospitio recipiendi, à qua liberãtur artium professores. quod Imperator Constantinus [e] statuit, & Theodosius [f], & ante vtrunq; Vespasianus Adrianusque suis rescriptis significarunt [g].

d L. vlt. C. de profess. & medic.
e L. medicos C. de profess. & med.
f dict. l. vltim.
g L. vl. §. vl. de muner. & hon.

§. *Qui autem vult, cum §§. sequent.*

1 *In recusatione tutelæ omnes excusationes proponendæ sunt.*
2 *Temporum ad excusationes constitutorum computatio.*
3 *Dum agitur de vno non currit tempus alterius.*
4 *A reiecta excusatione appellari potest.*
5 *Appellatione pendente non est tutum negligere tutelam.*
6 *A tutela & cura quomodo non appelletur.*
7 *Pupillus probare debet, tutorem cognouisse sibi tutelam esse delatam.*
8 *Dies 50. ad professionem excusationis, menses 4. peragendo negocio constituti.*
9 *Passuum in itinera computatio.*
10 *Excusationes eorum qui sese intra præstituta tempora non sistunt.*
11 *Tutor datus excusare se potest, quatenus in sua prouincia patrimonium pupilli non est.*
12 *Cur tutor pupilli non cogatur eiusdem fieri curator.*
13 *Libertus cogitur fieri patroni liberis curator, quorũ fuerat & tutor.*
14 *In ætate impuberi contrahi possunt sponsalia.*
15 *Maritus esse potest vxoris procurator.*
16 *Bona mulieris Recepticia quæ?*
17 *Maritus dotis dominus.*
18 *Maritus paraphernalium administrator.*
19 *Discrimen inter excusationem mariti, & alios tutores vel curatores datos.*
20 *Suscepta iam cura obstat, ne matrimonium contrahatur.*
21 *Non competentes excusationes dicuntur falsæ.*
22 *Rei ex falsis siue allegationibus siue instrumentis iudicatæ nulla est præscriptio.*

h L. propter litem. § 1. De excusat.

¶ *Qui autem.*]Hic locus ad verbum descriptus est ex responso Martiani [h].

¶ *Alij vti*] Quas proposuerit quidem, sed nondum aggressus sit probare: aut saltem in qua- 1
rum probatione non defecerit. Cæterùm omnes excusationes oportet proponere, vt eis aliquando vtamur. Rectè itaque Modestinus [i] iubet tutorem, *εἰ πολλὰ ἔχει πρὸς παραίτησιν δίκαια, πάντα ὀνομάζειν.* [si multas habet causas excusationis, omnes proponet.]

i L. εἰδέναι. §. pen. De excusat.

¶ *Intra*

2 ¶ *Intra tempora constituta.*] Quinquaginta dies constituti sunt contestandis & proponendis *a L. quinquaginta. de*
excusationum causis: quatuor verò menses peragendo negocio, vt scribit Paulus [a]. Sed hæc tem- *excusat.*
pora currũt etiam interim dum vnam solam excusationis speciem persequimur: quia liberum sit *b L. denũciasse. §. qua*
omnes simul persequi. Cæterùm vbi plura competerent iura, de quibus simul agi non posset: inte- *re. l. quinquenniũ. D.*
3 rim dum agitur de vno, non curret alterius tempus [b]. Vnde & interim dum testamentum accuso *ad leg. Iul. de adult.*
falsi, non effluet mihi tempus petendæ bonorum possessionis [c]. Et interim dum contendo testa- *c L. cum quidam. De bon. poss.*
mentum esse nullum, non curret tempus querelæ inofficiosi [d]. *d L. cõtra maiores. C. de inoff. testam.*
¶ *Qui excusare se volunt.*] Qui verò iam sese excusarint, hoc est, causas excusationis proposuerint: *e dict. L. ο Δίνας.*
4 si non recipiantur, prouocare possunt, si existiment suam excusationem iniuria reijci. Sic Mode-
stinus [e] inquit, κατὰ μέρος τῆς ψήφου ἐκβαλλομένων αὐτοῖς τὰς ἐξουσιασίας, ἄλλως ἀνάγκην ἐπιτροπεῦσαι. Et sa-
nè nisi prouocauerint, cogentur omnino esse tutores [f]. Interim autem dum hoc iudicium pende- *f L. 3. l. quinquagin-ta. C. de excusat. tut.*
5 bit, non est tutum negligere tutelam. Nam (inquit Vlpianus [g]) Tutor vel curator, cuius iniusta ap *g L. tutor vel cura-*
pellatio pronunciata fuerit, erit obligatus, ex quo accedere ad administrationem debuit. ¶ *Non tor. De admi. tut.*
6 *appellant.*] Ne tum quidem, cùm à iudice dantur. vt eum casum proponamus, cui conuenire posit
prouocatio, si quando ei posset hic esse locus. Primùm itaq; simpliciter proponet suam excusatio-
nem, is qui tutor datus est: nec vereri debet apud eum iudicem proponere, à quo datus est: cùm iu-
dicis non intersit, qui facile potest alium tutorem reperire: & vt non repetiat, ipse nihilominus à
tutela liber est, vel propter publicam suam potestatẽ. In alijs muneribus publicis aliud est. Statim
enim ab ipsa nominatione vel creatione prouocari [h] potest. Nã frustra excusatio proponeretur a- *h L. ciues. l. hi qui. l. si adscribatũ. de appel.*
pud eos ipsos creationis autores: præcipuè cùm ad eos recasura sit necessitas ipsius publici mune-
ris gerendi, si is excusetur, qui nominatus est, nec alius reperiatur. Deinde non temerè fieri solet vl
la nominatio, nisi audito eo, qui nominandus est. quorsum igitur is repeteret excusationes semel
reiectas? At tutor sæpe datur absens & ignorans. Quod si antequam daretur fortè iam suas propo-
suisset excusationes: fortasis non ineptè diceretur, eum statim prouocare posse à datione, in qua
non est habita ratio iustæ excusationis propositæ. ¶ *Ex quo cognouerint.*] Id quoq; nominatim cau-
tum fuisse constitutione Diui Marci, quæ hos quinquaginta dies præstituit proponẽdis exceptio-
17 num causis, testatur Imp. Alexãder [i]. Hoc autem, quod cognouerit tutor, pupillus probare debet [k]. *i L. quinquaginta. C. de excusat. tut.*
Sed ei innotuisse qualitercunq; sufficit [l]. Et si aliquæ essent cõiecturæ, non ignorasse tutorem: ipse *k L. hoc autẽ. de ad-*
si iusta ignoratione sese tueri voluerit, eam probet necesse [m] est. ¶ *Se excusare debent.*] Hoc est, excu- *min. tut.*
sationes suas proponere. Nam hi quinquaginta dies præfiniti sunt solùm ad professionem excu- *l L. 4. §. vlt. de admi. tut.*
8 sationis, vt inquit Imp. Alexander [n]: siue ad contestandas excusationum causas, vt ait Paulus. Per-
agendo verò negocio (vt docet idem Paulus [o]) constituti sunt quatuor menses continui ex die no- *m L. pe. C. de peri. tu.*
minationis, eius nempe, cuius etiam fuerit conscius tutor. vt intelligamus idem esse vtrinsq; tem- *n L. quinquaginta. C. de excusat. tut.*
poris initium. Nam & alioquin absurdissimum foret, excusationis proponendæ tempus durare, *o L. quinquaginta. de*
si de ea amplius cognosci non posset. ¶ *Vel est, qualitercunque dati.*] Testamento, lege, aut à magistra- *excusat.*
tu. Cæterùm si testamento dentur sub conditione (vt dari possunt) hi quinquaginta dies ante con-
ditionis euentum currere non incipient [p]. ¶ *Vltra centesimum lapidem.*] Ab eo loco, vbi tutores dati *p L. pen. §. procedit. de excusat.*
sunt. id enim hîc repetendum est. Cæterùm si centum miliaribus abessent ab eo loco, vbi situm est
patrimonium pupilli: eo fortasis nomine plena tribueretur excusatio [a]. ¶ *Dinumeratione facta vi-* *a L. propter litem. §. pen. l. plane. de excus.*
ginti milium diurnorum.] Scribit in vniuersum Vlpianus [b], Itineri faciundo, viginti milia passuum, *b L. 3. de verb. sign.*
9 in dies singulos peragenda. Sed addit hoc ita esse accipiendum, vt si post hãc dinumerationem mi-
nus quàm viginti milia supersint, integrũ diem occupent: veluti si 21. milia passuum sunt, biduum
tribuetur. ¶ *Et amplius triginta dierum.*] Vt hoc saltem liberum tempus semper tribuatur proponen
dis excusationibus, nec vnquam minus sit: quanquam amplius esse posit. nam si itineri non im-
pendãtur viginti dies: qui supersunt ex quinquaginta, semper indulgentur. ¶ *Vt Scæuola dicebat.*]
Scribit Modestinus [c], hunc Scæuolam, Paulum, & Vlpianum, coryphæos iurisprudentum, tradi- *c L. ο Δίνας. de excus.*
disse hæc ad eum modum obseruari debere, ne cui minus quinquaginta diebus indulgeatur: tum
verò plus, cùm itineri impendendi sunt plusquam viginti dies. nam præterea nihilominus semper
dantur liberi dies triginta. Vt si quis absit quadringentis & quadraginta miliaribus: hic quidẽ iti-
neris nomine habebit dies 22. & præterea triginta ad proponendam excusationem. Porrò autem
hæc temporum præfinitio siue προθεσμία, vt appellat Modestinus, diligenter obseruanda est. nam
10 alioquin non auditur, qui se volet à tutela excusare. Si quis tamẽ propter aduersam valetudinem,
aut aliam similem causam, veluti tempestatis, aut latronũ, sese intra præstituta tempora sistere non
potuerit, venia dignus habebitur, vt docet idem Modestin. Nec est ignotum Vlpiani responsum [d], *d L. 2. D. si quis caut.*
quo traduntur iustæ deserti vadimonij causæ.
¶ *Datus autem tutor.*] Hic locus truncatè mihi relatus videtur Nam vt huic titulo propriè con-
ueniat, proponendus erat, vt fuit à Martiano propositus [e], his verbis: Licet tutor datus, ad vniuer- *e L. propter litem. §. pen. De excusat.*
11 sum patrimonium datus est: tamen excusare se potest, ne vltra centesimum lapidem tutelam ge-
rat, nisi in eadem prouincia patrimonium pupilli sit: & ideo illarum rerum dabũt tutores in pro-
uincia Præsides. ¶ *Curator eiusdem fieri non compellitur.*]. Extat Impp. Diocletiani & Maximiani re- *f L. Curator. C. de ex-*
scriptum in hæc verba [f]; Curator adultis nominatus, quorum tutor antea fueras, inuitus in admi- *cusat. tut.*
nistratione teneri non potes. Nos rationem addere possumus ex Papiniano [g]; Cùm satis abunde- *g L. tutores. §. qui se*
que sit, vel in vna specie, per amici laborẽ domino consuli. Nam & ipsi Diocletianus & Maximia. *negocijs de admi. tu.*
in quodam responso ad eundem modum inquiunt [h]: Satis abundeque sufficit, si cui vel in paucis *h L. tutori. C. de nego. gest.*
13 amici labore consulatur. Liberti tamen hac excusatione non vtentur. Nam patroni vel patronæ *i L. libertos. C. de ex-*
liberis etiam inuiti curatores dari possunt, licet eorum fuerint tutores [i]. *cusat. tut.*

N ¶ *In tantum*

¶ *In tantum vt licet.*] Imò etiam licet ita datus, simpliciter miscuerit se tutelæ, nec protestatus
sit de reijcienda cura: nam nihilominus finita tutela, poterit se à cura excusare: ac tunc primùm hæc
excusatio necessaria est, cùm decreto Prætoris vel Præsidis confirmatus curator fuerit, vt respondit
Modestinus [a]. Porrò autem quamuis non cogatur quis inuitus esse curator eius, cui fuit tutor, tamen spe alicuius commodi eo potest [b] allici.

¶ *Curatorem.*] Vel etiam tutorem, si quādo fortè hic tutelæ posit esse locus, vt si sponsus sponsæ impuberi (possunt enim in ætate impuberi & pupillari contrahi sponsalia [c]) datus esset tutor. 14
Procurator autem vxoris esse nō prohibetur maritus [d], præsertim in iudicio, à quo mulier propter
verecundiam arcetur. ¶ *Vxori.*] Hoc est, vxoris bonis receptitijs, quæ videlicet mulier, cùm dorem 15
daret, sibi retinuit, nec ad virū transire aut transmitti passa est [e]. Sic enim Gellius interpretatur lib. 16
17. c. 6. Cæterùm dotem ipsam maritus tractat & administrat vt dominus. Ipsorum quoq; τῶν παραφέρνων, nempe quę mulier vltra dotem dedit, maritus habet administrationem, etiam si non inter- 17 18
cesserit speciale mandatum [f]. Sanè consuetudine moribus vtentium, vxor ita est tota in viri manu
& potestate, vt citra eius autoritatem nihil agere posit, non magis quàm pupillus sine tutore: omniumque eius bonorum maritus plenam habet administrationem. ¶ *Excusare sese posse, licet se
immiscuerit.*] Hic Iustinianus indicat discrimen inter excusationem mariti, & aliorum, qui tu- 19
tores vel curatores esse possunt. Horum enim excusatio quantumuis iusta extinguitur, si ij semel
vltro sese immiscuerint administrationi [g]. Porrò ex his intelligere & illud possumus, maritum
non modò sese excusare posse, sed & omnino cogi, vt alio loco dicitur [h]: simul etiam teneri alium
vxori curatorem petere [i], Ipse autem nullo modo curator vxoris esse potest. Quod prohibitum videtur, quia propter affectum & reuerentiam nihil non vxor marito remitteret, etiam si is pessimè
omnia administrâsset. Eaque etiam fuit ratio, cur inter tutorem, curatorem, eorumque filios, & pupillam prohibitum fuerit matrimonium. Nam & vtrunq; pariter eodem Senatusconsulto continetur [k]. Ergo vt iam contractum matrimonium obstat, ne cura suscipiatur: ita iam suscepta cura 20
obstat, ne matrimonium contrahatur. Nec potest esse cura cum matrimonio, ne hac coniunctione interuertatur rationum redditio.

¶ *Si falsis.*] Alio loco generaliter dictum [l] est non competentibus: vt intelligas hîc etiam com 21
prehendi minus iustas excusationes. ¶ *Allegationibus.*] Idem si iudex pecunia corruptus fuerit [m]:
aut ambitione sit extorta excusationis sententia [n]. ¶ *Non est liberatus.*] Nam illa excusationis sen- 22
tentia, falsis allegationibus extorta, ipso iure nullius est momenti: sicuti & sententia ex falsis instrumentis lata [o]. Ideoque nec vlla est eiusmodi rei iudicatæ præscriptio [p].

a L. Caius. De excusa.
b L. pater Seuerinā. §. conditionum verba. de cond. & demō.
c L. in sponsalibus. De sponsalib.
d L. maritus. C. de procurat.
e L. si ego. § dotis antem. De iure dot.
f L. vlti. C. de pact. conuen.
g L. 2. C. si tut. vel cu.
h L. maritus. C. qui dari tut.
i L. amplissimi. C. qui dari tut.
k L. 1. in fin. C de excusat. tut. l. 1. C. de interd. matri.
l L. 1. C si tut. vel cu.
m L. venales. C. quando prouoc. non est nec.
n L. vl. C. si tutor vel curat.
o l. 1. 2. & 3. C. si ex fal. instru. l. cum precib. C. de prob.
p L. qui agnitu de except.

IN TITVLVM SEQVENTEM

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Vt inuiti non coguntur ad tutelam, ita nec volentes admittuntur, nec admissi feruntur aliqui.*
2 *Frequens olim fuit suspecti iudicium.*
3 *Suspicio in quā animaduertatur iusta sit & grauis.*
4 *Vt Iudex ita & tutor suspectus reijciendus.*
5 *Demosthenes à tutore suo spoliatus 9000. aureorum patrimonio.*
6 *Iustiniani in exponenda suspicione illa methodus.*
7 *Præterum circumstantijs fieri quis dicitur suspectus.*
8 *Tutor ex fraudulenta in rebus pupillaribus conuersatione fit suspectus.*

*VT sunt qui inuiti ad tutelam non coguntur: ita sunt etiam, qui nec volentes admit-
tuntur: vtpote qui non sunt idonei. vt etiam si admissi essent, tamen omnino eos remo- 1
ueri desideraret pupillorum salus. Estque hac in re eo diligentius aduigilandum, quòd
qui maximè suspecti sunt, præcipuè sese ingerant. Verissimum enim est, quod ait Iu-
stinianus Nouel. 72. & nos subinde repetere cogimur,* τοῖς πολλοῖς, ὅσοι βούλονται τὰ τῶν κη-
δευομένων εἰς ἑαυτοὺς ἀθλίως στρέψαι, τὸ πρᾶγμα ἐξ ἐναντίας καὶ ἐπιδρομῆς, ὁ ἐπίτροπος. *Et sanè scribit Vlpia-
nus [a] frequens admodum fuisse hoc suspecti iudicium: sed nescio quomodo nos hodie illud negligimus, 2
cùm tot grassentur suspecti tutores. Porrò licet nonnunquam, vt ait Plautus, suspectus sit etiam qui
noxia caret: tamen iusta suspicio nostram animaduersionem desiderat. Nam & ea est, quæ (vt ait Ci-
cero) improbitatem latentem primum insequitur. Et quamuis ex sola suspicione nemo damnandus [b] 3
sit: tamen ea saltem admonet, ne nos prudentes obijciamus periculo. Neq; hîc sequimur leues & futi-
les coniecturas: sed iustas & graues suspiciones. Certè cùm suspectus iudex reijciatur [c]: mirari non de-
bemus eodem nomine tutorem remoueri: qui non modò crimine, sed & suspicione criminis vacare de- 4
bet. Apud Demosthenem suspectus tutor dici videtur* ἐπισύμνος ἐπίτροπος. *Expertusque est magno
suo malo Demosthenes, quid sit habere tutores improbos: qui cùm septennis Aphobo tutori esset reli-
ctus in opulento patrimonio, nempe quindecim talentûm, hoc est, nouem milium aureorū nostrorum:
ita est ab improbo tutore spoliatus, vt vix ei superfuerit, vnde suis præceptoribus mercedem persol- 5
ueret. Docet autem hoc titulo Iustinianus, vnde suspecti crimen descendat: apud quos iudices exercea-
tur: aduersus quot tutores, à quibus, & ex qua causa intendatur: quæque sit huius indicij vis & ratio. 6*

a L. 1. de suspect. tut.
b L. absentē. de pen.
c L. apertissimè. C. de iudic.

Illud

7 Illud autem in vniuersum semel admonendi sumus, aliquem suspectum fieri varijs modis: idque statuendum esse pro rei, de qua agitur, circumstantijs: at tutorem ex fraudulentain rebus pupillaribus 8 vel callida conuersatione, non autem ex paupertate, suspectum [a] fieri.

a L. si creditores. De priuileg. cred.

De suspectis tutoribus vel curatoribus, Tit. XXVI.



SCIENDVM est, suspecti crimen ex lege duodecim tabularum descendere.

Datum est autem ius remouēdi tutores suspectos, Romæ Prætori, & in Prouincijs Præsidibus earum, & Legato Proconsulis.

Ostendimus, qui possint de suspecto cognoscere: nunc videamus, qui suspecti fieri possint. Et possunt quidem omnes tutores fieri suspecti: siue sint testamentarij, siue non sint, sed alterius generis tutores. Quare & si legitimus fuerit tutor, accusari poterit. Quid si patronus? Adhuc idem erit dicendum: dummodò meminerimus, famæ patroni parcendum esse, licet vt suspectus remotus fuerit.

Consequens est, vt videamus, qui possint suspectos postulare. Et sciendum est, quasi publicam esse hanc accusationem, hoc est, omnibus patere.

Quinimò & mulieres admittūtur ex rescripto Diuorum Seueri & Antonini: sed eæ solæ, quæ pietatis necessitudine ductæ, ad hoc procedunt: vt puta mater, nutrix quoque, & auia: potest & soror. Sed & si qua alia mulier fuerit, quam Prætor propensa pietate intellexerit, sexus verecundiam non egredientem, sed pietate productam, nō sustinere iniuriam pupillorum: admittet eam ad accusationem.

Impuberes non possunt tutores suos suspectos postulare: puberes autem, curatores suos ex consilio necessariorum suspectos possunt arguere: & ita Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

Suspectus autem est, qui non ex fide tutelā gerit, licet soluendo sit, vt Iulianus quoq; scripsit. Sed & antè, quàm incipiat tutelam gerere tutor, posse eum quasi suspectum remoueri, idem Iulianus scripsit, & secundum eum constitutum est.

Suspectus autem remotus, si quidem ob dolum, famosus est: si ob culpā, non æquè.

Si quis autem suspectus postulatur, quoad cognitio finiatur, interdicitur ei administratio, vt Papiniano visum est. Sed si suspecti cognitio suscepta fuerit, posteaque tutor vel curator decesserit, extinguitur suspecti cognitio.

Si quis tutor copiam sui non faciat, vt alimenta pupillo decernantur: cauetur epistola Diuorum Seueri & Antonini, vt in possessionem bonorum eius pupillus mittatur: & quæ mora deteriora futura sunt, dato curatore distrahi iubentur. Ergo, vt suspectus, remoueri poterit, qui non præstat alimenta.

Sed si quis præsens negat propter inopiam alimenta posse decerni: si hoc per mendacium dicat, remittēdum eum esse ad Præfectum vrbi puniendum, placuit; sicut ille remittitur, qui data pecunia ministerium tutelæ adquisierit, vel redemerit. Libertus quoq;, si fraudulenter tutelam filiorum vel nepotum patroni gessisse probetur, ad Præfectum vrbi remittitur puniendus.

Nouissimè autem sciendum est, eos, qui fraudulenter tutelam administrant, etiam si satis offerant, remouendos esse à tutela: quia satisdatio tutoris propositum maleuolum non mutat, sed diutius grassandi in re familiari facultatem prçstat. Suspectum etiam eum putamus, qui moribus talis est, vt suspectus sit.

Enimuerò tutor vel curator, quamuis pauper sit, fidelis tamen & diligens, remouendus non est quasi suspectus.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Suspecti crimen idem est quod criminatio siue accusatio & indicium suspecti.
2 Accusatio suspecti ex L.12.tab.orta est.
3 Corā quibus iudicibus crimen suspecti instituendum.

1 *Suspecti crimen.*] Hoc est, criminationem, siue iudicium, & accusationem. Sic enim Theophilus vertit κατηγορίαν. Et apud Latinos frequēs est in hac significatione verbum criminis, vt apud Ciceronem;

ceronem; Quæratnon solùm qnemadmodum nostro crimini, verumetiam quo pacto suæ con-
a L. si cui crimen. De accus. fessioni posit mederi. Sic Vlpianus [a] ait, accusatores cauere debere, perseueraturos se in crimine
vsq; ad sententiam. ¶ *Ex lege duodecim tabularum.*] Scribit Tullius lib. 3. Officiorum, dolum in tu- 2
tela fuisse vindicatum lege duodecim tabularum. Alia huiusce legis vestigia non reperio. ¶ *Romæ*
Prætori.]Si tamen opus esset aliqua pœna, & grauiori animaduersione, suspectus tutor remitteba- 3
b L. 1. §. itē solent. De offic. Præf. vrb. tur ad Præfectum [b] Vrbi, ad quem pertinebat omnium criminum animaduersio. Prætor autē so-
lùm habebat ius remouendi à tutela: sicuti & legatus Proconsulis. Nam nec is poterat extra ordi-
c L. 1. §. suspecti. D. ad Sen. Turp. nem punire tutorem remotum [c]. ¶ *Legato Proconsulis.*] Seuerus & Antoninus ad Braduam Africæ
Proconsulem rescripserūt in hæc verba [d], Cùm propriam iurisdictionem Legatis tuis dederis: con-
d L. pen. de offic eius cui mand. est iurisd. sequens est, vt etiā de suspectis tutorib. posint cognoscere. Nā & mandata generali iurisdictione,
propter vtilitatē pupillorum, cognitionem quoq; de suspectis tutoribus cōtingere constitutū est.

§. *Ostendimus, cum §§. seq.*

1. *Omnis generis tutores & curatores suspecti postulari possunt.*
2. *Fama patroni quomodo parcendum.*
3. *Prætor vltro potest remouere tutorem.*
4. *Multa delicta prodita vindicantur citra accusationum solennia.*
5. *Publica iudicia quæ dicantur?*
6. *Crimen suspecti quid cum publicis iudicijs commune, quid diuersum habeat.*
7. *Suspecti iudicium intendens, cur se in crimen subscribere non debeat.*
8. *Accusatio sæpe pro actione sumitur.*
9. *Fœmina cur ad iudicium suspecti admittantur.*
10. *Mater nō cogitur omnino suspectos tutores accusare.*
11. *Mulier publicis virorum cœtibus nec agendo nec defendendo misceatur.*
12. *Afrania nostrorum temporum.*
13. *Impuberes, propter iudicij imbecillitatem, non possunt tutores suspectos facere.*
14. *Adolescentia puberi cur patuerint olim publica iudicia.*
15. *Adolescens curatorē habens similis habetur pupillo.*
16. *Necessariorum consilium quatenus sequi debeat adolescens.*
17. *Adolescentis crimen suspecti temerè intēdentis mulcta apud Athenienses.*

¶ *Omnes tutores*]Hoc est, omnis generis tutores. Sed & curatores adolescentum, vel prodigo 1
rum, vel furiosorum, atque adeò ij, qui solam ventris curam bonorumque administrationem ha-
e L. 3. §. nō tantum. de susp. tut. bent [e]. ¶ *Accusari poterit.*]Atque etiam remoueri, si non nisi ob culpam sit accusatus, sic vt remo-
tum nulla sequatur infamia. Nam alioquin potius curator adiungetur [f]. ¶ *Fama patroni parcen-*
f L. si tutor. D. hoc tit. *dum.*]Sic videlicet, vt nec accusator, nec iudex mentionem doli faciat. Tum enim remouebitur si- 2
g L. hæc enim. D. hoc tit. ne vlla infamia [g]. Nec est nouum, vt leges præcipiant, habendam esserationem famæ patroni, vel
parentis, sic vt nulla famosa intendatur aduersus eos actio, aut quæ fraudis dolive habeat vllam
h L. parēs de obseq. à liber. l. non debet. de dolo. l. 4. §. aduersus. de doli ma except. commemorationem [h].

¶ *Consequens est.*] Iustinianus suspecti iudicium ita contexit, vt videatur proponere quandam
imaginem pleni iudicij, quod actore, reo, & iudice constat. Cæterùm hic monendi sumus; Præto- 3
i L. 3. §. præterea. de susp. tut. rem posse vltrò remouere tutorem, etiamsi nullus sit, qui dicat suspectum [i]. Nam & sunt multa de- 4
k L. 1. C. de calum. l. 3. §. vnde quæritur. D. ad leg. Iul. de adult. licta, quæ, si de ijs constat, vindicantur citra solennia accusationum [k]. nempe, quorum atrocitas fa
cit, vt non moretur iudex vindicem accusatorem. Quanquam sanè alioqui non soleat temerè sine
l L. libellorum. § si accusator. De accus. accusatore vlla procedere criminis cognitio: imò, si is deficiat, nec peragi cœpta vel instituta [l].

¶ *Quasi publicam.*] Theophilus hanc voculam, QVASI, omisit. Non videtur tamen ociosè ad-
iecta. Iustinianus ait, publica iudicia dici, quòd omnibus dentur eorum executiones, criminalés- 5
ve accusationes. At suspecti tutoris iudicium non ita omnino publicum dici posse docuit Gillo-
tus. quia nec apud Præfectum vrbi, qui causarum criminalium iudex est, liceat recta hoc iudici-
um intendere: sed tantùm apud Prætorem causarum ciuilium iudicem: & hoc tantum nomine, vt
tutor remoueatur. Sed si Prætor videat proponi eam suspicionis causam, quæ mereatur grauio-
rem pœnam corporis, & animaduersionem: remittet totum negocium ad Præfectum Vrbi. Et a-
pud eum quidem aduersarius tantum aget simpliciter, vt tutor remoueatur suspectus: sic vt quæ
ex hoc iudicio sequitur grauioris pœnę condemnatio, non proficiscatur ex accusatione, sed potius
ex officio iudicis. Ergo hoc iudicium habet quidem hoc commune cum veris iudicijs publicis, 6
quòd eius accusatio pluribus pateat: sed habet hoc diuersum, quòd ciuilis sit quædam, non crimi-
nalis accusatio. Vnde & qui hoc iudicium intendit, se in crimen subscribere non debet, vt nec inci- 7
m L. 1. § suspecti. D. ad Turp. dit in Turpilianum, si ab accusatione destiterit [m]. Nam eius est non criminalis, sed ciuilis semper
n L. vl. de prius del. intentio, quæ inscriptionem non exigit [n]. Solum enim agitur, vt tutor remoueatur, quanquam in
o L. 1. § item solent. de offic. Præf. vrb. eum aliquando grauius animaduertat ex officio iudex [o]: & remotum propter dolum, semper co-
miteturinfamia. ¶ *Accusationem.*]Apud Vlpianum [p] (ex cuius responso hic locus est descriptus) le-
p L. 1. §. consequens. de suspect. tut. gimus, ACTIONEM. Et fortasis conuenit magis huic loco verbum actionis, cùm ciuile sit iudi-
cium suspecti tutoris. Sed nouum non est in iure ciuili, vt accusatio pro actione sumatur. Certè hic 8
agitur non tam de vindicanda tutoris improbitate, quàm de re pupilli, & eius priuato bono: adeò
vt etiam mulieres propter pium affectum admittantur. Illud verò sciēdum est. hoc iudicium non 9
peragi sumptu & impendio pupilli, si quis magis suo nomine, quàm pupilli agit. Quinimo impu-
a L. 1. C. si tut. vel cu. tatur quibusdam, veluti tutoribus, quòd non curarint suspectum [a] remoueri.

¶ *Omnibus*

¶ *Omnibus patere.*] Atque adeò ipsi quoq; tutori iam remoto[a]: vt quomodo tractatus est, ipse alios tractet, & paris delicti parem pœnam esse procuret, si fortè communionem in malis deside-rat. Porrò autem extat etiam apud Platonem de suspecti tutoris populari & quasi publica accusa-tione, non dissimilis lex, his verbis: *ἐὰν δ' ἐπίτροπος ἀμελῶν ἢ κακουργῶν δοκῇ τοῖς οἰκείοις, ἢ καὶ τῶν ἄλλων πολιτῶν, εἰς ταυτὸ ἀγέτω δικαστήριον.*

¶ *Et mulieres.*] Quibus tamen alioquin omnino prohibetur aliquem publico iudicio reum facere[b]: atq; adeò vel simpliciter deferre[c]: vt & pro alio postulare[d], aut procuratoris munus obi-re[e]. Quid multis? ab omnibus ciuilib. aut publicis officijs remotæ sunt[f], & ab omni luce fori. adeò suis pudicitiæ septis contineri debet verecundus hic sexus. Sed tamen fœminis permissum est, iu-dicio agere pro suis, quos vel ætas vel morbus impedit[g]. Id quod est proprie huius loci. ¶ *Vt puta mater.*] Seuerus & Antoninus laudant quodam suo Rescripto[h] Sopatram, quæ cùm tutores filio-rum suorum suspectos faceret, fungeretur munere pietatis. Meminerimus tamen matrem non o-
10 mnino cogi hoc facere[i]: & si non fecerit, non priuari hoc nomine legitima filij intestati successio-ne: quanquam ea priuetur, si tutore iam remoto alium dari non petierit, quod suo loco dicemus.
11 ¶ *Sexus verecundiam.*] Aduersus quam nequid fieret, vetitum fuit; mulieres vel agendo vel defen
12 dendo publicis virorum cœtibus[k] misceri. Notata est olim, & nunc adhuc satis nota impudentia illius Afraniæ quæ per fora volitabat.
13 ¶ *Impuberes.*] Quos omnino vetuit Prætor postulare, propter iudicij vixdum nascentis imbe-cillitatem: multo magis tutorem suspectum facere: eum nec satis intelligant verum officium suo-rum tutorum; & plerunque oderint salutarem seueritatem, amentq; assentationem perniciosam.
¶ *Puberes autem.*] Olim Demosthenes statim atque pubes factus est, iudicio conuenit impro-
14 bum suum tutorem Aphobum. Multo minus mirabimur id apud Romanos licuisse, si meminerimus olim adolescentiæ puberi patuisse publica iudicia ad eloquentiæ tyrocinium, & excitandam animorum indolem, vt testis est Plutarchus in Lucullo. ¶ *Curatores suos.*] Quamuis enim ado-
15 lescens, qui curatorem habet, similis habeatur pupillo[l]: id tamen solum pertinet ad patrimonij administrationem, quæ vtriq; pariter denegatur: non etiam ad ea, quæ pendent ex ætatis pruden-tia: veluti hoc iudicium, quod certè non pertinet ad patrimonij administrationem.
16 ¶ *Consilio.*] Quod scilicet omnino iubentur sequi adolescentes: vt non sit ijs integrum repu-diare honestum propinquorum consilium. Sic enim veteres iudicarunt esse regendos primos illos iuuenilis caloris motus in iudicijs. Quod si hic propinqui recusent adesse adolescenti, iudex erit
17 adeundus. Sanè apud Athenienses adolescens pubes, & iam, vt illi loquebantur, *δοκιμασθεὶς*, [qui virilem togam sumpsisset,] non poterat intendere hanc actionem, nisi periculo pendendæ abso-luto reo sextæ partis sui census, si temerè & iniuria hoc iudicium mouisse iudicaretur.

a L. tutor quoque. De suspect. tutor.
b L. 1. de accusat.
c L. deferre. de iur. fisc.
d L. 1. §. sexum. de postulan.
e L. neque fœmina. de procurat.
f L. 2. de reg. iur.
g L. fœminas. de procurat.
h L. 1. C. de neg. gest.
i L. credendũ. C. qui pet. tut.
k L. maritus. C. de procurat.
l L. si curatorẽ habẽs C. de in int. restit.

§. *Suspectus autem, cum §§. seq.*

1 *Tutor ob cessationem de dolo suspectus fieri potest.*
2 *An ob solam ignauiæ culpam tutor remoueri possit.*
3 *Lata versutia culpa dolo proxima est.*
4 *Tutor, nisi iudex famosam remotionis causam exprimat, non fit infamis.*
5 *Turpe iudicium, Ciceroni quid?*
6 *Iudicia summa æstimationis, Ciceroni quæ?*
7 *In iudicijs, mandati, depositi, &c. ipsa quoque negligentia non caret infamia.*
8 *Rustica simplicitas vel inertia neminem reddit infamem.*
9 *Legitima tutori suspecto aut etiam damnato, nõ admittitur administratio.*
10 *Debitor tutori postulato sciens soluens non liberatur.*
11 *Iusto periculi metu sæpè reo possessio rei controuersa adimitur.*
12 *Simulac tutelæ iudicio locus est, cessat suspecti cognitio.*
13 *Tutor dolo latitans, ac omittens decerni pupillo alimenta, vt suspectus remouetur.*
14 *Prætor pupillis alimenta constituebat, et cur id præsente tutore.*
15 *Pupillus cur in latitantis tutoris bonorum possessionem mittatur.*
16 *Reuelatus dolus tutorem reddit suspectum.*
17 *Ad præfectum vrbi pertinebat omnium criminum cognitio.*
18 *Tutelarum nundinationem cur leges coërceant.*
19 *Præsides cur sine pecuniæ datione mittantur ad officia.*

¶ *Qui non* [illegible]] Alibi dicitur[m], Qui fraudulenter in rebus pupillaribus vel callidè conuersa-tur. *Antequ*[illegible]*t tutelam gerere.*] Postquam tamen iam datus tutor erit. alioquin enim non posset dici rem[illegible] orrò ante administrationem posse tutorem committere, propter quod sit re-
1 mouendus, nemo mirabitur, qui meminerit ipsam cessationem, peccatum esse. Etsi quidem tu-tor sciens hoc sibi munus esse demandatum, cesset; dolo carere non videtur. sed tamen prius iudicio admonebitur, vt tutelã gerat. quod si pertinacius recuset, iam vt suspectus remouebitur[n], non
2 secus atque vbi apparet manifestus dolus[o]. Quod si in cessatione solam ignauiæ culpam deprehendimus: non ideò statim remouebitur, priusquam aliquid cœperit gerere[p]: quanquam vbi cœpit gerere, ob culpam deinde possit remoueri.
3 ¶ *Si quidem ob dolum.*] Vel latam illam versutiæ culpam, quæ dolo proxima esset[q]: vt cùm quis in rebus suis diligens, alienas improbè negligit, quas tamen non minus quàm suas procurare de-beret.

m L. si creditores. De priui. cred.
n L. impuberibus, in fin. de suspect. tut.
o L. 2. C. illo tit.
p L. hæ enim causæ. §. qui nihil gesserunt. D. illo tit.
q L. impuberibus. §. 1. D. illo tit.

beret. Neque enim (inqnit Celsus [a]) fraude caret, qui non eam curam præstat in alienis negocijs,
quæ suscepit tuenda, quam in suis solet. Et hanc quidem culpam à dolo non differre sæpe traditum
est [b]. Porrò tum demum intelligetur ob dolum remotus tutor, vt fiat infamis, cùm hanc ipsam re-
motionis causam iudex expresserit in sua sententia. hoc est, vt ait Papinianus [c], cùm iudicatū com-
plectitur famosam causam remotionis quod etiam dicitur in missione [d] militis. Nec ad rem per-
tinet, si forte iudex potuerit exprimere famosam causam. Si enim nullam expresserit, nullam irro 4
gat infamiam. ¶ *Famosus est.*] Iustinianus infrà tractans de pœna temerè litigantium, cùm docet
ex quibusdam priuatis iudicijs damnatos, ignominiosos fieri, proponit iudicia tutelæ, mandati
depositi. Sic & Tullius in Oratione pro Cecinna scribit, turpe iudiciū dari aduersus eum, qui per 5
tutelam, aut societatem, aut rem mādatam fraudasset aliquem. Idem pro Roscio Comœdo, Si qua
(inquit) sunt iudicia summæ æstimationis, & penè capitis, tria sunt hæc, fiduciæ, tutelæ, societatis. 6
Æquè perniciosum est ac nefarium, fidem frangere, quæ cōtinet vitam: & pupillum fraudare, qui
in tutela est. Quid multis? Illud in vniuersum iure proditum est [e]: Eum, qui de dolo aut fraude da-
mnatur suo nomine, infamia notari: maximè autē si tutelæ iudicio. Verùm hîc notare lubet, quod
cùm ob dolum tantum notetur infamia tutor: in alijs iudicijs veluti mandati, aut depositi, non ca
rere infamia ipsam quoq; negligentiam. Omnino enim infamis fieri dicitur, qui fidem nō seruat. 7
Atqui negligentia hoc fieri potest, non minus quàm dolo. Vt autem istud conijciamus, admonet
nos Tullius in Oratione pro Cecinna, inquiens: In priuatis rebus, si qui rem mandatam, non mo-
dò malitiosius gessisset sui quæstus aut commodi causa, sed etiam neglігentius; eum maiores no-
stri summum admisisse dedecus existimabant, &c. ¶ *Ob culpam.*] Theophilus vertit *ῥᾳθυμίαν.* vt hic
intelligas latam quandam ignauiæ culpam, & socordem negligentiam, quæ dolo careat. Rectè
itaque Vlpianus, Qui (inquit [f]) ob segnitiem, vel rusticitatem, vel inertiam, vel simplicitatem mo 8
tus tutela fuerit in ea causa est, vt integra existimatione abeat.

¶ *Si quis.*] Saltem testamentarius, vel Attilianus tutor. Nam legitimo suspecti postulato non 9
adimetur administratio, quæ nec damnato adimeretur: sed curator adiungetur. ¶ *Interdicitur ad-
ministratio.*] Ipso iure; adeò vt non liberetur debitor, qui huic tutori postulato sciēs soluerit [g]: quan- 10
quam alioqui creditori, criminis alicuius reo, etiam condemnato ritè soluatur [h]. Quod si hic tutor
pendente iudicio non abstineat ab administratione ipso iure interdicta; iudex ipse interdicet; &
aliū interim dabit curatorem [i]. Adeò metuerunt Prudentes, ne tutor suspecti iudicio irritatus, pos-
set esse, quod dicitur, magno pupilli damno. Et quanquam pendente iudicio non soleat quis de-
turbari possessione rei controuersæ [k]: tamen aliquando iustus periculi metus facit, vt aliter statua- 11
tur. Vnde & vbi reus, à quo fundus peritur, suspectus est ob tenuiorem fortunam: nisi satisdet, non
retinebit possessionem rei controuersæ: sed ea deponetur apud sequestrem [l]. ¶ *Decesserit.*] Idem &
si alia ratione finiatur tutela lite pendente. Semper enim statim atq; tutelæ iudicio locus est, cessat 12
suspecti cognitio [m]. ¶ *Extinguitur suspecti cognitio.*] Quorsum enim amplius ageretur de eo remo-
nendo, quem mors præueniens iam remouit? Cæterùm cognitio de excusatione perficitur etiam
finita tutela, vt ex euentu iudicij & sententia palàm fiat, ad quem pertineat periculum eius tem-
poris, quo cessatum est.

¶ *Sui copiam non faciat.*] Dolo latitans. alioquin si iusta fuerit eius absentia, vt nec, si velit, com- 13
modè posit copiam sui facere: excusabitur, & alius in hanc rem curator dabitur, quo præsente pu-
pillo decernantur alimenta [n]. ¶ *Decernantur.*] Per Prætorem. Nam ad eum pertinebat alimenta 14
pro modo facultatum constituere pupillis aut adolescentibus. Sed ad eam rem moderatè expedi-
endam plerunque desiderabat præsentiam tutoris vel curatoris [o]. Iubetur autem ea moderatione
alimenta decernere, vt semper aliquid ex reditu annuo supersit supra alimentorum sumptus [p].
Quod si vltra vires facultatum temere constituent: tutoris, qui eum non admonuit de statu facul
tatum, erit periculum [q]: sic vt in eius reputationibus non habeatur ratio horum alimentorum.

¶ *Bonorum eius.*] Nempe tutoris. Non quidem, vt ex ijs bonis alatur pupillus (nam nec egentem
pupillum suo sumptu alere debet tutor) sed magis eorum seruandorum causa. Sic enim visum est 15
tutorem latitantem suarum rerum vsu & possessione priuare, vt hoc tædio & incommodo elicia-
tur: qui si idipsum contumax rideat, & contemnat: iam in sua sententia fit suspectus: nec aliud su-
perest, quàm vt remoueatur tanquam suspectus. ¶ *Per mendacium dicat.*] Hoc est, Si datis pupillo
aduocaris tutor conuincatur mendacij, quod animo fallendi improbe cōfinxerat. Hic enim com
pertus dolus meritò eius fidem eleuat, & suspectam reddit. Cæterùm si propter aliquam iustā cau- 16
sam fuisset sua opinione falsus: non deberet id ei esse fraudi [b]. Itaque confunditur hoc loco discri-
men illud, quod Gellius lib. 11. cap. 11. tradit inter mentiri, & mendacium dic[illegible] ¶ *Ad Præfectum
vrbi.*] Ad quem scilicet pertinebat omnium criminū cognitio & animaduer[illegible] si remouen- 17
dus tutor mereatur grauiorem pœnam, quàm sit infamia, Præfectus vrbi ea[illegible]get, eoque no-
mine ad eum tutor remittetur [c].

¶ *Qui data pecunia.*] Improbam tutelæ nundinationem meritò leges coërcent. Habet enim ea 18
non obscurum mediati sceleris argumentum, ne dicam spoliandi pupilli quandam necessita-
tem, & prætextum. Quis enim vereatur in suos vsus conuertere, quod suo emit impendio? Hinc
profecta est illa saluberrima Iustiniani Constitutio Nou. 17. Vt Præsides sine vlla pecuniæ datione 19
ad officia mittantur. ¶ *Libertus.*] Cuius ingratitudo, quo grauior est & intolerabilior propter ac-
ceptum illud summum collatæ libertatis beneficium: eò magis exaggerat huius perfidię scelus, sic
vt mereatur grauiorem, quàm Prætor infligere posit, animaduersionem.

a L. quod Nerua. D. deposi.
b dict. l. quod Nerua. l. magna de verb. signif. l. 1. §. si verò. l. fideiussor D. manda.
c L. hæc enim causa. de suspect. tut.
d L. quod ait Prætor. §. ignominiæ causa. de his qui not. infa.
e L. 1. D eodem.
f L. 3. §. vl. de susp. tu.
g L. quod si forte. §. 1. de solut.
h L. reo. de solut.
i L. eum quem. C. de susp. tut.
k L. vnicu. C. de prohib. sequest.
l L. si fideiussor. §. vlt. D. qui satisd. cog.
m L. 3. §. quæri potest. de susp. tut.
n L. vlti. D. vbi pup. educ deb.
o L. ius alimentorum. D. eodem l. 2. C de alimen. pup præstan.
p L. 3. D. eodem.
q dict. l. 3.
b L. de ætate. §. si cùm esset. de interro. act.
c L. 1. §. item solent. de offic. præfect. vrb.

§. Nouissimè

§. Nouißimè, cum §. sequent.

1 *Tutor suspectus de indemnitate satisdationem licet offerat, tamen remouetur à tutela.*
2 *Vtilius est rem saluam, quàm tabulas cautionis habere.*
3 *Ebutius sub quali Sempronij Rutilij, vitrici sui, tutela.*
4 *Fideiussores sæpe fide magis quàm patrimonio idoneos æstimamus.*
5 *Paupertas cur fidem testium nonnihil minuat.*
6 *Tutor cur ob paupertatem non remouendus.*
7 *Paupertas in initio tutelam quomodo impedire possit.*
8 *Pauper ditescens cur protinus non æstimetur spoliare pupillum.*
9 *In dubio honestiorem coniecturam sequimur.*

1 ¶ *Etiamsi satis offerant.*] Imò & si iam satisdederint[a]. Nam & semper magis pupillo expedit
2 rem suam saluam esse, quàm tabulas cautionis habere[b]: aut incertum eius euentum expectare[c], & post vulneratam causam (vt ait Iustinianus[d]) remedium quærere. Præterea vt sint fortasis in tuto facultates pupilli: tamen morum saltem habenda est ratio[e]: vt suspecto homini nequaquam sit committenda pupilli vita. Nam & plurimum refert, apud quos primam illam rudemque ætatem
3 pupillus transigat. Notum est verus exemplum & periculum infelicis pupilli Ebutij, qui tutorem improbum habebat suum vitricum Sempronium Rutilium, de quo apud Liuium in historia Bac-
4 chanalium. ¶ *Tutor vel curator.*] Sicuti & aliquando ipse fide, ussor & satisdator, quem plerunq; non tam patrimonio quàm fide idoneum æstimamus[f]. Hæredem tamen sola inopia reddit su-
5 spectum creditoribus[g]. Sed & negare non possumus, paupertatem nonnihil minuere fidem testium[h], quoniam facilius corrumpi posse, & contemnere fulmina pauper creditur. Vnde & Iustinianus in Non. Constit. 90. vix ad testimonij dictionem admittit, τοὺς ἀνδιόφλους καὶ χαμαιπετεῖς καὶ ἀσήμους. [molles, abiectosque & obscuros.] Sanè mulier alioquin bono genere prognata, propter
6 paupertatem, vilis non habebitur, quin æquè Senatori possit nubere[i]. ¶ *Quamuis pauper.*] Neque enim cùm de fide hominis agitur, culpanda est fortuna, si modò alioquin boni mores hominem commendent:

nec si miserum fortuna Sinonem (inquit Maro) *Finxit, vanum etiam mendacemq; improba finget.*

Deinde non efficit paupertas, quin sit aliquis bonus œconomus, & rectè tueri sciat rem familiarem, prudenterque aliena negocia administrare. De qua re pulcherrimus in Oeconomico Xenophontis extat locus, his verbis; ἔστιν ἄρα (ἔφη ὁ Σωκράτης) τὴν τέχνην ταύτην ἐπισταμένῳ, καὶ εἰ μὴ αὐτὸς τύχοι χρήματα ἔχων, τὸν ἄλλου οἶκον οἰκονομοῦντα, ὥσπερ καὶ οἰκοδομοῦντα μισθοφορεῖν, νὴ Δία, ἔφη Κριτόβουλος, &c.

7 ¶ *Remouendus non est*] Nempe à tutela, quam cœpit administrare. Cæterùm ab initio posset impedire paupertas, ne quis admitteretur ad tutelam: non sanè quasi suspectus: sed si ob inopiam non posit satisdare, rem pupilli saluam fore. Quo casu nō reijcitur tanquam pauper, sed tanquam is, qui non satisdat, cùm satisdare debeat. ¶ *Quasi suspectus.*] Sicuti nec tanquam pauper. Imò & si,
8 dum tutelam administrat, fortè ditescat: non protinus suspicabimur eum spoliare pupillum. Nam cùm leges nostræ fateantur pauperibus non esse interdictum patrimonij augmentum[k]: & velint nos, quandiu viuimus, id sperare iustis rationibus aliquando obuenturum[l]: è diuerso nullam re-
9 cipiant temerè suspicionem turpis quæstus[m]: nos in dubio sequemur honestiorem coniecturam, nempe vt aliunde potius iustè rem suam auxisse tutor credatur[n].

Cùm hanc primam laboris nostri partem, hoc est, primi huiusce libri enarrationem absoluerem, optime lector, agebatur dies decimus septimus Martij. Quo die cùm meminissem apud Romanos olim celebrari solita fuisse Liberalia: eodemque die ingenuos pueros de more sumpsisse virilem togam: erexit hæc cogitatio fatigatum & iam quasi fatiscentem animum; lætoque virilis togæ omine subdidit nouos nescio quos liberalis alacritatis stimulos. Agedum tu quoq; ingenua iuuentus, quæ iam tutelas excessisti, vt tuearis decus forensis tuæ togæ; agedum mecum alacribus animis pergito, quasiq; resumptis viribus reliquas harum Institutionum partes, & grauiores paulo commentationes viriliter euoluito. Legimus olim duobus post Liberalia diebus, hoc est, 14. Calen. Apriles, Romæ celebrari solitum natalem Mineruæ: & Minerual præceptoribus solutum. Ego verò non aliud stipulor Minerual, nullaque alia peto Didactra, quam dociles animi liberalem alacritatem, & religiosum ciuilis Mineruæ cultum.


LIBRI PRIMI INSTITVT. IVSTIN. FINIS.

a *L. 5. de suspect. tut.*
b *L. suspectum fieri. D. illo tit. & ius cautionum. de reg. iuris.*
c *L. pupilli. D. quod fal. aut. tut.*
d *L. vlt. C. in quib. cau. in integr. resti. nō est nec.*
e *L. cum plures. §. cæ tutor. de admi. tut.*
f *L. si quis stipulatus, in fi. de verb. obli.*
g *L. si creditores. de priuileg. cred.*
h *L. testium. de testib.*
i *L. humile. C. de incest. nupt.*
k *L. si defunctus. C. arb. tute.*
l *L. si creditores, in fi. de separat.*
m *L. Quintus Mutius. de donat. inter virum & vxorem.*
n *L. merito. D. pro socio.*

DE RERVM DIVISIONE, ET ACQVIRENDO EARVM DOMINIO,

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

1 *Dominiorum diuisio necessaria in hac vita.*
2 *Lactantius Firmianus aduersus communionem politia Platonica.*
3 *Communia omnia fuisse in prima ecclesia.*
4 *Anaxagoras agrum suum omnibus compascuum esse voluit.*
5 *Lycurgus in sua politia priuatarum rerum communicationem instituit.*
6 *Nazianzenus; legem esse Euangelicam, nihil existimare priuatum.*
7 *Crates philosophus diuitias in mare abiecit.*
8 *Pactum; ne diuisio vnquam fiat; ratum non habendũ.*



NECESSARIAM *& iustam esse rerum ac dominiorum diui-* 1
sionem in hac vita ciuili, omnes pij & prudentes agnoscunt. Sed ta-
men quidam seditiosi nugatores, nescio quam rerum promiscuam
communionem exigunt à Christiano Populo: nec erubescunt Euan-
gelium obtendere suis somnijs, quasi id dissipet omnes tum Oecono-
mias tum Politias. Non immorabor pluribus verbis confutando
huic errori, quem sensus ipse communis refellit. Videat qui volet,
quæ Lactantius Firmianus lib. 3. hac de re disserit aduersus cõmen- 2
titiam illam rerum communionem Politiæ Platonicæ. Sed liben-
ter agnoscemus longè meliorem & præstantiorem communicatio-
nem requiri à Populo Christiano, qui viua fide adhærens Principi
suo & capiti Christo, ita inter sese inuicem coniunctus esse debet, vt in eo, quasi inter vnius corporis
membra, sit quædam συμπάθεια, *& affectuum omnium consensio: ex qua proficiscitur vera illa rerum*
omnium communicatio: sed quæ interea minime aut perturbet aut confundat rerum propietates, vel
dominiorum discrimina. Indicat Lucas hanc & humanitatem, & legem veræ amicitiæ, quæ dicitur 3
habere omnia cõmunia, fuisse in prima Ecclesia Christianorum: multisq́ deinde annis mansisse osten-
dit non modò Tertullianus in suo Apologetico, sed etiam Lucianus in Peregrino. Vt autem non com-
memorem Pythagoricum κοινὸν, *Tuberonum familiam apud Romanos, apud Græcos Anaxagoræ* 4
factum, qui agrum suum omnibus compascuum esse voluit: & Periclis eius discipuli, qui ex suis præ-
dijs macerias sustulit, vt ad fructus percipiendos omnibus egentibus liber pateret aditus: liberalem
hanc & voluntariam rerum alioqui priuatarum communicationem legimus instituisse Lycurgum 5
in Laconica sua Republica. Præterea & illud lubenter agnosco, sic debere Christianorum animos esse
comparatos, vt non modò facilè cedant suis possessionibus, quoties id exigit vel iuuandi proximi, vel
celebrandi nominis Dei ratio: sed & omnes suas semper facultates magis corpore, quàm animo possi-
deant: & possideant verius quàm possideantur ab ijs: vt qui animum semper habere debeant ab omni-
bus hisce curis humilioribus liberum: nec tam sibi diuitias habere, quàm alijs. Sic Basilius rectè Chri-
stianum esse iubet ἀνίδιον. *Sic Nazanzenus agnoscit hanc esse legem Euangelicam,* μὴ νομίζειν ἴδιον. 6
nam addit; ἀλλὰ ζῆν ἐπίσταθαι, καὶ τῶν παρόντων καταφρονεῖν ὡς οὐκ ὄντων. *Obijcias Crates philosophus in* 7
mare suas diuitias. Nobis Spiritus Sanctus imperat, diuitias, etiam si affluant, non ita temerè pro-
fundere & reijcere: sed ne ijs cor adijciamus. Tantum autem abest, vt Dominus exigat à suo populo
promiscuam rerum omniũ communionem siue potius confusionem: vt etiam apertè confirmet rerum
proprietates & dominiorum distinctionem: cum furtum, (quod non potest esse nisi rei alienæ) dam-
nat, & puniri iubet. Nec est cur pluribus, quod est compertissimum, ostendam, in nulla hominum
societate obtineri posse illam communitatis legem. Certe Prudentes Rom. grauiter indicârunt, ne
duorum quidem priuatam societatem diuturnam fore sine turba: ac propterea responderunt [a], *ratum*
non esse habendum pactum, quo ne diuisio vnquam fieret, conuẽnit: magisq́ semper curandum esse, vt 8
dirimatur communio, quàm vt eius difficultas augeatur [b].

[a] L. nam hoc. §. si conuenias. D. commu. diuid. l. nulla. D. pro soc.
[b] L. qui neque. §. vlt. de reb. eorum qui sub tut. sunt. l. sancimus. §. ne donas.

§. Interea.

1 *Quarum rerum communitas sit seruanda, iuxta Ciceronem.*
2 *Possessionum æqualitatem Lycurgus instituit.*
3 *Plebiscitum C. Licinij; Ne quis supra quingenta iugera agri possideat.*
4 *An quis plus telluris possidere debeat, quàm possit ipse colere.*
5 *Facultates præsumuntur partæ legitimis rationibus.*

6 Diuitia

6 *Diuitiæ subitæ sunt suspectæ.*
7 *Syllæ opes subitæ exprobratæ.*
8 *Achab Rex grauiter punitus, & cur?*
9 *Iuuenalis aduersus infinitam rabiem acquirendi.*

Interea tamen fatemur, retinendam esse naturalem communionem, aëris, maris, piscium, volucrium, ferarum, & eiusmodi aliarum rerum, quæ vel priuatum nondum habent dominum, vel vt non habeant, interest ciuilis societatis. Sic Tullius in Officijs grauiter admonet, seruandam esse communitatem earum rerum, quas in communem vsum Natura genuit, & quæ citra vllius incom-
1 *modum vel iniuriam facilè communicari possunt. Porrò de acquirendo rerum dominio qui tam multa scripserunt, minimè existimandi sunt patrocinari hominum insatiabili auaritiæ, quam vel πλεονεξίαν vel ἀπληστίαν Græci vocant. atque vtinam ea certis quibusdam finibus cohiberi posset ali-*
2 *qua ciuili lege. Apud suos Lacedæmonios Lycurgus instituerat possessionum æqualitatem. Sed nescio an ea sit è Republica. Certè nequaquam placuit Ciceroni. Nec est ignotum quid incommodi secum traheret. Romani autem vt eam damnarunt: ita certum possessionibus modum præscribere non rarò voluerunt. Sed nihil hac in re potuerunt obtinere. Nam & explosæ sunt leges Agrariæ:*
3 *& sublatum C. Licinij Plebiscitum, Ne quis supra quingenta iugera agri possideret. Aiunt quidam olim inter prima præcepta priscæ Agriculturæ fuisse; Ne quis plus telluris possideat, quàm possit ipse colere. Sed id hodie nec sperari potest, nec optari fortassis debet in nostris politijs. Quin imò*
4 *Ius [a] ciuile fauet augmento patrimonij, quod laboribus & multis casibus quæri agnoscit: nec temerè solet vllam admittere suspicionem turpis quæstus: sed vbi dubium est, potius coniicit legitimis rationibus partas esse facultates [b]. Quanquam non possint non esse suspecti, qui cito ditescunt. No-*
5
6 *tum est quid olim Syllæ fuerit exprobratum; Quomodo vir bonus esse posses, qui tot possideas præ-*
7 *dia, cùm tibi à patre pauca sint relicta? Sed nec vllus est, qui probare velit insanam libidinem auarorum: omnes verò laudant αὐτάρκειαν, & animum mediocri sua sorte contentum. Inuehuntur & Prophetæ & Apostoli sæpe in hominum furiosam πλεονεξίαν: & proponunt nobis sacræ literæ gra-*
8 *uissimam punitionem Regis Achab, qui vt suas augeret possessiones, inhiabat vinetis & arbustis vicini sui Naboth. Sed pudorem quoque nobis incutere debent dicta Ethnicorum, qui hoc malum in-*
9 *sectantur. Nota sunt, quæ Iuuenalis scripta reliquit aduersus hanc infinitam rabiem acquirendi, sæuamque libidinem indomiti census, vt ipse loquitur. Atque vtinam nostrorum temporum mores non mererentur illam iustissimam eius querelam aduersus parentes, qui hunc suum morbum liberis quoque suis infundunt, & mox acquirendi docent insatiabile votum.*

a L. si defunctus. C. arbi. tut.

b L. Q. Mutius. de donat. inter vir. & uxor.

§. *Non dicam.*

1 *Christianus populus liberè vtatur politicis legum Romanarum scitis.*
2 *Leges Romanæ Dei dona.*
3 *Ionas laudat Niniuitas, quòd acquirendi iniquitatem omnem fugerint.*
4 *Aristotelis acquirendarum rerum ratio duplex.*
5 *Quæstus maximè honestus & naturalis ex re pecuaria & agricultura.*
6 *Fæneratorum quæstus ab Aristotele damnatus.*
7 *Vsuras meras leges Romanæ damnant.*
8 *Aequalitas quomodo seruanda in contractibus.*
9 *Circumuentionem quatenus admitti oporteat in contractibus.*
10 *In contractibus sequendum non tam quod licet, quàm quod honestum.*
11 *Contractuum rationem Hieremias propheta quomodo obseruet.*
12 *Totam vsurarum rationem temerè damnantes commercia publica turbant.*

Non dicam pluribus, quàm parum id conueniat cum professione Christianæ fiduciæ, quam vel passerculi ipsi nos docere debent, vt disertè significat CHRISTVS. *De hisce concionari, ad Ecclesiastas magis pertinet. Atque vtinam ij, non modò verbis, sed exemplo quoque suo id præstarent. Sed aliud fuisse studium eorum, ostendunt leges eorum Principum, qui frænum iniecerunt acquisitionibus Episcoporũ & Abbatum latius grassantibus: dura illa secuti iudicia Ethnicorum, qui nostræ religioni infesti omnẽ acquirendi rationẽ Ecclesiæ olim eripuerunt. Sed vt quod instat, agamus: De legiti-*
1 *mis acquirẽdarũ rerum modis dicturi, primũ admonemus; Christianũ populum non esse vlla superstitione deterrendum, quominus hac in re bona conscientia liberè vtatur politicis legum Romanarum scitis.*

ſcitis. Sunt enim ea Dei dona: & connectiunt cum naturali tum honeſtate, tum æquitate. Atque vti- 2
nam ingenioſa poſteritatis auaritia non excogitaſſet noua compendia, nouasq́ rationes diteſcendi. Io-
nas Propheta cùm laudat Niniuitas, quòd iniquitatem omnem fugerent, ait eos abhorruiſſe ab omni 3
iniqua ratione acquirendi. Id enim proprii apud eum ſignificat vox Hebræa HAMAS. *Vtinam*
hoc quoque nomine populum Chriſtianum laudare poſſemus. Saltem in ea ſe contineat honeſtate,
quam profana Rom. prudentia præſcripſit. Ariſtoteles in Politicis duplicem eſſe ſcribit acquirenda- 4
rum rerum rationem, quam appellat χρηματιστικὴν. *Priorem, quam vocat* οἰκονομικήν: *alteram, quam* κα-
πηλικήν. *Prioris generis eſſe ait ex fructibus & animalibus, eamq́ appellat* κτητικήν. *Nemoq́ nega- 5*
uerit maximè honeſtum & naturalem eſſe quæſtum ex re pecuaria & agricultura. Huic ſubiungit
τὴν μεταβλητικὴν, *quæ commercijs conſtat. Cuius prior ſpecies eſt naturalis & œconomica mercatura:*
cuius finis eſt non tam quæſtus quàm vſus. Alia autem eſt negotiatio, quam appellat καπηλικήν:
cuius finis, vſus non eſt, ſed quæſtus: vt cum quid emimus, quod poſtea carius vendamus. Cuiuſmodi
rationem acquirendi parum probare videntur philoſophi. Sed omnium maximè damnat Ariſtoteles 6
τὴν ὀβολοστατικήν, *ſiue fœneratorium quæſtum. Sicuti & leges Rom. ſemper damnarunt meras vſuras. 7*
quanquam receperint moderatam aliquam eius, quod intereſt, compenſationem, cuius eſt neceſſa-
rius vſus in commercijs. Certè dum agunt de legitimis contractibus, acutè & prudenter notant reij-
ciuntq́ iniuſtas acquirendi rationes: vt cum damnant captioſa pacta legis commiſſoria: & quantum
poſſunt, fraudibus commerciorum occurrunt, coërcentq́ noua commenta, & nouas artes aſtuta aua-
ritiæ. Certè in omnibus acquirendarum rerum modis ſolent exigere [a] bonam fidem: dolum & frau-
dem non ferunt: ſed tamen non ita ſemper iuſtam æqualitatem ad viuum reſecant, vt turbetur tota 8
ratio commerciorum. Imò verò tolerant ciuiles quaſdam & vulgatas circumuentiones, quæ re ipſa in-
cidunt, (vt vix fieri poteſt, quin habeant aliquam inæqualitatem commercia) & quas ſibi mutuo 9
condonare videntur, qui contrahunt. Sic itaq́ Pomponius tacitam hanc hominum indulgentiam in
hac vita ciuili neceſſariam ad conſeruanda cõmercia, intuitus, reſpondit [b], in precio emptionis & ven-
ditionis naturaliter licere contrahentibus ſe circumuenire. Cui ſubſcribit Paulus [c], naturaliter in qui-
ens conceſſum eſſe, quod pluris ſit, quandoq́ minoris emere: & rurſus quod minoris ſit, pluris vendere:
atq́ ita inuicē ſe circumſcribere: idemq́ in locationibus & conductionibus iudicari. Ideo (ſubijcit Her
mogenianus [d]) prætextu minoris penſionis, ſi nullus dolus aduerſarij probari poßit, reſcindi locatio-
nem non poſſe. Ne tamen latius vagaretur hæc licentia, certos quoſdam fines habet ciuilis illa indul-
gentia inæqualitatis: vt ſaltem ſi ùm duplum excedit, iudicio cohibeatur [e]: vt ſi quod acceptum eſt, vl-
tra ſemiſſem minus ſit eo, quod datum fuit, ſubueniatur circumſcripto. veluti ſi quis rem decem au-
reorum, vel quatuor tantū aureis vendiderit, vel vno & viginti emerit. Ac ſanè nimis adhuc mol-
les & indulgentes videntur noſtræ leges, quæ patiuntur eouſque vagari commerciorum inæqualita-
tem, & arctiora non inijciunt frena circumuentionibus captioſis. Admonent [f] tamen, vt vir bonus 10
ſemper in contractibus ſequatur non tam quod licet, quàm id quod honeſtum eſt. Cæterùm vbi Chri-
ſtiana dilectionis ratio non repugnabit, legitimis omnibus acquirendarum rerum modis non eſt quod
vereatur vti populus Chriſtianus, & ad præſcriptum Romanarum legum ſua iuire cõmercia. Nam
& olim idem ſemper feciſſe Apoſtolos, ab ijsq́ imbutum Chriſtiana religione populum indicat Ter-
tullianus in ſuo Apologetico. Nauigamus (inquit) & nos vobiſcum, & militamus, & ruſticamur, &
mercamur, & miſcemus artes. Sic in Ægypto Iudaicus Dei populus vtebatur Ægyptijs legibus in
commercijs: in Babylonia Babylonijs. Sic Ieremias Propheta cùm prædium vrbanum emeret, dili-
genter obſeruat omnes contractuum mores, qui tunc erant: & adhibet omnes cautiones vſitatas. Pri- 11
mùm curat inſtrumentū conſcribi, in quo exprimebatur res empta, & precium rei, cum legibus, quæ
ad redemptionē pertinebant. Deinde adhibet teſtes, qui ſubſignent. Tandem inſtrumentum obſigna-
ri curat annulo publico. Poſtremò pecuniam numerat & appendit. Nec non etiam iubet confici pri-
uatum aliud inſtrumentum contractus, quod erat alterius obſignati & publici veluti exemplar aut
deſcriptum. Hæc copioſius refero, vt cùm videmus Prophetam vti ciuilibus commerciorum mori-
bus ſui temporis, faceſſat omnis vana eorum ſuperſtitio, qui verentur vti politicis & vſitatis rerum
forenſium legibus, quæ ſunt ab ethnicis proditæ, cùm tamen non minus honeſtæ ſint, quàm huic ciuili
ſocietati neceſſaria. Riderem facilè & contemnerem ſanctulos iſtos religionis præpoſteræ: niſi & in-
iuriam facerent politicis Dei ordinationibus, & ciuilem ſocietatem turbarent, & malo exemplo fene-
ſtram aperirent comminiſcendis nouis & iniquis negociationibus, dum honeſtas & vſitatas, ſuperſti-
tione magis quàm iudicio, reſpuunt. Vidimus quas ſæpe turbas dedit eorum religio, qui totam vſura- 12
rum rationem, quam non intelligebant, in vniuerſum damnarunt: & de contractibus omnibus teme-
rè pronunciarunt, cùm nondum ſcirent quid eſſet vel œconomia vel politia. Quanto ſanctius Pru-
dentes illi Romani de hiſce iudicarunt. Tandem ergo ex eorum reſponſis audiamus differentem Iu-
ſtinianum de ratione rerum acquirendarum. Quod autem ad rerum diuiſionem pertinet, quam initio
hîc pro-

a L. bonam fidem. C. de act. & obligat.

b L. in cauſæ cognitione etiā. §. hoc idem Pomponius. de minorib.

c L. item. ſi precio. §. 1. D. locat.

d L. & ideo. D. eodē.

e L. 2. C. de reſcind. vend.

f L. ſemper in contractibus. de regu. Iur.

Ierem. 32.

hic proponit, vnde ea sumpta sit, non difficile est indicare. Estque propria iurisconsultorum de rebus ciuilibus agentium. Philosophi vt aliò spectant, sic longè aliam rerum diuisionem proponunt. Cicero libro primo Academ. à Zenone & Stoicis editam hanc rerum diuisionem commemorat, quòd aliæ res sint in bonis, vt quæ honesta sunt: aliæ in malis, vt quæ turpia sunt: quæ verò media sunt, ea esse omnia ἀδιάφορα siue ἰνδιάφορα.

INSTITVTIONVM SEV ELEMENTORVM IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS

Liber secundus.

DE RERVM DIVISIONE, ET ADQVIRENDO ipsarum dominio, Titulus I.



VPERIORE libro de iure personarum exposuimus: modò videamus de rebus, quæ vel in nostro patrimonio, vel extra patrimonium nostrum habentur.

Quædam enim naturali iure communia sunt omnium, quædam publica, quædam vniuersitatis, quædam nullius, pleraque singulorum, quæ ex varijs causis cuique adquiruntur, sicut ex subiectis apparebit.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Patrimonium & pecunia quid significent.*
2 *Meorum & tuorum appellatione contineri Actiones quoque.*
3 *Patrimonij significatio arctior.*
4 *Rei latior est significatio quàm patrimonij & pecuniæ.*
5 *Habere significat & facile posse habere.*
6 *Ea quæ nullius, aut communia omnium sunt, an acquiri possint.*

1 VEL *in nostro patrimonio.*] Theophilus hoc loco rectè transtulit δεσποτείαν καὶ κτημοσύνην, vt nomine patrimonij generaliter intelligamus, quicquid in bonis nostris est [a]; quod etiam continetur appellatione pecuniæ [b]: Vt in patrimonio nostro rem esse dicamus, quoties posidentes, exceptionem; aut amittentes, actionem habemus [c]: Simul & ipsa nomina contineantur: quemadmodum meorum & tuorum appel-
2 latione, actiones quoque contineri respondit Paulus [d]. Est autem alia quædam arctior patrimo-
3 nij significatio. Propriè enim & specialiter id tantum complectitur, quod à patre profectum est, & ex eius hæreditate: quodque certo & proprio dominio posidemus: qua ratione hîc non continerentur nomina. Sic noster Pomponius quodã loco [e] ait, quasdam res haberi in patrimonio, quasdam in nominibus.

4 ¶ *Vel extra patrimonium.*] Latius ergo patet rei, quàm patrimonij significatio: quemadmodum Paulus [f] ait. rei appellationem latiorem esse quàm pecuniæ: quia etiam ea, quæ extra computationem patrimonij nostri sunt, continet: quum pecuniæ significatio ad ea referatur, quæ in pa-
5 trimonio nostro sunt. ¶ *Habentur.*] Saltem τῇ δυνάμει. Nam cùm hic Iustinianus agat de rebus, quæ in patrimonio nostro habentur, propriè significat omnes eas res, quæ sunt in commercio, & facilè possunt haberi.

¶ *Quædam enim.*] Locus hic descriptus est ex libro tertio Institutionum Martiani [g]. & Iustinianus cùm eo vtitur, non tam nouam proponit diuisionem, quàm superiorem illam suam latius explicat. ¶ *Quæ ex varijs.*] Hoc referendum est solum ad proxima verba. Nam ea tantum quæ sunt
6 singulorum, possunt acquiri ex varijs causis, quas postea subijcit Iustinianus. Scio & ea quæ nullius sunt, aut communia omnium acquiri posse ex quibusdam causis: sed de ijs non agit Iustinianus.

a *L. 1. item solent. de off. Præf. vr. l. cogi. D. ad Treb. l. sed & si lege §. 1. & §. quod autem de petit. hær.*
b *L. rei appellatio. de verb. significat.*
c *L. rem in bonis. de acqu. rer. domi.*
d *L. meorũ. de verb. signifi.*
e *L. cum pupillus. D. rempub. sal. fo.*
f *L. rei appellatio. de verb. signifi.*
g *L. 2. de rer. diuis.*

§. *Et quidem.*

1 *Aër cur in promiscuo vsu omnium manserit.*
2 *Nemo prohibendus aqua profluente.*
3 *An aliquo iure Principibus maria seruiant.*
4 *Quæ adhærent rebus sacris, eiusdem habentur iuris.*

5 Littora

5 Littora in qua Romani habuerunt imperium, Romani iuris erant.
6 Villa, tugurium rusticum, casa, idem sunt.
7 Monumentum quid significet.
8 In littore ædificare licet iure Gentium.
9 Aedificium inchoatum in littore, vt in loco publico, prohiberi, non absolutum dirui potest.

Et quidem naturali iure communia sunt omnium hæc: aër; aqua profluens; & mare; & per hoc litora maris.

¶ *Communia sunt omnium hæc.*] Quæ scilicet ex iure naturæ sola manserunt in promiscuo vsu o-
mnium, non hominum modò, sed & brutarum animantium: adeoque omnibus patere debent,
vt iure non possint occupari ab vno aliquo. ¶ *Aër.*] Ouidius libro sexto Metamorph. ait natu- 1
ram non fecisse aëra proprium. Idem,

Omnia (inquit) *si teneat, non possidet aëra Minos:*

a L. vlti. de seruit.

& Vergilius cunctis auram patere dixit. Paulus noster cœlum liberum esse ait[a]: quo scilicet omnes
liberè vti possunt, & omnino debent: siquidem nullum animal viuere potest citra assiduam eius
reciprocationem. ¶ *Aqua profluens.*] Cicero libro primo Officiorum, ex præceptis naturalis com-
munitatis refert illud quoq; esse; Neminem prohibere aqua profluente. Cuius quidem commu- 2
nem & liberum vsum non minus omnibus patere, quàm aëris, veteres sæpe scriptores testantur. Vt
apud Verg Æneid. lib. 7. Orator Ilioneus regem Latinum alloquens, ait;

——Litusq; rogamus Innocuum, & cunctis vndamq; auramq; patentem.

Et Ouidius libro sexto Metamorph.

Quid prohibetis aquas? vsus communis aquarum est. Nec solem proprium natura, nec aëra fecit.

b L. litora. D. ne quid in loco publi.

Porrò autem Theophilus hic aquam profluentem rectè vertit τὸ ὕδωρ τὸ ἀέναον: ne quis hic nescio
quid somnier de aqua pluuia. ¶ *Et mare.*] Celsus ait[b], maris esse communem vsum omnibus ho-
minibus, vt aëris. Quo nunc ergo iure nostri Principes, quod Natura voluit esse liberum & com-
mune, seruum propriumque faciunt? Quo iure Venetis mare Adriaticum, Genuensibus Ligusti- 3
cum seruit? ¶ *Et per hoc.*] Rectè consequitur à consequentibus. Sic & ea, quæ adhærent rebus sa- 4

c L. quæ religiosis. de rei vindic.
d L. iniuriarum actio neq. §. si quem tamen. de iniur.

cris, eiusdem quoque iuris haberi responsum est[c]. Vlpianus simpliciter ait[d], mare commune o-
mnium esse, & litora, sicuti est aër. Cicero in Topicis ad Trebatium Iurisconsultum, Litora (in-
quit) omnia publica esse vultis. Et Ilioneus orator apud Vergilium, cum aura vndaque omnibus
patente coniungit litus innocuum. Idem libro primo Æneidos satis indicat nullo iure nos à lito-
ribus arceri posse. Nam de Pœnorum iniuria loquens,

Quod genus (inquit) *hoc hominũ? quæve hunc tam barbara morem Bella cient, primaq; vetant consistere terra.*
Admittit patria? hospitio prohibemur arenæ,

e L. litora. D. ne quid in loco publi.

¶ *Litora.*] Quorum tamen profectio, & in ijs iurisdictio fuit populi Romani. ideo Celsus re- 5
spondit[e], Litora, in quæ populus Romanus imperium habet, Populi Romani esse.

Nemo igitur ad litus maris accedere prohibetur: dum tamen à villis, & monumentis, & ædificijs abstineat: quia non sunt iuris gentium, sicut est mare.

f L. nemo igitur. de rer. diuisi.
g L. riparum §. vlti. de rer. diuis.
h L. 2. §. vt autem. de relig. & sumpt. fu.
i L. monumentũ. D. eod.
k L. in litore. D. ne quid in loco public.
l L. riparum. §. vlti. de rer. diuisi.

¶ *Nemo igitur.*] Hic quoque locus sumptus est ex libro tertio Institutionum Martiani[f], qui te-
statur Diuum Pium ita rescripsisse piscatoribus Formianis & Capuanis. ¶ *Accedere prohibetur.*]
Addit Martianus, piscandi causa: sed ea additione non est opus. Nam & si quis propter aliam cau-
sam accedere velit, non est prohibendus. ¶ *A villis.*] Hoc est, Tugurijs rusticis, in quibus sua fortè
retia & reliqua instrumenta reponunt piscatores. Caius[g] villam appellat casam, Theophilus κώ-
μην, Theocritus καλύβαν. ¶ *Monumentis.*] Monumentum est (inquit Vlpianus[h]) quod memoriæ 6
seruandæ gratia existit. Et Florentinus[i], Monumentum (inquit) generaliter res est memoriæ cau- 7
sa in posterũ prodita. Videtur autem hic accipi pro sepulchro cadaueris, quod fortè mari eiectum
est. ¶ *Aedificijs.*] Inquit Scæuola[k], in litore iure gentium ædificare licere: nisi si vsus publicus im- 8
pediretur. Et Caius[l]; In mari piscantibus, inquit, liberum est casam in litore ponere, in quam se
recipiant. Deinde subijcit Martianus; In tantum vt & soli domini constituantur, qui ibi ędificant:
sed quandiu ædificium manet: alioqui ædificio collapso, quasi iure postliminij, reuertitur locus in
pristinam causam: & si alius in eodem loco ædificauerit eius fiet. Posset quidem qui ædificat pro- 9
hiberi, sicuti & qui in loco publico ædificat: at vbi ædificauit, diruere non cogitur.

§. *Flumina autem.*

1 Flumina cur pene omnia esse publica dixerit Martianus.
2 Nihil fieri licet in flumine ripáve eius quo peius nauigetur.
3 Ius piscandi, venandi, & aucupandi in locis publicis commune omnibus est.
4 Phœnicidis pisces in conuiuio.
5 Pisces, vbicunq; capti, an Cæsaris sint.
6 Prohibitus in fluminibus piscari, iniuriarum agere potest.
7 Longa possessionis præscriptio non conceditur ad loca iure gentium publica.
8 Papinians & Marciani discrepantes sententiæ conciliata.
9 In lacu mei domini piscari alium prohibere possum.
10 Littus quid sit.
11 Littus & lacuum & esse fluminum.
12 Mare solum mediterraneum Romanis notum fuisse.
13 Oceani littora demonstrari non posse.

4 Mare

14 *Mare mediterraneum quando maximè effundatur.*

15 *Tempus nauigationis est ex calendis april. vsque ad Calend. Octobr.*

Flumina autem omnia,& portus,publica sunt.ideoque ius piscandi omnibus commune est in portu fluminibusque.

¶ *Flumina omnia.*] Perennia. Sic enim publicum flumen esse Cassius definit,quòd perenne [a]
sit. Sunt autem alia priuata flumina,quæ nihil differunt à cæteris locis priuatis. Vnde sunt priuati
lacus,qui rectè venduntur [b], & in quibus dominus potest prohibere aliquem piscari,aut scapham
1 agere [c]. Martianus ne videretur hæc confundere [d],dixit,flumina penè omnia publica esse. ¶ *Pu-*
blica sunt.] Eorumque publicum, & omnibus communem ex iure gentium vsum sedulo tuentur
2 Prætores multis edictis propositis, quæ adhuc extant libro 43. Pandect. veluti; de flumine; Et ne
quid in flumine ripáve eius fiat,quo peius nauigetur. Item,ne quid in flumine publico,inque ripa
eius fiat,quo aliter aqua fluat,atq; priore æstate fluxit. Item,vt in flumine publico nauigare liceat.
3 ¶ *Ius piscandi.*] Sicuti & venandi.& aucupandi in locis publicis. Estque hic sanè iustissimus reditus, quem (vt ait Plinius) Terra, Mare, aut Aër profert. Notū est illud Phœnicidis, qui cùm olim
4 in conuiuio pisces tantùm ijs apponeret, qui dedissent symbolum, causam hanc addidit; Mare
5 quidem esse commune: sed pisces eorum fieri qui ceperint. Iuuenalis Sat. quarta. notat assentatores quosdam consultos, qui interpretabantur, pisces, quicunque vsquam caperentur, esse Domitiani Cæsaris;

Si quid Palphurio, si credimus Armillato,
Quicquid conspicuum, pulchrumq; ex æquore toto est,
Res fisci est, vbicunque natat.

6 ¶ *Omnibus commune.*] Adeo vt nemo posit prohiberi piscari: & prohibitus iniuriarum agere
7 queat [e]. Nec prodest vllam longæ possessionis præscriptionem obijcere: quia ea concedi non solet ad obtinenda loca iure gentium publica, vt inquit Papinianus [f]: qui & hoc subijcit exemplum: Vt si quis, quod in fluminis publici diuerticulo solus pluribus annis piscatus sit: alium eodem iure vti prohibeat. Cui suffragatur & Martiani responsum [g]: si modò addas negatiuam librariorum incuria temere omissam, & restituas hoc modo: Si quisquam in fluminis publici diuerticulo solus
8 pluribus annis piscatus sit, alterum eodem iure vti non prohibet. Si quis negatiuam hanc, quæ in nostris libris non est, non recipiat. & vulgarem lectionem mutari nolit, distinctione hæc conciliare poterit: Martianum nempe loqui de quadam temporali eius prohibitione, qui prior occupauit locum piscandi. & in ea veluti possessione est. Papinianum verò agere de quadam perpetua vsucapione, & eius præscriptione, qui locum iure Gentium publicum, priuatim suum facere vellet. Sed & quamuis vsurpatum esset, vt quis prohiberi posit ante ædes meas, vel prætorium meum piscari: tamen quia id nullo iure fiebat, noluit Vlpianus iniquam vsurpationem valere: nihilominusque sensit prohibito competere iniuriarum iudicium [h]. Sanè tamen si quis se obstrinxerit alicui, non piscari certo loco, pacto stare debet. Id quod Vlpianus eleganter his verbis tradidit [i]: Venditor fundi Hieroniaui, fundo Botriano quem retinebat, legem dederat, ne contra eum piscatio Thynnaria exerceretur. Quamuis mari (quod natura omnibus patet) seruitus imponi priuata lege non potest: quia tamen bona fides contractus, legem seruari venditionis exposcit, personæ possidentium, aut in ius eorum succedentium, per stipulationis vel venditionis legem obligantur.
9 ¶ *Fluminibusq;*] Publicis. Nam in priuatis, veluti in lacu, qui mei dominij est, vtique piscari aliquem prohibere possum, inquit Vlpianus [k]. Sed hodie nescio qua potentiorum vsurpatione videntur facta omnia priuata, quæ natura publica sunt.

a L. 1. § fluminum. de fluminib.
b L. Rutilia. de contrah. empt.
c L. iniuriarum actio neque. §. vlti. de iniur.
d L. nemo igitur, in fi. de re. diuis.
e L. iniuriarum actio neque. §. si quis me. de iniur.
f L. vlt. de vsucap.
g L. si quisquam. de diuersis temp. præscri.
h L. iniuriarum actio neque. §. vlti. de iniur.
i L. venditor. D. communia prædior.
k dict. l. iniuriarum, §. vlt.

Est autem litus maris, quatenus hybernus fluctus maximus excurrit.

¶ *Est autem litus maris.*] Scribit noster Celsus [l], M. Tullium, cum arbiter esset, constituisse litus
10 id esse, quousque maximus fluctus à mari peruenit. Ipse autem Tullius in Topicis refert Gallum Aquilium descripsisse litus. quousq; maximus fluctus eluderet. Iabolenus noster tradit [m], litus esse publicum, quatenus maximè fluctus exæstuat. Idemque iuris esse, & in lacu nisi is totus priuatus sit: quia scilicet tum eatenus esset litus, quatenus actum conuentumque est [n]. Porrò autem
11 quamuis propriè litus maris sit, tamen etiam aliquando & de lacu dicitur. Ouidius libro sexto Fastorum;

Sunt tibi Flaminius, Thrasymenaq; littora testes.

Item & de flumine, vt Virgilius libro tertio Æneid.

Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus.

Quin & apud Poetas pro ea parte vsurpatur, quæ ipsi litori est vicina, etiamsi nunquam ad eam fluctus perueniat. Virgilius libro primo Æneid.

——Cui litus arandum, Cuiq; loci leges dedimus.

l L. litus est de verborum signif.
m L. litus publicum. D. eodem.
n L. Rutilia. de contrahen. empt.

12 ¶ *Maris.*] Saltem mediterranei, quod solum fuit Romanis notum, quodque certos fines habet. Aliud verò esse videtur de ingenti Oceano: cuius maiores æstus conuulsis omnium aggerum
13 obicibus ita plerumque diffunduntur, vt latè patentes totas inundent regiones, nemoque posit eius litora demonstrare, vbi non statim cernat

——surgentis mole profundi
Iniectum terris subito mare, nullaq; circa
Littora; & infuso stagnantes æquore campos;

vt est apud Silium Italicum. Certè Plinius lib. 2. cap. 97. testatur, æstus pelagi supra Britanniam

octogenis cubitis non raró intumeſcere. Itaque graue foret ſtatim litoris loco haberi, quod maxi-
mus Oceani fluctus merſerit vel allueri. Nam & hic Iuſtinianus non agit de aliquo nouo & inu-
ſitato, ſed naturali & conſueto maris excurſu: qui ſolet eſſe maximus hybernis tempeſtaribus. cùm
mare procellis grauioribus concutitur. ¶ *Hybernus fluctus maximus.*] Maxima æquoris mediterra-
nei intumeſcentis effuſio, hyeme eſſe ſolet circa Vergiliarum Pleiadúmve occaſum. Vnde & apud 14
veteres maria claudebantur ex die tertio Iduum Nouembris. Et Iure ciuili tempus nauigationis
præſcribitur [a] ex Calendis Aprilis, in diem Calendarum Octobris. ¶ *Excurrit.*] Celſus dixit, per-
uenit: Iabolenus, exæſtuat: Gallus Aquilius, eludit. Cuius etiam verbi tranſlatione ſæpe hac in re
vſos Iuriſconſultos indicat Fabius libro quinto.

a *L. 3. C. de naufrag.*

§. *Riparum quoq.*

1 *Ripa quid ſit?*
2 *Ripa & littoris ſignificatio interdum confunditur.*
3 *Vſus publicus nunquam finitur.*
4 *Cur ij quorum prædijs ripa adhærent, earundem percipiant commoda.*
5 *Ripam quid conſtituat.*
6 *Aqua excurrente viamq́; occupante, vicinus partem agri via noua relinquit.*
7 *Soli domino cedit quicquid implantatum radices egit.*

Riparum quoque vſus publicus eſt iure gentium, ſicut ipſius fluminis.

¶ *Riparum quoque.*] Totus hic locus deſcriptus eſt ex Caij lib. 2. Rerum Quotidianarum [b]. Vl- 1
pianus autem definit [c] ripam eſſe id quod flumen continet, naturalem rigorem curſus ſui tenens. 2
Eſtque obſeruandum ripam propriè eſſe fluminis: ſicut litus maris eſt. Sic & Ouidius;

——— *Campoq́; recepta,* *Liberioris aquæ, pro ripis littora pulſant.*

Confunditur tamen hoc aliquando diſcrimen, nam & ripas æquoris apud Horatium legimus.

b *L. riparum. de rer. di.*
c *L. 1. §. ripa. de flum.*

Itaque naues ad eas appellere, funes arboribus ibi natis religare, onus aliquod in his reponere, cuilibet liberum eſt, ſicut per ipſum flumen nauigare. ſed proprietas earum illorum eſt, quorum prædijs hærent.

¶ *Itaque.*] Hic deſcribitur apertius quiſnam riparũ vſus ſit publicus: ne nos temerè alia, quàm
hic referuntur, iiſve ſimilia, riparum commoda communia eſſe exiſtimemus. Alioqui cùm vſus 3
publicus nunquam finiatur: ſi omnia emolumenta omnibus pateant, inutilis perpetuo manebit
proprietas, quod non debet admitti [d]. ¶ *Sed proprietas.*] Quæ ſcilicet nullo modo impediet, vel
obturbabit vſum publicum: ſed ea tantum percipiet commoda, quæ alijs non obſunt æquum eſt 4
autem pericula & fluminis ſemper aliquid atterentis damna penſari aliqua commoditate. Porrò
monendi ſumus ripas non venire in modum agri ad menſuram venditi, niſi aliter nominatim
conuenerit [e]. Ripa enim conſtituitur ex quo primum è plano incipit vergere ad aquam. ¶ *Hærent.*] 5
Hoc eſt, proximæ ſunt. Nam & ſi interſit forte via publica, nihil ea oberit. neque enim cenſetur
ſcindere aut dirimere rationẽ eius, quæ hic requiritur, coniunctionis [f]. Sed etſi aqua ex recurſu ſuo 6
viam publicam occuparet. debet vicinus partem agri ſui relinquere viæ nouæ [g].

d *§. item finitur. inf. de vſufr.*
e *L. id quod poſt venditionem. §. quod venditor de per. & cõm. rei vend.*
f *L. Martius. de acqui. rer. domi.*
g *L. ſi locus. §. vlt. D. Quemad. ſerui. ami.*

Qua de cauſa arbores quoque in eiſdem natæ, eorundem ſunt.

¶ *Qua de cauſa.*] Iſtud dependet, & conſequitur ex regula, quam poſtea tractabimus, nempe;
ſoli ipſius domino cedere, quicquid implantatur, vel inſeritur, ſimul atque radices egerit. Idem 7
ſentiendum eſt & de ædificio. ¶ *Arbores in iiſdem natæ.*] Quas tamen non poterit proprietatis do-
minus præcidere, ſi quidem ſeruiant vſui publico: veluti nauium funibus religandis.

§. *Littorum quoq.*

1 *Alia ciuili alia Gentium iure ſunt publica.*
2 *Quæ Martianus dicit eſſe vniuerſitatis, ea Cicero dicit eſſe ciuibus inter ſe communia.*
3 *Vlpianus vſibus publicis deſtinata, inter publica non habet.*
4 *Loca publica priuatis & ſingulis iure ſolummodo ciuitatis deſeruiunt.*
5 *Actor vniuerſitatis vel Reip. non habetur ſingulorum Actor.*
6 *Seruum municipum quomodo Vlpianus dicat in caput ciuium torqueri.*
7 *Quod debet vniuerſitas, ſinguli non debent.*
8 *In vniuerſitate non conſiderantur ſingula ſeparatim capita.*
9 *Iniuriarum tenetur, qui in publico campo me ludere prohibet.*
10 *Leges Theatrales Romanorum.*
11 *Res ſacræ poſſunt non eſſe nullius, cum nimirum qualitatem conditionemq́; ſuam relinquunt.*

Litorum quoque vſus publicus eſt, & iuris gentium, ſicut & ipſius maris: & ob id cuilibet liberum eſt caſam ibi ponere, in quam ſe recipiat: ſicut retia ſiccare, & ex mari deducere. Proprietas autem eorum poteſt intelligi nullius eſſe: ſed eiuſdem iuris eſſe, cuius & mare, & quæ ſubiacet mari, terra vel arena. Vniuerſitatis ſunt, non ſingulorum, quæ in ciuitatibus ſunt, theatra, ſtadia, & his ſimilia, & ſi qua alia ſunt communia ciuitatum.

¶ Vſus

1 ¶ *Vsus publicus est.*] Vsum publicum propriè vocat, qui omnibus hominibus communis est: & adijcit mentionem iuris gentium, quòd sint alia quædam iure ciuili publica [a], nempe ea, quæ sunt
2 vniuersitatis. ¶ *Vniuersitatis sunt.*] Descriptus est hic locus ex Martiano [b]. Quæ autem ab eo dicuntur esse vniuersitatis, Tul. lib. primo Officiorum, scribit esse ciuibus inter se communia: cuius
3 generis commemorat forum, fana, porticus, vias, leges, iura, iudicia, suffragia. Vlpianus [c] tamen
4 inter publica non habet, quæ publicis vsibus destinata sunt. ¶ *Non singulorum.*] Loca publica vsibus quidem priuatorum, atque adeo singulorum deseruiunt: sed iure ciuitatis (inquit Vlpianus [d])
5 non quasi propria cuiusque. Itaque vniuersitatis vel Reipublicæ actor, singulorum quoque actor non habebitur: nec debebit singulos defendere [e]. Et seruus vniuersitatis, vt eius tantum seruus est, non singulorum: Ita ab ea manumissus, eius tantum libertus erit, non autem singulorum. Itaque
6 singulos poterit sine venia in ius vocare [f]. Huc quoque pertinet quod respondit Vlpianus [g]; seruum municipum posse in caput ciuium torqueri: quia non sit illorum seruus, sed Reipublicæ: Deinde & illud quod alibi tradit [h]; Statuas in ciuitate positas, nō esse ciuium: & rursus quod alio loco ait [i]; id quod vniuersitati debetur, singulis non deberi: & quod debet vniuersitas, singulos non de-
7 bere. Quem etiam articulum iuris videtur intellexisse Seneca, quum libro sexto de Beneficijs scribit: Si quis patriæ meæ pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec ex hoc æs alienum
8 profitebor, aut candidatus aut reus: ad exoluendum tamen hoc, portionem meam dabo. Porrò cùm in vniuersitate non considerentur singula separatim capita, singulorū mutatio nihil oberit [k]. Sed & si vniuersitas ad vnum caput reciderit, in eo conseruatur [l]. quanquam aliud sit in grege [m].

¶ *Quæ in ciuitatibus sunt, Theatra, Stadia.*] Sic melius hic locus legitur, nulla intersectus dictione, vt, etiam si eam habent quædam vetusta exemplaria. Porrò de Theatris & Stadijs commercio
9 exemptis postea dicetur. Illud tamen hoc loco commemorabo, quod ait Vlpianus [n], competere mihi iniuriarū actionem aduersus eum qui prohibuerit me in campo publico ludere, vel in Theatro spectare, siue in cauea publica sedere, vt apud eundem Vlpianum alibi loquitur Pomponius [o]. Interim autem meminerimus, multis apud Romanos legibus distincta fuisse loca in Theatro, ve-
10 luti Senatorum à plebe: nec omnino omnibus semper patuisse Theatrum. De quibus Theatralibus legibus legito Alexandrum Neapolitanum, lib. Genialium 5. cap. 16.

a L. inter publica. de verb. signifi.
b L. in tantum. §. 1. de rer. diuisi.
c L. inter publica. de verb. signifi.
d L. 2. D. ne quid in lo. pub.
e L. 2. D. quod cuiusque vni. nomi.
f d. l. in tantum. §. 1. de rer. diuisi. l. sed si hac. §. qui manumittuntur de in ius vocan.
g L. 1. §. seruum municipum. de quæst.
h L. statuas. de acqu. rer. domin.
i L. sicut. §. si quid D. quod cuiusque vni. nomi.
k L. proponebatur. de iudic. l. forma. de censi.
l L. sicut, in fi. D. quod cuiusque vniuer. no.
m L. grege. de lega 1.
n L. 1. §. si quis in mari. de ope. no. nunc.
o L. iniuriarum actio neque §. si quis me. de iniur.

Nullius autem sunt res sacræ, & religiosæ, & sanctæ, quod enim diuini iuris est, id nullius in bonis est.

¶ *Nullius autem.*] Hic quoque locus sumptus est ex Martiani responso [p]. Cuius collatio, quæ obuia est, fuerit vtilis. Porrò autem nullius res esse intelligamus, quæ nec vllius hominis, vel vniuersitatis sunt, nec esse possunt, nisi mutata relictaque sua conditione, & qualitate, si quam ab hominibus inditam habent: vt hinc intelligas excludi aërem, mare, & similia, quæ nullius quidem sunt: verùm id natura in ijs euenit, non hominum facto vel opera.

p dict. l. in tantum. §. sacræ.

§. Sacræ res.

1 *Sacrum quid significet.*
2 *Sacræ res quæ dicantur.*
3 *Consecrandi olim ratio.*
4 *Donaria siue anathemata veterum.*
5 *Dijs qualia olim offerenda fuerint.*
6 *Res sacræ mobiles alienantur vrgente causa præ immobilibus.*
7 *Res soli Ecclesiæ non nisi magna religione alienari.*
8 *Alienatio quid?*
9 *Leges satius est Perissologia esse perspicuas, quàm nimia breuitate obscuras.*
10 *Captos à prædonibus redimere, vera est liberalitas.*
11 *Captiuorum redimendorum causa, Christianis olim visa est iustissima.*
12 *Omnis alienationis prohibitio cedit causæ redimendorum captiuorum.*
13 *Redemptus an precium redemptionis reddere teneatur.*
14 *Apud Athenienses Redemptus erat Redemptoris, dum huic satisfieret.*
15 *Pauperum alendorum causa res sacræ possunt alienari.*
16 *Episcoporum exempla, qui res sacras ob famem & captiuitatem Christianorum alienârunt.*
17 *Opes Ecclesiasticas Tertullianus cur* deposita pietatis *appellet.*
18 *Autoritate sua, & priuatim, aliquid sacere, idem est.*
19 *Quod iniussu populi dicatur, non videtur sacrum.*
20 *Æde sacra diruta locus vanire non potest.*
21 *Locus sacer ab hoste captus quatenus sacer esse desinat.*

Sacræ res sunt, quæ ritè per Pontifices Deo consecratæ sunt: veluti ædes sacræ, & donaria, quæ ritè ad ministerium Dei dedicata sunt: quæ etiam per nostram constitutionem alienari & obligari prohibuimus, excepta causa redemptionis captiuorum. Si quis autem authoritate sua quasi sacrum sibi constituerit: sacrum non est, sed prophanum. Locus autem, in quo ædes sacræ sunt ædificatæ, etiam diruto ædificio, sacer adhuc manet, vt & Papinianus scripsit.

¶ *Sacra est.*] Sacrare propriè est Deo dicare. & quia in publicis calamitatibus vnus aliquis deuouebatur cum imprecationibus, vt in eum reciderent, quæcunque mala Reipublicæ impende-
1 bant, dictus est quoque sacer, detestabilis & execrandus, sicut apud Græcos ἐναγής. ¶ *Ritè per Pon-*

tifices Deo consecrata.]Breuius Martianus; Sacræ,inquit,res sunt,quæ publicè consecratæ sunt. Fie- 2
bat autem olim consecratio à Consule, accenso foculo, cum tibicine, verbis quibusdam priscis & 3
solennibus,præeunte Pontifice Max.ac præfante carmen,velato capite,concione aduocata, iussu-
que populi. De Pontificum Romanorum collegio multa congessit Alexander Neapolitanus libro
Genialium 2.cap.8. Itemque de veteri ritu ædis sacrandæ, libro 6. cap.14. ¶ *Donaria.*] Dona Dijs 4
oblata, quæ Græci vocant ἀναθήματα, quia Dijs dicatæ res suspendebantur in tholis columnisve
templorũ. Memorabile autẽ est,quod Festus lib.14. in manumissionibus sacrorũ causa, (sic enim
tales oblationes appellabantur) scribit moris fuisse, dicere; Puri, probi, profani, sui auri, &c. Dijs of- 5
ferendum non erat, quod vel alienum fuisset, vel iam consecratum, vel parum purgatum, vel con-

a L. sancimus nemini. C. de sacros. eccles.

taminatum. ¶ *Quæ etiam.*]donaria: de quibus disertè agit Iustiniani Constitutio [a]. Non est tamen 6
eadem prorsus prohibitio in his rebus mobilibus. Nam vrgente causa, primum alienantur, vt in-
tacta maneant immobilia, & minori difficultate alienantur, quàm res soli: quæ etiam vbi iusta est
alienationis causa, nõ alienantur, nisi magna religione. Sicuti & prædia minorum, vt alienentur, 7

b L. lex quæ. C. de adm. tutor.

c L. vlt. C. de reb. alie. non alien.

præter iustam causam desiderant decretum Prætoris [b]. ¶ *Alienari & obligari.*] Alienationis verbum 8
& obligationem & pignoris nexum intelligitur complecti [c]: sed quia non fit hęc interpretatio nisi
κατ' ἐξοχὴν: ne quid superesset scrupuli, maluit Iustinianus perissologia perspicuus esse, quàm ni- 9
mia breuitate obscurus. ¶ *Excepta causa.*] Tullius lib.2. Officiorum (cuius sententiam laudat La-
ctantius lib 6.) scribit, eos demũ verè esse liberales, qui suis facultatibus, captos à pr ędonibus redi-
mũt: eamq; benignitatem & priuatim & publicè vtilem, magnopere cõmendat. Et hunc morem 10
traditum à Patribus necessariũ esse ad rem militarem tuendam censet Manlius Torquatus apud
Liuium lib.2. Decad. 3. Habuerũt autem Christiani & alias huius humanitatis causas, quòd intel-
ligerent quàm durum esset Christianos viuere inter barbaros idololatras: & suorum religioni me-
tuerent, ne contaminaretur consortio impiorum, præsertim eorum, qui ipsius etiam imperij sui
iure ferociores essent. Itaque semper visa est iustissima redimendorum captiuorum causa, quam 11
Iustinianus in Nouella sua Constit.131. non temerè appellat ὁσιώτατον ἔργον. [plenum religionis & pie-
tatis opus] Et idem in Nou.108 censet potiorem eius esse causam & rationem, quàm demandatæ
restitutionis: sic vt res alioqui restitutioni subiecta & obnoxia, liberè possit propter hanc causam
alienari. Ac ne multis morer; Omnem alienationis prohibitionem iubet huic causæ cedere. Porrò 12
autem à redemptis, quamuis nõ liceat repetere, quod ijs humaniter tributum est in vsum alimen-
torum: ipsius tamen redemptionis precium exigere licet, nisi quinquennalis laboris obsequio pa 13

d L. vlt. C. de postlim. reuer.

e L. 2. C. de postlim. reuer. l. qui testamento. §. 1. de testament.

ratisint vicem referre beneficij, quemadmodum est in Constitutione Honorij & Theodosij [d]. In-
terea autem dum precium redemptionis exoluitur: magis in causam pignoris constituti, quàm in
seruilem cõditionem detrusi videntur [e]. Apud Athenienses autem lex simpliciter iubebat redem- 14
ptum esse redemptoris, donec ei fecisset satis. Sic enim scribit Demosthenes κατὰ Νικοστράτου. οὐδὲ ἀλλ'
ὅτι οἱ νόμοι κελεύουσι, τοῦ λυσαμένου ἐκ τῶν πολεμίων εἶναι τὸν λυθέντα, ἐὰν μὴ ἀποδιδῷ λύτρα. ¶ *Redemptionis* 15

f L. sancimus nemini. C. de sacros. eccle.

captiuorum]Et famis, siue alendorum pauperum, vt adijcitur in eadem Iustiniani Constitutione [f],
Itemque in Nouell. centesima trigesimaprima, vbi Iustinianus dum hunc locum tractat, coniun-
git τὴν τῶν αἰχμαλώτων ἀνάῤῥυσιν, καὶ πτωχῶν ἀποτροφάς. Certè legimus in Ecclesiasticis historijs; Episco- 16
pum Cyrillũ, vt fami & necessitati populi sui Hierosolymitani subueniret, omnem supellectilem
Ecclesiasticam à Constantio Imperatore donatam, sacrataq; vasa vendidisse, nihil veritum Im-
per. indignationem. Idemq; fecisse Acacium Episcopum Amidæum, vt captiuos redimeret, mul-
tosque pauperes pasceret in Perside. Postremò & Ambrosius lib.2. de offic. testatur sese idem facti-
tasse, factumque suum grauiter tuetur aduersus Arrianos. Et Gregorius I. Pont. lib. 6. epist. 11. ad
Fortunatum Episcopum Fanensem. & epist. 35. ad Episcopum Messanensem, agit de vendendis
vasis sacris, vt captiui redimantur. Id quod quàm piè factum fuerit, satis intelliget, qui ex Tertul-
liano didicerit, in quos olim vsus habebantur opes Ecclesiasticæ. Ita enim ille in suo Apologetico 17
scribit: Hæc erant quasi deposita pietatis. Nam inde non epulis, nec ingratis voratrinis dispensa-
batur; sed egenis alendis humandisque; & pueris, pupillisque, re, & parentibus destitutis; ætateq;
domitis senibus. ¶ *Authoritate sua.*]Apud Martianum est, PRIVATIM. Constat autem olim apud 18
Romanos ex lege Papiria nihil sacrari potuisse iniussu populi. Quod & Tullius libro quarto ad
Atticum significat. Certè cùm Licinia Vestalis ędiculam sub sacro dedicasset saxo, Scæuola Pontif. 19
respondit, quod iniussu Populi dicatum esset, non videri sacrum. Huc pertinet, quòd Plato noluit,
Deorum delubra à priuato constitui. quod etiam admodum seuerè confirmauit Iustinianus No-
uella sua Constit.151. ¶ *Vt & Papinianus scripsit.*]Nempe lib.3. responsorũ: cuius adhuc verba in Pan-

g L. æde. de contrah. empt.

dectis extant [g] hæc: Æde sacra terræ motu diruta, locus ædificij non est profanus: & ideo vænire nõ 20
potest. Huc quoque pertinet rescriptum Traiani Imp. quod extat libro decimo Epistolarum Pli-
nij; Vt licet ædes sacra Claudij Cæsaris collapsa sit; religionem tamen eius occupasse locum. Sanè si
locus sacer vel religiosus ab hostibus capiatur, desinit sacer esse vel religiosus: sed si ab hac calamita- 21
te fuerit liberatus: quasi quodam postliminio reuersus, pristino statui restituitur, vt est apud Pom-
ponium [h].

h L. cùm loca. de relig. & sump. fu.

§. *Religiosum.*

1 Discrimen inter religiosum locum & sacrum.
2 Si quis diuersis in locis sepultus, vbi caput conditur, locus sacer est.
3 Cenotaphium an locum religiosum faciat.

4 Locus

Religiosum locum vnusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum. In communem autem locum purum inuito socio inferre non licet: in commune verò sepulchrum etiam inuitis cæteris licet inferre.

¶ *Sua voluntate facit, dum mortuum infert.*] Non sunt hæc separanda. Nam ipse Iustinianus veluti interpretatur, quomodo quis sua voluntate faciat religiosum locum, nempe mortuum inferendo: ne quis existimet omnino sola nostra & simplici voluntate id fieri. Nam & præterea opus est aliquo facto: sed quia id est in vniuscuiusque potestate, possumus hîc notare discrimen religiosi
1 loci, & sacri, quem dictum est priuato facto alicuius fieri non posse. ¶ *Mortuum.*] Vel hominis cadauer, vel saltem eius caput. Vnde Paulus [a], Cùm (inquit) in diuersis locis sepultus quis est, vterque quidem locus religiosus non fit: quia vna sepultura sepulchra plura efficere non potest: mihi
2 autem videtur, illum esse religiosum locum, vbi quod principale est, conditur, id est caput: vnde qualis cuiusque imago sit, cognoscitur.

¶ *Infert.*] De illatione ea loquitur, quæ sepulturæ causa fit, vt ait Vlpianus [b]. Nec sane locus vbi cremabatur corpus, priusquam iniecta esset gleba conditis cineribus, religiosus erat. Et si quis inferret, meditatus postea transferre, non faciebat religiosum. Cenotaphium autem, hoc est, ina-
3 ne & imaginarium sepulchrum facere locum religiosum putauit Martianus: sed Diuos Fratres contrà rescripsisse Vlpianus testatur [c]. ¶ *Locum suum.*] Hoc est, proprium, certo iure dominij soli. Nam locum sub conditione legatum, interim hæres inferendo mortuum, nõ facit religiosum, inquit Paulus [d]. Qui tamen pignori obligauit fundum suum, nihilominus, si in eum mortuum intulerit, religiosum [e] facit.
4 ¶ *Locum purum.*] Purus locus dicitur (inquit Vlpianus [f]) qui neque sacer, neque sanctus, neque religiosus est: sed ab omnibus eiusmodi nominibus vacare videtur. Sic & Imp. Antoninus puram possessionem vocat [g]. Liuius autem purum & patentem campum dixit, in quo sine insidia-
5 rum metu res geri, collatisque signis liberè & apertè dimicari potest. ¶ *Inuito socio.*] Nam in re communi potior est causa prohibentis [h], maximè si eius intersit. Nec potest quis in re communi facere, quod socij partem redderet deteriorem, aut eius aliquo modo interturbaret [i] vsum. Itaque non potest suo facto rem communem religione obstringere in fraudem socij. Quamuis autem
6 non faciat locum religiosum, inferendo mortuum, tamen Trebatius & Labeo putant in factum actione teneri [k]: Vlpianus etiam familiæ erciscundæ, vel communi diuidundo [l]. ¶ *Inferre.*] Extraneum scilicet hominem. Cæterùm ex ipsis socijs aliquem licet inferre, etiam omnibus reclamantibus, maximè si alius non sit locus in quo sepeliatur [m]. ¶ *In commune verò.*] Sic alibi Vlpianus [n]; Sanè, inquit, ius inferendi in sepulchrum, vnicuique in solidum competit. Loquitur autem
7 de rebus communibus. Et notum est, liberum esse vel reclamante, & inuito socio rem trahere ad
8 vsus destinatos [o]. ¶ *Commune sepulchrum.*] Veteres olim habebant communes quosdam sepulchrorum loculos, sicuti & domesticos atque familiares, quorum frequens est in iure nostro mentio [p]. Solebat enim tota familia particeps esse sepulcri patrisfa. extra cuius sacra non licebat inferre cadauer. Et quanquam aliquando apud Romanos lege cautum fuit, ne in genus aut posteros sepulchra descenderent: nouo tamen postea edicto rursus ad genus & familiam pertinuêre.
9 Certè Senatus Rom. in campo Exquilino locum designari voluit, in quem Seruius Sulpitius inferretur: quod sepulchrum ipsius, libertorum, posterorumque eius esset.

a L. cùm in diuersis. de religio.
b L. 2. §. Prætor ait. de religios.
c L. sed Diui. de rer. diuis.
d L. si locus. de reli.
e L. 2 §. vlt. D. eodẽ.
f d. L. 2. §. purum autem.
g L. 2. C. de relig.
h L. Sabinus. D. commu. diuid. L. fistulam. §. penul. de ser. vrb. præd.
i L. nemo ex socijs. D. pro soc.
k L. si quis putans. §. si quis in communem. D. commu. diui.
l L. 2. §. an & socius. de relig.
m L. si plures. D eodẽ.
n d. L. §. si quis in communem.
o L. si ædes. D. cõmu. diuid. l. arboribus. §. vsufr. de vsufr.
p L. familiarum. de relig. l. in familiarib. C. illo tit.

Item si alienus vsusfructus est: proprietarium placet, nisi consentiente vsufructuario, locum religiosum non facere. In alienum locum consentiente domino licet inferre: & licet postea ratum non habuerit, quàm illatus est mortuus, tamen locus religiosus fit.

¶ *Item si alienus.*] Totius huius loci interpres est Vlpianus [a], inquiens; Si alius proprietatem,
10 alius vsumfr. habeat, non faciet locum religiosum proprietarius: nisi fortè ipsum qui vsumfr. legauit, intulerit; cum in alium locum inferri tam opportunè nõ posset: & ita Iulianus scribit. Aliàs autem inuito fructuario locus religiosus non fiet. Sed si consentiat fructuarius, magis est, vt locus religiosus fiat. Porrò autem, ne existimaremus, alterius seruitutis quàm vsusfr. rationem nõ haberi, subijcit Vlpianus: locum, qui seruit, nemo religiosum facit, nisi consentiat is, cui seruitus debetur.
11 Sed si non minus commodè per alium locum seruitute vti potest, nõ videtur seruitutis impediendæ causa id fieri, & ideo religiosus fit. ¶ *Nisi consentiente vsufructuario.*] Quo casu adhuc multum tribui fauori religionis, tradit Vlpianus [b].

a L. 2. §. si vsumfr. de relig.
b L. locum. de vsufr.

a *L. si locus. de relig.* b *L. 2. §. 1. D. eodem.* c *L. offic. §. si in locum. D. eodem.*

¶ *In alienum.*]Idem & si alteri sit debitus: veluti legatus, etiam si sub conditione [a]. Quòd si bona tantum fide ab alio possessus sit, necesse non est eius consensum morari [b]. Sed quid si fuerit locus publicis vsibus destinatus? Obscure Vlpianus respondet [c], Si in locum publicis vsibus destina- 12
tum intulerit quis mortuum, Prætor in eum iudicium dat. Si dolo fecerit, erit extra ordinem plectendus, modica tamen coërctione: Sed si sine dolo malo, absoluendus est. Ex his Vlpiani verbis non satis licet deprehendere, an locus fiat religiosus. Porrò & olim apud Romanos agitatum fuit, an in campum Martium inferre liceret sine decreto publico, cùm Iulia Cæsaris filia, Pompeij vxor 13
in eo sepulta esset, reclamante Domitio. Sic enim scribit Dion Historicus: ἐν τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ γὰρ ἡ τοῦ Πομπηΐου γυνὴ θυγατρίδιόν τι τεκοῦσα ἀπέθανε: καὶ αὐτήν, εἴτε διαπραξαμένων τι ἐκείνου, καὶ τοῦ Καίσαρος φίλων, ἢ καὶ ἄλλως τινὰς χαρίσασθαι ἐθελήσαντας συναρπάσαντες, ἀπὸ δὴ τάχιστα τῆς ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐπαίνων τυχ., καὶ ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ ἔθαψαν, καίτοι Δομιτίου ἀντειπαμένου καὶ λέγοντος ἄλλα τε, καὶ ὅτι οὐχ ὁσίως ἐν τῷ ἱερῷ τόπῳ ἄνευ τινὸς ψηφίσματος θάπτοιτο. ¶ *Consentiente domino.*] Citra cuius consensum, si quis intulerit: aut id tollere 14
quod intulit, aut loci precium præstare cogitur, per actionem in factum, quæ tam hæredi, quàm in hæredem datur, & perpetua est [d]. Quod si quis semel simpliciter consenserit: adimit ei religio locum. Vnde & cùm venditor consentiente emptore illatus esset in fundum venditum: responsum est, emptorem statim perdidisse proprietatem rei emptæ: simulque intercidere actionem de euictione [e]. ¶ *Postea ratum non habuerit.*]Expungendam hic esse negationem ostendit responsum Marciani, ex quo hic locus est descriptus. Illud enim sine negatione legitur in Pandectis Florentinis [f]. Satisq; suffragatur Græca Theophili translatio. vt hic intelligamus religiosum locum fieri, quamuis non concedente domino primùm, illatus fuerit mortuus, modo id postea ratum habuerit. Nempe quòd tali habitio mandato comparetur. Quanquam non negauerim, quin & illud verum 15
sit, eum, qui à principio consenserit, frustra postea pœnitere, quum amplius res integra non sit. 16
Nam & alioqui perpetuo iactaretur infœlix cadauer. spargerenturque ossa iam in putrem dissoluta puluerem, nusquam certas aut quietas sedes habitura, si statim ad nutum variabilis domini migrare cogerentur. Certè Diui Fratres edicto admonuerunt, ne iustæ sepulturæ traditum cor- 17
pus inquietetur [g].

d *L. is qui intulit. de relig.* e *L. si per imprudentiam. §. si quis locum. de euict.* f *L. in tantum. §. religiosum. de rer. diui.* g *L. Diui Fratres. de relig.*

§. *Sancta quoq;.*

1 *Sancta quæ dicantur.*
2 *Sagmina herbæ quæ?*
3 *Ramus oleæ legationis olim deprecatricis insigne.*
4 *Muri & pomœria Romanis olim sancta.*
5 *Portæ cur olim sanctæ non fuerint.*
6 *Municipiorum quoq; muri sancti sunt.*
7 *Muros violans, capite cur puniatur.*
8 *Remus à Romulo cur occisus.*
9 *Tarquinius Priscus lapideo muro primus vrbē cinxit.*
10 *Quod de securitate ciuitatis dicitur, idem & in castris obtinet.*
11 *Inter vallum, murum, & fossam olim castrorū quid interfuerit.*
12 *Perniciosa exempla maioris mali sunt illecebræ.*
13 *Sanctio quid?*
14 *In sanctionibus olim adiecta fuit capitis pœna.*

Sanctæ quoque res veluti muri & portæ ciuitatis, quodammodo diuini iuris sunt: & ideo nullius in bonis sunt. Ideo autem muros sanctos dicimus, quia pœna capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint. Ideo & legum eas partes, quibus pœnas constituimus aduersus eos, qui contra leges fecerint, Sanctiones vocamus.

h *L. sacra. §. propriè. de rer. diuis.* i *L. sanctum. de rer. diuis.* k *L. 1. de rer. diuis.* l *L. 2. D. ne quid in loco sac.* m *L. sanctum §. vlt. de rer. diuis.* n *L. vlt. de rer. diui.*

¶ *Sancta quoq; res.*]Inquit Vlpianus [h]; Propriè dicimus sancta, quæ nec sacra, nec profana sunt, 1
sed sanctione quadam confirmata. Nec dissimilis est definitio, quam ex Trebatio refert Macrobius lib. 3 Saturnal. cap. 3. Et noster Marcianus [i], Sanctum, inquit, est, quod ab iniuria hominū defensum atq; munitum est. Sanctum autem dictum est à Sagminibus. Sunt autem Sagmina, quæ- 2
dam herbæ, quas Legati Populi Rom. ferre solebant, ne quis eos violaret: sicut legati Græcorum ferunt ea, quæ vocantur κηρύκεια. Hicq; obiter admonendi sumus, sinceriorem esse hanc eius loci lectionem, quàm sit illa Alexandri Neapolitani, qui legendum putat ἱκετηρία, intelligens, opinor, ramum oleæ lana obuolutum: sed eum non conuenisse, nisi supplici vel deprecatrici legationi, o- 3
stendit ipsius vocis significatio. ¶ *Veluti muri.*] Tullius lib. 2. de Natura Deorum, Muros, inquit, vrbis vos Pontifices sanctos esse dicitis. Sed & ipsa quoq; pomœria fuisse Romanis sancta constat. Vetus lex Romuli fuit, MOENIA SACROSANCTA SVNTO. ¶ *Et portæ.*]Sic & Caius [k], & Hermo- 4
genianus [l] portas dicunt sanctas. Constat tamen olim nō fuisse: vel quia earum locus solenni more 5
non signabatur ab vrbium cōditoribus: vel quia per eas cadauera efferebantur: & quod funestum esset, sanctum esse non poterat. Eiusmodi recenset causas discriminis inter muros, & portas Plutarchus in Problemate, διὰ τί τὸ μὲν τεῖχος ἄσυλον καὶ ἱερὸν νομίζουσι, τὰς δὲ πύλας οὐ νομίζουσιν. ¶ *Ciuitatis.*] 6
Nempe, cuiuslibet, etiam municipij. Nam & eius muros sanctos esse Sabinus respondit [m]. ¶ *Quia pœna capitis.*]Inquit Pomponius [n]; Si quis violauerit muros, capite puniatur: sicuti si quis transcendat scalis admotis, vel alia qualibet ratione. Ciues enim Romanos aliâ quàm per portas, egredi nō 7
licet: cùm illud hostile, & abominandum sit. Nam & frater Romuli Remus occisus traditur ob id, 8
quòd muros transcendere voluerit. Sic & Plutarchus in Problematibus scribit ex Varrone; τὸ μὲν τεῖχος ἱερὸν δεῖ νομίζειν, ὅπως ὑπὲρ αὐτοῦ μάχωνται προθύμως, καὶ ἀποθνήσκωσιν. οὕτω γὰρ δοκεῖ καὶ Ῥωμύλος ἀποκτεῖναι τὸν ἀδελφόν, ὡς ἄβατον καὶ ἱερὸν τόπον ἐπιχειροῦντα διαπηδᾶν, καὶ ποιεῖν ὑπέρβατον καὶ βέβηλον. Certè Tullius libro 3. Offic. iudicauit Romulum hac in re peccasse aduersus pietatem & humanitatem: & quam is op-

posuit

posuit speciem honestatis, non putauit fuisse probabilem, vel idoneam aduersus fratrem. Ac fortassis ideò hinc factum est, vt hæc causa occisi Remi Dionysio Halicarnasseo suspecta sit, & pleris-
9 que videatur fabulæ similis. Certè si transilijt muros Remus, oportet eos fuisse ligneos. Nam primus Tarquinius Priscus lapideo muro vrbem cinxit. Sed vtut sit, iusta visa est capitalis pœna delinquentium in muros ciuitatis: quos nisi aliqua seueritate tuearis, non præstabũt quam debent Reip. securitatem: nec poterũt ciues i, s fidere, parum tuti aduersus improuisam hostium vel grassatorum vim. Sanè quod hic de ciuitate dicitur, necessarium visum est etiam in castris obtinere.
10 Vnde Modestinus [a], Si quis, inquit, vallum transcendat, aut per murum castra ingrediatur, capi- a L.3 §.in bello. De re milit.
te punitur: Si verò quis fossam transiuit, militia reijcitur. Quid autẽ interfuerit inter vallum, mu-
11 rum, & fossam castrorum, melius intelliget qui legerit sextum Polybij librum de Romanorum castrorum metatione. ¶ *Delinquunt.*] Etiam si leue sit damnum & incommodum. Nam nec id b L. 2. D. ne quid in loco sacro.
12 vllo modo permitti debet [b]; peruiciosum enim est exemplum, & maioris mali esset illecebra. Sed neque muri, neque portæ habitari sine permissu principis possunt propter fortuita incẽdia [c]: imò c L. vlt. D eodem.
nec refici [d]. Adeò hi loci sancti, à priuatis intacti esse debent. ¶ *Sanctiones vocamus.*] Fit apud Papi- d L. sacra § muros autem. de rer. diuis.
13 nianum [e] mentio Sanctionis legum, quæ certam pœnam irrogat ei, qui legis præceptis non obtemperauerit. Estque propriè Sanctio, lex cum terrore pœnæ. Vnde Tullius pro Cornelio Balbo, e L. sanctio legum. de pœnis.
Sanctiones, inquit, sacrandæ sunt, aut genere ipso, aut obtestatione, aut consecratione legis, aut
14 pœnæ: cùm caput eius qui contrà fecit, consecratur. Vlpianus quoque refert [f], in sanctionibus ad- f L. sacra. §. propriè. de rer. diuis.
ijci solitum; Vt qui ibi aliquid commiserit, capite puniatur.

§. *Singulorum autem.*

1 Institutionum cum Pandectis cæterisq; Iuris C. libris collatio est studiosis necessaria.
2 Lex naturalis antiquissima.

Singulorum autem hominum multis modis res fiunt. quarundã enim rerum dominium nanciscimur iure naturali, quod (sicut diximus) appellatur ius gentium: quarundam verò iure ciuili. Commodius est itaque à vetustiore iure incipere: palàm est autẽ vetustius esse ius naturale, quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit. ciuilia autem iura tunc esse cœperunt, cùm & ciuitates condi, & magistratus creari, & leges scribi cœperunt.

¶ *Quarundam enim, &c.*] Initio hic admonendi sumus, quæcunque in hoc titulo sequuntur ad finem vsque, omnia ferè ad verbum descripta ex libro secundo Institutionum Caij, cuius verba referuntur in Pandectis, & occupant primam magnamque partem tituli, De acquirendo rerum do-
1 minio. Quod dico, vt studiosos admoneam collationis, quam vellem ijs esse cõmendatissimam. plerunque enim interpretationis loco est, & multum lucis adfert, ostenditque diligentiam Iustiniani modò aliquid adijcientis, modò contrahentis. Nec parum momenti habet, ipsos excussisse fontes: quos sanè contempsisse tam obuios, extremæ fuerit ignauiæ & socordiæ. ¶ *Ciuilia autem iura.*] Id à Iustiniano adiectum est, quo magis intelligeremus, quod etiam scribit Tullius lib. 1. de Legibus, legem illam naturalem fuisse, antequam ciuitas vlla constituta esset, vtpote natam cum
2 ipsis hominibus, quos casulis & collibus contentos certum est diu ignorasse omnem politiam, nullasque habuisse ciuitates. Id quod etiam de priscis Germanis rudem adhuc simplicitatem retinentibus refert Tacitus. Et Athenienses constat sparsim habitasse sine vlla ciuitate vsque ad tempora Thesei. Refertque Iustinus Gallos primùm à Massiliensibus vsum vitę cultioris, deposita barbarie, & agros colere, & vrbes mœnibus cingere, didicisse.

§. *Feræ igitur.*

1 Modi acquirendi apud Aristot. & Cic. qui?
2 Ferum ex præsenti magis feritate accipiendũ, quàm ex animalis genere.
3 Bestia & Behemah quid significent?
4 Feri manent pisces non tam natura quàm loci ratione.
5 Anguillas cicures reperiri.
6 Murena Crassi, & Delphinus Iassensis pueri, cicures.
7 Cicurem piscem si quis capiat, occupationi locus non est.
8 Nullius aliquid esse quomodo dicatur.
9 Loca deserta occupandi libertas an manserit semper eadem.
10 Aelius Pertinax loca in Italia inculta occupantibus permisit.
11 Inculta olim loca fuisse principis.
12 Feræ in syluis circumsepta si euagentur, possunt ab alio occupari.
13 Nemoribus principum inclusa feræ singulare habent priuilegium.

Feræ igitur bestiæ, & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cœlo, & terra nascuntur, simul atq; ab aliquo capta fuerint, iure gentium statim illius esse incipiunt.

1 ¶ *Feræ igitur, &c.*] Aristoteles lib. 1. Politicorum, agens de naturalibus acquirendarum rerum

 modis

modis iustisque rationibus, enumerat νομαδικὴν, γεωργικὴν, λῃστρικὴν, ἁλιευτικὴν, θηρευτικὴν, καὶ πολεμικήν. Quibus verbis breuiter ea fere omnia complexus est, quæ hic multis explicantur. Cicero lib. 1. Offi. generaliora quædam refert genera rerum acquirendarum, nempe Occupationem, Victoriam, Legem, Pactionem, Conditionem, Sortem. ¶ *Feræ bestiæ.*] Ferum est (inquit Varro) quod à cicure discretum est: quodq; naturali suo impetu fertur & ruit, nullo hominum commercio man-

a L. 1. §. bestias. de pastula.

suefactum, vel imperio domitum. Porrò autem docet Vlpianus [a] ex præsenti magis feritate id ac- 2
cipiendum, quàm ex animalis genere. Nam posset esse leo, sed mansuetus: vixque vlla est tam fera belua, quæ non posit tandem cicurari. Ita enim Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς ait; τῶν θηρίων τὰ ἄγρια πολλὰ ὁρῶμεν πολλάκις τιθασευόμενα καὶ χειροήθη γιγνόμενα τοῖς πόνοις. Ergo solum ferum animal pro-
priè intelligetur simplici bestiæ appellatione, nisi aliud inuexerit communis loquendi vsus. Certè 3
apud Hebræos behemah, vnde videtur deductum bestiæ nomen, potius animalia domestica & mansueta significat Hieronymus vertit iumenta, primo capite Geneseos, vbi Moses agit de tribus terrestrium animalium generibus. Sed idem Hieronymus bestias dixit pro feris, quas septuaginta dixerant θηρία.

¶ *Et volucres.*] Hic repetendum est verbum, feræ, vti perspicuum est ex sequentibus, vbi eadem adhibetur distinctio ferarum & cicurum volucrium. ¶ *Et pisces.*] De horum natura fera vel mansueta nihil subijcitur: fortasis quòd videantur omnes pisces feri, qui nihil habent commercij cum hominibus, quo cicurentur, vel vnde discant illam mãsuetudinem, quam facilius discere possunt animalia terrestria, pasim mixta hominibus. Id quod scitè admodum quidam Phædimus apud Plutarchum in libello πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα, τὰ χερσαῖα, ἢ τὰ ἔνυδρα, scribit his verbis: τὰ μὲν ἐν γῇ διὰ τὴν ὁμοφυλίαν καὶ τὴν δίαιταν, ἀμωσγέπως συναναχρωννύμενα τοῖς ἀνθρωπίνοις ἤθεσιν, ἀπολαύει καὶ τροφῆς καὶ διδασκαλίας καὶ μιμήσεως. ὁ δὲ τῶν ἐνάλων βίος ὅροις μεγάλοις τῆς πρὸς ἀνθρώπους ἀπῳκισμένος ὁμιλίας ἐπείσακτον, οὐδὲ συνειθισμένον ἔχων, ἔστι καὶ αὐτογενὲς καὶ ἄκρατον ἀλλοτρίοις ἤθεσι διὰ τὸν τόπον, οὐ διὰ τὴν φύσιν. Vt au-
rem magis probet, quod ait, feros manere pisces, non tam propter naturam, quàm locum: addit 4
in Arethusa anguillas, quas vocant sacras, cicures multas reperiri. Refert quoque Murenam Crasi, 5
cuius ille mortem luxit. Item Delphinum Iassensis pueri fidum & familiarem vectorem. Quan- 6
quam itaque liberior sit piscatio, si quis tamen fortè incideret in cicurem piscem, qui certum iam 7
aliquem dominum habeat, cui sese addixerit; merito credemus occupationi locum nõ esse, exemplo aliarum cicurum animantium. Nec alia ratione hanc speciem, quàm quod rarior sit & infre-

b L. 2. de acquir. rer. domin.

quentior, arbitror à legislatore prætermissam. ¶ *Statim illius esse incipiunt.*] Addit Florentinus [b], & ea quæ ex his apud nos edita sunt. Certè vtrunque eleganter complexus est Quintilianus, declam. 13. his verbis; Multa quæ libera fuerant, transeunt in ius occupantium. Nam vt cæteras animantes hominum causa finxerit Prouidentia: quod omnibus nascitur, industriæ præmium est, eaque est conditio, vt quicquid ex his animalibus in vsum hominis cesserit, proprium sit habentis. Deinde subijcit Fabius, consequi, vt si quod generat meum sit, etiã quod nascitur meum fiat. Quem etiam articulum postea Iustinianus tractat.

Quod enim antè nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. nec interest, feras bestias & volucres, vtrum in suo fundo quis capiat, an in alieno.

¶ *Quod enim ante nullius est.*] Nullius (inquam) vel quia à nemine prius fuit occupatum: vel à 8
domino derelictum. hic enim demum ius habet occupatio. Alioqui verò nihil præter pœnã consequitur: vt si rem commercio exemptam inuaserit quis. Nam si sacram, sacrilegus iudicabitur: si liberum hominem, plagiarius. Idem & si res non sit prorsus derelicta. Si quis enim inuaserit iacentem hæreditatem, reus erit criminis expilatæ hæreditatis. ¶ *Occupanti conceditur.*] Tull. lib. 1. Offic. Sunt (inquit) priuata nulla, natura. sed aut veteri occupatione, vt qui quondam in vacua venerũt,
&c. Cuius occupationis ius paulò antè quoque probauimus ex Quintiliano. Sed illud sæpe quæsi- 9
tum est, an eadem semper manserit libertas occupandi loca deserta & inculta, cuiusmodi pasim multa sunt. Et ego quidem crediderim ea adhuc esse debere industriæ præmia, vt fiant occupantis & excolentis. idque Reip. vtilius est. Certè Herodianus refert Imp. Ælium Pertinacem, quicquid
in Italia aut vsquam gentium inculti soli esset, permisisse occupantibus colentibusque, donata im 10
munitate decem annorũ. Verùm fortasis aliquis ex hoc principis singulari beneficio colliget contrariam esse iuris cõmunis dispositionem. Certè Appianus lib. 1. scribit, decimã partem fructuum, Reip. solitam pendi pro vectigali eorum agrorum, qui deserti ad culturã redigerentur. Vnde multi conijciũt inculta olim loca fuisse Reip. vel principis. ¶ *Feras bestias & volucres.*] Non addit etiam
pisces, quia non temerè in alieno loco reperias pisces qui nullius sint. Nemo enim in piscina colli- 11
git, vel in viuario suo alit pisces, nisi suos, & proprios: sic vt minimè occupationi pateant. Quomo-

c L. 3. §. item feras. de acqui. possess.
d L. vsufructuarium venari. §. sin viuarijs. l. item si fundi. §. aucupiorũ. de vsufr.

do & si feræ essent in alieno, capi etiam non possent. Vnde Paulus [c] inquit, feras bestias, quas in viuarijs incluserimus, & pisces, quos in piscina collegerimus, à nobis posideri. Et adeò quidem, vt nec intercipi posint à fructuario: cùm is solo prouentu redituq; contentus esse debeat [d]. Ergo cum iam pasim quisque propria habeat priuataque sua viuaria siue leporaria (Galli appellant, *Garennes.*) non temerè licebit quicquam in alieno capere, quod non sit alienum. ¶ *An in alieno.*] In quo adhuc relictæ sunt libertati naturali: nec inclusæ seruantur. Itaq; licet Paulus fateatur feras bestias viuarijs inclusas, vel pisces in piscina collectos, vel aues, quas inclusas habemus, non parere occupationi: quia scilicet à nobis posideantur: tamẽ existimat pisces, qui in stagno sunt, aut feras, quæ
in syluis circumseptis euagantur; quoniam relictæ sunt in libertate naturali, non esse omnino no- 12
stri dominij; nec à nobis posideri: sic vt posint adhuc ab alio occupari. Quod tamen crediderim

accipiendum

accipiendum de ijs, quæ nulla nostra custodia coërcentur. Nec temerè trahendũ esse ad septa prin-
cipum nemora quę Græci appellant Paradysos, Galli, *Parcs*: in quibus varia animalia ad vsum vo-
luptaris aut venationis includuntur, & possidentur adempta naturali libertate. Et huc pertinere
puto, quod cũ ageretur de fructibus à malæ fidei possessore restituendis: Papinianus negauit qui- *a L. venationem. De*
dem venationem in fructu fundi esse: sed excepit, nisi fructus fundi ex venatione constet [a]. *vsur.*

§. *Planè qui.*

1 *Qui agrum alienum venandi gratia ingreditur, à domino prohiberi potest.*
2 *Domus sua cuique tutissimum ac liberrimum receptaculum.*
3 *Iniuriam facit, qui in fundum alienum inuito domino irrumpit.*
4 *Ingressus fundum alienum, à domino etiam vi expelli potest.*
5 *Capta in alieno contra domini voluntatem, non sunt capientis.*

Planè qui alienum fundum ingreditur venandi aut aucupandi gratia: potest à domi
no, si is præuiderit, prohiberi, ne ingrediatur.

¶ *Planè qui alienum, &c.*] Sic Vlpianus [b], Sæpissimè (inquit) rescriptum est, non posse quem *b L. iniuriarum actio*
1 piscari prohiberi, sed nec aucupari: nisi quòd ingredi quis agrum alienum prohiberi potest. Sed & *neq. §. si quem tamē. De iniur.*
diuus Pius rescripsit aucupibus, οὐκ ἔστιν εὔλογον ἀκόντων τῶν δεσποτῶν ὑμᾶς ἐν ἀλλοτρίοις ἰξεύειν. Et sanè æquũ *c L. Diuus de seruit.*
est, vnumquemque in suis septis tuto & liberè agere: quoniam debet esse cuiq; sua domus tutissi- *rusti præd.*
2 mum ac liberrimũ receptaculũ [d]: fueritq; admodum durum cuiuslibet libidini vel curiositati pa- *d L. plerique. de in ius*
tere secreta nostrarum possessionum. Esto itaq;, vt inscio domino fortè permittatur eius fundum *vocand.*
3 ingredi, dum aliquid captatur, quod nullius est: saltē eo inuito & repugnāte irrumpere, non caret
iniuria. Certè iniuriatũ agi potest aduersus eũ, qui re mea vti me nõ permittit [e]. ¶ *Potest prohiberi, ne* *e L. iniuriarum actio*
4 *ingrediatur.*] Etiam vi, si opus sit: quod & olim rectè obiecit Cecinnæ Ebutius, vt refert Cicero. Sed *neque. §. si quis me. de iniur.*
& iam ingressum expellere licet, etiam vi, saltem incontinenti [f]. Nota est illa vox, quam Tertullia *f L. idem est. §. cūreiicitur. de vi & vi arm.*
nus in libro de præscrip. indicat fuisse veterum Iurisconsultorum. Quid in meo facitis non mei?
5 Certè contemptus domini prohibentis ingredi, vel ingressum iubentis egredi, iniuriam habet: vt
si quid deinde in alieno capiatur, non sit capientis, qui iuri non obtemperauit: sed potius fisci, ad
quem pertinet malè partorum ademptio, quæ vt indignis auferuntur: ne quis speret vim suam &
improbitatem non modò impunitam fore, sed & lucrosam.

§. *Quicquid autem.*

1 *Captum à nobis dicitur, quod nostra cura & industria captum est.*
2 *Canes vltro in venationem exeuntes, vertagi appellati.*
3 *Captarum rerum proprietas sola possessione conseruatur.*
4 *Res mobiles eatenus possidentur, quatenus sub nostra custodia sunt.*

Quicquid autem eorum ceperis, eousque tuum esse intelligitur, donec tua custodia
coërcetur. Cùm verò tuam euaserit custodiam, & in libertatem naturalem sese receperit:
tuum esse desinit, & rursus occupantis fit.

1 ¶ *Quicquid autem eorum ceperis.*] Captum à nobis dicimus vt nostrum fiat, quod nostra cura &
industria captum est. Nam si aper inciderit in laqueum, quem venandi causa posueram: si in eo ita
cohæserit, vt expedire se non possit, statim nobis acquiritur [g], etiam tum fortè ignorantibus & ab- *g L. in laqueū. de acq. rer. dom.*
sentibus. Satis enim est nos tetendisse laqueum animo eius acquirendi, quòd eo implicaretur. Sed
quid si animal nostrum, nobis interim nihil tale agentibus, vltrò aliquid ceperit, quod etiam so-
2 leat vltrò domum referre? vt sunt illi canes, vltro in venationem exeuntes, quos Vertagos appella-
runt veteres. Digna certè hæc est conuiuali disceptatione quæstio: eiusque definitionem literatis
conuiuijs relinquere melius esse puto. Addam tamen sententiam Martialis: *Non sibi, sed domino*
venatur Vertagus acer, Illæsum leporem qui tibi dente feret. Nec dissimilis fuerit quæstio de auibus al-
lectatricibus, quæ ab Aristotele libro 9. de histor. animal. dicuntur παλεύτριαι, vt sunt coturnices &
anates & similes, quæ in hoc aluntur, vt alias sui generis alliciant & simulando ducant incautas in
3 retia, aucupe plerunque absente. ¶ *Eousq; tuum esse intelligatur.*] Nam harum rerum proprietas con
seruatur sola possessione: adeò vt ad retinendum dominium parum prosit impressisse aliquam no
tam animali: quia nec naturalem eius libertatē ea tollat impressio. Porrò autem vt intelligamus
quàm latè pateat, quæ hic à Iustiniano proponitur regula, lubet aliam quoque adijcere, quam Pau *h L. 3. §. Neratius filius de acq. rer. poss.*
lus proponit his verbis [h]: Neratius filius ait, res mobiles, excepto homine, quatenus sub custodia no-
4 stra sint, eatenus possideri. Nam pecus simul atque oberrauerit, aut vas ita exciderit, vt non inue-
niatur, protinus desinere à nobis possideri: licet à nullo possideatur. dissimiliter atque si sub custo-
dia mea sit, nec inueniatur: quia præsentia eius sit: sed tantum cesset interim diligens inquisitio.
¶ *Sese receperit.*] Vltrò scilicet, & naturali desiderio libertatis recuperandæ. Cæterùm si ab alio
solicitatum

solicitatum vel captatum sit animal, vel furto sublatum: vt magis mutarit seruitutem, quàm euitarit: non protinus desinet esse nostrum. ¶ *Rursus occupantis fit.*] In Pandectis ex Florentino adijcitur hæc satis alioqui nota exceptio,[a] nisi mansuetum sit animal, mitti ac reuerti solitum. De quo nos postea dicemus.

a L. 4. D. eodem.

§. *Naturalem autem, &c seq.*

1 *A feris animalibus vi subtracta, an nostra esse desinant.*
2 *Casus de porcis à lupo ablatis & receptis.*
3 *Dominio ob difficilem persecutionem non excidimus.*
4 *Certa rei captiuitas, rem certò nostram facit.*
5 *Venationis oblectatio honestissima.*
6 *Venatum ire militi olim non licuit.*
7 *Persequens feram, ab alio insidiosè anteuerti non debet.*
8 *Industria fatigata non fraudanda.*
9 *Theophili error cohærentia distrahentis.*
10 *Fera vulnerata vt tua fiat, persequenda est.*
11 *Spes plerunq; fallit.*
12 *De fructibus futuris nihil certum iudicari potest.*

Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cùm vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, vt difficilis sit eius persequutio. Illud quæsitum est, an si fera bestia ita vulnerata sit, vt capi possit, statim tua esse intelligatur. Et quibusdam placuit, statim esse tuam: & cousque tuam videri, donec eam persequaris: quod si desieris persequi, desinere esse tuam, & rursus fieri occupantis. Alij verò putauerunt, non aliter tuam esse, quàm si eam ceperis. Sed posteriorē sententiam nos confirmamus, quòd multa accidere soleant, vt eam non capias.

b L. in laqueū. D. eod.
c L. Pōponius. 44. D. de acquir. rer. dom.

¶ *Naturalem autem libertatem.*] Proculus[b] appellat naturalem laxitatem, quemadmodum &
Vlpianus[c] referens illam à Pomponio tractatam quæstionem de animalibus, quæ sese quidem
nobis non subduxerunt, sed ab alio fero animali vi subtracta sunt, quando scilicet ea nostra esse de- 1
finant, vt rursus occupantis fieri posśint. Et quia aliud in illo casu constituitur, quàm in eo, quem
hic proponit Iustinianus: ne quid desideretur, lubet elegantissimum illum Vlpiani locum ascri-
bere. Pomponius tractat: Cum pastori meo lupi porcos eriperent, hos vicinæ villæ colonus cum
robustis canibus & fortibus, quos pecoris sui gratia pascebat, consecutus, lupis eripuit, aut canes 2
extorserūt: & cum pastor meus peteret porcos, quærebatur, vtrum eius facti sint porci, qui eripuit,
an nostri maneant: nam genere quodā venandi id erant nacti. Cogitabat enim, quemadmodum
terra mariq; capta cùm in suam naturalem laxitatem peruenirent, desinerent eorum esse qui ce-
pissent: ita ex bonis quoque nostris capta à bestijs marinis & terrestribus, desinerent nostra esse,
cùm effugerint bestiæ nostram persecutionem. Quis denique manere nostrum dicat, quod auis
transuolans ex area, aut ex agro nostro sustulit, aut quod à nobis miluus eripuit? Si igitur desinit: si
fuerit ore bestiæ liberatum, occupantis erit, quemadmodū piscis, vel aper, vel auis cùm potestatē
nostram euaserit, si ab alio capiatur, ipsius fit. Sed putat potius nostrum manere, quandiu recupe-
rari posśit: licet in auibus & piscibus & feris verū sit, quod scribit. Hæc Vlpianus ex Pomponio. Ex
his satis apparet, propter difficilem persecutionem nequaquam nos excidere dominio rerum no-
bis ereptarum: sed demum vbi ex ita perierint, vt nulla prorsus ratione posśint recuperari. Id quòd 3
sanè alio loco & breuius & dilucidius tradit idem Vlpianus ex eodem Pomponio, his[d] verbis, Si
quid de pecoribus nostris à bestijs ereptum sit: venire in familiæ erciscundæ iudicium putat Pom-
ponius, si feram euaserit. Nam magis est, vt non desinat nostrum esse, quod à lupo eripitur, vel ab
alia bestia, tandiu, quandiu ab eo non fuerit consumptum. ¶ *Capi posśit*] Media quadam faci- 4
litatis ratione, quæ non minus metum perdendi, quàm spem assequendi habeat. De eo enim hic
quæritur. Cæterùm si fuisset ita in manu, certaque captiuitas, vt nullus esset metus, nullumque pe-
riculum effugij; de ea nequaquam dubitaretur, vt si fera bestia vulnerata apud me conciderit, ve-
luti iamiam expiratura: nequaquam obfuerit me dum aliam fortasśis capto, ab hac digressum es-
se, quæ nec vlla amplius persecutione aut costodia opus habebat. Sed hæc omnia à Iudice ex rerum
circumstantijs facile possunt definiri, quemadmodum & alia eiusmodi multa controuersa inter
venatores, atque adeò ipsa tota venandi ratio, cuius componendæ cura nequaquam visa est indi-
gna, quæ graues Iurisconsultos fatigaret. nam & honestissimam habet oblectationem, & iustissi-
mum vsum, si credimus illis iuuenibus, qui mirificè venationem laudant apud Plutarchum in li- 5
bello πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα, τὰ χερσαῖα, ἢ τὰ ἔνυδρα. Sed vereor ne ea nimis oblectet multos,
quibus longè aliud domi est quod agant: quorumq; ocium in alios longè vsus quæsitum est. Esto,
priuatus aliquis nullius muneris functioni addictus maneat sub Ioue frigido, venator teneræ con
iugis immemor: Seu visa est catulis cerua fidelibus: Seu rupit teretes Marsus aper plagas. Sed quis
id æquo animo ferat in Principe, vel Episcopo, saltem an re obita necessaria Reip. munia? Certè mi-
litaris disciplina Romanorū passa non est militē venatum ire[e]. Sed aliò quàm propositū erat, de- 6
labimur. ¶ *Quibusdam.*] Vt Trebatio. Cuius sanè sentētia magis hodie recepta videtur inter vena-
tores: saltē vt si nondum mea fera sit, non liceat tamen alteri eam eripere, meq; persequentem insi-
diosè anteuertere. Nec sanè id ratione caret. Debemus enim abstinere, nō modò alieno, sed etiam 7
eo, quod iam propè est, vt alterius sit: ne propinquam alterius spem multis iam fortè laborib. quæ-
sitam

d L. Pōponius scribit. §. vlt. D. fami. ercisc.
e L. officium. §. 1. de re milit.

8 sitam ipsi inuadamus. Quis enim ferat ita fraudari fatigatam industriam? Scitè Chrysippus, Qui
(inquit) stadium cucurrerit, eniti & contendere debet, quàm maxime possit, vt vincat: supplantare eum, qui cum certet, aut manu depellere, nullo modo debet. Sic (inquit Tullius) in vita sibi quemque petere, quod pertineat ad vsum, non iniquum est: alteri surripere ius non est. ¶ *Et eousque tuam videri, donec eam persequaris.*] Theophilus hanc partem à superiori disiungit, quasi tres hic
9 referantur sententiæ: quibusdam existimantibus feram bestiam ita vulneratam statim meam fie-
ri: alijs præterea desiderantibus persecutionem: Multis rectius putantibus, omnino oportere captam. Sed errat Theophilus. Solùm enim duæ hic fuere sententiæ: quod manifestius est, apud Caium [a]. Nec satis animaduertit primam illam sententiam ita diuisam à sequentibus, indignam esse *a L. naturalē. § illud*
10 Iurisconsulto. Quomodo enim vulnerata fera confestim mea fiet, & manebit mea, etiam si non *quæsitum. de acquir.*
persequar adhuc fugientem, cùm etiam si eam semel essem assecutus, amitterem, nō persequendo *rer. dom.*
effugientem? ¶ *Quod multa accidere soleant.*] Omnia admodum incerta sunt in venationibus vel
11 aucupijs: vixque certa est præda, quam iam assecutus es. Saltem plerunq; Spes, fallax dea est. nam
12 & multa cadunt inter calicem, supremaque labra. Vt non temerè Philippus Imp. rescripserit [b], De *b L. si ea lege. C. de*
fructibus futuris nihil certum iudicari posse. Nam quamuis multa promittant lætæ segetes: si tamen adhuc messis in herba est: nihil adferunt præter solicitudinem, & metum multarum impendentium calamitatum. *vsur.*

§. *Apum quoque.*

1 Cuius natura sint apes?
2 Aluens quid?
3 Apes vbi in vsum hominis cesserint, propria habentis sunt.
4 Qui ex aliena arbore apes ceperit, furti non tenetur.
5 Persequentem rem suam, non possumus iure prohibere fundo nostro.
6 Examen quid?

Apum quoque fera natura est. Itaque apes, quæ in arbore tua cōsederint, antequam à te alueo includantur, non magis tuæ intelligūtur esse, quàm volueres, quæ in arbore tua nidum fecerint: ideoque si alius eas incluserit, is earum dominus erit. Fauos quoque, si quos effecerint, eximere quilibet potest. Planè integra re, si præuideris ingredientem fundum tuum, poteris eum iure prohibere, ne ingrediatur. Examen quoque, quod ex alueo tuo euolauerit, eousque intelligitur esse tuū, donec in conspectu tuo est, nec difficilis persecutio eius est: alioqui occupantis fit.

¶ *Apium fera natura est.*] Plinius naturalis historiæ lib. 11. cap. 5 scribit apes esse insecta quædam,
1 neque mansueti generis, neque feri: sed mediæ cuiusdam naturæ. Verùm hanc naturam Iustinia-
nus magis putauit propendere ad feritatem, quemadmodum & Caius, & Paulus. ¶ *Antequam al-*
2 *ueo à te includantur.*] Alueum hic vocat vimineum contextum, quod esse solet priuatarum apium
domicilium. Theophilus vertit κυψέλην, Harmenopulus σίμβλον. Quomodo autem includantur apes aluearibus, melius docebunt rustici apiarij, siue μελισσεῖς, de quibus Aristoteles lib. 9. histor. animal. & Virgilius in Georgicis. ¶ *Is earum dominus erit.*] Extat elegans pro cuiusdam pauperis apibus, declamatio 13. Quintiliani, qua disertè scribit apes (quantumuis alioqui animal vagum, libe-
3 rum, & extra imperia positum) vbi in vsum hominis cesserint, proprias habentis esse: quæq; libe-
ræ prius erant, transire in ius occupantium. Huc quoq; pertinet omnino illud Pauli responsum [c]: *c L. si apes. de furt.*
4 Si apes feræ in arbore fundi tui, apes fecerint: & quis eas, vel fauum abstulerit, eum non teneri tibi
furti, quia non fuerint tuæ: easq; constat, captarum terra, mari, cælo, numero esse. ¶ *Integra re.*] hoc est, priusquam ceperit. Eatenus enim prohibere licet, etiam iam fortè ingressum: vti paulò antè dictum est. Interim semper meminerimus, non nisi eū iure prohiberi posse, qui contendit suum
5 facere, quod prius habuit nunquam. Cæterùm rem suam persequentem non iure prohiberemus
6 fundo nostro [d]. ¶ *Examen.*] Examen vocat nouam illam apum sobolem ad inquirendas nouas *d L. thesaurum. ff. ad*
sedes extrusam. Deducunt enim & suas colonias apes. Idem autem fuerit & si ad certamen euola- *exhib. l. 2. C. de ser.*
rint, vel ad pastum: idque multò magis, quia cùm vltrò redire soleant, non est opus, vt quis eas *fug.*
persequatur.

§. *Pauonum.*

1 Pauonum fera est natura.
2 Columbæ quoque feram naturam habent.

Pauonum quoq; & columbarum fera natura est: nec ad rem pertinet, quòd ex consuetudine euolare & reuolare solent. nam & apes idem faciunt, quarum constat feram esse naturam.

1 ¶ *Pauonum quoque.*] Horum feram esse primam naturam satis indicat noster quoque Pom-
ponius: qui cùm agit de pauone meo, nominatim loquitur de mansuero [e]. *e L. si pauonē. de furt.*
¶ *Nam & apes idem faciunt.*] Exemplo diluit eorum ratiocinationem, qui putabant columbas
non

non esse natura feras, ob consuetudinem volandi & reuolandi. Ostendit enim in apibus idem eue 2
nire, quarum nihilominus constat feram esse naturam, in suo saltem genere & prima conditione. Nam quòd deposita veluti feritate cicurantur, ex hominum consuetudine & cura est, non ex earum natura. Interim autem parum refert, sitne animal natura cicur, an verò mansuefactum.

§. Ceruos.

1 Ceruorum mansuetorum exempla.
2 Apes quando nostri iuris maneant.
3 An columbæ etiam nostræ maneant?
4 Furti teneri, qui alterius columbas apprehendit.
5 Fundi pars, piscinæ, viuaria & columbaria quando esse dicantur.
6 Dominij retinendi ratio quæ sit?
7 Sergij Galbæ imperatoris elegans iudicium.
8 Esparues quid Galli appellent?

Ceruos quoque quidam ita mansuetos habent, vt in syluam ire, & redire soleant: quorum & ipsorum feram esse naturam, nemo negat. In ijs autē animalibus, quæ ex consuetudine abire & redire solent, talis regula comprobata est, vt eousque tua esse intelligantur, donec animum reuertendi habeant. nam si reuertendi animum habere desierint, etiam tua esse desinunt, & fiunt occupantium. Reuertendi autem animum videntur desinere habere tunc, cùm reuertendi consuetudinem deseruerint.

¶ *Ceruos quidam ita mansuetos habent.*] Cuiusmodi est ille, quem tam diligenter describit Virg. lib. 7. Æneid. his versibus:

Ceruus erat forma præstanti & cornibus ingens, — *Mollibus intexens ornabat cornua sertis:* 5
Tyrrhidæ pueri, quem matris ab vbere raptum, — *Pectebatq́; ferum, puroq́; in fonte lauabat:*
Nutribant, Tyrrhusq́; pater, cui regia parent — *Ille manum patiens, mensaq́; assuetus herili*
Armenta, & latè custodia credita campi: — *Errabat syluis, rursusq́; ad limina nota*
Assuetum imperijs soror omni Syluia cura — *Ipse domum fera quamuis se nocte ferebat.*

Nota quoque est cerua Sertorij. Sed & Alexandrum Magnum accepimus ceruas emisisse cum inscriptione, ne quis redire ad dominum volentes retineret. ¶ *In ijs autem animalibus.*] Veluti apibus & columbis domesticis, de quibus iam dictum est. Et Quintilianus in declamationibus ratioci-
natur apes semel meas factas, mei iuris manere, si quæ volant, etiam reuolare soleant: finemq́; la- 2
boris sui sole metiantur. Quod certè etiam eas facere solere indicat poëta his versibus,

Omnibus vna quies operum, labor omnibus vnus. — *Vesper, vbi è pastu tandem decedere campis*
Manè ruunt portis: nusquam mora: rursus easdem — *Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.*

Idem sentiendum est & de columbis, quæ & nostræ manent, & à nobis possideri inrelliguntur, 3
quandiu retinent consuetudinem ad nos redeundi. Vtrunque autem iure ciuili disertè proditum est, vt non possit non probari regula, quam hic Iustinianus proponit. Primùm enim Pomponius ait[a], Columbas, quæ emitti solent de columbario, venire in familiæ erciscundæ iudicium: cùm nostræ sint tandiu, quandiu consuetudinem habent ad nos reuertendi. Quare si quis eas apprehen
disset, furti nobis competeret actio. Idem (inquit Vlpianus) & in apibus dicitur: quia in patrimo- 4
nio nostro computantur. Deinde Paulus respondit[b]: Quidam rectè putant columbas quoq;, quæ ab ædificijs nostris: Item apes, quæ ex alueis nostris euolant, & secundum cōsuetudinem redeunt,
à nobis possideri. Illud porrò in vniuersum semel admonendi sumus, piscinas, viuaria, columba- 5
ria, quæque ijs continentur animalia: si ex ijs certus aliquis constet reditus: partem esse fundi, non secus atque sunt reliqui fructus, moribus in Gallia passim receptis: sic vt magis ascribantur rebus immobilibus. Cæterùm Iure ciuili nihil ea commune habent cum fundo, nec sunt fundi[c]. Sed tamen ijs vtitur fruitur fundi fructuarius, si non sit alius fundi fructus: quia tum instrumento fundi continentur[d]: cuius certè fructus pertinet ad fructuarium[e].

a L. Pompo. scribit. §. idē Pompon. D. fami. ercisc.
b L. 3. §. itē feras, in fi. De acquir. poss.
c L. funes. §. vlti. cum le. seq. de act. empt.
d L. de grege, cū duabus ll. seq. l. quæsitum. §. fin agro. De fund. instruct.
e L. vē si fund §. semi narios. l. sed si quid in ædificauerit. §. propri etatis. de vsufruct.

¶ *Talis regula comprobata est.*] Cùm agitur de retinendo eorum dominio. Nam tum demum
differentia est inter fera & mansueta animalia: quòd illa simul atque nostram custodiā euaserunt, 6
desinunt esse nostra: hæc verò non aliter, quàm si præterea redeundi consuetudinem deseruerint. Cæterùm vbi ageretur de acquirendo dominio: vna est & eadem in vtroque animalium genere regula', & ratio, nempe occupationis. ¶ *Donec animum reuertendi habeant.*] Sanè ad euincendum animalis dominium probandamq́ue proprietatem, quanti sit hic animus & consuetudo re-
uertendi, pulchrè aliquando fertur ostendisse Sergius Galba Imp. Cùm enim de proprietate cuius- 7
dam iumenti quæreretur leuibus vtrinque argumentis & testibus, ideoque difficili coniectura veritatis: ita eum decreuisse autor est Tranquillus, Vt iumentum ad lacum, vbi adaquari solebat, duceretur capite inuoluto: atque ibidem reuelato, eius esset, ad quem sponte se à potu recepisset.

¶ *Fiunt occupantium.*] Iure naturali. Cui quidem non derogauit illa passim in Gallia recepta
consuetudo, quæ oberrantia animalia (Galli appellāt *espaues*) vult esse eius, qui iurisdictionem ha- 8
bet & publicum dominium eius loci, in quo reperiuntur. Nam id intelligitur de mansuetis animalibus, quæ habent aliquem dominnm, sed ignotum. Nos verò hîc agimus de ijs, qnæ velnti redeuntia ad feram naturam, desierunt alicuius esse. ¶ *Deseruerint.*] Vltro. Nam ab alio vi vel aliter detenta, nihilominus nostra manere paulò antè dictum est.

§. Gallinarum.

§. *Gallinarum.*

1 Non sunt omnes anseres feri.
2 Gallinarum tria genera, & quæ sint?
3 Anserem perpetuum comitem habuit Lacydes philosophus.
4 Furti actio an detur pro re modica.
5 Licentia in minori delicto, maioris illecebra est.
6 Actio iuris ordinarij datur etiam ob rem paruam.
7 Ciuilis rei vindicatio honestior quàm furti actio.

Gallinarum autem & anserum non est fera natura. idque ex eo possumus intelligere, quòd aliæ sunt gallinæ, quas feras vocamus. itẽ alij sunt anseres, quos feros appellamus. Ideoque si anseres tui aut gallinæ tuæ aliquo modo turbati turbatæve euolauerint: licet conspectum tuum effugerint: quocunque tamen loco sint, tui tuęve esse intelliguntur: & qui lucrandi animo ea animalia detinet, furtum committere intelligitur.

¶ *Id quod ex eo possumus intelligere.*] Ratiocinatio Iustiniani hæc est: non sunt omnes anseres feri,
quia peculiariter appellantur quidam anseres feri. Sic alibi probat [a], non esse idem codicillos & *a L. si idẽ. C. de codic.*
1 testamentum, quòd diuersa habeant nomina. Sed si hanc rationem perpetuò hic sequamur, non
temerè licebit in vniuersum certo definire de vllo animantis genere fero, vel mansueto: si quidem
verum est quod Plinius lib. 8. cap. 53. asserit, non in suibus tantùm, sed in omnibus quoque animalibus,
cuiuscunque generis vllum est placidum, eiusdem inueniri & ferum. ¶ *Aliæ sunt gallinæ.*]
Varro libro de re rustica tertio, cap. nono, & Columella libro 8. cap. secundo, tradunt tria esse genera
gallinarum. Sunt cohortales siue villaticæ. Sunt rusticæ, quæ non ita mansuetæ sunt, nec sine
2 cauea Romæ videntur, nec capiũtur nisi deceptę ab aucupe. Cuiusmodi feris gallinis dicitur abun-
dasse illa maris Ligustici insula, quæ dicta inde Gallinaria. Tertium est genus Africanarum, siue
Numidicarum, quas Græci μελεαγρίδας appellant. ¶ *Alij sunt anseres.*] Anseris autem non feri, sed
maximè cicuris notum exemplum in eo est. quem olim Lacydes philosophus perpetuum habuit
3 comitem. ¶ *Ea animalia detinet.*] Imò & qui dolo persecutus est turbata [b], quæ fortassis alius nescio *b L. si pauonẽ. de fur.*
quis fuerit consecutus, sic vt domino perierint. ¶ *Furtum committere intelligitur.*] Non vult tamen
concedere Zasius, vt hoc nomine furti quoque detur actio: veritus opinor, ne quis hic rideat bole-
4 ti pœnam, quam veteres in legibus Solonis risêre. Verum sanè quamuis Romani Prudentes noluerint
temerè iudicia occupari minutis aut leuiusculis rebus: tamen senserunt iniurias compe-
scendas, ne impunita minoris delicti licentia, illecebra sit maioris. Quod si doli actionẽ non con-
5 cesserunt pro re duobus aureis minori, peculiarem habuerunt rationem, nempe quòd ea sit actio
subsidiaria, & extraordinaria. Sic enim & ex alia causa in integrum restitutio, quia iuris extraor-
dinarij est, propter minimam rem aut summam non temerè conceditur [c]. Sed vbi ordinarij iuris *c L. 4. de re. in inte.*
6 actio est, datur & propter modicam summam. Sic actio ex stipulatu damni infecti nomine datur,
7 & si modicum damnum datum [d] sit. Interim semper fateor rectius & honestius facturũ, qui suas *d L. si proprietarius. de damno infecti*
gallinas ciuili rei vindicatione repetet, quàm famosa furti actione.

§. *Item ea quæ.*

1 Regnorum origo vnde profecta.
2 Sceptri perpetui ius nulli genti datum.
3 Athenienses dicti αὐτόχθονες, id est, indigenæ.
4 Xenophon de ijs quæ ex hostibus capta sunt.
5 An capta ex hostibus dicantur, quæ prius ciuium fuerunt.
6 Ille ager publicatur, qui ex hostibus captus est.
7 Principis arbitrio olim præda capta diuisa.
8 Assignati militibus agri à Iulio Cæsare.
9 Ex hostibus capta, an mox fiant occupantium.
10 De seruis per captiuitatem factis.

Item ea, quæ ex hostibus capimus, iure gentium statim nostra fiunt: adeò quidem, vt & liberi homines in seruitutem nostram deducantur. qui tamen, si euaserint nostram potestatem, & ad suos reuersi fuerint, pristinum statum recipiunt.

1 ¶ *Item ea quæ.*] Si omnium regnorum altius repetatur origo, vix aliam reperies, quàm à iure
belli profectam. Æthiopum regnum inuaserunt Assyrij: Assyriorum, Babylonij: Babyloniorum,
Persæ: Persarum, Macedones: Macedonum, Romani. Atque hic agnoscere debemus certam pro-
uidentiam Dei, qui modò vnum, modò alium imperare vult, vti est apud Danielem Prophetam.
2 Nec vlli genti certóve populo ius perpetui sceptri dedit, præterquam ad tempus generi Dauidico
inter Israëlitas. Quo fit, vt dubitari possit, an omnino iusta noui belli causa sit, prætextus rerum re-
cuperandarum, quas fortassè maiores nostri possederunt. Neq; enim sequitur, addictas eas pror-
sus eidem semper sanguini, aut mutare dominum non debere. Et alioqui, si titulus eiusmodi qua-
liscunq; ad orbem nouis semper cædibus & bellis miscendum satis fuerit: quis tandem bellorum
finis erit, aut cui poterit deesse titulus in tantis rerum humanarum vicibus? Sola tellus Athenien-
3 sis iactauit suos se retinere indigenas αὐτόχθονας. Sed ne aliò delabamur: hanc legem, quæ ius belli
tuetur, esse omnibus hominibus communem, & ex iure Gentium profectam, probant etiam illi
Athenienſium legati apud Thucydidem libro quinto, οὗ ἂν κρατῇ, ἄρχειν, καὶ ἡμεῖς, οὔτε θέντες τὸν νόμον,

οὔτε κειμένῳ πρᾶττε χρησάμενοι, ὄντα δὲ παραβαλόντες, καὶ δεόμενοι εἰς ἀεὶ καταλείψοντες, χρώμεθα αὐτοῖς. Et Cy-
rus apud Xenophontem lib.3. *ἐν πᾶσιν* (inquit) *ἀνθρώποις ἀΐδιος νόμος ἐστὶν, ὅταν πολεμούντων πόλις ἁλῷ,* 4
τῶν ἑλόντων εἶναι καὶ τὰ σώματα καὶ τὰ χρήματα τῶν ἐν τῇ πόλει. Et Menelaus apud Libanium, *τὸ μὲν οὖν εἰς τοὺς*
κρείττους τὰ τῶν ἡττόνων εἶναι κτήματα, λόγον ἴσως ἂν ἔχει, καὶ δίδωσιν ὁ τοῦ πολέμου νόμος.

¶ *Ab hostibus capimus.*] Quæ verò nostris prius erepta ciuibus, recipimus ab hostibus virtute bel 5
lica: capta non videntur: (inquiunt Diocletianus & Maximianus [a]) eorum enim decet militem
defensorem esse, non dominum. Vnde & Pomponius [b], Expulsis hostibus (inquit) ex agris quos
ceperant, constitit dominia eorum agrorum ad priores dominos redire: nec publicari aut prædæ
loco cedere. Publicatur enim ille ager, qui ex hostibus captus est. De iure postliminij nos alio loco 6
diximus satis multa. ¶ *Iure Gentium statim nostra fiunt.*] Iure tamen Ciuili statim magis fiunt Prin
cipis vel Reipub. aut enim in fiscum rediguntur [c] aut publicantur [d], hoc est, dominio populi ascri-
buntur. Vnde & qui prędam ab hostibus captam surripuit: tenetur lege Iulia peculatus [e]. Principis 7
verò vel ducis arbitrio præda capta diuidebatur. Iulius Cæsar dicitur aliquando prædæ nomine in
pedites singulos bina sestertia: in equites vicena quaterna numûm dedisse: assignasse etiam agros. 8
Sed & Alexandrum Seuerum scribit Lampridius, quæ de hostibus capta erant, Limitaneis duci-
bus vel militibus dare consueuisse: vt in eorum familia manerent, quandiu vel ij vel eorum hære-
des militarent. Fit & in Pandectis mentio agrorum militibus assignatorum. Ergo nunc ita de-
mum, quæ ab hostibus capta sunt, statim fient occupantium, si principis accesserit beneficium.

a L. ab hostibus capti. C. de postli. reuersis.
b L. si captiuus. §. 1. de capt.
c L. Diuus. de iu. fisci.
d L. si captiuus. §. 1. de capti.
e L. ijs qui prædã. ad leg. Iul. pecul.

¶ *Adeo vt & liberi.*] Amplificatio est iuris belli, quod etiam victori addicat eorum dominium, 9
quorum alioqui commercium non est, veluti liberorum hominum. De ijs, qui per captiuitatem
serui fiunt, copiosius suo loco dictum est libro superiori. Porrò si quis aliud requirat exemplum, 10
vbi ius victoriæ non moratur conditionem rei captæ: inueniet in responso Pomponij, cuius verba
sunt hæc [f]: Cùm loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt religiosa vel sacra esse: sicut homines
liberi, qui in seruitutem perueniunt.

f L. cũ loca. de relig.

§. *Item lapilli.*

1 Acquirendi ratio per occupationem.
2 Lapilli & gemmæ quid differant?
3 Lælius & Scipio legere conchas soliti.
4 Inuenta in itinere publico, an inuentoris fiant.
5 Conspectum si inuentor apprehenderit, eius fit.

Item lapilli, & gemmæ, & cætera, quę in littore maris inueniuntur, iure naturali statim inuentoris fiunt.

¶ *Item lapilli.*] Redit hîc Iustinianus ad naturales modos acquisitionis, qui sola constant oc- 1
cupatione. Huncque locum descripsit ex lib. 2. Institutionum Florentini [g]. ¶ *Lapilli & gemmæ.*]
Seruius gemmas à lapillis eò distinxit, quòd gemmæ essent pellucidæ materiæ, velut Smaragdi, 2
Chrysolithi. & Amethysti. Lapilli autem contrariæ superioribus naturæ, vt Obsidiani, Veientani.
Cuiusmodi discrimen probasse videtur Sabinus, eumque secutus Vlpianus [h]. Sed Valla grauiter
improbat, & vt commentitium reijcit. Conatus est Alciatus patrocinari Iurisconsultis, & diluere
notas Vallenses: sed reperit nouum aduersarium qui eas animosè tueretur, Floridum Sabinum.
Nos, his Grammaticorum minutijs prætermissis, quod instat agamus.

¶ *Et cætera.*] Cuiusmodi multa egerit æstus maris, quæ nullius sunt, patentque omnium occu
pationi. Iucundum est, quod Tullius libro secundo de Orat. scribit, maximos illos duos viros Læ-
lium & Scipionem, cùm rus ex vrbe tanquã ex vinculis euolassent, animi gratia solitos legere con 3
chas & vmbilicos ad Caietam & Lucrinum. Porrò de ijs, quæ naufragio eiecta reperiuntur, alio
postea suo loco dicemus.

¶ *In littore maris.*] Quod si in itinere publico: non fit statim res inuentoris: sed quia creditur a- 4
licui imprudenti domino excidisse, iubetur publico præconio populum admonere [i]. quod latius
etiam postea dicemus.

¶ *Inuentoris.*] Qui, quod oculis conspexit, etiam apprehendit. Nam dominium ex hac natu-
rali possessione incipit: vt res eius fiat, qui primus eam nactus [k] fit. Nec possumus rei, quæ nullius
est, dominium, aut illam, quæ animo constat possessionem, consequi sine apprehensione [l]: quan-
quam aliud fit in acquisitione rei alienæ [m].

g L. 3. de rer. diuis.
h L. cùm aurũ. §. gemmæ autem. de aur. & argen. leg.
i L. falsus. §. alienũ. de furt.
k L. 1. de acqu. possess.
l L. 3. §. Neratius. de acquir. poss.
m L. 1. §. si insserim. D. ollo tit.

§. *Item ea quæ.*

1 Fœtus animalium ad quem pertineant?
2 Ancilla prægnante vendita, partus emptoris est.

Item ea, quę ex animalibus dominio tuo subiectis nata sunt, eodem iure tibi adquiruntur.

¶ *Item ea.*] Quintilianus declamat. 16. Si non sunt (inquit) apes meæ, nec id quidem quod ijs
efficitur, meum est. deinde addit, An fieri potest, vt quod nascitur meum sit, quod generat alie-
num? ¶ *Dominio tuo.*] Quod cum proprietate coniunctum habet vsumfructum. Nam alioqui 1
magis

magis ad fructuarium, quàm proprietatis dominum pertinerent fœtus animalium. ¶ *Nata sunt.*]
2 Etiam si apud alium concepta: veluti si ancilla prægnans vænierit, partus erit emptoris [a]. In obli- *a L. vl. de acq. re. do.*
gatione aut nexu pignoris distinguimus paulò aliter. Nam si obligem ancillam: eamque deinde
vendam alteri, & prægnans facta sit pariatque: partus non erit obligatus, qui tempore obligatio-
nis ne conceptus quidem erat [b]. *b L. Paulus. §. 1. de pignor.*

§. *Præterea quod.*

1 *Lucanus de alluuione.*
2 *Aggenus Vrbicus de eadem re.*
3 *Ager pro fundo accipitur.*
4 *Alluuionis ius vbi non habeat locum.*
5 *Eiusdem cum fundo iuris est, quod ex alluuione accessit.*
6 *An incrementum per alluuionem factum, petere liceat.*
7 *Fundi iure finito, alluuionis quoq; ius finitur.*
8 *Alluuio est recessus subsidentis fluminis.*
9 *Cur alluuio dicatur latens incrementum.*
10 *Manifesti incrementi ius quod sit?*
11 *Vbi incrementum latet, augetur vsusfructus.*
12 *Echinades insulæ vnde exortæ.*
13 *Lapides, ligna, metalla, à flumine importata, cui cedant.*
14 *Trebatius de alluuione.*

Præterea quod per alluuionem agro tuo flumen adiecit, iure gentium tibi adquiritur. Est autem alluuio, incrementum latēs. Per alluuionem autem id videtur adijci, quod ita paulatim adijcitur, vt intelligi non possit, quantum quoque temporis momento adijciatur. Quod si vis fluminis de tuo prædio partem aliquam detraxerit, & vicini prædio attulerit: palàm est eam tuam permanere.

¶ *Præterea quod per alluuionem.*] Proponit Iustinianns nouum acquirendi modum, qui nullam
nostram operam desiderat: sed vltrò sese offert. Cuius vim & ius non modò iurisconsulti, sed & Cæ
1 sares diligenter tutari sunt [c]. Nec sanè fuit hæc res ignota Lucano poëtæ, dum caneret, *c L. 1. et 3. C. de allun.*

Illos terra fugit dominos: his rura colonis
Accedunt donante Pado.

2 Certè refert Aggenius Vrbicus, cùm quæreretur de Pado, respōsum esse à Cassio Longino, vt quic-
quid aqua lambēdo abstulerit, id possessor amittat: quoniam scilicet ripam suam sine alterius da-
mno tueri debet. Meminit & Gordianus Imperator [d] ripæ aduersus rapidi amnis impetum mu- *d dict. l. 1.*
niendæ, si quis alluuionis detrimentum vitare velit: neque enim licet repetere, quod ea fortè alte-
3 ri adiecerit. ¶ *Agro.*] Hoc est, cuiusque generis fundo. Licet enim propriè ager dicatur sine ædifi-
cio locus [e]: hîc tamen generaliter dictum accipiemus pro fundo. Nam alluuionis ius est in ijs, quæ *e L. fundi. de ver. sig.*
4 adiecta sunt ædificijs. Interim autem meminerimus quod ait Florentinus [f], In agris limitatis ius *f L. in agris. de acqui. rer. dom.*
alluuionis locum non habere. ¶ *Tuo.*] Vt omnino tua fiat alluuio, necesse est tuum esse fundum,
cui ea accessit. Quod si solum habes vsumfructum, solus quoque alluuionis vsusfructus erit tuus [g]. *g L. item si fundi. §. huic vicinus. de vsufr.*
5 Et in vniuersum, cuiusmodi ius habes in fundum: habebis & in additamentum alluuionis. Si pi-
gnori fundus tibi est obligatus, alluuio tuam augebit hypothecam [h]. Si fuerit fundus dotalis, erit *h L. si fundus. de pign.*
& alluuio [i]. Si seruit, & hæc seruiet [k]. Si tibi venditus necdum traditus, quod interim per alluuio- *i L. 1. de fun. dot.* *k L. hoc iure §. 2. de aqua quotid.*
nem accessit, cum fundo debebitur [l]. Sed & legatum, quod nondum cessit nec debetur, dicitur in-
terim alluuione crescere [m]. Adeò rei principalis naturam & cōditionem semper sequitur alluuio- *l L. ad quod. de peri. & com rei ven.*
6 nis adiectio. Actio Publiciana, quæ ad rem aliquam petēdam competit: competet etiam, vt incre- *m L. quod in rerū. §. si quis post. de leg. 1.*
mentum, quod alluuione accessit, petatur [n]. Idem & de exceptionibus: quæ si summouent rem a-
liquam petentem, summouebunt etiam eum, qui alluuionem peteret [o]. Rursus finito iure, quod *n L. si ego. §. vl. de Publiciana in rem act.*
7 in fundum habebas: simul finietur & id, quod eius nomine habes in alluuionem. Vnde soluto mā-
trimonio cum fundus dotalis restituendus est: restitui simul debet id, quod interim alluuione ac- *o L. si Titio. §. 1. de vsufr. leg. §. vl. de except. res iud.*
creuit [p]. Idem & vbi res aliqua restituenda est cōtractu forte per euictionem rescisso [a], vel per con-
ditionem legis commissoriæ, aut addictionis in diem. quid autem, vbi de euictione agitur & sti- *p L. plerunq. in prin. & §. 1. de iure dot.*
pulatione duplæ, statuendum sit de eo, quod interim alluuio attulerit, vel etiam flumen abstule-
rit, dicemus ad Papiuianum [b]? *a L. sed & si quid, & l. bonitatu. de euict.* *b L. ex mille de euict.*

¶ *Flumen adiecit.*] Idem & si aquis subsidentibus, suoque recessu, vicinum fundum ampliarit
parte sui aluei derelicti. Nam & id alluuionis iure censetur. adeò vt etiam non obsit via publica in-
termedia. Qua de re extat responsum Alpheni [c]. qui etiam vocat alluuionem, recessum subsidentis *c L. Martius. de acq. rer. dom.*
8 fluminis: quemadmodū & Pomponius [d], quamuis in casu paulò diuerso. ¶ *Incrementum latens.*]
9 Nihil refert vnóne impetu alteri ademptum, & manifesto damno auulsum, an verò paulatim, & *d L. ergo §. alluuio. de acquir. rer. dom.*
minutatim ambesum sit: modò quod mihi accrescit, paulatim, & veluti latenter adijciatur. Neq;
enim inspicimus an detrimentum, sed an incrementum latens sit. De manifesto & apparenti in-
10 cremento alteri detracto, mox subijcit aliter esse constitutum, quòd scilicet prioris domini ma-
neat. Est & aliud discrimen, quòd scilicet discreta & apparens accessio, etiamsi proprietatis domi-
no acquireretur, quia nempe aliter nullius sit, non prodesset tamen fructuario. Id quod perspicuè
tradidit Vlpianus his verbis [e]: Vbi latet incrementum, & vsusfructus augetur: vbi autem apparet *e L. item si fundi. §. si insula. de vsufr.*
11 separatum, fructuario non accedit. ¶ *Partem aliquam.*] Cuius manifesta sit auulsio, nec leue da-
mnum. Ac ne quis miretur, maiorem aliquam terræ portionem impetu fluminis abripi & aspor-

 tari: le-

a L. 4. §. vlt. D. si cert. petat. condict.
b L. hoc amplius. §. de ijs. de dam. infect.

tari: legimus Echinades insulas ab Acheloo amne esse conuectas. Porrò autem & si non partem a-
lienæ telluris, sed alia quædam importarit flumen, quæ possunt à priori domino agnosci, veluti la- 13
pides, ligna, metalla: manebunt ea prioris domini: saltem ab eo poterũt condici [a], vel auferri præ-
stita cautione damni infecti [b]. Quod si nõ vi fluminis importata essent, sed mea opera & facto: ni-
hil id priori domino nocebit: cui semper integrũm erit ea vindicare, vt sua. dominij enim transla-
rio impedita est non tam certè mala fide importantis: (nam & si quis aliena esse cognouerit, quæ à
flumine importata, in suo coalescere videt: nihilominus fit dominus.) quã quòd hominis factum
fuerit, & veluti furtiuus conatus, qui non tantum potest, quantum vis fluminis publici, quod Cen-
soris vice fungitur [c], & magis mutat dominum: quanquam non semper maneat rata eius transla-
tio. Sic Trebarius refert [d], cùm Tyberis inundasset, & res multotum multas in aliena ædificia de-
tulisset, interdictum à Prætore datum, ne vis fieret dominis, quo minus sua tollerent & auferrent: 14
si modò damni infecti repromitterent.

c L. ergo. § alluuio de acquir. rer. dom.
d dist. l. hoc amplius. § de ijs.

§. Planè si.

1 *An crusta de fundo alterius lapsa vindicari possit.* 2 *Arbor radicitus eruta, sítne prioris domini.*

Planè si longiore tempore fundo vicini tui hæserit, arboresq́;, quas secum traxit, in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videntur vicini fundo adquisitæ esse.

c dist. l. hoc amplius. § ita demum.
f L. 5. §. de arbore. de rei vind.
g L. adeo. §. quod si vn. de acqu. rer. dom.
h L. sed si ex men. §. arbor. de acq. rer. dom.
i L. 5. § de arbore. De rei vind.

¶ *Planè si.*] Hunc locum sic explicat Vlpianus [e], agens de crusta, quæ ex fundo tuo lapsa sit in
meum: Ira demum autem crustam vindicari posse Alphenus ait. si non coaluerit, nec vnitatem 1
cum terra mea fecerit: quemadmodum nec arbor potest vindicari à re, quæ translata in agrum
meum, cum terra mea coaluerit. Sed his verbis non nisi directam rei vindicationem denegari in-
telligamus. Nam alio loco Vlpianus refert, eundem Alphenum Varum & Neruam hic etiam de-
disse vtilem in rem actionem [f]. Sed vt quod hic Iustinianus ex Caio [g] descripsit, magis illustretur,
addam ex Paulo, quod huius loci est. Is enim respõdit [h]: Arbor radicitus eruta, & aliò posita, prius- 2
quam coaluerit, prioris domini est: vbi coaluerit agro cedit. & si rursus eruta sit: nõ ad priorem do-
minum reuertitur. Nam credibile est, alio terræ alimeuto aliam factam. Quæ quidem omnia vi-
detur hîc quoque probasse Iustinianus. [i]

§. Insula.

1 *Aethiopum montes olim mare alluit.*
2 *Noua insula in mari enata.*
3 *Autissam Pontus absorbuit.*
4 *Rhodos & Delos in mari repentè emerserunt.*
5 *Controuersia quadam de Insulis, à Bembo relata.*
6 *Iudicium Alexandri V. Pontificis.*
7 *Insula tribus modis in flumine nascitur.*
8 *Origo cuiusdam insulæ ex hominibus profecta.*
9 *Liceátne priuato moliri insulam.*
10 *Fructuarijs non prodesse nouæ insulæ commodum.*
11 *Quando occupantis fit insula.*
12 *De insulæ diuisione.*
13 *De eiusdem vicinitate.*
14 *De his qui ad eandem ripam prædia possident.*

Insula, quæ in mari nata est (quod rarò accidit) occupantis fit: nullius enim esse creditur. At insula in flumine nata (quod frequenter accidit) si quidem mediam partem fluminis tenet: communis est eorum, qui ab vtraque parte fluminis prope ripam prædia possident: pro modo scilicet latitudinis cuiusq; fundi, quæ prope ripam sit. Quòd si alteri parti proximior sit, eorum est tantùm, qui ab ea parte prope ripam prædia possident.

¶ *Insula quæ in mari nata est.*] Idem et si qua noua terra emerserit recessu maris. quod sæpe fieri
scribit Plinius. & exemplum est apud Herodotum, qui testatur olim mare supra Memphin alluis- 1
se montes Æthiopum. ¶ *Quod rarò accidit.*] Rarius certè, quàm in flumine, cuius non sunt eius-
modi æstus vel procellæ, quæ non temerè quicquam coalescere patiantur: fit tamen aliquando, vt 2
nouam insulam mare pariat. Sic enim testatur Plinius multas terras repentè in mari enatas emer-
sisse: quasi paria secum faciente natura, & quasi reddente, quod alio loco hauserat. Nam vt Pyr-
rham & Antissam circa Mæotin Pontus absorbuit: & ex insula Cæa amplius triginta millia pas- 3
suum mare hausit: Sic alias alijs locis restituit, & veluti euomuit terras. Nam Rhodon & Delon no
bilissimas insulas ita repentè emersisse proditum est. Itemque Næam insulam inter Lemnum & 4
Hellespontum: & Alonem inter Lebedum & Teon. Sed eiusmodi naturæ miracula rariora poste-
ritas vidit. ¶ *Occupantis fit.*] Lubet hoc loco memorabilem huius loci & controuersiam & sen-
tentiam subijcere, quam Petrus Bembus scriptor grauissimus commemorat libro 7. historiæ Ve- 5
netæ. Cùm Rex Hispaniæ Ferdinandus nouas in Oceano insulas opera Legati sui Columbi per-
quireret atque etiam occuparet, Ioannes Lusitaniæ rex, questus est, sibi iniuriam fieri. Illas enim
ad se spectare, qui Hesperides habeat: & cuius maiores Oceanum percurrere ante omnes alios
sint ausi. Contrà dicebat Ferdinandus: quæ non fuerint vllo ab homine antè parta, omnibus ho-
minibus parere, fierique occupantis. Controuersia hæc ad Pont. Alexandri v. iudicium delata est: 6
cuius sententiæ se staturum rex vterq; spopondit. Alexander arbiter pronunciauit atque statuit,
vt à

vt à septentrionibus directa, ducta in australē polum linea, quæ à Gorgonum insulis tercentena
millia passuum in Occasum distaret, quæ pars orbis in Oceano ad occidentem solem esset: ea Hi-
spaniæ Regi cederet. quæ ad Orientem spectaret, Iuris Lusitani censeretur. Ita nouæ Oceani insulæ
ab ea ora, duobus regibus perquirendæ atq; occupādæ, relictæ sunt. ¶ *In flumine nata.*] Sic nempe
vt ipsius fluminis alueo cohæreat. Nam (vt ex Paulo scribit Labeo [a]) si virgultis, aut alia qualibet — a L. si epistolam. §. vi
leui materia, ita sustinetur in flumine, vt solum eius non tangat: atque ipsa moueatur: propemo- — deamus. de acqu. rer.
7 dum publica, atque ipsius fluminis insula est. ¶ *Quod frequenter accidit.*] Tribus modis id accidere — dom.
scribit Pomponius: sed primus huc non pertinet [b]: nempe cùm agrum, qui aluei non fuit, amnis — b L. ergo. §. tribus. De
circumfluit. nihilominus enim prioris domini manet. Nam nec propriè dicere possumus eam na- — acq. rer. dom.
tam insulam. Alij duo posteriores modi huc referri possunt: nempe, cùm flumen locum, qui aluei
esset, siccum reliquit, & circumfluere cœpit. Item cùm paulatim colluendo locum eminentem su-
pra alueum fecit, & eum alluendo auxit. Lubet hîc adijcere & aliam quandam insulę originem ex
8 hominibus profectam: cuius exemplum extat in historijs Romanorū. Legimus aliquando Cam-
pi Martij segetem maturam messi, (quam religiosum erat consumere) delectam & cum stramen-
to corbibus immissam, Romanos fortè effudisse in Tyberim tenuitum aqua fluentem, vt medijs
caloribus solet: sicque in vadis, hæsitantis frumenti aceruos limo illitos sedisse: vt paulatim inde &
alijs (quæ fert temerè flumen) eodem conuectis, insula facta sit, firma quoq; templis & porticibus
9 sustinendis. hæc Liuius. Verùm non est, quòd aliquis hoc exemplo moliatur sibi insulas in flumi-
nibus publicis. Nam si id obesset nauigationi vel publico vsui fluminis, cohiberetur conatus pri-
uatus congerendæ insulæ. ¶ *Est eorum.*] Sunt tamē semper in hac insula litora mari proxima aut
ripæ flumini, omnium, non secus, atque in agro continenti. Quod respondit aduersus Labeonem
10 Paulus [c]. ¶ *Prope ripam prædia possident.*] Nempe iure dominij Nam fructuarijs hoc apparens, & se-
paratum insulæ nouæ commodum non prodest. Est enim is veluti proprius fundus [d]. Sed & si li- — c L. si insulā. §. si qua. de acq. rer. dom.
mitata prædia fuerint, ijs vt non prodest incrementum alluuionis: ita nec vicina nouæ insulæ ac- — d L. item si fundi. §.
11 cessio. Quare si vtrinque prædia fuerint limitata: insula erit occupantis [e]. Sed si ab vna tantùm par — huic vicinum. de v. suf.
te: verius duxerim totam insulam fieri alterius vicini, iure quodam accrescendi. — e L. 1. §. si insula. de flu
12 ¶ *Pro modo latitudinis.*] Cùm agitur de diuidunda insula inter eos, qui vtrinque prædia possi- — minib.
dent: inspiciendum est imprimis, quàm latè pateant & protendantur vtrinq; prędia: vt secundum
eum modum, insula è regione sita diuidatur pari semper latitudine: nam insulæ latitudo commu-
nis est ijs, qui vtrinq; prædia possident, vt quatenus versus insulam patēt prædia, eatenus ex æquis
partibus diuidatur insulæ latitudo. Id quod parum hic videtur perpendisse Theophilus. ¶ *Proxi-*
13 *mior fit.*] Dum primùm scilicet nascitur. Nam huius temporis habetur ratio, vbi de vicinitate quæ-
ritur. Nec refert postea nouis forte accessionibus insulam alteri ripæ factam viciniorem. Omnino
enim quicquid insulæ (quæ mea semel facta est) adijcitur, meum est siue id latitudinem, siue lon-
gitudinem ampliet, & ad vicinos promoueat. Qua de re extat elegans Proculi responsum [f]. ¶ *Eo-* — f L. insula. de acqui.
rum est tantum.] Adeò, vt quod de his proximioribus prædijs fuerit iudicatum: pertineat etiam ad — rer. dom.
insulas proximè natas [g]. Porrò inter eos, qui secundum eandem ripam prædia possidēt, vicina in- — g L. egi tecum. §. item
14 sula non habebitur pro indiuiso communis: sed diuidentur regiones: vt quantus cuiusque fundus — si fundi. de except. rei
est iuxta ripam, tantundem, linea veluti in directum per insulam transducta, quisq; in ea habeat — iudic.
diuisis regionibus, quemadmodum respondit Paulus [h]. — h L. inter eos. de acq. rer. dom.

§. *Quod si aliqua.*

1 Cuius sit ille ager, quem amnis circumfluit.
2 Leuis inundatio non abolet ius dominij.
3 Casus singularis, à Caio expositus.
4 Amissa propria forma, ager non est is qui fuit.
5 Ius proprietatis semel extinctum an restituatur.
6 Seruitus illius loci, quem fluuius occupauit, fluuio recedente restituitur.

Quòd si aliqua parte diuisum sit flumen, deinde infra vnitum, agrum alicuius in formam insulæ redegerit, eiusdem permanet is ager, cuius & fuerat. Quòd si naturali alueo in vniuersum derelicto, ad aliam partem fluere cœperit: prior quidem alueus eorum est, qui prope ripam eius prędia possident: pro modo scilicet latitudinis cuiusq; agri, quę prope ripam sit. nouus autem alueus eius iuris esse incipit, cuius & ipsum flumen est, id est, publicus. Quòd si post aliquod tempus ad priorem alueum reuersum fuerit flumen: rursus nouus alueus eorum esse incipit, qui prope ripam eius prædia possident.

1 ¶ *Quod si aliqua parte.*] Pomponius [i] istud refert inter causas insularum: nempe cùm agrum, — i L. ergo. §. tribus. De
qui aluei non fuit, amnis circumfluit. Sed rectè admonet hoc modo causam proprietatis non mu — acq. rer. dom.
tari. ¶ *In vniuersum derelicto.*] Quod si pars tantùm derelicta sit, flumine veluti contracto & subsi-
dente: eius vnius erit, qui iuxta eam ripam prædia possidet. ¶ *Post aliquod tempus.*] Quo scilicet oc-
2 cupauit, & sui quodammodo iuris fecit nouum illum alueum: ne quis dicat leuem quandam so-
lùm fuisse inundationem: quæ certè non aboleret ius prioris domini. ¶ *Nouus alueus eorum esse inci-*
pit.] Non ergo restituitur ius prioris domini, quē semel fluuius deturbauit sua proprietate & pos-
sessione. quanquam sanè quod prius publicum erat, veluti iter, restitueretur Reipub. [k] Adiecit & — k L. Martius. de acq. rer. dom.

a L. adeo. §. si cuius tamen. D. illo tit.

alium casum singularem Caius [a], quem mirum est hic à Iustiniano prætermissum. continet enim 3
æquissimam & humaniss. exceptionem. Si cuius totum agrum nouus alueus occupauerit, licet ad
priorem alueum reuersum fuerit flumen, nō tamen is, cuius ager fuerat, stricta ratione quicquam
in eo alueo habere potest: quia & ager ille qui fuerat, desijt esse, amissa propria forma: & qui vici-
num prædium nullum habet, non potest ratione vicinitatis vllam partem in eo alueo habere: sed 4
vix est vt id obtineat. Hactenus Caius: quem satis apparet ex æquo & bono habuisse rationem in-
felicis domini, qui fortè nihil præter eum agellum, quem alueus fluminis occupauit, haberet: nec
potuisse pati, vt miserabili huius damno, alij locupletarentur. Porrò autem cùm dicimus extincta
semel proprietatis iura eius loci, quo fluuius vtitur pro alueo, non restitui eo recedente, admonen 5
di sumus, non esse idem statuendum de ijs, quæ discessu fluminis fortasse periere. Nam verius est,
eo reuerso, simul ea reuerti & redintegrari. Vt si fundus tuus mihi seruiebat adituro fluuium tuos
fortè agros alluentem: recessu quidem fluuij intercidit seruitutis ratio: sed eo priorem suū alueum
repetente, ius quoque seruitutis repetere potero. Sic cùm ageretur de quodam fonte, qui cùm se-
b L. Et Attilicinus. de seruit. rust. præd. — mel exaruisset, postea rursus cœpit fluere: responsum est [b], priores seruitutes simul redintegrari: id-
que Cæsarem rescripsisse, vt concederetur. Sanè cùm ageretur de seruitutibus eius loci, quē fluuius
c L. si locus. D. quemad. seruit. amit. — occupasset, deinde reliquisset: Respondit Iabolenus, eas ipso iure restitui, si ante id tempus recesse- 6
rit fluuius, quod ad seruitutem amittendam desideraretur. Alioqui, seruitutes quidem amissas: sed
tamen ex æquo & bono renouandas. Iuxta quam distinctionem videtur intelligendum aliud e-
d L. si vsumfr. horti. D. quib. mod. vsusfr. amit. — iusdem Iaboleni responsum [d].

§. *Alia sanè.*

1 *Pomponius de alluuione.*
2 *Nilus Aegyptum inundat.*
3 *Aqua coopertum, quando non fiat publicum.*
4 *Inundatione recedente restituitur vsusfructus.*
5 *Seruitutes amissas restitui.*

Alia sanè causa est, si cuius totus ager inundatus fuerit. neque enim inundatio fundi speciem commutat. & ob id, si recesserit aqua, palàm est eum fundum eius manere, cuius & fuit.

¶ *Alia sanè causa.*] Pomponius (qui alluuionem vocat recessum inundationis) hunc locum ita 1
e L. ergo. §. alluuio. de acquir. rer. dom. — explicat [e]: Alluuio agrum restituit eum, quem impetus fluminis totum abstulit. Itaque si ager, qui
inter viam publicam & flumen fuit, inundatione fluminis occupatus esset: siue paulatim occupa-
tus est, siue non paulatim, sed eodem impetu: recessu fluminis restiturus, ad pristinum dominum
pertinet. Si quis exemplum desiderat, extat maximè memorabile apud Ægyptios, quorum agros 2
quotannis inundat Nilus: nec tamen confundit eorum dominia, etiamsi dissipet terminos. Nam
ij Geometriæ adminiculo rursus componuntur, vt scribit Diodorus Siculus lib. 2. ¶ *Inundatus fue-
rit.*] Alueo fluminis non mutato: sed effusis, quæ supra eum excreuerant, vndis: vt sæpe nec alueus
f L. 1. §. si fossa. de flumin. — amnem, nec retinent ripæ. Rectè ergo Vlpianus [f], Si (inquit) flumen aliquam terram inundaue- 3
rit: non alueum sibi fecerit. tunc non fit publicum, quod aqua coopertum est. ¶ *Si recesserit aqua.*]
Quandiu autem ea manet: videtur quodammodo amissus fundus: vtpote cuius nullus est vsus:
g L. qui vniuersas. §. item quod à mari. De acq. poss. l. cùm vnus §. vl. de bo. auto. iud. possidend. — atq; adeò nec possessio retinetur [g]. Imo quamuis ius dominij reuera maneat [h]: tamen nescio quo-
modo existimatur deperdita proprietas, quam non possidemus. multo magis vsusfructus: quem
tamen etiam restitui recedente inundatione constat. Sic enim Pomponius [i], Si (inquit) ager, cu- 4
h L. Pomponius. De acquir. poss. — ius vsusfructus noster sit, flumine vel mari inundatus fuerit: amittitur vsusfructus: cum etiam ipsa
proprietas eo casu amittatur. Ac ne piscādo quidem retinere possumus vsumfructum. Sed quem-
i L. si ager. D. quibus mod. vsusfr. amit. — admodum si eodem impetu recesserit aqua, quo venit, restituitur proprietas: ita & vsumfructum
restituendum esse dicendum est. Subijcit deinde Iabolenus generalem Labeonis sententiam, sed
quam summo iure putat tantum in ipsa inundatione obtinere: non etiam vbi alueus mutatus est.
Quanquam & tum restitui seruitutes omnes, longo etiam tempore amissas, alibi ex æquo & bono 5
probat idem Iabolenus: & nos suprà diximus.

§. *Quum ex aliena.*

1 *Mulsum quid?*
2 *Emplastrum Latinè pastillum.*
3 *Collyrium genus medicamenti.*

Quum ex aliena materia species aliqua facta sit ab aliquo: quæri solet, quis eorū naturali ratione dominus sit: vtrum is, qui fecerit, an potius ille, qui materiæ dominus fuerit. vt ecce, si quis ex alienis vuis, aut oliuis, aut spicis, vinum, aut oleum, aut frumentum fecerit: aut ex alieno auro, vel argēto, vel ære vas aliquod fecerit: vel ex alieno vino & melle mulsum miscuerit: vel ex medicamentis alienis emplastrum, aut collyrium composuerit: vel ex aliena lana vestimentum fecerit: vel ex alienis tabulis, nauem, vel armarium, vel subsellia fabricauerit.

1 ¶ *Mulsum.*] Potionis hæc species est, vel potiùs cibi. Sic enim Plinius lib. 22. vbi agit de natura
mellis, Multi (inquit) senectam longam mulsi tantùm nutricatu tolerauere, neque vllo alio cibo,
celebri Pollionis exemplo: quem centesimum annum excedentem, cùm Augustus hospes inter-
rogaret, quanam ratione maximè vigorem illum animi corporisque custodisset: ille respondit,
Intus mulso, foris oleo. Vocat autem Plinius mulsum, quod Dioscorides οἰνόμελι. Videtur tamen
Vlpianus hæc distinxisse, cum respondit [a], vino legato non contineri mulsum: sed tamen conti-
neri οἰνόμελι: quod interpretatur esse vinum dulcissimum. Sanè si dulcia legata fuerint: etiam mul-
sum contineri constat [b].

2 ¶ *Emplastrum.*] Vox hæc græca est, sicut & alia eiusdem ferè significationis, Cataplasma, vel
Malagma: Latini vocant pastillum: quanquam inter hæc discrimen notatum sit à Cor. Celso lib.
quarto. ¶ *Collyrium.*] Genus medicamenti est, potissimum oculorum. Adduntur oculis collyria
3 lippis. Si quis plures collyrij vsus scire desiderat, legat librum quintum Cornelij Celsi.

a L. si quis vinum. de tritico. vin. et ole. leg.
b L. vlt. §. vlt. D. illo tit.

§. *Et post multam.*

1 De Sabinianis & Proculianis.
2 Capita dissensionum inter illos.
3 Casus de sententia Proculi & Sabini.
4 Nauis ex alterius tabulis facta, cuius sit.
5 Vestimentum ex aliena lana confectum, manet conficientis.
6 Vsusfructus legatus quomodo intercidat.
7 Quod ex re nostra fit, nostrum esse videtur.
8 Distinctio bonæ & malæ fidei obseruanda.
9 Frumentum ex alienis spicis excussum, cuius sit.

Et post multam Sabinianorum & Proculianorum ambiguitatem, placuit media sententia existimantium, si ea species ad priorem & rudem materiam reduci possit, eum videri dominum esse, qui materiæ dominus fuerit. si non possit reduci, eum potius intelligi dominum, qui fecerit. vt ecce, vas conflatum potest ad rudem materiam æris, vel argenti, vel auri reduci: vinum autem, vel oleum, aut frumentum ad vuas, vel oliuas, vel spicas reuerti non potest. ac ne mulsum quidem ad vinum & mel resolui potest.

1 ¶ *Sabinianorum & Proculianorum.*] Tuberonis duo fuere discipuli maximæ autoritatis, Atteius
Capito, & Antistius Labeo. Qui primùm veluti diuersas sectas fecerunt (inquit Pomponius [c]).
Atteius Capito, in ijs, quæ ei tradita fuerant, perseuerabat: Labeo ingenij qualitate, & fiducia do-
ctrinæ, qui præ cæteris Sapientiæ operam dederat, multa innouare instituit, vt scribit idem
Pomponius. Hinc graues inter eos contentiones: quas deinde aluerunt & auxerunt discipuli. Ca-
pitoni successit Masurius Sabinus, vir Equestris ordinis, qui primus Cæsaris beneficio de iure pu-
blicè respondit. Sabino successit C. Cassius Longinus, Tuberonis ex filia nepos: quem etiam ma-
gistri sui Sabini sententias plerunque bene excusasse testis est Paulus [d]. Cassio successit Celius Sa-
binus: huicque deinde Priscus Iabolenus. Contrà ex altera parte, Labeoni successit Nerua: & dein-
de Neruæ Proculus, quem scribit Vlpianus [e], non leuem fuisse iuris autorem. Proculo successit Pe-
gasus, quem Iuuenalis vocat optimum & sanctissimum legum interpretem. Pegasus successorem
reliquit Celsum patrem: cui deinde successit Celsus filius, & Neratius Priscus. Ex his intelligere
possumus qui fuerint Sabiniani, qui Proculiani, quorum dissensiones in iure ciuili toties memo-
2 rantur. Cuius generis sunt, An legata codicillis ascripta, post mortem hæredis instituti, deberen-
tur à substituto [f]. Vtrum bonorum parte legata, debeantur rerum partes, an verò æstimatio [g]. An
testamentum ruptum intelligatur, si posthumus præteritus, statim quàm natus est decesserit, an-
tequam vocem ederet [h]. Vtrum discernenda sit emptio à permutatione [i]. An vxor furtum com-
mittat [k]. An pœnalis stipulatio committatur statim à tempore moræ [l]. An qui certarum nun-
dinarum diebus dari stipulatur, primo die petere posit, an verò finem expectare debeat [m]. An si
fideiussor, reum promittendi scripserit hæredem, confundatur obligatio [n]. Item de eo, qui excessit
fines mandati [o]. Et in hæreditatis petitione, de ijs, quæ post litem contestatam perierunt [p]. Vt alia
3 capita prætercam [a]. ¶ *Ambiguitatem.*] Caius [b] hunc locum tractans ait, Neruam & Proculum
putasse, hunc dominum esse qui fecerit: quia quod factum est, antea nullius fuerat: Sabinum verò
& Cassium existimasse, magis naturalem rationem efficere, vt qui materiæ dominus fuerat, idem
eius quoque, quod ex eadem materia factum sit, dominus esset. ¶ *Placuit media sententia.*] Pla-
cuit certè ea & Caio [c], & Callistrato [d], & Paulo [e]. qui etiam alibi in vniuersum tradit [f]: Ea, quæ ta-
lis naturæ sunt, vt sæpius in sua posint redigi initia: materiæ potentia victa, nunquam vires eius
effugere. Huc quoque pertinet quod idem Paulus adiecit [g], Tuam nauem esse, quam ex meis ta-
bulis feceris, hoc est, ex rudi meo ligno, quod tu perpolieris, atq; dedolaris bona fide in tuos vsus:
sic vt omnino alia res videatur, quæ non posit redigi in prima illa sua rudiaque initia, & muta-
ta forma videatur interimere substantiam rei, vt est apud Vlpianum [h]. Cæterum si tu ex meis verè
tabulis iam dedolatis paratisq; nauem construxisses: nequaquam ideo statim eris eius dominus.
Idque Minutium interrogatum respondisse testis est Iulianus [i]. Addit prærerea Paulus & aliud ex-
5 emplum, cuius hic non fit mentio: nempe lanæ, ex qua vestimentum confectum est. Nam id ma-
nere eius, qui fecit: quia nō maneat lana. Interim tamen probat sententiā Labeonis, solius mutati
colotis

c L. 2. §. post hunc. de origine iur.
d L. qualem. §. nunc videndum. de recep. arbitr.
e L. Diui. de iure pat.
f L. quidam referunt. de iure codic.
g L. non amplius. §. vlt. de lega. 3.
h L. 3. C. de posthu. hæred. instit.
i L. 1. de cōtrah. emp. §. item pretium, infr. de emp. & vendit.
k L. 1. de act. rer. amot.
l L. ita stipulatus. §. sed & si ita. de verb. oblig.
m L. eum qui certarū. D. eodem.
n L. si duo. §. vlti. de solut.
o §. is qui. inf. de mād.
p L. illud quoque. de petit. hæred.
a L. pupillus. de acquir. re. dom. l. ex facto. de hær. instit.
b L. adeo. § cùm quis ex aliena. de acqui. rerum. domi.
c d. §. cum quis.
d L. lacus. §. vlti. D. eodem.
e L. in omnibus. D. eodem.
f L. quæsitum est. §. illud de lega. 3.
g L. sed si ex meis. de acqui. rerū dominio.
h L. Iulianus. § si quis rem. D. ad exhib.
i L. Minutius. de rei vendic.

coloris vim eam non esse, vt dominium mutet. Itaque meam lanam, quam fortè tinxeris, nihilominus meam manere: perinde atque si luto foret inquinata. ¶ *Eum videri dominum.*] Quem tamen æquum erit, sumptum bona fide factum, impensamque operam præstare ei, qui fecit.

¶ *Qui materiæ dominus.*] Saltem proprietatis. Nam solus vsusfr. non omnino hic sufficeret. Imò
periculũ est, ne pereat. Certè legatum vsumfr. massæ, ex qua deinde vasa sint facta, eo nomine in- 6
tercidere scribit Cassius: & astipulatur Vlpianus[a]. Sed aliud esse constitutum, vbi proprietas le-
gata esset, probat Paulus[b]. ¶ *Qui fecerit.*] Hoc est: Perfecerit: idque suo nomine: quod apud Caium
adijcitur[c], & à Pomponio probatur[d]. Postremò adijcendum videtur, bona fide id factum esse de-
bere. atq; hoc alterum caput est, quod non ineptè Iustinianus hic addidisset priori suæ distinctio-
ni, quam ex Caio descripsit. Sic enim Paulus[e] respondit: Si quis ex vuis meis mustum fecerit, vel
ex oliuis oleum, aut ex lanis vestimenta, cùm sciret hæc aliena esse: vtriusque nomine ad exhiben-
dum actione tenebitur: quia quod ex re nostra fit, nostrum esse, verius est. Atque hanc quidem 7
distinctionem bonæ & malæ fidei, quam Iustinianus prætermisit, diligenter obseruandam esse iu- 8
dico: & quod hic negligentia Triboniani non satis explicatum est, ex collatione responsorum,
quæ sunt in Pandectis, esse illustrandum. ¶ *Ad rudem materiam æris.*] Hoc est, iterum ad rude & in-
fectum æs. Quod tamen conflatum, etiam semper æs fuit[f]. ¶ *Aut frumentum.*] Cogor hic deside-
rare diligentiam Triboniani. aut quisquis fuit harum Institutionum architectus, qui hoc exem-
plum cum alijs multum dissimilibus temerè confuderit: & omiserit necessarium illud Caij addi-
tamentum, quo discrimen diligenter notauerat, his verbis[g]: Videntur tamen mihi quidam rectè
dixisse, non debere dubitari, quin ex alienis spicis excussum frumentum, eius sit, cuius & spicæ fue- 9
rant. Cùm enim grana, quæ spicis continentur, perfectam habeant speciem: qui excutit spicas,
non nouam speciem facit, sed eam, quæ est, detegit. Hæc Caius. Cuius sententia & exceptio, quo
tandem consilio hic sit prætermissa, non possum intelligere. Nisi incusare velis librariorum incu-
riam, qui vel temerè addiderunt hoc frumenti exemplũ, cuius mentionem oportuit expunctam:
vel prætermiserunt appendicem, quam maximè adiectam oportuit.

a L. quid tamen. §. si massæ. D. Quibus modis vsusfr. amit.
b L. seruum filij. §. si pocula de lega 3.
c L. adeo. §. cum quis. de acquir. rer. domi.
d L. quicquid. §. vbi. de adquir. rer. domi.
e l. de eo. § si quis. ad exhib.
f L. etiam aureos. de ver. signifi. l. cum aurum. de auro & argen lega.
g L. adeo. §. cum quis, in fi. de acquir. rer. domi.

Quòd si partim ex sua materia, partim ex aliena speciem aliquam fecerit quis: veluti ex suo vino & alieno melle mulsum miscuerit, aut ex suis & alienis medicamentis emplastrum aut collyrium, aut ex sua lana & aliena, vestimentum fecerit: dubitandum non est, hoc casu eum esse dominum qui fecerit: quum non solùm operam suam dederit, sed & partem eiusdem materiæ præstiterit.

¶ *Partim ex sua.*] Idem & si partim ex tua, partim ex Titij materia aliquid bona fide fecero. nam & id eius erit, qui fecit, si non potest ad priorem redire formam[h]. ¶ *Cum non solum.*] Alia ex superioris paragraphi distinctione aptior ætiologia colligi potest, quòd hoc casu id quod factum est, ad sua initia redire nequeat.

h L. 5. §. idem scribit. de rei vindic.

§. Si tamen.

1 *Accessio cedit principali, & pars toto.*
2 *Accessionis ius facile subuerti potest.*
3 *Purpura aliena vestimento intexta petenti exhibenda.*
4 *Ratio acquirendi per accessionem est infirma.*
5 *Vanus & ludicrus acquirendi modus per accessionem.*
6 *Aduersus dolum condictione agi potest.*
7 *De iniustis malæq; fidei possessoribus.*

Si tamen alienam purpuram vestimento suo quis intexuerit: licet pretiosior sit purpura, tamẽ accessionis vice cedit vestimento: & qui dominus fuit purpuræ, aduersus eum, qui subripuit, habet furti actionem, & condictionem: siue ipse sit, qui vestimentum fecit, siue alius. nam extinctæ res, licet vindicari non possint, condici tamen à furibus, & quibusque alijs possessoribus possunt.

¶ *Si tamen alienam purpuram.*] Non reperitur hic locus apud Caium, sed à Triboniano insertus
est & assutus, fortassis inconsideratè. Nam præterea quòd parum cohæret superioribus, vt ingenuè
fatear, videtur mihi frustranea eius definitio. Verum quidem est, accessionem cedere principali[i], 1
& partem toto[k]: & quæ ita coniuncta sunt, rectè vindicari non posse. Verùm illud totum nihili
est: quia saltem agi potest, vt exhibeantur: & exhibita, iamque separata rectè vindicantur. Sic fa- 2
cillimum est, totum ius accessionis subuertere. Rectè itaque Paulus[l], Quæcunque (inquit) alijs
iuncta siue adiecta accessionis loco cedunt: quandiu cohærent, dominus vindicare non potest: sed
ad exhibendum agere potest, vt separentur, & tunc vindicentur. Sed & disertè testatur Vlpianus[m],
purpuram alienam vestimento intextam petenti exhibendam. Vnde apparet rationem acqui- 3
rendi per accessionem, esse admodum infirmam, saltem vbi res separari potest: nec quicquam so- 4
lidi iuris hoc loco tradi, atque adeò nihil præter leuem quandam subtilitatem: quæ fingit rem, quæ
propter accessionem alteri cessit, tanquam extinctam domino perire, quanquam interim facilè
sit eam recuperare: quia integrum sit à quocunque possessore petere, vt exhibeatur, & exhibitam
vindicare. Itaque operæprecium non est in tam vano & ludicro acquirendi modo, qui hic propo- 5
nitur,

i L. etsi non sunt. §. perueniamus. de auro & arg. leg.
k L. sed si ex meis. §. Proculus. de acqu. rer. domin.
l L. in rem actio. §. item quæcunque. de rei vind.
m L. tigni. §. sed si rotam. D. ad exhiben.

nitur, diutius immorari. fortaſsis aptius fuiſſet agere de eo, qui ſuum pannum intinxit alienæ pur-
puræ, hoc eſt, ſucco piſciculi Purpnræ. Tuncenim ſatis apparet debere purpuram cedere panno,
vtpote à quo nullo modo poſsit auelli aut ſeparari: ſaltem ſi bona fide quis intinxerit. Nam aduer-
6 ſus eum, qui in dolo eſſet, rectè condictione ageretur. ¶ *Quibusq; alijs poſſeſſoribus.*] Ita etiam hunc
locum legiſſe videtur Theophilus, qui vertit [illegible]. Sed intelligamus quoſque alios
7 poſſeſſores, qui ex alia ſimili cauſa non iuſta poſsident mala fide: ſicuti & prædæ & bonorum ra-
ptorum & rerum amotarum nomine condici poteſt, & in vniuerſum, (inquit Martianus [a]) ab his *a L. rerum. de rer. amot.*
qui non ex iuſta cauſa poſsident.

§. *Si duorum.*

1 *Ex confuſione voluntaria, effectum corpus commune eſt.*
2 *Electrum quid?*

Si duorum materiæ voluntate dominorum confuſæ ſint, totum id corpus, quod ex confuſione fit, vtriuſque commune eſt: veluti ſi qui vina ſua confuderint, aut maſſas argenti vel auri conflauerint. Sed & ſi diuerſæ materiæ ſint, & ob id propria ſpecies facta ſit: forte ex vino & melle mulſum, aut ex auro & argento electrum: idem iuris eſt. nam & hoc caſu communem eſſe ſpeciem non dubitatur.

1 ¶ *Voluntate.*] Caius indicat [b] hanc ipſam voluntatem efficere corpus commune: nempe quia *b L. adeo. §. volunt. ne de acqui. rer. domi.*
hic intelligatur ſubeſſe tacita quædam ſocietatis conuentio. Itaque nec opus eſt vlla traditione ad
2 transferendum dominium [c]. ¶ *Electrum.*] Plinius libro 33. cap. 4. ſcribit, Electrum eſſe aurum, *c l. 1. D. pro ſoc.*
cuius quinta pars argentum ſit. Suidas verò tradit eſſe aurum cum vitrea quadam & lapidea con-
fuſione: quòd illuſtri nitore ſplenderet.

§. *Quòd ſi fortuito.*

1 *Inter materias diuerſas & eiuſdem generis diſcrimen eſſe.*
2 *Pomponius de confuſionum generibus & iure.*
3 *Alia confuſionum genera ex eodem.*
4 *Quatuor axiomata de iure confuſionis.*
5 *Aes ab auro non ſeparari, quomodo intelligendum.*
6 *Diuiſio frumenti confuſi, quo pacto fieri debeat.*

Quòd ſi fortuitu, & non voluntate dominorum confuſæ fuerint, vel eiuſdem generis materiæ, vel diuerſæ: idem iuris eſſe placuit. Quòd ſi frumentum Titij frumento tuo miſtum fuerit: ſi quidem voluntate veſtra, commune eſt: quia ſingula corpora, id eſt, ſingula grana, quæ cuiuſque propria fuerunt, conſenſu veſtro communicata ſunt. Quòd ſi caſu id miſtum fuerit, vel Titius id miſcuerit ſine tua voluntate, non videtur commune eſſe: quia ſingula corpora in ſua ſubſtantia durant.

¶ *Idem iuris eſſe placuit.*] Theophilus hoc loco addit negatiuam, οὐ τὸ αὐτὸ [illegible]. quaſi hic
ſcripſerit Iuſtinianus, NON IDEM IVRIS ESSE PLACVIT. Et ſanè ſi quis expendat vim oratio-
nis, quæ cœpit ab his verbis, QVOD SI, &c. hic meritò expectabit aliquid à ſuperioribus diuerſum.
Alioqui magis conueniebant illa verba, quibus etiam hac in re Caius vſus eſt, SED ET SI, &c. Il-
lud præterea quis mirabitur eodem loco hic haberi materias diuerſas & eiuſdem generis, cùm ta-
1 men diſcrimen eſſe videatur. Vt autem, quantum licet, totum hunc locum, & ea quæ ſequuntur,
ſemel explicemus, adijciam ex optimis exemplaribus, ea, quæ ex Pomponio refert Vlpianus [d]. *d L. 3. §. vlt. l. 5. de rei vind.*
2 Pomponius ſcribit, Si quid quod eiuſdem naturæ eſt, ita confuſum eſt atque commiſtum, vt didu-
ci & ſeparari non poſsit: nõ totum, ſed pro parte eſſe vindicandum. vtputa meum & tuum argen-
tum in maſſam redactum eſt: erit nobis commune, & vnuſquiſq; pro rata ponderis, quod in maſ-
ſa habemus, vindicabimus: etſi incertum ſit, quantum quiſque ponderis in maſſa habeat. Idem
Pomponius ſcribit, Si frumentum duorum, non voluntate eorum confuſum ſit: competit ſingu-
lis in rem actio in id, quantum paret in illo aceruo ſuum cuiuſque eſſe. Quòd ſi voluntate eorum
commixta ſint, tunc communicata videbuntur, & erit communi diuidundo actio. Idem ſcri-
3 bit: Si ex melle meo & vino tuo factum ſit mulſum: quoſdam exiſtimaſſe, id quoque communica-
ri: ſed puto verius (vt & ipſe ſignificat) eius potius eſſe qui fecit, quoniam ſuam ſpeciem priſtinam
non retinet. Sed ſi plumbum cum argento mixtum ſit, quia poteſt diduci, nec communicabitur,
nec communi diuidundo agetur. agetur autem in rem. Sed & ſi diduci (inquit) non poſsit: puta ſi
æs & aurum mixtum fuerit: pro parte eſſe vindicandum. Necquaquam erit dicendum, quod in
4 mulſo dictum eſt: quia vtraq; materia etſi confuſa, manet tamen. Hæc ille. Ex his autem quatuor
colligi poſſunt axiomata, Vbi res eiuſdem naturæ miſcentur, & ita ſubſtantiæ ipſæ cõmixtæ ſunt,
vt ne naturaliter quidem ſeparari poſsint; omnino cõmunicantur: etiam ſi ſine dominorum vo-
luntate mixtæ ſint. Ipſa enim ſola confuſio ſubſtantiarũ neceſſariam habet cõmunicationem. velu
luti ſi meum argentum cum tuo mixtum ſit atque confuſum. Nam hæc, quæ eiuſdem natura ſunt,
ita in-

ita inuicem misceantur, vt nulla ratione diduci possint. Quòd si res quidem sint eiusdem speciei,
sed quarum substantiæ non confundantur: nulla erit communicatio, nisi ex voluntate domino-
rum. veluti si meum frumentum cum tuo fuerit mixtum: hic enim singula grana in sua substantia
manent: nec natura est impossibilis separatio, etiamsi difficilis sit & incommoda. Si misceantur
res diuersæ naturæ, nec maneat prior species aut substantia, sed tertia quædam efficiatur, nulla est
communicatio, sed totum corpus fit eius, qui fecit bona fide. veluti si ex melle meo & vino tuo fa-
ctum sit mulsum. Quòd si integra puraque maneat prior substantia: nulla quoque fit communi-
catio, nisi ex dominorum voluntate: sed quisq; manet suæ materiæ dominus: & pro sua parte vin-
dicabit: idque non modò, vbi commodè res separari potest, veluti si cum plumbo argentum mix-
tum sit: sed etiam si non separetur, veluti si æs & aurum mixtum fuerit. Intelligimus autem æs ab 5
auro non separari, quod commodè separari nequeat: quia vel magna ex parte consumatur, si per
ignem aut aquam Chrysulcam separare velis: aut tam sumptuosa sit, vt damnosa fuerit, separatio,
si diducere velis cæmento illo ex lateribus contusis & medicaris cum argilla composito.

¶ *Singula corpora communicata.*] Horum tamen diuisio, si quando fiet, fieri debebit numero 6
non autem corporum sectione, quæ corrumperet vtriusque portionis emolumentum. Porrò & si
quis non consentiente socio aliquid statuerit de omnibus corporibus, non erit rata eius dispositio

a L. nam etsi fur. §. vlt. D. si cer. pet. cond.

vltra dimidiam vniuersorum partem. Sic enim respondit Vlpianus [a]: Si communes numos tibi
credidero centum: posse me quinquaginta condicere. Papinianus lib. 8. Quæstionum scribit, etiam
si singula corpora communia fuerint.

§. *Sed nec magis.*

1 *Separatio quando impetrari possit.*
2 *Perrarò contingit, vt separatio fiat impossibilis.*
3 *Precij ratio habenda.*

Sed nec magis istis casibus commune fit frumentum, quàm grex intelligitur esse
communis, si pecora Titij tuis pecoribus mista fuerint. Sed si ab alterutro vestrum totum
id frumentum retineatur: in rem quidem actio pro modo frumenti cuiusque competit:
arbitrio autem iudicis continetur, vt ipse æstimet, quale cuiusq; frumentum fuerit.

b L. rerum mixtura. in fi. de vsucap.
c L. 1. §. præterea. de separat.

¶ *Si pecora.*] Quæ nihilominus suam causam retinent [b], & facilè possunt separari, non minus
certè, quàm mancipia aut prædia: Vnde Vlpianus [c], Sciendum est (inquit) posteaquam bona hæ-
reditaria, bonis hæredis mista sunt, non posse impetrari separationem. Confusis enim bonis & v- 1
nitis, separatio impetrari non poterit. Quid ergo si prædia extent, vel mancipia, vel pecora, vel a-
liud, quod separari possit? Hic vtique poterit impetrari separatio. Nec ferendus est, qui causatur
bona contributa: cum prædia contribui non possint, nisi ita coniunctæ possessiones sint, & per-
mixtæ proprijs, vt impossibilem separationem effecerint. quod quidem perraro contingere po- 2
test. Pro modo frumenti, hoc est, pro rata quantitatis cuiusque, habita etiam ratione qualitatis.

¶ *Vt ipse æstiment, quale cuiusq; frumentum.*] Sic vt pro qualitate misti frumenti, statuat certam
aliquam quæ ex toto aceruo reddatur actori, quantitatem, vel minorem, quàm sit commista, quia
fuerit minoris precij frumentum: vel sanè maiorem, si fuerit maioris precij. Nam in hac vindica- 3

d L. 4. in fi. de rei vind.

tione ratio habetur, cuius res preciosior erat, quemadmodum etiam est apud Paulum [d].

§. *Cùm in suo solo.*

1 *Aedificium in solo communi extructum, commune est.*
2 *Eiusdem rei duo in solidum domini esse nequeunt.*
3 *Aedificij dominus, non ideo singularum eius partium dominus est.*
4 *Aedificia quæ alieno loco imponuntur, solo cedunt.*
5 *Aedificium soli conditionem sequitur.*
6 *Legatario deberi impositam rei legatæ domum.*
7 *Aream legatam non posse peti, si inædificata sit.*
8 *Aedificio in mari aut littore ædificato, solum cedit.*
9 *Pro ædificato in publico solo vectigal pendendum.*
10 *Qualiter quid inædificetur, vt solo cedat.*
11 *De horreo frumentario facto mobili, & posito in alterius fundo.*
12 *Maceriam solo cedere, & à muro diuersam esse.*

e L. vlti. de vsu & habit. l. repetit. §. si areæ, cum ll. sequ. D. Quib. mod. vsusfru. amit.
f L. si in area. C. de rei vindic.
g L. eum qui ædes. de vsucap.
h L. rerum mixtura. §. Labeo. de vsucap.

Cùm in suo solo aliquis ex aliena materia ædificauerit, ipse intelligitur dominus æ-
dificij: quia omne, quod solo inædificatur, solo cedit.

¶ *Cùm in suo solo.*] Hoc est, proprio. Adderem autem solam sufficere proprietatem, etiam si a-
lienus esset vsusfructus, nisi meminissem non licere proprietatis domino, vllo modo commutare
speciem rei [e], cuius alienus est vsusfr. Quod si in solo communi ædificetur: erit etiam commune [f] 1
ædificium. ¶ *Dominus ædificij.*] Non etiam ipsius materiæ: cuius manet dominus, qui prius fuit.
non possunt autem duo in solidum esse domini eiusdem rei. Aliam itaque intelligere debemus es- 2
se causam ipsius ædificij: aliam ipsius materiæ. Vt qui dominus est ædificij, non ideo quoque do- 3
minus est singulatim eius partium: imò persæpe ne possessor quidem [g]; nisi forte vbi ageretur de
complenda tigni iniuncti vsucapione, quæ diu antequam id iniungeretur, cœpta erat [h].

¶ *Quia*

¶ *Quia omne quod.*] Hæc quoque regula seruit sequenti themati, vbi quis in alieno solo ex sua
materia ædificat. Traditur autem ab Imp. Antonino, his verbis [a], Quod in tuo solo ædificatum est:
4 quandiu in eadem causa permanet, iure ad te pertinet. Impp. Diocle. & Max. inquiunt [b], Ædificia
quæ alieno loco imponuntur, solo cedere. Caius [c] ait ædium proprietatem, & ciuili & naturali iu-
5 re eius esse, cuius est solum. Vlpianus [d] scribit ædificium soli conditionem sequi. Huc quoque per-
6 tinet, quod doctissimum suum præceptorem Papinianum [e] secutus, aliquando respondit Pau-
lus [f], legatario deberi impositam rei legatæ domum, nisi testator mutauerit voluntatem. Mutare
autem potest: & vbi vlla esset mutatæ voluntatis coniectura, nihil deberetur. Sic accipiendum est,
7 quod Celsus [g] ait, aream legatam non posse peti, si inædificata esset.
¶ *Solo.*] Saltem priuato, & quod aliquem dominum habet. Cæterùm si in mari, vel in litore
8 ædificatum sit, cedit solum ædificio [h]: saltem quandiu ædificium manet: alioqui eo collapso, quasi
iure postliminij reuertitur locus in pristinam causam. & si alius in eodem loco rursus ædificauerit,
eius fiet [i]. Quod si in loco publico nemine prohibente fuerit ædificatum, quod vsui publico non
obsit: erit quoque ædificantis. Sed certum solarium pendet, hoc est, vectigal, quod pro solo pen-
ditur [k].
9 ¶ *Inædificatur.*] Primùm hic necesse est aliquid ædificatum esse, quod fundi sit: nam vasa de-
10 fossa, veluti torcularia, etiam si cohæreant solo, non tamen eius fiunt, cùm potius sint instrumen-
ti [l]. Deinde oportet inædificatum esse, sic nempe, vt solo cohæreat, & stabile fixumque sit. Nam
cùm Titius horreum frumentarium ex tabulis ligneis factum mobile in Seij prædio posuisset:
11 consultus Scæuola, vter horrei dominus videretur, respondit [m] secundum ea quæ proponerentur,
Non esse factum Seij. Neque tamen hîc aut summam artem exigimus, aut perpetuam formam,
veluti vt sit ædificium calce compactum & firmatum. Nam & maceriam solo cedere indicat Vl-
pianus [n], quam tamen constat nulla calce firmari, diuersamque à muro [o] esse. Itaque satis est quali-
tercunque inædificatum, quasi perpetuò ibi mansurum.

a L. 2. C. de rei vin.
b L. si ii contra. C. de ædifi. pri.
c L. vlt. de superficie.
d L. si precario. D. commun. præd.
e L. si areæ. de legatis 2.
f L. seruum filij. §. si areæ. de lega. 1.
g L. si chorus. §. area. de legat. 3.
h L. in tantum. de rer. diui. l. 1. §. quod si quis. de oper. no. nunc.
i dic. l. in tantum.
k L. 1. §. si quis nemine. D. ne quid in lo. pub. l. 1. C. de diuer. præd.
l L. fundi. de act. empt.
m L. si Titius. de acqui. rer. domi.
n L. si precario. D. commu. præd.
o L. paries. l. quantũ ad turis. de verb. signific.

§. *Nec tamen ideo.*

1 Tignum alienum ædibus iunctum vindicari non potest.
2 Actio ad exhibendum, propter malam fidem datur.

Nec tamen ideo is, qui materiæ dominus fuerat, desinit dominus eius esse: sed tantisper neque vendicare eam potest, neque ad exhibendum de ea re agere, propter legem duodecim Tabularum, qua cauetur, ne quis tignum alienum ædibus suis iunctum, eximere cogatur: sed duplum pro eo præstet, per actionem, quæ vocatur de tigno iuncto.

¶ *Neque ad exhibendum.*] Sic Paulus [p], Gemma (inquit) inclusa auro alieno, vel sigillum can-
delabro, vindicari non potest. sed vt excludatur, ad exhibendum agi potest: aliter atq; in tigno in-
iuncto ædibus alienis, de quo nec ad exhibendum agi potest: quia lex duodecim Tabularum
solui vetaret, sed actione de tigno iniuncto, ex eadem lege in duplum agitur. Rursus idem Paulus
1 alio loco [a]. Tignum (inquit) alienum ædibus iunctum nec vindicari potest propter legem duode-
cim Tabularum, nec eo nomine ad exhibendum agi: nisi aduersus eum, qui sciens alienum ædi-
2 bus iunxit. Verùm qualis sit hæc ad exhibendum actio, quæ propter malam fidem datur, explica-
tius docet Vlpianus [b]. Agens enim de tigno iniuncto, inquit, Ad exhibendum danda est actio.
Nec enim parci oportet ei, qui sciens alienam rem ædificio inclusit, iniunxitve. non enim sic eum
conueniemus, quasi possidentem, sed ita, quasi dolo malo fecerit, quo minus possideat. ¶ *Propter
legem duodecim Tabularum.*] Hanc legem & totam eius explicationem repete ex nostris ad 12. Tabulas commentarijs, cap. 12.

p L. gemma. D. ad exhib.
a L. in rem actio. §. tignum. de re. vind.
b L. 1. §. vlt. de tigno iniuncto.

§. *Appellatione.*

1 Tignum, à tegendo dictum, & quid propriè significet.
2 Tigillum pro qualibet trabe, apud Liuium.

Appellatione autem Tigni, omnis materia significatur, ex qua ædificia fiunt.

1 ¶ *Appellatione autem.*] Traditur [c] hæc generalis tigni appellatio multis locis in Iure. Certè à te-
2 gendo nomen habet: & propriè significat id, cui tectum superponitur. Sed nouum nõ est, speciem
commutari in genus. Apud Liuium libro primo legimus tigillum generali quoque appellatione
pro trabe qualibet, etiam ea quæ non seruiebat ædificio.

c L. adeo. §. appellatione. de acquir. rer. domi. l. 1. de tign. iniun. l. in rem actio. §. tigni. de rei vindic. l. tigni. D. ad exhib. l. tigni. de verborum signifi.

§. *Quod ideo.*

1 Ædificiorum ruinis publicus deformatur aspectus.
2 Ædificia non derelinqui, pertinet ad decus vrbium.

3 Cura

3 Curæ fuit veteribus ædificiorum conseruatio.
4 Vetustate collapsa ædificia, in melius reparari decet.
5 Negociandi causa domos dirui, leges prohibent.
6 Priuilegium creditoru, qui ad ædificandum mutuam dedit pecuniam.
7 Lycurgus anxium & inutilem ciuitatis ornatum parum probauit.
8 Idem leges suas ῥήτρας, id est, decreta, appellauit.
9 Non extra modum in ædificijs sumptu & magnificentia prodeundum.
10 Qua de causa ædificium dirui debeat.
11 Temporis præscriptio cur hic rejciatur.
12 Diruti ædificij materiam vindicari posse.
13 Noua quæstio de vindicatione materiæ.

Quod ideo prouisum est, ne ædificia rescindi necesse sit. Quòd si aliqua ex causa dirutum sit ædificium, poterit materiæ dominus, si non fuerit duplum iam consequutus, tunc eam vindicare, & ad exhibendum de ea re agere.

¶ *Ne ædificia rescindi necesse sit.*] Sic Vlpianus [a], Ne ædificia, inquit, sub hoc prætextu diruantur,
hoc est, ne eorum ruinis publicus deformetur aspectus, vt est alibi apud eundem Vlpianum [b], & 1
Imperatorem Alexandrum [c]. Rursus idem Vlpianus [d], Pertinet, inquit, ad decus vrbium, ædificia
non derelinqui. & rescriptum est, decoram ciuitatis faciem diligenter conseruandam [e]: manda- 2
tumque [f] Præsidibus, & Reipub. Curatoribus, vt curent dirutas domos à dominis extrui & refici:
vtque deformitati auxilium ferant competenti remedio aduersus detrectantes. Adeo curæ fuit 3
veteribus ædificiorum conseruatio, & publicus ornatus ciuitatis. Certè Plinius scribens ad Traia-
num de quodam loco Prusæ, vbi volebat extruere balneum, ita rem commendat: Per hoc conse-
quemur, vt fœdissima facies ciuitatis exornetur: atque etiam vt ipsa ciuitas amplietur: nec vlla æ-
dificia tollantur, sed quæ vetustate collapsa sunt, reparentur in melius. Mouit quoque olim hæc ra- 4
tio prudentiss. Imp. Adrianum: quem Spartianus refert constituisse, vt in nulla ciuitate domus a-
liquæ, transferendæ ad aliam vrbem vllius materiæ causa diruerentur. Et Leges nostræ prohibent 5
negociandi causa domos dirui cum publici decoris iactura [g]. Prohibuerunt quoque legari ea, quæ
præstari nõ possunt, nisi ædibus detrahãtur, vel subducantur: adeo vt nec debiti publici hic habea-
tur ratio. Quæ omnia latè explicat Paulus [h]. Rursus, vt quadã illecebra inuitaremur ad iuuandam
ædificiorum restitutionem: creditori, qui eo nomine mutuã dederit pecuniam, priuilegium exi- 6
gendi dederunt [i]; vt scilicet alijs creditoribus, qui non nisi personalibus actionibus nituntur, præ-
feratur [k]. Sed & præterea huic creditori tacita quadam ipsius rei hypotheca consuluerunt [l]. Sanè 7
tamen Lycurgus anxium istum, & inutilem ciuitatis ornatum parum visus est probasse, qui inter 8
illas suas leges, quas ῥήτρας appellauit, disertè cauit, vt Spartæ culmina domuum securi tantum, ia-
nuæ serra fierent. nempe vt in humiles ædiculas nemo dignaretur sumptuosam vel superbam in-
ferre supellectilem, quam ipse auersabatur. Et sanè fortassis Reip. interesset, insanas multorum co-
hibere substructiones. Quare & Tullius in Officijs grauiter admonet, ne extra modum in ædificijs
sumptu & magnificentia prodeamus: quia in eo genere multum mali etiam in exemplo sit. 9
¶ *Aliqua ex causa dirutum.*] Vel quia vltro collapsum est, vel quia aduersus iustam prohibitio-
nem extructum, dirui debuerit [m]. Sanè quamuis ædibus iuncta legari non possint, vt dictum est, 10
valebit tamen legatum, si ædes fuerint [n] illicitè extructæ: quia scilicet omnino dirui debeant. ¶ *Po-*
terit.] Reiecta cuiuscunque temporis præscriptione. Nam nec vsucapi potuit tignum, quod non 11
possidebatur [o]: nec vllum tempus nocere debet ei, qui agere prohibitus est [p]. Sic facilè definiri po-
terit illa quæstio à Caio subiecta, sed à Iustiniano prætermissa, quam tamen ipse Caius non reli-
querat indefinitam: Ita enim, posteaquam docuit diruti ædificij materiam vindicari posse [a], lo- 12
quitur: Illud rectè quæritur, an si id ædificium vendiderat is, qui ædificauerit, & ab emptore longo 13
tempore vsucaptum, postea dirutum sit, adhuc dominus materiæ vindicationem eius habeat?
Causa dubitationis est, an eo ipso, quod vniuersitas ædificij longo tempore capta est: singulæ quo-
que res ex quibus constabat, vsucaptæ essent. quod non placuit. ¶ *Si non fuerit duplum iam consecu-*
tus.] Si id verò persecutus sit idem & egerit, sed non sit consecutus: poterit vindicare [b].

a L. 1. de tigno iniun.
b L. 2 §. si quis nemine. l. vlt. D. ne quid in lo. pub.
c L. 2. C. de ædifi. pri.
d L. Prætor. §. deinde. de oper. no. nunc.
e L. præscriptio. C. de ope. publ.
f L. ad curatorũ. de damno infect. l. præses. de offi. præsi.
g L. vlti. de damno infe. l. Senatus. de cõtrah. empt. l. 2. C. de ædifi. priuat.
h L. cætero. de lega. primo.
i L. creditor. D. si cer. peta. cond.
k L. si ventri. §. 1. de pri. cred.
l L. 1. D. ex quib. cau. pig. vel hyp. tac. cõtr. l. interdum. cum le. seq. D. qui pot. in pig.
m L. vlti. D. ne quid in lo. pub.
n L. fideicommissa. §. si quis illicitè. de lega. 3.
o L. cum qui ædes. de vsucap.
p L. 1. in fi. C. de in-na. except.
a L. adeo. §. illud rectè quæritur. de rer. acqui. domi.
b L. 2. de tigno iniuncto.

§. Ex diuerso.

1 De conductore ædificante in conducto fundo.
2 Aedificatum non in alieno, sed supra alienum, cuius sit.
3 Periculo se sponte subjiciens, damnum volens subire videtur.
4 Dissoluto ædificio, materia eius ad pristinum dominum redit.
5 Donandi animus quomodo intelligatur.
9 Ipsum ædificium semper solo cedit.

Ex diuerso, si quis in alieno solo ex sua materia domum ædificauerit, illius fit dominus, cuius & solum est. Sed hoc casu materiæ dominus proprietatem eius amittit, quia voluntate eius intelligitur esse alienata: vtique si non ignorabat se in alieno solo ędificare. & ideo licet diruta sit domus, materiam tamen vindicare non potest.

¶ *In alieno solo.*] Etiam si eo ædificator vteretur precario. nihilominus enim ædificium ab eo factum solo cedere respondit Vlpianus [c]. Quod tamen temerè trahendum non est ad eos, qui iu-
stiorem

c L. si precario. D. con. prec.

ſtiorem habent à domino cauſam ſoli poſsidendi: & magis in vſus proprios, quàm animo donan-
1 di videntur ædificare. Rectè itaque Paulus [a], In conducto (inquit) fundo ſi conductor ſua opera a-
liquid neceſſariò vel vtiliter auxerit vel ædificarit, vel inſtituerit, quum id non conueniſſet: ad re-
cipienda ea, quæ impendit, ex conducto cum domino fundi experiri poteſt. Sed & ſi hæres ædium
in diem legatarum partem incendio interea abſumptam reſtituerit, repetet [b]. ædificauit enim in
ſuo, quamuis reſtitutioni ſubiecto. Quod ſi in communi ſolo aliquis ædificet, non quaſi ſocius, ſed
priuato ſuo nomine vt id vſurparet, ac veluti ſibi ipſi ſoli: fiet quoque commune ædificium, neque
2 qui ædificauit pro ſocij parte ſumptus repetet [c]. Porrò ſi non in alieno ædificatum ſit, ſed ſupra a-
lienum: manet eius in cuius fundo ſitum eſt. neque vicino ius eſſet ſua authoritate id reſcindere:
veluti ſi ſit protectum meum ſupra domum tuam [d].
3 ¶ *Quia voluntate eius intelligitur eſſe alienata.*] Grauis ſanè & damnoſa coniectura: fortaſſe quòd
is qui ſponte ſe ſubijcit periculo, damnum ſua voluntate ſubire videatur. Sed quid ſi probet ſeſe
longè aliud egiſſe, nullamque vnquam eiuſmodi ſibi fuiſſe mentem? nihil egerit. Quid ſi materia
non fuerit ædificantis? Certè tum eam donaſſe non intelligitur. Sic reſpondit Imp. Antoninus [e]:
4 Si fuerit diſſolutum ædificium, eius materia ad priſtinum dominum redit, ſiue bona fide, ſiue ma-
5 la ædificium extructum ſit: ſi non donandi animo ædificia alieno ſolo impoſita ſint donandi verò
animus intelligitur, ſi hic malæ fidei ædificator ſua materia ſit vſus. non autem ſi vel aliena, vel bo-
na fide id fecerit. Sed & nulla intelligetur alienatio, cum is qui ex ſua materia ædificat etiam ſi ve-
lit, alienare prohibetur. vt ſi ſit pupillus, vel maritus [f], vel vxor [g]. ¶ *Vtique ſi non ignorabat.*] Id tan-
6 tum pertinet ad id, quod proximè dictum eſt de amiſſa materiæ proprietate, omniq; eius recupe-
randæ ſpe. Cæterùm ipſum ædificium ſemper cedit ſolo, ſiue bona, ſiue mala fide extructum ſit.

a L. dominus. §. 1. D. locat.
b L. qui exceptionem. § ſi pars. de cond. ind.
c L. 5. C. de ædif. pri.
d L. quemadmodū. §. 1. ad leg. Aquil.
e L. 2. C. de rei vind.
f L. in voluptuarijs. §. 1. de impen. in reb. dot.
g L. ſed ſi vir lana. §. ſi vir vxori. de dona. inter virum & vxorem.

§. *Certè illud conſtat.*

1 *Aedificatores poſſeſſione nō cedant, niſi receptis prius ſuis impenſis.*
2 *Interpreti fas eſt verecunda libertate iudicium ſuum preferre.*
3 *Condictionem hic locum habere non poſſe.*
4 *Perniciesè plerunque errari vrgendo ſummi iuris rigorem.*

Certè illud conſtat, ſi in poſſeſſione conſtituto ædificatore, ſoli dominus petat domum ſuam eſſe, nec ſoluat precium materiæ, & mercedes fabrorum, poſſe eum per exceptionem doli mali repelli: vtique ſi bonæ fidei poſſeſſor fuerit, qui ædificauit. Nam ſcienti alienum ſolum eſſe, poteſt obijci culpa, quod ædificauerit temerè in eo ſolo, quod intelligebat alienum eſſe.

¶ *Si in poſſeſſione conſtituto ædificatore.*] Paſsim leges Rom. videntur admonere ædificatores, ne
1 poſſeſsione cedant, priuſquam ſuas impenſas receperint: quaſi alioqui periculum ſit, ne poſteà ex
ſerò petantur: nec aliter quàm per exceptionem retentionemque poſsint recuperari. Nam vt
omittam hunc locum, & ſimilem apud Caium, extant ea de re duo Pauli reſponſa [h]. Sed & Iulia-
nus [i], Si, inquit, in area tua ædificaſſem, & tu ædes poſsideres, condictio locum non habebit: quia
nullum negocium inter nos contrahitur. Nam is qui non debitam pecuniam ſoluit, hoc ipſo ali-
quid negocij geſsit. Cùm autem ædificium in area ſua ab alio poſitum dominus occupat, nullum
negociū contrahit. Sed & ſi is, qui in aliena area ædificaſſet, ipſe poſſeſsionē tradidiſſet: condictio-
nem non habebit, quia nihil accipientis faceret: ſed ſuam rem dominus habere inciperet. Et ideo
conſtat, ſi quis cùm exiſtimaret ſe hæredem eſſe, inſulam hæreditariam fulſiſſet: nullo alio modo,
quàm per retentionem, impenſas ſeruare poſſe. Hactenus Iulianus. Verùm ſi quid in iuris inter-
2 pretatione poteſt naturalis æqui bonique ratio: & interpreti fas eſt verecunda libertate iudicium
ſuum proferre: ſanè hic admodum velim imitari Gallum illum Aquilium, qui Iuris ciuilis ratio-
nem nunquam paſſus dicitur ab æquitate ſeiungi. Vellem autem ſuperiores omnes illas leges ſic
interpretari, vt tantum ſignificent ſtrictum quendam ſummi iuris rigorem, quo nulla prodita ſit
actionis formula ædificanti in alieno, tanquam in ſuo, ad petendas ſuas expenſas: quia nullus hic
interceſſerit contractus, nec negocium geſtum videatur, vtpote quod alterius contemplatione
3 geſtum non eſt [k]. Ideoque nec locum habere poſſe condictionem. Sed interea apertè non negant,
nec adimunt omnia ſubſidia actionis in factum, quatenus alter ex ædificio locupletior factus eſt.
Et quæ tandem foret alioqui illa barbaries, impunè circumueniri eos, qui ſincera, facilique ſimplicitate mox reſtituunt, quod alienum eſſe intelligunt, candidaq; recipiendarum poſtea ſuarum impenſarum fiducia protinus domino venienti ceſſerunt, de cuius fide & gratitudine erubuerunt dubitare? Sanè Vlpianus [l] & Paulus [m], bonæ fidei poſſeſſori hæreditatis, qui eam reſtituit non deductis iuſtis impenſis, ex æquo & bono tribuunt actionē propter negocium re ipſa geſtum: quemadmodum & ex eadem æquitate datur aduerſus furioſum, inquantum eſt factus locupletior, vtilis negociorum geſtorum actio [n]: quamuis re vera nullum negocium gerere, aut cum eo [o] geri intelligatur. Sic rectè dicemus apertè quidem Iulianum denegaſſe omnem condictionem vel repetitionem impenſarum: ſed eam tantum, quæ iuris ſubtilitate non poteſt dari: interea autem non ſuſtuliſſe alia æquitatis auxilia. Hęc eſt humaniſsima ſententia, quam confido probari poſſe bonis

h L. Paulus reſpondit. de dol. ma. except. l. in hoc iudiciū. §. diuerſum. D. cōmu. diuid.
i L. ſi in area. de condict. indebi.
k L. item ſi. §. ſed & ſi. de neg. geſt.
l L. hæreditas. in ſi. de petit. hæred.
m L. ſi poſſeſſor. de relig. & ſump. ſun.
n L. 3. §. & ſi furioſi. de neg. geſt.
o L. quod meo. §. ſi ſu rioſo. de acqur. hæred. l. qui ad certum. D. locati.

graeuibusque viris, quibus est cordi æqnitas: quique alioqui mecum, vel potius cum Celso adole-
scente [a] sentiunt, perniciosè plerunque errari. si quis odiosius premat vrgeatque summi iuris rigo- 4
rem. Certè Martianus [b], cùm hæres partem domus in diem relictæ sua impensa refecisset: respon-
dit, eum posse deducere impensam. & si sine deductione domum tradiderit, habere conditio-
nem. Quid multis? Condictionem ex lege dari, qnoties mea pecunia ad te peruenit, quam à te mi-
hi reddi, bonum & æquum est, Celsus ait [c].

a L. si seruum. §. sequitur. de ver. oblig.
b L. qui exceptionem. §. si pars. de cond. ind.
c L. si me & Titium. si cer. pet. sicuti & aliquãdo, vbi ex re mea locupletior factus es. l. si cum seruum. si cer. pet.

§. *Si Titius alienam.*

1 Arborum quæ in fundo continentur, non esse separatum à fundo corpus.
2 Arbor vbi coaluerit, agro cedit.
3 Si annus præterierit, nullam remanere actionem.
4 Arbores quasdam nascendi auiditate vastas etiam insulas radicibus complecti.

Si Titius alienam plantam in solo suo posuerit, Ipsius erit. Et ex diuerso, si Titius suam plantam in Mæuij solo posuerit, Mæuij planta erit: si modò vtroque casu radices egerit. antè enim quàm radices egerit, eius permanet, cuius fuerat. Adeò autem ex eo tempore quo radices egerit planta, proprietas eius commutatur: vt si vicini arbor ita terram Titij presserit, vt in eius fundum radices egerit, Titij effici arborem dicamus: ratio enim non permittit, vt alterius arbor esse intelligatur, quàm cuius in fundum radices egerit.

d L. Quintus Mutius. de act. empti.
e L. sed si ex meis. §. arbor. de acquir. rer. domi.
f L. hoc amplius. §. Alphenus. de damno infecto.
g L. 5. §. de arbore. de rei vind.

¶ *Si Titius.*] Supra dictum est de planta, quæ non ab homine, sed à flumine transfertur. Hunc
ergo locum vtile fuerit cum illo conferre. ¶ *Radices egerit.*] Sic, vt solo cohæreat, eique vniatur.
Tum enim rectè dicimus cum Pomponio [d], Arborum, quæ in fundo continentur, non esse sepa-
ratum corpus à fundo. ¶ *Cuius fuerat.*] Inquit Paulus [e]: Arbor radicitus eruta, & in alio loco po- 1
sita, priusquam coaluerit, prioris domini est: vbi coaluerit, agro cedit: & si rursus eruta sit, non 2
ad priorem dominum reuertitur. Nam credibile est alio terræ alimento, aliam factam arborem
esse. ¶ *Proprietas eius commutatur.*] Sic vt amplius à priori domino vindicari nequeat [f]. Varus autem & Nerua tradiderunt ei dari vtilem in rem actionem [g]: sed nisi ea pertineat ad ipsius rei æstimationem, non video quomodo possit constare.

h L. vlt. D quod vi aut clam.
i L. si plures. §. vlt D. arbor. fur. cæsa.

¶ *Ita Titij terram presserit.*] Hoc est, ita ei adhæreat immissis radicibus, vt non aliunde alatur:
nec alibi videatur consistere. Etsi arborem meam ex fundo meo in tuum depresseris, eaq; in fundo
tuo coaluerit: vtile est quidem interdictum. Quod vi aut clàm, intra annum: sed si annus prærerie- 3
rit, nullam remanere actionem respondit Venuleius [h], Atque etiam radices, quæ in fundo meo
sint, tuas fieri: quia his accessiones sint. Cæterùm si mea arbor non premat nec attingat fundum
tuum: nihil potes in eam iuris habere hoc colore, quòd fortassis quædam eius radices serpant ad
tuum vsque fundum. alioqui enim vix vlla esse poterit mea arbor, quantumuis in meo plantata.
Et quid si eiusmodi habeam arbores, quas compertum est, auiditate nascendi vastas etiam insulas 4
radicibus complecti, vt est apud Plinium lib. 16. cap. 2. & 32. Rectè itaque Paulus [i], Si (inquit) radicibus vicini arbor alatur: tamen eius est, in cuius fundo origo eius fuerit.

§. *Et ideo prope.*

1 Confinium quid?
2 Frumenta sata solo cedere.
3 Bona fidei mentio facta quam vim habeat.

Et ideo prope confinium arbor posita, si etiam in vicini fundum radices egerit, communis fit. Qua ratione autem plantæ, quæ terræ coalescunt, solo cedunt: eadem ratione frumenta quoque, quæ sata sunt, solo cedere intelliguntur. Cæterùm sicut is, qui in alieno solo ædificauit, si ab eo dominus petat ædificium, defendi potest per exceptionem doli mali, secundum ea, quæ diximus: ita eiusdem exceptionis auxilio tutus esse potest is, qui alienum fundum sua impensa bona fide conseuit.

k L. pro regione. de acqui rer. domi.
l L. si plures. §. 1 D. arborum fur. cæsar.
m L. qui scit. §. in alieno. de vsur.
n L. qua ratione. de acqui. rer. domi.

¶ *Prope confinium.*] Confinium vocamus conterminos agrorum limites, quos Græci *συνορί-* 1
τας. Tullius libro secundo Officiorum, In vicinitatibus (inquit) & confinijs præbete æquum & fa-
cilem. ¶ *Communis fit.*] Addit Marcellus [k], pro regione cuiusque prædij. Quòd si vicinus nolit
eam habere communem: nec item pati, quia fortassis officiat: non ideo poterit eius radices statim
recidere: sed agat, non esse vicino ius ita arborem habere [l]. ¶ *Frumenta solo cedere.*] Iulianus [m] ait, 2
neminem vnquam dubitasse, quin si in meo fundo frumentum tuum seueris, seges, & quod ex
messibus collectum fuerit, meum fieret. ¶ *Bona fide conseuit.*] Bonæ fidei mentionem, quam Ca-
ius prætermiserat [n], adiecit Iustinianus. Sed eius vim non aliam esse intelligo, quàm vt crescente 3
adhuc segete liceat agentem dominum summouere, nisi factos sumptus reddat. Cuiusmodi exceptio non æquè tribuitur mala fide serenti: cui tantum licet ex collectis suo tempore fructibus, sumptus, quos eorum fructuum causa fecit, deducere.

Literæ

§. *Literæ quoq;*

1 *Quicquid sine alia re subsistere nequit, id iure ei cedit.*
2 *Preciosior res viliori præferenda est.*
3 *Quod in charta mea scribitur, aut in tabula pingitur, statim meum fit.*
4 *Nullis opibus conferenda doctrinæ monumenta.*
5 *Isocratis oratio quædã triginta talentis æstimata est.*
6 *Sua quisq; plurimi facit.*
7 *Scripta chartis cedunt.*
8 *Aure magis quàm arte gloriantes ridiculi.*
9 *Apelles artis graphicæ peritißimus.*
10 *Parrhasius primus symmetriam picturæ addidit.*

Literæ quoquæ, licet aureæ sint, perinde chartis membranísve cedunt, ac solo cedere solent ea, quæ inædificantur, aut inseruntur: ideoque si in chartis membranísve tuis carmen, vel historiam, vel orationem Titius scripserit, huius corporis non Titius, sed tu dominus esse videris. Sed si à Titio petas tuos libros, tuásve membranas, nec impensas scripturæ soluere paratus sis, poterit se Titius defendere per exceptionem doli mali: vtique si earum chartarum membranarúmve possessionem bona fide nactus est. Si quis in aliena tabula pinxerit, quidam putant tabulam picturæ cedere: alijs videtur picturam (qualiscunque sit) tabulæ cedere: sed nobis videtur melius esse, tabulam picturæ cedere. Ridiculum est enim picturam Apellis vel Parrhasij in accessionem vilissimæ tabulæ cedere. Vnde si à domino tabulæ, imaginem possidente, is, qui pinxit, eam petat, nec soluat pretium tabulæ: poterit per exceptionem doli mali submoueri. At si is, qui pinxit, eam possideat, consequens est, vt vtilis actio domino tabulæ aduersus eum detur. quo casu si non soluat impensam picturæ, poterit per exceptionem doli mali repelli: vtique si bona fide possessor fuerit ille, qui picturam imposuit. Illud enim palàm est, quod siue is qui pinxit, subripuit tabulas, siue alius, competit domino tabularum furti actio.

¶ *Literæ quoque licet aureæ.*] Paulo pòst Iustinianus aliud statuit in pictura, cui vult tabulam
cedere. Et habent hæc leuia discrimina non leues scrupulos. Concurrunt hic semper duæ natura-
1 les rationes, quæ pugnare videntur. Prior est hæc, Quicquid sine alia re subsistere non potest: id ei
2 iure cedit. Altera, Preciosior res præferenda est viliori. Qua ratione pictura, quæ solet preciosior esse tam sumptu quàm arte, potior est tabula. Aliter autem de scriptura alij iudicarunt: quam frequentius videbant esse viliorem ipsa membrana. Nec negare possumus hac in re contrarijs sen-
3 tentijs pugnasse nostros Prudentes. Paulus [a] in vniuersum ait, quod in charta mea scribitur, aut in tabula pingitur, statim meum fieri: licet de pictura quidam contrà senserint, propter precium picturæ. sed necesse esse ei rei cedere id, quod sine illa esse non potest. Contrà autem Caius: cuius sententiam videtur Paulus repudiasse: sed Iustinianus hoc loco secutus est, eiusque etiam verba descripsit [b]. Quidam existimant discriminis rationem esse. quod in tabula manum artificis inspicimus, quæ preciosior est, magis quàm id quod manu pictum est. In charta verò intueamur literas manu ductas, quæ tanti non sunt, potius quàm ea, quæ literis continentur.

a *L. in rem. §. sed & id. de rei vind.*

b *L. qua ratione. §. 1. de acqui. rer. dom.*

¶ *Carmen, Historiam, vel Orationem.*] Vel aliquod eiusmodi scriptum, quod sit omnibus com-
4 mune, & paßim vulgatum. Cæterùm si quos peculiares & priuatos ingenij fortè tui fœtus, & nullis opibus conferenda doctrinæ monumenta, imprudens chartis illinas alienis: nulla pateretur ratio, eam haberi vilis chartæ rationem, vt vel tuarum lucubrationum inæstimabilem iacturam facere, vel eas alijs communicare cogaris. Quid enim si fortè fuerit talis Oratio, qualis illa Isocra-
5 tis, quæ triginta talentis æstimata est? Quid si eius gratiæ carmen, cuius illi viginti versus Vergiliani libro sexto Æneidos: pro quibus singulis dicitur ab Octauia recepisse dena sestertia? Quid denique, si eiusmodi Commentarij, quales illi Plinij, quos Largio Licinio vendere noluit quadringentis sestertijs, hoc est, circiter decem aureorum coronatorum millibus? Esto, vt iam fortaßis eui-
6 luerit eruditionis æstimatio: quisque tamen adhuc sua plurimi facit. Ergo si meum carmen, historiam, vel orationem (sacrosanctas & inæstimabiles hominis studiosi diuitias) in charta fortè tua scripserim: satis erit me tibi tuæ chartæ precium persoluere. Quinimo in vniuersum competit actio in factum, vt ab alio consequar, quod in aliena fortè membrana scriptum, peculiariter mea interest habere [c].
7 ¶ *Chartis cedunt.*] Inquit Iulianus [d]: Cùm charta mea sit, & quod in ea scriptum est, meum
est. ¶ *Ridiculum est enim.*] Sic alibi Paulus [e], Ridiculum (inquit) esset fundum tunicæ accedere.
8 Hucque alludit quædam sententia Basilij πρὸς νέους, Ridiculos fore Phidiam & Polycletum, si magis auro quàm arte gloriarentur, ἀφέντες (inquit) τὴν τέχνην, ἐφ' ἧς καὶ ὁ χρυσὸς ἄλλων καὶ τιμιώτερος ἀπελέχθη. Sanè pluris sæpe faciendam esse artem quàm materiam indicat etiam Ouidius, cum ait, Materiam superabat opus. Et noster Caius [f] respondit, Sæpe plus esse in manus precio, quàm in re.

c *L. 3. §. pen. ad exhibend.*

d *dic. §. pen.*

e *L. iustißimè. de ædil. edic.*

f *L. mulieres. § res ubesse. de ver. signi.*

9 ¶ *Apellis.*] Fuit hic natione Cous, artis Graphicæ peritißimus, à quo solo voluit pingi Alexander Magnus, cuiusque operam centum & viginti millibus aureorum coronatorum rependit. Huius Venerem necdum absolutam Augustus æstimauit sexaginta millibus coronatorum. ¶ *Par-*
10 *rhasij.*] Fuit hic Ephesius, qui primus symmetriam picturæ addidit, & linteum pictum protulit,

quod ipsum Zeuxidem fefellit, existimantem verum id esse linteum, quo pictura tegeretur. ¶ *Eam petere.*] Vt omnino petere potest. Habet enim directam rei vindicationem: at contrà dominus tabulæ, si pictor possideat, non nisi vtilem.

§. *Si quis à non domino.*

1 *Res dono data propter ingratitudinem aufertur.*
2 *Iuris error possessorem liberat à dolo vel mala fide.*
3 *Bona fides exigitur etiam tempore traditionis.*
4 *Sufficit bona fides initio possessionis, secundum Iulianum.*
5 *Corrigitur ab alijs Iuliani sententia, quia non satis iusta est.*
6 *De eo qui seruum alienum possidet.*
7 *Magis est spectare singula momenta, quàm solum initium.*
8 *Naturales fructus non fiunt bona fidei possessoris.*
9 *Emptor bona fidei, percipiendo fructus, suos facit.*
10 *Ouium fœtus in fructu esse.*
11 *Omnes omnino fructus fieri bona fidei possessoris.*
12 *Fructus naturales non fieri cuiuslibet bona fidei possessoris.*
13 *Quilibet, est signum magis particulare.*
14 *Melior est bona fidei possessoris conditio, quàm fructuarij.*
15 *Acquisitio bona fidei possessoris firmatur vsucapione, vel consumptione.*
16 *Aequum est nos iusta pensatione contentos esse.*
17 *Fructuum cum fundo recuperandorum, spes tota, in officio iudicis est.*

Si quis à non domino, quem dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione aliáve qualibet iusta causa æquè bona fide acceperit, naturali rationi placuit fructus, quos percepit, eius esse pro cultura & cura. Et ideo si postea dominus superuenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest.

¶ *Si quis à non domino.*] Quod si à vero domino cui alienare permissum erat, fuerit res tradita:
proculdubio transfertur in accipientem dominium [a]: vt etiam si postea ex aliqua causa, veluti pro
pter ingratitudinem, res ei auferatur: fructus tamen perceptos non cogatur restituere [b]: quia nec 1
ij donati videantur [c]. Si tamen ita rescinderetur traditio, vt prorsus in nihilum à principio reci-
dat: fructus interea percepti essent restituendi. Vt si fuerit donatio causa mortis, quæ propter sani-
tatem conualescentis donatoris, reuocaretur [d]. Idem & de venditione, quæ vel ex lege commisso-
ria, vel pacto addictionis [e] in diem rescinditur. ¶ *Quem dominum esse.*] Vel saltem ius alienandi
habere [f]. Vt si putarit esse procuratorem, cui id nominatim à domino esset mandatum. Quinimo
hic etiam iuris error possessorem liberabit à dolo vel mala fide [g]. ¶ *Emerit.*] Purè. Nam si sub con-
ditione emerit, eaq; adhuc pendente traditum fundum acceperit: fructus interea perceptos, suos 2
non facit. ¶ *Qualibet iusta causa.*] Quæ à vero domino profecta, esset idonea ad dominium trans-
ferendum. ¶ *Aeque bona fide acceperit.*] Manifestè Iustinianus exigit bonam fidem non minus
tempore traditionis, quàm contractus, sed nõ meminit sequentis temporis: nec exprimit, an no- 3
ceat mala fides, quæ post traditionem nasceretur. Cuius tamẽ articuli perspicua definitione valde
opus erat, quia eum cõtrouersum in Pandectis reliquit. Nam Iulianus sentire videtur, sufficere bo-
nam fidem initio possessionis. ait [h] enim: Bonæ fidei emptor antequã fructus perciperet, cognouit 4
fundum alienum esse: an perceptione fructus suos faciat, quæritur. Respondi: Bonæ fidei emptor,
quo ad percipiendos fructus intelligi debet, quandiu euictus fundus non fuerit. Nam & seruus
alienus, quem bona fide emero, tandiu mihi ex re mea, vel operis suis acquirit, quandiu à me eui-
ctus non fuerit. Verùm hanc Iuliani sententiam, quæ non satis iustè tuetur alieni conscientiam
& malam fidem, omnino existimo ab alijs correctam. Primùm enim Paulus (quem etiam scimus
scripsisse notas in Iulianum) apertè contrà respondit [i], inquiens: In cõtrarium quæritur, si eo tem- 5
pore, quo mihi res traditur, putem vendentis esse, deinde cognouero alienam esse: quia perseuerat
per longum tempus vsucapio, an fructus meos faciam? Et Pomponius putat verendum, ne non
sit bonæ fidei possessor quamuis capiat. Hoc enim ad ius, id est, ad vsucapionem: illud ad factum
pertinere, vt quis bona aut mala fide possideat. Nec contrarium est, quod longum tempus currit.
Nam è contrario is qui non potest capere propter rei vitium, fructus suos facit. Hactenus Paulus.
Sed & Vlpianus apertè refragatur Iuliano. Agens enim de eo, qui seruum alienum possidet, Tan-
diu (inquit [k]) ei acquirit seruus, quandiu bona fide seruit. Cæterùm si cœperit possessor scire eum 6
alienum esse, vel liberum: videamus, an ei acquirat. Quæstio in eo est, vtrum initium in eo specte-
mus, an singula momenta? Et magis est, vt singula momenta spectemus. Si quis tamẽ Iuliani sen-
tentiam tueri velit, poterit interpretationem eorũ sequi, qui euictum dici existimant quod euin- 7
ci cœpit [l]. ¶ *Naturali ratione placuit.*] Hæc naturalis ratio est in consideratione culturæ & curæ.
Quid enim æquius est, quàm vt meos fructus faciam, quos mea impensa & industria bona fide
expressi, vltrò alioqui non nascituros? Naturales certè sponteque prouenientes aiunt ex Pompo-
nio [m], non fieri bona possessoris: ne quis hic putet omnia illi nasci ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα. [non semi- 8
nata & inarata seu inculta.] quanquam non omnino eius ipsius factum exigatur: nam & si alte-
rius opera interuenerit: satis est. Sicque accipiendam Copus indicat illam ἀπόδοσιν, à Paulo
propositam his verbis [n], bonæ fidei emptor non dubiè percipiendo fructus etiam ex aliena
re, suos interim facit: non tantum eos qui diligentia & opera eius prouenerunt, sed omnes: 9
quia quod ad fructus attinet, loco domini penè est. Agit enim eo loco Paulus, non quidem de
omnibus

a L. traditionib. C. de pact.
b L. his solu. C. de reuo. donat.
c L. in ædibus. §. 1. de donat.
d L. cui quis mortis causa. de condic. causa da. l. videamus generatim. §. item si. de vsur.
e L. lege fundo. de leg. commi. l. item quid. l. Imperator. de in diẽ addic.
f L. bonæ fidei. de verb signifi.
g L. sed & si lege. §. scire. de petit. hæred.
h L. qui scit. §. vlt. de vsur.
i L. bonæ fidei. §. in contrarium. de acqui. rer. dom.
k L. qui bona fide. de acqui. rer. dom.
l L. euictis. de vsur.
m L. fructus. de vsur.
n L. bonæ fidei de acquir. rer. domi.

omnibus omnino fructibus: sed de omnibus qui ex hominis facto proueniunt. Itaq; subijcit, Oui-
10 um fœtus in fructu esse: & ideo ad bonæ fidei emptorem pertinere, etiam si prægnantes vænierint.
Quasi diceret bonæ fidei possessorem fœtus suos facere, etiam qui ex alterius cura proueniunt:
quemadmodum fructus suos facit, non modò quos ipse seuit, sed & ab alio satos. Quod & Iulia-
nus non obscurè tradidit [a]. Interea autem semper esse verum creditur quod scribit Pomponius [b],
naturales fructus, qui sine hominum facto nascuntur, non fieri bonæ fidei possessoris cuiuslibet,
perinde atque si dixisset nullius fieri: quia nulla hîc haberi posit ratio eius culturæ vel curæ, quæ
nulla fuit. Vt si pomum ex arbore decerpserit, vel lignum ex sylua ceciderit. Sic & serui alieni vel
liberi homines à nobis bona fide possesi, quod aliunde sponte acquirunt, quàm ex re nostra, vel
operis suis, nobis non acquirunt [c]. Sunt tamen qui distinguendum hic non esse iudicent inter fru-
11 ctus naturales, & eos, qui sine industria non proueniunt: sed simpliciter omnes omnino fructus
fieri bonæ fidei possessoris: non tamen cuiuslibet: excipi enim eos, qui sine iusta causa aut titulo
posident, veluti maritus, qui rem sibi donatam ab vxore posidet, cum sit ipso iure hæc donatio
nihili. Id enim propriè significare Pomponium, qui hanc rationem subijcit, non cuiuslibet bonæ
fidei possessoris fieri fructus naturales. Expendunt itaque, eum non dixisse mariti illius fructus
12 non fieri, sicuti nec cuiusquam bonæ fidei possessoris: sed sicuti non cuiuslibet, quasi hæc verba si-
gnificent, saltem quorundam bonæ fidei possessotum fieri fructus illos naturales. Verum si cui
non placeat ita delirescere in vnius voculæ latebra, aut exile nimis & captiosum id videatur: certè
13 etsi fateremur, verbum QVILIBET esse signum (vt loquuntur) magis particulare, quàm vniuersale:
tamen vbi negatio præcedit, dicere possemus in vniuersum negare. Quod autem attinet ad ciui-
les fructus, siue potius obuentiones, quæ naturâ non proueniunt, sed iure percipiuntur, nec tam
fructus sunt, quàm fructuum loco habentur, cuiusmodi sunt mercedes colonorum [d]: similis adhi-
benda videtur distinctio: vt si bonæ fidei possessor suam curam impenderit, veluti si ipse locarit,
suum faciat, quod inde percipit; quoniã id tantũ denegat Papinianus malæ fidei possessori & præ-
doni [e]. ¶ *Quos percepit.*] Hoc est, qui à solo separati sunt quoquo modo [f]. neq; enim necesse est omni-
14 no ipsum possessorẽ percepisse. Nam etsi alius id fecerit, ei acquirit. Qua in re melior est bonæ fidei
possessoris cõditio, quàm fructuarij: cum fructuarũ oporteat omnino percepisse. Nam si alius per-
ceperit non eius nomine, domino proprietatis acquireretur, vti postea dicemus. ¶ *Eius esse.*] Sal-
tem sub conditione & periculo restituendi, nisi eos vel consumpserit, vel vsuceperit, antequam
15 dominus petat. Itaque nemo statim existimet omnino certam esse bonæ fidei possessoris acquisi-
tionem. est enim admodum infirma, nisi vel vsucapione, vel consumptione firmetur. Ideoque &
Iurisconsulti, vbi fructus addicunt bonæ fidei possessori, nominatim meminerunt [g] consumptó-
rum: nec eum penitus conferunt domino, sed addunt notam discriminis. Vt cum Paulus [h] ait
eum, quod ad fructus attinet, loco domini penè esse. Idem [i] inquit, eum lucrari fructus, si eos con-
sumpsit. Porrò autem, si recipimus, quod frequentius receptum est, fructus naturales non fieri bo-
næ fidei possessoris: consequetur, eum etiam horum consumptorum nomine teneri, saltem qua-
tenus inde locupletior factus est: vt si vendiderit, preciumque habeat. quod quidem etsi expres-
sum nominatim non sit certa aliqua lege: & ex quodam etiam Pauli responso colligi posse videa-
tur, summo iure nõ teneri [k]: tamen ex quarundam legum æquitate actionem hîc dari, & agi pos-
se verius est [l]. ¶ *Pro cultura & cura.*] Sed quid si præterea bonæ fidei possessor aliquid in fundum
alienum impenderit ad perpetuam eius vtilitatem, vel necessarios vsus? Certè si his sumptibus par
16 fuerit emolumentum fructuum perceptorum: vix est vt repeti posint [m]. Nam æquum est nos esse
contentos iusta pensatione.

¶ *Ab eo consumptis.*] Saltem ante litem contestatam. Ita enim bonæ fidei possessor lucrabitur
fructus ante iudicium perceptos, si eos [n] consumpserit. Cæterùm post litem contestatam, cum ma-
gis prædo quàm bonæ fidei possessor intelligatur [o]: ab eo tempore restituet non modo perceptos
consumptosq; fructus, sed & eos, qui interea potuissent percipi [p], iuxta ea, quæ de conditione ma-
læ fidei possessoris mox trademus.

¶ *Agere non potest.*] Hoc est, fundum vindicando non poterit fructuum bona fide consum-
ptorum nomine, iudicis officium implorare: quod certè posset pro fructibus adhuc extantibus.
17 Cæterùm propria aliqua actione ne de extantibus quidem agere potest: sed tota eorum cum fun-
do recuperandorum spes est in officio iudicis: quod finiri cum principali iudicio constat [a]. Verùm
vbi non licebit hîc de fructibus agere: is poterit conueniri, qui huius damni causam dedit, sicut
conuenitur mulier, quæ ventris nomine in possesionem missa, dolo eam possesionem ad alium
transtulit [b]. Sed & fundo à domino euicto, bonæ fidei emptor aget aduersus venditorem. Verùm
si non ignorabat qui emit, alienum esse, sibi imputet, si non sibi de euictione cauerit [c].

a L. qui scit. §. in alieno. de vsur.
b dic. L. fructus.
c L. liber homo. l. qui bona fide. l. seruum. de acqui. rer. domi.
d L. si nauu. de rei vind.
e L. si vrbana. de condic. indebi.
f L. qui scit. §. pen. de vsur. l. bonæ fidei. de acqui. rer. domin.
g L. quæsitum, in fi. de acqui. rer. dom. l. sequitur. §. lana. de vsucap.
h L. bonæ fidei. de acqui. rer. domi.
i L. sed & loci. §. post litem. D. fini. reg.
k L. venditor. de her. vel act. vend.
l L. si me & Titium. Si cer. peta. cond.
m L. quod si artificem. l. si sumptus. de rei vindic. l. super empti. C. de euict.
n L. sed & loci. §. post litem. D. fini. reg.
o L. si autem. §. sed si ante litẽ. de pet. her.
p L. certum. C. de rei vindic.

a L. 4. C. depos.
b L. vnica. §. interest. D. si ven. no. mul.
c L. si fundum. C. de euict.

§. *Ei verò.*

1 *Defuncti mala fides nocet vsucapioni.*
2 *Heredis in vitium succedentis, qua sit conditio.*
3 *Defuncti vitium non semper præstat heres.*
4 *Constantinus bona Christianis adempta restitui iussit.*
5 *Malæ fidei possessor omnes fructus restituit.*
6 *Quorum fructuum ratio non habeatur.*
7 *Simplex veritatis traditio sufficit.*
8 *Condictione cogi potest quis ad restitutionem consumptorum fructuum.*
9 *Nomine fructuum continetur, quod superest deductis sumptibus.*

Ei verò, qui alienum fundum sciens possederit, non idem concessum est: itaq; cum fundo etiam fructus, licet consumpti sint, cogitur restituere.

¶ *Ei verò.*] Aliud autem de eius hærede: qui, si non ipse quoq; malæ fidei fuerit, suos faciet fru- 1
ctus [a]. Nam, vt noceat defuncti mala fides vsucapioni: non nocet tamen fructuum perceptioni.
Hic enim non ius, sed præsens duntaxat factum spectamus [b]. Et quod rescriptum est [c], Hæredis 2
succedentis in vitium, parem habendam esse fortunam, quæ malæ fidei possessoris fuisset: non
hanc habet significationem, quòd semper referat aut præstet vitium defuncti hæres: sed tantum, si 3
ipse in malam quoque fidem successerit, in eodemque vitio hæreat. Nam solum de eo hærede agitur, qui lite aduersus defunctum malæ fidei possessorem contestata, non potuit ignorare rem alienam esse. ¶ *Cum fundo etiam fructus.*] Huius rei meminisse videtur Plutarchus in vita Gracchorum, inquiens, ἔδει καὶ μετὰ ζημίας, ἣν παρὰ τοὺς νόμους ἐκαρποῦτο, χώραν ἀφεῖναι. Memorabile autem est
quod Imper. Constantinus cum iuberet restitui bona, quæ impij tyranni Christianis ademerant, 4
fructuum interim perceptorum rationem possessoribus etiam iniustis, & malæ fidei remisit. Sic enim Eusebius in vita Constantini, scribit Constantinum edixisse, εἰ καὶ τὰ μάλιστα φανεῖέν τινες ἐξ αὐτῶν ἀπὸ τῆς ἐν δίκαις διαποτείας πολλὰ καρπωσάμενοι, τούτων δ᾽ ἀπαιτεῖσθαι ὑμῖν οὐ δίκαιον κρίνομεν.

¶ *Licet consumpti sint.*] Exploranda erit itaque horum æstimatio, quanti scilicet plurimi fue-
rint [d]. Neque modò hos fructus præstat malæ fidei possessor, sed & eos quos nec percepit, perci- 5
pere tamen potuit. Adeò vt nec titulus excuset [e]. Nam & qui per litem contestatam malæ fidei constituitur [f], eos præstat. Fructuum autem, qui percipi potuerunt, æstimatio fit ex diligentia boni patrisfamilias [g]. Et cum legimus fructus eos intelligi, qui poterant percipi vel ab eo possessore, vt est in rescripto Gordiani [h], vel ab ipso petitore, vt est apud Papinianum [i]: accipiemus id dictum de fructibus, quos diligentissimus paterfa. percipere potuisset. Nam vt fortè petitor vel possessor tantum non percepisset, percipere tamen poterat. Porrò illud hoc loco diligenter notandum est, quod Paulus respondit [k], improbè desideraturum petitorem fructus æstimari, qui ex eo serui arti-
ficio percipi potuerunt, quod didicit sumptibus possessoris. Vnde apparet non haberi rationem 6
eorum fructuũ, qui percipi potuerunt ex ea re, quam possessoris diligentia vltrò addidit. Abun-
dè enim plectitur, etiam si hæc non accedat ingratitudo. Possem hæc omnia pluribus verbis
gloriose inculcare retectis & confutatis vulgarium interpretum erroribus. Sed contentus sim- 7
plici veritatis traditione, non affecto eiusmodi ambitiosam ostentationem, quæ plus tædij, quàm
fructus lectori adferret. ¶ *Cogitur.*] Nempe per condictionem. Sic enim rescripserunt Diocle- 8
tianus, & Maximianus [l]: Mala fide posidens, de proprietate victus, de extantibus fructibus rei vindicatione, de consumptis verò condictione conuentus, eorum restitutioni parere compellitur. ¶ *Restituere.*] Saltem vbi deduxit sumptus, quos fructuum causa fecit [m]. Nam illud tantum
fructuum nomine continetur, quod superest eiusmodi sumptibus deductis [n]. Nec vllus ferè casus 9
interuenire potest, qui hanc impediat deductionem [o].

a dic. l. vnica. §. 2.
b L. bonæ fidei. §. in contrarium. de acqui. rer. domi.
c L. 2. C. de fruc. & li. expen.
d L. in re furtina. de cond. fur. l. si sterilu. §. cum per venditorẽ. de act. empt.
e L. domum. C. de rei vind.
f L. ait Prætor. §. per hanc. D. quæ in fraud. cred. l. sed & metus. de eo quod me. cau. l. 1. C. de fide instr.
g L. certum. C. de rei vin.
h L. quicquid. C. arbi. tute.
i L. domum. C. de rei vind.
k L. sinanis. §. generaliter. de rei vind.
l L. cæterum. de rei vind.
m L. 3. C. de condict. ex lege.
n L. si à domino. §. fructus. de peti. hære.
o L. fructus. D. sol. matri. l. quod in fructus. de vsur.
p L. fructus qui doti. D. fami. erci.

§. Is verò ad quem.

1 *Discrimen inter fructuarium, & eum, cui in singulos annos legatum est.*
2 *Ad fructuarium omnes fructus pertinent.*
3 *Fructus quando dicantur percepti esse.*
4 *Fructuarius ipse fructus percipere debet.*
5 *Stantes fructus ad fructuarij heredes, post eius obitum, non pertinent.*

Is verò ad quem vsusfructus fundi pertinet, non aliter fructuum dominus efficitur, quàm si ipse eos perceperit. Et ideo licet maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit: ad hæredes eius non pertinent, sed domino proprietatis adquiruntur.

¶ *Is verò.*] Videtur id referendum ad illud, quod paulò antè diximus, Bonæ fidei possessorem suos facere fructus quoquo modo, & à quocunque separatos. Hic enim Iustinianus addit aliud esse constitutum de fructuario. Quod discrimen diligenter etiam notatum est à Iuliano [a]. Est au-
tem præterea & illud hoc loco discrimen notandum, quod tradit Caius, inter fructuarium, & 1
eum, cui in annos singulos legatum est. Nam (inquit [b]) illud amplius est in hoc legato, quod in ingressu cuiuslibet anni si decesserit legatarius, eius anni legatum hæredi suo relinquit: quod in vsufr. non ita est, cùm vsufructuarius, etiam si maturis fructibus, nondum tamen perceptis decesserit, hæredi suo eos fructus non relinquat.

¶ *Fructuum dominus efficitur.*] Nulla hîc fit mentio culturæ, quia omnes omnino fructus ad 2
fructuarium pertinent [c], si ab eo percipiuntur: nec minus naturales vltroq; prouenientes, quàm ij qui industria exprimuntur.

¶ *Non aliter.*] Vnde nec aliter vti poterit ijs actionibus, quæ dominis competunt. Vt si fur decerpserit fructus maturos ex fundo, cuius habeo vsumfr. quia ij nondum mei facti erant, non potero eos vindicare [d], aut condictione furtiua repetere, quia tamen mea interest, furti agere possum. ¶ *Quàm si ipse.*] Nempe fructuarius, vel sanè alius eius nomine. Quòd si fructus ipsi vltrò ceciderint, nõ fient fructuarij [e]: quia non sunt ab eo percepti. quanquã sanè ij fierent bonæ fidei posses-
soris. ¶ *Eos perceperit.*] Percepti fructus æquè in fructuario, atq; in bonæ fidei possessore dicuntur, 3
simul

a L. qui scis. §. pen. de vsufr.
b L. in singulos. de annu. legat.
c L. vsufr. leg. de vsufr.
d L. si fur. de vsufr.
e L. si vsufructuarius messem. D. quib. mo. vsufr. ami.

simul atque sunt à solo separati, etiam si fortè adhuc humi, & sub dio iaceant, vt docet Labeo [a]. Et cùm Iulianus addit fructuarij fructus tum fieri, cùm eos perceperit: bonæ fidei autem possessoris, mox quàm à solo separati sunt: non exigit pleniorem perceptionem in fructuario, quàm in bonæ fidei possessore: sed tantùm notat discrimen, quod hîc traditur, nempe quòd debeat fructuarius
4 ipse percipere. at in bonæ fidei possessore non referat, quis perceperit. Porrò si debeatur pensio ratione fructuum, satis erit perceptos esse fructus, vt hæredi ea debeatur, etiam si fortasis nondum eius soluendæ dies venisset, cùm moreretur fructuarius [b]. ¶ *Licet maturis fructibus.*] Hic ergo non nisi perceptionis habetur ratio: nulla autem alterius temporis. Sicque etiam fructus, qui post acquisitum ex causa fideicommissi dominium ex fundo percipiuntur, omninò pertinent ad fideicommissarium percipientem, licet maior pars anni elapsa esset, antequam fideicommissi dies cederet [c]. Idemque etiam in re vendita [d]. Cæterùm soluto matrimonio, inter maritum & vxorem, vel eorum hæredes, fructus rei dotalis diuiduntur pro rata temporis [e]. ¶ *Domino proprietatis acquiruntur.*] Quemadmodum è diuerso, fructuario acquirerentur fructus maturi, à testatore, qui vsumfructum legat relicti. Sic enim respondit Vlpianus [f]: Si pendentes fructus iam maturos reli-
5 querit testator: fructuarius eos feret, si die legati cedente, adhuc pendentes deprehendisset. Nam stantes fructus ad vsufructuarium pertinent. Porrò mortuo fructuario maturi fructus sic domino proprietatis acquiruntur, vt non posit etiam fructuarij hæres repetere sumptus fructuum causa factos [g].

a dict. l. si vsufructuarius messem.
b L. defuncta. de vsufruct.
c L. Herennius. §. 1. de vsufr.
d L. Iulianus. §. si fructibus. de act. empt.
e L. diuortio. l. fructus. D. solu. matr.
f L. si pendentes. De vsufr.
g L. si quis domum §. idem quærit. locati. l. hactenus. de vsufr.

§. *Eadem ferè.*

1 Fructus quandiu solo cohæreant, fundi esse. *2 Discrimen inter fructuarium & colonum.*

Eadem ferè & de colono dicuntur.

1 ¶ *Eadem.*] Inquit Africanus [h], fructus quandiu solo cohæreant, fundi esse: & ideò colonum, quia voluntate domini eos percipere videatur, suos facere. ¶ *Fere.*] Theophilus putat hanc voculam ociosam esse & superfluam. Inquit enim, τὸ, ferè. δὴ, ἤτοι χοσδὴν, περιττόν. Videtur tamen ea
2 obiter indicare quoddam discrimen inter colonum & fructuarium: quod hic prorsus nihil ad hæredem transmittere posit: ille verò intra tempora conductionis mortuus, transmittat ius reliqui temporis ad suum hæredem [i].

h L. si seruus communis. §. locans. de furt.
i §. vlt. inf. de locat. & conduct.

§. *In pecudum.*

1 Ouium fœtus in fructu sunt.

In pecudum fructu etiam fœtus est, sicuti lac, pilus, & lana: itaq; agni, hœdi, & vituli, & equuli, & suculi statim naturali iure dominij fructuarij sunt.

1 ¶ *In pecudum fructu.*] Totus hic locus ad verbum descriptus est ex Caij [k] lib. 2 Rerum quotidianarum: nec minus pertinet ad bonæ fidei possessorem, quàm fructuarium, quemadmodũ eodem loco indicat Caius. Et Paulus [l], Ouium (inquit) fœtus in fructu sunt: & ideò ad bonæ fidei emptorem pertinent, etiam si prægnantes vænierint, quæ subreptæ sunt. Et sanè quin lac suum faciat, quamuis plenis vberibus vænierint, dubitari non potest. Idemq; in lana iuris est. ¶ *Statim naturali iure dominij.*] Apud Caium [m] est, Statim pleno iure. vt intelligamus ipsam quoq; proprietatem acquiri.

k L. in pecudum. De vsufr.
l L. bonæ fidei. de acq. rer. dom.
m dict. l. in pecudum.

§. *Partus verò.*

1 An partus ancillæ in fructu sit?
2 In fructu hominis, homo esse non potest.
3 Aientia & negantia nequeunt conuenire.
4 Maritus dicitur dotis dominus.
5 In hominis vsum omnia esse condita.

Partus verò ancillæ in fructu non est: itaque ad dominum proprietatis pertinet. absurdum enim videbatur, hominem in fructu esse, quum omnes fructus rerum natura gratia hominis comparauerit.

¶ *Partus ancillæ in fructu non est.*] Cicero libro primo de Finibus refert principes ciuitatis P. Scæ-
1 uolam, & M. Manilium respondisse, partum ancillæ in fructu esse. Sed ab his Brutum dissensisse. Vlpianus autem [n] scribit veterem fuisse quæstionem, an partus ad fructuarium pertineret, sed Bruti sententiam obtinuisse, fructuarium in eo locum non habere. Quam sententiam probat etiam Vlpianus, & addit rationẽ: Nec enim in fructu hominis homo esse potest. Vnde alibi idem
2 Vlpianus [o] respondit, eum, qui rogatus est restituere hæreditatem, debere rationem reddere partuum, qui extant: quia in fructibus hi non habeantur. Et Papinianus [p], Hæreditatem (inquit) post mortem suam exceptis reditibus restituere rogatus, ancillarum partus non retinebit. Quibus cum apertißimè refragetur Paulus [q], necesse est eius sententiã cum Scæuolæ & Manilij opinione reijci.

n L. vetus fuit. de vsufr.
o L. mulier quæ duob. §. idem. D. ad Treb.
p L. deductæ. § hæreditatem. D. ad Treb.
q L. Paulus. D. ad leg. Falcid. l. Paulus. de vsufr.

Ridiculum enim est commentitijs, nescio quarum distinctionum coloribus velle conciliare, quæ 3
ex diametro pugnant. Omnino enim nequeunt conuenire aientia, & negantia. Sed acceptum id
ferre debemus negligentiæ Triboniani, qui non summouit, quod fuit semper reiectum. Illud cer-
tè ex Vlpiani sententia [a], tribuimus bonæ fidei possessori, vt quia pro domino habetur, posit vti
Publiciana actione, vt persequatur partum ancillæ alienæ. Id quod fructuario non tribueretur.

a L. si ego. §. partus. de Publicia. in rem act.

¶ *Ad dominum proprietatis.*] Verum scilicet, & solidum, perpetuumque. Nam maritus, licet di- 4
catur dotis dominus [b]: quia tamen reuera non est, ad eum non pertinebit dotalis ancillæ partus [c].
¶ *Absurdum enim.*] Dignitas humanæ naturæ ea est, vt non patiatur venire hominem in accesio-
nem alterius. Id quod eriam olim Ædiles suo edicto probarunt: & iustisimè quidem, inquit Vl-
pianus [d]. ¶ *Cum omnes fructus rerum natura hominum gratia comparauerit.*] Insignis sentenria, & digna,
quam magni faciamus. Sic etiam Moses scribit, Deum statuisse, vt homo omnium animantium
princeps esset: & in eius vsum omnia esse condita, fusius explicat Basilius in homilia περὶ εὐχαριστίας.
Sed admirabilior est in Ethnicis hæc diuinorum beneficiorum agnitio & grata commemoratio. 5
Aristot lib. 1 Polit. εἰ, inquit, ἡ φύσις μηθὲν μήτε ἀτελὲς ποιεῖ, μήτε μάτην, ἀναγκαῖον τῶν ἀνθρώπων ἕνεκεν αὐτὰ
ταῦτα πεποιηκέναι τὴν φύσιν. Cicero autem libro 1. de Legib. lib. 2. & de Natura deorum, totum hunc
locum copiosius tractat. Item & Seneca libro quarto de benefic. qui etiam illud addit: Quòd si
quis dicat, Naturam hæc nobis præstare: eum mutare nomen Deo, qui ea omnia nobis confert si-
ne spe recipiendi.

b L. in rebus. C. de iure dot.
c L. plerunque. § si serui de iur. dot.
d L. iustisime, de ædil. edict.

§. *Sed si gregis.*

1 Vsumfructum gregis habens, tenetur ex fœtibus natis gregem supplere.
2 Vsusfructus gregis quando pereat.
3 Summisio fœtus facti est, non ipso iure fit.

Sed si gregis vsumfructum quis habeat, in locum demortuorum capitum, ex fœtu fructuarius submittere debet (vt & Iuliano visum est) & in vineatum demortuarum vel arborum locum, aliàs debet substituere: rectè enim colere, & quasi bonus paterfamiliàs vti debet.

¶ *Sed si gregis.*] Inquit Vlpianus [e]: Planè si gregis vel armenti sit vsusfructus legatus, debebit 1
ex natis gregem supplere. Porrò vt intelligeremus hic agi de vsufructu cuiusdam vniuersitatis, ad-
dit idem Vlpianus [f]: Sed quod dicitur debere eum summittere: toties verum est, quoties gregis,
vel armenti, vel equitij, id est, vniuersitatis, vsusfr. legatus est. Cæterùm si singulorum capitum: ni-
hil supplebit. Porrò quot capitibus constet grex in singulis animantium generibus, alio loco tra-
ditum est [g]. Sanè (inquit Pomponius [h]) cùm gregis vsusfructus legatus est, & eousque numerus 2
peruenit gregis, vt grex non intelligatur, perit vsusfr. Aliud tamen statutum est, vbi legatur pro-
prietas gregis [i]. ¶ *Vsumfructum quis habeat.*] Quantumuis plenum, & iure cuiusdam temporarij do
minij firmatum: cuiusmodi habet maritus in rebus dotalibus. Nam fœtus dotalium pecorum, sic
ad eum pertinere scribit Vlpianus [k], vt suppleri proprietatem prius oporteat: vt summisis in lo-
cum demortuorum capitum ex agnatis, residuum in fructibus maritus habeat.

e L. vetus fuit. §. vlt. de vsufr.
f L. quid ergo. §. sed quod. D. eodem.
g L. oues. De abige.
h L. vl. D quib. mod. vsusfr amit.
i L. si grege. De lega. primo.
k L plerunque. §. si serui. de iure dot.

¶ *Ex fœtu.*] Qui si non sufficiat summisioni: nihil est, quod imputetur fructuario, nisi in cul-
pa fuerit: nam si dum moratur summittere, editum fœtum amiserit, periculum eius est, & de suo 3
alium summittere debebit, vt scribit Vlpianus [l]: qui etiam addit, summisionem esse facti, nec
ipso iure fieri: ideoque fœtus, quandiu nō summittantur, esse fructuarij. ¶ *Vt & Iuliano visum est.*]
Nō reperio hac in re aliud scriptum Iuliani, quàm id, quod Vlpianus [m] testatur lib. 35. Digest. eum
scripsisse, fœtuum, qui summitti debent, pendere dominium: vt si summittantur, sint proprietarij.
si non summittantur, vsufructuarij. ¶ *Rectè enim colere.*] Inquit Vlpianus [n]: Cauere debet fructua-
rius, viri boni arbitraru perceptum iri vsumfructum: hoc est, non deteriorem se causam vsusfru-
ctus facturum: cæteraque facturum, quæ in re sua faceret.

l L. quid ergo. de vsufr.
m dict. l. quid ergo.
n L. 1. §. cauere. D. vsufr. quemad. cau.

§. *Thesauros.*

1 Thesaurus quid sit?
2 Thesaurum à testatore relictum, & ab vno heredum effossum, venire in iudicium familiæ erciscundæ.
3 Locus suus, & locus alienus quis intelligatur?
4 Thesaurus in fructu non est.
5 Fortunæ donum thesaurus est.
6 Inuentum dicitur, quod etiam apprehensum est.
7 Constitutio diui Hadriani de thesauris.
8 Superfluum est precibus hoc postulare, quod iam lege permissum est.
9 Thesaurus inuentus ad fiscum deferendus.
10 Thesauri in alieno inuenti quarta pars domino loci tradenda.
11 In publicis locis reperti thesauri pars dimidia fisco vindicatur.
12 Fortuita inuentio in loco religiose non requiritur.
13 Scelerata magiæ vsus omnis prohibitus.
14 Aesopus literarum indicio thesaurum reperit.
15 In alieno inuitis dominis thesaurum quærere non licet.
16 Metalla in alieno inquirere fas est.
17 Inuentor thesauri non cogitur se deferre.

Thesauros, quos quis in loco suo inuenerit, diuus Hadrianus naturalem æquitatem sequutus, ei concessit, qui eos inuenerit. Idemque statuit, si quis in sacro, aut religioso loco fortuito casu inuenerit. At si quis in alieno loco, non data ad hoc opera, sed fortuitu inuenerit, dimidium domino soli concessit, & dimidium inuentori. Et conuenienter, si quis in Cæsaris loco inuenerit, dimidium inuentoris, & dimidiũ esse Cæsaris statuit. Cui conueniens est, vt si quis in fiscali loco, vel publico, vel ciuitatis inuenerit, dimidium ipsius esse debeat, & dimidium fisci, vel ciuitatis.

¶ *Thesauros.*] Tàdem post finitam digreßionem, qua obiter dictum est de ratione fructuum,
redit Iustinianus ad reliquos acquirendarum rerum modos. Et imprimis proponit eum, qui vel
1 puncto mobilis horæ posset facilè quemlibet ditare, si dexter adsit Hercules. Thesaurus Græca vox
est, & significat pecuniam reconditam: interdum ipsum locum, in quo reconditur, quem veteres
Latini appellabant Flauissas, vt scribit Gellius libro secundo, cap. decimo. Paulus noster [a] definit *a L. nunquam. §. 1. de acq. rer. dom.*
thesaurum esse veterem quandam depositionem pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam do-
minum non habeat. Et addit: Sic enim fit eius, qui inuenerit, quod non alterius sit. alioqui si quis
aliquid vel lucri causa, vel metus, vel custodiæ condiderit sub terra, non est thesaurus, cuius etiam
furtum fit. Leo Imperator [b] definit thesaurum esse, condita ab ignotis dominis tempore vetustio- *b L. vnic. C. de thesa.*
ri mobilia. Et pecuniam fortè perditam, vel per errorem ab eo, ad quem pertinebat, non ablatam,
non esse thesaurum: & ideo eius manere, cuius fuerit, Scæuola respondit [c], Imo & ab eodem domi *c L. à tutore. de rei vind.*
no semper poßideri pecuniam in proprio vel alieno fundo, custodiæ causa conditam, etiam si fot-
tè non meminerit loci, tradidit quodam loco Paulus [d]: vbi tamen impropriè vtitur nomine the- *d L. peregrè. de acqui. poßeß.*
sauri: quemadmodum & Vlpianus [e] ex Labeone referẽs thesaurum relictum à testatore, & ab vno *e L. item Labeo. D. fami. ercisc.*
2 hæredum effossum, venire in iudicium familiæ erciscundæ: item & Pomponius [f], cuius respon-
sum, quòd omnino huc pertineat, ascribendum duxi: Thesaurus meus in tuo fundo est, nec eum *f L. thesaurum. D. ad exhib.*
me pateris effodere: cùm eum loco non moueris, furti quidem, & ad exhibendũ eo nomine agere
me, rectè non posse: Labeo ait: quia neq; poßideas eum, neque dolo feceris, quo minus poßideres:
vtpote cùm fieri poßit, vt nescias eum thesaurum in tuo fundo esse. Non esse autem iniquũ, iurãti
mihi non calumniæ causa id postulare, interdictum vel iudicium ita dari, si per me nõ steterit, quo
minus damni infecti tibi operis nomine caueatur, ne vim facias mihi, quo minus eum thesaurum
effodiam, tollam, exportem. Quòd si etiam furtiuus iste thesaurus est, & furti agi potest. Hæc Pom
ponius. Porrò si hac ipsa de re sit quæstio, nempe vtrum quod est inuentum, verè sit thesaurus, cu-
ius nempe dominus ignoretur, sic vt inuentoris fieri debeat: vbi inuentor probarit ex cõmuni ho-
minum opinione non extare memoriam eius qui deposuerit: si quis contra contendat extare, id
3 manifestè probet necesse est [g]. ¶ *In loco suo.*] Cuius habet proprietatem, eamque certam: alioqui *g L. si arbiter. de prob.*
enim, vbi ea esset restituenda, non nisi dimidiam partem thesauri, vt in alieno inuenti, liceret iure
inuentionis retinere. Veluti si maritus in dotali fundo thesaurum inuenerit [h]: aut creditor in fun- *h L. fructus. §. si fundũ in fi. D. solu. matr.*
do, cuius dominij ius quidem impetrauit, sed nondum perempta luendi facultate [i]. Quòd si the- *i L. fin qui. §. vlt. De acqu. rer. dom.*
saurum inueneris in eo fundo, cuius solum habes vsumfructum: videberis quoque in alieno inue-
4 nisse, nec eum prorsus facies tuum. Neq; enim thesaurus in fructu est [k]. Et si seruus, cuius vsumfr. *k d. §. si fundum.*
habes, thesaurum inuenisset, nihil tibi acquireret sed totum proprietatis domino: Quòd si in tuo
proprio fundo eum inuenisset, vt domino loci dimidiam partem daret [l]. Adde autem, thesaurus *l d. l. si n qui. § quod si seruus.*
intelligitur separatus à fundo, in quo est conditus, nihilq; cum eo habere cõmune: vt qui fundum
vsuceperit, non videatur quoq; thesaurum, in eo latentem vsucepisse [m]. Vnde cùm quæreretur, an *m L. 3. §. Neratius. de acqui. poss.*
venditor tanquam circumuentus posset rescindere venditionem fundi, in quo emptor reperisset
thesaurum: Respondi, non posse: quia is, quandiu latebat in nullius bonis erat: ideoque nec fundi
æstimationem augebat: & iam recens effossus habetur loco noui cuiusdam, primumque nascentis
emolumenti: veluti nouum alluuionis incrementum: eiusque acquisitio non tam proficiscitur à
iure quod venditor transtulit, quàm nouo fortunæ beneficio. Nam & thesaurus donum fortunæ
5 creditur, inquit Tryphonius [n]. interim autem fatemur venditorem posse vindicare eum thesau- *n L. si is qui. §. 1. de acquir. rer. dom.*
rum, quem ipse defoderat, & per errorem non abstulerat: vel etiam pecuniam, quam fortè perdi-
derat. nunc ab emptore inuentam, vt est in responso Scæuolæ [o]. Extat in fabula Menandri, cui ti- *o L. à tutore. De rei vind.*
tulus est Thesaurus, itemque in vita Apollonij, similis aliqua quæstio. Sed de ijs videto Alciat. lib.
Parer. 7. cap. 1. ¶ *Inuenerit.*] Inuentum dicimus, quod etiam apprehensum est: nec prius thesau-
6 rum etiam in nostro loco defossum, quantumuis id sciamus, intelligimur poßidere, quàm si eum
apprehenderimus [p]. Porrò autem nihil refert, vtrum nos ipsi inuenerimus, an ij, qui in nostra *p d. l. 3. §. Neratius.*
7 potestate [a] sunt. ¶ *Diuus Adrianus.*] Huius constitutionem refert Spartianus his verbis: De the- *a L. si is qui. de acqui. rer. dom.*
sauris Diuus Adrianus ita cauit, Vt si quis in suo reperisset, ipse potiretur: si quis in alieno, dimi-
dium domino daret: si in publico, cum fisco partiretur. Quam distinctionem paßim nostri Iu-
risconsulti secuti sunt. Obscurius autem est, quod scribit Lampridius, Alexandrum Seuerum Imp.
thesauros repertos ijs qui repererant, donasse, & si multi essent thesauri, repertoribus addidisse eos,
quos in suis habebat officijs. Leonis Imp. Constitutio nota est [b], vt si quis in suo thesaurum repe- *b L. vnica. C. de thes.*
rerit sine sceleratis artibus, proprium habeat. si in alieno, dum fortè aliud agit: dimidium. Et ad-
8 dit, superfluum esse hoc precibus postulare, quod iam lege permissum est. Atque hanc quidem so-
lam de thesauris legem Iustinianus in suum Codicem retulit. Cæterùm libro decimo magni il-
lius & integri Codicis Theodosiani extant aliæ tres. Prima Constantini, qua iubet vt quicunque
thesaurum

thesaurum inuenerit, ad fiscum vltrò deferat, & medietatem consequatur, alteram partem fisco
tradat. Secunda constitutio est Gratiani, Valentiniani, & Theodosij, vt qui thesautos inuenetit, 9
suæ vindicet potestati, saltem si in suo proprio solo inuenerit. Si verò in alieno, quartam partem
domino loci tradat. Tertia est Valentiniani, Theodosij, & Arcadij, in hæc verba: Eos qui suadente 10
numine vel ducente fortuna, thesautos repererint, repertis lætari rebus sine aliquo terrore permittimus. Hæc tam varia Principum rescripta satis ostendunt non eodem sempet modo iudicasse de
thesauris, Nos ea iudicia sequamur, quæ Iustiniano magis placuisse videmus. ¶*In sacro.*] Suo scilicet & proprio: vt fas etat priuato cuique habere proprium locum autotitate publica sacrum.

¶*Religioso.*] Suo quoque & proprio: quem quisque religiosum sua voluntate facete potest.
Cæterum aliud fuerit de publico sacro, vel religioso loco. Quo sensu videtur accipiendũ illud Cal-
a L. 3. §. si in locis. De iure fisci.
listrati[a]: Si in locis fiscalibus, vel publicis, religiosisve, aut in monumentis thesauri reperti fuerint, 11
Diui Fratres constituerunt, vt dimidia pars ex his fisco vindicaretur. Alioqui non video qui poterimus hanc Diuorum Fratrum constitutionem cum loco conciliare, nisi, quod quidam volunt,
addita negatiua, legas, Publicis non etiam religiosis, &c. ¶*Fortuito casu.*] Iustinianus non requi-
rit in priuato, nec sacro, nec religioso fortuitam inuentionem: quam requirit vel in alieno, vel in 12
sacto, aut religioso: Nempe in ptoprio, nullique religioni astricto, licet thesaurum etiam studiosè
quærere, dummodo sine sceleratis ac puniendis sacrificijs, aut alia qualibet arte legibus odiosa, vt
b L. vn. C. de thesau.
est in constitutione Leonis[b]. Certè constat iure ciuili grauiter improbari omnem vsum sceleratæ
illius magiæ, quæ non nisi dæmonum consortio valet. Cuius certè adminiculo multos compertum 13
est reperisse abditissimos thesauros. Refert Lucianus in Alexandto, quendam Tyaneum ἱερῶν γόης, μαγείας καὶ ἐπῳδὰς θεσπεσίους ὑπισχνούμενον, καὶ θησαυρῶν ἀναπομπάς. Amœnum autem esset ociosis
inter conuiuiales sermones disquirere, quid sit iudicandum de Æsopo, qui dicitut in quibusdã mo
numentis, thesaurum reperisse oblato indicio, & subtili interpretatione quarundam literarum. 14
Quid item de illo Chrysippiano somniatore, qui inuento per somnij indicia thesauro repentè di-
ues factus. Neque enim semper pto thesauro carbones. ¶*Non data ad hoc opera.*] Prorsus nulla, ne
c dict. l. vnica. § in alienis.
alioqui honesta quidem, nec etiam domino permittente. Sic enim rescripsit Imp. Leo[c]: in alienis
terrulis nemo audeat inuitis, imò nec volentibus, nec ignorantibus dominis, opes abditas suo no
mine perscrutari. Quòd si nobis super hoc aliquis crediderit esse supplicandum, aut prætet legis 15
huius tenotem, in alieno loco thesaurum scrutatus inuenerit: totum hoc locorum domino reddere compellatur: & veluti temerator legis saluberrimæ puniatur. Porrò antem cut ne volentibus
quidem dominis in alieno thesauros suo nomine perscrutari aliquis non possit, hanc esse rationem quidam existimant, quòd publicè intersit, sine iusta causa non effodi agros aut vastari. Cæterùm si de metallis agatur, quorum est perpetua vtilitas, aliter statutum est. Nam & domino volente in alienis prædijs ea inquirere fas est, atque etiam eo inuito, si id publica vtilitas suadeat. Sed nisi
d L. quosdam. C. de metall.
ea certa, non licebit hoc prætextu alienum fundum inuito domino effodere[d]. Et si domino non 16
e L. 3. C. de metall.
inuito, aliquis in alieno metalla inuenerit, decimas fisco, decimas domino præstat[e]. ¶*Domino*
f L. 3. §. vl. de iu. fisci.
soli.] Id petenti. Cæterùm deferre se nemo cogitur, qui thesaurum inuenerit[f]. ¶*Et conuenienter.*]
g dict. l. 3. § si in locis.
Videtur Callistratus[g] Diuorum fratrum constitutioni acceptum ferre, quòd thesauri, qui in Cæ- 17
saris possessione repertus fuerit, dimidia pars fisco vindicetur. Idem addit, in quo plus iuris habere videatut fiscus quàm priuatus: Quòd deferre se nemo cogatur, qui thesaurum inuenerit, nisi ex
eo pars fisco debeatur. Et qui in loco fisci thesaurum inuenerit, partemque ad fiscum pertinentem
suppresserit: totum cum altero tanto cogi soluere.

§. *Per traditionem.*

1 *Naturalis acquirendi modus per traditionem.*
2 *Traditionibus, non nudis pactis, rerum dominium transfertur.*
3 *Vt traditione transferatur dominium, requiritur causa.*
4 *Sui quisque iuris, & dimittendi, & retinendi, dominus.*
5 *Quibus non sit libera bonorum suorum alienatio?*
6 *Errantis nulla est voluntas.*

Per traditionem quoque iure naturali res nobis adquiruntur. nihil enim tam conueniens est naturali æquitati, quàm voluntatem domini volentis rem suã in alium transferre, ratam haberi.

¶*Per traditionem quoque.*] Quæcunque dicta sunt de fructibus & thesauris, Iustinianus aliunde
inseruit. Nunc repetit suum Caium: ex quo proponit naturalem acquirendi modum per domini 1
h L. 1. de acqu. possess.
traditionem. Atq; hæc est illa naturalis possessio, quæ iusta ipsius rei apprehensione nititur, ex qua
dominium rerum cœpisse Netua filius ait[h]. Vnde & res, quarum dominium transferri poterat,
i L. traditionibus. C. de pact.
olim dicebantur mancipi: quòd ex quasi manu caperétur. Et rescriptum est[i], Traditionibus, non
k L. alienatum. De verb. signi.
nudis pactis, transferri rerum dominia. Responsumque[k] est, non videri rem alienatam, quæ non 2
sit tradita. Certè quàm pendeat tota dominij translatio à traditione, vel inde conijcere possumus,
l L. quoties. C. de rei vind.
quòd qui rem alteri iam venditam emit, si prius ei fuerit tradita, præferatur priori emptori, qui sola nudaq; nititur conuentione[l]. Cùm autem hîc de traditione loquimur, eam intelligimus, quæ
fit ex

3 fit ex aliquo negocio ad dominium transfetédum idoneo. Cæterùm (inquit Paulus [a]) nunquam a L. nunquam nuda. de acq. rer. dom.
nuda traditio transfert dominium: sed ita, si venditio, aut aliqua iusta causa præcesserit, propter
quá tradirio sequeretur. Illud postremò subit addere, qnod Tertullianus in lib. de præscrip. alludés
ad ius traditionis de quo hic agitur, Mea (inquit) est possessio: olim possideo. Habeo origines fir-
mas, & ipsis autoribus, quorum fuit res. ¶ *Nihil enim tam conueniens.*] Hæc (inquit Tullius pro Ce-
4 cinna) firmissima fundamenta nostræ ciuitatis, Sui quenque iuris, & dimittendi & retinendi esse
dominum. Itaque & Constantinus rescripsit [b], suę quenq; rei & moderatorem esse & arbitrum. Et b L. in re mãdata. C. mand.
alibi Caius [c] ait, iniquum esse, ingenuis hominibus nó esse liberam rerum suarum alienationem. c L. 2. D. si à paren. quis ma.
Certè iniuriarum actionem competere aduersus eum, qui non sinit me meis rebus vti meo arbi-
5 traru, iure traditum [d] est. ¶ *Domini.*] Cui non sit iure interdicta bonorum suorum alienatio. Nam d L. iniuriarum actio nequa. §. si quis me. de iniur.
pupillus, furiosus, prodigus & similes, domini quidem sunt, sed nihili esset eorum traditio: quòd
alienare ob certas causas prohibeantur, quemadmodum suo postea loco dicemus. ¶ *Volentis rem
suam in alium transferre.*] Rectè admonet Theophilus his verbis excludi commodatum & deposi-
6 rum, vbi dominus est quidem, qui tradit: sed dominium non transfert, quia id non vult transfer-
re: nec id agit. Sed & cùm nulla sit errantis volútas: si rem meam, tanquam tuam tibi tradiderim,
dominium in te nó transferam [e]: quia satis apparet noluisse me id transferre. Rectè itaq; Paulus [f], e L. 3. §. subtilius. De condic. cau. da.
Si (inquit) procurator meus, vel tutor pupilli, rem suam quasi meá, vel pupilli, alij tradiderit, non f L. si procurator. De acqui. rer dom.
recessit ab eis dominium: & nulla est alienatio: quia nemo errans rem suam amittit. Cæterùm si
quis sciens id faceret, dominium transferre posset [g]. id enim vult, neque errat. g L. Iulianus. §. 1. De cur. fu.

§. *Et ideo cuiuscunque.*

1 Traditionem non recipit res incorporalis. *2 Illud tradendo transferre quis potest, quod habet.*

Et ideo cuiuscunque generis sit corporalis res, tradi potest; & à domino tradita alie-
natur. Itaque stipendiaria quoque & tributaria prædia eodem modo alienantur.

¶ *Cuiuscunque generis.*] Modò commercijs non fuerit exempta, nec eius sit interdicta aliena-
1 tio. ¶ *Corporalis res.*] Incorporales res traditionem non recipere manifestum esse, respódit Caius [h]. h L. seruus. §. 1. de acqui. rer. dom.
Sed quid traditionis loco in ijs sit, postea dicemus. ¶ *A domino tradita.*] Inquit Vlpianus [i]: Tradi-
tio nihil amplius transferre debet, vel potest, ad eum, qui accipit, quàm est apud eum, qui tradit. i L. traditio. de acqui. rer. dom.
2 Si igitur quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert. Si non habuit: ad eum qui acci-
pit, nihil transfert.

§. *Vocantur autem.*

1 Prædia stipendiaria & tributaria quæ dicantur. *2 Prædia duorum generum olim fuisse, Italica & Tributaria.* *3 Duplex tributi genus.*

Vocantur autem stipendiaria & tributaria prædia, quæ in prouincijs sunt: inter quę,
necnon & Italica prædia, ex nostra constitutione nulla est differentia: sed si quidem ex cau
sa donationis, aut dotis, aut qualibet alia ex causa tradantur, sine dubio transferuntur.

¶ *Vocantur autem Stipendiaria & Tributaria.*] Horum prædiorum situm ostendit hic quidem
1 Iustinianus: sed non satis explicat conditionem, nec causam appellationis. Videntur autè ea fuis-
se, quæ ab hostibus capta Populus Romanus, vel Princeps suis emphyteutis, qui vectigal aut tri-
butum eo nomine dependerent, dabat. Sæpe quidem suis Ducibus aut militibus assignabat pro
præmio virtutis, vt neque vectigal, neq; censum, aut tributum eo nomine pensitarent: sed immu-
nia prædia possiderent. Sæpius tamen Vectigalibus aut Tributarijs hominibus dabat. Scire au-
2 tem debemus duorú generum fuisse prædia: Italica, & quæ iure Italico donata essent, planè immu
nia, eaq; optimo iure optimaq; conditione esse dicebantur. Alia verò erant Tributaria, quibus o-
nus tributi erat ascriptum, ad quemcunq; possessorem transirent. Nam & si ea comparassent, qui
alioqui ab ea pensitatione, quæ vocabatur Capitatio, immunes erant personali priuilegio: nihilo-
minus ratione prædij tributum dependebant [k]. Fuisse autem duplex tributi genus, alterum quod k L. vlt. C. de exact.
3 rebus soli, alterum quod capiti, hoc est, personæ imponebatur, satis notum est. ¶ *Ex nostra constitu-
tione.*] Non aliam scio Iustiniani constitutionem, quàm quæ extat [l], de sublata differentia rerum l L. vnic. C. de vsuc. transf. & subla. diff.
mancipi, & nec mancipi: qua vsucapionem rerum Italicarum & prouincialium similem facit: Vt
nulla intelligatur inter eas esse differentia, quantum attinet ad acquisitionem vel alienationem.

§. *Vendita verò res.*

1 In emptione non transfertur dominium, nisi soluto precio. *2 Permutatio sine traditione firmari non potest.* *3 Ius natura legibus sancitum.* *4 Quando quis fidem emptoris sequi videatur.*

Venditæ

Venditæ verò res & traditæ, non aliter emptori adquiruntur, quàm si is venditori preciū soluerit, vel alio modo ei satisfecerit: veluti expromissore aut pignore dato: quod quanquam cauetur ex lege duodecim Tabularum, tamen rectè dicitur & iure gentium, id est, iure naturali id effici. Sed si is, qui vendidit, fidem emptoris sequutus fuerit: dicendum est, statim rem emptoris fieri.

¶ *Vendita verò.*] Hæc vocula, verò, nota est cuiusdam discriminis: nempe quòd superioribus
casibus semper dominium rei traditæ statim transferatur: hic verò non aliter, quàm si conuentum 1
& numerandum precium persoluatur. Nam nec alia mente venditor tradere intelligitur. Verùm
id ad alios contractus non est temerè trahendum: ne ad ipsam quidem permutationem, quan-
tumuis alioqui ea venditioni simillima sit. Nempè firmari non potest permutatio sine traditione: 2
nec ex ea parari actio, ptiusquam dominium in alterum sit translatum [a]. Sic enim primùm vim
habere solet contractus innominatus, vbi implementū ab altera parte secutum est. ¶ *Non aliter.*]
Ac sæpe ne sic quidem. Quid enim si res vænierit, quæ metienda sit? Constat non esse perfectā ven-
ditionem ante mensuram, quantumuis res tradita sit, & precium numeratum. ¶ *Emptori acquiruntur.*] Pleno solidoq; dominij iure. De quo nos suo loco pluribus agemus. Illud verò hic sumus ad-
monendi, non eandem esse conditionem traditionis à non domino factæ. Nam ea tribuit ius v-
sucapiendi bonæ fidei possessori, etiam si is nondum preciū soluerit. Sic enim Caius, agens de Pu-
bliciana in rem actione, respōdit [b]: De precio soluto nihil exprimitur. Vnde potest cōiectura capi,
qua si nec sententia Prætoris ea sit, vt requiratur an solutum sit precium, an non.

a L. ex placito. l. reb. C. de rer. permut.
b L. de precio. de Publicia. in rem act.

¶ *Quod quanquam cauetur ex lege 12. tabularum.*] Videtur hic Iustinianus occurrere tacitæ obie-
ctioni eorum, qui cauillarentur, hæc non suo loco ingeri, quo tantùm agitur de acquirendarum
rerum modis ex iure gentium. Respondet autem, hæc quidem caueri iure ciuili, sed nihilominus
ex æqnitate naturali idem obseruari: imò ab ea prius cautum id esse, sicuti Cicero lib. 2. de Inuent.
ait, Quæ natura, vel cōsuetudine iura fuerunt probata, deinde legum metu sancita esse. Quam au- 3
tem Iustinianus hic allegat legē duodecim Tabularum, nō puto vspiam extare. Sed extat in ean-
dem sententiam Pomponij responsum [c], cuius verba sunt hæc: Quod vendidi & tradidi, non ali-
ter fit accipientis, quàm si aut precium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum, vel etiam fi-
dem habuerimus emptori sine vlla * datione. Hincq; videtur Iustinianus descripsisse præsentem
locum. Extat quoq; simile Vlpiani responsum his verbis [d]: Si dedi mercem meam vendendam, &
extat: videamus, ne iniquum sit in tributum me vocari. Et si quidem in creditum abij: tributio lo-
cum habebit. Enimuerò si non abij: quia res venditæ non aliàs desinent esse meæ, quamuis vendi-
dero, nisi ære soluto, vel fideiussore dato, vel aliàs satisfacto: dicendum erit, vindicare me posse. Sa-
nè tamen vindicanrem venditorem semper licebit summouere oblato integro precio [e]. ¶ *Fidem
emptoris secutus.*] Apud Pomponiū [f] est, habere emptori fidem sine vlla * datione Apud Vlpianum [g]
est, in creditum abire. Sed nusquam satis explicatè traditur, quando quis fidem emptoris sequi vi- 4
deatur. Nos desideramus apertam coniecturam, veluti cùm nominatim præstituit diem soluendi
precij. Alioqui nō temerè putabimus venditorem habuisse fidem de precio. Magis enim solemus
res nostras vendere, vt statim & cominus pecuniam recipiamus: nihilq; traditum videatur, si nos
fefellerit emptor [h]. Multiq; sunt ideo, qui non nisi Græca fide mercantur, hoc est, repræsentata pe-
cunia: quorum (vt inquit Plautus) manus oculatæ sunt, nec credunt, nisi id, quod vident.

c L. quod vendidi. De contr. emp.
* al. satisdatiōe, vel, satisfactione.
d L. procuratoru. §. sed si dedi. de Tri. act.
e L. diligēter. D. mād.
f dict. l. quod vēdidi. de contrah. empt.
* al. satisdatione, vel satisfactione.
g dict. l. procuratoriū. §. sed si dedi. de Trib. act.
h L. 3. de pignor. act.

§. *Nihil autem interest.*

1 *Ad facultatem vendendi requiritur libera administratio vniuersorum negociorum.*
2 *Quando res vendita vindicari possit.*

Nihil autem interest, vtrum ipse dominus tradat alicui rem suam, an voluntate eius alius, cui eius rei possessio permissa sit. Qua ratione, si cui libera vniuersorū negotiorum administratio permissa fuerit à domino, isque ex his negotijs rem vendiderit, & tradiderit, faciet eam accipientis.

¶ *Nihil autem interest.*] Quod attinet ad dominij translationem: de qua hic propriè agitur.
Hic tamen redit Iustinianus ad verba Caij, post translationem precij aliunde petitam.
¶ *Voluntate eius.*] Quam sanè oportet eandem semper fuisse, saltem vsque ad cōtractum. Nam
postea re non integra non obfuerit mutatam esse voluntatem. Vt si rem tua voluntate ab alio re-
ctè distractam, nolis tradi. Nihilominus enim rectè tradetur: & licet fortasis non transferatur
verum dominium [i]: tribuetur tamen Publiciana in rem actio, etiam aduersus ipsum dominum,
& Prætor tuetur emptorem, siue possideat, siue petat. ¶ *Libera vniuersorum negociorum administra-
tio.*] Parum esset generalis vniuersorum negociorum administratio ad facultatem vendendi, nisi 1
sit etiam libera. Rectè itaque Modestinus [k], Procurator (inquit) totorum bonorum, cui res admi-
nistrandæ commissæ sunt: res domini, neque mobiles, neque immobiles, neque seruos, sine specia-
li domini mandato alienare potest, nisi fructus aut alias res, quæ facile corrumpi possunt. ¶ *Fa-
ciat eam accipientis.*] Precio tamen soluto, inquit Vlpianus [l]: & quantum quidem erat à domino
præstitutum.

i L. Papinianus. de Publicia. in rem act.
k L. procurator totorum. de procur.
l L. si procurator. §. 1. de iure fisci.

2 præstitutum. Nam si procurator meus minoris vendiderit, quàm mandatum, potero rem vendi-
tam vindicare: quæ non videtur alienata [a]. Sed si emptor offerat reliquum precium, poterit rem
retinere [b].

a L.1.§.Celsus ait. de except. rei vendi.
b L.diligēter.D.mād.

§. *Interdum.*

1 Dominium propter contractum transfertur. *2 Aestimatione rei dominium possessori acquiritur.*

Interdum etiam sine traditione, nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam: veluti si rem, quam tibi aliquis commodauerit, aut locauerit, aut apud te deposuerit, postea aut vendiderit tibi, aut donauerit, aut dotis nomine dederit. Quamuis enim ex ea causa tibi eam non tradiderit, eo tamen ipso quòd patitur tuam esse, statim tibi adquiritur proprietas, perinde ac si eo nomine tibi tradita fuisset.

¶ *Sine traditione.*] Noua scilicet, & quę sequatur contractum, propter quem dominium trans-
1 fertur. Reuera autem hic præcessit quædam traditio, quantumuis ex alia causa. Quorsum igitur
actum ageres? Neque mutat hîc sibi quisquam possidendi causam: (quod certè iure fieri non po-
test [c]) sed alius ei mutat, nempe verus dominus. ¶ *Aut dotis nomine dederit.*] Aut certè eius æstima-
tione contentus, eam tibi reliquerit. Sic enim respondit Paulus [d]. Eius rei, quæ per in rem actio-
nem petita, tanti æstimata est, quanti in litem actor iurauerit: dominium statim ad possessorem
2 pertinet. Transegisse enim cum eo, & decidisse videbitur eo precio, quod ipse constituit. Postremò
non est prætereundum Vlpiani responsum, quod huc omnino pertinet, extatque his verbis [e]: Deposui apud te decem: postea permisi tibi vti: Nerua & Proculus, etiam antequam moueantur, condicere, quasi mutua tibi hæc, posse aiunt, & verum est: vt & Marcello videtur. Animo enim cœpisse possidere. Ergo transit periculum ad eum, qui mutuam pecuniam rogauit: & poterit ei condici.

c L. quemadmodum. de acq.poss.
d L. eius rei. De rei vind.
e L.certi condictio. §. vl. D.si cer.pet.cond.

§. *Item si quis merces.*

1 Imaginaria traditio aliquando sufficit.
2 Clauib. traditis, quando venditio facta intelligatur.
3 Instrumenti traditione, dominium quoque transfertur.

Item si quis merces in horreo depositas vendiderit, simul atque claues horrei tradiderit emptori, transfert proprietatem mercium ad emptorem.

¶ *Item si quis.*] Addit hic aliquid amplius Iustinianus. Superiori themate interuenerat vera
quædam traditio, etiamsi ex alia quadam priori causa: hic verò nulla prorsus traditione est opus:
1 sed sufficit ea, quæ imaginaria est, & fieri dicitur modò breui [f], modò longa [g] manu. ¶ *Vendiderit.*]
Obserua iustam causam ad transferendum dominium, quæ hic præcessit. Nam alioqui parum
prodesset clauium traditio: nisi custodiæ commissæ significationem haberet [h]. ¶ *Claues horrei.*]
Proximi, vel quod sit in conspectu: Sic enim hunc locum interpretari videtur Papinianus inqui-
2 ens [i]: Clauibus traditis, ita mercium in horreis cōditarum possessio tradita videtur, si claues apud
horrea traditæ sint: quo facto, confestim emptor dominium & possessionem adipiscitur, etsi non
aperuerit horrea. Sic & Paulus [k] ait, res haberi pro traditis, si in re præsenti consenserint contrahentes: & vina tradita videri, cùm claues cellæ vinariæ emptori traditæ fuerint. Et Celsus [l], Si (inquit)
vicinum mihi fundum *mercatum venditor ex mea turre demonstret, vacuamque possessionem
3 se tradere dicat: non minus possidere cœpi, quàm si pedem finibus intulissem. Porrò vt per clauium, sic & per instrumentorum traditionem plerunque transfertur, quod ijs continetur. Vnde Impp. Seuerus & Antoninus rescripserunt Lucio [m]: Emptionum mancipiorum instrumentis donatis & traditis: & ipsorum mancipiorum donationem, & traditionem, factam intelligis: & ideo potes aduersus donatorem in rem actionem exercere. Prætetea & custodia meo nomine addita habetur pro traditione [n]: quemadmodum & rei emptæ signatio [o]: nisi tantum signatæ res essent, ne summitterentur [p]. Sed & qui constituit se alterius nomine possidere, videtur ei rem tradidisse [a]. Postremò & qui vsumfructum retinet, donatam proprietatem ad alium transtulisse satis eo facto intelligitur [b].

f L.licet.§.1.de in do. l.3.§.vlt.de dona.inter vir.& vxor.
g L.si pecuniā.de solu.
h L.cū pater.§.pater. pluribus.delegat.2.
i L. clauibus. De contrah.empt.
k L.1 §.si iusserim.de acquir.possess.
l L.quod meo §.si vēditorem. De acq.poss.
* al. mercato.
m L.1.C.de donat.
n L. quarundam. De acquir.possess.
o L.quod si neg.§.materia. De per.& com. rei vendi.
p L.1.§.si dolium. De per & cō.rei vend.
a L.quod meo.de acq.possess.
b L.quisquis.§.si quis argentum. C.de don.

§. *Hoc amplius.*

1 Testamenti quanta sit vis?
2 Legatum incertæ personæ factum improbatur.
3 Affectus vtrinque concurrere debet ad trāsferendum dominium.
4 Profusa missilium liberalitas adempta consulibus.
5 Missilium direptio magna affert incommoda.
6 Missilia spargere soliti sunt Romani principes.

Hoc amplius, interdum & in incertam personam collata voluntas domini trans-

fert rei proprietatem: vt ecce, Prætores & Consules, cùm missilia iactant in vulgus, ignorant quid eorum quisque sit excepturus: & tamen quia volunt, quod quisque acceperit, eius esse, statim eum dominum efficiunt.

¶ *Hoc amplius.*] κλῖμαξ est. Crescit enim gradatim oratio. Sed fortaßis aptior fuisset gradatio, si
addidisset Iustinianus eos casus, quibus ne imaginaria quidem opus est traditione ad acquiren- 1
dum dominium. Primùm enim eam vim habet testamentum, vt adita hæreditate, legatum ipso
a L. à Titio. De furt. iure intelligatur à morte testatoris translatum in legatarium [a]. Et ita omnium bonorum socie-
b L. 1. & 2. D. pro soc. tas, vtrinque transfert dominium sine traditione [b]. Eandemque vim habet lex commissoria, &
addictio in diem. Nam vbi eius conditio euenit, non est opus retraditione, vt redeat dominium
ad venditorem.

¶ *Interdum.*] Indicat hæc vocula contrariam esse communis iuris regulam: quæ scilicet exigat
certum quendam, & consentientem affectum in contrahentibus. Adeò, vt legatum incertæ perso- 2
næ factum, iure fuerit improbatum, quemadmodum latius suo loco postea dicemus. Nunc suffi-
c L. in omnib. reb. de oblig. & act. ciat retulisse generale Iaboleni respōsum, quod in Pandectis extat his verbis [c]: in omnibus rebus,
quæ dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex vtraque parte contrahentium. Nam si- 3
ue ea venditio, siue donatio, siue alia quælibet causa contrahendi fuit: nisi animus vtriusque con-
sentiat, perduci ad effectum, id quod inchoatur, non potest. ¶ *Pretores & consules.*] Extat in Co-
d L. 2. C. de cōsulib. et non sparg. ab his pec. dice [d] Constitutio Leonis Imp. quæ profusam misilium liberalitatem adimit Consulibus: sapien 4
terque iubet eiusmodi sumptus potius debere cōuerti in vsus publicos. Inquit enim: Cessante ista
spargendi vilitate, amplißimi Consules procedentes deinceps abstineant hoc errore perdendi:
optimoque consilio operi necessario proficiat, quod erat incompetenter proijciendum. Ad restau
rationem itaque aquæductuum huius amplißimæ vrbis centena pondo auri præstentur per sin-
gulos Consulatus, vt & Consul patriæ se dedisse nouerit: & data notum sit mansura esse perpetuò.
Iustinianus autem in Nouella sua Constit. 105. videtur hanc misilium prohibitionem acceptam
ferre Constitutioni Martiani Imper. Ipse verò nolens prorsus hanc munificentiam tolli, permittit
Consulibus per septem processus populo spargere monetam argenteam minorem. Sed nescio an
ea ratione Iustinianus satis consuluerit, aut ipsis Consulibus, aut Populo, qui sæpe admodum pe-
riculosè tumultuatur in direptione misilium. Et fatetur ipse Iustinianus se vidisse magna huius
rei incōmoda: nempe verbera & vulnera in direptione, & deinde insanas comessationes eorum, 5
qui aliquid nacti erāt. Vtut sit, vir sapiens non ambiet gloriam huius superbæ & stultæ prodigali-
tatis: nec laudabit has pecuniarum effusiones, quæ fiunt ad multitudinem deliniēdam, vt inquit
Tullius lib. 2. Officiorum. Memini referre Valerium Max. lib. 7. cap. 8. Olim Romæ quendam Tu-
ditanum dedisse speciem notæ insaniæ, quòd populo nummos spargeret, togam veluti tragicam ve-
stem in foro trahens. Et notatus est apud Athenæum quidam Antiochus cognomento Illustris,
quòd soleret ad eum modum opes suas effundere. Nam in publicis vijs stans clamitabat, τίνι ἡ τύχη
δίδωσι, λαβέτω, [is cui fortuna dat, accipiat,] confestimq; abiecta pecunia discedebat. Strabo quo-
que libro 4. loquens de diuitijs Narbonensis Galliæ, narrat quendam Luerium Aruernum, cùm
vellet suas opes ostentare, curru per medios agros inuectum huc & illuc aureos argenteosque nu-
mos sparsisse, quos, qui eū sequerentur, colligerēt. Sic Romani Principes, qui diuitijs abundabāt, 6
& auram popularem captabant, soliti sunt maximè populo spargere misilia: eaque omnium re-
rum, vt in Nerone scribit Suetonius: qui refert populo sæpe ad eum modum data multa millia a-
uium omnis generis, Penum multiplicem, Tesseras frumentarias, Vestem, Aurum, Argentum,
Gemmas, Margaritas, &c. ¶ *Quod quisque acceperit, eius esse.*] Adeò, vt etiam huius acquisitionis spes
e L. nec emptio. de cōtrah. empt. & alea vendi posit, quemadmodum respondit Pomponius [e].

§. *Quaratione.*

1 Res pro derelicto habita, continuò fit alterius.
2 Discrimen inter mißilia & res derelictas.
3 Pro derelicto habita res, prioris domini esse mox desinit.
4 Bona vacantia fisci erant.
5 Quæ habeantur pro derelicto.
6 Seruus ægrotus, à domino neglectus, potest sibi ipse libertatem asserere.

Quaratione verius esse videtur, si rem pro derelicto à domino habitam occupauerit quis, statim eum dominum effici. Pro derelicto autē habetur, quod dominus ea mente abiecerit, vt id in numero rerum suarum esse nolit: ideoque statim dominus eius esse desinit.

¶ *Quaratione.*] Hæc collatio misilium & rerum derelictarum nō est apud Caium: sed desum- 1
f L. si id quod. §. id quod. de his quæ pro derel. pta videtur ex Pomponio [f], cuius verba sunt hæc: Id quod quisque pro derelicto habuerit, cōtinuò
meum fit: sicuti cùm quis æs sparserit, aut aues emiserit. quamuis enim incertę personę voluerit eas
esse: eius tamen fient, qui eas sustulerit: easque cùm quis pro derelicto habeat, simul intelligitur
voluisse alicuius fieri. Verùm ne nos hæc comparatio fallat, annotandum est discrimen: Quòd
misilia, quandiu à nemine apprehensa sunt, videantur manere prioris domini: qui sparsurus non 2
erat, nisi vt alteri acquirerentur. Itaque non debet hic videri deperditum, quod alteri nondum
acquisitum

3 acquisitum est[a]. At res pro derelicto habita, statim desinit prioris esse domini. etiamsi nondum alteri sit acquisita[b]. Reuera enim id non agebatur, vt alteri acquireretur. Imò qui pro derelicto habet, sæpius cogitat rei dominium, quod reijcit, etiam alios reiecturos. ¶ *Pro derelicto.*] Aliud est, si ager ob censum vel tributum deseratur Is enim principis fiebat: ab eoque assignabatur Decurionibus, tanquam ditioribus[c]. Bona quoque vacantia fuisse fisci constat[d]. Ideoque à Comite rerum
4 priuatarum (qui erat, vt ait Strabo, τῶν ἀδεσπότων, καὶ τῶν εἰς Καίσαρα περιελθόντων ἐξεταστὴς) [Rerum quibus certus dominus non est, & fisco principis obnoxiarum, inquisitor siue censor] publico nomine occupabantur[e]. ¶ *Ea mente abiecerit.*] Ad hunc modum Iustinianus loquens de rebus, quæ habentur pro derelicto in Nouella Constit. 22. ἀποβαλὼν (inquit) τὴν ἔτι τῇ δεσποτείᾳ κατ' αὐτῶν γνώ-
5 μην. [Earum dominij animum abijciens.] Ac sanè nisi de hac mente iustis cõiecturis constet, non existimabimus temerè aliquem res suas iactare[f]. Abijcere autem oportet sic, vt omnino derelicta sit possessio. Nam sola mens hic non fuerit satis, quæ abijcit dominium, sed retinet possessionem. Dominium enim nihilominus eius manet, qui dominus esse non vult, inquit Vlpianus[g]. Illud postremò hoc loco notandum est; Seruum, quem ægrotum ingratus & inhumanus dominus non
6 curat, haberi quidem pro derelicto: sed non vt pateat alterius occupationi: verùm vt ipse possit sibi libertatem asserere[h], quasi videatur hic præuenisse reliquorum occupationem. Quod etiam Iustinianus docet in illa sua Nouella Constit. 22. ¶ *Statim dominus esse desinit.*] Etiam priusquam res sit ab alio occupata, vti aduersus Proculum rectè sensit Iulianus[i].

a L. nec vtilem. D. ex quib. cau. maio.
b L. 2. De his quæ pro derel.
c L. 1. l. quisquis. C. de omni agro deserto.
d L. 1. §. an bona De iure fisci.
e L. 3. C. de bon. vac.
f L. cùm de indebito. De probat.
g L. si quis vi. § differentia. de acq. poss.
h L. 1. § sed scimus. C. de Lati. lib. tollen.
i L. 2. de his quæ pro derel.

§. *Alia sanè causa.*

1 Res proiecta ob nauem leuandam, an pro derelicto habenda?
2 Ex mari extracta res cuias?
3 Ex naufragio expulsa res vsucapi non potest.
4 Naui naufragio ad litem expulsa, ad dominum pertinet.
5 Lex Rhodia de contributione ad sarciendum commune damnum iacturæ.
6 Rhodiorum naualis disciplina à Cicerone celebratur.
7 Derelinquendi animo plerunque eijci.
8 Si iactum ex naue factum alius tulerit: an furti teneatur?
9 Res naufragio eiecta, domini integra conseruari debent.

Alia sanè causa est earum rerum, quæ in tempestate leuandæ nauis causa eijciuntur: hæ enim dominorum permanent: quia palàm est eas non eo animo eijci, quòd quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa naui maris periculum effugiat. Qua de causa, si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari nactus, lucrandi animo abstulerit, furtum committit.

1 ¶ *Alia sanè causa.*] Descriptus est hic locus ex Caio[k]: sed habet etiam alios autores & interpretes. Primùm enim Iulianus[l], Qui leuandæ (inquit) nauis gratia res aliquas proijciunt: non hanc mentem habent, vt eas pro derelicto habeant: quippe, si inuenerint eas, ablaturi: & si suspicati fuerint in quem locum iactæ sint, requisituri: vt perinde sit, atque si quis onere pressus vnam rem abiecerit, mox cum alijs reuersurus, vt eandem auferret Et Paulus[m], Si res (inquit) quæ iactæ sint, apparuerint: exoneratur collatio. Quòd si iam contributio facta sit: tunc ij, qui soluerunt, agent ex locato cum magistro nauis, vt is ex conducto experiatur: & quod exegerit, reddat. Res autem iacta,
2 domini manet: nec fit apprehendentis, quia pro relicto nõ habetur. Rursus Iabolenus[n], Quæcunque res (inquit) ex mari extracta est, non antè eius incipit esse, qui extraxerit, quàm dominus eam
3 pro derelicto habere cœperit. Idem alio loco[o], Quod (inquit) ex naufragio expulsum est, vsucapi non potest: quoniam non est in derelicto, sed in deperdito. Idẽ iuris esse existimo in ijs rebus, quæ iactæ sunt: quoniam non potest videri id quod derelicto habitum, quod salutis causa interim di-
4 missum est. Postremò & huc pertinet elegans illud Constantini rescriptum[p]: Si quando naufragio nauis expulsa fuerit ad litus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad dominum pertineat: fiscus meus sese non interponat. Quod enim ius habet fiscus in aliena calamitate, vt de re tam luctuosa, compendium sectetur? ¶ *Dominorum permanent.*] Vbi vbi tandem hæ sint. Verùm si omnino fuerint deperditæ, nec reperiri possint, erit commune omniũ, qui in naui fuerint, damnum.
5 Nam (inquit Paulus[a]) lege Rhodia cauetur, vt si leuandæ nauis gratia, iactus mercium factus est: omnium contributione sarciatur, quòd pro omnibus datum est damnum. Cuius Rhodiæ legis æquitatem & vim pluribus responsis explicant Iurisconsulti libro decimoquarto Pandectarum. Ce-
6 lebrat & Cicero pro lege Manilia Rhodiorum disciplinam naualem. Et Strabo de Rhodo loquẽs, θαυμαστὴ (inquit) καὶ ἡ εὐνομία, καὶ ἡ ἐπιμέλεια περί τε τὴν ἄλλην πολιτείαν, καὶ τὰ ναυτικά. [Admiratione digna est & æquitas, & cura, cùm in reliqua reip. forma, tum verò in rei nauticæ disciplina constituenda.] ¶ *Quia palàm est.*] Nempe ex ratione præsentis periculi, & solicita compositione necessarij iactus. Alioqui si vltrò & temerè iactus fiat, qui periturus est; crederemus derelinquendi animo factum:
7 & qui eum inuenerit, suum faciet, nec furti tenebitur, vt est apud Vlpianum[b]. Idem ait plerunq; credendum esse derelinquendi animo eijci, cùm sciat peritutum. Porrò prætereundum non est, quod Arist. lib. 3. moralium, vbi proposuisset posse nos de plerisque ambigere, volũtariáne sint, an non, subijcit huius loci exemplũ; τοιοῦτον δέ τι συμβαίνει καὶ περὶ τὰς ἐν τοῖς χειμῶσιν ἐκβολάς. ἁπλῶς μὲν γὰρ οὐδεὶς

k L. quo ratione. §. vlt. de acq. rer. dom.
l L. qui leuãdæ. D. ad leg. Rhod. de iacta.
m L. 1. §. vl. D. ad leg. Rhod.
n L. quæcũque de acquir. rer. dom.
o L. interdum. §. 1. de acquir. poss.
p L. 1. C. de naufrag.
a L. 1. D ad leg. Rhod. de iactu.
b L. falsus. §. si iactũ. de furt.

ἀποβάλλεται ἑκὼν· ὅτι δὲ αὐτοῦ καὶ τῶν λοιπῶν ἁπάντων οἱ νῦν ἔχοντες. [Tale quid euenit & circa eiectiones in tempestatibus; simpliciter enim nemo abijcit volens.] ¶ *Vel etiam in ipso mari nactus.*] Scribit tamen Harmenopulus libro 2. iuris ἐπιτομῶν, eum, qui has res eiectas, & alioqui omnino perituras, magno vitæ suæ periculo nactus fuerit, fieri earum dominum, ὡς (inquit) τῆς ἑαυτοῦ σωτηρίας τὴν τοῦ πράγματος σωτηρίαν ἀνταλλαξάμενος. [quasi pro incolumitate rei proiectæ salutem suam paciscés.] Sed non puto id iure nostro ciuili probari posse: nec arbitror tãtum tribui vrinatoribus.] ¶ *Furtum committit.*] Vlpianus explicans discrimen rei, quæ animo perdendi eijcitur spontanea profusione, & eius, cuius iacturam necessitas extorsit ab inuitis, nullumque alioqui animum derelinquendi habentibus, scitè hunc totum locum illustrat his verbis [a]. Si iactum ex naue factum alius tulerit, an furti teneatur? Quæstio in eo est, an pro derelicto habitum sit. Et siquidem derelin- 8
quendi animo iactauerit: (quod plerunque credendum est, cum sciat periturum) qui inuenit, suum fecit: nec furti tenetur. Si verò non hoc animo, sed eo, vt si saluum fuerit, haberet: ei, qui inuenit, auferendum est. Et si scit hoc qui inuenit, & animo furandi tenet: furti tenetur. Enimuerò si hoc animo, vt saluum faceret domino: furti non tenetur. Quòd si putans simpliciter iactatum: furti similiter non tenetur. Hæc Vlpianus. Postremò non est hic silentio prætereunda noua 9
Constitutio Imp. Friderici secundi, adiecta libro sexto Codicis, tit. De furtis: qua tuetur res naufragio eiectas, dominisque integras conseruari iubet: & eos, qui contrà fecerint, bonorum omnium publicatione mulctari præcipit.

a L. falsus. §. si iactũ. De furt.

Authen. nauigia. C. de furt.

§. *Nec longè videntur.*

1 Inuentor rem inuentam indicare debet, et desideranti reddere.
2 Rheda quid propriè fuerit.

Nec longè videntur discedere ab his, quæ de rheda currente non intelligentibus dominis cadunt.

¶ *Nec longè videntur discedere ab his.*] Siue inspicias dominos, quorum semper res manent, siue 1
eos, qui auferunt, quos furti æquè teneri constat. Quod etiam Vlpianus eodem illo suo responso [b] multis verbis explicat, & admonet inuentorem, vt libellum proponat continentem inuenisse se, & rediturum ei, qui desiderauerit. Cuius generis morem olim in castris Romanorum diligen- 2
ter obseruatum fuisse testatur Polybius lib. 6. Et Iosephus commemorat non dissimilem apud Iudæos legem. ¶ *Rheda currente.*) Rheda propriè fuit genus vehiculi, cuius olim apud Romanos vsus soli Senatorio ordini permissus erat. ¶ *Non intelligentibus dominis.*) Idem & si ij scientes prudentésque, rem, cuius oneri pares non erant, abiecerint, mox cum aliis reuersuri, vt eandem auferrent, quemadmodum responsum est à Iuliano [c].

b dict. l. falsus. §. qui alienum.

c L. qui leuãda. D. ad leg. Rhod. de iac.

De rebus corporalibus & incorporalibus, Tit. II.



VAEDAM præterea res corporales sunt, quædam incorporales. Corporales hæ sunt, quæ tãgi possunt: veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum, & denique aliæ res innumerabiles. Incorporales autem sunt, quæ tangi non possunt: qualia sunt ea quæ in iure consistunt, sicut hæreditas, vsusfructus, vsus, & obligationes quoquomodo contractæ. Nec ad rem pertinet, quòd in hæreditate res corporales continentur. nam & fructus qui ex fundo percipiuntur, corporales sunt: & id quod ex aliqua obligatione nobis debetur, plerunque corporale est, veluti fundus, homo, pecunia. Nam ipsum ius hæreditatis, & ipsum ius vtendi fruendi, & ipsum ius obligationis, incorporale est. Eodem numero sunt iura prædiorum vrbanorum & rusticorum, quæ etiam Seruitutes vocantur.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 De generali rerum diuisione.
2 Cicero quomodo res partiatur.
3 Corpus esse, quod aut efficiens sit, aut patiens.
4 Aliam carnis, aliam corporis esse definitionem.
5 Caro propriè quid?
6 Hæreditas interdum accipitur pro re hæreditaria.
7 Res hæreditariæ sunt in hæreditate; non sunt ipsa hæreditas.
8 Hæreditas iuris intellectum habet.
9 Prædiorum iura, præter seruitutes etiam alia sunt.

QVAEDAM *præterea.*] Initio admonendi sumus, totum hunc titulum ad verbum esse descri-

descriptum ex responso [a] Caij, rerum diuisionem tradentis. Sed Iustinianus primum membrum a L. 1. De rer. diuis.
priori loco separatim tractauit, agens de rebus corporalibus, & earum acquisitione. Nunc alte-
rum membrum explicat, de rebus incorporalibus. Porrò quod attinet ad hanc generalem rerum
diuisionem: memini Senecam libro octauo Epistolarum, commemorare altius quoddam repe-
1 titum, primumque genus, quod supra se nihil habeat, sed omnia in illo sint. Nam (inquit) cùm di-
cimus, quod est, (sic enim vertit τὸ ὄν) aut corporale est, aut incorporale est, omnia complectimur:
quanquam Stoici velint superponere aliud genus magis principale: nempe hoc; in rerum natura
quædam sunt, quædam non sunt. Certè Tullius in Topicis res omnes partitur in eas, quæ sunt; &
2 eas, quæ intelliguntur. Cuius diuisionis vtrunque membrum sic explicat: Esse ea dico, quæ cerni
tangive possunt: vt fundum, ædes, parietem, stillicidium, mancipium, pecudem, supellectilem, pe
num. Non esse ea, quæ tangi demonstrarive non possunt, cerni tamen animo atque intelligi pos-
sunt: vt si vsucapionem, si tutelam, si gentem, si agnationem definias, quarum rerum nullum sub-
est quasi corpus, sed quędam conformatio insignita & impressa in intelligentia, quam Notionem
vocant. ¶ *Quædam incorporales.*] Quædam etiam sunt, quas nescias corporales dicas, an incorpo-
rales, vt vox: de qua perpetuam quæstionem agitatam esse inter philosophos, scribit Gellius lib.
quinto, capite decimoquinto. ¶ *Quæ tangi possunt.*] Gellius definit corpus esse, quod aut efficiens
3 est, aut patiens: & addit versiculum Lucretij; *Tangere enim aut tangi, nisi corpus, nulla potest res.* Apud
Plutarchum, vbi quæritur, an vox sit corpus, Stoici inquiunt, πᾶν τὸ δρώμενον, ἢ καὶ ποιοῦν, σῶμα. Et rur-
sus, πᾶν τὸ κινοῦν καὶ ἐνοχλοῦν, σῶμά ἐστιν. Iterum, πᾶν τὸ κινούμενον, σῶμά ἐστι. Sed & Hieronymus in epistola
quadam ad Pammachium de erroribus Ioannis Episcopi Hierosolymitani, Alia (inquit) carnis,
4 alia corporis definitio est: omnis caro est corpus, non omne corpus est caro. Caro est propriè, quæ
5 sanguine, venis, ossibus, neruisque constringitur. Corpus autem, quanquam & caro dicatur, ta-
men interdum æthereum, vel aëreum nominatur, quod tactui visuique non subiacet: & plerunq;
visibile est, atq; tangibile. ¶ *Quæ tangi non possunt.*] Ideoque nec propriè tradi [b], nec prehendi, pos- b L. 3. D pro soc.
sideri, aut vsucapi [c], nec item vindicari [d]: postremò nec vllo loco concludi. Vnde cùm quis legasset c L. seruus qui bona
omnia bona sua vbicunque sita: consultus respondi, Non comprehendi nomina & similia iura, fide. §. 1. de acqui. rer.
quæ intelligi possunt aliquo loco sita. Qua etiam ratione, generali exceptione omnium rerũ quæ dom. l. 3 de acqu poss.
in domo essent, respondit Paulus [e], non comprehendi nomina debitorum. Cæterùm vbi nulla si- d L. vindicatio. de rei
tus aut loci fieret mentio, constat rei appellatione contineri nomina, & reliqua iura [f]. ¶ *Sicut hæ-* vindic.
reditas.] Hæreditatis appellationem iuris esse nomen, sicuti & bonorum possessionem, scribit Pom e L. Caius Seius. De legat. 2.
6 ponius [g]. Interdum tamen veteres appellarũt hæreditatem, res ipsas hæreditarias: vt Cicero in To- f L. rei appellatione. de verb signif.
picis, qui definit hæreditatem esse pecuniam, quæ morte alicuius ad aliquem peruenit. ¶ *Quod in* g L. hæreditatis ap-
hæreditate res corporales.] Obserua, res hæreditarias esse in hæreditate; sed non esse ipsam hæredita- pellatio. D. eodem.
7 tem. Vnde qui hæreditatem vendidit, non præstat euictionem rei alicuius hæreditariæ. Non enim h L. 2. de hæred. vel
vendidit res hæreditarias, sed qualecunq; ius habebat. Scio Senecam lib. sexto de Beneficijs ride- act. vend.
re Iurisconsultorum acutas (vt vocat) ineptias, qui hæreditatem negant vsucapi posse, sed ea, quæ
in hæreditate sunt: quasi quicquam aliud sit hæreditas, quàm ea, quę in hæreditate sunt. Verùm nõ
satis intelligit ius hæreditatis verè diuersum esse à corporibus rerum hæreditariarũ: quod vel eo
8 ex eo satis possumus intelligere, quòd respondeit Papinianus [i]; hæreditatem, etiam sine vllo cor- i L. hæreditas etiam.
pore, iuris intellectum habere. ¶ *Plerunque corporale est.*] Interdum autem etiam est incorporale, vt de petit. hæred.
debita seruitus. ¶ *Eodem numero.*] Nempe rerum incorporalium. Scio Paulum quodam loco [k] vi- k L. sed fi ante vil. de excep.
deri seruitutes appellare corpora: sed eam κατάχρησιν excusat necessitas sermonis coniuncti. ¶ *Iura*
prædiorum.] Non quidem omnia, sed (vt subijcit) ea, quæ seruitutes appellantur. Sunt autem & alia
9 prædiorum iura, quæ sunt potius eorum qualitates, veluti bonitas, salubritas, amplitudo, vt scribit
Celsus [l]. ¶ *Seruitutes appellantur.*] Genere ipso ad suam speciem contracto. Cæterùm simplex & l L. quid aliud De verb. sign.
generalis seruitutis appellatio latissimè patet.

IN TITVLVM SEQVENTEM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Seruitutes constitutæ receptaq; sunt vsu exigente.*
2 *Ex minutis sæpe dissensionum causis, grauissimi in Repub. tumultus oriuntur.*
3 *Risu inepto nihil est ineptius.*
4 *Seruitutis appellatio latè patet.*
5 *Seruitutes quædam actionis, quædam passionis.*
6 *Seruitutes aliæ personarum, aliæ rerum.*

1 *ERant quidē initio, suntq; natura omnia prædia ædificiaq; libera [m]. Sed cũ vsu exigente* m L. altius C. de seru. & aqua. l. cum eo. de seruit. vrb. præd.
sint postea passim Seruitutes cõstitutæ receptaq;: cùm etiã libertas illa naturalis potuis-
set magnas inter vicinos turbas ciere, inprimis curandũ fuit, vt seruitutum iura rectè
constituta manerent, exercerenturq; citra iniuriam alterius: Alioqui (quæ est homi-
num morosa & irritabilis curiositas) futurum esset, vt ex hisce quantumuis minutis
2 *dissensionum causis grauiss. mi in Republica tumultus oriantur. Iustinianus hoc titulo summa tan-*
tùm capita veluti obiter perstringit: sed fidelis & curiosus interpres, si singula rimetur, multa eruet.
Quod nos facere studebimus cum veteribus Iurisconsultis, qui accuratè totam hanc rem pertracta-

 runt. Neque

runt. Neque nos mouere debent ineptæ quorundam sannæ, Iurisconsultos de stillicidijs, & eiusmodi
rebus (vt putant) ludicris solicitos, irridentium. Certè verissimum est, quod ait Catullus, Risu in-
epto nihil esse ineptius. *Leuis fortassis res est, stillicidium: sed graues admodum, qui propter id in* 3
Republica moueri possunt, tumultus. Fabius quidem Oratorem circa stillicidia affici turpe esse in-
dicat, nō minus quàm in mancipij redhibitione sudare: sed Iuris interpreti indecorum esse non putat,
eas minutias magno etiam sudore, & affectu semel pertractare. Certè non erubuit Plato de ijs nugis
seriò agere in suis Legibus: Nec puduit Solonem de hisce ludicris seriò leges ferre: Nec grauati sunt
olim Romani inter suarum duodecim Tabularum angustias, multa de hisce leuiusculis rebus graui-
ter inserere, quæ intelligebant maximè pertinere ad publicam tranquillitatem. Itaq; & Tullius eos
laudat, qui tanta diligentia prudentiaque præditi fuerunt: vt omnia omnium, etiam tenuissimarum
rerum, iura persecuti sint. Sed vt agamus quod instat, Primùm hîc admonendi sumus, Seruitutis ap 4
pellationem latè patere. Nam, vt omittam seruorum conditionem, est aliud genus seruitutis, quæ 5
modò actionis, modò passionis sensu accipitur: Prioris exemplum est, Cùm alicui testamento libertas
relinquitur, ea lege, vt stato tempore lucernam accendat monumento, & solennia mortis peragat, vel
vt templum custodiat. Quanquam hæc conditio legato ascripta, si à monumento meo non recedat, om-
nino reijciatur [a]*. Sic enim ius libertatis infringi non debere ait Papinianus. Altera est species ser-*
uitutis, de qua dicere paramus, quæ solùm nos astringit, vt patiamur aliquid, vel non faciamus: non
autem, vt aliquid agamus [b]*. estq; ademptio vel imminutio libertatis, quam alioqui in re sua dominus*
haberet in rem alterius. Cæterùm vbi nec vna res grauaretur, nec mihi quicquam prodesset, non erit 6
seruitus. Sunt autem, inquit Martianus [c]*, seruitutes, aut personarum, vt vsusfructus: aut rerum,*
vt seruitutes rusticorum prædiorum & vrbanorum.

a L. 70. Titio centum. §. Titio centum. De cond. & demon.
b L. quoties. §. vlt. De seruitut.
c L. 1. D. eodem.

De seruitutibus prædiorum, Tit. III.



VSTICORVM prædiorum iura sunt hæc, Iter, Actus, Via, Aquæductus. Iter, est ius eundi, ambulandi hominis, nō etiam iumentum agendi, vel vehiculum. Actus, est ius agendi vel iumentum, vel vehiculum. Itaque qui habet iter, actum non habet: qui actum habet, & iter habet: eoque vti potest etiam sine iumento. Via, est ius eundi, & agendi, & ambulandi. Nam & iter & actum via in se continet. Aquæductus est ius aquæ ducendæ per fundum alienum.

Prædiorum vrbanorum seruitutes sunt hæ, quæ ædificijs inhærēt (ideo vrbanorum prædiorum dictæ, quoniam ædificia omnia, vrbana prædia appellamus, & si in villa ædificata sint) vt vicinus onera vicini sustineat, vt in parietem eius liceat vicino tignum immittere, vt stillicidium vel flumen recipiat quis in ædes suas, vel in aream, vel in cloacam, ne altius quis tollat ædes suas, ne luminibus vicini officiat.

Inter rusticorum prædiorum seruitutes quidam computari rectè putant aquæhaustum, pecoris ad aquam adpulsum, ius pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ.

Ideo autem hæ seruitutes prædiorum appellantur, quoniam sine prædijs constitui non possunt.

Nemo enim potest seruitutem adquirere vrbani vel rustici prædij, nisi qui habet prædium.

Si quis velit vicino aliquod ius constituere, pactionibus atque stipulationibus id efficere debet.

Potest etiam testamento quis hæredem suum damnare, ne altius tollat ædes suas, ne luminibus ædium vicini officiat, vel vt patiatur eum tignum in parietem suum immittere, stillicidiúmve aduersus eum habere: vel vt patiatur eum per fundum ire, agere, aquámve ex eo ducere.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 *Rustica prædia quæ?*
2 *Seruitus eandem conditionem habet, quam prædiū.*
3 *Prædiorum iura sunt seruitutes ipsis debita.*
4 *Iter, actus, & via quid differant.*
5 *Actus vsum itineris complectitur.*
6 *Quæ sit legitima latitudo itineris, actus, & viæ.*
7 *Actus quando videatur acquisitus?*
8 *Per quam partem fundi ius sit eundi.*

9 *Electio loci, per quem eatur, quando perimat.*
10 *Sella, aut lectica, vectus, ire, non agere dicitur.*
11 *Actus quot pedes habeat.*
12 *Actus duo quadrati, efficiunt iugerum.*
13 *Qui actum habet, & plaustrum ducere, & iumenta agere potest.*
14 *Seruitus maior conseruari potest vsu minoris iuris.*
15 *Via continet iter & actum.*
16 *Aquaductus per eum locum cedi potest, per quem via alijs cessa est.*
17 *Aqua ducenda seruitus quando esse dicatur.*
18 *Seruit fundus inferior superiori, aut lege, aut natura loci, aut vetustate.*
19 *Aqua nondum apparentis ductus constitui potest.*
20 *Seruitutes prædiorum perpetuas causas habere debent.*
21 *Aqua publica quæ?*
22 *Aquam publicam sine Cæsaris literis ducere non licet.*
23 *Caduca vocatur aqua ex lacubus abundans.*
24 *Aqua ducendæ ius, quod personis datur, cum ijsdem perit.*
25 *Quorum sit exquirendus consensus in aqua concessione.*
26 *Aquam ducere ex publico flumine, an liberum sit?*
27 *Liceátne cuipiam, ex suo aquaductu alteri aquam concedere.*
28 *Aqua digitus.*
29 *Vsus aquæ quandoq; personalis tantùm.*
30 *Aqua ducenda est per fundum vicinum.*

R*Vsticorum prædiorum.*] Totus hic locus descriptus videtur ex libro primo Institutionum Vlpia-
1 ni. Initio autem admonendi sumus, rustica appellati prædia, quæ non habitationis ergò, sed
vel pecorum, vel fructuum seruandorum, vel alterius eiusmodi vsus gratia, parata sunt: sic vt iudi-
care liceat ex ipso vsu, sintne rustica, an vrbana prædia. Vnde area, si impluuij loco habeatur, vrba-
num erit prædium: sin autem, vel gallinis concludendis, vel terendo frumento, iudicabitur rusti-
cum. Et horti qui non tam amœnitatis, quàm reditus & fructus causa habentur: magis ascriben-
tur rusticis [a] prædijs. Stabula à continentibus ædificijs separata, haberi inter vrbana respondit Ne- *a L. vrb. præd. §. vl. de verb. signif.*
ratius [b]. sed tantùm quod attinet ad causam tacitæ hypothecæ. Nam si agatur de seruitutibus, ma-
gis erunt rustica. Vt autem dijudicemus, sitne seruitus rustica, vel vrbana, inspiciendum est præ- *b L. eo iure §. stabula. D. in quib. cau. pig. tac. contrah.*
2 dium, cui ea debetur. Nam eiusdem conditionis erit & seruitus. quanquam, quod ad seruitutes
attinet, parum intersit, sitne rusticum, vel vrbanum prædium.
¶ *Iura sunt hæc.*] Potissima & frequentiora. Sunt tamen & alia quædam, vti etiam postea Iu-
3 stinianus ostendit. & Neratius [c]. Iura autem prædiorum cùm dicimus, significamus seruitutes præ- *c L. 2. de serui. rusti. præd.*
dijs debitas, & omnibus, singulisque adeò partibus prædiorum [d]. vt si quod prædium, cui iter de- *d L. via constitui. §. quacunq. de ser. rust.*
betur, in plures dominos distrahatur, singuli habeant ius eundi agendi. Sed & si cùm vnum ex
tuis prædijs emerem, ei prædio, quod retinebas seruitus imposita sit, vt ei, quod emebam debere-
tur: quamuis stipulatio, qua pœna promissa est, ad meam personam referatur, veluti, si pœnam sti-
pulatus fuero, si me ire agere prohibeas: nihilominus manebit seruitus realis, prædioque debita, vt
etiam distractum prædium sequatur [e]. *e L. cum fundo. de ser. rustic.*
4 ¶ *Iter, actus, via.*] Horum verborum significationem & discrimina Iustinianus subijcit. Illud
verò adijciendum est, quod respondit Vlpianus [f], Si quis iter petierit, deinde actum petat: aliud *f L. si nunc. §. si quis iter. de excep. rei iu.*
tunc petitum, aliud nunc: atque ideò exceptionem rei iudicatæ cessare. Idem è diuerso si quis prius
actum petierit, nihilominus poterit postea petere seruitutem itineris, quæ reuera separata est, &
diuersa ab actu. Sed si tantùm ageretur de illa commoditate & facultate eundi, quæ continetur in
actu, non videretur res diuersa: imò verò eodem iudicio perempta. Qua etiam ratione respondit
Paulus [g], Eum, qui actum stipulatur, deinde iter: posteriori stipulatione nihil agere: nempe, quia *g L. qui vsumfr. de ver. obli.*
5 stipulatur vsum itineris, quem omnino complectitur actus. Cæterùm si stipularetur ius, aut serui-
tutem itineris, aliud esset dicendum. Illud porrò semel in vniuersum admonendi sumus, legiti-
6 mam latitudinem itineris fuisse duorum pedum. Actum quatuor pedes habuisse: Viam, octo in
porrectum, sedecim in anfractum [h]. Quòd si angustioris loci demonstratio, certaque præfinitio *h L. viæ latitudo. de ser. rust. præd.*
fieret, interpretabimur id esse, cui potest ea conuenire [i]. Sic enim respondit Pomponius [k]: Si tam *i L. via constitui. de ser. rust. præd.*
angusti loci (demonstratione facta) via concessa fuerit, vt neque vehiculum, neque iumentum ea
inire possit: iter magis, quàm via, aut actus acquisitus videbitur. Sed si iumentum per eam duci *k L. si tam angusti. de seruit.*
7 poterit, non etiam vehiculum: actus videbitur acquisitus. ¶ *Iter est ius.*] Quod principaliter con-
stitutum sit, & debeatur. Vt hinc excludamus iter, quod tantùm debetur in consequentiam al-
terius principalis legati: quo aliter non liceret frui. Neque enim propriè ea seruitus itineris erit [l]. *l L. 2. §. rectè. D. si ser. vind.*
8 ¶ *Eundi ambulandi.*] Sed qua parte fundi? Certè scribit Celsus [m], Eum, cui seruitus in infinito *m L. si cui. de serui.*
relicta est, posse per quamlibet fundi partem ire, modò (inquit) ciuiliter. Nam quædam in sermo-
ne tacitè excipiuntur. Non enim per villam ipsam, nec per medias vineas ire sinendus est, quum
id æquè commodè per alteram partem facere possit, & minore seruientis fundi detrimento. Hæc
fuit æquissima Celsi sententia, qua compesceret ingratitudinem insolentium hominum, gratui-
tamque nocendi libidinem. Nam his malitijs indulgendum non esse, grauiter idem Celsus alibi *n L. in fundo. §. consumnus. de rei vin li.*
admonuit [n]. Licet ergo totus aliquis fundus seruiat, atque adeò omnes eius glebæ [o]: tamen non *o L. certo. §. si totus. de ser. rust. præd.*
sunt odiosè terenda loca, quæ fortassis ædificijs, arboribus, aut vineis occupata [p] sunt. Addit de-
inde Celsus; electionem loci, per quem eatur, perimi, statim atque aliquis locum delegerit, *p L. sed quæ. de serui. rust. præd.*
9 per quem iuit. Quòd si seruitus simpliciter, nec in infinito, per fundum legaretur: Respon-
dit Paulus [a], facultatem esse hæredi, per quam partem fundi velit constituere seruitutem, si mo- *a L. si via. de seruit. rust. præd.*
dò nulla captio legatario in seruitute sit. Sanè tamen si hic debitor seruitutis, sine vlla deter-

minatione patiatur eum, cui constituenda est seruitus, liberè fundum ingredi, & pro arbitrio vti
iure seruitutis: cùm eo facto satis constituta videatur seruitus: integrum non erit posteà debitori,
præstituere aut definite locum, sed creditoris erit electio [a].
¶ *Hominis.*] Nempe eius prædij domini, cui seruitus debetur. Neque enim hic alium homi-
nem admittemus: ne vicarium quidem, aut comitem. Nam nec locare seruitutem quisquam po-
test, inquit Vlpianus [b]. ¶ *Non etiam iumentum.*] Nisi quo vehitur ipse. Potest enim quis eques ire,
vt ait Modestinus [c]. Sed & Paulus [d], Qui sella (inquit) aut lectica vehitur: ire, non agere dicitur. 10
Iumentum verò ducere non potest, qui iter tantùm habet. ¶ *Actus.*] Actum hic vocamus, qui 11
habet in porrectum pedes quatuor, in anfractum octo. Fuit autem olim & alius quidam actus
quadratus, qui quatuor habebat lineas æquales, æquè inuicem distantes, quarũ quælibet ex quo-
que latere constabat pedibus centum & viginti. Sic vt duo actus quadrati efficerent iugerum. 12
¶ *Ius agendi vel iumentum, vel vehiculum.*] Sic quidem Vlpianus [e]. Nec diuersum est, quod Paulus
ait [f], Eum qui actum habet, & plaustrum ducere, & iumenta agere posse. quodque Modestinus re- 13
spondit [g], Actum esse, vbi & armenta trahere, & vehiculum ducere liceat. ¶ *Et iter habet.*] Hoc
est, itineris vsum & commoditatẽ, quæ non potest non inesse actui. Vnde si quis stipulatus actum,
deinde stipuletur eiusmodi iter, nihil agit [h]. Cæterùm si intelligas iter, pro iure, & propria seruitu-
te itineris, nihil id cõmune habebit cum actu. Sed poterit aliquis habere iter sine actu, vel actũ sine
itinere [i]. Quod discrimen suprà etiam annotauimus: & iuxta hanc distinctionem accipi quoq; de-
bet illud Pauli responsum [k]: Qui actu legato iter adimit, nihil adimit: quia nunquã actus sine itine
re esse potest. ¶ *Etiam sine iumento.*] Ergo seruitus maior poterit rota conseruari vsu minoris iuris. 14
Quod etiam Paulus disertè tradidit his verbis [l]: Qui iter & actum habet, si statuto tempore tan-
tùm ierit, non perijsse actum, sed manere, Sabinus, Cassius, & Octauenus aiunt: Nam & ire quo-
que per se eum posse, qui actum haberet. ¶ *Nam & iter & actum.*] Idque etiam ipsa vi & proprie- 15
tate ipsius verbi, cùm actus iter non contineat, nisi ex verisimili mente paciscentium. Adde, viam
re ipsa continere etiam amplius aliquid, nempe ius trahendi lapidem aut tignum, rectamque ha-
stam ferendi: si modò non lædantur fructus [m]. Sed hoc amplius ius non admodum magni mo-
menti est, & plerunque nulla eius habetur ratio. Vnde si mihi stipulanti viam, promittas iter
& actum, valebit stipulatio: tanquam duobus verbis complexus sis, quod ego vnico. Et cui debe-
tur via, si acceptum iter & actum tulerit, videbitur accepto tulisse viam, & debitorem prorsus li-
berasse [n]. ¶ *Aquæductus.*] Hæc seruitus cum superioribus nihil habet commune. Vnde per quem 16
locum viam alij cessero, per eundem alij aquæductum cedere potero, vel è diuerso: nempe si prio-
ris seruitutis per posteriorem nullo modo vsus impediatur. Nam tum certè non licere Pompo-
nius rectè tradidit [o]. Sed & si ipse aquæductus sufficiens sit, poterit etiam pluribus per eundem
locum concedi, vt ijsdem diebus vel horis ducatur, quemadmodum respondit Neratius [p]. Porrò 17
est & alia quædam seruitus aquæ educendæ, & in alienum fundum immittendæ [a]. ¶ *Ius aquæ du-
cendæ.*] Sed quid si sola natura loci decliuis, aqua ex meo in tuum fundum vltrò delabatur? Certè
si constat nullo loco constitutæ seruitutis iure me obligari, potero in meos vsus eam aquam diuer-
tere, nec semper pati cogar, vt in tuum agrum defluat. Nam & Pomponius respondit [b], Si in meo
fundo aqua erumpat, quæ ex tuo fundo venas habeat: si eas venas incideris, & ob id desierit ad me
aqua peruenire, te nõ videri vim fecisse, si nulla seruitus mihi eo nomine debita fuerit, nec te tene-
ri damni infecti, Trebatius ait [c]. Cæterùm si quo iure aut nominatim constituto, aut longa vetu-
state vsurpato niteretur defluxus aquæ, nihil contra eum fieri posse cõstat, quemadmodum rescri-
pserunt Diocletianus & Maximianus [d]. Paulus [e] ait tria esse, per quæ inferior locus superiori seruit,
legem, naturam loci, vetustatem. Primum & tertium propriè huc pertinet, hoc est, ad ius seruitu- 19
tum. Nam legem vocat conuentionẽ, qua inter contrahentes dicta est lex constituendæ seruitutis.
vetustatẽ vocat, cùm vsucapione, siue longi temporis vsu, acquisita est seruitus. ¶ *Aquæ.*] Etiam quæ
nondũ emersit, nam etsi nõdum apparuerit, eius ductum constitui posse contra Labeonẽ respõdit
Paulus [f], nempe vt liceat aquã quærere, & inuentã ducere. Sed profectò cũ Labeo negauit nõ posse
cõstitui aquæductum, si aqua nõdum apparuerit, nõ videtur negasse, quod Paulus ait. Nam idem
Labeo alio loco fatetur [g], talem seruitutem constitui posse, vt aquam quærere, & inuentam duce-
re liceat. ¶ *Ducendæ.*] Ex fonte aut flumine perenni. Cæterùm ex lacu, qui perpetuus non est, aut
stagno, concedi aquęductus non potest, inquit Paulus [h]: quòd seruitutes prædiorum perpetuas 20
causas habere debeãt. Porrò autem quod attinet ad flumen publicũ, Pomponius respondit [i], nihil
impedire, quo minus ex eo ducatur aqua, nisi Imperator aut Senatus vetet: si modò ea aqua in vsu
publico non erit. Sed & si aut nauigabile est, aut ex eo aliud nauigabile fit: non permitti id facere.
Notandum est autem quod dicitur, de aqua, quæ sit in vsu publico. Ea erat, quæ in publicos vsus 21
in Vrbem Romam magnis sumptibus ducebatur, quæ à priuato in suos vsus deriuari duciq; non
poterat, nisi impetrata esset, Sic enim Vlpianus [k] ait, permitti quidem aquam ex castello, vel ex ri-
uo, vel ex quo alio publico loco ducere. sed id à Principe concedi, nullique alij competere ius a-
quæ dandæ. Ac commemoratur sanè vetus Senatusconsultum hac de re, Ne quis sine Cæsaris lite- 22
ris aquam publicam, & ne amplius, quàm impetrata fuerat, deduceret. Quin etiam Neruam edi-
xisse ferunt, Caducam neminem volo ducere, nisi qui meo beneficio aut priorum principum ha-
bent. aquam caducam vocabant ex lacubus abundantem. Porrò qui aquam à principe impetra- 23
rat, debebat epistolam adferre ad curatores aquarum, deinde ad Cæsaris procuratorem. qui cali-
cem eius moduli, qui fuerat impetratus, adhibitis libratoribus signabat, ad lineamque aliorum
colloca-

a L. vlt. de aqua quot. & æst.
b L. locare seruitutẽ. D. locat.
c L. inter actum. de seru. rustic. præd.
d L. qui sella. de seru. rustic. prædio.
e L. 1. §. actus. de ser. rustic. præd.
f L. qui sella. D. illo tit.
g L. inter actum. D. illo tit.
h L. qui vsumfr. de verb. oblig.
i L. loci. §. 1. D. si seru. vind.
k L. 1. de adi. lega.
l L. 2. D. quemad. ser. amittan.
m L. qui sella. de ser. rustic. præd.
n L. & per iusiurandum §. 1. an si. de acceptilat.
o L. per quem locum. de serui. rust. præd.
p L. 2. §. vlt. de seru. rust. præd.
a L. qui duo. de seru. rust.
b L. si in meo. de aqua plu. arc.
c L. fluminum. § vlt. de damno. infec.
d L. si manifestè. C. de seru. & aqua.
e L. 2. de aqu. plu. arc.
f L. vlt. D. si ser. vin.
g L. Labeo ait. de ser. rusti. præd.
h L. foramen. de ser. vrb. præd.
i L. 2. de fluminib.
k L. 1. § permittitur. de aqua quotid.

collocabat, deinde animaduertebat, ne alij castello, quã epistola principis iuberetur, fistula subijceretur. Vlpianus scribit castellum vocari receptaculum, quod publicam aquam suscipiebat. Por-
24 rò ius aquæ ducendæ, quod personis dabatur, cum ijsdem extinguebatur, vt idem Vlpianus ait.
quanquam admoneat id rursus à successore impetrari potuisse.

¶ *Per fundum alienum.*] Hic latet vis seruituris, cùm alioqui per fundum alienum aqua duci
25 non posit [a]. Imò si ducatur, interscindi posit à domino [b]. Et in concedendo quidem iure aquæ
ducendæ, inquit Vlpianus [c], non tantùm eorum, quorum in loco aqua oritur, verùm etiam eorum, ad quos eius aquæ vsus pertinet, voluntas exquiritur, id est eorum, quibus seruitus aquæ debebatur, nec immerito. Cùm enim minuatur ius eorum, consequens fuit exquiri, an consentiant.
Et generaliter, siue in corpore, siue in iure loci, vbi aqua oritur, vel in ipsa aqua habeat quis ius, voluntatem eius esse spectandam placet. Deinde subijcit Paulus: In diem addicto prædio, & emptoris voluntas, & venditoris exquirenda est: vt siue manserit penes emptorem, siue recesserit, certum sit voluntate domini factam aquæ cessionem. Porrò autem si per alienum locum ducere nolis, li-
26 berum est tibi ex publico flumine aquam ducere, si modò nec vicinis obsis, nec vsui publico [d]. Si
lubeat conferre Platonicam legem de iure aquæductus, ea extat libro eius octauo de legibus. Sed priusquam hanc seruitutis speciem missam faciamus, admonendi sumus, aquam, quæ per fundum alienum ducitur seruitutis iure, duci debere vnius alicuius certi prędij gratia. Omnino enim
27 debet hic aquæductus esse fundi, vt non quocunque duci posit [e], sed vni prædio seruiat, & qua-
tenus ei opus est [f]. adeò vt ex meo aquæductu non posim alteri aquam concedere [g], nisi & hoc
28 nominatim cõuenerit [h]. Certè cùm Titius dedisset Seio aquæ digitum, ad eius domum, vel alium
quemlibet vsum (sic enim proponebatur dictum esse, δίδωμι καὶ χαρίζομαί σοι δάκτυλον εἰς τὴν οἰκίαν ἐν Ἰσθμῷ, ἢ ὅπου δ' ἂν βούλῃ. [do concedoque tibi gratuito digitum, siue ad domum quam in Isthmo te-
29 nes, siue quocunque tandem volueris.] Respondit Paulus [i]; Eum tantum constituisse vsum aquæ
personalem: non autem seruitutem aquæductus: nempe quia aquæ vsus illius arbitrio erat relictus, nec certo alicui prædio adscriptus. Postremò nec illud prætereundum est, aquam duci debere
30 per fundum alienum vicinum. Nam si quis alius medius sit fundus, qui non seruiret, hæc seruitus
constitui non posset [k].

a L. 2. C. de ser. & aqua.
b L. quemadmodum, §. 1. D. ad leg. Aquil.
c L. in concedendo, de aqua plu. arc.
d L. 2. de fluminib. l. Imperatores. de seru. rust præd. l. si autem. §. si flumen. de aqua plu. arc.
e L. 1. §. praterea Labeo. & de aqua quotid. & æstiua.
f L. ergo. in fi. de ser. rustic. prædio.
g L. ex meo. D. illo ti.
h L. cùm essent. §. per plurium. D. illo tit.
i L. pen. D. illo titulo.
k L. tria. §. & quemadmodum. de ser. rustic.

§. Prædiorum vrbanorum.

1 Quæ ædificia dicantur prædia rustica.
2 Vrbanum prædium non locus facit, sed materia & vsus.
3 Hortus quando inter vrbana prædia referatur.
4 Aedes rusticæ non minus quàm vrbanæ diruuntur.
5 Seruitus oneris ferendi qualis?
6 Tigni immittendi seruitus alia, quàm oneris ferendi.
7 In parietem communem tigna immittere licet.
8 Immissum propriè quid dicatur.
9 Stillicidium quid?
10 Flumen hic intelligitur aqua ex cœlo cadentis.
11 Aquæ auersionem non seruiens locus recipere non cogitur.
12 Seruitus stillicidij non auertendi.
13 Seruitus ædes altius tollendi vel non tollendi.
14 Vicinitatem ædium metimur, cùm ipsum vsum potissimum spectamus.
15 Seruitus non officiendi lumini.
16 Prospectus non officiendi seruitus.
17 Lumen & prospectus differunt.

¶ *Aedificia omnia.*] Quæ habitationis hominum causa facta sunt. Cæterùm si vel stabulandis
1 iumentis, aut fructibus custodiendis constructa sint, rustica dicentur prædia, nisi fortè agatur de
iure tacitæ hypothecæ [l]. Vlpianus scribens [m] vrbana prædia accipi omnia ædificia, nominatim
etiam complectitur stabula: sed ea tantùm, quæ meritoria sunt, recipiendis hominibus apta, vel
prætoria, voluptati tantùm deseruientia. Addit autem nihil interesse in oppidis, an in vicis aut
2 villis ædificia sint: quia vrbanum prædium non locus faciat, sed materia. Addere possumus, nec
semper materiam spectari, sed vsum potius: quia & horti, licet nihil habeant ædificiorum, si tan-
3 tùm amœnitatis causa habentur, vrbanorum prædiorum iure censentur. Sed si in reditu sint, vi-
nearij fortè, vel etiam olitorij, magis erunt rustica [n]. Hucque etiam pertinet, quod responsum est [o].
Cùm quis domum posideret, hortumque vicinum comparasset, deinde domum legauit: hortum quoque legato cedere. si eum domus causa cõparauit, vt eam salubriorem haberet. Talis ergo
4 hortus inter vrbana prædia refertur, sicuti domus ipsa. Porrò ædes rusticas non minus quàm vrba-
nas alibi in Pandectis legimus, cùm responsum est, ad opus publicum posse eximi columnam, vel eiusmodi aliquam partem, non modò rusticis ædibus, quæ nempe ruti sunt, & quarum ruinę non deformarent publicum ciuitatum aspectum, sed & vrbanis [p]. ¶ *Onera vicini sustineat.*] Idque
suis sumptibus & fulturis. Quamuis enim seruitutum non ea soleat esse natura, vt aliquid faciat
5 quis, sed tantum vt patiatur, aut non faciat [a]: tamen excipitur hæc vna seruitus oneris ferendi:
cuius singularis exceptionis causam diligenter & perspicuè explicat Paulus his verbis [b]: Eum debere columnam restituere, quæ onus vicinarum ædium ferebat, cuius essent ædes, quæ seruirent: non eum, qui imponere vellet. Nam cùm in lege ædium ita scriptum esset: Paries oneri ferundo, vti nunc est, ita sit: satis apertè significari, in perpetuum parietem esse debere. Non enim his verbis, IN PERPETVVM, hoc dicitur, vt idem paries æternus esset: (quod ne fieri
quidem

l L. eo iure. §. stabulo D. in quib. cau. pign. taci.
m L. vrbana prædia. de verb. signif.
n dic. l. vrbana prædia. §. vlt. de ver. sig.
o L. prædijs. §. qui domum. de lega. 3.
p L. cætera. §. sed & si quis ad opus. de lega. 1.
a L. quoties nec bonum. §. vlt. de seru.
b L. eum debere. de ser. vrb. præd.

quidem posset) sed vt eiusmodi paries in perpetuum esset, qui onus sustineret quemadmodum si
quis alicui cauisset, vt seruitutem præberet, quæ suum onus sustineret: si ea res, quæ seruiret vt tuum
onus ferret, perijsset, alia in locum eius dari debeat. Rectè ergo Vlpianus[a] tradidit distare seruitu- 6
tem oneris ferendi, & tigni immittendi: quòd illa quidem locum habeat etiam ad compellendum vicinum reficere parietem: hæc verò locum habet ad hoc solum, vt tigna suscipiat: quod (inquit) non est contra genera seruitutum. Cæterùm vt refectio parietis ad vicinum pertinet: ita fultura ædificiorum vicini, cui deberet seruitus, quandiu paries reficitur, ad inferior. m vicinum non
debet pertinere[b]. ¶ *Vt in parietem eius.*] In communem verò siue intergerinum parietem, (Galli 7
appellant *Mur moitoyen*) liberè licet quandocunque tigna immittere. Sic enim Papinianus respondit[c]: Mela scribit; Si vicini semipedes inter se contulerint, vt ibi craticium parietem inter se ædificarent, ad onera vtriusque sustinenda: deinde ædificato pariete, alter in eum immitti non patiatur: pro socio agendum. ¶ *Liceat.*] Aliter enim nullo modo licet. Imò domino ædium liceret intercidere immissum tignum. quanquam aliud sit de proiecto[d], quod scilicet ita prouectum est, vt nusquam conquiescat[e], sed pendulum maneat. Cuius generis erant Mæniana & Suggrundia:
quanquam impropriè Paulus mœnianum immissum dicat[f]. ¶ *Tignum immittere.*] Propriè im- 8
missum dicimus quod in alieno requiescit[g]: nempe ex vno ædificio in aliud, inquit Pomponius[h].
¶ *Vt stillicidium.*] Stillicidium appellamus, per quod aqua pluuia ex tegulis defluit & casitat: 9
de quo extat elegans Pauli responsum[i]. Victruuius libro secundo Architect. Fastigia (inquit) facientes, luto inducto, proclinatis tectis stillicidia deducebant. ¶ *Vel flumen.*] Theophilus vertit
ἀγωγὸν, hoc est, canalem: nempe eum, qui ex inferiori loco fluit. Hoc enim solo nomine differt à stil-
licidio. vt docet Paulus[k], Flumen autem hic intelligere debemus aquæ ex cœlo cadentis, vt habeat 10
naturalem & perpetuã causam seruitus. Cæterùm foramen in imo pariete conclauis vel triclinij, quod esset proluendi pauimenti causa, non esse flumen, nec vllius seruitutis nomen, respondit
idem Paulus[l]. ¶ *Recipiat.*] Auersum à prædio, cui seruitus debetur. Cuiusmodi aquæ auersionem 11
non cogeretur recipere locus, qui non seruiret. Vnde Cicero in Topicis, ex Scæuola tradit, eousque tantum ius esse tecti proijciendi, ex quo in tectum eius, qui ædes porrexisset, aqua deflueret. Porrò posset etiam constitui seruitus stillicidij, vel fluminis non auertendi, qua quis præstare te-
neatur, vt ex eius tecto vel solo aqua pluuia in nostrum prædium fluat. potest enim id alicui esse v- 12
tile ad hortos irrigandos. Itaque hoc casu reciperet stillicidium, vel flumen is fundus, cui seruitus deberetur. ¶ *In ædes suas, vel in aream*] Si in ædes, licebit suprà ædificare: dum tamen stillicidium rectè recipiatur. Si verò in aream: non licebit nisi vsque ad eum locum, vnde stillicidium cadit.
¶ *Ne altius quis tollat.*] Quod sanè alioqui naturaliter licet[m], vel in infinitum vsque: quia liberum sit cœlum[n]. Et quamuis fortasis alteri seruiant ædes meæ, si tamen tibi non seruiant, non poteris impedire me altius tollere[o]. Sed & constitui seruitus potest, vt tu cogaris ædes tuas altius tol-
lere. Potest enim alicui multis nominibus esse vtile, si non possit vicinus demissas ædes habere. 13
Quinimo etiam aliquando facultatem altius tollendi vel non tollendi, iure seruitutis niti indicat alio loco Iustinianus[p]. Vt puta si mihi seruiant ædes vicinæ, vt quisquis eas inhabitarit, non prohibeat me meas altius tollere. Finge me primùm debuisse seruitutem altius non tollendi, vicino: eumque suis postea ædibus imposuisse seruitutem, vt nihilominus patiantur me meas ædes altius tollere. Hæc (inquam) mea potestas altius tollendi nititur quodam iure constitutæ seruitutis: sic vt cum ipsa seruitute amitteretur. At si mihi simpliciter vicinus remisisset primam illam, quam debebam, altius non tollendi seruitutem: redirem ad naturalem altius tollendi, vel nõ tollendi libertatem: quę sanè nullo mihi tempore posset eripi, nec alia ratione, quàm si rursus subijcerem me
nouæ seruituti, altius non tollendi. ¶ *Aedes suas.*] Quæ in conspectu[a] sint, & altius sublatæ office- 14
re possent alteri[b]. Sic enim hîc solemus vicinitatem metiri. cùm ipsum vsum potissimum spectamus. Vnde Vlpianus[c], Hæc (inquit) seruitus & ei, qui vlteriores ædes habet, debere poterit. Deinde Paulus[d] subijcit: Et ideo si inter meas & Titij ædes, tuæ intercedant: possum Titij ædibus seruitutem imponere, ne liceat ei altius tollere: licet tuis non imponatur. quia donec tu non extollis, est vtilis seruitus. His aptè Vlpianus[e] addit: Et si fortè, qui medius est, quia seruitutem non debebat, altius extulerit ædificia sua, vt iam ego non videar luminibus tuis obstaturus, si ædificauero: frustra intendes, Ius mihi non esse, ita ædificatum habere inuito te. Sed si intra tempus statutum rursus deposuerit ædificium suum vicinus: tenascetur tibi vindicatio. Sic ergo accipiendum erit, quod idẽ Vlpianus alio loco a t[f], Parui referre vicinæ sint ambæ ædes, an non: quodq; etiam Paulus alibi tradidit[g], Interpositis quoque alienis ædibus seruitutem imponi posse. Quòd autem addit medijs quoque ædibus seruitutem imponi debere: id solum pertinet ad seruitutem itineris, quæ alioqui non potest conualescere, nec vsum suum explicare. ¶ *Ne luminibus vicini officiat.*]
Theophilus hîc nõ constituit nouam seruitutis speciem: sed superiori appendit, & coniungit hæc
verba, quasi reddant rationem & explicent vsum seruitutis altius non tollendi. Constat tamen 15
nostros Iurisconsultos hæc secernere, tanquam diuersas species seruitutum, etiam si fortasis re ipsa non admodum differant. Cùm enim (inquit Paulus[h]) seruitus imponitur ne luminibus officiatur, hoc maximè adepti videmur, ne ius sit vicino inuitis nobis altius ædificare, atque ita minuere lumina nostrorum ædificiorum. Porrò autem licere vicini luminibus officere, si non ei seruiamus, constat. Et Vlpianus respondit[i], Cum eo, qui tollendo obscurat vicini ædes, quibus non seruiat: nullam competere actionem. Ne quis tamen hac libertate insolentius abutatur, aut licentius efferatur, admonuit Vlpianus[k] custodiri debere formam ac statum antiquorum ædificiorum.

¶ *Ne lumini-*

a *L. si int. §. distant. D. si serui. vindi.*
b *dict. L. si int.*
c *L. si fratres. §. item Mela. D. pro socio.*
d *L. quemadmodum. §. 1. D. ad legẽ Aquil.*
e *L. malum. §. inter. de verb. signifi.*
f *L. seruitutes. de ser uit. vrba prædior.*
g *dic. l. malum. §. inter.*
h *L. hoc quod. de seruit. vrb. præd.*
i *seruitutes. §. 2. de seruit. vrba. præd.*
k *dic. l. ser. tutes. § stillicidium.*
l *L. foramen. de serui. vrba. præd.*
m *L. altius. C. de seru. & aqua.*
n *L. vlt. de seruit.*
o *L. loci. §. competit. D. si seruit. vind.*
p *§. æquè. inf. de Act.*
a *L. si ædes meæ. de ser. vrb. præd.*
b *L. nemo enim. de ser. vrb. præd.*
c *L. loci corpus. §. vlt. D. si serui. vind.*
d *L. & ideo D. illo ti.*
e *L. & si forte. D. illo tit.*
f *L. si quis binas. D. Comm. præd.*
g *L. in tradendis. §. interpositis, D. Cõmu. præd.*
h *L. 3. de serui. vrba. præd.*
i *L. cum eo. de serui. vrb præd.*
k *L. qui luminibus. de ser. vrb. præd.*

¶ *Ne luminibus.*] Hoc verbo generali humanius est (inquit Pomponius [a]) omne lumen signi- *a L. si seruitus. de ser. vrb præd.*
ficari, siue quod in præsenti, siue quod post tempus conuentionis contigerit. Sed si fuerit seruitus
imposita his verbis, Lumina, quæ nunc sunt, vt ita sint: de futuris luminibus nihil caueri videtur.
Est autem & alia quædam minor seruitus luminum, qua id solum acquisitum videtur, vt vicinus
ea lumina excipiat [b], & in ædes nostras transmitti patiatur, quæ nobis necessaria sunt ad diurni v- *b L. 3. de serui. vrba. præd.*
16 sus moderationem. Rursus est alia vtraque superiori maior seruitus, ne prospectui officiatur. quia
in prospectu (inquit Vlpianus [c]) plus quis habet, ne quid scilicet officiatur ad gratiorem prospe- *c L. inter seruitutes. de ser. vrb præd.*
17 ctum & liberum. Et interest inter lumen & prospectum. Nam prospectus etiam ex inferioribus
locis est: lumen verò ex inferiori loco esse non potest, vt scribit Paulus [d]. Sanè (inquit Iabolenus [e]) *d L. lumen. de serui. vrb. præd.*
Ædificia, quæ seruiturem patiuntur, ne quid altius tollatur, viridiaria super eam altitudinem ha-
bere possunt. At si de prospectu est, eaq; obstatura sunt, non possunt. Quid autem iudicetur de ar- *e L. ædificia. D. eodé.*
bore, tractat diligenter Vlpianus [f]. *f L. si arborem. de ser. vrb. præd.*

§. *Inter rusticorum, cum seq.*

1 *Seruitus barbara, qua rustici vna mola, vnoq; furno vti coguntur.*
2 *Aquahaustus quando sit seruitus personalis.*
3 *Athenienses omnibus ex priuato fonte haustum permiserunt.*
4 *Solonis statutum de aquahaustu ex puteo concedendo.*
5 *Seruitus ad aquam appellendi pecoris.*
6 *Cum aqueductus prædio debetur, transit etiam ius aquæ ad emptorem.*
7 *Seruitutem in alieno constituens, euictionis nomine obligatur.*
8 *Prædio planè alieno seruitus imponi non potest.*
9 *Communi fundo non potest socius acquirere seruitutem.*
10 *Seruitus per partes nec imponi potest, nec acquiri.*
11 *Conuentio seruitutis præstandæ, non omnino efficit aut constituit seruitutem.*
12 *Vsus ipsius iuris pro traditione possessionis accipitur.*
13 *Non solùm inter viuos, sed & vltima voluntate ius seruitutis dari potest.*
14 *Seruitus diuisionem aut partem non recipit.*

¶ *Quidam computari rectè putant.*] Vt Vlpianus, qui respondit [g], In prædijs rusticis computari *g L. 1. §. pen. de serui. rustic. præd.*
etiam hæc. Sed quid nunc iudicabimus de noua illa & barbara seruitutis specie, qua hodie passim
1 rustici coguntur vna mola, quam bannalem vocamus, vnoque furno vti, ad quæstum domini,
qui fortassis præest Iurisdictioni ipsius pagi? Et cùm Lex diuina tam communem & liberum esse
voluerit molendi vsum (ex quo scilicet pendeat humani victus ratio) vt nolit molas vllo pignoris
nexu teneri: nunc inaudita barbarie prohibemus, sibi aliquid domi molere vel coquere infelices
rusticos. Imò inuenimus etiam tauros & verres bannales, vt omnes vaccæ illis, omnes sues his, ne-
cessariò misceri debeant, si quis prægnantes habere velit: & alienus concubitus fortassis grauius
puniretur, quàm adulterium coniugum. En quo recidimus?

¶ *Aquahaustum.*] Qui seruiat vicino prædio, & quatenus ad eum opus [h] sit. Alioqui magis erit *h L. ergo. §. de seruit. rustic. præd.*
2 seruitus personalis [i]. Porrò autem (inquit Vlpianus [k]) qui habet haustum, iter quoque habere
videtur ad hauriendum: & si tantum ius adeundi ad fontem cõcessum sit, inerit & haustus. Quor- *i L. Mela. §. vlti. de ali. lega.*
sum enim aditus, nisi vt haurias? aut quorsum haustus, si non adeas? Atque hæc quidem de haustu *k L. 3. §. vlt. de serui. rust. præd.*
ex fonte priuato Ad flumen autem publicum, Neratius scribit iter debere cedi: haustum nõ opor-
tere: & si quis tantum haustum cesserit, nihil eum agere: quasi ridiculè videatur tantum cessisse,
quod omnibus ex Iure gentium conceditur. Sanè & ex priuato fonte haustum omnibus passim
3 eo opus habentibus patuisse apud Athenienses, legimus. Cùm enim Attica regio non abundaret
4 fontibus: & graue admodum videretur cuiquam aqua interdicere: statuit Solon, vt vbicunque
puteus esset, eo omnes communiter vterentur intra ἱππικόν, quod erat quatuor stadiorũ spatium:
Si qui verò longius abessent, primùm iubebat eos tentare, an possent fodiendo aquas sibi eruere.
si effossa decem palmarum profunditate aquam non inuenissent, permittebat à puteo proximo
haurire hydrias bis singulis diebus, quemadmodum refert Plutarchus in Solone. Nec dissimilis
lex est apud Platonem lib. eius octauo, de Legibus.

5 ¶ *Pecoris ad aquam appulsum.*] Inquit Paulus [l]: Pecoris pascendi seruitutes, Item ad aquam ap- *l L. pecorũ. de serui. rustic. præd.*
pellendi: si prædij fructus maximè in pecore consistat, prædij magis quàm personæ videntur. Si
tamen testator personam demonstrauit, cui seruitutem præstari voluit: emptori vel hæredi eius
non eadem præstabitur seruitus. ¶ *Pecoris.*] Quòd si amplior numerus pecoris ad aquam appel-
latur, quàm debeat appelli, putauit Trebatius posse vniuersum pecus impunè prohiberi. Sed Mar-
cellus contrà rectius sensit: quia pecora separari possint [m]. *Ideo autem hæ seruitutes.*] Hic locus de- *m L. 1. §. Trebatius aut. de aqua quot. & æst.*
scriptus est ex Vlpiani responso [n]. quanquam Tribonianus mutilum reciso postrémo membro hic
reddiderit. Nam apud Vlpianum post illa verba, nemo potest seruitutem acquirere, nisi qui præ- *n L. 1. D. Cõm. præd.*
dium habet, subijcitur: Nec quisquam debere, nisi qui habet prædium. ¶ *Quoniam sine prædijs.*] Iis-
que duobus: altero, quod seruiat: altero, cui debeatur seruitus. Nam & huic adeo cohæret, vt simul
6 transeat. Vnde Vlpianus [o], Si aquæductus (inquit, debeatur prædio: & ius aquæ transit ad empto- *o L. si aquæductus. de contrah. empt.*
rem, etiam si nihil dictum sit. Et cùm quæreretur de seruitute, sententiam dari prædio, non autem
eius domino, respondit Papinianus [p]. *p L. qui aliena. §. vl. de neg. gest.*

¶ Constitui

a L. hæredes. §. an ea stipulatio. D. fami. erc.
b L. seruitus. §. vlt. de seruit. vr. præd.
c L. fundum cuius. §. si per alienũ. de euict.
d L. si sub van §. 1. de verb. oblig.
e L. sed & si quid inædificaueris. §. vlt. de vsufr.
f L. Iulianus. de fundo dotu.
g L. vt pomũ. de seruit.
h dic. §. vlt.
i L. si vnus. de serui. rustic. præd.
k L. ex castrensi. §. ser uor. de castren. pecul.
l L. 1. D. si ser. vind.
m L. vt pomum. §. 1. de seruitut.
n L. ad certam. de seruitut.
o L. si quis duas. §. si quis partem. D. Cõm. præd.

¶ *Constitui non possunt.*] Vt sint, atq; subsistant. Promitti autem rectè possunt [a], vt constituan-
tur, cùm prædia fuerint. Sic Pomponius scripsit: Futuro [b] quoque ædificio, quod nondum est, vel
acquiri seruitus potest. Quòd si quis in alieno prædio seruitutem mihi constituat, euictionis no-
mine mihi obligabitur [c]. Sanè si seruitutem stipulanti promittam eo tempore, quo constituere 7
poteram, nempe habens prædium: & deinde, antequam ea constituatur, illud prædium alienaue-
rim, euanescit stipulatio promissioque [d].

¶ *Seruitutem acquirere.*] Multo minus imponere. Nam solius proprietatis prædij dominus,
qui posset ei seruitutem acquirere, nullo modo imponere [e] potest: sed nec maritus dotali prædio [f].
Tantum abest, vt planè alieno prædio seruitutem imponere quis possit. Et huc quidam referunt, 8
quod Paulus ait [g] seruitutem imponi non posse, vt in alieno vel cœnare, vel spaciari, vel pomum
decerpere possimus. ¶ *Nisi qui habet prædium.*] Hoc est, vel solidam prædij proprietatem, (quia nec
fructuarius [h], nec socius communi [i] fundo potest acquirere seruitutem) vel sanè iustam eius pos- 9
sessionem, quæ sit dominij loco. Nam & pater castrensi prædio filij sui seruitutem acquirere potest,
quamuis non possit imponere, vt docet Martianus [k]. Et quamuis sepulchra nostri dominij non
sint: viam tamen ad ea posse nos acquirere & vindicare constat [l]. Porrò autem si quis miratur non
posse ab vno ex dominis acquiri seruitutem prædio communi: meminerit stipulationem alteri
factam non valere: deinde non posse ei vni pro parte seruitutem præstari. quamuis enim per par-
tes seruitus retineatur: tamen ab initio per partes acquiri non potest [m]. Cæterùm si essent certis re-
gionibus diuisæ distinctæque partes, non obesset eiusmodi communio [n]. Hocque discrimen per-
spicuè & eleganter explicat Vlpianus his verbis [o]: Si quis partem ædium tradat, vel partem fundi,
non potest seruitutem imponere: quia per partes seruitus imponi non potest: sed nec acquiri. Pla- 10
nè si diuisit fundum regionibus, & sic partem tradidit: pro diuiso potest alterutri seruitutem im-
ponere: quia non est pars fundi, sed fundus. Quod & in ædibus potest dici, si dominus pariete
medio ædificato vnam domum in duas diuiserit: vt plerique faciunt. Nam & hîc pro duabus do-
mibus accipi debet.

p L. si partem fundi. D. quemadm. seruit. amit.
a L. Quoties via. de seru.
b L. Ratio. §. cum iter. de act. empt.

¶ *Pactionibus & stipulationibus.*] Hoc est, iustis contractibus. Et operæ precium fuerit apertè
verba cõcipere de iure seruitutis, ne quis supersit scrupulus, néve in dubio potius existimetur quæ-
dam personalis concessio. ¶ *Efficere debet.*] Conuentio seruitutis præstandæ non omnino efficit 15
aut constituit seruitutem: sed tantum personalem actionem tribuit [p], vt ea constituatur. Consti-
tuitur facto ipsius vtentis, alteriusque non impedientis patientia. Sic enim Iabolenus [a] respon-
dit; Vsum ipsius iuris pro traditione possessionis accipiendum: & reprehendit Labeonem, qui pu- 12
tauit opus esse cautione stipulationis, per te non fieri, quo minus eo iure vti possim. Sanè tamen
Labeonis sententiam videtur quodam loco probare Pomponius [b] inquiens, Si iter, actum, viam,
aquæductum per tuum fundum emero, vacuæ possessionis traditio nulla est. Itaque cauere debes,
per te non fieri, quo minus vtar. Verùm Labeonis Pomponijq; sententia tum recipi poterit, cùm
emptor stipulatus est vacuam possessionem tradi. Nam & de ea stipulatione agit Pomponius.

¶ *Potest etiam testamento.*] Docet Iustinianus; Non solùm inter viuos, sed & vltima voluntate 13
ius seruitutis posse dari. Omittit autem hîc alium acquirendæ seruitutis modum per longam pos-
sessionem diuturnumque vsum. Sed nec de amittendis seruitutibus quicquam hîc adijcit, cùm
tamen id non omittat in tractatu vsusfructus.

c L. vlt. de seru. lega.
d L. si partem fundi. §. 1. D. Quemad seru. amit.

¶ *Hæredem suum damnare.*] Et si plures damnarit: quia seruitus diuisionem aut partem non re- 14
cipit, singuli hæredes in solidum conueniuntur. quia & vno ex hæredibus adeunte vindicari po-
test, vt inquit Paulus [c]. Vindicari autem statim seruitutẽ posse manifestũ est; quia ipso iure trans-
lata intelligatur in legatarium: Adeò vt etiam ignoranti acquiratur: imo & adimatur, si per con-
stitutum tempus non vtatur: etiam si non vsus sit, quia ignorabat sibi legatam seruitutem [d].

IN TITVLVM SEQVENTEM

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Seruitus aut est rerum, aut personarum.
2 Ius vtendi fruendi separatum est à proprietate.
3 Vsufructuarij Græcè qui?

e L. 1. de seruit.
f L. vti frui. D. si vsusf. petat.
g L. si habitatio. §. sed si χρῆσις. de vsu & habi.

SCribit Martianus [e], Seruitutes esse aut rerum, vt sunt prædiorum: aut personarum, 3
vt est vsusfructus, vel vsus. De seruitutibus quæ prædijs debentur, superiori titulo
diximus. nunc videamus de ijs, quæ debentur personis. Et inprimis de vsufructu, hoc
est, iure vtendi fruendi rebus alienis, quod separatum est à proprietate [f]. Græci, atq; 2
adeo Iustinianus passim in suis Nouellis appellat χρῆσιν καὶ ἐπικαρπίαν, quemadmodum
& noster Modestinus dixit χρῆσθαι καὶ καρποῦσθαι, pro, vti frui. Sanè cùm aliquando simpliciter legata
esset χρῆσις, refert Vlpianus [g] Papinianum respondisse, non vsumfructum, sed solum vsum relictum
intelligi. Plerunque tamen non addimus ἐπικαρπίαν, contenti nomine χρήσεως, vt significemus vsum-
fructum. Iustinianus in Nouella sua Constitutione decimaoctaua, vsufructuarios simpliciter ap- 3
pellat

pellat τὸν τῆς χρήσεως κύριον. Et in Nouella Constitut. 118. vsumfructum, quem pater habet in aduentitijs bonis filijs fa. simpliciter appellat χρῆσιν. Et cùm Curius Ciceroni scripsisset, Sum χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici nostri: id velut interpretatus Cicero respondit, Quod scribis te Attici esse proprium mancipio & nexu, Meum autem vsu & fructu, &c.

De vsufructu, Titulus IIII.



VSVSFRVCTVS est ius alienis rebus vtendi fruendi, salua rerum substantia. Est autẽ ius in corpore: quo sublato, & ipsum tolli necesse est. Vsusfructus à proprietate separationem recipit, idq; pluribus modis accidit: vt ecce, si quis vsumfructum alicui legauerit. Nam hæres nudam habet proprietatem, legatarius verò vsumfructum. Et contrà, si fundum legauerit deducto vsufructu: legatarius nudam habet proprietatem, hæres verò vsumfructum. Item alij vsumfructum, alij deducto eo fundum legare potest. Sine testamento verò si quis velit vsumfructum alij constituere: pactionibus & stipulationibus id efficere debet.

Ne tamen in vniuersum inutiles essent proprietates, semper abscedente vsufructu, placuit certis modis extingui vsumfructum, & ad proprietatem reuerti.

Constituitur autem vsusfructus non tantùm in fundo & ædibus, verùm etiam in seruis & iumentis, & cæteris rebus: exceptis ijs, quæ ipso vsu consumuntur. Nam hæ res neque naturali ratione, neq; ciuili recipiunt vsumfructum. quo in numero sunt vinum, oleum, frumentum, vestimenta: quibus proxima est pecunia numerata. Namque ipso vsu assidua permutatione quodammodo extinguitur. Sed vtilitatis causa Senatus censuit, posse etiam earum rerum vsumfructum constitui: vt tamen eo nomine hæredi vtiliter caueatur. Itaque si pecuniæ vsusfructus legatus sit: ita datur legatario, vt eius fiat: & legatarius satisdet hæredi de tanta pecunia restituenda, si morietur, aut capite minuetur. Cæteræ quoque res ita traduntur legatario, vt eius fiant: sed æstimatis his, satisdatur, vt si moriatur, aut capite minuatur, tanta pecunia restituatur, quanti hæ fuerint æstimatæ. Ergo Senatus non fecit quidem earum rerum vsumfructum (nec enim poterat) sed per cautionem quasi vsumfructum constituit.

Finitur autem vsusfructus morte vsufructuarij, & duabus capitis deminutionibus, maxima & media, & non vtendo per modum & tempus: quæ omnia nostra statuit constitutio.

Item finitur vsusfructus, si domino proprietatis ab vsufructuario cedatur: (nam cedendo extraneo, nihil agitur) vel ex cõtrario, si vsufructuarius proprietatem rei adquisierit: quæ res Consolidatio appellatur.

Eò amplius constat, si ædes incendio consumptæ fuerint, vel etiam terræ motu, vel vitio suo corruerint: extingui vsumfructum, & ne areæ quidem vsumfructum deberi.

Cùm autẽ finitus fuerit totus vsusfructus: reuertitur scilicet ad proprietatem, & ex eo tempore nudæ proprietatis dominus incipit plenam in re habere potestatem.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Vsusfructus duplex, causalis & formalis.*
2 *Vsusfructus quid præstet simplici fructuum emolumento.*
3 *Vsusfructus alienus nihil videtur dominio nostro detrahere.*
4 *Vsusfructus plenum dominium habet fructuarius.*
5 *Fructus aut sunt naturales, aut ciuiles.*
6 *Thesaurus in fundo repertus in fructu non est.*
7 *Lapides, nisi renascantur, non sunt in fructu.*
8 *Fructuarius vbi non modò re principali, sed & eius accessione vti possit.*
9 *Fructuarius an & quando acquirat rerum proprietatem.*
10 *Fructuarius qualiter cauere debeat.*
11 *Fructuarius non debet causam proprietatis deteriorem facere.*
12 *Alimentorum sumptus ad eum pertinent, qui vtendum accepit.*
13 *Fructuarius sarta tecta præstare debet.*
14 *Idẽ maiorẽ impensam repetit à domino proprietatis.*
15 *Restituto fundo vndis recedentibus, simul restituitur vsusfructus.*
16 *Vsusfructus tollitur mutatione rei.*
17 *Accessiones tolluntur principalibus rebus extinctis.*
18 *Ius vtendi fruendi quando cum proprietate coniunctum vel ab ea separatum sit.*

19 *Vsusfructus vbi etiam à iudice constituatur.*
20 *Possessione longa an & quando acquiratur vsusfructus.*
21 *Vsucapere non potest fructuarius proprietatem.*
22 *Vsusfructus ex lege Falcidia minus quando reuera possit.*
23 *Proprietas hîc qua intelligenda.*
24 *Vsusfructus eam partem singuli heredes habent, quam proprietatis.*
25 *Simplex fundi legatũ, trahit secum aliquem vsumfructum.*
26 *Vsusfructus non est, qui omnino & perpetuò est inutilis.*

V*Susfructus est.*]Hæc definitio vsusfructus petita est ex Paulo [a]. Estque is quem Papinianus ait [b]
in iure, non in parte consistere. Definitur enim hîc vsusfructus, quem vulgo formalem vo-
cant. Alius autem est, quem causalem appellant, coniunctum scilicet cum ipsa proprietare, & ab 1
ea dependentem. Et quamuis propriè vsusfructus non sit, fit tamen eius aliquando mentio [c]. Sed
& aliquando vsusfructus appellatione, significatur res ipsa tota, reique integrum dominium, ex
coniectura voluntatis [d]. Et quoties apparet donatam esse rem, adiecta mentio vsusfructus, vel
hæc verba, vt quis dum viuat, ea vtatur fruatur, non constituent vsum fructum. sed nihilominus
quandiu quis viuet, verus erit dominus proprietatis [e]. ¶ *Est ius.*]Separatum à proprietate: quod-
que tribuat certam potestatem percipiendorum fructuum ex ipsa re, nec moretur proprietatis
dominum. Neque enim per eum percipit fructuarius, cùm ipse habeat ius suo arbitrio percipien-
di. Hocque nomine vsusfructus præstat simplici fructuum emolumento: quod eleganter Scæuola 2
tradidit his verbis [f]: Fundi Trebatiani reditus, vxori meæ, quoad viuet, dari volo. Quæro, an pos-
sit tutor hæredis fundum vendere, & legatario quantitatem offerre annuam, quam viuus paterfa.
ex locatione fundi redigere consueuerat: Respondi, posse. Item quæro, an habitare impunè prohi-
beri possit: Respondi, non esse obstrictum hæredem ad habitationem præstandam. Item quæro, an
compellendus sit hæres reficere prædium: Respondi, si hæredis facto minores reditus facti essent,
legatarium rectè desiderare, quod ob eam rem diminutum sit. Item quæro, quo distet hoc lega-
tum ab vsufructu: Respondi, ex ijs, quæ supra responsa essent, intelligi differentiam.

¶ *Rebus alienis.*]Neque enim rei propriæ dicitur esse vsusfructus. Qui habet proprietatem, (in-
quit Vlpianus [g]) vtendi fruendi, ius separatum non habet. Nec enim potest ei suus fundus seruire.
Certè dominio nostro nihil videtur detrahere vsusfructus alienus. Nihilominus enim nos domi- 3
ni in solidum sumus: nec quicquam nobiscum habet commune fructuarius [h]. Idque ex multis lo-
cis iuris satis deprehendi potest [i]. Cæterùm quod attinet ad ipsum vsumfructum: eius plenum
dominium habet fructuarius [k]. Itaque & Iustinianus in Nouella sua Constitut. 18. fructuarium 4
appellat τὸν τῆς χρήσεως κύριον. [vsus dominum.]

¶ *Vtendi fruendi.*]In his verbis latet tota vis & fructus iuris, de quo hîc agimus. Ideo paulò di-
ligentius excutienda est eorũ significatio. Ac primùm quidem omnes omnino fructus, qui quo-
quomodo ex re percipi possunt, hîc comprehenduntur [l], etiam ante maturitatem collecti [m]. Ne- 5
que verò naturales modò, sed & ciuiles [n], qui non tam natura proueniunt, quàm iure percipiun-
tur [o]: vt sunt salaria, pensiones, eiusmodique obuentiones, quarum solet esse eadem causa, quæ &
naturalium fructuum est [p]. Discrimen tamen est in perceptione & acquisitione. Nam in naturali-
bus inspicimus tempus collectionis: in ciuilibus, tempus cessionis, quo deberi incipiunt: nisi for-
tè debeantur ratione fructuum naturalium [a]. Thesaurum autem in fundo repertum necesse in 6
fructu, nec vllo modo pertinere ad fructuarium, suo superiùs loco diximus. Certè nec lapides, nisi 7
renascantur in fructu [b] sunt. Porrò fructuarius non modò re principali vti frui potest: sed & eius 8
accessione, veluti alluuione [c]. Quinimo aliquando acquirit quarundã rerum proprietatem. Nam 9
respondit Vlpianus [d], mitti eum in possessionem vicinarum ædium causa damni infecti: & iure
dominij possessurum eas ædes, si perseueretur non caueri: nec quicquam amittere finito vsufru-
ctu. Quòd si proprietarius ipse hanc cautionem petijsset: missus in possessionem consequeretur
ipse ex eadem causa idem emolumentum [e]. Nempe semper æquum est, vt is lucrum ferat, qui in-
iuriam contemptus, & contumacis aduersarij ludificationes pertulit. Itaque & si iniuria fiat seruo
in contumeliam aut inuidiam fructuarij: quod iniuriarum iudicio consequetur fructuarius, pro-
prium habebit [f].

¶ *Salua rerum substantia.*]Iubet itaque Prætor fructuarium cauere, se vsurum boni viri arbitra- 10
tu: & cùm vsusfructus ad eum pertinere desierit, restiturum quod inde extabit. Id quod in Pan-
dectis latè explicatur peculiari titulo. Et Iulianus [g] multis verbis probat, fructuarium non debere 11
causam proprietaris deteriorem facere: idque pluribus exemplis diligenter excutit. Ergo in lo-
cum demortuarum arborum alias ex ipso fructu substituet [h]: (cuiusmodi summissionis multam
mentionem superiùs fecimus. Seruum suo impendio alet, eiusque valetudinem curabit [i]. In vni-
uersum enim naturalis ratio dictat, alimentorum sumptus ad eum pertinere, qui vtendum acce- 12
pit [k]. Ædes quoque sua impensa reficiet [l]. Hactenus tamen, (inquit Vlpianus [m]) vt sarta tecta ha- 13
beat, & modica tantum refectio ad eum pertineat: quoniam & alia onera agnoscat, vtputa sti-
pendium, vel tributum, vel solarium. Quòd si maiorem aliquam impensam vltrò præsti- 14.
terit fructuarius, eam à domino proprietatis repetit. Sic enim rescripsit Imperator Gordia-
nus [n]: Eum, ad quem vsusfructus pertinet, sarta tecta suis sumptibus præstare debere, explorati
iuris est. Proinde si quid vltrà quàm impendi debeat, erogatum potes docere, solenniter re-
posces.

a L.1.de vsufr.
b L.Mensus.§.fundo.de lega.2.
c L.ficum testamento §.si fundum.de except.rei iud.
d L.Proculus.de vsufr.l.vlti.de vsufr. ea re.quæ vsu cons.
e L.species de au.& arg.leg.
f L.fundi Trebatiani.de vsu & vsufr.leg.
g L.vti.frui.D.si vsusfr.petat.
h L.sed etsi forte.de reb.cor.
i L.rectè dicimus.de ver.sig.l.si quis seru.de leg.3.l.1.D.ad sen.Syllan.l.item apud.§ si vsufr.de iniur.l.sciendum.D.Qui sat.cog.§ alienum.inf.de hæred instit.
k L.3.D.si vsusfr.pet.
l L.item si fundi.de vsufr.
m L.si absente.§.filiam.D.eodem.
n L.vsufr.lega.D.eodem.
o L.si nauis.de rei vind.
p L.vsuræ vicem.de vsur.l.apud Iulianũ.§.1.de lega 1.
a L.defuncta de vsufr.
b L.fructus.§.si vir in fundo.D.Sol.matri.
c L.item si fund.§.huic vicinum.de vsufr.
d L.vsufr.legat.D.eodem
e L.damni infecti.§.inter fructuarium.de damn.infec.
f L.item apud.§.si vsumfr.cum le.seq.de iniur.
g L.si enim rei §.fructuarius.de vsufr.
h L.agri.D.eodem.
i L.sicut.D.eodem.
k L.in reb.§.possunt.D Commod.
l L.hoc amplius.§.vl.l.inter fructuarium.de damno infec.
m L.vsufru.lega.§.hac ratione.de vsufr.
n L.cum ad quem.C.de vsufr.

¶ *Est autem*

¶ *Est autem ius in corpore.*] Id ex Celso additum est[a]. Ergo quamuis ius ipsum sit incorporale, solet tamen magis constitui in aliqua re corporali: quanquam sanè posit etiam esse vsusfructus iuris incorporalis.

¶ *Quæ sublato*] Quòd si inundatione tantùm obrutum sit, tollitur quidem interim vsusfru-
15 ctus: sed restituto fundo vndis recedentibus, simul restituitur vsusfructus[b]. Sublatum autem hic vocat, non quod omnino perijt, totumq; intercidit (sic enim & proprietas periret) sed quod illud
16 non est, quod fuit. Nam & rei mutatione tollitur vsusfructus[c]. ¶ *Et ipsum tolli necesse est.*] Nam (vt
17 ait Caius[d]) quæ accessionum locum obtinent, extinguuntur, cùm ipsæ res principales extinctæ fuerint.

18 ¶ *Separationem recipit.*] Est quoddam ius vtendi fruendi, quod omnino cum proprietate coniunctum est, nempe ius illud, quo dominus re sua vtitur fruitur. Qui habet proprietatem (inquit Vlpianus[e].) vtendi fruendi ius separatum non habet. nec enim potest ei suus fundus seruire. Sed ius vsusfructus separationem, vt fiat seruitus, recipit.

¶ *Pluribus modis.*] Qui tamé omnes, (quos hîc Iustinianus refert) pendent à voluntate & facto ipsius domini constituentis vsumfr. & à sua proprietate separantis. Est autem & alius, qui proficiscitur à Iudicis sententia, quem & Caius hunc locum tractans commemorauit[f], inquiens: Con-
19 stituitur ad hæc vsusfructus & in iudicio familiæ erciscundæ, & Communi diuidundo: si iudex alij proprietatem adiudicauerit, alij vsumfructum. Sed & si alij fundum, alij vsumfructum fundi iudex adiudicauerit, non cõmunicari vsumfr. ait Iulianus[g]. Et Vlpianus agens de iudicio Communi diuidundo, Officio (inquit[h]) Iudicis etiam talis adiudicatio fieri potest, vt alteri fundum, alteri vsumfr. adiudicet. Postremò & longa possessione, quæ sufficiat ad vsucapionem, potest acquiri
20 vsusfructus sicut & ius alterius seruitutis. Si enim Publiciana actio datur propter vsumfructum[i], vsucapionem hîc quoque locum habere posse manifestum est. quanquam verum sit, fructuarium non posse rem ipsam, siue eius proprietatem vsucapere[k].

21 ¶ *Si quis vsumfructum alicui legauerit.*] Simpliciter nullaq; adiecta nota, cuius argumento coniijciamus legatam quoque proprietatem. Etenim si adijceretur fideicommissum restituendi vsusfructus, intelligeremus simul legatam proprietatem[l]: quia foret alioqui inane & ridiculum fideicommissum. Vnde & cùm quidam legasset rem, adiecto onere eiusmodi fideicommissi: quamuis adiecisset testator, debere legatario vsumfructum sufficere, tamen Scæuola respondit[m], proprietatem quoque legatam. Et cum testator legatis multis rebus adiecisset, Proprietatem eorum, quæ suprascripta sunt, reuerti volo ad filias meas: respondit Scæuola, magis proprietatem quàm vsumfructum legatam[n] videri.

¶ *Nam heres.*] Quem tamen non esse prorsus denudandum vsufructu totius hæreditatis mul-
22 ti putant. Alioqui eum ex lege Falcidia minuere posse vsumfructum. Nam & eum aliquando minui Papinianus respondit[o]: & nota est illa Celsi Iulianique sententia, quam probat Vlpianus[p], Omnium bonorum vsumfructum posse legari, nisi excedat dodrantis æstimationem. Certè Iustinianus in Nouella sua Constitut. 18. cùm ageret de legitima liberorum portione, quæ est triens vel semis, disertè vetat eius partis vsumfructum à proprietate separari. & præcipit τὴν χρῆσιν καὶ ἐπικαρπίαν ἅμα τὴν δεσποτείαν καταλιμπάνειν. [vsumfructum cum proprietate relinquere.] Sed cùm referat prius fuisse permissum, omnium bonorum vsumfructum alteri relinquere, magno interea famis & egestatis periculo filijs hæredibus imminente, quos nuda proprietas non potest alere: videtur Iustinianus significare, Iurisconsultos nõ tribuisse hæredibus quadrantem vsusfructus, quem ipse tantùm tribuit legitimæ liberorum portioni, singulari quodam beneficio. Verius itaque mihi videtur, tum demum per legem Falcidiam minui legatum vsumfructum, vbi is excedit dodrantem totius hæreditatis, & triplo melior est proprietate relicta. Nec difficilis erit æstimatio, si sequamur calculum qui præscriptus est in subducenda ratione alimentorum[a].

¶ *Nudam proprietatem.*] Sic Iustinianus in Nouella sua Constitutiõ. 18. vocat δεσποτείαν γυμνήν.
23 Proprietatem verò hîc intelligimus in hæreditate relictam, nec cuiquàm legatam. Nam & si testatoreum, cui vsumfructũ legauerat, admonuerit, vt curet promereri sua virtute proprietatem: nihilominus ea videtur relicta hæredis arbitrio. Qua de re extat elegantissimum Scæuolæ Responsum his verbis[b], Generali capite præposito, quidam in testamento suo ita adiecit: Felici, quem liberum esse iussi, vsumfructum fundi Vestigiani lego. cuius proprietatem puto te Felicem consecuturum, si non contenderis cum hærede meo, sed potius concordaueris. Sed & tu hæres omnia facito, vt amici sitis. Hoc enim vobis expedit. Quæsitum est an viuente hærede exigere posit Felix fundi proprietatem: Respondi, Nihil proponi, cur Felici proprietas fundi legata videretur. Sanè tamen si hîc testator admonuisset nominatim ipsum hæredem sui officij, veluti, Cui vsumfructum legaui, confido hæres te daturum quoque proprietatem: magis est, vt non posit hæres eam sibi retinere. Nam & fideicommissum his verbis intelligitur. Credo te daturum[c], Vel, Scio te restituturum[d].

¶ *Hæres verò vsumfructum.*] Quòd si plures sint hæredes, habebunt singuli eam vsusfructus par-
24 tem, quam habent hæreditatis. Non erit tamé inter eos locus iuri accrescendi. Sic enim Iulianus[e] scribit, Si duobus hæredibus institutis, deducto vsufructu proprietas legetur, ius accrescendi hæredes non habere. Nam videri vsumfructum constitutum, non per concursum diuisum. Deinde subijcit Africanus: Ideoque amissa pars vsusfructus ad legatarium eundemque proprietarium redibit. Sic & Vlpianus[f], Si cui (inquit) proprietas deducto vsufructu legata sit, & mihi pars vsusfru-

a L. 2. de vsufr.
b L. si ager. cum seq. D. Quib. mo. vsus fruct. amit.
c L. repeti. §. rei mutatione. D. eodem.
d L. 2. de pecu. lega.
e L. vti frui. D. Si vsusfr. pet.
f L. vsusfructus pluribus. de vsufr.
g L. & puto. §. 1. D. fam. erciscun.
h L. si quis putans. §. officio. D. Cõm. diuid.
i L. si ego. §. 1. de Public.
k L. neque fructuarium. C. de vsufr.
l L. vlt. de vsuf. ear. rer. quæ vsu consu.
m L. species auri. de auro & argen. leg.
n L. filios. de vsu & vsufr. lega.
o L. 5. de vsufr.
p L. omnium bonor. de vsufr.
a L. hæreditatum. D. ad leg. Falcid.
b L. generali. de vsu & vsuf. leg.
c L. etiam hoc modo. de lega. 1.
d L. & eo modo. de leg. 1.
e L. 1. §. vlt. de vsuf. accrescen.
f L. idem & si abud. §. 1. de vsufr. accresc.

fructus: videndum erit, an inter me & hæredem ius accrescendi versetur. Et verum est, vt quiuis amiserit, ad proprietatem reuerti. Toties verò (inquir Celsus [a]) ius accrescendi est, quoties duobus, qui insolidum habuerunt, concursu diuisus est. Intelligit autem duos eiusdem vsusfructus legatarios: de quibus idem apertè tradit Vlpianus [b]. ¶ *Item alij vsumfructum.*] Quòd si huic legato adijciatur condi tio: ea pendente, vsusfructus nõ apud hæredem, sed proprietatis legatarium fore tradidit Iulianus [c].

a L. idem Neratius. de vsufr. accresc.
b L. 1. D. illo tit.
c L. fundus. D. si vsusfr. peta.

¶ *Deducto eo fundum.*] Necessaria hîc fuit mentio vsusfructus expressim deducti. Nam alioqui simplex fundi legatum, traheret secum aliquem vsumfructum [d]. Sic enim Modestinus respondit [e]: Si alij fundum, alij vsumfructum eiusdem fundi testator legauerit: si eo proposito fecit, vt alius vsumfructum, alius nudam haberet proprietatem, errore labitur. Nam detracto vsufructu proprietatem legare oportet eo modo: Titio fundum detracto vsufructu lego. Quod nisi fecerit. vsusfructus inter eos communicabitur: quia interdum plus valet scriptura, quàm quod actum sit. Quinimo (inquit Africanus [f]) Si proprietas fundi duobus, vsusfructus vni legatus sit: nõ trientes in vsufructu habent, sed semissem duo, semissem fructuarius. Idem contrà, si duo fructuarij, & vnus fundi legatarius sit. Extat aliud simile Pauli responsum [g]: Si fundus duobus, alij vsusfructus legatus sit: non trientes in vsufructu, sed semisses constituuntur. Idemq; est ex contrario, si duo sint fructuarij, & alij proprietas legata sit: etenim inter eos tantùm ius accrescendi est. Sanè tamen aliter iudicandum videtur de sententia iudicis vel arbitri in familia erciscunda. Nam si alij fundum, alij vsumfructum fundi iudex adiudicauerit: non communicari vsumfructum, Iulianus [h] ait. Nempe quia magis hoc loco habetur ratio æqualitatis: & ne quos iudex dirimere voluit, arctius coniungat. ¶ *Sine testamento.*] Quæ sequuntur, descripta sunt ex Caio [i]: sed verborum ordo nonnihil mutatus est. 25

d L. si tibi decem. de vsufr. ea. re. quæ vin cons.
e L. si alij fundum. de vsu & vsuf. leg.
f L. si proprietas. de vsuf. accre.
g L. Sempronius Attalus. §. vlt. de vsu & vsufr. lega.
h L. vt puto. §. 1. D. fami ercisc.
i L. 3. de vsufr.

¶ *Inutiles essent proprietates.*] Nam nec est vsusfructus, qui & omnino & perpetuo esset inutilis. Certè statuæ & imaginis vsumfructum posse relinqui, respondit Martianus [k]: quia & ipsæ habent aliquam vtilitatem, si quo loco opportuno ponantur. Et licet (inquir) prædia quædam talia sint, vt magis in illa impendamus, quàm de illis acquiramus: tamen vsusfructus eorum relinqui potest. Nempe quòd possit ex ijs aliquid saltem voluptatis percipi: vt non omnino videantur inutilia, quæ huic amœnitati seruiunt. 26

k L. statua. de vsuf.

¶ *Placuit vsumfructum.*] Sicuti & nudum vsum: quem ijsdem modis finiri, qnibus finitur vsusfructus docet postea Iustinianus. Et sanè quamuis non sit omnino semper inutilis proprietas eo durante, quia saltem consequitur, quod superest vsui necessario, posset tamen esse prorsus inutilis. Quid enim, si tam tenuis rei vsus relictus sit, vt nihil supersit?

§. *Constituitur.*

1 *Abusus propriè quid sit?*
2 *Vestimentorum verus constitui potest vsusfructus.*
3 *Pecunia numerata quodammodo extinguitur.*
4 *Pecuniam sine peculio fragilem esse.*
5 *Cautione testator quomodo eum, cui legat vsumfructum, liberare possit.*
6 *Mutuum ab vsufructu pecuniæ quomodo differat.*
7 *Quasi vsusfructus quomodo constitui possit.*

¶ *Quæ ipso vsu consumuntur.*] Hoc est, quæ nullum vsum præbere, nec fructum reddere possunt, nisi simul consumantur: Vt si vino vtaris, proculdubio consumis. Et vocatur hic propriè Abusus. 1
Est enim Abuti, vtendo consumere: sicut apud Græcos καταχρῆσθαι. Vnde & Tullius in Top. Non debet (inquit) ea mulier, cui vir bonorum suorum vsumfructum legauit, cellis vinarijs & olearijs plenis relictis, putare id ad se pertinere. Vsus enim non abusus relictus est. Diuus Paulus. 1. Corinth. 7. elegáter vsus est verbo græco, inquiens: χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ, ὡς μὴ καταχρώμενοι, Qui vtuntur hoc mundo, ne eo abutamur. Vult nos hoc mundo leuiter vti, quemadmodum solent fructuarij: & admonet nõ esse nobis proprium. Idem ad Coloss. 3. agens de cibarijs, quæ ipso vsu consumuntur, ἅ (inquit) ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει.

¶ *Vestimenta.*] Potest tamen aliquando vestimentorum verus constitui vsusfructus, vt nec 2
contineatur abusus. Quid enim, si id testator expresserit? Quamuis enim vestimenta vsu deterantur, non omnino tamen consumuntur. Et facilè intelligi potest vsusfructus scenicæ vestis vel aulæi, vti etiam est apud Vlpianum [l]: qui addit fructuarium posse eiusmodi vestimenta locare, licet testator commodare, non locare fuerit solitus.

l L. sed si quid inædificauerit. §. & generaliter. de vsuf.

¶ *Pecunia numerata.*] Numismatum verò, quibus pro gemmis vti solemus, verum vsumfructum legari posse respondit Pomponius [m].

m L. numismatum. de vsuf.

¶ *Quodammodo extinguitur.*] Hoc est, quamuis semper extet, sitque in rerum natura, tamen ipsi 3
permutanti vel numeranti perit. Et seruari non potest (vt verbo Pauli vtar [n]) si expleas vsum, in quem est, & habetur. Vnde & Græci appellarunt χρήματα ἀπὸ τοῦ χρῆσθαι.

Et quò diuitiæ (inquit Flaccus) *si non conceditur vti?*

Verùm ne omnia profundamus, admonet quodam loco Celsus [o], sæpe audisse se, rusticos senes dicentes, pecuniam sine peculio fragilem esse. peculium appellantes, quod præsidij causa sepo- 4
neretur. Et nôster Iustinianus [p] scribit, in pecunia veteres posuisse robur omne patrimoniorum.

n L. Iulianus. de pet. hared.
o L. si chorus. §. 1. de lega. 3.
p L. Lex quæ tutores. §. huc accedit. C. de admin. tut.

¶ *Hæredi.*

¶ *Hæredi.*] Hoc est, ei, ad quem primùm pertinuit harum rerum proprietas: quæ si esset alteri
legata: ei, non autem hæredi, caueretur [a]. Quòd si sub conditione legata esset: interea hæredi caue-
ri debet: qui si cautionem petere neglexerit: conditione eueniente, legatario tenebitur eo nomi-
5 ne [b]. Porrò autem testator potest eum, cui legat vsumfructum, liberare cautione, si eam iubeat ab
vno ex hæredibus suis præstari. Idque videtur secundum esse quoddam legatum, legatarij fauore
adiectum: adeò vt si hæres cohæredi aliquid soluerit, huius cautionis nomine, non repetat à lega-
tario [c]. ¶ *Si pecuniæ vsusfructus.*] Quid si detur mutua pecunia ea lege, vt reddatur, eo, qui accipit,
6 mortuo vel capite diminuto? an hoc mutuum differt ab vsufructu pecuniæ? Differt certè. Primùm
enim mutuum non requirit eam satisdationem, quam hic vsusfructus. Deinde mutuum deside-
rat, vt idem genus eiusdemque omnino bonitatis reddatur: At cautioni, de qua hìc agimus, fit sa-
tis, si iusta rerum æstimatio restituatur [d]. Illud quæsitum est, an sicuti Senatusconsulto Macedo-
niano prohibemur mutuum dare filiofamilias, itidem prohibeatur harum rerum quasi vsusfru-
ctus ei relinqui. Et non prohiberi verius est. Nam qui vsumfructum pecuniæ relinquit, non hoc
agit, vt fructuarium obliget: imò verò vt ei prosit. sicuti & hoc legatum suam habet vtilitatem.

a L. si tibi decem. de vsufr. ear. rer. quæ vsu consu.
b L. Iulianus. §. si tibi decem D. ad exhib.
c L. tribus hæredib. de vsufr. ear. rer.
d L. si tibi vini. de vsuf. ear. rer.

¶ *Si morietur aut capite minuetur.*] Inquit Paulus [e]: In stipulatione de reddendo vsufructu pecu-
niæ, duo soli casus interponuntur: mortis, & capitis diminutionis.

e L. in stipulatione. de vsuf. ear. rer.

¶ *Cætera quoque res.*] Inquit Caius [f]: Si tibi vini, olei, frumenti vsusfructus legatus fuerit, pro-
prietas ad legatarium debet transferri: & ab eo cautio desideranda est, vt quandocunque is mor-
tuus, aut capite diminutus sit, eiusdem qualitatis res restituantur: aut æstimatis rebus, certæ pecu-
niæ nomine cauendum est. quod & commodius est. Idem scilicet de cæteris quoque rebus quę vsu
consumuntur, intelligemus.

f L. si tibi vini. de vsuf. ear. rer.

¶ *Ergo Senatus.*] Videtur & hic locus ex Caio descriptus. Is enim ait [g]: Quo senatusconsulto
non id effectum est, vt pecuniæ vsusfructus proprius esset, (nec enim naturalis ratio autoritate
Senatusconsulti commutari potuit) sed remedio introducto cœpit quasi vsusfructus haberi.

g L. 2. de vsuf. ear. rer. quæ vsu consu.

¶ *Quasi vsumfructum constituit.*] Non est propriè vsusfructus, quia in vsufructu vero non agitur
de transferendo rei dominio. Non est etiam mutuum, quia non restituitur species eiusdem gene-
7 ris. Sed prudentissimè vidit Senatus, posse commodissimè quendam quasi vsumfr. constitui, si res
æstimaretur, & æstimatio suo tempore restitueretur.

§. *Finitur.* & §§. *sequent.*

1 *Morte finitur vsusfructus.*
2 *Vsumfructum, cum moriar, inutiliter stipulor.*
3 *Vsusfructus ad ciuitatem pertinens, quando finiatur?*
4 *Aratrum olim & condendis, & subuertendis vrbibus adhibebatur.*
5 *Accrescendi ius competit, vsufructu pluribus in solidum relicto.*
6 *Vsusfructus patri per filium acquisitus, non finitur morte filij.*
7 *Vsusfructus duo intelliguntur, si hæredis mentio facta sit in constitutione vsusfructus.*
8 *Proprietarij mors nihil pertinet ad finiendum alterius vsumfructum.*
9 *Mors fructuarij, qui alteri vsumfructum restituere iussus est, an pertineat ad eum finiendum.*
10 *Vsusfructus in alicuius certam ætatem relictus, eius morte non finitur.*
11 *Capitis diminutionibus finitur vsusfructus.*
12 *Vsumfructum ius potest quis vtendo, & non vtendo amittere.*
13 *Statutum à lege tempus, quo quis ius suum perdit, quale.*
14 *Vsusfructus ex certo tempore, & vsque ad certũ tempus constitui potest.*
15 *Vsufructuarius propter abusum non statim amittit vsumfructum.*
16 *Vsusfructus à fructuario cedi tantùm potest domino proprietatis.*
17 *Vsufructuarius, vel frui ea re, vel locare, vel vendere, vel alij fruendam rem concedere potest.*
18 *Vsusfructus an possit ab aliquo dari marito dotis nomine.*
19 *Vsusfructus quomodo vendatur.*
20 *Actio competens ad vsumfructum constituendum, potest in alium transferri.*
21 *Proprietatis acquisitione rescissa, an maneat cõfusus vsusfructus.*
22 *Aequitati cedit subtilitas iuris.*
23 *Legatarium locupletari cum hæredis iactura, iniquum.*
24 *Vsusfructus interit rei mutatione.*
25 *Vsusfructus corpore ipso sublato tollitur.*
26 *Villa diruta, fundi vsusfructus legatus non extinguitur.*
27 *Villa fundi accessio est.*
28 *Aedibus ad aream redactis, earum vsusfructus extinguitur.*
29 *Area dicitur pars domus maxima.*
30 *Solum pars est ædium.*
31 *Area vsusfructus legatus, ædificante in eadem testatore, tollitur.*
32 *Pars vsusfructus finita plerunque accrescit alteri.*

1 ¶ *Finitur vsusfructus morte.*] Hæc est certa vsusfructus meta, & frequentissima causa eius fi-
niendi, si non alia eam præcurrat. Morte (inquit Vlpianus [h]) amitti vsumfructum, non recipit du-
bitationem: cùm ius fruendi morte extinguatur: sicuti & aliud, quod personæ cohæret. Vnde &
Modestinus [i], Titio (inquit) cùm morietur, vsusfructus inutiliter legari intelligitur: in id tempus
videlicet collatus, quo à persona discedere incipit. Sic & Paulus [k]: Vsumfructum, cùm moriar, in-
2 utiliter stipulor. Idem est in legato: quia & constitutus vsusfructus morte intercidere solet. Ergo &
si fructuarius vsumfructum legauerit, inutile erit legatum; nisi posteà proprietatem nactus esset.

h L. 3. §. vlt. D. Quib. mod. vsusfr. amit.
i L. Titio. cùm morietur. de vsuf.
k L. vsumf. cum moriar. de vsufr. leg.

inquit Pomponius [a]. Sed quid si ad eos pertineat vsusfructus, qui non moriuntur, veluti ciuita- 3
tes? Certè respondit Caius [b], eum falrem finiri centum annis: qui finis vitæ longissimus sit. Poterit
autem & citius finiri, si aliter intercidat ciuitas. Vnde Modestinus [c], Si (inquit) vsusfructus ciuitati
legetur, & aratrum in eam inducatur, ciuitas esse definit: vt passa est Carthago. Ideoq; quasi morte
definit habere vsumfr. Aratrum sicut condendis vrbibus, sic etiam subuertendis olim adhibitum 4
fuisse legimus. Apud Senecam lib. 1. de clemen. Inijcere tectis ignem, aratrumq; vetustis vrbibus
inducere. Et Horat lib. 1. carm. Imprimeresq; muris hostile aratrum exercitus insolens. Porrò pręter
eos, quibus finitur vsusfr. modos, quos Iustinianus hic commemorat, possunt ex Pandectis &
alij colligi: quanquam ijs rariores [d] sint. ¶ *Fructuarij.*] Quid si plures sint fructuarij? Certè si plu- 5
ribus insolidū relictus sit vsusfructus, oportet omnes esse mortuos, antequam ad dominum pro-
prietatis quicquā redeat. Nam inter eos versatur ius accrescendi, cuius & nos suprà meminimus.
Cęterùm si separatim vnicuique partis rei vsusfructus sit relictus: sine dubio ius accrescendi cessat,
inquit Vlpianus [e]: statimque pars amissa redit ad proprietatem. Quòd si duobus separatim alter-
nis annis vsusfructus relinquatur, & ex ijs alter decedat, per vices temporū plena proprietas erit.
Neq; enim accrescere alteri quicquam potest: quoniam per propria quisq; tempora non concur-
rente altero fructus integros habuit, vt scribit Paulus [f]. Porrò si vsusfructus patri per filiumfa. ac- 6
quisitus sit, non finietur morte filijfa. sed nihilominus parer superstes eum semper retinebit. Con-
trà si pater moriatur, penes superstitem filium remanebit, etiamsi patris hæres non [g] sit. Postremò
vbi in constitutione vsusfructus facta est hæredis mentio, intelligentur esse duo [h] vsusfructus. Et 7
prior quidem cum priori fructuario desinet: sed nouus redintegrabitur in persona hæredis, noui
scilicet fructuarij. Sanè proprietarij mors nihil pertinet ad finiendum alterius vsumf. vt rescripsit 8
Antoninus [i]. Vnde & Cicero in Topicis. Si (inquit) paterfa. vxori ancillarum vsumfructum lega-
uit à filio, neque à secundo hærede legauit, mortuo filio mulier vsumfructum non amittet. Quod
enim semel testamento alicui datum est, id ab eo inuito cui datum est, auferri non potest. Repu-
gnat enim rectè accipere, & inuitum reddere. Illud postremo loco prætereundum nō est, fructua-
rij. qui alteri vsumfr. restituere iussus est, mortem nō pertinere ad eum finiendum, cùm magis in- 9
spiciatur persona fideicōmissarij. Si (inquit Martianus [k]) legatum vsumfr. legatarius alij restituere
rogatus est: id agere Prætor debet, vt ex fideicommissarij persona magis quàm ex legatarij, pareat
vsusfr. Sic & Caius [l], Si quis (inquit) vsumfr. legatum sibi, alij restituere rogatus sit, eumq; in fun-
dum induxerit fruendi causa: licet Iure Ciuili, morte, & capitis diminutione ex persona legatarij
pereat vsusfr. qui huic ipso iure acquisitus est: tamen Prætor ex iurisdictione sua id agere debet, vt
idem seruetur, quod futurum esset, si ei, cui ex fideicommisso restitutus esset, legati iure acquisitus
fuisset. Postremò & si eum qui vsumfr. mihi debet tibi delegauero: nō morte mea, sed tua, siue eius
cui delegatus est, interire vsumfr. respondit Vlpianus [m]. Illud prætereundū non est, quod Iustinia-
nus statuit [n], non considerari, neq; ad finiendū vsumfr. pertinere mortē alicuius, in cuius certā ęta- 10
tem relictus erat vsusfr. veluti si vxori meæ vsumfr. legauero, donec filius meus ad annum vigesi-
mum peruenerit. Et si prius is moriatur, prius tamen non finietur hic vsusfr. ¶ *Et duabus capitis di-*
minutionibus.] His finitur quidem vsusfr. iam constitutus: sed non prohibetur constitui [o]. At vera 11
mors & naturalis etiā impedit constitui. Vnde legatus vsusfr. morte amissus repeti non potest, nisi
vt hæredibus debeatur [p]. At licet eum repetere, vt etiam post capitis diminutionē debeatur [a]: vt si
adijciatur: Quoties quis capite diminutus sit, ei do, lego vsumfr. Vnde tractatū est, si cui quandiu
viuat, vsusfr. legatus sit: an videatur repetitus, quoties amissus est. Et putat Vlpianus [b] repetitum
videri. ¶ *Non vtendo.*] Sed & vtendo potest quis perdere ius fruendi: si videlicet tantùm vtatur, 12
non etiam fruatur, quia fortassis ignoret se plenum habere vsumfr. Sed si sciens se vsumfructum
habere, tantùm vti velit: nihilominus & frui videtur, inquit Paulus [c]. Non vtendo autem non
modò perdimus vsumfr. sed & omnes alias seruitutes, quarū similis est hac in re causa [d]. ¶ *Per mo-*
dum & tempus.] Theophilus vertit, τῷ τρόπῳ ῥητῷ, καὶ ὡρισμένῳ χρόνῳ. Quasi hîc dictū sit, per modum
conuentū, & statutum tempus. Quod autem attinet ad tempus à lege statutū, quo si quis iure suo 13
non vtatur, perdit ius suū: erat illud olim tantùm biennij: sed Iustinianus in vniuersum voluit esse
decennij inter præsentes, vicennij inter absentes. cuius temporis præscriptio summouere posset eū
etiam, qui rei alicuius dominiū vindicaret [e]. Idq; valere iussit in omnibus omnino seruitutibus [f].
Est & aliud tempus, quod ab ipso testatore cōstituitur: (licet enim vsumfr. & ex certo tempore, & 14
vsq; ad certū tempus constituere [g]) quo sanè si quis nō fuerit vsus, proculdubiò amittit vsumfr. etiā
si fortassis vti fuerit prohibitus. Verùm petere poterit ęstimationē ab eo, qui prohibuit. Sic enim
Pomponius [h] scribit: Si vsusfr. in biennium continuū à morte testatoris legatus sit, & per hęredem
steterit, quo minus eum mihi daret: præterito biennio nihilominus tenebitur: quemadmodū te-
neretur, si res legata in rerū natura esse desijsset, quam quis deberet, moratusq; esset in ea danda: vt
peti quidē iam vsusfr. qui legatus sit, non possit, quia alius futurus sit, quàm qui legatus fuerit: sed
æstimatio eius duntaxat facienda est. Sic & cùm in annos 10. proximos vsumfr. de te stipulatus es-
sem, & cùm per te staret, quo minus mihi dares, quinquennium transierit: Respondit Africanus [i],
eius temporis vsumfr. peti posse. Cæterùm si quis prohibitus non fuerit, nec vsus sit, proculdubiò
perdit ius suum. Et fortassis hoc tempus de quo ita conuenit, & quod nominatim præstitutum
est, vocat hîc Iustinianus, Modum. Si quis verò non vtatur eo modo, eaque moderatione qua de-
bet, non ideò statim propter eiusmodi abusum perdit suum vsumfructum, sed actione cogi potest
rectius vti: & committitur stipulatio, qua fructuarius cauit se boni viri arbitratu vsurum [k].

¶ Nostra

a L. quod in rerum. §. 1. de lega. 1.
b L. an vsusfr. de vsufr. l. si vsusf. municipib. de vsuf. leg.
c L. si vsusf. ciuitati. D. Qui. mod. vsusfr. amit.
d L. interdum. l. si sub conditione. Qui. mod. vsf. amit.
e L. 1. de vsuf. accre.
f L. 2. D. Quib. mod. vsusf. amit.
g L. vlt. C. de vsuf.
h L. stipulatio ista. §. sed si quis. de ver. obl.
i L. patri tuo. C. de vsufr.
k L. si legatū D. Quib. mod. vsusf. amit.
l L. si quis vsumf. de vsu & vsuf. lega.
m L. si vsusfr. de nouat.
n L. ambiguitatem. C. de vsu. & hab.
o L. 1. §. 1. D. Quib. mo. vsusf. amit.
p L. repeti. D. Quib. mod. vsusf. amit.
a L. licet testatori. de vsu & vsuf. legat.
b L. 3. D. Quib. mod. vsusf. amit.
c L. si qui vsumf. D. Qui. mod. vsusf. amit.
d L. sicuti. C. de seru.
e L. corruptionem. C. de vsufr.
f dict. l. sicut. C. de ser.
g L. & puto §. vsusf. D. fami. erc.
h L. si vsusf. mihi in biennium. de vsu. & vsuf. lega.
i L. quæsitum. de vsufr.
k L. 1 §. rectè. D. vsufr. quemadmodum cau.

¶ *Nostra statuit Constitutio.*] Extat hæc Iustiniani Constitutio libro tertio Codicis [a], ad Iulia-
num Præfectum Prætorio.

¶ *Nam cedendo extraneo nihil agitur.*] Ergo non pertinet hæc cesio, quæ nihili est, ad finiendum
vsumfructum: errantque nostri interpretes, qui vanum inanis cesionis conatum amisione vsus-
fructus multari temerè tradiderunt: parum expendentes hunc locum, parumque assecuti Pom-
ponij [b] sententiam: cuius verba sunt hæc: Diximus vsumfructum à fructuario cedi non posse, nisi
16 domino proprietatis. Et si extraneo cedatur, id est, ei qui proprietatem non habeat, nihil aliud ad
eum transire, sed ad dominum proprietatis reuersurum vsumfructum. Quæ postrema Pomponij
verba, non aliud significant, quàm quod hoc loco ait Iustinianus, nihil agi: & nihilominus reuer-
surum ad proprietatem vsumfructum: reuersurum (inquam) suo tempore, & vbi finitus fuerit, ve-
luti morte fructuarij: quia nulla hic habeatur cesionis factæ ratio. Quòd si sensisset Pomponius,
statim reuersurum ad proprietatem vsumfructum, quem quis tentasset extraneo cedere: admo-
dum negligens fuit Iustinianus, qui de hac cesione agens, & ex professo de ijs modis, quibus fini-
tur vsusfructus, non commemorauit eam rationem. Verùm satis apparet eum nihil aliud in Pom
ponij responso deprehendisse, quàm nihili esse hanc cesionem, quæ fieret extraneo. Et sanè graue
esset tam acerbè punire leuem aliquem conatum, qui & nullum habuit effectum, nec vllum cri-
men aut peccatum tam seuera coërcitione dignum. ¶ *Cedendo extraneo.*] Ipsum scilicet ius vten-
di fruendi. Ceterùm ipsum emolumentum fructuum, perceptioque cedi potest. Sic accipiendum
17 est, quod Vlpianus respondit [c]: Vsusfructuarius vel ipse frui ea re, vel locare, vel vendere, vel alij
fruendam concedere potest. Nam & qui locat, vtitur: & qui vendit. Sed & si alij precariò concedat
vel donet, puto eum vti: atque ideo retinere vsumfructum. Et hoc Casius & Pegasus responde-
runt, & Pomponius libro quinto, & Sabinus probant. Certè Pomponius [d] cùm tradidisset vsum-
18 fructum posse ab aliquo dari marito dotis nomine, & in gratiam mulieris, sed difficultatem fore
post diuortium circa reddendum ius mulieri, quia non posit extraneo cedi vsusfructus: ait, quos-
dam remedij loco rectè putauisse introducendum esse, vt vel locet hûc vsumfructum mulieri ma-
ritus, vel vendat nummo vno: vt idipsum quidem ius remaneat penes maritum, perceptio verò fru-
ctuum ad mulierem pertineat. Huc quoque pertinet illud Pauli responsum [e]: Cùm vsumfructum
19 mihi vendis, interest, vtrum ius vtendi fruendi, quod solum tuum sit vendas: an verò in ipsum cor
pus, quod tuum sit vsumfructum mihi vendas. Nam priore casu etiam si statim morieris, nihil mi-
hi hæres tuus debebit: hæredi autem meo debebitur, si tu viuis. Posteriori casu hæredi meo nihil
20 debebitur: hæres tuus debebit. Porrò licet ius vsusfr. in alium transferri non posit, sicuti nec ad hæ
redem transit: actio tamen competens ad vsumfructum constituendum potest in alium transfer-
ri, qui verus solusque futurus est fructuarius [f].

¶ *Acquisierit.*] Siue sua voluntate & facto, siue etiam iuris necesitate. Nam & si seruus à domi
no proprietatis, noxæ dedatur fructuario: confundetur vsusfructus proprietatis comparatione,
21 inquit Paulus [g]. Sed quid si proprietatis acquisitio rescindatur, an manebit nihilominus confu-
sus vsusfructus? Certè extat responsum Iuliani [h]: Si tibi fundi vsusfructus purè, proprietas autem
sub conditione Titio legata fuerit: & pendente conditione dominium proprietatis acquisieris,
deinde conditio extiterit: pleno iure fundum Titius habebit. neque interest quòd detracto vsu-
fructu proprietas legata sit. Tu enim dom proprietatem acquisieris, ius omne legati vsusfructus
amisisti. Nempe vt omittam, esse, quod hic imputetur emptori fructuario: euentus cõditionis hoc
casu, ab initio non reddit irritam acquisitionem: nec primam confusionis causam prorsus tollit,
cùm medij temporis possesio non reuocetur: vtpote quæ interea, dum pendebat conditio, verè
fuerit hæredis alienantis. Itaq; satis visum est, fructuarium aliquo tempore verum intelligi domi-
num proprietatis, ad perpetuam confusionem vsusfructus. Ceterùm vbi acquisitio proprietatis
adeò prorsus irrita redderetur, vt à principio rescindatur, perinde atque si nunquã fuisset: omni-
no deberet restitui confusus vsusfructus. Sic enim Papinianus tradidit [i], rescisso per querelam in-
officiosi testamento, legatarium reddita proprietate, quam acceperat ex testamẽto, retinere suum
vsumfructum, quem prius habebat, perinde atque si nunquam fuisset consolidatus proprietati &
confusus. Etenim hic à principio retractantur omnia legata, adeò vt simul etiam restituantur per-
cepti interim fructus [k]. Itaque etiam hic restituuntur hæredi actiones, quæ fuerant per aditionem
confusæ [l]. Hucque pertinet elegans Iaboleni responsum, quod in Pandectis extat his verbis [m]: A li-
berto suo, hærede instituto, Seius vsum fructum fundi Meuio legauit. libertus Meuio hærede reli-
cto decesit: Quæro, cùm contra tabulas testamenti petierit Seii filius aduersus Meuium: vtrum
deducto vsufructu pars debita fundi, ei restituenda sit, an solida: quia eorum bonorum acceperit
possesionem, quæ liberti fuerint, cùm moreretur filius? Respondi: vsumfructum in causam pristi-
nam restituendum puto. Optimum itaque erit arbitrum postulare, vt arbitrio eius vsusfr. in inte-
grum restituatur. Hęc ille. Nec potest sanè non esse ęquisima eiusmodi restitutio in integrum pri-
22 stinumque statum: quam in vniuersum semper fieri velim, vt æquitati cedat subtilitas iuris. Certè
Paulus in vniuersum respondit [n], in omnibus seruitutibus, quæ aditione confusæ sunt, doli exce-
ptionem nocituram legatario, si non patiatur eas iterum imponi. Et reuera iniquum foret, lega-
23 tarium locupletari cum hæredis iactura, & plus cõsequi quàm ei sit relictum. Sed etsi creditor de-
bitori hæres extiterit, deindeque vendat hæreditatem, poterit cum emptore agere, vt seruitutes
confusæ, quas prius habebat, restituantur [o]. ¶ *Quæ res consolidatio appellatur.*] Consolidati vsusfru-
ctus meminerunt Vlpianus [p] & Tryphonius [q].

a L. corruptionem. C. de vsufr.
b L. si vsusf. de iu. do.
c L. arborib. §. vsufructuarius. de vsuf.
d L. si vsusf. de iu. do.
e L. necessario. §. vlt. de peri. & com. rei vend.
f L. si vsuf. de nouat.
g L. si seruus. D. quib. mod. vsusfr. amit.
h L. si tibi. D. qui. mo. vsusfr. amit.
i L. dominus fructuario. de vsufr.
k L. Papiæ §. vlti. de inoff. testamento.
l L. si maritus. C. de inoff. test.
m L. a liberto. de bon. libert.
n L. in omnibus. De serui.
o L. 2. §. cùm quis debitori. de hæred. vel act. vend.
p L. 4. §. nõ solum. L. idem est. de vsuf. accres.
q L. cum in fundo. §. quod si vxor. in fin. de iure dot.

 ¶ *Ea amplius*

¶ *Eo amplius constat.*] Videtur hic locus descriptus ex responso Vlpiani, cuius verba sunt hæc [a]: 24
Rei mutatione interire vsumfructum placet: veluti, Vsusfructus ædium mihi legatus est: ædes cor-
ruerunt, vel exustæ sunt: sine dubio extinguitur vsusfructus: an & areæ? Certissimũ est, exustis ædi-
bus, nec areę, nec cęmentorũ vsumfructũ deberi. Et ita Iulianus ait. Nec sanè obscura est huius loci
ratio: quòd, vt suprà dictum est, sit vsusfructus ius in corpore, quo sublato, & ipsum tolli necesse
est. Nam nec cogitur dominus proprietatis id restituere in gratiam fructuarij: quod etiam Cic. in 25
Topicis eleganter tradidit his verbis: Si ædes exesæ corruerunt, vitiúmve fecerunt, quarum vsus-
fructus legatus est, hæres restituere non debet, nec reficere: non magis quàm seruum restituere, si
is, cuius vsusfructus legatus est, deperisset. ¶ *Si ades.*] Quarum vsusfructus nominatim relictus
est. Nam fundi vsufr. legato, si villa diruta sit, vsusfr. non extinguitur, inquit Vlpianus [b]: quia villa 26
fundi accessio est, non magis quàm si arbores deciderint. Itaque subijcit Paulus, licere vti frui eo 27
solo, in quo villa fuit. ¶ *Consumpta fuerint.*] Obserua vim horum verborum, quæ significant in-
teritum totius rei. Alioqui (inquit Iabolenus [c]) si cui insulæ vsusfructus legatus est: quandiu quæ-
libet portio eius insulæ remanet, totius soli vsumfructum retinet. ¶ *Extingui vsumfructum.*] Neq;
verò tantùm (inquit Vlpianus [d]) si ædes ad aream redactæ sint, vsusfructus extinguitur: verumeti- 28
am si demolitis ædibus testator alias nouas restituerit. Planè si per partes reficiat, licet omnis noua
facta sit, aliud erit nobis dicendum. ¶ *Vt nec area.*] Quia nec eius legatus est vsusfructus, sed æ-
dium: vt sine ijs nequeat subsistere. quanquam alioqui dicatur Area, pars domus, & quidem ma- 29
xima [e]. Sicut & Celsus ait, Solum esse partem ædium [f]. Vnde & si domus pignori data, combusta 30
fuerit, area eius tenebitur, vt inquit Paulus [g]. Porrò si areæ vsusfructus sit legatus, & in ea ædificiũ
sit positum à testatore: constat rem mutari, & ideo vsumfructum extingui [h]. Si tamen adhuc viuo 31
testatore hoc ædificium corruerit, debebitur vsusfructus, vt respondit Africanus [i]: quanquam fa-
tetur contrà non idem iuris esse, si domus vsufructu legato, area deinde ea facta sit.

¶ *Totus vsusfructus.*] Nam si pars tantùm finita fuerit, non statim reuertitur ad proprietatem:
sed plerunque accrescit alteri parti. De quo iure accrescendi nos suprà diximus. ¶ *Nuda proprieta-* 32
tis dominus.] Etiam si ea fortè alteri sit legata pleno iure, sed ex tempore, quod nondum venerit. Vt
si testator legauit vni vsumfru fundi in quinquennium, alteri ex eo tempore fundum: Si interea
prius finiatur vsusfructus ex aliqua causa, hæredis erit, qui adhuc proprietatis dominus est. Sic e-
nim eleganter respondit Scæuola [k]: Vxori vsumfructum villæ legauit in quinquenniũ à die mor-
tis suæ: deinde hæc verba adiecit, Et peracto quinquennio cùm eius vsusfructus esse desierit, tunc
eum fundum illi & illi libertis dari volo. Quæsitum est: Cùm vxor intra quinquennium decesse-
rit, an libertis proprietatis petitio iam, an verò complero quinquennio competat, quia peracto
quinquennio testator proprietatem legauerat? Respondi, Post completum quinquennium fun-
dum ad libertos pertinere.

a L. repeti §. rei mutationi. D. quib. mod. vsusfr. amit.
b L. fundi vsufru. D. qui. mod. vsusfr. ami.
c L. si cui insulæ de vsufr.
d L. quid tamẽ §. 1. D. qui. mod. vsusfr. ami.
e L. quæ res. §. aream. De solut.
f L. solũ. de rei vind.
g L. domo. de pig. act.
h L. repeti. §. vlt. D. qui. mod vsusf. ami.
i L. qui vsumfr. area. de vsufr.
k L. vxori vsumfru. villæ. de vsu & vsufr. leg.

De vsu & habitatione, Titulus V.

IISDEM illis modis, quibus vsusfructus constituitur, etiam nudus vsus constitui solet: ijsdemque illis modis finitur, quibus & vsusfructus desinit. Minus autem iuris est in vsu, quàm in vsufructu. Nam is qui fundi nudum habet vsum, nihil vlterius habere intelligitur, quàm vt oleribus, pomis, floribus, fœno, stramentis, & lignis ad vsum quotidianum vtatur: in eoque fundo hactenus ei morari licet, vt neque domino fundi molestus sit, neque ijs, per quos opera rustica fiunt, impedimento. nec vlli alij ius, quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest: cum is qui vsumfructum habet, possit hæc omnia facere.

Item is, qui ædium vsum habet, hactenus ius habere intelligitur, vt ipse tantùm inhabitet: nec hoc ius ad alium transferre potest: & vix receptum esse videtur, vt hospitem ei recipere liceat, & cum vxore, liberisq; suis: item libertis, necnon personis alijs liberis, quibus non minus, quàm seruis vtitur, habitandi ius habeat. Et cõuenienter, si ad mulierem vsus ædium pertineat, cum marito ei habitare liceat.

Item is, ad quem serui vsus pertinet, ipse tantùm opera atque ministerio eius vti potest: ad alium verò nullo modo ius suum transferre ei concessum est. Idem scilicet iuris est & in iumento.

Sed & si pecorum vel ouium vsus legatus sit: neque lacte, neque agnis, neque lana vtetur vsuarius: quia ea in fructu sunt. Planè ad stercorandum agrum suum pecoribus vti potest.

Sed si cui habitatio legata, siue aliquo modo constituta sit: neque vsus videtur, neq; vsusfructus, sed quasi proprium aliquod ius: quanquam habitationẽ habentibus, propter rerum vtilitatem, secundum Marcelli sententiam, nostra decisione promulgata, permisimus non solùm in ea degere, sed etiam alijs locare.

Hæc

Hæc de seruitutibus,& vsufructu, & vsu, & habitatione dixisse sufficiat. De hæreditatibus autem & obligationibus, suis locis proponemus. Exposuimus summatim quibus modis iure gentium res adquiruntur: modò videamus, quibus modis legitimo & ciuili iure adquiruntur.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 *Vsus pro parte constitui non potest.*
2 *Vsus pars legari non potest.*
3 *Vsus nudus dicitur, qui est sine fructu.*
4 *Apud alium vsus, apud alium fructus, apud aliū proprietas esse possunt.*
5 *Vsuario licet vti in quantum opus habet.*
6 *Vsuarius quantū præstet impēsæ sartorum tectorum.*
7 *Vsus fundi si cui derelict⁹, habitare in fundo ei potest.*
8 *Prædiorum fines tueri interest.*
9 *Vsu syluæ legato, vsusfructus legatus videtur.*

I*Isdem illis modis.*] Est tamen vna in re discrimen: quòd non posit vsus pro parte constitui: posit
1 autem vsusfructus. Sic enim Paulus respondit [a]: Vsus pars legari non potest: nam frui quidem
2 pro parte possumus, vti pro parte non possumus. ¶ *Minus autem.*] Nam vsus nudus constituitur, *a L. vsus pars. de vsu & habit.*
hoc est, sine fructu [b]. At fructui & vsus inest [c], hoc est, emolumentum & commoditas vtēdi, quan-
3 quam non insit ipsum ius vel seruitus: quæ certè à fructu [separari] potest. Itaque potest apud alium *b L. 1. de vsu & habit.*
esse vsus, apud alium fructus sine vsu, apud alium proprieta[s]. Veluti si is qui habet fundum, vsum *c L. per seruū. §. vsuf. de vsu & habit.*
4 Titio legauerit, mox hæres eius tibi fructū legauerit, vel alio modo constituerit [d]. ¶ *Iuris.*] Theophilus vertit ἧττον κέρδ⁹. quasi hic dictum esset, minus lucri vel emolumenti. Sed aptior est vox *d dict. l. per seruum. §. vlt.*
loris. Quia plerunque non minus est lucri vel emolumenti in vsu quàm vsufructu, est tamen semper minus iuris. Nam licet vsuario vti in quantum opus habet, licet eo modo consumátur omnes
5 etiam fructus [e]. Hîc omnes quidem fructus percipit vsuarius: sed magis occasione suæ necessitatis, *e L. fundi. de vsu & habit.*
quàm iure sui vsus. Porrò vt minus iuris semper habet vsuarius, ita & minus oneris. Nam si non
6 percipit omnes fructus, non præstat totam impensam sartorum tectorum [f]. *f L. si domus. D. illo tit.*

¶ *Nam is qui fundi.*] Hîc eleganti compendio perstringit Iustinianus, quæ in Vlpiani responso [g] ex multorum sententijs confusè referuntur. Vtilis tamen fuerit collatio. ¶ *Ad vsum quotidianum.*] *g L. plenū. D. illo tit.*
Qui videlicet sibi suisque sufficiat, & conuiuis, & hospitibus. Aliquanto enim largiùs tum vsuario agendum est pro eius dignitate [h]. Certè cùm quis precariò rogat, vt sibi in fundo morari liceat, respondit Venuleius [i], superuacuum esse adijcere sibi, suisque, quod per se, suis quoque permissum esse videtur. ¶ *In eoq; fundo.*] Id adiectum est ex Caij libro secundo Rerum quotidianarum [k]. ¶ *Vt neque domino.*] volenti scilicet colere, non etiam inhabitare. Vlpianus [l], Si cui (inquit) vsus fundi sit *h dict. l. plenum. §. 1. in fin.* *i L. cum precario. De prec.* *k L. denique. D. illo tit.*
7 relictus, Labeo ait habitare eum in fundo posse, domioumque prohibiturum illò venire: sed colo- *l L. si habitatio. § si vsus. de vsu & habit.*
num non prohibiturum, nec familiam quæ agri colendi causa illic sit. ¶ *Neque ijs per quos.*] Multo minus saltuarijs, qui à domino proprietatis missi sunt, vt fundum custodiant: nam nec ijs im-
8 pedimento esse posset fructuarius. Omnino enim interest fines prędij tueri, inquit Pomponius [m]. *m L. si ita legatus. D. illo tit.*

¶ *Ius quod habet.*] hoc est, emolumentum & vsum ipsius iuris. Cæterùm ius ipsum ne fructuarius quidem alteri concedere potest, quanquam bene posit eius commoditatem, vti nos suo loco diximus. ¶ *Quod habet.*] Et quo ipse potest vti. Alioqui enim, ne sit vsus inutilis, idem poterit, quod
9 fructuarius. Sic enim Imp. Adrianus, cùm quibusdā vsus syluæ legatus esset, statuit vsumfructum quoque ijs legatum videri: quia nisi liceret legatarijs cædere syluam, & vendere, quemadmodum vsufructuarijs licet, nihil habituri essent ex eo legato; vt scribit Pomponius [n]: Idem & vbicunque verisimile esset, testatorem idem sensisse. Vt si testator ei, quem sciebat aurigā esse, legauerit vsum equitij, poterit legatarius etiam equos locare, vt suos solet [o]. *n L. diuus. D. illo tit.* *o L. plenum. §. equitij. D. illo tit.*

§. *Item is qui ædium.*

1 *Ædium vsum habens, ius inhabitandi alteri communicare potest.*
2 *Stipulatio per te non fieri quo minus mihi domo vti liceat, vxore prohibita committitur.*
3 *Mulieri ædium vsu relicto, potest ea & cum marito habitare.*
4 *Arcana domus hereditariæ patere exteris, graue est heredibus.*
5 *Vsus ædium mulieri legatus ea conditione, si à viro diuertisset, maritum non excludit.*
6 *Locare operas serui vsuarius non debet.*
7 *Pecoris vsu relicto, ad stercorandum eo duntaxat vsuarius, non lana etiam, neque agnis vtetur.*
8 *Stercorandi agri vsus non temerè contemnendus.*

¶ *Item is qui ædium.*] Rursus hîc Iustinianus paucis complectitur, & dilucidè refert, quod in Pandectis obscurè & prolixè traditum est septem vel octo responsis. Sed multum profuerit conferre. ¶ *Ad alium transferre.*] Sic vt sibi nihil retineat. Communicare autem non æquè prohibetur. Itaq; & si pensionem habitationis ab alio percipiat, dummodo ipse quoq; inhabitet, nō erit ei inuidēdum, loquit Vlpianus [p]. Quid enim si tam spatiosæ domus vsus sit relictus homini mediocri, *p L. 4. de vsu et habi.*
vt portiun-

vt portiuncula contentus sit? ¶ *Vix receptum esse videtur.*]Receptum tamen est, ex sententia Celsi,
Pauli, Tuberonis, & ipsius Labeonis, qui addidit etiam inquilinum recipi posse. Sed ea in re no-
tatus est à Proculo, qui noluit inquilinum dici eum, qui cum ipso vsuario habitatet. ¶ *Et cum vxo-
re.*]Est hæc (inquit Imp. Gordianus [a]) socia rei humanæ atque diuinæ domus. Et viri vxorisque v-
na domus est, inquit Vlpianus [b]. Itaque & si fuero stipulatus, per te non fieri, quo minus mihi ali- 2
qua domo vti liceat: si vxorem meam prohibeas, committetur stipulatio [c].

¶ *Nec non personis.*]Sed & (inquit Vlpianus [d]) cum ijs habitabit, quos loco seruorum in operis
habet: licet liberi sint, vel serui alieni. ¶ *Cum marito.*]Mulieri si ædium vsus relictus sit, posse eam 3
& cum marito habitare Q. Mutius primus admisit: ne ei matrimonio suo catendum foret, cùm
vti vult domo, vt ait Vlpianus [e]: Sanè cùm pater filię legasset ius transeundi per domum hæredita-
riam, respondit Papinianus, vsum transeundi personæ legatum videri peculiari quodam filiæ af-
fectu, nec ad exteros transire, quibus graue esset hæredibus patere arcana domus hæreditariæ. Sed
disertè adiecit idem Papinianus [f], marito eius filiæ præstari ius transeundi: quia non videatur alio- 4
qui filiæ præstari. Et cùm vxor stipulata esset, per te non fieri, quo minus ei liceat vti aliqua domo:
responsum est [g] committi stipulationem, si vel eius maritus prohibeatur. Vtque magis intelliga-
mus vim indiuiduæ consuetudinis, quæ est inter virum & vxorem: si vsus ædium mulieri legatus
sit ea conditione, si à viro diuertisset: Respondit Vlpianus [h], nihilominus eam cum marito habi- 5
taturam, remissa conditione, vtpote quæ turpis sit, & quam boni mores obseruari vetent, vt rescri-
pserunt Imperatores Valerianus & Galienus [i]. Sed & si viduæ legatus sit ædium vsus: nuptijs post
constitutum vsum contractis, mulier cum marito habitare poterit [k].

¶ *Item is ad quem.*]Inquit Vlpia[illegible]: Si vsus ministerij alicui fuerit relictus, ad suum ministe-
rium vtetur, & liberorum coniugis[illegible], neque videbitur alij concessisse, si simul cum ipsis vtatur.
Addit deinde: Operas autem serui vsuarius non locabit, neque alij vtendas concedet, & ita Labeo 6
ait: Quemadmodum enim concedere alij operas poterit, cùm ipse tantùm vti debeat? &c.

¶ *Sed & si pecorum.*]Hic quoque locus descriptus est ex Vlpiano: sed quia magnam lucem ad-
det collatio, non grauabor eius verba, quæ paulò latius patent, adijcere. Inquit itaque [m]: Sed si pe-
coris vsus relictus sit, puta gregis, ouilis, ad stercorandum duntaxat vsurum Labeo ait: sed neque 7
lana, neque agnis, neque lacte vsurum: hæc enim magis in fructu esse. Hoc amplius, etiam modi-
co lacte vsurum puto. neque enim tam strictè interpretandæ sunt voluntates defunctorum. Sed si
boum armenti vsus relinquatur, omnem vsum habebit, & ad arandum, & ad cætera, ad quę boues
apti sunt. ¶ *Ad stercorandum agrum.*] Cuiusmodi vsum non temerè contemnent prudentes agri-
colæ, quos saturare fimo pingui non pudet sola, vt est apud Poëtam. Deinde potest etiam alius esse 8
stercorum vsus. Multis enim populis ad incrustandos domuum parietes, fimus pro gypso est. Eo-
dem contuso, & ad solem exiccato, multi vtuntur lignorum vice: quemadmodum etiam quodam
loco scribit Vlpianus [n], Cyprij suos boues olim non nisi stercore saginabant.

a L. aduersus. C. de crimi. expil. hæred.
b L. 1. §. si vir aut vxor. D. ad Sen. Syllan.
c L. si stipulatus fuero per te nō fieri de ver. obligat.
d L. 4. §. 1. De vsu & habitat.
e dict. l. 4. §. mulieri.
f L. pater filiæ. De seruit. lega.
g d. l. si stipulatus fuero per te non fieri.
h L. sed neque. §. 1. De vsu & hab.
i L. reprehendēda. C. de instit. & subst.
k L. 4. §. vlti. De vsu & habitat.
l L. plenum. §. si vsus. De vsu & habitat.
m d. l. plenum. § sed si pecorum.
n L. figul. §. lignorum. De legat. 3.

§. *Sed si cui habitatio.*

1 Habitatio differt ab vsu & vsufructu, nec aliter quàm morte finitur.
2 Habitationis legato quando contineatur ædium proprietas.
3 Locationis licentia datur habitationis legatario.

¶ *Proprium aliquod ius.*]Quod quanquam personæ cohæreat [o], differt tamen & ab vsu & ab v-
sufructu. Primùm enim non nisi in ædibus consistit, nec nisi morte naturali finitur, non etiam ca- 1
pitis deminutione, vel non vtendo [p]. Porrò ne aliter antecellat vsumfructum, Iustinianus sua con-
stitutione cauit [a]: néve ius dominij tribuat, nisi (inquit Iustinianus) specialiter euidentissimis pro-
bationibus possit legatarius ostendere, dominium eius domus sibi esse relictum. Interdum enim
habitationis legato continetur ædium proprietas, si appareat testatorem habitationis verbo si-
gnificasse ipsam domum, vel ædificium, vti sæpe [b] fit: vt si quis legaret habitationem suam, (neque 2
enim possunt ea verba intelligi de seruitute) vel habitationem certo loco sitam. Nam ius seruitu-
tis cùm sit incorporale, non est aliquo certo loco situm.

¶ *Secundum Marcelli sententiam.*] Iustinianus in sua Constitutione non meminit Marcelli: sed
tantum indicat Iuris autores hac de re iurgatos. nec puto in Pandectis extare hanc Marcelli sen-
tentiam. extat autem Iuliani responsum: habitationem commodari posse [c]. Sed nec quenquam
veterum reperio, qui nominatim neget habitationem locari posse. Vlpianus certè ex Papiniani
sententia putauit donari nō posse [d], quia crederet legatum vsus & habitationis effectu penè idem
esse. Porrò autem Marcellum, cuius hîc fit mentio, fuisse Antonino Pio Imp. in consilio, cùm Iura
conderet, autor est Capitolinus.

¶ *Nostra decisione.*]Extat hæc adhuc Iustiniani decisio [e]: quæ ait, ad humaniorem inclinare sen-
tentiam, si habitationis legatario detur etiam locationis licentia. Quid enim (inquit) distat, siue
ipse legatarius maneat, siue alij cedat, & mercedem accipiat?

o L. si habitatio. D. quādo dies legati ced.
p L. si habitatio. de vsu & habit. l. legatū. de cap. dimin.
a L. cùm antiquitas. C. de vsufr.
b L. Seia. §. Caio. De fund. instruct.
c L. 1. §. inter, in fi. D. commo. l. si gratuitā. De præscrip. verb.
d L. si habitatio. De vsu & habit.
e L. cùm antiquitas. C. de vsufr.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

Vsucapionis originem rationemque altius repetenti venit in mentem, quòd olim priscis illis Romanorum temporibus, qui agrum passus fuisset sordescere, aut socordia
1 *sterilescere, notabatur infamia à Censoribus: fiebatque Aerarius. Sed & magnus ille Rex apud Xenophontem Cyrus, si quando in regionem bene cultam venisset, solebat*
2 *eorum hominum industriam laudare: quibus etiam agros plures ad colendum dabat. Contrà verò, si neglectam vel incultam offendisset, grauiter damnabat, multabatque. Adeò visum est Reip. interesse, vt sedulò agri colerentur. Verùm si id impetrare aliquis velit, primùm necesse est, vt certa sint rerum dominia: nec à litibus pendeant incertæ possessiones. Quis enim alioqui volet agrum seriò colere, si fuerit semper integrum veterem turbare colonum, vel insitas ab alio pirus, positasque ordine vites, post multa secula decerpere? Certè Thucydides lib. 1. testatur, olim Graciam malè ex-*
3 *cultam fuisse, quòd essent incerta rerum dominia, potentiorum iniurijs obnoxia:* οὐδὲ (inquit) γῆν φυτεύοντες, ἄδηλον ὄν, ὁπότε τις ἐπελθὼν (καὶ ἀτειχίστων ἅμα ὄντων) ἄλλος ἀφαιρήσεται. *Rectè itaque prudentes*
4 *Romani iudicarunt tuendam autoritatem vsucapionis: quam Caius[a] ait, bono publico introductam,* a L.1.de vsucap.
ne quarundam rerum diu & ferè semper incerta dominia essent: et vt aliquis litium finis esset, quemadmodum inquit[b] Neratius. Nec sanè aliter constare possunt humana commercia. Quis enim cum b L.vlt.D.pro suo.
alio vellet contrahere, quis ab alio emere, si nullius rei vnquam esset possessio secura? Quomodo publicam tranquillitatem tuebimur, iniuriásque arcebimus, si perpetuò liberum sit, rem, per multorum iam manus peruagatam vindicare prætextu alicuius prisci exoletique tituli? Quàm graues & infinitæ in Republica turbæ concitarentur, si tot essent rescindendi cõtractus, tot successiones exinaniendæ, tot possessores expellendi? Quam (inquit Tullius libro secundo Offic.) habet æquitatem, vt agrum multis annis, aut etiam seculis antè possessum, qui nullum habuit, habeat: qui autem habuit, amittat? Hîc quæ mihi occurrit memorabilis historia, quam idem Tullius refert. Cùm Aratus Sicyo-
5 *nem patriam suam per quinquaginta iam annos à tyrannis oppressam liberasset, occiso tyranno Nicocle: ac sexcentos exules, qui fuerant eius ciuitatis locupletissimi, iniuria expulsos restituisset: animaduertens magnam in bonis & possessionibus difficultatem, quòd & iniquum arbitraretur, eos, quos restituerat, quorúmque bona alij possidebant, egere: & rursus quinquaginta annorum possessiones mouere non nimis æquum putaret, propterea quòd tam longo spacio multa hæreditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur sine iniuria: grauiter iudicauit, neque illis adimi, neque his non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Itaque Alexandriam profectus, à Ptolemæo grandem accepit pecuniam: cuius subsidio perfecit, vt nec temerè aliquid in Republica moueret: & restituti domini mallent numerari sibi, quod tanti esset, quàm suum recuperare. Qua ratione sine cuiusquam iniuria curauit, ne diuturnæ rerum possessiones nouarentur: quod intelligebat fieri non posse sine magno Reipublicæ malo. Hæ sunt grauissimæ vsucapionis causæ, & ciuilis autoritatis, quæ possessorem facit dominum.* Quædam *(inquit Flaccus)* si credis consultis, mancipat vsus. *Interim si quem angat nescio quis conscientiæ scrupulus, potest rem priori domino restituere, si velit. Porrò*
6 *Modestinus[c] definit vsucapionem, esse acquisitionem vel adiectionem dominij, per continuationem* c L.3.de vsucap.
possessionis, temporis lege definiti. Dicta est autem vsucapio, quòd per vsum aliquid capiat, & auferat. Scribitque Gellius libro septimo, veteres vsuscapionem, duplicatis ex integro vocabulis, dixisse. Nec est nostris Iurisconsultis infrequens tmesis, siue sectio huius vocis. Quod attinet ad Præscri-
7 *ptionis nomen: constat eam propriè nihil aliud significare, quàm exceptionem. Et ad hunc quidem modum hac voce passim vtuntur nostri Iurisconsulti. Postea tamen factum est, vt præscriptio specialiter accipiatur pro vsucapione rerum immobilium. Sed hæc hactenus præfati, tandem videamus, quæ res, quo tempore, & quomodo acquiramus per vsucapionem. hæc enim docet Iustinianus hoc titulo. Si quis alia requirat, ex nostris ad XII. Tabulas commentarijs repetere potest.*

De vsucapionibus & longi temporis præscriptionibus, Tit. VI.



VRE Ciuili constitutum fuerat, vt qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cùm crederet eum dominum esse, rem emerit, vel ex donatione, aliáve quauis iusta causa acceperit: is eam rem, si mobilis erat, anno vbiq; vno: si immobilis, biennio tantùm in Italico solo vsucaperet, ne rerum dominia in incerto essent.

Et cùm hoc placitum erat putantibus antiquioribus, dominis sufficere ad inquirendas res suas præfata tempora: nobis melior sententia resedit, ne domini maturius suis rebus defraudentur, neque certo loco beneficium hoc concludatur. Et ideo Cōstitutionem super hoc promulgauimus, qua cautum est, Vt res quidem mobiles, per triennium: immobiles verò per longi temporis possessionem (id est, inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis) vsucapiantur. Et his modis non solùm in Italia, sed etiam in omni terra, quæ nostro imperio gubernatur, dominia rerum, iusta causa possessionis præcedente, adquirantur.

Sed aliquando etiam si maximè quis bona fide rem possederit: non tamen illi vsucapio vllo tempore procedit: veluti si quis liberum hominem, vel rem sacram, vel religiosam, vel seruum fugitiuum possideat.

Furtiuæ quoque res, & quæ vi possessæ sunt, nec si prædicto longo tempore bona fide possessæ fuerint, vsucapi possunt. Nam furtiuarum rerum Lex duodecim Tabularum, & Lex Attilia inhibent vsucapionem: vi possessarum, Lex Iulia & Plautia. Quòd autem dictum est, furtiuarum & vi possessarum rerum vsucapionem per leges prohibitam esse: nō eò pertinet, vt ne ipse fur, quíve per vim possidet, vsucapere possit, (nam his alia ratione vsucapio non competit, quia scilicet mala fide possident) sed ne vllus alius, quamuis ab eis bona fide emerit, vel ex alia iusta causa acceperit, vsucapiēdi ius habeat. Vnde in rebus mobilibus nō facile procedit, vt bonæ fidei vsucapio competat. Nam qui sciens alienam rem vendiderit, vel ex alia causa tradiderit, furtum eius committit. Sed tamen id aliquando aliter se habet. nam si hæres rem defuncto commodatam, aut locatam, vel apud eum depositam, existimans hæreditariam esse, bona fide accipienti vendiderit aut donauerit, aut dotis nomine dederit: quin is, qui acceperit, vsucapere possit, dubium non est: quippe cùm ea res in furti vicium non ceciderit: cùm vtique hæres, qui bona fide tanquam suam alienauerit, furtum non committat.

Item si is, ad quem ancillæ vsusfructus pertinet, partum suum esse credens vendiderit, aut donauerit: furtum non committit. Furtum enim sine affectu furandi non committitur.

Alijs quoque modis accidere potest, vt quis sine vicio furti, rem alienam ad aliquem transferat, & efficiat, vt à possessore vsucapiatur.

Quòd autem ad eas res, quæ solo continentur, expedit: ius ita procedit, vt si quis loci vacantis possessionem propter absentiam aut negligentiam domini, aut quia sine successore decesserit, sine vi nanciscatur: quamuis ipse mala fide possideat (quia intelligit se alienum fundum occupasse) tamen si alij bona fide accipienti tradiderit, poterit ei longa possessione res adquiri: quia neque furtiuum, neque vi possessum acceperit. abolita est enim quorundam veterum sententia, existimātium etiam fundi locíve furtum fieri. Et eorum vtilitati, qui res soli possident, Principalibus constitutionibus prospicitur, ne cui longa & indubitata possessio debeat auferri.

Aliquando etiam furtiua vel vi possessa res vsucapi potest: veluti si in domini potestatem reuersa fuerit, tunc enim vicio rei purgato, procedit eius vsucapio.

Res fisci nostri vsucapi non potest. Sed Papinianus scripsit, bonis vacantibus fisco nondum nunciatis, bonæ fidei emptorem traditam sibi rem ex his bonis vsucapere posse: & ita Diuus Pius, & Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

Nouissimè sciendum est, rem talem esse debere, vt in se non habeat vicium, vt à bonæ fidei emptore vsucapi possit, vel qui ex alia iusta causa possidet.

Error autem falsæ causæ vsucapionem non parit: veluti si quis cùm nō emerit, emisse se existimans, possideat: vel cùm ei donatum non fuerit, quasi ex donatione possideat.

Diutina possessio, quæ prodesse cœperat defuncto, & hæredi & bonorum possessori continuatur, licet ipse sciat prædium alienum esse. Quòd si ille initium iustum nō habuit, hæredi, & bonorum possessori, licet ignoranti, possessio non prodest. quod nostra Constitutio

tutio similiter & in vsucapionibus obseruari constituit, vt tempora continuentur.

Inter venditorem quoque & emptorem coniungi tempora, Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.

Edicto Diui Marci cauetur, eum, qui à fisco rem alienam emit, si post venditionem quinquennium præterierit: posse dominum rei exceptione repellere. Constitutio autem diuæ memoriæ Zenonis benè prospexit ijs, qui à fisco per venditionem, aut donationem, vel alium titulum accipiunt aliquid: vt ipsi quidem securi statim fiant, & victores existant, siue experiantur, siue conueniantur.

Aduersus autem sacratissimum Aerarium vsque ad quadriennium liceat ijs intendere, qui pro dominio vel hypotheca earũ rerum, quæ alienatæ sunt, putauerint sibi quasdam competere actiones. Nostra autem diuina Constitutio, quã nuper promulgauimus, etiam de ijs, qui à nostra vel venerabilis Augustę domo aliquid acceperint, hęc statuit quę in fiscalibus alienationibus præfatæ Zenonianæ Constitutionis continentur.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Vsucapio tota nititur autoritate Iuris ciuilis.*
2 *Emptor bonæ fidei quis?*
3 *Lex Platonis de vsucapionibus rerum mobilium.*
4 *Autoritas fundi biennium est.*
5 *Annus quot diebus constet.*
6 *Dies postremus quando dicatur completus.*
7 *Seruitutes vsucapi possunt longa quasi possessione.*
8 *Diuturna quasi possessio quæ?*
9 *Vsucapionis primum fundamentum possessio.*
10 *Vsucapere per seruos & filios possumus.*
11 *Vsucapionis cursus quomodo interrumpatur.*
12 *Præsentes qui intelligantur?*
13 *Vsucapionibus dominia rerum transferuntur.*
14 *Seruus diuturna possessione potest libertatem consequi.*
15 *Vsucapio serui fugitiui cur locum non habeat.*

I*Vre ciuili constitutum fuerat.*] Refert hoc loco Iustinianus antiquum Ius: sed quod in duobus tantùm, nempe loco & tempore, est immutatum. Nam reliqua olim constituta, quæ hîc referũtur:
1 nempe de bona fide, titulo, & traditione, adhuc obtinent. Semper autem tota Vsucapio nititur autoritate Iuris Ciuilis. Vnde Tullius pro Cecinna, Fundus (inquit) à patre relinqui potest: at vsucapio fundi, hoc est, finis solicitudinis à periculo litium, non à patre relinquitur, sed à legibus. Apud eundem in Oratione de responsis Aruspicum, Ius autoritatis, hoc est, vsucapionis, confertur iuri hæreditario. ¶ *Bona fide.*] Modestinus [a] scribit, Bonę fidei emptorem videri, qui aut ignorauit eam [a L. bonæ fidei. De verb. & rer. signific.]
2 rem alienam esse: aut eum, qui vendidit, ius putauit vendendi habere: puta procuratorem aut tutorem esse. Et in dubio quidem præsumitur emptor esse bonæ fidei, etiam si fortè sibi solicitè caueat in contractu [b]. ¶ *Emerit.*] Reuera. Omnino enim oportet eum hic emisse: nec suffecerit opinio. Quod nos paulò pòst excutiemus, vbi agendum erit de titulo vel causa vsucapionis. [b L. non ex eo. C. de euictionibus.]
3 ¶ *Anno vbiq; vno.*] Apud Platonem lib. 12. de Legib. extat hæc lex De vsucapionibus rerum mobilium: vt qui ijs in vrbe apertè anno integro vsus fuerit, nec occuluerit, nemoque interea eas petierit, earum dominus esse intelligatur: nec cuiquã deinde liceat post annum rem illam tanquam suam reposcere: quòd si in agris vtatur, quinquennio vsucapio compleatur. Si domi in vrbe, triennio. Si in agris domi & occultè, decennio. Sed si in alia quapiam regione vel prouincia: nullius e-
4 rit temporis præscriptio. ἐὰν (inquit) ἐν ἀλλοδημίᾳ, τοῦ παντὸς χρόνου, ὅταν ἂν εὕρῃ, μηδεμίαν εἶναι προθεσμίαν τῆς ἐπιλήψεως. ¶ *Si immobilis, biennio.*] Tullius pro Cecinna, Lex (inquit) iubet vsum & autoritatem fundi, esse biennium. quod idem Tullius in Topicis ad ædes trahit, argumento à pari. Meminit & huius biennij Plinius libro quinto epistolarum. Et Iustinianus alibi indicat [c], illud quoque olim sufficisse ad seruitutem amittendam: nempe si quis ea vsus non esset biennio. [c L. corruptionẽ. C. de vsufr. l. pen. vsumf. C. de seruit.]
¶ *Constitutionem promulgauimus,*] Extat hæc Iustiniani Constitutio lib. 7. Codicis [d]. Cuius col-
5 latio non parum lucis adferet huic loco. ¶ *Per triennium.*] Annus constat diebus 365. quemadmodum etiam nominatim tradiderunt nostri Iurisconsulti [e]. Itaque priusquam rem mobilem vsuceperimus, oportet eam legitimè possedisse diebus mille nonagintaquinque: vt si vel vna tantùm defuerit diecula, frustranea sit totius temporis prioris possessio [f]. adeò multa sæpe maxima rerũ momenta puncto temporis vertuntur, inquit Liuius. Sufficit tamen hic attigisse postremum diem triennij: nec est necesse totum compleuisse. Sic enim respondit Venuleius [g]: In vsucapione ita seruatur, vt etiam si minimo momento nouissimi diei possessa sit res, nihilominus expleatur vsucapio: nec totus dies exigitur ad explendum constitutum tempus. Sic & Vlpianus [h], In vsucapionibus (inquit) non à momento ad momentum, sed tantùm ad postremum diem computamus. Ideoque qui hora sexta diei Calendarum Ianuariarum possidere cœperit: hora sexta noctis pridie Calendas Ianuarias implet vsucapionem. Admonendi autem sumus in vsucapione actionum, requiri nouissimum totum diem impletum, vt respondit Paulus [i]. Nec tamen fit de momento ad momentum computatio: sed satis est, nouissimum diem impletum esse. Veluti si sexta hora diei Calendarum Ianuariarum mutuum tibi dederim: perimetur actio post annos triginta, hora [d L. vnic. C. de vsucap. transformanda.] [e L. ita vulneratus §. D. ad leg. Aquil. l. cũ hæres. §. Stichus. de statu libe.] [f L. sed etsi per Prætorem. §. quoties. D. ex quib. cau. maior.] [g L. penult. de diuers. temp. præscrip.] [h L. in vsucapionib. de vsucap.] [i L. in omnibus. de act. & oblig.]

sexta noctis Calendarum Ianuarij. Postremus enim dies tum est completus. etenim pridianum 6
diem, non autem eum, quo quid fieri cœpit, postremum siue nouissimum in iure dici constat.

a L. seruitutes prædiorum de seruitu.
b L. sequitur. §. vl. de vsucap.
c L. si quis diuturno. D. si ser. vind. l. 1. §. vlt. de aqua pluu. arcend.
d L. 2. C. de seruit. & aqua.
e L. 1. C. illo tit.

¶ *Immobiles verò.*] Sicuti & incorporales, veluti seruitutes. Nam quàuis eę summo iure propriè v-
sucapionem non admittant [a], id etiam prohibente lege Scribonia [b]: postea tamen à Prætoribus &
Iurisconsultis ex æquo & bono hæc res temperata est: contemptaq; veteris iuris subtilitate, in vni-
uersum permissum est, vt seruitutes longa quasi possessione & vsu diuturno vsucapi & acquiri pos- 7
sent: vtque ritè vsucaptæ deberentur, non secus, atque si iure forent impositæ [c]. Ipsam autem diu-
turnam quasi possessionem ipsi postea Cæsares interpretati sunt, esse decem annorum inter præ- 8
sentes, viginti inter absentes, exemplo rerum corporalium: ad quarum similitudinem vsucapio
seruitutum redacta est. Vnde Antoninus Imp. rescripsit [d]: Si aquam per possessionem Martialis eo
sciente duxisti: seruitutem exemplo rerum immobilium tempore quæsisti. Idem paulò antè re-
scripserat [e]: Longi temporis consuetudinem, vicem seruitutis obtinere, modò nec vi, nec clam, nec
precariò, quis possederit. ¶ *Per longi temporis possessionem.*] Primum vsucapionis fundamentum est, 9

f L. sine possessione. de vsucap.
g L. si alienã. de mor. cau. donat.
h L. indebiti. §. vl. de cond. inde.

possessio [f]. Sed ea sufficit, quæ animo retinetur: saltem ad complendam vsucapionem. Nam & ab-
sens eam potest complere. Vt autem per seruos & filiosfa. nostros possidemus: ita & vsucapere pos- 10
sumus. Sed & si alienã rem mortis causa donauero, ea mihi vsucapietur per donatarium [g]: eamque
vsucaptam ipse consequar, si conualuero, non secus atq; meam. Idem & in mutuo. Nam si frumen
tum alienum tibi mutuo dederim, idq; constituto tempore vsuceperis, mihi proderit vsucapio, vt
videar tibi rem meam mutuo dedisse [h]. Deniq; si alienam pecuniam per errorem tibi soluerim in-
debitam: si eam vsuceperis, mihi vsucepisti. Itaque potero condicere. Sed vt ad rem redeam, saltem
videmus aliquam semper esse necessariam possessionem: quam etiam dicimus continuam esse de-
bere, nec interruptam. Interrumpitur autem propriè & naturaliter vsucapionis cursus amissa pos-
sessione. Interrumpi quoque ciuiliter dicitur iudicio accepto, siue per litis contestationem, atque 11

i L. 2. C. de annal. except.
k L. si post acceptũ. de rei vind.
l L. mora litis. C. de rei vind.

adeò per oblationem libelli, vt loquuntur, de qua Iustinianus agit in sua Constitutione [i]. Sed hæc
interruptio ciuilis sic accipienda est, nõ quòd reuera vsucapionis progressio impediatur: sed quòd
vsucapio pendente iudicio completa non prosit possessori, si aduersus eum sententia feratur, & ni-
hilominus vindicanti domino res sit restituenda. Caius [k], Si post acceptum (inquit) iudicium pos
sessor vsu hominem ceperit: debet eum tradere. Huc pertinet rescriptum Diocletiani [l], Moræ litis
causam possessoris non instruunt ad inducendam longæ possessionis præscriptionem: quę post li-
tem contestatam in præteritum æstimatur: Ergo nisi ante litem cõtestatam inducta fuerit, frustra
post eam induceretur. ¶ *Id est, inter præsentes.*] Adijcit Iustinianus necessariã interpretationem, &
definitionem longi temporis: cuius simpliciter meminerunt veteres Iuriscõsulti, quibus nota non
fuit longioris temporis præscriptio. Sed posteriores Cæsares introduxerunt aliam longissimi tem
poris nempe 30. vel 40. annorum, quibus omnes omnino actiones tolluntur, & iudicijs foroque

m L. omnes. C. de præscrip. 30. vel 40. ann.
n l. 1. §. ad hæc. C. de anna. except.
L. vltim. C. de præscrip. lon. temp.

sum mouentur [m].

¶ *Præsentes.*] Præsentes hic esse intelliguntur, qui in eadem prouincia domicilium habẽt, quem- 12
admodum Iustinianus ipse constituit [n]: qui etiam addit, quod ad res ipsas, quæ vsucapiuntur, atti-
net, nihil interesse, an præsentes sint, an absentes, aut quocunq; tandem loco sitæ fuerint. quia hic
non rerum, sed personarum habeatur ratio. Quòd si quis partim præsens, partim absens fuerit: ad
decennium tot annorum fieri debet accessio, quot is abfuerit: saltem si non plusquam decem an-
nis abfuerit. Qua de re extat etiam Iustiniani Constitutio Nouella 119. ¶ *Dominia.*] Traditionibus

o L. traditionibus. C. de pact.
p L. nullo. C. de rei vind.
a L. 4. C. de præscrip. long. temp.
b L. Celsus. de vsuca.

& vsucapionibus dominia rerum transferri, rescripserunt Diocletianus & Maximianus [o]. Et Ho- 13
ratius lib. 2. epist. ait, Quædam, si credis Consultis, mancipat Vsus. ¶ *Iusta caussa possessionis.*] Nam
rescriptum est à Diocletiano & Maximiano [p], Nullo iusto titulo præcedente possidentes, ratione
iuris prohiberi quærere dominium: & ideo, quia cesset vsucapio, intentionem dominij nunquam
absumi. Iidem alio loco rescripserunt [a], Diutinam possessionem tantùm iure successionis sine titu-
lo obtentam, prodesse ad præscriptionem hac sola ratione non posse. Celsus quoque errare scribit
eos [b], qui existimarent, cuius rei quisq; bona fide adeptus sit possessionem, pro suo vsucapere eum
posse, & nihil referre, emerit, nec ne: an ei donatum sit, nec ne si modò emptum vel donatum sibi
existimauerit. Quia neque pro legato, neque pro donato, neque pro dote, vsucapio valet, si nulla
donatio, nulla dos, nullum legatum sit.

c L. vl. C. de lon. tem. præscri. quæ pro liber.
d L. 2. C. de lon. temp. præscri. quæ pro liber.
e L. 1. C. de ser. fugit.

¶ *Liberum hominem.*] Constantinus rescripsit; Sola temporis longinquitate, etiam si sexaginta
annorum curricula excesserit, libertatis iura minimè mutilari. Cæterùm vt seruus consequatur li- 14
bertatem certam, fieri potest diuturna eius possessione, nempe annorum [d] viginti. Mortuus au-
tem, videtur quinquennio consequi iura libertatis: quia post id tempus non liceat de eius statu
quærere. ¶ *Rem sacram vel religiosam.*] Id non videtur fuisse tempore Ciceronis nominatim Iure Ci-
uili definitum: fortè quod alioqui satis esset notum. Nam Cicero in Oratione de Aruspicũ respõsis
ait: Si minus Iure Ciuili præscriptum est, Lege tamen naturæ, communi Gentium iure sancitum
est, vt nihil mortales à Dijs immortalibus vsucapere possint. ¶ *Seruum fugitiuum.*] Rescriptum ex-
tat Impp. Diocletiani & Maximiani [e]: Seruum fugitiuum sui furtum facere, & ideo non habere lo
cum, nec vsucapionem, nec longi temporis præscriptionem.

§. *Furtiua.*

1 Vi possessa res quando possit vsucapi? *2 Lex Atinia quæ?*

3 Ancilla

3 *Ancillæ furtiuæ partus an poſſit vſucapi.*
4 *Error iuris prodeſt ad tollendam doli ſuſpicionem.*
5 *In vſucapione rerum immobilium, non requiritur bona fides tradentis.*
6 *Poſſeſsio longiſsimi temporis quæ, & vbi requiratur?*
7 *Furtiua res & vi poſſeſſa quando vſucapiatur.*

¶ *Furtiua quoque res.*] Quarum proprietas vitio furti eſt affecta. Nam ſi tantùm poſſeſsio, non impediretur vſucapio. Vt ſi debitor pignus creditori ſuo ſubtraxiſſet.[a] ¶ *Et quæ vi.*] Qua aliquis de ſua poſſeſsione deturbatus, eiectusque eſt. Cæterùm ſi terrore coactus ſit rem tradere: res poterit vſucapi ab aliquo bonæ fidei poſſeſſore[b]. Porrò præter furtiuas & vi poſſeſſas res, addit Paulus[c] etiam eas, quæ contra legem Repetundarum Proconſuli vel Prætori donatæ ſunt, non poſſe vſucapi priuſquam in poteſtatem eius, à quo profectæ ſunt, hæredisve eius, veniant. ¶ *Poſſeſſa.*] Aliquan-
1 do ſaltem ab eo qui vim intulit. Alioqui ſi ipſe nunquam rem poſſediſſet, non omnino impeditetur rei vſucapio. Vnde Paulus[d]: Si tu vi me expuleris de fundi poſſeſsione, nec apprehẽderis poſſeſsionem, ſed Titius in vacuam poſſeſsionem intrauerit: poterit longo tempore capi ea res. Quamuis enim interdictum Vnde vi, locum habeat, quia verum eſt me vi deiectum: non tamen verum eſt, & vi poſſeſſum eſſe. ¶ *Prædicto longo tempore.*] Nempe 10. aut 20. annorum. Cæterùm annis 30. & rei vitium elui, & omnem actionem tolli conſtat[e]. ¶ *Lex Atilia.*] Alij legunt, ATINIA. Huius autem legis verba refert Gellius lib. 17. c. 7. QVOD SVRREPTVM ERIT, EIVS REI ÆTER-
2 NA AVTORITAS ESTO. ¶ *Sed tamen.*] Non erat hîc admodum opus aduerſatiua particula. Non enim hîc ait vſucapi aliquando rem furtiuam. ſed eam, quam ab eo, qui eam ſine vitio furti primùm nactus erat, quis bona fide accepit. Quia tamen dictum erat vſucapionem in rebus mobilibus non facilè procedere, quia aliquod furti vitium habere ſoleant: rectè Iuſtinianus hîc vtitur aduerſatiua vocula, dicturus id non eſſe perpetuum.

> a L. 4. § ſi rem pignori. de vſucap.
> b L. 3. C. quod me. cau.
> c L. pen. D. ad leg. Iul. repetund.
> d L. 4. §. ſi tu vi. De vſucap.
> e L. 1. § adde C. de annali excep. l. ſicut. C. de præſcript. 30. vel 40. anno.

¶ *Item ſi is, ad quem ancilla vſufr.*] Alio ſuperius loco Iuſtinianus definiens veterum Prudentum controuerſiam, apertè docuit partum ancillæ non eſſe in fructu. Hinc pendet propoſiti thematis
3 deciſio. Sed malè me habet, quòd non explicuerit aliud quoque, nempe, an ancillæ furtiuæ partus poſſit vſucapi. Nam is articulus maximè pertinet ad tractatum vſucapionis rerum furtiuarum: & præcipuè merebatur Iuſtiniani ſententiam, quia inter veteres Iuriſconſultos ſit admodum controuerſus: atque adeò ſine vlla certa definitione relatus in Pandectis: in quibus legimus reſponſa hac de re apertè pugnantia[f]. ¶ *Partum ſuum eſſe credens.*] Hic fuit error iuris: quia ſtatutum eſt, partum non eſſe in fructu. Quanquam autem iuris error poſſeſſoribus non proſit in vſucapione[g]: ta-
4 men prodeſt ad tollendam doli ſuſpicionem: quo quidem ſatis eſt caruiſſe hunc, qui rem tradit, vt is poſſit vſucapere, qui accipit, cùm non verſetur in eodem iuris errore, ſed nitatur ſuo vero titulo.

¶ *Alijs quoque modis.*] Veluti ſi quis exiſtimans hæreditatem ad ſe pertinere, quæ tamen non pertinebat, bona fide in alium tranſtulerit rem aliquam tanquam hæreditariam.

5 ¶ *Ius ita procedit.*] Longè ſcilicet expeditius, quàm in rebus mobilibus: propterea quòd in vſucapione rerum immobilium non ita requiratur bona fides tradentis.

> f diſt. l. 4. §. hæres. ſi ſtantequam. §. de illo. l. non ſolum. l. iuſto §. etſi poſſeſsionis. l. ſi aliena. §. Scæuola. l. ſi ancillam. D. pro ſuo. l. qui ob pactionem. D. pro empt.
> g L. nunquã. de vſuc.

¶ *Loci vacantis propter abſentiam aut negligentiam domini.*] Hæc ita coniuncta perſpicuè oſtendũt hîc agi de loci poſſeſsione etiam animo relicta: ſic, vt omnino pateat apprehenſioni & occupationi alterius, nempe vſucapturi: quia nihilominus ille adhuc ſit dominus, nec cum poſſeſsione perdiderit dominium[h]. Porrò autem diuturnam abſentiam, ex qua conijciamus neglectam vel abiectam poſſeſsionem, iudex ex circumſtantijs melius æſtimabit.

> h L. ſi quis vi. §. 1. De acquir. poſſ.

¶ *Poterit et longa poſſeſsione res acquiri.*] Hunc Iuris articulum poſtea Iuſtinianus immutauit, parem faciens cauſam eius, qui à malæ fidei poſſeſſore accepit, atque poſſeſſoris malæ fidei: quia in v-
6 troque pariter deſiderat longiſsimi temporis poſſeſsionem, nempe triginta annorum: ſaltem vbi verus dominus eſt ignarus. Verba Iuſtiniani in Nouella Conſtitut. 119. ſunt hæc: εἰ ἀγνοεῖ ὁ ἀληθὴς τῶν πραγμάτων δεσπότης, καὶ ὅτι τὰ πράγματα αὐτῷ προσήκει, καὶ ὅτι γέγονεν ἡ ἐκποίησις: κελεύομεν μὴ ἄλλως τοῦτον ἀποκλείεσθαι, πλὴν εἰ μὴ διὰ τῆς παραγραφῆς τῆς τριακονταετίας: μὴ δυναμένου λέγειν τοῦ τὰ πράγματα τούτῳ τῷ τρόπῳ νεμομένου, ὅτι αὐτὸς καλῇ πίστει νέμεται, ὅτε παρὰ τοῦ κακῇ πίστει νεμηθέντος ταῦτα ἐκομίσατο. [ſi ignorat verus rerum dominus, & quia res ei competunt, & quia alienatio facta eſt: iubemus non aliter hunc excludi, niſi per tricennalem præſcriptionem: non valente dicere eo qui res hoc modo poſsidet, quia ipſe bona fide poſsidet, quando ipſe à mala fide poſsidente hoc accepit.]

¶ *Aliquando etiam.*] Hic locus deſcriptus videtur ex reſponſo Pauli, cuius verba[i] ſunt hæc: Quod
7 autem dixit lex Atilia, vt furtiua res non vſucapiatur, niſi in poteſtatem eius, cui ſurrepta eſt, reuertatur: ſic acceptum eſt, vt in domini poteſtatem debeat reuerti, non in eius vtique, cui ſurrepta eſt. Igitur creditori ſurrepta, & ei, cui commodata eſt, in poteſtatẽ domini redire debet. Idem paulò pòſt eodem reſponſo. Tunc (inquit) in poteſtatem domini redijſſe dicendum eſt, cùm poſſeſsionem eius nactus ſit, vt iuſtè auelli non poſsit, ſed tanquam ſuæ rei. Nam ſi ignorans rem mihi ſurreptam emam: non videri in poteſtatem meam reuerſam. Sed quia Paulus tantùm loquitur de re furtiua, addam Venuleij reſponſum[k]: Quod vi poſſeſſum raptúmve ſit, antequam in poteſtatem domini hæredisve eius perueniat, vſucapi lex vetat. Sed notandum eſt diſcrimen, quòd res eſſe non deſinat furtiua, niſi redierit in poteſtatem ipſius veri domini: at vi poſſeſſam ſatis eſt redijſſe in poteſtatem eius, cui fuerat vi erepta[l]: etiamſi alioqui is dominus non ſit.

> i L. 4. §. quod autem. de vſucap.
> k L. vl. de vi bo. rap.
> l L. certe. §. Is liznus. de precar.

T 2 §. Res

§. Res fisci.

1 Fisci res vtrum vsucapiantur.
2 Fisci res quæ intelligantur?
3 Vectigalia cur principibus exoluenda.
4 Vsucapio inter patronum & vasallum nulla.
5 In fiscum quando vsucapio procedat?

a L. quãuis. de vsuca.
b L. 2. C. com. de vsucap.
c L. apud Iulianum. §. constat. delegat. 1.
d L. comperit. C. de præscript. 30. vel 40. annorum.
e d. l. quãuis. de vsuc.

¶ *Res fisci nostri vsucapi non potest.*] Aduersus fiscum vsucapionem non procedere scribit etiam 1
Modestinus [a]. Et Alexander Imp. rescripsit [b], rem fisci vsucapi non posse. Intelligimus autem res
fisci, siue Principalibus vsibus deseruiãt, siue publicis: item eas, quæ in formam patrimonij redactę 2
sub procuratore patrimonij sunt. quarum omnium non esse commercium, quia sine iussu Princi-
pis non distrahantur, responsum [c] est. Sed nec publicis functionibus, quæ fisco penduntur obijci
posse vllam prescriptionem, constituit Anastasius [d]. Sunt enim semper Principibus exoluenda ve- 3
ctigalia, cùm nos ipsorum fide & clientela simus: ab ijsque fundos nostros veluti mancipio acci-
pimus. Certè moribus hodie passim receptum est, ne sit vlla vsucapio inter patronum feudalem, 4
& vasallum: hoc est, ne alter alterius iura, quæ perpetua sunt, imminuat, vel tollat vlla possessione.
quanquam pecuniaria iura, quorum dies iam cessit, vsucapi possint. vt videlicet eiusmodi reliqua
(Galli appellant *arrierages*) iam præterita, peti amplius non possint. ¶ *Sed Papinianus scripsit.*] Non
puto extare hoc Papiniani responsum: sed extat non dissimile Modestini, cuius verba [e] sunt hæc:
Quamuis aduersus fiscum vsucapio non procedat, si tamen ex bonis vacantibus, nondum fisco 5
nunciatis, emptor prædij ex ijsdem bonis, extiterit: rectè diutina possessione capiet. idque consti-
tutum est. Porrò autem bonis vacantibus nunciandis quadriennij tempus esse præscriptũ respon-
dit Papinianus, eiusque extat ea de re responsum [f]. Et sanè vbi fiscus agere vult, potest præscriptio-
ne temporis summoueri. Hermogenianus [g] ait, In omnibus fisci quæstionibus, exceptis causis, in
quibus minora tempora seruari specialiter constitutum est, viginti annorum præscriptionem cu-
stodiri. Esse autem speciales causas, ex quibus actio fisci propter bona ad eum delata, minori tem-
pore tollitur, dubium non est. vt si propter vectigal non solutum ceciderit aliquod prædium in
commissum, actio fisci quinquennio summouetur [h]. ¶ *Rescripserunt.*] Modestinus (cuius respon
sum suprà retulimus) meminit quarundam constitutionum: sed non exprimit autores. Nec puto
aliud extare rescriptum, quàm id quod refert Callistratus his verbis [i]: Præscriptio viginti annorũ,
quæ etiam circa requirenda annotatorum bona obseruatur, ex Constitutione Pij Antonini solet
ex eo numerari, ex quo quid ad fiscum pertinere potuit.

f L. intra quatuor. de diuer. temp. præscrip.
g L. in omnib. de diuer. temp. præscrip.
h L. 2. C. de vectigal.
i L. 1. §. pe. de iur. fisci.

§. Nouissimè, & sequent. 20

1 Vsucapionem quæ res non admittant?
2 Vsucapio aduersus quos inchoari nequeat.
3 Pupillorum bona non possunt vsucapi.
4 Error falsæ causæ vtrum vsucapionem pariat.
5 Error iustus qui?
6 Error iuris nulli prodest.
7 Error iustus quando non prosit ad vsucapionem.

k L. quinque pedũ. C. fini. regund.
l L. vlt. C. de fundi limit.
m L. etiam ei. de minoribus.
n L. vlt. C. in quibus cau. minor. restit. non est necess.

¶ *Nouissimè sciendum est.*] Hoc nouissimo loco paucis verbis adijciamus reliquas res, quæ vsu- 1
capionem non admittunt. Ac primùm quidem Lege duodecim Tabularum, constitutis finibus,
liberum illud quinque pedum spacium, quod relinquebatur viæ, & aratro vertendo, vsucapi non
poterat [k]. Agros quoque limitaneos, si ab alijs possidentur, semper posse à militibus, quibus sunt
assignati, vindicari, sublata cuiuslibet temporis præscriptione, constitutum [l] est. Postremò & vsu-
capio aduersus minores vigintiquinque annis, furiosos, vel prodigos, inchoari non potest. Cœpta 2
tamen aduersus alium, olim compleri poterat [m]: sed concedebatur restitutio. Iustinianus autem
maluit intacta minorum iura seruare, quàm post vulneratam eorum causam, remedium quærere,
vt ipsemet loquitur [n]. Sanè Tullius ad Atticum testatur pupillorum, qui in tutela sunt, bona non
potuisse vsucapi: & miratur Atticum id ignotasse. Sic enim ad eum scribit lib. primo Episto. De Ta 3
diana re, mecum Tadius locutus est re ita scripsisse, nihil esse iam quod laboraretur. quoniam hæ-
reditas vsucapta esset. Id mirabamur te ignorare, de tutela legitima, in qua dicitur esse puella, nihil
vsucapi posse. ¶ *Non habeat vitium.*] Præterea vitia, quæ suprà dicta sunt, adijci & hic illud etiam
commemorari potest, quòd res data acceptáve contra Legem Iuliam repetundarum, vsucapi non
possit ab vllo etiam bonæ fidei possessore [o].
¶ *Error falsæ causæ.*] Scripsit Celsus, errare [p] eos, qui existimarent, cuius rei quisque bona fide 4
adeptus sit possessionem, pro suo vsucapere eum posse: & nihil referre, emerit, necne, an ei dona-
tum sit, necne: quia (inquit) neq; pro legato, neq; pro donato neq; pro dote vsucapio valet, si nulla
donatio, nulla dos nullumq; legatum sit. Sed adijciendum est responsum Africani, cuius verba [a]
sunt hæc: Quod vulgo traditũ est, qui existimat se quid emisse, cùm non emerit, non posse pro em-
ptore vsucapere: hactenus verum est, si nullã iustam causam eius erroris emptor habeat. Nã si fortè
seruus vel procurator, cui emendã rem mandasset. persuaserit ei se emisse, atq; ita tradiderit: magis
esse, vt vsucapio sequatur. Hinc ergo satis apparet Iustinianũ hoc loco agere de errore iniusto: cùm
ad vsucapionem sufficiat, possessionis causam iusto aliquo errore niti. Constat autem errorem iu-
stum esse, qui nec facti proprij sit, nec iuris. Vnde & Paulus [b], Si (inquit) à pupillo emero sine 5
tutoris

o L. penul. ad leg. Iul. repetund.
p L. Celsus. de vsuca.
a L. quòd vulgo. D. pro empt.
b L. 2. § si à pupillo. D. pro empto.

tutoris autoritate, quem puberé esse purem, dicemus vsucapionem sequi, vt hîc plus sit in re, quàm in æstimatione. Quòd si scias pupillum esse, putes tamen pupillis licere res suas sine tutoris autori-
6 tate administrare, non capies vsu: quia iuris error nulli prodest. Deinde subijcit: Si à furioso, quem putem sanæ mentis, emero: constitutum est, capere vtilitatis causa me posse. Atque id quidem eti-
7 am Marcellus scribit [a]. Illud postremò diligenter notandum est, errorem falsæ causæ, quantumuis iustum, non profuturum ad vsucapionem, vbi nec veritas ipsa esset satis. Vnde qui ex testamento capere non potest, non vsucapiet pro legato: quantumuis ex iusta causa existimet sibi legatum relictum [b]. ¶ *Vsucapionem non parit.*]Hoc est, vsucapionem non sustinet, nec tuetur, saltem eam, quæ opus habet aliquo titulo.

a L. sed et si res. §. eū qui. de Publicia. in rē act.
b L. nemo potest. D. pro lega.

§. *Diutina.*

1 *Hæredis ignorantiam, defuncti vitia non excludere.*
2 *Vsucapio à defuncto cœpta quando impleatur.*
3 *Vsucapio an interrumpi possit superueniente malæ fidei conscientia.*
4 *Defuncti bona fides, hæredis malam fidem sustinet.*
5 *Emptori tempus venditoris ad vsucapionem procedit.*

¶ *Prodesse cœperat defuncto.*]Qui possessionem bona fide iam acceperat. Cæterùm si ipsi hæredi malæ fidei primùm tradita esset, proculdubio vitiosum esset initium. Rectè itaque Papinianus respondit [c]: Hæres eius, qui bona fide rem emit, vsu non capiet, sciens alienam: si modò ipsi possessio tradita sit: continuatio verò non impedietur hæredis scientia. Verùm, vt bona fides defuncti tegit
1 vitium hæredis, an etiam hæredis bona fides excuset vitium defuncti? Certè idem Papinianus respondit [d], Hæredis ignorantiam, defuncti vitia nō excludere: nec posse hæredem vsucapere, quod defunctus non potuit: cùm exordium rei, bonæ fidei ratio non tueatur. Ex quibus Papiniani responsis duobus videtur Iustinianus hunc locum descripsisse.

c L. hæres eius. de vsucap.
d L. cùm hæres. de diuers. temp. præscrip.

¶ *Continuatur.*] Sic vt ad complendam vsucapionem hæredi accedant prosintque ea tempora, quibus res est à defuncto possessa. Interim tamen nihilominus debent hæredes possessionem [e] apprehendere eius rei, cuius possessores esse volunt. Certè & vacuum tempus, quod ante aditam
2 hæreditatem, vel post aditam intercesit, ad vsucapionem hæredi procedit, inquit Paulus [f]. Quinimò cœptam vsucapionē à defuncto, posse & ante aditam hęreditatē impleri respondit Neratius [g]. Verùm hic semper meminerimus, quod ait Iabolenus [h], Possessionem testatoris ita hæredi procedere, si medio tempore à nullo possessa est.

e L. cùm hæredes. De acquir. poss.
f L. nunquā. §. vacuum. de vsucap.
g L. cœptā. de vsucap.
h L. possessio. de vsuc.

¶ *Licet ipse sciat.*]Ergo Iure Ciuili cœptam vsucapionem non interrumpit, nec remoratur su-
3 perueniens malæ fidei conscientia, quæ tamen obesset fructuum acquisitioni [i]: nempe quòd hæc tota innitatur bona fide possessoris, nec habeat alia illa adminicula, quibus sustinetur vsucapio.

Hæredi, & bona fidei possessori, licet ignoranti.] Idem & de singulari successore videtur statuisse Iustinianus in Nouella sua Constit. 119. cùm emptorem bonæ fidei in pari ferè causa habet, atq; venditorem malæ fidei. neque enim vult eum longo tempore vsucapere, vbi verus dominus ignarus est: sed longissimum quoque tempus in eo requirit. Verba Iustiniani suprà retulimus. Sed hæc omnia dicimus, vbi quis autoris sui accesione vult se iuuare: quia (vt ait Vlpianus [k]) cùm quis adminiculo ex persona autoris vtitur, vti debet cum sua causa, suisque vitijs. ¶ *Nostra constitutio.*]Extat hæc Iustiniani Constitutio [l], his verbis: Quod & in rebus mobilibus obseruandum esse censemus, vt in omnibus iusto titulo possessionis, antecessoris iusta detentio, quam in re habuit, non interrumpatur ex posteriore forsitan alienæ rei scientia: licet ex titulo lucratiuo cœpta sit. Id autē videtur Iustinianus expresim statuisse, quòd alioqui videretur prohiberi vsucapio rei mobilis. quòd eam hæres malæ fidei contrectando, furtum cōmittere videatur. Sed tamen Iustinianus voluit vitium hoc, etiam reale, non impedire vsucapionem rectè inchoatam.

i L. quæsitū. de acqui. rer. do. l. sed et si lege. §. de eo autē. de pet. hæred.
k L. Pōponius. §. cùm quis. de acq. possess.
l L. vnica. C. de vsucap. transfor.

4 ¶ *Inter venditorem quoque & emptorem.*]Bonæ fidei. Neque enim aliter constat collatio. quia nō sicuti bona fides defuncti malam fidem hæredis excusat: ita etiam bona fides venditoris prodest malæ fidei emptori. Notum est Pauli responsum [m]: Si eam rem, quam pro emptore vsucapiebas, scienti mihi alienam esse, vendideris, non capiam vsu. Idem autem Paulus statim subijcit, Empto-
5 ri tempus venditoris ad vsucapionem procedere. tacitè intelligens bonam fidem, qua hîc dicimus sustineri & constare continuationem temporum inter venditorem & emptorem. Venditoris autem nomine hic intelligimus omnes autores: quia non modò mihi prodest tempus mei venditoris, sed & illius qui huic prius vendiderat. Emptorem verò dicimus eum, cui res tradita est. Nam vt traditio occupat prioris domini causam [n], si plures fortè emerint: ita & adiuuat vsucapionem. Vtrunque docet eleganter Africanus hoc responso [o]: Si duobus eandem rem separatim vendiderim: ea possesio, quæ vtramque venditionem præcesit, soli priori emptori, cui & tradita sit, proficit. Deniq; & si quam rem tibi vendiderim, rursus à te emam, & Titio vendam: omnem & meam & tuam possessionem Titio accessuram: videlicet quòd & tu mihi, & ego illi possesionem præstare debeamus. ¶ *Coniungi tempora.*] Non modò vt emptor vtatur accesione venditoris, sed & venditor emptoris, si fortè res iterum ad venditorem redeat, vel redhibitione, vel ex pacto addictionis in diem, vel ex lege commissoria [p]. Neque miremur emptorem iuuari accesione eius temporis, quo venditor possedit. cùm etiam illi noceri posit temporum coniunctio. vt si aliquo tem-

m L. 2. §. si eam rem. D. pro emp.
n L. quoties. C. de rei vindic.
o L. si duobus. de diuers. temp. præscrip.
p L. Pōponius. §. præterea. de acqui. poss. l. si hominem. de vsucap. l. si duobus. §. venditi. de diuer. tem. præscript.

T 3 pote

pore venditor vsus non sit seruitute fundo debita, emptori nocebit: & id tempus ei imputabitur ad seruitutem amittendam [a].

a L. si quis alia. §. 1. quemad. ser. amit.

§. Edicto Diui Marci.

1. Fiscus vendens rem alienam, quomodo emptorem securum reddat.
2. Actio vtilis in quem detur.
3. Absentibus reip. causa, praescriptio quinquennij non obest.
4. An iusta Zenonis constitutio de accipientibus aliquid à fisco?
5. Fisci autoritas an alijs obsit?
6. Fiscus euictionis nomine saltem praestat simplum.
7. Maritorum dignitas foeminis est communis.

¶ *Edicto Diui Marci.*] Huius edicti meminerunt etiam Diocletianus & Maximianus [b]. Nus-
quam tamen id extare puto. ¶ *Qui à fisco rem alienam emit.*] Cùm fiscus eam venderet vt suam. Cae-
terùm si eam vendiderit vt alienam, veluti propter fiscalia debita, & obseruarit quicquid hastae so- 1
lennitas exigit, statim fit securus emptor, etiam si fuerit res minoris [c]: nec ad eiusmodi venditionē
pertinet edictum Diui Marci. Sed nec ad eam rem, quae planè aliena non erat, sed quam fiscus cum
alio habebat communem. Nam & eam fiscus vendere potuit, & fuit statim securus emptor, fiebat-
que dominus [d]. ¶ *Rem alienam.*] Quamcunque & cuiuscunque tandem generis. quanquam si quis
à fisco haereditatem quasi vacantem emerit, vtilem actionem dari aduersus emptorem respondit 2
Vlpianus [e]. quia fiscus non vendiderit simpliciter haereditatem, sed tanquam vacantem: vt si reue-
ra vacans non fuerit, nihil videatur transtulisse. Porrò res minorum exemptas fuisse edicto Diui
Marci constat [f]. Et neque Reip. causa absentibus, nec alijs maioribus, qui ad titulum in integrum 3
restitutionis pertinent, praescriptionem huius quinquennij post factam à fisco venditionem obes-
se, rescripsit Imp. Gordianus [g]. Quibus autem non obfuit edictum Diui Marci, nec Zenonis Con-
stitutionem obesse clarum est. ¶ *Constitutio Zenonis.*] Extat haec Zenonis Constitutio [h], quam le-
gere cuilibet obuium est. ¶ *Bene prospexit.*] Sed nescio, an tam iustè quàm securè. Parum enim iu- 4
stum videtur, fisci autoritate temerè alijs obesse: & loco priuati hominis, à quo licebat decem aut 5
viginti annis rem petere, obijci fiscum grauiorem aduersarium, aduersus quem nō nisi quadrien-
nio liceat agere: idque tantùm, vt qualemcunque rei aestimationem consequaris. Sed hoc forsitan
ita constitutum est, vt emptores hac securitate magis alliceret fiscus, à quo non temerè alioqui e-
mere homines volunt, quia persaepe rem alienam vendat. ¶ *Statim securi.*] Ergo nullum hic sub-
est euictionis periculum, propterea q; iam facessat necesse est, quod olim responsum fuit, fiscum e- 6
uictionis nomine saltem praestare simplum [i].

¶ *Aduersus autem sacratiss. Aerarium.*] Ergo hic fiscus vltrò in sese transfert litem, quae alioqui iu-
re competebat aduersus alium possidentem. Alibi tamen in re non admodum dissimili eximit se
liti, quam in alium transfert. Nam si haereditatem vendiderit, creditores haereditarij omnino iu-
bentur conuenire ipsum emptorem [k]: cùm tamen alioqui venditor haereditatis nihilominus so-
leat manere obligatus creditoribus, ab ijsque possit conueniri: nec aliter ij repellantur, quàm si vl-
trò delegerint emptorem, aduersus quem agerent [l]. ¶ *Nostra diuina constitutio.*] Extat haec Iustinia-
ni Constitutio [m], quae iubet omnes alienationes ab aula procedentes, ratas esse ad exemplum fi-
scalium, quas tuetur Zenonis Constitutio. ¶ *Vel venerabilis Augusta.*] Maritorum dignitas foemi-
nis est communis [n]: & vt ait Iustinianus in Nouella sua Constit. 105. *αἱ γαμεταὶ συναστράπτουσι τοῖς τῶν* 7
συνοικούντων ἀξίαις. Itaque priuilegia Augusti solet etiam habere Augusta [o]: quanquam sanè id non
fit omnino perpetuum. Nam quod Principi Augusto, qui ante diem legati decesserit, relictum est,
ad eius successorem transit: non etiam, si quid Augustae fuerit legatum. Idque Diuus Adrianus in
Plotiae, Antoninus in Faustinae persona constituerunt [p].

b L. vlt. C. si aduersus fiscum.
c dict. l. vlt. & l. quecunque C. de fide instru. & iure hastae.
d L. 2. C de cōmu. re. alien. & toto tit. C. de vendi. rer. fiscal. cum priua. commu.
e L. etiam si putaue. §. item si quis de pet. haered.
f dict. l. vlt. C. si aduer. fisc.
g L. neque Reip. C. de restitu. milit.
h L. 2. C. de quad. praescrip.
i L. si procurator. de iure fisci.
k L. 1. C de haered. vel act. vendit.
l L. 2 C. de pact.
m L. vlt. C. de quad. praescrip.
n L. foemina. de Sena.
o L. fiscus. §. vlti. de iure fisci.
p L. quod principi, cū le. seq. de lega. 2.

De donationibus, Titulus VII.



EST & aliud genus acquisitionis, Donatio. Donationum autem duo sun genera: mortis causa, & non mortis causa.

Mortis causa donatio est, quae propter mortis fit suspicionem, cùm quis ita donat, vt si quid humanitus ei cōtigisset, haberet is, qui accepit: sin autem superuixisset: is qui donauit, reciperet: vel si eum donationis poenituisset, aut prior decesserit is, cui donatum sit.

Hae mortis causa donationes ad exemplum legatorum redactę sunt per omnia. Nam cùm Prudentibus ambiguum fuerat, vtrum donationis, an legati instar eam obtinere oporteret, & vtriusq; causae quaedam habebat insignia, & alij ad aliud genus eam retrahebant: à nobis constitutum est, vt per omnia ferè legatis connumeretur, & sic procedat, quemadmodum nostra Constitutio eam formauit.

Et in summa mortis causa donatio est, cùm magis se quis velit habere, quàm eum, cui do-

cui donat: magísque eum, cui donat, quàm hæredem suum. Sic & apud Homerum Telemachus donat Piræo.

Aliæ autem donationes sunt, quæ sine vlla mortis cogitatione fiunt, quas inter viuos appellamus, quæ non omnino comparantur legatis: quæ si fuerint perfectæ, temerè reuocari non possunt. Perficiuntur autem, cùm donator suam voluntatem scriptis, aut sine scriptis manifestauerit. Et ad exemplum venditionis, nostra Constitutio eas etiam in se habere necessitatem traditionis voluit: vt etiam si nõ tradantur, habeant plenißimũ & perfectum robur, & traditionis necessitas incumbat donatori.

Et cùm retrò Principũ dispositiones insinuari eas actis interuenientibus volebant, si maiores fuerant ducentorum solidorum: Constitutio nostra eam quantitatem vsque ad quingentos solidos ampliauit: quam stare etiam sine insinuatione statuit. Sed & quasdam donationes inuenit, quæ penitus insinuationem fieri minimè desiderant, sed in se plenißimam habent firmitatem. Alia insuper multa ad vberiorem exitum donationum inuenimus: quæ omnia ex nostris constitutionibus, quas super his exposuimus, colligenda sunt.

Sciendum est tamen, quòd etsi plenißimæ sint donationes: si tamẽ ingrati existant homines, in quos beneficium collatum est, donatoribus per nostram Constitutionem licentiam præstitimus certis ex causis eas reuocare: ne illi, qui suas res in alios contulerint, ab his quandam patiantur iniuriam vel iacturam, secundum ennmeratos in Cõstitutione nostra modos.

Est & aliud genus inter viuos donationis, quod veteribus quidẽ Prudentibus penitus erat incognitum, postea autem à Iunioribus Diuis Principibus introductum est, quod ante nuptias vocabatur: & tacitam in se conditionem habebat, Vt tunc ratum esset, cùm matrimoninm esset insecutum. Ideóq; ante nuptias appellabatur, quòd ante matrimoninm efficiebatur, & nunquam post nuptias celebratas talis donatio procedebat. Sed primus quidem Diuus Iustinus pater noster, cùm augeri dotes & post nuptias fuerat permissum: si quit tale eueniret, & ante nuptias augeri donationẽ & constante matrimonio, sua Cõstitutione permisit. Sed tamẽ nomen incõueniens remanebat, cùm ante nuptias quidem vocabatur, post nuptias autẽ tale accipiebat incrementum. Sed nos plenißimo fini tradere sanctiones cupientes, & cõsequentia nomina rebus esse studentes constituimus, vt tales donationes non augeantur tantùm, sed etiam constante matrimonio initium accipiant: & non ante nuptias, sed propter nuptias vocentur: & doribus in hoc exæquentur, vt quemadmodum dotes, constante matrimonio non solùm augentur, sed etiam fiunt: ita & istæ donationes, quæ propter nuptias introductæ sunt, non solùm antecedant matrimonium, sed eo etiam contracto augeantur & constituantur.

Erat olim & alius modus ciuilis adquisitionis per ius accrescendi, quod est tale: Si cõmunem seruum habens aliquis cum Titio, solus libertatem ei imposuerit vel vindicta, vel testamento, eo casu pars eius amittebatur, & socio adcrescebat. Sed cùm pessimum fuerat, exemplo, & libertate seruum defraudari, & ex ea humanioribus quidem dominis damnum inferri, sæuioribus autem dominis lucrum accedere, hoc quasi inuidia plenum, pio remedio per nostram Constitutionem mederi, necessarium duximus, & inuenimus viam, per quam & manumissor, & socius eius & qui libertatem accepit, nostro beneficio fruantur, libertate cum effectu procedente (cuius fauore antiquos Legumlatores multa etiam contra communes regulas statuisse manifestum est) & eo, qui eam libertatem imposuit, suæ liberalitatis stabilitate gaudente, & socio indemni conseruato, preciumque serui secundum partem dominij, quod nos definiuimus, accipiente.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Donatio sine traditione quatenus valeat.*
2 *Donationem referri non debere inter contractus.*
3 *Donatio propriè est doni datio.*
4 *Donatio causa mortis, simillima est legatis.*
5 *Donatio dicitur liberalis & spontanea largitio.*
6 *Remuneratio non est mera donatio.*
7 *Stipulatio mortis causa quæ?*
8 *Mortis causa donatio quibus modis fiat.*
9 *Donatio quando permiatur.*
10 *Donare inter viuos potest infirmus.*
11 *Conditione deficiente, à principio nihil actum fuisse videtur.*

12 *Ob pœnitentiam reuocari potest donatio causa mortis.*
13 *Donationes causa mortis, ad similitudinem legatorum redacta.*
14 *Si antè mors contingat ei, cui donatum est, an valeat donatio.*

EST *& aliud genus acquisitionis.*] Quæ superiori similis est. Nam illa superior censetur proficisci ex
tacita quadã voluntate domini, quasi alienaris [a]: hæc nititur expressa & præsenti domini vo-
luntate. Illa ciuilis est & hæc quoque, saltem si à promissione incipiat. Et olim quidem non nisi
stipulatione contrahebatur: sed hodie sufficit nudum pactum [b]. Et voluit Iustinianus donatio- 1
nem etiã sine traditione & stipulatione eatenus valere, vt eo nomine actione personali ageretur:
propterea quòd liberalitatem satis putauerit iustam esse ad exigendum causam. Cęterùm iudicat
Appellus longè accommodatius fuisse hunc titulum subiungi contractibus, quibus vtraque ob-
ligatio solo consensu plerunque introducitur: saltem quantum attinet ad eam donationem, quæ
fit sine mortis conditione. nam donationem causa mortis rectius iungas legatis. Et testatur qui-
dem Appellus se ad mare Balthicum in quadam vetusta bibliotheca reperisse exemplar harum
Institutionum ante annos 400. conscriptum, in quo ad hunc modum distinctus erat hic de do-
natione titulus. Nam prior pars, quæ agit de donationibus causa mortis, sequebatur titulum de
legatis: altera subijciebatur titulo Mandati. Si tamen rem hanc totam propius cõsideremus, non 2
videbitur inepta eorum sententia, qui donationem iudicant referri debere non inter contra-
ctus, aut obligationes, sed potius inter modos acquirendi dominij: quòd donatio propriè sit, 3
(vnde nomen habere dicitur) doni datio [c], nec donatum dicitur, quod accipientis factum non
est [d]. Quòd si res tradita non sit: magis dici & esse videtur promissio donandi, quàm donatio [e].
quanquam donatio impropriè dici quoque posit, cùm liberalitatem aliquam contineat. Nam
& donatio esse potest sine corpore, quod tradatur, vt est liberalis aliqua remissio [f]. & fideiuben-
do donare dicimur, cùm animo donandi fideiubemus & obligámur [g]. Et in donatione se obli-
gare dicitur, qui animo donandi & exercendæ liberalitatis se obligat [h]. non etiam dicitur, qui do-
nat, propriè se obligare. Postrema & illa esse causa potest, cur donatio causa mortis referatur inter
modos acquirendi dominij potius quàm inter contractus: quod scilicet legatis simillima sit.

¶ *Donationum autem.*] Donationis verbum generale est [i]: continetque plures species: sed 4
eas tantùm hîc enumerat Iustinianus, quæ donationis nomen retinent. Legatum quidem dona-
tio est, sed habet suam propriam & peculiarem appellationem. Illud autem in vniuersum semel
admonendi sumus, donationem dici liberalem & spontaneam largitionem [k]. Vnde & Seneca 5
lib. 3. de Benef. ait, Beneficium esse, quod quis dedit, cùm ei liceret & non dare. Sed nec donatio
dicenda est, nisi sit gratuita. Itaque remuneratio, mera donatio non est [l]. sed potius quoddam ge-
nus permutationis [m]. Ideoque nec ob ingratitudinem posset reuocari [n]. ¶ *Mortis causa.*] Festus 6
scribit Antistium Labeonem scripsisse, mortis causa stipulationem olim fuisse, quæ morte promis-
soris confirmabatur: aut cuius causa mors erat.

¶ *Mortis causa donatis.*] Hæc tamen species donationis aliquando non continetur simplici & 7
generali appellatione donationis. Nam si pater permittat filiofa. donare: intelligitur tantùm
permisisse donare inter viuos, non etiam causa mortis [o]. Nam & profusiores esse homines solent,
& tantum non prodigi in eius generis donationibus. opus est itaque expresso & speciali patris
consensu: qui si adfuerit, rectè mortis causa donabit filiusfa [p]. Porrò cùm Iustinianus multa hîc
dicat de donatione causa mortis, de mortis causa capione aliquid adijciamus. Capi ob mortem
vel mortis causa dicitur, quod non donatur directè à defuncto, sed conditionis testamento ascri-
ptæ, implendæ causa datur. veluti, instituo Titium hæredem, si Meuio decem dederit. Differt au-
tem hæc mortis causa capio, à mortis causa donatione. Nam & illa indignus iudicatur, qui testa-
mentum impugnauit, non etiam donatione causa mortis [a].

¶ *Quæ propter mortis fit suspicionem.*] Sic vt tota pendeat ab ipsa morte: nec prius vllam habeat
vim. Aliud autem genus est donationis, cuius præsens est obligatio: sola que differtur executio siue
præstatio in tempus mortis. Ideoque magis intelligitur inter viuos facta: nec donatori integrum
est, eam temerè infringere. Nam etsi (inquit Vlpianus [b]) cùm moriar, dare promisero, & antè sol-
uam: repetere non posse Cassius ait: & vera est eius sententia. Nam & qui sub conditione stipula-
tur, quæ omnino extatura est, purè videtur stipulari [c]. Hæc autem conditio, si moriar, certa est, cùm
& absolutè adijcitur, & cuiuscunq; mortis, quandocunq; ea acciderit, respectu. Sed in donatione
causa mortis, incerta est hæc conditio, quia non nisi præsens periculum respicit, & mortem illam
solam quæ imminere quidem videtur: sed an accidet, incertum est.

¶ *Propter mortis suspicionem.*] Inquit Paulus [d]: Mortis causa donatio fit multis modis. Aliàs ex- 8
tra suspicionem vllius periculi à sano, & in bona valetudine posito, cui ex humana sorte mortis
cogitatio est. Aliàs ex metu mortis, aut ex præsenti periculo, aut ex futuro. Siquidem terra mari-
que, & tam pace quàm bello, tam domi quàm militiæ, multis generibus mortis periculum timeri
potest. Iulianus quoque scribit [e], donationem esse causa mortis, cùm quis nullo præsente periculi
metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis, donat. ¶ *Cùm quis ita donat.*] Quòd si quis
simpliciter donet nulla addita conditione mortis: quantumuis sit in periculo mortis, magis ta-
men inter viuos donare intelligitur. Sic enim respondit Papinianus, Eum non tam mortis causa,
quàm morientẽ donare [f]. Porrò vbi ita donatur mortis causa, vt nullo casu reuocetur: causa donan
di magis est, quàm mortis causa donatio, & ideò perinde haberi debet, atq; alia quęuis inter viuos
donatio,

Marginal notes:

a L. alienationis verbo de ver. signif.
b L. si quis argentum. §. vlt. C. de donat.
c L. Senatus. §. 1. de donat. cau. mor.
d L. in ædibus. §. vlt. de donat.
e L. Papinian. de do. inter vir. & vxor.
f L. in ædib. de don.
g L. si pro patre. de in rem verso.
h L. qui in donatione. de donat.
i L. alienatum. §. donationib. de verb. sig.
k L. donari. de dona. l. donari. de reg. iur.
l L. Aquilius Regulus. de donat.
m L. sed etsi lege. §. consuluit. de pet. hær.
n L. si pater. §. vlti. de donat.
o L. filiusf. §. sed enim meminisse. de donat.
p L. tam n. §. 1. de donat. cau. mor.
a L. post mortem. §. alia causa. l. inter mortu. de don. cau. mor.
b L. nam & si cùm moriar. de cond. indebi.
c L. si pupillus. §. 1. de nouat.
d L. Senatus. §. mortis causa. de mor. cau. donat.
e L. 2. D. illo tit.
f L. Seia. §. vlti. de mor. cau. donat.

donatio, vt inquit Martiannus[a]. ¶ *Si quid humanitus ei contigisset.*] Elegans hæc est & frequens apud
Latinos loquendi formula. qua etiam alibi vtitur Scæuola[b]. Subinde tamen vulgatis sermo, qui
solet esse concisior, omittit hanc voculam, HVMANITVS: nec tamen ideo minus mortem signifi-
cati testis est Pomponius. Demosthenes in orat. πρὸς Κάλλιπ. agens de mortis causa donatione, non
dissimili formula dixit, ἐβούλετο δωρεὰν δοῦναι αὐτῷ ὁ Λύκων, εἴ τι πάθοι. Et Lysias in quadã oratione, ait,
ἐπίσκηψε δὴ, ἐάν τι πάθω, &c. ¶ *Haberet is, qui accepit.*] Hoc est, certum solidumque rei donatæ & tra-
ditæ dominium statim consequeretur, morte enim donatoris confirmatur: nec aditionem hære-
ditatis moratur: quanquam aliud sit in legato vel fideicommisso. Et interdum quidem ita res tra-
ditur, non vt statim fiat accipientis: sed tunc demum: cùm mors fuerit insecuta. Iterdum, vt sta-
tim fiat accipientis[c]; sed sub conditione resolnatur[d]. Semper autem fructuum interea percepto-
rum acquisirio cum ipsa re confirmatur, & medij temporis emolumentum[e]: quanquam aliud
fit in legatis[f]. Quòd si res non fuerit tradita, nihilominus mortuo donatore eam consequetur, &
habebit donatatius. At non etiam fructus medij temporis.

¶ *Sin autem superuixisset.*] Liberatus eo mortis impendentis periculo, ob cuius præsentis me-
tum nominatim donatat. Sicque accipiendum est & illud responsum Iaboleni[g], petimi donatio-
9 nem, si donator suspicione mortis, propter quam donauit, liberetur. Vt intelligamus non omni-
no omnes statim reuocari donationes, propter quamcunque donatoris liberationem: sed eas de-
mum, quæ factæ fuerint propter certum periculum, quod effugerit donator. qui quidem si sola il-
la generali mortalitatis cogitatione donasset, & fortassis aliquo deinde periculo liberatus fuerit,
non ideò statim videtur animum donandi mutasse. Porrò propter suspicionem & solam conside-
rationem præsentis periculi tum videtur omnino donatum, cùm id expressum est. Nam solum
impendens periculum non videtur esse satis, vt id præsumamus. Nam & infirmus & præsenti ali-
10 quo periculo pressus potest donare inter viuos[h]. sicuti & sanus donare potest causa mortis. Ergo
sola valetudo non facit, vt præsumatur donatio causa mortis facta: multo minus, vt in dubio in-
telligatur donatio præsentis periculi & impendentis periculi causa facta. sed tum id intelligetur,
vbi in eum casum donatio collata est[i], & facta sub hac lege. si donator non conualuerit[k].

¶ *Is qui donauit.*] In testatore paulò aliter obseruatur. Nam testamenta, quæ scribuntur ab in-
firmis, non ideo censentur reuocata, quia ij conualuerint[l]. Translata tamen in alium legata, & ad-
empta alteri propter eius infirmitatem, simul atque hic prior legatarius conualuerit, euanescente
translatione censentur reuocata, vt ei restituantur[m]. ¶ *Reciperet.*] Rem ipsam cum eius fructibus
11 interea perceptis, & omni eius causa[n]. Nam deficiente conditione, à principio nihil actum fuisse
videtur. Nec prodest donatorem, qui semel conualuit, postea ex alia infirmitate decessisse. neque
enim ideò cõualescet semel reuocata donatio quæ quidem nominatim facta erat propter præsen-
tem infirmitatem, vt nõ nisi eius ratio habeatur[o]. Porrò si ex aliqua noua causa retractetur dona-
tio, quæ absolutè facta erat, veluti propter ingratitudinem, aut enatam præter spem sobolem: non
reuocabuntur etiam fructus interea percepti[p]: quia nec hi donati videntur[a]: sed potius ex re no-
stra collecti: nec rescinditur medij temporis dominium. ¶ *Vel si eum.*] Hanc secundam donatio-
nis reuocandæ rationem quodam loco prætermisit Iulianus[b], commemorans tantùm reliquas
duas causas, nempe conualescentis donaturis aut donatatij prius decedentis. Sed ideò eam non
commemorat, quòd propriè non pertineat ad id. de quo agebat. Non enim is est casus, in quem
cõferatur obligatio rei donatæ restituendæ. Cæterùm nemo alioqui dubitat, esse hanc præcipuam
12 maximeq; liberã reuocandæ huius donationis viam & rationẽ, vtpore quæ pendet à nutu & arbi-
trio pœnitentis: quaq; semper vti licet, cùm lubet. Nam & sic reuocari potest mortis causa donatio,
etiã cùm pendet, an conualescere possit donator, vt inquit Iulianus[c]. Sanè tamen vbi non nostrę,
sed alterius mortis causa donamus, nulla vis est nostræ pęnitentię[d]. ¶ *Pænituisset.*] Cuius pœnitentię
satis est iustas aliquas extare coniecturas. Vt si rem ita donatam vltrò donator alienarit: pœnituisse
intelligitur[e], & voluntatem mutasse. quod cùm in legatis disertè traditum[f] sit, ad quorum simi-
13 litudinẽ redactæ sunt donationes causa mortis: non dubitabimus in his sequi eorum exemplum.

¶ *Aut prior decesserit.*] Hunc locum admodum illustrat responsum Vlpiani, quod quidem
propriè agit de donatione inter virum & vxorem, sed æquè pertinet ad donationẽ causa mortis.
14 Itaque iustæ interpretationis loco ascribam eius verba[g]: Oratio, si antè mors contigerit, ei, cui
donatum est, nullius momenti donationem esse voluit. Ergo si ambo decesserint naufragio for-
tè, vel ruina, vel incendio, quid dicemus? Et si quidem possit apparere, quis antè spiritum posue-
rit, expedita est quæstio: Si verò non appareat, difficilis est quæstio. Et magis puto donationem
valuisse: & id ex verbis Orationis defendimus. ait enim Oratio. Si prior vita decesserit, qui dona-
tum accepit. Non videtur autem prior vita decessisse, qui donatum accepit, cùm simul decesse-
rint. Proinde rectissimè dicetur, vtrasque donationes valere si fortè inuicem donationibus factis
simul decesserint: quia neuter alteri superuixit: licet de commorientibus Oratio non senserit. Sed
cùm neuter alteri superuixerit, donationes mutuæ valebunt. Nam & circa mortis causa donatio-
nes mutuas id erit consequens dicere neutri dandam condictionem. Locupletes igitur hæredes
donationibus relinquent. Hæc Vlpianus. cuius sententiam non obscurè alibi probat Martia-
nus[h]. ¶ *Is, cui donatum sit.*] Apud Iulianũ est[i], is qui accipiebat. Verùm semper intelligamus eum,
cui donatur, & ad quem emolumentum donationis transit, quæ facta sit illius contemplatione.
Alioqui si hæsit testator in contemplatione eius qui primùm accipit, nos quoque hærebimus in eo:
nec alterius habebimus rationem, Vnde Paulus[k], Si (inquit) seruo mortis causa donatum sit,

videamus

a L. vbi ita donatur. de mor. cau. donat.
b L. alumnæ. §. vlt. de adi. lega.
c L. 2. de mor. cau donat.
d L. 1. §. item cũ ipse. de donat.
e L. 3. §. vlt. de leg. 3.
f L. 1. & vlt. C. de vsur. & fruct. leg.
g L. si in seruum. de donat. inter vir. & vxor.
h L. Seia. §. cum pater. de don. cau. mor.
i L. non omnis. si cer. pet.
k L. alienam §. Marcellus. l. mortis causa capimus. de don. cau. mor. l. alumnæ. §. vlt. de adi. leg.
l L. sancimus. C. de testa.
m L. alumnæ. §. vlti. de adi. lega.
n L. ini quũ mortis causa. de condict. causa da. cau. non sec. l. videamus generatim. §. idemq; eit. de vsur.
o dic. l. alumnæ. §. vl.
p L. sancimus. C. de donat.
a L. in ædibus. §. ex rebus. de donat.
b L. non omnis. D. si cert. pet. cond.
c L. mortis causa donatio etiam dum pendet. de mor. cau. don.
d L. 3. C. de donat. cau. mor. l. mortis causa capimus. D. illo tit.
e L. cum hic status. §. si maritus ea. de dona inter vir. & vxor.
f L. fideicommissa §. si rem. de leg. 3. l. rem legatam de adi. leg.
g L. cùm hic status. §. si ambo de dona. inter vir. & vxor.
h L. si ij qui inuicem. de mort. cau. donat.
i L. non omnis. D. si cer. peta. cond.
k L. vlt. de mor. cau. donat.

videamus, cuius mors inspici debeat, vt sit locus condictioni: domini an ipsius serui. Sed magis eius inspicienda est, cui donatum est. Africanus autem distinctius & explicatius, Si (inquit [a]) filiofa. mortis causa donatum sit, & viuo donatore moriatur filius, & pater viuat: quæsitum est, quid iuris sit. Respondi, morte filij condictionem competere, si modò ipse filio potius quàm patri donatum dederit. Alioqui si quasi ministerio eius pater vsus sit, ipsius patris mortem spectandam esse. Idemque iuris fore, & si de persona serui quæratur.

a L. si filiofa. mortis causa. de mor. cau. donat.

§. Hæ mortis causa.

1 Donationes causa mortis facta legatis comparantur.

2 Legatum & donatio causa mortis, in quibus conueniant.

3 Donationes causa mortis vbi discrepent à legatis.

4 Exemplum donationis causa mortis, ex Homero.

¶ *Prudentibus ambiguum fecer.*] Huius ambiguitatis & veteris controuersiæ, nulla (quod sciam) extant in Pandectis vestigia. tantum enim simpliciter ijs traditur, quod ait hoc loco Iustinianus sese constituisse. Iulianus ait [b], ad exemplum legatorum mortis causa donationes reuocatas. Item, legatorum instar eas obtinere [c]. Et Vlpianus respondit [d]: Illud generaliter meminisse oportebit; donationes causa mortis factas legatis comparari. Quodcunque igitur in legatis iuris est, id in 1 mortis causa donationibus erit accipiendum. ¶ *A nobis constitutum est.*] Extat hæc adhuc Iustiniani Constitutio [e], qua iubet hanc donationem sortiri omnes effectus; quos vltimæ habent liberalitates: neque ex quacunque parte absimilem ijs intelligi. Idem in Nouella sua Const. 87. meminit huius suç legis veterem controuersiam decidentis. Inquit enim, ἡμεῖς εὑρόντες τοὺς παλαιοὺς νομοθέτας ἀμφισβητοῦντας περὶ τῆς θανάτου δωρεᾶς, πότερον δωρεὰ, ἢ λεγάτον ἐστι: καὶ τοὺς μὲν ἀριθμοῦντας αὐτὴν εἰς δωρεὰν, τοὺς δὲ εἰς πρεσβεῖον: τὰ παρὰ τῶν πλειόνων τε καὶ ἀρίστων νομοθετῶν ἐκλεξάμενοι λεγάτον αὐτὴν εἶναι παντάπασιν ἐκρινάμεθα, καὶ μὴ πράξεως ὑπομνημάτων δεῖσθαι. [Nos inuenientes vetustos legislatores dubitantes de mortis causa donatione. vtrum donatio an legatum sit, & illos quidem connumerantes ipsam donationi, quosdam verò legatis, ea quæ plutibus & optimis legislatoribus visa sunt eligentes, legatum ipsam esse omnimodo decidimus. nec confectione monumentorum egere.]

b L. Marcellus. in fi. D. illo tit.
c L. etsi debitor, in fi. D. illo tit.
d L. in omnib. D. illo tit.
e L. vlti. C. de dona. cau. mort.

¶ *Vt per omnia.*] Plurima certè in Pandectis referuntur, in quibus conueniunt. Primùm qui 2 legare potest, potest & mortis causa donare [f]. Et quemadmodum (inquit Iulianus [g]) testamenti factio pupillis concessa non est: ita ne mortis quidem causa donationes sunt permittendæ. Rursus qui legata possunt accipere, mortis quoque causa possunt capere [h]. Et Senatus censuit mortis causa donationes factas in eos, quos Lex prohibet capere in eadem causa haberi, quæ esset, si testamento his legata essent, quibus per legem capere non liceret [i]. Rursus donationibus causa mortis, vt legatis, detrahitur quadrans ex Lege Falcidia [k]. Vt sine Prætore non transigitur de alimentis legatis: sic nec de donatis causa mortis [l]. Conditio iurisiurandi, quæ remittitur legatario, remittitur & mortis causa donatario [m]. Postremò, vt agnoscendo legatum, probatur & confirmatur iudicium defuncti: ita & accipiendo, saltem post mortem, donationem causa mortis [n]. Receptum etiam est, vt in his donationibus sicuti in legatis, habeat locum ius accrescendi. quod tamen in contractibus locum non habet [o], quanquam si imperialis liberalitatis socius sine legitimo hærede moriatur: eius pars socio potius accrescit, quàm ad fiscum redeat [p].

f L. Marcellus. de mor. cau. donat.
g L. 1. de tute. & rat. distr.
h L. omnibus. D. illo tit.
i L. Senatus. D. illo tit.
k L. cum pater. § eorū. de lega. 2. l. si mortis. C. ad le. Falci.
l L. cum hi. de trans.
m L. quæ sub conditione. §. & in mortis. de condit. Institut.
n L. si verò §. sed etsi mortis. de bo. liber.
o L. si mihi & Titio. de verb. obl.
p L. vna. C. si lmp. liber. soc.

¶ *Fere.*] Aptè admodum hic Iustinianus adiecit moderationem huius voculæ, quæ alibi desideratur. Indicat enim adhuc esse nonnulla, in quibus hæ donationes magis comparentur con- 3 tractibus inter viuos, quàm legatis: vt certè sunt pleraque. Primùm, hæ donationes ineuntur vt contractus, duorum nempe consensu: & si donatur absenti vel ignoranti, magis iudicatur fideicommissum [a]. Legatum verò & absenti & ignoranti relinqui, atque etiam acquiri, dubium non est [b]. Si conferas horum confirmationem, nihil habent simile. Nam legata pendent ab hæreditatis aditione. At non etiam hæ donationes: vtpote quæ non morantur vim testamenti. Vnde & cùm is, qui testamentum iniuria impugnauit, repellatur à legato, vt indignus: non repellitur tamen à mortis causa donatione [c]. Præterea filiusfamilias, saltem patre consentiente, potest mortis causa donare [d]: at legare nullo modo potest, sicuti nec testari. Postremò, si quis in annos singulos mortis causa pecuniam stipulatus sit: non est similis ei, cui in annos singulos legata est. Nam legata plura intelliguntur: stipulatio hæc vna est [e]. Magna autem huius discriminis vis est. Et qui existimant noua Iustiniani Constitutione [f] sublatas esse differentias, quæ in Pandectis sparsim commemorantur inter legata & donationes causa mortis. & has habere omnes omnino effectus vltimæ voluntatis: tamen postremum hoc discrimen, quod dixi, sublatum nō esse fatentur, quia præter donationem causa mortis stipulatio interposita sit. & constitutio Iustiniani loquatur de effectu donationis, non etiam stipulationis.

a L. miles ad sororē. de lega. 2.
b L. cum pater §. furiosi. de lega. 2.
c L. post legatum. §. qui mortis. de his quæ vt ind.
d L. tam is. §. 1. de mor. cau. dona.
e L. Senatus. §. vlti. de mor. cau. donat.
f L. vlt. C. de donat. cau. mor.

¶ *Et in summa.*] Descriptum est hoc additamentū ex responso Marcelli [g]: qui etiam citat idem exemplum Homericum. Nos aliud præterea superius adiecimus ex Demosthene.

g L. 1. de mor. cau. do.

¶ *Sic apud Homerum.*] Locus est Odysseæ libro decimoseptimo. vbi reuersus ex agris Telema- 4 chus postquam reducem patentem suum Vlyssem agnouisset, excipitur à Piræo: à quo rogatus mittere mulieres, quæ ei deferant dona Menelai: respondet sese malle hæc ab eo asseruari propter metum

metum impendentis periculi à procis Penelopes: vt si quidem ipse ab ipsis interficiatur, retineat sibi hæc munera Piræus: sin procos interfecerit Telemachus, ea victori reddat. versus Homeri sunt hi:

Πείραι' (οὐ γάρ τ' ἴδμεν ὅπως ἔσται τάδ' ἔργα)	*[Piræe; non enim scimus, quomodo erunt hæc opera;*
Εἴ κεν ἐμὲ μνηστῆρες ἀγήνορες ἐν μεγάροισι,	*Si, me proci superbi in domibus*
Λάθρῃ κτείναντες πατρώια πάντα δάσωνται,	*Clam interfecto, paterna omnia diuident,*
Αὐτὸν ἔχοντά σε βούλομ' ἐπαυρέμεν ἤ τινα τῶνδε.	*Ipsum habentem te volo frui, quàm aliquem horum;*
Εἰ δέ κ' ἐγὼ τούτοισι φόνον καὶ κῆρα φυτεύσω,	*Si ego his cædem & mortem intulero,*
Δὴ τότε μοι χαίροντι φέρειν πρὸς δώματα χαίρων.	*Iam tunc mihi gaudenti porta ad ædes gaudens.]*

§. *Alia autem.*

1 *Donationes quæ reuocentur.*
2 *Dona donatario relinquenda, lex Atheniensium.*
3 *Res donata an obligare possit.*
4 *Donatio duorum consensu contrahitur.*
5 *Consensus tacitus sufficit.*
6 *Donator an præstet euictionem.*
7 *Donationes an insinuari debeant.*
8 *Insinuare quid?*
9 *Insinuationis necessitas vbi sublata.*
10 *Quæ ad vberiorem exitum donationum à Iustiniano inuenta.*

¶ *Quæ non omnino comparantur.*] Imò potius omnino non comparantur. Et fortassis ita hoc loco melius legeretur. Certè Theophilus simpliciter vertit, *αἱ ἀπεοίκασι τοῖς ληγάτοις.* Et nescio qua in re comparari possint legatis, præterquam in prima origine, quæ pariter proficiscitur ex liberalitate. ¶ *Si fuerint perfecta.*] Alioqui integrum est pœnitere. vt si donatum sit absenti, & is nondum accipere se suumque consensum adhibere significarit [a].

1 ¶ *Temerè.*] Hoc est, sine iusta causa: qualis esset ingratitudinis vel susceptæ præter spem nouæ sobolis [b]. Sed & inofficiosæ donationes reuocantur. Qua in re Molinæus noster hanc adhibendam esse distinctionem monuit, vt si verè inofficiosa sit donatio, & reipsa & consilio, nihilque filio reliquerit donator: possit filius eam in solidum reuocare [c]. Sed si præteritus non sit, minus tamen legitima ei sit relictum: solum petere possit, quod legitimæ deest [d]. Sicuti & cum re tantùm, non etiam consilio inofficiosa donatio est, filij penitus eam reuocare rescindereque non possunt, sed tantùm ad suam vsque legitimam [e]. ¶ *Reuocari.*] Manet ergo hic rata illa Lex Saturni Lucianici: *μὴ μετάνοια ἐπέστω ἐπὶ τῇ δωρεᾷ.* [Ne pœnitentia interueniat donationi.] Et verum est vetus illud prouerbium puerorum, cuius meminit Plato in Philebo, quodque etiam probat, inquiens: *ἡμεῖς δὲ δὴ λέγομεν, καθάπερ οἱ παῖδες, ὅτι τῶν ὀρθῶς δοθέντων ἀφαίρεσις οὐκ ἔστι.* [Nos equidem dicimus vt pueri; quod rectè datorum reuocatio sit nulla.] Nec est ignota Lex Atheniensium, quam refert Demo-
2 sthenes in oratione contra Leptinem: *ὅσ' ἂν δῶ τις ἅπαξ, δικαίως ἔχειν ἐᾶν.* quod adeò placuit Rom. Principibus, vt professi etiam sint, ne suo quidem rescripto infringi posse donationes ritè factas [f].
3 Sed nec conditiones ex interuallo recipit perfecta donatio [g]. Potuit tamen olim res donata & obligari & pignoris nexu onerari, si nondum secuta esset traditio. Sic enim scribit Scæuola [h]: L. Titius fundum Meuiæ donauit: & ante traditionem eundem fundum post dies paucos Seio pignori obligauit: & intra dies triginta Meuiam in vacuam possessionem eiusdem fundi induxit: quæro, an donatio perfecta sit. Respondi secundum ea, quæ proponerentur, perfectam esse: verùm creditorem firmam pignoris obligationem habere. Sed hanc Scæuolæ sententiam reiecisse videtur Iustinianus, qui in Nouella sua Constitut. 162. statuit, hypothecam illam nullius esse momenti, quã res donata, necdum tradita, esset à donatore onerata. Sanè si rem perfectè donatã tradere nolim: potero tantisper impedire dominium transferri in donatarium [i]. Sed maneo tamen obligatus, & nisi rem tradam, præstare cogar quod donatarij interest.

4 ¶ *Cùm donator suam voluntatem.*] Atque itidem donatarius suam. Nam duorum consensu contrahitur donatio. Vnde & Tullius in Topicis scribit defendi posse, non esse deditum qui non sit acceptus: neque deditionem aut donationem sine acceptione esse. Et vt donatio absenti fieri possit: non tamen fit prorsus ignoranti, nec sine eius voluntate perficitur [k]. Et si tabellio nostro nomine oblatam donationem acceperit, nihil nobis quæritur ante nostram ratihabitionem re integra secutam. Qui articulus cùm esset in scholis Iurisperitorum admodum controuersus, perspicuè definitus est à Francisco Galliarum Rege, edita in eam rem anno 1539. Constitutione.

¶ *Scriptis aut sine scriptis.*] Et siue stipulatione, siue nuda conuentione [l]. Sufficit enim consen-
5 sus, etiam tacitus. Nam & tacitæ conuentiones valent [m]. Et licet non soleant tribuere actionem, sed tantùm exceptionem: tamen voluit Iustinianus donationem quibuscunque verbis factam, habere necessitatem traditionis.

¶ *Ad exemplum venditionis.*] Hæc similitudo *ἐν πλάτει* accipienda est: vt in genere satis sit eã conuenire. Nam si propius vrgeas collationem, & ad viuum omnia reseces, parum constabit exemplum. Est enim longè certior ex donatione traditio: quia dare oporteat, hoc est, dominium transferre: venditor autem non nisi tradere cogitur. Sed venditor præstat euictionem: at non item
6 donator. quidem si eam præstare promiserit, præstabit [n]. Sed si non promiserit: non nisi de dolo tenebitur [o]. quanquam receptum sit, vbi à simplici promissione initium accepit donatio,

&postea

a L. nec ambigi. C. de donat.
b L. si vnquam. C. de reuoc. donat.
c L. Titia Seio. §. Imp. de legat. 2.
d L. si liqueat. C. de inoffi. dona. l. omni modo. C. de inoff. testa.
e L. si totas. C. de inoff. don.
f L. si donationem. C. reu. donat.
g L. perfecta. C. de donat. quæ sub cond.
h L. vlt. §. pen. de do.
i L. qui saxum. de donat.
k L. absenti. de don. l. nec ambigi. C. de do.
l L. si quis argentum. §. sin autem. C. de do.
m L. 2. & 4. de pact.
n L. 2. C. de euict.
o L. Aristo. §. vlt. de don.

&postea traditio secuta est: non liberari donatorem, si rem alienam tradiderit, sed de euictione teneri [a]. Quòd si verũ est, aliter tamen tenetur, quàm venditor: tenetur enim donator prima semper actione, perinde atq; si nihil dũ tradidisset. Obligatus enim est non simpliciter tradere, sed dare, sic vt dominum faciat eum, qui accepit. Itaque & ante euictionem donatarius si probare possit rem alienam esse, quæ tradita est, agere poterit [b]. At non item emptor. nam quandiu probare non potest sibi habere non licere, de euictione non agit. Habere verò ei licere videtur, quandiu litem nemo intendit [c], quanquam si venditor sciens alienam rem vendiderit, ex empto conueniri potest in id quod interest, etiam antequam res euicta [d] sit. ¶ *Nostra Constitutio.*] Extat hæc adhuc Iustiniani Constitutio [e]: cuius etiam meminit in Nouella sua Constit. 162. paucis verbis perstringens totam eius sententiam: Inquit enim: *ἡμεῖς ἀνεμνήσθημεν διατάξεως ἡμετέρας, λεγούσης, τὸν δωρούμενον, εἰ καὶ μὴ ἐπερωτήσῃ τὴν παράδοσιν: ἀνάγκην ἔχειν παραδιδόναι τὸ δωρηθέν.* [Nos verò recordati sumus constitutionis nostræ, dicentis; Donantem, etsi non sit stipulatus traditionem, necessitatem habere tradere donatum.] Itaque eo loco sanxit, pignoris obligationem, ante rei donatæ traditionem, nullius esse momenti, reprobata Scæuolæ sententia [f], quam nos supra retulimus. ¶ *Necessitatem traditionis*] Quæ tamen non est omnino ad viuum resecanda, vel odiosius vrgenda. Saltem enim haberi debet ratio donatoris, ne ex liberalitate sua miser egeat [g]. Nec ferendus esset ingratus donatarius, qui nihil ei prorsus vellet relinquere vnde viuat.

a L. 1. C. de iure dot.
b L. cum quis. §. qui hominẽ. l. si. rom meã. de solut.
c L. habere licere. de eui.
d L. seruum. §. vlt. de act. empti.
e dic. §. sin autem.
f L. vlt. §. pen. de donat.
g L. inter eos. §. vlti. de re iudic. l. Diuus. de reg. iur.

¶ *Retro principum dispositiones.*] Quæ sanè hodie quorundam posteriorum Principum edictis tantò arctius confirmatæ sunt, quantò liberius fuerant à Iustiniano laxatæ. Nam Franciscus Gal- 7
liarum Rex iussit omnes omnino donationes sine vlla exceptione, aut quantitatis discrimine, insinuari: edita in eam rem anno. 1539. Constitutione. ¶ *Constitutio nostra.*] Primùm Iustinianus in solis donationibus ad pias causas factis, quæ non excederent quingentos solidos, sustulit necessitatem insinuationis. In alijs probauit anteriorum Principum constitutiones, quæ non ferunt donationem vltra ducentos solidos sine insinuatione. Eaque de re extat quædam Iustiniani Constitutio [h]. Postea idem Iustinianus huic quantitati addidit centum solidos, vt ea tantùm donatio, quæ trecentos excederet, insinuaretur. Legiturque adhuc in Codice ea Constitutio [i]. Tandem progressus est vsque ad quingentos, abrogatis prioribus suis legibus. Atque hæc est nouissima eius Constitutio, cuius hic meminit, quæque adhuc extat in Codice [k]. Pluribus autem alio loco à nobis dictum est, quæ fuerit æstimatio solidorum. Quòd ad insinuandi verbum attinet. propriè si- 8
gnificat publicare, & apud acta coram iudice testari. Aristoteles, *ἀπογράφεσθαι:* Iustinianus in Nouellis, *ὁμολογῆσαι ἐν ὑπομνήμασι,* dixit: fuitque insinuationis vsus introductus, ne quis facilè circumueniretur, in prodiga maioris alicuius rei donatione, cuius temerè profusæ statim comites esse solent *μετάνοια καὶ πενία,* [pœnitentia & egestas.] ¶ *Quasdam donationes inuenit.*] Eadem Iustiniani Consti- 9
tutio liberat insinuationis necessitate donationes pro redemptione captiuorum, proque restitutione domuum incendio vel ruina consumptarum. Item eas, quas Magister militum largitur militibus. Donationes autem à Principe profectas nulla insinuatione opus habere, etiam priores Constitutiones voluerunt [l]. Porrò donationes causâ mortis minimè actis indigere alibi constituit idem Iustinianus [m]. ¶ *Colligenda sunt.*] Huius generis sunt; quòd sublata sit solennium in dona- 10
tionibus verborum obseruatio [n]; quòd & actiones donationis causâ cessæ ad hæredem donatarij transmittuntur, etiam ante litem contestatam, & ab initio intendi possunt per procuratorem [o]. Item quòd si res pluribus donata sit; is cuius pars reliquis maior est, possit alijs offerre partium suarum precium, & rem totam consequi [p].

h L. illud. C. de sacros. eccles.
i L. sancimus. C. de donat.
k L. pen. C. de donat.
l dic. l. illud. §. vlt. & dic. l. sancimus. §. exceptis.
m L. vlt. C. de donat. cau. mor.
n L. vlt. C. de donat.
o L. illam. C. de donat.
p L. sancimus. § ne autem cõmunione induc-ta. C. de donat.

§. Sciendum.

1 *Donatio irreuocabilis quæ?*
2 *In ingratos olim grauia iudicia.*
3 *Actio ingrati aduersus filios donatarios an matribus nuptias iterantibus permissa.*
4 *Ingratitudinem condonare humanum est.*
5 *Donationum reuocandarum causa, quæ?*
6 *Seneca ingrati actionem cur abolitam voluerit.*

¶ *Plenissima donationes.*] Quæ liberaliter & gratuitò collatæ promerentur aliquam gratitudinem. Nam remunerationes, quæ meræ donationes non sunt, magis liberant gratitudinis obliga- 1
tione dantem, quàm accipientem obligant. Ideo prorsus irreuocabiles sunt. Vnde & Paulus [a], Si quis (inquit) aliquem à latrunculis vel hostibus captum eripuit, & aliquid pro eo ab eo accipiat: hæc donatio irreuocabilis est. merces enim laboris eximij appellanda est. ¶ *Ingrati.*] Ingratum hominem nusquam non detestantur philosophi: sed nihil ad rem pertinet, locos eorum communes hic congerere. Ciuilia præcepta legum videamus. Fabius lib. 7. cap. 5. meminit actionis ingrati. Et scimus grauia olim eius fuisse iudicia apud Persas & Athenienses. Vnde & Lucianus in Abdi- 2
cato, *ὁ νόμος* (inquit) *τῆς ἀχαριστίας δικάζεσθαι δίδωσι κατὰ τῶν τοὺς εὐεργέτας μὴ ἀντιποιούντων.* Certè ex hac causa permittunt leges nostræ, filios exhæredare: ijsque etiam alimenta negare [b], & emancipationis beneficium adimere [c], sicuti & seruis manumissis libertatem [d]. Sed non est eadem semper ingratitudinis æstimatio. Variè enim pro varijs rerum & personarum circumstantijs iudicatur, variéque etiam punitur. Qua de re latius agit Seneca lib. 3, de Benef. ¶ *In quos beneficium collatum est*] Nam aliorum ingratitudo non pertinet ad reuocandam donationem, licet etiam ij sint hæredes ipsorum

a L. si pater. §. vlt. de donat.
b L. si quis à liberis. §. idem iudex. de libe. agn.
c L. vnica. C. de ingra. liber.
d L. 2. C. de libert. & eor. libe.

ipsorum donatariorum. ¶ *Donatoribus*] At non eorum hæredibus, qui non debent dissimula-
tam aut remissam à defuncto iniuriam vlcisci, aut malum bene conditum mouere [a]. Sed nec o- a L.1.§.vlt. C.de re-
mnibus donatoribus eadem est ingratitudinis puniendæ potestas. Nam Constantinus [b] actio- uo.dona.
3 nem ingrati aduersus filios donatarios non dedit matribus, quæ secundis suis nuptijs quodam- b L.hu folu.C.de reo uoc.donat.
modo fuerunt ipsis filijs iniuriæ. Idque Iustinianus in Nouella sua Constitut.22.confirmauit: sed
excepit tres ingratitudinis causas: nempe, si filius vitæ matris fuerit insidiatus, aut impias in eam
manus intulerit, aut omnium eius bonorum iacturam machinatus sit.
¶ *Per nostram Constitutionem.*] Extat hæc in Codice Iustiniani Constitutio [c]. ¶ *Licentiam præ-* c L.vlt.C.de reuoc.
stitimus.] Quam nec donator expressa conuentione sibi potest adimere. Neque enim pacisci potest donat.
impunitam fore ingratitudinem: quia reprobatur pactum, quod habet quandam delinquendi
4 illecebram. Cæterùm iam commissam ingratitudinem meliora pollicenti condonare, genero-
sum est & humanum. Quis enim non probet illam legem [illegible] ¶ *Certis ex causis.*] Enumerat
5 Iustinianus in sua Constitutione iniurias atroces in donatorem effusas: manus impias in eum il-
latas: intentatum vitæ periculum, vel bonorum iacturam non leuem: postremò non seruatam pa-
ctorum fidem & conditionem Sed nescio an omnino certæ sint hæ causæ, quæ generalibus admo-
dum verbis conceptæ sunt, & latissimè patent. Deinde nescio an certis causis commodè liceat alli-
gare iudicium ingratitudinis. Periculum enim est alioqui; ne grauissima quæque ingratitudo
maneat impunita Itaq; fortassis melius fuerit relinquere iudicis religioni æstimandas ex rerum
circumstantijs causas ingratitudinis. Neque hîc admodum moror criminationem Senecæ, qui li-
6 bro tertio de Benef. vt aboleat totam ingrati actionem, odiosè contendit, ei non sufficere omnia
fora: quia nemo sit, qui non agat, aut cum quo non agatur: quodque hæc actio non sit iudicem al-
ligatura, sed regno liberrimo positura: quasi nulla lex monstret quis sit ingratus. Sed est quidam
modus in rebus: nec nouum est; iniuriarum æstimationem, quæ pendeat ex varijs circumstantijs,
relinqui arbitrio boni iudicis, qui omnia expendat, cuiusque religionem sæpe non possumus cer-
tis causis alligare.

§. *Est & aliud.*

1 *Donatum ante nuptias num repeti possit.*
2 *Iustinus fuit adoptiuus Iustiniani pater.*
3 *Apta nomina rebus imponenda.*
4 *Cur & dos & donatio propter nuptias penes maritum sit.*

¶ *Tacitam in se conditionem habebat.*] Atque etiam hodie habet, saltem si fiat ante nuptias. Idem
& de donatione sponsi & sponsæ [d], quæ in dubio intelligitur eandem habere conditionem, saltem d L.cum veterum.C.
vt possit repeti, si non stetit per dantem quo minus matrimonium secutum sit. Atque ita statuit de donat.ante nupt.
1 Imperator Constantinus [e]. qui deinde alia Constitutione sancit [f], vt, si per mortem alterius im- e dic.l.cum veteri.
pediatur matrimonium, sponso qui aliquid dedit, eiusve hæredi, non aliter solida repetitio com- f L. si à sponso. C.de de donat.ante nupt.
petat, quàm si osculum non interuenerit Hoc enim pensari vult dimidia donationis parte: tan-
tique æstimat basiolum, quod dedit sponsa sponso. Notum est illud Theocriti: [illegible]
[illegible]. Sed illud iniquum viris fortasse videbitur, quòd idem Constantinus nihili faciat
osculum, quod sponsæ dederit sponsus. Nam statuit, vt si quid fortè sponsa donarit (quod rarò ac-
cidere fatetur) impedito morte matrimonio, totum reddatur sponsæ, eiusve hæredibus, siue in-
teruenerit, siue non interuenerit osculum. Porrò vt donatio propter nuptias, sic & dos tacitam in
2 se conditionem habet hanc; Si nuptiæ sequantur [g]. ¶ *Iustinus pater noster.*] Fuit hic adoptiuus g L.ite quia.de pact. l.stipulationem l.plerumq. l.licet. de iur. dot.
Iustiniani pater, naturalis autem auunculus. Successit Anastasio Dicoro, ex humillima conditio-
ne ad imperij fastigium sublatus. Successorem verò habuit adoptiuum filium Iustinianum. Hu-
ius adhuc extat Constitutio [h], vt non minus liceat constante matrimonio donationem propter h L. si constante C.de dona.ante nupt.
3 nuptias augere, vel minuere, quàm dotem. ¶ *Consequentia nomina rebus.*] Boni esse Legislatoris
apta nomina rebus imponere, scribit etiam Plato in Cratylo. Et si conuenit legibus perspicuitas,
non potest non esse necessaria proprietas verborum Ideoque & circa eam summum fuisse veteri-
bus Iurisconsultis studium, testatur quodam loco Fabius. ¶ *Constituimus.*] Extat hæc adhuc Iu-
stiniani Constitutio [i]. Sed alia quoque extat Nouella eiusdem Constitutio 97. qua non modò i L.cum multæ.C.de
permittit donationem constante matrimonio ad exemplum dotis augeri: sed omnino præcipit, don.ante nupt.
vt doti respondeat, tum in quantitate, tum in pactis.
¶ *Dotibus in hoc exæquentur.*] Sicuti & in alijs exæquantur. Omnino enim parem harum esse
causam vult Iustinianus, pariaque tribuit priuilegia vtrisque. Et vt viri iubetur proprietatem lu-
cri, quod ex dote consequitur, seruare filijs: ita & mulier id quod ex donatione propter nuptias
percipit. Qua de re extat Iustiniani Nouella Constitutione nonagesima octaua. Sanè non vt viri
fit dos, ita constante matrimonio fiet vxoris donatio propter nuptias. Sed vtraque penes mari-
4 tum est: quia is onera matrimonij sustinet. Nec alio nomine prodest mulieri donatio propter
nuptias, quàm quòd reddat securiorem dotis causam, & vxori obligetur: sic, vt ne ea quidem
consentiente possit à viro alienari. Qua de re extat Nouella Iustiniani Constitutio sexagesima
prima.

§. Erat olim.

1 Accrescendi ius in seruo communi, an locum habeat. *2 Seruorum æstimatio olim quæ?*

¶ *Erat olim.*] Hæc appendix non pertinet propriè ac peculiariter ad titulum de Donationibus: sed ad totum superiorem tractatum de legitimis acquirendarum rerum modis. Nec id esse infrequens in hisce Institutionibus, alibi annotauimus ¶ *Per nostram Constitutionem,*] Extat hæc adhuc Iustiniani Constitutio [a], quæ non tam primùm inuenit, quàm prius inuentū beneficium, de quo hic agitur, auxit. Nam veteres iuris autores non ferebant ius accrescendi in cōmuni seruo, 1 quem miles liberum esse iussisset: sed tum volebant, vt cogeretur socius suam partem vendere, & vt plenam libertatem seruus consequeretur. Iustinianus, quod in milite specialiter constitutum erat, locum habere voluit in omnibus, etiam paganis ¶ *Multa etiam contra communes regulas.*] Ne longius abeamus, singulare est libertatis priuilegium in ea ipsa re, de qua hic agitur: quia cogitur aliquis emere, & alius vendere: cùm alioqui cōmunes iuris regulæ dictent neminem cogendum emere aut vendere [b]. Porrò infinita sunt alia libertatis priuilegia, quæ hic congerere non vacat aliò properantibus: nec admodum refert, cùm nullus sit hodie vsus eorum.

¶ *Libertatem imposuit.*] Expreßim. Neque enim hic suffecerit tacita coniectura. Vnde si quis communem seruum simpliciter instituat hæredem, non consequetur eo nomine seruus libertatem, sed hæreditatem potius acquiret alteri suo domino. ¶ *Quod nos definiuimus.*] Iustinianus [c] æ- 2 stimat seruum, qui decimum annum excesit, viginti solidis, si nulla sit imbutus arte: artificē, triginta solidis: notarium, quinquaginta: medicum, sexaginta, nullo sexus discrimine. Eunuchos autem maiores decem annis, quinquaginta solidis æstimat: & si sint artifices, septuaginta. Minores autem decem annis, non nisi triginta solidis æstimat.

a L. 1. C. de commu. ser. man.

b L. inuitum. C. de contrah. empt. l. nec emere. C. de iure delib.

c L. 1. §. ne autē quan titas. C. de cōmu. ser. ma.

Quibus alienare licet, vel non. Titulus VIII.



Accidit aliquando, vt qui dominus sit, alienare non poßit: & contrà, qui dominus non sit, alienandæ rei potestatem habeat. Nam dotale prædium maritus inuita muliere per Legem Iuliam prohibetur alienare, quamuis ipsius sit, dotis causa ei datum. quod nos, Legem Iuliam corrigentes, in meliorem statum deduximus. Cùm enim Lex in solis tantummodo rebus locum habebat, quæ Italicæ fuerant: & alienationes inhibebat, quæ inuita muliere fiebant, hypothecas autem earum rerum, etiam volente ea: vtrique remedium imposuimus, vt etiam in eas res, quæ in prouinciali solo positæ sunt, interdicta sit alienatio vel obligatio: vt neutrum eorum neque consentientibus mulieribus procedat, ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ earum conuertatur.

Contrà autem creditor pignus ex pactione, quamuis eius ea res non sit, alienare potest. Sed hoc forsitan ideo videtur fieri, quòd voluntate debitoris intelligitur pignus alienari: quia ab initio contractus pactus est, vt liceret creditori pignus vendere, si pecunia 3 non soluatur.

Sed ne creditores ius suum persequi impedirentur, neq; debitores temerè suarum rerum dominium amittere viderentur: nostra Constitutione consultum est, & certus modus impositus est, per quem pignorum distractio poßit procedere: cuius tenore vtrique parti creditorum & debitorum, satis abundè prouisum est.

Nunc admonendi sumus, neque pupillum neq; pupillam, vllam rem sine tutoris autoritate alienare posse. Ideóque si mutuam pecuniam sine tutoris autoritate alicui dederit, non contrahit obligationem: quia pecuniam non facit accipientis. Ideóque vindicari nummi possūt, sicubi extant. Sed si nummi quos mutuo minor dederit, ab eo qui accepit bona fide consumpti sunt: condici possunt, si mala fide: ad exhibendum de his agi potest. At ex contrario omnes res pupillo & pupillæ sine tutoris autoritate rectè dari possunt. Ideóque si debitor pupillo soluat: necessaria est debitori tutoris autoritas. Alioqui non liberabitur

Sed hoc etiam euidentißima ratione statutum est in constitutione, quam ad Cæsarienses aduocatos ex suggestione Triboniani viri eminentißimi Quæstoris sacri Palatij nostri promulgauimus: qua dispositum est, Ita licere tutori vel curatori debitorem pupillarem soluere, vt prius iudicialis sententia, sine omni damno celebrata, hoc permittat. quo subse-

ſubſecuto;ſi & iudex pronunciauerit,& debitor ſoluerit,ſequatur huiuſmodi ſolutionem pleniſsima ſecuritas.Sin autē aliter, quàm diſpoſuimus, ſolutio facta fuerit: pecuniam autem ſaluam habeat pupillus, aut ex ea locupletior ſit, & adhuc eandem pecuniæ ſummam petat:per exceptionem doli mali poterit ſubmoueri. Quòd ſi malè conſumpſerit, aut furto aut vi amiſerit:nihil proderit debitori doli mali exceptio, ſed nihilominus cōdemnabitur: quia temerè ſine tutoris autoritate, & non ſecundum noſtram diſpoſitionem ſoluerit. Sed ex diuerſo, pupilli vel pupillæ ſoluere ſine tutoris autoritate non poſſunt:quia id, quod ſoluunt, nō ſit accipientis: cùm ſcilicet nullius rei alienatio eis ſine tutoris autoritate conceſſa ſit.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Iuris in alium plus nemo transferre poteſt, quàm habet.*
2 *Dotale prædium quod.*
3 *Dotatas manere mulieres, Reipub. intereſt.*
4 *Dos quomodo mariti eſſe dicatur.*
5 *Dotalibus rebus maritus vt ſuis vtitur.*
6 *Dotem alienari conſentiente muliere, an permiſſum.*
7 *Alienatio cur mulieri non prohibita.*

A*Ccidit aliquando.*]In dicant hæc verba, hoc titulo contineri noua quædam, &, vt Theophili verbo vtar, παράδοξα themata. Et reuera nouum eſt, eum, qui dominus ſit, non poſſe alienare: cùm dictū ſit nihil tam eſſe naturale, quàm ratā haberi voluntatē domini rem ſuam in aliū transferre volentis [a]. Rurſus nouum eſt, eum, qui dominus non ſit, poſſe alienare: cùm regula iuris di-
1 ctet [b]; neminem plus in alium iuris transferre poſſe quàm habeat. ¶ *Nam dotale.*]Vel etiam quaſi dotale. Nam & fundum dotali ſeruo legatum ad Legem Iuliam pertinere, quaſi dotalem, ſcribit Paulus [c].

a §. per traditionem. Supra de rer. diuiſ.
b L. nemo plus iuris. de reg. iur.
c L. 3. de fundo dot.

2 ¶ *Prædium.*]Inquit Vlpianus [d]: dotale prædium accipere debemus, tam vrbanum, quàm ruſticum. ad omne enim ædificium Lex Iulia pertinebit. Et prædij appellatione etiam pars continetur. Sed neque ſeruitutes prædio debitas poteſt maritus amittere [e]. Rei aūt dotalis, quæ mobilis ſit, non meminit Lex Iulia: & eius prohibitionē ad eā rem non pertinuiſſe teſtatur hoc loco Theophilus. Certè Imperator Alexander ratam habuit libertatem à marito collatam ſeruo dotali [f].

d L. dotale prædium. de fund. dota.
e L. Iulianus. D. illo tit.
f L. 3. C. de iure dot.

¶ *Maritus.*]Vel etiam Sponſus. Nam (inquit Caius [g]) Lex Iulia, quæ dotali prædio proſpexit, ne id marito liceat obligare, aut alienare: plenius interpretanda eſt, vt etiam de ſponſo idem iuris
3 ſit, quod de marito. ¶ *Prohibetur alienare.*] Omnino enim Reipublicæ intereſt, mulieres manere dotatas [h]. Itaque diligenter retinenda eſt Legis Iuliæ prohibitio: magiſque intendenda, quàm remittenda. quod etiam fecit ſua Conſtitutione Iuſtinianus.

g L. 4. de fun. dot.
h L. 1. D. Sol. mat. l. 2. de iure dot.

4 ¶ *Quamuis ipſius ſit, dotis cauſa ei datum.*]Iuſtin. alibi explicat [i], qua ratione dos mariti eſſe dicatur: nempe, ſubtili quadā iuris fictione: cùm reuera & naturaliter maneat vxoris, cuius proprium patrimonium alio loco dos eſſe dicitur [k]. Itaque reſcriptum eſt [l], maritum ex ſua ſubſtantia, non ex dote mulieris ſatisfacere debere creditoribus: & res, quarum maritus eſt dominus, ſeparari à rebus dotalibus, quaſi alienis. Verùm multa marito conceſſa ſunt, quæ non niſi domino concedi ſolent. veluti vt res dotales poſsit vindicare [m]: ſeruos manumittere [n]: iiſdem autor eſſe adeundæ vel repudiandæ hæreditatis [o]: poſtremò rebus dotalibus vti, vt ſuis. Qua ratione dictum eſt; mari-
5 tum videri dotis dominum, vt etiam eſt apud Tullium in Topicis. Hucque alluſit Poëta libro quarto Æneidos:

———*Liceat Phrygie ſeruire marito,* *Dotaleſq; tuæ Tyrios permittere dextra.*

Et Lucianus in Abdicato, νύμφ (inquit) ἅπαντα γίγνεται τοῦ γεγαμηκότος. Et Plaut. in Caſina, Hoc (inquit) viri omne cenſeo eſſe, quod tuum eſt.

i L. in rebus. C. de iure dot.
k L. denig. §. ſed vtrum. in ſ. D. Minor.
l L. aſsiduis. C. qui pot. in pigno.
m L. dote. C. de rei vind.
n L. 3. C. de iure dot. l. dotalem. D. Sol. ma.
o L. ſeruus dotalis. D. Solu. matr.

¶ *Quæ inuita muliere fiebant.*]Permittebat ergo Lex Iulia dotem alienari conſentiente muliere.
6 Hocque fuit illud, quod maximè correctione dignum viſum eſt. Permiſſæ autem alienationis ex conſenſu mulieris nulla fit mentio in Pandectis, vbi explicatur Lex Iulia de fundo dotali: ſed reſcripſerunt Diocletianus & Maximianus [p], vxorem dotale prædium alienantem non obeſſe nolenti marito: ſatis indicantes vtriuſque conſenſu factam alienationem ratam fore.

p L. ſi prædium. C. de iure dot.

¶ *Hypothecas autem.*]Quaſi iis facilius conſentirent mulieres. vt quæ longè minus abhorreant ab obligatione, quàm ab alienatione. Itaque Lex Iulia putauit citius occurrendum periculo, leuiori quidem, ſed eo nomine maiori: vtpote quo citius poſſent mulieres circumueniri. Sic prohi-
7 bitum fuit Senatuſconſulto Velleiano, mulieres fide iubere. At nulla Lex probibuit eas alienare, quia non temerè proſiliat ad alienationem auarum & tenax genus mulierum. ¶ *Vtriq; remedium impoſuimus.*]Extat hac de re Iuſtiniani Conſtitutio [a]. Ad cuius exemplum poſtea edita eſt Nouella Conſtitutione 61. qua cautum eſt, ne liceat vllo modo alienare vel obligare res immobiles donationis ante nuptias, ne conſentiente quidem muliere: quanquam, ſi ei aliunde ſatis cautum ſit, ſecundus iteratuſque eius conſenſus ſufficiat. ¶ *Ne ſexus muliebris.*] Alibi Iuſtinianus hanc rationem effert his verbis [b]: Ne fragilitate naturæ ſuæ in repentinam deducatur inopiam.

a L. vnica §. cùm Lex Iulia. C. de rei vxor. act.
b dic. l. vnica. §. cum autem.

§. *Contra autem cred.*

1 Creditoris hæres an iure pignus vendat.
2 Ius de pignore distrahendo, Romanis vsitatum.
3 Pignus ante diem vendens creditor, an furti se obliget.
4 Creditor inuitus vendere pignus non cogitur.
5 Pignus securè emitur à creditore.
6 In pignoribus pactum siue lex commissoria reprobatur.
7 Pignus ob vsuram etiam non solutam vendi potest.
8 Creditor quando impetret dominium pignoris.

a L. si necessarias. §. de vendendo. De pig. act.
b L. creditoris. De distract. pig.

¶ *Contra autem creditor.*] Eiusve hæres. Nam (inquit Pomponius)[a] de vendendo pignore, in
rem pactio accipienda est, vt omnes contineantur. Et si creditoris duntaxat persona fuerit com- 1
prehensa, etiam hæres eius iure vendet, si nihil in contrarium actum sit. ¶ *Pignus.*] Et si plura
sint pignora, quodlibet. Nam (inquit Modestinus)[b] creditoris arbitrio permittitur, ex pignori-
bus sibi obligatis, quibus velit, distractis, ad suum commodum peruenire. ¶ *Ex pactione.*] Huius
pactionis vetus est vsus. Nam olim apud Græcos frequens fuit. Et Demosthenes *περὶ Λακρίτου
παραγρα.* scribit apud Athenienses disertè in pignorum conuentionibus apponi solita: *ἐὰν μὴ ἀποδῶσι
γιγνόμενον ἀργύριον κατὰ τὴν συγγραφὴν ἐξεῖναι τὰ ὑποκείμενα ἀποδόσθαι, ἢ ὑποθεῖναι τῆς ὑπαρχούσης τιμῆς.* Sed
& Romani diu vsi sunt eo iure, vt & si nō conuenerit de distrahendo pignore, nihilominus liceret 2
creditori distrahere: si modò non conuenit, ne liceat. Vbi verò conuenit ne distraheretur, nō aliter
potuit creditor distrahere, quàm si debitori ter fuerit denunciatum, & is cessauerit, quemadmo-
dum est apud Vlpianum[c]. Sanè Sabinus respōdit[d], Eum, qui pignori rem accepit, & cùm de ven-
dendo pignore nihil conuenisset, vendidit: aut antè quàm dies venditionis veniret, pecunia non 3
soluta id fecit: furti se obligare. Porrò quæsitum est, an debitor ipse, qui cum creditore pactus est,
non vendere pignus, possit nihilominus rectè vendere. Et respondit Martianus[e], nullam esse
venditionem, vt pactioni stetur. Ita autem legendum esse hoc Martiani responsum, iam satis
constat.

c L. 4. De pign. act.
d L. si is qui pignori. De furt.
e L. si creditor. §. vlti. De distract. pigno.

f L. debitor. De pign. actio.
g L. 1. C de dolo ma. L. 2. De distrac. pig.
h L. cum secundus. §. vlt. de distrac. pigno.
i L. quamuis. De pig. act.
k d. L. quamuis. §. vlt. cum l. seq. L. quæsitum §. vlt. De distr. pign.
l L. quæ specialiter. C. de distr. pig.
m L. 1. C si antiq. cre. pig. vend.
n L. si creditor. De distract. pign.
o L. si fundus. §. vlt. De pign.

¶ *Alienare.*] In alium quàm debitorem ipsum (hic enim rem suam emere non potest[f]) vel
eius fideiussorem, qui magis debet pignus debitori luere quàm sibi emere. Et si emerit: vel debito-
ri, vel alteri creditori ius pignoris haberi restituere cogetur, recepto suò precio[g]. Sed et si secundus
creditor à priori emerit, potest ei debitor solutam pecuniam offerre, & rem recipere, vt respondit
Martianus[h]: qui etiam addit rationem, quòd hic emptor non tam acquirendi dominij, quàm
seruandi pignoris sui causa intelligatur pecuniam dedisse. ¶ *Potest.*] Non etiam debet. Nam in- 4
uitum creditorem cogi vendere satis inhumanum est, inquit Pomponius[i]. Sed si id venditum
velit debitor, vendat ipse: potest enim. Porrò si pignus alienarit creditor: postquam suum recepit,
residuum debet reddere debitori[k]. nam & si quid desit, petere potest[l]. ¶ *Quod voluntate debitoris
intelligitur.*] Quinimò securius hic emitur, quàm si debitor ipse venderet: quia emptor non modò 5
securus est ab euictionis periculo, quod alioqui dominus intentaret, sed & ab alterius posterioris
creditoris hypotheca[m]: multo magis ab ipsius vendentis creditoris iure Sanè quamcunq; condi-
tionē venditioni adiecerit creditor, ea proderit & debitori. Vnde si creditor pignus vendiderit hoc
pacto, vt sibi liceat reddere pecuniam, & pignus recuperare: eodem iure poterit vti debitor. Aget
enim cum creditore, vt actiones quas habet, ei cedat[n]. ¶ *Vt liceret creditori pignus vendere.*] Obserua
formulā huius pactionis, quæ nullam cōtinet conditionem iniquam, aut duriorem: nec iustū rei
precium interuertit. Itaque hoc modo fieri posset in rem creditoris. Sic enim scribit Martianus[o]:
Potest ita fieri pignoris datio hypothecæve, vt si intra certum tempus non sit soluta pecunia, iure
emptionis possideat rem tunc æstimandam. Cæterùm ab initio ita pacisci non liceret, vt si debitor
præstituto die nō soluerit, res fiat creditoris, eámque habeat loco debiti. Nam eiusmodi pactum,
siue Lex commissoria in pignoribus reprobatur à Cōstantino[p], vtpote, quod captiosum id sit: vt 6
latius dixi in meo Constantino. ¶ *Si pecunia non soluatur.*] Inquit Papinianus[a]: Cùm soluendæ
pecuniæ dies pacto confertur: conuenisse videtur, ne prius vendēdi pignoris potestas exerceatur.
Verùm hîc admonendi sumus, nihil agi, nisi tota soluatur suo tempore. Nam & si vel minima tan-
tùm pars superst, nihilominus creditor potest distrahere, vt rescripsit Gordianus[b], & Pompo-
nius[c]: Cùm (inquit) pignus ex pactione venire potest, non solùm ob sortem non solutam venire 7
poterit, sed ob cętera quoque, veluti vsuras, & quę in id impensa sunt. Itaque debitoris denuncia-
tionem ante venditionem factam, ita demum efficacem esse, si vniuersum tam sortis, quàm vsu-
rarum debitum offerat creditori debitor, rescripsit idem Gordianus[d]. Et oportet quidem omni-
no ab ipso debitore id fieri. Nā alterius creditoris oblatio nō impediet distractionem pignoris[e].
¶ *Impedirentur.*] Vbi scilicet non conuenisset de venditione pignoris, quanquam nec tum olim
omnino impediebantur, quia poterant nihilominus vendere: sed parum debitoribus consuleba-
tur, quibus voluit quoque esse consultum Iustinianus. ¶ *Nostra constitutione consultum est.*] Extat
hæc Iustiniani Constitutio,[f] cuius sententia, quòd prolixior sit, non est hoc loco relata. Eius sum-
ma hæc est: Vbi de vendendo pignore nō conuenit, interpellandus est primùm debitor vt soluat.
qui si deinde cessarit biennio, pignus distrahi poterit. Si nō reperiatur emptor: rursus admonebi-
tur debitor. qui si porrò cesset, creditor sibi impetrabit ius dominii. Sed tamen biennio integrum 8
erit debitori recuperare rem ipsam, si creditori offerat totum debitum, cum eo, quod eius interest
à tempore moræ.

p L. vltim. C. de pact. pig.
a L. cùm soluēdæ. De dist. pign.
b L. quandiu. C. de distract. pign.
c L. si necessarias. §. vlt De pign. act.
d L. vlt. C. debi. vēd. pig. imped non poss.
e L. vltim. C. si antiq. cred. pig. vend.
f L. vlt. C. de iure domi. impetran.

§. *Nunc*

§. *Nunc admonendi.*

1 *Decretum iudicis in quibus rebus pupilli alienandis requiratur.*
2 *Mutui causa quomodo detur actio personalis.*
3 *Mutuum confirmatur consumptione.*
4 *Pupillo solui sine tutoris autoritate non potest.*
5 *Solutio facta pupillo sine tutore, non est tuta.*

¶ *Vllam rem sine tutoris autoritate.*] Eo autem autore potest pupillus quasdam res alienare,
sed eas tantùm, quæ commodè seruari non possunt [a]. Nam in alijs alienandis opus est præterea
iusta causa, & decreto iudicis: de quo latius agit Oratio Seueri [b]. Quod autē subijcitur exemplum
pecuniæ mutuo dandę non aliam requirit, quàm tutoris autoritatem: quia pecunia seruari non
potest, vt pote quę in eos vsus habeatur, vt assidua permutatione quodammodo extinguatur, quē
admodū suprà dixit Iustinianus [c]. Plura, quæ pertinent ad tutoris autoritatem, repetenda sunt ex
libro superiori, qui peculiarem habet ea de re titulum. ¶ *Quia pecuniam non facit accipientis.*] Subtilis
est hæc ratio, cur nulla prorsus hîc contrahatur obligatio, ne ex parte quidem ipsius, qui accepit:
nempe, quòd pupillus nequeat id facere, quod aliū obliget, hoc est, dominium transferre: nec tur-
sus adimplere obligationem, quæ re contrahitur. Quid autem iudicandum sit de alijs pupillorum
2 contractibus, suo superius loco satis dictum est. ¶ *Ideoq; vindicari.*] Verum quidem est, mutui
causa dari personalē actionem, sed hoc ita demum, si obligatio sit, ex qua tanquam causa, ea actio
nascitur veluti effectus. cùm ergo hîc probarit Iustin. eam obligationem non esse contractam,
rectè consequitur, nec illam quidem actionem dari. superest igitur sola in rem actio, quæ domi-
no datur. ¶ *Sed si numi.*] Similis est locus apud Vlpianum [d], qui ait: Fugitiuus, vel alius seruus
contra voluntatem domini credendo non facit accipientis. quid ergo? Vindicari numi pos-
sunt, si extant: aut si dolo malo desinant possideri, ad exhibēdum agi. quòd si sine dolo malo con-
sumpti sunt, condicere tibi potero. Ex his Vlpiani verbis colligere licet, quod hoc etiam loco tra-
3 ditur; Consumptione confirmari mutuum, quemadmodum & confirmatur vis solutionis, quæ
alioqui erat nihili.[e] ¶ *Rectè dari.*] Donari certè rectè possunt. Potest enim pupillus sine tutore
conditionem suam meliorem facere. Quòd si quid detur quod pupillo debebatur, non est omni-
no secura dantis causa, vti paulò post dicemus. ¶ *Ideoq;.*] Id dependet ex eo, quod suprà di-
ctum est, non posse pupillum alienare. Alienare autem videretur, si recipiendo solutionem, sta-
tim liberaret debitorem: quanquam interim aliquid accipiat. quod certè potest. Et videtur qui-
4 dem hic locus ex Vlpiano descriptus, qui huncin modum respondit [f]: Pupillo solui sine tutoris
autoritate non potest: sed nec delegare potest: quia nec alienare vllam rem potest. Si tamen solue-
rit ei debitor, & numi salui sint: petentem pupillum doli mali exceptione debitor summouebit.
Huc pertinet & illud Caij [g]: Contra iuris ciuilis regulas pacta conuenta, rata non habentur: vel-
uti si pupillus sine tutoris autoritate pactus sit, ne à debitore suo peteret, aut ne intra certum tem-
pus peteret. nam nec solui ei sine tutoris autoritate potest. Postremò lubet adijcere quod Tullius
in Topicis ait: Non quemadmodum, quod mulieri debes, rectè ipsi mulieri sine tutore soluas: ita
quod pupillo debes, possis eodem modo soluere. ¶ *Si debitor pupillo.*] Vero creditori. Nam si tan-
tùm esset pupillus solutioni adiectus ab alio stipulante: rectè ei solueretur [h]. Sanè si in rem suam
reciperet pupillus, adhibendus est tutor. Veluti si quis hæres scriptus sit hac conditione, Si decem
5 pupillo dederit: hîc non est quidem pupillus creditor, nec ei videntur legata decem. Sed tamen
non erit tuta solutio sine tutore, ne datio ex pupilli imbecillitate pereat: quia non hoc egit testa-
tor, vt quoquo modo esset datum, expleta videatur conditio, quemadmodum respondit Marcel-
lus [i]. Porrò quod hîc dicimus de pupillo, locum habet & in pubere viginti quinque annis mino-
re. Nam si pecuniam à debitore solutam perdiderit, ei subuenitur [k].

a L. Lex quæ tutores. C. de admi. tuto.
b L. 1. De reb. eorum qui sub tut. sunt.
c L. constituitur. Supra de vsufr.
d L. rogasti. §. vlt. D. si cert. pet. cond.
e L. quod si forte. §. vlt. L. Cassius. De solut.
f L. pupillo. De solut.
g L. contra iuris. De pact.
h L. si stipulatus fuero. De solut.
i L. si seruum decem. in fi. De solut.
k L. ait prætor. § sed & si. De min. 25. annis.

§. *Sed hoc etiam.*

1 *Debitor pupilli cur ex decreto iudicis tutori soluere debeat.*
2 *Aduocati Cæsarienses qui?*
3 *Cæsarea quot?*
4 *Charunda primùm legibus vsi Cæsarienses.*
5 *Alienari quæ à domino non possint.*
6 *Emphyteuticæ res & feuda, an alienari possint.*

¶ *In Constitutione, quam ad Cæsarienses.*] Non puto hanc Constitutionem extare. Extat ta-
men alia eiusdem Iustiniani ad Ioannem præfectum Prætorio [l], non dissimilis, qua sancit debito-
rem pupilli, soluentem tutori ex præcepto iudicis, consequi plenissimam liberationem: nec ta-
1 men opus esse iudicis decreto, si quid soluatur ex reditu, vel pensione, vel simili causa: ad quam
non vult pertinere suam Constitutionem, quæ de præcepto iudicis loquitur. Deinde aliam subij-
cit Constitutionem, [m] qua idem statuere videtur in vsuris non excedentibus centum solidorum
quantitatem, vel biennales metas, quod in pensionibus statuit.
2 ¶ *Cæsarienses Aduocatos.*] Ab his sæpe consultus fuit Iustinianus: ad eósq; multas scripsit Con-
stitutiones: inter quas est illa, qua statuit; sobolem ex muliere quinquagenaria susceptam, nihilo-
minus haberi legitimam. [n] Item illa, qua reprobauit pactum de hæreditate viuentis initum sine

l L. sancimus creatione. C. de admi. tut.
m L. Constitutione. C. illo tit.
n L. si maior. C. de legit. hæred.

a L. vlt. C. de pact.
b §. item verborum, inf. de inuti. stipulat.

eius consensu, de cuius successione agebatur [a]. Postremò & illa, qua cauit, scripturas, quæ testan-
tur in stipulationibus aliquos fuisse præsentes, omninò sequendas, nisi aliunde constet fuisse ab-
sentes toto eo die, quo instrumentum est confectum [b]. A Palæstina quoque aduocatione de quo-
dam Iuris Ciuilis capite dubitante consultum se fuisse Iustinianus in quadam sua Constitutione

c L. si fideiussor. C. de fideiuss.
d L. vlt. C. de verbo. signif.

commemorat [c]. Item ab Illyriciana aduocatione [d]. Fuit autem Cæsaræa metropolis Cappadociæ,
quæ Archelao pulso hoc nomen sortita est à Tyberio, vel certè ab Augusto. Prius autem appella- 3
batur Mazacæ. Atque vt magis intelligamus sedem olim illic quoque fuisse clariss. Iurisperito-
rum. Strabo lib. x i i. narrat Mazacenos siue Cæsarienses, Charundæ primùm legibus vsos fuisse, 4
earúmque doctissimos habuisse interpretes, sicuti habebant Romani suos Iurisconsultos. Atque
eos quidem à Tygrane Cappadociam vastante aliquando in Mesopotamiam abductos fuisse sed
paulò pòst magna cum gloria reuersos esse Iulianus huius vrbis odio, quòd esset Christiana, ten-
tauit nomen mutare: sed frustrà. Alia autem fuit Cæsaræa in Palæstina, quam bellis euersam He-
rodes Antipatri filius restituit, primúsque in gratiam Augusti dixit Cæsaream. In hac fuit celebris
Ecclesia, quæ à domo Cornelij Centurionis sumpsit initium, habuítque Eusebium Episcopum.
Tertia fuit Cæsaræa Philippi in Iudæa, restituta à Philippo Herodis Tetrarchæ fratre.

e L. ait prætor. § permittitur. De minor.
f L. in pupillo. De sol.

¶ *Debitorem soluere.*] Hoc est, debiti solutionem recipiendo, eum liberare. Est autem phrasis Græcanica. ¶ *Plenissima securitas.*] Quæ nulla subuerti possit in integrum restitutione Sic & olim cùm Prætor decreuisset soluendam pecuniam minori sine curatoribus: respondit Vlpianus [e], soluentem esse securum: & si allegans minorem esse, compulsus sit ad solutionem, nihil ei esse imputandum: nec Prætorem auditurum esse hunc minorem in integrum restitui volentem. ¶ *Locupletior.*] Saltem non pauperior, inquit Marcellus [f]. vt si emerit sibi rem necessariam, & quam alioqui de suo erat omninò & necessariò empturus. Ac tum quidem parum refert, quando ea perierit Sed in alijs inspicere solemus tempus litis contestatæ, cùm quæritur, an pupillus, cui sine tutore solutum est, locupletior sit.

g L. quod si forte. §. vlt. De solut.
h L. non omnis. §. si pupillus. D. si cert. pet. tendit.
i L. fugitiuus. De sol.
k L. etiam. De solut.

¶ *Sed ex diuerso.*] Inquit Vlpianus: [g] Pupillum sine tutoris autoritate, nec soluere posse, palàm est. Sed etsi dederit numos: non statim fient accipientis: vindicarique poterunt. Planè si fuerint consumpti numi, statim liberabitur. Idem tractat, & latiùs explicat alio loco Iulianus [h].
¶ *Quia id quod.*] Hæc ætiologia ex eo sumpta est, quòd dicimus, Id mihi solutum videri à debitore, quod meum factum est [i], cuique nihil iuris deest [k], Nunc pro coronide breuiter adijciamus non-
nulla alia, quæ non possunt à dominis alienari. Primùm autem eius conditionis est res litigiosa, 5

l L. generaliter. §. sub conditione. D. qui & à quib. man. l. si post diem. §. sed si sub condit. D. quando dies lega. ced.
m L. vlt. §. vlt. De leg. 2.
n L. quidam ita. §. si quis filium. D. ad Sen. Trebell.
o L. vlt. §. sin autem. C. comm. de legat.

de qua extat Nouella Iustiniani Constitut. 112. Item res alteri legata sub conditione. quia ea pen-
dente hæredis quidem est [l]: sed tamen is non potest eam alienare in fraudem legatarij. Et quan-
quam Scæuola [m] & Iulianus [n] sustineant alienationem, si nitatur bona fide tradentis accipientis-
que: & solo precio iubeant contentum esse legatarium: tamen vereor, ne id parum fuerit proba-
tum Iustiniano, qui voluit res legatas omninò dari legatarijs iuxta mentem testatoris: & in vni-
uersum prohibuit alienari res subiectas restitutioni [o]: solámque excepit causam adiuuandæ le-
gitimæ portionis, quæ sit satis ad dotem vel donationem propter nuptias. vt est in Nouella eius 6
Constit. 39. Præterea Iure Ciuili res emphyteuticæ non possunt alienari, nisi admonito domino
directo. Feuda quoque prohibuit aliquando Federicus, deinde Lotharius, alienari sine consensu
patroni. Sed nos hodie alio iure vtimur, magísque inspicimus, an res sit nostro parta labore, an
verò ex parentum successione nobis obuenerit Nam Castrensia vel quasi castrensia cuilibet alie-
nare liberum est: Patrimonium verò non æquè.

Per quas personas cuique adquiritur. Tit. IX.



ADQVIRITVR vobis, non solùm per vosmetipsos, sed etiam per eos, quos in potestate habetis: item per seruos, in quibus vsumfructum habetis: item per homines liberos, & per seruos alienos, quos bona fide possidetis, de quib. singulis diligentius dispiciamus. Igitur liberi vestri vtriusque sexus, quos in potestate habetis, olim quidem, quidquid ad eos peruenerat (exceptis videlicet castrensib. peculijs) hoc parentibus suis adquirebant, sine vlla distinctione: & hoc ita parentum fiebat, vt etiam esset eis licentia, quod per vnum vel vnam eorum adquisitum esset, alij filio, vel extraneo donare, vel vendere, vel quocunque modo voluerant adplicare. Quod nobis inhumanum visum est: & generali Constitutione emissa, & liberis pepercimus, & patribus honorem debitum reseruauimus. Sancitum enim à nobis est, vt si quid ex re patris ei obueniat, hoc secundum antiquam obseruationem totum parenti acquiratur. Quæ enim inuidia est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reuerti? Quod autem ex alia causa sibi filiusfamilias adquisiuit, huius vsumfructum patri quidem ad quirat, dominium autem apud eum remaneat: ne quod ei suis laboribus, vel prospera fortuna accesserit, hoc in alium perueniens, luctuosum ei procedat. Hoc quoque à nobis

à nobis dispositum est, & in ea specie, vbi parens emancipando liberos suos ex rebus, quæ adquisitionem effugiebant, sibi tertiam partem retinere (si voluerat) licentiam ex anterioribus Constitutionibus habebat, quasi pro precio quodammodo emancipationis: & inhumanum quiddam accidebat, vt filius rerum suarum ex hac emãcipatione dominio pro parte tertia defraudaretur: & quod honoris ei ex emancipatione additum erat, quòd sui iuris effectus esset, hoc per rerum deminutionem decresceret. Ideoq; statuimus, vt parens pro tertia parte dominij, quam retinere poterat, dimidiam non dominij rerum, sed vsusfructus retineat. Ita etenim res intactæ apud filium remanebunt, & pater ampliore summa fruetur, pro tertia, dimidia potiturus.

Item vobis adquiritur, quod serui vestri ex traditione nanciscuntur: siue quid stipulentur, siue ex donatione, vel ex legato, vel ex qualibet alia causa adquirant. Hoc enim vobis ignorantibus & inuitis obuenit. Ipse enim seruus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest. Sed si hæres institutus sit, non aliàs, nisi vestro iussu hæreditatem adire potest. Et si vobis iubentibus adierit, vobis hæreditas adquiritur, perinde ac si vosipsi hæredes instituti essetis. Et conuenienter scilicet vobis legatum per eos adquiritur. Non solùm autem proprietas per eos, quos in potestate habetis, vobis adquiritur, sed etiã possessio. Cuiuscunque enim rei possessionem adepti fuerint, id vos possidere videmini. Vnde etiam per eos vsucapio, vel longi temporis possessio vobis accidit. De ijs autem seruis, in quibus tantummodo vsumfructum habetis, ita placuit, vt quidquid ex re vestra, vel ex operis suis adquirant, id vobis adiiciatur: quod verò extra eas causas consecuti sunt, id ad dominum proprietatis. Itaque si is seruus hæres institutus sit, legatúmve quid ei, aut donatum fuerit, non vsufructuario, sed domino proprietatis adquiritur. Idem placet & de eo, qui à vobis bona fide possidetur: siue is liber sit, siue alienus seruus. Quod enim placuit de vsufructuario, idem placet & de bonæ fidei possessore. Itaque quod extra istas duas causas adquiritur: id vel ad ipsum pertinet, si liber est: vel ad dominum, si seruus est. Sed bonæ fidei possessor cùm vsuceperit seruum (quia eo modo dominus fit) ex omnibus causis per eum sibi adquirere potest. Fructuarius verò vsucapere non potest: primùm quia non possidet, sed habet ius vtendi fruendi: deinde quia scit seruum alienum esse. Non solùm autem proprietas per eos seruos, in quibus vsumfructum habetis, vel quos bona fide possidetis, aut per liberam personam, quæ bona fide vobis seruit, vobis adquiritur: sed etiã possessio. Loquimur autem in vtriusque persona secundum distinctionem, quam proximè exposuimus: id est, si quam possessionem ex re vestra, vel ex suis operis adepti fuerint. Ex his itaque apparet, per liberos homines, quos neque vestro iuri subiectos habetis, neque bona fide possidetis: item per alienos seruos, in quibus neque vsumfructum habetis, neq; possessionem iustam: nulla ex causa vobis adquiri posse. Et hoc est quod dicitur, per extraneam personam nihil adquiri posse: excepto eo, quod per liberam personam (veluti per Procuratorem) placet, non solùm scientibus, sed & ignorantibus vobis adquiri possessionem, secundum Diui Seueri Constitutionem: & per hanc possessionẽ etiam dominium, si dominus fuerit, qui tradidit: vel vsucapionem, aut longi temporis præscriptionem, si dominus non sit. Hactenus tantisper admonuisse sufficiat, quemadmodum singulæ res vobis adquirantur. Nam legatorum ius, quo & ipso singulæ res vobis adquiruntur: item fideicommissorum, vbi singulæ res vobis relinquuntur: opportunius inferiore loco referemus.

Videamus itaque nunc, quibus modis per vniuersitatem res vobis adquirantur. Si cui ergo hæredes facti sitis, siue cuius bonorum possessionem petieritis, vel si quem adrogaueritis, vel si cuius bona libertatum conseruandarum causa vobis addicta fuerint: eius res omnes ad vos transeunt. Ac prius de hæreditatibus dispiciamus: quarum duplex conditio est. Nam vel ex testamento, vel ab intestato ad vos pertinent. Et prius est, vt de his dispiciamus, quæ ex testamento vobis obueniunt. qua in re necessarium est, initium de ordinandis testamentis exponere.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Tempus contractus cùm serui nobis acquirunt, inspiciendum.*

2 *Conditionis tempus spectatur in legatis & vltimis voluntatibus.*

3 *Emancipati sibi, non patri acquirunt.*
4 *Romanorum olim liberis nihil erat proprium, viuis patribus.*
5 *Quæ præter peculium castrense patriæ potestatis iure sint exempta.*
6 *Castrense peculium inuito patre alienari potest, & lis de eo moueri parentibus.*
7 *Peculio castrensi quid contineatur.*
8 *Hæreditatem à cognatione agnato delatam, esse castrensis peculij.*
9 *Castrensium & quasi castrensium bonorum par causa.*
10 *Acquisita clerici censentur iure castrensis peculij.*
11 *In bonis filij castrensibus ne vsumfruct. quidem pater habet.*
12 *Vsusfructus trahit secum ius administrationis.*
13 *Emancipato filio relictum videtur esse donatum.*

A*Dquiritur.*] Domininm. De obligatione autem, quæ per alios nobis adquiritur, libro sequenti, peculiari titulo agetur. Porrò descriptum est initiũ huius tituli ex Caio [a]. ¶ *Sed etiam per eos.*] An verò etiam per animalia nostra, suprà diximus, vbi & vertagorum meminimus. ¶ *Quos in potestate habetis.*] Saltem ipsius contractus tempore: quod hîc potissimùm inspicimus, etiamsi condi- 1
tione foret suspensum. Vnde Paulus [b], Si (inquit) filiusfa. sub conditione stipulatus, emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio, patri actio competit: quia in stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus. Ad eundem quoque modum Pomponius respõdit, inquiens [c]: Nam & sub conditione stipulantes, omnimodo ijs, quorum scilicet in potestate sumus, acquirimus, etiamsi liberatis nobis potestate dominij, conditio existat. Vnde etsi ageretur de rescindendo contractu per restitutionem in integrum, magis contractus quàm conditionis tempus inspiciemus, vt restitutio non detur: quia patris potius quàm filij minoris res agatur [d]. Sanè si filiusfam. stipulatus sit sub hac conditione, si sui iuris factus sit: non poterit non ei acquiri [e]. Sed & vbi conditio penderet à potestate & facto stipulantis, eamq; impleat filius iã emancipatus: sibi, non patri adquirit. Vnde si ita stipulatus fuerit, Quantã pecuniã Titio credidero, fide tua esse iubes? & emancipatus crediderit: nec fideiussor, nec reus patri obligabitur [f]. sed ipsi filio ex stipulatione quæretur actio [g]. Porrò
aũt in legatis & vltimis voluntatibus spectare semper solemus conditionis [h] tempus: vt patri non 2
possit adquiri, quod legatum est filiofa. si eo tempore, quo legati conditio extitit, emancipatus erat filius. Nec sanè hîc commodè possumus aliud spectare tempus, cùm tota res pendeat à solo testatore, nullumque sit factum filij, antequam rem ipsam accipiat. Itaque nihili est prima potestas, quæ defecit antequam filius quicquam ageret. Iam verò de emancipatis nemo dubitat; eos rem
suam agere, sibiq; adquirere. nec enim potest parens, dominus esse acquisitorũ, cùm non sit ipsius 3
acquiretis. Nota est illa Abdicati Lucianici querela de patre: οἱ δεσπόται εἶναι θέλουσι τῶν ὅτ᾽ οὐκ ἦσαν ἀδεσπότως, πεπορισμένων. ¶ *Quicquid ad eos peruenerat.*] Etiamsi ex matris successione. Sed quando id tor rectum sit, dixi in meo Constantino. Illud magis est huius loci, quod Dionysius Halicar. lib. 8. ait: Ῥωμαίοις οὐδὲν ἴδιόν ἐστι κτῆμα, ζώντων ἔτι τῶν πατέρων, ἀλλὰ καὶ τὰ χρήματα καὶ τὰ σώματα τῶν παίδων, ὅ,τι βούλονται
διαπράττεσθαι τοῖς πατράσιν ἀποδέδοται. ¶ *Exceptis videlicet.*] Tradit etiam hanc exceptionem Iuuenalis 4
vltima Satyra, inquiens:

——Et quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cuius regimen pater.

Iustinianus autem in Nouella sua Constit. 22. indicat & alia quædam excipi. Inquit enim. ὁ δὲ τῶν καστρησίων καὶ quasi castrensium peculiorum, ἐξῃρείσθω λόγος, καὶ ἑτέρων τινῶν. [Castrensium verò & quasi castrensium peculiorum excipiatur ratio, & aliorum quorundam.] Et sanè ad exemplum castren
sis peculij Iustinianus exemit patriæ potestatis iure, ea quæ Princeps donat filiofam. [i] Nam nec ius 5
militiæ patri acquiri Vlpianus respondit [k]. Præterea Iustinianus in Nouella sua Constitut. 134. noluit eum parentem, qui sine causa tentauit diuortium, quicquam iuris habere in bonis donatis filiofa. cui iniuriam fecit parato diuortio. Sed & bona, quæ filiofa. obuenerant ex fratris hæreditate, cuius etiã particeps fuerat cohæres pater, voluit solida esse filijfa. Sic enim ait in Nouella sua Constitut. 118. eum loco sui iuris partem hæreditatis habere, ἰσχύειν αὐτὴ ταύτας τὰς χρήσεις, μέρος αὐτοῦ τῆς κληρονομίας καὶ κατὰ δεσποτείας δίκαιον ἐκδέχεσθαι. Idem in Nouella Constit. 117. tuetur voluntatem testatoris, qui filiofa. aliquid reliquit ea conditione, ne quid patri acquireretur. Nam etsi rogatus sit pater filio suo restituere fideicommissum, licet id differat in id tempus quo capere possit, hoc est, sui iuris fiat [l]: tamen filio solidum restituetur. Et si in fraudem fideicommissi aliquid faceret pater, etiam ante id tempus cogeretur restituere. quanquam paternæ reuerentiæ congruũ sit, egenti fortè patri officio iudicis ex accessionibus hæreditarijs emolumentũ præstari, vt scribit Papinianus [m]. Ergo multa sunt, quæ ad exemplum castrensis peculij excipiuntur. Illud verò postremò admonendi sumus; non excipi castrense peculium, nisi in gratiam filij. Itaque filio sublato, pater ab eo peculio non summouetur: adeò vt castrense peculiũ filij deportati, potius patri quàm fisco tribuendum esse, rescripserit Imp. Alexander [n]. Sed si detur in adoptionem filius, non poterit pater ei adimere peculium [o], non magis quàm emancipato. ¶ *Castrensibus peculijs.*] In quibus filijfa. vice patrumfa. funguntur, Inquit Vlpianus [p]: qui etiam addit cessare vsque ad eius quantitatem Macedonianum Senatusconsultum. Imperator autem Alexander ait [a], filios proprium habere castrense peculium, nec in eo vllum ius patris esse. Sic & Pomponius [b] scribit, patribus aliquid ex castrensibus bonis filiorum non deberi. Idem alibi castrense peculium vocat [c] proprium patrimonium filiorum. Et Vlpianus [d], nec castrense (inquit) nec quasi castrẽse peculium fratribus confertur. Hoc enim præ-
cipuum esse oportere, multis Constitutionibus continetur. Certè potest de eo testari filiusfamil. 6
potest

a L. acquiritur. de acqui. rer. dom.
b L. si filiusfa. de verborum oblig.
c L. quæ legata. de reg. iur.
d L. denique. §. 1. de minorib.
e L. vl. de stip. seru.
f L. quidã cùm filiũ. §. vlt. de verb. oblig.
g L. si debitori deportato. §. si filiusfam. de fideiuss.
h L. quæ legata de reg. iur. l. si vsusf. D. quãdo dies leg. ced. l. si vxor. C. de condi. inser.
i L. cum multa. C. de bon. quæ liber.
k L. 3. §. si quid minori. de minorib.
l L. vbi purè. D. ad Senat. Trebell.
m L. Imperator. D. ad Sen. Trebell.
n L. 3. C. de bo. proscr.
o L. pater qui dat. De castren. pecul.
p L. 2. D. ad Se. Mace.
a L. 3. C. de castren. pecul. mili.
b L. ex nota. de castr. pecul.
c L. 3. §. Põponius. De minor.
d L. 1. § nec castrense. de collat.

potest & inuito patre id alienare pro suo arbitrio [a]. Imò & litem de eo patri mouere [b]. Peculio autem castrensi contineri scribit Imper. Alexander [c], res mobiles, quæ eunti in militiam à patre vel à
7 matre, alijsve propinquis, vel amicis donatæ sunt: item quæ in castris per occasionem militiæ quęruntur: in quibus sunt etiam hæreditates eorum, qui non aliàs noti esse potuerunt, nisi per militiæ occasionem: etiam si res immobiles in ijs sint. Sed & cùm frater fratrem eundemque commilitonem in ijsdem castris scripsisset hæredem: rescripsit Gordianus [d] Imp. successionem castrensi peculio adscribendam: quia credendum sit, peregrinationis laborem, societatem commilitij, & obeundorum munerum consortium, affectioni fraternæ nonnihil addidisse: quinimo vice mutua chariores inuicem sibi eos reddidisse. Rectè itaque Scæuola & Tryphoninus respõderunt [e]; hæreditatem
8 tem à commilitone agnato delatam, esse castrensis peculij, si testamentum conditum sit post commilitium, quod creditur charitatem auxisse. Cæterùm aliud esse de hæreditate, quam frater in alia prouincia stipendia merens, fratri cum quo nunquam militauit, reliquit, Papinianus respondit [f]: Quia (inquit) sanguinis ratio, non militiæ causa, meritum hæreditatis accipiendæ præbuerat. Pot-
9 rò autem parem esse quasi castrensium & castrensium bonorum causam, nos alio postea loco pluribus cum Iustiniano probabimus. Certè Iustinianus in Nouella sua Constitut. 123. statuit, vt quæ-
10 cunque clericus acquireret, iure castrensis peculij censeretur. ¶ *Generali constitutione.*] Extat hæc Constitutio libro sexto Codicis [g]. ¶ *Ex re patris.*] Alibi apud Iustinianum est, ex substantia [h]. Sed & si quid ex facto patris filius consequatur, à patre profectum videbitur. Itidem si patris occasione, veluti si donare volens patri, donauit filiofa. [i] Quod si pater oblatam acquirendi occasionem repudiauit, vt ad filium aliquid perueniret, non videbitur profectum de bonis patris, qui de suo nihil erogauit [k]. ¶ *Quæ enim inuidia est.*] Hoc est, Cur tandem id vetaretur aut negaretur. Sic Virgilius lib. 4. Æneid.

Quæ tandem Ausonia Teucros considere terra, Inuidia est?

Habet autem hæc phrasis imitationẽ Græcorum, apud quos φθονεῖν sæpe significat negare vel prohibere. Polybius lib. sexto loquens de captiuis Cannensibus, παρεκάλουν μὴ φθονῆσαι τοῖς ἑαλωκόσι τῆς σωτηρίας. [orabant ne inuiderent captis incolumitatem.] ¶ *Ex alia causa.*] Alibi apud Iustinianum est [l], Ex alijs quibuscunque causis. Et in Nouella eius Constit. 22. est, ἀλλαχόθεν. [aliunde.] Sunt au-
11 tem semper excipienda bona castrensia, in quibus ne vsumfructum quidem habet pater, & alia
12 quæ censentur eodem iure. ¶ *Vsumfructum.*] Qui etiam secum trahit ius plenissimæ administrationis, vt præter alienationem & hypothecam, omnia ferè tribuat, quæ tribueret dominiũ [m]. nec prius finitur, quàm parens ipse fructuarius. Sic enim Iustinianus, quod olim in bonis maternis statutum erat, vult obtinere in omnibus bonis aduentitijs. Itaque in Nouella sua Constitut. 22. τοῦτο (inquit) χώραν αὐτόθι, ἀρχὴν οὐ [illegible], μόνον ἀδιάπτωτον, καὶ ὅτι ἅπαντες οἱ πρὸ ἡμῶν βουλόνται νόμοι, καὶ ἐπὶ τοῖς μητρῴοις καὶ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι, καὶ ἡμεῖς σύμφαμεν. ¶ *Ex rebus quæ acquisitionem effugiebant.*] Veluti maternis, quarum dominium proprium erat filiorum, solus verò vsusfructus patri quærebatur [n]. ¶ *Ex anterioribus constitutionibus.*] Nempe Constantini Imp. Nam Iustinianus alibi expreßim hoc tribuit Legi Constantianæ [o]. ¶ *Retineat.*] Et si etiam in emancipatione expreßim hoc sibi non retinuerit. Satis enim est specialiter non reiecisse, vti tradit eadem sua Constitutione Iustinianus. Cæterùm si non expreßim adimatur emancipato peculium profectitium, donati intelligitur [p]. Nam alioqui
13 patri liberum erat vno verbo adimere, etiam ante emancipationem, per quam desinit esse peculium: vt relictum emancipato non posit non videri pleno iure donatum.

a L. 2. C. de castr. pec.
b L. lis nulla. de iudic.
c L. 1. C. de castr. pec.
d L. 4. C. de castr. pec.
e L. pen. C. de cast. pe.
f L. dotem. §. vlt. de castr. pec.
g L. cum oportet. C. de bon. quæ lib.
h dict. dum oportet.
i L. profectitia. de iure dot.
k dict. l. profectitia. §. si pater.
l dict. l. cum oportet.
m dict. l. cum oportet. §. non autem.
n L. 1. & 2. C. de bon. mater.
o dict. l. cum oportet. §. cum autem.
p L. donationes in concubinam. §. pater. de donat.

§. *Item vobis.*

1 *Domino acquiri, quodcunque per seruum acquiritur.*
2 *Leo Imp. permisit seruis suis sibi acquirere.*
3 *Alimenta legata seruus habere potest.*
4 *Hæreditas domino per seruum acquiritur.*
5 *Fructuarius seruum vsucapere non potest.*
6 *Per seruum, in quo vsumfructum habemus, possidere possumus.*
7 *Per liberam personam nihil acquiri nobis potest, nisi possessio.*
8 *Procurator quando domino possessionem acquirat.*
9 *Possessio per procuratorem ignoranti quæritur, vsucapio verò scienti.*

1 ¶ *Item vobis.*] Alio quoque superius loco [a] docuit Iustinianus, quodcunque per seruum acquiritur, id domino acquiri: & tum retulimus mores priscorum Germanorum, apud quos scribit Tacitus, seruos non omnia dominis acquisijsse, sed solùm aliquem modum pecoris, frumenti, & vestis præstitisse. Certè Leo Imp. iudicans grauiorem esse Iuris Ciuilis seruitutem, quæ hominem de-
2 ijciebat ad conditionem pecudis vel brutæ animantis, humaniter permisit seruis suis sibi acquirere, deque ijs testari. Nec tamen aliorum dominorum potestatem imminuit, sed liberum humanitatis exemplum proposuit. quod certè primum in causa fuisse videtur abolendæ inter Christianos illius veteris seruitutis, cuius hodie nullus est vsus. Quare & nos minus in ijs hærebimus. Porrò quæ sequuntur, ad verbum descripta sunt ex Caij responso [b].

¶ *Et inuitis.*] Atque adeò palàm nolentibus, & vetantibus seruum stipulari [c]. Possunt tamen domini, quod ijs summo iure ita est acquisitum, repudiare & reijcere: quanquam per seruos possint inuiti obligari peculio tenus [d].

a §. in potestate. supr. de his qui sui sunt, vel alie. iur.
b L. acquiritur. §. ignorantes. de acqu. rer. dom.
c L. seruum vetitum. verb. obl. l. quemadmodum. de iure dot.
d L. si quis seruum. §. etiam. de pecu.

¶ Nihil

¶ *Nihil suum.*]Nisi peculium habeat domino permittente. sed id semper pendet à nutu domi-
ni. Vnde & Tityrus ille Vergilianus, *Nec spes* (inquit) *libertatis erat, nec cura peculi.* Certè alimenta
seruus habere potest, eique rectè legantur à quoliber [a]. ¶ *Sed si heres.*] Alia est causa hæreditatis,
alia stipulationis, donationis vel legati, quia illa diuidi non potest, quin commoda & incommo- 3
da simul contineat. hæc verò potest. quod alio loco diximus, cùm illud explicaremus, cur pupillus
contrahere possit in rem suam sine tutore, hæreditatem adire omnino non possit. ¶ *Vestro iussu.*]
Eoque præeunte [b]. Sed in bonorum possessionibus & fideicõmissarijs hæreditatibus, sufficit quan-
documque accedere domini voluntatem [c]. ¶ *Perinde ac si vosmetipsi.*]Vbi simplex est institutio, pa
rum refert seruus vel dominus instituatur. Semper enim æquè domino hæreditas acquiritur. At si 4
qua fieret substitutio his verbis; Quisquis mihi hæres erit, idem impuberi filio meo hæres esto: ad
eã non admittetur dominus per seruum hæres factus: sed potius seruus ipse, qui scriptus est, si con-
ditione substitutionis eueniente sui iuris fuerit [d]. ¶ *Sed etiam possessio.*] Saltè ea, quæ iusta est. quod
responso Iaboleni fusius explicatur [e]. Porrò de vsucapione, quæ per alios nobis procedit, suo supe-
rius loco satis dictum est. ¶ *Ita placuit.*]Descriptus est hic locus ex Caio [f]. Sed apertius explicatur
ab Vlpiano, his verbis [g]: Si serui vsusfructus legatus sit, quicquid is ex opera sua adquirit, vel ex re
fructuarij, ad eum pertinet: siue stipuletur, siue stipulatio ei tradita fuerit. Si verò hæres institutus
sit, vel legatum acceperit: Labeo distinguit, cuius gratia vel hæres institutus sit, vel legatum acce-
perit. Sed etsi quid donetur seruo, in quo vsusfructus alterius est: quæritur, quid fieri oporteat. Et
in omnibus istis, siquidem contemplatione fructuarij aliquid ei relictum vel donatum est, ipsi
adquiretur: sin verò proprietarij, siue ipsius serui adquiretur domino. ¶ *Vsucapere non potest.*]Sic 5
Impp. Diocletianus & Maximianus rescripserunt [h]; fructuarium ad obtinendam proprietatem
rerum, aut successores eius, ex ea causa tenentes, nulla temporis præscriptione muniri.

a L. seruos. de alim. et cibar. lega.
b L. si quis mihi bona. §. iussum de acq. hær.
c L. seruo inuito. D. ad Sen. Trebell.
d L. cũ filio. l. qui liberis. §. hæc verba. De vulg. & pup.
e L. quod seruus de acquir. poss.
f L. acquiritur. §. de ijs autem. de acq. rer. domin.
g L. si serui. cum l. seq. de vsufr.
h L. neg. C. de vsufr.

¶ *Non possidet.*] Animo domini, inquit Theophilus. Et certè nisi hic animus possessioni adsit,
nihil ea proderit ad vsucapionem. ¶ *Non solum autem.*] Sic Paulus [i], Sed & per eum (inquit) quem 6
bona fide possidemus, quãuis alienus sit, vel liber, possessionem adquirimus. Deinde paulò pòst;
Per eum, in quo vsumfructum habemus, possidere possumus: sicut ex operis suis adquirere nobis
solet. ¶ *Et hoc est, quod dicitur.*]Non temerè inueuias in Pandectis ad verbum id dictum: sed alia
dicta sunt eiusdem sententię [k] plurima. Cęterùm in rescripto Diocletiani & Maximiani [l], reperias 7
quod huic loco magis respondet. aiunt enim; Excepta possessionis causa, per liberam personam,
quæ alterius iuri non est subdita, nihil adquiri posse, indubitati iuris est. ¶ *Veluti procuratorem.*] 8
Inquit Vlpianus [m]: Procurator, siquidem mãdante domino rem emerit, protinus illi acquirit pos-
sessionem. quod si sua sponte emerit, non: nisi ratam dominus habuerit emptionem. ¶ *Secundum
Diui Seueri constitutionem.*]Extat quædam Seueri & Antonini Constitutio, his verbis [n]: Per liberam 9
personam ignoranti quoque adquiri possessionem: & postquam scientia interuenerit, vsucapio-
nis conditionem inchoari posse, tam ratione vtilitatis, quàm Iurisprudẽtia receptum est. Sic Pau-
lus [o], Possessio (inquit) per procuratorem ignoranti quæritur: vsucapio verò scienti competit.

i L. 1 §. sed & per eũ. de acqu. poss.
k L. quæcunque gerimus. de act. & obli. l. stipulatio ista §. alteri de verb. oblig.
l L. 1. C. per quas perso. nob. acquir.
m L. communis. §. 1. de acquir poss.
n L. 1. C. de acq. hære.
o L. possessio quoq. §. vl. de acqu. possess.

§. *Videamus.*

1 Per legata nonnunquam vniuersitas etiam nobis acquiri potest.
2 Ex successionibus Romani magnas opes congerebant.
3 Augustus ex amicorum testamentis percepit 35. millions coronatorum.
4 Hæredipetæ semper inuisi, ijdemq́ notati à Plinio & Cicerone.

¶ *Quibus modis per vniuersitatem res acquirantur.*] Idque etiam Iure Ciuili. Nam de legitimis &
ciuilibus adquirendarum rerum modis adhuc agimus. Nititur autem potissimùm Iure Ciuili suc
cessio, quę nobis rerum vniuersitatem tribuit. Porrò autem & per legata nobis adquiri posse quan 1
dam vniuersitatem, veluti certam portionem bonorum vel hæreditatis, constat [p]. sed id rarius est.
Porrò quò maius est commodum ex hæreditatibus, eò diligentius hanc iuris partem pertractare
debemus. Nam & ad omnes plurimum pertinet. Quis enim nõ sperat aliquem ex successionibus
fructum? Obiecit aliquando Ciceroni Antonius summi probri loco, hæreditates ei non venire.
atqui tamen Cicero Philippica 2. hæreditatibus acceptum refert amplius HS ducenties. Et Plutar 2
chus testatur ei aliquando delatam hæreditatem denariorum nonaginta millium. Sed Romani
adeò magnas soliti erant congerere opes ex successionibus, vt nihili facerẽt mediocres. Suetonius 3
scribit, Augustum viginti ante suam mortem annis ex testamentis amicorum percepisse quater
decies millies. quæ summa à Budæo æstimatur triginta quinque millionibus siue myriadibus au- 4
reorum coronatorum. Porrò autem semper inuisi fuerunt hęredipetæ. Notatur apud Plinium Re-
gulus, qui in aliorum testamenta irrepens, rem suam auxit: atq; eodem nomine Crassus apud Ci-
ceronem. Certè diuina est illa Ciceronis sententia: Si vir bonus habeat hanc vim, vt si digitis con-
crepuerit, possit in locupletum testamenta nomen eius irrepere, hac vi non vtatur, ne si explora-
tum quidem habeat, id omnino neminem vnquam suspicaturum. ¶ *Prius est vt de his dispiciamus.*]
Nam & harum prior potiorque causa est, vt quandiu eius aliqua spes sit, non admittatur ab intе-
stato successio [a]. Adde, quòd testamenti causa trahit ad se causam intestati.

p L. si quis bonorum. l. non amplius. §. cũ bonorũ. de lega. 1. l. cùm filius. §. Lucio. de lega. 2.
a L. quandiu potest. de acq. hered.

IN TI-

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Tractatio de Testamentis qualis?*
2 *Testamentis parum cur aliqui tribuerint.*
3 *Quam testatoris voluntatem Romani irritam habuerint.*
4 *Imperata mortuorum religiosè tuebantur Romani.*
5 *In actis priuatis nihil grauius testamento.*
6 *Testamenta ne supponantur magnoperè cauendum.*
7 *Simplicissima testandi hodie ratio est.*
8 *In faciendis testamentis mos & formula regionum spectanda.*
9 *Testamenta nullam superstitibus præbeant occasionem litigandi.*
10 *Nullus olim apud Germanos vsus testamentorum cur?*
11 *Hodie cur codicillis magis vtamur quàm testamentis.*
12 *Facultates defuncti in familia manent, prisca lege Atheniensium.*

1 *LVgubris est, quæ sequitur, tractatio: sed Reip. necessaria, & tam superstitibus, quàm mo-*
rientibus grata: illis quidem, ob commodum successionum: his verò, propter testandi li-
bertatem, ratamque vim, quam vltimis eorum voluntatibus diuina simul & humana
iura sese debere fatentur[a]. Diu certè quæsitum est, quid in Rep. statuendum esset de iu- a L. 1. C. de sacrosecl.
re & autoritate testamentorum. Quidam enim parum admodum ijs esse tribuendum
2 *sensere: tum quòd testator non tam de rebus suis quàm alienis, vtpote post eius mortem ad alium per-*
tinentibus, solicitus esse videatur: tum quòd sæpe delirent animam agentes: nec sanũ plerunq; eorum
sit iudicium, quos imminentis mortis terror percellit, aut morbus diuexat. Certè non latuit Iustinia-
num quid paterentur οἱ ἄνθρωποι κατὰ τὰς ἐν τῷ θανάτῳ ταραχὰς συνεχόμενοι, [homines in mortis angu-
stias redacti.] vt ipsemet loquitur in Nouel. sua Consti. 18. Et vulgato prouerbio notata sunt ægri so-
mnia. Idq; Platonem mouit, vt lib. 11. de Legibus non probaret eos, qui tam curiosè obseruant nutus
omnes morientium, & eorum voluntatem, quæ non rarò solet destitui ratione. αἰνίως γὰρ (inquit) καὶ
3 *διατεθρυμμένοι πως τὸν τρόπον ἔχομεν ἐν τῷ λέγειν, ὅταν ἤδη μέλλωμεν ὡς ἄμα δὴ τελευτᾶν. Verùm huic periculo licet*
occurrere, etiamsi non subuertas totum ius testamentorum. Quod & prudentes Romani fecerũt. qui
quidem ratam non habuere testatoris voluntatem, quæ vel argueret aliquã defuncti insaniam[b], vel b L. quid sit in fin. de cond. & demonst.
4 *legibus aduersaretur[c]. Sed in alijs religiosè tutati sunt imperata mortuorum. Nam & vetus Lex* c L. nemo potest. de lega. 1.
duodecim Tabularum, iuris loco ea habuit[d]. Respondítq; Papinianus[e], & Principali & Pontificali d L. verbis ciuil. lib. de verb. signif.
autoritate compellendos hæredes ad obsequium supremæ voluntatis. Et Paulus ait[f], Publicè expe- e L. hæreditas etiã. de pet. hæred.
dire suprema hominum iudicia exitũ habere: multáq; extant similia Iustiniani dicta. Sed & Tullius f L. vel negare. D. quemad. testam. ape.
5 *Philippica secunda indicat nihil esse in actis priuatis grauius testamẽto: eiusq; antiquum & maximè*
liberum semper fuisse vsum constat. Certè Paulus respondit[g]: Iniquum esse, homini sanæ mentis adi- g L. ex facto. de vulg. & pup.
mere testamenti factionem. Nam nec eam sibi quisquam posset pacto conuento, adimere[h], vel minue- h L. stipulatio. hoc modo concepta. de verb. oblig.
6 *re[i]. Verùm quò grauior est testamentorum autoritas, eò maior adhibenda est cautio, ne supponãtur.* i L. si fratres. §. idẽ respõdit societatem. D. pro soc.
Itaq; etiam Romani nihil diligentius munierunt, quàm testamenta. Nam præter legem Corneliam
aduersus eos latam, qui aliquid falsi in testamentis molirentur, varias conscribendorum testamento-
rum cautiones præscripserunt: tanta solicitudine, vt libri Iuris Ciuilis maximè occupentur hac in re.
Id quod etiam Iustinianus in Nouella sua Constitutione decimaoctaua disertè testatur. Ac primùm
quidem tam fuere curiosi Romani, vt superstitiosior testamentorum cura reddiderit admodum per-
plexam totam eorum rationem, nimiáq; cautio valde præpeditam effecerit. Itaq; & sæpe mutati sunt
7 *solennes illi ritus, hodieque res eò euasit, vt simplicissima & liberrima testandi ratio in vsu habeatur.*
Adeò vt nuda scriptura, à solo testatore confecta vel subscripta, vim habeat solennis testamenti. Sa-
tis enim visum est, si constet de voluntate defuncti, quam etiam deprehendi posse ex testamento minus
8 *solenni Leges nostræ fatentur[k]. Interim autem obseruet quisque mores regionis, in qua versatur: &* k L. vl. de reb. eorum qui sub tute. sunt l. in testament. de fi deicõs libertat.
iuxta eorum formulam condat testamentum. Nam & hoc ius esse admonuit olim Isocrates in Ægi-
netico, inquiens: κατὰ τούτους ἔξεστι ποιεῖσθαι τὰς διαθήκας, ἐν οἷς αὐτοὶ μετοικοῦμεν. Nec prætermittendum est, quod
9 *idem eodem loco grauiter admonet, Viri prudentis esse, testamentum eiusmodi relinquere, quod nul-*
lam præbeat superstitibus occasionem controuersiæ. Sanè noster Scæuola[l] indicat eum stultum esse, l L. pen. §. vl. de lega.
qui solam animi sui rationem secutus, absque Iurisperito testamentum condere voluit. Atq; vtinam
10 *peritiores hodie essent Tabelliones, qui testamentis adhibentur. Porrò scribit Tacitus, apud priscos*
Germanos nullum fuisse vsum testamentorum: quòd scilicet horrida illa & rudis adhuc natio igno-
11 *raret vsum literarum. Hodie verò nos non tam testamentis vti solemus, quàm codicillis: propterea*
quòd adempta sit patrimonij libera dispositio, vtpote cuius legitimus hæres mutari non possit. Redij-
mus enim quodammodo ad priscam illam Atheniensis legis, quæ volebat facultates defuncti in fami-
12 *lia manere, seruitutem, quam Solon sustulisse dicitur, cùm ius testamentorum ederet: de quo quidem*
plura diximus ad XII. Tabulas: vnde repeti, quæ hîc desiderantur, possunt.

De testa-

De testamentis ordinandis. Tit. X.



Testamentum ex eo appellatur, quòd testatio mentis sit.

Sed vt nihil antiquitatis penitus ignoretur: sciendum est, olim quidem duo genera testamentorum in vsu fuisse: quorũ altero in pace & ocio vtebantur, quod Calatis Comitijs appellabant: altero, cùm in prælium exituri essent, quod Procinctum dicebatur.

Accessit deinde tertium genus testamentorum quod dicebatur per æs & librã: scilicet, quod per emancipationem, id est, imaginariam quandam venditionem agebatur, quinque testibus & Libripende, ciuibus Romanis puberibus præsentibus, & eo, qui familiæ emptor dicebatur.

Sed illa quidem priora duo genera testamentorum, ex veteribus temporibus in desuetudinẽ abierunt. quod verò per æs & libram fiebat, licet diutius permanserit, attamen partim & hoc in vsu esse desijt. Sed prædicta quidem nomina testamentorum ad Ius Ciuile referebantur. Postea verò ex edicto Prætoris forma alia faciendorum testamentorum introducta est. Iure enim Honorario nulla mancipatio desiderabatur: sed septem testium signa sufficiebant, cùm Iure Ciuili signa testium non essent necessaria.

Sed cùm paulatim tam ex vsu hominum, quàm ex Constitutionum emendationibus, cœpit in vnam consonantiam Ius Ciuile & Prætorium iungi: constitutum est, vt vno eodemque tempore (quod Ius Ciuile quodammodo exigebat) septem testibus adhibitis, & subscriptione testium (quod ex Constitutionibus inuentum est, & ex edicto Prætoris) signacula testamentis imponerentur: ita, vt hoc ius tripertitum esse videatur, & testes quidem & eorum præsentia vno contextu testamenti celebrandi gratia à Iure Ciuili descendant: subscriptiones autem testatoris & testium, ex sacrarum Cõstitutionum obseruatione adhibeantur: signacula autem, & testium numerus, ex edicto Prætoris.

Sed his omnibus à nostra Constitutione propter testamentorum sinceritatem, vt nulla fraus adhibeatur, hoc additum est: vt per manus testatoris vel testium nomen hæredis exprimatur, & omnia secundum illius Constitutionis tenorem procedant.

Possunt autem omnes testes & vno annulo signare testamentum. quid enim si septem annuli vna sculptura fuerint, secundum quod Papiniano visum est? Sed & alieno quoque annulo licet signare testamentum. Testes autem adhiberi possunt ij, cum quibus testamenti factio est.

Sed neque mulier, neque impubes, neq; seruus, neq; furiosus, neq; mutus, neq; surdus, neq; is cui bonis interdictum est, neque ij, quos Leges iubent improbos intestabilesque esse, possunt in numerum testium adhiberi.

Sed cùm aliquis ex testibus testamenti quidem faciendi tempore liber existimabatur, postea autem seruus apparuit: tam Diuus Adrianus Catonio, quàm postea Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, subuenire se ex sua liberalitate testamento, vt sic habeatur firmum, ac si vt oportebat, factum esset: cùm eo tempore quo testamentum signaretur, omnium consensu hic testis liberi loco fuerit, neque quisquam esset, qui status ei quæstionem moueret.

Pater, nec non is, qui in potestate eius est: item duo fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, vtique testes in vno testamento fieri possunt: quia nihil nocet, ex vna domo plures testes alieno negocio adhiberi. In testibus autem non debet esse is, qui in potestate testatoris est. Sed si filiusfamilias de castrensi peculio post missionem faciat testamẽtum, nec pater eius rectè adhibetur testis, nec is qui in potestate eiusdẽ patris est. Reprobatum est enim in ea re domesticum testimonium.

Sed neque hæres scriptus neque is qui in potestate eius est, neq; pater eius, qui eum habet in potestate, neque fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, testes adhiberi possunt: quia hoc totum negocium, quod agitur testamenti ordinandi gratia, creditur hodie inter testatorem & hæredem agi. Licet autem totum ius tale conturbatum fuerat, & veteres quidem familiæ emptorem, & eos, qui per potestatem ei coniuncti fuerant, à testamentarijs testimonijs repellebant: hæredi autem, & ijs, qui per potestatem ei coniuncti fuerant, concedebant testimonia in testamentis præstare: licet ij, qui id permittebant, hoc iure minimè abuti eos debere suadebant: tamen nos eandem obseruationem corrigentes, & quod ab illis suasum est, in legis necessitatem transferentes, ad imitationem pristini familiæ emptoris, meritò nec hæredi, qui imaginem vetustissimi familiæ emptoris obtinet: neq;

net:neque alijs personis,quæ ei(vt dictum est)coniunctæ sunt,licentiam concedimus, sibi quodammodo testimonia præstare.Ideoque nec eiusmodi veteres Constitutiones nostro Codici inseri permisimus.

Legatarijs autem & fideicommissarijs,quia non iuris successores sunt, & alijs personis eis coniunctis testimonium non denegamus:imò in quadam nostra Constitutione & hoc specialiter eis cōcessimus.Et multò magis ijs, qui in eorum potestate sunt, vel qui eos habent in potestate,huiusmodi licentiam damus.

Nihil autem interest,testamentum in tabulis,an in chartis, membranisve, vel in alia materia fiat.

Sed & vnum testamentum pluribus codicibus conficere quis potest, secundum obtinentem tamen obseruationem omnibus factis.quod interdum etiam necessarium est: veluti si quis nauigaturus & secum ferre, & domi relinquere iudiciorum suorum contestationem velit:vel propter alias innumerabiles causas, quæ humanis necessitatibus imminent.Sed hæc quidem de testamentis,quæ scriptis conficiuntur,sufficiunt. Si quis autem sine scriptis voluerit ordinare Iure Ciuili testamentum, septem testibus adhibitis,& sua voluntate coram eis nuncupata, sciat hoc perfectissimum testamentum Iure Ciuili firmumque constitutum.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Testamenti etymologia defensa contra Grammaticos.*
2 *Testatio Iurisconsultis quid?*
3 *Testamentum Hebræis à testibus dicitur.*
4 *Testamentum quid?*
5 *Testamentum à codicillo quid discernat.*
6 *Antiquitatis cognitio necessaria ad interpretandum ius nouum.*
7 *Tria testamentorum genera ex Gellio.*
8 *Comitia Calata quæ?*
9 *Classis procincta,id est,confestim pugnatura.*
10 *In procinctu versantes eadem sibi iura vindicant quæ milites.*
11 *Exemplum testamenti facti in procinctu ex Velleio Paterculo.*
12 *Romani olim in procinctu faciebant testamēta sine libra & tabulis, nominātes modò heredem tribus vel quatuor audientibus.*
13 *Libripens cur in omnibus olim contractibus interuenerit.*
14 *Nulla olim facta alienatio sine specie emptionis.*
15 *Testamenta per æs & libram rident Cicero & Plutarchus.*
16 *Testamentis Rusticorum 5.testes sufficere.*

1 T*Estamentum ex eo appellatur.*]Non est hæc sanè genuina testamenti etymologia.si credimus Gel-
lio lib.6.cap.12.sed huc visa est tendere& alludere ipsius vocis concinnitas affinitasque:plurimum etiam habens ad rem præsentem momenti. Scio hæc non sufficere morosis Grammaticorum notis,qui queruntur Iustinianum nimis ineptè repetere explosam etymologiam.Sed homini Græco,& Latinarum vocum minus perito facilius ignoscemus,si intellexerimus,rationem testamenti explicari testatione mentis. Nam hîc voluntate testata est opus. Et cur tandem eum accusaremus,qui diceret testamentum dici à testatione, voluntatis nempe nostræ, mentis aut animi,vt intelligatur de qua testatione hîc agamus.Esse autem apud Iurisconsultos testatio, cùm co-
2 ram testibus eo nomine rogatis,aliquid declaramus,satis iam notum est: sicuti & testato aliquid
factum dicitur aut dictum.Sed & apud Hebræos testamentum vocatur B D V T H, à testibus. Vel-
3 lem autem Iustinianus adiecisset definitionem,quæ apud Vlpianum extat his verbis: Testamen-
4 tum est voluntatis nostræ iusta sententia de eo,quod quis post mortem suam fieri velit. Hicq; no-
tandum est,iustam sententiam dici,quæ solennis est,& iuxta legum præscriptum testata. Ita enim
5 iustum dicere solemus,quod est numeris omnibus absolutum. Hocque potissimum nomine dif-
fert testamentum à codicillis,quibus non sunt eiusmodi præscripta.

¶ *Vt nihil antiquitatis penitus ignoretur.*]Laudantur à Iustiniano in Nouella Constit.30. ὡς τῆς ἀρχαίας πολυμαθείας ἐρασταί, [cupidi veterum disciplinarum,]quemadmodum & ab Herodiano laudatur Marcus Imp. ὡς ἀρχαιότητος ἐραστής.[antiquitatis amator.] Nempe antiquitatis cognitio ad-
6 modum format iudicium,multumque lucis adfert interpretationi noui iuris. Quæ autem hîc re-
7 fertur antiquitatis obseruatio,extat apud Gellium lib.15.cap.27.his verbis: Tria genera testamen-
torum fuisse accepimus. Vnum quod Calatis Comitijs,in concione Populi fieret:alterum,in procinctu,cùm viri ad prælium faciendum vocabantur:tertium per familiæ emancipationem,cui & æs & libra adhiberetur. ¶ *Calatis Comitijs.*]Hoc est,conuocato per Cornicinem populo, vt testa-
8 tor eo præsente ac veluti teste,vltimam suam exponeret voluntatem: obtestatus Quirites, vt eam
ratam esse sinerent,curarentque.Dicebantur autem Comitia Calata à Græco verbo καλῶ, hoc est, voco.Erantque vel Curiata,vel Centuriata.Sed de tota ratione Comitiorum, alij copiosè scripserunt:nec præsentis loci est,hanc pluribus ingerere antiquitatis obseruationem.

¶ *In prælium exituri: quod procinctum dicebatur.*]Olim etiam in bello togis sese præcingebant Ro- 9
mani: Apud Sex. Pompeium classis procincta dicitur exercitus cinctus more Gabino, confestim-
a L. vna. de bo. poss. ex test. mil. queque pugnaturus. Vlpianus [a] ait, non dubium esse, quin debeant voluntates ratæ esse eorum, qui in
hostico suprema iudicia sua ordinassent, ibidemque diem suum obijssent. quanquam enim distet
conditio militum ab his personis, quas Constitutiones principales separant: tamen qui in procin- 10
ctu versantur, cùm eadem pericula experiantur, iura quoque eadem meritò sibi vindicare. Sanè
Velleius Paterculus libro posteriori scribit, In obsidione Cantabriæ iussas legiones irrumpere in 11
hostem, fecisse omnes in procinctu testamentum. Idem quoque refert Plutarchus de militibus Co
riolani: simul & disertè narrat huius antiqui moris rationem, his verbis: *ὡς τότε Ῥωμαίοις ἔθος ἦν τά-*
ξιν καθισταμένους, καὶ μέλλοντας τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν, καὶ περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον, ἅμα καὶ διαθήκας ἀγράφους τί- 12
θεσθαι τριῶν ἢ τεττάρων ἐπακουόντων ὀνομάζοντας τὸν κληρονόμον. Cicero lib. 1. de Oratore, testamentum, quod
sine libra & tabulis factum erat, quasi in procinctu factum ait.

¶ *Per æs & libram.*] Olim in omnibus venditionibus interueniebat Libripens: quia magis 13
ponderare, quàm numerare pecuniam solebant veteres. Vnde & Horatius libro 2. Epistolarum:
Si proprium est, quod quis libra mercatur, & ære. Deinde huiusce moris cœpit latius patere vsus, vt nulla
fieret alienatio sine specie emptionis. Proinde futurus hæres, qui familiæ emptor dicebatur, patri- 14
monium defuncti fingebat se emere, & aliquid æris, loco precij, tradebat. Cuius superstitiosi mo-
ris meminit Tullius in Topicis, & libro secundo de Legibus, eumq; ridet, vt ineptum. Plutarchus 15
in libello de sera Numinis vindicta, inquit: *Ῥωμαῖοι ὅταν διαθήκας γράφωσιν, ἑτέρους μὲν ἀπολείπουσι κληρο-*
νόμους, ἑτέροις δὲ πωλοῦσι τὰς οὐσίας. ὃ δοκεῖ παράλογον. [Romani quando testamenta condunt, alios quidē
relinquunt hæredes; alij verò emunt bona & opes; quod videtur absurdū. *Partim & hoc in vsu esse de-*
sijt.] Hoc ita dictū est, quia reiectis illis ridiculis imaginariæ venditionis ambagibus, mãsit in vsu
ius testium præsentium, puberum & ciuium Romanorum: quanquam eorum deinde numerus
per prætorem fuerit auctus. Sed is rursus dicitur per Nouellam quandam Leonis Imp. Constitu-
tionem, ad priorem quantitatem redactus. Certè Iustinianus [b] sanxit, rusticanis testamentis suffi-
b L. vlt. C. de testam. cere, quinque testes, si non possint commodè plures adhiberi. vt magna est sæpe in pagis penuria
virorum, qui testes esse possint. *ἐν χωρίοις* (inquit Iustinianus in Nouella Constit. 73.) *πολλὰ τὰ τῆς ἀ-*
πλότητός ἐστι, καὶ οὐδὲ γραφόντων, ἢ μαρτυρούντων πολλῶν εὐπορία. [In agris multa simplicitas est, & neq; scri-
bentium aut testium multorum copia est.]Porrò autem quotquot testes desiderantur, omnes ad-
c L. si vnus. C. de testa. esse debent. Nam si vel vnus defuerit, irritum est, quod agitur [c].

§. *Sed cum paulatim, cum §. seq.*

1 *Testes rogatos esse oportet.*
2 *Nec subscriptionem sine signo, nec signum sine subscriptione in testamento sufficere.*
3 *Necessitatem subscriptionum & signaculorum tollere voluisse Leonem Imp.*
4 *Vno contextu testari, id est, nullo alieno actu intermisto.*
5 *Necessitas vt nomen hæredis vel testator, vel testes in subscriptionibus exprimant, quatenus sublata.*
6 *Anuli character Plinio est ἀποσφράγισμα.*
7 *Testatoris anulo testis signare potest.*
8 *Mulier, præterquam in testamento, testis esse potest.*
9 *Hermaphroditus an testis esse possit.*
10 *Seruo nulla prorsus est testimonij dictio.*
11 *Cæcus etiam à testimonio dicendo prohibetur.*
12 *Testatorum olim summissiones, qui testes fefellerūt.*
13 *Oppianici & Clodij fraudes in fingendis testamentis.*
14 *Lege intestabiles iussi, non possunt testari.*
15 *Intestabilis, pro, detestabilis.*
16 *Multa propter rationem communis erroris, sustinentur ex æquo & bono.*
17 *Vis testamenti scripti durat ad decennium.*
18 *Ad testium numerū adhiberi possumus pater & ego, & plures eiusdem potestatis.*
19 *In potestate testatoris qui esse dicantur.*
20 *Filiusfa. testamentū militare faciens, potest patrem adhibere testem.*
21 *Testes, quos de domo accusator producit, non audiuntur.*
22 *Testis domesticus Ciceroni dicitur mutus accusator.*
23 *Domesticum hic quid dicatur?*
24 *Hæres institutus, eiusdem testamenti testis esse non potest.*

d L. hæredes palā. §. in testamēto. de test. ¶ *Septem testibus adhibitis.*]Hoc est, ascitis & rogatis. Sic enim scribit Vlpianus [d]; In testamentis
testes rogatos adesse debere: & alterius rei causa fortè rogatos, ad testandum non esse idoneos, nisi 1
prius certiores fiant ad testamentum sese adhiberi.

¶ *Quod ex constitutionibus.*]Videtur tamen satis antiqua testium subscriptio: cuius formam ita
e L. pen. de testam. describit Paulus [e]: Singulos testes, qui testamento adhibentur, proprio chirographo annotare de- 2
bere, quis, & cuius testamentum signauerit. Sed nec satis esse subscriptioné sine signo, nec signum
f L. ad testiū. §. si quis. de testa. sine subscriptione, respondit Vlpianus [f]. Porrò autem post Iustinianum voluisse Imp. Leonem
tollere totam necessitatem subscriptionum & signaculorum, scribit Harmenopulus li. 5. Iuris ἐπι- 3
τομῶν. refertque Leonis Constitutionem in eam rem editam: sed quæ non videtur recepta, saltem
in hoc nostro Occidente, qui non agnouit multas Constitutiones Græcorū Imperatorum. ¶ *Vno*
g L. hæredes palā. §. vlt. de test. *contextu.*]Inquit Vlpianus [g]. Vno contextu actionis testari oportet. Est autem vno contextu nul- 4
lum alienum actum testamento intermiscere. Quòd si aliquid pertinens ad testamentum faciat,
testamentum non vitiatur.

h L. iubemus. C. de testam. ¶ *Vt per manus testatoris, vel testiū.*]Iustinianus in sua Cōstitutione [h] iubet, primū, vt testator, si po-
test, hæ-

5 teſt, hæredis nomen ſcribat: ſi non poteſt ſcribere, præſentibus teſtibus nuncupet, & ipſi teſtes in
ſubſcriptionibus nomen exprimant. Verùm admonendi ſumus, hanc neceſsitatem poſtea fuiſſe
remiſſam à Iuſtiniano: qui voluit eſſe liberum, per alium etiam quàm teſtem, adſcribere nomen
hæredis. Sic enim ait in Nouella ſua Conſtit. 119. ὅτι βέβαιον εἶναι τὴν διαθήκην, εἴτε δι' ἑαυτοῦ τις, εἴτε δι'
ἑτέρου προσώπου τὸ ὄνομα τοῦ κληρονόμου ἐγγράψει. [ſic ratum eſſe teſtameutum, ſi vel ipſe quis, vel per a-
liam perſonam nomen hæredis aſcripſerit.]

6 ¶ *Vno anulo.*] Signatorio videlicet, & qui certam habeat ſculpturam, ſiue characterem [a]; Pli-
nius appellat apoſphragiſma. ¶ *Sed & alieno.*] Vnde & Vlpianus [b], Si (inquit) ab ipſo teſtatore
7 anulum accepero, & ſignauero, teſtamentum valet, quaſi alieno ſignauerim. ¶ *Sed neque.*] Quaſi
dicat: Non ſolùm ij, cum quibus teſtamenti factio non eſt, hoc eſt, qui nec hæredes inſtituere, nec
inſtitui poſſunt, teſtes adhiberi non poſſunt: ſed ex ijs quoque qui inſtitui poſſunt, quidam teſtes
adhiberi non poſſunt, vt mulier, impubes ſeruus.

8 ¶ *Mulier.*] Inquit Vlpianus [c]: Mulier teſtimonium dicere in teſtamento quidem non poterit:
aliàs autem poſſe teſtem eſſe mulierem, argumento eſt Lex Iulia de Adulterijs, quæ adulterij da-
mnatam, teſtem produci, vel dicere teſtimonium vetat. Eodem quoque argumento alibi Paulus
vtitur [d]. Certè in quæſtionibus Maieſtatis, etiam mulieres audiri, reſpondit Papinianus [e]. & addit
exemplum Fuluiæ mulieris, quæ detexit coniurationem Catilinæ, & M. Tullium Conſulem in-
dicio ſuo inſtruxit. Porrò cùm hic negamus mulierem ſolennibus teſtamẽtis teſtem adhiberi poſ-
9 ſe, quæri poſſet de Hermaphrodito. Sed extat reſponſum Pauli [f]. Hermaphroditus (inquit) an ad
teſtamentum adhiberi poſsit, qualitas incaleſcentis ſexus oſtendit. Sic & Vlpianus [g] indicat Her-
maphroditum eius eſſe ſexus exiſtimandum, qui in eo præualet. ¶ *Neque impubes.*] Non eſſe im-
puberi dictionem teſtimonij indicat etiam alibi Calliſtratus [h]. Et Theon Sophiſta in ſuis Progy-
10 mnaſmatibus meminit veteris legis; ἄτιμον μὴ μαρτυρεῖν. ¶ *Neque ſeruum.*] Seruo nullam eſſe pror-
ſus teſtimonij dictionem, etiam à Comico proditum eſt. Certè nec eam olim tributam Helotis
Lacedæmoniorum, ſcribit Thucydid lib. 1. Atqui Helotæ libertis quàm ſeruis erant ſimiliores.

11 ¶ *Neque mutus, neque ſurdus.*] Adde, nec cæcus. omnino enim deſidero, vt teſtis videat, cogno-
ſcatque teſtatorem. neque enim alia ratione iubentur teſtes in conſpectu teſtatoris eſſe [i]. Et alio-
qui infinitis fraudibus via pateret. Non ſunt ignotæ ipſorum etiam teſtatorum ſuni miſsiones, qui
12 teſtes fefellerunt, alterius perſonam, vocem, & nomen facilè mentiti. Neque eſt hoc nouum com-
mentum. Scribit Tullius pro Cluentio, ad eum quondam modum olim ſubornatum quendam
Aiulium, qui ſimularet ſe ægrotare, & teſtamentum facere velle, quaſi eſſet Aſinius. Hic Oppiani-
13 cus inuentor huius fraudis adducit teſtes, qui neque Aſinium, neque Aiulium noſſent per eoſque
curat, teſtamentum Aſinij nomine obſignari. Ac veriſimile quidem eſt ſimili fraude viuum eſſe Clo
dium, quem idem Tullius in orat. de Aruſp. reſp. accuſat, quòd in Gallia mortuorum teſtamenta
conſcripſerit. ¶ *Quos leges iubent improbos inteſtabileſq́; eſſe.*] Inquit Caius [k]: Cùm lege quis inteſtabi
14 lis eſſe iubetur, eò pertinet, ne eius teſtimonium recipiatur: & eo amplius (vt quidam putant) ne
ipſi dicatur teſtimonium. Vlpianus [l], Si (inquit) ob carmen famoſum damnetur, Senatuſconſul-
to expreſſum eſt, vt inteſtabilis ſit. ergo nec teſtamentum facere poterit, nec ad teſtamentum ad-
hiberi. Apud Græcos dicebantur ἄτιμοι, qui apud Latinos improbi inteſtabileſque. Certè non rarò
15 inuenies inteſtabilem pro deteſtabili. Sicque Porphyrio interpretatur illud Horatij lib. 2. Sermo-
num; *Inteſtabilis & ſacer eſto.*

¶ *Diuus Adrianus Catonio.*] Sic legendum eſt, non CATONI. Theophilus vocat hunc, Catonium
Verum. Extatque adhuc Imp. Adriani ad eum reſcriptum, his verbis [m]: Teſtes, ſerui an liberi fue-
rint, non in hac cauſa tractari oportet: cùm eo tempore, quo teſtamentum ſignabatur, omnium
conſenſu, liberorum loco habiti ſint, nec quiſquam ijs vſquam adhuc ſtatus controuerſiam moue
16 rit. Nec ſanè nouum eſt, multa ex æquo & bono propter rationẽ communis erroris ſuſtineri, quæ
ſummo alioqui iure parum conſtant [n]. ¶ *Subuenire ſe ex ſua liberalitate.*] Indicant hæc verba bene-
ficium cuiuſdam ſingularis iuris. Et reuera periculum erat, ne obeſſet detecta ſeruituris conditio,
quæ teſtimonij dictionem adimit. Nam & ſolemus ſpectare conditionem eius temporis, quo quis
teſtimonium dicere parat [o]. Sed noluerunt Principes vim teſtamenti pendere ab eiuſmodi peri-
culo. Nam etſi teſtis aliquis moriatur, non debet eius mors obeſſe teſtamento ritè ſemel condito.
Nec ſanè aliter conſtare poteſt, quod Iuſtinianus ſtatuit [p], vim ſcripti teſtamenti omnino durare
17 ad decennium vſque. Certè Vlpianus diſertè ſcribit ſufficere, ſi teſtes rectè ſemel ſignauerint [a].

¶ *Pater, nec non is.*] Hic locus ad verbum deſcriptus eſt ex quodam Vlpiani reſponſo [b]. Cui con
uenit & aliud eiuſdem [c], quo traditur, ad teſtium numerum ſimul adhiberi poſſe me & patrem, &
18 plures qui ſumus in eiuſdem poteſtate. ¶ *Quem poteſtate teſtatoris eſt.*] Poteſtatis autem verbum (in-
quit Vlpianus [d]) non ſolùm ad liberos, qui ſunt in poteſtate, referendum eſt: verumetiam ad eum,
19 quem quis redemit ab hoſtibus: quamuis placeat hunc ſeruum non eſſe, ſed vinculo quodam te-
neri, donec precium ſoluat. ¶ *Si filiusfa. de caſtrenſi peculio, poſt miſsionem.*] Singula verba ſuam ha-
bent emphaſim, & neceſſarias circumſtantias complectuntur. Primùm enim, niſi ſit hic teſtator
filiusfa. non prohibetur pater eſſe teſtis. Sed non poteſt filiusfa. teſtari, niſi de caſtrenſi peculio. vt
autem teſtibus habeat opus, neceſſe eſt teſtetur poſt miſsionem. Nam prius quãdiu in caſtris agit,
20 poteſt iure militari teſtamentum facere. & cùm tunc nullos morari debeat teſtes, nihil obfuerit vl-
tro patrem adhibuiſſe. Sicque accipiendum eſt illud Vlpiani [e]: Quæritur an pater eius, qui de ca-
ſtrenſi peculio poteſt teſtari, adhiberi ab eo ad teſtamentum teſtis poſsit. Et Marcellus lib. 10. Di-

X 2 geſtorum

a L. ad teſtiũ. §. ſignũ. de teſtam.
b dict. l. ad teſtium. §. ſi ab ipſo.
c L. qui teſtamentũ. §. mulier. de teſt.
d L. ex eo. de teſtib.
e L. in quæſtionibus. D. ad leg. Iul. Maieſt.
f L. repetundarum. §. 1. de teſtib.
g L. quæritur. de ſta-tu homin.
h L. 3. §. lege de teſtib.
i L. ſi non ſpeciali. C. de teſtam.
k L. cum lege. de teſt.
l L. ſi qui lege. §. ſi quis. de teſtam.
m L. 1. C. de teſtam.
n L. Barbarius. de of-ficio prætor. l. competit. D. qui & à quib. l. 3. D. ad Sen. Maced. l. ſi quis ſeruo. de ſolut. l. eius qui in prouincia. D. ſi cer. pet. condict.
o L. 3. §. duæ cauſæ. de Carbo. edic.
p L. ſancimus. C. de teſtam.
a L. ad teſtium. §. 1. de teſtam.
b L. pater de teſtib.
c dict. l. ad teſtium.
d L. qui teſtamento. §. 1. de teſtam.
e dict. l. qui teſtamen-to. §. per contrarium.

gestorum scripsit posse. ¶ *Reprobatum est in ea re domesticum testimoniũ.*] Domestici testimonij fidẽ im-
probari rescripserũt Impp. Valerianus & Galienus[a]. Et eos testes, quos accusator de domo ꝓduxit, 21
placuit non audiri[b]. Sed & prisco Græcorum prouerbio notatus est, *ἔνδοθεν ὁ μάρτυς.* Cicero in orat.
pro Roscio Amerino, testem, qui de domo accusatoris producitur, mutum accusatorem vocat. Cæ 22
terùm domesticum testimonium hic accipiendũ esse, non tam ex sanguinis coniunctione, quàm 23
eiusdem familiæ vnione, qui patria potestate constat, docet hic Theophilus his verbis: *τὴν δὲ οἰκεια-
κὴν μαρτυρίαν οὐκ ἐκ τῆς συγγενείας, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς ἑνώσεως τῆς ὑπεξουσιότητος λαμβάνομεν.* Vnde apparet filium
emancipatum testem posse adhiberi patris testamento: & è diuerso patrem, filij emancipati testa-
mento. Nam & magis agitur de hæredis quàm ipsius testatoris causa; vt naturalis coniunctio te-
statoris nihil faciat ad eleuandam fidem testis: quia potius agatur de alieno emolumento. Alio-
qui certè nec pater filio, nec filius patri idoneus testis esset[c].
¶ *Sed neque hæres.*] Inquit Vlpianus[d]: Qui testamento hæres instituitur, in eodem testamento 24
testis esse non potest: quod in legatario, & eo, qui tutor scriptus est, contrà habetur. Nec sanè pluri-
bus verbis hic opus erat Iustiniano, si Romanã potius breuitatem, quàm Asiaticam battologiam
sectatus fuisset. Nam quòd multis verbis subijcit vetus nescio quod, & iam dudum exoletum dis-
crimen hæredis & familiæ emptoris, parum habet momenti. ¶ *Sibi quodammodo testimonia præsta-
re.*] Inquit Pomponius[e]: Nullus idoneus testis in re sua intelligitur. Et rescriptum est[f]; omnibus
in re propria dicendi testimonij facultatem iure summotam esse.

a L. 2. C. de testib.
b L. pen. de testib.
c L. testiũ idoneum. De testib. l. parẽtes. C. de testib.
d L. qui testamẽto. De testamento.
e L. nullus. de testib.
f L. omnib. C. de testibus.

§. *Legatarijs autem. cum §§. sequent.*

1 *Permittere legatarijs testimonium, cur opus non fuerit Iustiniano.*
2 *Nihil intereit, quo idiomate, quibúsve verbis fiat testamentum.*
3 *Testamentum cur vna manu scribendum.*
4 *Non notis sed integris literis scribenda tabula.*
5 *Charta quid?*
6 *ὀπισθόγραφον quid?*
7 *Scribendi olim materia quæ?*
8 *Vnum testamentum pluribus exemplis consignari potest.*
9 *Vnius testamenti codices plures vt valeant quid requiratur.*
10 *Si in binis tabulis exemplarij causa scriptis legatorum reperiatur discrepantia, quid iuris?*
11 *Diodotus testator in militiam proficiscens, antigrapha domi relinquit.*
12 *L. Cuspidij testamentum paganum quale?*
13 *Superstitiosa nonnullorum testamenta.*
14 *Testamentorum alia scripto constare, alia voce nuncupari.*
15 *Nuncupati & scripti hæredes nonnunquam pro ijsdem quomodo accipiendi.*
16 *Nuncupatum testamentum quod?*
17 *Nuncupare dicitur testator, quod alteri dictat.*
18 *Nuncupandi testamenti olim modus qui?*
19 *Ius prætorium in testamentis scripturam & sigilla testium omnino requirit.*
20 *Nuncupari quid?*
21 *Nomine proprio appellari, & digito coràm demonstrari, nihil interest.*

¶ *Legatarijs autem.*] Scribit Vlpianus[g]; Legatarios, si aliud eos nihil impediat, posse testes ad-
hiberi. Et Martianus[h], Si quis (inquit) ita scripserit; Illis, qui testamentum meum signauerunt, hæ-
res meus decem dato: Trebatius vtile legatum esse putat. quod Pomponius verius esse existimat:
quia ipsum testamentum confirmatur testib. adhibitis. quod verum esse existimo. Et Imp. Zeno
rescripsit[i]; non prohiberi testatorem, quod voluerit, relinquere testibus. Itaq; non fuit admodum
opus speciali permissione Constitutionis Iustiniani, cuius hic fit mentio. Extat & apud Plinium 1
lib. secundo epistolarum, exemplum cuiusdam Reguli, qui testis adhibitus est ad signandum te-
stamentum, quo ei legabantur vestimenta.
¶ *Nihil autem interest.*] Sed nec illud interest, quo idiomate, quibúsve verbis fiat testamen- 2
tum[k]. sed nec qua manu scribatur, modò ab vno perscribatur. Nam addita alterius manus, inge- 3
reret quandam suspicionem falsi. Certè Iustinianus in Nouella Constitu. 18. non probat scripturas
plurium manuum. Sed nec tabulas notis scriptas probauit Paulus[l]: quanquam in militari testa- 4
mento eas ferat[m]. Iustinianus quoque in Nouella sua Constitu. 170. prohibuit bonorum diuisio-
nes à testatore notis fieri: & integris literis perspicuè declarari iussit. ¶ *In chartis.*] Inquit Vlpia- 5
nus[n]: Chartæ appellatio & ad nouã chartam refertur, & ad deletitiam. Proinde & si in opistho-
grapho quis testatus sit: hinc peti potest bonorũ possessio. Est autem opisthographum, scriptura 6
vtraque facie vel pagina perscripta. ¶ *Vel in alia materia.*] Varia fuit olim scribendi materia. Et
primum quidem veteres vtebantur palmarum folijs, vel arborum libro, siue interiori cortice. Po- 7
stea tabellis cera illitis. tandẽ chartis hædinis, quas Pergamenas vocarunt, à Pergamo Troadis op-
pido. Vide Alexandrum Neapolitanum lib. Genialium 2. c. 30. ¶ *Sed & vnum.*] Descriptus est hic
locus ex Florentini responso: cuius verba sunt hæc[o]: Vnum testamentum pluribus exemplis con- 8
signare quis potest. idq; interdum necessarium est: si fortè nauigaturus & secum ferre, & domi re-
linquere iudiciorum suorum testationem velit. ¶ *Secundum obtinentem obseruationem.*] Nempe
vt omnes codices æquè subscripti subsignatique sint: vt non minus solennia sint exempla, quàm
est ipsum archetypum. Alioqui parum fidei haberet exemplum sine authentico[p]. Deinde hic
oportet codices esse confectos *ἰσοτύπους*, inquit Theophilus. Sanè si dissidcant, sese inuicem
subuer-

g d. l. qui testamento.
h L. si quis ita. de reb. dub.
i L. disstantibus. §. vl. C. de testam.
k L. quoniã indignũ. C. de testam.
l L. sed quũ patrono. §. vlt. de bon poss.
m L. Lucius Titius. de mil. testamento.
n L. chartæ. de bonor. poss. secund. tabu.
o L. vnum. de testa.
p L. 2. de fide instru.

subuertent [a]: nisi facilè posit conciliari differentia: veluti si ea sit in sola quantitate: Licet enim mi
10 norem sequi. Sicque scriptum est apud Scæuolam [b]: Semptonius Proculus nepoti suo salutem: Bi-
næ tabulæ testamenti eodem tempore, exemplarij causa scriptæ (vt vulgo fieri solet) eiusdem pa-
trisfa. proferuntur. in alteris centũ, in alteris quinquaginta aurei Titio legati sunt. Quæro, vtrum
centum & quinquaginta aureos, an centum duntaxat habiturus sit: Proculus respondit: In hoc ca
su hæredi parcendum est: ideoque vtrunque legatum nullo modo debetur, sed tãtummodo quin-
quaginta aurei. Quòd si (inquit Vlpianus [c]) in duobus codicibus simul signatis alios atque alios
hæredes scripserit, & vtrunque extet: ex vtroque quasi ex vno competit omnibus bonorum posses
sio: quia pro vnis tabulis habendum est, & supremũ vtrunque accipiemus. Idem ait, si quis in duo-
bus exemplaribus fecerit testamentum, & vnum extet, nihil obesse alterum non extare. Huc per-
tinet & illud Papiniani responsum [d]: pluribus tabulis eodem exemplo scriptis, vnius testamenti
voluntatem eodẽ tempore dominus solenniter compleuit: sed quasdam tabulas in publico depo
sitas abstulit, atque deleuit. Quæ iure gesta sunt (præsertim cùm ex cæteris tabulis, quas non abstu-
lit, res gesta declaretur) non constituentur irrita. ¶ *Veluti si quis.*] Extat & huius rei vetus exem-
11 plum in quadã oratione Lysiæ apud Dionysium Halicarn. refert enim quendam Diodotum cùm
in bellum proficisceretur, testamentum fecisse, & antigrapha domi reliquisse. ¶ *Et hæc quidem de*
12 *testamentis sufficiunt.*] Nos pro coronide adijciamus iustam eorum formulam, nempe cuiusdam L.
Cuspidij pagani testamentum, quòd plurimum habeat venerandæ vetustatis, multumque lu-
cis additurum est ijs, quæ hactenus de testamentis ordinandis sunt dicta: & continet gratissimas
antiquitatis reliquias.

a *L. cũ proponebatur. de leg. 2. l. vbi repugnantia. de reg. iur.*
b *L. Sempronius Proculus. de lega. 2.*
c *L. 1. §. si quis. de bon. poss. secun. tab.*
d *L. vlt. de his quæ in testa. delen.*

L. CVSPIDII TESTAMENTVM.

Dei Opt. Max. Numine inuocato, absque cuius nutu, neque quicquam rectè inchoari, neq; rectè perfici potest. Hæc est L. Cuspidij dispositio, & vltimæ voluntatis sententia, de eo quod post mortem suam fieri cupit, decernitq́; si quid ex hoc morbo, quẽ nescit an ferre possit, secus ac medici promittunt, de se contigerit. Testatus autem, dum mente valeret, sibi testamentum conficere placuisse, vt sine suorum iniuria ex hac vita proficiscatur: hæc legat. Domesticam omnem supellectilem Nonio, qui Apolloniæ Rhetoricam docet: vel si quid de eo accidisset, Nonij filijs, P. et Cn. Cæcilijs. Porrò quæ mihi debet Q. Æmilius, Germano Æmilio, liberisq; eius relinquo. Agros, Villasq́; quascunq; Lisij habeo, domumq́; consobrinis, & Lucio præcipuè, quòd nomen is ferat nostrum, mecumq́; diutissimè atque gratissimè sit commoratus, prout decet discipulum, qui filij tenet locum: tutò hæc, & firmiter possidenda censemus. Fundum, quem in Tusculano colui: cui ab Aquilone, publica via: ab Austro templum Iouis Statoris: ab ortu solis, Sex. Pomp. ab occasu, Suillus Cincinnatus: Attico auunculo do. Dabit autem Hipparchus Philotimo Historico Talentum, & Grammatico Drachmas decem. Nisi Niceæ rationem haberemus, qui nobis aliquandiu fuit perutilis, & nunc suis facultatibus magnam fecit iacturam, ob fratris naufragiũ, profecto quæ à nobis mutuatus est illius Procurator, statim cogeretur reddere. Quoniam verò hoc illi difficile fore animaduerti, volo, vt singulis annis victũ necessarium collactaneæ Dorphylæ suppeditet, quæ consenuit in virginitate apud Semproniam meam: cuius desiderio mortem opto: propter fidem, probitatem, fortitudinem, incredibilesq́; virtutes vxoris rarissimæ. Vbi vetula hæc decesserit, absolutus erit debito omni, & cunctis, quas contraxerat, stipulationibus. Si quid humanum Lampridio contigerit, priusquam eius liberi ad ætatem perueniant, curæ sint Antiocho Rhetori: qui accipiat ex opibus nostris, quæcunq; illis erunt necessaria, vt liberaliter educentur, instituanturq́;. Amo nimis & valde amo puerorum indolem, quos ad bonam frugẽ natos autumo. Tu Antioche, vt dignum est tua erga me & Lampridium voluntate, à pueris mutuo suscepta, fac vt eos tueare, ne aut ipsorum ingenia perdantur, aut tui labores disperdantur. Hortum, quem emi ab Herennio, & Deambulationem, Ædesq́; Nestorianas, quibus à Septentrione vicini sunt Cæsariani fratres, Gracchi à meridie, ab occidentali plaga Mare, ab oriente sole Eridanus est conterminus, amicis lego, literatis at literas doctis, Gallo, Fabio, Hirro, Ciuibusq; cunctis qui voluerint ibi vacare literis, & eloquentiæ: ea tamen lege, vt neque illum commutent, neque alienent, neque vt proprium cuiquam sit licitum possidere: Sed velut sacrum et commune Gymnasium, communiter ab omnibus possideatur. Eas autem, quæ mihi erant in Ægina partes diuidant Gymnasij Procuratores adolescentibus studiosis, in vsum librorum, & olei: mercedemq́; condignam statuant Rhetori, quẽ delegerint patrueles nostri, & Scholæ Principem, maximeq́; vtilem futurum existimauerint. Eis verò consentiãt & reliqui necessarij, vel nominis gratia. Cauebunt autem ipsi, mandabuntq́; successoribus, vt locum hunc ita seruent, tradantq́; posteris in perpetuum. C. Atteius, & Sex. Capito, curam habeant sepulturæ & funeris, monumentumq́; faciant, vt melius videbitur: & iusta quæ post funus fieri solenne est, ita moderentur, vt neq; illiberalia, neq; superflua sint. Persuasum enim mihi est, illos, quid conueniat, honestumq́; sit, visuros haud segnius quàm nos, nihilq́; negligentius facturos. De ijs autem, qui mihi seruierint, sic statuo: Demetrio redemptionis precium remitto, & quinque Minas do, & Pallium, & Tunicam: vt qui mihi Anagnostes fuit. Tauro, qui multum mecum & diu laborauit, Pileum do, & Talenta quatuor, vt honestè vitam degere possit. Dionysius, qui vinctus est, & Syrus fugitiuus

si perseuerauerint esse improbi, vt sunt, eos venundari mando: & precio exacto, aperiri viam ad hortos Academicos ducentem, & iter proximum fieri viam, & publicam, & vicinales vias circumquaq; mundari. Et ancillam Hermiam, quòd vinosa est, relinquo: & famulos, Mæsum, quoniam erro est: & Getam, quoniam impostor: Dauum quoq; & Maurum, mancipes in perpetuũ esse edico, quoniã maledici & contumaces semper fuerunt, vt in pistrino pœnas promeritas luant. Hæredem instituere reliquum est. cui fortunas meas honeste relinquam, quibus certò scio inhiare quamplurimos. Vixisses, LÆTE fili, fili mi, vixisses (vt decuit) LÆTE: nõ ego nunc solicitarer, & angerer, non cũ mœrore nunc cogitarem, quibus potissimum relinquam patrimonium hoc tantum, tantis curis, cruciatibus tibi vni auctum, tanta vigilantia, studio, & parsimonia tibi vni à me seruatum. Cæterùm, cùm siue Fortuna, si qua est, illũ mihi inuiderit: siue Deus potius, qui & eum dederat, abstulerit, quo domus mea omnis, resq; vna mecum intereat: nefas est, diuinæ non acquiescere voluntati. His deductis legatis, cùm duos fratris Agathonis filios, totidemq; filias habeam, ex vtrisq; mihi hæredes instituã, oportet. In quo tamen (meme tristissimum) etiam atq; etiam prouidẽdum mihi est, ne quid agam statuámve, quod minus honestum illis, & conueniens, quodq́ue minus æquum laudabiléve factum videatur. Igitur Titius, & Cn. Cuspidij, ita mihi hæredes sunto, vt qui plus Reipublicæ præstiterit, habeat Domos, Agros, Hortos, Oliueta, & quæcunque Scodræ possedi: qui minus profuerit, quæ superiore anno Colchinij centum octoginta supra mille iugera comparauimus, consequatur. In reliquis autem bonis meis omnibus, iuq; familia, Faustam & Felicianam, filias meas, ita mihi hæredes instituo, vt quæ melius nupserit, ex dodrante, altera ex quadrante hæres habeatur. Et inuicem substituo tam has, quàm illas cum suis filijs, in stirpes, non in capita. Permitto autem filiabus vt quem quæq; earum voluerit, sibi virum optet, optatiq; per patriam potestatem compos fiat.

Curatores testamenti huius, Silius Necessarius, C. Attilius, M. Capitolinus, qui maximè omnium miro me affectu prosecuti sunt, quiq; ex omnibus amicis ac necessarijs fidelissimi semper fuerũt. Vos igitur per sacra amicitiæ atq; condiscipulatus obtestor, per summum omnium Opificem obsecro, curate, memores quantum vestræ fidei committam, vt omnia mea ex sententia apud vos deposita, bene honesteq; gubernentur. Verùm enimuero piè, amiceque & alij facient, qui uobis bene voluerunt, quamuis occupati, & seniores, si hæc impleuerint, curauerintq;. TESTES in his Tabulis sunt, Q. Martius, C. Septimius, P. Curio, L. Ancapito, M. Terentius, Iulius Pansa, C. Sestius: qui affuerũt, subscripseruntq;, vt sua ipsorum litera cognosci possit. Ego idem L. Cuspidius testamentum manu mea exaraui, meoq; anulo obsignaui, huq; testibus signandum obtuli. Et hanc meam nouissimam voluntatem valere volo iure testamenti. quòd si forte non censebitur nomẽ & ius habere: mando cuiuscunq; alterius vltimæ voluntatis, quam penitus & inuiolabiliter obseruari ab omnibus hæredibus, & successoribus meis statuo. Valete superstites, mortalitatis non immemores.

ROMÆ CAL. MARTIIS. CN. POMPILIO ET L. MARTIO COSS.

Cùm hoc vetus ethnici testatoris scriptum confero cum nostris testamentis, pudet me vani-
tatis Christianorum. Qualia enim (obsecro) hodie condimus testamenta? quàm inepta & ridicu- 13
la? quàm inanibus curis occupata? quàm plena superstitionis? vt taceam noua legatorum genera,
& inauditam pompæ funebris ambitionem. Quid multis? [illegible]
¶ *Si quis autem sine scriptis.*] Alio quoque loco Iustinianus indicat duo esse testamentorum ge- 14
nera. alterum quod scripto constat alterum quod voce nuncupatur. Sic enim ait in Nouella Con
stit. prima: [illegible]
Apud Iulianum quoque distinguitur [a] nuncupatus hæres à scripto. Dicuntur tamen etiã aliquan-
do nuncupati hæredes, qui in testamento scripti sunt, sed ab alio quopiam scripti dictante testa- 15
tore. Idque etiam significat Suetonius, loquens de liberis Cleopatræ, qui Antonio nuncupante
siue dictante scripti hæredes in eius testamento erant ab amanuensi vel scriba. Testamentum
(inquit) quod is Romæ etiam de Cleopatræ liberis inter hæredes nuncupatis reliquerat, ape-
riendum recitandumque pro concione curauit Augustus. Plinius libro octauo epist. dixit nun-
cupatum testamentum, quod alteri excipienti scribentique dictatum est. Et Iuuenalis Satyra 5. 16
Non vnus tibi riualis dictabitur hæres. Possem ex Iure Ciuili multos itidem locos proferre, vbi nuncu-
pare dicitur testator. quod ipse non scribit, sed alteri dictat. Sed eos, qui passim occurrunt, nunc o- 17
mitto. Illud mihi nunc erit satis, quod in quibusdam fragmentis scriptorum Vlpiani nuper edi-
tis legitur: Nuncupatur testamentum in hunc modum: Tabulas testamenti testator tenens
ita dicit; Hæc vt in his tabulis cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor. itaq; vos Quirites 18
testimonium præbetote. ¶ *Iure Ciuili.*] Nam ius Prætorium omnino requirit scripturam &
sigilla. Nec alioqui dabat Prætor bonorum possessionem. Sed Ius Ciuile benignius egit. Id quod 19
elegantissimè tradit Imperator Gordianus hoc rescripto [b]: Bonorum quidem possessionem
ex edicto Prætoris non nisi secundum eas tabulas, quæ septem testium signis signatæ sunt, peti
posse,


[a] *L. fin. de bon. poss. secun. tab.*

[b] *L. vl. C. de bon. poss. secun. tab.*

posse,in dubium non venit. Verùm si eundem numerum affuisse sine scriptis restamento condi-
to,doceri potest:Iure Ciuili testamentum factum videri,ac secundum nuncupationem,bono-
20 rum possessionem deferri, explorati iuris est.¶ *Sua voluntate coram ijs nuncupata.*] Hoc est,viua voce
testata,& palam expressa,vt ab ijs facilè audiatur & intelligatur[a]. Quòd si præsens sit is,quem hæ-
redem esse volumus,sufficiet eum demonstrasse: veluti,hic mihi hæres esto [b]. Nam nec interesse
21 solet,proprio nomine res appelletur,an digito coràm demonstretur [c].

a L. hæredes palàm. De testa. L. iubemus. §.quemadmodum. C. de testa.
b L. nemo dubitat. De hæred instit.
c L. certum, D. si cert. pet. cond.

De militari testamento. Tit. XI.



VPRADICTA diligens obseruatio in ordinandis testamentis,militibus propter nimiam imperitiam eorum,Constitutionibus Principalibus remissa est. Nam quanuis ij neque legitimum numerum testium adhibuerint,neque aliam testamentorum solennitatem obseruauerint: rectè nihilominus testantur, videlicet cùm in expeditionibus occupati sunt. Quod meritò nostra Constitutio introduxit. Quoquo enim modo voluntas eius suprema inueniatur,siue scripta,siue sine scriptura,valet testamentum ex voluntate eius. Illis autem temporibus,per quæ citra expeditionum necessitatem in alijs locis vel suis sedibus degunt: minimè ad vindicandum tale priuilegium adiuuantur. Sed testari quidem,& si filijfamiliarum sint,propter militiam conceduntur: iure tamen communi,eadem obseruatione & in eorum testamentis adhibenda,quam in testamentis paganorum proxime exposuimus.

Planè de testamentis militum Diuus Traianus Catilio Seuero ita rescripsit: Id priuilegium, quod militantibus datum est, vt quoquomodo facta ab his testamenta,rata sint,sic intelligi debet,vt vtique prius cònstare debeat,testamentum factum esse: quod & sine scriptura,& à non militantibus fieri potest. Si ergo miles,de cuius bonis apud te quæritur,conuocatis ad hoc hominibus,vt voluntatem suam testaretur,ita locutus est,vt declararet,quem vellet sibi hæredem esse,& cui libertatem tribueret: potest videri sine scripto hoc modo esse testatus, & voluntas eius rata habenda est. Cæterùm si (vt plerunque sermonibus fieri solet) dixit alicui, EGO TE HAEREDEM FACIO: aut, BONA MEA TIBI RELINQVO: non oportet hoc pro testamento obseruari. Nec vllorum magis interest,quàm ipsorum,quibus id priuilegium datum est,eiusmodi exemplum non admitti. alioqui non difficulter post mortem alicuius militis testes existerent, qui adfirmarent se audisse dicentem aliquem, relinquere se bona, cui visum sit: & per hoc vera iudicia subuerterentur.

Quinimo,& mutus & surdus miles testamentum facere potest.

Sed hactenus hoc illis à Principalibus Constitutionibus conceditur,quatenus militant,& in castris degunt. Post missionem verò veterani, vel extra castra alij,si faciant adhuc militantes testamentum: communi omnium ciuium Romanorum iure id facere debent. Et quod in castris fecerint testamentum, non communi iure,sed quomodo voluerint; post missionem intra annum tantùm valebit.

Quid ergo si intra annum quis decesserit,conditio autem hæredi adscripta post annum extiterit: an quasi militis testamentum valeat? Et placet valere quasi militis.

Sed & si quis ante militiam non iure fecit testamentum, & miles factus, & in expeditione degens resignauit illud,& quædam adiecit,siue detraxit,vel aliàs manifesta est militis voluntas hoc valere volentis: dicendum est, valere hoc testamentum,quasi ex noua militis voluntate.

Denique & si in adrogationem datus fuerit miles, vel filiusfamilias emancipatus est: testamentum eius quasi ex noua militis voluntate valet: nec videtur capitis deminutione irritum fieri.

Sciendum tamen est,quod cùm ad exemplum castrensis peculij,tam anteriores leges,quàm Principales Constitutiones quibusdam quasi castrensia dederant peculia,& horum quibusdam permissum fuerat etiam in potestate degentibus testari: nostra id Constitutio latius extendens, permiserit omnibus in huiusmodi peculijs testari quidem,sed iure communi: cuius Constitutionis tenore perspecto, licentia est,nihil eorum,quæ ad præfatum ius pertinent,ignorare.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Miles vt hæreditatem nuda voluntate dare, ita & reuocare potest.
2 Claudij Coterai de militum priuilegijs libri.
3 C. Marius inter arma non exaudijt verba Iuris C.
4 Liberam testamenti factionem qui primùm militibus dederint.
5 Testamentorum militarium exempla duo antiquiß.
6 Siquidem vagina aut clypeo literis sanguine suerutilantibus notauerint milites, ratum est.
7 Milites extra expeditiones, tenentur communi iure in testamentis faciendis.
8 Aedes siue sedes militum sunt hyberna.
9 Duplex filijfam. ius in castris, tùm testandi, tùm vt voluerit testandi.
10 Pagani qui?

a L. in fraudem. §. De mil. test.
b L. 2. §. vlt. D. Quis ordo in bon. poss.
c L. 1. De mil. test.

IN *ordinandis testamentis.*] Quemadmodum & in ijs, quæ iam ordinata sunt, reuocandis. Nam
(inquit Vlpianus [a]) sicut hæreditatem miles nuda voluntate dare potest: ita & adimere potest. 1
Vnde apparet militaria priuilegia voluntati militum potius, quàm fauori testamentorum tribu-
ta. Qui autem volet scire plura militum priuilegia, legat libros Claudij Coterzi. Nobis non vacat 2
aliena, & iam satis ab alijs inculcata repetere. ¶ *Propter nimiam imperitiam.*] Et militiæ occupa-
tiones: per quas nec integrum est consulere peritos: nec, si maximè periti sint ipsi, obseruare quæ
sciuntur. Notum est illud C. Marij; Sese inter armorum strepitum, verba Iuris Ciuilis non exau- 3
dire. Sanè Minoribus, Rusticis, Mulieribus, in quibus toleratur iuris ignorantia, non remittitur
propter imperitiam solennis testamentorum obseruatio: quia saltem possunt consulere pruden-
tiores [b], & quæ ab ijs intellexerint, obseruare. Sicut & militibus ociosis, & extra expeditionem,
non parcitur. ¶ *Constitutionibus principalibus.*] Inquit Vlpianus [c]: Militibus liberam testamenti
factionem primùm quidem Diuus Iulius Cæsar concesßit: sed ea concesßio temporalis erat: postea 4
verò primus Diuus Titus dedit: post hos Domitianus: & postea Diuus Nerua plenißimam indulgentiam in milites contulit, eámque & Traianus secutus est: & exinde mandatis inseri cœpit caput tale: Cùm in notitiam meam perlatum sit, subinde testamenta à commilitonibus relicta proferri, quæ posßint in controuersiam deduci, si ad diligentiam legum & obseruantiam reuocentur: secutus animi mei integritatem erga optimos fidelißimósque commilitones, simplicitati eorum consulendum existimaui, vt quoquomodo testati fuissent, rata esset eorum voluntas. Faciant igitur testamenta quomodo volent: faciant quomodo poterint: sufficiátque ad bonorum suorum diuisionem faciendam nuda voluntas testatoris. Hactenus Vlpianus. Nos aliquid lucis addamus, ex reliquijs antiquitatis adijciemus testaméta militaria, quę collata cum pagano testamento, quod superius edidimus, perspicuè ostendent libertatem militum. Sunt autem apud nos duo antiquißima, quorum alterum Romę, alterum in Lusitania repertum est.

IOCVNDI TESTAMENTVM MILITARE.

Ego Gallus Fauonius Iocundus, P. Fauonij F. qui bello contra Viriatum occubui, Iocundum & Prudentem filios, è me & Quintia Fabia coniuge mea ortos, & bonorum Iocundi patris mei, & eorum, quæ mihi ipsi acquisiui, hæredes relinquo: hac tamen conditione, vt ab vrbe Roma huc veniant, & ossa hinc mea intra quinquennium exportent, & via Latina condant in sepulchro iussu meo condito & mea voluntate. In quo velim neminem mecum, neque seruum, neque libertum inseri. Et velim ossa quorumcunque, sepulchro statim meo eruantur, & Iura Ro. seruentur in sepulchris ritu maiorum retinendis iuxta voluntatem testatoris. & si secus fecerint, nisi legitimæ oriantur causæ, velim omnia, quæ filijs meis relinquo, pro reparando templo Dei Syluani, quod sub Viminali monte est, attribui: manesq; mei à Pont. Max. & à Flaminibus Dialibus, qui in Capitolio sunt, opem implorent ad liberorum meorum impietatem vlciscendam. Teneanturq; Sacerdotes Dei Syluani me in vrbem referre, & in sepulchro me meo condere. Volo quoque vernas, qui domi meæ sunt omnes à Pretore Vrbano liberos cum matribus dimitti, singulisq; libram argenti puri, & vestem vnam dari.

IN LVSITANIA, IN AGRO. VIII. CALEND. QVINTILES BELLO VIRIATINO.

d L. Lucius Titius. De milit. testam.

Alterum testamentum obscurius est, quòd sit notis quibusdam scriptum, quas in testamentis militum tolerari constat [d].

SEMPRONII TEST. MILIT.

D. O. M.

L. MALLIO ET Q. TORQVATO COSS.

Sempronius Tucidanus testament. Iur. mil. quod ipse facio. LL. abesto. ob Pœnum Italia pulsum. Fund. Balearec Senatui P. Q. R. D. D. Aurelius Tucidanus tacitam pecu si via Lat. oß. meis re.mo-

re.monumentum suo sump.ædificauerit,habeto.Hermeti lib.Aug.vind.Ma.Aur.Ex.D.Da Suut Lycia agresti vxo.bene.me.mundum mulieb. Quæ vo.E.Ca.Pa.D.L.Caius Tucidanus,quòd pupillam,cuius iussu meo cu.ge.contra decretum amplisß. ord. vxo. D.ex.esto.Dodraue.Lucio Celso Testament.quod E sapho scripseram,adi. Pamphilo vicario pecu.ti.instrument.rusti.quod Epiro parauer. Liberve. Hered.da. sunto filius,si nepotes mihi non fecerint, Marcellus Tucidanus,ex dam.sunt.Cohi.hæred.quæ.lego.o.esto.

Porrò illud est memoeabile, quod statuit Constantinus[a]: Si quid in vagina, aut clypeo literis *a L.milites.§.vlt.C. de test.mili.*
6 sanguine suo rutilantibus adnotauerint milites, aut in puluere inscripserint gladio, sub ipso tempore, quo in prælio vitæ sortem derelinquunt: huiusmodi voluntatem stabilem esse oportet.

¶ *Quod meritò nostra constitutio introduxit.*] Huius Constitutionis verba sunt hæc[b]: Ne quidam *b L.pen.C.de testam.milit.*
putarent in omni tempore licere militibus testamenta quoquomodo voluerint componere: Sancimus ijs solis, qui in expeditionibus occupati sunt, memoratum indulgeri circa vltimas voluntates conficiendas beneficium. Extat & alia similis eiusdem Iustiniani Constitutio, his veebis[c]: Sancimus ijs solis, qui in expeditionibus occupati sunt, ea tantummodo tempora, quæ in *c L.vltim.C.de resti.mil.L.vlt.C quibus non obij. long temp. præscr.*
eadem expeditione percurrunt, tam in exceptionibus declinandis, quàm in petendis in integrū
7 restitutionibus, eis opitulari: illis temporibus, per quæ citra expeditionis necessitatem in alijs locis vel suis ædib. degunt, minimè eos ad vindicanda memoeata priuilegia adiuuantibus. ¶ *Vel suis ædibus.*] Alij legunt, Sedibus. Atque ita legisse videtur Theophilus. Significantur autem hyberna,
8 in quibus hyeme degunt feriantur que ociosi milites. ¶ *Et si filiusfam.fuit.*] Inquit Iuuenalis vltima sua Satyra: *Solis præterea testandi militibus ius Viuo patre datur.*

Deinde subijcit hoc intelligi de castrensi peculio. Quod & Iustinianus titulo sequenti repetit. ¶ *Iure tamen communi.*] Scilicet vbi non sunt occupati in expeditionibus. De ijs enim hic agitur. Et alioqui filiusfa. in castris testabitur iure militari. Nam tum militia tribuit ei duplex priui-
9 legium: primùm testandi, deinde, vt voluerit testandi. Extra castra, non nisi posterius priuilegium amittit. ¶ *In testamentis paganorum.*] Pagani apud Iurisconsultos Romanos dicuntur, qui nullo
10 militiæ sacramento sunt astricti: eràntque propriè ij, qui domi relinquebantur ad agrorum culturam, & reliqua ciuilia munera. Interdum tamen Latini paganos vocant milites, qui pagos incolebant. Sed frequentius est, vt paganus dicatur, qui miles non est. Notum est illud Iuuenalis Satyr. XVI. *Citius falsum producere testem Contra paganum possis, quàm vera loquentem Contra fortunam armati, contraq́; pudorem.*

§ *Planè de Testamentis, cum §§. seq.*

1 *Non quævis ludicra verba pro seria voluntate sunt habenda.*
2 *Augustus T. Marij Vrinatis militis sui ludibrium quod æquo animo tulerit.*
3 *Catilius Seuerus quis fuerit?*
4 *In militibus non pensantur vitia naturæ, iuris communis obseruatione.*
5 *Milites qui causariam missionem meruerunt, ij soli gaudent militari priuilegio.*
6 *Testamentum ante militiam factum, si miles in expeditione decedat, an & quomodo valeat?*
7 *Testamenta militaria nec arrogatio militis, nec emancipatio filijfam. rescindit.*
8 *Assessores, Aduocati, Clerici, Palatini, quicquid ex sua professione acquirunt, præcipuum habent, vt castrense peculium.*
9 *Donationes imperiales iure quasi castrensis peculij habentur.*
10 *Si testator sui iuris fit, quomodo non habeat peculium.*
11 *Liberis vel parentibus relinquenda omninò legitima portio.*

¶ *D. Traianus ita rescripsit.*] Refertur etiam hoc rescriptum ijsdem veebis à Floentino[d]. In quo hoc vnum præcipuè annotandum est, quòd non velit, quælibet ludicra veeba, quæ quis temeeè ia- *d L. diuus Traianus De mili.testam.*
1 ctauit vel effutijt. haberi peo seeia voluntate. Nam nec eius bona, qui se Imperatorem facturum hæredem iactauerit, occupari à fisco posse, tradidit Paulus[e]. Nec iniquo animo tulit hoc ludibrium olim Augustus à T. Mario Vrinate milite suo. Porrò Catilius Seuerus (cui hic dicitur Traia- *e L.vlt. De testam.*
2 nus rescripsisse) fuit Marci Imperatoris peoauus maternus, quem Vrbica Præfectura spoliauit
3 Adrianus, quòd Pij adoptionem ægro animo tulisset, videreturque ipse affectare imperium. ¶ *Et mutus & surdus miles testamentum facere potest.*] Idq; etiam iure militari. quod propriè est huius loci. Nam hic agitur de libertate testamenti militaris. De personis autem mutis vel surdis agemus ti-
4 tulo sequenti. Est itaque hoc nouum priuilegium, quòd mutus vel surdus miles liberè possit testari: nec vitium naturæ pensari debeat iueis communis obseruatione. Rectè itaque Vlpianus[f]: Iure militari surdum & mutum testamentum facere posse ante causariam missionem, in numeris manentem. placet. ¶ *Sed hactenus hoc illis*] Militibus scilicet quibuscunque. Ne quis id temerè ad solos *f L.4 De mil.test.*
mutos vel surdos milites referat: ¶ *Post missionem.*] Eamque honestam. Sic enim Martianus[g] scribit: Testamenta eorum, qui ignominiæ causa missi sunt, statim desinunt militari iure vale- *g L.testamenta eorū. De mil.test.*
5 re: quod anni spacium testamentis eorum, qui honestam vel causariam missionem meruerunt. tribuitur. Porrò & eos, qui non mittuntur. sed aliter militare desinunt, non habere beneficium huius anni, docet Africanus his verbis[h] Quod constitutum est vt testamentū militiæ tempore factum, etiam intra annum post missionem valeret: quantùm ad verba eius, ad eos duntaxat, *h L. quod constitutū: De mil.testamento.*
qui mitti solent. id beneficium pertinere existimaui. Secundum quod, neque Præfectos, neque Tribunos, aut cæteros, qui successoribus acceptis militare desinunt, hoc priuilegium habituros.

¶ *Et*

a L. quod dicitur. De mil.testam.

¶ *Et placet valere quasi militis.*] Placuit, certè id Paulo, cuius verba [a] sunt hæc. Quod dicitur, si
miles intra annum, quo missus est, decesserit, valere eius testamentum, quod iure militari fecerat:
verum est, etiam si post annum conditio institutionis extiterit, mortuo eo intra annum. Et ideo si
hæredi filio substituerit, nihil interest, quando filius moriatur. sufficit enim intra annum patrem
obijsse.

b L. idemq. in fi. De milit. testam.
c L. tribunus. §. cum aliquis. D. illo. tit.

¶ *Si quis ante militiam.*] Hoc est, cùm esset adhuc Paganus, nec vlli militiæ nomen dedisset, aut
in numeros esset relatus. Sic enim rescriptum est à Diuo Pio [b], de eo, qui cùm esset Paganus, fecit
testamentum, mox militare cœpit: vt id iure militari valere incipiat, si hoc maluerit miles. Sic &
Iulianus [c], Cùm aliquis (inquit) facto testamento militare cœperit: id quoque testamentum,
quod antè, quàm militare cœpit, fecerat, aliquo casu intelligitur militiæ tempore factum: veluti
si tabulas inciderit, & legerit testamentum, ac rursus suo signo signauerit. amplius, & si aliquid
interleuerit, perduxerit, adiecerit, emendauerit. Quòd si nihil horum acciderit: testamentũ eius
ad priuilegia militum non pertinebit. Cuius responsi collatio multum lucis addet verbis Iustini-
ani. Hæc enim ex illo descripta videntur. Sed mirum est adiectum etiam non fuisse quod in hoc
genere Vlpianus commemorat, neque temerè post tempora Iuliani editum videtur illud Diui Pij
rescriptum [d]; Testamentum ante militiam factum à milite, si in militia decesserit, iure militari va- 6
lere, si militis subiuncta voluntas contraria non sit. Quibus verbis statutum videtur, vt semper hoc
testamentum iure militari valeat, nisi si appareat non id voluisse testatorem, vtque in dubio con-
ijciamus hoc voluisse potius, & hæc coniectura sit satis, neque alioqui requiratur aliud argumen-
tum huiusce voluntatis. Et sunt quidam qui nihil dissimulando Iustinianum accusent, qui hoc
Diui Pij rescriptum hoc loco prætermiserit vel incuria vel obliuione. Sed multo magis accusan-
dus ipse Paulus esset, qui testamentum ante militiam factum, non aliter etiam putat iure milita-
ri valere, nisi militiæ tempore testator id resignauerit, vel quædam adiecerit: neque ad eius confir-
mationem sufficere existimat codicillos in militia factos [e]. Quòd si non putauit Paulus Diuum
Pium suo rescripto aliquid hîc immutasse, proptereáque eius non meminerit, certè excusari hoc
exemplo posse videtur Iustinianus, si in eadem fuerit opinione, & nouam requirat militis volun-
tatem, quę non obscurè confirmet priorem.

d L. in fraudem §. testam. D. illo tit.
e L. conficiuntur. §. si miles. De iure codic.

f L. miles filiusfa. De mil. testamento.
g L. pen §. testamento. De bo. poss. secun. tabul.
h L. 1. §. sed si filiusfa. D. illo tit.

¶ *Denique et si.*] Hic locus desumptus videtur ex duobus responsis. Primùm inquit Martia-
nus [f]: Miles filiusfamilias si capite minutus fuerit, vel emancipatus, vel in adoptionẽ datus à pa-
tre suo, testamentum eius valet. quasi ex noua voluntate. Deinde subijcit Tertullianus: Idem &, si
paterfa. miles de castrensibus rebus duntaxat testatus, arrogandum se dederit. Si verò missus iam,
hoc fecerit, non valet testamentum. Obseruandum autem est, quòd Tertullianus nominatim lo-
quatur de castrensibus duntaxat rebus: quia scilicet non possit rata manere dispositio aliorum
bonorum, vtpote quæ transeant in arrogatorem: Adeò, vt sui iuris rursus effectus testator, si non
repetat idem testamentum, nihil egisse videatur. Sic enim respondit Papinianus [g]. ¶ *Nec vide-*
tur.] Ergo nec arrogatio militis, nec emancipatio filijfamil. rescindit testamenta iure militari 7
prius condita. Rectè itaque Vlpianus [h], Si (inquit) filiusfam. veteranus de castrensi testamen-
tum faciat, deinde emancipatus, vel aliàs paterfa. factus decedat, potest eius bonorum possessio
peti.

i L. 1. § hoc autem. D. ad Sen. Treb.
k L. 1. §. nec castren. De colla.

¶ *Anteriores leges.*] Opinor in Pandectis duo tantùm extare loca, in quibus mentio quasi ca-
strensis peculij. Et vterque locus est Vlpiani. Primùm, inquit [i], Senatusconsultum Trebellianum
cessare, in filijfam. iudicio, qui de castrensi peculio vel quasi castrensi testari potest. In altero ait [k],
nec castrense nec quasi castrense peculium fratribus conferri. Hoc enim præcipuum esse debere.
idque multis Constitutionibus contineri.

l L. velut. C. de Assess. L. fori. C. de Aduoc. diuer. Iudic.
m L. sacrosancta. C. de episco. & cleri.
n L. cum lege. C. de episc. & cleri.
o L. vnica. C. de castr. omnium Palatin. pecul. L. 2. in fin. C. de priuil. eorum. qui in sa. pal. milit.
p L. cum multa. C. de bon. quæ liber.
a L. vlt. C. de inoffic. testam.

¶ *Principales Constitutiones*] Veluti Honorij, Arcadij, & Theodosij, qui constituerunt assesso-
res & aduocatos, quod ex sua professione possunt acquirere, præcipuum habere, velut castrense 8
peculium [l]. Idémque tribuit Leo Imp. Clericis [m]. Et meminit alibi Iustinian. eius Leoninæ Con-
stitutionis [n]. Sed & Constantinus Impp. iussit omnes Palatinos, si quid in Palatio vel parsimonia
propria quæsierint, vel ex donis principis nacti sint, præcipuum habere, vt castrense peculium. Et
hoc (opinor) exemplo, voluit Iustinianus [p] omnes Imperiales donationes siue in virum, siue in 9
virum, siue in mulierem conferantur, iure quasi castrensis peculij haberi. ¶ *Horum quibusdam.*]
veluti Proconsulibus, Præfectis Legionũ, Præsidib. Prouinciarum, & omnibus publica dignitate
præditis. At nõ Patronis causarũ, nec Magistris studiorũ, nec Medicis, nec aliis omninò salaria pu-
blica percipientib. ¶ *Nostra Constitutio id latius extendens.*] Extat hæc adhuc Iustin. Constitutio [a], quæ
primùm statuit, vt omnibus omninò liceat de castrensi vel quasi castrensi peculio testamentum
facere. Deinde addit priuilegium, vt non expugnetur hoc testamentum vlla inofficiosi querela:
saltem si fuerit testator filiusfa. in quo vno propriè apparet peculium: & æquum videtur horum
saltem bonorum liberam ei relinqui dispositionem, cùm reliqua pater habeat. Cæterùm si fuerit
sui iuris, voluit Iustinianus testamentum eius subiacere querelæ inofficiosi: Quia (inquit) neque 10
nomen peculij permanet, sed alijs rebus confunditur, & similem fortunam recipit. quemadmo-
dum & cæteræ res, quæ in vnum congregantur ex omnibus patrimonium. Sanè alio loco Iusti-
nianus cùm ageret de quasi castrensi peculio Clericorum, simpliciter & sine vlla distinctione sta-
tuit [b], testamenta de eo condita non recipere querelam inofficiosi. Sed in Nouella sua Constitu-
tione 123. iubet omninò liberis vel parentibus relinqui legitimam portionem: nec ea lege liberat 11
filiosfa. Clericos. Verba Iustiniani loquentis de Clericis sunt hæc: τὰ πράγματα ἐφ' οἱουδήποτε τρόπου
οἷς

b L. cum lege. C. de episco. & cleri.

εἰς τὴν ἑαυτῶν δεσποτείαν ἐρχομένων, ἔχειν ὑπὸ τὴν ἰδίαν ἐξουσίαν προστάττομεν, καθ᾿ ὁμοιότητα τῶν ἰδιοκτή-των πεκουλίων, καὶ δωρεῖσθαι κατὰ τοὺς νόμους, καὶ ἐπ᾿ αὐτοῖς διατίθεσθαι, εἰ καὶ ὑπὸ τὴν τῶν γονέων εἰσὶν ἐξουσίαν, οὕτω μέντοι γε, ὥστε τοὺς τούτων παῖδας, ἢ τούτων μὴ ὄντων τοὺς γονεῖς αὐτῶν τὸ νόμιμον μέρος κομίζεσθαι. (res quolibet modo ad eorũ dominium venientes, habere sub sua potestate pręcipimus, ad similitudinem castrensium peculiorum. & donare secundum leges, & in his testari, licet sub parentum sint potestate: sic tamen, vt horum filij, aut, his non superstitibus, parentes eorum, legitimam partem ferant.)

IN TITVLVM SEQVENTEM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Continuatio huius tituli.
2 Eorum, quibus testamentum facere non licet, enumeratio.
3 Albini apud Galles qui?
4 Controuersia testamentaria cuiusdam apud Ciceronem diiudicata.

HACTENVS Iustinianus generaliter egit de testamentis ordinandis, quasi liceret
1 omnibus testamentum facere. Sed ne id aliquem fallat, nunc eos excipit, quibus non li-
cet testari: quos si cognouerimus, simul cognoscemus eos, quibus licet. nempe reliquos
omnes, quibus nominatim non adimitur testamenti factio. Vtq; paucis concludamus
2 totam enumerationem eorum, quibus non est permissum facere testamentum, scien-
dum est, quosdam non posse testari, quia sint alieno iuri subiecti. Eiusmodi sunt Filijfa. Serui, Ca-
ptiui, Obsides. Quosdam, quia iudicio careant; veluti Impuberes, Furiosos, Mentecaptos, Prodigos.
Quosdam propter vitium alicuius necessarij sensus, veluti Surdos, Mutos & Cæcos; nisi præscripta
obseruatione sarciant damnum naturæ. Præterea testari prohibentur, qui ciuitatem Romanam a-
3 miserunt, sicut hodie apud Gallos ij, qui vocantur Albini. Item qui ob crimen damnati sunt, vel ali-
ter improbi intestabilesq;. quod quidem Iustinianus hic prætermisit: sed in Pandectis latè explica-
4 tur[a]: vt difficilis minimè sit diiudicatio eius controuersiæ, quæ in hoc genere proponitur apud Cice- a L. si quis post. L. a
ronem lib. 2. de Inuent. de eo, qui iudicatus erat patrem occidisse, & in carcere ante supplicium fecit cui. §. si quis. L. cum
testamentum. Cicero ait nullam certam esse, aut proferri posse legem, qua testamenti faciendi ijs, qui lege. de. testam.
eo loco sunt, adimat potestatem. At nos facilè proferre certè possumus.

Quibus non est permissum facere testamentum. Tit. XII.

NON tamen omnibus licet facere testamentum. Statim enim ij, qui alieno iuri subiecti sunt, testamenti faciendi ius nõ habent: adeò quidem, vt quamuis parentes eis permiserint, nihilo magis iure testari possint: exceptis ijs, quos antea enumerauimus, & præcipuè militibus, qui in potestate parentum sunt, quibus de eo, quod in castris adquisierunt, permissum est ex Constitutionibus Principum testamentum facere.

Quod quidem ius ab initio tantùm militantibus datum est, tam ex autoritate Diui Augusti, quàm Neruæ, nec non Optimi Imperatoris Traiani: postea verò subscriptione Diui Adriani, etiam dimissis à militia, id est, veteranis concessum est. Itaque si quidem fecerint de castrensi peculio testamentum: pertinebit hoc ad eum, quem hæredem reliquerunt. Si verò intestati decesserint, nullis liberis vel fratribus superstitibus, ad parentes eorum iure communi pertinebit. Ex hoc intelligere possumus: quod in castris adquisierit miles, qui in potestate patris est, neque ipsum patrem adimere posse, neque patris creditores id vendere, vel aliter inquietare, neque patre mortuo cum fratribus commune esse: sed scilicet proprium eius esse, qui id in castris adquisierit: quanquam Iure Ciuili omnium, qui in potestate parentum sunt, peculia perinde in bonis parentum computentur, ac seruorum peculia in bonis dominorum numerantur: exceptis videlicet ijs, quę ex sacris Constitutionibus, & præcipuè nostris, propter diuersas causas non adquiruntur. Præter hos igitur, qui castrense peculium vel quasi castrense habent, si quis alius filiusfamilias testamentum fecerit, inutile est, licet suæ potestatis factus decesserit.

Præterea testamentum facere non possunt impuberes: quia nullum eorum animi iudicium est.

Item

Item furiosi: quia mente carent. nec ad rem pertinet, si impubes, postea pubes: aut furiosus, postea compos mentis factus fuerit, & decesserit. Furiosi autem, si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, iure testati esse videntur, certè eo, quod ante furorem fecerint, testamento valente. Nam neque testamentum rectè factum, neque vllum aliud negotium rectè gestum, postea furor interueniens perimit.

Item prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est, testamentum facere non potest: sed id quod antè fecerit, quàm interdictio bonorum suorum ei fiat, ratum est.

Item surdus & mutus non semper testamentum facere possunt. Vtique autem de eo surdo loquimur, qui omninò non exaudit, non qui tardè exaudit. Nam & mutus is intelligitur, qui eloqui nihil potest, non qui tardè loquitur. Sæpè enim etiam literati & eruditi homines varijs casibus & audiendi & loquendi facultatem amittunt. Vnde nostra Constitutio etiam his subuenit, vt certis casibus & modis secundum normam eius possint testari, aliaque facere, quæ eis permissa sunt.

Sed si quis post testamentum factum aduersa valetudine, aut quolibet alio casu mutus aut surdus esse cœperit: ratum nihilominus manet eius testamentum. Cæcus autem non potest facere testamentum, nisi per obseruationem, quam Lex diui Iustini patris nostri introduxit.

Eius, qui apud hostes est, testamentum, quod ibi fecit, non valet, quanuis redierit. sed quod, dum in ciuitate fuerat, fecit: siue redierit, valet iure postliminij, siue illic decesserit, valet ex Lege Cornelia.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Filijfam. nec naturales nec adoptiui, testandi ius habent.*
2 *Lex Solonis neq; disponere siue testari adoptiuum sinebat de reb. domesticis, simulac adoptatus erat.*
3 *Mulieres olim non nisi quæ in manum viri transijssent testari poterant.*
4 *Tabulæ Testamenti non sunt, quas instituit testamenti factionem non habens.*
5 *Fœminas puberes, tutore autore posse testari.*
6 *Fœminæ in Gallia testari hodie quomodo possint.*
7 *Testatorem oportet proprio suo iure testari.*
8 *Nemo in rem suam autor esse potest.*
9 *Filiusfam. cur donare mortis causa, consentiente patre, possit, testari non possit?*
10 *An pubes filiusfam. consentiente patre testari possit ad pias causas?*
11 *Testatorum voluntates superstitiosa circa sepulturam negligendæ.*
12 *Traianus cognominatus est Optimus.*

QVI *alieno Iuri subiecti sunt.*] Veluti filijfam. Nam de ijs propriè hic agit Iustinianus. Nec refert, 1
naturalésne sint, an adoptiui. idque tam iure Quiritum, quàm Atheniensium. Notum est illud Demosthenis testimonium: ὁ τοῦ Σόλωνος οὐδὲ διαθέσθαι τὸν ποιητὸν ἐᾷ τὰ ἐν τῷ οἴκῳ ὄντα ποιηθ. 2
Olim quoque tam apud Athenienses, quàm Romanos prohibebantur mulieres testari, donec in 3
manum viri transirent: quia prius erant in perpetua quadam tutela. Vnde Tullius in Topicis ait; Secundum mulieris tabulas bonorum possessionem non dari. hácque in re mulierem, quæ nondum facta est sui iuris, comparat seruis, pueris, & exulibus. Ait enim; si mulier testamentum fecit, quæ se capite non diminuit, hoc est, quæ emancipata non est. Idem Cicero lib. VII. epist. ad Trebatium hanc causam attingit. Visum fuerat Trebatio, ex tabulis cuiusdam Turpiliæ rectè dari bonorum possessionem. Cicero ait: Seruium negasse, tabulas Testamenti esse eas, quas instituisset is, qui testamenti factionem non haberet. Iudicauit ergo non habuisse Turpiliam; non sanè 4
quòd esset mulier; sed quòd in potestate esset. Sanè tamen in quibusdam fragmentis scriptorum Vlpiani nuper editis leguntur hæc: Fœminæ post duodecimum annum ætatis testamenta facere 5
possunt, tutore autore, donec in tutela sint. Hodie morib. Galliæ receptū est, vt mulieres innuptæ testari possint: nuptæ nō possint sine autoritate & cōsensu mariti, in cuius potestate esse intelligūt. 6

¶ *Adeò quidem.*] Hæc auxesis desumpta est ex Caio, qui ait[a]: Qui in potestate parētis est, adeò ius testamenti faciendi non habet. vt quanuis pater ei permittat, nihilo magis tamen iure testari possit. Vulgata autem est huius rei ratio, quòd testator debeat suo proprio iure testari, nec ab alieno arbi- 7
trio pendere[b]. Vnde & qui in contractibus morantur alterius autoritatem, in testamentis non morantur. Nam adultus viginti quinque annis minor curatorem habens non potest sine eo contraheret[c]: potest tamen testari. Imò si rectè testari velit, curatorem reijcere debet. Et cum ei in te- 8
stamento legare posit[d], satis apparet ideo autore non fieri. neque enim aliquis in rem suam autor esse potest.

¶ *Nihilo magis testari.*] Donare tamen mortis causa potest filiusfa. consentiente patre[e]. Cau sam 9
discriminis alij aliā confingunt: Sed vna est, quæ & minus nota, & optima tamē esse videtur. Cùm testamēti factio significet aliquē esse sui iuris: filiusfa. faciēdo testamentū videretur emancipatus.

At

[a] *L. qui in potestate. De testamen.*
[b] *L. illa institutio. De hered. instit.*
[c] *L. si curatorem habens. C. de integ. restitut.*
[d] *L. Aurelio. §. Caius. de liber. lega.*
[e] *L. tam 15. §. 1. De mort. cau. donat.*

At arctior erat patriæ potestaris nexus, quàm vt simplici testandi permissione planè dissolutus in-
telligeretur. Cæterùm vt venditiones, sic & donationes ex consensu parentum filiisfa. concedi,
cùm etiam setuis concedantur ex dominorum consensu, absurdum videri non debet. Tales enim
actus non tam emancipationem, quàm procuratoriam quandam administrationem præseferre,
rectè dictum est. Sanè si quis non ratione patriæ potestaris, sed pupillaris potius ætatis causa pro-
hiberetur testari, omnino prohiberetur & mortis causa donare: & si tutor ea in re suam autorita-
10 tem interponeret, tutelæ iudicio teneretur[a]. Illud quæsitum est, an saltem pubes filiusfa. consen- a L. 1. §. 1. De tut. & rat. dist.
tiente patre testari possit ad pias causas. Pontifex Bonifacius VIII. ante annos ducentos & quin- b cap. licet. De sepul. lib. 6.
quaginta rescripsit[b], Si non habeat castrense vel quasi castrense peculium, non posse pro anima a-
liquid iudicare sine consensu patris. Quid hæc Bonifacij verba sibi velint, quærunt interpretes.
Maior eorum pars inde colligit, saltem ad pias causas testari posse filiumfa. patre consentiente. E-
go huic sententiæ facilè assentiar, modò mihi proponatur causa, quæ verè pia sit. Nam superstitio-
ni indulgere quid attinet? Certè Papinianus iudicat, nihili fieri debere testatorum ineptas vel su-
11 perstitiosas voluntates circa sepulturam[c]. c L. seruo alieno §. int. pl. as. De lega. 1.
12 ¶ *Optimi Imperatoris Traiani.*] Traianum principem omnium consensu pronunciatum Optimū,
hócque insigni cognomine honestatum à Senatu Populóque Ro. scribit Plinius in suo ad eum
Panegyrico.

§. *Itaque si quidem, cum §. seq.*

1 *Parentes hodie in successione filij potiores sunt fratribus defuncti.*
2 *Iure potestatis patriæ occupabat filijfa. intestati peculium pater tanquam suum.*
3 *Quo iure quis succedat, quid referat?*
4 *Actio de peculio annalis est.*
5 *Profectitium peculium in bonis patris erat.*
6 *Bona non sunt nisi deducto ære alieno.*
7 *Si bona patris ob debita pecuniaria à fisco occupantur, peculium profectitium etiam separatur.*
8 *Principes olim minus sibi iuris quàm priuatis tribuebant.*
9 *Non statim qui de peculio conuenitur, peculium habet.*
10 *Peculium castrense non confertur, sed præcipuum esse debet.*
11 *Peculium profectitium non est præcipuum.*
12 *Peculia aduentitia non conferri.*
13 *Theophili lapsus.*
14 *Codicillo & fideicommissa voluntate sola constant.*
15 *Approbatio voluntatis prioris, testamentum semel iure factum confirmat.*

¶ *Nullis liberis vel fratribus.*] Hoc iure fratres non minus quàm liberi præferebantur parentibus
1 in successionibus legitimis[d]. Sed hodie potiores sunt parentes: quanquam germani fratres simul d L. vlt. C. commu. de succes.
cum iis admittantur, vti apparet ex Nouella Iustiniani Constit. 118. ¶ *Iure communi.*] Patriæ pote-
2 statis scilicet. Cuius potestatis iure pater occupabat filijfa. intestati peculium, tanquam suum, nō
tanquam hæreditatem[e]. Nam nec olim ius successionis habebat: quāquam hodie hoc ei additum e L. 1. & 2 De castren. pecul.
sit. Verùm cùm solus succedit, adhuc vti potest veteri iure. Nam & olim cum scriberet filiusfa. pa-
trem hæredem in castrensi peculio, poterat nihilominus pater repudiare oblatam viam hæredita-
tis, & vti communi suo iure[f]. Ergo rescriptum est, deportati filijfa. peculium castrense patri relin- f L. pater qui castrensie. De castren. pecul.
qui[g]: nec posse auferri à fisco, qui vt fortè possit summouere filij hæredem, non potest tamen pa-
trem, qui alio quàm hæreditario iure nititur. Neque verò parum interest quo iure pater succedat.
Nam si iure peculij: non nisi peculiotenus creditoribus obligabitur: nec vltra annum, est enim g L. 2. C. de bon. proscr.
3 actio de peculio annalis. ¶ *Neque patris creditores.*] Profectitium tamen peculium eos vendere
4 posse docet hîc apertè Theophilus, & iisdem verbis Harmenopulus lib. 5. Iuris ἐπιτομῶν. Erat enim
hoc iure totum in bonis patris hoc peculium, sed bona non dicuntur nisi deducto ære alieno. Sa-
5 6 nè tamen non idem esse tributum fisco creditori, non obscurè indicat Vlpianus[h], docés, hoc pe- h L. 3. §. sed vtrum in fi. De minor.
culium ad filium pertinere, si patris bona à fisco propter debita pecuniaria occupata sunt: nam i L. pen. De hered. inst. L. ex hoc edicto vers. sed hæredem. De alien. iudic. mu. cau. fact.
7 peculium ex Constitutione Claudij separari. Nec nouum est in iure nostro, vt princeps minus sibi
8 iuris quàm aliis priuatis quibuslibet tribuat[i]. Quòd si ob debitum paternum non adimit fiscus
creditor hoc peculium, multò minus adimet ob crimen. Sed tamen publicatis reliquis patris bo-
nis, vt patris hæres conueniri poterit de peculio[k]: verùm hoc nomine debet ei cauere filius, qui k L. 1. §. sed & si morte. D. quando de pecu. act. annu. est.
peculium habet. Quemadmodum legato alteri peculio, hæres, qui nudum seruum habet, nihilo-
minus de peculio conuenitur: sed cauet ei legatarius[l]. Itaque non sequitur, eum qui de peculio
9 conuenitur, habere peculium. ¶ *Neque patre mortuo cum fratribus commune esse.*] Peculium castren- l Dic. l. 1. §. item hæres eius.
10 se vel quasi castrense non conferri, sed præcipuū esse debere, tradit Vlpianus[m], & nos superius sa-
11 tis diximus. Peculium autem profectitium non esse præcipuum, constat. Sic enim rescriptum m L. 1 §. neque castrēse. De coll. st.
est[n]. Certum est, liberorum peculia post mortem patris in hæreditatem diuidendam ad commu- n L. certū C. fami. erc.
nionem esse reuocanda. Sanè aduentitia peculia non conferri, quia parētibus non acquiruntur,
12 constat ex Iustiniani Cōstitutione[o]. ¶ *Qui castrense peculium vel quasi castrense.*] Sed quid de aliis
peculiis, quæ ex aliqua fortè speciali causa parentibus non acquirerentur? certè Iustinianus apertè o L. vlt. C. de coll. st.
13 statuit, non esse filiisfa. in iis vllam testandi facultatem[p]. Qua in re lapsus est Theophilus.
¶ *Licet sua potestatis factus decesserit.*] Atque etiam perspicuum ediderit argumentum eiusdem suæ p L. pen. C. qui testam. face. poss.

voluntatis, neque enim ea sola sufficit: sed omnino est necesse eam de more solenniter testati. 14
Quanquam aliud sit in codicillis vel fideicommissis, quæ sola voluntate constant. Hócque discri-
a L.1.§.1, De lega.3. men Vlpianus disertè tradit his verbis[a]: Si filiusfa. vel seruus fideicommissum reliquerit. non va-
let: Si tamen manumissi decessisse proponantur, constanter dicemus fideicommissum relictum
videri, quasi nunc datum, cùm mors ei contigerit: videlicet si durauerit voluntas post manumis-
sionem. Hoc vtique nemo credat in testamentis nos esse probaturos: quia nihil in testamento va-
let, quoties ipsum testamentum non valet: sed valet, si aliàs fideicommissum quis reliquerit. Sanè
si quod fuisset ab initio vtile testamentum, veluti ab eo, qui sui iuris erat, factum, & deinde reddi-
tum inutile per eius arrogationem, sustineretur, si is suæ rursus potestatis factus. priorem suam vo-
b L. qui ex liberis §. pen. de bon. poss. secun. Tab. luntaté approbarit[b]. Id enim satis est, vt testamentũ semel iure factum recipiat pristinas suas vires. 15

§. *Praterea testamentum, cum §§. seq.*

1 *Qua atate masculi vel fœmina testari possint.*
2 *Annum complere, est postremum diem attingere.*
3 *Minor 20. annis non manumittebatur.*
4 *In vsucapione attigisse diem vltimum triennij satis est.*
5 *Ante pubertatem hodie nec vestalibus nec tribunis militum tribuitur ius testandi.*
6 *Sola corporis infirmitas non impedit testamentum.*
7 *Testamentum stultum arguit testatoris insaniam, & contra.*
8 *Tuditani furiosi testamentum an iure probatum sit.*
9 *Furiosus omnia retinet, qua ante furorem rectè cõfecutus est.*
10 *Furor, vbi ad rei alicuius continuationem opus est consensu, obest.*
11 *Prodigus æquiparatur furioso.*
12 *Testatori non admodum opus est auditu.*
13 *Mutum esse morbosum.*
14 *Mutus & illiteratus est, qui natus est surdus.*
15 *Qui surdus idem & mutus.*
16 *Surdus quidam natus, tamen legere & scribere potuit.*
16 *Cacus per nuncupationem quomodo testari possit.*
18 *Nec captiuos, nec obsides, testamentum facere posse.*
19 *Capti à latronibus cur testari possint.*
20 *Lex Cornelia qua?*

c L. qua ætate de test. ¶ *Testamentum facere non possunt impuberes.*] Inquit Vlpianus[c]: Qua ætate testamentum masculi
vel fœminæ facere possint, videamus. Et verius est, in masculis quidem quartum decimum annũ 1
spectandum, in fœminis verò duodecimum completum. Addit autem completum intelligi, vbi
postremus dies anni completus est: etiam si nondum ventum sit ad momentum natiuitatis. Tã-
dem etiam eò delabitur, satis esse attigisse postremum diem. Sicuti & in Lege Ælia Sentia, quæ 2
prohibebat minorem annis 20 manumittere, satis erat attigisse postremum diem anni vigesimi[d]. 3
d L. 1. de manu. e L. in vsucapioni' us de vsucap. Sic & in vsucapione sufficit attigisse postremum diem triennij[e]. Porrò notandum est, quod Vl- 4
pianus ait, annum decimumquartum spectari. Verè enim is solus spectatur, nec est prætetea opus
f L. 4. C. qui testam. face. poss. vt emergant quædam vestigia virilis vigoris, vt est rescriptum[f]. Omnino enim hæc sola ætas iuue-
nis sanæ mentis, tribuit testamenti factionem; prius autem nullo modo; adeò vt si iudex pronun-
ciatet minorem quatuordecim annis posse testari; sit hæc sententia ipso iure nulla, nec prouoca-
g L. 2. C. quando prouoc. non est nec. tionis auxilio infirmari debeat[g]. Sanè legimus Romanos olim suis Vestalibus ante pubertatem
tribuisse ius testamenti faciendi: eóque exemplo Constantinum idem Christianis Vestalibus con-
cessisse refert Sozom. lib. 1. hist. Eccl. Sed non fuit recepta huius priuilegij periculosa licentia. O- 5
lim quoque Tribunis militum permittebatur ante pubertatem testari: sed id sustulit Iustinianus
h L. vlt. C. de test. a. milit. peculiari Constitutione[h].
i L. 2. in fi. de inoff. test. a. ¶ *Item furiosi.*] Furiosi vel dementis nullum esse testamentum scribit etiam Martianus[i]. Et, si
aduersa corporis valetudo mentis integritatem vitiet. simul adimet testamenti factionem[k]. A- 6
k L. in aduersa de test. lioqui autem sola corporis infirmitas, si animi fuerit sanum iudicium, non oberit volenti testa-
l L. 3. C. qui testam. fac. poss. ri[l]. Rectè itaque Labeo ait[m]: In eo, qui testatur, eius temporis, quo testamentum facit, integri-
m L. 2. de testam. tas mentis, non corporis sanitas exigenda est. ¶ *Si per id tempus.*] Furiosum in suis iudiciis vlti-
n L. furiosum C. qui testam. face. poss. mum condere elogium posse, inquit alibi Iustinianus[n]. Cæterùm vt aduersarius probare debet
furorem; ita semel eo probato, is qui tuetur testamentum, probare debet dilucida remissi morbi
interualla; iisque probatis. facilè credemus testamentum in iis factum; si sit eiusmodi, in quo 7
nihil sani iudicij desideres. Nam si testamentum stultum sæpe arguit testatoris insaniam[o]. cur non
o L. quidam in suo de condit. instit. idem ritè factum valeat ad coniecturam sanæ mentis testatoris? saltem vbi constat non fuisse
semper insanum. Alioqui certè non ignoro ad vim testamenti non profuturam eius sanam dispo-
sitionem: quia magis casu quàm iudicio ita rectè conditum videatur. Vnde iure probari non pos- 8
set vetus illud iudicium Centumuirorum, qui Tuditani, perpetuo furore oppressi, testamentum
quo filium hæredem rectè instituerat, probarunt, magis considerantes, quid scriptum esset, quàm
quis scripsisset, vt refert Valerius lib. 7. cap. 8. Rectè autem id refert inter ea testamenta, quæ rata
manserunt, cùm haberent causas. propter quas rescindi poterant. ¶ *Fecerint.*] Hoc est, perfece-
rint. Parum enim profuerit, sana mente cœpisse testamentum, si antequam absoluatur, interue-
p L. furiosum §. 1. C. qui testa. face. poss. niat furor, qui omnia interturbet[p]. ¶ *Testamento valente*] Etiam si postea disruptum sit à furioso.
a L. vlt. de iniusto rupt. Sic enim Scæuola scribit[a].

¶ Neque

9 ¶ *Neque aliud negocium rectè gestum*] Iure traditũ est; furiosum ea omnia retinere, quæ ante furoré
rectè consecutus est: veluti statum, dignitatem, dominium[a], matrimonium, patriam potesta-
tem[b]. Sed neque obligationem rectè prius contractam tollit furor[c], neque interrumpit vsucapio-
10 nem[d]. Sanè tamen si ad alicuius rei continuationem opus esset aliquo consensu, etiam tacito, fu-
ror non parum obesset. Sic enim Vlpianus ait[e], locationem finitam, quam propter domini ta-
centis consensum intelligimus durare, non posse redintegrari, si dominus interim furere cœpe-
rit. ¶ *Item prodigus*] Descriptus est hic locus ex responso Vlpiani, quod in Pandectis extat his ver-
bis[f]: Is, cui lege bonis interdictum est, testamentum facere non potest: & si fecerit, ipso iure non
valet. quod tamen interdictione vetustius habuerit testamentum, hoc valebit. Porrò autem pro-
11 digum similem esse furioso, docet alibi Vlpianus[g]. ¶ *Non semper*] Neque enim tum vbi mutus
scribere nescit, & surdus neque loqui neque scribere. Quomodo enim tum possent voluntatem
suam testari? ¶ *Qui omnino non exaudit.*] Qui si loqui sciat vel scribere, non oberit testamento sur-
ditas. Nam & fatetur Iustinianus in sua Constitutione[h], nullum esse tam surdum, qui penitus
12 non exaudiat, si quis supra cerebrum eius loquatur, secundum sententiam Celsi. quanquam non
admodum opus habeat testator auditu. ¶ *Nam & mutus is intelligitur.*] Cùm alibi Vlpianus[i], tra-
13 ctans edictum Ædilitium, docuisset, mutum morbosum esse: veluti explicaturus, quis esset mu-
tus, subiicit: Morbosum enim esse, qui sine voce apparet. Sed qui grauiter loquitur, morbosus
non est: vt neque, qui ἀσαφῶς [obscurè] Planè qui ἀσήμως [non significanter] loquitur, is vtique
morbosus est: nempe quia pro muto habeatur, qui sic balbutit, vt non intelligatur. ¶ *Sæpe enim
etiam literati.*] Nescio quomodo hæc videntur hiulca & confusa. Parum certè cohærent. Sed Iusti-
nianus indicare vult sese potissimùm hîc agere de iis, qui habent, quo sarciant damnum naturalis
organi: vt facile habere possunt, qui non natura, sed aliquo casu fortuito muti sunt vel surdi, aut
etiam vtroque simul oppressi vitio. Cuiusmodi sanè duplex malum, si natura, & à principio fuis-
set, nullum esse testamento locum putauit Iustinianus: quasi tum fieri non posit, vt aliunde hæc
calamitas sarciatur. Quomodo enim literas, quibus sensum animi sui explicet, disceret, qui semper
14 fuit surdus? aut quomodo loqui? Sequitur itaque mutum fore & illiteratum, qui natus est sur-
dus. Si tamen eueniret hunc posse cogitata animi aliquo modo explicare, vt intelligantur, nihil
obstabit, quo minus testamentum faciat. Et euenit quidem id aliquando: vt est immensa & in-
credibilis vis mentis humanæ. Certè Rodolphus Agricola libro tertio de Inuent. cap. vlt. testatur
15 se vidisse surdum à primis annis, & (quod est consequens) mutum, qui didicerat, vt quæcunque
16 scriberet aliquis, intelligere, & ipse quoque, tanquam loqui sciret, omnia mentis suæ cogitata per-
scribere posset. ¶ *Nostra constitutio.*] Extat hæc Iustiniani Constitutio[k], cuius sententiam iam re-
tulimus.

¶ *Testamentum.*] Idque nuncupatiuum. Nam certum est, cæcum nullo modo posse testamẽtum
à se scriptum relinquere. Quod autem hic in testamento requiritur, & in codicillis obseruandum
est[l]. ¶ *Nisi per obseruationem, quam lex diui Iustini.*] Extat adhuc hęc Lex Iustini[m], quæ cęco per nun-
17 cupationem testaturo præscribit, vt septem testes conuocet, & Tabularium: iisque præsentibus
specialiter exprimat nomina hæredum, simul & eorum dignitates, & alia indicia: ne sola nomi-
num commemoratio quicquam ambiguitatis pariat. Deinde, vt totam eius nuncupationem Ta-
bularius excipiat, & perscriptam testes subsignent.

¶ *Eius, qui apud hostes.*] Hic locus descriptus est ex Caio[n]: & agit de captiuo, qui cùm fiat seruus
18 hostium, non potest non amittere testamenti factionem. Sanè nec obsides ius testandi habere Vl-
19 pianus ait[o]. Cæterùm (inquit Martianus[p]) qui à latronibus capti sunt, cùm liberi maneant, pos-
sunt testamentum facere. Item & qui apud hostes legatione funguntur. ¶ *Testamentum.*] Aliud
est de codicillis, saltem iis, quorum ante captiuitatem testator meminit, fortè professus velle se
omnino valere, si quos aliquando faceret. Quia iis, cùm videantur pendere à testamento valido,
simul confirmantur iure postliminij, si ab hostibus redierit testator. Sic enim scribit Tryphonius[a]:
Codicilli, si quos tempore captiuitatis scripserit, non creduntur iure subtili confirmari testamen-
to, quod in ciuitate fecerat: sed nec fideicommissum ex iis peti potest: quia non sunt ab eo facti,
qui testamenti factionem habuit. Sed quia merum principium eorum in ciuitate constituto ca-
ptiuo factum est: & in eo testamento confirmatio codicillorum: & is postea reuersus est, & postli-
minio ius suum recepit: humanitatis rationi congruum est, eos codicillos ita suum effectum ha-
bere, quasi in medio nulla captiuitas intercessisset. ¶ *Ex lege Cornelia.*] Hæc lex fingit eum, qui a-
20 pud hostes decessit, ipso captiuitatis momento decessisse ante seruitutem, quod nos alio superius
loco docuimus: vbi etiam de iure postliminij plura diximus.

a L. qui furere. de statu. homi.
b L. patre furioso de his qui sui sunt vel alie. iur.
c L. si à reo §. si à furioso de fideiuss.
d L. iusto §. eum qui. de vsucap.
e L. qui ad certum. D. locat.
f L. is cui lege de test.
g L. 1. de cur. fur. vel prod.
h L. discretis § si enim vox C. qui testa. face. poss.
i L. mutum de ædil. edict.
k L. discretis C. qui testa. facere poss.
l L. hac consultissima §. quæ in eundẽ C. qui testam. face. poss.
m Dic. l. hac consultissima.
n L. eius qui de testa.
o L. obsides de testa.
p L. qui à latronibus D. illo tit.
a L. in bello §. codicilli. de capti. & post reuer.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Liberi, vel heredes instituendi, vel exhæredandi, testamentorum principale est.
2 Graue est, inuitis obtrudi heredes.
3 Nouercalia parentum odia, pariunt querelam inofficiosi.

4 Epitades, odio filij legem tulit, de testandi libertate.
5 Aristotelis sententia de exhæredatione liberorum.
6 Fideicommissa hæreditas exhæredato restituitur.
7 Abdicatio ab Impp. abrogata est.
8 Dionysij Halicar. sententia, de exhæredatione & abdicatione liberorum.

a L. inter cætera de liber. & posthu.

INter cætera (inquit Caius[a]) quæ ad ordinanda testamenta necessariò desiderantur,
principale ius est, de liberis hæredibus instituendis, vel exhæredandis. Verùm quia hæc 1
res longiori explicatione opus habebat, dilata est & reiecta in hunc locum, vbi pe-
culiari titulo latè exponeretur, & sanè meretur diligentem explicationem, tum pro-
pter varias veteris iuris ambages, tum propter vsum frequentem exhæredationis. Vt
enim graue est inuitis obtrudi ingratos hæredes, qui impunitatis spe habeant ludibrio testatorem,
securi de successione, quam omnino sibi deberi confidunt: ita non fuit consentiendum duris[b] iudiciis 2
parentum, qui vel nouercalibus instigationibus corrupti, vel aliter temerè irritati, statim parant
exhæredationem, nimiumq́ morosè iniurij sunt liberis. Sed de querela inofficiosi testamenti nos po- 3
stea dicemus. Olim apud Græcos notatus fuit quidam Epitades, qui legem tulerat, vt cuique libe-
rum esset, cuicunque vellet, bona sua relinquere: hoc interim agens, vt ipse filium, quem fortè iniu- 4
ria oderat, posset suo arbitrio exhæredare. Ac primùm populus nõ intellexit hominis technã, verùm
ea res deinde grauem perniciem attulit Reipub. Aristoteles lib. 8. Ethic. existimat, concessum esse
patri, vt pro suo arbitrio filium exhæredet, non etiam vt filius patrem. Patri enim obligatum esse 5
filium, non antè filio patrem, sed tamen fatetur, eam esse naturæ vim, vt non temerè quisquã imme-
ritum filium exhæredet. Verba Aristotelis sunt hæc: διὸ κἂν δόξειεν οὐκ ἐξεῖναι υἱῷ πατέρα ἀπείπασθαι,
πατρὶ δ' υἱόν. τὸν ὀφείλοντα γὰρ ἀποδοτέον, οὐδὲν δὲ ποιήσας ἄξιον τῶν ὑπηργμένων δέδρακεν, ὥστ' ἀεὶ ὀφείλει. οἷς δ' ὀ-
φείλεται, ἐξουσία ἀφεῖναι, καὶ τῷ πατρὶ δή. ἅμα δ' ἴσως οὐδείς ποτ' ἂν ἀποστῆναι δοκεῖ μὴ ὑπερβάλλοντος μοχθηρίᾳ.
χωρὶς γὰρ τῆς φυσικῆς φιλίας, τὴν ἐπικουρίαν, ἀνθρωπικὸν μὴ διωθεῖσθαι. τῷ δ' ἐπὶ φευκτὸν ἢ οὐ σπουδαστὸν, τὸ ἐπαρκεῖν
μοχθηρῷ ὄντι. Porrò fit in iure nostro mentio cuiusdam exhæredationis, quæ non mala mente fit, nec
notæ causa: sed potius vt exhæredatis consulatur, vt puta impuberibus, quibus fideicommissam hæ-
reditatem restitui iubent[c]. Sed nos hîc propriè agimus de exhæredatione, quæ omnino adimit hære 6
ditatem. Fuit autem Græcorum exemplo aliquando etiam in vsu Abdicatio, quæ inter viuos fiebat,
eiúsque leges diligenter describit Lucianus in suo Abdicato: sed eam deinde à Romanis reiectam, te- 7
stantur Impp. Diocletianus & Maximianus, his verbis[d]: Abdicatio, quæ Græco more ad alienan-
dos liberos vsurpatur, & ἀποκήρυξις dicebatur, Romanis legibus non comprobatur. Dionysius Ha-
licarn. lib. 2. cùm probare vult lege Romuli summam patribus in filiosfa. potestatem esse datam, qua- 8
lem alij populi non habuerint, scribit, apud Græcos abdicationem & exhæredationem maximam
fuisse pœnam filiorum, qui patribus non essent morigeri: sed non satis magnam esse ad coërcendã pe-
tulantem adolescentiam: τιμωρίας (inquit) κατὰ τῶν παίδων ἔταξαν, ἐὰν ἀπειθῶσι τοῖς πατράσιν, οὐ βαρείας, ἐξελά-
σαι τῆς οἰκίας ἐπιτρέψαντες αὐτοὺς, καὶ χρήματα μὴ καταλιπεῖν, περαιτέρω δὲ οὐδέν. εἰσὶ δ' οὐχ ἱκαναὶ κατασχεῖν ἄνοιαν
νεότητος, καὶ αὐθάδειαν τρόπων, οὐδ' εἰς τὸ σῶφρον ἀγαγεῖν τοὺς ἠμεληκότας τῶν καλῶν, αἱ μαλακαὶ τιμωρίαι. [Pœ-
nas etiam in contumaces filios statuerunt non graues, permittentes patribus eos exhæredare, domó-
que pellere, præterea verò nihil, quæ non sufficiunt ad compescendam iuuentutis vesaniam morésque
præfractos, neque contemptores honestatis leui brachio possunt ad modestiam redigi.]

b L. 4. de inoff. test.

c L. multi non notæ. de liber. & posth. L. si putronus testamento §. si quis non mala. de bon. libert.

d L. abdicatio C. de patr. potest.

De exhæredatione liberorum. Titulus XIII.

NON tamen vt omnino valeat testamentum, sufficit hæc obseruatio, quam suprà exposuimus: sed qui filium in potestate habet, curare debet, vt eum hæredem instituat, vel exhæredem eum nominatim faciat. Alioqui si eum silentio præterierit, inutiliter testabitur: adeò quidem, vt si viuo patre filius mortuus sit, nemo hæres ex eo testamento existere possit: quia scilicet ab initio non constiterit testamẽtum. Sed non ita de filiabus, & aliis, per virilem sexum descendentibus liberis vtriusque sexus, antiquitati fuerat obseruatum: sed si non fuerant scripti hæredes scriptæve, vel exhæredati exhæredatæve: testamentum quidem non infirmabatur, ius tamen adcrescendi eis ad certam portionem præstabatur, sed nec nominatim eas personas exhæredare parentibus necesse erat, sed licebat inter cæteros hoc facere.

Nominatim autem quis exhæredari videtur, siue ita exhæredetur, TITIVS FILIVS MEVS EXHAERES ESTO: siue ita, FILIVS MEVS EXHAERES ESTO, non adiecto proprio nomine: scilicet si alius filius non extet.

Posthumi

Posthumi quoque liberi, vel hæredes institui debent vel exhæredari. Et in eo par omniũ conditio est, quòd & filio posthumo, & quolibet ex cæteris liberis, siue fœminini sexus, siue masculini, prætterito, valet quidem testamentum, sed postea agnatione posthumi siue posthumæ rumpitur, & ea ratione totum infirmatur. Ideoque si mulier, ex qua posthumus aut posthuma sperabatur, abortum fecerit: nihil impedimento est scriptis hæredibus ad hæreditatem adeundam.

Sed fœminini quidem sexus personæ vel nominatim, vel inter cæteros exhæredari solebant: dum tamen si inter cæteros exhæredarentur, aliquid eis legaretur, ne viderentur præteritæ esse per obliuionem. Masculos verò posthumos, id est, filios, & deinceps, placuit non aliter rectè exhæredari, nisi nominatim exhæredaretur, hoc scilicet modo, QVICVNQVE MIHI FILIVS GENITVS FVERIT, EXHAERES ESTO.

Posthumorum autem loco sunt & hi, qui in sui hæredis locum succedendo, quasi agnascendo, fiunt parentibus sui hæredes. vt ecce, si quis filium, & ex eo nepotem neptémve in potestate habeat: quia filius gradu præcedit, is solus iura sui hæredis habet, quãuis nepos quoque & neptis ex eo in eadem potestate sint. Sed si filius eius viuo eo moriatur, aut qualibet alia ratione exeat de potestate eius, incipit nepos neptisve in eius locum succedere: & eo modo iura suorum hæredum quasi adgnatione nanciscuntur. Ne ergo eo modo rumpatur eius testamentum, sicut ipsum filium vel hæredem instituere, vel nominatim exhæredare debet testator, ne non iure faciat testamentum: ita & nepotem neptémve ex filio necesse est ei vel hæredem instituere, vel exhæredare: ne fortè eo viuo filio mortuo, succedendo in locum eius nepos neptisve, quasi adgnatione rumpat testamentum. Idque Lege Iulia Velleia prouisum est, in qua simul exhæredationis modus ad similitudinem posthumorum demonstratur.

Emancipatos liberos iure ciuili neque hæredes instituere, neque exhæredare necesse est: quia non sunt sui hæredes. Sed Prætor omnes, tã fœminini sexus, quàm masculini, si hæredes non instituãtur, exhæredari iubet: virilis sexus nominatim, fœminini verò inter cæteros: quia si neque hæredes instituti fuerint, neque ita (vt diximus) exhæredati, permittit eis Prætor contra tabulas testamenti bonorum possessionem.

Adoptiui liberi, quandiu sunt in potestate patris adoptiui, eiusdem iuris habentur, cuius sunt iustis nuptiis quæsiti. Itaque hæredes instituendi, vel exhæredandi sunt secundum ea, quæ de naturalibus exposuimus. Emancipati verò à patre adoptiuo, neque iure ciuili, neque eo iure, quod ad edictum Prætoris attinet, inter liberos connumerantur. Qua ratione accidit, vt ex diuerso (quod ad naturalem parentem attinet) quandiu quidem sunt in adoptiua familia, extraneorum numero habeantur: vt eos neque hæredes instituere, neque exhæredare necesse sit. Cùm verò emancipati fuerint ab adoptiuo patre, tunc incipiant in ea caussa esse, in qua futuri essent, si à naturali patre emancipati fuissent.

Sed hæc quidem vetustas introducebat: nostra verò Constitutio inter masculos & fœminas in hoc iure nihil interesse existimans: quia vtraque persona in hominum procreatione simili naturæ officio fungitur, & Lege antiqua duodecim Tabularum omnes similiter ad successionem ab intestato vocabantur, quod & Prætores postea secuti esse videntur: ideo simplex ac simile ius, & in filiis, & in filiabus, & in cæteris descendentibus per virilem sexum personis, non solùm iam natis, sed etiam posthumis, introduxit: vt omnes siue sui, siue emancipati sint, vel hæredes instituantur, vel nominatim exhæredentur: & eundem habeant effectum circa testamenta parentum suorum infirmanda, & hæreditatem auferendam, quem filij sui vel emancipati habent, siue iam nati sint, siue adhuc in vtero constituti, postea nati sint. Circa adoptiuos autem filios certam introduximus diuisionem, quæ in nostra Constitutione, quam super adoptiuis tulimus, continetur.

Sed si in expeditione occupatus miles, testamentum faciat, & liberos suos iam natos vel posthumos nominatim non exhæredauerit, sed silentio præterierit, non ignorans, an habeat liberos: silentium eius pro exhæredatione nominatim facta valere, Constitutionibus Principum cautum est. Mater vel auus maternus, necesse non habent liberos suos, aut hæredes instituere, aut exhæredare: sed possunt eos silentio omittere. Nam silentium matris, aut aui materni, & cæterorum per matrem ascendentium, tantum facit, quãtum exhæredatio patris. Neque enim matri filium filiámve, neque auo materno nepotem neptémve ex filia, si eum eamve hæredem non instituat, exhæredare necesse est: si-

Y 3 ue de

uede Iure Ciuili quæramus, siue de edicto Prætoris, quo Prætor præteritis liberis contra tabulas bonorum possessionem permittit: sed aliud eis adminiculum seruatur, quod paulò post vobis manifestum fiet.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Emancipato filio iure ciuili præterito, prætor dabat bon. possess. contra tab.*
2 *Filius non sub qualibet conditione hæres institui potest.*
3 *Non quæuis exhæredatio filiū à contra tabulas bon. possessione summouet.*
4 *Liberi non nisi certo iudicio à parentum successione remouendi sunt.*
5 *Exhæredationem totius assis nomine fieri necesse esse.*
6 *Exhæredationem ab vno tantum exhæredibus fieri nō oportere.*
7 *Silentio præterire quid?*
8 *Vbi constat de sensu testatoris, non est hærendum in verbis.*
9 *Filius præteritus quando testamento patris non obsit.*
10 *Ex testamento inutili, deberi tamen legata, per Nouellam 115.*
11 *Filio præterito approbante testamentum patris, validum est testamentum.*
12 *Pletonia à matre Ebutia præterita patientia.*
13 *Præterito suo iure vtente, cæteris quoque liberi instituti ab intestato succedunt.*
14 *Posthumus præteritus, viuo patre moriens, non rumpit testamentum.*
15 *Discriminis inter natos filios, & posthumos præteritos ratio.*
16 *Filia olim præterita, quid fratribus, quid itē extraneis scriptis hæredibus consecuta sit?*
17 *Iustinianus ius vetus circa filiam præteritam emendauit.*
18 *Inter cæteros exhæredari quid?*

Q*Vi filium in potestate.*] Emancipatus Iure Ciuili poterat præteriri: vti etiam paulò pòst docet Iu- 1
stinianus. Sed Prætor dedit ei bonorum possessionem contra tabulas. Et permissum fuit, vt
ea etiam vterentur sui hæredes, si vellent. ¶ *Vt eum hæredem instituat.*] Idque sicut oportet, nec
adiecta conditione, quæ institutum filium ludificetur. Neque enim (inquit Papinianus[a]) suffi- 2
cit sub qualibet conditione filium hæredem institui: sed ita demum testamentum ratum est, si
conditio fuit in filij potestate. Vnde & Imp. Alexander rescripsit[b]: Si pater filium, quem in pote-
state habebat, sub conditione, quæ in ipsius potestate non erat, hæredem scripsit, nec in defectum
eius exhæredauit, iure testatus non videtur. Nempe quia filius deficiente conditione videbitur
præteritus. ¶ *Vel exhæredem eum nominatim faciat.*] Idque etiam, vt oportet: hoc est, expressa ali-
qua iusta causa. Vera autem sit an non, quæretur iudicio inofficiosi testamenti. Sanè (inquit Vl- 3
pianus[c]) non quæuis exhæredatio summouet filium à contra tabulas bonorum possessione: sed
quæ ritè facta est. Sed & sub conditione exhæredatus, contra tabulas bonorum possessionem pe-
tet: licet sub conditionem hæres institutus, à contra tabulas bonorum possessione excludatur.
Certo enim iudicio liberi à parentum successione remouendi sunt, inquit Hermogenianus[d]. Por- 4
rò necesse est exhæredationem fieri totius assis nomine. Nam si quis ex certa solùm parte exhæres 5
esse iubeatur: respondit Scæuola[e], non videri rectè exhæredatum: aliámque causam esse institutio-
nis, quæ benignè acciperetur: exhæredationes autem non esse adiuuandas. Sed nec oportet exhæ- 6
redationem ab vno tantum exhæredibus fieri: ea enim vitiosa esset[f]. Quòd si ita testatus sit pater-
fa. vt à primo quidem gradu filium præteriret, à secundo solo exhæredaret: Sabinus, & Cassius &
Iulianus putant, perempto primo gradu, testamentum ab eo gradu exordium capere, vnde filius
exhæredatus est. Quæ sententia comprobata est, inquit Vlpianus[g]. E diuerso autem si à primo
gradu exhæredatus sit filius, à secundo præteritus: primus gradus valebit, secundus non valebit,
nec ex eo poterit hæreditas obtineri[h]. ¶ *Alioqui si eum silentio præterierit.*) Hoc est, neque institue-
rit, neque exhæredauerit. Ita enim præteritionem hoc loco accipere videtur Iustinianus: & alibi 7
disertè ad hunc modum interpretatur[i]. Quòd si testator profiteatur se filium præterire, adiecta
etiam causa id pro exhæredatione fuerit, valebitque testamentum. Cùm enim manifestus sit 8
sensus testatoris, parum hæremus in verbis[k]. ¶ *Inutiliter testabitur.*] Papinianus ait[l]. Testamen-
tum nullius esse momenti. Id quod alibi fusius explicat, his verbis[m]: Filio præterito, qui fuit in
patris potestate, neque libertates competunt, neque legata præstantur, si præteritus fratribus
partem hæreditatis auocauit. Quòd si bonis se patris abstinuit: licet subtilitas iuris refragari vi- 9
deatur, attamen voluntas testatoris ex bono & æquo tuebitur. Verùm admonendi sumus, illud
quod ait, adeò testamentum nullum esse, vt nec legata debeantur, esse correctum per Nouellam 10
Iustiniani Constitu. 115. quæ ex causa præteritionis vel exhæredationis non vult irritari testamen-
tum, nisi quod attinet ad ipsam hæredis institutionem. Quòd autem addit Papinianus, tum de-
mum inutile omnino esse testamentum, vbi is, qui præteritus est, non vult id tueri: indicat, eo ap- 11
probante testamentum fore validum. Et extat memorabile huius rei exemplum apud Valerium 12
lib. 7. cap. 8. vbi agitur de testamento cuiusdam Ebutiæ, in quo Pletonia altera ex filiabus præteri-
ta erat: sed quia maluit testamentum matris patientia honorare, quàm iudicio conuellere, mansit
illud ratum. Porrò autem vbi præteritus suo iure vtitur, alijs quoque liberis alioqui institutis ape- 13
ritur

a L. vlt. de condi. instit.
b L. si pater C. de instit. & substitut. sub cond. fac.
c L. non putauit §. non quæuis de bon. poss. contra tab.
d L. sub conditione de bon. poss. contra tab.
e L. cum quidam de liber. & posthu.
f L. 3. §. si ius de liber. & posthu. L. non putauit §. si ab vno de bon. poss. cont. tabu.
g Dic. L. 3. §. vlt.
h L. 3. §. vlt. cum le. seq. de iniust. rup.
i §. eadem inst. de hæredit. quæ ab intest.
k L. 3. C. de liber. præ.
l L. 1. de iniusto rupt.
m L. filio præterito de iniusto rup.

ritur via ſuccedendi ſimul ab inteſtato, perinde atque ſi nullæ eſſent relictæ teſtamenti tabulæ[a].
14 ¶ *Filius mortuus ſit.*] Qui ſcilicet iam natus & ſuperſtes fuerat præteritus. Nam ſi poſthumus
præteritus, patre viuo moriatur, non rumpit teſtamentum. Sic enim Vlpianus reſpondit[b]: Poſt-
humus præteritus, viuo patre natus deceſsit: licet iuris ſcrupuloſitate, nimiáque ſubtilitate teſta-
mentum ruptum videatur: attamen ſi ſignatum fuerit teſtamentum, bonorum poſſeſsionem ſe-
cundum tabulas accipere hæres ſcriptus poterit, hæreditatémque obtinebit, vt Imperator noſter
& diuus Adrianus reſcripſerunt. Idcirco legatarij & fideicommiſſarij habebunt ea quæ ſibi relicta
ſunt, ſecuri. Sed ſi poſt mortem patris natus poſthumus, etiam illico deceſſerit, non reſtituitur
15 ruptum teſtamentum[c]. Diſcriminis autem inter natós filios, & poſthumos præteritos, non eſt
obſcura ratio: quòd alia ſit filiorum ſuperſtitum, alia poſthumorum cauſa[d]: quia hi præteriti non
reddunt ſtatim ipſum teſtamentum nullum: ſed ita demum rumpunt, ſi naſcantur. ¶ *Sed non i-
ta de filiabus.*] Caius lib. poſteriori ſuarum Inſtitutionum, tit. 3. hunc locum ita explicat: Si verò
16 filiam prærerierit, non rumpit teſtamentum filia prætermiſſa, ſed inter fratres ſuos, legitimo ſtan-
te teſtamento, ſuam, ſicut alij fratres, conſequitur portionem. Si verò teſtamento extranei hære-
des ſcripti fuerint: ſtante teſtamento, filia medietatem hæreditatis acquirit. Iuſtinianus autem in
ſua Conſtitutione[e] addit alia quædam, quorum potiſsimum nomine hæc antiquitatis obſeruatio
diſplicuit. Inquit enim: Filia præterita ius accreſcendi ex iure vetere accipiebat, vt eodem mo-
mento & teſtamentum patris quodammodo ex parte iure accreſcendi euerteret, & ipſa quaſi ſcri-
pta legatis ſupponeretur: ex Prætore autem habebat contra tabulas bonorum poſſeſsionem in to-
tum, Conſtitutio autem Magni Antonini eam in tantum coarctabat, in quantum ius accreſcen-
17 di competebat. Deinde addit Iuſtinianus, quod antiquitatis obſeruationem perſpicuè oſtendit
abſurdam: Inuenta fuerat filia præterita minus habens quàm filia exhæredata. Cùm enim per cō-
tra tabulas bonorum poſſeſsionem, vel ius accreſcendi ſemiſſem ſubſtantiæ filia præterita accipie-
bat, & omnibus legata præſtare compellebatur, ſcilicet vſque ad dodrantem ſuæ portionis: rema-
nebat ei ſeſcuncia tantummodo in ſua ſucceſsione. Quòd ſi fuiſſet exhæredata, quarta pars omni-
modo totius ſubſtantiæ ei relinqui debebat, & quam iniuria dignam pater exiſtimabat, amplius
habebat ea, quam taciturnitate in inſtitutione præteriit, &c. ¶ *Sed nec nominatim.*] Antiquiſsi-
mis temporibus ſimili modo & filium & filiam & alios omnes inter cæteros potuiſſe exhæredari
indicat in ſua Conſtitutione Iuſtinianus. Poſtea id fuit immutatum in filio, vt is nominatim eſſet
18 exhæredandus. Sed de filiabus nihil dictum fuit: quas adhuc licebat inter cæteros, hoc eſt genera-
liter, & vt ait Theophilus ζοειτῶς exhæredare. Tandem Iuſtinianus totum hoc ſuſtulit diſcrimen.

a L. vlt. de liber. & poſth. l. 1. §. vlt. D. ſi tab. teſtamenti nulla exta.
b L. poſthumus de inuſto rup.
c L. 2. C. de poſth. hær. inſtit.
d L. 3. §. ex his de inuſt. rup.
e L. maximum vitiū C. de libe. præterit.

§. *Nominatim autem.*

1 Nominatim exhæredatus quis videatur.
2 Exhæredatio quibuslibet verbis concipi poteſt.
3 Si pater vnum filiorum non adiecto proprio nomine, exhæredet, quid iuris?
4 Inſtitutiones, legata, tutela, ſunt adiuuanda, exhæredationes non item.
5 Non videri exhæredatum, quem pater putarit deceſsiſſe.
6 Falſus rumor nulli obeſſe debet.

¶ *Nominatim autem.*] Hunc locum tribus reſponſis diligenter explicuit Vlpianus[f]. Idémque
agens de exhæredatione poſthumorum, inquit[g]: Nominatim exhæredatus poſthumus videtur,
1 ſiue ita dixerit; Quicunque mihi naſcetur: ſiuè ita; Ex Seia: ſiue ita; Venter exhæres eſto. Et id qui-
2 dem quod attinet ad demonſtrationem perſonæ exhæredandæ. Exhæredatio autem ipſa quibus-
libet verbis poteſt concipi: veluti; Ille filius meus, alienus meæ ſubſtantiæ fiat. Quæ formula exhæ-
redationis probatur à Iuſtiniano[h]. Sanè & his verbis; Titius hæreditatis meæ dominus eſto, rectè
fieri inſtitutionem tradidit Martianus[i]. ¶ *Non adiecto proprio nomine.*] Sed & ſi (inquit Vlpianus[k])
pepercerit filiū dicere, ex Seia autem natum dixerit, rectè exhæredat. Et ſi cum conuicio dixerit;
Non nominandus, vel, Non filius meus; Latro; Gladiator; magis eſt, vt rectè exhæredatus ſit: &
3 ſi ex adulterio natum dixerit. ¶ *Si alius filius non extet.*] Vlpianus ait[l]: Si modò vnicus ſit. Nam ſi
plures ſint filij, benigna interpretatione potius à pleriſque reſpondetur, exhæredatum nullum eſ-
ſe. Ergo nec audietur ſcriptus hæres, qui probare vellet, de quo teſtator intellexiſſet, neque enim
4 exhæredationes adiuuandæ ſunt[m]. Sed alia eſt Inſtitutionum, legatorum, tutelarum cauſa, quæ
non odio, ſed fauore eſt digna: ideóque etiam adiuuatur probationis luce, ſi quid in iis ſit ambi-
guum vel obſcurum[n]. Porrò ſiue quis vnum, ſiue plures habeat filios, rectè poteſt ita concipere
5 exhæredationem: Cæteri filij exhæredes ſunto, nec tamen his verbis videbitur exhæredatus, quem
6 pater putabat deceſsiſſe: ſi modò de hoc patris errore apud iudicem conſtiterit[o]. Neque enim fal-
ſus rumor obeſſe debet: propter quem mutatum teſtamentum non nocere, & priores tabulas va-
lere pronunciatum fuit[p]. Húcque pertinet illa cauſa, quam Tullius lib. 1. de Oratore, ſcribit dela-
tam ad Centumuiros, cùm ſuper militis filij morte falſus ab exercitu nuncius domum veniſſet, &
pater eius re credita teſtamentum mutaſſet. Itémque & illa, quam refert Valerius libro ſeptimo,
cap. 7. niſi fuerit eadem, teſtatur autem filium non ſolùm conſiliis, ſed etiam ſententiis omnibus
ſuperiorem deceſsiſſe.

f L. 1. 2. & 3. de libe. & poſth.
g L. 3. §. nominatim de inuſt. rup.
h L. ſi quis filium C. de libe. præterit.
i L. his verbis de hæred. inſtit.
k L. 3. de libe. & poſt.
l L. 2. de liber. & poſt.
m L. cum quidam in fi. de libe. & poſth.
n L. in tempus §. 1. de hære. inſtit. l. ſi quis ſeruum §. ſi inter duos de lega. 2. l. duo ſunt Titij de teſta. tute.
o L. Titius de liber. & poſth.
p L. vlt. de hære. inſtit.

§. *Posthumi quoque. cum §§. seq.*

1 Posthumorum exhaeredatio cur iniqua?
2 Alieno odio alium praegrauari, iniquum.
3 Posthumus olim ignoratus & praeteritus non rumpebat testamentum.
4 Egerius, Demarathi nepos, vnde dictus?
5 Qui mortui nascuntur, nati esse non videntur.
6 Foetus octimestres censeri abortiuos.
7 Partus viuus natus, statimq; moriens, rumpit tamen testamentum.
8 Partus monstrosi non sunt liberi.
9 Partus mutilus, si tamen viuus, rumpit testamentum.
10 Execto ventre editus testamentum infirmat.
11 Posthumo, viuo patre testatore, decedente quid iuris.
12 Filiarum appellatio an ad posthumas protendatur?
13 Maritus non semper conscius est ventris.
14 Veteris iuris ambages onerosa.
15 Legis Velleae sententia qua.

¶ *Vel exhaeredari.*] Sed si nascantur, habent inofficiosi querelam, si existiment sese iniuria exhae-
redatos: vt certè soler eiusmodi exhaeredatio esse iniqua. Nam ingratus esse non potuit, qui non- 1
dum natus est: nec debet alterius nomine iniuriam pati. Vnde cùm Paulus habuisset rationem
matris, quae odio mariti filium sunm exhaeredârat: Iustinianus[a] eius senrentiam reiecit, iniquum
existimans, alieno odio alium praegrauari: & pronunciat crudele videri, eum, qui non sentit, in- 2
gratum existimari. Sanè Valerius lib. 7. cap. 7. refert, Augustum iussisse Tectium infantem à pa-
tre exhaeredatum, statim ire in bona paterna, à quibus iniuria erat repulsus. ¶ *Et quolibet ex cate-
ris liberis.*] Veluti nepote: qui praeteritus, si nasceretur, rumpebat aui testamentum, etiam in quo
scriptus erat filius haeres. Sed haec non videntur olim in vsu fuisse apud Romanos ante Legem 3
duodecim Tabularum. Nam cùm Demarathus duos haberet filios, Lucumonem & Aruntem:
Lucumo (qui postea Tarquinius dictus est, fuitque quintus Rex Romanorum) solus patris fuit
haeres. Aruns enim paulò ante patrem vita functus erat. Et quia eius vxor vterum ferre ignorare- 4
tur, praeteritus ab auo posthnmus nepos, non rupit testamentum, sed expers fuit omnium bono-
rum: ideóque etiam ab egestate dictus Egerius. ¶ *Abortum fecerit.*] Vxoris abortu testamentum
mariti non solui, rescripserunt Impp. Diocletianus & Maximianus[b]. Et qui mortui nascuntur: 5
neque nati videntur: nec liberi possunt appellari, vt scribit Paulus[c]. Idem & si viui nascantur, sed 6
quos satis constat per naturam non posse diutius viuere: cuiusmodi sunt foetus octimestres. Nam
& ij abortiui censentur, vt scribit Gellius lib. 6. cap. 16. Caeterùm si partus viuus natus sit, & si vo-
cé non emiserit, statimque fuerit mortuus, rumpi testamentum sanxit Iustinianus[d]: qui non a- 7
liud requirit, quàm vt viuus ad orbem torus procedat, ad nullnm declinans monstrum vel pro- 8
digium. certè non sunt liberi, qui contra formam humani generis procreantur, inquit Paulus[e].
Sed & vbi non esset prodigiosus partus, licet integrum animal editum non fuerit, sed tamen cum
spiritu, rumpi testamentum, Vlpianus respondit[f]: idémque fore, & si execto ventre partus editus 9
fit. Porrò illud praetereundum non est, quod idem Vlpianus docet[g], ex aequo & bono sustineri te- 10
stamentum, si posthumus viuo adhuc patre decesserit: quasi redintegratis rupti alioqui restamen- 11
ti viribus. ¶ *Sed foeminini sexus persona.*] Posthumae scilicet. De his enim personis hic agitur. ¶ *Si
inter caeteros exhaeredarentur.*] Nempe generali appellatione filiarum: quae quidem pertinere po-
test etiam ad posthumas. sed nisi aliunde appareat testatorem de iis quoque sensisse, non solemus: 12
temerè nudam appellationem filiarum ad posthumas protendere. vnde qui aliquid legauit filia-
bus, tum demum cẽsetur & de posthuma sensisse, si eius aliqua parte testamenti mentionem fece-
rit[h]. Idemque & in tutelae datione obseruari superius probauimus[i]. ¶ *Aliquid eis legaretur.*] Vel
aliter in testamẽto earum meminerit. Satis enim erat quoquo modo tolli suspicionem ipsius ob-
liuionis, quam alioqui facile coniiceremus in generali filiarum exhaeredatione. Nam nec mari-
tus semper conscius est ventris, nec perpetuo scit vxorem esse praegnantem, vt pote qui ad filij con- 13
ceptionem solùm praestat illud τὸ τῆς ἡδονῆς πάρεργον, quemadmodum ait Iustinianus in Nouella
sua Constitutione 162.

a L. si quis filium §. legis autem C. de inoff. testamento.
b L. 2. C. de posthu. haered. instituend.
c L. qui mortui de verb. sign. f.
d L. quod certatum est C. de post. haered. instituend.
e L. non sunt liberi. De statu. homi.
f L. quod dicitur, de liber. & posth.
g L. posthumus de iniusto rupt.
h L. qui filiabus de lega. 1.
i §. vlt. supra qui testamento tu. da pos.

¶ *Posthumorum autem.*] Vt quid antiquitas de posthumis senserit, intelligamus, subiicienda hoc loco esset Galli Aquilij formula, Léxque Vellaea, & vtriusque iusta interpretatio, quam quidem hoc loco inserere instituerам, qualem & aliquando in Scholis dictani: sed seorsim potius id faciundum esse, neque hac subtili magis quàm necessaria adolescentes Iuris studiosos onerandos cùm audirem, feci non inuitus vt in alium locum aliúdque rempus haec reiicerem.

¶ *Vt ecce*] Quae sequuntur de agnatione sui haeredis, duobus postea locis repetuntur[k] à Iusti-
niano: quorum collatio non parum lucis huic loco adferet. Nos latiorem huiusce rei interpre-
tationem in eos locos reiicimus. Nam alioqui hîc satis sumus onerati molestis ambagibus vete- 14
ris iuris: & consulendum est taedio lectoris, qui properat aliquid tandem audire, quod sit re-
ceptum.

k §. sed vt nepos inf. de haered quali. & differen. §. ita demũ inf. de haered. quae ab intest.

¶ *In qua simul.*] Ita potius legendum esse, quàm, vt habent vulgata exemplaria, IN QVA
SIMILIS. ostendunt vetusti quidam codices: & inepta videretur locutio, SIMILIS AD SI-
MILITVDINEM, &c. Est autem sensus; Legem Velleam non modò statuisse, quemadmo- 15
dum nepotes agnascendo non rumperent testamentum, sed etiam vt in iis obseruetur idem
modus exhaeredationis, qui de posthumo traditus est.

§. Eman-

§. *Emancipatos.cum §§. seq.*

1 *Ritè exhaeredatis, nihil nisi querela inofficiosi superest.*
2 *Vnius praeteritio, vt caeteris quoque institutis liberis permittatur contra tab. bon. possessio, efficit.*
3 *Contra tabulas bonorum possessio, totum ius testamenti subuertit.*
4 *Adoptiui quibus in causis assimilentur naturalibus.*
5 *Suffenatis ex sorore nepos, filiúsque adoptiuus; M. Anci Carseolani, patris naturalis, testamẽtũ rescindit.*
6 *Emãcipati ab adoptiuo patre, ad patrem naturalem, si viuit, reuertuntur, tãquam ab ipso manumissi.*
7 *Masculos & foeminas in successionibus eodem iure cẽseri vult Iustinianus.*
8 *Cur vna consonantia tam in foeminis quàm in maribus obseruanda.*
9 *Adoptionum tum non tribuentis, tum tribuentis ius patria potestatis, iura quae?*
10 *Sola militis voluntas spectatur in testamentis.*
11 *In dubio parentum voluntas humanius interpretãda est.*
12 *Coniectura voluntatis paternae nonnunquam praeualet scriptura testamenti.*
13 *Quibus praeteritis Ius Ciuile, quibus item ius praetorium subueniat?*
14 *Foeminae suos haeredes non habent.*
15 *Mater quoque, iure nouo, aut instituere aut exhaeredare liberos debet.*

¶ *Emancipatos.*] Hunc quoque totum locum postea repetit Iustinianus, agens de hæreditatibus,
quæ ab intestato deferuntur: sed nullum habet dignum longioris moræ precium. Neque hîc lubet
congerere, quæ lib. 37. Pandectarum latè dicuntur, de Bonorum possessione contra tabulas.
1 ¶ *Exhaeredari iubet.*] Ritè autem exhæredatos non admittit Prætor ad bonorum possessionem cõ-
tra tabulas. Sed si velint inofficiosi querelam instituere, in ipsorum est arbitrio, inquit Vlpianus[a]. *a L. non putauit. de bon. poss. cont. tab.*
¶ *Neque ita vt diximus.*] Alibi Iustinianus ait[b]; neque vt oportet. Scilicet (inquit Vlpianus[c]) non *b §. eadem haec iuf de hered. quae ab intest. def.*
quæuis exhæredatio summouet filium à contra tabulas bonorum possessione: sed quæ ritè facta
est. ¶ *Permittitur iu.*] Simul & aliis liberis, alioqui non præteritis, sed etiam ritè institutis. Nam
2 vnius præteritio satis est. Sic enim eleganter Vlpianus ait[d]: Si quis ex liberis hæres scriptus sit, ad *c Dic. L. non putauit §. non quaeuis.*
contra tabulas bonorum possessionem vocari non debet. Cùm enim possit secundum tabulas ha- *d L. 3. §. si quis ex liberis, de bon. poss. contra tab.*
bere bonorum possessionem, quod bonum est, ei contra tabulas dari?. Planè si alius committat
edictum: & ipse ad contra tabulas bonorum possessionem admittetur. Addit dein de alio loco Vl-
pianus[e]: Hi qui propter alios contra tabulas bonorum possessionem petunt, non expectant vt *e L. si post mortem §. vlt. D. illotit.*
præteriti bonorum possessionem accipiant: verùm ipsi quoque contra tabulas bonorum posses-
sionem petere possunt. Cùm enim semel beneficio aliorum ad id beneficium fuerint admissi, iam
3 non curant, petant illi nec ne, bonorum possessionem. ¶ *Bonorum possessionem.*] Quæ scilicet to-
tum ius testamenti subuertet, vt nullus esse possit ex eo hæres: nec quicquam ex hæreditate retine- *f L. cùm emancipatus de bon. poss. cont. tab.*
re licet. Sic enim ait Iulianus[f]: Cùm emancipatus bonorum possessionem contra tabulas accipit;
scriptus hæres ei hæreditatem petenti, cogendus est & prædia & seruos hæreditarios præstare: Om-
ne enim ius, quod per causam hæreditariam scriptus hæres nanciscitur, ad eum transferri æquum
est, quem Prætor hæredis loco constituit. ¶ *Eiusdem iuris habentur.*] Quibus in causis adoptiui li-
beri similes habeantur naturalibus, & eodẽ iure vtantur, nos alio superius loco diximus[g]. ¶ *Vt* *g §. in plurimis supr. de adop.*
4 *eos neque haeredes instituere.*] Refert tamen Valerius Maximus libro 7. cap. 7. M. Anci Carseolani
5 splendidissimi Equitis Romani filium à Suffenate auunculo adoptatum, nihilominus olim a-
pud Centumuiros rescidisse testamentum patris naturalis, in quo præteritus erat. Hácque in cau-
sa tantam fuisse vincendi fiduciam, vt L. Sextilius & P. Popilius consanguinei pro parte scripti
hæredes, non ausi sint sacramento contendere cum adolescente & succubuisse ipsum, qui ausus
fuerat contendere, Tullianum, Pompeij Magni familiarem, ipsóque etiam Pompeio signatore
scriptum pro altera parte hæredem. Et fatetur quidem Valerius, quòd scriptis hæredibus patro-
cinari videbatur adoptio filij, qui in Suffenatis familiam & sacra transierat: sed (inquit) arctissi-
mum inter homines procreationis vinculum superauit patris voluntatem, & Principis autorita-
tem, qua scilicet adoptio facta erat. Eiusmodi quædam extant singularia veterum Romanorum
judicia, quæ aduersus communes iuris sui regulas ex æquo & bono, certáque causa protulerunt.
Cuiusmodi & illud est, quod idem Valerius refert, C. Calphurnium Pisonem Præfectum Vrbis
dedisse bonorum possessionem Terentio cuidam aduersus tabulas filij, à quo, in adoptionem al-
6 teri dato, fuerat præteritus. ¶ *Cum verò emancipati fuerint.*] Viuo scilicet adhuc patre naturali, a-
lioqui periclitabatur filius, ne vtriusque successione excideret: Neque enim poterat hæredibus pa-
tris naturalis, qui iam hæreditatem adiissent, extorquere ius quæsitum: nec rursus in successione
patris quondam adoptiui aliquid iuris habebat. *h L. maximum vitiũ C. de liber. praeter.*
7 ¶ *Nostra verò constitutio.*] Extat hæc adhuc Iustiniani Constitutio[h] libro sextò Codicis, quæ vult
masculos & fœminas eodem iure censeri in successione testamentaria, non secus atque in legiti-
ma ab intestato hæreditate. Et hanc quidem æqualitatem sæpe inculcat Iustinianus, vt magnus *i L. lege duodecim tabularum C. de legi. her.*
fuit fautor sexus fœminini. ¶ *Lege antiqua duodecim tabularum.*] Inquit alio loco Iustinianus[i]: Lege
duodecim Tabularum bene humano generi prospectum est, quæ vnam consonantiam tam in
maribus, quàm in fœminis legitimis, & in eorum successionibus, nec non in liberis obseruãdam
8 esse existimauit; nullo discrimine in successionibus habito; cùm Natura vtrunque corpus edide-
rit, vt maneat suis vicibus immortale; & alterum alterius auxilio egeat; & vno semoto, alte- *k L. pen. C. de adopt.*
9 rum corrumpatur. ¶ *Certam induximus diuisionem.*] Extat adhuc Iustiniani Constitutio[k],
quæ continet hanc diuisionem: nempe, vt adoptio, quæ non tribuit ius patriæ potestatis,
nihil iuris adimat adoptato, quin cum reliquis adhuc suis fratribus patri naturali succedat, tri-
buat

buat autem ius succedēdi ipsi adoptiuo patri, saltem intestato. Sed ea adoptio, quæ tribuit ius patriæ potestatis, tribuit adoptato eadem iura, quæ filij naturales habent: adimit autem ea, quæ à patre naturali alioqui debentur.

a L. qui iure de mil. testamento.

b L. militis codicillis §. miles in supremis. de mil. testamento.

¶ *Non ignorans, an habeat filios.*] Idē etsi ignorauerit; eo tamē animo fuerit vt, etiam si quos credi-
dissEt se habere, exhæredāsset. adeò sola militis voluntas semper spectatur. Rectè itaque Vlpianus 10
ait[a]: Qui iure militari testatur, etsi ignorauerit prægnantem vxorem, vel cùm prægnantem sciue-
rit, hoc tamen animo fuit, vt vellet, quisquis sibi nasceretur, exhæredem esse, testamentum non
rumpitur. Verùm hunc tam durum, nec satis paternum animum non temerè coniiciemus: sed
potius in dubio humaniter credemus, nequaquam patrem præteriturum liberos, si sciuisset se ali-
quos habere: & ex hac coniectura voluntatis paternæ, tribuemus iis ius succedendi, perinde at- 11
que si nullum extaret testamentum. Sic enim alio loco respondit idem Vlpianus[b]: Miles in su- 12
premis ordinandis, ignarus vxorem esse prægnantem, ventris non habuit mentionem. Post mor-
tem patris filia nata, ruptum esse testamentum apparuit, neque legata deberi. Si qua verò medio
tempore scriptus hæres legata soluisset, vtilibus actionibus filiæ datis, ob improuisum casum esse
reuocanda. nec institutum (cùm bonæ fidei possessor fuerit) quod inde seruari non potuisset, præ-
stare. ¶ *Constitutionibus principum cautum est.*] Extat hac de re Gordiani Constitutio, his verbis[c]:
Sicut certi iuris est, militem, qui scit se filium habere, aliósque scripsit hæredes, tacitè eum exhære-
date intelligi: ita si ignorans se filium habere, alios scribat hæredes, non obesse filio ademptam hæ-
reditatem: sed minimè valente testamento (si sit in potestate) eum ad successionem venire, in du-
biis non haberur. Similis subiicitur Constitutio[d] Philippi Imp. ¶ *Nam silentium matris.*] Etiam
si ea ignorat it se filios habere. Nam Vlpianus respondit[e]; de testamento matris, quæ, existimans
periisse filium, alium hæredem instituit, vt de inofficioso queri filium. Et Paulus addit[f]; Diuum
Adrianum decreuisse, hæreditatem matris huius ad filium pertinere, ita tamen, vt libertatés & le-
gata præstentur. ¶ *Siue de Iure Ciuili, siue de edicto Prætoris.*] Ius Ciuile suis tantùm hæredibus præ-
teritis succurrit; Prætor autem iis, qui sui esse desierunt per emancipationem. Sed neutrum perti- 13
nere posset ad matrem. Vnde Paulus inquit[g]: Ad testamenta fœminarum, edictum contra tabu-
las bonorum possessionis non pertinet: quia suos hæredes non habent. Hicque subit admonere 14
obiter, corruptum videri locum Theophili, qui de Iure Ciuili & Prætorio agens, quod æquè filio
aduersus testamentum matris non succurrit, ait: ταῦτα γὰρ ἐπὶ σουΐοις, οὐ μέντοι τοῖς παυσαμένοις εἶναι σουΐοις,
τετύπωται. [hæc enim suis, non sanè ijs qui sui esse desierunt, constituta sunt] Videtur autem lo-
co negatiuæ huius οὐ [non] substituenda disiunctiua, ἢ [aut] vt singulis singula reddantur: nem-
pe Ius Ciuile, suis hæredibus, Prætorium iis, qui sui esse desierunt. ¶ *Sed aliud adminiculum.*] Nem-
pe, Querelæ inofficiosi testamenti: quam vt matri præteritæ tribuimus aduersus testamentum fi-
lij[h]; ita & filio tribuitur aduersus præteritionem matris. Vnde Imp. Philippus ait[i]: Filiam præte-
ritam à matre, ad successionem eius citra inofficiosi querelam aspirare non posse, explorati iuris
est. Verùm hic postremò sumus admonendi, per Nouel. Iustiniani Constitu. 115. eandem matri, 15
quæ patri, videri impositam necessitatem instituendorum, vel exhæredandorum, liberorum; Et
alioqui periculum esse, ne testamentum nullius sit momenti.

c L. sicut. C. de testamento mil.

d L. si cùm C. illo. tit.
e L. si instituta §. vlt. de inoffi. testam.
f L. cum mater de inoffi. testamento.

g L. illud §. ad testamenta de bon. poss. cont. tab.

h L. cùm filium C. de inoffi. testamento.
i L. filium C. de inoffic. testamento.

IN TITVLVM SEQVENTEM

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Continuatio tituli.
2 Qui non prohibentur, possunt institui.
3 Impossibilis conditio vel dies, non obest institutioni.
4 Certa partium distributio vbi in testamento necessaria.
5 Gallorum testamenta quemodo codicilli magis esse videantur?

P*OSTEAQVAM dixit Iustinianus de institutione, vel exhæredatione liberorum* 1
quos scilicet omnino necesse est vel instituere, vel exhæredare: transit ad eos, quos non
tam cogimur, quàm possumus hæredes instituere. Ac primo loco tradit omnes, qui non 2
prohibentur, posse institui, siue liberi sint, siue serui. Nec obfuturum, si impossibilis 3
conditio, vel dies adiiciatur. Partium autem certam distributionem, tum esse neces- 4
sariam, cùm testator non vult omnes, quos scripsit, ex æquis partibus hæredes fieri, ὃ ἰσομοιρεῖν*, vt*
verbo Demosthenis vtar. Porrò illud sciendum est, moribus vniuersæ ferè Galliæ, nullam esse libe-
ram hæredum institutionem, nisi in iis bonis, quæ patrimonij iure non censentur. Nam patrimonij
certus est ac legitimus hæres, quem non licet mutare. Ita plerunque nostra testamenta, magis esse vi- 5
dentur Codicilli: quia prætermittimus hæredis institutionem.

De hære-

De haeredibus instituendis. Titulus XIIII.

Haeredes instituere permissum est, tam liberos homines, quàm seruos: & tam proprios quàm alienos. Proprios autem olim quidem secundum plurium sententias non aliter, quàm cum libertate, rectè instituere licebat. hodie verò etiam sine libertate, ex nostra Constitutione hæredes eos instituere permissum est. Quod non per innouationem induximus, sed quoniam æquius erat, & Attilicino placuisse Paulus suis libris, quos tam ad Masurium Sabinum, quàm ad Plautium scripsit, refert. Proprius autem seruus etiam is intelligitur, in quo nudam proprietatem testator habet, alio vsumfructum habente.

Est tamen casus, in quo nec cum libertate vtiliter seruus à domino hæres instituitur, vt Constitutione Diuorum Seueri & Antonini cauetur: cuius verba hæc sunt: Seruum adulterio maculatum, non iure testamento manumissum ante sententiam ab ea muliere videri, quæ rea fuerat eiusdem criminis postulata, rationis est. Quare sequitur, vt in eundem à domina collata hæredis institutio, nullius momenti habeatur. Alienus seruus etiam is intelligitur, in quo vsumfructum testator habet.

Seruus autem à domino suo hæres institutus, si quidem in eadem causa manserit, fit ex testamento liber, hæresque ei necessarius. Si verò à viuo testatore manumissus fuerit, suo arbitrio adire hæreditatem potest: quia non fit hæres necessarius, cùm vtrunque ex domini testamento non consequatur. Quòd si alienatus fuerit, iussu noui domini adire hæreditatem debet, & ea ratione per eam dominus fit hæres. nam ipse alienatus, neque liber, neque hæres esse potest, etiam si cum libertate hæres institutus fuerit: destitisse enim à libertatis datione videtur dominus, qui eum alienauit.

Alienus quoque seruus hæres institutus, si in eadem causa durauerit, iussu eius domini adire hæreditatem debet. Si verò alienatus fuerit ab eo, aut viuo testatore, aut post mortem eius, antequam adeat: debet iussu noui domini adire. At si manumissus est viuo testatore, vel mortuo antequam adeat; suo arbitrio adire potest hæreditatem. Seruus etiam alienus post domini mortem rectè hæres instituitur: quia & cum hæreditariis seruis est testamenti factio. Nondum enim adita hæreditas, personæ vicem sustinet, non hæredis futuri, sed defuncti: cùm etiam eius, qui in vtero est seruus rectè hæres instituatur.

Seruus autem plurium, cum quibus testamenti factio est, ab extraneo institutus hæres, vnicuique dominorū, cuius iussu adierit, pro portione dominij adquirit hæreditatē.

Et vnum hominem, & plures vsque in infinitum, quot quis hæredes velit facere, licet.

Hæreditas plerunque diuiditur in duodecim vncias quæ Assis appellatione continētur. Habent autem & hæ partes propria nomina ab vncia vsque ad Assem hæc: Sextans, Quadrans, Triens, Quincunx, Semis, Septunx, Bes, Dodrans, Dextans, Deunx.

Non autem vtique semper duodecim vncias esse oportet. nam tot vnciæ Assem efficiunt, quot testator voluerit: & si vnum tantum quis ex semisse (verbi gratia) hæredem scripserit: totus As in semisse erit. Neque enim idem ex parte testatus, & ex parte intestatus decedere potest: nisi sit miles, cuius sola voluntas in testando spectatur. Et è contrario potest quis in quotcunque voluerit, plurimas vncias suam hæreditatem diuidere.

Si plures instituantur hęredes: ita demum in hoc casu partium distributio necessaria est, si nolit testator eos ex æquis partibus hæredes esse: satis enim constat, nullis partibus nominatis, ex æquis partibus eos hæredes esse. Partibus autem in quorundam personis expressis, si quis alius sine parte nominatus erit, si quidem aliqua pars Assi deerit, ex ea parte hæres fit.

Et si plures sine parte scripti sunt: omnes in eandem partem concurrunt. Si verò totus As completus sit: ij, qui nominatim expressas partes habent, in dimidiam partem vocantur: & ille vel illi omnes in alteram dimidiam. Nec interest, primus, an medius, an nouissimus, sine parte hæres scriptus sit. ea enim pars data intelligitur, quæ vacat.

Videamus, si pars aliqua vacet, nec tamen quisquam sine parte sit hæres institutus, quid iuris sit, veluti si tres ex quartis partibus hæredes scripti sunt. Et constat vacantem partem singulis tacitè pro hæreditaria parte accedere: & perinde haberi, ac si ex tertiis partibus hæredes scripti essent. & ex diuerso, si plures hæredes scripti in portionibus sint, tacitè singulis decrescere: vt si (verbi gratia) quatuor ex tertiis partibus hæredes

scripti

ſcripti ſint, perinde habeantur, ac ſi vnuſquiſque ex quarta parte hæres ſcriptus fuiſſet.

Et ſi plures vnciæ, quàm duodecim diſtributæ ſint: is, qui ſine parte inſtitutus eſt, quod dupondio deeſt, habebit. Idémque erit, ſi dupondius expletus ſit, quæ omnes partes ad aſſem poſtea reuocantur, quamuis ſint plurium vnciarum.

Hæres & purè & ſub conditione inſtitui poteſt: ex certo tempore, aut ad certum tempus non poteſt: veluti, POST QVINQVENNIVM, QVAM MORIAR: vel, EX CALENDIS ILLIS: vel, VSQVE AD CALENDAS ILLAS.

Denique diem adiectum haberi pro ſuperuacuo placet: & perinde eſſe, ac ſi purè hæres inſtitutus eſſet.

Impoſsibilis conditio in inſtitutionibus & legatis, necnon in fideicommiſsis & libertatibus, pro non ſcripta habetur.

Si plures conditiones in inſtitutionibus adſcriptæ ſunt: ſi quidem coniunctim, vt puta, SI ILLVD ET ILLVD FACTVM FVERIT: omnibus parendum eſt, ſi ſeparatim: veluti, SI ILLVD AVT ILLVD FACTVM ERIT: cuilibet conditioni obtemperare ſatis eſt.

Ij, quos nunquam teſtator vidit, hæredes inſtitui poſſunt: veluti ſi fratris filios peregrinantes, ignorans qui eſſent, hæredes inſtituerit. ignorantia enim teſtantis inutilem inſtitutionem non facit.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 *Qua formula hæres ſcribatur vel nuncupetur, parum refert.*
2 *Teſtamenti factio cum ſeruis ex dominorum perſona pendet.*
3 *Inteſtabiles qui?*
4 *Maritum vxori, & hanc illi nihil hodie teſtamento relinquere poſſe.*
5 *Sacerdotes olim cur inteſtabiles?*
6 *Turpes etiam olim perſonas apud Romanos inſtitutas eſſe hæredes.*
7 *Exempla ſeueritatis contra turpes perſonas inſtitutas.*
8 *Nothi & ſpurij à patre hæredes ſcribi non poſſunt, ab alijs poſſunt.*
9 *A minori nihil curatoribus relinqui poteſt.*
10 *Alienus quoque ſeruus eſt, in quo vſumfructum teſtator habet.*
11 *Sabini, Plautij, Pauli, tempora.*
13 *Libertas ex domini inſtitutione collata, alterius vſumfructum non interturbat.*

a L. 1. §. 1. De hæred. inſtit.
b L. quoniã indignum C. de teſtam.
c L. non minus. De hæred. inſtit.

HAeredes inſtituere.] Hoc eſt, ſcribere, vel nuncupare[a]. Sed nec admodum refert, qua id fiat for- 1
mula[b]. Porrò Latinè dicimus, hæredem inſtituere bonis omnibus, vt apud Plinium lib. ſeptimo, cap. triceſimo ſexto: & in omnibus bonis, vel ex omnibus bonis, quod frequentius eſt. ¶ *Tam liberos, quàm ſeruos.*] Videtur hic locus deſumptus ex reſponſo Caij, quod extat his verbis in Pandectis[c]: Non minus ſeruos, quàm liberos, hæredes inſtituere poſſumus: ſi modò eorum ſerui ſint, quos ipſos hæredes inſtituere poſſumus: cùm teſtamenti factio cum ſeruis, ex perſona dominorum introducta ſit. ¶ *Tam liberos homines.*] Omnes, quibuſcum teſtamenti factio eſt. Ce- 2
terùm improbi, inteſtabiléſque, hæredes inſtitui non poſſunt: ſicuti nec ij, qui iura ciuitatis Ro- 3
manæ amiſerunt: veluti Deportati, & Proſcripti, quos iuuari etiam olim vetuit Lex Cornelia, vt teſtatur Tullius in tertia Verrina. Quinimo nec alius potuit à Ciue Romano hæres inſtitui, quàm qui Ciuis quoque eſſet[d]. Vnde & idem Tullius in Oratione pro Cecinna, Principio (inquit) auſus eſt dicere Ebutius, non poſſe hæredem eſſe Ceſenniæ Cecinnam, quòd is deteriore iure eſſet, quàm cæteri ciues, propter incommodum Volaterranorum. Præterea olim lege Voconia cautum fuit, ne quis Cenſus hæredem inſtituere poſſet mulierem, adeò vt nec hîc filiæ habita ſit ratio, nec vxoris: quod & ex Fabio licet colligere, qui libro nono, cap. ſecũdo, refert, ſeſe magna arte defendiſſe mulierem, quæ dicebatur marito teſtamentum ſubieciſſe, & accepiſſe à ſcriptis hæredibus chirographum, quo ad eam hæreditas per hoc tacitum veluti fideicommiſſum veniret, cùm alioqui ipſa per virum inſtitui non poterat. Quo & nos hodie iure vtimur. Moribus enim receptum 4
eſt, ne vxori aliquid teſtamento relinquat maritus, item nec è diuerſo vxor marito. Quanquam ſanè veteri iure Quiritum videatur permiſſum fuiſſe vxori, maritum inſtituere hæredem: quod ex Oratione Ciceronis pro Cecinna facile eſt deprehendere, vbi Ceſennia maritum Cecinnam iure dicitur feciſſe hæredem. Et inter ſingularia iudicia refertur, quòd aliquando Auguſtus reſciderit teſtamentum cuiuſdam Septitiæ, quæ Publium ſuum maritum inſtituerat hæredem, cuius polluto corpori marcidam ſuam ſenectutem ſubſtrauerat. vt eſt apud Valerium: idque in fraudem filiorum, quorum ſola præteritio, iuſtiſsimam cauſam dabat irritandi teſtamenti. Porrò Iure Ciuili nec ea mulier aut hæres inſtitui, aut ex teſtamento aliquid accipere poteſt, quæ non erubuit ante finitum luctus tempus, ſecundas inire nuptias[e]. Item nec filij eius, qui Maieſtatis condemnatus eſt[f]. Et quoniam omnia proſequimur, volumus certè quidem, videamus & de cæteris, quos permiſſum non eſt hæredes inſtituere. Eiuſmodi ſunt ex Principum reſcriptis, Apoſtatæ & Hæretici:

d L. 1. C. de hæred. inſtituend.
e L. 1. C. de ſecũd. nupt.
f L. quiſquis C. ad le. Iul. maieſt.

Hęretici [a]: quod & Iustinianus apertè sanxit in Nouella sua Constitut. 144. de Samaritanis. Certè
olim inualescente Christianismo, ministros Gentilium sacrorum simul cum Romanis Vestali-
bus prohibitos fuisse, quicquam ex aliorum testamétis accipere, satis ostendit illa Symmachi vi-
ri Ethnici oratio, pro veteri Deorum cultu aduersus Christianos, ad Valentinianum, Theodosi-
5 um, & Arcadium Augustos. Contrà aliquando idem fuisse statutum de Christianis Sacerdoti-
bus, propter insatiabilem (vt opinor) eorum πλεονεξίαν (auaritiam) constat. Vnde Hierony-
mus ad Nepotianum, Pudet (inquit) dicere; Sacerdotes idolorum, Mimi, Aurigæ, Scorta, hæredi-
tates capiunt: solis clericis & monachis hac lege prohibetur: & prohibetur non à persecutoribus,
sed Christianis Principibus. Nec de lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc legem. Por-
6 rò hæc Hieronymi verba, quæ videntur significare, apud Romanos licuisse turpissimas etiam per-
sonas instituere, admonent me, vt adscribam memorabilia quædam & vetusta exempla maioris
7 seueritatis. Mamercus Æmilius Lepidus Consul cuidam Genutio, qui à Neuiano scriptus erat hę-
res, & secundum eius tabulas bonorum possessionem acceperat à Cn. Oreste Prætore, ademit hæ-
reditatem, quòd amputatis sua ipsius sponte genitalibus obscœnus esset. Et Q. Metellus Prætor
Vrbanus, Vetilio Lenoni, scripto hæredi, bonorum possessionem secundum tabulas dare noluit,
ne (vt inquit Valerius) factum illius comprobaret, qui fortunas suas in stabulum contaminatum
proiecerat. Atque hæc hactenus de ijs, quos permissum non est hæredes instituere. Finem faciam,
si admonuero esse quosdam, qui Iure Ciuili prohibentur hæredes institui, non tamen ab omni-
8 bus: vt sunt Nothi & Spurij, quos Lex solùm vetat à patre hæredes [b] scribi: ab alijs autem permit-
tit. Huc quoque pertinet, quod nostrorum Principum Constitutionibus cautum est, ne quid à
9 minori relinqui possit curatoribus, vel ijs, sub quorum administratione agit. ¶ *Tam proprios.*]
Quorum testator verus est dominus, ac proprietarius. Nam paulò pòst docet Iustinianus hic, alie-
10 num seruum etiam eum intelligi, in quo solum vsumfructum testator habet. Certè tutor, quam-
uis propter fidelem administrationem quandoque habeatur loco domini [c]: quia tamen verus
dominus non est, non poterit seruum pupilli sui, instituendo hæredem, liberum facere [d]. Plura,
quæ pertinent ad seruorum nostrorum institutionem, & ipsam libertatem, quæ ex ea sequitur in-
stitutione, repetenda sunt ex ijs, quæ dicta sunt libro superiori [e]. ¶ *Nostra constitutione.*] Extat hæc
Iustiniani Constitutio lib. 6. Codicis [f]. ¶ *Quoniam æquius erat.*] Suprà dixit Iustinianus sese id in-
troduxisse noua humanitatis ratione, nempè quòd definierit veterum controuersiam: & proba-
rit eam, quæ videbatur humanior & æquior. ¶ *Quos tam ad Masurium Sabinum, quàm ad Plautium
scripsit.*] Rectè admonuit Viglius, hunc locum intelligendū esse de Annotationibus à Paulo scri-
ptis in libros Sabini & Plautij, non etiam de aliqua nuncupatione siue dedicatione operis. Con-
11 stat enim Paulum diu post Sabinum & Plautium vixisse. Nam floruit sub Alexandro Imperato-
re Paulus, Sabinus verò sub Tiberio. De Plautio nihil nominatim scriptum legimus, præter illud,
quòd libros quinque Epistolarum ad eum scripserit Priscus Iabolenus, qui vix ad Imperium An-
tonini Pij peruenit. Est autem in Pandectis frequens mentio librorum Pauli ad Plautium [g]. ¶ *Et-
iam is intelligitur.*] Rectè itaque id dicimus nostrum esse, cuius alienus sit vsusfructus [h]. Et vbi agi-
tur de dispositione ipsius rei, eum solùm intelligi dominum, ad quem proprietas pertinet, latè su-
12 prà diximus. Illud verò hoc loco sciendum est, libertatem ex domini institutione collatam, alteri-
us vsumfructum non interturbare: sed is perindè homine vtetur, atque si adhuc seruus esset [i].

a L. 3. C. de apostat.
b Authent. licet. C. de natu. lib.
c L. qui fundum. §. si tutor. D. pro empt.
d L. si tutor. C. de necess. ser. hered instit.
e §. idemque iuru. Sup. quibus ex cau. manu. non lic.
f L. pen. D. de necess. ser. hær. instituend.
g L. Plautius. D. ad leg. Falc. l. Plautius. l. qui hæredi. de condit. & demonstr. l. Plautius de auro & arg. leg. l. Plautius. de procuras.
h L. rectè dicimus. de verb. signific.
i L. 1. §. fin autem proprietarius. C. commu. de manu.

§. *Est tamen. cum aliquot §§. seq.*

1 *Dominæ cum seruo adulterium committentis pœna.*
2 *Non idem est, coisse dominum cum ancilla, quàm dominam cum seruo.*
3 *Plato eodem loco habet adulterium siue viri siue vxoris.*
4 *Non à seruo sed ab vxore adultera iudicium exordiri debent.*
5 *Cum alieno seruo rem habens, cur proprium intra 60. dies manumittere non possit.*
6 *Ante accusationem res libera rerum suarum dispositio quando adimatur.*
7 *Hæreditas seruo relicta, acquiritur ei qui dominus est serui aditionis tempore.*
8 *Seruus alienus hæres & liber scribi quomodo possit.*
9 *Seruo alieno libertas directò dari non potest.*
10 *Institutio serui alieni in tempus mortis domini differri quî possit?*
11 *Mors diem incertum habet.*
12 *Seruum hæreditarium ante aditam hæreditatem cur institui hæres possit.*
13 *Hæreditas domina est, defuncti locum obtinens.*
14 *Seruus eius qui in vtero est rectè instituitur hæres.*
15 *Seruus plurium hæres institutus, quomodo hæreditatem adeat?*
16 *Qui dominorum non iubent seruo communi adire hæreditatem, eorum portio cur accrescat iubentibus adire?*
17 *Hæredum instituendorum definitus numerus non est.*
18 *Asia populo Rom. quomodo obuenerit.*

¶ *Constitutione diuorum Seueri & Antonini.*] Relata est hæc Constitutio à Martiano [k], ex cuius re-
1 sponso totus hic locus desumptus est. Extat autem & alia longè acerbior Constantini Constitu-
2 tio [l], quæ hanc dominā non modò conferendæ libertatis potestate priuat, sed etiam vita: & ipsum
seruum ignibus tradit. Sanè Suetonius in Vespasiano scribit; Senatum aliquando censuisse, vt

k L. hæc verba. §. interdum. de hæredib. instituend.
l L. 1. C. de mulier. quæ se propr. ser. iunx.

mulier, quæ se degeneri libidine substrauerit proprio vel alieno seruo, haberetur in ancillarum
numero. Nec est ignotum Senatusconsultum Claudianum, cuius postea meminit Iustinianus,
cùm id censet esse abolendum [a]. ¶ *Seruum.*] Aliud esse videtur de ancilla, quæ cum domino suo
rem habuerit. Quinimo illa hoc nomine, mortuo domino, libera fiet. Vsque adeo magis hic in-
dultum est libidini virorum. Atque hoc discrimen sensisse videtur Fabius, qui libro quinto, de ex- 2
emplis differens, ait non idem esse, dominum cum ancilla coijsse, quod dominam cum seruo: ne-
que illud, quàm hoc, tam turpe esse. Certè Ius Ciuile multum interesse putat inter adulterium viri,
& mulieris. Vnde & Cato in Oratione de dote, In adulterio (inquit) vxorem tuam si deprehendis-
ses, impunè necares: illa verò te digito non auderet attingere: neq; ius esset. Scio tamen Platonem 3
libro vndecimo de Legibus, eodem loco habere virum cum ancilla sua, atque mulierem cum ser-
uo consuetudinem habentem. ¶ *Adulterio maculatum.*] Apud Martianum est [b], adulterij accusa-
tum. Quod cùm obscurius esset, interpretatus est Iustinianus, adulterio maculatum. vt intellige-
remus impediri libertatem ob commissum adulterium, etiam si in iudicio seruus eo nomine ac-
cusatus non sit. Nam nec ab eo iudicium exordiri debemus, sed potius ab vxore adultera [c]. Imò 4
nec is simul cum muliere potest accusari [d]. Porrò & si seruus ipse nullo sit adulterio maculatus, sed 5
domina sola, quæ cum alio rem habuit, impeditur adhuc manumissio & libertas ipsius serui: sed
non nisi sexaginta diebus à diuortio [e]. Quod introductum est, ne statim subducantur quæstioni
mancipia prætextu libertatis [f], cùm nemo ijs certius aperuerit, quæ intra domesticos perpettan-
tur parietes [g]. Sanè (inquit Papinianus [h]) seruus purè manumissus, cui libertas propter iuris impe-
dimentum post aditam hereditatem non competit, quòd status eius extrinsecus suspendatur, for-
tè propter adulterij quæstionem: ex eodem testamento, neque legata, neque fideicommissa purè
data sperare potest: quia dies inutiliter cedit. ¶ *Eiusdem criminis postulata.*] Sed & ante ipsam accu-
sationem videtur adhuc impediri libertas: quia eadem subest turpitudo: quæ potissima hic vide-
tur esse causa denegatæ libertatis. Cæterum si ageretur de alio seruo, nullo dominæ adulterio ma-
culato, facilè assentiar; ante accusationem non adimi reo liberam rerum suarum dispositionem; 6
nisi ex crimine læsæ maiestatis [i].

¶ *Quod si alienatus.*] Addunt nostri Iurisconsulti; quòd si fuerit redemptus, liberum & hære-
dem fore: nihilque illi obesse medium tempus, quo fuit alienatus [k]. ¶ *Per eum dominus fit hæres.*]
Neque enim censetur cum libertate reuocasse ipsam quoque institutionem. quanquam aliud sit
in legatis [l], quæ longè facilius reuocari solent [m]. Illud præterea interest, quòd hæreditas seruo re- 7
licta semper adquiratur ei, qui serui dominus est, cùm ille hæres fit, & hæreditatem adit [n]: cæterùm
legatum seruo relictum, illi acquiritur, cuius est seruus tempore mortis testatoris. tum enim cede-
re intelligitur dies legati [o], etiam si nondum venit, nec id peti possit ante aditam hæreditatem.

¶ *Post domini mortem.*] Sentit hoc loco Iustinianus, posse testatorem seruum alienum, adhuc 8
superstite domino, & hæredem & liberum scribere: modò adijciat, hæredem fore post mortem do-
mini. Quidni enim possit ad tempus differre effectum huius institutionis? ¶ *Rectè hæres institui-* 9
tur.] Nulla scilicet facta libertatis mentione. Alioqui quum ea seruo alieno non possit directò
dari: cum eius donatione simul & ipsa prorsus corrueret institutio [p]. Nec potest hic vlla fieri men-
tio libertatis, nisi sub conditione. Porrò quòd hic dicimus, posse institutionem alieni serui differri 10
in tempus mortis domini, non pugnat cum eo, quod paulò pòst dicitur, hæredis institutioné non
esse faciundam ex certo tempore. Nam quamuis hic dies omnino futura sit, incertum tamen est,
quando erit. mors enim diem incertum habet [a]. quo fit, vt eo nomine non vitietur serui institu- 11
tutio [b].

¶ *Quia & cum hæreditarijs.*] Occurit Iustinianus quorundam scrupulo cogitantium; nemi-
nem hic esse, cui seruus hæreditarius acquirat: Idque etiam multos olim mouit. Sed testatur Ca-
ius [c], post multas varietates placuisse; vt quia nullus est dominus, in cuius persona de capacitate
quæri possit, sine vllo Impedimento, hæreditati, id quicquid noui iuris est, acquiratur: atque ob
id omnimodo ad eum pertineat, quicunque postea hæres extiterit. Quare idem Caius simplici-
ter alio loco respondit [d]: Seruum hæreditarium ante aditam hæreditatem ideo placuit institui 12
hæredem posse, quia creditum est hæreditatem dominam esse, & defuncti locum obtinere. Vnde 13
& seruo hæreditario legari potest [e], eique stipulanti promitti [f]. ¶ *Non hæredis futuri.*] Tantisper
dum non est adita hæreditas, sed iacet ἀπρόσιτος, [inaccessa,] vt verbo Iustiniani vtar. Semel au-
tem adita, videbitur semper à morte testatoris fuisse hæredis [g]. ¶ *Cum etiam.*] Inquit Iabolenus [h]: 14
Eius seruum, qui post mortem meam natus erit, institui posse Labeo frequenter scribit. Idque
verum esse manifesto argumento comprobatur: Quia seruus hæreditarius priusquam adeatur
hæreditas, institui hæres potest: quamuis ipse testamenti facti tempore nullius sit. Ergo Iustinia-
nus hoc loco videtur conuertisse hoc responsum & ratiocinationem Iaboleni. Atque hic illud
quoque obseruandum est, quòd licet alieni posthumi non potuerint institui; possunt tamen eo-
rum serui: in quibus consideramus conditionem & capacitatem postremi domini, non autem
futuri, licet ei acquirant. Sic Paulus respondit: Seruum hæreditarium posse institui hæredem, si
testamenti factio fuerit cum defuncto [i].

¶ *Cum quibus testamenti factio est.*] Nam cùm seruus instituitur, statim quærimus, an eius domi-
nus capax [k] sit: quem oportet capacem esse, non vnius modò speciei, sed vniuersi generis relicti.
Atque hæc capacitas, in extraneis saltem hæredibus [l], desideratur tribus temporibus, videlicet te-
stamenti facti, mortis testatoris, & aditæ hæreditatis quod posteà tractabimus.

¶ Cuius

a §. vlti. infr. de succeßi. sublat.
b L. his verbis. §. interdum. de hæred. instit.
c L. si quis adulterij. D. ad leg. Iul. de adul.
d L. reos. C. ad leg. Iul. de adult.
e L. 3. C. illo tit.
f L. si quis ne quæstio. de Quæstionibus.
g L. consensu. §. fin. aut tem alter. C. de repud.
h L. cum filius. §. seruus. de lega. 2.
i L. vlt. C. ad leg. Iul. Maiesta. l. post contractum. l. donationes. §. vlt. de donat.
k L. quoties. §. si seruus. l. seruum meum. de hæred. instituend.
l L. ex parte. de adim. legat.
m L. seruo. cum libertate. de adimen. lega.
n L. 2. §. vlti. de bon. poß. contra tab.
o L. 1. l. si cùm diem. D. Quando dies leg. ced.
p L. si alienum seruũ. de hered. instituen.
a L. 1. de condit. & demon.
b L. qui filio. l. in tempus. de hæred. institu.
c L. si mihi & Tibi. §. si eo hæred. de leg. 1.
d L. non minus. § vl. de hæred. insti.
e L. legatum. § seruo. de lega. 1.
f §. 1. inf. de stipul. ser.
g L. hæres quã olim de acqui. hær. l. omnia ferre. l. omnis hæreditas. de reg. iur.
h L. eius seruum. de hæred. instit.
i L. seruus hæreditarius. de hæred. instit.
k L. nõ minus. D. eod. l. neque. C. eod. l. si mihi & tibi. §. regula. de lega. 2.
l §. in extraneis. inf. de hæred. qual. & differ.

15 ¶ *Cuius iussu.*]Sensus huius loci est: Quòd vnusquisque dominus posit seruo iubere. vt adeat hæreditatem & is adeundo acquirat iubenti, saltem pro parte dominij: alteri autem non acquirat. Separata enim hîc sunt singulorum iura: nec vnius iubentis festinatione, aut præcipiti temeritate, alterius ius læditur: vt nec diligentia iuuatur. Itaque si quis velit acquirere, debet ipse iubere, & seruus illius iussu rursus adire [a]. Vnde hîc eueniet, vt sæpius eadē hæreditas adeatur, & pro parte: quod in eo non admitteretur, qui sibi & per sese adiret [b]. ¶ *Pro portione dominij.*]Cui tamen accrescere poterunt portiones aliorum iubere nolentium. Quod eleganter complexus est Vlpianus, ex cuius responso hic locus desumptus videtur; Ait enim [c]: Seruus communis ab extraneo hæres institutus, si iussu vnius adierit hæreditatem, non pro maiore parte interim hæredem eū facit, quàm pro dominica. Deinde cæteris socijs non iubentibus, tacito iure partes ei accrescunt.
16 Huius autem tacitæ accessionis ratio est: Ne alioqui partim testatus, partim intestatus aliquis videatur [d] decessisse: Cuiusmodi periculum vbi non metueremus, nihil accresceret, vti apparet in legato relicto plurium dominorum seruo [e]. Certè stipulationis per seruum contractæ emolumentum, illi vni acquiretur, qui seruum stipulari iusserit.

a L. cùm solus seruus. de acquir hæred.
b L. 1. & 2. de acquir. hæred. l. liber homo. §. Titius. de hæred. instituen.
c L. seruum communis ab extraneo. de acquir. hæred.
d L. ius nostrum. de reg. iur.
e L. si seruum plurium. de lega. 1. l. & Proculo. de lega. 2.

¶ *Et plures vsque in infinitum.*]Neq; enim vllus certus præscriptus est aut definitus hæredum
17 instituendorum numerus. Nemo tamen existimet valere confusam omnium hominum institutionem. Quis enim sanæ mentis ita testamentum condat? Et vt maximè perspicuis rationibus hęc insaniæ suspicio amoueri posset, quemadmodum ait Modestinus [f], nullo tamen modo consistare potest eiusmodi institutio, propter confusam & inexplicabilem multitudinem. Et nihil agit testator, qui non certum aliquod & distinctum corpus animo concipit, quemadmodum postea dicemus [g]. Quòd si quis certam Rempublicam. Municipium, vel Populum institueret: valebit institutio, sicuti & legatum. Certum enim aliquod genus testator concepit. Sic legimus Accam
18 Laurentiam, & Floram rectè scripsisse Populum Romanum hæredem: nec alio titulo primùm Asiam obuenisse Populo Romano.

f §. seruum communis. inst. de stip. ser.
g L. pen. de condit. instit.
h § incertis. inst. de leg.

§. *Hæreditas.*

1 Omnis hæreditas in 12. vncias siue partes diuiditur.
2 Vncias singulas diuidi in 6. sextulas.
3 Sicilicum, Duella, Semuncia, Scriptulum, Simplium, quid?
4 Volusium Metianum Assis distributionem diligenter descripsisse.
5 Sescuntiam ineptè inseri textui.
6 Explanata L. si ita scriptum. ff. de lib. & posth.
7 Hæreditate in pauciores quàm 12. partes distributa, locus est iuri accrescendi.
8 Si agitur de iure decrescendi, quid expendendum?
9 Nemo potest esse testatus simul & intestatus.
10 Causa testati trahit ad se causam intestati.
11 Quando testamentum vna sui parte sustineatur, altera corruat.
12 Institutio ex re vna, hæreditatem totam ad se trahit.
13 Nonnunquam tota institutione subuersa, relicta hæredibus tribuuntur legata titulis.
14 In militari testamento non temerè datur locus iuri accrescendi.
15 Miles partim intestatus potest decedere.

¶ *Hæreditas plerunque diuiditur.*] Desumptus est hic locus ad verbum ex responso Vlpiani [i]. Et quod dicitur, *plerunque*, eò pertinet, quòd posit aliter suam hæreditatem testator diuidere. alioqui
1 autem in vniuersum omnis hæreditas, ipso iure, diuiditur in duodecim partes siue vncias: quas & solent plerunque testatores obseruare. Sic dicitur Iulius Cæsar totius hæreditatis suæ assem absoluisse, instituendo Octauium ex dodrante, L. Pinarium, & Q. Pedium. ex quadrante. Ad hunc quoque modum Cicero pro Cecinna, Assem hæreditatis diuidit in deuncem, semunciam & tres sextulas. Iuuenalis Satyra prima, in vnciam & deuncem, dum ait;

Vnciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem.

i L. seruum meum. §. vlt. de hæred. inst. instit.

Cicero libro septimo ad Atticum, videtur hæreditatem diuidere in libellam & teruncium: sed locus corruptior est, quàm vt ex eo quicquam certi adferri posit. De libella autem & teruncio multa scribit Volusius Metianus. Solùm hic adijciam quod apud Ausonium legi:

Bissenas partes quæ continet æquiparet? as. *Tertia defuerit si portis, quid reliquum? bes.*

De dodrante autem, qui nouem continet, vide quod idem scribit de dodra potione

2 ¶ *In duodecim vncias.*]Sed & ipsæ singulæ vnciæ diuiduntur in sex sextulas. Et eam quidem partem, quæ continebat vnam sextulam, & dimidiam alterius sextulæ, veteres appellârunt Sici-
3 licum, vti est etiam apud nostrum Scæuolam [k]. Quæ duas sextulas continuit, dicta est Duella Cicero tamen pro Cecinna dicere maluit duas sextulas. Semis ipsius vnciæ continens tres sextulas, appellatur Semuncia: cuius & frequens est in iure nostro mentio [l]. Reliquis partibus defuerunt propria nomina. Porrò & ipsa rursus Sextula diuiditur in dimidias sextulas. Et iterum singulæ dimidiæ sextulæ, in duo Scriptula. Ergo Assis pars duodecima, fuit vncia. Pars vigesima quarta, fuit Semuncia. Pars tricesima sexta, fuit Duella. Pars quadragesima octaua, fuit Sicilicus. Pars septuagesima secunda. fuit sextula. Pars centesima trigesimaquarta, fuit dimidia Sextula. Pars ducentesima octogesima octaua, fuit Scriptulum. Infra has partes propria vocabula non inueniri, (nisi quod dimidium Scriptulum, quidam appellarint Simplium: quæ esset pars Assis quingen-
4 tesima septuagesima sexta.) fatetur ipse Volusius Metianus, qui totam Assis distributionem dili-

k L. liberto. §. filium. de annu. leg.
l L. Papinianus. §. quoniam de inoff. testam. latem vt Sabinum. § 1. de hæred. instit. & dic. l. liberto. §. filium. de annu. lega.

 genter

genter descripsit, & addidit notas, quibus veteres olim significabant singulas vel Asis vel Unciæ
partes. Porrò meminit & sescunciæ, quæ erat dimidium quadrantis, hoc est, vncia vna, & semis al-
terius: nec est infrequens eius mentio in iure nostro [a]. Sed tamen ineptè fatiunt, qui eam hîc sex-
tanti præponunt in dinumerandis Asis partibus: & sexcuncem potius quàm sescunciam nomi- 5
nant. ¶ *Quod testator voluerit.*] Huc pertinet elegans & acutum Iuliani responsum, quod extat
his verbis [b]: Si ita scriptum sit, Si mihi filius natus erit, ex besse hæres esto: ex reliqua parte vxor
mea hæres esto: Si verò filia mihi nata fuerit, ex triente hæres esto. Et filius & filia nati essent. Di-
cendum est, Assem distribuendum esse in septem partes: vt ex his filius quatuor, vxor duas, filia
vnam partem habeat. Ita enim secundum voluntatem restantis, filius altero tanto amplius habe-
bit, quàm vxor. item vxor altero tanto amplius, quàm filia. Hæc Iulianus, qui acutè perspexit vo- 6
luntatem testatoris: & secundum eam, hæreditatis Assem diuidit. Voluerat autem testator, vt fili-
us haberet duplum eius, quod mater: & vt mater duplum eius, quod filia erat habitura. Itaque
secundum hanc voluntatem, diligenter hîc fuit obseruata proportio dupla iuxta canones Arith-
meticos. ¶ *Ex semisse.*] Hoc est, Sex vncijs. Utra tamen verborum formula vsus fuerit testator,
multum interesse putatur. Ut siquidem Semissem dixerit, ius accrescendi magis ex iuris subtilita-
te, quàm testatoris voluntate locum habeat: quasi ipse semissis verbo, (quod omnino medietatem
significat) totum Assem nô intellexerit. Cæterùm vbi sex vncias dixit, magis intelligi potest totum 7
Assem ijs conclusisse maximè, vbi plures partes facit: veluti si relinquat Caio quatuor vncias. Titio
duas. Sic Antoninus Imp. [c] de iussione testatoris agens, proponit exemplum, vbi paterfa. filiam
ex duabus vncijs, vxorem ex vncia hæredes scripsit. & addit: Quòd si de residuis portionibus ni-
hil significauerit, apparet enim diuisisse hæreditatem in tres partes. Ulpianus tamen hanc rem
tractans, sicuti & hoc loco Iustinianus, vtitur verbis partes certas Asis omnino significantibus:
sed aliquid addit, quo significare videtur tunc ius accrescendi constare iuris subtilitate. Ait enim [d]:
Paterfa. distribuere hæreditatê in tot partes potest, quot voluerit: sed solennis Asis distributio in
duodecim vncias fit. Denique si minus distribuit, potestate iuris in hæc reuoluitur: vt puta si duos
hæredes ex quadrante scripserit. Nam hæreditas eius residua accedit, vt ex semissibus videantur
scripti. Sanè & si quis Iustiniani verba diligenter hoc loco expendat, intelliget eum à coniectura
voluntatis testatoris, ad iuris subtilitatem reuolutum. Primùm enim proponit liberum esse testa-
tori in quod velit vncias hæreditatem distribuere: postea proponit exemplum, in quo vni semissi
accedit alter semis, non tam ex voluntate ipsius testatoris, quàm iuris subtilitate: ne quis partim
testatus, partim intestatus decedat. Verùm parum interest vtrum ex iuris potestate, an testatoris
voluntate ius accrescendi locum habeat: saltem vbi testator est paganus. Fateor enim in militis te-
stamento solam eius voluntatem spectari, non autem iuris subtilitatem: quod paulo pòst dicetur.
Cæterùm si ageretur de iure decrescendi, quia post assem completum aliquid addidit testator: hîc 8
diligentius verba eius, & voluntatê expendimus. Ut si quidem mihi semissem dederit, cùm prius
tibi totum assem dedisset: decrescat tibi, & adimatur totus semis, qui mihi debetur. Sin mihi sex
vncias reliquisset, intelligetur in octodecim vncias hæreditatem suam diuisisse: & vtrique pro ra-
ta decrescet [e]: vt tu habeas totius hæreditatis bessem, ego solùm trientem.
¶ *Neque enim idem.*] Inquit Paulus [f]: Ius nostrum non patitur eundem in paganis & testatò
& intestatò decessisse: earumque rerum naturaliter inter se pugna est, vt testatus & intestatus quis
sit. Sanè verò causa testati potior est, & ad se trahit causam intestati. ¶ *Decedere.*] Hîc memineri- 9
mus qualitatem iunctam verbo, referri ad tempus, quod eo verbo significatur [g]. Ut hîc intelliga- 10
mus, illud solùm docere Iustinianum; non posse aliquem Paganum dum moritur, partim testa-
tum partim intestatum esse. Cęterùm postquam iam aliquis decessit: ex interuallo fieri potest,
vna solùm parte testamentum sustineri, & altera corruere [h]. Quid enim, si ita ipsi hæredes transe- 11
gerint [i]? aut si filius exhæredatus agens aduersus hæredes de inofficioso testamento, ab vno supe-
ratus, alterum fortè superet, vincatque iudicio [k]?
¶ *Non potest.*] Non etiam, si id maximè velit. Quanquam enim ei liberum sit prohibere ius
accrescendi in legatis [l], cùm in ijs cesset ratio huius regulæ: non ita tamen poterit in ipsis institu-
tionibus. Sed vel omnino testatus, vel omnino intestatus decedere debet. Et solet quidem institu- 12
tio ex vna aliqua re, nihilominus ad se trahere totam hæreditatem [m]. Sed quid si voluntas testato-
ris manifestissimè refragetur? Certè eam non putauit Ulpianus hîc contemnendam [n]. Sed hanc
tueri vix possumus, nisi subuersa tota institutione intelligatur omnino intestatus decessisse. nec id 13
erit iniquum, saltem si nos scriptis hæredibus, quod ijs relictum est, tribuamus legati titulo, qui il-
lis non minus erit vtilis, quàm institutionis.
¶ *Nisi sit miles.*] Ergo in militis testamento non temerè locus erit iuri accrescendi nisi id eum 14
voluisse appareat. Voluisse autem intelligitur, si ex eius verbis commodè id colligi potest: veluti si
Titium ex duabus vncijs instituat, Sempronium ex vna. Quia tum intelligitur voluisse totam
hæreditatem tribus vncijs concludere: habebit Titius dodrantem totius hæreditatis, Sempronius
quadrantem [o]. Cæterùm si ex semisse vel quadrante vel eiusmodi aliqua certa parte asis, aliquem
instituerit, non erit locus iuri accrescendi: quòd nempe hîc sola illa iuris subtilitate niteretur, ne
quis partim testatus decedat. Quæ ratio ad militis testamenta non pertinet, in quibus sola volun-
tas spectatur. Huc pertinet, quod Ulpianus respondit [p]: Si miles vnum ex fundo hæredem scripse-
rit, creditur, quantum ad residuum patrimonij, intestatus decessisse. Miles enim pro parte testatus
potest decedere, & pro parte intestatus.

¶ *Si plures*

a L. Papinianus. §. pro inde. de inoffi. test. l. filiũ. de leg. præstan. l. vlti. de conmugen. cum eman. l. vlt. § cũ etiam. C. de leg. præst. l. maximum vitium. C. de libe. præter.
b L. si ita scriptum. de lib. & posth.
c L. 3. C. de testam. milit.
d L. interdum §. paterfa. de hæred. instit.
e L. interdum. §. 1. de hæred. instit.
f l. ius nostrum. de reg. iur.
g L. Titius. de milit. testa. l. in delictis. §. si extraneus. de noxa. act.
h L. circu. de inoffic. testa.
i L. controuersia. de pact.
k L. nam et si parentib. §. vl. de inoff. te.
l L. dium. de vsu.
m L. 1 §. si ex fundo. l. si quis ita hæres institutus fuerit ex certo fundo. de hæredibus instit.
n L. quoties. §. si duo. de hæred. instituen.
o L. 3. C. de test. milit.
p L. si miles vnum. de milit. testam.

§. *Si plures, cum §§. sequentib.*

1 Plures instituti sine partium adiectione, æqualiter succedunt.
2 Plures vno collectiuo nomine instituti, vnam personam referunt.
3 In legatis quoque, coniuncti, vnius personæ potestate funguntur.
4 Ab opinione & voluntate testatoris tota res testamentariæ ratio pendet.
5 Si, post assem completum, aliquis ex certa parte fuerit institutus, quid iuris?
6 Residua assis pars, hæredibus institutis accrescit.
7 Quæ assem excedunt, pro rata decrescunt.
8 Dupondium sunt 16. Sescunciæ, siue 24. vnciæ.
9 Dupondij olim appellati qui?
10 Expletis assibus vnum assem adijci posse.
11 Tripondius quid?
12 Tressis & Quartussis quid?
13 Excussa L. ex vncijs. ff. de hæredibus instit.
14 Dupondij vnciæ 10. assis vnciæ 5. Tripondij tres, assis vna sunt.

¶ *Si plures instituantur hæredes.*] Idem & si pluribus aliquid legetur. Nam & hic (vt ait Vlpia-
nus [a]) si partes non fuerint adiectæ, æquæ seruabuntur. ¶ *Ita demum.*] Breuius hunc locum Vlpi-
anus complexus est, inquiens [b]: Hæredes, iuris successores sunt: & si plures instituantur, diuidi
1 inter eos à testatore ius oportet. quod si non fiat, omnes æqualiter hæredes sunt. ¶ *Ex æquis parti-
bus eos hæredes esse.*] Sic tamen, vt si ex altera parte plures vno collectiuo nomine fuerint instituti,
non nisi vnam personam referant. Veluti si dictum sit; Titius hæres esto: Seius & Meuius hæredes
2 sunto. Hic Celsus [c] ait, verum esse, quod Proculo placet, duos semisses esse: quorum alter coniun-
ctim duobus datur. Quòd si id fieri nolit testator, necesse est vt iubeat omnes ex æquis partibus
hæredes esse. Quam rem Vlpianus eleganter explicat his verbis [d]: Interdum hæc adiectio; Æquè
hæredes sunto, testatoris voluntatem exprimit: vtputa, Primus, & fratris mei filij æquè hæredes
sunto. Nam hæc adiectio declarat omnes ex virilibus partibus institutos, vt & Labeo scripsit: qua
detracta, semissem fratris filij, semissem Primus haberet. Idq; etiam seruatur in substitutionibus [e].
Et in legatis quoque, coniunctos, vnius personæ potestate fungi dictum est [f]. Vnde & Paulus [g], Si
3 quis (inquit) Titio, & hæredibus suis vsumfr. legauerit: dimidiam Titius, dimidiam hæredes eius
habebunt. ¶ *Siquidem aliqua pars assi deerit.*] Eámque deesse, testator sciuerit. Nam ab eius opinio-
ne & voluntate hic pendet res tota. Vnde si imprudens testator vni dodrantem, & alteri (sed iam
mortuo) quadrantem reliquerit: tertium sine parte scripserit: Hîc quanquam reuera desit pars assi,
4 (quia mortuo pars relicta, pro non scripta habetur) quia tamen testator assem totum sese exple-
uisse credidit: hic tertius sine parte scriptus, non fiet hæres ex illo quadrante vacante: sed omnino
habebit alterum assem ex dupondio, hoc est, totius hæreditatis semissem [h]: quia creditur testator
id voluisse. Nam qui nullam putauit assi partem deesse, non potest intelligi ex ea instituisse hunc
tertium. ¶ *Omnes in eandem partem concurrunt.*] Quasi scilicet ex ea coniunctim instituti sint. Tamen
(inquit Vlpianus [i]) quantum ad ius accrescendi, nō sunt coniuncti, qui sine parte instituuntur. Sic
vt duobus sine parte institutis, si quis repudiet, id accrescat nō alteri tantū, sed pariter omnibus scri
ptis hæredibus. ¶ *Ille, vel illi omnes.*] Nempe qui omnino absq; vlla parte, post assem completū, insti-
tutus institutive sint. Cæterùm si expleto asse ita scripsisset testator, TITIVS EX RELIQVA PARTE
HÆRES ESTO: cùm hîc nihil reliquū sit, videbitur ludicra & inanis institutio: nec ex vlla parte hæ-
res erit Titius [k]. Porrò si expleto asse, neminem quidem instituerit testator, sed Lex ipsa aliquem
præterea pro instituto habeat: is sanè non ad alterum assem, qui est semis totius hæreditatis, sed in
virilem tantùm partem cum reliquis vocabitur. Exemplum extat in singulari quodam rescripto
Impp. Seueri & Antonini [l]. Sed quid, si post assem completum aliquis ex certa parte fuerit institu-
tus? Breuiter respondeo, quod mihi verissimum videtur; si is ex semisse fuerit institutus, integrum
semissem decrescere assi. vt quantum posteriori dedit testator, tantundem videatur adimere at-
que detrahere priori, quod Iustinianus rectè & prudēter statuisse videtur [m]. Sed si testator vni duo-
5 decim vncias, alteri deinde sex dederit: magis iudicarem vtrique pro rata decrescere, secutus hac
in re Vlpianum, qui respondit [n]; Testatorem, qui numerauerit ipsas vncias, videri totam suam hæ-
reditatem (quod facere potest) in eas ipsas vncias simpliciter diuisisse, vt si as ad communem as-
sem velis reuocare, vtrique pro rata decrescat aliquid. & ideò, si quis me ex duodecim vncijs, te ex
sex scripserit: habiturum me bessem hæreditatis, te verò trientem. Nec est obscura discriminis ra-
tio. Nam testator, qui post assem vel totum vni donatum, alteri semissem vel dimidiam partem
relinquit: apertè priori detrahit sex vncias, quas alteri donat. Sed cùm numerat vncias, & vni duo-
decim donat, alteri deinde sex: non ita est manifestum, an hæ sex vnciæ sint ex numero illarū duo-
decim. imò verò potius videtur testator totam suam hæreditatem diuisisse in vncias octodecim.
Scio Iustinianum in sua Constitutione videri confundere hoc discrimen: sed vbi eò ventum erit,
non deerit responsio. Scio & in Pandectis in quadam huius generis quæstione non omnino con-
uenire inter Celsum [o] & Marcellum, cuius sententiam Vlpianus refert [p]. Sed longior est ea dispu-
tatio, quàm vt hîc explicari possit, & alieno loco ingeri debeat. ¶ *Nec interest.*] Hæc verba viden-
tur referenda ad id, quod suprà dictum est, non expleto asse, eum, qui sine parte scriptus est, vocari
ad eam partem, quæ assi deest. ¶ *Videamus.*] Duo casus, qui hic proponuntur, desumpti sunt ex re-
sponso Vlpiani [a]. Inquit enim loquens de patresa. testatore: Deniq; si minus distribuit, potestate
6 iuris in hæc reuoluitur: vtputa si duos hæredes ex quadrante scripserit. Nam hæreditas eius resi-
dua accedit, vt ex semissibus videantur scripti. Sed & si alter ex quadrante, alter ex semisse hæredes
7 scripti sunt: qui accedet quadrans, pro partibus hæreditarijs eis accrescit. Sed & si excesserit in di-

a L. legata inutiliter. §. vlt. de lega. 1.
b L. quoties. §. hæredes. de hæred. instit.
c L. si liber hom. §. Titius hæres. de hæred. instit.
d L. interdum. de hæred. instit.
e L. si pater filio. de vul. & pup. l. vlt. C. de imp. & alijs subst.
f L. planè vbi. de leg. 1.
g L. si quis Titio. de vsufr. accresc.
h L. quo loco. §. 1. de hæred. instit.
i L. item quod Sabinus. §. 1. de hær. instit.
k dic. l. item quod Sabinus. §. expleto.
l L. 3. C. de inoff. test.
m L. cum quæstio. C. de lega.
n L. interdum. §. 1. de hæred.
o L. interdum. §. 1. de hæred. instit.
p L. 2. ad Treb.
a L. interdum. 13. §. 2. de hæredibus instit.

uisione duodecim vncias æquè pro rata decreſcet. vtputa me ex duodecim vncijs hæredem, te ex
ſex ſcripſit:ego hæreditatis habeo beſſem, tu trientē. Hactenus Vlpianus. De iure autem accreſcen-
di multa iam diximus, nempe, id in Paganorum teſtamentis locum habere, non modò ex conie-
ctura voluntatis, ſed & ex ſubtilitare iuris: & à Pagano quidem prohiberi non poſſe, niſi totam in-
ſtitutionis ſcripturam ſubuertat. De iure quoque decreſcendi ſatis diſputauimus, comprobato di-
ſcrimine inter numerarionem vnciarum, & appellationem certæ portionis, veluti quadrantis, ſe-
miſsis: vt in illa poſt completū aſſem, omnibus pro rata decreſcat: in hac ſolùm illi, qui totum ha-
bitutus erat aſſem. ¶ *Quod dupondio dicit.*] Dupondium ſiue dipondium (inquit Metianus) ſedecim 8
ſeſcunciæ efficiunt, hoc eſt, viginti quatuor vnciæ. Appellarunt autem veteres dupondium, à duo-
bus ponderibus: Pendebat enim duos aſſes ſiue liberales numos. Olim itaq; iuuenes legalibus pri
mùm ſtudijs initiati, contemptim appellabantur Dupondij, quòd vix duobus aſsibus æſtimaren- 9
tur. ¶ *Idemq́, erit.*] Hoc eſt, vt aſſe expleto, ſi quis alios ſine parte ſcriptus ſit, tranſimus ad aſſem al-
terum, efficimusq; dupondium: ita & dupondio expleto, rurſus ad tertium aſſem proximū tranſi-
mus, efficimusq; tripondiū. Sic videlicet, vt ſemper adijciatur expletis aſsibus vnus as: non etiam, 10
quòd ij ſemper duplicentur expleti. Rectè itaq; Vlpianus [a], Quòd ſi quis (inquit) dupondium dis-
tribuit, & tertium ſiue parte inſtituit: non in alium dupondium, ſed in trientem veniet (trientem
autem intelligit totius hæreditatis) & poſt dupondiū efficimus tripondiū. ita tertius ille ex trigin-
taſex vncijs totius hæreditatis, accipiet duodecim. Hic autem notandum eſt, ad imitationem du- 11
pondij, vulgò appellari tripondiū, tres aſſes; Sed apud Voluſium Metianum dicitur Treſsis; quem 12
ait effici ſedecim ſextantibus, totidemq; Sicilicis; ſicuti Quartuſsis conficitur ſedecim quadranti-
bus. ¶ *Ad aſſem poſtea reuocantur.*] Hac videlicet calculi ratione, vt duæ vnciæ dupondij, vnam con-
ſtituant in iuſto aſſe. Sic accipiendum eſt, quod reſpondit Hermogenianus [b]: Ex vncijs ſex primo 13
hærede inſtituto, ſecūdo ex octo: ſi tertius ex reſidua parte, vel nulla portionis facta mentione hæ-
res inſtituatur: quinq; vncias hæreditatis totius habebit. In 24. enim partes hæreditate diſtributa,
tertio, ratio calculi, veluti ex 10. partibus inſtituto, quinq; vncias aſsignauit. Quibus verbis Her-
mogenianus apertè ſignificat nihil intereſſe inter decem dupondij vncias, & quinq; ipſius aſsis. 14
Ad eundem modum & tripondij tres vnciæ, conſtituunt efficiuntq; vnam vnciam iuſti aſsis.

a L. item quod Sabinus. §. vlti. de hæred. inſtit.

b L. ex vncijs. de hæred. inſtit.

§. *Hæres & pure. cum §§. ſequent.*

1 *Omnis hæreditatis aditio retrotrahitur ad tempus mortis teſtatoris.*
2 *Hæres refert perſonam defuncti.*
3 *Incerti temporis adiectionem in teſtamento pro conditione haberi.*
4 *Semel hæres, nunquam hæres eſſe deſinit.*
5 *Vitio certi diei ſublato manet hæredis inſtitutio.*
6 *Voluntas teſtatoris vbi contemnatur?*
7 *Certæ portionis definitioni an plus tribuendū quàm temporis?*
8 *Impoſsibiles conditiones quæ?*
9 *Impoſsibiles conditiones in contractibus an obligent?*
10 *Si pluribus hæredibus, vna adijciatur conditio, quid?*
11 *Separatim pro diſiunctim poſitum.*
12 *Extraneum etiam poſſe hæredem inſtitui.*
13 *Prorſus ignotos non poſſe hæredes ſcribi.*
14 *Hæredem ſcriptum non neceſſe eſſe noniſſe ipſum teſtatorem.*
15 *Auguſtum Cæſarem nihil accepiſſe ex ignotorum teſtamentis.*
16 *Dato teſtamento tutori non competit excuſatio, quòd pupilli patrem non nouerit.*
17 *Peregrinos non poſſe iure ciuili hæredes inſtitui.*

¶ *Et ſub conditione.*] Quæ vbi ſemel extiterit, retrotrahetur ad tempus mortis teſtatoris, vt vi-
deatur ab initio fuiſſe pura inſtitutio [c]: ne quis alioqui videatur aliquo tempore inteſtatus fuiſſe.
Sic & omnis hæreditatis aditio retrotrahitur ad tempus mortis: & qui hæres extitit, videtur ex eo 1
tempore defuncto ſucceſsiſſe [d]. ¶ *Inſtitui poteſt.*] Non ita tamen poteſt ipſa hæreditas adiri [e]: quia
per aditionem fingitur hæres ſumere perſonam defuncti, eumq; referre: debet autem hæc fictio 2
naturam imitari. Sed ad diem vel ſub conditione nemo alium referre poteſt. ¶ *Ex certo.*] Locus
hic ſumptus videtur ex reſponſo Papiniani, cuius extant hæc verba [f]: Hæreditas ex die, vel ad diem
non rectè datur: ſed vitio temporis ſublato, manet inſtitutio. Id quod Iuſtinianus hoc loco paulò
dilucidius referre volens, primùm meminit certi temporis: quia nō reijciatur incerti temporis ad-
iectio, quæ pro conditione habetur [g]. Itaq; ex incerto tempore poſſum ita aliquem inſtituere: Ti- 3
tius mihi hæres eſto, cū Caius morietur. Mortis enim dies maximè incertus eſt, inquit Vlpianus [h].
Idem & ſi aliquem inſtituā, cùm capere poterit [i]. Vbi autem incertus ille dies venerit: qui ſcriptus
eſt, hæreditarem adibit: & videbitur à tempore mortis ſucceſsiſſe defuncto: hicque defuncti vo-
luntati eatenus parebimus, vt diem ab eo præſtitutum expectemus, quando nihil certò præſtituit,
quod hæreditatis acquiſitionem ſcindat, vel impediat eam trahi ad tempus mortis.

¶ *Ad certum tempus.*] Qui ſemel hæres factus eſt, non poteſt deſinere eſſe hæres. Itaque fruſtra 4
illi præſtituuntur alicuius temporis limites, quibus deſinat eſſe hæres. Nec hic admodum refert,
vtrum certum an verò incertum tempus aſcribatur: niſi quòd certi temporis adiectio ſtatim & ab
initio reijciatur: incerti verò, cùm venerit. Nam prius non eſt neceſſe angi eo incommodo, quod
fortaſsis euenturum non eſt. ¶ *Non poteſt.*] Saltem à Pagano teſtatore, qui partim teſtatus, par-
tim inteſtatus decedere non poteſt, ſiue de re agatur, ſiue de tempore. At diuerſum eſt in milite: cui
ideò licet & ad certum tempus, & ex certo tempore hæredem ſcribere [k].

c L. neceſſario. §. 1. de peric. & cō. rei vend. l. potior. D. qui pot. in pig.

d L. ſi eu re. §. vlt. de ſtipu ſer. l. hæres quādocunq; de acqui. hæred.

e L. actus legitimi. de reg. iur.

f L. hæreditas ex die. de hæred. inſtit.

g L. dies incertus. de cond. & demonſt.

h L. 1. de cond. & demonſt.

i L. in tempus. de hæred. inſtit.

k L. in fraudem. §. miles. l. miles ita. de milit. teſt.

¶ *Denique.*]

¶ *Deniq.*] Inquit Papinianus; Hæreditas ex die vel ad diem non rectè datur: sed vitio tempo-
5 ris sublato manet institutio [a]. ¶ *Diem adiectum.*] Siue quo desinat esse hæres, siue ex quo primùm
esse hæres incipiat. Nam vtrunque pugnat cum Iuris regula, qua quis prohibetur, aliquo tempore
6 testatus, aliquo intestatus esse. Est autem hoc loco obseruandum; contemni voluntatem testato-
ris, certum aliquod tempus præstituentis: cùm tamé suprà dictum sit ex Vlpiano, eam non omni-
no contemni, vbi certam portionem suæ hæreditatis scripto hæredi præstituit, & vetat plus ea ca-
pere. Tum enim refragantis voluntas non omnino cõtemnitur. quinimo vt ei pareatur, frequen-
tius est receptum, ipsam institutionem vitiari; saltem commutari in legatum; & rem totam reci-
7 dere ad causam intestati. Quanquam sint qui contrà sentiant: nec plus tribuant definitioni certæ
portionis, quàm temporis: cùm nulla esse videatur discriminis ratio. Et sanè si quis hoc discrimen
non ferat, non admodum sum refragaturus, si cõminiscatur similitudinem, vt quemadmodum
simplex institutio ex parte non obseruatur; & tum demum eius vlla potest haberi ratio, vbi mani-
festè vetat testator plus capere: sic & simplex adiectio certi temporis non obsit; sed tum demũ, vbi
nominatim alia adijcitur testatoris prohibitio: quasi ea omnino contemni aut reijci nequeat. Ta-
men Iurisconsulti, de vitiosa certi temporis adiectione loquentes, non meminerunt adiectæ pro-
bationis nominarim refragantis, plus eo tempore frui hæreditate: cùm tamen eius disertè memi-
nerint, vbi agitur de portione præfinita. ¶ *Impossibilis.*] Apud Labeonem [b], & Iulianum [c] Græcè
est ἀδύνατος. Sed voce Latina possumus vti, cùm ea toties vtantur Iurisconsulti, & ipse Fabius lib.
8 5. cap. 10. item lib. 10. cap. 13. Non refert autem vtrum sit impossibilis conditio natura, an verò iure:
vt quia sit contra bonos mores [d]. Idem & si ex præscripto fieri nequeat, propter angustias præsti-
tuti temporis [e]. Cæterùm perplexa cõditio, & quæ semper in sese reuoluitur, impossibilis quidem
dicitur: vitiat tamen ipsam institutionem. Sic enim scribit Martianus [f]: Si Titius hæres erit, Seius
hæres esto: Si Seius hæres erit, Titius hæres esto. Iulianus inutilem esse institutionem scribit, cùm
conditio existere non possit. Et sanè facit hæc impossibilis conditio, ipsam quoque institutionem
9 impossibilem. ¶ *Et legatis, necnon in fideicommissis.*] Diuersum tamen est in contractibus [g]: quos qui
sciens init sub impossibili conditione, videtur ludere, nihil minus agens, quàm vt obligetur. At in
vltimis voluntatibus, quæ sunt fauorabiliores, aliud interpretamur: nec aliquis facilè vltimã suam
voluntatem, & obligationem, intelligitur voluisse subuertere. Sed de conditionibus tam impos-
sibilibus quàm turpibus, quæ vel testamentis ascribuntur vel contractibus, plura postea dicam eo
loco, quo Iustinianus rem hanc repetit [h].

¶ *Si plures.*] Hic locus desumptus est ex responso Pauli, quod extat his verbis [i]: Si hæredi plu-
res conditiones coniunctim datæ sint, omnibus parendum est: quia vnius loco habentur: sed si
disiunctim, cuilibet. Sed quod attinet ad totam rationem explendarum conditionum, quę res la-
tissimè patet, consule nostrum de conditionibus tractatum, cuius præcipua fortasse capita inse-
ram, vbi cum Iustiniano de conditionibus stipulationum agam. ¶ *In institutionibus.*] Idem & si
in stipulationibus, vel alijs contractibus [k]. ¶ *Coniunctim.*] Sic nempe, vt vni institutioni adijcian-
10 tur plures simul conditiones. Cæterùm si pluribus scriptis hæredibus, adijciatur omnibus vna con
ditio: is statim hæres erit, in cuius persona euenerit, etiam si in alio deficiat. ¶ *Separatim.*] Hoc est,
11 (vt melius legitur in respõso Pauli) disiunctim. cui voci propriè respondet subiectum exemplum
alternatiuè conceptum. Sed Iustinianus hîc dixit separatim, pro disiunctim, sicuti aliquando Mo-
destinus dixit DISIVNCTIM [l], vbi aptius dixisset SEPARATIM, sicuti & alio loco dixerat [m]: Si sepa-
ratim, hoc est, diuersis orationibus seorsim plures conditiones testamentis ascribantur; si quidem
institutionibus hæredum, illa quæ prius extiterit, occupabit institutionem, & ad eam sufficiet [n]. Si
verò legatis: nouissima conditio expectatur [o]. ¶ *Cuilibet.*] Rectè vertit Theophilus, ὅτῳ βούλεται
[cuicunque volet.] Opponitur enim hæc vox superiori verbo, OMNIBVS: & propriè significat v-
nam è multis. Neque enim vniuersalis est, sed particularis.

¶ *Quos nunquam testator vidit.*] Nouit tamen, fama & aliqua fortè virtute illustres. Vt sæpe co-
gnita virtus, in ijs, quos alioqui nunquam vidimus, mirabiles amores excitat sui. Non opus est
itaque eum de facie nouisse, aut vllam cum eo habuisse consuetudinem, quem nos hæredem face-
12 re volumus. Atque ita accipiendum est rescriptum Impp. Theodosij & Valentiniani [p]: Extraneum
etiam penitus ignotum posse hæredem institui. Ignotum enim vocat eum, quem non vidimus, vt
hic interpretari videtur Iustinianus: & cum quo nihil vnquam nobis fuit negotij: de quo tamen
13 aliquid aliquando audiuimus. Cæterùm prorsus ignotos, quos nec vidimus, & de quibus nihil
quicquã audiuimus, qui possemus hæredes instituere? quorum nec meminisse possumus, nedum
nomina exprimere. Vnde Tullius in secunda Philippica inuehitur in Marcũ Antonium, qui alie-
nas hæreditates occupabat, quasi hæres institutus, cùm ipse plerunque defunctis ne notus qui-
dem fuisset, nec eos ipse nouisset. Te (inquit) is, quem nunquam vidisti, L. Rubrius Casinas
fecit hæredem? Et quidem vide, quàm te amarit. Is qui albus ater ve fueris, ignorat, fratris fi-
lium præterijt: Q. Furij honestissimi Equitis Romani, suique amicissimi, quem palàm hære-
dem semper factitauerat, ne nomen quidem perscripsit: quem nunquam viderat, ac ne saluta-
rat quidem, fecit hæredem. Velim mihi dicas, nisi molestum est, L. Turselius qua facie fuerit,
qua statura, quo municipio, qua tribu: Nihil scio, inquies, nisi quæ prædia habuerit. Igitur
fratrem exhæredans, te faciebat hæredem. Hæc Tullius. Nemo tamen ex eius verbis colligat, de-
14 bere hæredem scriptum nouisse ipsum testatorem. neq; enim id necesse est. Et nos sæpe multis no-
ti sumus, cùm ipsi nobis ignoti sint. Sed metuenda est falsi suspicio, si quis alienas ignotorum

a L. hæredit. ex die. de hæred. instit.
b L. mulier. de condit. instit.
c L. ab omnibus. § 1. de leg. 1.
d L. conditiones. de cõdit. instit.
e L. fin. mihi & tibi. §. de leg. 1.
f L. si Titius hæres. de cond. instit.
g §. si impossibilis. inst. de inutil. stipulat.
h d. § si impossibilis.
i L. si hæredi. de cond. instit.
k L. si quis ita stipulatus fuerit. de ver. obl.
l L. sub diuersis. de cõd. & demon.
m L. quod vulgo. de manu. testam.
n L. si plures. de cond. instit.
o L. sub diuersis. L. quod traditũ. de cõdit. & demonst.
p L. extraneum. C. de hæred. instit.

hominũ hæreditates inuadat. Quare laudatur à Tranquillo Augustus Cæsar, quòd nihil vnquam 15
capere voluerit ex ignototuni testamentis. ¶ *Hæredes institui.*]Sicuti & tutores scribi: sic vt alicui
tutori testamento dato, nõ competat excusatio eo nomine, quòd ipse pupillorum patrem, à quo 16
scriptus est, non nouerit [a]. ¶ *Veluti fratris filios.*]Vel extraneos quoslibet, vt est in rescripto Prin-
cipali, ex quo hic locus videtur desumptus [b], etiam alienissimos, & qui fortassis nobis semper fue-
runt infensi. Notum est exemplum vetus L. Valerij, qui togatum hostem suum Cornelium Bal-
bum, à quo fuerat capitali iudicio accusatus, vltrò scripsit hæredem, præteritis omnibus suis ami-
cis. ¶ *Peregrinantes.*]Hoc est, in disitis procul regionibus agentes. Cæterùm peregrini, hoc est, ij,
qui ciues Romani non sunt (ita enim & ad peregrinitatem redigi Latinè dicimur [c].) non possunt 17
iure Ciuili hæredes institui [d].

a § non esse autẽ. sup. de excu. tut.
b L. extraneum. 2. C. de hær. instit.
c L. sed et si. §. liberos. de in ius voc.
d L. 1. C. de hær. insti.

IN TITVLVM SEQVENTEM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Substitutio est quasi altera institutio.*
2 *Substituti, olim dicti secundi hæredes.*
3 *Secundum aliquem institui, est, substitui.*
4 *Instituti in primis tabulis, substituti ex secundis tabulis.*
5 *Verba instituendi & substituendi sæpe confundi.*
6 *Substitutio aut directa est, aut fideicommissaria.*
7 *Prima species directæ substitutionis, est substitutio vulgaris.*
8 *Quandiu hæres institutus adire potest, substitutus adire non potest.*



POsteaquam dictum est de hæredum institutione, iustus rerum ordo exigit, vt transea- 1
mus ad substitutionem, quæ est veluti altera institutio, & secundum primam institu-
tionem fieri solet. Vnde veteres appellarunt secundos hæredes, quos nos substitutos di- 2
cimus. Et Tullius in Verrinis, eum qui filiæ substitutus erat, dicit institutum secundũ
filiam. Et vt dicuntur hæredes in primis ceris vel tabulis instituti: ita & substituti ex 3
secundis tabulis [e]. Certè verba instituendi & substituendi adeò sunt affinia, vt persæpe in iure nostro 4
confundatur eorum discrimen [f]. Porrò autem omnis substitutio aut directa est, aut fideicommissaria. 5
Directæ prima species est ea, de qua dicere paramus: & appellatur Vulgaris: quia sit maximè commu 6
nis, et in vsu omnium. Nam à quocunque testamenti factionem habente fieri potest, & de quocunque, 7
simul & cuilibet hæredi, siue extraneus, siue ex liberis: postremò & in quemcunque casum arbitrio te-
statoris concipi potest. Vnde & quia hæc substituendi species tam communis est & vulgata: si quis te-
stator generali nudoq; substitutionis verbo fuerit vsus, intelligetur vulgariter substituisse. Illud po-
stremò semel admonendi sumus, quandiu prior hæres institutus adire potest, secundum, nempe substi- 8
tutum, adire non posse [g]. nondum enim ex substitutione delata hæreditas intercadici potest: cùm qui-
dem substitutus cum instituto non concurrat [h].

e L. filius qui patri. l. ex facto. de vulg. & pupill. sub.
f L. Gallus. de liber. et posthu. l. mulier. in fi. de cond. insti. l. quæ conditio de condi. & demonst.
g L. quandiu. de acq. hæred.
h L. cùm in testamen to. de hæred. instit.

De vulgari substitutione. Titulus XV.



POtest autem quis in testamento suo plures gradus hæredum facere. vtputa, SI ILLE HAERES NON ERIT: ILLE HAERES ESTO. & deinceps, in quantum velit testator: vt nouissimo loco in subsidium vel seruum necessarium hæredem instituere possit.

Et plures in vnius locum possunt substitui, vel vnus in plurium, vel singuli in singulorum, vel inuicem ipsi, qui hæredes instituti sunt.

Et si ex disparibus partibus hæredes scriptos inuicem substituerit, & nullam mentionem in substitutione partium habuerit: eas videtur in substitutione partes dedisse, quas in institutione expressit. & ita Diuus Pius rescripsit.

Sed si instituto hæredi, cohærede substituto dato, alius ei substitutus fuerit: Diui Seuerus & Antoninus sine distinctione rescripserunt, ad vtranq; partem substitutũ admitti.

Si seruum alienũ quis patremfamiliàs arbitratus, hæredem scripserit, & si hæres non esset, Mæuium ei substituerit: isq; seruus iussu domini adierit hæreditatem: Mæuius substitutus in partem admittitur. Illa enim verba, SI HAERES NON ERIT, in eo quidem, quem alieno iuri subiectum esse testator scit, sic accipiuntur: si neque ipse hæres erit, neq; alium hæredem effecerit. in eo verò quem patremfamiliàs esse arbitratur illud significant: si hæreditatem sibi, vel ei, cuius iuri postea subiectus esse cœperit, non acquisierit. Idque Tiberius Cæsar in persona Parthenij serui sui constituit.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *In codicillis alterum instituto substitui non posse.*
2 *Substitutio pupillaris directa in codicillis, cõuertitur in fideicommissariam.*
3 *Octodecim gradus substitutionum in vno olim testamento facti.*
4 *Modus aliquis substitutionib. cur præstituendus esset?*
5 *Gradus heredum sæpe tacitè intelligi ex re ipsa.*
7 *Videri nonnunquam certos heredum gradus constitui.*
7 *Substitutionem fieri posse & in legatis, & in donationibus causa mortis.*
8 *Si scriptus heres repudiarit hereditatem semel aditam, conualescit substitutio.*
9 *Heres spreta testamẽti causa volens ab intestato succedere, dat substituto locum.*
10 *Institutionis vitium ipsam quoque subuertere potest substitutionem.*
11 *Iureconsulti sæpe voluntatis magis quàm verborum coniectura nituntur.*
12 *Herede repudiante hereditatem, quod indignum se sciat, verũ fisco magis quàm substituto locus sit?*
13 *Si heres non vindicet mortem defuncti quid?*
14 *Heres cùm adire hereditatẽ non potuit, substitutus an fisco præferatur?*
15 *Ius transmissionis an iure substitutionis sit potius?*
16 *Substitutio potior iure accrescendi.*
17 *Necessarius heres sæpe non potest esse heres, licet non possit nolle.*

POtest autem quis.] Totus hic locus ad verbum descriptus est ex Martiani responso, quod extat
1 integrum in Paudectis[a]. ¶ *In testamento.*]Non etiam in codicillis. In ijs enim vt institui ali-
2 quis non potest, ita nec cuiquam substitui[b]. quanquam singulari quodam iure illud tribuitur pupillari substitutioni, vt directa in codicillis facta, quò possit sustineri, conuertatur in fideicommissariam[c]. Id quod vulgò trahi solet & ad hanc nostram vulgarem substitutionem. Nec Iustinianus videtur reijcere hanc fideicommissi interpretationem, si modò appareat testatorem codicillos, nõ testamentum facere voluisse[d]. ¶ *Plures,*] Atque adeò quotquot tandem voluerit. Neque enim præscripti sunt vlli certi limites: & testatur hic Paraphrastes, se vidisse octodecim gradus substitu-
3 tionum in quodam testamento. Scio *ἀνώνυμον* illum interpretem Sententiarum Iulij Pauli prodidisse, non licere tertium gradum in substitutionibus excedere: verùm id nullo iure probatur. Fortassis interesset Reip. vt liberior sit commerciorum vsus, & rerum dispositio, multarumque litium
4 seminarium tollatur, aliquem præstituere modum substitutionibus: sicuti præstituit Iustinianus restitutionibus fideicommissorum, in Nouella sua Constit. 159. Certè moribus Galliæ. cùm legitimis hæredibus adimi non possit patrimonij successio, vix est in vsu institutio vel substitutio, quæ aliò tenderet. ¶ *Gradus.*]Ergo hic vnus post alium vocatur certo quodam ordine. Nec raro hi gradus, qui apertè præscripti sunt ab ipso testatore, tacitè intelliguntur ex re ipsa. Veluti si dixerit pa-
5 terfa. Liberti mihi hæredes sunto. Hic habebitur ratio eorum graduum, secũdum quos intelligentur vocati[e]: nempe vt primùm succedant filij, deinde his deficientibus nepotes. Quemadmodum & si quid simpliciter relictum fuerit familiæ: primùm id pertinebit ad proximos consanguineos, deinde gradatim ad alios. postremò etiam ad affines & libertos[f]. Sed & hic graduum ordo esset intelligendus, vbi testator coniunxisset liberos diuersorum graduũ. Vt si dixerit: Filius meus cum filio suo mihi hæres esto. Nam & hic in re obscura efficit quandã substitutionem ordo graduum, simul & ipsius quoque affectionis. Sanè est è diuerso, vbi ex ipso sermone & oratione testatoris, vi-
6 dentur certi gradus constitui, & tamen reuera non constituuntur. Exemplum extat in responso Iaboleni[g]. Nam si quis ita scripserit: Titius ex parte prima, Seius ex parte secunda, Mæuius ex parte tertia, hæredes sunto: æquè omnes intelligentur instituri.
7 ¶ *Hæredum.*] Sicuti & legatariorum, & donatariorum. Constat enim fieri posse substitutionem; & in legatis[h], & in donationibus causa mortis[i]. ¶ *Si ille hæres non erit.*] Primùm hic obserua præscriptã nominatim conditionem deficientis institutionis, à qua pendet substitutio. Nam si institutus semel fiat hæres, statim euanescet substitutio[k], etiam omnium, quotquot tãdem quocun-
8 que gradu fuerint substituti[l]. Si tamen scriptus hæres, impetrata fortè in integrũ restitutione, sese abstinuerit, vel repudiarit hæreditatem semel aditam, conualescet rursus substitutio, eique locus erit[m]: idque statim. neque enim morabitur speciale illud beneficium, quo datur quandoque reditus ad hæreditatem semel spretam repudiatamque[n]. Certè cùm quis restitutus est vt abstineat, efficit illa restitutio vt nunquam hæres fuisse videatur[o]. Sed antequam plura dicamus de formula huius conditionis, quæ vulgari substitutioni ascribitur, meminerimus alijs etiam verbis obscurius concipi posse, veluti: Titius hæres esto. Nam & si veteres de hac formula dubitârint, tamen Iustiniano placuit[p], sic accipi debere, perinde atque si scriptum expressim fuisset, vt vulgariter solet, si Titius hæres non erit, Sempronius hæres esto. ¶ *Hæres.*]Ex testamento. Quo si nitatur, parum refert vtrum iure Ciuili fiat hæres, an verò iure Honorario petat bonorum possessionem secũdum tabulas. Quanquam enim hic bonorum possessor, propriè hæres non dicatur[a]: sufficit tamẽ, vt de-
9 ficiat hæc cõditio substitutionis vulgaris[b]. At si quis spreta testamenti causa, vellet ab intestato succedere tanquam legitimus hæres: fieret substituto[c] locus: & cessabit intestati causa, quandiu poterit ex testamento adiri hæreditas[d]. nisi si fortè substitutio ita concepta fuisset, SI LEGITIMVS AB INTESTATO HÆRES ESSE NOLIT: sicut & concipi potest & conceptã aliquando fuisse constat[e].

Porrò

a L. potest quis. De vulg. & pup. subst.
b L. Nemo inst. de codic.
c L. Scæuola. D. ad Se. Treb.
d L. vl. C. de codic.
e L. tũ pater. §. puto 2 te. de leg. 2. l. heredes. §. vlt. D. ad Trebell.
f L. vl. C. de verb. sig. l. peto. §. fratre. De le. 2.
g L. si qui heredes. de hered. instit.
h L. vt hereditas. de leg. 2.
i L. sicui. de dona. cau. mort.
k L. post aditam. C. de impub. et alijs subst.
l L. si mater. §. vlt. de vulg. & pup.
m L. ex contractu. de re iud.
n L. vlt. C. de repud. vel absten. hered.
o L. 7 §. sed quod Papin. de minor.
p L. vlti. C. de hered. instit.
a § quos nos. infr. de bono. possess.
b L. in conditionibus. §. si patronus. de cond. & demonst.
c L. 3. C. de impub. & alijs subst.
d L. quandiu. de acq. hered.
e L. si quis ita heres. de her. instit.

Porrò vbi duæ essent ex testamento succedendi viæ, fortè ex iure Ciuili & Honorario: si quis alte-
ram repudiauerit, non ideo statim admitteretur substitutus: quia adhuc superest hæredi integra
altera successionis ex testamẽto consequẽdæ ratio [a]. ¶ *Non erit.*] Vel quia esse noluerit (repudiata
videlicet omnino ipsa hæreditate; Nam ante repudiationẽ, quia ei integrũ velle adhuc toto trien-
nio [b], interea non admitteretur substitutus [c]) vel etiá, quia hæres esse non potuerit [d]: ob eá tamen
aliquá causam, quę ius & causam substitutionis non lædat. alioqui metuendum est, ne ipsius insti- 10
tutionis vitium, ipsam quoque subuertat substitutionẽ: ad eamq; serpat contagio proxima. Sic e-
nim scribit Vlpianus [e]: Si sub conditione sit aliquis hæres institutus, à quo posthumus exhæreda-
tus non est: deficiente conditione primi gradus nõ admitti substitutum: si videlicet nec ab eo post-
humus exhæredatus sit. Sanè interdum sic explicatè concipiebatur conditio vulgaris substitutio-
nis, SI HÆRES ESSE VEL NOLIT VEL NON POSSIT [f]. Verùm etsi simpliciter, vt ma-
gis solebat, scriptum sit, SI HÆRES NON ERIT: idem intelligi constat. Nam & vis verborum
ad vtrunque pertinet casum. Scio Papinianum hanc aliquando conditionem, SI NON NVPSE-
RIT, interpretatum esse, SI NVBERE NOLVERIT. Sed singulari coniectura voluntatis pater-
næ magis quàm verborum id se facere non dissimulat [g]. Nolle autem, hæres esse, dicitur non mo- 11
dò qui hæreditatem testamento delatam planè repudiat, sed & qui non paret conditioni, sub qua
hæres scriptus est [h]. Sed quid si repudiet, quod intelligit se non posse retinere, vt quia indignum se 12
esse non ignorat. Vulgò existimant hîc fisco magis quàm substituto fore locum. Sed vereor ne non
vera sit hæc vulgaris opinio. Nam quod responsum est; Si hęres non vindicet mortem defuncti, eo
tanquam indigno propterea summoto, fiscum admitti, præferrique substituto, etiam parato vin- 13
dicare [i]: id intelligi de eo qui iam hæres factus erat, & post aditam hæreditatem neglexerat hanc
vindictam, ex alio quodam responso intelligi potest [k]. Porrò hæredem esse non posse, vt substituto
sit locus, dicimus, cùm institutio pro non scripta habetur, vel est captatoria [l]: vel cũ hæres mortuus
est antequam adierit, vel etiam adire potuerit, veluti si viuo adhuc testatore moriatur. Dicebatur 14
olim hoc casu institutio esse in causa caduci. Sed tum substituto potius quàm fisco locum esse con-
stat. Nam & cùm filia impubes viuo patre decessisset, ex substitutione Seium hæredem extitisse, a-
pud Scæuolam legimus [m]. Pupillarem substitutionem eo casu euanescere Papinianus significat,
inquiens nihil esse quod de secundis tabulis tractetur, si filius antè moriatur [n]. Sed vulgatis saltem
substitutio etiam tacita locum tunc haberet. multo igitur magis expressa. Postremò hæc verba, SI
HÆRES NON ERIT, sic accipimus, VEL ALIVM HÆREDEM NON FECERIT. Vt cùm testator
sciens seruum aut filiumfa. instituat [o], eique substituat. Nam & si filius hæres esse nolit atque repu-
diet, pater autem esse velit, non extitit conditio substitutionis, sed pater tanquá hæres præferetur
substituto [p]. Si tamen filius, saltem maior infante, hæres esse non potuerit, quia mortuus sit, ante-
quam adiret: substitutum tanquam existente conditione admitti existimo. Non enim tum ad pa
trem filiusfa. admittit hæreditatem non aditam [a]. Sed & si filius ante aditam hęreditatẽ mortuus,
filium sibi relinquat hæredem, vix est vt huic cedat substitutus, nisi si coniectura voluntatis nepos
substituto prælatus videatur: quod videndũ est cùm quæritur, an ius transmissionis sit potius iure 15
substitutionis. Sanè cùm hæc verba, SI HÆRES NON ERIT, sic interpretamur, VEL ALIVM HÆ-
REDEM NON FECERIT, satis etiam significamus fideicõmissarium, cui hęreditas restituitur, cùm
quidem iam ipso effectu hæres fiat, præferri substituto [b]. Quòd si duo hæredes scripti sint, & vtriq;
vnus aliquis separatim substitutus: vno hęrede existente, alio non existente, dicemus cõditionem
substitutionis, pro parte existentis deficere, pro parte verò non existentis, existere. Est enim substi-
tutio potior iure accrescendi: & coniuncto quoq; cohæredi pręferri substitutum constat [c]. ¶ *Vt no* 16
uißimo loco.] Potest tamen & alio quouis loco vel gradu hęres institui: atque etiam ei substitui. Nam
quamuis quis sit necessarius hæres, vt non possit nolle: fieri tamen poterit, vt non possit hæres esse.
Qua ratione & filiofa. suo necessarioque hæredi substitui posset [d].

a L. sumn. l. puberem. C. de iure delib.
b L. licet. C. de iure delib.
c L. quandiu prior. de acquir. hæred.
d L. cum proponas. C. de hæred. instit.
e L. nã & si sub conditione. de iniusto rup.
f L. 3. C. de impub. & al. sub.
g L. pater Seuerin. §. de cond. & demonst.
h L. 2. C. de instit. & sub.
i L. si sequens. Ad Silan.
k L. eum qui. §. eũ. de iure fisci.
l L. 1. de his quæ pro non script. hab.
m L. Thai §. penult. de fideic. lib.
n L. quod si filius. de capti. & post. reu.
o L. si paterfa. de hæred. instit. l. 3. C. de hæred. instit.
p L. vl. § similiq; modo. C. de bonis quæ li.
a L. 2. C. ad Sena. Orphil.
b L. facta. §. Iulianus. ad Treb.
c L. 2. §. si duos. de bo. poss. secun. tab. l. vna. §. imprimis. C. de cad. tol.
d L. quãuis. C. de impub. & alijs substit.

§. *Et plures, cum §. sequent.*

1 *Eundem sibi quoque ipsi posse substitui.*
2 *Substituto vno pluribus collectiuè, quid?*
3 *Substitutione verbis distributiuis concepta, quid?*
4 *In fideicommissaria substitutione in vno conditio euenientis sufficit.*
5 *Substitutio reciproca, siue breuiloqua, quæ?*
6 *Si quis discretas portiones coniunctis pluribus separatim dederit, quid?*
7 *Eudamida Corinthij testamentum, et substitutio reciproca.*
8 *Portiones in institutione adiecta, tacitè repetita videntur in substitutione.*
9 & 13 *Theophilum §. hunc, Et si ex disparibus, non satis assecutum esse.*
10 *Substitutio & ius accrescendi in quibus differant?*
11 *Cùm testator hæredes suos proprijs nominibus, cùm item communiter appellatiuo nomine substituit, quid intersit?*
12 *An qui partem suam ex institutione repudiauit, ex substitutione habeat commodum?*
14 *Quem testator prætulit alteri institutione, eum & videtur prætulisse in substitutione.*

¶ *Et plures.*] Magna certè hîc significatur libertas substituendi. Sed adhuc maior apparebit, si 1
intelligamus eundem quoque sibiipsi substitui posse: mutata nempe conditione scriptæ causæ: sic
vt plusculum habeat commodi substitutio, quàm ipsa institutio [e].

e L. qui liberis. §. nemo instituens. l. vl. §. Titius. de vulga. & pupill.

¶ *Vel vnu*

¶ *Vel vnus in plurium.*] Diligenter expendenda sunt verba huius substitutionis. Nam si quis col-
2 lectiuè pluribus fuerit substitutus, non admittetur prius, quàm euenerit in omnibus cõditio substitutionis [a]. Sicuti & vbi apparet testatorem voluisse inter hæredes institutos cõseruare ius legitimæ successionis. vt si pluribus filijs suis institutis substituat aliquem in hũc modum: Si omnes impuberes moriantur. Nam vltimo impuberi morienti tantùm substitutus videtur. Cæterũ vbi ver-
3 bis distributiuis concepta foret substitutio, aliud dicendum esset. Vt si Caio & Sempronio, institutis hæredibus testator dixerit, Se vtrique substituere Titium. Nam hic singulis videbitur substitutus: sic vt vnius deficientis portio potius ad substitutum Titium, quàm ad cohæredẽ pertineat. Sanè illud dubitationem non habet; In fideicommissaria substitutione semper sufficere, si vel in
4 vno, qui fideicommisso grauatus est, conditio eueniat, vt locus sit substituto. Grauauit enim testator fidem vniuscuiusque [b]. ¶ *Vel inuicem ipsi.*] Hæc propriè appellatur à nostris Iurisconsultis sub-
5 stitutio reciproca [c]. Vulgus ineptè suo more appellat breuiloquam. Fieri autem potest quibuscunque tandem verbis, si modò ea reciprocationem quandam & mutuam succedendi vicissitudinem significẽt: vt si dicat testator: Vos inuicem substituo: vel, Vos inuicem institutos substituo [d]; vel Titius & Seius, vtérve eorum, hæres esto [e]. Porrò hoc loco sciendum est ac tenendum axioma Papiniani [f]: Qui discretas portiones coniunctis pluribus separatim dedit, ac post omnem institutionis
6 ordinem ita scripsit: Quos hæredes meos inuicem substituo: coniunctos primo loco vice mutua substituere videtur: quibus institutionũ partes non agnoscentibus, cæteros omnes cohæredes admitti. Ergo si quis dixerit: Titium & Sempronium instituo ex quadrãte, Valerium & Flaccum ex dodrante: & hos inuicem substituo: non erunt singuli singulis permixtim substituti: sed vnusquisque primo loco ei, cui nominatim coniunctus est. Quare si hic Titius hæres non fuerit, eius portio primùm deferetur Sempronio. Finem hic facere non possum, quin prius addam non minus memorabile, quàm rarum & insolens reciprocæ substitutionis exemplum, quod extat apud Lucianũ
7 in Toxari. Refert is quendam Eudamidam Corinthium, censu quidem pauperem, sed amicis locupletem, cui mater anus erat & filia nubilis, testamento suo reliquisse Aretæo cuidam amico suo matrem alendam, Charixeno alteri amico, filiam, quanta dote posset maxima, elocare: eosq; inuicem substituisse, vt si quid alteri accideret, quominus eiusmodi hæreditatis genus posset adire, huius partem alter haberet. Ridebunt hoc fortè testamentum multi, & olim riserunt, subsannantes beatos scilicet hæredes, cùm ipsi potius superstites mortuo traderent hæreditatẽ. Verùm ijs ignota est vis veræ amicitiæ, quæ tantum potuit apud scriptos hæredes, vt mandata implerent cupidissimè. Et cùm Charixenus morte præuentus non potuisset ipse imperata facere, non reiecit substitutionis onus Aretæus. ¶ *Ex disparibus partibus hæredes scriptos.*] Saltẽ tres numero, vt in exemplo, quo hanc rem explicat Vlpianus [g]. ait enim: Si plures sint instituti ex diuersis partibus, & omnes inui-
8 cem substituti: plerunque credendum est, ex ijsdem partibus substitutos, ex quibus inuicem instituti sunt: vt si fortè vnus ex vncia, secundus ex octo, tertius ex quadrante sit institutus: repudiante tertio, in nouem partes diuidatur quadrans: feratque octo partes qui ex besse institutus fuerat, vnam partem qui ex vncia: nisi alia mens fuerit testatoris: quod vix credendum est, nisi euidenter fuerit expressum. Hæc Vlpianus. Cur autem hic desideremus tres fuisse scriptos hęredes palàm est. quia nempe si duo tantùm essent scripti, nihil interesset, an ex paribus, an verò ex disparibus instituerentur. Æquè enim semper haberet is, qui hæreditatẽ adijsset, alterius repudiantis portionem.
9 quod hic videtur parum perspexisse Theophilus. Porrò ne quis fretus iure accrescendi temerè contemnat reciprocæ substitutionis beneficium, admonendus est, non esse omnino inutilem ipsam
10 substitutionẽ. Primùm enim ius accrescendi inuitis obuenit [h]; Substitutio liberè sperni ac repudiari potest [i]. Ius accrescendi transmittit transfertque accrescentem portionem cum suo onere [k]; non item substitutio. Sæpe enim legatur ab instituto, quod à secundo hærede non legatur, vt etiam inquit Tullius pro Cluentio. In hoc vtilius est ius accrescendi, quòd transeat ad ipsos hæredes [l], cùm tamen ius substitutionis cum persona substituta perimatur.

11 ¶ *Inuicem substituerit.*] Vel directò, vel per fideicommissum [m]. Interest tamen vtrũ proprijs nominibus eos substituat testator, an verò appellatiuo & communi nomine hæredis. Etenim si proprijs tantùm nominibus in substitutione vtatur, æquale erit ex substitutione omnium commodum [n]. Videtur enim magis habita ratio personarum, quàm datarum portionum [o]. Quare tum locum non habebunt quæ hic docet Iustinianus ex rescripto Diui Pij: sed tum demum, vbi appellatiua. & communi voce vsus testator dixit: Hæredes meos inuicem substituo. Rursus superiori casu, cùm singulorum hæredũ nomina propria expressa sunt, poterit is ex substitutione habere com-
12 modum, qui suam partem ex institutione repudiauit [p]. At hoc nostro casu, qui hæreditatem ex institutione repudiauit, non est quòd postea quicquam speret ex substitutione. Sunt enim hæredes inuicem substituti: ex quorum numero amplius non est, qui suam institutionem recipere probareq; noluit [a]. ¶ *Quas in institutione.*] Non quidem eius, cui substitutionis iure succeditur (quod hic
13 falso putauit Theophilus) sed eorum ipsorum, qui ex institutione ad hæreditatẽ venerunt, & nũc ad deficientem portionẽ, vt substituti, venire contendunt. Id quod manifestè probatur in responso Vlpiani [b]: & aperta est ratio. Vt enim testator aliũ alij prætulit in prima institutione; ita & in sub-
14 stitutionis commodo prætulisse videtur. Idque etiam apertè docet Iustinianus in Nouella sua Constitutione prima. Loquẽs enim de portione cohæredis non implẽtis mandata testatoris, quæ eo nomine cæteris cohæredibus imperata facturis accrescit, inquit: ὥσπερ αὔξειν ἐκείνοις κατὰ τὸ μέρος ἐπιτάττει

a L. cùm quidam. C. de impu. & alijs.
b L. Lucius. §. Caio. de vulg. & pup.
c L. quarta. de vulg. & pup.
d L. cum testamento. §. 1. de hæred. instit.
e L. Titius & Seius. cũ l. seq. de hær. instit.
f L. cohæredi. §. qui discretas. de vulg. & pupill.
g L. si plures. de vulg. & pupill.
h L. qui ex duobus. §. vlt. de acq. hæred.
i L. nec emere. C. de iure delib.
k L. vna §. hìs itaque. C. de cadu. tollen.
l L. si ex pluribus. de suu. & legati.
m L. Lucius §. pater. D. ad Trebell.
n L. nonnunquam. D. ad Trebell.
o L. si hæredes nominatim. de lega. 1.
p L. si tu ex parte. De acqui. hær.
a L. qui plures. 1. De vulg. & pup.
b L. si plures. de vulg. & pup.

[illegible].[accreſcere illis ſecundum partem inſtitutionis quæ vnicuiq; diſtributa eſt.] ¶ *Et ita Diuus Pius reſcripſit.*]Extat adhuc in Iuſtiniani Codice hoc reſcriptũ Diui Pij, his verbis [a]: Cùm hæredes ex diſparibus partibus inſtituti,& in uicem ſubſtituti ſunt, nec in ſubſtitutione facta eſt vllarum partium mentio: verum eſt, non alias partes teſtatorem ſubſtitutioni tacitè inſeruiſſe, quàm quæ manifeſtè in inſtitutione expreſſæ ſunt.

a *L.1 C de impub. & alijs ſubſtit.*

§. *Sed ſi inſtituto.*

1 Caſus §. huius.
2 Vulgaris & pupillaris ſubſtitutiones ſunt diſcernendæ.
3 Diuerſi iuris in vulgari & pupil. ſubſt. ratio.

¶ *Sed ſi inſtituto.*]Finge duos hæredes eſſe inſtitutos, quorum ſecundus primo ſubſtitutus fuerit,& rurſus huic ſecundo tertius quidam ſubſtitutus ſit. Hic docet Iuſtinianus tertium hunc ſub- 1
ſtitutum, ad vtriuſque hæredis partem ex ſubſtitutione peruenire poſſe, idque ſiue prior ſubſtitutus, poſt primum inſtitutum, ſiue antè deceſſerit. Nam æquè hic tertius ex ſubſtitutione poterit vtriuſque partem conſequi. Ea enim fuiſſe intelligitur mens teſtatoris, vt quem ſecundo, qui ſubſtitutus erat primo, ſubſtituit. eundem, repudiáte ſecundo, voluerit etiam ſubſtitutum eſſe primo: ne quid ad legitimos ab inteſtato hæredes abiret, ſed vt poſtremo loco in ſolidum ſuccederet ille tertius, quicunque tandem caſus eueniret. ¶ *Alius ei ſubſtitutus fuerit.*] Vulgariter ſcilicet. Nos enim hic de vulgari ſubſtitutione agimus. Cæterùm diuerſum eſt in pupillari ſubſtitutione. Nam ſi te- 2
ſtator duos reliquerit pupillos,& priori hæredi inſtituto, alterum inſtitutum quoque hæredẽ ſubſtituerit: deinde huic ſecundo tertium aliquem extraneum ſubſtituerit pupillariter. Si ſecundus moreretur ante primum: intercepta eſſet via,& adempta omnis ſpes conſequendæ hæreditatis primi pupilli. Id quod apertè Scæuola reſpondit his verbis [b]: Qui habebat filium & filiam impuberes, inſtituto filio hęrede filiam exhæredauit: & ſi filius intra pubertatem deceſsiſſet, filiam eidem ſubſtituit: ſed filię, ſi antequam nuberet, deceſsiſſet, vxorem ſuam, item ſororem ſuam ſubſtituit. Quęro, Cùm filia impubes prior deceſſerit deinde frater eius impubes: an filij hæreditas ad vxorem,& ſororem teſtatoris, iure ſubſtitutionis pertineat. Reſpondi ſecundum ea quæ proponerentur, non pertinere. Hæc Scæuola. Cur autem hic aliter iudicemus de vulgari, quàm de pupillari ſubſtitutione, aperta eſt ratio. Quòd in pupillari ſubſtitutione periculum non ſit, ne quis partim teſtatus, partim inteſtatus decedat. Nam ex ſubſtitutione pupillari non ſucceditur ipſi teſtatori, ſed pupillo. Et vbi diuerſæ duorum ſunt hæreditates, nihil prohibet vnum ex teſtamento, alium ab inteſta- 3
to habere hæredes. At longè aliud eſt in vulgari ſubſtitutione, ex qua ſucceditur ipſi teſtatori: qui ideo videretur partim teſtatus, partim inteſtatus deceſsiſſe, niſi etiam primi inſtituti portio deferatur vltimo ſubſtituto, qui nunc ſolus ſupereſt, qui poſsit ex teſtamento hæres eſſe teſtatoris.

b *L. qui habebat. De vulg. & pup. ſubſt.*

¶ *Diui Seuerus & Antoninus.*]Non puto extare horum Principum reſcriptum ſed extat eiuſdem ſenteutiæ reſponſum Iuliani, his verbis [c]: Si Titius cohæredi ſuo ſubſtitutus fuerit, deinde ei Sempronius: Verius puto in vtramque partem Sempronium ſubſtitutum eſſe. Extat & Papiniani reſponſum, qui etiam hanc rem ſatis explicat, his verbis [d]: Cohæredi ſubſtitutus, prius quàm hęreditatem adiret, aut conditio ſubſtitutionis exiſteret, vita deceſsit: ad ſubſtitutum eius (ſiue ante ſubſtitutionem, ſiue poſtea ſubſtitutus ſit) vtraq; portio pertinebit: nec intererit, prior ſubſtitutus poſt inſtitutum, an ante decedat. ¶ *Sine diſtinctione.*] Vter videlicet ex duobus hæredibus prior deceſſerit: vel vtrùm ſubſtitutus poſt inſtitutũ, an antè deceſſerit. Nihil enim hìc intereſſe, iam diximus ex Papiniano. Quanquam multum interſit in pupillari ſubſtitutione: in qua habetur magna ratio huius diſtinctionis, vt ſuprà dictum eſt ex Scæuola.

c *L. ſi Titius. de vulg. & pupil.*
d *L. cohæredi. de vulga. & pupil.*

§. *Si ſeruum.*

1 Error creditæ neceſsitudinis totam inſtitutionem vitiat.
2 Iuliani reſponſum cum hoc §. collatum.
3 Partis appellatione generali intelligi ſemiſſem.
4 §. huius duplex interpretatio.
5 Si iã facta conditionis loco teſtator ponat, quid iuris?
6 Errori quoq; & opinioni teſtatoris aliquid tribuendum.
7 In quæſtionibus ambiguis eligendam viam mediam.
8 Aetiologiam huius §. eſſe per ſe ineptam.
9 Parthenius quis?

¶ *Si ſeruum alienum quis.*] Maximè Paganus. alioqui hac in re, vt in alijs, militis teſtatoris opinionem & voluntatem magis ſequeremur: ſic vt totus as ad ſubſtitutum pertineret [e]. Neque enim quicquam temerè ex iuris æquitate, vel ſubtilitate aduerſus militis voluntatem ingerere ſolemus.
¶ *Patremfa. arbitratus.*] Alterius verò conditionis error, qui teſtatorem fefelliſſet, veluti creditæ ne- 1
ceſsitudinis, quæ vna fuiſſet inſtitutionis cauſa, poſſet totam inſtitutionem vitiare: vt ſi quem filium meum arbitrabar, inſtituerim: & is reuera filius meus [f] non ſit: Sanè tamen & qui frater non eſt, ſi fraterna charitate diligitur: rectè cum ſuo nomine ſub appellatione fratris, hæres inſtituitur, inquit Paulus [g]. Nam & ſi rectè à veteribus frater exiſtimatur dictus, quaſi ferè alter, apteq; à Cicerone

e *L. 3. C. de hær. inſtit.*
f *L. ſi pater. C. de hered. inſtituend.*
g *L. nemo. §. 1. de hær. inſtit.*

rone definitur Amicus, quòd sit idem alter; facilè conueniunt fratris & amici appellationes. Illud
verò magis præsentis loci est, vt obseruemus, responsum Iuliani [a], ex quo descripta est facti species, *a L. si pater fa. Titiũ de hæred. instit.*
2 de qua hic agitur, paulò aliter referri à Iustiniano. Nam Iulianus proponit ipsum substitutũ, fuisse
cohæredem serui: quod ex vetustis exemplaribus apparet: & satis licet colligere ex fine eius respõsi,
vbi Iulianus non nisi alterum hæreditatis semissem diuidit inter dominum serui, & substitutum:
quasi alter semis ex principali institutione pertinuerit ad ipsum substitutum. Alioqui sanè totus
as æqualiter esset diuidendus inter serui dominum, & ipsum substitutum, vt in specie à Iustiniano
hoc loco proposita. nisi credas Tiberium in sua causa iudicem plusculum sibi tribuisse, & cùm to-
tum sibi arrogare ex persona sui serui posse videretur, satis liberaliter cum substituto egisse, si alte-
rum saltem semissem cum eo partiretur, alterum tanquam præcipuum retineret: vt solent Princi-
pes in suis sępe causis sibi valde fauere. ¶ *In partem.*]Dimidiam scilicet totius hęreditatis. ita enim
3 semis solet intelligi generali partis appellatione: & manifestè hoc loco Theophilus tradit, hunc
substitutũ Mæuiũ admitti in semissem hæreditatis. ¶ *Illa enim verba.*]Hęc ratiocinatio non omni-
no conuenit superiori definitioni. quinimo subtiliter probare videtur, Mæuium substitutum sum
mo iure solum debere succedere: nec partem modò, sed totum assem hæreditatis consequi: quasi
extiterit conditio ipsius substitutionis. Nam cùm testator de eo quem patremfa. aut liberum exi-
stimabat, scripsit: Si hæres non erit: illud intelligebat: Si hæreditatem sibi non acquisierit, vel ei sal
tem, cuius iuri & potestati subiectus fortè fuerit. Atqui in casu nostro, qui hæres scriptus est, neque
sibi hæreditatem acquirit, cùm seruus sit, neque ei cuius potestati cœpit postea esse subiectus. Prius
enim dudum, & iam tum, cùm institueretur, seruus erat. Vnde quasi verè extiterit conditio substi
4 tutionis, videbatur substitutus debere summo iure consequi totum assem. Verùm huius interpre-
tationis subtilitas, contraria ratione visa est tolli posse: quoniam aliquo modo institutionis condi
tio in futurũ destinata, satis impleta videretur, quæ à principio extitit: vt si hîc ad summouendum
substitutum, satis fuisset institutum ipsum, alteri hæreditatẽ acquirere, cuius postea iuri subiectus
fuit: æquè satis sit, & perinde institutum à principio fuisse alterius potestati subiectum, cui hæredi-
tatem acquirat. Nam & respondit Paulus [b]: Si ea, quæ conditionis loco ponuntur, iam facta sint,
5 eaque facta testator nescierit: præsenti die debentur. Hæ duæ contrariæ rationes, controuersam & *b L. si ĩ factis. de cond. & demonst.*
6 ancipitem reddebant, propositæ quæstionis definitionem: nec visa est æquior vlla esse definitio,
quàm ex iusta partitione hæreditatis: vt semissem veritati, semissem errori & opinioni testatoris
7 tribueremus. Sic enim in quæstionibus ambiguis, quæ vtrinque iusta nituntur ratione, media via
solet eligi [c], quæ neutri parti sit onerosa [d]. ¶ *In eo quidem.*]Hanc distinctionem sumpsit Iustinianus *c §. fult. supr. quib. ex cau. manu. non lic.*
ex responso eiusdem Iuliani, cuius hæc sunt verba [e]: Nam qui scit aliquem seruum esse, & eum hæ-
redem scribit, & ita sustituit, SI TITIVS HÆRES NON ERIT, Sempronius hæres esto: intelligi- *d L. 1. D. si quis cautionibus.*
tur tale quid dicere; Si Titius neq; ipse hæres erit, neq; alium hæredem fecerit. Arqui si eum, quem
liberum putabat, hæredem scripserit: hoc sermone, SI HÆRES NON ERIT, nihil aliud intelligi- *e L. si pater fa. de hær. instit.*
tur significare, quàm si hæreditatem vel sibi nõ acquisierit, vel mutata conditione alium hæredem
non fecerit. quæ adiectio ad eos pertinet, qui patresfa. hæredes scripti, postea in seruitutem dedu-
cti fuerint. Hæc Iulianus. Cuius distinctionis postrema tantùm pars præsenti quæstioni seruit: nec
tamen sola probat superiorem definitionem, nisi aliam opponas rationem ex superiori responso
Pauli. Ex his verò duabus contrarijs rationibus, quarum prior solidum assem substituto, altera do
mino serui instituti addicere summo iure videtur: potest videri collecta quędam media sententia,
8 quæ vtrique semissem tribuit. Ita adiuuanda est ætiologia huius loci, quæ alioqui inepta & mutila
videri posset. Et mirum est Tribonianum non adiuuisse rationem Iuliani, quam referebat, eámve
plenius non accommodauisse propositæ quæstioni. ¶ *Idq; Tiberius.*]Hoc exemplum desumptum
est ex Pomponio, qui id retulit ex Sexto Pompeio, his verbis [f]: & hoc Tiberius Cæsar constituit in *f L. & hoc Tiberius. de hæred. instit.*
persona Parthenij; qui, tanquam ingenuus hæres scriptus, adierat hæreditatem, cùm esset Cæsaris
seruus. Nam diuisa hæreditas est inter Tiberium, & eum, qui Parthenio substitutus erat. Postre-
9 mò quòd attinet ad nomen Parthenij, scribit Suidas celebratum olim quẽdam Parthenium poë-
tam elegiacum, qui à Cinna in bello Mithridarico captus, deinde ob ingenium manumissus sit,
vixeritque adhuc imperante Tiberio: & testatur Tranquillus ipsum Tiberium maximè delecta-
tum illius scriptis. Vnde conijcit Viglius, Imperatorem eo nomine vocasse quendam è suis seruis,
cuius hic fiat mentio.

IN TITVLVM SEQVENTEM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Pupillarem substitutionem esse quasi ipsius puberis testamentum.* 2 *Pupillaris & vulgaris substitutionum discrimina.*



1 *VM impuberes iure testari non possint, permisere Romani, vt hac in re posset pupil-
lari ætati succurrere fida parentum prudentia, vt dum sibi testamentum faciunt, fa-
cerent et liberis suis impuberibus. Atq; hæc est illa, quæ appellatur pupillaris substitu-
tio, cùm reuera potius esse videatur quędã institutio; Est enim ipsius impuberis testa-*

a *mentum:*

a L. qui libern. §. ad substitutos. de vulg. & pup.

mentum: & ex ea non patri substituenti succeditur, sed ipsi impuberi: idq́; in omnibus eius bonis a. *Atque hoc primùm nomine differt à superiori substitutione vulgari, ex qua succeditur ipsi testatori substituenti. Est praeterea & aliud discrimen, quod tamen ex priori proficiscitur, nempe, quòd substitutioni pupillari obsit mors medij substituti: quo intercepto postea perueniri non potest ex vltima illa substitutione ad successionem primi instituti, quemadmodum pluribus suprà docuimus. Deinde pupillaris substitutio non aliter locum habet, quàm si pupillus intra pubertatem moriatur post testatorem. At vulgari substitutioni locus est, etiam si scriptus haeres ante testatorem decesserit: nec aliter locum habet, quàm si ille haeres non fit. Postremò vulgaris substitutio fit à quocunq; testatore, & cuicunque: At pupillaris, non nisi liberis impuberibus, & à solis parentibus: nec tamen omnibus.*

De pupillari substitutione, Titulus XVI.



Liberis suis impuberibus, quos in potestate quis habet, non solùm ita, vt suprà diximus, substituere potest: id est, vt si haeredes ei non extiterint, alius sit ei haeres: sed eo amplius, vt si haeredes ei extiterint, & adhuc impuberes mortui fuerint, sit eis aliquis haeres: veluti si quis dicat hoc modo, TITIVS FILIVS MEVS HAERES MIHI ESTO. ET SI FILIVS MEVS HAERES MIHI NON ERIT, SIVE HAERES ERIT: ET PRIVS MORIATVR, QVAM IN SVAM TVTELAM VENERIT: TVNC SEIVS HAERES ESTO. quo casu, si quidem non extiterit haeres filius, tunc substitutus patri fit haeres. Si verò extiterit haeres filius, & ante pubertatem decesserit, ipsi filio fit haeres substitutus: Nam moribus institutum est, vt quum eius aetatis filij sint, in qua ipsi sibi testamentum facere non possunt, parentes eis faciant.

Qua ratione excitati, etiam Constitutionem posuimus in nostro Codice: qua prospectum est, vt si qui mente captos habeant filios, vel nepotes, vel pronepotes, cuiuscunq; sexus vel gradus: liceat eis, etsi puberes sint, ad exemplum pupillaris substitutionis, certas personas substituere. sin autem resipuerint, eādem substitutionem infirmari sancimus: & hoc ad exemplum pupillaris substitutionis, quae postquā pupillus adoleuerit, infirmatur.

Igitur in pupillari substitutione secundum praefatum modum ordinata, duo quodammodo sunt testamenta: alterum patris, alterum filij, tanquam si ipse filius sibi haeredem instituisset: aut certè vnum testamentum est duarum causarum, id est, duarum hereditatum.

Sin autem quis ita formidolosus sit, vt timeat, ne filius suus pupillus adhuc ex eo, quòd palàm substitutum acceperit, post obitum eius periculo insidiarum subiaceat: vulgarem quidem substitutionem palàm facere, & in primis testamēti partibus ordinare debet. Illam autem substitutionem, per quam, si heres extiterit pupillus, & intra pubertatem decesserit, substitutus vocatur: separatim in inferioribus partibus scribere, eamq́; partem proprio lino, propriaque cera consignare, & in priore parte testamenti cauere, ne inferiores tabulae viuo filio & adhuc impubere aperiantur.

Illud palàm est, non ideo minus valere substitutionem impuberis filij, quòd in eisdem tabulis scripta sit, quibus sibi quisque haeredem instituisset: quamuis pupillo hoc periculosum sit.

Non solùm autem haeredibus institutis impuberibus liberis ita substituere parentes possunt, vt si haeredes eis extiterint, & ante pubertatē mortui fuerint, sit eis haeres is, quem ipsi voluerint: sed etiam exhaeredatis. Itaque eo casu si quid exhaeredato pupillo ex haereditatibus legatisve, aut donationibus propinquorum atque amicorum adquisitum fuerit: id omne ad substitutum pertinebit.

Quaecunq; diximus de substitutione impuberum liberorum, vel haeredum institutorum vel exhaeredatorum, eadem etiam de posthumis intelligimus.

Liberis autem suis testamentum nemo facere potest, nisi & sibi faciat. Nam pupillare testamentum, pars & sequela est paterni testamenti: adeò vt si patris testamentum non valeat, nec filij quidem valebit.

Vel singulis liberis, vel ei, qui eorum nouissimus impubes morietur, substitui potest. singulis quidem, si neminem eorum intestatum decedere voluerit: nouissimo, si ius legitimarum haereditatum integrum inter eos custodiri velit.

Substituitur autem impuberi aut nominatim, veluti, Titius: aut generaliter, vt,

QVISQVIS

QVISQVIS MIHI HAERES ERIT. Quibus verbis vocantur ex substitutione, impubere mortuo filio, illi, qui & scripti sunt hæredes, & extiterunt, & pro qua parte hæredes facti sunt.

Masculo igitur vsque ad quatuordecim annos substitui potest: fœminæ vsq; ad duodecim annos: & si hoc tempus excesserint, substitutio euanescit.

Extraneo verò, vel filio puberi hæredi instituto, ita substituere nemo potest, vt si hæres extiterit, & intra aliquod tempus decesserit, alius ei sit hæres: sed hoc solùm permissum est, vt eum per fideicommissum testator obliget alij hæreditatem eius, vel totam, vel pro parte restituere. quod ius quale sit, suo loco trademus.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 *Quibus liberis substitui possit?*
2 *Mater cur pupillariter substituere nequeat?*
3 *Africanus cur tabulas matris, quibus filio impuberi substituit, vocet pupillares?*
4 *Substituto pupillo ante substituentis mortem in potestate eius esse desinente, corruit substitutio.*
5 *Expressa vulgari pupillarem substitutionem tacitè inesse intelligi.*
6 *An substitutioni pupillari insit tacitè quoq; vulgaris? eáque de re contentio olim Romæ Crassi & Scæuolæ.*
7 *Pupillaris substitutionis effectus qui?*
8 *Exhæredato quoque substitui posse.*
9 *In substitutione militis, item patris arrogatoris, quid?*
10 *Intercepto eo qui priori gradu pupillo substitutus erat, hæres fit pupilli substitutus secundus, iure tacita vulgaris.*
11 *Mater exclusa non habet contra pupillarem substitutionem querelam inofficiosi.*

1 LIberis.] Hoc est, filijs, vel nepotibus, & deinceps[a]. Sed & posthumis quoque ita substitui posse *a L.2.de vulg.et pup.*
postea tradit Iustinianus. ¶ *Suis.*] Naturalibus scilicet ac legitimis: vel etiã legitimis tantùm,
veluti arrogatis, aut sanè ita adoptatis, vt in nostram transierint potestatem. ¶ *Impuberibus.*] Hoc
est, vt interpretatur ipse Vlpianus[b], donec masculi ad quatuordecim annos perueniant, fœminæ *b L.2 de vulg.et pup.*
ad duodecim. Qua ætate cùm ipsi sibi possint testamentum facere[c], & hæredem deligere, non o- *c L.qua ætate.de test.*
2 pus habent amplius aliorum prouidentia. ¶ *Quos in potestate habet.*] Ergo mater, cùm liberos non
3 habeat in sua potestate,[d] ijs non substituet pupillariter. Vocat tamen Africanus,[e] Pupillares ta- *d §.fœminæ. supr. de adopt.*
bulas, quibus prudens mater, quę substituere filio intra pubertatem morienti non poterat, hære-
dem eum instituit, cùm erit pubes. Hæc enim institutio effectum non dissimilem habet pupillari *e L.si mater.de vulg. & pupill.*
substitutioni. Et hac etiam cautione, loco pupillaris substitutionis, vti possunt extranei: nisi mã-
4 lint per fideicommissum id agere. Porrò adeò hîc oportet pupillum esse in potestate substituẽtis,
vt si fortè esse desierit ante eius mortem, corruat[f] substitutio, nec conualescat, quæ semel ita cor- *f L.cohære di.§.cũ filiæ.de vulg.& pupil.*
ruit, si rursus qui emancipatus fuerat, recidat in pristinam potestatem. ¶ *Sine hæres erit, & prius*
moriatur.] Hæc verba propriè pertinent ad pupillarem substitutionem, sicuti superiora ad vulga-
rem. Sed quæsitũ est, an nõ altera vtrique casui sufficiat formula. Modestinus[g] refert, Diuos fratres *g L.4.de vulg.et pup. substit.*
constituisse, vt pater impuberi filio in alterum casum substituens, in vtrumque casum substituisse
5 intelligatur, siue filius hæres non extiterit, siue extiterit & impubes decesserit. Neque verò dubi-
um est, quin expressæ vulgari substitutioni inesse tacita pupillaris intelligatur. Nam & id Vlpia-
6 nus tradit[h]. Sed an etiam è diuerso expressę pupillari insit tacita vulgaris, magis dubitatur. Quã- *h L.2.§.vlt.de vulg. & pup.*
uis enim prima illa verba constitutionis Marci & Veri generalia sint: tamen exemplum quod sub
ijcitur propriè tantùm agit de expressa vulgari, cui pupillaris tacita inesse intelligitur. Ac sanè Ro-
mę olim in centumuirali iudicio agitata est huius generis nobilissima quæstio, inter Iurisperito-
rum eloquentissimum Crassum, & eloquentium Iurisperitissimum Scæuolam, cùm quidam Co-
ponius posthumo suo filio nascituro pupillariter substituisset M. Curium: & posthumo non nato
Curius quasi etiam vulgariter substitutus admitti vellet. Substituti causam tuebatur Crassus. Con
trà dicebat Scæuola. Sed centumuiros pronunciasse secundum Crassum, Cicero in Oratione pro
Cecinna significat. Ornatè (inquit) & copiosè Crassus homo longè eloquentissimus, paulò antè
quàm nos in forum venimus, iudicio centumuirali hanc sententiam defendit, & facilè cùm con-
tra eum prudentissimus homo Q. Mutius diceret, probauit omnibus, M. Curium, qui hæres insti
tutus esset ita, mortuo posthumo filio, cùm filius non modò non mortuus, sed ne natus quidem
esset, hæredem esse oportere. Sic igitur Centumuirale hoc iudicium adiuuat Marci & Veri consti-
tutionem: & hæc eorum sententia frequentius recepta est. Scio non deesse, qui Scæuolæ magis
assentiãtur, & Constitutionem Marci & Veri restringant, quasi tantum velit expressæ vulgari sub
stitutioni inesse tacitam pupillarem: non etiam expressæ pupillari inesse tacitam vulgarem. Sed
nescio an satis graues sint rationes, quibus hoc discrimen probare volunt. ¶ *Et ante pubertatem*] *i L.cum filiofam.de lega.3.*
Hoc est, quod suprà dixit, prius quàm in suam tutelam venerit. quoniam autem variè accipiuntur
ea verba,[i] Iustinianus mutato sermonis genere adiecit interpretationem. ¶ *Ipsi filio sit hæres*] Id- *k L.qui liberis.§.ad substitutos.de vulga. & pupill.*
7 que in omnibus bonis eius. Sic enim scribit Vlpianus:[k] Ad substitutos pupillares pertinent, & si

quę posteà pupillis obuenerint. Neque enim suis bonis testator substituit, sed impuberis: cùm & 9
exhæredato substituere quis posit: nisi mihi proponas militem esse, qui substituit hæredem hac
mente, vt ea sola velit ad substitutum pertinere, quæ à se ad institutum peruenerunt. Excipere præ
terea possumus ipsam substitutionē factam à patre arrogatore, qui solùm potest in iis bonis, quæ
à sese quæsita sunt, substituere [a]. ¶ *Substitutus*] Non is modò, qui primo gradu pupillariter sub-
stitutus est, sed etiam is, qui secundo loco compendiosè substitutus fuit huic substituto primo. Ita
videlicet, vt substitutus secundus posit hæres esse pupilli, licet prius fuerit interceptus is, qui prio- 10
ri gradu pupillo substitutus erat Veluti si pater filio suo pupillariter substituerit Titium: & quan-
docunque Titius moreretur, ei deinde substituerit Caium. Hic si prius Titius decesserit, deinde
pupillus adhuc impubes: pupilli hæreditatem consequetur Caius iure tacitæ substitutionis vulga-
ris, inclusæ in illa compendiosa, cuius nunc euenit conditio, cùm Titius pupilli hæres non fuerit.
Cæterùm vbi vtraque substitutio esset pupillaris: hæc non obtinerent, vt & suprà dictum est. Tum
enim ad substitutum secundi gradus non peruenirent bona pupilli, sublato prius & intercepto
eo, in cuius solius successione tota spes erat [b]. ¶ *Parentes eu faciant.*] Idque multo liberius, quàm
posset ipse pupillus pubes factus sibi facere. Nam mater, quæ à filio præterita vel exhęredata habe-
ret querelam inofficiosi, non habebit aduersus pupillarem substitutionem, quam parens ipse fe- 11
cerit: sed omnino excludetur per substitutum [c].

a L. si arrogator. §. vl. de adopt.

b L. qui habebat. De vulg. & pup.

c L. Papin. §. sed nec impuberis. de inoffic. testam.

§ *Qua ratione. cum §. sequenti.*

1 *Exemplaris substitutio quæ?*
2 *Mente captus substitui olim quomodo potuerit?*
3 *In exemplari substitutione nullum sexus aut potestatis discrimen est.*
4 *Exemplariter substitui cur non nisi puberibus posit?*
5 *Differentia inter exemplarem & pupillarem.*
6 *Verè aliquo conualescente aut resipiscente, statim euanescit substitutio.*
7 *Noua præter spem calamitate eueniente, nouis opus est subsidijs.*
8 *Suscepta præter spē sobole, vt reuocatur profusior donatio, ita & infirmatur substitutio.*
9 *Testamentum patris, & substitutio pupillaris, vbi vnum esse videri posint?*
10 *Institutus solus ex certa parte, consequitur tamen hæreditatem vniuersam.*
11 *Testamētum patris & substitutio pupillaris, vbi duo videantur testamenta?*
12 *Sequela & accessio cohæret principali, non & contrà.*

¶ *Qua ratione excitati.*] Apertè hic Iustinianus, & apertius in sua Constitutione, ait hanc sub-
stitutionem esse introductam ad exemplum pupillaris. Qua ratione vulgò vocatur exemplaris. & 1
eius quidem vsus latissimè patet: quia conuenit omnibus propè personis, quæ ipsæ sibi testamen-
tum facere non possunt. ¶ *Constitutionem.*] Extat hæc Iustiniani constitutio libro sexto codi-
cis.[d] ¶ *Qua prospectum est.*] Vulgari scilicet ac libero beneficio: cùm tamen olim, mente captis
substitui non posset, nisi id à Principe impetratum foret, quod non carebat magna molestia & 2
difficultate. ¶ *Mente captos.*] Vel alio morbo vitióve impeditos: veluti si sint Muti, Surdi, vel etiā
Prodigi, quibus bonis interdictum est. Si tamen hi ante vitium, iustum fecissent testamentum, id
ratum manebit. ¶ *Cuiuscunque sexus.*] Sed & cuiuscunque sexus parentes possunt hac vti substi- 3
tutione: in qua nullum sexus aut potestatis est discrimen. Itaque & mater furioso filio substituere
poterit.[e] ¶ *Et si puberes sint.*] Hoc est, Quamuis omnino puberes sint, quibus ita substituitur. Quod
addo, ne quis hæc verba implicatiuè accipiat. Reuera enim non nisi puberibus exemplariter (vt 4
ita loquar) substitui potest. nā si furiosus sit impubes, magis ei substituetur pupillariter. Est enim
potior naturalis ratio ætatis.[f] Et ordinario remedio cedere debet extraordinarium.[g]
¶ *Ad exemplum pupillaris.*] Vt videlicet quemadmodum ratione minoris ætatis concessum
est patri ius substituendi, ita & miseratione furoris concedatur. Nemo tamen existimet, eandem
esse conditionem vtriusque substitutionis. Nam & aliquod discrimen paulò antè notauimus.
¶ *Certas personas.*] Primùm filios suos, ipsius furiosi fratres, si quos habet: qui si nulli sint, aliū
quemuis. Cuiusmodi nulla fit distinctio in pupillari substitutione. Pupillariter enim statim qui- 5
uis substitui potest. ¶ *Siu autem resipuerint.*] Theophilus vertit, ἐν τῷ τῆς παραφροσύνης [illegible]
πάθει: vt hic intelligamus solidam sanitatem, extincto prorsus morbo furoris. At si hi solùm ha-
buerint dilucida quædam intermissi furoris interualla, nisi interim testamentum ipsi sibi fece-
rint, non euanescet eo statim nomine substitutio: maximè si in pristinum relapsi morbum deces-
serint. Nam nec videbitur vnquam fuisse sanus, qui solùm ad aliquod tempus in quiete fuit in-
umbrata,[h] manentibus reliquijs veteris morbi, quem nunquam prorsus desijsse, etiam si latuerit,
apparet ex eo, quod rursus se se statim exerat nulla noua causa prouocatus. Cæterùm si quis verè 6
semel resipuisset, procul dubio statim euanesceret substitutio: nec redintegraretur, etiam si is
postea aliquo fortè casu in pristinum morbum recideret. Neque enim præstolamur, aut con-
sideramus inopiam ac nouam hominis calamitatem:[i] quæ si præter spem euenerit, nouo sub- 7
sidio, nouáque substitutione opus esset. Porrò quod hî[illegible]citur de resipiscentia; trahit Paulus ad
susceptam præter spem sobolem: vt quemadmodum eo nomine reuocatur profusior donatio [k], 8
ita & infirmiter substitutio, ne sit filio fraudi. Pauli verba, quæ & memorabilia sunt, & totum
hunc locum bene explicant, sunt hæc; Ex facto quæritur; Qui filium habebat mutum puberem,
impetrauit

d L. humanitatis. C. de impu. & alijs subst.

e d. L. humanitatis.

f L. qui habet. de tutelis.

g L. in causa. de minoribus.

h L. quod meo. de acquir. poss.

i L. inter stipulātem. §. sacram. de verbor. obligat.

k L. si vnquam. C. de reuocan. donat.

l L. ex facto de vulg. & pup.

impetrauit à principe, vt muto substituere ei liceret, & substituit Titium. Mutus duxit vxorem post mortem patris, & nascitur ei filius: quæro, an tum parur testamentum: Respondi, Beneficia quidem Principalia ipsi Principes solent interpretari: verùm voluntatem Principis inspicientibus, potest dici, eatenus id eum tribuere voluisse, quatenus filius eius in eadem valetudine perseuerasset: vt quemadmodum Iure Ciuili pubertate finitur pupillare testamentum, ita Princeps imitatus sit ius in eo, qui propter infirmitatem restari non posit. Nam etsi furioso filio substituisset, diceremus desinere valere testamentum, cùm resipuisset: quia iam posset sibi testamentum facere. Etenim iniquum incipit fieri beneficium Principis, si adhuc id valere dicamus: auferet enim testamenti factionem homini sanæ mentis. Igitur etiam agnatione sui hæredis dicendum est, rumpi substitutionem: quia nihil interest, alium hæredem instituerit ipse filius postea, an iure habere cœperit suum hæredem. Nec enim aut patrem aut Principem de hoc casu cogitasse verisimile est, vt eum, qui postea nasceretur, exhæredaret.

¶ *Aut certè vnum testamentū est.*]Hæc ἐναντίωσις indicat, multa hic esse, quibus modò esse duo te-
9 stamēta, modò vnicū tantùm iudicare posimus. Primùm enim si spectes testatorē, vnicū videtur.
idē & si cōsideres, quæ interuenire debent in testamentis ordinandis. Nā hic sufficiunt septem re-
stes: eosq; saris est signasse paternū testamentum, etiamsi non meminerint testamenti pupillaris[a].
At diuersum obseruatur in diuersis testamentis diuersorum hominum[b]. Id quod sanè & hic obser
uaretur, si prius dudum pater sibi ipsi testatus, postea ex interuallo pupillares faceret tabulas. quasi
tum reuera duo sint testamenta.[c] Rursus si hic expendas rationem legis Falcidię, non nisi vnum
patris & filij restamentum videbitur: cùm non nisi vnus semel quadrans vtriusque nomine de-
10 tur.[d] Postremò est hoc vtrique commune, quod vt à testatore institutus ex certa parte hæres, non
dato alio cohærede, nihilominus consequitur solidum assem hæreditatis:[e] ita & pupillariter sub-
11 stitutus.[f] Contrà autem multa sunt, quibus videantur hic esse duo testamenta. vt si diuersis tem-
poribus, & ex interuallo fiant. Deinde quia sunt diuersæ hęreditates patris & filij[g]. Postremo, quòd
pater scribens sibi tabulas testamenti, potest sine scripto per nuncupationem facere testamentum
pupillare:[h] cùm tamen vnum idemque testamentum non posit ad eum modum distrahi, vt
partim scriptum. partim nuncupatiuum sit. Certè qui impugnat principale patris testamentum
quasi indignus repellitur & à substitutione pupillari: vtpote quæ sit coniuncta & vnita principali
testamento. At e diuerso, qui solas pupillares tabulas impugnat, non perdit emolumentum testa-
12 menti principalis: quasi id diuersum sit.[i] Et aperta est ratio discriminis: quòd sequela & accesio
cohæreat principali: non item e diuerso principale cohæreat accesioni.

a L. patris & filij. De vulg. & pup.
b L. pen. de testam.
c L. si quis eū. de vulg. & pup.
d L. in ratione. 1. §. quod vulgo. D. ad leg. Falc.
e L. 1. §. si ex fundo. de hæred. instit.
f L. cohæredi. §. vl. de vulg. & pup.
g L. 2. §. interdum. D. illo tit.
h L. patris & filij. in fi. D. illo tit. l. si ita scriptum §. vlti. de bon. possess. secund. tab.
i L. post legatū §. qui principale. de ijs qui vt indig.

§. *Sin autem quis ita. cum §. seq.*

1 *A substitutis structas sæpe pupillis insidias.*
2 *Milesia mulier partum medicamentis abigens à substituto persuasa.*
3 *Tutor olim pupillo substitutus cur à Sergio Galba cruci affixus?*
4 *Alio vulgariter filio substituto, alio pupillariter, an contineatur tacita pupillaris?*
5 *Expressum præualet tacito.*
6 *Neronis tēporibus tabulæ quomodo primū obsignatæ.*
7 *Alexander Lucianicus tabulas resignādi arte nobilis.*
8 *Nulla consilijs parendi necesitas est.*
9 *Exhæredato etiam pupillariter substitui potest.*
10 *Exhæredato filio substitutus cur legatis grauari non posit?*
11 *Triphonij responsum emendatum.*
12 *Posthumi pro iam natis vbi habeantur?*

¶ *Ita formidolosus sit*] Sanè quotidiana rerum experientia satis admonet, non omnino vanam
1 esse harum insidiarum formidinem,

Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?

Atque olim quoque à substitutis structas frequenter fuisse pupillis insidias, indicant impia illa vulgi vota apud Persium, Saty. 2.

Pupillumve vtinam, quem proximus hæres Impello, expungam.

2 Notaque est illa mulier Milesia, quæ accepta à substituto pecunia, partum suum medicamentis
abegit necauitque:[k] & sceleratus ille tutor, cruci olim affixus ab Imp. Sergio Galba, quòd pupil-
3 lum, cui substitutus erat, veneno sustulisset. Quare & hæc pericula pupillaris ætatis omnium insi-
dijs expositæ, mouerunt olim veteres, vt noluerint pupillum educari apud eos, ad quos proximè
pertineret legitima eius successio[l]. ¶ *Vulgarem substitutionem palàm facere.*]Maximè si adijciat & re-
stetur, alium esse quem filio pupillariter substituit. alioqui sanè parum hæc profuerit cautio: & ab
eo qui vulgariter substitutus erit, cùm satis intelligat, expressa vulgari substitutione cōtineri & ta-
citam pupillarem[m], non minus periculum metuendum est, formidandæque insidię, quàm ab eo,
4 qui palam & expresè esset pupillariter substitutus. Certè vbi alium vulgariter substituimus, alium
pupillariter filio: constat nullam tacitam pupillarem substitutionem comprehendi vulgari substi
5 tutione nominatim facta[n]. Præualet enim expressum tacito.
¶ *Proprio lino obsignare.*] Suetonius refert Neronis tēporibus, aduersus falsarios primùm repertū
6 esse, ne tabulæ nisi pertusæ ac ter lino per foramina traiecto, obsignarentur. Huc pertinet quod
noster Scæuola scribit, incisum linum fuisse, vt recognosceretur testamētum[o]. meminit & Lucia-
nus in Timone. loquens enim de aperiundis testamenti tabulis, ait: εἰσεσδαὶ τὸ σημεῖον ἀφαιρεθῆ, κ̓ τὸ

k L. Cicero. de pœnis.
l L. 1. D. vbi pup. e du. debeat.
m L. iam hoc iure. de vulg. & pupill.
n L. eàm ex filio. §. filio. de vulg. & pup.
o L. Aurelius. §. testamento facto. de liber. legat.

λίνου ἐκτμηθῇ, καὶ ἡ διαθήκη ἀνοιχθῇ [vbi signum ablatum,& lineum filum incisum,atq; testamenti tabulæ apertæ essent.]Idem alio loco refert quendam olim fuisse Alexandrum, aduersus quem parum 7
profuisset tota hæc cautio. Ille enim obligatas lino obsignatasque tabulas, ea arte aperire sciebat. vt nemo deprehendere posset fuisse apertas.

¶ *Nihilo minus valere.*]Liberum enim est cuiq; apud sese explorare,an expediat sibi consiliū[a]: 8
atq; deinde illud vel reijcere,vel sequi.Nulla enim est consilio parendi necessitas[b]. Id quod sentiendum est & de omnibus ijs.quæ tradunt Legumlatores,*συμβουλεύοντες μᾶλλον, ἢ νομοθετοῦντες*,[consilia magis dantes,quàm lege iubentes.]vt verbis vtar Iustiniani. ¶ *Sed etiam exhæredatis.*]Præteritis verò vix substitui potest:quia ipsa præteritio principale testamētum infirmet.Et quāuis exhæredatis possit substitui,ne moriantur intestati,sicuti & tutores dari:non tamen licet legata in tabu 9
lis pupilli exhæredati relinquere.Legata enim(inquit Papinianus[c]) & secūdis tabulis data, quasi in primis sub conditione relicta intelligūtur. nempe vt hæres testatoris, qui in primis tabulis scriptus est,ea debeat,si intra pubertatem filius decesserit. At hic filius,cùm non sit hæres, debere non potest legata in primis relicta tabulis:sed ad ipsum hæredem pertinet eorum præstatio[d]. Hinc est
quòd nec ipse substitutus exhæredato filio,possit legatis grauari[e]. Neque enim testator plus iuris 10
in substitutum habere potest,quàm in eum,cui substituit[f].Sed vt ab eo valeāt relicta legata,oportet hæreditatem,vel eius partem,ad substitutum peruenisse per filium,cui substitutus est. ¶ *Itaq; eo casu.*] Alio casu,nempe cùm filio hæredi instituto substituitur, omnia quoque filij bona vndecunque ei obuenerint,ad substitutum pertinent[g]. ¶ *Idomne ad substitutum pertinebit.*]Cum hoc loco nequaquam pugnat Triphonini responsum[h], si emendatè legatur ad hunc modum: Si miles exhæredauerit filium,vel sciens eum suum filium esse,silentio præterierit:an legatum à substituto ei dari possit?quæsitum est. Dixi,non posse: licet ampla legata reliquerit exhæredato. Miles & emancipato filio substituere potest. Verùm hoc ius in ijs exercebitur,quę ab ipso ad eum,cui substituit,peruenerint:non etiam in ijs,quæ habuerit,vel postea acquisierit. Nam & si filio suo,viuo adhuc auo,substituit: pòst acquisitam ei aui hæreditatem,nemo diceret ad substitutū pertinere. Hæc Triphonius.qui non negat,quod hîc docet Iustinianus,Substitutum filiofa.pupillariter,consequi etiam ea bona,quæ filio postea obuenerunt:sed illud solum negat,à filio exhæredato nō valere legatorum dationem.Et multum interest inter onus legati, & ipsam substitutionem, quam pupilli interest valere,ne moriatur intestatus. Altera pars responsi Triphonini,huc non pertinet: loquitur enim de milite.qui singulari iure substituere potest,etiam exhæredato filio: saltem ratione eorum bonorum,quæ à sese proficiscuntur. ¶ *De posthumis.*]Qui licet verè in potestate esse non possunt.vtpote nondum nati[i]:quia tamen hîc de eorum fauore agatur,pro natis haberi[k] possunt.Extatque vetus exemplum Coponij qui posthumum hęredem instituit,eiq; Curium quendam substituit. Et ex Cicerone in iure nostro relatum est, Mulierem quandam Milesiam partum abegisse adhuc in vtero,cui quis erat substitutus[l].

a L.2.in fi.D.Mādati.
b L.cùm pater.§.mando.de legat.2.
c L. in ratione. 1.§. quod vulgo. de vulg. & pup.
d §.legatum est.infr. de lega.
e L.cum quidā.C.de leg. l. ab exhæredati. de leg.1.l miles ita.§. similes.de mil testa.
f L. qui fundū.§.qui filios.D.ad leg. Falci.
g L qui liberu.§.ad substitutos. de vulg. & pup.
h L. Miles ita §.pen. de mil.testament.
i L.vl C.de colla.bo.
k L. qui in vtero.de statu homi.
l L.Cicero.de pœnis.

§.*Liberis autem.cum §§.sequentib.*

¶ *Nemo facere potest.*] Nisi fortè sit miles, inquit Vlpianus[m], dum totum hunc locum ita explicat:Quisquis impuberi testamentum facit, sibi quoque debet facere. Cæterùm soli filio non poterit:nisi fortè miles sit.Adeò autem nisi sibi quoque fecerit,non valet;vt nisi etiam adita patris hę 1
reditas sit,pupillare testamentum euanescat. Planè si omissa causa principalis testamenti, ab inte- 2
stato possideatur hæreditas; dicendum est, & pupillo substitutum seruandum. ¶ *Nisi & sibi faciat.*]Idque priori loco. Sic enim ait Vlpianus[n]:Prius sibi quis debet hæredem scribere,deinde filio substituere. & non conuertere ordinem scripturæ. Et hoc Iulianus quoque putat. Cæterùm si antè filio, deinde sibi testamentum faciat, non valere. Sanè tamen si substitutioni statim ita 3
fuerit subiecta institutio, vt facilè restitui possit verborum metathesis: non oberit tantilla vocum inuersio.Atque illud est,quod idem ait Vlpianus; Sed si quis ita fuerit testatus, si filius meus intra decimum-

m L.2 §.quisquis. de vulg.& pup.
n L.2.§ prim. de vulga.& pup.

decimum quartum annum decesserit, Seius hæres esto: & deinde, filius hæres esto: valet substitu-
tio, licet conuersa scriptura filij testamentum fecerit. ¶ *Nam pupillare testamentum.*] Hæc ratio *a L. pen. D. quemad:*
4 sumpta videtur ex responso Pauli [a], qui ait: Sicut codicilli pars intelliguntur testamenti: ita secun- *testa. aper.*
5 dæ tabulæ, principalium tabularum partem obtinere videntur. ¶ *Adeo,*] Hæc epitasis descendit
ex hac generali & vulgata iuris regula; si principalis causa non subsistat, nec sequela vel accesio *b L. quod per manus.*
6 consistere potest [b]. ¶ *Non valeat.*] Vel ab initio, vel etiam ex interuallo. Distinguendæ tamen *de iure codic. l. cùm*
sint hic causæ, quia non omnes ad euertendas quoque tabulas pupillares pertinent. Primùm, si *principalis. de reg. iu:*
per querelam inofficiosi Iure Ciuili rescindatur testamentum in solidum: simul corruent tabulæ *c L. Papin §. sed nec*
pupillares hoc iure [c]: non etiam si pro parte tantùm [d]. At si iure Honorario, veluti per Bonorum *impubern. de inoffi.*
possesionem contra tabulas, paternum subuertatur testamentum: ratæ nihilominus manebunt *testa. pubern. de inoff.*
tabulæ pupillares [e]. Nam nec eas simul euertere vult Prætor. Nec si velit, omnino posit sine causa. *testa.*
Porrò si inefficax reddatur patris testamentũ, quia non adeatur ex eo hæreditas: inefficaces quo- *d L. in substitutione.*
que erunt tabulæ pupillares. Sed etsi testamentum ex interuallo irritetur, quia pater aliud posteri- *de vulg. & pup.*
us fecerit: non manebit rata substitutio [f]. ¶ *Vel singulis.*] Totus hic locus ad verbum descriptus est *e L. ex duobus. §. vlt: de vulg. & pup.*
ex responso Florentini [g]. ¶ *Vel ei qui eorum nouissimus.*] Quid si duobus impuberibus institutis, sim- *f L. si quis cum. §. si suo. de vulg. & pup.*
7 pliciter ita substituat; Si vterque impubes decesserit? Hic sanè Iustinianus probauit [h] sententiam *g L. vel singulis. de*
Sabini, vt perinde sit, atque si nouisimo tantùm substituisset. ¶ *Si ius legitimarum hæreditatum.*] *vulg. & pup.*
Sic videlicet, vt fratres superstites præferantur substituto. Id quod eleganter explicat Iulianus, his *h L. cum quidam. C.*
verbis [i]: Si pater impuberes filios inuicem substituerit, & ei, qui nouisimus mortuus fuerit, Titi- *de imp. & al. substi.*
um: respondendum est, solos fratres bonorum possesionem accepturos. & quodammodo duos *i L. si pater impube-*
gradus huius institutionis factos, vt prius fratres inuicem substituerentur: si illi non essent, tunc *res. de vulg. & pup.*
Titius vocaretur. Sanè si hic extranei instituti essent, inter quos nullum esset ius legitimæ ab inte-
stato succesionis, & nouisimo aliquis esset substitutus ex toto asse: vt ex testatoris voluntate to-
tus as aliquando ad substitutum perueniat, necesse est, alterum substitutionis gradum inducere, *k L. Titia Seio. §.*
vt hic qui nouisimo substitutus est, alijs quoque prius decedentibus tacitè videatur substitutus [k]: *Seia. libertu de leg. 2:*
hicque omnes intelligantur quasi per fideicommissum rogati, vt totus tandem as Titio substituto
aliquando restituatur. Et cùm hodie nouo iure mater ab intestato succedens cum fratribus, im-
8 pedimento sit, quo minus integrum inter fratres conseruetur ius legitimæ succesionis, vt ad eum
qui nouisimo substitutus est, ex voluntate testatoris tota perueniat hæreditas: non temerè puta-
uit Viglius, & hoc quoque nostro casu necessarium esse quandam substitutionem tacitam inter
fratres inducere, quando ijs iam satis non est ius legitimarum hæreditatum.

¶ *Quibus verbis vocantur.*] Quòd autem attinet ad verba substitutionis nominatim factæ, ijs
vocantur & qui ipsi substituenti hæredes non extiterunt. neque hic necesse est substitutum, esse
ab ipso quoque testatore scriptum hæredem. Quinimo & si fuerit scriptus, tamen etiam repudia-
ta eius hæreditate, vtetur substitutione: nisi omnino hac conditione fuisset substitutus; Si patris
9 hæres esset [l]. Rursus alio nomine differt nominatim facta substitutio à generali: quòd nominatim *l L. qui liberis. de*
substitutus viriles æqualésque partes consequatur, non autem eas, quas fortè haberet in principa- *vulg. & pup.*
li sua institutione [m]. At generaliter substituti, in pupilli succesione non alias partes consequuntur, *m L. nonnunquam:*
quàm eas, quas habent in ipsius testatoris hæreditate, vti etiam paulo pòst docet Iustinianus. *D. ad Treb.*

¶ *Illa.*] Vel etiam ille: ne quis existimet superiorem formulam generalis substitutionis omni-
no desiderare multitudinis numerum. Nam & si hic aliquis solus hæres fiat testatori, etiam sub-
stitutionis emolumentum auferet [n]. ¶ *Et scripti sunt.*] Ergo hic ad substitutionem non admit- *n L. in testamento §.*
teretur hæres legitimus, qui scriptus non fuit. Sed nec dominus, cui per seruum, nec pater, cui per *vlti. D. si quis omiss.*
filium hæreditatis portio quæsita [o] est. Imò verò ipse seruus si manumissus fuerit, vel filius si eman- *cau. testa.*
10 cipatus, sibi acquiret substitutionis emolumentum. Præterea hic non admittetur hæredis scripti *o L. cum filio. de vulg. & pup.*
hæres [p]: quia nec ipse scriptus est, nec ex iudicio testatoris venit. quamuis alioqui dici soleat; hære- *p L. qui liberis. §. hæc*
dem hæredis, testatoris quoque ipsius hæredem esse [a]. Si quando tamen hic hæredis hæres nitere- *verba. de vulg. & pu-*
tur etiam testatoris iudicio, posset ad substitutionem admitti: vt in quodam responso Pauli [b]. *pill.*
quemadmodum & vbicunque alioqui periculum esset, ne non haberet hæredem pupillus: vt cùm *a hæredis. l. scitandũ.*
vnus tantùm scriptus est hæres, & generaliter concepta pupillaris substitutio: si is patri hæres *de verb. signi.*
extiterit, sed pupillo adhuc viuente decesserit, eius hæres pupillo postea intra pubertatẽ mortuo *b L. paterfa. prim §. de vulg & pup.*
succedet, saltem necessario iure quodam accrescendi, si quis ei vellet negare ius substitutionis [c]. *c L. qui patri. de nec. quor. hæred.*
11 ¶ *Extiterunt.*] Necesse est enim conditionem ascriptam euenire: sed semel euenisse sufficit.
Itaque satis hic est, semel eos extitisse hæredes: vt licet postea esse desierint, nihilominus ad substi-
tutionem vocentur. Scribit enim Iulianus [d]; placuisse Prudentibus, huic substitutioni locum esse, *d L. in substitutione.*
si quis quandocunque hæres fuisset: & quamuis viuo pupillo hæres esse desijsset, fortè ex causa de *de vulg & pup.*
inofficioso; futurum tamen eum hæredem ex substitutione. Non simili modo in hac specie di-
cendum est, si quis cùm duos filios haberet, Caium puberem, Lucium impuberem: ita filio substi-
tuisset; Si Lucius filius meus impubes decesserit, neq; mihi Caius filius meus hæres erit, tunc Seius
hæres esto. Nam Prudentes ita hoc interpretati sunt, vt ad impuberis mortem conditio substitu-
tionis esset referenda.

¶ *Pro qua parte hæredes facti sunt.*] Non etiam pro qua parte hæredes scripti sunt. Fieri enim hic
potest vt maiorem cõsequantur ex hæreditate testatoris portionem, quàm ex qua scripti fuerunt:
vt si cuius cohæredis repudiantis portio ijs accreuerit. Hic itaque in diuisione hæreditatis pupil-
laris habebitur ratio non tam scriptarum portionum, quàm acquisitarum. Id quod Caius, ex

 cuius

a L. si in testamento. de vulgari & pupill.

cuius responso hic locus desumptus videtur, apertè adiecit, inquiens [a]: Si in testamento hæredes scripri, ita alicui substituti fuerint, vt si is hæres non esset, quisquis sibi hæres esset, is in parte quoq; deficientis esset hæres: pro qua parte quisquis hæres extitisset, pro ea parte eum quoque in portionem deficientis vocari placet: neque interesse iure substiturionis quisque ex maiore parte hæres factus esset, an verò per legem alteram, alicuius partem vindicasset.

b L. 3. §. minore. de Minoribus.
c L. qua ætate. de testa.

¶ *Excesserint.*] Ergo saltem vsque ad vltimum momentum pupillaris ætatis durat hæc substi- 13
tutio. quod receptum est fauore pupillorum: sicuti & cùm agitur de restiturione minorum [b].
Non tamen id remoratur testamenri factionem: ad quam sufficit vltimum decimiquarti anni
diem attigisse: nec excessisse oportet [c]. Et si eo die factum sit testamentum, proculdubio statim
euanescet substitutio.

d L. 2. de vulg. & pup.
e L. milites etiam, & l. milites ita. § pen. de milit. testamento. l. in testamento 1. C. eo tit.
f dic. § exhæredato.
g L. sed & si plures. §. ad substitutos. l. Centurio. de vulga. & pup.
h L. verbis ciuilibus. l. cohæredi §. cùm filiæ & l. in pupillari. de vulg. & pupill.

¶ *Extraneo.*] Qui nec natura nec iure coniunctus est. Cæterùm eum, quem prius arrogaueri- 14
mus, impuberem, si scribamus hæredem: licebit ei pupillariter substituere [d]. ¶ *Nemo potest.*] Qui 15
scilicet miles non sit. Nam militi liberum est, & extraneo, & hæredi filio puberi emancipatoque 16
directò substituere [e]. Et si cui compendiosè ita substituerit; Titio hæredi meo, quandocunque
decesserit, Seium substituo: si quidem is, cui substituitur, vel pubes sit filiusfamiliàs, vel emancipatus, vel extraneus, non consequetur substitutus alia bona, quàm quæ proueniunt à restatore milite [f]. Sin autem sit filiusfa. impubes, & moriatur ante pubertatem; consequetur substitutus non
modò testatoris bona, sed etiam ea, quæ sunt ipsi pupillo propria [g]. At si post pubertatem: separa-
buntur testatoris patris bona à filij bonis aliunde acquisitis. Quod & in compendiosa substitutio- 17
ne à Pagano verbis directis facta filiofamiliàs impuberi, recipitur: vt ea euanescat pubertate solùm quod attinet ad bona propria ipsi pupillo [h]. In bonis autem paternis ratum manebit ius substitutionis: saltem per inrerpretarionem fideicommissi ex verisimili voluntate testatoris. Quanquam ab initio non consisteret, atque ideo nec ad fideicommissum trahi posset hæc substitutio, si ab initio facta esset à Pagano, filiofamiliàs puberi, vel emancipato, vel extraneo, his verbis directis, QVANDOCVNQVE IS DECESSERIT, TV HÆRES ESTO. Sed vt hîc rectè aliquid agat testator, oportet eum fideicommittere, quemadmodum docet Iustinianus. ¶ *Per fideicommissum.*] Ergo, quod apud Iustinianum in Nouella eius Constitut. 108. dicitur, licuisse patri plures habenti liberos iam puberes, vt eius verbis vtar, ἀλλήλους αὐτοὺς ἐξ ἀπαιδίας ἀντικαταστῆσαι, [eos nõ existentibus liberis mutua vice substituere,] accipiendũ erit pro eo, quod idem alio loco, nempe in Nou. Constitut. 39. eadem de re agens magis propriè ait, τὰ πράγματα ἐξ ἀπαιδίας ἀντικαταστῆναι. [res, filijs non existentibus, restitui.] vt magis fideicommissum, quàm substitutionem inrelligamus.

¶ *Suo loco trademus.*] Postea enim plenius aget de fideicommissarijs libertatibus. Interim hoc
loco breuiter admonendi sumus, multum interesse, an quis hæredem directò faciat per substituti- 18
onem, an tantùm fideicommisso honoret. Nam hæres succedit omnibus bonis eius, cuius scriptus est hæres. At fideicommissum tantùm comprehendit bona testatoris, quæ nec in solidum restituuntur, sed vno quadrante diminuta.

IN TITVLVM SEQVENTEM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Testamenta irrita, aut ab initio talia sunt, aut postea fiunt.*
2 *Iniustum testamentum quod dicatur?*
3 *Rumpi testamentum quando dicatur?*
4 *Irritum fieri testamentum quando?*



HACTENVS de præcipuis partibus iusti testamenti: nunc videamus quid possit testamentum euertere. Et sanè testamenta quæ rata non habentur, vel ab initio irrita sunt, vel postea fiunt. Prioris generis est iniustum testamentum, cùm vel desunt 1
solennia iuris, vel præteriti sunt quos oportuit instituere, aut exhæredare: vel sanè 2
cum testator ipse, aut qui institutus est, non habet testamenti factionem. De quibus omnibus satis superq; disputatum est superioribus titulis. Alterius generis est testamentum, ab initio quidem iustum & ritè factum, sed quod postea rumpitur infirmaturq;. De eo nunc dicere parat Iustinianus hoc Titulo: & docet dupliciter id accidere, hoc est, Vel manente in suo statu testatore,
veluti per agnationem sui hæredis; aut per posterius testamentum; quibus modis propriè rumpi dici- 3
tur testamentum: Vel etiam non manente in suo statu testatore, vt quia capite minui-
tur, idem & si eo mortuo, non adeatur eius hæreditas; tuncq; propriè 4
irritum fieri dicimus testamentum.

Quibus

Quibus modis testamenta infirmentur, Tit. XVII.



ESTAMENTVM iure factum, vsque eò valet, donec rumpatur, irritúmve fiat. Rumpitur autem testamentum, cùm in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti ius viciatur. Si quis enim post factum testamentum adoptauerit sibi filium per Imperatorem, eum, qui est sui iuris: aut per Prætorem secundum nostram Constitutionem, eum, qui in potestate parentis fuerit: testamentum eius rumpitur quasi adgnatione sui hæredis.

Posteriore quoque testamento, quod iure perfectum est, superius rumpitur: nec interest, extiterit aliquis hæres ex eo, an non. hoc enim solum spectatur, an aliquo casu existere potuerit. Ideóque si quis aut noluerit hæres esse, aut viuo testatore, aut post mortem eius, antequàm hæreditatem adiret, decesserit: aut conditione, sub qua hæres institutus est, defectus sit: in his casibus paterfamilias intestatus moritur. Nam & prius testamentum non valet, ruptum à posteriore: & posterius æquè nullas habet vires, cùm ex eo nemo hæres extiterit.

Sed & si quis priore testamento iure perfecto, posterius æquè iure fecerit: etiam si ex certis rebus in eo hęredem instituerit: superius tamen testamentum sublatum esse, Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. cuius Constitutionis verba & hîc inseri iussimus, quum aliud quoque præterea in ea Constitutione expressum sit: Imperatores Seuerus & Antoninus Cocceio Campano: Testamentũ secundo loco factum, licet in eo certarum rerum hæres scriptus sit: perinde iure valere, ac si rerum mentio facta non esset: sed & teneri hæredem scriptum, vt contentus rebus sibi datis, aut suppleta quarta ex lege Falcidia, hæreditatem restituat his, qui in priore testamento scripti fuerant, propter inserta fideicommissi verba, quibus, vt valeret prius testamentum, expressum est, dubitari non oportet. Et ruptum quidem testamentum hoc modo efficitur. Alio autem modo testamenta iure facta infirmantur. veluti, cùm is qui fecit testamentum, capite diminutus sit. quod quibus modis accidat, primo libro retulimus. Hoc autem casu irrita fieri testamenta dicuntur, quum alioqui & quæ rumpuntur, irrita fiant: & ea, quæ statim ab initio non iure fiunt, irrita sint. Sed & ea, quæ iure facta sunt, & postea per capitis diminutionem irrita fiunt, possumus nihilo minus rupta dicere. Sed quia sanè commodius erat singulas causas singulis appellationibus distingui, ideo quædam non iure facta dicuntur, quædam iure facta rumpi, vel irrita fieri.

Non tamen per omnia inutilia sunt ea testamenta, quæ ab initio iure facta per capitis diminutionem irrita facta sunt. nam si septem testium signis signata sunt, potest scriptus hæres secundum tabulas testamenti bonorum possessionem agnoscere: si modò defunctus, & ciuis Romanus & suæ potestatis mortis tempore fuerit. Nam si ideò irritum factum sit testamentum, quia ciuitatem, vel etiam libertatem testator amisit, aut quia in adoptionem se dedit, & mortis tempore in adoptiui patris potestate sit: nõ potest scriptus hæres secundum tabulas bonorum possessionem petere.

Ex eo autem solo non potest infirmari testamentum, quòd postea testator id noluerit valere: vsque adeò, vt si quis post factum prius testamentum posterius facere cœperit, & aut mortalitate præuentus, aut quia eum eius rei pœnituit, id non perfecerit: Diui Pertinacis Oratione cautum sit, ne aliàs tabulæ priores iure factæ, irritæ fiant, nisi sequentes iure ordinatæ & perfectæ fuerint. nam imperfectum testamentum sine dubio nullum est.

Eadem Oratione expressit, non admissurum se hæreditatem eius qui litis causa Principem reliquerit hæredem: neque tabulas non legitimè factas, in quibus ipse ob eam causam hæres institutus erat, probaturum: neque ex nuda voce hæredis nomen admissurum: neque ex vlla scriptura, cui iuris auctoritas desit, aliquid adepturum. Secundum hoc Diui Seuerus & Antoninus sæpissimè rescripserunt: Licet enim (inquiunt) legibus soluti simus, attamen legibus viuimus.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 *Testamentorum vitia quæ?* 2 *Testatore statum mutante, testamentum fit irritum.* 3 *Exhære-*

3 Exhæredatio filij emancipati, sequenti eiusdem arrogatione non tollitur.
4 Extraneo prius instituto, exhæredatio, si tandem arrogetur, non nocet.

I*Vre factum.*] Quod scilicet ab initio constabat. alioqui sanè rumpi non diceretur, quod nullum
est [a]. Porrò huc pertinet responsum Papiniani, quo breuiter omnia vitia testamentorum com-
prehenduntur, his verbis [b]: Testamentum aut non iure factum dicitur, vbi solennia iuris defue- 1
runt: aut nullius est momenti, cùm filius qui fuit in patris potestate, præteritus est: aut rumpitur
alio testamento, ex quo hæres existere poterit, vel agnatione sui hæredis: aut irritum constituitur
non adita hæreditate. ¶ *In eodem statu manente testatore.*] Miror cur Theophilus contrario sensu
hunc locum verterit (si modò corrupta non est apud eum lectio.) μὴ μείναντος τοῦ τεστάτορος ἐπὶ τῆς
αὐτῆς καταστάσεως. [cum non mansisset testator in eodem statu.] Certè quando testamentum infir- 2
matur, non manente in eodem statu testatore, non dicitur propriè rumpi, sed irritum fieri.

¶ *Adoptauerit sibi filium.*] Vel etiam nepotem: modò è medio sublatus sit ille, ex quo hic fin-
gitur nepos [c]. Nam alioqni nulla hic esset agnatio sui hæredis. ¶ *Quasi agnatione sui hæredis.*] Qui
scilicet non inuenitur hæres institutus [d], vel quia præteritus est, vel etiam exhæredatus [e]. Cæterùm
exhæredatio eius, qui adhuc extraneus erat, si qua fortè inueniatur, inepta prorsus esset ac ludicra,
nulliusq; momenti [f]. Si tamē filius sit emancipatus, qui rursus postea arrogetur, prior eius exhære- 3
datio ritè facta efficeret, ne sequēti eius arrogatione rumperetur patris testamentū. Quòd si extra-
neus prius institutus, deinde exhęredatus sit ac tandem post testamentū arrogatus, non rumpetur 4
eo nomine testamentū, quia reperitur institutus: nec exhæredatio postea arrogato nocere [g] potest.

a L. nam etsi sub conditione. de iniusto rup. & irri. fac. test.
b L. 1. D. illo cit.
c L. filio. §. vlt. de lib. & posthum.
d D. §. vltimo.
e L. non putaui. §. si quis emancipatum. de bon. possess. cont. tabulas.
f L. quidam cùm filium. de verb. oblig.
g dic. §. si quis emancipatum.

§. *Posteriore. cum §. sequenti.*

1 *Nouissima semper testatoris voluntas seruanda est.*
2 *Posteriora derogant prioribus.*
3 *Quando posteriore testamento non etiam ritè perfecto rumpatur tamen prius?*
4 *Ad interpretationem posterioris testamenti iure perfecti, nihil repetendum ex priori.*
5 *In tacito fideicommisso quid?*
6 *Miles duo rata testamenta relinquere potest.*
7 *Clausula reuocatoria priorum testamentorum necessaria est.*
8 *Codicilli non reuocantur per posteriores, nisi cōtrarij.*
9 *Qualis conditio in posteriori testamento prius rumpat.*
10 *Fieri potuisse non videtur, quod iure Ciuili fieri non potuit.*
11 *Qualis posterioris testamenti sit conditio multum interest.*
12 *Conditio impoßibilis pro non adiecta habetur.*
13 *Intestatus quis dicatur?*
14 *Quod purè emptum, non potest denuo sub conditione emi.*
15 *Posterior eiusdem hæredis institutio conditionalis nō reuocat priorem puram.*
16 *In legatis, etiam rei eiusdē, scriptura posterior valet.*
17 *Testatore in testamento posteriore instituente hæredem ex re certa, & prius tamen valere volente, quid iuris?*
18 *Quid, si miles secundò testetur?*
19 *Quid, si alius ex parte, alter vniuersaliter eodem testamento instituatur.*

¶ *Posteriore quoq; testamento.*] Potiores esse τὰς τελευταίας διαθήκας. [postremas tabellas.] ait et-
iam Lucianus in Dialogis. Et quod hîc de tabulis testamenti dicitur, trahi potest & ad codicil-
los [h]: hoc tamen discrimine, quòd posteriores codicilli non derogent prioribus, nisi quatenus
contrarij [i] sunt: at posterius testamentum prorsus tollit, & ipso iure abolet prius, etiam si testator
principalem suam voluntatem non mutarit [k]. Rursus quod hîc dicitur de testamento, pertinet
etiam ad singulas testamenti partes, veluti substitutiones [l], legata [m], fideicommissa [n]. Et ne mul-
tis morer, in vniuersum iure traditum est; nouissimam semper voluntatem testatoris esse seruan-
dam [o]. Et alio superius loco admonuimus, in multis alijs iuris nostri partibus, posteriora semper 1
derogare prioribus, cùm ageretur de nouis legibus, quæ veteres abrogant. ¶ *Quod iure perfectum* 2
est.] Inquit Vlpianus [p]: Tunc prius testamentum rumpitur, cùm posterius ritè perfectum est: nisi
fortè posterius vel iure militari sit factum; vel in eo scriptus est, qui ab intestato venire potest. tunc 3
enim & posteriore non perfecto, superius rumpitur. Et adeò quidem, vt hîc non obsit, filium esse
præteritum in posteriori testamento [a]. Satis enim est, si in eo instituti fuerint, qui ab intestato suc-
cedere poterant. Porrò refert Iustinianus paulò post orationem Pertinacis; Ne aliàs tabulæ priores
iure factæ, irritæ fiant, nisi sequentes iure ordinatæ & perfectæ fuerint. ¶ *Superius.*] Totum, vt
nulla eius pars supersit aut maneat rata, Adeo, vt licet plerunque vti soleamus vna testamenti 4
parte ad interpretationem alterius [b]: hic tamen ad interpretationem posterioris testamenti, nihil
repetamus ex superiori. Quare quod in priori testamēto nominatim tribuerat testator liberis ma
sculis, si id in posteriori simpliciter tribuat liberis, admittentur & fœminæ. Omnino enim nihil
repetitur ex superiori, quod in posteriori omissum est [c]. Itaque legatum vel fideicommissum in
priori testamento relictum, non debebitur, si posterius iure perfectum sit testamentum, in quo
nominatim repertum non est [d]. quanquam sanè aliud sit in tacito fideicommisso. Sic enim scri- 5
bit Papinianus [e]: Cùm tacitum fideicommissum ab eo datur, qui tam in primo quàm in secundo
testamento pro eadem parte, vel postea pro maiore hæres scribitur: probatio voluntatis mutatæ ei
debet incumbere, qui conuenitur, cùm secreti suscepti ratio plerumque dominis rerum persua-
deat,

h L. diui. §. licet. de iure Codic. l. cum proponas. C. de Cod.
i dic. l. cùm proponas.
k L. si iure. de leg. 3. l. 3. §. item si ipse. D. si cui plus quam per leg. Falcid.
l L. si quis eū. de vulg. & pup.
m L. si mihi & tibi. § in legatis. de lega. 1.
n L. clari. C. de fideicommiß.
o L. sancimus. §. ipso iure. C. de testa. L. 3. § t. l. translatio. in fi. de. adi. legat.
p L. 2. de iniusto rup.
a L. si duobus. § si prius. de bon. possess. cont. tabul.
b L. si seruus plurium. § 1 de lega. 1.
c L. si tibi certa. de adim. lega.
d L. si iure testamento. de lega. 3.
e L. cum tacitum. de probat.

deat, eos ita hæredes scribere, quorum fidem elegerunt. Et ad eum quoque modum consulti Im-
peratores rescripserunt [a]. Postremò cùm dicimus, superius testamentum rumpi posteriori, scien-
dum est, id de Paganorum testamentis dici. Aliud enim est in milite, qui potest duo relinquere
6 testamenta [b] rata. ¶ *Rumpitur.*] Ipso iure [c]. Nec tamen inutilis est clausula, quam solent hodie no-
7 stri tabelliones de more adijcere testamẽtis, qua testator dicitur reuocare omnia priora testamen-
ta. Ea enim saltẽ est necessaria, si quod fortè prius testamentũ nominatim derogaret sequentibus [d].
8 Deinde multum esse potest vsui, quia plurimũ vtimur codicillis. at ij non reuocantur ipso iure per
posteriores, nisi quatenus contrarij sunt. ¶ *Hoc enim solum spectatur.*] Ad hunc modum Pomponius [e]:
Cùm (inquit) in secundo testamento hæredẽ eum, qui viuit, instituimus, siue pure siue sub condi-
tione: si tamen conditio existere potuerit, licet non extiterit, superius testamentum erit ruptum.
9 ¶ *Existere potuerit.*] Iure Ciuili. Neque enim satis esse videtur ad rumpendum prius testamentum,
si ex posteriori hęres existere potuerit Honorario iure tantùm. Finge priori testamento institutum
filium fa. posteriori præteritum: & si is viuo patre decedat, responsum [f] est, testamentum superius
non rumpi. nempe quia ex posteriori nullus hæres existere possit iure Ciuili. Atqui ex æquitate
Prætoria hic potuit testamentum posterius sustineri [g], & ex eo bonorum possessio peti. Sed id, si
quidem reuera non extiterit hæres, non consideramus ad subuertendum, quod alioqui Iure Ciui-
10 li ratum est. Et fieri non potuisse videtur, quod nec factum est, nec communi Iure Ciuili fieri pote-
rat. ¶ *Conditione.*] Quæ tamen existere potuerat, inquit Pomponius [h]: additq;, multum interes-
11 se, qualis conditio posita fuerit. Nam si in præteritum concipiatur, veluti, si Titius Consul fuit:
siquidem ea vera est: cùm ex hoc hæres sit, superius testamentum proculdubio rumpitur. At si Ti-
tius Consul non fuit, superius testamentum non est ruptum. Idem & si ad præsens tempus condi-
tio adscripta est. In futurum verò collatæ conditiones, si possibiles sint, & existere possint: licet non
extiterint, efficiunt, vt superius testamentum rumpatur. Si verò impossibiles sint, veluti, si Titius
digito cœlum tetigerit, hæres esto: placet perinde esse, quasi conditio adscripta testamento nõ sit,
quæ est impossibilis. Hæc Pomponius. Cuius sententiã, vt rectè percipiamus, animaduertendum
est, eam hic requirere conditionẽ, quæ existere possit: quia impossibilis conditio pro non adiecta
12 habetur: nec reddit institutionem conditionalem. Itaq; huc non pertinet, vbi agitur de conditio-
13 nali institutione. ¶ *Paterfa. intestatus moritur.*] Docet alio postea loco Iustinianus [i]: Intestatum di-
ci, qui aut omnino testamentum non fecit, aut non iure fecit: aut id quod fecerat, ruptum irri-
túmve factum est, aut si ex eo nemo hæres extiterit. ¶ *Ruptum à posteriore.*] Ergo posteriores tabu-
læ, etiam si in ijs solum sub conditione hæres scriptus est, statim rumpunt priores, quę puram con-
14 tinebant hæredis institutionem. Diuersum tamen est in contractibus. Nam si id quod purè emi,
15 rursus sub conditione emam: nihil agitur posteriore emptione [k]. Sanè & posterior eiusdem hære-
dis institutio conditionalis, nõ reuocat priorem puram. Sic enim scribit Pomponius [l]: Si te hære-
dem instituero, & deinde sub conditione te eundem instituam, nihil valere sequentem institutio-
16 nem: quia satis plena prior fuisset. In legatis tamen, etiam eiusdem rei, semper spectamus posterio-
rem scripturã. Itaq; (inquit noster Valens [m]) quod hæres purè dare iussus est, quódve purè legatum
est, cùm id ex interuallo sub conditione legatum est, posterius valet. ¶ *Sed & si quis.*] Totus hic lo-
cus cum ipso rescripto Impp. ad verbum descriptus est ex responso Martiani [n]. ¶ *Cum aliud quoq;.*]
Nempe illud ipsum quod ab Vlpiano respõsum est, his verbis [o]: Si Paganus, qui habebat iam factũ
17 testamentum, aliud fecisset, & in eo comprehendisset, fidei se hæredis cõmittere, vt priores tabulæ
valerent, omnimodo prius testamentũ ruptum est. quo rupto quæri poterit, an iure codicillorum
id valere debeat, cùm & hæc verba sint fideicõmissi. Et sine dubio vniuersa quæ illic scripta sunt, in
causa fideicõmissi erunt: non solùm legata & fideicommissa, sed & libertates, & hęredis institutio.
18 Porrò autẽ nominatim meminit Vlpianus Pagani testatoris, quia longè plus tribuatur militi: qui
etsi nullius fideicõmissi meminerit, nõ rumpit prius testamentũ. nisi quatenus ei repugnat dispo-
sitio posterioris. Proinde si ex parte certa in priori testamento instituerit hæredẽ, deinde in secun-
do testamento aliũ ex alia parte, non irritabitur prius testamentũ, aut prior institutio. Coniectura
enim est, eum voluisse (quod potest) relinquere duo testamenta æquè valida. Idem etsi cùm ex asse
vnum scripsisset hæredẽ, alium deinde ex parte scribat. Quo fit vt ius accrescendi locum non soleat
habere in testamento militari [p]. Illud nullã dubitationẽ habet, Duo militis testamẽta valere, si hoc
specialiter expresserit. Quòd si in secundo testamento cõprehendisset, fidei se hæredis cõmittere, vt
priores tabulæ valerent: respondit idẽ Vlpianus [a], idem statuendũ, quod hîc in Pagano statuitur;
quia apparet eũ voluisse prius testamentũ non ipso iure valere, sed magis per fideicõmissum, id est,
in causam fideicõmissi & codicillorũ, vim prioris testamenti conuertisse: nec modò legata, sed &
ipsam hæredis institutionẽ. Hoc fortassis interest, q; fideicõmissum militis nõ ita minuatur dedu-
cto quadrante, vt pagani testatoris. ¶ *Perinde iure valere, ac si, &c.*] Inquit Vlpianus [b]: Si ex fundo fuis-
set aliquis solus hæres institutus, valet institutio detracta fundi mentione. Hicq; verũ erit, q; Sabi-
nus [c] scribit, periude habendũ, ac si fundũ nõ nominasset. Illud porrò hoc loco notandũ est; solũ hę-
redẽ videri institutũ, etiam si quis alius in priori testamẽto esset scriptus. Quòd si quis ex certa parte
19 hæres institutus esset, adiecto in eodẽ testamento cohærede vniuersali, nõ nisi pro legatario habe-
retur [d]. ¶ *Sed & teneri.*] Vbi scilicet testator in secundo testamento fidei hæredis cõmisit, vt priores
tabulæ valerent. ¶ *Hæreditatem restituat.*] Hoc est, reliquũ hęreditatis: ex quo debebũtur & legata in
priori testamento relicta. Totum enim prius testamentũ censetur cõuersum in causam fideicom-
missi [e]. ¶ *Dubitari non oportet.*] Addit Martianus [f]: Et hoc ita intelligendum est, si nõ aliquid specia-
liter contrarium in secundo testamento fuerit scriptũ. Quibus verbis significat, quod apertius ait
Vlpianus [a],

a L. Statius Florus. de iure fisci.
b L. quærebatur l. militis. §. miles castrensium. de milit. testa.
c L. sancimus. C. de testam.
d L. si mihi & tibi. de lega. 1.
e L. cùm in secundo. de iniusto rupto.
f L. si filius. de liber. & posth.
g L. posthumus. l. filio præterito. de iniusto rupto & irri. fac.
h L. cùm in secundo. de iniusto rup.
i §. 1. de hæred. quæ ab intest.
k L. si id quod purè. de rescind. vendit.
l L. si te solum de hæred. instit.
m L. non ad ea. de cond. & demonst.
n L. si quis priore. D. ad Sen. c. Trebell.
o L. pupillus. §. si paganus. de iniust. rupto & irri. fac. testam.
p L. si miles vnum. de mili. testam. l. 1. C. de test. mil.
a L. quærebatur. de milit. testam.
b L. 1. §. si ex fundo. de hæred. instit.
c L. si alterius. de hæred. instit.
d L. quoties. C. de hæred. instit.
e L. posthumus. §. si paganus. de iniusto rup. l. quærebatur. de milit. testa.
f dic. l. si quis priores. D. ad Sena. Trebell.

a dic. l. quærebatur, ad finem.

Vlpianus[a]; & institutionem, & omnia legata in priori testamento relicta, hoc fideicommisso contineri: nisi aliud testatorem scripsisse probetur.

§. *Alio autem, cum §§. sequentib.*

1 Qualibet capitis deminutio ad irritandum testamentum satis est.
2 Adoptio impuberis pupillares tabulas irritat.
3 Honorarij iuris æquitas multa sustinet, quæ iure Ciuili non constant.
4. 5. & 6 Testamentum capitis deminutione irritatũ quando conualescat?
7 Voluntate contraria testamentum quando infirmetur?
8 Nuncupatiuum testamentum contraria voluntas quomodo tollat?
9 Si verbis reuocatorijs facta iungat testator, testamentum infirmatur.
10 Quid si testator solenniter declaret, velle se, infirmato priore testamento, intestatum decedere?
11. 12. Pertinacis & Domitiani super testamentis diuersa voluntates.
13. 14. Princeps litis causa heres institui non potest, sed priuatus potest.
15 Principes minus sibi quã priuatis concedere debent.
16 Imperij proprium, viuere legibus.
17. 18. 19. Princeps legibus quomodo solutus?
20 Principi qua Lex imperet?

¶ *Infirmantur.*] Saltem Iure Ciuili, quod attinet ad subiectum exemplum capitis diminutionis minimæ per arrogationem. Qua sanè cessante, eatenus iure Honorario conualescit testamentum, vt ex eo peti posit bonorum possesio: quod mox tradit Iustinianus. ¶ *Capite diminutus sit.*] Nulla hic specialiter proponitur species capitis diminutionis: nempe, quia quælibet sufficiat ad irritandum testamentum. Nam & arrogatio, quæ minima est capitis diminutio, irritat re- 1
stamentum prius iure factum: & in hac re Paulus ait differre eum, qui mutus factus, ab eo qui se

b L. conficiuntur. §. si post factum. de iure cod.

arrogandum dedit[b]. Sed & adoptio impuberis pupillares tabulas irritat[c]. 2

c L. nec ei §. ijs duntaxat. de adoptio.

¶ *Potest.*] Iure saltem Honorario. Cuius æquitas multa sustinet, quæ alioqui summo iure Ci- 3
uili non constant. Sic testamentum propter agnationem posthumi præteriti ruptum Iure Ciuili, sustinetur Iure Prætorio; si quidem posthumus testatore adhuc superstite moriatur[d]. ¶ *Scriptus*

d L. posthumus præteritus. de iniust. rup.

hæres.] Quilibet: nisi agatur de capitis diminutione per arrogationem. quia tum distinguimus, vtrum sit scriptus hæres, qui alioqui ab intestato successurus erat, cui vni hoc casu bonorum possessionem secundum tabulas tribuimus. an verò extraneus aliquis, cui non idem semper tribuitur: sed quemadmodum hic factum est irritum testamentum voluntate ipsius testatoris, qui se
vltrò arrogandum dedit: ita est opus, vt noua eius qui rursus postea factus sit paterfa. voluntas ac- 4
cedat, qua significet sese eodem testamento mori vellet, vt admittantur scripti hæredes extranei, quibus alioqui videbitur defunctus prætulisse legitimos suos ab intestato hæredes. quod apertè

e L. qui ex liberis. §. testamento. De bon. possess. secun. tabul.

docet Papinianus, his verbis[e]: Testamento facto Titius arrogandum se præbuit, ac postea sui iuris effectus vita decessit: scriptus hæres si possessionem petat, exceptione doli mali summouebitur: quia dando se arrogandum testator cum capite, fortunas quoque suas in familiam, & domum alienam transfert. Planè si sui iuris effectus, codicillis aut alijs literis eodem testamento se mori velle declarauerit: voluntas, quæ defecerat, iudicio recenti redijsse intelligitur. non secus, ac si quis aliud testamentum fecisset, ac supremas tabulas incidisset, vt priores supremas relinqueret. Nec putauerit quisquam nuda voluntate constitui testamentum. Non enim de iure testamenti maximè quæritur, sed de viribus exceptionis, quæ in hoc iudicio quanquam actori opponatur, ex persona tamen eius, qui opponit, æstimatur. Hæc Papinianus. Cuius postrema verba indicant
discrimen, quod tradidimus; vt testamento per arrogationem testatoris irrito facto, si nulla inter- 5
uenerit noua voluntas testatoris, qui postea sui rursus iuris effectus decesit, potior sit legitimus ab intestato hæres, quàm extraneus scriptus in illo testamento, quod irritum factum est, & quod nõ temerè sustineri debet in fraudem legitimi hæredis: sed tum demum, vbi ipse legitimus hæres scriptus est, cui plus hac in re meritò tribuitur, in eiusq; gratiã magis interpretari possumus testatorẽ
voluisse eodẽ testamento mori. In alijs capitis diminutionibus, quæ non ita vltroneo nostro facto 6
accidunt, aliter seruatur: vt scilicet ijs summotis testamentũ iure communi conualescat, & ex eo

f L. si quis filio. §. quatenus. de iniust. rupt.

admittatur quicunque scriptus est hæres. Rectè itaque Vlpianus[f], Quatenus (inquit) diximus ab hostibus capti testamentum irritum fieri, adijciendum est, postliminio reuersi vires suas recipere iure postliminij. Ergo & si quis damnatus capite, in integrum indulgentia Principis sit restitutus, testamentum eius conualescit.

¶ *Ex eo solo.*] Sanè tamen si paterfa. tribus testibus in eam rem acciris, vel apud acta manife-
stauerit, nolle se validum permanere testamentum, & decennium exinde fuerit elapsum, irritabi- 7

g L. sancimus. C. de testament.

tur testamentum tam ex contraria voluntate, quàm cursu temporis[g]. Addunt quidam ex Iulio Capitolino, idem statuendum esse, si septem testibus præsentibus paterfa. contestetur velle se testamentum suum non valere: quinimo velle sibi ab intestato succedi: vt tunc per adiectionem eorum qui ab intestato venturi sunt, confirmetur prioris voluntatis mutatio: quasi hic nullum sit
periculum fraudis, aut iniuriæ. Sanè ad infirmationem nuncupatiui testamenti, satis esse coram 8
testibus contrariam suam voluntatem declarare. docet Iustinianus in Nouella Constit. 107. Quod an rectè trahi posit ad scripta testamenta non est apertè Iure Ciuili proditum.

¶ *Noluerit.*]

¶ *Noluerit.*] Hoc est, nolle se dixerit. vt intelligas leuem quandam hîc fuisse reuocationem, quæ
intra nuda verba constiterit: quibus si temerè inhæreamus, fraus sæpe fiet voluntati testatoris, &
9 scriptis hæredibus. Cæterùm si facto, & re ipsa testator confirmasset hanc suam voluntatem: pos-
set ex eo infirmari testamentum, vt si consultò tabulas incidat, aut deleat, aut cancellet. Quod
tractatur toto titulo Pandectarum, de iis quæ in testamento delentur, inducuntur, & inscribun-
tur.

¶ *Nullum est.*] Quod attinet scilicet ad infirmandum superius testamentum iure perfectum. Va-
let tamen plerunque ad probandam testatoris voluntatem[a]. Sed hic dicimus eam solam non
sufficere ad infirmandum prius testamentum. Nam nec constat id voluisse testatorem infirmari,
quando aliud perfectum non reliquit, quod facere poterat. Imò potest existimari, maluisse eum
10 priori testamento valido decedere, quàm intestatum prorsus. Quod si sanè non potuisset aliud
testamentum relinquere: & solenniter declarasset velle se omnino, priori testamento infirmato,
intestatum decedere: si id satis appareat, non admodum refragarer volentibus tueri vltimam vo-
luntatem.

¶ *Eadem oratione expressit.*] Huius Orationis siue Senatusconsulti meminit Iulius Capitolinus
in vita Pertinacis Imp. his verbis: Pertinax Legem tulit, vt testamenta priora non prius essent ir-
11 rita, quàm alia perfecta essent: néve ob hoc fiscus aliquando succederet. Ipséque professus est, nul-
lius se aditurum hæreditatem, quæ aut adulatione alicuius delata esset, aut lite perplexa, vt legi-
timi hæredes & necessarij priuarentur. addiditque Senatusconsulto hæc verba: Sanctius esse ino-
pem Remp. obtinere, quàm ad diuitiarum cumulum per discriminum & dedecorum vestigia per-
12 uenire. Hæc ille. Longè verò alia mens fuit Domitiano, à quo alienissimæ hæreditates confisca-
bantur, vel existente vno, qui diceret, audiuisse se ex defuncto, quum viueret, hæredem sibi
Cæsarem fore. Sanè cùm Iulius Agricola eum cohæredem scripsisset eo testamento quo filiam &
vxorem optimam instituerat: eóque nomine lætaretur Domitianus: indicauit Tacitus, valde eum
stupidum esse, qui nesciret à bono patre non scribi hæredem, nisi malum Principem.

¶ *Litis causa.*] Ad hunc modum Paulus[b], Imperatorem (inquit) litis causa hæredem institui,
13 inuidiosum est. Nec enim calumniæ facultatem ex Principali Maiestate capi oportet. Sanè ta-
14 men etiam ex re controuersa priuatum aliquem instituere licet hæredem, nec eo nomine locum
15 habebit edictum de alienatione mutandi iudicij causa facta[c]. Sic aliquando boni Principes vltrò
sibi adimunt, quæ aliis priuatis concedunt, ne quis eorum Maiestate abutatur. Nec solent alioqui
in iure testamentorum plus sibi quàm aliis tribuere. Vnde nec Imperator ex imperfecto testa-
mento quicquam capiet[d], non magis, quàm alius priuatus. Nec iure & solenniter scriptus hæres,
adimit libertatem mutandi vel reuocandi testamenti[e]. Sanè & cùm ritè esset institutus hæres i-
pse Augustus, nihil voluit ex ignotorum testamétis capere, ne quid videretur fraudis commisisse,
vti etiam suprà retulimus.

¶ *Secundum hoc diui Seuerus & Antoninus.*] Non puto extare horum rescriptum: sed extat non dis-
simile, quod tribuitur Alexandro Imperatori: cuius verba sunt[f]: Ex imperfecto testamento nec
Imperatorem hæreditatem vindicare posse, sæpe constitutum est. Licet enim Lex Imperij solen-
16 nibus iuris Imperatorem soluerit: nihil tamen tam proprium Imperij est, quàm Legibus viuere.
Simile est Pauli responsum, quod extat his verbis[g]: Ex imperfecto testamento legata vel fidei-
commissa Imperatorem vindicare verecundum est. Decet enim tantam Maiestatem eas seruare
Leges, quibus ipse solutus est. ¶ *Quamuis legibus soluti simus.*] Princeps (inquit Vlpianus[h]) Legi-
17 bus solutus est. Id autem primum tributum fuisse Augusto eleganter scribit Dion. lib. 53. & expli-
cat quomodo deinde Principes legibus soluti dicantur. *λέλυνται τῶν νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ λατινικὰ ῥήματα
λέγει, τουτέστιν, ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεώς εἰσι, καὶ οὐδενὶ τῶν γεγραμμένων ἐνέχονται.* Quòd si Philoso-
18 phorum more loquamur, Princeps dicetur legibus solutus, non sanè quòd eo sit, aut esse debeat a-
nimo, vt sacrosanctæ Legum Maiestati subiici dedignetur: nam, vt nostri etiam Iurisconsulti ex
Chrysippo referunt[i], *νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεύς* [Lex omnium regina est.] Sed quòd subditi de-
beant vltrò hunc honorem Principi suo deferre, ne eum odiose astringant vulgaribus vinculis. In-
terea tamen vero Principe digna vox est, vltrò fateri se legibus obtemperare velle[k]. Sanè Aristote-
les libro tertio Politicorum, rationem reddens, cur Princeps legibus solutus sit, docet non cuilibet
19 Principi id esse tribuendum, sed illi Heroi, qui cæteris præstat, omni virtutum genere illustris &
eximius: quique sibiipse Lex sit, & aliis magis debeat ius præscribere, non ab inferioribus accipe-
20 re. Sic Plutarchus ait, Principi imperare Legem, non quidem ciuilem, aut scriptam in commu-
nes vsus, sed diuiná illam & naturalem ex rationis iudicio. Plutarchi verba *ἐν τῷ πρὸς ἡγεμόνα* sunt
hæc: *τίς οὖν ἄρξει τοῦ ἄρχοντος; ὁ νόμος, ὁ πάντων βασιλεὺς θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων, ὥς φησι Πίνδαρος, οὐκ ἐν βιβλίοις
ἔξω γεγραμμένος, οὐδέ τισι ξύλοις, ἀλλ' ἔμψυχος ὢν ἐν αὐτῷ λόγος, ἀεὶ συνοικῶν καὶ παραφυλάττων, καὶ μηδέποτε τὴν
ψυχὴν ἐῶν ἔρημον ἡγεμονίας.*

a L. vlt. de reb. eorũ qui sub. tute. sunt.
b L. pen. de hered. instituend.
c L. ex hoc edicto §. 2. de alien. mut. iudic. caus. fac.
d L. ex imperfecto C. de testam.
e L. si quis Imperatorẽ L. cũ heredes C. quo testa. fac. poss.
f L. ex imperfecto C. de testam.
g L. ex imperfecto, de lega. 3.
h L. Princeps de legi.
i L. 2. de legib.
k L. digna vox C. de legi.

De inofficioso Testamento. Titulus XVIII.



Q VIA plerunque parentes sine causa liberos suos exhæredant, vel omittunt: inductum est, vt de inofficioso testamento agere possint liberi: qui queruntur aut iniquè se exhæredatos, aut iniquè præteritos: hoc colore, quasi non sanæ mentis fuerint, cùm testamentum ordinarent. Sed hoc dicitur non quasi verè furiosus sit, sed rectè quidem fecerit testamentum, non autem ex officio pietatis. Nam si verè furiosus fit, nullum testamentum est.

Non autem liberis tantùm permissum est testamentum parentum inofficiosum accusare, verùm etiam liberorum parentibus.

Soror autem & frater, turpibus personis scriptis hæredibus, ex sacris Constitutionibus prælati sunt. Non ergo contra omnes hæredes agere possunt. Vltra fratres igitur & sorores cognati nullo modo aut agere possunt, aut agentes vincere.

Tam autem naturales liberi, quàm secundum nostræ Constitutionis diuisionem adoptati, ita demum de inofficioso testamento agere possunt, si nullo alio iure ad defuncti bona venire possint. Nam qui ad hæreditatem totam vel partem eius alio iure veniũt, de inofficioso agere non possunt. Posthumi quoque, qui nullo alio iure venire possunt, de inofficioso agere possunt.

Sed hæc ita accipienda sunt, si nihil eis penitus à testatoribus testamento relictum est. quod nostra Constitutio ad verecundiam naturæ introduxit.

Sin verò quantacunque pars hæreditatis vel res eis fuerit relicta: de inofficioso querela quiescente, id, quod eis deest, vsque ad quartam legitimæ partis repleatur: licet non fuerit adiectum, boni viri arbitratu debere eam compleri.

Si tutor nomine pupilli, cuius tutelam gerebat, ex testamento patris sui legatum acceperit, cùm nihil erat ipsi tutori relictum à patre suo: nihilominus poterit nomine suo de inofficioso patris testamento agere. Sed si è contrario pupilli nomine, cui nihil relictum fuerat, de inofficioso egerit, & superatus est, ipse tutor, quod sibi in testamento eodem legatum relictum est, non amittit.

Igitur quartam quis debet habere, vt de inofficioso agere non posit: siue iure hæreditario, siue iure legati, vel fideicommissi, vel si mortis causa ei quarta donata fuerit, vel inter viuos, in iis tantummodo casibus, quorum mentionem facit nostra Constitutio, vel aliis modis, qui in nostris Constitutionibus continentur.

Quod autem de quarta diximus, ita intelligendum est: vt siue vnus fuerit, siue plures, quibus agere de inofficioso testamento permittitur: vna quarta eis dari possit, vt ea pro rata eis distribuatur.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1.2. Hodie non ex qualibet, sed ex certa iustâque caussa exhæredandi liberi.
3 Caussam exhæredationis ascriptam heres probare tenetur.
4 De inofficioso agere quid?
5 De inofficioso agens, hereditatem petere videtur.
6 Testamento alioqui non subsistente, non opus est remedio querelæ inofficiosi.
7 Exhæredatio, non adita hæreditate ex testamento, nulla est.
8 Quid si de inofficiosis donationibus agatur?
9 Color pro titulo siue prætextu.
10 Officia pietatis paterna quæ?
11 Exhæredationis species non impia quæ?
12 Cognati vltra fratrem non possunt de inofficioso agere.
13 Miles testator impunè suos præterit.
14.15 Parentibus etiam querela contra liberos vt detur?
16 Patre querelam & contra tabulas simul habente, vtra potius vtatur?
17 Fratres & sorores qui querelam inoff. habeant?
18 Turpes olim persona odiosæ.
19.20 Ab intestato fratres & fratrum filij cũ parẽtibus succedunt.
21 Fratri amicum testator præferre potest.
22 Fratrum filij ab intestato vtuntur iure parentum, non item in querela inofficiosi.

a L. 1. de inoffi. testa.
b L. in suis. in fi. de libe. & posthu.

P*Lerunque.*] Indicat hæc vocula sequentem huius tituli vsum. vt & reuera frequentes sunt inofficiosi querelæ[a]: saltè hoc iure, quo pasim & ex qualibet causa poterãt liberi exhæredari[b].

Et quan-

1 Et quanuis hodie Iustinianus in Nouella sua Constit. 115. represserit hanc licentiam, & certam
iustámque exhæredationis causam exprimi voluerit: tamen & si expressa non sit, videtur adhuc o-
pus esse querela, qua rescindatur testamentum. Sic enim ait ipse Iustinianus, ἐκυρῶσθαι καὶ ἀνατρέπε-
σθαι τὴν διαθήκην. Quæ verba significant, testamentum non esse ipso iure nullum, sed adhuc rescin-
di debere.

2 ¶ *Sine causa.*] Hodie defendi non potest exhæredatio, cuius nulla caussa ascripta est. Neque e-
3 nim permittemus hæredi scripto aliquam causam comminisci in fraudem liberorũ. Sed etsi cau-
sa fuerit adscripta, debebit hæres eam probare veram esse, & iustam, vt maneat rata exhæredatio.
4 Neque enim hîc solius patris duro testimonio fides adhibebitur. ¶ *De inofficioso agere.*] Hoc est,
proposita inofficiosi querela descendere ad petitionem hæreditatis. Sic enim alibi Iustinianus[a]
vocat petitionem hæreditatis ex nomine de inofficioso. Et Scæuola[b] ait eum, qui dicit de inof-
ficioso exercere debere petitionem hæreditatis. Quemadmodum autem is, qui instituit accusa-
tionem falsi testamenti, vt ipse quum falsum conuicerit, fiat hæres aut bonorum possessor, eo
quoque nomine dicitur bonorum possessionem agnouisse[c]: sic & is qui querelam inofficiosi te-
stamenti proponit, dicetur quodammodo petere hæreditatem: cuius solius petendæ & consequé-
5 dæ gratia de inofficioso dixit. Nec aliud agit, qui hac ratione conuellit testamentum, quàm vt
6 ipse fiat hæres. Quòd si alioqui testamentum non subsisteret: non vteretur hoc remedio, vt si scri-
7 ptus hæres non adierit. Rectè itaque Triphoninus[d], Exhæredatio (inquit) non adita hæreditate
ex testamento, nullius fit momenti: ideóque non obstare eam, quo minus bonorum possessioné
consequamur: ne testamentum per omnia irritum ad notam exhæredationis solam profecisse vi-
deatur. Et Vlpianus[e], Ex testamento (inquit) à quo neque adita est hæreditas, neque petita bo-
norum possessio, liberis exhæredatio non nocet. Absurdum est enim in hoc valere tantum testa-
8 mentum, vt exhæredatio vigeat, cùm aliàs non valeat. Porrò de inofficiosis donationibus quarum
nomine agi potest exemplo inofficiosi testamenti, dictum aliquid suprà est in tit. de donat.
9 ¶ *Hoc colore.*] Hic locus desumptus est ex lib. 4. Instit. Martiani[f]. Et qui hic dicitur color, à Mar-
cello appellari videtur titulus[g]. Sæpius dicere solemus prætextum. Sed Fabius frequenter in hanc
rem vtitur verbo coloris. ¶ *Non quasi verè furiosus.*] Huc alludit quod Fabius lib. 9. cap. 2. cùm do-
ceret interrogationem quandoque fieri auferendę dissimulationis causâ, addit hoc exemplum ex
Asinio: Audisne? Furiosum (inquam) non inofficiosum testamentum reprehendimus.
¶ *Non autem ex officio pietatis.*] Officium naturalis pietatis dictat, vt consilium capiat pater pro[h]
10 filiis: iisque omnia acquirat[i]; non minus de iis, atque de seipso solicitus[k]. Vnde Iustinianus in
Nouel. sua Cõst. 89. τί (inquit) γὰρ μᾶλλον γνησίου παιδὸς εἰς πατρῴαν διαδοχήν [quis enim plus iuris
in paterna obtineat substãtia quàm legitimus filius?] Certè ex hoc officio pietatis, quo parẽtes nõ
credũtur alios velle successores, quàm liberos suos, si qui superstites sũt; multa iure ciuili specialiter
introducta sunt[l]. Verùm quia vsque adeò sæpe degenerant parentes, vt exuant etiam illas στοργὰς
φυσικὰς [affectiones naturales] necesse fuit tam impiæ acerbitati occurrere. Nec est (inquit Caius[m])
consentiendum parentibus, qui iniuriam aduersus liberos suos testamento inducunt, quod ple-
runque faciunt malignè contra sanguinem suum inferentes iudicium, nouercalibus delinimen-
11 tis, instigationibusve corrupti. Sanè tamen est quædam exhæredationis species, quæ non est ad-
uersus officium pietatis, sed potius ex eo proficiscitur. Multi enim non notæ causa filios exhære-
dant, nec vt iis obsint, sed vt consulant, vt puta impuberibus: sic vt iis fideicommissam hæredita-
tem dare videantur[n].
¶ *Non autem.*] Hic locus sumptus videtur ex responso Vlpiani, qui ait[o]: Frequentes esse inoffi-
ciosi querelas: omnibus enim tam parẽtibus quàm liberis, licere de inofficioso disputare. Sed co-
12 gnatos, qui sunt vltra fratrem, melius facere, si se sumptibus inanibus non vexent, cùm obtinen-
13 di spem non habeant. ¶ *Verùm etiam liberorum.*] Saltem paganorum. Nam miles, qui iure mili-
14 tari de castrensibus bonis testamentum facit, liberè potest parentes præterire, vel exhæredare[p]:
sicuti & liberos suos. ¶ *Parentibus.*] Nam & si (inquit Papinianus[a]) parentibus non debetur fi-
liorum hæreditas, propter votum parentum, & naturalem erga filios charitatem: turbato tamen
ordine mortalitatis, non minus parentibus, quàm liberis piè relinqui debet. Certè cùm Nerua
sanxisset vt in paternis bonis, liberi necessitate Vicesimæ soluerentur: æquum putauit Plinius eá-
dem immunitatem parentes in liberorum bonis obtinere. Nam (inquit) cur posteris amplior
honor, quàm maioribus haberetur? Cúrve non retro quoque curreret æquitas eadem? Id quod
15 certè trahi potest ad rationem loci præsentis. Porrò autem de matre nullum dubium est, quin de
16 inofficioso agat, etsi filius testator fratrem vel sororem instituisset[b]. De patre magis dubitatum est;
quia habeat ex emancipatione bonorũ possessioné contra tabulas[c]. Sed id non debet tollere vsum
melioris iuris, videlicet querelæ inofficiosi: quæ non modò certam partem, vt illa bonorum pos-
sessio, sed & totam hæreditatem euincit, patriq́ue etiam competit alio nomine, nempe quia pa-
ter est, quàm illa bonorum possessio, quæ propter emancipationem datur. Atqui patrem accepta
contra tabulas bonorum possessione, & ius antiquum, quod & sine manumissione habebat, pos-
se sibi defendere Iulianus scripsit. Nec enim ei nocere debet, quòd iura patronatus habeat, cùm
sit & pater, inquit Vlpianus[d].
17 ¶ *Soror & frater.*] Vel germani, vel saltem consanguinei. Nam vterinis tantùm nihil iuris
tribuitur[e]. Et fratres hîc esse oportet, qui nullam ingratitudinis causam admiserint, de qua Iusti-
nianus agit in Nouella sua Constitutione 22. ¶ *Turpibus personis.*] Quæ infamiæ, vel turpitudi-

b 2 nis, vel

a L. si quis filium suũ. C. de inoff.
b L. qui de inofficioso. de inoff. test.
c L. cum quid de bono. poss.
d L. filium §. sed cum exhæredatio de bon. poss. cont. tab.
e L. si patronus §. ex testam. de bon. liber.
f L. 2. de inoffi. test.
g L. Sulpitius de dona. inter virum & vxor.
h L. nec in ea D. ad legem Iul. de adult.
i L. scripto D. vnde libe. L. Iulianus. D. si quis omiss. cau. testa.
k L. isti quidem §. vlt. de eo quod me. cau.
l L. cum auus de con. & demon. l. acutissimi C. de fideicommiss. L. si vnquam C. de reuocan. donat.
m L. non enim. de inoffi. test. s.
n L. multi de lib. & post. l. si patronus test. §. 1 de bon liber.
o L. 1. de inoffi. test.
p L. Papin. §. Papin. de inoffi. test. l. de inofficioso l. test. 1. C. eod.
a L. nã etsi. de inoffi. test.
b L. cũ filiũ C. de inof.
c L. 1. D. si à parent. quis manu. fuerit.
d L. 1. §. vlt. D. si à parẽt. quis man. fuerit.
e L. fratres C. de inoffi. testam.

a dict. l. fratres.

nis, vel alicuius notæ macula aspersæ sunt, inquit Constantinus Imperator[a], quarúmque prælatio contumeliosa videri possit, vt ait Valerius libro septimo, capite octauo, agens de quodam Pompeio Rhegino, qui testamento fratris turpiter præteritus, noluit de inofficioso agere. Idem cap. octauo refert, Vetilio Lenoni scripto hæredi Q. Metellum Prætorem Vrbanum non dedisse bonorum possessionem secundum tabulas. Vsqueadeo magnum fuit turpium personarum odium. 18
Sanè & olim si filius emancipatus, turpes personas, veluti meretrices, fecisset hæredes: totorum bonorum contra tabulas possessio dabatur: at constitutæ tantùm partis, si non turpis hæres esset institutus[b]. ¶ *Scriptis hæredibus.*] Vel etiam clausula aliqua codicillari nitentibus: quæ solet efficere fideicommissum, vbi directa institutio non valet[c]. neque enim alioqui temerè id admiserim, in gratiam turpis personæ, & fraudem fratris aut sororis. Porrò hic obseruandum est, Iustinianum tantùm agere de successione ex testamento. Sicque etiam ait in Nouella Constitu. 1. testamento facto non nisi aliquando fratri bona deberi: nempe cùm turpes ei personæ in testamento prælatæ sunt. Cæterùm in successione ab intestato, non minus tribuitur fratri, quàm parenti. Eandémque immunitatem & remissionem Vicesimæ tribuit olim Traianus succedenti fratri vel sorori, quam tribuerat parenti, vt scribit Plin. in Panegyrico. Certè fratres cum parentibus succedunt, vt docet Nouel. Constit. 118. Sed & cum iis succedunt fratrum defunctorum filij, quod adiectum est per Nouellam Constit. 127. Vnde si parens proposita inofficiosi querela resciderit testamẽtum, & rem reduxerit ad causam intestati, poterit id prodesse & fratribus, fratrúmque filiis, vt simul, tanquam ab intestato, succedant. Omnino enim tum intestatus videtur defunctus[d]. 19 20

b L. 3. D. si à parent. quis manu. fuerit.
c L. posthumi. §. vlti. de iniusto rupt.
d L. posthu. §. si quis ex iis de inoff. testam.
e L. fratres C. eod. tit.
f L. 1. D. eod. tit.
g L. nemo §. 1. de hæred. instit.

¶ *Sacris constitutionibus.*] Nempe Constantini[e] Imp. Olim simpliciter & sine distinctione dabatur fratribus vel sororibus querela inofficiosi[f]. Sed posteriores Cæsares paulò liberiorem esse voluerunt testandi facultatem: vt fratribus liceret præponere amicum, qui fortasis fraterna charitate diligitur[g]. vt sæpe vis veræ amicitiæ, superat sanguinis necessitudinem, meretúrque maiorem laudem. Certè Isocrates ad Dæmonicum, eius patrem hoc nomine laudat: & hac quoque ratione Solon olim apud Athenienses dedit libertatem testandi, & permisit, (liberis saltem non superstitibus, quos noluit iniuria exhæredari) vt posset quilibet suo arbitrio sibi hæredem deligere. Nam (inquit Plutarchus) φιλίαν ἐτίμησε μᾶλλον ἢ χάριν ἀνάγκης [maiori honore affecit amicitiam, quàm gratiam illam quam necessitas obtulit] ¶ *Vltra fratres & sorores cognati.*] Etiam si sint filij fratrũ[h], qui alioqui in successione ab intestato vtuntur parentum suorum iure. Vnde & si hìc frater per querelam rescidisset testamentum; cum eo, quasi ab intestato, succederent, in stirpes videlicet. 25 22

h L. fratris. C. inoff. testam.

¶ *Aut agentes vincere.*] Vnde consulit Vlpianus[i], ne se inanibus sumptibus vexent, cùm spem obtinendi non habeant. Si tamen agentes nemo repulerit, & casu obtinuerint, poterunt succedere, saltem si ab intestato successionem habeant, alioqui extraneo sua nihil victoria prodest, sed iis, qui habent ab intestato successionem[k].

i L. 1. de inoffic.
k L. posthu. §. si quis ex iis. de inoffic. test.

§. *Tam autem. cum §§. seq.*

1 *Spurij cur testamentum patris nõ possint dicere inofficiosum? matris possint?*
2.3 *Adoptati de inofficioso agere quando possint? item Arrogati quando?*
4.5 *Fratri vel sorori legitima portione relicta, cur præferantur tamen & in reliqua hæreditate personis turpibus.*
6 *Verecundia natura prohibet, insolentius conuellere postrema parentum iudicia.*
7 *Pandectarum iure olim quando locus querelæ inofficiosi?*
8 *Simpliciter filio relictum cur magis de institutione quàm de legato interpretemur?*
9 *Legitima pars hodie quando triens? quando semissis?*
10 *Legitimam descendere ex Falcidia.*
11 *Legitima vnde supplenda?*
12 *Actio ad supplementum durat annis 30. vt cætera personales.*
13 *Querela inofficiosi cur quinquennio tantùm duret?*
14 *Legitima quod deest, suppleri boni viri arbitratu.*
15 *Filio legitimæ nomine obligata bona patris non esse.*
16.17 *Interest, vtrum quis sponte, an verò necessitate testamentum approbare videatur.*
18 *Iustus titulus relinquendæ portionis legitimæ qui?*
19 *Quarta pars bonorum, & 4. hæreditatis, quid differant?*
20 *Nimia paternorum bonorum cura filij improbatur.*
21 *Quadrans debitus per Falcidiam, & legitima, quid differant?*
22.23 *Exhæredato filio, satis olim fuisse si quid legatum esset non exhæredato, legitimam portionẽ querelã inofficiosi non impedisse.*
24 *Exhæredatis sua cur institutionis titulo relinquenda?*
25 *Vbi donata inter viuos nõ imputẽtur in legitimam?*

l L. si suspecta. §. fi. de inoffic. testam.
m L. Papin. §. si quis impubes d. inof. test. & l. posthu. §. vlt. cũ se. seq. de inoff. testam.
o L. 1. §. si impubes. d. colla. bon.
n L. si arrogator. de adopt.
a L. in causæ 2. de mino.
b L. maximum. C. de libe præter.

¶ *Naturales liberi.*] Legitimi. Nam spurij, patris, vtpote quem demonstrare nequeunt, vix possunt inofficiosum dicere testamentũ: matris tamen possunt, vtpote cùm matrem certam habent[l]. 1
¶ *Adoptati.*] Vel etiam arrogati puberes, vtpote qui non habeant illum ex Constitutione Diui Pij quadrantem, qui datus impuberibus arrogatis, adimit iis querelam inofficiosi[m]. Videtur quidem ipsa querela vtilior: sed tamen vno nomine est deterior, quòd non præparata non transmittatur ad hæredes[n]. Actio verò ad illum quadrantem transmittitur ad hæredes arrogati impuberis[o], etiam si ea agnita nõdum fuerit ab ipso arrogato, vtpote si statim post arrogatorem mortuus fuerit[p]. ¶ *Ita demum.*] Est enim huius querelæ odiosum & extraordinarium remedium[a]: Ideóque nec temerè debet dari cum ordinario[b]. 2 3

¶ *Sed*

¶ *Sed hac.*] Nempe quæ dicta sunt de liberis & parentibus, querela inofficiosi vtentibus. De
iis enim tantùm agit Iustiniani Constitutio, cuius hîc fit mentio. Vnde apparet hunc locum non
pertinere ad fratres vel sorores. Nam & licet iis legitima portio relicta sit nihilominus adhuc præ-
feruntur turpibus personis in reliqua hæreditate. Quemadmodum & olim parens, qui ex eman-
cipatione consequebatur bonorum possessionem certæ solùm & constitutæ partis, in filij succes-
sione: si turpis esset hæres scriptus à filio, non partem modò, sed & totam consequebatur hæredi-
5 tatem[a]. Et id sanè non minus honestum est, quàm æquum, quando semel omnino obtinuit; *a L. 3. D. si à parent.*
consanguineos præferri turpibus personis, quibus sine iniuria & ignominia postponi non pos- *manu. quis fuer.*
sunt.

6 ¶ *Nostra constitutio.*] Hæc extat lib. 6. Codicis[b]. ¶ *Ad verecundiam natura.*] Quæ monet filios, *b L. omnimodo C. de*
ne insolentius conuellant postrema parentum suorum iudicia: nec aliter, quàm si eos cogat extre- *inoffic. testam.*
ma necessitas. Certè ratio huius modestiæ & verecundiæ tantùm olim valuit, vt multa sustinue-
rit testamenta, quæ alioqui rata esse non debebant. Refert Valerius lib. 7. cap. 8. Aphroniani pro-
batissimam Ebutię filiam, à matre sine causa exhæredatam, sanctius duxisse, testamentum matris
patientia honorare, quàm iudicio conuellere.

¶ *Quantacunque pars.*] Olim quantacunque pars legitimæ portioni deesset, sufficiebat ad que-
7 relam inofficiosi[c]. Hic verò prorsus contrarium fuit constitutum: vt quantulacunque pars reli- *c L. cùm queritur C.*
cta impediat querelam. ¶ *Relicta.*] Hoc verbum propriè pertinet ad ea, quæ testamento relin- *de inoffic. testam.*
quuntur[d]: sed non minus ad legatum, quàm ad institutionem. At quoniam hodie necessarius *d L. 1. §. vlt. de tab.*
8 est titulus institutionis: si quid simpliciter filio relinquatur, id in dubio, magis interpretabimur *exhib.*
de institutione, quæ fieri potest quibuslibet verbis[e]: & potius credemus testatorem intellexisse *e L. quoniã indignum*
eum relinquendi titulum, qui tueatur eius voluntatem postremam, quàm eum, qui infirmet[f]. *C. de testam.*

¶ *Quod eis deest.*] Vel quia ab initio minus fuerit relictum, vel quia fuerit euictum, quod erat *f L. 3 de milit. testa.*
satis relictum[g]. *g L. scimus C. de inof. testam.*

¶ *Vsque ad quartam legitimæ partis.*] Illius, quam erant ab intestato habituri[h]: vt si totam hæredi- *h L. Papin. §. si quis*
tatem consecuturi erant, nunc habeant quadrantem: quem tamen Iustinianus in Nouel. 18. au- *mortis. de inoffic. l.*
9 xit. vt debeatur triens legitimæ portionis nomine: vel si plures sint liberi, quàm quatuor, semis. *parentibus C. de inof.*
10 Porrò legitimam portionem, de qua hic quæritur, descendere ex Lege Falcidia, ab eáque etiam *testam.*
suam appellationem sumere, quod tamen vulgo non est notum, notabimus postea ad tit. de Le-
ge Falcid.

11 ¶ *Repleatur.*] Ex legitima defuncti hæreditate: idque damno solius hæredis scripti, non etiam
legatariorum, si modò tam locuples & opulenta sit hæreditas, vt ære alieno deducto, legatis
persolutis, & legitima suppleta, adhuc supersit hæredi scripto sua illa portio, supra quam non po-
test grauari. Alioqui sanè ad supplendam legitimam, aliquid detraheretur & legatis. Porrò au-
12 tem hoc supplementum omnino peti debet, & peti potest annis triginta. Quod tempus omnibus
13 personalibus actionibus tributum est[i]. Nec debet hac in re conferri cum querela inofficiosi, quæ *i L. sicut. L. quũ notissi*
non nisi quinquennio durat; quia & aliunde oritur, & aliò tendit: nec tam conuellit, quàm con- *mi C. de præscrip. 30.*
firmat ipsum testamentum. ¶ *Licet non fuerit adiectum.*] Imò & si nominatim fuerit adiectum, *anno*
ne quid supplementi nomine peteretur. Id enim prohibere non potest pater[k]: qui nec minuere *k L. si quando §. vlt.*
nec onerare potest legitimam suorum liberorum. Rectè itaque Iustinianus in Nouella sua Con- *C. de inoffi. testam.*
stitutione 115. de liberis & parentibus loquens, εἴπερ (inquit) κληρονόμοι ὀνομασθεῖεν, κἂν εἰ ῥητοῖς πρά-
γμασιν ἀρκεσθῆναι προσταχθεῖεν, ἐν τούτῳ τὴν μὲν διαθήκην μὴ ἀνατρέπεσθαι προστάττομεν, ὅπερ δ' ἂν ἔλαττον αὐ-
τοῖς τῆς ἐκ τῶν νόμων μοίρας καταλειφθῇ, τοῦτο κατὰ τοὺς ἄλλους ἡμῶν νόμους παρὰ τῶν κληρονόμων ἀναπληροῦσθαι. [Si
qui hæredes fuerint nominati, etiamsi certis rebus iussi fuerint esse contenti; hoc casu testamen-
tum quidem nullatenus solui præcipimus, quicquid autem minus eis legitima portione relictũ
est, hoc secundum nostras alias leges ab hæredibus impleri.]

14 ¶ *Boni viri arbitratu.*] Hic locus apertè indicat, quod deest legitimæ, omnino suppleri boni viri
arbitratu. Vt non possit hîc filius suo arbitrio præscribere, ex qua tandem magis re, quod ei deest,
15 suppleatur. Vnde & colligere licet; non esse filio legitimæ nomine obligata patris bona. Tum e-
nim posset deligere, quas potius res persequatur: sicuti & potest is creditor, cui bona creditoris
sunt nexu hypothecæ obligata[l]. ¶ *Si tutor.*] Diuersum est de Aduocato & Procuratore. Si enim *l L. creditoris de di-*
hi exhæredati, legatum petenti ex testamento, in iudicio patrocinentur, vel eius procurationem *stract. pig. L. quandiu*
suscipiant, non poterunt postea suo nomine testamentum dicere inofficiosum[m]. Eiusmodi enim *C. illo tit.*
16 spontaneo voluntarióque patrocinio videntur approbasse testamentum, satísque est vel verbo vel *m L. vlt. de inof. test.*
facto probasse iudicium defuncti, vt quis prohibeatur dicere testamentum inofficiosum[n]. Cæte- *n L. parentibus C. de*
rùm Tutoris longè alia est conditio, eius enim necessarium est officium: cogitúrque omnino fa- *inoffic. testam.*
17 cere, quæ sunt ex re pupilli sui. Quare hæc necessitas meritò eum excusat, ne in damno sit, cùm
bona fide suo fungitur officio[o]. ¶ *Non amittit.*] Alius tamen, qui vltrò vel suo nomine vel alie- *o L. sed et si quis D.*
no, testamentum inofficiosum improbè dixisset, si non obtinuerit, perdit quod ei testamento re- *quemadmod. testam.*
lictum erat, & id fisco vindicatur, quasi indigno ablatum[p]. ¶ *Igitur quartam.*] Paulò antè Iusti- *aper.*
nianus egit de quantitate legitimæ portionis, per quam tollitur querela inofficiosi: nunc potissi- *p L. Papin. §. memi-*
mùm agere videtur de modo & ratione huius legitimæ dandæ vel relinquendæ. Cuius methodi *nisse de inoffi. testam.*
facilis obseruatio multum affert lucis huic loco, ne quis hic putet non aliter tolli querelam inoffi-
ciosi, quàm si quis totum suum quadrantem habeat ex iudicio defuncti. Reuera enim satis est, si
18 quantamcunque partem habeat, cuius supplementum petere possit. Nec aliud hoc loco tradit Iu-

ſtinianus, quàm quis tandem iuſtus ſit titulus relinquendæ legitimæ vel alterius portionis, vt tollatur querela inofficioſi.

a d. l. L. Papin. §. 4.
b L. ſi quis ſeruum §. vlt. de lega. 2. L. qui hæredit. D. Mādati.
c L. ſubſignatum §. bona. de verb. ſignif.
d L. 1. §. ſi impuberi de colla. bon.
e L. ex conſenſu §. filiusfa. de appellat.
f L. à ſentēt. de appel.
g L. ſi patronū § ſi ex bon. de bon. libert.
h L. ſi ſerui D. ad leg. Fal.
i L. peculiū naſcitur de pecul.

¶ *Quartam.*] Bonorum, non autem hæreditatis[a]: hæc enim non minus continet incommoda, 19
quàm commoda [b]. At bona propriè intelliguntur ea, quæ deducto ære alieno ſuperſunt[c]. Et bonorum quidem eorum hic fiet æſtimatio, quæ erant tempore mortis. Nam neque prius vlla debetur legitima [d]. Adeò, vt nec in filio probetur nimia cura bonorum paternorum, quandiu vi- 20
uit pater. Nam ſi iudicatum fuerit in cauſa aliqua pecuniaria aduerſus patrem, non poteſt prouocare filiusfa.[e] quod certè poſſet, ſi eius verè intereſſet [f]. Porrò autem, vt ante tempus mortis non habetur ratio legitimæ (niſi in eius fraudem pater immenſis donationibus patrimonium ſuum exhauſiſſet, quod tractatur lib. 3. Cod. tit. de inoffici. donat. & in Nouella Conſtit. 92.) Sic etiam tempus poſt mortem, cùm de æſtimatione bonorum agitur & legitimæ quantitatis, non conſideratur, quia ſi quid poſt mortem accreſcat hæreditati, non auget legitimam [g], quanquam aliud ſit de quadrante, qui debetur per Legem Falcidiam[h]. Nam is deducitur ex ipſa hæreditate, 21
quæ modò augetur, modò minuitur, ſicut omnis rerum vniuerſitas[i]: Idque ſemper hæredis periculo vel commodo. At legitima petitur ex bonis, quæ ſunt tempore mortis: nec habetur ratio eius, quod poſtea decreſcit, vel accreſcit. ¶ *Siue iure legati.*] Semper obtinuit, vt ſi præteriretur fi- 22
liusfa. hoc eſt, nec institueretur, nec exhæredaretur, nihil ad ſuſtinendum teſtamentum prodeſſet, ei legatum eſſe quod pro legitima ſit ſatis. Nihilominus enim poteſt tanquam præteritus, ordinario iure teſtamentum ſubuertere. At vbi filius exhæredatur, ad impediendam illam extra- 23
ordinariam inofficioſi querelam, ſuſtinendúmque teſtamentum, ſatis eſſe viſum eſt, ſi quid ex hæreditate legaretur. quaſi non intereſſet, quo tandem titulo illi legitima relinqueretur. Idque tradiderunt veteres Iuriſconſulti[k], & probauit Iuſtinianus, tum in his inſtitutionibus, tum in Codice, atque etiam in Nouella ſua Conſtitut. 18. itémque poſtea in Nouella 22. vbi proponitur thema de parentibus rectè inſtituentibus extraneos omnes hæredes, legitima aliter relicta liberis exhæredatis: εἰ μηδένα (inquit) αὐτῶν γράψαιο κληρονόμον, ἀλλ' ἐξωτικοὺς ἅπαντας, ἐν τοῖς τοῖς ἱκανοῦ δι' ἑτέρων τρόπων γενομένου, &c. [ſi nullum eorum ſcripſeris hæredem, ſed extraneos omnes, eis per alios modos ſatisfactione habita.] Non manſit tamen ſemper in hac ſententia. Nam in Nouel. ſua Conſtit. 115. idem ſtatuit de exhæredato, quod olim fuerat ſtatutum de præterito: vt ſi filius nihil inſtitutionis titulo relictum habeat, poſsit teſtamentum infirmare. Verba eius ſunt hæc: Θεσπίζομεν μὴ ἐξεῖναι παντελῶς πατρὶ ἢ μητρί, ἢ πάππῳ, ἢ μάμμῃ, ἢ προπάππῳ, ἢ προμάμμῃ, τὸν ἴδιον υἱὸν ἢ θυγατέρα, ἢ τοὺς λοιποὺς παῖδας ἀμνημονεύτους καταλιμπάνειν, ἢ ἀποκληρονόμους ποιεῖν ἐν τῇ ἰδίᾳ διαθήκῃ, κἂν δι' οἱασδήποτε δωρεᾶς, ἢ ληγάτου, ἢ φιδεικομμίσσου, ἢ ἄλλου οἱουδήποτε τρόπου τὴν ἐκ τῶν νόμων αὐτοῖς ὀφειλομένην μοῖραν δεδώκασιν, &c. [Sancimus, non licere penitus patri vel matri, auo vel auiæ, proauo vel proauiæ, ſuum filium vel filiam, vel cæteros liberos præterire, aut exhæredes in ſuo facere teſtamento, nec ſi per quamlibet donationem, vel legatum, vel fideicommiſſum, vel alium quemcunque modum eis dederint legibus debitam portionem.] Senſit itaque Iuſtinianus omnino exhæredatis liberis aliquid eſſe relinquendum iuſtitutionis titulo: qui proculdubio honeſtior eſt[l], & propterius accreſcendi vti- 24
lior.

k L. Pap. §. ſi quis mortis. de inoffic. teſtam.

l L. filiū §. ſed et ſi tertio. de lega. præſtan.

m L. omnimodo § imputari. C. de inof. teſt.

n L. quoniam Nouella C. de inoffic. teſtam.

¶ *In iis tantummodo caſibus.*] Sunt enim quidam caſus, vbi quæ donata ſunt inter viuos, non imputantur in legitimam: vt ſi ſint eiuſmodi, quæ ad hæredes filij donatarij non tranſmitterentur. 25
Iuſtinianus in ſua Conſtitutione[m] meminit emptæ filio militiæ, quam ait imputari in legitimam, cùm ex ea filij hæres commodum percipere poſsit. Excipit tamen ſingulari iure Silentiarios, quibus id non imputatur. ¶ *Vel aliis modis.*] Vt ſi fuerit donatum dotis cauſa, aut propter nuptias: Nam & id imputari in legitimam conſtat[n]: Sed vt omnes excutias modos, ſemper eos comperies proficiſci debere ex iudicio defuncti: qui ſi nihil dederit, in ſolidum poterit filiusfa. exhæredatus teſtamentum infirmare per querelam inofficioſi: nec integrum erit ſcriptis hæredibus offerre quadrantem, vt ſuam in reliquo tueantur inſtitutionem. Vnde quod Plinius libro quinto Epiſtolarum ſcribit cuidam Curiano exhæredato. Non poſſe eum queri, ſi ex parte quarta ſcriptus eſſet à matre hæres: verum quidem eſt & iuri conſentaneum: ſed caprioſum videtur, & malè collectum, quod ſubiicit: Igitur tibi ſufficere debet, ſi exhæredatus à matre, quartam partem ab hæredibus ſcriptis accipias.

¶ *Siue vnus fuerit, ſiue plures.*] Noua tamen Iuſtiniani Conſtitutione 18. & 39. maior habetur ratio numeri liberorum. Nam ſi plures ſint quàm quatuor, ſemiſſem habent: aliàs trientem. Sanè aliquando ſuſpicatus ſum hanc definitionem non eſſe omnino nouam, aut primùm à Iuſtiniano proditam, propterea quòd tale quid in Euſebij Chronicis aſcribatur Legi Falcidiæ. Et quanuis manifeſtus ſit error id tribuere Legi Falcidię, quam conſtat non niſi vnum ſemper continere quadrantem, ſiue vnus, ſiue plures ſint hæredes, tamen adiectum videri poteſt ex aliqua alia Lege, quę tum circunferebatur. ¶ *Pro rata eis diſtribuatur.*] Iuſtinianus in Nouella ſua Conſtit. 18. ait, Legitimam ex æquo diuidi in ſingulos. Sed aptior eſt huius loci locutio, quæ generalior eſt, vt etiam comprehendat legitimam nepotum, quæ inter eos diſtribuitur, vt ipſa ſucceſsio. At nepotes non omnino ex æquo ſuccedunt, ſed & in ſtirpes.

DE

De hæredum qualitate & differentia. Titulus XIX.

HAEREDES autem, aut necessarij dicuntur, aut sui & necessarij, aut extranei. Necessarius hæres est seruus hæres institutus. Ideoque sic appellatur, quia siue velit, siue nolit, omnino post mortem testatoris protinus liber & necessarius hæres fit. Vnde qui facultates suas suspectas habent: solent seruum suum primo, aut secundo, aut etiam vlteriore gradu hæredem instituere: vt si creditoribus satis non fiat, potius eius hæredis bona, quàm ipsius testatoris à creditoribus possideantur, vel distrahantur, vel inter eos diuidantur. Pro hoc tamen incommodo, illud ei commodum præstatur: vt ea, quæ post mortem patroni sui sibi adquisierit, ipsi reseruētur. Et quamuis bona defuncti non sufficiant creditoribus, iterum tamen ex ea causa res eius, quas sibi adquisierit, non vęneunt.

Sui autem & necessarij hæredes sunt veluti filius, filia, nepos, neptísve ex filio, & deinceps cæteri liberi, qui in potestate morientis modò fuerint.

Sed vt nepos neptísve sui hæredes sint: non sufficit eum eámve in potestate aui mortis tempore fuisse: sed opus est, vt patet eius viuo patre suo desierit suus hęres esse, aut morte interceptus, aut qualibet alia ratione liberatus à patris potestate: tunc enim nepos neptísve in locum patris sui succedit.

Sed sui quidem hęredes ideo appellantur, quia domestici hęredes sunt, & viuo quoque patre quodammodo domini existimantur. Vnde etiam si quis intestatus moriatur, prima causa est in successione liberorum. Necessarij verò ideo dicuntur, quia omnino, siue velint, siue nolint, tam ab intestato, quàm ex testato * ex Lege duodecim Tabularum hæredes fiunt. Sed his Prætor permittit volentibus abstinere hæreditate: vt potius parentis, quàm ipsorum bona similiter à creditoribus possideantur. **al. ex testamento.*

Cæteri, qui testatoris iuri subiecti non sunt, extranei hæredes appellantur. Itaque liberi quoque nostri, qui in potestate nostra non sunt, hæredes à nobis instituti, extranei hæredes nobis videntur. Qua de causa & qui hæredes à matre instituuntur, eodem numero sunt: quia fœminæ in potestate liberos non habent. Seruus quoque hæres à domino institutus, & post testamentum factum ab eo manumissus, eodem numero habetur.

In extraneis hæredibus illud obseruatur, vt sit cum eis testamenti factio: siue hæredes ipsi instituantur, siue hi, qui in potestate eorum sunt. & id duobus temporibus inspicitur, testamenti quidem facti tempore, vt constiterit institutio: mortis verò testatoris, vt effectum habeat. hoc amplius, & cùm adit hæreditatem, esse debet cum eo testamenti factio, siue purè, siue sub conditione hæres institutus sit. nam ius hæredis eo maximè tempore inspiciendum est, quo adquirit hæreditatem. Medio autem tempore inter factum testamentum, & mortem testatoris, vel conditionem institutionis existentem, mutatio iuris non nocet hæredi: quia (vt diximus) tria tempora inspici debent. Testamenti autem factionem non solùm is habere videtur, qui testamentum facere potest: sed etiam qui ex alieno testamento vel ipse capere potest, vel alij adquirere, licet non possit facere testamētum. Et ideo furiosus, & mutus, & posthumus, & infans, & filiusfamilias, & seruus alienus testamenti factionem habere dicuntur. Licet enim testamentum facere non possint: attamen ex testamento vel sibi, vel alij adquirere possunt.

Extraneis autem hæredibus deliberandi potestas est de adeunda hæreditate, vel non adeunda. Sed siue is, cui abstinendi potestas est, immiscuerit se bonis hæreditatis: siue extraneus, cui de adeunda hæreditate deliberare licet, adierit: postea relinquendæ hæreditatis facultatem non habet, nisi minor sit vigintiquinque annis. Nam huius ætatis hominibus, sicut in cæteris omnibus causis, deceptis: ita & si temerè damnosam hæreditatem susceperint, Prætor succurrit.

Sciendum est tamen Diuum Adrianum etiam maiori vigintiquinque annis veniam dedisse, cùm post aditam hæreditatem grande æs alienum, quod aditæ hæreditati tempore latebat, emersisset. Sed hoc quidem Diuus Adrianus cuidam speciali beneficio præstitit. Diuus autem Gordianus posteà militibus tantummodo hoc concessit.

Sed nostra beneuolētia cōmune omnibus subiectis imperio nostro hoc beneficiū pręstitit; & Constitutionē tam æquissimā, quàm nobilissimā scripsit, cuius tenorem si obser-

uauerint homines, licet eis adire hæreditatem, & in tantum teneri, quantum valere bona hæreditatis contingit: vt ex hac causa neque deliberationis auxilium sit eis necessariū, nisi omissa obseruatione nostræ Constitutionis, & deliberandum existimauerint, & sese veteri grauamini additionis supponere maluerint.

Item extraneus hæres testamento institutus, aut ab intestato ad legitimam hæreditatem vocatus, potest aut pro hærede gerendo, aut etiam nuda voluntate suscipiendæ hæreditatis, hæres fieri. Pro hærede autem gerere quis videtur, si rebus hæreditariis tanquam vtatur, vel vendendo res hæreditarias, vel prædia colendo locandóve, & quoquomodo voluntatem suam declaret, vel re, vel verbo de adeunda hæreditate: dummodo sciat eum, in cuius bonis pro hærede gerit, testatum intestatúmve obiisse, & se ei hæredem esse. Pro hærede enim gerere, est pro domino gerere. veteres enim hæredes pro dominis appellabant. Sicut autem nuda voluntate extraneus hæres fit: ita contraria destinatione statim ab hæreditate repellitur.

Eū, qui surdus vel mutus natus, vel posteà factus est, nihil prohibet pro hærede gerere, & adquirere sibi hæreditatem: si tamen intelligit quod agit.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Seruus ab intestato hæres esse an possit?
2.3.4 Qui serui necessarij hæredes non fiant? sed voluntarij?
5 Quandocunque adeat seruus, ab initio hæres fuisse videtur.
6 Oberatus ignominiam publicationis bonorum in seruum deriuare potest.
7 Adita hæreditas nomen suum quomodo perdat?
8 Libertatis hæreditariæ commoda quæ?
9 Ius olim separationis, nunc inuentarij quale?

a L. quod attinet. de reg. iur.
b L. seruum qui fideicommiß. de hær. inst.
c L. testamento. de hæred. instit.
d L. lege Cornelia. de testamen.
e L. verba hæc. de cōdit. instit. L. Cornelius de hæred. instit.
f L. ex parte de acqui. hæred. L. eius qui. D. si cer. peta. cond.
g L. hæres quādocūque de acqui. hæred.

S*Eruus hæres institutus.*] Ab intestato verò seruus hæres esse non potest. Nam legitima hæreditas ab 1
intestato defertur Iure Ciuili. Sed quod ad id attinet, seruus nihili est[a]. Sanè tamen apud Hebræos vernam habuisse aliquod ius succedendi domino sine liberis defuncto, colligitur ex decimoquinto capite Geneseos. ¶ *Seruus.*] Qui est in potestate domini testatoris, nec aliunde liber- 2
tatem consequitur, quàm ex domini beneficio. Cæterùm si ei debebatur libertas à domino, fortè ex fideicommisso, non erit necessarius hæres, nisi adhuc penderet conditio fideicommissi: quæ si
posteà eueniret, is, qui factus est necessariò hæres, fieret voluntarius: non vt desinat hæres esse, sed 3
vt ius in eo mutetur successionis, inquit Vlpianus[b]. Sanè testamento domini seruus sub conditione cum libertate hæres institutus, si pendente adhuc conditione meruerit libertatem, vt quia fortè necem domini detexit, & posteà conditio testamenti extiterit: quia aliunde liber est, quàm ex testamento, non erit necessarius hæres, sed si volet[c]. Porrò quod dicimus seruum esse necessarium hæredem, si fuerit in potestate domini testatoris, id adeò verum est, vt alioqui propriè necessarius dici non posit: quanuis adhuc singulari aliquo iure cogeretur esse hæres. Vt cùm lege Cornelia testamenta eorum, qui in hostium potestate decedunt, confirmantur. Nam tum (in-
quit Iulianus[d]) seruus hæres scriptus, & liber & hæres erit seu velit, seu nolit: sed minus propriè 4
necessarius hæres dicitur. ¶ *Siue nolit.*] Nisi sanè aliquam ei libertatem arbitrij vltrò dederit dominus: vt si scripserit, Seruus meus, si volet, hæres esto. Nam hæc verba ad necessarium alioqui hæredem, conditionem faciunt: vt si is nolit, hæres non existat[e]. Filio quoque remitti potest hæc necessitas à testatore: & facilius intelligetur remissa, quàm seruo. Nam si detur cohæres, vel adiiciatur substitutus, potest filiusfa. non esse hæres. At id in seruo satis non est[f]: quanquam satis sit, vt nec liber, nec hæres fiat in fraudem creditorum.

¶ *Protinus.*] Hoc est, Statim à tempore mortis. Nam & si sub conditione fuerit institutus: vbi ea euenerit, retrotrahetur: & quandocunque adierit seruus, ab initio hæres fuisse videbitur[g].

¶ *Vnde qui.*] Quomodo liceat ei, qui soluendo non est, seruum vnum liberum facere, vt hære- 5
dem habeat, & iniuriam ignominiámque publicationis bonorum effugiat deriuatam in seruum 6
hæredem, copiose dictum est superiori libro, titulo, Quibus ex causis manumittere non licet: eóque loco declaratum est pluribus hoc beneficium legis Æliæ Sentiæ, quod redundat in fraudem creditorum. Nunc neque libet, neque vacat repetere, quæ semel satis inculcata sunt.

¶ *Eius hæredis bona.*] Hoc est, bona hæreditaria quidem, sed quæ facta sunt ipsius hæredis per adi- 7
tionem[h]: sic vt adita hæreditas perdat nomen suum: cùm fiat patrimonium hæredis adeuntis[i].

¶ *Ipsi reseruentur.*] Hîc significatur magnum libertatis hæreditariæ commodum: primùm, quòd 8
aliquid sibi acquirere posit seruus hæres: deinde, quòd acquisita sibi conseruet, singulari quodam
beneficio, nempe separationis[k]: quod aliis hæredibus tribui non solet, quanquam hodie tribua- 9
tur aliud simile, nempe inuentarij, quod introduxit Iustinianus[l].

h L. Stichum. §. aditio de solut.
i L. sed & si plures §. filio. de vulga. & pup.
k L. 1. §. vlt. de separa.
l L. vlt. C. de iure deli.

§. Sui

§. *Sui autem. cum §. seq.*

1 Filius morientis apud hostes cur inuitus hæreditati obligetur.
2 Nepos neptisve, quomodo suorum hæredum iura consequantur?
3 Filijfa. sine aditione acquirunt hæreditatem iis in quorum potestate sunt.
4 Nepos suo iure in locum patris sui succedit, non per iuris alieni transmissionem?
5 Domestici hæredes quomodo dicantur?
6 Suus hæres vnde dictus?
7 Sui hæredes dominium potius continuare, quàm hæreditatem videntur percipere.
8 Vicesima fisco pendenda cur suis hæredibus remissa?
9 Nepotes auo cur in stirpes, non in capita succedant.
10 Dominium filiorumfa. in bonis paternis quousque se extendat?
11 Filij paternos libertos qui suos dicere possint?
12 Intestatorum hæreditas primùm ad suos pertinet.
13 Filijfa. iure prætorio beneficium habent abstinendi se ab hæreditate.
14 Extraneis damnosam hæreditatem adeuntibus vt succurratur?
15 Abstinente se hæreditate suo hærede quæ suitatis vestigia maneant?
16 Extranei hæredes qui?
17 Aliqui potestate liberati, tamen extranei non sunt.
18 Ad fœminarum testamenta cur Edictum contra tabulas bon. poss. non pertineat?
19 Seruus quando hæres necessarius non fiat?

¶ *Sui autem.*]Meminit huius loci postea[a] Iustinianus, eumque repetit & inculcat. a §. 1. inf. de hæred. quæ ab intest. defe.
¶ *In potestate morientis fuerunt.*] Saltem iuris fictione: veluti legis Corneliæ, quæ confirmat
eorum testamenta, qui apud hostes decesserunt: perinde atque si iam tum, cùm caperentur, libe-
ri decessissent. Eorum ergo filij propriè quidem sui hæredes non sunt, habentur tamen pro suis &
1 necessariis. Sic accipiendum est, quod ait Iulianus[b]: Filius eius, qui in hostium potestate decesse- b l. lege Cornelia in ff. de testamen.
rit, inuitus hæreditati obligatur: quanuis suus hæres dici non possit, qui in potestate morientis c § posthumorum. Supra de exhære. liber.
non fuit.
2 ¶ *Sed vt nepos.*] Sentit hoc loco Iustinianus, & veluti repetit, quod supra docuit[c], his verbis: Si
quis filium, & ex eo nepotem neptémve in potestate habeat: quia filius gradu præcedit, is solus
iura sui hæredis habet: quanuis nepos quoque & neptis ex eo, in eadem potestate sint. Sed si filius
eius viuo eo moriatur, aut qualibet alia ratione exeat de potestate eius: incipit nepos neptísve in
eius locum succedere, & eo modo iura suorum hæredum quasi agnatione nanciscuntur.
¶ *Sed opus est.*] Maximè si ab intestato succedere, sibique hæreditatem acquirere velit. Cæterùm
ex testamento aui alioqui poterit quidem succedere, sed patrem suum, in cuius mansit potestate,
facit hæredem, & quidem suum & necessarium, si modò is non fuerit prius liberatus potestate de- d L. qui in aliena. §. interdum. de acquir. hæred.
functi testatoris, à quo fortassis est exhæredatus. Sic enim eleganter scribit Vlpianus[d]: Interdum
3 filijfa. & sine aditione acquirunt hæreditatem iis, in quorum sunt potestate: vt puta si nepos ex fi-
lio exhæredato hæres sit institutus, patrem enim suum sine aditione faciet hæredem, & quidem
necessarium. Addit deinde Vlpianus: Sed si quis hæres institutus adoptetur à filio exhæredato,
necessarium eum non facit, sed iuberi debet, vt adeat: quoniam mortis tempore in potestate non
fuerit. Nam per eum quis existere necessarius non potest, qui ipse non esset extiturus[*]. * al. extaturus.
¶ *Vel qualibet alia ratione.*] Veluti. Emancipatione, inquit Iustinianus alio postea loco[e]: vbi rur- e §. ita demum inf. de hære. quæ ab intesta.
sus hunc articulum inculcat. Nos contenti iis, quæ suprà diximus, & quæ adiiciemus eo loco, nûc
4 aliò pergamus. ¶ *In locum patris sui succedit.*]. Non tamen eius nititur iure. Hæc enim successio
fit non per transmissionem, sed potius (vt ita loquar) per remotionem. Suo itaque & proprio iu-
re vtitur, non alieno.
¶ *Quia domestici hæredes sunt.*]. Hoc aptius græcè dicitur. Græci enim οἰκεῖον vocant, quod est pro-
5 prium: ad verbum autem sonat domesticum. Certè & Plinius in Panegyrico, domesticos hære-
des opponit extraneis. Loquens enim de Vicesima hæreditarum, quæ pendebatur fisco, ait; Tri-
butum hoc tolerabile & facile extraneis fuisse hæredibus, domesticis graue, ideóque scribit, illis
irrogatum, his remissum, & addit, hac in re domesticos fuisse hæredes, filios, si modò essent & in
patris potestate. Quam exceptionem ait Traianum sustulisse, intuitum vim legémque Naturæ,
6 quæ semper in ditione parentum esse liberos iussit. Sed quod attinet ad appellationem sui hære-
dis, apertius est & aptius, quod à quibusdam annotatum est; Suum hæredem dici, quia videatur
sibimetipsi succedere. Nam per successionem magis suas, quàm alienas res consequi intelligitur,
cùm viuente patre filius intelligatur dominus[f]. ¶ *Et viuo quoque patre.*] Id desumptum est ex re- f L. in suis de liber. & posth.
sponso Pauli, qui ait[g]: In suis hæredibus euidentius apparet continuationem dominij eò rem per- g Dic. l. in suis. de liber. & posthu.
7 ducere, vt nulla videatur hæreditas fuisse: quasi olim hi domini essent, qui etiam viuo patre quo-
dammodo domini existimabantur, & addit: Itaque post mortem patris non hæreditatem perci-
pere videntur, sed magis liberam bonorum administrationem consequi. Huc quoque pertinet
quod Plinius in Panegyrico ait, domesticos hæredes bona, quæ sanguine, gentilitate, sacro-
rum denique societate meruissent, non capere vt aliena, sed vt sua, semperque possessa. Qua ratio-
8 ne ait, iis remissam illam Vicesimam, quæ ab extraneis hæredibus fisco pendebatur. ¶ *Quodam-
modo domini existimãtur.*]Nẽpe propter continuationẽ dominij: quod vt assequãtur, nulla hæreditã-
tis aditione opus habẽt. Et adeò existimãtur domini, vt nepotes successuri auo, nõ nisi portionẽ sui
patris

patris consequantur: quasi is, cùm esset superstes, eius portionis verè fuisset dominus viuo adhuc
suo patre, qui est hotum nepotum auus. Itaque succedunt nepotes auo in stirpes, non in capita[a], 6
quasi iam ptius fuisset diuisa hæreditas, & distributa eorum parentibus. Non tamen filijfa. adeò
domini existimantur, vt posint etiam ex bonis viui patris aliquid petere. Id enim esset præmatu- 10
rum[b]. Sed omnino coguntur mortem patris expectare, quam fortasis multi auidè expectant,
sed alio sensu, vt est apud Fabium libro nono, cap. 3. Notum est illud è Poëta: *Filius ante diem patrios* 11
inquirit in annos. An antem huc referendum sit, quòd filij paternos libertos, posint libertos suos
dicere[c], vix possum definire. Certè quod in Senatusconsulto Sillaniano, domini appellatione
continetur filius[d], huc non pertinet: cùm etiam id tribuatur filio emancipato. ¶ *Vnde etiam si*
quis.] Inquit posteà Iustinianus[e]: Intestatorum hæreditates ex lege duodecim Tabularum, pri- 12
mùm ad suos hæredes pertinent. ¶ *Sed his Prætor permittit.*] Hunc articulum pluribus explicat
Caius[f], his verbis: Necessariis hæredibus non solùm impuberibus, sed etiam puberibus, absti- 13
nendi se ab hæreditate Proconsul potestatem facit: vt quanuis creditoribus hæreditariis Iure Ciui-
li teneantur, tamen in eos actio non detur, vt si velint relinquere hæreditatem. Sed impuberibus
quidem, etiam si se immiscuerint hæreditati, præstat abstinendi facultatem: puberibus autem ita,
si se non immiscuerint. Sed tamen & puberibus minoribus vigintiquinque annis, si temerè dam-
nosam hæreditatem patentis appetierint, ex generali Edicto, quod est de minoribus vigintiquin-
que annis, succurrit: cùm & si extranei damnosam hæreditatem adierint, etiam ex ea parte Edicti 14
in integrum eos restituat. Seruis autem necessariis hæredibus, siue puberes, siue impuberes sint,
hoc non permittitur. Hactenus Caius. Porrò autem & si se abstinuerit hæreditate suus hæres: ma- 15
nent tamen quædam vestigia suitatis: veluti quòd nihilominus libertatum testamēto relictarum
datio rata maneat[g]: atque adeò ipsæ tabulæ pupillares[h]: quas dicitur sustinere hæredis, vt ita lo-
quar, suitas.

¶ *Vt potius parentis.*] Æquius enim Prætori visum est, ipsum patrem, qui æs alienum contraxit,
quàm filium, mortuum, quàm viuum, onerari, & ignominiam publicationis bonorum sustine-
re. ¶ *Extranei heredes appellantur.*] Hos generalius descripsit Caius libro secundo Institutionum, 16
eos esse, qui nullo propinquitatis gradu testatori iunguntur, sed quicunque pro arbitrio scribun-
tur hæredes. Quo sensu videtur Valerius lib. 7. dixisse. Q. Metellum plures celeberrimos eiusdem
nominis viros præteriisse, vt extraneum hæredem institueret. Et Plinius in Panegyrico etiam vo-
cat extraneos hæredes, qui sanguine iuncti non sunt testatori. ¶ *Qui in potestate nostra sunt.*] Theo-
philus hìc proponit exemplum Emancipatorum: & rectè. Nam qui ex alia causa in potestate pa-
rentis non sunt, non habentur statim quoque pro extraneis. Qui enim per Dignitatem liberatus 17
est potestate, nihilominus retinet iura suitatis. Et posthumus, quandiu est in vtero, non est in po-
testate. Suus tamen hæres patri agnascitur.

¶ *Quia fœmina.*] Id dictum est lib. 1. Titulo de Adoptionibus. Illud verò hoc loco addendum est, 18
quod ait Paulus[i]: ad testamenta fœminarum, Edictum contra tabulas bonorum possesionis, nō
pertinere: quia suos hæredes non habeant. ¶ *Seruus quoque.*] Id quoque supra satis inculcatum
fuit à Iustiniano, his verbis[k]: Seruus autem à domino suo hæres institutus, si quidem in eadem
causa manserit, fit ex testamento liber, hæresque ei necessarius. Si verò à viuo testatore manumis- 19
sus fuerit: suo arbitrio adire hæreditatem potest. quia non fit hæres necessarius, cùm vtrunque ex
domini testamento non consequatur.

a §. vlt. inf. de here. quæ ab intest. def.
b L. 1. §. si impuberi in fi. de collat.
c L. licet inter §. libertos de verb. significat.
d L. 1. §. domini appellatione etiam filius. D. ad Sen. Sillan.
e §. 1. inf. de here. quæ ab intesta.
f L. necessarius de acqui. hered.
g L. cum quasi §. sed et si suus de fideicōm. lib.
h L. si filius qui patri. de vulg. & pup. subst.
i L. illud §. ad testamenta. de bon. poss. contra tabu.
k §. seruus autem. Supra de hered. instit.

§. *In extraneis. cum §§. seq.*

1 *In suis & necessariis heredibus an & quæ tempora cō-siderentur?*
2 *Regula Catoniana an ad hereditates quoque pertineat?*
3 *In legatariis quæ tempora considerentur?*
4 *Libertatis legatum fauorabile.*
5 *In tempus capiendæ hereditatis institui heres vt possit?*
6 *Conditi testamenti tempus magis spectari, quàm tēpus mortis.*
7 *In capiendis hereditatibus quæ duo extrema tempora senserit Theophilus?*
8 *Medij temporis incapacitas cur non noceat?*
9 *Deliberandi ius heredibus quale datum?*
10 *Quod tempus iuri deliberandi concessum?*
11 *Hæreditate semel adita, cessat inter suos & extraneos discrimen.*
12 *Hæreditate semel repudiata, extraneis recuperandæ spes non est? suis est.*
13 *Quà quis intrauit, debet exedere.*
14 *Qui semel heres exstitit, non potest desinere heres esse.*
15. 16. 17. 18 *Minori 25. annis Prætor cur & quot modis succurrat?*
19 *Quid si militi post aditam hereditatem improuisa debita emergant?*
20 *Separationis olim beneficium speciale.*
21 *Inuentarij vsus qualis?*
22 *Caroli V. Constitutio de beneficio inuentarij.*
23 *Non vtentium inuentario grauamina.*
24 *Animus adeundæ hereditatis declarandus est.*
25 *Quis pro herede gerere videatur?*
26 *Ex circumstantiis rei gestæ colligendus animus gerentis.*
27 *Quomodo gerens pro herede dicatur adiisse?*
28 *Quibus animus seu mens deest, iis curatoribus opus est.*

¶ *In ex-*

¶ *In extraneis.*] Totus hic locus ad verbum descriptus est ex responso Florentini[a]. Porrò in suis
& necessariis hæredibus nihil tale quæritur: quia non potest non esse cum iis perpetua testamenti
1 factio, si sui sunt aut necessarij. Possunt tamen in iis considerari duo tempora, nempe conditi
testamenti, & successionis: quibus hæreditatis capaces in genere fuisse, satis est. Nam & si scriba-
tur extraneus hæres, quem postea testator arrogauerit, fiet suus hæres[b]. ¶ *Siue ij qui in potestate.*]
Testamenti factio cum seruis (inquit Caius) ex persona dominorum introducta est[c].
¶ *Duobus temporibus*] Additur postea & tertium, nempe aditionis: sed quod à testatore proui-
deri nullo modo potest, & ad eius solicitudinem non pertinet. ¶ *Vt constiterit institutio.*] Quæ
sanè constare non potest, si quis cum instituitur hæres, capax non sit hæreditatis. Nec ad rem per-
tinet, si postea capax fiat. In legatis quoque idem definiuit Catoniana regula[d]: nempe, Quod
si testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret: id legatum, quandocunque decesse-
2 rit, non valere. Quòd autem ait Papinianus[e], Catonianam regulam non pertinere ad hæredita-
tes, non intelligit aliud statui in hæreditatibus: sed de iis non esse conceptam regulam Catonia-
nam, quia nec opus fuit: quòd per alias leges in hæreditatibus idem dudum fuisset statutum.
3 ¶ *Hoc amplius.*] Hoc tertium tempus in legatariis non consideratur, sed solum tempus testa-
4 menti, vel etiam mortis[f], quo cedere legatum dicitur. Excipiendum est tamen legatum liberta-
tis, quod singulari fauore sustinetur, etsi tempore aditionis tantùm eius fuerit capax legatarius.
Nam & si tempore mortis alienus fuerit seruus, cui purè non poterat relinqui libertas: si is tamen
tempore aditionis fuerit hæreditarius, fruetur relicta libertate[g].
¶ *Eo maximè tempore.*] Et adeò quidem, vt in hoc tempus reiici posit tota institutio à testatore,
5 non habita ratione priorum temporum. Sic enim scribit Modestinus[h]; in tempus capiendæ hæ-
reditatis institui hæredem posse, beneuolentiæ est. Veluti; Lucius Titius cùm capere poterit, hæ-
6 res esto. Idem & in legato. Sanè & tempus conditi testamenti magis spectatur quàm tempus mor-
tis, spectatur enim & in conditionalibus institutionibus; vbi non consideratur tempus mortis,
7 sed eius loco tempus euenientis conditionis. Idque sensisse videtur Theophilus, cùm ait; maxi-
mè hic spectari duo extrema tempora. ¶ *Medio autem tempore.*] Vlpianus[i], multitudinis nume-
ro ait, Media tempora non nocere: sed non addit exemplum, nisi vnius temporis, quod est me-
dium inter duo priora tempora. quod etiam vnum hoc loco persequitur Iustinianus. Nec id te-
8 merè. Reuera enim illius solius temporis medij incapacitas non nocet: quia tum viuo adhuc te-
statore nemo est alius, cui ex hac incapacitate ius aliquod quæri posit in hæreditate, vtpote quæ
nulla est viuentis. Mortuo autem testatore, & cùm iam adeunda esset hæreditas, si quando inue-
niretur scriptus hæres non capax, id certè noceret. Statim enim ab intestato proximus succedet,
qui non morabitur tempus, quo iterum is fiat capax, qui scriptus erat hæres. ¶ *Et ideo.*] Totus
hic locus desumptus est ex responso Pomponij, & Marcelli annotatione[k].
9 ¶ *Deliberandi.*] Cuius deliberationis nomine poterit petere copiam hæreditariorum instru-
mentorum inspiciendorum, & vt ei liceat rationes defuncti perscrutari, vbicunque tandem ex
sint[l]. Nec iniquum fuerit publico programmate admoneri creditores, vt sua nomina deferant:
quò posit commodius institui certa deliberatio adeundæ vel repudiandæ hæreditatis.
10 ¶ *Potestas.*] Cuius tempus primum omnino fuit relictum iudicis arbitrio[m]: deinde constitutum
est, vt non pauciores, quàm centum dies darentur[n]. postea præstitutum fuit anni spacium peten-
dæ hæreditati[o], cui postremò Iustinianus tres menses detraxit[p]. Quòd si præterito tempore hæres
neque adierit, neque repudiârit hæreditatem, intelligitur in dubio illud fecisse, quod vtilius est ei,
qui curauit certum deliberationi tempus à iudice præstitui. Vt si is sit substitutus, censeatur hæres
11 repudiâsse; Sin creditor hæreditarius, censeatur adiisse[a]. ¶ *Sed siue is.*] Hactenus docuit Iusti-
nianus, inter suos & extraneos hæredes magnum esse discrimen in adipiscenda hæreditate. Nunc
tradit, vbi eam semel adepti sunt, nihil differre, quia vtrosque eadem constringat necessitas reti-
nendæ hæreditatis. Sanè si agatur de recuperanda hæreditate, magnum rursus est discrimen inter
12 suos & extraneos: quia extranei semel repudiatam hæreditatem, non temerè possunt recuperare[b]:
at suis, etsi semel se se abstinuerint, tamen si bona hæreditaria sint adhuc in suo statu, liberior patet
reditus[c]. Quod esse videtur ex quibusdam reliquiis suitatis.
13 ¶ *Relinquendæ hæreditatis.*] Sic nempe, vt cum commodis hæreditariis, relinquat & incommo-
da: quæ sanè, quando sibi intriuit, exedere debet. De relinquendo autem nomine hæredis nemo
14 cogitare debet. Omnino enim relinqui aut deleri non potest[d]: non etiam, & si ex fideicommis-
so restitueret hæreditatem[e], vel impetrata in integrum restitutione liberaretur necessitate reti-
nendæ hæreditatis[f].
15 ¶ *Sicuti in cæteris omnibus causis.*] Cùm inter omnes constet, (inquit Vlpianus[g]) fragile esse,
& infirmum huiusmodi minorum ætatum consilium, & multis captionibus suppositum, multo-
rumque insidiis expositum: auxilium eis Prætor pollicitus est, & aduersus captiones opitulatio-
nem. Deinde alio loco addit idem Vlpianus[h], quod huius propriè loci est: Mihi semper succur-
16 rendum esse videtur, si minor sit, & se circumuentum doceat. Sed & in iudiciis subuenitur, siue
dum agit, siue cùm conuenitur, captus sit. Sed & si hæreditatem minor adiit minus lucrosam,
succurritur ei, vt se posit abstinere. Nam & hic captus est. Idem & in bonorum possessione, vel a-
lia successione.
¶ *Damnosam hæreditatem susceperint.*] Idem & si temerè lucrosam hæreditatem reiecerint. Nam &
17 tum iis Prætor succurrit, vt eam recuperent[i]. Sed & restitutus vt se hæreditati immisceat, vel eam
adeat,

a L. si alienum §. 1. de hæred. inst.
b L. filio quem pater §. vlt. de libe. & post.
c L. non minus. de hæred. instit.
d L. 1. de regu. Cato.
e L. 3. D. de illo tit.
f L. si cognatis de reb. dub. l. interueniens. de lega. præstan.
g L. verū. de manu. test.
h L. in tempus. de hæred. instit.
i L. sed etsi in conditione §. solemus de hæredib. instituend.
k L. filiusfa. de testa.
l L. Aristo. de iure delib. l. Aristo. de acqui. hær.
m L. 1. de iure delibe.
n L. 2. D. illo tit.
o L. cum antiquioribus. C. de iure delib.
p L. vlt. §. & hæc quidē C. de iure deliber.
a Dic. l. vlt. §. fin. autē.
b L. sicut C. de repud. hær.
c L. si quis suus de iure delib. l. vlt. C. de repud. hæred.
d L. ei qui soluendo. in fi. de hæred. instit.
e §. restituta. inf. de fideicom. liber.
f L. si minor. de acqui. hæred. l. sed & si ne. §. sed quod Papin. de Minorib.
g L. 1. de Minorib.
h L. aīt Prætor §. non solum autem in his. De Minori.
i L. & si sine §. restitutus. de Minorib.

a L. etsi sine §. restitutus de minorib.
b L. quod si minor §. Scæuola de minor.
c L. vlt §. vbi autem pueris C. de bon. quæ lib.
d L. vlt. C. de iure delibe.
e Dist. l. vlt.

adeat, quam repudiauit, rursus restitui poterit, vt se abstineat[a]: saltem quandiu res est integra[b]. Sa- 18
nè & si contra patrem rursus vellet restitui, non temerè audiretur[c].

¶ *Diuum Adrianum.*] Huius singularis rescripti nulla, quod sciam, extant vestigia. Meminit autem Iustinianus[d] suæ cuiusdam Constitutionis, quam edidit, de improuisis debitis, quæ emergebant post aditam hæreditatem, & quamuis ea non extet, satis tamen colligere possumus editam fuisse & compositam ad exemplum rescripti Adriani.

¶ *Diuus autem Gordianus.*] Non extat quoque eius Constitutio, sed multa fit alibi apud Iustinia-
num mentio, his verbis[e]: Sed & veterem Constitutionem non ignoramus, quam Diuus Gordia- 19
nus ad Platonem scripsit de Militibus, qui per ignorantiam hæreditatem adierunt: quatenus pro iis tantummodo rebus conueniantur, quas in hæreditate defuncti inuenerint: ipsorum autem bona à creditoribus hæreditariis non inquietentur. Deinde subiicit: arma etenim magis quàm iura scire milites, sacratissimus Legislator existimauit. Extat sanè quædam Gordiani Constitutio ad Iuuenalem[f]: Maiorem annis vigintiquinque non excusari vel restitui, si temerè matris hæreditati renunciârit.

f L. 2. C. de iurn. & facti igno.

¶ *Commune omnibus.*] Olim separationis beneficium non nisi specialiter & grauatim admodum 20
quibusdam tribuebatur hæredibus, vt possent sua bona separare ab hæreditariis. Hic verò Iustinianus introduxit illud commune omnibus beneficium, quod precibus à Principe impetrandum non esset, verùm omnibus liberè pateret: vt nec precibus implorari solet, quod iure communi
conceditur[g]. Hodie tamen Princeps communem inuentarij vsum, à suo pendere voluit arbitrio, 21
vt nemo eo vti posit, nisi cui nominarim id concesit. ¶ *Et constitutionem.*] Extat hæc Constitutio[h], cuius tenorem obuium est inspicere, vt non sit opus diutius in eius relatione immorari.
Extat & alia noua quædam Constitutio Imp. Caroli v. edita anno 1541. qua præcipit, vt impe- 22
trato beneficio inuentarij. hæres intra quadraginta dies conficiat inuentarium omnium bonorũ hæreditariorum, eáque æstimari curet: deinde possessionem eorum liberam consequatur data cautione reddendarum rationum. ¶ *Veteri grauamini.*] Exoluendorum scilicet omnium nominum
hæreditariorum, non habita ratione virium hæreditariarum[i]. Est & aliud nouum grauamen non 23
vtentium inuentario, videlicet, præstandorum omnium legatorum, non deducto quadrante per legem Falcidiam. quod Iustinianus adiecit, vt magis commendaret vsum sui beneficij. Sic enim scribit in Nou. sua Constit. prima Et huc referri potest, quod Marcellus ait[k], hæredem rei quam amouit, quartam non retinere. Atqui inuentarium facere noluit, videtur aliquid occultasse vel amouisse.

g L. vna C. de thesau.
h L. vlt. C. de iure delib.
i L. si te bonis C. de iure delib.
k L. rescriptum est, de his quæ vt indig.

¶ *Ad legitimam hæreditatem*] Idem & si Prætoriam, delata bonorum possessione ex edicto Prætoris. Sufficit enim eiusmodi edictales bonorum possessiones qualitercunque agnouisse.

¶ *Nuda voluntate.*] Hoc est, solo animo: quem tamen declarasse oportet, si non facto, saltem 24
verbo. Neque enim sola nudáque cogitatio hæredem facere potest. Sic accipiendum est quod ait Paulus[l]: Gerit pro hærede. qui animo agnoscit succesionem, licet nihil attingat hæreditarium.

l L. gerit. de acqu. hæred.
m L. pro hærede. de acquir. hæred.
** al. extaturus.*

¶ *Tanquam hæres vtatur.*] Id conuenit cum responso Vlpiani, qui ait[m]: Pro hærede gerere videtur
is, qui aliquid facit quasi hæres. Et generaliter Iulianus scribit, eum demum pro hærede gerere, 25
qui aliquid quasi hæres gerit & addit, quod ad subiecta exempla pertinet: Si fundos aut ædes locauit, vel fulsit, vel quid aliud fecit, non hoc animo quasi pro hærede gereret, sed dum ei qui substitutus est, vel ab intestato hæres *exiturus est, prospicit: aut res tempore perituras distraxit: in ea causa est, vt pro hærede non gesserit, quia non hoc animo fuerit. Sed quæret aliquis, in dubio
quid magis statuendum sit. Sanè ex rei gestæ circunstantiis colligi potest animus gerentis: vt si 26
simpliciter locauerit fundos hæreditarios, videtur id tanquam hæres facere. Hæc enim in re obscura verisimilior causa esse videtur: quòd non soleat quis temerè sese vltro immiscere alienis negociis. Sic & qui nomina hæreditaria vltrò persoluerit: videtur id pro hærede facere[n]. Nam quanuis id alieno etiam nomine fieri posit[o]: magis tamen id proprio quàm alieno nomine fieri solet: & in dubio ita factum intelligitur[p]. Cæterùm vbi nulla eiusmodi vehemens coniectura vrgeret, propensiores erimus ad credendum, aliquid proprio, & alio, quàm hæredis, nomine gestum: ne temerè aliquem hæreditati obligemus. vnde filius qui in sepulchrum hæreditarium mortuum intulit, non obligabitur paternis creditoribus, quasi hæres[a]. Id enim magis fecisse existimandus est pietatis naturalis causa[b]. Sed & cùm filius à patre de castrensi peculio seruos comparasset: & hæres ab eo institutus, simúlque manumittere rogatus, eos manumisisset: respondit Vlpianus[c], nisi euidenter quasi hæres manumiserit, non debere eum calumniam pati, quasi se miscuerit hæreditati.

n L. 2. C. de iure deli.
o L. soluendo. de nego. gest.
p L. & magis. de solu.
a L. pro hærede §. sed & qui. de acqu. hære.
b L. at si quis §. plerique. de relig. & sump. fu.
c L. si pupillus §. vlt. de acquir. hæred.
d L. fauia C. de iure delibe.

¶ *Quoquomodo.*] Adeò vt id etiam fieri satis sit, cùm moritur: vt puta, si quis de hæreditate sibi delata aliquid statuat in suo testamento, quasi eam adierit[d].

¶ *Dummodo sciat.*] In hærede futuro requiritur scientia mortis, & testamenti relicti, vel non re-
licti, vt sciat ex qua tandem causa hæres sit: cuius rei ignorantia vitiaret ipsam aditionem, atque 27
in hunc quidem modum scribit Paulus[e]: Vt quis pro hærede gerendo obstringat se hæreditati, scire debet qua ex causa hæreditas ad eum pertineat. veluti agnatus proximus, iusto testamento scriptus hæres, antequam tabulæ proferantur, cùm existimaret intestatum patremf. mortuum: quanuis omnia pro domino fecerit, hæres tamen non erit. ¶ *Repellitur.*] Adeo vt non temerè vllus illi pateat reditus: quanquam aliud esse diximus in suo hærede.

e L. sis ad quem. de acquir. hæred.
f L. Mutum. de acqui. hæredit.

¶ *Eum qui.*] Videtur hic locus sumptus ex responso Vlpiani, qui ait[f]: Mutum nec non surdum,

surdum, etiam ita natos, pro hærede gerere, & obligari hæreditati posse, constat. Et alioqui non constaret, quod alio loco ait idem Vlpianus [a], Mutos & surdos, rectè hæredes institui posse. Sanè & mutum & surdum & cæcum posse admittere bonorum possessionem, si quid agatur, intelligant, ait idem Vlpianus [b].

28 ¶ *Si tamen intelligit, quod agit.*] Alioqui vbi mens & animus deesset, curatoris erit necessaria autoritas, sicuti pupillo tutore opus est [c]. Quod alio loco pluribus excussimus.

a L.1.§.mutus. de hæred. instit.
b L. vlti. de bon. poss. fur. infan. mu. fur.
c L. pupillus de acquir. hæred. §. neq. tamen. supra de auto. tuto.

IN TITVLVM SEQVENTEM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Continuatio huius tituli.
2 Legandi vocabulum latè olim patuisse.
3 Legatum inter modos dominij acquirendi referendũ.
4 Legatum olim aliud per vindicationem, aliud per damnationem.
5 In alienis, siue pondere numeróve constantibus rebus, non vindicatio, sed personalis actio competit.
6 Cur legatorum discriminis retinenda memoria?

1 *NE mutila videretur testamentariæ acquisitionis tractatio, nunc quædam obiter perstringit Iustinianus, de Legatis: quorum tota ratio in Pandectis latè multis libris explicatur, vbi sigillatim & pluribus verbis commemorantur plures facti species. quas quidem non putauit Iustinianus in hoc iuris compendio referendas, contentus summis rei capitibus, ac præcipuis regulis, quas per generales quosdam veluti Aphoris-*
2 *mos hic digessit. Atque hæc quidem methodus decet grauem Legumlatorem. Quàm latè olim patuerit legandi verbum, intelligi potest ex 26. cap. 12. Tab. postea verò contracta est significatio ad eas donationes testamentarias, de quibus nunc agimus. At Iustinianus quidem ait earum tractatum huc propriè non pertinere, quia magis eos modos persequatur, quibus per vniuersitatem res nobis acqui-*
3 *rantur. Sed saltem inter modos dominij acquirendi legatum referri potest, vt etiam veteres dice-*
4 *bant, lege nobis acquiri rerum dominia per legatum. Legatum dico, per vindicationem, quo res testatoris earumq́ dominia transferebantur rectà in legatarium. Cæterùm legatum per damnationem, quo etiam res alienæ relinqui poterant, minus huc pertinet, sed ad obligationes magis referri debet. Ac quidem Iustinianus profitetur sese sustulisse hæc discrimina legatorum taliumque formularum.*
5 *Sed reliquiæ tamen multæ sunt. Neque res patitur, vt in rebus alienis legatis, vel ijs quæ pondere,*
6 *numero constant, propriè vindicatio competat, sed personalis potius actio. Itaque hoc saltem nomine retinenda est veteris huius discriminis memoria, sicuti & cùm quæritur de iure accrescendi, deque electione in legato alternatiuo vel generis. Nam vt alia est voluntatis in vtroque coniectura cùm legatur per vindicationem, alia cùm per damnationem: sic aliud ius consequi necesse: quod & nos suis fortasse locis aliàs notabimus.*

De Legatis. Titulus XX.

POST hæc videamus de Legatis, quæ pars Iuris extra propositam quidem materiam videtur. (nam loquimur de ijs iuris figuris, quibus per vniuersitatem res nobis adquiruntur) sed cùm omnino de testamentis, & de hæredibus, qui in testamento instituuntur, loquuti simus: non sine causa sequenti loco potest hæc iuris materia tractari.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

Legata cur damnosa esse non possint.
2 Hæreditas cur tam incommoda quàm commoda ad se trahat?

1 QVibus per vniuersitatem.] At Legatorum (de quibus dicere nunc paramus) causa est singularis: proptereaque legata nihil possunt damni adferre, cùm sit sæpe hæreditas damnosa [d]. Nam
2 hæc propter vniuersitatem acquisitionis, non minus ad se trahit incommoda, quàm commoda [e].

d L. si hæreditatem D. mand.
e L. quoties. C. de hæred. instit.

§. Legatum itaq;

1 Legati definitio.
2 Delibari, Latinis quid?
3 Legatum cur dicatur donatio quædam?
4 Legatum codicillis etiam relinqui potest.
5 Legatum ab ipso aliquando testatore præstatur.
6 Legati relicti possessio ab hærede præstanda.

c 7 Quid

7 *Quid si legatarius priuata temeritate occupet legatũ.*
8 *Rei legatæ dominium quomodo ad legatarium transeat?*
9 *Legati non dominium sed possessio ab hærede post aditam hæreditatem præstanda.*
10 *Dum iacet hæreditas non adita, dominium rei legatæ cuius penes hæreditatem sit?*
11 *Post aditam hæreditatẽ fructus ex re legata aut percepti, aut percipiendi, cum ipso legato præstandi.*
12 *Si de testamento sit quæstio, qua conditione scriptus hæres legatum præstet?*
13 *Onera legatorũ quomodo inter hæredes diuidantur?*

Legatum itaque est donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda.

a L. legatum est. de lega. 2.
b L. legatum est. de lega. 1.
c L. alienatum. §. donationis. de verb. signif.

¶ *Legatum est.*] Hæc legati definitio sumpta videtur ex Modestino, qui ait [a]: Legatum est quędam donatio testamento relicta. Florentinus [b] autem definit Legatum esse delibationem hære- 1
ditatis, qua testator ex eo, quòd vniuersum hæredis foret, alicui quid collatũ velit. Idque secutus videtur Harmenopulus definiens Legatum esse κληρονομίας μείωσιν [hæreditatis imminutionem]
Sic enim delibari Latinè dicuntur, quæ minuuntur. ¶ *Donatio quædam.*] Donationis verbum 2
generale [c] est, pluresque habet species, vt alio loco diximus. Sed adiecta vocula, *quædam*, significat
non nisi vnam hic aliquam attingi speciem: quæ scilicet differat à donatione inter viuos, itemque 3
à donatione causa mortis. ¶ *A defuncto relicta.*] Id aptius est quàm illud Modestini, testamento re- 4
licta, quia generalius est: nam nec solùm testamento, sed & codicillis legatum relinqui potest.
¶ *Ab hærede præstanda.*] Hoc videtur esse additamẽtum ascititium, & temerè ab aliquo assutum. Neq; enim eius meminit Modestinus, superioris definitionis autor, neque hoc loco Theophilus,
neque in sua iuris Epitome Harmenopulus. Et sanè perpetuum non est vt ab hærede præstetur 5

d L. Lucius Titius testamento suo. de lega. 2. l. filia. C. de legat.
e L. 1. D. quod lega.
f L. non est dubium. C. de lega.
g L. legatum ita. de lega. 2.

Legatum. Aliquando enim ab ipso testatore præstatur [d]. Si cui tamen placet superius illud aucta-
rium, fateor nõ esse ociosum. Significat enim legati relicti possessionem, si eam non tradiderit de- 6
functus, ab hærede omnino præstandam. Nam & competit hæredi, adipiscendæ possessionis interdictum QVOD LEGATORVM [e], si legatarius ipse priuata sua temeritate occuparit legatum, nihil moratus hæredem. Atque adeò si id fecerit post aditam hæreditatem, periculum est, ne suo iure cadat [f], & dominio rei legatæ: quod quidem iam alioqui intelligebatur in eum translatum ipso iure: Nam id ipse non præstat hæres. Sic enim scribit Papinianus [g], Legatum ita facere legata-
rij dominium rei, vt hæreditas hæredis res singulas. & addit: quod eò pertinet, vt si purè res relicta 7
sit, & legatarius non repudiauerit defuncti voluntatem, recta via dominium, quod hæreditatis fuit, ad legatarium transeat, non facto hæredis. quod quidem saltem in legato per vindicationem relicto præcipuè dicunt Iurisconsulti, & in eo saltem ideo recte dicere palam est. Vnde apparet
legati quidem possessionem ab hærede pręstari, non tamen dominium; quoniã id ipso iurę trans- 8
feratur in legatarium: non tamen statim à morte ipsius testatoris, sed post aditam hæreditatem.

h L. omnia quæ testamentu. de legat. 2. l. si nemo. de testa. tuto.
i L. à Titio. de furt.

Nam & tum primùm constat legatum valere [h]. Sicque accipiendum est, quod Martianus tradi- 9
dit [i]; ea quæ legantur, recta via, ab eo qui legauit, ad eum, cui legata sunt, transire. Sentit enim, non quidem statim ex die mortis, & ante aditam quoque hæreditatem, sed protinus ab adita hæreditate, cùm primùm certum esse cœperit an constet legatum, rei legatæ dominium in legatarium ipso iure transferri, vt ne momento quidem penes hæredem maneat. Interea autem dum adhuc
iacet hæreditas non adita, dominium erit ipsius hæreditatis, quæ defuncti personam refert. Hanc- 10

k L. si tibi homo. §. cũ seruus. de lega. 1.
l L. nihil. §. fructus. de legat. 1. l. Herennius. de vsur.
m L. cum seruus. §. fructus. de legat. 1.
n L. cùm res. de leg. 1.
o L. omnia. de leg. 2.
p L. vlt. C. de petit. hæred.

que sententiam apertè probat Iulianus [k], scribens ex die aditæ hæreditatis, seruum legatum intel-
ligi fuisse legatarij, si eum non repulerit: ante aditam verò hæreditatem, in suspenso esse, an legata-
rij, an verò hæredis futurus sit. Ex his possumus intelligere, post aditam hæreditatem perceptos 11
ex re legata fructus, ab hærede, qui eos perceperit, simul cum ipso legato præstandos [l]: nec modò perceptos, sed & qui percipi potuerant [m]. Statim enim hæres præstare debebat rem legatam [n]. Alioqui sine alia interpellatione in moram incidit, si modò legati præstandi potestatem habuit [o].
Quòd si improba procrastinatione legatarium diutius fallat, æquum est, vt ei præstet, quod eius
interest, saltem ad rationem vsuræ trientis. Sanè si de testamento sit quæstio, scriptus hæres inter- 12
ea non aliter præstabit legatum, quàm si legatarius cauerit, sese, si testamentaria hæreditas euincatur, rem restituturum cum vsuris quadrantibus [p], nempe loco fructuum, quos interea tanquam
ex re sua bona fide percepit. Sed vt ad illud redeamus quod dictum est, legatum ab hærede præ- 13
standum esse, si quis præterea quærat; quomodo inter hæredes diuidantur onera legatorum, & pro quibus portionibus præstentur (quem locum alioqui vtilissimum Iustinianus hic omisit) legat quod scripsi ad 38. cap. 12. Tab.

§. Sed olim.

1 *Legatum vindicationis.*
2 *Legatum per damnationem.*
3 *Legatum sinendi modo.*
4 *Legatum per præceptionem, quæ?*
5 *Architecti Pandectarum quorum Legatorum mentionem expunxerint?*
6 *Ex quorum Constitutione in legatis aut fideicommissis verborum obseruantia non sit necessaria.*
7 *Constantinus, sublatis veterum formularum angustijs, faciliorem testandi rationem reddidit.*
8 *Voluntatibus non verbis defunctorum Leges fauent.*
9 *Legatorum ad pias causas relictorum à cæteris differentia quæ?*
10 *Actionem personalem legatario quo iure tribuantur?*
11 *Actionem rem quo iure legatario competat?*
12 *Actio hypothecaria legatario qui detur?*
13 *Legata fideicommissis exæquata.*
14 *Primum tituli 1. de Legatis caput, vtrum Vlpiano an Triboniano ascribendum?*
15 *Inter verba legantis directa, aut fideicommissaria precaria nihil interesse.*
16 *ὀρκωταὶ olim qui?*
17. 18. *Inter legata & fideicommissa vbi differentia maneat?*

Sed

Sed olim quidem erant legatorum genera quatuor: per vindicationem, per damnationem, sinendi modo, per præceptionem: & certa quædam verba cuique generi legatorum adsignata erant, per quæ singula genera legatorum significabantur. Sed ex Constitutionibus Diuorum Principum solennitas huiusmodi verborum penitus sublata est. Nostra autem Constitutio quam cum magna fecimus lucubratione, defunctorum voluntates validiores esse cupiẽtes, & non verbis, sed voluntatibus eorũ fauentes, disposuit, vt omnibus legatis vna sit natura: & quibuscunq; verbis aliquid relictum sit, liceat legatarijs id persequi, non solùm per actiones personales, sed etiam per in rem, & per hypothecariam. Cuius Constitutionis perpensum modum ex ipsius tenore perfectissimè accipere possibile est. Sed non vsque ad eam Constitutionem standum esse existimauimus. Cùm enim antiquitatem inuenimus legata quidem strictè concludentem: fideicommissis autem, quæ ex voluntate magis descendebant defunctorum, pinguiorem naturam indulgentem: necessarium esse duximus, omnia legata fideicommissis exæquare, vt nulla sit inter ea differentia: sed quod deest legatis, hoc repleatur ex natura fideicommissorum, & si quid amplius est in legatis, per hoc crescat fideicommissorum natura. Sed ne in primis legum cunabulis permistim de his exponendo, studiosis adolescentibus quandam introducamus difficultatem, operæpretium esse duximus interim separatim prius de legatis, & posteà de fideicommissis tractare; vt natura vtriusque iuris cognita, facilè possint permistionem eorum eruditi subtilioribus auribus accipere.

1 ¶ *Sed olim quidem.*] Hæc antiqnitatis repetitio sumpta est ex posteriori libro Institutionum Caij: vnde & nos huius loci explicationem petemus. ¶ *Certa quadam verba cuique generi.*] Primum Vindicationis legatum erat, si sic testator locutus esset: illum seruum tibi do, lego. vel; Eam rem sume tibi, habe, vindica. Quo modo tantum legari poterat res propria, & actione in rem petebatur. & si legatarius ante aditã hęreditatẽ decederit, nihilominus quasi quęsitũ ipso iure dominium ad suum hęredẽ trãsmittebat. Sed & si vel generaliter, vel sub alternatione legaretur vindicationis
2 modo, electio erat legatarij. cùm tamen in legato per damnationem relicto, electio magis esset
3 hæredis. Legatum per damnationem erat, cùm testator dicebat: Hæres meus damnas esto dare Stichum Titio. idqne diuersum erat à superiori in omnibus, quæ ei ascripsimus. Porrò sinendi modo legabatur his verbis: Hæres meus rem illam illum permitte habere. Quo modo aliena quo-
4 que res poterat legari, & incorporalis. Ita enim debitori nomẽ legari poterit, si quis liberationem ei volebat relinquere. Postremum genus legandi erat per præceptionem. quo modo non nisi vni ex hæredibus propriè prælegabatur. Meminit noster Paulus [a] prædiorum per præceptionem datorum, & pecuniæ per præceptionem relictæ [b]. Sed & Scæuola meminit duobus locis [c], quid au-
5 tem proprium sit in prælegatis, alio loco dicemus. Legatorum per vindicationem, vel damnationem, vel sinendi modum mentionem in responsis Prudentum passim expunctam esse constat ab Architectis Pandectarũ, qui hæc discrimina esse sublata non ignorabant. quanquã nonnulla
6 vestigia reliquerint. ¶ *Ex constitutionibus diuorum principum.*] Extat Constantini, Constantij & Constantis, filiorum Constantini magni Cõstitutio [d], In legatis aut fideicõmissis verborum necessariam non esse obseruantiam: ita vt nihil prorsus intersit, quis talem voluntatem verborum casus exceperit, aut quis loquendi modus effuderit. Sanè Eusebius scribit Constantinum prudenter sustulisse similes multas verborum difficultates, vt liberior esset ac certior testãdi ratio, nullis obnoxia eiusmodi captionibus. Verba Eusebij in vita Constantini, quoniam vulgò minus nota sunt, & dignissima videntur, quæ semel proponantur in hisce testamentarijs commentationibus, non pigebit adscribere. παλαιοὶ μὲν νόμοι, ἐξ ἐπ' αὐτῆς ἐσχάτης ἀναπνοῆς ἀκριβολογεῖσθαι ῥημάτων λέξεσι τὰς συντατομένας διαθήκας, τρόπους δέ τινας καὶ ποίας δεῖ φωνὰς ἐπιλέγεσθαι, προσέταττον. καὶ πολλὰ ἐκ τούτων ἐκακουργεῖτο ἐπὶ
7 περιγραφῇ τῆς τῶν κατοιχομένων προαιρέσεως. ἃ δὴ συνιδὼν βασιλεὺς, καὶ τοῦτον μετεποίει τὸν νόμον, ψιλοῖς ῥήμασι καὶ ταῖς τυχούσαις φωναῖς τὸν τελευτῶντα δεῖν τὰ κατὰ γνώμην διατίθεσθαι φήσας, κἂν τῷ τυχόντι γράμματι τὴν αὐτοῦ δόξαν ἐκτίθεσθαι, κἂν ἀγράφως ἐθέλῃ μόνον ἐπὶ μαρτύρων τοῦτο πράττεσθαι, ἀξιοχρέων τὴν πίστιν δυναμένων σὺν ἀληθείᾳ φυλάττειν. [Ex vetere formula, cum factũ testamentum erat, ad omnes verborum angustias & litterarum angulos ibatur; in verbis & voce modi certi: qua dete circumscriptio sepultorum voluntatis sæpius insecuta est. Id verò Rex perpendens ita correxit, liberè vt testari describereque tabulas arbitrio suo quemque permitteret: aut si mallet instrumentum nullum esse, coram perspe-
8 ctæ fidei testibus illud ipsum liceret].

¶ *Nostra constitutio.*] Extat hæc in Codice Iustiniani Constitutio [e], qua non modò discrimina veterum formularum in legatis relinquendis sublata sunt, sed & ipsa in rem actio reddita est longè liberior, abolitis illis ambagibus in rem missionis, cuius erant olim πολλοί τε καὶ ποικίλοι καὶ ἀδιάλυτοι κύκλοι, [multi varijque & insolubiles circuli,] vt ipse Iustinianus ait in Nouella Constit. 39.

¶ *Defunctorum voluntates validiores.*] Reipub. interesse dicitur, voluntates defunctorum exitum habere [f]. Responditque Papinianus [g], Principali & Pontificali autoritate compellẽdos hæredes ad obsequium supremæ voluntatis. Præterea sæpe traditum [h] est, hîc nos magis intueri debere voluntatem, quàm verba: nec grauatim à verbis debere nos recedere, vbi manifesta est testatoris voluntas [i].

a L. prædijs. de lega. 3.
b L. hæredes. §. vlti. Fami. ercisc.
c L. vlti. de pecu. lega. l. prædia. §. liberto. de fun. instr.
d L. in legatis. C. de lega.
e L. 1. C. com. de lega.
f L. vel negare. D. quem ad testa aper.
g L. hæredes. §. etiam. de pet. hær.
h L. cùm virum. §. 1. C. de fideicõ. l. pœnales. §. vl. D. ad le. Fal. l. vbi. §. te rogo. D. ad Sen. Treb.
i L. nõ aliter. de leg. 3.

tamen

¶ *Omnibus legatis vna sit natura.*] Meminit huius rei alio rursus posteà loco Iustinianus [a]: vbi
tamen indicat reliquum esse vnum discrimen, non quidem in formulis, sed causis legatorum:
quod legatis ad pias causas relictis, illud specialiter tribuatur, vt si fuerint vltrò soluta, quanuis in- 9
debita & per errorem, non possint tamen repeti. ¶ *Quibuscunq. verbis.*] Modò tamen rei legatæ
natura ferat sequentes actiones. Quid enim si quantitas, aut res aliena legaretur? Certè tunc non
posset statim exerceri in rem actio. ¶ *Per actiones personales.*] Hæc tribuuntur legatario, quasi non 10
domino: vt necesse videtur dominus saltem iure gentium, quo dominia ante traditionem non
transferebantur [b]. Propriè autem olim actione in personam petebatur legatū per damnationem
relictum. ¶ *Per in rem.*] Actio in rem competit legatario, vtpote vero domino, saltem si Ius Ci- 11
uile spectes, quo statim ab adita hæreditate, recta via transit in legatarium rei legatæ dominium [c],
vt suprà dictum est. propriè autem olim hac in rem actione tantùm petebatur legatum per vindi-
cationis modum relictum. ¶ *Hypothecariam.*] Hac actione persequetur legatarius non tam suum 12
legatum (neque enim res nostra nobis pignori obligatur [d]) quàm alias res testatoris, quæ tacitè
sunt ei obligatæ, donec potitus sit legato relicto. Adeò etiam, vt hic ei satis sit, probasse testatorem,
cùm moreretur, fuisse possessorem earum rerum. Hæredis autem res, nullo hypothecæ nexu obli-
gantur legatario, vt tradit in eadem sua Constit. Iustinianus [e]. ¶ *Fideicommissu pinguiorem naturam.*]
Id postea plenius traditur in titulo de fideicommissarijs libertatibus, vbi & vetera discrimina in-
ter legata & fideicommissa annotabuntur. ¶ *Necessarium esse duximus*] Extat Iustiniani [f] Consti- 13
tutio, quæ omnia legata exæquat fideicommissis, Vnde multi putant in Pandectis primum primi 14
tituli de Legatis, caput, quo idē traditū est, non esse ascribendum Vlpiano, sed ipsi potius Triboni-
ano. Nam & in quibusdā libris eius inscriptio est IMPERATOR. Verū Ant. Augustinus lib. Emend.
3. cap. 9. testatur illud in Pandectis Florentinis omnino tribui Vlpiano, & addit, hoc ab eo scri-
ptū fuisse libro sexagesimo septimo ad Edictum. Sese tamen arbitrari eius sententiæ exceptiones,
quas fortasse Vlpianus ascripserat, Tribonianum describere noluisse, ne quid faceret contra Iusti-
niani Cōstitutiones. Porrò autē in illa superiori Iustiniani Cōstitutione, qua legata fideicōmissis 15
exæquantur, traditur etiā nihil interesse inter verba directa legantis aut precaria fideicōmittentis.
Sed & ea verba rata esse, quibus testator iurat se daturum aliquid. Sic enim apud Iustinianum le-
gendum est, ἐν ὅρκῳ, potius quàm ἐνόρκως. Nam verbum ὁρκοῦν siue ὁρκίζω magis significat alium ad
iusiurandum adigere, & iurisiurandi cautionem accipere, quàm iurare aut alteri sacramento ca-
uere. Vnde & olim ὁρκωταὶ appellabantur Legati, qui mittebantur, non quidem ad præstandum, 16
sed ad exigendum iusiurandum. ¶ *Nulla sit inter ea differentia.*] Saltem vbi agitur de legato rei,
quę iam est, nec primùm ex legato constituitur. Alioqui sanè manet quædam differentia. Vt si aga- 17
tur de libertate seruo relinquenda. Nam si directò fuerit seruo legata, statim is liber erit, & libertus
Orcinus. At si per fideicommissum: fiet libertus hæredis, à quo & manumittundus [g] est. Sic vbi le-
gata est seruitus: adita hæreditate statim peti [h] potest. At si ex fideicommisso debeatur: prius ab
hærede constituenda est, quàm peti posit [i]. Nempe cùm agitur de aliqua re primùm constituen- 18
da, plus potest directus iussus testatoris, quàm precaria alieni facti fiducia.

a §. vlt. inst. de obli. quæ quasi ex contr.
b L. traditionibus. C. de pact.
c L. à Titio. de furt.
d L. pignus. de reg. iur.
e L. 1. Commu. de leg.
f L. 2. Commu. de leg.
g L. his quibus. C. de fideicom. libert.
h L. vlt. de serui. leg. l. si Titio fundus. de vsufr. lega.
i L. 3. de vsufr.

§. *Non solùm. cum §. Et verius.*

1 *Res cum alio communis legari quî possit.*
2 *Res hæredis quomodo legetur?*
3 *Fructuarius à domino hæres institutus, an ex fundo alteri legato suum possit vsumfr. detrahere?*
4 *Refutatio Canonistarum; non constare legatum rei alienæ.*
5 *Legata, venditiones, donationes rerum alienarum quatenus valeant?*
6 *Quid si dominus rem legatam non nisi iniquis conditionibus vendere velit?*
7 *Rem cuius cōmerciū non est, quo Theophilus referat?*
8 *Quid si stipuler rem cuius commercium non habeo?*
9 *Si vel impossibilis vel difficilis rei legatæ cōparatio est, nihil debetur.*
10.11. *Campus Martius, & Campus Agrippæ, qui?*
12.13. *Basilica Portia quæ? & quando conflagrarit?*
14 *Basilicas olim propriè veteres quid vocarint?*
15 *Si testator rem hæredis propriam ignorans legârit, valet legatum.*
16 *De legato relicto coniunctæ personæ.*
17 *Legatario probatio; quod testator sciuerit rem se alienam legare; cur sit facilior?*
18 *Præsumptio pro hærede quæ?*

Non solùm autem testatoris vel hæredis res, sed etiam aliena legari potest. ita vt hæres cogatur redimere eam, & præstare: vel si eam non potest redimere, æstimationem eius dare. Sed si talis sit res, cuius commercium non est, vel adipisci non potest, nec æstimatio eius debetur. veluti si campum Martium, vel Basilicas, vel Templa, vel quæ publico vsui destinata sunt, legauerit: nam nullius momenti tale legatum est. Quòd autem diximus alienam rem posse legari: ita intelligendum est; si defunctus sciebat alienam rem esse: non si ignorabat. Forsitan enim si sciuisset alienam rem esse, non legasset. & ita Diuus Pius rescripsit.

¶ *Testatoris vel hæredis res.*] Quòd si fuerit res vtrique cōmunis, proculdubio etiam legari pote-

rit. Sed

1 rit. Sed si testator legando suam dixerit, tantùm intelligetur portionem suam legasse. Alioqui in
solidum tota res debebitur. Et si non hæredi, sed alteri fuerit communis, qui portionem suam
nolit vendere: eius loco præstabit hæres æstimationem [a]. Certè & si legauero Stichum, qui meus
erit, cùm moriar: non erit inutile legatum, etiam si is cum altero mihi factus fuerit communis [b].
2 Sed ea tantùm pars debebitur, quæ mea verè est; & in meo dominio remansit [c]. ¶ *Vel hæredis*]
Adeò etiam, vt hîc nulla eiusmodi fiat distinctio, quæ fit in legato rei alienæ, sciuerit, an ignorauerit
3 tit testator rem esse hæredis: sed indistinctè semper æquè debeatur [d]. Porrò huc pertinet, quod respondit Papinianus [e]; fructuarium alicuius fundi, à domino hæredem institutum, non posse ex
fundo alteri legato, suum detrahere vsum fructum, sibique retinere: quia sit pars rei legatæ: quanquam aliud sit de cæteris prædiorum seruitutibus. ¶ *Sed etiam aliena legari potest.*] Inquit Paulus [f]:
Constat etiam res alienas legari posse. Idemque traditum est rescripto Imperatoris Alexandri [g].
4 Quidam autem hîc nobis obijciunt nouam nescio quam Iuris Pontificij sanctionem, qua contendunt non constare legatum rei alienæ, abrogato hac in parte Iure Ciuili. Sed ineptè faciunt,
qui sic nos oppugnant. deinde rursus inepti sunt, quòd reuera nihil hîc à Pontificibus innouatum
sit: qui tantum illud definierunt [h], non posse legatarium inuito domino retinere rem legatam,
cuius possessionem fortè nactus est. Nec admodum opus erat Pontificio decreto, cùm id manifestissimè sit Iure Ciuili proditum. Certè Gregorius 1. Pontif. lib. 7. epist. 4. ad Episcopum Messalinum, agnoscit Iure Ciuili statutum esse, hæredem obligari, etiam si rem alienam testator legauerit. Quòd autem eo iure teneri non vult hæredes cuiusdam Peltrasij, qui sepulturæ suæ nomine,
aliquid quod alienum erat, Ecclesiæ legârat: causam adijcit, quòd gratuitas sepulturas esse velit.
5 Porrò illud hîc notandum est, legatum rei alienæ sic valere; vt si rem à domino consequi non liceat, saltem eius æstimationem præstet hæres legatario. Sanè & venditio rei alienæ & donatio constare dicitur [i]. Nec tamen ignotum est; rem nostram nobis inuitis sine facto nostro auferri non
posse [k]. ¶ *Ita vt hæres.*] Hæc distinctio à Iaboleno traditur his verbis [l]: Si ædes alienas vt dares, damnatus sis, neque eas vlla côditione emere posis: æstimare iudicem oportere Atteius scribit, quanti
ædes sint, vt precio iusto soluto hæres liberetur. ¶ *Cogatur redimere.*] Siue de suo, siue ex venditio-
6 ne rerum hæreditariarum, siue vnde voluerit; vt verbis Pauli vtar [m]. ¶ *Non possit redimere.*] Vel
quia eam vendere nolit dominus, vel sanè minus æquis conditionibus: nam ijs graue & durum
esset cogi hæredem parere in gratiam legatarij [n]. Rectè itaque Caius loquens de hærede damnato rem alienam dare, inquit [o]: Si redimere non posit; quod dominus non vendat, vel immodico
precio vendat, iustam æstimationem inferat. Quo sensu accipiendum est, quod Iabolenus, postquam tradiderat hæredem qui rem alienam legatâ redimere non potuit, liberari iusto precio soluto, subiecit [p]: Idem iuris est, & si cùm potuisses emere, non emeris. Intelligit enim cùm quis potuit
quidem emere, sed immodico precio. Quod perinde est ac si omnino emere nô potuerit. Cæterùm
si quando hæres iusto precio & æquis conditionibus emere potuisset, & noluerit: non statim liberabitur oblata rei æstimatione, quando tam facilem rei comparandæ occasionem & æquam con-
7 ditionem malitiosè repudiauit: sed omnino præstare debebit, quanti interest [a]. ¶ *Cuius commercium non est.*] Theophilus id specialiter refert ad legatarium, qui commercium rei legatæ non habet. Verùm tunc saltem intelligere deberemus generalem eius rei causam, nempè, quòd res non
sit in commercio hominum, vti subiecta exempla docent. Quòd si res quidem esset in vulgari
commercio, non tamen in legatarij, propter specialem aliquam causam: si modò non fuerit infamis & odiosa causa, veluti propter crimen; loco rei, cuius capax non est, ei præstaretur æstimatio:
maximè si testator sciuerat legatarium non esse rei capacem [b]. Sicque accipiendum videtur, quod
Paulus [c] scribit: Si res aliena, cuius commercium legatarius non habet, ei, cui ius posidendi non
est, per fideicommissum relinquatur: puto æstimationem deberi. Cæterùm vbi ademptum esset
legatario commercium propter crimen: iam nec ei deberetur æstimatio. Porrò autem in hærede
nihil tale quæritur. neque enim nocere potest, eum non habere commercium rei legatæ. Hocque
est illud discrimen, quod Paulus probat his verbis [d]: Labeo refert, agrum, cuius commercium non
habes, legari tibi posse, Trebatium respondisse. quod merito Priscus Fulcinius falsum esse aiebat.
Sed Proculus ait, Si quis hæredem suum, eum fundum, cuius commercium is hæres non habet,
dare iusserit, ei, qui eius commercium habeat, hæredem obligatum esse (quod verius est) vel in
ipsam rem, si hæc in bonis testatoris fuerit: vel, si non est, in eius æstimationem. Hæc ille. Idem
probat & in stipulationibus Vlpianus [e], inquiens: Multum interest, vtrum ego stipuler rem, cuius
8 commercium habere non possum, an quis promittat. Si stipuler rem, cuius commercium non
habeo: inutilem esse stipulationem placet. Si quis promittat rem, cuius commercium non habet,
9 ipsi nocere, non mihi. ¶ *Adipisci non potest.*] Saltem facilè. Nam & si difficilis & inusitata rei legatæ comparatio sit, nihil debebitur [f]. Vt si legentur prædia Cæsaris, quæ in formam patrimonij
10 redacta sunt. Nam ea distrahi non solent, nec aliter possunt, quàm iussu Principis. ¶ *Campum Martium.*] Ager Tarquiniorum (inquit Liuius) qui inter vrbem & Tyberim fuit, consecratus
Marti, Martius deinde campus fuit. qui prius Tyberinus vocabatur, ac olim quidem extra Vrbem
erat, postea autem fuit muris inclusus. Erat autem maximè publico vsui destinatus, veluti Comitijs & Athleticis certaminibus. Strabo de hoc campo multa scribit: atq; huius quidem admirabilem magnitudinem curules cursus & alia equestria certamina suppeditasse: & multis pilam, circulum, palæstrâ tractantibus vsui fuisse. Erat & alius campus huic adiacens, qui dicebatur Agrippæ, quòd in eo M. Agrippa Pantheum extruxisset & Thermas.

a L. servi electione. §. Labeo. & §. vlti. de lega. 1. l. cùm filius. §. dominus. de lega. 2. l. Iuniano. de leg. 3.
b dic. l. servi. §. 1.
c L. 2. de condi. inst.
d L. vnum ex familia. §. si rem tuam. de leg. 2.
e L. cùm filius. §. dominum. de lega. 2.
f L. cùm servum. §. vlt. de lega. 1.
g L. cùm alienam. C. de lega.
h C. plim. de testa.
i L. rem alienam. de contrah. empt.
k L. ius nostrum. de reg. iur.
l L. qui concubinam; §. vlt. de lega. 3.
m L. si pecunia. de legat. 2.
n L. si domus. §. qui confitetur. de leg. 1.
o L. non dubium. §. vlt. de legat. 3.
p dic. l. qui concubinâ. §. vlt. de lega. 3.
a L. cùm pater. §. vlt. cum Leg. sequent. D. ad Le. Falci. l. 1. de reg. iur.
b D. fideicommissa §. si quis servo. de leg. 3.
c L. sed si res. de leg. 1.
d L. mortuo boue. §. Labeo. de lega. 2.
e L. multum interest. de verb. oblig.
f L. apud Iulianum. §. vlt. de lega. 1.

a dic. §. vlt.
b L. inter stipulantem. §. sacrã. de verb. obligat.

¶ *Basilicas.*] Videtur hoc verbum respondere Foro Romano, cuius meminit Paulus in eo 11
responso, ex quo totus hic locus desumptus [a] est. Idem alibi respondit [b], inutilem esse stipulatio-
nem Fori & Basilicæ. Cicero quoque in sexta Verrina, Basilicam cum Foro coniungit. Certè Cato
& Flaccus Censores cùm domum Menij redemissent, ex ære publico Basilicam extruxerunt pro- 12
ximam Foro, quæ Portia dicta est. atque in ea quidem ius dici solitum vel inde apparet, quòd Plu-
tarchus scribat, Tribunosq; decreuisse, vt Portiæ Basilicæ columna, quæ sellam eorum impedire
videbatur, tolleretur. Certè in ea erat columna Menia non publici sed priuati iuris. Cùm enim
domũ suam venderet Menius, exceperat ius sibi vnius columnæ, vt super eam tectum projceret,
& prouolantibus tabularis inde ipse & posteri eius spectare munus gladiatorium possent: quod
etiam tum in foro dabatur. Cùm corpus Clodij interfecti arderet, aiunt Porciam Basilicam, & 13
quæ ei coniuncta erat, curiam conflagrasse. Videntur itaque veteres propriè vocasse Basilicas, lo- 14
cos publicos & quasi regias aulas, in quibus iudicia exercebantur; & venalia omnia proponeban-
tur: quas ita ædificari debuisse ostendit Vitruuius. vt in superiore parte iudicia, in inferiore negotia
tractarentur. Itaque & Paulus quodam loco ostendit, in Basilica negotiatorum venale argen-
tum reponi solitum. Porrò extat quædam Constitutio Imperatoris Theodosij; Ne in Basilicarum
tabularis ergasteria constituantur, vel ex picturis obumbrentur: Quam viri docti sentiunt pro-
priè loqui de templis.

c §. idem iuris. infr. de inut. stip.

¶ *Vel quæ publico vsui destinata sunt.*] Iustinianus alio posteà loco [c], docens
inutilem esse stipulationem rei, quæ vsibus populi perpetuò exposita est, proponit exempli gratia
Theatrum, & Forum.

d L. vnum ex familia. §. si rem tuam. de lega. 2.

¶ *Ita intelligendum est.*] Saltem vbi alterius res est. quàm ipsius hæredis. Alioqui nihil legatario 15
oberit testatoris ignorantia. Id quod eleganter probat Papinianus [d] his verbis: Si rem tuam,
quam existimabam meam, te hærede instituto, Titio legem: non est Neratij Prisci sententiæ, nec
Constitutioni locus, qua cauetur, non cogendum præstare legatum hæredem. Nam succursum est
hæredibus, ne cogantur redimere, quod testator suum existimans reliquerit. Sunt enim magis
in legandis suis rebus, quàm in alienis comparandis, & onerandis hæredibus, facili testatores vo-
luntate. Quod in hac specie non euenit, cùm dominium rei sit apud hæredem.

e L. cùm alienam. C. de legat.
f L. Quintus Mutius ait in fi. de auro & argen. lega.

¶ *Et ita Diuus Pius rescripsit.*] Papinianus in superiori responso videtur hanc distinctionem
ascribere responso Neratij Prisci, & Constitutioni cuiusdam Principis: quem tamen non nomi-
nat, & cuius non arbitror extare Constitutionem, sicuti nec extat rescriptum Diui Pij, cuius hic
fit mentio. Extat tamen aliud non dissimile, quod tribuitur Alexandro Imperatori: & quo etiam
continentur nonnulla quæ hoc loco temerè sunt prætermissa. Eius autem verba sunt hæc [e]; Cùm
alienam rem quis reliquerit, si quidem sciens: tam ex legato, quàm ex fideicommisso ab eo, qui le-
gatum seu fideicommissum meruit, peti potest. Quod si suam esse putauit: non aliter valet reli-
ctum, nisi personæ proximæ, vel alij tali personæ datum sit, cui legaturus esset, & si scisset rem alie-
nam esse. Et hanc quidem exceptionem legati relicti coniunctæ personæ, videtur Alexander Im- 16
perator sumpsisse ex responso Pomponij [f].

Et verius est ipsum, qui agit, id est, legatarium probare oportere, sciuisse alienam rem
legare defunctum: non hæredem probare oportere, ignorasse alienam: quia semper ne-
cessitas probandi incumbit illi qui agit.

g L. verius. de proba.
h §. commodum. infr. de interd.
i L. 4. C. de rescind. vend.
k L. vnum ex familia. §. si rem tuam. de lega. 1.

¶ *Et verius est.*] Totus hic locus descriptus est ex Institutionibus Martiani, cuius adhuc ver-
ba extant in Pandectis [g]. Et nos alio loco pluribus excutiemus necessitatem probandi, quæ in-
cumbit agenti, sic vt eo non probante reus absoluatur [h]. Illud verò hoc loco admonendi sumus, 17
fore probationem faciliorem legatario eo nomine, quòd non soleat quis temerè ignorare discri-
men rerum suarum, & alienarum [i]. Eaque sola iuris coniectura potuisset hæredem ipsum onerare
contraria probandi necessitate, nisi vehementior esset alia pro eo præsumptio: nempè, testatores 18
non facilè onerare suos hæredes [k].

§. *Sed et si rem.*

1 *Res alteri obligata quatenus legari possit?*
2 *Legatum dotis cur hæredem necessitate luendæ obligationis non obstringat?*
3 *Obligata res quæ hic intelligenda?*
4 *Luo & λύω quid?*
5 *Quid si res pignori obligata sit penes legatarium?*
6 *Casus duo, quibus probari necesse non est, testatorem sciuisse, rem esse obligatam.*

Sed & si rem obligatam creditori aliquis legauerit, necesse habet hæres eam luere. Et in hoc quoq; casu idẽ placet, quod in re aliena: vt ita demùm luere necesse habeat hæres, si sciebat defunctus rem obligatã esse: & ita Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. Si tamen defunctus voluerit legatariũ luere, & hoc expresserit: nõ debet hæres eam luere.

l L. si res obligata. de lega. 1.
m L. licet placeat. de dote relega.

¶ *Sed & si.*] Videtur hic locus desumptus ex responso Vlpiani, qui ait [l]: Si res obligata per 1
fideicommissum fuerit relicta: si quidem scit eam testator obligatam, ab hærede luenda est, nisi si
alio animo fuerit. ¶ *Rem.*] Vnam videlicet aliquam singularem. Id quod addo propter legatum 2
doris: quod quia complectitur quandam rerum vniuersitatem, nec debeat aliam vtilitatẽ, quàm
repræsentationis continere, non obstringit hæredem vlla vnquam necessitate luendæ obligatio-
nis, nisi aliud specialiter testator dixerit [m].

¶ Obliga-

¶ *Obligatam.*] Vel etiam quam post testamentum ipse testator obligarit [a]. Ex obligatam quidem hic specialiter intelligimus, quam Caius [b] dixit pignoratam. Cæterùm si alicui perpetuæ ser-
3 uituti esset obligata, vel annuæ pensitationis onere grauata, non cogeretur hæres id luere, sed deberet legatarius pro suo tempore agnoscere onus seruitutis [c], vel pensionis: cuius etiam præteritæ nomine conueniri posset, tanquam rei obligatæ possessor: sed id repeteret ab hærede, ad quem pertinet legati prædij vectigal aut tributum, aut solarium præteritum soluere, vt inquit Paulus [d].

¶ *Luere.*] Apud Caium [e] est, liberare. Quod referri debet ad dissoluendum ius aut nexum pi-
4 gnoris. Est autem Græcum verbum, λύειν, quod significat soluere. Portò si res pignori obligata sit
5 penes ipsum legatarium, & is eo nomine à creditoribus conueniatur actione hypothecaria: poterit sese tueri exceptione doli, quandiu ei actiones non ceduntur aduersus hæredem [f]. ¶ *Ita de-*
6 *mum si sciebat defunctus.*] Addit Vlpianus [h] exceptionem duorum casuum, quibus probari non est necesse testatorem sciuisse rem obligatam, vt eam hæres luat. Prior est (quem & in legato rei alienæ probauimus) si testator conscius obligationis, nihilominus rem legasset. Alter, vbi legatarius, si rem suo impendio luere cogatur, nihil sit habiturus reliqui emolumenti. Neque enim verisimile est testatoré voluisse inani legato eum ludificari. ¶ *Ita Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.*] Non puto extare horum rescriptum: sed extat aliud non dissimile, nec minoris ponderis, quod ascribitur Alexandro [i] Imp.

a L. qui post testamentum. C. de legat.
b d. l. licet placeat.
c L. si pendente. §. si quid. de vsufr. l. legatū est. §. vlt. de lega. 1.
d L. Imperatores. de publican.
e L. cùm seruus. §. hæres. de lega. 1.
f d. l. licet.
g dict. l. si res obligata. de lega. 2.
h dict. l. si res.
i L. prædia. C. de fideicom.

§. Si res aliena.

1 *Res aliena hic qua ratione intelligatur?*
2 *Quid si quis fundum, sibi sub conditione legatum, pendente conditione emerit?*
3 *Quid si pendente cõditione legati, hæres me hæredem instituat?*
4 *Quid si res legata, ipsius legatarij propria sit?*
5 *Si rem legatam ab ipso testatore emerit legatarius, cur legatum euanescat?*
6 *Qua hic in legato, locum etiam habere in stipulationibus & in omnibus obligationibus.*
7 *Quid si creditor vel emptor ex lucratiua causa rem habere cœperit?*
8 *Precium quale consequatur ab hærede legatarius?*
9 *Causa lucratiua non debet duplicari.*
10 *Causa lucratiua qualis bis intelligenda?*
11 *Causarum alia lucratiua, alia non lucratiua siue onerosa, alia mixta.*
12 *Duæ causæ lucratiuæ possunt concurrere in eundem per obliquum.*
13. 14 *Hunc §. de certo corpore siue specie, non de quantitate relicta procedere.*
15 *In legato disiunctiuo duarum rerum, quid iuris?*
16 *Nil petendum eius rei nomine, quam sine nostro impendio nacti sumus.*
17. 18 *Duorum testamentũ eadem res legata, bis peti quomodo possit?*
19 *Ex duobus eiusdem testatoris testamentis bis idem legatum deberi cur non possit?*
20. 21 *Eadem quantitas & summa legata, multiplicari potest.*

Si res aliena legata fuerit, & eius rei viuo testatore legatarius dominus factus fuerit:
siquidem ex causa emptionis: ex testamento actione precium consequi potest. Si verò ex causa lucratiua, veluti ex donatione, vel ex alia simili causa: agere non potest. Nã traditum est, duas lucratiuas causas in eundem hominem & eandem rem concurrere nõ posse. Hac ratione, si ex duobus testamentis eadem res eidem debeatur: interest, vtrum rem, an æstimationem ex testamento consequutus sit. nam si rem habet, agere non potest, quia habet eam ex causa lucratiua: si æstimationem, agere potest.

¶ *Si res aliena.*] Apud Iulianum [k], qui seruum ex testamento sibi legatum, ignorans sibi eum legatum, ab hærede emit: si cognito legato, ex testamento egerit, hominem consecuturum scriptum est, & actione ex vendito absoluendum, vel si precium iam soluerit, actione ex empto precium recuperaturum. Sed vt res clarior sit, propius inspiciamus, qua ratione res hic aliena intelli-
1 gatur. Magis autem intelligenda videtur, quæ neque testatoris sit, neque legatarij, neque hæredis. Hæredis enim si fuerit, & ab eo tanquam domino legatarius vltrò emerit, quam sciebat sibi purè legatam: periculum est, ne legato renunciasse videatur. sicuti cùm Titius Sempronio fundum pignori dedisset, & eundem postea Seio; eumq; deinde hi creditores simul emissent: responsum est,
2 extinctum esse ius pignoris [l]. Quanquam is, qui fundum sibi sub conditione legatum pendente conditione emerit, magis videatur rem comparasse propter dubium cõditionis euentum, & medij temporis emolumentum; vt nihil obstet quin postea iure legari rem consequatur, & precium
3 repetat. Certè fundo mihi legato sub conditione, cùm ea pendente hęres me hæredẽ instituisset, ac postea legati conditio extitisset: respondit Papinianus [m], in Falcidiæ ratione fundũ non iure hęreditario, sed legati, meũ esse, intelligi; nempe ius legati, cuius adhuc pẽdebat cõditio, noua interea
4 acquisitione non intelligitur extinctũ. Quòd si res legata, ipsius legatarij, propria erat: non habebunt locũ quę hîc de noua acquisitione dicuntur, sed & tale legatũ erit inutile. etiã si postea legatarius desierit esse dominus, saltẽ si res illi sua purè fuerit legata [n]. Postremò si res legata erat testato-
5 ris: iã certè si ab eo legatarius eam emerit, euanescit legatum: nec vnquã licebit ab hærede precium repetere. Nam hic manifestum est, testatorem mutasse voluntatem. qui si alteri eam rem vendidisset, à quo deinde compararit legatarius: poterit dici ex testamento precium peti posse, quandiu

k L. huiusmodi. §. qui seruum. de leg. 1.
l L. Titius. D. quibus mo. pig. vel hy. sol.
m L. fundo. D. ad leg. Falcid.
n L. cætera. §. 1. cæterorum. de lega. 1.

non probat hæres mutatam testatoris voluntatem: quam sanè mutatam non omnino conuincit
sola rei alienatæ ratio, & proprietas in alium translata. id quod paulò pòst suo loco pluribus excu-
tiemus. ¶ *Legata.*] Quod hic in legato dicitur, locum etiam habet in stipulationibus [a], & in vni- 6
uersum in omnibus obligationibus [b]. ¶ *Viuo testatore.*] Vel etiam eo mortuo antequam ab hæ-
rede ex legati causa esset res tradita. ¶ *Ex causa lucratiua.*] Vel alia simili non lucratiua, quam o-
nerosam dicimus, veluti dotis. neque enim lucratiua esse videtur eius causa, sed quodammodo
creditor aut emptor intelligitur, qui eam accepit, vt inquit Iulianus [c]: & subijcit hæc, quæ huc per-
tinent verba: Porrò cùm creditor vel emptor ex lucratiua causa rem habere cœperit, nihilominus 7
integras actiones retinet: sicut ex contrario, qui ex non lucratiua causa rẽ habere cœperit, eandem
non prohibetur ex lucratiua causa petere.

¶ *Pretium.*] Verum scilicet ac iustum, & quanti res verè est, si fortè legatarius pluris emerit: nam 8
eius stultitia vel dolus, fraudi esse non debet hæredi. At si minoris fortè emerit: id solum petet,
quod ei abest, quodque reuera numerauit. nam & in residuo censetur habere causam lucratiuã [d],
quæ non debet duplicari. Cæterùm vbi res penes legatarium non esset: vt si aliena legata sit quam 9
nolit dominus vendere: tum semper vera iustaque rei legatæ æstimatio, & precium præstari de-
bet [e]. ¶ *Si verò ex causa lucratiua.*] Eaque eiusmodi, quæ perpetua sit, ac certum propriumque do- 10
minium tribuat. Alioqui enim non extingueretur obligatio legati. Quam rem & eleganter &
perspicuè Iulianus tradit his verbis [f]: non quocunque modo legatarij res facta fuerit, die cedente
obligatio legati extinguitur: sed ita, si eo modo fuerit eius, quo ab eo auelli non posit. Ponamus
rem, quæ mihi purè legata sit, accipere me per traditionem die legati cedente ab eo hærede, à quo
eadem sub conditione alij legata fuerit: nempe agam ex testamento. quia is status eius est, vt exi-
stente conditione discessurum sit à me dominium. Nam & si ex stipulatione mihi Stichus debea-
tur, & is, cùm sub conditione alij legatus esset, factus fuerit meus ex causa lucratiua: nihilominus
existente cõditione, ex stipulatu agere potero. Hæc Iulianus, cui astipulatur Vlpianus, inquiens [g]:
Si rem, quã ex causa lucratiua stipulatus sim, nactus fuero ex causa lucratiua: euanescit stipulatio.
Sed & si hæres extitero: extinguitur stipulatio. Si verò à me hærede defunctus eã legauerit, potest
agi ex stipulatu. Idemque & si sub conditione legata sit: quia & si ipse debitor rem sub conditione
legatam dedisset, non liberaretur. Sed si conditione deficiente remanserit penes me, petitio infir-
mabitur. ¶ *Traditum est.*] Traditum id est à Papiniano [h], Iuliano [i], Paulo [k], Vlpiano [l], & Africa-
no [m]. ¶ *Lucratiuas causas.*] Causæ lucratiuæ alibi enumerantur [n]. Aliæ autem dicuntur non lu- 11
cratiuæ, quas vulgus appellat onerosas, quæ scilicet gratuitæ non sunt. Sunt & quædam causæ mi-
xtæ, & penè lucratiuæ [o]. Vt si donationis causa res fuerit minoris vendita [p]. Porrò autem non hoc
modò loco discrimen est inter lucratiuas acquisitionis causas, & non lucratiuas: sed & in alijs mul
tis iuris partibus: veluti in alienatione facta in fraudem creditorum: Nam eam sustinet bona fi-
des accipientis, si non ex causa lucratiua rem consecutus fuerit [a]. ¶ *In eundem hominem concurrere.*]
Directò scilicet. Cæterùm per obliquum aliquando possunt in eundem hominem concurrere 12
duæ causæ lucratiuę. Vt si quod mihi ex testamento debebas, seruus meus mihi acquisierit: nihilo-
minus integra mihi erit actio ex testamento [b]. ¶ *Eandem rem.*] Hoc est, Speciem siue corpus. A-
liud autem est de quantitate. Vnde cùm Titia Seio tesseram frumentariam comparari iussisset, & 13
Seius viua testatrice tesseram frumentariam ex causa lucratiua consecutus esset: Paulus respõdit [c],
nihilominus ei præstandum tesseræ precium: quia fideicommissum magis in quantitate, quàm
in corpore consistat. Et sanè nihil obstat quin facilè posit multiplicari quantitas: at non æquè po- 14
test eadem res sæpius præstari [d]. Postremò & illud obseruandum est, quod hic disertè proponitur
de eadem re, quæ videlicet vna nominatim legata est. Nam longè aliud est in legato disiunctiuo
duarum rerum: de quo Iulianus [e], Si Titio (inquit) Stichus, aut Pamphilus, vtrum eorum malit, 15
legatus sit: deinde Pamphilum testator Titio donauerit: Stichus in obligatione manet. ¶ *Hac ra-
tione.*] Quæ scilicet prohibet nos rem petere, quam habemus, aut aliquid eius nomine, cùm sine
vllo nostro impendio eam nacti simus. Videtur autem totus hic, qui à Iustiniano subijcitur, lo- 16
cus compositus partim ex responso Papiniani, partim Vlpiani. Priorem enim partem distinctio-
nis, quæ hic traditur, probat Papinianus his verbis [f]: Duorum testamentis pars fundi, quæ Mæ-
uij est, Titio legata est. Non ineleganter probatum est, ab vno hærede soluta parte fundi, quæ Mæ-
uij fuit, ex alio testamento liberationem obtingere: neque postea parte alienata, reuocari actio-
nem semel extinctam. Alteram autem partem distinctionis, de qua hic agitur, tradit Vlpianus [g]:
Si duorum testamentis mihi eadem res legata est, bis petere potero: vt ex altero testamento rem 17
consequar, ex altero æstimationem. Verùm hic admonendi sumus, diligenter obseruandum esse
ordinem petitionis, quem hoc loco præscribit Iustinianus: vt videlicet tum demum bis peti pos- 18
sit, cùm prius æstimationem, deinde ab alio rem petimus. ¶ *Duobus testamentis.*] Duorum nempe
testatorũ, quod apertè traditur in superioribus respõsis Vlpiani & Papiniani, & hoc loco à Theo-
philo. Neque id sanè parui momenti est. quia ex duobus testamẽtis eiusdem testatoris, nunquam 19
potest bis idem legatum deberi, cùm non nisi vnum valere posit testamentum, nempe quod po-
sterius est. In eodem autem testamento si sæpius eadem res legetur, amplius quàm semel peti non
potest: abundeque est vel rem consequi, vel rei æstimationem, vt docet Vlpianus [h]: qui & illud 20
addit, Si non corpus sit legatum, sed quantitas eadem in eodem testamento sæpius: Diuus Pius
rescripsit, tunc sæpius præstandam summam, si euidentissimis probationibus ostendatur te-
statorem multiplicare legatum voluisse. Idemque & in fideicommisso constituit, eiusque rei

ratio

a L. inter stipulãtem. §. si rem. de ver. obli.
b L. omnes debitores. de act. & obligat. l. in perpetuum. de solut.
c L. ex promißione. de act. & oblig.
d L. si donationis causa. de contrah. empt.
e L. non dubiũ. §. vlt. l. qui concubinam. §. vlt. de lega. 3.
f L. non quocunq; modo. de lega. 1.
g L. inter stipulãtem. § si rem. de ver. obli.
h L. Mæuim. §. duorum. de lega. 2.
i L. omnes debitores. l. ex promißione. de act. & oblig.
k L. nutu. §. 1. de lega. 3. l. in perpetuum. de solut.
l L. inter stipulãtem. §. si rem. de ver. obli.
m L. si seruus legatus. §. Stichum. de leg. 1.
n L. vna. §. lucratiuas. C. de impos. lu. desc.
o L. apud Celsum. §. autoris. de doli ma. et me exc.
p L. si donationis causa. de contrah. empt.
a L. quod autẽ. §. hoc edictũ. §. similiq; modo. de ijs quæ in fraud. cred.
b L. si seruus legatus. §. sed quod. de lega. 1.
c L. Titia Seio. de lega. 2.
d L. planè. §. sed si nõ corpus. de lega. 1.
e L. huiusmodi. § si Titio. de lega. 1.
f L. Mæuius. §. 1. de lega. 1.
g L. planè. §. 1. de le. 1.
h dict. l. planè. §. 1.

21 ratio euidens est, quòd eadem res sæpius præstari non potest: eadem summa volente testatore
multiplicari potest.

§. *Ea quoque res.*

Ea quoque res, quæ in rerum natura non est, si modò futura est, rectè legatur, veluti fructus, qui in illo fundo nati erunt, aut quod ex illa ancilla natum erit.

5 ¶ *Ea quoque res.*] Hic locus sumptus videtur partim ex Pomponio, qui ait [a]: Quod in rerum
natura adhuc non sit, legari posse: partim ex Marciano, qui scribit [b], Etiam quæ futura sunt legari
ri posse. ¶ *Quæ in rerum natura non est.*] Hoc est, Quam constat non esse. Sed quid si dubitetur?
2 Caius respondit [c]: Si res, quæ legata est, an in rerum natura sit, dubitetur, (fortè si dubium sit, an
homo legatus viuat) placuit agi quidem ex testamento posse: sed officio iudicis contineri, vt cau-
tio interponeretur, qua hæres caueret eam se rem persecuturum, & si nactus esset, legatario resti-
tuturū. Id autē fiet opera & impendio hæredis [d], saltem si iam ipso testamenti tempore seruus, qui
legabatur, fugerat. Quòd si vana fuerit persecutio perquisitioque, nec posit res reperiri: liberabi-
tur hæres, nec vllam rei æstimationem præstabit: si modò in culpa non sit [e]: non magis quàm si
reuera sit res legata, quæ non sit in rerum natura, nec esse posit. Cuiusmodi legatum esse inutile
3 nemo dubitat. Quòd si post testamentum, viuo adhuc testatore, hæc dubitatio primùm orta sit:
magis oberit legatario noua hæc difficultas rei perquirendæ: qua non potest videri onerasse hæ-
redem testator, cùm ea nondum esset tempore testamenti. Sicque est accipiendum, quod respon-
dit Africanus [f]: Si seruus legatus, viuo testatore fugisse dicatur: & impēsa & periculo eius, cui lega-
tus fuit, reddi debet. Cæterùm si id post mortem testatoris contigerit: hæres (modò in culpa non
sit) liberabitur cauendo se restituturum, quod ad eum peruenerit [g]. ¶ *Si modò futura est.*] Hæc
est tacita quædam conditio, quæ ex rei natura, & lege inest ipsi legato [h]. non facit tamen legatum
conditionale [i], sicuti nec substitutionem [k]. Manet itaque pura dispositio, etiam si differatur actio,
& quodammodo ipsa quoq; obligatio. Quare & spes huius emolumenti transmitteretur ad hæ-
4 redes defuncti interim legatarij [l]: ad quos tamen transiret legatum verè conditionale [m]. ¶ *Rectè*
5 *legatur.*] Sicuti & rectè emitur [n], & stipulanti promittitur [o], & pignori obligatur [p].
6 ¶ *Veluti fructus.*] Cuiusmodi legato satisfecisse intelligetur, qui semel fructus natos præstite-
rit. Cæterùm si fructus annui legati essent: sæpius præstandi essent, nempe quotannis. Adeò vt e-
tiam quod vni anno propter sterilitatem defuit, ex sequentis vberiori prouentu pensandum sit ac
sarciendum [a]. ¶ *Qui in illo fundo nati erunt.*] Hæc verba (inquit Iulianus [b]) quasi taxationis vicem
7 obtinent, & habent vim cuiusdam conditionis: quam & in vniuersum tribuere solemus relati-
uis iunctis verbis futuri temporis [c]. Ergo si hîc nulli nascantur fructus primo anno; hæres, si in cul
pa non sit, liberabitur; vtpote qui spei tantùm debitor erat; idque solùm in proximum annum,
8 quo aliquid nasci potuit. Sic enim interpretamur indefinita verba futuri temporis, vt intelligan-
9 tur de proximo tempore [d]. Quòd si fructus eiusmodi legati sint, qui bis in anno nasci soleant: de
priori tantùm prouentu & proximo tempore legatum intelligetur [e]. Sicut è diuerso vbi ij legati
sunt, qui pluribus annis non nisi semel nascuntur, vt euenit in syluis cęduis: debentur fructus
omnium eiusmodi annorum, vtpote quorum vnus tantùm intelligitur prouentus. Porrò
cùm dicimus nihil aliud hic deberi, quàm quod proximo prouentu nascitur, non excusamus hæ-
10 redem, si quid fecerit quo minus nascerentur fructus. Neque enim liberatur eiusmodi fraude, &
improbo studio sterilitatis procuratæ: sed æstimabitur, quod præstabit. incertum fructuum, qui
sperabantur nascituri: quemadmodum si cùm à te iactum retis emissem, tu nolis iacere [f]. Sed & v-
11 bi nominatim adiecto pondere, numero, vel mensura, fructus nascituri legati sunt, proximi an-
ni sterilitas non obest, nisi quadam mora dilatæ præstationis, quia sit expectandus alterius anni
prouentus; ex quo proculdubio præstari debebit legatum illud certi ponderis, numeri, vel men-
12 suræ fructuum. Neque enim hic sub conditione vlla, sed in diem est obligatio: neque incer-
tæ spei legatum, sed pensionis certæ: quæ tum præstabitur, quandocunque fructus nati fuerint.

a L. quod in rerum. de lega. 1.
b L. etiā ea. de lega. 3.
c L. seruo legato. §. vlt. de lega. 1.
d L. cū seruus. de le. 1.
e L. cùm res legata. §. itaque de lega. 1.
f L. si seruus. de leg. 2.
g L. cùm res. §. itaq. de legat. 1.
h L. 1. in fi. de cond. & demonst.
i L. cōditiones. de con dit. & demonst.
k L. qui liberis. de vul ga. & pup.
l L. quæ sub conditione. §. vlt. de cond. inst. l. quod purè. D. quando dies leg. ced.
m L. cùm illud aut illud. D. quando dies leg. ced.
n L. nec emptio. de cō trah. empt.
o L. interdū. de verb. oblig.
p L. & quæ nondum. de pignor.
a L. legatum §. vint. de annu. lega.
b L. cùm certus nume rus de trit. vi. et olei. leg.
c L. Stichū qui meus erit. de lega. 1.
d L. eum qui Calēdis de ver. oblig. l. boner. §. hoc sermone. De verb. sig.
e fructus, vulgo. l diuortio. § quod in anno. D. solut. mat.
f L. si tractum retis. de act. empt.

Sic & Pædins respondit, [a] Eum, qui stipulatus est ex fundo centum amphoras vini, expectare de- 13
bere donec nascatur vinum. Multo magis si non ipsi fructus, sed certa pecuniæ quantitas ex na-
scituris fructibus redigenda, sit legata: Veluti, lego quinquaginta aureos ex futuris prædiorum
meorum fructibus. Hîc enim respondit Papinianus, [b] non conditionem additam, sed tempus 14
soluendæ pecuniæ prolatum videri: & priori anno non perceptis fructibus, expectari sequentem.
quod & Paulo placuit, [c] qui etiam cum suo Imperatore iudicauit solum hîc demonstrasse testato-
rem, vnde commodius legata summa solueretur, [d] quod & Vlpianus respondit [e]. ¶*In illo fundo.*] 15
Huius fundi mentio cùm fiat in ipsomet fructuum legato, eademque verborum conceptione, vi-
detur adiecta certæ cuiusdam taxationis ergò: sic vt is solus hæres, qui fundi demonstrati posses-
sor est, teneatur: nec aliud præstet, quàm id quod in eo fundo natum sit. [f] At si fundus obiter nomi- 16
natus fuerit, separatim post ipsum fructuum legatum iam simpliciter relictum: non nocebit eius-
modi demonstratio temerè adiecta: nec pendebit propterea tota spes legatarij ab eius vnius fun-
di prouentu: sed quod in eo desideratur, peti poterit ex alio. quia non intelligitur testator eius-
modi leui mentione vnius alicuius fundi obiter adiecta, voluisse legati prius simpliciter relicti
ius minuere, [g] sed tantùm demonstrare, vnde commodius accipi posset. Quo fit, vt hic omnes hæ- 17
redes teneantur pro hæreditariis portionibus. [h] ¶*Nascerunt.*] Hoc est, Nascentur. hîc enim præ-
teritum habet vim futuri temporis, cui coniungitur. Quod frequens est in Iure Ciuili, & nota- 18
tur à Gellio lib. 17. cap. 7.

a L. inter stipulantē. §. pro quo illud. De verb. oblig.
b L. Firmio. D. quando dies lega. ced.
c L. Lucius de ali. leg.
d L. Paula Callinico. §. vlt. de leg. 3.
e L. quidam testamento de lega. 1.
f L. si seruum legatus. §. quicunque. de lega. 1. l. Lucius Titius. §. testamēto. §. cum ib. de lega. 2.
g L. quidam testamēto. de leg. 1. L. Lucius. de ali. leg.
h L. Paulo Callimacho. §. vl. de lega. 3.

§. Si eadem res. cum §. coniunctim.

1 In diuersis rebus nulla potest esse coniunctio.
2. 3 Legatum certæ rei siue speciei, & legatum quantitatis, quid differant?
4 Ex diuersis testamentis nō temerè contingit ius coniunctionis. fallit num. 5.
6 Quid si quis in pupill. testamento mihi leget eandem rem, quam alij in suo testamento legauerat?
7 Vbi plures sunt eiusdem rei legatarij, semper deficientis portio accedit alteri.
8. 9 Inter verbis coniunctum & disiunctum an quid intersit?
10. 11 Partes concursu, item partes ab initio fieri, quid?
12. 13 Disiunctim legari quid?
14. 16 Legatū inter collegatarios quomodo scindatur?
15 Scindi legatum; partes æquas seruari, æqua lance diuidi, pro virili portione ad legatum omnes venire, idem sunt.
17 Legatum quod alteri accrescat omnino defecisse oportet.
18 Quid si in legatarij persona legatum ab initio non constitit?
19 Mutatione iuris, etiam quæ pro non scriptis habentur legata coniuncto accedunt.
20 Vbi legatum ad collegatarium totum pertineat?
21 Coniunctionem triplici modo intelligi posse.
22 Coniuncti qui?
23 Quid si re tantum coniuncti sint, verbis disiuncti?
24 Coniunctio vi legis quæ?
25 Aliud est legati, aliud institutionis titulo, seruo communi aliquid relinqui.

Si eadem res duobus legata sit, siue coniunctim, siue disiunctim: si ambo perueniant ad legatū: scinditur inter eos legatū. Si alter deficiat, quia aut spreuerit legatum, aut viuo testatore decesserit, vel alio quoquo modo defecerit: totum ad collegatarium pertinet.

¶*Si eadem res.*] At in diuersis rebus nulla esse potest coniunctio, etiam si plures legatarij vna 1
oratione coniungantur. Sic enim respondit Iulianus: [i] Quibus ita legatum fuerit, Titio & Me-
uio singulos seruos do, lego: constat eos non concursuros in eundem seruum: sicut non concur-
runt, cùm ita legatur, Titio seruum do, lego; Meuio alterum seruum do, lego. ¶*Res.*] Hoc est, 2
Species. At si quantitas duobus disiunctim legaretur, nisi de eadem nominatim locutus sit te-
stator, singulis solida quantitas præstabitur: nam & longè facilius multiplicatur quàm species. [k] 3
Et quamuis à pluribus simul hæredibus vni, eidemque legatario relicta, non temerè multiplice-
tur [l]: potest tamen longè iustius & æquius multiplicari, vbi pluribus legata est ab vno eodemque
hærede. ¶*Legata sit.*] Vno eodemque testamento. Id enim significant subiecta exempla. Et alio- 4
qui ex diuersis testamentis non temerè contingit vllum ius coniunctionis, vti respondit Vlpia- 5
nus [m]. Excipio patris simul & filiifamiliâs, cui pater testator substituit, testamentum. Nam
& quamuis plurium causarum sit, siue hæreditatum, vnicum tamen reuera est, quemadmodum
suo loco supra diximus [n], Itaque nouum esse non debet, quod idem Vlpianus ait ex Iuliani sen- 6
tentia, concursu partes non * habere, si quis in pupillari testamento mihi legauerit eandem rem,
quam alij in suo testamento legauerat [o]. ¶*Siue coniunctim, siue disiunctim.*] Vbi plures eiusdem 7
rei legatarij sunt, siue verbis coniuncti, siue disiuncti, semper deficientis portio alteri accedit. Qua
vna in re sensit hîc Iustinianus nihil interesse, coniunctim, an verò disiunctim res eadem legata 8
sit pluribus. Cæterùm alio nomine multùm interest: quia longè aliter deficientis portio accrescit
verbis coniuncto, quàm disiuncto. Penes enim disiunctum ea remanet iure quodam non de- 9
crescendi, non secus atque si res tota ei vni solique esset legata, nec vllius vnquam concursu aut so
cietate diminuta. quare nec vllo alieno premitur onere. At verbis coniuncto non accrescit sine suo
onere [p]. Atque hoc illud est, quod veteres Iuriscōsulti agentes de hoc discrimine accrescēdi, & non
decrescendi, dixerunt, Priori casu partes fieri concursu, hoc est, tum demum scindi legatum inter 10
verbis

i L. huiusmodi legatum. §. quibus ita. de lega. 1.
k L. planè vbi. §. 1. de lega. 1.
l L. si pluribus hæredibus. de lega. 2.
m L. si sub conditione. D. quib. mod. vsusfr. amit.
n §. igitur. sup. de pup. subst.
** aliàs non.*
o L. planè vbi. §. si cōiunctim. de leg. 1.
p L. vni. §. his ita definitis cū §. seq. et §. fin verò. C. de cadu. toll.

verbis disiunctos, vbi ambo legatarij consequuntur quod sibi relictum est: Altero verò casu, nem-
11 pe inter coniunctos verbis, ab initio partes fieri.[a] Atque hinc rursus aliud discrimen oritur, quòd
hoc posteriori casu nũquam nisi partem vnus petere posit: [b] quia nec amplius legatum videatur.
At superiori casu potest ab vno tota res peti,[c] debetque tota primo petenti solui: sed à quo deinde
alter partem suam consequi poterit. hæres autem alteri dando, ab vtroque liberatus est.[d] Nempe
hic videtur vtrique solidum legatum relictum, solidum quoque iure suo habituro, nisi alterius
12 petentis societate & concursu aliquid ei decedat decrescatque. ¶ *Disiunctim.*] Hoc est, Separa-
13 tim, diuersisque prorsus orationibus. Nam id Iustiniano hoc loco satis est, qui disiunctos appellat
eos, qui non vno verborum complexu coniuncti sunt, etiamsi propter eiusdem rei communio-
nem, re coniuncti videantur, & à nostris Iurisconsultis aliquando eo nomine appellentur coniun
cti [e]. Reuera tamen disiunctiores sunt ijs, qui verbis tantùm coniuncti sunt. ideoq; etiam ijs post-
ponerentur. ¶ *Scinditur inter eos legatum.*] Hoc illud est, quod respondit Vlpianus [f], In legato plu
14 ribus relicto, si partes adiectæ non sunt, æquas seruari. Alibi Iustinianus ait [g], rem æqua lance diui-
15 di, & ad dimidiam vnumquenque vocari. Paulus verò scribit [h], pro virili portione ad legatum o-
mnes venire. disertè tamen admonet hoc demum fieri in legato separatim siue disiunctim relicto,
si non appareat ademptione à priore legatario facta, ad secundum legatum testatorem conuolas-
se, (quia tum posterior solus ad legatum perueniet) nec etiam vtrunque eorum solidum accipere
voluisse: alioqui enim tum vni preciũ, alteri res ipsa solida assignaretur electione rei vel precij ser-
uanda ei, qui prior de legato litem cõtestatus esset. Porrò autem cùm hic dicimus, scindi legatum,
16 intelligimus ab initio quidem id fieri, si verbis coniuncti sint legatarij: alioqui autem nõ nisi ipso
concursu peruenientium ad legatum, vti etiam suprà diximus. ¶ *Vel alio quoquo loco.*] De deficien-
tibus semper loquitur, non de ijs, quæ à principio non consistunt. Nam neque adhuc omnino mi-
scuerat quę vel caduca erant vel in causa caduci, vel pro non scriptis habebantur. Sed quia de hisce
extat satis verbosa eius Constitutio [i], & ego peculiarem etiam tractatum, quem & in scholis ali-
quando dictaui, conscripserim, non inuitus hoc loco eam disputationem non necessariam omit-
tam. Nam postea fortassis eam inseram & subiungam titulo de Adim. lega.

a L. planè vbi. §. si cõiunctim de lega. 1.
b d. §. si coniunctim.
c dict. l. vna. §. sin autem disiunctim.
d L. si Titio aut Seio. de lega. 2.
e L. re coniuncti. de lega. 3. l. triplici inf. de verb. signif.
f L. legata inutiliter. §. vlt. de lega. 1.
g L. cũ quæstio. §. vlt. C. de lega.
h L. si pluribus. de lega. 1.
i L. vna. C. de cadu. tollen.

17 ¶ *Defecerit.*] In vniuersum oportet, legatum quod alteri accrescat, ita defecisse, vt nullo pror-
sus iure amplius niti posit legatarius: cui nihil omnino supersit iuris aut agendi aut retinendi. Ac
quidẽ Iurisconsulti non temerè ius accrescendi tribuunt coniuncto, nisi vbi alter defecit, qui alio-
qui tẽpore testamẽti capere poterat. Nã si in eius persona ab initio legatũ non constitit, magis pro
18 non scripto haberi, quàm defecisse dicunt, & ideo magis penes hæredem manere, quàm coniun-
cto accrescere [k]. quanquam si hæredi & Titio legatum sit, partem hæredi inutiliter legatam Titio
accrescere fatentur [l]: Nam eam saltem hæres tanquam hæres ceperat atque retinebat: quæ deinde
potestare legis ei adempta Titio accrescit. Sed & si quis sibi & Titio ascripsisset. partem ascribentis
Titio accrescere; Paulus lib. 3. Recep. Sent. scriptum reliquit: Iulianus ad substitutum deferri bene
dixit: sed si substitutus nullus sit, an secundo loco idem tribueretur coniuncto, non expresserat [m].
Extra hos duos singulares casus solent Iurisconsulti partem vnius legatarij non tam deficientis,
quàm à principio non capientis potius hæredi relinquere, quàm coniuncto dare; præsertim si per
19 damnationem legatum sit. Sed paulò pòst eorum ætatem ius aliud receptum fuit, quod & Iusti-
niano placuit, vt in ijs etiam quæ pro non scriptis habentur. ius accrescendi locum haberet [n].
¶ *Totum ad collegatarium pertinet.*] Ad coniunctum quidem cum onere, ad disiunctum verò si-
ne vllo onere, quod erat alteri iniunctum, vti satis suprà dictum est. Illud porrò hic notandum est,
20 tum demum totum ad collegatarium pertinere, vbi eum non anteuertit substitutus, qui excipiat
deficientis portionem. Quod autem attinet ad ius accrescendi inter cohæredes, suo posteà loco
tractabitur [o].

k L. planè. §. 2. l. si duobus. de legat. 1. l. 7. de legat. 2.
l L. planè. §. si duobus. de lega. 1.
m L. 1. de his quæ pro non script. hab.
n L. vna. §. in primis. C. de cadu. tollen.
o §. vlt. inf. de Sen. Orphit.

Coniunctim autem legatur, veluti si quis dicat: TITIO ET SEIO HOMINEM STICHVM DO, LEGO. disiunctim ita, TITIO HOMINEM STICHVM DO, LEGO, SEIO HOMINEM STICHVM DO, LEGO. Sed & si expresserit eundem hominem Stichum, æquè disiunctim legatum intelligitur.

21 ¶ *Coniunctim autem.*] Inquit Paulus [p]: Triplici modo intelligi coniunctio potest, aut enim re
per se coniunctio contingit, aut re & verbis, aut verbis tantùm. Nec dubium est, quin coniuncti
22 sint, quos & nominum & rei complexus iungit. Idem Paulus alio loco [a], re coniuncti (inquit) vi-
dentur, non etiam verbis, cùm duobus separatim eadem res legatur. Item verbis, non etiam re, Ti
tio & Seio fundum æquis partibus do, lego. quoniam semper partes habent legatarij. Iustinianus
autem tantùm hic proponit exemplum coniunctionis, quæ & re & verbis fit, cùm scilicet eadem
23 res coniunctim pluribus legatur. Sed & eos qui re tantùm coniuncti sunt, verbis disiuncti, non ha-
bet pro coniunctis, sicuti nec reuera ad eos pertinet vllum ius accrescendi. ¶ *Veluti, si quis dicat.*]
Hoc exemplum propriè pertinet ad genus coniunctionis eius. quæ pendet à dispositione testato-
24 ris, & ab eo nominatim nectitur, atque contexitur. Est autem & alia in iure cõiunctionis species,
quæ vi ipsius legis fit. Vt cùm aliquid seruo plurium relinquitur. Verùm inter eiusmodi collegata-
rios nullum est ius accrescendi: Sic enim scribit Celsus [b]: Et Proculo placebat, & à patre meo sic ac-
cepi, quòd seruo communi legatum sit, si alter dominorum omitteret, alteri non accrescere. Non
25 enim coniunctim, sed partes videri legatas. Aliud tamen erit dicendum, si eiusmodi seruo aliquid
esset relictum institutionis titulo [c]. Nam & inter disiunctos prorsus cohæredes, atque adeò etiam
inuitos;

p L. triplici. de verb. signific.
a L. re coniuncti. de lega. 3.
b L. et Proculo. de l. 2.
c L. seruum communis ab extero. de acq. hæ.

a L. ius nostrum. de reg. iur.

b L. sicut. de adi. lega.

inuitos, locum habet ius accrescendi: ne alioqui partim testatus, partim intestatus aliquis decessisse videatur [a]. At in legatis nullum eiusmodi periculum est. Itaque nec ius accrescendi locum habet inter alios legatarios, quàm inter eos, quos testator ipse coniunxit, vt quod alteri periret, alteri accederet. ¶ *Disiunctim ita.*] In hoc exemplo legati pluribus separatim relicti, obseruanda est verborum formula: vt disertè notemus in posteriori legato nullam fieri mentionem prioris, cuius certè si qua facta esset, facilè intelligeretur trãslatio [b]. Vt si diceret testator, Quem Titio hominem Stichum legaui, Seio do, lego. Hîc enim apparet testatorẽ adimere Titio, quod in Seium transferat. Nulla tamen intelligitur ademptio in hac simili institutione, Ex qua parte Titium institui, ex eadem Seius hæres esto. Nempe quia possumus hîc commodè interpretari ea verba, vt videantur solùm tollere multiplicationem æqualium portionum hæreditatis, & repetere eandem rem, in qua velit testator vtrunque concurrere & cohæredes esse.

§. *Si cui fundus.*

1 *Lucratiuas causas posse concurrere circa diuersa.*
2 *Vsumfructum in iure, non in parte consistere.*
3 *Aestimatio, quam hic §. præstandam ait, quomodo intelligenda?*

Si cui fundus alienus legatus sit, & emerit proprietatem deducto vsufructu, & vsusfructus ad eum peruenerit, & pósteà ex testamento agat: rectè eum agere, & fundum petere, Iulianus ait: quia vsusfructus in petitione seruitutis locum obtinet. sed officio iudicis continetur, vt deducto vsufructu, iubeat æstimationem præstari.

¶ *Si cui.*] Redit Iustinianus ad lucratiuas causas, quarum tractatio fuerat interrupta. Et cùm paulò antè docuerit eas in eandem rem non posse concurrere, nunc admonet concurrere vtrique posse circa diuersa: vt cùm quis vsumfructum rei ex causa lucratiua, veluti per consolidationem, 1
consequitur, & proprietatem ex testamento. Quemadmodum & possumus eiusdem rei partem ex donatione inter viuos, partem ex legato habere. Neque enim hic circa idem concurrunt causæ lucratiuæ. ¶ *Vsusfructus ad eum peruenerit.*] Sua scilicet sponte, & ipso iure, sicut solet ad proprietatem vltro reuerti finitus vsusfructus. Cæterùm si eum quoque hic legatarius redemisset suo impendio: eius esset proculdubio causa onerosa, & ab hærede consequeretur legatarius integri fundi plenam iustamque æstimationem. ¶ *Et postea.*] Hoc est, posteaquàm ita consolidatus esset cum proprietate vsusfructus viuo adhuc testatore. Eo autem mortuo antequam vsusfructus ad legatarium peruenisset, non immeritò dicetur, vsuram medij temporis, quæ legatario verè abfuit, ab hærede esse pensandam. ¶ *Fundum petere.*] Hoc est, vt interpretatur Theophilus, fundi æstimationem. ¶ *Iulianus ait.*] Extat hoc Iuliani responsum his verbis [c]: Fundus mihi legatus est: proprietatem eius fundi redemi detracto vsufructu: postea venditor capite minutus est, & vsusfructus ad me pertinere cœpit. Si ex testamento egero, iudex tanti litem æstimare debebit, quantum mihi aberit. Addit deinde Marcellus: Idem erit etsi partem redemero, & pars mihi legata aut donata sit partem enim duntaxat petere debebo.

c L. non quotunque modo. §. fundus. de leg. 1.

¶ *Quia vsusfructus.*] Occurrit Iustinianus tacitæ obiectioni eorũ, qui causari possent, eum plus petere, qui fundum petit, de cuius sola proprietate solicitus esse debeat. Et respondet eum plus non petere. Nec enim fundum petendo, vsumfructum quoque petere: quia habeatur hîc vsusfructus pro quadam seruitute, non etiam pro parte eius rei, hoc est, vt ait Papinianus [d], vsumfructum in iure, non in parte consistere. Id quod alibi suo loco latius excutitur [e]. Nec nisi obiter hîc nos e- 2
ius admonuit Iustinianus, ne scrupulus ille hæreret, quem mouerat Iulianus, nec amouerat.

d L. Meuius. §. fundo. de lega. 2.

e L. 4. de vsuf. l. rectè dicimus. de verb. sig.

¶ *Aestimationem præstare.*] Nudæ proprietatis, quam solam habere hîc legatarius intelligitur 3
ex causa onerosa, cùm vsumfructum habeat ex gratuita consolidatione: & si quem sumptum fecerit eius aliquando consequendi nomine, quia emerit ea spe proprietatem: abundè fit ei satis, cùm hæres restituat solidum emptæ proprietatis precium: quo recepto legatarius nihil sibi amplius abesse potest causari nomine vsusfructus: cuius quidem spem si cum proprietate emit, cum proprietatis quoque precio eius sumptum recepit. Vt interim concedamus, nõ videri alioqui lucratiuam prorsus causam vsusfructus aliquando reuertentis ad proprietatem. vtpote cùm proprietas fuerit ea spe empta. sine qua prorsus esset inutilis. Vt qui proprietatem emerit. meritò videatur emisse & vsumfructum: eiusq; expectationem habere ex causa onerosa. Vnde & qui nudam proprietatem emit, si agat redhibitorio iudicio, cum ea restituere debet & vsumfructum interim cõsolidatum [f]: quasi & is quoque fuerit cum proprietate venditus, cuius certa saltem expectatio vendebatur.

f L. quod si nolit. § si mutila. de adil. edict.

§. *Sed si rem. cum §. seq.*

1 *Propria tua res nec legari tibi nec fideicommitti possunt fallit, num. 2.*
& 4 *Idem ex pluribus causis nostrum non fieri, quomodo intelligendum?*
5 *Legatum rei meæ, alteri obligatæ pignori, vtile est.*
6 *Si alienus sit rei meæ vsusfructus, vtiliter legatur.*
7 *Quid si fundus, vti optimus maximusq; est, legetur?*
8. 9 *Testatorem legantem rem mihi meam, tui quod in eam*

Sed si rem legatarij quis ei legauerit, inutile est legatũ: quia quod proprium est ipsius, amplius eius fieri non potest. Et licet alienauerit eam, non debetur nec ipsa res, nec æstimatio eius. §. Si quis rem suam quasi alienam legauerit, valet legatũ. nam plus valet quod in veritate est, quàm quod in opinione. Sed & si legatarij esse putauit, valere constat, quia exitum voluntas defuncti habere potest.

¶ *Sed si rem.*]. Videtur hic locus petitus ex rescripto Diocletiani & Maximiani [a], quod extat
1 his verbis: Proprias tuas res legari vel fideicommitti tibi non potuisse certum est. Et sane potuit id
esse certum ex veteri responso Scæuolæ, qui ait; Non valuisse, quod matri suum legabatur. Idemque potuit colligi & ex responso Papiniani [c], & Pauli [d]. ¶ *Legauerit,*] Purè. Nam (inquit Paulus [e])
2 mea res sub conditione legari mihi potest: quia in huiusmodi legatis non testamenti facti tempus, sed conditionis expletæ spectari oportet. Tunc ergo vtile erit hoc legatum, si fortè mea res esse desijsset, eueniente conditione, cedente que legati die. quod & alio loco idem Paulus respõdit [f]. Porrò quod hîc de legato dicitur, habet locum & in stipulatione.
3 ¶ *Quia quod proprium.*] Alibi dicitur [g], Idem ex pluribus causis nostrum non fieri: & rem nostram, magis nostram fieri non posse. Verùm hoc loco diligenter expendenda sunt verba ipsius ætiologię, quam hîc proponit Iustinianus. Multũ enim lucis adferunt ipsi regulæ, nimis alioqui generaliter & confusè tradentis; *Inutiliter rem meam mihi legari:* vt eam intelligamus de re, quæ sit nobis propria, cuiusque certum ac solidum habeamus dominium, adeò plenum, vt incrementum omnino non recipiat: adeò firmum, vt nullo nomine conuelli posit. Nam alioqui sanè non esset omnino inutile rei nostræ nobis relictæ legatum. Id quod eleganter tradidit Iulianus his verbis [h]: Non quocunque modo legatarij res facta fuerit, die cedente obligatio legati extinguitur: sed ita, si eo modo fuerit eius, quo ab eo auelli non posit. Ponamus rem. quæ mihi purè legata sit, accipere me per traditionem die legati cedente ab eo hærede, à quo eadem sub conditione alij legata fuerit: nempe agam ex testamento, quia is status eius est, vt existente conditione discessurum sit à me dominium. Nam & si ex stipulatione mihi Stichus debeatur, & is cùm sub conditione alij legatus esset, factus fuerit meus ex causa lucratiua: nihilominus existente conditione, ex stipulatu a-
4 tus esset, factus fuerit meus ex causa lucratiua: nihilominus existente conditione, ex stipulatu a-
5 gere potero. Hæc Iulianus. Rursus fac rem quidem meam esse certo dominij iure, sed alteri obligatam, veluti pignori: vtile erit legatum, vt scilicet cogatur hæres suo impendio luere [i]. Vel finge
6 alienum esse rei meæ vsum fructum: vtile quoq; erit legatum, vt teneatur hæres sarcire quod mihi deest, hoc est, præstare vsusfructus emolumentum. Non tamen idem placuit de cæteris seruituti-
7 bus [k], nisi sanè fundus, vti optimus maximusque est, legaretur. tum enim omnino esset liberandus [l]. Cuius rei cùm nos admonuisset Papinianus, adiecit pro coronide [m]: Si res mea mihi legetur, præter istas causas, legatum non valere. Illud verò nullam habet dubitationem, quin testator, qui
8 rem meã mihi legat, intelligatur saltẽ remittere ius, quod in eam habet [n]. Quã rem Paulus [o] explicat ijs exemplis, quæ admodum fuerit operæprecium cognoscere: quoniã alioqui de ijs meritò du-
9 bites, inquit; si Titius rem à me emisset. & eandem mihi legasset antequam ei traderem: mox ei tradidero, & precium recepero: videtur quidem is prima facie, rem mihi meam legasse, & ideo legatum non consistere: sed ex empto actione liberatus, vtique per legatum rem vindicare potero, quam tradidi. Sed si nondum erat solutum mihi precium, Iulianus scribit ex vendito quidem me acturum, vt precium consequar: ex testamento verò, vt rem quam vendidi & tradidi, recipiam. Idem subijcit; Si precium quidem mihi erat solutum, rem autem nondum tradideram: ex testamento me agentem, liberationem consequi. ¶ *Et licet.*] Hæc adiectio sumpta videtur ex respon-
10 so Pauli, qui & totum hunc locum diligenter explicat his verbis [p]: Si quidem ab initio non consistit legatum, ex pòst facto non conualescet: quemadmodum nec res mea legata mihi, si post testamentum factum fuerit alienata: quia vires ab initio legatum non habuit. Sed si sub cõditione le-
11 getur: poterit legatum valere, si existentis conditionis tempore mea non sit: secundum eos, qui & emi rem meam sub conditione, & promitti mihi stipulanti, & legari posse aiunt. Purum igitur le-
12 gatum Catoniana regula impedit: conditionale, non: quia ad conditionalia legata, Catoniana
13 non pertinet. Idem Paulus [a] mea res (inquit) sub conditione legari mihi potest: quia in huiusmodi legatis non testamenti facti tempus, sed conditionis expletæ spectari oportet. Atqui Celsus [b] cùm regulam Catonianam cõtendit probare, falsam in quibusdam esse, ait; Si tibi legatus est fundus, qui scribendi testamenti tempore tuus est, si eum viuo testatore alienaueris, legatum tibi debetur, quod non deberetur, si testator statim decessisset. Sed illud iam inter eruditos receptum est, vt conditionis, sub qua res tibi tua legabatur, verba hæc fuisse intelligantur, SI EAM VIVO TESTATORE ALIENARIS. Quasi dicat Celsus, Si ita rem tuam tibi legauero, SI EAM ME VIVO ALIENAVERIS: tuque eam me viuo alienaueris, legatum valere. quod alioqui tanquam conditione deficiente deficeret, si statim mortuus essem antequam alienasses. Nam & constat regulam Ca-

a L. propriam. C. de le.
b L. cũ quis decedens. de lega. 3.
c L. Mænius. §. fundo. de leg. 2.
d L. cũ seruum. §. si Titius. de lega. 1.
e L. mea res. de cond. & demonst.
f L. cætera. §. 1. de lega. 1.
g L. 3. §. ex pluribus. de acq. poss. l. non vt ex plurib. de reg. iur. § sic itaque. inst. de actionib.
h L. nõ quocunque modo. de lega. 1.
i L. si tibi homo. de lega. 1.
k L. Mænius. §. fundo. de lega. 2.
l L. seruo legato. §. si fundus. de lega. 1.
m dict. §. fundo.
n L. si domus. §. vl. de lega. 1.
o L. cùm seruus. §. si Titius. de lega. 1.
p L. cætera. §. tractari. de lega. 1.
a L. mea res. de cond. & demon.
b L. 1. de reg. Cat.

tonianam non habere locum in conditionalibus legatis. Quod etiam sub finem huius tituli dice- 14
mus. ¶ *Plus valet, quod in veritate est.*] Nempe, vbi non minus suffragari videtur veritati, quàm opi-
nioni voluntas: & id quod agitur, veritatis nomine sustinetur, quod alioqui opinionis error sub-
uerteret. Vt magis valere veritatem, quàm errabundam opinionem, voluisse testatorem, meritò
conijciamus. Sic & vbi dominus seruum suum manumittit, quem putabat esse alienū, rata est ma-
numissio [a]. At vbi pugnat cum voluntate opinio, non potest non opinionis errore subuerti, quod 15
à certa pendet voluntate. Rectè itaque Vlpianus [b], Is (inquit) qui putat se necessarium, cùm sit vo-
luntarius: non poterit repudiare. Namque plus est in opinione, quàm in veritate. ¶ *Sed & si le-* 16
gatarij.] Increscit oratio. Nam hic non modò error testatoris, sed & quædam ludificationis suspi-
cio, quæ premit coniecturam benignioris voluntatis, subesse videtur. Et sanè in contractibus in-
ter viuos, facit hæc suspicio ludicrum & inutile, quod agitur. Eoque pertinet, quod ait Vlpianus [c]:
Cùm tibi numos meos, quasi tuos do: non facio tuos. Verùm facilior est ineundæ obligationis ra- 17
tio in vltimis voluntatibus, quas non temerè patitur Lex subuerti commento alicuius coniectu- 18
ræ. Vnde & conditio impossibilis, quæ vitiaret stipulationem, non vitiat vltimam voluntatem.
Nec omnino sanè ex eo quòd testator putauit rem esse legatarij, statim sequitur eū ludere voluis-
se. Quid enim si fuerit ignarus huius iuris, quo dicimus rem nostrā inutiliter nobis legari? ¶ *Quia*
exitum] Hic præter rationem superiorum duorum casuum, latet etiam quædam ratio discriminis;
cur non valeat legatum, quando ab ignorante res aliena legatur, vt propria (quod suprà dictum 19
est) cùm tamen valeat è diuerso, si propria res legetur per errorē, vt aliena, quod iā diximus. Nem-
pe, quia priori casu non ita facilè potest inuenire exitum voluntas defuncti, cui integrum non est,
aut liberum, rei alienę dominium in legatarium transferre: nec temerè censetur voluisse hęredem
suum onerare difficili conditione comparandæ rei alienæ, nisi constet sciuisse alienam rem esse,
quam legabat. At in altero casu, de quo hic agitur, facillimè potest & expeditissimè exitum habe-
re voluntas defuncti, cùm omnino res legata sit testatoris, nec aliquid obsit, quominus statim fieri
possit legatarij. ¶ *Habere potest.*] Et (quando licet) vt habeat exitum, etiam Reip. interest, vt scri-
bit Paulus [d].

a L. si pater. §. quoties de man. vind.
b L. is qui putat. de ac quir. hær.
c L. 3. §. subtilius de condict. cau. da. cau. non secu.
d L. vel negare. D. quemad. test. aper.

Si rem legauerit.

1 *Alienatio legatum minuit.*
2 *Alienationis verbum quàm latè pateat?*
3 *Donatione intelligitur legatum reuocari.*
4. 5 *Interesse, vtrum rem suam legatam testator necessitate, an verò mera voluntate alienauerit.*
6 *Venditionis vocabulo quid hîc intelligendum?*
7. 8 *Quid si testator prædia legata, pignori vel hypothecæ dedit.*
9 *Oppignoratio rei legatæ, non est certum argumentum mutatæ testatoris voluntatis.*
10 *Non nisi ex voluntaria alienatione colligi animum adimendi legati.*
11 *Quod dicitur de toto, ad partem quoq; pertinet.*

Si rem suam legauerit testator, posteaque eam alienauerit: Celsus putat, si non adi-
mendi animo vendidit, nihilominus deberi. idemque Diui Seuerus & Antoninus rescri-
pserunt. Iidem rescripserunt eum, qui post testamentum factum prædia, quæ legata erant,
pignori dedit, ademisse legatum non videri: & ideo legatarium cum hærede eius agere
posse, vt prædia à creditore luantur. Si verò quis partem rei legatæ alienauerit: pars, quæ
non est alienata, omnino debetur: pars autem alienata ita debetur, si non adimendi ani-
mo alienata sit.

¶ *Legauerit testator.*] Purè ac simpliciter. Nam si legauerit sub conditione nominatim relata
ad tempus mortis, eaque pendente alienet: nulla dubitatio est, quin omnino perimatur legatum.
vt si dictum sit; Stichum, qui meus erit cùm moriar, do, lego. Sed & cùm quis ita legasset; Vxori au
rum, quod eius causa paratum erit: proculdubiò minuet alienatio legatum. Neq; hic putauit Pom 1
ponius [e] distinguendum, qua tandem ex causa testator alienārit. ¶ *Alienauerit.*] Alienationis
verbum latissimè patet. Complectitur enim omnem transferendi dominij rationem [f]. Sed hoc 2
loco constringendam esse eius significationem, indicat subiecta distinctio, quæ huius propositi
thematis definitionem continet. Nominatim enim fit mentio venditionis: cuius generali appel-
latione, vt fortè possit aliquando omnis alienatio significari [g]: specialiter tamen & propriè hic ac-
cipi docet ipsius distinctionis ratio, quam in donantis munificentiam non cadere nemo dubi-
tat [h]. Et alioqui satis constat; donatione semper intelligi reuocatum legatum: idque etiam vbi for 3
tè donatio summo iure non subsisteret. Nam si pater hortos instructos filiæ legauerit: postea quæ-
dam ex mancipijs hortorum vxori donauit: respōsum est, patrem intelligi minuisse legatum filiæ
relictum [i]. ¶ *Celsus putat.*] Non puto extare hoc Celsi responsum: nec item illud, quod eodem
pertinebat, Seueri & Antonini rescriptum. Sed non minoris sunt ponderis, aut momenti alia,
quæ in eandem rem extant, responsa, nempe Vlpiani [k], & Q. Mutij. cui subscripsit Pomponius [l].
Meminit quoq; Modestinus [m] illius distinctionis, vtrum propter necessitatem, an mera volunta 4
te, res sit alienata. ¶ *Si non adimendi animo vendidit.*] Sed hoc ipsum hic quæritur, an qui alienauit,
adimendi animum habuisse videatur. Certè huius quæstionis definitioni adhibenda fuit vete-
rum Iu-

e L. Quintus Mutius. §. vlt. de auro & arg. leg.
f L. vlt. C. de reb. alie. non alien.
g L. Statu liberi. §. Quintus Mutius. de statulib.
h L. rem rogatam. de adimen. lega.
i L. legatum sub conditione. §. pater hortos. de adi. leg.
k L. fideicōmissa. §. si rem suam. de leg. 3.
l L. Q. Mutius. §. item scribit. de auro & argen. leg.
m L. rem legatam. de adi. leg.

5 rum Iuriſconſultorum diſtinctio: vt qui vltrò, nullaque rei familiaris neceſsitate coactus, vendi-
dit, intelligatur adimendi animo id feciſſe [a]. neque enim tum poſſumus aliam comminiſci ven-
ditionis cauſam. Atque adeò quidem eiuſmodi ſpontanea alienatione perimitur legatum, vt
etiam non redintegretur voluntaria eiuſdem rei redemptione [b], niſi aliquando ſingulari fauore
6 libertatis [c]. Porrò cùm hic de venditione loquimur, intelligimus veram rei alienationem, ſiue
translationem: quæ propriè fit per traditionem ipſius rei [d]. Quòd ſi ea non interueniſſet: certè ex
nuda ſimplicique vendendi conditione, nondum certò colligi poſſet, ademptum eſſe aut immi-
nutum legatum [e]. Vtut ſit, fortaſsis has iuris coniecturas prætermiſit hoc loco Iuſtinianus, quia
non tollant libertatem contrariæ voluntatis probandæ: quanquam eius neceſsitate onerent ad-
uerſantem. Itaque ſi fuerit ſpontanea alienatio, ad legatarium pertinebit probare nihilominus e-
andem ſemper fuiſſe teſtatoris voluntatem. Sin autem neceſſaria & coacta: hæredis erit pro-
7 bare mutatam voluntatem [f]. ¶ *Iidem reſcripſerunt.*] Extat adhuc hoc reſcriptum, his verbis [g]:
Qui poſt teſtamentum factum, prædia, quæ legauit, pignori vel hypothecæ dedit, mutaſſe volun-
tatem circa legatariorum perſonam non videtur. Et ideo etiam ſi in perſonam actio electa
eſt: rectè placuit ab hærede prædia liberari. ¶ *Poſt teſtamentum factum.*] Nam ſi ante teſtamen-
tum rem pignori datam & obligatam, teſtator legaſſet, non ignarus eius obligationis: conſtat hæ-
redem debere luere, vti ſuprà docuit Iuſtinianus ex reſcripto eorundem Principum. ¶ *Quæ lega-
ta erant.*] Hic expende iuſtum legati titulum, initamque rationem translationis, quæ & legitima
fuit, & quodammodo abſoluta, cùm nullam amplius deſideret teſtatoris confirmationem. Cæte-
8 rùm ſi hic parum legitimus aut validus fuiſſet alienationis titulus, facilè poſſet tolli per ſequẽtem
nexum pignoris, & ſpecialem obligationem, vtpote quæ longè abſit à confirmatione prioris libe-
ralitatis. Vnde Vlpianus [h], Si (inquit) maritus ea, quæ vxori donauit, pignori dedit: vtique eum
9 pœnituiſſe dicemus, licet dominium retinuit. Et Vlpianum ſecutus Imp. Gordianus idem [i] reſcri-
pſit. ¶ *Pignori dedit.*] Habetur id quidem aliquando pro quodam genere alienationis [k]: ſed quia
nec dominium transfert, nec luitionis ſpem adimit, nullum habere videtur iuſtum aut certum ar-
gumentum mutatæ voluntatis, vel adempti legati. ¶ *A creditore luantur.*] Ære ſcilicet & impen-
dio ipſius hæredis, quem oneraſſe videtur teſtator luitionis ſumptu, & nouo illo adiectæ obliga-
tionis incommodo. Sanè vbi hæres tantùm rogatus fuiſſet bonorum ſuperfluum poſt mortem
ſuam reſtituere, res hæreditarias pignori datas (ſi non in fraudem id factum ſit) liberare non tene-
retur [l], ſicuti nec reſtituere quas bona fide alienauit [m]. ¶ *Si verò ipſe.*] Teſtator. Nam ſi non ipſe te-
ſtator alienaret, nihil pertineret alienatio ad emptionem: quanquam bene poſsit eò pertinere te-
ſtatoris vel legatarij permiſſu facta alienatio. Teſtatur enim Papinianus [n], literis Imperatoris An-
tonini contineri; Si bona iam diſtracta ſunt vel teſtatoris permiſſu, vel concedente legatario, pre-
cium eorum fideicommiſsi ſeruandi cauſa in depoſito habendum. ¶ *Si non adimendi animo.*] Rur-
ſus hic Iuſtinianus relinquit obſcuram & incertam conditionem, ſicuti & olim Scæuola [o], cùm re-
ſpondit; Ea, in quibus voluntas mutata eſſet, non deberi. Nec minus mutilum eſt, quod ait Iulia-
nus [p]; Legatum pro ea parte deberi, quæ teſtatoris mortis tempore fuerit. & quod reſpondit Pom-
ponius [a], Si ex toto fundo legato, teſtator partem alienaſſet, reliquam duntaxat partem deberi.
10 Sed in ijs omnibus reſponſis adhibenda eſt & repetenda ſuperior diſtinctio, an voluntaria, an ve-
11 rò neceſſaria fuerit alienatio: quia non niſi ex voluntaria & ſpontanea alienatione ſoleamus col-
ligere animum adimendi. Quod autem dicitur de tota re alienata, pertinet quoque ad alienatio-
nem partis [b]. Idque etiam diſertè ſcriptum eſſe à Q. Mutio refert Pomponius [c].

a dict. l. rẽ legatã & dict. § ſi rem ſuam. et dict. § item ſcribit.
b L. cũ ſeruum. de adimen. leg.
c L. verum. de manu. vind.
d L. traditionibus. C. de pact.
e L. prædia. § liberto. de fun. inſtr.
f L. fideicõmiſſa § ſi rem ſuam de leg. 3. l. ei qui. de probat.
g L. qui poſt teſtamentum. C. de legat.
h L. cum hic ſtatus. § ſi maritus de don. inter vir. & vxor.
i L. ſi maritus tuus. C. de dona. inter vir. & vxor.
k L. vl. C. de reb. alie. non alien.
l L. ac ducta. § vlt. D. ad Sen. Trebell.
m L. Titius. D. ad Se. Trebell.
n L. poſtquam hæres. § vlt. D. vt legat. no. cau.
o L. tabernã. de inſtr. vel inſtrum. leg.
p L. Stichũ qui mente erit. in fin. de leg. 1.
a L. ſi ex toto. de leg. 1.
b L. quæ de tota de rei vind.
c L. Q. Mutius § item ſcribit. de aur. & arg. leg.

§. *Si quis debitori.*

1 Debitor quis?
2 Liberationem debitori legari poſſe modis pluribus.
3 Legato debitori chirographo, liberatio legata intelligitur.
4 Res pignori data, debitori legata ſolum pignoris nexum tollit.
5 Quid interſit inter liberationem, & rem ipſam debitam legatam?
6 Legatum perſonæ cohærens ad hæredem non tranſit.
7 Legata debitori liberatio cur ipſo iure non contingat?
8 Hæres teſtatoris quomodo eum cui liberatio eſt legata, liberet?
9 Alteri ex duobus reis promittendi liberatione legata, quid iuris?
10 Quid ſi alteri ſociorum legata liberatio?
11 Dilatio quoq; debiti legari poteſt.
12 Legatum commodum mutati loci quale?

Si quis debitori ſuo liberationem legauerit, legatum vtile eſt: & neque ab ipſo debitore, neque ab hærede eius poteſt hæres petere, neq; ab alio, qui hæredis loco ſit. ſed & poteſt à debitore conueniri, vt liberet eũ. Poteſt etiã quis vel ad tẽpus iubere, ne hæres petat.

1 ¶ *Si quis debitori.*] Is propriè debitor eſſe intelligitur, à quo inuito exigitur, & qui creditorem
agentem nulla poteſt exceptione ſummouere [d]. Nec ſanè in alio debitore vtile fuerit liberationis
legatum. Sic enim Iulianus reſpondit [e]: Si creditor debitori, qui ſe exceptione perpetua tueri po-
terat, legauerit quod ſibi deberet, nullius momenti legatum erit. Cæterum vbi rata eſt obligatio,
non refert ex qua tandem cauſa quis ſit debitor, cui liberatio legatur [f]. ¶ *Suo.*] Vel ſui hæredis, vel

d L. debitor l. creditores. de verb. ſignif.
e L. ſi creditor debitori. de libe. legat.
f L. non ſolum debitorem. § vlt. de liber. lega.

etiam cuiuslibet alterius [a]. Sed & si quod ego debeo Titio, fuerit ei legatum, meo nomine, & vt e-
go liberarer: valebit quoque eiusmodi liberationis legatum [b]. ¶ *Liberationem legauerit.*] Id pluri-
bus modis fieri potest. Nam & liberationem nominis expressim legare potest creditor: vel dam- 2
nare hæredem, ne debiti nomine agat, aut aliquid exigat. Huc quoque pertinet illa formula, quæ
apud Paulum extat his verbis: Petitor vel possessor damnauit hæredem suum, ne Centumuirale
iudicium exerceat. de effectu legati quæritur. Et dictum est, ita demum vtile videri legatum, si ma
lam causam aduersarius testatoris habuerit, vt litigante hærede vinci debuerit. Tunc enim nõ tan
tùm liti emolumentum, sed etiam sumptus hæres legatario præstare cogitur. Nam in bona causa
nihil esse videtur in legato: sed nec propter sumptus: quod quidam existimârunt. Hæc Paulus Sed
& qui chirographum legat debitori suo, liberationem legasse intelligitur [c]. Nam & in vniuersum 3
iure traditum est, eum, qui cautionem debitori reddidit, videri conuenisse, ne peteret [d]. quanquã
non idem statim intelligatur reddito pignore [e]. Neq; enim id pertinet ad dissoluendam princi-
palem obligationem, sed ad tollendum solum pignoris nexum. Vnde & Iulianus scribit; Si res pi- 4
gnori data legetur debitori à creditore, valere legatum: vt videlicet possit debitor prius recipere
pignus, quàm pecuniam soluere. Sicq; loquitur Iulianus: quasi præterea debitor ex hoc legato ni-
hil consequatur. Idemque probat Vlpianus, si modò non appareat aliam fuisse testatoris volunta-
tem [f]. Illud postremò admonendi sumus, nõ modò esse vtile liberationis legatum, sed & si res ipsa
debita legetur [g]. Interest tamen, quia cùm legata est expressim liberatio; si postea superstes testator 5
exegerit; omnino videbitur reuocasse legatum [h]. At si legata sit ipsa species, quæ debebatur, velut
ex empto: non ideo statim, quòd postea fortassis eam testator exegerit legatum euanescet [i]. Quod
& aliquando verum est, vbi liberatio legata erat: nempe si appareat exactionem non esse factam
animo adimendi legati: quemadmodum & si pecuniam vltrò debitor obtulerit, quam non po-
tuerit non accipere creditor [k]. ¶ *Neq; ab hærede eius.*] Nisi fortè personalis fuerit liberatio, Nam (in-
quit Pomponius [l]) tale legatum, Hæres meus à solo Lucio Titio ne petito: ad hæredem Lucij Titij
non transit, si nihil viuo Lucio Titio aduersus testamẽtum ab hærede, eo quòd ab eo exigere debi-
tum tentauit, sit commissum. Quoties enim cohæret personæ id quod legatur, veluti personalis 6
seruitus, ad hæredẽ non transit. Idq; etiam in pactis verum esse constat [m]. ¶ *Potest hæres.*] Non mo-
dò ipsius testatoris, sed nec ipsius hæredis hæres, aut alius deinceps. Idq; nullam habere dubitatio-
nem Celsus [n] ait. ¶ *Nec ab alio, qui hæredis loco sit.*] Veluti bonorum possessore. Multo minus à fide-
iussore. Omnino enim qui à reo petere vetitus est, à fideiussore petere non potest: quanquam è di-
uerso à fideiussore damnatus non petere, à reo petere possit, vt docet Pomponius [o]. ¶ *Potest à de-
bitore conueniri.*] Hæres scilicet ipsius testatoris. Et omnino quidem cõueniri debet, vt liberetur hic 7
legatarius. neque enim per legatum ipso iure liberatio contingit, sed opus est facto hæredis: vt ob-
ligatio à duobus contracta, à duobus dissoluatur. ¶ *Vt liberet eum.*] Vel acceptilatione, vel pacto, 8
iuxta Vlpiani distinctionem, quam ipse his verbis tradit [p]: Si quidẽ mihi liberatio sit relicta, cùm
solus sim debitor, siue à me petatur, exceptione vti possum: siue non petatur, possum agere, vt libe-
rer per acceptilationem. Sed & si cum alio sim debitor, puta duo rei fuimus promittendi, & mihi 9
soli testator consultum voluit, agendo consequar, non vt accepto liberer, ne etiam correus meus li
beretur contra testatoris voluntatem: sed pacto liberabor. Sed quid si socij fuimus? Videamus an 10
per acceptilationẽ debeam liberari. Quod magis est. alioqui dum à correo meo petitur, ego inquie
tor. Et ita Iulianus libro vigesimosecundo Digestorum scribit: Si quidem socij non fuimus, pacto
me debere liberari. si socij, per acceptilationem. ¶ *Potest etiam quis.*] Videtur id sumptum ex re-
sponso Pomponij, qui ait [a]: Potest hæres damnari vt & ad certum tempus nõ petat à debitore suo. 11
Vnde apparet, multò magis damnari posse, vt ad tempus nõ petat à debitore ipsius testatoris. Ad-
dit quoque Pomponius, Hæredem interea non cogi liberare debitorem. Sed & si interim debitor
decesserit, peti nõ posse intra id tempus ab hærede eius. ¶ *Ad tempus.*] Propter hanc liberam præ-
stituti temporis, quo nihil petetur, vsuram, minui videtur vis obligationis, quæ interim veluti
suspenditur. Atque eo quidem nomine vtile est legatum. Quod trahi potest & ad commodũ mu- 12
tati loci. Vt si cùm Romæ soluere deberes, legauerim tibi libertatem soluendi domi tuæ. Item & ad
remissam vnam obligationis causam, quantumuis alia adhuc supersit. Vt si pro filio pater fideius-
serit: potest eum liberare testator, duntaxat quasi fideiussorem: eoque nomine vtile erit legatum,
etiam si quasi pater maneat adhuc obligatus de peculio [b]. Sed & proculdubio vtile est legatum,
quo liberantur parte obligationis, vel debiti [c].

a dict. l. non solum.
b L. 3. §. vlti. cum le. seq D. de lib. leg.
c L. 3. de libe leg. l. seruum filij. §. cũ qui. de leg. 1. l. qui chirographum de leg. 3.
d L. 2. de pact.
e L. 3. de pact.
f L. 1. de libe. lega.
g d. l. 1. et l. apud Iulianũ. §. si Titius. de le. 1.
h L. non solum autẽ. §. vlt. l. si id quod mihi deberes. de libe leg.
i dict. §. si Titius.
k L. fideicommissa. §. si rem. de lega. 3.
l L. non solũ nostrum §. tale legatum. de libe. leg.
m L. iurisgentium §. pactorum l. si tibi decem §. si quis paciscatur. de pact.
n L. 2. de libe. leg.
o dict. l. 2.
p L. 3. §. nunc de effectu. de libe. lega.
a L. non solum debitorẽ. §. 1. de libe. leg.
b L. si quis reũ. §. vlt. de libe lega.
c L. non solum autem. de libe. lega.

§. *Ex contrario.*

1 Si legetur non quantitas sed species debita, cur vtile sit legatum.
2 Cur & legatum rei ex stipulatu debita sit vtile?
3. 4. 5 Debitum legatũ, cur & quando possit esse vtile?
6 Legatum sine lucro non valet.
7 Repræsentationis commodum quale?
8 In dote relegata quid iuris?
9. 10 Repræsentare quid?
11 Paulus I. C. à Iustiniano notatus.
12 Quæ semel rectè constituta sunt, durant.
13 An casus superueniens, legatum prius rectè constitutum subuertere possit?

Ex contrario, si debitor creditori suo, quod debet, legauerit: inutile est legatum. si
nihil

nihil plus est in legato, quàm in debito: quia nihil amplius per legatum habet. Quòd si in
diem vel sub conditione debitum ei, purè legauerit: vtile est legatum, propter repræsen-
tationem. Quòd si viuo testatore dies venerit, vel conditio extiterit: Papinianus scripsit,
vtile esse nihilominus legatum: quia semel constitit, quod & verum est. Nō enim placuit
sententia existimantium extinctum esse legatum, quia in eam causam peruenerit, à qua
incipere non potest.

¶ *Ex contrario.*]Hunc locum apertius explicat Paulus his verbis [a]: Cōtrà autem si debitor cre- *a L. legaui. §. vlti. de*
ditori leget, nullam vtilitatem video, si sine quantitate legauerit. Sed & si id demōstret, quod de- *libe. lega.*
bere se confitetur, nulla vtilitas est, nisi in ijs speciebus, in quibus emolumentum debiti amplia-
tur. Quòd si centum aureos, quos se debere dixit, legauerit, si quidem debet, inutile est legatum.
Quòd si non fuerit debitor, placuit vtile esse legatum. ¶ *Si debitor.*] Nempe certæ quantitatis.
Nam de huiusmodi debitore hic agi videtur. Et si legaretur species debita, non posset non esse vti-
1 le legatum, vel propter pariorem dominij translationem. Sic enim scribit Vlpianus [b], Si rē quis *b L. si mulier. §. si rē.*
debeat ex stipulatu, eius, cui rem legauerit, fideicommittere non poterit: licet ex legato commo- *de lega. 3.*
dum sentire videatur, quòd dominium nanciscatur statim, nec expectet ex stipulatu actionem.
Fortasis quis dicat & sumptum litis, quem sustineret, si ex stipulatu ageret, eum lucrari. Sed & a-
2 lio loco refert idem Vlpianus [c], Marcellum putare, si mihi legaueris rem, quam ex stipulatu mihi *c L. si creditor. §. Mar*
debes, vtile esse legatum, vt neque Falcidia hoc minuat. ¶ *Inutile est legatum.*] Ipsi nempe legata- *cellus.*
3 rio, qui creditor est. Cæterùm alteri potest aliter vtile esse. Nam si duobus hæredibus institutis, al-
terum ex ijs damnauerit creditori soluere debitum, quod ei legat: valet legatum propter cohære-
dem: eumque ex testamento acturum, vt creditori soluat alter cohæres, respondit Vlpianus [d], at- *d L. non solū aute. §.*
que etiam Caius [e]. Et vbi hoc mandasset testator alia, quàm legati, forma, competere familiæ er- *1. in fi. de libe. lega.*
ciscundæ iudicium in eam rem Papinianus [f] ait. Sed & ipsi creditori potest vtile esse legatum, sal- *e L. seruo legato. §. si*
4 tem ad interrumpendam nominis præscriptionem [g], fortè inchoatam à debitore. itemque ad ma- *testator. de lega. 1.*
iorem probationem ipsius debiti, quasi iam confessi: nisi sanè suspicio esset, id prætexuisse testato- *f L. filius nupta. §. Pa*
rem in fraudem legem prohiberi. Tum enim aliter esset probandum, quod dicitur debitum [h]: nec *pinianus ait. D. fam. er isc.*
proderit color quæsitus in fraudem legis [i]. ¶ *Si nihil plus est in legato.*]Paulus hanc conditionē pau *g L. cū notissimi. § sed*
lò aliter extulit, his verbis [k]: Si neq; modo, neque conditione, neque loco debitum differatur, inu *& si iam aeitorum.*
5 tile est legatū. Tradiderat autem prius Vlpianus [l], Si creditori meo, tutus aduersus eum exceptio- *C. de præs. r. p. 30. vel 40. anno.*
ne, id quod ei debeo, legem: vtile esse legatum, quia remissa exceptio videatur. Aristo quoque ait; *h L. qui testamento. de pro.*
Si id quod Honoraria actione mihi debetur, legetur mihi: legatum valere, quia Ciuilis mihi datur
actio pro Honoraria. Sed totum hunc locum plenius & apertius explicat Iulianus: qui cùm re- *i L. Sulpitius. de don. inter vir. & uxor*
spondisset vtilem esse fideiussoris liberationem testamēto relictam, & adhuc quæreretur; an quia *k L. fin. aute. de le. 1.*
mandati actione alioqui hæredes ei tenerentur, inutile legatum esset, quemadmodum inutile le- *l L. si creditori. de lega. 1.*
gatum est, quod debitor creditori suo legat, respondit [m]: Quoties debitor creditori suo legaret, ita
inutile esse legatum, si nihil interesset creditoris ex legato* potius agere, quàm ex pristina obliga- *m L. si debitor. de libe. leg.*
tione. Nam & si Titius mandauerit Mæuio, vt pecuniam promitteret, deinde liberari eum iusse- ** al. testamento.*
rit à stipulatore: manifestum est, quantum intersit promissoris, liberari potius, quàm præstare ex
stipulatu, deinde mandati agere. Hæc Iulianus. Non est autem facile proponere exemplum, vbi
non plus aliquid sit in legato, cùm id etiam bodie habeat ius hypothecæ, & actionem bonæ fidei
(saltem vt ex mora fructus debeantur) nisi fingamus, debitam præsenti die certam quantitatem
ex contractu bonę fidei addita bonorum hypotheca: eamque simpliciter creditori legatam. Tum
6 enim demum legatū videbitur inutile, in quo nihil plus est, quàm in debito. ¶ *Vtile est legatum.*]
Ideoque & fideicommisso potest onerari. Sic enim respondit Paulus [n]: Si quis creditori suo legaue *n L. si deportati §. vl. de leg. 3.*
rit id quod debet, fideicommitti eius non poterit, nisi si commodum aliquod ex legato cōsequa-
tur: fortè exceptionis timore leuatus, vel si quid in diem debitum fuerit, vel sub conditione. Sed &
in hoc legato vtili erit locus Legi Falcidiæ. Si enim (inquit Paulus [o]) propter repræsentationis cō- *o L. 1. §. si quis credi-*
modum vtile erit: Lex quoque Falcidia in eo commodo locum habebit. ¶ *Propter repræsentatio-* *tor. D. ad leg. Falc.*
7 *nem.*]Hoc est, præsentem solutionem: cuius adeò non spernitur commodum, vt etiam eius nomi-
ne posit competere Pauliana actio [p]. Neque verò hic legatarius tantum petet ex testamento com- *p L. ait prætor. §. si cū in diem. ae ijs quæ in fraudcre.*
modum repręsentationis, aut ęstimationem vtilitatis eius medij temporis; sed petet totum, quod
relictum est. Qua in re consenserunt duo maximi Iurisconsulti, Papinianus & Paulus: vel potius *a L. verbū legati D.*
præceptoris sententiam probauit discipulus· extantque eorum responsa [a]. Addit autem Paulus, *ad leg. Falc. l. debitor.*
8 idem esse responsum in dote relegata: totam scilicet eam ex testamento peti posse. Nam nec aliter *de lega. 2.*
licet consequi vsuram medij temporis: quia nec pecunia peti potest, quæ legata non est: nec pars
rei facilè inuenietur, quæ peti posit pro commodo. Cæterùm vbi debitor creditori legasset plus re
9 vel quantitate, id solum ex testamento petetur, quod amplius est in legato quàm debito. Propriè
autem repræsentare est, ante diem soluere, quod Græci dicūt προκαταβάλλειν. Verùm & id quod pu-
rè debitum est, si præsenti statim pecunia soluatur, repræsentari dicitur. Sic Tranquillus scribit Au
gustum summam Legionarijs legatam iussisse repræsentari. Generaliter deinde cœpit hoc ver-
10 bum significare omnem accelerationem. Vnde Tullius ad Atticum lib. 16. Mihi quidem (inquit)
videntur istorum animi incendi ad repræsentandam improbitatem suam. Et Curtius lib. 5. reprę-
sentare consilium dixit, pro, ante tempus exequi. ¶ *Papinianus scripsit.*] Verba Papiniani, quæ ex-
tant in Pandectis, sunt hæc [b]: Quòd si dies aut conditio legatum fecerit: non vtilitatis æstimatio, *b d. l. verbū legati.*

ſed totum petetur quod datum eſt: nec ſi viuo teſtatore dies venerit, aut conditio fuerit impleta,
fiet irritum, quod ſemel competit. ¶ *Non cum placuit ſententia exiſtimantium.*] Videtur hic Iuſtinia 11
nus notare Paulum. qui refragatus eſt ſuperiori Papiniani ſententiæ: idque notari debuerat, cùm
a dict. l. debitor.
in Pandectas referretur Pauli reſponſum. extat [a] enim his verbis: Debitor decem legauit credito-
ri, quæ ei poſt annum ſub pignore debebat: nõ medij temporis tantum commodum ex teſtamen-
to debetur, ſed tota decem peti poſſunt: nec tollitur petitio, ſi interim annus ſuperuenit. Nam ſuf-
ficit, quod vtiliter dies ceſſerit. Quòd ſi viuo teſtatore annus ſuperueniat: dicendum erit inutile ef-
fici legatum, quanquam conſtiterit ab initio. Hæc Paulus: cuius poſteriorem ſententiam hic Iuſti-
nianus improbat: quia cauſa, quæ ſuperuenit, magis adiuuet, quàm impediat legatum. Nec alio-
qui nouum eſt, vt quæ ſemel rectè conſtituta ſunt, durent; licet ille caſus poſtea extiterit, à quo ini- 12
b L. in ambiguis. 1. §. nõ eſt nouũ. de reg. iu.
tium capere non potuiſſent [b]. Certè vbi caſus ſuperueniens aliò tenderet, fortaſsis poſſet aliquan- 13
do ſubuertere legatum prius rectè conſtitutum. nec deſunt eius rei exempla in Iure [c] Ciuili.
c L. 3. de ijs quæ pro non ſcrip. hab. l. quia in eũ. D. ad leg. Aqui.

§. *Sed ſi vxori.*

1 *Legatum dotis qui plenius ſit quàm de dote actio?*
2 *Dotis reſtitutio aliter olim fiebat, aliter fit hodie.*
3 *Legatum dotis tantùm in dote mobili relegata vtile eſſe.*
4 *Maritum lucrari dotis fructus, dilationis anno perceptos, falſum eſt.*
5 *Legatum dotis non niſi per legem Falcidiam minui.*
6 *Item tollit pacta doti aſcripta.*
7 *Quod hic in legato dotis traditur, locum habere & in ſtipulatione dotis.*
8 *Legatum dotis incerta quantitate à patre relictum, ſpeciali iure valere.*
9 *Si non extat corpus demonſtratum, legatum eſt inutile.*
10 *Vtrum dotem, an verò quæ inſtrumento dotali conſcripta ſunt, reddi teſtator iuſſerit, quid interſit?*
11 *Reddere quid ſignificet?*

Sed ſi vxori maritus dotem legauerit, valet legatum: quia plenius eſt legatum, quàm de dote actio. Sed ſi quam non accepit dotem, legauerit: Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt, ſi quidem ſimpliciter legauerit, inutile eſſe legatum: ſi verò certa pecunia, vel certum corpus aut inſtrumenta dotis in relegando demonſtrata ſunt, valere legatum.

d L. vlt. de do. releg.
¶ *Dotem legauerit.*] Nihil refert, vtrum dos expreſsim legetur, an id, quod vxor dedit [d]. Quòd
autem Aloander in ſuis libris maluit dotem relegatam dici, quàm, vt vulgò, prælegatam, quibuſ-
dam eruditis non placet. Certè ita hoc legatum intelligimus, vt vxor dotem recipere (inquit Vlp.)
non accipere videatur: vt quæ poſt obligationem iam contractam legetur. ¶ *Quia plenius eſt lega-*
e L. 1. de dote releg.
tum.] Nempe (inquit Vlpianus [e]) in commodo repræſentationis. Nam alioqui dos non niſi an- 1
nua, bima, trima, die reſtituebatur, in ijs quæ pondere, numero, vel menſura conſiſtunt. Et nouo
f L. 1. §. exactio. C. de rei vxo. act.
iure, dotis mobilis reſtitutio ad annum differtur [f]. Datur enim ea libera mora marito, vel eius hæ- 2
redi ad colligendas res dotales, ſi mobiles ſint. quæ plerùnque diſperſæ non ita ſunt ad manum vt
immobiles, certo ſemper loco conſiſtentes: quas & ideo ſtatim ſoluto matrimonio repræſentari
voluit Iuſtinianus. Itaque hac in parte nihil commodi attulerit legatum: ſed totũ eius emolumen 3
tum ex repræſentatione eſt in dote mobili relegata. Nihil hîc addo de fructibus: quia falſum eſt,
quod vulgus exiſtimat, maritum vel eius hæredem, lucrari fructus dotis, qui percipiuntur toto il- 4
lo dilationis anno. Reuera enim hoc ei ſpacium indultum fuit ex quadam humanitate, ad liberio
rem ſolùm perueſtigationem mobilium rerum: quas poſt annum cum fructibus omnibus à tem
pore ſoluti matrimonij perceptis reſtitui debere, verius eſt: etiam ſi non agatur ex legato, ſed rei
vxoriæ actione. Porrò autem eſt & aliud, in quo plenius legatum dotis videri poſsit: nempe quòd
id non aliter minuatur, quàm per Legem Falcidiam. quæ in illo repræſentationis commodo lo- 5
g L. 2. §. idem Iulianus. de do. releg.
cum habet [g]. At dotis actio non poteſt exigere ſemper ſolidum, nec plus quàm reus commodè fa-
h L. etiã. D. ſolu. mat.
cere poteſt, ſiue is maritus ſit, ſiue communis filius, mariti hæres [h]. Poſtremò etiam alia vtilitas hu-
ius legati eſſe poteſt, quòd tollat pacta doti aſcripta non omnino mulieri commoda. Nam ijs ſta- 6
i L. 1. de do releg.
re non tenebitur mulier dotem petens ex legato [i]. ¶ *Si quam non accepit.*] Idem & ſi quam acce-
perat, iam reſtituerit, aut caſu amiſerit. Nam & tum perinde legatum dotis ſimpliciter relictæ
k dict. l. 1. §. pen.
euaneſcit, ac ſi corpus, quod non extat, fuiſſet legatum [k]. ¶ *Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt.*]
l L. legaui. in fi. de libe. lega.
Paulus [l] hanc diſtinctionem ait contineri in reſcripto Diui Pij. eamque probat ex Alpheno Varo,
m L. cũ ſcriptum. de dot. rele.
& ex Seruio Iabolenus [m], & ex Iuliano Vlpianus [n]: aſtipulanturque poſteriorum Principum Con 7
n L. ſi ſic legatum. §. 1 de lega. 1.
ſtitutiones [o]. Et quod hic in legato dotis traditur, locũ habere in ſtipulatione dotis, Pomponius [p]
o L. 3. C. de fal. cau. adiect.
tradit. Nec in dote modò, ſed & in omni re, quę legatur vt debita, idẽ obtinere Paulus docet [a], itẽ-
p L. ſi diuortio. de verbo. oblig.
que Vlpianus [b]. qui tamen admonet aliud eſſe in hoc legato; Decem, quæ mihi Titius debet, lego.
a L. legaui. de libe. le
quia multum intereſt inter falſam demonſtrationem, & falſam conditionem. ¶ *Simpliciter lega-*
b L. ſi ſic legatum. §. 1. de lega. 1.
uerit.] Non adiecta ſcilicet quãtitate certa vel ſpecie; ſic vt nullum intelligatur legatum dotis, quæ
c L. 1. C. de dot. pro.
nulla eſt, quæq; ex legato deberi non poſsit propter incertam & generalem legati formulã. quan-
quam ſanè ſpeciali quodam iure, vtile ſit dotis legatum à patre relictum incerta quantitate: ſicuti 8
& ſuſtinetur generalis promiſsio dotis ab eo facta [c], cuius eſt omnino dotare filiam. & facilè
conſtituetur certa quantitas ex dignitate familiæ patris & ſponſi. ¶ *Inutile eſt legatum.*]
Niſi

Nisi videlicet is, qui agit, probet datam dotem [a]. Neque enim ad hæredem pertinet prius probare non datam. ¶ *Certa pecunia.*] Hoc est, certa quantitas: cuius non facilè euanescit legatum, cùm eius genus perire nequeat. At vbi legata esset pecunia vt certum corpus, omnino videbitur lega-
9 tum certum corpus. de quo mox ait Iustinianus. Etsi non extet corpus demonstratum, legatum erit inutile. Nam & si (inquit Vlpianus [b]) quis ita legauerit; Centum, quæ in arca habeo, aut quæ ille apud me deposuit, si nulla sint, nihil deberi constat, quia nulla corpora sunt. ¶ *Instrumenta dotis.*] Certam videlicet quantitatem vel corpus exprimentia: vt hac relatione certum esse videa-
10 tur legatum: omninoque debeatur, quod instrumento continetur. Sic rescriptum est [c]; Multum interesse an dotem reddi; an quæ instrumento dotali conscripta sunt, in testamento testator iusserit maritus: quia priore casu non petatur, nisi quod datum probatur: posteriore verò (nihil nocente falsa demonstratione causæ in instrumento adiectæ) quod significatum est instrumento, peti posse. Portò ne cui scrupulum moueat verbum reddendi, adijciendum hìc est Celsi responsum, quod extat his verbis [d]: Cùm quidam vxori suæ dotem reddidisset, & quadraginta ea legare voluisset, & quanquam sciret dotem ei redditam, hoc tamen prætextu vsus esset, quasi dotis redden-
11 dæ nomine eam summá legaret: existimo deberi quadraginta. Etenim verbum reddendi, quanquam significationem habet retrodandi, recipit tamen & per se dandi significationem.

a L. 3. & vlti. C. de fal. cau. adiect.
b L. 1. §. adeo. de da. rele.
c L. 1. C. de fal. cau. ad.
d L. cum quidam vxori. de lega. 2.

§. *Si res legata.*

1.12. Certa species legata si perit, legatario perit.
2 Quid si simpliciter legata Quantitas?
3.9.10. Sine facto hæredis, quid?
4.6. Mora hæredem semper obligat.
5 Ob seruum ab alio interfectum, an legatario hæres teneatur?
7.8. In mora hæredis quid spectandum.
11 Nemo in alterius fraudem liberalis; sed iustus esse potest.
13.14 Hæres legatario an negligentiæ nomine teneatur?
15 Cur hæres serui manumissi solam præstet æstimationem legatario?
16 Cur nihil intersit, sciuerit an ignorauerit hæres?
17 In pari causa errorum potior est damni vitandi ratio.

Si res legata sine facto hæredis perierit: legatario decedit. Et si seruus alienus legatus, sine facto hæredis manumissus fuerit: non tenetur hæres. Si verò hæredis seruus legatus sit, & ipse eum manumiserit, teneri ipsum Iulianus scripsit: nec interest, sciuerit an ignorauerit à se legatum esse. Sed & si alij donauerit seruum, & is, cui donatus est, eum manumiserit: tenetur hæres, quamuis ignorauerit, à se eum legatum esse.

¶ *Si res.*] Hoc est, certa aliqua species. Nam & Pomponius, ex cuius potissimùm responsis hic locus sumptus est, modò certi corporis meminit [e], modò certi hominis legari [f]. Vlpianus quoque fundi meminit [g]. Idem autem fuerit & de quantitate, si ea debeatur ratione certæ speciei. Sic
1 enim scribit Vlpianus [h]: Si tibi seruus legatus fuerit: & petitum à te vt Titio aliquid præstares vsque ad precium serui: deinde seruus decesserit: nihil fideicommissi nomine præstare cogendus eris. Cæterùm vbi simpliciter esset legata quantitas: nullam liberationem tribuere potest vllus ca-
2 sus fortuitus, etiam ante moram: quoniam genus perire nequeat [i]. Itaque & si deberetur genus quod omnes suas species complectitur, nullus casus liberabit debitorem. Si tamen conclusum esset genus certis speciebus, veluti, Lego centum ex argento, quod habeo, potest perire legatum, si omnes illæ species pereant. vt si omne argentum testatoris sine culpa hæredis & ante eius moram, interierit, nihil debebitur [k]. Sanè vbi seruo legata esset libertas hac conditione, Si mihi hæredi suum daret vicarium: rescriptum est, eum à me manumissum, non liberari interitu eius vicarij etiam si in mora non fuerit: sed nihilominus æstimationem præstandam [l]. Quod trahi potest & ad alias eiusmodi legatorum conditiones.

¶ *Legata.*] Idem & si foret promissa [m]. Nam & Pomponius hunc locum tractans coniungit causam legati & stipulationis [n]: & alio loco generaliter loquitur [o] de eo, quod dari oportebat: quasi hic parum intersit ex qua tandem causa res debeatur. Sanè & si ex contractu innominato debeatur, idem iuris esse constat [p]. Imò & si quid oportebat fieri, veluti hominem iudicio sisti [a].

3 ¶ *Sine facto.*] Hoc est, sine vlla mora, aut culpa. Nam alioqui omnino teneretur hæres: nempe si vel interpellatus non dederit, vel aliquid aliquando fecerit, quo minus dare posit [b]. Itaque condemnabitur non secus, atque si dare posset [c]: ne ei sua prosit frustratio [d], aut inulta sit contumacia improbè ludificantis creditorem.

4 ¶ *Hæredis.*] Quòd si alius fecerit, ne res amplius posit præstari: primùm inspiciemus, an hæres fuerit in mora. Nam ea semper obligaret hæredem [e]. Quòd si nec in mora, nec in culpa fuerit hæres, non tenebitur alieni facti nomine: sed legatario cedet aduersus eum, qui for-
5 tè seruum legatum interemit, suam actionem legis Aquiliæ. teneretur tamen hæres, si omnino in eius odium & inuidiam seruus esset interfectus. Tum enim æquum est, vt id præstet ipsi legatario [f].

e L. non amplius. §. 1. de lega. 1.
f L. si ex legati causa. de verb. oblig.
g L. cum res. §. vlt. de lega. 1.
h L. quidã testamento. §. si tibi de lega. 1.
i L. incendium. C. si cer. peta.
k L. in ratione 2. §. incertæ. D. ad le. Falci.
l L. cum quidam. C. de condit. inser.
m L. si Stichus. de verb. oblig.
n L. si ex legati causa. de verb. oblig.
o L. quod te. D. si cert. pet. cond.
p L. naturalis. § sed si scyphos. de præscrip. ver.
a L. 4. D. qui satisd. cog.
b d. l. quod te & dic. l. si ex legati causa.
c L. nemo rem suam. §. 1. de verb oblig.
d L. hominem. D. mand.
e L. cum res. §. vlt. de leg. 1.
f L. huic scripturæ. D. ad leg. Aqui. l. cum qui de peri. & il. rei vend.

¶ *Perierit.*] Nihil refert vbi res ante moram hæredis aut debitoris perijt, quomodo perierit,
quóve casu vel interitu. Sed si post moram perierit, nihílne etiam interest, quod ad debitoris obli-
gationem attinet? Certè Pomponius simpliciter dixit, detrimentum debitoris fore si res post eius 6
moram perierit [a]. & alijs tribus locis quibus hoc argumentum tractat, non distinguit in eo gene-
re, neque monet quærendum esse; vtrum res æquè apud creditorem perijsset, aut vtrum hic eam
tempestiuè distracturus fuisset. Sed alij Iurisconsulti id non prætermiserunt, cùm quidem intelli-
gerent non esse satis solam moram, vt eo statim nomine debitor semper teneatur re perempta: sed 7
videndum etiam esse, num ea mora damnum creditori dederit, quod sarcire debeat debitor. Ne-
que verò dissimulant fuisse inter veteres, præsertim Sabinianos & Proculianos hac de re contro-
uersiam. Sed cùm eam commemorant, sententiam tamen suam interponunt [b]. Sed & alijs locis
æquitatem illius suæ distinctionis sæpe commendant [c]. Nos itaque eam secuti dicemus, vbi res 8
perijt post moram debitoris, tum demum debitorem nihilominus teneri, si res apud creditorem,
si ei tempestiuè data fuisset, non itidem perijsset, sed potius maturè ab eo distracta fuisset, nihilve
esset, quod emptorem deterruisset. Vt si res perierit aliquo fortuito & inopinato casu, qui non
præuideri poterat. Cæterùm si res naturali interitu pereat, veluti equus senio: id non præstabit de-
bitor, quantumuis sit in mora. æquè enim res apud creditorem perijsset. neque enim eam videre
potuisset, iam eo vitio palàm laborantem, quod omnes emptores deterruisset. ¶ *Legatario dece-
dit.*] Omnino enim liberatur hæres, vt nec æstimationem vllam rei peremptæ præstare debeat [d].
¶ *Sine facto hæredis manumissus.*] Sic vt nec in mora fuerit hæres vel emendi prius serui, vel ad- 9
monendi domini, eum esse legatum, tempestiueque rogandi, vt venderet. Nam verisimile est do-
minũ huius rei prius admonitũ, non temerè fuisse manumissurũ, vt qui maluisset certum venditi
serui precium, quàm incertam manumissi gratiam. Sicque loquitur Paulus & de alieno seruo pro-
misso, cuius manumissione, debitorem non aliter liberari ait, quàm si ipse nihil fecerit: nec prius
moratus sit solutionem [e]. Pomponius quoque hunc locum tractans non aliter liberat hæredem,
quàm si per eum non steterit, quo minus daret [f]. ¶ *Non tenetur hæres.*] Id apertè quoque Pompo-
nius docet his verbis [g]: Si mihi alienum seruum dare promiseris, aut testamento dare iussus fueris,
isque seruus antequam per te staret quo minus dares, à domino manumissus sit: hæc manumissio
similis morti est. Si autẽ decessisset, nõ tenereris. ¶ *Si verò.*] Tota huius loci distinctio eodẽ recidit,
nempe debitorẽ nõ aliter liberari re perempta, quã si nec in mora fuerit, nec in culpa. Porrò autem
ratio eius distinctionis, quã hic proponit Iustinianus, proficiscitur ab eo, quod frequẽtius accidit.
Facilius enim & sæpius seruus alienus quàm noster, fit liber, sine facto nostro & eximitur com-
mercio. Quod & secutus est Paulus, qui eandem tradit distinctionem [h]. ¶ *Et ipse eum manumiserit.*] 10
Sic, vt omnino ipse fecerit, quo minus res legata possit dari. Cęterùm si sine eius facto seruus liber-
tatem consecutus esset: non magis tenebitur hæres, quàm si is fuisset alienus. Veluti si seruus ex
aliqua præcedenti causa factus sit liber, vt quia statu liber erat [i]: aut quia publicè ob iustum meri-
tum manumitteretur sine vllo domini facto, quod sæpe fit [k]. At si dominus ipse vltrò manumit-
teret, quantumuis promeritum, & hoc beneficio dignum: nõ liberaretur. neque enim in fraudem 11
alterius liberalis aut gratus esse potest. Potest tamẽ esse iustus. Nam si promeritum occiderit, non
tenebitur [l], nec in culpa esse videbitur, qui improbum seruum castigauit [m], si modò non sit delicto
maius supplicium. Omnino enim non excusamus culpam vllam, saltem quæ fuerit ipsius interi-
tus causa. Cæterùm si aliunde res interijsset: non obligaret ea dominum. Vnde Paulus [n], Is (inquit) 12
qui ex stipulatu Stichũ debet, si eum ante moram manumiserit, isq; priusquã super eo promissor
conueniretur, decesserit, non tenetur. Non enim per eum stetisse videtur, quo minus eum præsta-
ret. Ex quibus satis apparet, quo modo sit accipiendum, quod idem Paulus alio loco respondit [o];
Expeditum esse, debitorem teneri, si ante moram seruum occiderit. Sed non est expeditum, an si-
militer teneatur, si infirmum neglexit: quod Paulus ait à veteribus quæsitum, nec ipse satis per-
spicuè explicat. Sed tamen videtur sensisse, nõ teneri eius negligentiæ nomine. quia qui dare pro- 13
misit, solùm ad dandum teneatur, non etiam ad faciendũ, hoc est, non ad anxiam infirmi curam,
accersendósve solicitè medicos; vtpote qui rei promissæ adhuc sit dominus, possitque rem suam
liberius negligere [p]. Itaque nec eiusmodi negligentia imputatur venditori hæreditatis [a], modò
nullum habeat dolum aut improbam machinationem alterius fraudandi. Quod & trahi posse
videtur ad hæredẽ, cuius seruus alteri legatus est. Nihilominus enim hæres manet serui sui domi-
nus, donec eum tradiderit: id quod vel inde apparet, quòd interim possit ei conferre libertatem:
nec potuit testator sine domini facto transferre in legatarium, rei alienæ dominium [b]. Sed si ser- 14
uum suum proprium legasset testator, & ita eius dominium transierit recta via in legatarium [c]:
iustius hæredi imputabitur negligentia rei alienæ. quam & in realibus omnibus iudicijs præstan-
dam disertè Paulus fatetur. Nam possessor, à quo seruus vindicatur, tenetur etiam ad faciendum:
nec potest impunè alienum seruum, quem inuito domino detinet, negligere in fraudem domi-
ni [d]. Sanè etiam emptor, qui vult vti redhibitione, quia æquum est vt rem bona fide restituat, qua-
lem accepit, tenetur, si eam curatione egentem interim neglexerit [e].

¶ *Tenetur ipsum.*] Saltem vt manumissi serui iustam præstet æstimationem. quod apertè do-
cuit Martianus: ex cuius responso credidissem totum hunc locum petitum, nisi Iustinianus auto-
rem laudaret Iulianum. Martiani verba sunt hæc [f]: Cùm seruum suum hæres damnatus dare, eum
manumiserit: tenetur in eius æstimationem: nec interest, sciuerit an ignorauerit legatum. Porrò
autem cur hic sola præstetur æstimatio, non est obscurum: nempe quòd libertas semel seruo collata
eripi,

a dic. l. quod te.
b L. illud. de petit. hæred. l. si plures. §. vlt. de posit. l. item si verberatum. §. vlt. de rei vind. l. cum res. §. vlt. de leg. 1.
c L. item si cum. §. sed et si. Quod me. cau. l. si is qui. de iur. dot. l. 5. §. sed si acceperit. de cond. cau. dat. l. vlti. ad leg. Rhod.
d dic. l. vlti.
e L. si seruum. §. 1. de verb. oblig.
f L. si mihi alienum. de sol.
g dic. l. si mihi alienũ.
h dic. l. si seruum. §. 1.
i dic. l. si seruũ. §. item si homo.
k tit. Cod. quib. ex cau. ser. pro præ. lib. acc.
l L. quid ergo. § si hæres. de leg. 1.
m L. qui seruum. de verb. oblig.
n L. is qui ex stipulatu. de act. & oblig.
o dic. l. si seruum. de verb. oblig.
p L. in re mandata. C. mand.
a L. venditor ex hæreditate. §. precium. de hære. vel act. ven.
b L. ius nostrum. de reg. iur.
c L. à Titio. de furt.
d L. qui petitorio. §. qui in rem. l. si vero custodiendus. l. si homo. de rei vind. l. ei qui partem. §. cũ prædiu. de pet. hæred.
e L. quod si nolit. §. mancipia. de ædil. edict.
f L. si quis inquilinos. §. cum seruum. de leg. 1.

eripi, aut manumissio semel perfecta reuocari non possit. At vbi hæreditarius esset seruus, hoc est, ipsius testatoris: etiam si tantùm esset sub conditione legatus: interim hæres, licet dominus sit, prohibetur eum manumittere [a]: ne postea luctetur legatarius in reuocanda libertate. Potest tamen is seruus interim alienari [b]. Illud nunc admonēdi sumus, hæc saltem obtinere. vbi nominatim suum seruum legarit testator. Nam Iulianus [c] docet; Eum, qui rogatus est generaliter hæreditatem post mortem suam restituere, si seruum hæreditarium testamento suo liberum esse iusserit, ratam conferre libertatem: nec nisi serui precium restitui. Quod autem ait Paulus [d]; Heredem seruum proprium, quem testator legauerat, manumittendo nihil agere: quia scientiæ & ignorantiæ eius nulla admittatur ratio: omnino sic accipiendum est, vt si fuerit proprius hæredis seruus, hæres manumittendo nihil intelligatur agere, nempe vt se liberet: quia nihilominus saltem præstet æstimationem. Quòd si quis vrgeat apud Paulum potius quæri de libertate serui manumissi: non posset intelligi hæres manumittendo nihil egisse, nisi comminiscamur seruum fuisse proprium, non hæredi, sed ipsi testatori. ¶ *Iulianus scripsit.*] Non aliud reperio Iuliani scriptum, quàm quod Paulus [e] testatur; Iulianum putâsse eum teneri, qui cùm nesciret à se petitum codicillis, vt restitueret, manumisit. Et extat sanè adhuc in Pandectis ea de re Iuliani responsum, hisce verbis [f]: Si quis filium suum ex asse hæredem instituit, & codicillis, quos post mortem filij aperiri iussit, fidei eius commisit, vt si sine liberis decessisset, hæreditatem suam sorori suæ restitueret: & filius cùm sciret quid in codicillis scriptum esset, Stichum seruum hæreditarium testamento suo liberum esse iussit: hæredes filij precium eius serui sorori defuncti præstare debent, libertate fauore serui seruata. Hoc amplius, & si ignorasset filius codicillos à patre factos: nihilominus hæredes eius precium præstare debebunt, ne factum eius alteri damnum adferat.

a L. seruum qui sub conditione. de manumi. l. generaliter. §. 1. D. qui & à quib. manu.
b L. seruo legato. §. 1. de lega. 1.
c L. quidam § si quis filiũ. D. ad Sen. Treb.
d L. hæres seruum. D. qui & à quib.
e L. si seruum. §. de illo. de verb. oblig.
f L. quidam. §. si quis filiũ. D. ad Sen. Treb.

¶ *Sed & si alij donauerit.*] Hic locus descriptus est ex Martiano, qui ait [g]: Sed & si donauerit seruum hæres, & eum is cui donatus est, manumiserit: tenetur hæres, quamuis ignorauerit eum à se
16 legatum. Porrò autem cur tam in hoc quàm superiori casu nihil intersit, sciuerit an ignorauerit
hæres, aperta est ratio: nempe quòd nullo modo in eius potestate sit, sese suo facto liberare, simulque eludere honestam liberalitatem eius testatoris, à quo hæreditatem accepit. Nam & si hæres
rem legatam ignorans in funus consumpserit, legatario præstare debet indemnitatem [h]. At longè
aliud est. vbi quis seruum, quem indebitum accepit, manumisit. Nam si id fecerit sciens alienum
17 esse, præstat solidum serui precium. Si autem ignorans: non nisi quatenus factus est locupletior [i]:
vt in pari causa erroris potior sit damni vitandi ratio, iustiorque habeatur eius excusatio, qui propter alterius errorem, & ipse in iustum errorem pertractus est.

g L. si quis inquilinos. §. 1. de lega. 1.
h L. si hæres. de leg. 2.
i L. in summa. § si seruum. de cond. inde.

§. *Si quis ancillas.*

1.3. Si ancilla cum liberis legetur, cur duo legata sint, sublatoq; altero alterum debeatur?
2 Seruij I.C. opinio reprobata.
3.5. Cur partus ancillæ non dici debeat esse in fructu, neq; accessionis loco haberi?
4 Scropha legata cum suculis, cur hi sine illa non debeantur?
6 Coniunctim legata, si vnum perit, alterum tamen debetur?
7 Coniunctis accessoria quomodo à Principali discerni possit?
8 Quid si res disiunctiuè legatæ?
9.10. Interest, vtrum electio sit creditoris, an verò debitoris.
11 Quid si seruus ordinarius vicarijs suis legetur?
12 Cur seruis legatis, non contineantur & vicarij eorũ, cum & hi in peculio esse censeantur?
13 Perempto principali, perimitur & accessorium; & contra.
14 Vt bouis legati & mortui corium sic serui vestiti legati & mortui non debentur vestimenta.

Si quis ancillas cum suis natis legauerit, etiam si ancillæ mortuæ fuerint, partus legato cedunt. Idem est, & si ordinarij serui cum vicarijs legati fuerint: quia licet mortui sint ordinarij, tamen vicarij legato cedunt. Sed si seruus fuerit cum peculio legatus: mortuo seruo, vel manumisso, vel alienato, peculij legatum extinguitur.

¶ *Si quis ancillas.*] Extant duo responsa Pauli, ex quibus videri potest hic locus compositus.
5 Prius est hoc [k]: Etsi ancilla cum suis natis legata sit, etiam mortua eâ, vel alienata, vel manumissa.
nati ad legatarium pertinebunt: quia duo legata sunt separata. Alterius responsi verba sunt hæc [l]:
Si ancilla cum liberis legata sit: & ancilla sola, si non sint liberi: & liberi soli, si non sit ancilla, de-
2 bentur. Adijcitur deinde suffragantis Celsi, & contra tam Seruij opinionem improbantis. hoc re-
sponsum [m]: Si ancillas omnes, & quod ex ijs natum erit, testator legauerit: vna mortua Seruius
partum eius negat deberi, quia accessionis loco legatus sit: quod falsum puto. Nam nec verbis,
nec voluntati testatoris accommodata hæc sententia est. Cæterùm nemo addit rationem, cur di-
3 uersa & separata censeantur hæc esse legata. Nos verò rationem colligemus ex eo, quòd propter di-
gnitatem humanæ naturę, homo, vt non dicitur esse in fructu [n], ita nec accessionis loco haberi de-
beat [o]: etiam si partus, antequam edatur, mulieris portio sit, vel viscerum, vt ait Vlpianus [p]. In
4 brutis autem animantibus, vbi nulla est naturæ dignitas, rectius potest fœtus accessionis loco
haberi: vt legata scropha cum suculis. non debeantur suculi sine matre. Quam autem hic at-
tulimus singularem humanæ dignitatis rationem, eam petijmus ex Paulo, qui autores laudat
Ædiles

k L. 3. de pecu. legã.
l L. si ancilla. de leg. 1.
m L. si ancillas. de lega. 1.
n §. in pecudum. sup. de rer. diuisi.
o L. iustissime. de ædil. edict.
p L. 1. §. ex hoc. de vẽt. inspic.

a dict. l. iustissime. de ædil. edict.
b L. proinde. §. vl. de ædil. edict.
c L. 3. D. ad leg. Aquil.
d dic. §. vlt.
e L. in emptione fundi de contrah. empt.
f L. si quis inquilinos. §. si ita legatum. de lega. 1.
g L. Stichum aut Pamphilum. de solut.
h L. huiusmodi. §. Stichum. de lega. 1.

Ædiles & Pædium [a]. Cùm enim docuisset Vlpianus [b], cum re vendita, quæ redhibetur, simul red-
hiberi seruum, qui ei rei accesit, etiam si nullum in eo vitium fuerit: excussit diligentius Paulus,
ecquando seruos alteri rei posit accedere. Cuius quidem distinctio satis obscura est & confusè re-
lata: sed collatis alijs locis Iuris Ciuilis, satis apparet hanc esse sententiam: Propter humanę naturæ 5
dignitatem, non temerè intelligi seruum alteri rei accedere. Ideoque si qua res cum homine sim-
pliciter vænierit: non intelligi hominem accessionis loco venire, vt nisi ipse vitiosus sit, non posit
redhiberi. Cæterùm agi posse nominatim, vt homo etiam fundo accedat, contempta & veluti op-
pressa humanæ naturæ dignitate: quia non minus iuris habeat ferè dominus in seruum, quàm in
pecudem: adeò vt & Prætor seruum hoc nomine videatur conferre quadrupedibus [c]. Hancque
conuentionem ratam esse sensit Vlpianus [d], & disertè probauit alio loco Paulus [e], addens hic ni-
hil referre, quanti sit accessio, siue plus in ea sit, quàm in ipsa re, cui accedit, an minus. ¶ *Partus le-
gata cedunt.*] Qui scilicet æquè principaliter legari intelliguntur. Nam constat duabus rebus con- 6
iunctim legatis æquè principaliter, si vna perierit, nihilominus alteram deberi. Vt autem discerui 7
posit accessoria coniunctio à principali, non tam hęrebimus in formulis verborum, quàm intue-
bimur naturam & conditionem ipsius rei coniunctæ. Nam & Iurisconsulti [f] negligunt illud ver-
borum discrimen, quod hic quidam λεπτολόγοι comminiscuntur. Porrò quod attinet ad res disiun- 8
ctiuè legatas, velut, Stichum aut Pamphilum do, lego: siquidem electio sit creditoris: quandiu is 9
alterum non elegerit: debitor, qui nec in mora est, nec in culpa, omnino liberatur interitu alterius
speciei. Sed si debitoris sit electio, necdum elegerit: siue ante, siue post eius moram vna species per- 10
ierit, nihilominus præstabit alteram quæ superest [g]. Sed si iam alteram elegisset, eaque perierit sine
eius culpa vel mora, proculdubio liberabitur. Sic enim Iulianus ait [h]: Stichum aut Pamphilum,
vtrum hæres meus volet, Titio dato. si dixerit hæres; Stichum se velle date, Sticho mortuo libera-
bitur.

i L. 4. de pecu. leg.
k L. si in re. de noxa. act.
l L. quæsitum est. §. Celsus scribit. de fun. instruct.
m L. 1. de pecu. lega.
n L. 2. de pecu. lega.
o L. ex parte. §. duos filios. de fami. ercisc.
p L. 2. de penu lega.
a L. 4. de penu. lega.
b D. §. duos filios.
c L. tunc inutile. de pecu lega.
d L. aliter. de pecu. lega.
e L. mortuo boue. de lega. 2.

¶ *Idem est.*] Id sumptum videtur ex responso Caij, qui ait [i]: Sed & si cum vicarijs suis legatus 11
sit seruus, durat vicariorum legatum, etiam mortuo eo, aut alienato, aut manumisso. Vicarios au-
tem appellamus seruos inferioris notæ, qui sunt ipsorum ordinariorum seruorum serui [k]. ¶ *Ta-
men vicarij legato cedunt.*] Quantumuis enim maximè serui sint, homines tamen sunt. sed non pati-
tur humanæ naturæ dignitas hominem temerè in accessionem venire. vt iam dictum est. Vnde & 12
Celsus [l] scribit; Seruis, qui in fundo morarentur, legatis, vicarios eorum non contineri: cùm ta-
men aliud sit de reliquo peculio. quia scilicet id omnino est accessionis loco. Et quamuis vica-
rij in peculio quoque esse dicantur: tamen vbi de accessione agitur, propter superiorem ratio-
nem non continentur. Certè Tullius solet vicarios cum peculio coniungere, nec contentus est
sola peculij appellatione, vt in 3. & 4. Verrina. ¶ *Sed si.*] Petitus est hic locus ex Paulo, qui respon-
dit [m], Seruo legato cum peculio, eoq; alienato, vel manumisso, vel mortuo, legatum etiam pecu-
lij extingui. Et addit Caius hanc generalem rationem [n]: Nam quæ accessionum locum obtinent, 13
extinguntur, cùm principales res peremptæ fuerint. Cùm itaq; duos filios pater scripsisset hære-
des, & vni Stephanum com peculio prælegasset. isque viuo testatore manumissus decessisset: Re-
spondit Scæuola [o]; Id quod in peculio habuit Stephanus, priusquam manumitteretur, ad vtrosq;
filios pertinere: nempe quòd cùm Stephani seruitute peremptum fuerit prælegatum peculij, nec
aliud supersit ius quàm hæredis, quod erat vtrique commune. Porrò exemplo peculij scribit Mar-
tianus [p], Penu certa cum vasis certis legata, & consumpta, ne vasa quidem cedere legato. quod &
probat Paulus [a]. ¶ *Mortuo seruo.*] Viuo adhuc testatore: quod Scæuola [b] adiecit, & disertè tradit
Iulianus his verbis [c]: Tunc inutile legatum peculij fit, cùm seruus viuo testatore decedit. Cæterùm
si mortis tempore seruus vixerit, peculium legato cedet. Addit autem Celsus [d], Aliud esse, si seruus 14
vestitus legatus foret: quasi vestimenta nunquam debeantur sine corpore: vtpote cuius solius no-
mine peti possent: quemadmodum nec bouis legati, si is deinde mortuus sit, corium debetur [e].

1. 2. 3. 4. 5. Lego fundum cum instrumento: &; Lego fundum instructum, siue fundum & instrumentum quid differant?
6 Scrupuli & spinæ responsorum in Pandectis.

Idem est, si fundus instructus, vel cum instrumento legatus fuerit. Nam fundo alie-
nato, & instrumenti legatum extinguitur.

f L. si cui fundum. de fun. instr.
g L. quæsitum. §. sed si fundus. & §. supellex & §. supellectilē. de fun. instru.
h L. 3. C. de verb. sig.
i L. quæsitū. §. si fundus. de fun. instru.

¶ *Si fundus instructus, vel cum instrumento.*] Putauerat Labeo inter has duas legatorum formu-
las nihil interesse: sed Paulus annotauit discrimen [f]. quòd ex hac scriptura, fundum cum instru- 1
mento lego, si deinde fundum alienarit testator, nihil videatur legatum. At ex hoc legato, fun- 2
dum instructum lego. vel fundum & instrumentum, nihilominus debeatur instrumentum fun-
di alienati. Quod tamen accipiendum est de instrumento non tam ipsius fundi, quàm patrisfam. 3
quod non accessionis iure. sed ex vi verborum continebatur legato. Nam fundo instructo legato,
continetur quidem & tota suppellex [g], & quicquid ad vsum vel ornatum rei pertinet [h]: at non id,
quod solum ad tutandam rem habetur, proprieq. & specialiter appellatur instrumentum [i]. Ergo
cùm hic Iustinianus confert legatū fundi cum instrumento, cum legato fundi instructi, ne videa-
tur reiectam Labeonis sententiam stabilire, sic accipienda est eius collatio: nempe quòd non mi- 4
nus legato fundo instructo, quàm cum instrumento, perimatur cum re principali quicquid ac-
cessionis iure venit, hoc est, instrumentum, ipsius saltem fundi. Sed si quid ex vi & proprietate ver-
borum intelligatur additum, nihilominus debeatur, etiam sine fundo, iuxta superiorem Pauli
senten-

5 ſententiam: qui & quodam loco viſus eſt contuliſſe legatum fundi inſtructi, & legatum fundi cum inſtrumento, adijciens ſemper duo legara intelligi [a]. Sed non eſſe omnino aptam eius collationem ſatis oſtendunt vel ea, quæ ipſe ſubijcit, inquiens; Fundo cum ioſtrumento legato, & deinde alienato, inſtrumentum nō vindicari. Qua ratione docer non in telligi hic duo vera & æquè principalia legata, cuiuſmodi ſunt, legato fundo inſtructo: ex quo legato poſt alienationem fundi, deberi poſſe inſtrumentum, ſi non ipſius fundi, ſaltem teſtatoris, idem Paulus docuit. Vides le-
6 ctot, quos habeant ſcrupulos, & quàm moleſtas ſpinas, reſponſa Iutiſconſultorum confusè nimis & concisè in Pandectis telata.

a L. 1. de fun. inſtru.

§. Si grex legatus.

1.2. Vt bos ex grege toto legato ſuperſtes, ſic & legata inſula combuſta area vindicari poteſt.
3 Gregem conſtituunt animalia 10. minora, & 5. maiora.
4 Collegium in vno etiam capite ſeruari.
5.6. Gregis legatum comprehendit futurum quoque incrementum; & contra.
7 Corporum tria eſſe genera.

Si grex legatus fuerit, & poſteà ad vnam ouem peruenerit: quod ſuperſuerit, vindicati poteſt. Grege autem legato, etiam eas oues, quæ poſt teſtamentum factum gregi adijciuntur, legato cedere, Iulianus ait. Eſt autem gregis vnum corpus ex diſtantibus capitibus: ſicut ædium vnum corpus eſt, ex cohærentibus lapidibus.

1 ¶ *Si grex.*] Videtur bic locus deſumptus ex reſponſo Pomponij [b], qui ait. Si grex legatus di- b L. ſi grege. de lega. 1.
2 minutus ſit, & vel vnus tantùm bos ſuperſit, eum vindicari poſſe, quanuis grex eſſe deſierit: quemadmodum ſi inſula legata combuſta eſſet, area poſſet viodicari. Porrò autem hoc loco agi de legata gregis proprietate ſatis poſſumus colligere ex alio eiuſdem Pompooij reſponſo, quo tradidit [c]; c L. vlt. de quib. mo. vſufr. ami.
vſumfructum gregis legatum perire, ſi ita fuerit diminutus gegis numerus, vt grex amplius non
3 intelligatur. Sed vt grex intelligatur, oportet ſaltem eſſe decem minora animalia, vel quinq; ma-
4 iora [d]. Sanè collegium, licet ab initio tria ſaltem capira requirat, vt conſtituatur [e]: poſtea tamen d L. oues. de abige.
vel ad vnum redactum conſeruatur in vno capite, quod & nomen retinet, & priſtina iura [f]. e L. Neratius. de ver bo. ſignif.

¶ *Legato cedere Iulianus ait.*] Non puto extare hoc dictum Ioliani in vllo eius reſponſo: ſed ex- f L. ſicut. ad fin D. quod cuiuſque vni-
5 tat in Pandectis Vlpiani, qui ait [g]; Grege legato & quæ poſtea accedunt, ad legatarium pertinere. uerſ.
Modeſtinus quoque reſpondit [h]; Equitio legato, etiam ſi mora noo intercedat, incremento gre-
6 gis fœtus accedere. Generalius verò Pomponius [i], Si (inquit) ex toto fundo legato, teſtator partē g L. grege legato. de lega. 1.
alienaſſet, reliquam duntaxat partem deberi. quia etiam ſi adiecisſet aliquid ei fundo, augmen- h L. equis per fideicommiſſum. de vſur.
tum legatario accederet. ¶ *Eſt autem gregis.*] Pomponius [k] (ex cuius reſponſo videtur hunc lo-
7 cum tranſcripſiſſe Iuſtinianus) docet tria eſſe genera corporum. Primum, quod continetur vno i L. ſi ex toto. de leg. 1.
ſpiritu, & Græcè ἡνωμένον vocatur: vt homo, tignū, lapis. Alterum, quod ex contingentibus ſe, hoc k L. rerum mixtura. de vſuc.
eſt, ex pluribus inter ſe cohærentibus cōſtat, quod συνημμένον dicitur: vt ædificium. Tertium, quod ex diſtantibus conſtat: vt corpora plura non ſoluta, ſed vni nomini ſubiecta: veluti Grex, Populus.

1 Columnæ & marmora quid ſignificent?
2.3. Semel ædibus iuncta non poſſunt legari alteri.
4 Aedium legato continentur omnia ædibus iuncta.

Aedibus denique legatis, columnas & marmora, quæ poſt teſtamentum factum adiecta ſunt, legato dicimus cedere.

1 ¶ *Columnas & marmora.*] His verbis in vniuerſum veteres ſignificarunt omnia ædibus iuncta: quæ quidem adeò ædibus cedunt, vt & ſi alteri legata eſſent, aotequam coniungereotur, legatum
2 horum extinguatur, ſi poſtea ædibus à teſtatore iungantur [l]: & ſemel iuncta ooo poſſunt alteri le- l L. cætera. §. vlti. de lega. 1.
gari quàm ei, qui & ædes habiturus eſt, vt decreuit Senatus [m]. Hocque Senatuſconſultum (inquit m D. l. cætera in principio.
Paulus [n]) non rantùm ad ædes, ſed & ad balnea, porticus, tabernas, popinas, vel aliud quodlibet
3 ædificium extenditur. Et addit: Item prohibentur hæc legari, quæ nō aliàs præſtari poſſunt, quàm n D. l. cætera. §. hoc Senatuſcon.
vt ædibus detrahantur, vel ſubducantur, id eſt, marmora, vel columnæ. Idem & in tegulis, tignis,
4 vel oſtijs, Senatus cenſuit. Vnde appatet neceſsitate quadam iuris cedere legato ædium omnia ædibus iuncta.

§. Si peculium.

1 Peculium & creſcere & decreſcere poteſt.
2.3.4 Diſcrimen legatariorum parit diſcrimen ceſsionis.
5.6.7 Si ſeruo cùm manumittitur peculium non adimitur, cur videatur concedi?
8.9 Seruum, compenſare volentem impenſas cum debito domini, eſſe audiendum.
10 Legato vſuſructu cōtineri nonnunquam & proprietatem.
11 Reliqua: *Reliquari: Reliquator; quid?*
12 Reliquorum illatio eſt annexa redditioni rationum.

Si pecu-

Si peculium legatum fuerit: sine dubio quidquid peculio accedit, vel decedit viuo testatore, legatarij lucro vel damno est. Quòd si post mortem testatoris, ante aditam hæreditatem aliquid seruus adquisierit: Iulianus ait, si quidem ipsi manumisso peculium legatum fuerit: omne quod ante aditam hæreditatem acquisitum est, legatario cedere: quia huiusmodi legati dies ab adita hæreditate cedit. sed si extraneo peculium legatum fuerit: non cedere ea legato, nisi ex rebus peculiaribus auctum fuerit peculium. Peculium autem, nisi legatum fuerit, manumisso non debetur: quamuis si viuus manumiserit, sufficit, si non adimatur. & ita Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. Iidem rescripserunt, peculio legato, non videri id relictum, vt petitionem habeat pecuniæ, quam in rationes dominicas impenderit. Iidem rescripserunt peculium videri legatum, cùm rationibus redditis liber esse iussus est, & ex eo reliqua inferre.

¶ *Sine dubio quicquid peculio accedit.*] Nullo discrimine causarum, aut legatariorum. Nam id so- 1
lum quæritur post mortem testatoris, vt mox dicemus. Peculium autem, vt corpus quoddam, &
crescere & decrescere docet Martianus [a], itemque Papinianus [b], inquiens, Peculium legatum, &
augeri, & minui posse, si res peculij posse esse incipiant, aut desinant. ¶ *Iulianus ait.*] Vlpianus
verbosius refert & explicat hanc Iuliani distinctionem [c]: vt non parum lucis attulerit collatio: sed
nos eam relinquimus diligentiæ studiosi lectoris, cũ & in promptu sit, & nos molesti esse posimus
nimia sedulitate omnium describendorum. ¶ *Siquidem.*] Hæc Iuliani distinctio nata magis vi-
detur ex discrimine cedentis legati, quàm ipsorum legatariorum: quanquam sanè discrimen le-
gatariorũ pariat discrimen cessionis. Nos ergo meminerimus, cuicunque tandem peculium lega- 2
tum sit, eum consequi solidum peculium, quale quantunque fuerit tempore cedentis legati: sed
aliter cedere ipsi seruo, aliter alij legatario. Alij à tempore mortis cedit iuxta cõmunem iuris regu- 3
lã [d]: ipsi verò seruo, primùm ab adita hæreditate: quando & tum primùm cedit legatum libertatis. 4
idq; singulari beneficio iuris: quia alioqui non sibi, sed hæredi, cuius est interim seruus, acquireret:
vt nõ parum serui intersit, ne quod ei cum libertate relinquitur, prius cedat quàm libertatis lega-
tum. Est autem nominatim dilata legatæ libertatis cessio ad tempus aditæ hæreditatis, ne si ea
non adiretur, hæredes legitimi onerarentur grauiori lucta, & difficultate rescindendæ libertatis,
quæ semel competijsset. ¶ *Manumisso non debetur.*] Vnde & Iustinianus loquens de communi ser-
uo manumisso, inquit alio loco [e]: Peculium eius in omnes socios peruenire iubemus, ex partibus,
pro quibus quisque dominium serui posidet: licentia concedenda ei, qui libertatem moriens im-
ponit, etiam eius peculium, quod ei attingit, liberto concedere. ¶ *Sufficit si non adimatur.*] Huc er- 5
go pertinet, quod ait Paulus [f], Si Sticho peculium, cùm manumitteretur, ademptum non est, 6
videri concessum. Discriminis autem hæc esse potest ratio: quòd viui manumissoris maior esse vi-
deatur erga seruum affectio: vtpote cui vltrò tribuit summum libertatis beneficiũ, cùm posit eo
adhuc vti. quare non temerè intelligitur summã suam liberalitatem velle deformare ademptio-
ne peculij: quod si adimere voluisset, verbo indicare poterat. At non eadem est manumittentis te-
statoris gratia, nec ei animam agenti tam est integrum nominatim adimere peculium. ¶ *Et ita
Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt.*] Non puto extare horum Principum rescriptum: sed aliud
non disimile, quod tribuitur Diocletiano & Maximiano, extat his verbis [g]: Longè diuersam cau-
sam eorum, qui à superstitibus manumittuntur: illorum, quibus testamento libertas relinqui-
tur, esse, disimulare non debueras: cùm superiore quidem casu, concessum tacitè peculium, si non
adimatur: posteriore verò, nisi specialiter fuerit datum, penes successores remanere, iuris sit eui- 7
dentissimi. ¶ *Iidem rescripserunt, peculio legato.*] Huius rescripti meminit Vlpianus: & cùm aliter i-
psi respondisset, fatetur non esse suo responso locum, nisi vbi suffragatur testatoris voluntas: cuius
voluntatis iustam esse coniecturam putauit Scæuola, si solitus erat dominus vltrò rependere ser-
uo, quod is de suo in rem domini erogasset [h]. Sed & vbi seruus compensare vult, quod impendit, 8
cum eo, quod domino debet: audiendum eum putauit Vlpianus: vt plerunque admittitur com-
pensatio, vbi petitio non est [i]. Vlpiani verba sunt hæc [k]: Sicut æs alienum, hoc est, quod debetur do-
mino, minuit legatum peculium: ita per contrarium, id quod dominus debet seruo, augere debet.
Sed huic sententiæ aduersatur rescriptum Imperatoris nostri, & patris eius, quod ita est: Cùm pe-
culium seruo legatur, non etiam id conceditur, vt petitionem habeat pecuniæ, quam se in ratio-
nes domini impendisse dicit. Quid tamen si hæc voluntas fuit testatoris, cur non posit consequi? 9
Certè compensari debet, hoc, quod impendit, cum eo, quod domino debetur.

¶ *Iidem rescripserunt peculium videri.*] Huius quoque rescripti meminit Vlpianus, & id interpretatur his verbis [l]: Interdum & si non sit legatum peculium: velut legatum, sic accipitur: vt est in huiusmodi specie. Quidam seruo suo libertatem, si rationes reddidisset, dederat, & si hæredibus centum intulisset. Imperator igitur noster cum patre rescripsit, peculium quidem nõ nisi legatum deberi: verum (inquiunt) si conditionibus præscriptis paruerit seruus, testatorem voluisse eum retinere peculium interpretamur: nempe quòd de peculio iusserat eum centum inferre.

¶ *Peculium videri relictum.*] Huius coniecturæ aperta est ratio, quòd alioqui nõ posset seruus de
peculio suo soluere, quæ debet ex rationibus dominicis, nisi peculium sibi retineat. Et testator, qui
sola reliqua nominatim excepit, non potest videri de cæteris rebus, quæ in peculio essent, sensisse,
vt ait Neratius [m]. Hucque pertinet, quod aliquando legato vsufructu contineatur proprietas: 10
nempe

a L. peculium nascitur. de pecul.
b L. peculium. de lega. 2.
c L. denique. §. vtrum autem. de pecul. leg.
d L. vnica. §. cùm igitur. C. de cadu. tollen.
e L. vnica. §. sed ne circa. C. de comm. ser. manu.
f L. si Sticho. de pecul.
g L. vnica. C. de pecu. eius qui libe. m. e.
h L. dominus Sticho. § testamento. de pecu. leg.
i L. sicut filio. l. etiam quod. de compen. l. ait Prætor. §. pupillus. de neg. gest.
k L. si peculium legetur. §. sicut. de pec. leg.
l L. denique. §. interdum. de pecu. legat.
m L. quæsitum. §. deuiq. Neratius. de fun. instru.

nempe si is, cui vsusfructus relictus est, post mortem suam inbeatur rem alteri restituere. Namque
id testatorem voluisse apparet, cùm aliter non posit conditio impleri à legatario. Idque etiam ii-
dem principes rescripserunt[a]. ¶ *Rationibus redditis.*] Quòd si rationes reddi, simpliciter vetuerit
testator: non ideo videbitur legatum peculium, sed hoc tantum, ne scrupulosa in seruum inquisi-
tio fiat[b]. Vnde & cùm quidam ita scripsisset, *ὅσους κατέλιπον ἐλευθέρους, καὶ λήγατα αὐτοῖς, τούτους βούλο-
μαι εἶναι ἀνεξετάστους.* [quibuscunque libertatem reliqui, & legata, hosce volo excutiendis rationi-
bus solutos esse.] & quęsitum esset, an peculia quoque legata viderentur: respondit Scæuola[c], non
11 videri legata. ¶ *Reliqua inferre.*] Hoc est, ex peculio persoluere, quæ rationibus redditis apparue-
rit eum domino debere. Ita enim appellantur reliqua, quæ supersunt exoluenda. Vnde & in iure
nostro frequens est verbum, Reliquari[d], & Reliquator[e]. Demosthenes in oratione contra Andro-
12 tionem, & Iustinianus in suis Nouellis, appellant *ἐλλείμματα*, Galli, *arrierages*. Porrò autem reliquo-
rum illatio & persolutio, omnino annexa est redditioni rationũ: nec eæ aliter redditæ videntur[f].
Et licet dominus seruos, quos manumittit, testamento liberet à rationibus reddendis: non pote-
runt ideo reliqua rationum, quasi legata, retinere[g].

a L. vlt. de vsufr. ea. rer. quæ vsu. consu.
b L. si seruus vetitus. de lega. 1. l. Than. §. Titius Sticho. de fidei com. liber.
c L. dominus Sticho. § seruis. de pecu. leg.
d L. Lucius Titius. de admi. tut.
e L. creditor. de solut. l. rescripto. de mu. & hon.
f L. non solum. §. is qui reddere. de liber. leg.
g dic. l. dominus Sticho. §. seruis. de pecu. leg.

§. *Tam autem.*

1 *Et corpora legari omnia, & iura & seruitutes possunt.*
2 *Seruitutis legatum esse indiuiduum.*
3 *Cur nec vsus nec vsusfr. itineris legari possit?*
4 *Personalis seruitutis seruitutem personalem esse posse.*
5 *Et nomen debitoris, & ius litigiosum, legari posse.*
6 *Emolumentum legati nominis.*
7 *Exigere quid?*
8 *Ex actione perimi nominis legatum, quò praeterea trahi possit?*
9 *Confusione perinde ac solutione extingui nomina.*
10. 11. *Legati, aliquid faciendi, vis quæ?*
12 *Facta non admittere diuisionem.*
13 *Munus in specie pro munere gladiatorio vsurpatum.*

Tam autem corporales res legari possunt, quàm incorporales: & ideò quod defun-
cto debetur, potest alicui legari, vt actiones suas hæres legatario præstet: nisi exegerit viuus
testator pecuniam. nam hoc casu legatum extinguitur. Sed & tale legatum valet, DAM-
NAS ESTO HAERES MEVS DOMVM ILLIVS REFICERE: VEL,
ILLVM AERE ALIENO LIBERARE.

1 ¶ *Tam autem corporales.*] Traditur hæc Regula à Paulo, his verbis[h]: Et quidem corpora legari
2 omnia, & iura, & seruitutes possunt. Seruitutis autem legatum esse indiuiduum, nempe quo sin-
guli hæredes obligantur in solidum, alibi traditur[i]. ¶ *incorporales.*] Veluti seruitutes, tam reales
3 quàm personales. id quod lib. 33. Pandectarum fusius explicatur. Illud vnum hoc loco annotari
subit, quod respondit Paulus[k], nec vsum, nec vsumfructum itineris, actus, viæ legari posse: quia
seruitus seruitutis esse non posit. Cuius dicti rationem hanc esse accepimus, quòd non posit ser-
4 uitus personalis, quæ temporalis est, esse seruitutis realis, quæ & continua & perpetua est[l]. Cæte-
rum nihil prohibet, quin sit personalis seruitus seruitutis personalis: & rursus seruitus realis serui-
tutis realis[m]. ¶ *Et ideo.*] Ratiocinatur à genere ad speciem. Nam incorporalis res est, nomen de-
5 bitoris siue obligatio. Sanè & ius controuersum & litigiosum rectè legari constat: eoque legato
videtur testator litis euentum relinquere, vt est apud Iustinianum in Nouella Constitu. 112.
¶ *Quod defuncto debetur.*] Sed quid si aliquis legauerit, quod sibi debuit Titius, an ea noceat
exactio, cuius statim meminit Iustinianus? Sanè Scæuola[n] hîc respondit, Exactionem, quæ post
legatum fiat, nocere: sed si prius exegisset testator, ita à iudice æstimandũ, vt inspiceret, obliuione
pecuniæ solutæ an quòd eo inscio numerata esset, id fecisset: an consultò, quòd quantitatẽ quondã
6 debitam, non ius liberationis dari voluisset. ¶ *Vt actiones.*] Hîc significatur ius & emolumentum
legati nominis. quod & duobus responsis tradidit Vlpianus[o], docens hæredẽ ex hoc legato non
amplius quàm actiones suas præstare. Et quamuis hic legatarius actiones vtiles iure legati habeat
sine cessione hæredis, quibus vti suo nomine posit[p]: Directas tamen non habet, nisi ex cessione
hæredis, saltem si sint personales. Nam reales omnino habet, sic vt nec vllæ earum reliquiæ penes
7 hæredem maneant[a]. ¶ *Nisi exegerit.*] Hoc est, iudicio consecutus sit, & quod petierat, receperit.
Ita enim verbum exigendi interpretari videtur Vlpianus[b]. Alioqui si tantum condemnatus sit
debitor: nihil actum videbitur, quandiu secuta non est exactio[c]. Sed & si vltrò debitor obtulisset,
quod non potuit nõ recipere creditor: quia nulla fuit exactio, nullum inde colligetur ademptio-
nis aut mutatæ voluntatis argumentum[d]. Quemadmodum & vbicunque apparet non esse exa-
8 ctum nomẽ animo adimendi, manet ratum & vtile legatum[e]. Porrò quod hic dicitur, exactione
perimi nominis legatum; trahi potest & ad aliam causam, qua debitorem testator liberasset. Vnde
Iuliano placet, si debitori hæres extiterit creditor, posteaque ipse creditor decesserit, legatum ex-
9 tingui. Idque probat Neratius[f]: quia confusione perinde extinguatur obligatio, ac solutione.
¶ *Viuus testator.*] Ac si eius hæres exegerit: nihil id pertinebit ad ademptionem legati: non
etiam, si pendẽte legati conditione id factum sit ab hærede, qui fortè præoccuparit debitum: quia
(inquit Neratius[g]) in arbitrio hæredis esse non debet, vt quandoque conditione existente, neque
ipsi

h L. cætera. de leg. 3.
i L. fideicommissa § si in opere. de leg. 3.
k L. 1. de vsu & vsufructu lega.
l L. foramen. de ser. vrb. præd.
m L. Labeo. de seru. cum esset. §. vl. de ser. rust. præd.
n L. vlt. de lib. leg.
o L. si sit legatum. § 1. in fi. & l. legatum ita erat. de leg. 1.
p L. ex legato. C. de lega.
a L. sed nec legatarium. de cond. fur.
b L. non solum autẽ. §. liberatio. de libe. lega.
c L. nepoti. de fun. instru.
d L. fideicommissa. §. si rem. de lega. 3.
e L. qui filium de lega. 3. l. filio §. plta. de adi. leg.
f L. si id quod mihi. de libe. leg.
g dic. l. si id quod mihi.

ipsi legatario debeatur legatum (si tum viuat & capere posit) neque ei, ad quem hoc commodum peruenit, si legatarius capere non posit.

a L. non solũ autem. §. liberatio. de libe. lega.
b dict. l. §. sed quod.
c L. fideicommissa. §. vlt. de leg. 3.
d dict. l. fideicommissa. §. si in opere.
e L. mortuo boue. §. vlt. de leg. 2.
f d. §. vlt.
g L. ciuitatibus. de lega. 1.
h L. vnica. C. de Gladiat.
i dict. l. ciuitatibus.

¶ *Legatum extinguitur.*] Sicuti & legatum liberationis [a]. Vnde & hac in re Neratius nihil in-
teresse putauit, siue tibi siue alij legauero, quod mihi deberes [b]. ¶ *Tale legatum valet.*] Legatum ali- 10
quid faciendi adeò valet, vt arctiorem parere videatur obligationem, quàm contractus inter vi-
uos. quia hîc satis non sit offerre, id quod interest, sed omnimodo facere oporteat, quod testator
iussit. Sic enim scribit Vlpianus [c]. Diuum Marcum rescripsisse, eum, qui opus facere iussus est, non 11
audiri, si offerat pecuniam dare Reipublicæ legatariæ, vt ipsa faciat, cùm testator per ipsum id fieri
voluerit. Et tùm facta non soleant diuisionem admittere. eorum legatum obligat vnumquemq; 12
hæredem in solidum. Is tamen qui in solidum conuenietur, imputabit cohæredi sumptum pro
parte eius [d]. Nam æquum est eum portionis suæ onus agnoscere etiam legatis indiuiduis [e].

¶ *Domum illius reficere.*] Apud Paulum [f] generaliora sunt exempla, nempe; Opus fieri; aut, Mu- 13
nus dari, intelligit autem munus gladiatoriũ. vt & alibi cùm loquitur de edendo munere [g]. Con-
stat enim pepulum Romanum maximi muneris loco habuisse exhibita gladiatorum paria. adeò
vt nec post Christianismum potuerit omnino dediscere immanitatem eius sanguinarij pagani-
smi: & lapidibus obruerit virum quendam pium, qui desiderabat lanistas eijci. Quod tamen post-
eà tandem impetratum est [h]. Addit idem Paulus [i] alia legati facti exempla, veluti; ludorum Sce-
nicorum, vel Circensium. item Venationis, Epuli. ¶ *Aere alieno liberare.*] Quod scilicet quis alteri,
quàm testator debet. Vt intelligamus non esse hic legatum liberationis, de quo suprà dictum est,
sed aliam quandam æris verè alieni liberationẽ, ac veluti quandam *σεισάχθειαν*, translato tamẽ in
alium soluendi onere, magis quàm excusso. nullum enim hîc damnum est creditoris. Imò adhuc
est integrum est conuenire verum suum debitorem, si nihil sibi esse velit negocij cum hærede.

§. *Si generaliter.*

1 Methodus in hoc §. necessaria, quæ?	*9 Pandectarum loci, electionem legatario tribuentes, quo referendi?*
2. 5. 6. Res incerta inutile legatum est.	*10. 11. 12. 13. 14. 15. 17. Quid si legata & stipulationes sint alternatiua?*
3. 4. Imperfectum legatũ & imperfecta stipulatio quæ?	
7. 8. 16. Stipulationes & legata generu quæ?	

Si generaliter seruus vel res alia legetur: electio legatarij est, nisi aliud testator dixerit.

¶ *Si generaliter.*] Tractat hoc loco Iustinianus rem magnam paucis verbis, & dum breuis esse 1
laborat, obscurus est. Primùm hîc certa methodo erat constituendum, an constet legatum gene-
ris. Deinde quando tandem sit electioni locus: nempe cùm non apparet de quo corpore testator
senserit. Postremò cuius sit electio: nempe eius primum, cuius testator esse voluerit, si cui ius eli-
gendi vel apertè vel tacitè dederit: quod si deprehendi non posit, tum demum in dubio locus est
regulæ, quam hic tradit Iustinianus, vt electio sit legatarij tanquam creditoris. Sed & de alterna-
tiuis siue disiunctiuis legatis agendum hîc erat, cuius nempe in ijs sit electio, & an abs talibus sti-
pulationibus differant. Nam & legatum alternatiuum aut stipulatio disiunctiua comparari so-
let generis legato vel stipulationi. Postremò & de rebus ita generaliter legatis, vt planè incertæ
sint, aliquid erat adijciendum. Neque enim hæc intelligi possunt. nisi si simul omnia intelligan-
tur: & ita in Pandectis sparsim atque adeo cõfusè tractantur, vt vix ipsi interpretes sese ex ijs euol-
uere vtcunque posint. Nos, vt quod possumus, iuuentutis studijs consulamus, non grauabimur
ex ijs, quæ aliquando cum tit. de reb. dub. explicaremus, in scholis dictauimus. breuiter hic ascri-
bere, quæ ad totum hunc locum patefaciendum satis esse videbuntur. Primùm quod attinet ad 2
res planè incertas, vbi scilicet nullo modo apparet id quod dari debet vel quod legatum promis-
sumve est, neque vlla etiam iusta coniectura id potest deprehendi: constat inutile esse legatum,

k L. 2. de his quæ pro non scrip. hab.
l L. qui plures. de vsufr. leg.
m L. 115. ita stipulatus. de verb. oblig.
n L. 69. cum post. §. gener. de iure dot.
o L. 1. C. de dot. prom.

inutilemque stipulationem. Nam & in vniuersum responsum est [k], ea, quæ ita scripta sunt, vt
non intelligantur, perinde habenda esse, atque si scripta non essent. Itaque vt dicitur esse imper- 3
fectum legatum, si non apparet persona, cui dandum [l] sit: sic Papinianus [m] appellat imperfectam 4
stipulationem fundi non demonstrati, vel si quod pondere, numero, mensuráve constat, stipu-
lemur sine adiectione ponderis, numeri aut mensuræ. Cùm igitur tale aliquid vel legatur vel pro-
mittitur, potest quidem fortasse qualitas non exprimi, at non etiam quantitas. Vbi qualitas ex-
pressa non est, saltem certa fiet & commodè fieri potest per electionem debitoris. Vbi verò defi-
nita nulla quantitas est, sed est planè incerta relicta: neque stipulatio neque legatum valere po-
test. Quid enim aliud statuas in re tam incerta? Nam & iniquum est hîc electionem dare legatario
vel stipulatori: & in re tam infinita si detur hæredi vel promissori. res ad nihilum recidet. Nam li- 5
berari possent dando vnum granum tritici, vel guttam vini: sicuti è diuerso res in immensum cre-
sceret, si quantum vellent. eligere & petere possent vel legatarij vel stipulatores. Atque hæc qui-
dem etiam ratio esse videtur, cur Papinianus [n] responderit, fundo non demonstrato, nullum
esse legatum nullamque stipulationem. Sed & Alexander [o] Imp. rescripsit, frustra maritum puta- 6
re, sibi competere actionem, cùm ei quidem dotem promisit mulier, sed neque speciem vllam ne-
que quantitatem expresit. Nempe cùm tam incerta est infinitaque promisio dotis, non potest

non esse

non esse inutilis, quia mulier vel vnum minimum nummum dando liberatetur. Neque enim vlla
iusta hic causa est, cur ad alium modum aliámve obligationem reuocetur hæc promissio dotis.
Nam & mulier indotata nubere potest, & eius etiam priuatim interest in re dubia, quam mini-
mam esse dotem, quam ipsa dat de suo. Cæterùm si alius eius nomine dotem promisisset, iam cer-
tè, quia mulieris interest incertam hanc promissionem benigna aliqua interpretatione adiuuari,
& in ambiguo pro dotibus respondere melius esse responsum est [a]: facile tunc interpretabimur
dotem esse promissam pro facultatibus promittentis, & dignitate mariti & mulieris arbitrio bo-
ni viri, qui hæc æstimabit, & iustum aliquem huius dotis modũ definiet [b]; præsertim si pater fue-
rit, qui eam ita promiserit. Nam & tam valde ad eum pertinet dotare filiam, vt si cùm curator filiæ
suæ emancipatæ esset, dotem pro ea constituat, in dubiũ magis quasi pater de suo, quàm quasi cu-
rator id fecisse intelligatur [c]. Sic itaque hoc casu omnino non habebitur incerta dotis promissio.
Porrò cùm quæritur de alijs stipulationibus aliquo quidẽ modo incertis, sed nõ ita planè incertis,
quin postea certæ fiant & facile fieri possint: Vlpianus [d] præcipuè proponit stipulationes generis,
7 & alternatiuas. Stipulatio generis, veluti serui, equi, certa fiet per electionem debitoris. Huius e-
nim arbitrio in re dubia relictum esse intelligitur, vt eligat speciem, quam det. Nam & vero simi-
lius est eum sibi potius hanc electionem retinuisse, quàm alteri concessisse: & stipulatori est impu-
tandum, quòd apertius verba non conceperit, & contra eum potius pro debitore sumi solet ob-
scuræ stipulationis interpretatio [e]. Atque adeo quidem promissori tribuitur hæc electio, vt si sti-
pulator generis, vnam aliquam certam speciem simpliciter, & (vt loquuntur) præcisè petat, di-
catur plus petere, & propterea repellatur [f]. Et debitor possit, vt se liberet, quamlibet dare speciem
8 vel minimam & in suo genere vilissimam [g]. Quòd autem attinet ad legatum generis, si quæratur
quomodo fiat certum, & an legatarij electio sit, an verò hæredis, (quod Iustinianus hic præci-
puè tractat) primùm iudcio memoria repetendum esse vetus illud discrimen inter legatum per
vindicationem, & per damnationem. Nam in illo per vindicationem constat olim fuisse ele-
ctionem legatarij: in hoc verò per damnationem, hæredis. hancque coniecturam voluntatis,
verba ipsa suggerunt. Atque huius quidem discriminis vestigia non obscura supersunt in Pande-
ctis [h]. Ac Iustinianus quidem edixit vt ex omnibus legatis competeret tam in rem quàm in per-
sonam actio, nihilque interesse inter legatum damnationis, & vindicationis. Sed hoc rectè dici-
9 tur, vbi res legata est, quæ vindicare etiam potest. Atque in ea profectò nunc rectè dicemus, quod
hic Iustinianus ait, quoties genus legatur, si non aliud dixerit testator, electionem esse legatarij, vt
quã volet speciem, ex illo genere petat: vt qui vindicare possit, possit & eligere. Atque huc quidem
etiam referemus plerosque Pandectarum [i] locos electionem legatario tribuentes. Cæterùm si ge-
neraliter res legata sit, cui condictio magis quàm vindicatio conueniat, & quæ actione in perso-
nam petatur, non actione in rem, quales illæ res sunt, quæ pondere, numero, vel mensura constare
dicuntur: certè videtur adhuc ex veteris iuris ratione electio esse hæredis. Itaque respondisse audio
Vlpianũ, nummis indistinctè legatis, exiguiores legatos videri [k]. Et cùm certum pondus olei, non
adiecta qualitate, legatum esset, liberum esse hæredi, cuius velit generis oleum dare, scripsit Pau-
lus [l]. Ac sæpe quidem, vt res dubia nõ esset, testatores legando genus, expressim dederunt electio-
nem hæredi. Suntque talium legatorum exempla in Pandectis [m]. Sed vbi de electione nihil ex-
pressum dictúmve erat, visum est, illud ex coniectura voluntatis in re dubia sumendum esse, vt
electio daretur illi, cuius esset vindicatio: si non esset, hæredi. Sed & quoties constat vnum aliquid
certum voluisse testatorem legare, idque sua cogitatione complexum esse, sed alioqui non appa-
reat quidnam illud sit huius obscuræ voluntatis interpretatio magis tribuetur hæredi vt cùm
quis plures Stichos habens, Stichum legauisset, nec appareret de quo Sticho senserit, cùm tamen
constaret de vno aliquo eorum sensisse, ait Vlpianus [n] eum præstari, quem hæres elegerit. Idem
alio loco [o], si (inquit) de certo fundo sensit testator, nec appareat de quo cogitauerit, electio hære-
dis erit, quem velit dare. Atque huc quidem referre possumus alios Pandectarum locos, qui hære-
10 di dant electionem [p]. Nunc de alternatiuis videamus, non modò legatis, sed & stipulationibus,
vt hunc semel totum locum Iuris Ciuilis, nobilem certè, sed valde inuolutum, explicemus. Cùm
stipulatus sum illud vel illud: si non appareat aliud actum esse, electionem esse promissoris, aper-
11 tè responsum [a] est: adeò etiam, vt stipulator non possit alteram speciem simpliciter petere: & debi-
tor possit non modò vtram velit dare: sed & si alteram per errorem facti fortè dederit cùm putaret
ad eam dandam sese omnino teneri, eam repetere condictione indebiti, & alteram dare [b]. Sicuti
12 & si vtranque per errorem soluisset, repetere vtram volet, potest. Sanè si in stipulatione alternatio
locorum sit, constat electionem esse stipulatoris [c], quia si in arbitrio debitoris esset vbi petatur, fu-
13 turum sit, vt nunquam conueniri se patiatur, & stipulatorem semper eludat. Quòd si alternatio
sit personarum, quibus dandum sit, veluti si illi aut illi promissum legatúmve sit, talem alterna-
tionem haberi pro coniunctione, & vtrique dandum esse, neque electioni esse locum, ne fiat al-
14 teri iniuria, statuit Iustinianus [d]. Sed de rebus alternatiuè legatis tandem etiam videamus. Atque
hic quidem cùm quæritur cuius electio sit, vetus fuit discrimen vtrum per damnationem, an verò
per vindicationem legatæ essent. Quod etiam in Pandectis significatur [e]. Sed vt paulò antè dixi-
mus in legato generis, sic nunc quoque dicemus generaliter tunc fore electionem legatarij, vbi
quod legatum est, vindicare potest: vt cùm plures species disiunctiuè legatæ sunt. Sicuti & olim
Marcellus [f] respondit; cùm quis Lucio fundum Seianum vel eius vsumfructum legâsset, posse
Lucium vel fundum vindicare, vel vsumfructum. Sed & cùm quis duos seruos habens, vnum ex

a L. 70. in ambiguis. de iure dot.
b d. §. gener.
c L. 5. §. Papin. de iure dot.
d L. vbi autem. de ver. oblig.
e L. cum quæritur. de reb. dub. l. quicquid. de ver. oblig.
f §. præterea si quis. de act.
g L. 32. cum is qui. §. qui hominẽ. de cond. indeb. l. 72 qui hominem de solut. l. 52 si decussorem. mand.
h L. 19. Iusiurandum. de lega. 2.
i L. 108. si seruus legatus. §. cum homo de leg. 1. l. 2. de opt. lega.
k L. 75. nummis. de lega. 3.
l L. 4 de trit. vino & ol leg.
m L. 110 si hæres generaliter. de lega. 1. l. hæredes. §. idem est. fam. ercisc.
n L. 32. si quis à filio. §. 1 de lega 1.
o L. 37. legato generaliter. §. de lega 1.
p L. 14. si ita scriptũ. ad §. l. 39 cùm seruus. § [illegible] de lega. 1. l. qui concubinam § cui ita legatum de lega. 3
a L. plerunque. § vl. de iure dot.
b L. 32. cùm is qui §. vlt de cond. ind.
c L. 2. §. Scæuola. de eo quod certo loco.
d L. penul. C. de ver. signif.
e L. si is cui. de lega.
f L. 33. Lucio. de lega. 2.

ijs legare se simpliciter dixisset, nec intelligeretur quod legâsset, vt neq; vnum magis quàm alium
legare voluerat: responsum [a] est, electionem esse legatarij. Tum enim testator videtur incertum
ex duobus certis legâsse, perinde atque si legâsset illum vel illum. Tacita itaque hic subest alterna-
tio: & propterea legatarij est electio. Porrò in alternatiuis maior esse videtur eligendi libertas,
quàm in generalibus. Nam ex pluribus speciebus alternatiuè debitis, non est dubium omnino
quamlibet vel peti vel dari posse arbitrio eius cuius est electio. Sed in generalibus neque hæres, si
eius sit electio, dabit minimá vilissimamq; speciem: neque legatarius si eligat, eliget optimam [b];
sed vterque potius mediocrem aliquam, vt neque hic nimium sibi sumat, neque ille minus quàm 15
æquum est alteri tribuat. Cuius etiam moderationis fines seruari videmus, cùm de seruitute iti-
neris constituenda quęritur, deque loco, per quem eatur, deligendo, siue hanc electionem habeat
is, cui debetur seruitus, siue is, qui eam debet [c]. Porrò dictum est tam in generali quàm alternatiua
stipulatione, promissorem, qui per errorem soluit vnam aliquam speciem, posse eam condicere,
vt aliam det. Nam & si possit probabilis ratio quædam obtendi, cur tum detur potius hæc condi-
ctio debitori generis, qui maximam latissimamq; habebat in deligenda ex toto genere specie li-
bertatem, quàm ei qui non nisi duas aut tres species disiunctiuè promisit: tamen Iulianus [d] vtri- 16
que eadem dat, non modò electionis facultatem, sed & eius errorem facilè mutandæ potestatem.
Cæterùm non ausim idem statuere in legato generis, siue legatarij, siue hæredis sit electio, cùm ne
in alternatiuo quidem id sit integrum, vbi semel electa vel per errorem species est, quæ aut peta-
tur, aut detur [e]. Sic enim Iurisconsulti videntur plus tribuere electioni, quàm quis ex suo contra- 17
ctu habet, quàm quæ ex alieno testamento competit.

a L. 20 qui duos. de lega. 1.
b L. si heres generaliter. de lega. 1.
c L. serui. de seruit. l. si. via. de seruit rust. præd.
d L. cùm is qui. §. vlt. de cond. ind.
e L. 19. cùm is qui. de lega. 1.

§. *Optionis legatum.*

1.2 Optionis legata, id est, αἱρετικὰ, simillima esse legatis generalibus.
3 Latius patere legata optionis quàm generis.
4 Qui beneficio iuris vtitur, qualem se gerere debeat?
5 Vbi numerus adiectus non est, intelligitur singularis.
6 Pluralis locutio quot contineat?
7 Optionis legati conditio tacita quæ?
8 Quid si conditionem electioni ascripserit testator?
9 Quid si alicui tertio relicta sit optio in rem Titij legatarij?
10.11. Optionis legatum vbi olim quoque ad hæredem transierit?
12 Semel facta optio iterari non potest.
13 Inter altercantes legatarios optionis, adhibenda sors est.
14 Paulus I.C. à Iustiniano notatus.
15 Sortis & Fortunæ iudicium apud veteres frequens.
16.17. Hæredes tum a Græcis tum ab Hebræis a Sorte dicti sunt.
18 In optione præcellens electam rem totam sibi retinere quomodo possit?

Optionis legatum, id est, vbi testator ex seruis suis vel alijs rebus optare legatarium
iusserat, habebat olim in se conditionem. & ideò nisi ipse legatarius viuus optasset, ad hæ-
redem legatum non transmittebat. Sed ex Constitutione nostra & hoc in meliorem sta-
tum reformatum est: & data est licentia hæredi legatarij optare seruum, licet viuus legata-
rius hoc non fecerit. & diligentiore tractatu habito, & hoc in nostra Constitutione addi-
tum est: siue plures legatarij extiterint, quibus optio relicta est, & dissentiant in corpore e-
ligendo: siue vnius legatarij plures hęredes sint, & inter se circa optandum dissentiant, alio
aliud corpus eligere cupiente: ne pereat legatum (quod plerique Prudentium contra be-
neuolentiam introducebant) fortunam esse huius optionis iudicem, & sorte hoc esse di-
rimendum, vt ad quem sors venerit, illius sententia in optione præcellat.

¶ *Optionis legatum.*] Hæc optionis legata olim à Græcis Iurisconsultis solita propriè vocari 1
αἱρετικὰ, testis est Harmenopulus libro quinto iuris [illegible], tit. 10. & simillima esse legatis genera-
libus constat vt non temerè hoc loco Iustinianus ea coniunxerit, exemplo fortassis Vlpiani, cuius
hoc extat responsum [f]. Quoties serui electio vel optio datur, legatarius optabit quem volet. Sed &
homine generaliter legato, arbitriũ eligendi, quem velit accipere, ad legatarium pertinet. Sed in- 2
terim hic notandum est, latius patere eligendi arbitrium, iustioremq; esse libertatem vbi nomi- 3
natim à testatore legata est optio, quàm vbi à Lege tribuitur, veluti in legato generis, de quo suprà
dictum est. Vnde & si propter moram & cessationem eius, quem testator eligere voluerat, ipsi le- 4
gatario tribuatur electio: quia magis beneficio iuris, quàm voluntate testatoris eligit, ciuilius &
modestius se gerere debet, vt non nisi mediocrem rem eligat [g]. ¶ *Seruis suis.*] Vel etiam alienis: sed
tum legatarius optare debebit seruum aliquem mediocris precij, ne nimis oneret hæredem.
¶ *Optare.*] Vnum scilicet. Nam vbi numerus non est adiectus, intelligitur singularis. Quòd si 5
plurimum numerũ simpliciter exprimat testator: veluti si iusserit aliquem optare seruos: respon- 6
dit Vlpianus [h], tres simul eligi posse. quanquam interim alibi tradat idem Vlpianus [i], pluralem
locutionem duorum numero contentam esse. ¶ *Habebat olim.*] Non puto aliud extare huius anti-
quitatis vestigium, quàm id quod Caius ait [k]; Optione siue electione serui data, quodammodo
singulos sub conditione legatos videri. ¶ *Conditionem.*] Addunt quidem veteres Codices, TACI-
TAM: additq; in sua interpretatione Theophilus. Erat autem hęc conditio; Si elegisset legatarius.

f L. 2. de opt. lega.
g L. vbi. §. 1. C. commu. de lega.
h L. 1. de opt. lega.
i L. vbi numerus. de testib.
k L. 3. D. qui. & à quib.

¶ *Et ideo*]

¶ *Et ideo.*]Ratio huius consequentiæ, non est petenda ab illa vulgata regula, quæ docet [a];
Legata condirionalia non ttansmitti ad hæredem legatarij. nisi eorum conditione eueniente, vi-
7 uo adhuc legatario. Reuera enim legatum optionis non habebat conditionem, nisi quandam
tacitam ex Legis interpretatione, quæ non solet impedire transmissionem [b]. Sed ratio ex eo pen-
det; quòd hæc conditio omnino adhærebat personæ, nempe; Si legatarius elegerit: vt meritò vi-
8 deretur extinctum legatum, mortuo legatario ante optionem. Et sanè si apertè conditionem ele-
ctioni ascripserit testator, veluti; Si elegeris aliquem ex seruis meis, illum tibi do, lego: etiam
nouo iure traditum est, deficere legatum, si non elegerit superstes legatarius. ¶ *Ipse legatarius.*]
9 Qui scilicet optare sibi iussus est. Quòd si alicui tertio relicta esset optandi facultas in rem Titij
legatarij; veluti; Lego Titio fundum, quem Mæuius optauerit. hic si non optasset Mæuius, du-
bitabatur apud veteres, quid statuendum esset: sed Iustinianus [c] eadem sua Constitutione san-
xit; Ad legatarium deferri optionem, si Mæuius intra annum non optauerit, vel quandocunque
decesserit.

a L. vnica. § sin autem aliquid sub conditione. C. de cad. toll.
b L. conditiones quæ extrinsecus. de cond. & demon. l. cum illud in fi. D. quando dies leg. ced.
c L. vlti. §. sed & si quis optionem serui. C. commu de leg.

¶ *Ex constitutione nostra.*] Extat adhuc Iustiniani Constitutio, cuius hic fit mentio [d]: sed ma-
gis complectitur definitionem de plurium legatariorum controuersia, cuius statim fit men-
tio, quàm hanc de transmisione optionis ad hæredem: cuius non meminit prorsus, nisi quod lo-
quitur de controuersia inter plures hæredes legatarij sorte dirimenda: tacitè indicans ad hæredes
10 pertinere posse optionem. Sanè illud etiam olim obtinuit, vt quamuis optio legati esset personalis,
tamen duarum rerum disiunctiuè legatarum electio ad hæredem transiret. Sic enim olim Paulus
respondit [e]: Illud aut illud, vtrum elegerit legatarius: nullo à legatario electo, decedente eo post
11 diem legati cedentem, ad hæredem transmitti placuit. Rursus contrà illud est à Iustiniano quoq;
traditum, vt si legatum esset sub expressa conditione, summoueatur hæres [f]. ¶ *Hæredi legatarij.*]
Iam scilicet defuncti. nam eo viuente, nulli prorsus permitti posset optio etiam si legatarius con-
sentiret. quia certum est, refragari voluntatem ipsius testatoris. Qua ratione nec ius restituendi
fideicommissi ex Trebelliano potest alij cedi.

d dic. l. vlt.
e L. illud aut illud. de opt. lega.
f L. 1. §. fin autem aliquid. C. de cad. toll.

¶ *Licet vnus legatarius hoc non fecerit.*] Qui sanè si id fecisset, nihil prorsus optionis hæredi su-
peresset. Omnino enim semel facta iterari non potest [g].

g L. apud Aufidium. de opt. leg.

12 ¶ *Et hoc in nostra Constitutione additum est.*]Disertè sanè id continetur Constitutione Iustiniani,
13 cuius difinitio hæc est: Sancimus rei iudicem fortunam esse, & sortem inter altercantes adhiben-
dam: vt quem sors prætulerit, is quidem habeat potestatem eligendi: cæteris autem æstimationem
14 præstet contingentium eis partium. ¶ *Plerique prudentium.*]Inter quos fuisse videtur Paulus, dum
respondit; incerto homine legato, quem elegisset legatarius, hæredem familiæ erciscundæ iudicio
cohæredi teneri, si non consentiendo impedierit legatum: quasi legatum corruat non consenti-
entibus in electione hæredibus. ¶ *Et forte hoc esse dirimendum.*] Non est hoc nouum sortis & for-
15 tunæ iudicium. eo enim plerunque vtendum censuerunt Prudentes: vt in tribus illis iudicijs com-
munibus, cùm quæreretur quis actor esset, quis reus, ambobus ad iudicium prouocantibus, re-
spondit Vlpianus [h], sorte rem discernendam. Rursus cùm quidam ex multis essent manumitten-
di, nec appareret, quinam potius: respondit idem Vlpianus [i], oportere eos sortiri, ne aliquam am-
bitionis vel gratiæ suspicionem Prætor subeat. Rursus cùm plures iisdem ex partibus hæredes es-
sent, nec inter eos conueniret, apud quē potius deponerentur cautiones hæreditariæ: in pari causa
Caius tradidit [k], oportere eos sortiri. Ac soliti sunt certè veteres maximè vti sortibus in diuidunda
16 hæreditate [l]: nec Romani modò, sed & Græci, apud quos etiam ipsi hæredes à sortibus dicti sunt
κληρονόμοι. Et legimus olim ex præcepto Domini à Iehosua sortibus diuisam terram Canaam in-
17 ter tribus Israëliticas. Et Hebræi portionem diuisæ hæreditatis appellant Hablim, hoc est, sortes.
Sortibus vsi sunt veteres & in alijs plurimis etiam grauissimis rebus, vt in magistratibus dandis,
atque adeò etiam aliquando in vxoribus ducendis. quod indicat Plautus in Casina.

h L. sed cum ambo. de iud.
i L. generaliter. §. quis ergo statuet. de fideicom. liber.
k L. si quæ sunt. D. fami. erc.
l L. 2. C. quando & quibus quar. pars.

18 ¶ *In optione præcellat.*] Vt non modò possit rem, quam voluerit, eligere, sed & electam totam
sibi retinere, oblata cæteris legatarijs iusta æstimatione partium, quæ ad eos pertinent, saltem
vbi res electa non potest commodè diuidi. Sic enim loquitur in sua Constitutione Iustinianus [m].

m dic. l. vlt. C. cōmu. de leg.

§. *Legari autem.*

1 Quibuscum testamenti factio passiua est, ijs tantùm legari potest.

2 Quibus actiua est factio testamenti, soli legare possunt.

Legari autem illis solùm potest, cum quibus testamenti factio est.

¶ *Cum quibus est testamenti factio.*] Passiua nempe, vt eos intelligamus, qui possunt ex testa-
1 mento capere. Qui autem non possint, supra annotauimus [n]. Porrò hic sufficit eiusmodi passiua
testamenti factio, licet desit actiua. Nam & impuberibus & furiosis rectè legatur: qui licet testa-
2 mentum facere non possint, ex testamento tamen capere non prohibentur. Cæterùm, vt ijs so-
3 lùm potest legari, quibus est passiua testamenti factio: ita ij soli possunt legare, quibus est actiua
testamenti factio, hoc est, qui ius testandi habent [o]: quanquam non omnia legata semper relin-
quantur testamento. Nam & codicillis relinqui possunt [p]. Verùm nemo potest facere codicillos,
qui non possit & testamentum.

n §. 1. supra de hered. institu.
o L. 2. de leg. 1.
p §. non tantum. inf. de codic.

§. *Incertis verò.*

1. 2. Quod conditionis implendæ causa dandum est, incertis etiam personis relinqui potest.
3 Legatum ad pias causas, vt pauperibus, etiam ante Iustinianum valuit.
4 Incerta persona quæ hîc intelligatur?
5 Ciuitati vel collegio rectè legari potest.
6 Consules, Prætores, & Tribunos pl. creari solitos in annum proximum, dictosq; interim designatos.
7 Non solum ex certis sed ex incertis personis incerta persona quando rectè legari possit?
8. 9. Legata pietatis intuitu relicta, si per errorem fuerint soluta repeti nõ posse: secus in cæteris legatis.

Incertis verò personis neque legata, neque fideicommissa olim relinqui concessum erat. Nam ne miles quidem incertæ personæ poterat relinquere, vt Diuus Hadrianus rescripsit. Incerta autem persona videbatur, quã incerta opinione animo suo testator subijciebat: veluti si quis ita dicat, QVICVNQVE FILIO MEO FILIAM SVAM IN MATRIMONIVM DEDERIT, EI HAERES MEVS ILLVM FVNDVM DATO. Illud quoque, quod ijs relinquebatur, qui post testamentum scriptum primi Consules designati essent: æquè incertę personę legari videbatur. & deniq; multæ aliæ huiusmodi species sunt. Libertas quoq; incertæ personæ non videbatur posse dari: quia placebat nominatim seruos liberari. Sub certa verò demonstratione, id est, ex certis personis incertæ personæ rectè legabatur: veluti, EX COGNATIS MEIS, QVI NVNC SVNT, SI QVIS FILIAM MEAM VXOREM DVXERIT, EI HAERES MEVS ILLAM REM DATO. Incertis autem personis legata vel fideicommissa relicta, & per errorem soluta, repeti non posse, sacris Constitutionibus cautum erat.

¶ *Neq; legata neq; fideicommissa.*] Quod tamen, conditionis implendæ causa dandum est. con- 1
stat certis & incertis personis relinqui posse, & dari debere. Vt si testator dixerit, Lego Sticho seruo
meo libertatem, si decem dederit: poterit impleri cõditio, si decem hæredi dentur [a], nec aliter vtile
erit libertatis legatum. Quòd si nominatim alij quàm hæredi iussus sit dare, nec tamen certa per- 2
sona cui detur, expressa sit: certè poterit, cui volet, dare, conditionis implendæ causa, & vt assequa-
tur libertatem. ¶ *Olim.*] Tamen & ante Iustinianum ab hac vetusti Iuris regula exemptum fuit 3
ad pias causas legatum, veluti, quod pauperibus relinquitur [b]. Nam id valere constat. & arbitratu
Episcopi erogatur. vt est in Leonis Constitutione [c]. Nec dissimilia sunt, quæ tradit Iustinianus in
Nouella sua Constit. 131. ¶ *Quam incerta opinione.*] Ergo si constet testatorem animo suo subiecisse 4
certam personam: licet ea nobis parum sit nota, valebit ipso iure legatũ: sed difficultate probatio-
nis poterit impediri. Veluti si leget Titio amico suo, & plures habeat amicos Titios: hîc valet ipso
iure legatum propter certam testatoris opinionem. & si quis probarit de se testatorem sensisse, ob-
tinebit [d]. Quod & in hæredis institutione verum [e] est. hîc enim non ius deficit, sed probatio [f]: cuius
vnius penuria potest ipsum effectũ remorari. Quòd si vltrò velit hæres, vel vt liberetur vexatione,
vel vt liberalius obseruet testatoris voluntatem, legatum præstare: potest vni, cui volet gratifica-
ri, & ab eo cautionem accipere, ne amplius ab alio vexetur [g]. Porrò nec eæ personę quæ certum ali- 5
quod corpus constituunt, velut Collegium, vel Vniuersitatem, incertæ videntur. Itaq; si Ciuitati
vel Ciuibus legatum fuerit: valet legatum [h]. Subijcit enim testator animo suo certum aliquod cor-
pus, nempe ipsius Vniuersitatis. Nec erit impedimento Ciuium mutatio: Nihilominus enim est
eadem semper certaq; Vniuersitas [i]. Vt meritò mirari liceat cur Plinius Secundus lib. 5. Epistola-
rum scripserit, nõ licere Reip. legare. ¶ *Quicunq; filio meo.*] Hoc exemplũ continet effusam quandam
incertitudinem. Quid enim si vel indignus, vel inimicus elocet filiã suam filio meo? Itaq: meritò
displicuisse videtur tam stulta & prodiga legandi ratio: etiã si agatur de libertate: quæ vt magnum
promereatur fauorem, debet tamen aliquo certiori iudicio dare. ¶ *Primi Consules designati.*] Con- 6
sules, Prætores, & Tribuni pleb. creari solebant in annum proximum, dicebanturq; interim pro-
priè designati. ¶ *Ex certis personis incerta.*] Imò & incertæ ex incertis, si modò incertitudo posteà mi- 7
nuatur à testatore. Veluti si legauerit ijs, qui essent testamentum suum subsignaturi [k]. Nam prius-
quam testamentum sit perfectum, certi erunt: idq; non aliquo casu fortuito, sed testatoris iudicio,
qui, quos volet, signatores accerset. ¶ *Veluti.*] Extat & aliud elegans huius loci exemplum apud
Caium [l]: Quidam relegatus facto testamento scripsit; Si quis ex hæredibus cæterisq: amicis, quo-
rum hoc testamento mentionem habui, siue quis alius, restitutionem mihi impetrauerit, & antè
decessero, quàm ei gratias egerim, volo dari ei, qui id egerit, à cæteris hæredibus aureos tot. Hîc au-
tem expende admitti effusam illam incertitudinem, SIVE QVIS ALIVS: quia nempe ea non pos-
sit non magno testatoris bono tolli: & quicunq; tandem fuerit restitutionis procurator, non po-
test non esse dignus legato, aut non placere ipsi testatori. Itaq; non est quod formidemus, ne pro-
pter eiusmodi (vt ita loquar) generalitatem, aliquis legatum capiat, cui non fauerit testator. ¶ *Sa-
cris Constitutionibus cautum erat.*] Non puto vllam ex his Constitutionibus extare. Sed extat Iustinia-
ni Constitutio (cuius posteà fit mentio. [m]) Ne legata pietatis intuitu relicta repeti possint, si fortè 8
per errorẽ fuerint soluta, cùm essent indebita. Sed & si legata alimenta vltrò fuerint soluta ex im-
perfecto fortè testamento, nõ possunt repeti. quinimo triennio præstita, obligant hæredem in po-
sterum [n]. Cæterùm alia legata indebita per errorem facti soluta, repeti posse rescriptum [o] est. 9

a L. qui pecuniam. de statu libe.
b L. id quod pauperibus. C. de episco. & cler.
c L. nulli. C. de episcop. & cler.
d L. falsa. de condi. & demon.
e L. in tempus § quoties. de hæred. instit.
f L. duo sunt Titij. de testa tute.
g L. si quis seruum §. si inter duos. de leg. 2.
h L. ciuitatibus de leg. 1. L. ciuibus de reb. dub.
i L. proponebatur. de iudic.
k L. si quis ita scripserit. de reb. dub.
l L. quidam relegatus. de reb. dub.
m §. vlt. infr. de obliga. quæ quasi ex contr.
n L. 1. C. de fideicom.
o L. fideicommissum. C. de condi. inde.

Consti-

1 *Coniunctionis* QVOQVE *vis.*
2 *Posthumo olim inutiliter legabatur.*
3 *In suo posthumo quid incommodum incertitudinis vincat?*
4 *Posthumo vtiliter olim fuisse relictam hæreditatem.*

Posthumo quoq; alieno inutiliter anteà legabatur. Est autem alienus posthumus, qui natus inter suos, hæres testatori futurus non est. Ideoque ex emancipato filio conceptus nepos, extraneus erat posthumus auo.

¶ *Posthumo quoq;*] Indicat hæc coniunctiua dictio QVOQVE, quod hic proponitur, proficisci
1 à superiori regula, & pertinere ad classem incertarum personarum, quibus relinqui aut legari non
potest: nempe quòd etiam posthumus, quasi incerta persona non posit ex testamento legatum
2 accipere. ¶ *Alieno.*] Esse etiam videtur incerta persona & suus posthumus: sed vis (vt ita loquar)
3 suitatis, & dominij continuatio, primique gradus prærogatiua, pluris fuere, quàm incommodum
incertitudinis. ¶ *Inutiliter anteà legabatur.*] Vtiliter tamen ei hæreditas relinquebatur[a]: quia saltem eam consequebatur per bonorum possesionem.

a §. posthumus, infr. de §. 1. infr. de bon. poss.

§. *Sed nec huiusmodi.*

1 *Hodie & incertis personis, & posthumo alieno legari vtiliter.*
2 *Constitutionem, cuius hic Iustinianus meminit, intercidisse.*
3. 4 *Tutor nec incertus nec incertæ personæ dari potest.*

Sed nec huiusmodi species penitus est sine iusta emendatione relicta: quum in nostro Codice Constitutio posita sit, per quam & huic parti medemur, non solum in hæreditatibus, sed etiam in legatis & fideicommissis: quod euidenter ex ipsius Constitutionis lectione clarescit. Tutor autem nec per nostram Cōstitutionem incertus dari debet: quia certo iudicio debet quis pro tutela suæ posteritati cauere.

¶ *Sed nec.*] Hæc verba videntur significare non modò esse correctum, quod nunc dictum est
1 de posthumo alieno, verùm & quæcunque dicta sunt de incertis personis. Id quod apertè sensit hic
2 Theophilus. Sed vix quicquam certò potest definiri. cùm desideretur ipsa Constitutio, quam verisimile est cùm priori Codice intercidisse. Scio tamen extare Iustiniani Cōstitutionem[b], qua sustinet quædam legata incertis personis generaliter relicta, nempe captiuis aut pauperibus. Sed id ipsum prius ab alijs Principibus constitutum erat[c]. ¶ *Nec per nostram.*] Quasi dicat: Inuenimus quidem multa, vt sustinerentur legata relicta incertis personis: non tamen eò sumus progressi, vt
3 etiam admitteremus incertum tutorem dari. sicuti nec admiserunt veteres, qui grauiter intelle-
4 xerunt certiori iudicio consulendum pupillis[d]. Quare nec tutor rectè datur incertæ personæ[e].

b L. si quis ad declinā. C. de episc. & cler.
c L. id quod pauperibus. l. nulli licere. C. de episc. & cler.
d L. tutor incertus. de testa. tute.
e L. tutor ita. de testa. tut.

§. *Posthumus autem.*

1 *Posthumus in hoc §. quis?*
2. 3 *Diuersa huius §. interpretatio.*
4 *Hodie posthumus alienus hæres fieri quomodo possit?*

Posthumus autem alienus hæres institui & antè poterat, & nunc potest: nisi in vtero eius sit, quæ iure nostro vxor esse non potest.

¶ *Posthumus autem alienus.*] Alciatus lib. 9. Pareg. cap. 1. iudicat aptiorem fore huius loci lectionem, cum negatiua. POSTHVMVS AVTEM NON ALIENVS: censetq; apud Theophilum legendum, [illegible] potius, quàm [illegible]: vt postquam dictum est, posthumo alieno nihil olim relinqui potuisse, hic adijciatur, Posthumo non alieno, id est, suo semper potuisse, dum tamen ex iusta vxore nascatur. Sed cùm hanc negatiuam nulli vel antiquissimi codices habeant, non audet Alciatus mutare receptam lectionem. Nec sanè admodum est opus, potest enim alia iusta sen-
1 tentia elici. Admonet autem Lælius, posthumum alienum hoc loco intelligendum esse, qui sit pe-
2 nitus alienus, hoc est, extra virilem posteritatem. Hunc enim esse, qui & antea potuerat hæres institui. Cæterùm alienum posthumum ex posteritate non potuisse olim institui. Quam distinctio-
3 nem si quis non recipiat, is videat, an hic dicatur alienus posthumus, antea quoq; potuisse institui, quantùm ad iuris effectum: quia quamuis non posset olim iure Ciuili hæres omnino institui, aut ex eo relictam consequi hæreditatem; institutus tamen iuuabatur à Prætore, vt per bonorum possesionem secundū tabulas admitteretur[f]. Hodie autem ex Iustiniani Constitutione etiā iure Ciuili fieri potest hæres. Sic itaq; potuit anteà, & potest nunc: sed tamen aliter anteà, aliter nunc. vt hic intelligamus Iustinianum magis loqui de similitudine effectus, quàm iuris. quod ipse posteà tradit apertius[g]. Paulus[h] respōdit, fideicōmissum à posthumo fratris filio, tanquā legitimo agnato & ab intestato successuro, posse relinqui (vt scilicet ab intestato pstetur, sicut præstari solet) cùm in eo sola defuncti volūtas spectetur. Quibus verbis significare videtur nō similiter potuisse ab eo

f §. 1. inf. de bon. poss.
g dict. §. 1.
h L. pen. de leg. 2.

legatum relinqui:quia scilicet nec institui hæres poterat. Sed hæc vix benè possunt illustrari,quæ in obscuris incognitæ antiquitatis tenebris delitescunt. ¶ *Nisi in vtero eius sit.*] Sic Paulus [a], Si (inquit) ex ea,quam nefas sit ducere, posthumum hæredem instituero,non putat Pomponius rumpi testamentum,scilicet primum,cùm hoc posterius nullum sit,nec valeat institutio.

a L.si quis posthumos. § pen. de lib. et posth.

§. *Si quidem in nomine.*

1.2.3.4 Prænomen, Nomen, Cognomen, Agnomē, quid differant?
5 Nec error nominis proprij rei legatæ, legatum viciat.
6 Error circa nomen appellatiuum,legatum viciat.
7 Potiorem esse nominis quàm artificij demonstrationem.
8 Error circa materiam,modò de corpore constet, stipulationem non viciat.
9 Nomina in alterius fraudem non mutanda.

Si quidem in nomine,cognomine,prænomine,agnomine legatarij testator errauerit:cùm de persona constat,nihilominus valet legatum. Idemq; in hæredibus seruatur: & rectè.Nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt: qui si alio quolibet modo intelligantur,nihil interest.

b L.si in nomine.C.de test.

¶ *In nomine,cognomine,prænomine,agnomine.*] Videtur hic desumptus locus ex rescripto Imperatoris Gordiani,cuius verba [b] sunt hæc:Si in nomine,vel prænomine,seu cognomine,seu agnomine testator errauerit,nec tamen de quo senserit,incertum sit,error huiusmodi nihil officit veritati.Putat tamen Anto.Augustinus lib.3.Emendatio.cap.8. hic expungendam vocem agnominis, quòd eius veteres non meminerint, & non extet in vetustis exemplaribus Institutionum. Et reuera nihil significat,quod non cōtineatur appellatione cognominis. Vt autem horum verborum
discrimen breuiter explicemus:Prænomina erant singulis propria: quæ non ad familiam totam.
sed ad vnam tantùm personam pertinebant. & quia erant vulgo notiora,non nisi prioribus lite- 1
ris notabantur.Nec potuit sanè vlla esse certior appellatio quàm prænominis. Prænomini subiun 2
gebatur familiæ seu gentis appellatio,quod Nomen specialiter & propriè dicitur. Vt erat nomen
Portiorum,Corneliorum,Iuliorum.Tertio loco addebatur cognomen:quod primum inuentum 3
fuit ad discrimen ipsorum inter sese gentilium:vt quum duæ essent familiæ Claudiæ: vna Marcellorum,altera Pulchrorum habuit cognomen.Et ex gente Cornelia alij Scipionum,alij Syllarum, alij Asinarum cognomen habuêre.Sed verum est quod ait Macrobius,ex cognominibus sæpè facta nomina:& rursus ex nominibus cognomina,quemadmodum & ex cognominibus agnomi-
na.Dicebatur autem propriè agnomen,quod ab euentu aliquo primùm fuerat impositum. vt A- 4
fricani,Numantini,à victorijs:Labeones, Capitones,Cicerones, à quarundam notarum significatione primùm dicti sunt:sed hæc agnomina ad posteros deinde propagata. facta sunt cognomina.Sed & ipsius tribus appellatio cognomini præponebatur. Veluti Seruius Sulpitius Lemonia Rufus.erat enim is ex Lemonia tribu. & plerunque non nisi prioribus literis significabatur ipsa tribus.veluti An.Capito.intelligitur enim Aniensis tribus.

c L.si quis in fundi.de lega.1.

¶ *Legatarij.*] Vel etiam ipsius rei,quæ legatur: modò tantùm erretur in vocabulo, non etiam 5
in communi siue appellatiuo nomine. Id quod eleganter docet Vlpianus his verbis [c]: Si quis in
fundi vocabulo errauit, & Cornelianum pro Semproniano nominauit: debebitur Sempronia- 6
nus.Sed si in corpore errauit:non debebitur. Quòd si quis cùm vult vestem legare, supellectilem ascribit,dum putat supellectilis appellatione vestem contineri; Pomponius scribit, vestem non deberi: quemadmodum si quis putet auri appellatione electrum vel aurichalcum contineri: vel (quod est stultius) vestis appellatione etiam argentum contineri.Rerum enim vocabula immutabilia sunt,hominum verò mutabilia. Hactenus Vlp. Porrò autē & si in finibus agri legati demonstrandis fortè sit erratum, non obesse errorem, si aliter de corpore constet, respondit Scæuola [d]: quemadmodum & si in regione designanda lapsus esset [e]. Postremò nec illud prætereundum est,
non magis nocere,si in appellatione officij erratum sit,quàm si in nomine. Cæterùm potior esset
nominis,quàm artificij demonstrati ratio. Qua de re extat elegans Labeonis responsum, his ver- 7
bis [f]: Qui habebat Flaccum fullonem & Philonicum pistorem, vxori Flaccum pistorem legauit. Qui eorum,& num vterque debebitur?Placuit primò eum legatum esse,quem testator legare sensisset.quòd si non appareret, primùm inspiciendum esse, an nomina seruorum dominus nota habuisset. Quòd si habuisset:eum deberi,qui nominatus esset,tametsi in artificio erratū esset. Sin autem ignota nomina seruorum essent:pistorem legatum videri. perinde ac nomē ei adiectum non esset. ¶ *Si de persona constat.*] Alioqui enim corrueret legatum,sicut & ipsa hæredis institutio [g].Quā enim nominauit personam, eam honorare non voluit testator: & quam voluit, eam non nominauit,nec aliter demonstrauit.

d L.patronus.§.Sempronio.de lega.3.
e dict.l.patronus.§.libertus.
f L.qui habebat.de reb.dub.
g L.quoties.de hære.instit.

¶ *Idem & in hæredibus.*] Nec in his modò vltimis voluntatibus,sed & in contractibus,veluti sti-
pulationibus [h], & emptionibus [i].Sanè & si in materia erretur, modò in corpore conueniat, valet 8
stipulatio. ¶ *Et rectè.*] Probat ergo hic Iustinianus generale rescriptum Gordiani [k], ex quo diximus præsentem locum desumptū:simul & hoc responsum Iuliani [l]:Et si in prænomine vel* agnomine erratum est,eum ad quem hæreditas pertinet,etiam bonorum possessionem accipere.

h L.si in nomine. l. quæ extrinsecus. §. vl.de verb.signif.
i L.in emptionibus et venditionibus.de cōtrah.empt.
k L.si in nomine.C.de testam.
l L.si ita scriptum.§. sed & cùm de bonor. poss.sec.tab.
**al.cognomine.*

¶ *Nomina*

¶ *Nomina enim.*]Nomina imposita esse ad recognoscẽdos homines, alibi quoq; Iure Ciuili proditum [a] est. Hacq; ratione Diocletianus prohibuit, nomen mutari in alicuius fraudem [b]. Porrò autem si res aliter demonstretur, quàm per nomen, nihil interesse, nostro quoq; iure traditum [c] est.

a L. ad recognoscẽdos. C. de inge. man.
b L. vna. C. de muta. nomin.
c L. certum. D. si cert. pet. condict.

§. *Huic proxima.*

1.4 Demonstratio hoc loco quid?
2 Demonstratione contineri aliquando conditionem.
3 Relatiuum iunctum verbo futuri temporis quid significet?
5 Quid si quantitas in genere legetur?
6 Quid si certa quantitas expressa sit?
7 Quid si quantitas legetur vt species?
8.9 Verna quid?

Huic proxima est illa iuris regula, Falsa demonstratione legatum non perimi: veluti si quis ita legauerit, STICHVM SERVVM MEVM VERNAM DO, LEGO. licet enim non verna, sed emptus sit: si tamen de seruo constat, vtile est legatum. Et conuenienter, si ita demonstrauerit, STICHVM SERVVM, QVEM A SEIO EMI, sitque ab alio emptus: vtile est legatum, si de seruo constat.

¶ *Huic proxima.*]Vtroque enim casu est error, sed illic nominis, hic qualitatis: illic maximè circa personam, hic ferè circa rem ipsam. Porrò autem regula, cuius meminit Iustinianus, traditur à Paulo [d], & Caio [e], & Florentino [f], & Pomponio [g]. Extat lib. 35. Pand. de conditionibus & demonstrationibus & causis, & modis eorum quæ in testamento scribuntur. De demonstratione & causa Iustinianus hic agit. De conditionibus verò & modis non agit, cùm tamen imprimis res digna sit, quæ non prætermittatur. Et sanè cùm de stipulationibus agit postea Iustinianus, de cõditionibus diligenter tractat. Nos eodem loco plura etiam de ijs adijciemus, neque modò conditiones contractuum, sed & legatorum & vltimarum voluntatum persequemur. Interea verò hoc loco si postea quam de causis dictum erit, dixerimus etiam de modis, satis superque esse videbitur. ¶ *Falsa*
1 *demonstratione.*]Ad recta scilicet ipsi rei legatæ. Nam id potissimum tractatur hoc loco. Quòd si personæ ipsius legatarij adijciatur falsa aliqua demonstratio: distinguere solemus, vt si quidem fuerit desumpta à consanguinitate vel affinitate, quæ possit videri causam dedisse legato, falsa noceat [h]: nisi testator ipse falsam esse non ignorauerit, vt si admodum familiarem & amicum, ex consuetu-
2 dine fratrem appellet [i]. Illud etiam notandum est, demonstratione aliquando cõtineri conditionem, vt tum, si falsa sit, nocere dubium non sit. Si tibi ita legauero; Decem, quę tibi debeo. sic interpretamur perinde atque si dictum esset; Si tibi ea decem debeo. vt si non debeantur, inane sit legatum. Non enim videor hæredem meum onerare voluisse, vt aliquid darer, sed tantùm tibi remittere, si quid mihi deberes, & liberationem legare. Sed si dixero, Centum, quæ mihi debes, tibi lego: simplex esse intelligitur, & sine vlla conditione demonstratio: vt & si falsa sit, non noceat [k]. Sa-
3 nè si relatiuum iungatur verbo futuri temporis, conditionem magis quàm demonstrationem significari responsum est [l]. ¶ *Veluti Stichum.*] Obseruandum est hic agi de Demonstratione vnius
4 alicuius certæ speciei. Nam si generi falsa demonstratio adijciatur, aliud est constitutum. Vt si dixerit testator, Lego vxori vestes, quas eius causa comparaui: si nullas vestes eius causa comparârit testator, nihil debebitur ex legato [m]. Nã nec apparet id, quod legatur, corpus. Quòd si certas aliquas
5 vestes legâsset testator, non obesset temerè adiecta hæc demonstratio, QVAS EIVS CAVSA COMPARAVI. Similiter vbi quantitas in genere legatur, nõ minus ipsa incertitudo, quàm falsa demonstratio nocet. Veluti, si tibi, quod Titius debet, fuerit legatum: & is nihil debeat. At si certa quantitas expressa fuisset, non æquè perimeret falsa demonstratio legatum, quia nihilominus apparet,
6 quantum fuerit legatum [n]. Veluti si quis legauerit tibi certam quantitatem, quam ait se tibi debere, aut vxori decem, quæ dotis nomine acceperit. Nam & quamuis nihil prorsus dotis nomine acceperit, debebitur tamen legatum [o]. Sed si Testator dixerit, Lego Titio decem, quæ mihi ab eo debentur, vel quę debet Sempronius: falsa demonstratio noceret. Nam priori casu non videtur testator voluisse suum hæredem onerare: nec aliud legasse, quàm liberationem: magisq; est falsa conditio, quàm demonstratio. Similiter & posteriori casu, si non sit debitor Sempronius, nullum est legatum. Nam & si superstes ab eo exegissem, extingueretur legatum. Quæ quidem omnia vnico
7 suo responso eleganter complexus est Vlpianus [p]. Porrò quod attinet ad quantitatem, quæ legatur vt species: cùm ea tota pendeat à demonstratione, qua primùm constituitur certum corpus, veluti, Lego decem, quæ in arca habeo: non potest valere legatum, nisi quatenus vera est demonstratio [a]. quia nec aliter certum corpus est: nec deberi possit, quod non extat. ¶ *Licet non verna,*
8 *sed emptus sit.*] Verna propriè dicitur seruus domi nostræ natus ex ancilla nostra vel seruo. Olim veteres in magnis Reip. casibus Ver sacrum Dijs vouebant. Quo voto quicquid ex suibus, ouibus, bobus, intra Calendas Martias, & Idus Maias apud quemque natum editúmve fuisset, continebatur: itemque & ex seruis nati. Sed quia eos immolare inhumanum videbatur: velabant adultos, velatosque finibus exigebant, credentes eos ita expiari. Atque ij fuerunt, qui primùm Vernæ
9 dicti sunt, voto Veris sacri. Postea vox latius accepta est, vt quicunque seruus apud nos natus esset, diceretur Verna, qui apud Græcos dicitur οἰκογενής.

¶ *Sitque ab alio emptus.*]Vel etiam à nullo prorsus emptus: sed vel testatori donatus, vel ex hereditaria

d L. falsa demonstratio. de cond. & dem.
e L. demonstratio falsa. de cond. & dem.
f L. si nominatim. de cond. & demon.
g L. Quintus Mutius. 1. de aur. & arg. leg.
h L. nec apud. l. si pater. C. de hered. insti.
i L. nemo dubitat. §. 1. de hered. institu.
k L. si sic. §. 1. de leg. 2.
l L. 6. de lega. 1. l. legatum per eo constitutum. de lega. 3. l. 2. de hered. institu. l. 1. §. vlti. de cond. & demon.
m L. Q. Mutius. 1. de auro & arg. leg.
n d. l. si sic. §. 1. de le. 1.
o L. 1. §. sed & si dotē. de dote relega.
p d. l. si sic. §. 1. de le. 1.
a L. si seruus legatus. §. qui quinque. de le. 1.

ditaria causa acquisitus. Quo certè casu longius abest à vero demonstratio: non tamen magis obest. Sicuti eadem est erroris causa & conditio, siue hæres cœptam vsucapionem perfecturus credat defunctum emisse, quod ei donatum est: siue quod emerit, ab alio emptum putet [a].

a L. nunquam. §. vlt. de vsucap.

§. Longè magis.

1 Cur minus noceat falsa legati causa, quàm falsa demonstratio.
2. 3 Falsa causa legato adiecta, contrariæ voluntatis probatio incumbit hæredi, secus in falsa demonstratione.
4 Theophilus hic notatus.
5. 26. 27 Inter causas, impulsiuam & finalem, distinguendum.
6 Conditio propriè est de futuro.
7. 8 Causa quid? & quotuplex eius ratio?
10 Si probetur, testatorem aliâs legaturum non fuisse, doli exceptio locum habet.
11 Si, pro quia, interdum accipi.
12 Conditiones in præteritum conceptæ quæ?
13 Causam ad futurum relatam, à Iurisconsultis Rem vocari.
14 Tractatus, De conditione ob causam; quo pertineat?
15. 16 De legato sub modo.
17. 18 Modus hic quid significet? (rat?
19. 20. 21. 22. 28. 35 Modus à conditione quomodo diffe-
23 In legato sub modo consequendo, cautionem necessariam esse. fallit num. 24.
25 Vbi aliam fuisse testatoris voluntatem conijcimus, aliud ibi instatuimus.
29 In legatis modum ascriptum pro conditione obseruari; quomodo intelligendum?
30 Ex modo iam dari actionem illi, cui legatarius sub modo quippiam reddere iussus est.
31 Quid si fideicommissum sit vnum sub conditione, alterum sub modo?
32 Quod in conditione tantũ positum est, quid inducat?
33 An excusetur is, per quem non stat, quo minus ascriptus modus impleatur?
34. 36 Modus ascriptus impossibilis, vbi non noceat?

Longè magis legato falsa causa adiecta non nocet: veluti cùm quis ita dixerit, TITIO QVIA ME ABSENTE NEGOTIA MEA CVRAVIT, STICHVM DO, LEGO: vel ita, TITIO QVIA PATROCINIO EIVS CAPITALI CRIMINE LIBERATVS SVM, STICHVM DO, LEGO. Licet enim neque negotia testatoris vnquam gesserit Titius, neque patrocinio eius liberatus sit: legatum tamen valet. Sed si conditionaliter enunciata fuerit causa, aliud iuris est: veluti hoc modo, TITIO SI NEGOTIA MEA CVRAVERIT, FVNDVM MEVM DO, LEGO.

¶ *Longè magis.*] Desumptus est totus hic locus ex responso Caij [b], qui iisdem verbis vtitur, ha-
bentibus scilicet vim quandam ratiocinationis à maiori. Nempe, quòd longè minus nocere de- 1
beat falsa causa, quàm falsa demonstratio; quia sit minus necessaria. Nam & ex mera puraque libe
ralitate legari potest, sine vlla prioris meriti causa [c]. at non potest sine aliqua rei legatæ demonstra
tione. Vnde & adiecta causa solùm mouet dubitationem quandam, an & citra eam æquè legatu-
rus erat testator. Id autem in dubio magis creditur: & contrariæ voluntatis probatio pertinet ad 2
hæredem, qui propter falsam causam contendit legatum peremptum [d]. At vbi falsa est demonstra 3
rio: legatarius probare debet rem alioqui ita certam esse, vt illa nihil obsit. Cuiusmodi sanè discri-
men falsæ causæ & demonstrationis parum expendisse videtur hic Theophilus, qui omittit hæc 4
verba, LONGE MAGIS, & simpliciter confert falsam causam cum falsa demonstratione. Sanè in
titulo Codicis, de falsa causa adiecta legato, simul etiam agitur de falsa demonstratione [e]. ¶ *Cu-
rauit.*] Obseruandũ est hic agi de tempore præterito: vt intelligas magis agi de causa, vt ita loquar, 5
impulsiua, quàm illa finali: quæ quidem ad futurum pertinet, &, vt modus, adijcitur, veluti, Lego
centum, vt hoc aut illud facias: eaq; deficiente constat deficere & effectum. Sed & quæcunque cau
sa ita cohæreret legato, vt si vera esset, ipsum testatoré obligaret: falsa perimit legatũ, vtpote quod
apparet falso nomine esse relictum, nec nisi aduersus testatoris voluntatem præstari posse. ¶ *Con-
ditionaliter enunciata.*] Hoc est, per modum conditionis. Reuera enim hic non potest esse conditio, 6
cùm ea in futurum feratur [f]. ¶ *Aliud iuris est.*] Quia si deficiat illa conditio, deficit & legatũ, quod
deberi noluit testator aliter, quàm si reuera curasset negotia. ¶ *Curauerit.*] Et hoc verbũ in præ-
terito tempore accipiendum est, non secus atque illud, curauit. Vnde & Theophilus vtroque loco
vsus est vno eodemque verbo præteriti temporis, διῴκησε. Nec sanè testator appellasset sua nego-
cia, si de futuris sensisset, quæ magis hæredis sunt. Itaque hæc verba. Si negocia mea curauerit, rectè
interpretabimur; Si apparuerit eum mea negotia iam curauisse. Nam & quidam vetusti Codices
simpliciter hic legunt, CVRAVIT. atque ita legisse videtur & Theophilus. De causa dictum est ha-
ctenus. Sed de modo quoque dicendum est. Itaque quod eò pertinet passus hic sum ex nostris in
Pandectas commentarijs descriptum inseri. Tractatum autem de condirionibus, qui coniungi
solet, alio postea forsitan loco subiungam. Nunc in summa coniunctim complectar, quæ ad cau-
sam & modum pertinent. De causa primum videamus. Ea enim prima est, quæ nos ad aliquid a- 7
gendum siue inter viuos siue in testamento, impellit: & propter quam aliquid fit. Ea autem aut ad
præteritum refertur, aut ad futurum: sed sæpius & propriè magis ad præteritum Causam in præ- 8
teritum conferri ait Vlpianus [g]. Hanc si falsa sit, non nocere vltimis voluntatibus, sed neque ijs, 9
quæ inter viuos geruntur, regula iuris est. At Papinianus [h], Falsam causam legato non obesse ve-

rius

b L. demonstratio. §. quod autem. de cond. & demon.
c L. cũ tale. §. falsam causam. de cond. & demonst.
d d. §. falsam causam.
e L. 2. C. de falsa cau. adie. leg.
f L. cũ ad præsens. l. ita q. D. si cer pet. cõd. l. si fic. §. 1. de lega. 1.
g L. si ita. 12. de cond. & demonst.
h L. 72. cũ tale. §. falsam. de cond. & dem.

ritis esse, quia ratio legandi legato non cohæret. Nempe legatum proficisci potest, & solet ex mera
liberalitate, nullius alioqui meriti causa vel expressum vel prouocatum. Quod quidem rectè dici-
tur, & de ijs, quæ quis inter viuos largitur[a]. Pomponius[b] loquens de ijs, quæ ob causam præteri-
tam dantur, proponit hoc exemplum, cùm ideò do, quòd aliquid à te consecutus sum, vel quod a-
liquid à te factum est. Et adijcit: vt etiam si falsa causa sit, repetitio eius pecuniæ non sit. Sic Pau-
lus[c] repeti non posse ait quod ob causam datur, puta quòd negotia mea adiuta ab eo putaui, licet
non sit factum: quia donare volui, quamuis mihi falso persuaserim. Si tamen appareat, alia fuisse
10 voluntate eum, qui dat vel legat, certè tunc falsa causa noceret. Plerunque (inquit Papinianus[d])
doli exceptio locum habebit, si probetur aliàs legaturum non fuisse. Hac autem fuisse mente faci-
lè intelligetur, qui etiam veluti conditionem adiecerit. Cùm docuisset Caius[e] causam falsam non
nocere, subiecit: At si conditionaliter sit causa, veluti hoc modo, Titio si negotia mea curauerit,
fundum do: Titius filius meus, si frater eius centum ex arca sumpserit fundum percipito: ita vtile
erit legatum, si & ille negotia mea curauerit. aut huius frater centum ex arca sumpserit. Dixerat
Vlpianus[f], si ita legatum sit. QVONIAM FILIVS MEVS MAIOR EX ARCA MEA DECEM SVS-
TVLIT, HÆRES MINOR FILIVS DECEM E MEDIO SVMITO, deberi legatum, quia idcircò
relictum est, vt conditio filiorum exæquaretur. Adiecit autem; & sanè hæc causa est, quæ in præte-
ritum confertur. Quæ verba quandam veluti Antypophoram continent, & illud tacitè significat;
etiam si filius nihil sustulisset nec de conditione filiorum exæquanda ageretur, tamen legatum va
lere. Quod quidem certè dici non posse Caius ostendit, vbi alia mente testatorem fuisse appareret,
veluti si conditionaliter causam illam enunciasset. Quanquam etiam ex verisimili loquentis vo-
11 luntate accipi interdum posit SI, pro QVIA. Conditiones in præteritum conceptas, (si ita appel-
12 landæ sunt causæ conditionaliter expressæ) si falsæ sint, nocere tam vltimis voluntatibus, quá con-
tractibus, iuris perpetui regula docet. Neq; (quod ineptè vulgus facit) distinguendum arbitror; an
fuerint semper impossibiles, an verò veræ aliquando esse, & extare potuerint. Cùm enim à princi-
pio non suspendant quod agitur, simpliciter dicimus id valere, si veræ sint: non valere, si falsæ. In-
terpretes nostros fefellit, & ad ineptam illam distinctionem confingendam impulit corrupta cu-
13 iusdam legis lectio. Porrò sæpe etiam causa refertur ad futurum: quá iurisconsulti specialiter Rem
vocant. Sic enim Pomponius[g] distinguit; vel dari ob causam præteritam, vel ob rem, vt aliquid
sequatur: quo non sequente, repetitionem competere ait. Eoque pertinet tractatus, de conditio-
14 ne causa data, causa non secuta, siue de conditione ob causam. Potestque ea, siue res, siue causa, Mo
15 dus appellari. De modo nunc videamus. Caius[h] posteaquam de causa in præteritum dixit. adie-
16 cit: Si cui in hoc legatum sit, vt ex eo aliquid faceret, sub modo legatum videtur. Scio modum &
apud Latinos autores, & apud Iurisconsultos variè accipi. Sed vulgares eius verbi significationes,
17 quæ huc non pertinent, nunc omitto. Cæterùm cùm de eo agitur in tractatu conditionum, signi-
ficat moderationem quandam rei de qua agitur adiectam: vt qui rem illam consecutus erit, ali-
18 quid vel faciat vel det. Ac interdum quidem etiam conditio appellatur[i]. Sed à vera tamen condi-
tione multùm differt. nam neque obligationem differt suspenditve, neque impedit diem cedere.
Modestinus[k] loquens de testatore, qui ita scripsit. SERVI MEI SVB HAC CONDITIONE LIBE-
RI SVNTO, VT MONVMENTO MEO LVCERNAM ACCENDANT, ET SOLENNIA MORTIS
PERAGANT: respondit neque contextum verborum neque mentem testatoris eam esse, vt libertas
sub conditione suspensa sit, cùm liberos eos monumento adesse voluerit. officio tamen iudicis eos
esse compellendos testatoris iussioni parere. Quòd si modus non impedit, cedere diem legati: non
impediet etiam, quin legatum ad hæredem legatarij transmittatur. licet legatarius antequam mo
19 dum illum impleret, decesserit. Quo rursus nomine modus hic à conditione differt. Quid dico die
cedere? sed neq; eum venire modus prohibet. Posset enim statim peti quod ita legatum est vel de-
20 betur. Sufficit enim cautionem offerri. Papinianus[l] à conditionibus distinguit eas causas, quæ ha-
bent moram cum sumptu, (sic enim modos describit) & admitti cautione oblata docet, exem-
plumque hoc proponit; Si cui datum sit aliquid vt monumentum faciat. Ac iam sanè olim id do-
cuerat Trebatius[m], cùm respondit; Si cui legatum sit vt monumentum faciat, pro eo habendum
21 esse, ac si ita legatum esset. si satisdedisset se ita facturum. Sed & cùm in testamento scriptum esset;
Stichum Titio lego, ita vt eum manumittat: dixit Iulianus petenti legatario Stichum. exceptio-
nem doli mali obstaturam, nisi caueret se libertatem secúdum voluntaté defuncti præstaturum[n].
22 Conditio ante omnia implenda est. vt quod sub ea relictum est, consequamur. Sed si quid sub mo-
do relictum sit, non ita ante omnia modus implendus est, vt id consequamur: verùm cautio suffi-
23 cit. Hæc tamen saltem vna necessaria est. Nam etsi officio iudicis, legatarij vt modum ascriptum
impleant, compelli possint[o]: & si modus non impleatur, legatum solutum reuocari posit[p]: Ta-
men cautionem omitti non debere visum est. Ac eam quidem hæres abs legatario exigit, etiam si
sua alioqui non intersit modum impleri. Sic enim veteres respõderunt[q]; si tibi legatũ sit. vt quid
facias; etiam si non intersit hæredis id fieri. negandam tibi actioné si non caueas hæredi futurum,
24 quod defunctus voluit. Si tamen solius legatarij intersit; vt modus ascriptus non tam necessarium
præceptum continere videatur, quàm consilium & admonitionem quãdam eius rei, quæ illi qui-
dem vtilis esse videtur; Sed eius tamen alioqui arbitrio relicta intelligatur. cùm id posit, si velit. le
gatarius negligere; non erit cautio necessaria. Id Papinianus[r] eleganter his verbis ostendit: Titio
centum ita vt fundum emat, legata sunt. non esse cogendũ Titium cauere Cæcilius existimabat:
quoniam ad ipsum duntaxat emolumentum legati rediret. Sed si filio fratris alumno minus in-
dustrio

a L. 1 de donat.
b L. 52. damus de cõd. indeb.
c L. 65. in summa § d quoque. de cond. ind.
d dict. § falsam.
e L. 17. demonstratio. § quod autē. de cond. & demonst.
f L. 12. fit. de cond. & demon.
g L. 52. damus. de cond. indeb.
h L. 17 demonstratio. § vlt. de cond. et dem.
i L. 21. liberto § Lutio m. de ann. leg. l. 44. Meuia. de manumiss. l. licet. vt leg. nom. caut. l. 70. Titio centū § 1. de cond. & demo.
k dict. l. Meuia.
l L. 79. eas causas. de cond. & demon.
m L. 40. qui h... § vlt. de cond. & demon.
n L. 48. cū in testam. to de fideic. libert.
o L. Mattia. de min. test.
p L. liberto § Lucius. de ann. leg.
q L. 19. § tiot. de leg. 3.
r L. 70. Titio centū. de cond. & demon.

dustrio prospectum esse voluit, interesse hæredis credendum est. Atque ideò cautionem interpo-
nendam, vt & fundus comparetur, & postea non alienetur. Prudenter profectò, vt in causa præ-
terit, sic etiam in modo ascripto, Papinianus, cùm ius commune proposuit, non negligit conie-
cturas voluntatis, à qua ius illud dependet, vt si eam aliam fuisse appareat, ius aliud statuatur. In 25
contractibus, & ijs quæ inter viuos geruntur, planè eadem est ratio. Sic enim & cùm Titio decem
donassem, vt inde Stichum emeret: & quæreretur non empto Sticho quid statuendum esset: re-
a L. 2. §. vlt. & l. 3. de donat.
sponsum est [a], facti magis quàm iuris quæstionem esse. Et si appareat me omnino dedisse, vt eme-
ret Stichum, neque aliter donaturum fuisse, conditionem quandam subesse videri, vt inutilis sit
donatio, si Stichus non ematur. Sed si aliàs quoque donaturus eram, causam magis donationis,
quàm conditionem illam fuisse. Causam (inquam) non (vt loquuntur) finalem, quæ omnino im- 26
plenda sit: sed quam vocant impulsiuam, quæ necessaria non est, neque principalis: vt huic omni-
no acceptum ferre non debeamus, quod actum est. Et generaliter hoc in his donationibus defi-
niendum esse, ait multum interesse, causa donandi fuerit an conditio. Si causa fuerit, cessare repe- 27
titionem; si conditio, repetitioni locum fore. Porrò ad illustrandum discrimen conditionis & mo 28
b L. 20. causam. §. vl. de manumiss.
di, pertinent & alia quædam Prudentum responsa. Papinianus [b], cùm quęreretur de seruo ita em-
pto, vt intra certum tempus manumitteretur, & interea domino emptori certam mercedem an-
nuam præberet, respondit; Conditionem, libertatis mercedem non facere, sed obsequio tempora-
riæ seruitutis modum præstitutum esse. Quibus verbis significat non propterea suspendi ac differ-
ri libertatem (ea enim vis conditionis est, non modi) sed liberum factum ad eam mercedem tene-
c L. 41 cum ab eo, de contrah. empt.
ri. Huius loci est & illud Iuliani [c] responsum; Fundum, quem alij obligaueras, à te sic emi, vt eum
intra certum tempus liberares: non sub conditione, sed sub modo emptionem factam intelligi,
traditum est, vt neque contractus interea suspendatur, neque prohibeatur emptor post illud tem-
pus ex empto agere aduersus venditorem vt fundum liberet. Sed si sub conditione facta esset em-
ptio, veluti, SI EVM LIBERES FVNDVM INTRA TALE TEMPVS, non posse agi vt conditio im-
pleatur, Iulianus respondit. Nempe conditio ea erat in voluntatem potestatemque venditoris col
lata: & interea vim contractus inhibet atque suspendit. Hæc sunt quæ ex Iurisconsultorum libris
breuiter repetita dę modo dici posse videntur. Sed Cęsares etiam, quid illi hac quoque de re rescri-
d L. 1. C. de his quæ sub mo.
pserint, audiamus. Antoninus [d] Caracalla rescripsit; in legatis etiam modum ascriptum, pro con-
ditione obseruari. Sed hoc tantùm eò pertinet, vt non minus modus implendus sit, quàm condi- 29
e L. 2. C. illo tit.
tio impletur: quanquam ille posterius, hæc ante omnia impleatur. Gordianus [e] verò noui aliquid
adiecit. Cùm enim olim ex modo non daretur actio illi, cui legatarius ita quippiam dare iussus e- 30
rat aut restituere: eam dari voluit. Veluti si tibi domum legauerim ita vt Titio centum des, vel eam
domum restituas: vbi legatum acceperis, poteris à Titio conueniri. De conditione non idem dici
posset. Nam cùm ante omnia implenda sit, mirum non est, si re integra nullum ius tribuat nul-
lamque actionem ijs, in quorum persona, si impleretur, implenda fuisset. Si itaq; te institui hære-
dem SI TITIO DECEM DEDERIS: Titius tanquam legatarius non habet ius petendi decem: ne-
f L. si quis sub conditione dandorum. D. si quis omissa causa test.
que de re queri poterit [f], si omissa causa testamenti, ab intestato succedas. Sanè tamen cùm vnus hę
res rogatus esset restituere suam portionem cohæredi, accepta ab eo certa quantitate; Vlpianus
g L. fideicommissa. §. cum esset. de leg. 3.
respōdit [g], duplex esse fideicommissum, non modò vt hæres cogi possit fideicommissario restitue-
re parato præstare quantitatem, sed etiam vt possit ab eo petere quantitatem, paratus portionem
illi restituere. Fingamus itaque sic fuisse fideicommissum vnum sub conditione, alterum sub mo- 31
do: perinde atque si dictum esset: VOLO VT TVAM PARTEM COHÆREDI RESTITVAS, SI TI-
BI DECEM DEDERIT, ET VOLO COHÆREDEM TIBI DARE DECEM, VT TV ILLI RESTI
TVAS TVAM PORTIONEM. Atque ita facilè id interpretamur, quia inter cohæredes res est: quos
inuicem obligare atque onerare facilè potuit testator. Alioqui verò rectè dicitur, id quod in con- 23
ditione tantùm positum est, nullam inducere (vt loquuntur) certam dispositionem: nullam con-
tinere obligationem, nullam denique necessitatem conditionis implendæ. Porrò Antoninus Ca
h dict. l. 1. C. de his quæ sub mo.
racalla [h] illud in modo expressit, quod in conditionibus sæpe quæritur; an excusetur is per quem 33
non stat, quo minus modum ascriptum impleat. Nam cuidam Saturninæ respondens ait; si per te
i L. dictam. C. de cōd. ob. cau.
non stat, quo minus voluntati testatoris pareas, sed per eum, cui nubere iussa es: quo minus id
quod tibi relictum est obtineas, non obest. Sic & alij Cæsares [i], cùm rescriberent dictam legem
donationi ab eo, qui hanc suscepit, non impletam, condictioni facere locum: nominatim adijci-
unt; Si non impossibilem contineat causam: & loquuntur de eo qui dictæ legi, cùm posset non pa
ruit. Certè quoties modus iam tum cùm ascribitur, impossibilis est neque ijs, quæ in testamento 34
relinquuntur, neque ijs, quæ inter viuos aguntur, nocet: Aliter atque conditio: quæ si impossibilis 35
sit, contractibus saltem nocet. Suspendit enim obligationem, vt non antea nascatur quàm condi-
tio extiterit. Quòd si modus causáve cùm ascriberetur, impossibilis non erat: Sed postea per ali- 36
quem casum fiat, quominus impleri possit: certè, vt in conditione, distinguendum videretur, v-
trum à principio in eius potestatem, qui modum implere iubebatur, collatus is fuerit: vt tum, si
per eum non steterit, excusetur. Quid verò si modus, qui ascriptus est, turpis sit? Certè ius illud per-
petuum sequemur, quod in condictione ob turpem causam traditur: vt si turpitudo ex parte vtri-
usque sit: non possit quidem quod promissum est, peti: sed iam solutum non possit etiam repeti.

§. In seruo

§. *An seruo.*

1 2 Hæredis seruo, & e diuerso, hæredis domino, legari quo discrimine possit?
3 Seruo purè cur inutiliter legetur?
4 Catoniana regula quæ?
5 Catonianam regulam ad legata conditionalia non pertinere.
6 Conditionem legatorum non retrotrahi.
7 Vno eodemq; momento non potest in vnam personam concurrere legatum & hæreditas.
8 Quis sit hodie de seruis tractationis vsus?
9 Ad alium hæreditatem, ad alium legati commodum pertinere potest.
10 Rariores & tristiores casus, non mereri curam legislatoris.
11 Legatum ab hærede frustra relictum, an & quomodo sustineri possit?

An seruo hæredis rectè legemus, quæritur. & constat purè inutiliter legari: nec quicquam proficere, si viuo testatore de potestate hæredis exierit: quia, quod inutile foret legatum, si statim post factum testamentum decessisset testator, hoc non debet ideò valere, quia diutius testator vixerit. Sub conditione verò rectè legatur seruo, vt requiramus, an quo tempore dies legati cedit, in potestate hæredis non sit. Ex diuerso, hærede instituto seruo, quin domino rectè etiam sine conditione legetur, non dubitatur. Nam etsi statim post factum testamentum decesserit testator: non tamen apud eum, qui hæres sit, dies legati cedere intelligitur: cùm hæreditas à legato separata sit, & possit per eum seruum alius hæres effici, si prius, quàm iussu domini adeat, in alterius potestatem translatus sit: vel manumissus ipse hæres efficitur: quibus casibus vtile est legatum. Quòd si in eadem causa permanserit, & iussu legatarij adierit, euanescit legatum.

¶ *An seruo hæredis.*] Hic Iustinianus duplicem tractat quæstionem. Prior est, an, si dominus instituatur hæres, eodem testamento legari possit eius seruo. Altera an e diuerso, seruo hæreditas, & eius domino legatum relinqui possit. Docet autem vtrunque fieri posse, sed quodam discrimine: quia priori casu non nisi sub conditione relictum legatum valeat. addit etiam discriminis rationem, sed quæ fiet dilucidior, si adiiciamus alias quinque iuris regulas eodem pertinentes. Confundi obligationem, si in vnam personam concurrant, iura actoris & rei. Ab hæreditate adita cedere diem hæreditatis, quo ipsa acquiritur[a]. Legati puri diem cedere à morte testatoris[b]. Legati condinonalis diem primùm cedere existente conditione[c]. Non posse quem simul & legatarium esse, & hæredem[d]: vt nemo sibi ipsi debere potest.

Constat purè inutiliter legari.] Nam quicquid tandem hîc agat dominus hæres scriptus, non potest esse legato locus. Si hæreditatem repudiat: corruunt, hoc saltem iure, legata[e]. Si adeat, obest concursus. Cùm enim dies puri legati seruo relicti iam cesserit: acquireretur domino legatum per seruum eodem momento, quo hæreditatem adit. At vbi seruo sub conditione legatur: nihil
1 tale metuendum est. Nam euenientis conditionis tempore, quo primùm intelligitur acquiri legatum, potest seruus vel liber esse, vel alium habere dominum.

¶ *Nec quicquam proficere.*] Hic Iustinianus occurrit tacitæ obiectioni quorundam, qui causaren-
2 tur, facilè tolli posse impedimentum: nempe seruo manumisso, aut alienato ante mortem testatoris, vel adita eius hæreditate. Respondet enim ex regula Catoniana: non conualescere legatum, quod ab initio fuit inutile. Ea autem. sic (vt inquit Celsus[f]) definiebat. Quòd si testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret, id legatum, quandocunque decesserit, non valere. Paulus generalius etiam dixit[g]; Quòd ab initio vitiosum est. non posse tractu temporis conualescere. Et alio loco exemplum & suæ & Catonianæ regulæ proponit[h]. Posteaquam enim tradidisset Senatusconsulto cautum esse; legari non posse, quæ ædibus iuncta sunt; narrat quæsitum fuisse & tractatum; an saltem cùm marmora ab ædibus separata fuerint, legatum conualescat. Respondet autem; si ab initio non constitit legatum. ex postfacto non conualescere. Purum itaque hoc legatum regula Catoniana impediri. Addit & aliud exemplum: Quemadmodum (inquit) nec re mea legata mihi, si post testamentum fuerit alienata, legatum conualescit, quia
3 vires ab initio legatum non habuit. Quod & Iustiniano placuisse videtur[i].

¶ *Sub conditione verò.*] Regulam Catonianam ad legata conditionalia non pertinere ait idem
4 Paulus eodem loco. Itaque & meam rem mihi sub conditione non inutiliter legari, alio etiam loco dixit[k]. Constat. conditionem legatorum non retrotrahi, ne quidem ad tempus mortis: nec eorum diem cedere antequam conditio existat: vt tum etiam primùm legatum esse relictum videatur. Hoc itaque tempus potius quàm testamenti hîc inspicitur: vt satis sit, legatum eo tempore non esse inutile, quo conditio existit. Neque noceat fuisse inutile testamenti tempore: quo quidem etsi mortuus fuisset testator, non magis propterea corruisset legatum, quod abs sua adhuc conditione pendebat.

5 *Non tamen apud eum.*] Hoc est, Non potest intelligi legatum, quod domino relictum est, acqui-
6 ri seruo hæredi, sicuti nec domino legatario statim acquiri hæreditas seruo relicta. Prius enim

a L. vnica §. in nouissimo C. de cad. toll.
b Dict. §. in nouissimo
c L. cedere diem. de verb. signif.
d L. & quid. l. legatū est. §. 1. de leg. 1.
e L. si sibi homo §. cum seruus de leg. 1. l. si vero. de testam. tute.
f L. 1. de reg. Caton.
g L. 29. quod ab initio de reg. iur.
h L. ceter. §. 2. de le. 1.
i §. sed si rē. Sup. eod.
k L. mea res do cond. & dem.

opus est vt seruus iussu domini eam adeat. Itaque non potest non esse prius acquisitum legatum,
quod purum est, & cedit à die mortis testatoris. Sic vt vno eodemque momento non posit hic 7
in vnam personam concurrere legatum & hæreditas. Quòd si cui videantur hæc maioris acumi-
nis quàm vsus; quia nulli sint hodie serui; is mihi admonendus est. eadem esse constituta & in 8
filiosa. ac patre[a]: modò tamen interim meminerimus nouæ Constitutionis Iustiniani, solum
vsumfructum aduentitiorum patri acquiri.

a L. à filio. l. quæsitum de leg. 1.

¶ *Cum hæreditas à legato separata sit.*] Hoc est, Cùm ad alium hæreditatis, ad alium legati com- 9
modum pertinere posit. nec ea hic permisceantur aut confundantur, talem vno eodemque
tempore: cùm non acquirat dominus seruo, sed sibi per eum acquirat ipsam etiam hæreditatem,
quam iussit eum adire. quod quidem non potest: non fieri longo interuallo post acquisitionem
legati, quod cedere intelligitur à die mortis: vt quandocunque adeatur hæreditas, ex eo tempore
acquisitum videatur.

¶ *Et posit per eum seruum alius hæres effici.*] Si quis dicat; etiam in priori casu idem euenire posse,
vt scilicet alius efficiatur hæres per ipsum dominum, qui institutus est, & deinde alterius seruus
factus. Respondeo, hic non expectari, nec considerari tam tristem fortunam, aut eius periculi:
& rariorem eum esse casum, quàm vt meruerit curam Legislatoris. Posset sanè etiam dominus, 10
si se arrogandum daret, arrogatorem facere: sed cùm etiam eius fiat seruus legatarius, necesse est
eum vel legatum vel hæreditatem hæredem reiicere, cùm non posit vtrunque simul consequi.
Porrò illud postremò est obseruandum; legatum ab hærede frustrà relictum, posse sustineri, si hæ-
redi adiectus sit substitutus, à quo censeatur repetitum[b]. Vt si dominus hæres non fiat, posit sal- 11
tem consequi legatum seruo relictum à substituto.

b L. si ret Imperator. de lega. 1.

1 *Hæredis institutio primum olim in testamento locum obtinuisse.*
2 *Testamentum hæredem non habens, non valet.*
3 *Ordinem scripturæ non impedire caussam iuris ac voluntatis.*
4 *Inciuilem præscripti ordinis in testamentis seruitutē veteribus etiam displicuisse.*
5 *Coniectura diuersæ hic lectionis.*
6 *Scriptura vitia non obesse vltimis voluntatibus.*
7 *Legata post mortem composita an valeant?*
8. 9 *Legatum post mortem legatarij relictum, purum esse, secus quod post mortem hæredis.*

Ante hæredis institutionem inutiliter anteà legabatur: scilicet quia testamenta vim ex institutione hæredis accipiunt, & ob id veluti caput atque fundamentū intelligitur totius testamenti, hæredis institutio. Pari ratione nec libertas ante hæredis institutionē dari poterat. Sed quia inciuile esse putauimus, scripturæ ordinem quidem sequi (quod & ipsi antiquitati vituperandum fuerat visum) sperni autem testatoris voluntatem: per nostram Constitutionem & hoc vitium emendauimus: vt liceat & ante hæredis institutionem, & inter medias hæredum institutiones legatum relinquere, & multò magis libertatem, cuius vsus fauorabilior est. Post mortē quoque hæredis aut legatarij simili modo inutiliter legabatur: veluti si quis ita dicat, CVM HAERES MEVS MORTVVS FVERIT, DO, LEGO. item, PRIDIE QVAM HAERES AVT LEGATARIVS MORIETVR. Sed simili modo & hoc correximus, firmitatem huiusmodi legatis ad fideicommissorum similitudinē præstantes, ne in hoc casu deterior causa legatorū, quàm fideicōmissorū inueniatur.

¶ *Inutiliter antea legabatur.*] Huius antiquitatis Paulus lib. 3. Sententiarum meminit. Et legimus 1
priscum & solennem fuisse apud Romanos morem. vt primo testamenti capite, hæredis fieret in-
stitutio, deinde subiiceretur Substitutio, tandem in ima cera legata relinquerentur, religiosa qua-
dam obseruatione certi ordinis: quem tamen etiam ante Iustinianum apparet sæpè fuisse negle-
ctum. Nam & in prisco illo Lucij Cuspidij testamento, quod suprà exhibui, à legatis sumitur exor-
dium. ¶ *Vim.*] Hoc illud est, quod Longinus aduocatus fisci dixit aliquando coram Antonino
Imp. non potest illud testamentum valere. quod hæredem non haberet[c]. Et Iulianus ait; tabulas 2
testamenti non intelligi quibus hæres scriptus non est, sed magis codicillos[d]. ¶ *Sed quia inciuile.*]
Non est quidem omnino inciuile sequi ordinem scripturæ (nam id in iure sæpe fit[e]) sed est inci-
uile postponere testatoris voluntatem, cùm Leges tum demum sequantur ordinē scripturæ, cùm
facit ad coniecturam dubiæ voluntatis. Et alioqui verum sit, quod ait Papinianus; ordinem scri- 3
pturæ, non impedire causam iuris, ac voluntatis[f]. ¶ *Quod & ipsi.*] Hæc parenthesis indicat, etiam
antiquitatem vituperâsse inciuilem illam præscripti ordinis seruitutem, nec rarò contempsisse. 4
Fortasis aptius esset, si coniiceremus, quandam hic esse factam metathesin horum verborū,
quod &: potiusque legendum, &, (quod & scilicet) hoc modo: Scripturæ ordinem quidem sequi,
& (quod ipsi antiquitati vituperandū fuerat visum) sperni testatoris voluntatē. Sic enim fortasis 5
melius significabitur, quid antiquitati maximè displicuerit, nēpe sperni testatoris volūtatem. Sed
huic cōiecturæ refragatur exēplariū fides, & ipsius quoque Theophili versio. ¶ *Per nostra constitu-
tionem.*] Non extat alia, quàm ea[g], quæ scripta ad Mennam Præfectum Prætorio, statuit; non ob-
esse voluntati vitia scripturæ, aut tabellionum. ¶ *Et inter medias.*] Quo casu olim non nisi dimi- 6
dium debebatur, nempe id, quod post institutiones adiiciebatur, saltem si per vindicationem re-
linquebatur. ¶ *Cuius vsus fauorabilior est.*] Anteà dixit Iustinianus[h], huius fauore antiquos Le-
gumlatores multas etiam communes regulas statuisse.

c L. pen. de his quæ in test. del.
d L. vlt. de iure cod.
e L. quoties. de vsufr. l. generaliter §. si quis ergo. de fideicō. libert.
f L. cum pater §. fidei tua. de lega. 2.
g L. ambiguitates C. de testamen.
h §. vlt. supr. de don.

¶ *Hæredis*

¶ *Hæredis aut legatarij.*] Quid autem si in contractibus, alibi annotabimus[a]. *Item, pridie quàm.*]
Vt hoc exemplum rei, de qua agitur, conueniat, sciendum est, videri quidem hic legari ante mor-
tem, nempe pridie: tamen cùm certum esse non possit, nisi morte subsecuta, quis tandem fuerit
dies relicti legati, quia incertus sit mortis futuræ dies: ideo perinde habetur, atque si post mortem
esset legatum: vbi scilicet alio quidem citeriori die legatur. sed qui ante mortem certus esse nō pos-
sit. ¶ *Et hoc correximus.*] Extat Iustiniani Constitutio[b], qua probat legata post mortem composi-
ta: statuitque, vt actiones & ab hæredibus, & contra hæredes incipiant. ¶ *Firmitatem præstantes.*]
7 Aliquo tamen discrimine mortis: Nam quod post mortem legatarij relinquitur, purum est. quod
8 verò post mortem hæredis, incertam habet conditionem, quia sit incertum, an hæres morietur ad-
huc superstite legatario. Nam si legatarius prius moreretur, non transmitteret legatum ad suum
9 hæredem. Deinde & illud obseruandum est, id quod post mortem hæredis legatur, præstari qui-
dem ab hærede ipsius hæredis, sed aliter si nominatim esset relictum ab ipso hærede hæredis: quia
priori nostro casu magis onus est ipsius primi hæredis, post cuius mortem legatur, eiusque bona
minuere dicitur[c]. Quod in fideicommisso magis apparet[d]. Rursus quod legatum est post mor-
tem legatarij, accipit quidem hæres legatarij, non alio quàm hæreditario titulo: adeò vt hoc lega-
tum referatur inter bona ipsius legatarij[e]. ¶ *Huiusmodi legatum.*] Quibuslibet & quarumcunque
tandem rerum.

a §. post mortem. infr. de inutilib. stip.
b L. vnica C. vt act. ab hær.
c L. pœnales D. ad leg. Falcid.
d L. cohæredi §. cum filiæ de vulg. & pup.
e Dict. l. pœnales.

§. *Pœnæ quoque nomine.*

1 *Antoninus decretum Cæsaris Dictatoris de testamentis faciendis quale antiquârit?*
2 *Pœnæ nomine cur nihil veteres legandum putarint?*
3 *An iure Pandectarum legare pœnæ nomine licuerit?*
4 *Pœnam tribus modis adiici.*
5 *Cur hodie, pœnam hæredis vel legatarij coercēdi causa adiici, non opus?*
6. 7 *Vt libertas matrimoniorum pœnæ astringi non potest, ita ad ea spe lucri inuitare licet.*
8 *Quamplurimis illis principalibus cōstitutionibus quæ hîc intelligendæ?*
9 *Quid, si quis legibus interdictum, vel impossibile aliquid facere testamento iussus sit?*
10 *Impossibilis conditio vtrū ei cui relinquitur an verò ipsi à quo relinquitur, ascribatur, interest.*

Pœnæ quoque nomine inutiliter anteà legabatur, & adimebatur, vel transferebatur. Pœnæ autem nomine legari videtur, quod coërcendi hæredis causa relinquitur, quò magis aliquid faciat, aut non faciat: veluti si quis ita scripserit: HAERES MEVS, SI FILIAM SVAM IN MATRIMONIVM TITIO COLLOCAVERIT: vel ex diuerso. SI NON COLLOCAVERIT, DATO DECEM AVREOS SEIO: aut si ita scripserit, HAERES MEVS SI SERVVM STICHVM ALIENAVERIT: vel ex diuerso, SI NON ALIENAVERIT, TITIO DECEM AVREOS DATO. Et in tantum hæc regula obseruabatur, vt quàm plurimis Principalibus Constitutionibus significaretur, nec Principem agnoscere, quod ei pœnæ nomine legatum sit. nec ex militis quidem testamento talia legata valebant, quamuis aliæ militum voluntates in ordinandis testamentis valdè obseruabantur. quinetiam nec libertates pœnæ nomine dari posse placebar, eo amplius nec hæredem pœnæ nomine adiici posse, Sabinus existimabat: veluti si quis ita dicat, TITIVS HAERES ESTO: SI TITIVS FILIAM SVAM IN MATRIMONIVM SEIO COLLOCAVERIT, SEIVS QVOQVE HAERES ESTO. Nihil enim intererat, qua ratione Titius coërceretur, vtrum legati datione, an cohæredis adiectione. Sed huiusmodi scrupulositas nobis non placuit: & generaliter ea, quæ relinquuntur, licet pœnæ nomine fuerint relicta, vel adempta, vel in alium translata, nihil distare à cæteris legatis cōnstituimus, vel in dando, vel in adimendo, vel in transferendo: exceptis videlicet iis, quæ impossibilia sunt, vel legibus interdicta, aut aliàs probrosa. Huiusmodi enim testamentorum dispositiones valere secta meorū temporum non patitur.

¶ *Pœnæ quoque nomine*] Scribit Iulius Capitolinus, Antoninum Pium Imp primùm statuisse, ne
pœnæ causa legatum relictum maneret. Quo loco admonet Egnatius mutilatam esse lectionem.
1 Sensum autem ex Dionis historiis esse huiusmodi: Cùm Cæsar Dictator per Senatum censuisset,
vt qui testamentū facerent, partē quandā Reip. & Fisco legarent, irrito aliàs testamēto: primus An-
toninus decretū illud antiquauit. Quòd si de iis legatis verè intelligatur ea Antonini Constitutio,
nihil huc pertinet. Hic enim agimus de aliis legatis pœnæ causa relictis, nempe ad coërcendam hæ-
2 redis tergiuersationem. ¶ *Inutiliter.*] Nec omnino sine ratione Nam hęc legata videbantur pen-
dere ab hæredis arbitrio, cui liberum erat imperata faciendo, legatum perimere. Deinde ma-
gis relicta videbantur hæredis odio, quàm propensa in legatarium affectione, atqui beneuo-
3 lentia magis solet esse iustorum legatorum causa[f]. ¶ *Antea.*] Cùm in Pandectis extent responsa
veterum Iurisconsultorum, qui disertè probant[g], & vtilia esse iudicant hæc legata[h], idque sub eadē
distinctione, quam proponit Iustinianus: coniicimus hic significari priorem quandam vetustio-
ris iuris obseruationem, quo eiusmodi legata damnabantur: vel sanè responsa nostrorum Iu-

f L. nec adiectis. D. pro soc.
g L. 1. de pœnis leg. l. si pœn. D. quādo di. leg. ced. l. 1. §. itē si ita D. ad leg. Falcl.
h L. 1. de his quæ pœnæ nomi.

risconsultorum in Pandectis accommodata ad posterioris iuris rationem. ¶ *Legabatur, adimebatur, transferebatur.*] Indicat hîc Iustinianus pœnam tribus modis adiici. De posterioribus sequenti titulo agemus. Prioris exemplum hoc est: Nisi feceris, damnas esto dare Sempronio decem. 4

a L. vlt. de fideicom.

¶ *Coercendi hæredis causa.*] Cum iam extet Iustiniani Constitutio[a], qua sanxit, hæredes iustis defunctorum mandatis non obtemperantes multari omni commodo hæreditatis: idque disertè repetitum est & confirmatum Nouella eius Const. prima: non est hodie admodum opus, coërcendi 5
hæredis vel legatarij causa, pœnam adiicere: nisi quis velit eam minuere, quam lex imponit.

b L. Titia. de verb. oblig.
c L. Titio centū §. Titio centū. de verb. oblig.
d L. vlt. supr. quib. mo testam. infirm.

¶ *Si filiam suam.*] Non potest quidem libertas matrimoniorum adstringi pœnæ[b], aut periculo 6
perdendæ rei propriæ, hoc est, eius, quæ sit alterius futuri coniugis: sed tamen permissum est, aliquem ad matrimonium inuitare, vel ab eo deterrere, proposita spe alicuius lucri[c], cùm impunè 7
sit non parere: hoc est, nullo damno afficiatur, qui libertatem matrimonij pluris facit, etiam si lucrum non assequatur. ¶ *Quam plurimis principalibus constitutionibus.*] Supra traditum est[d], Pertinacem Imp. sua Oratione expresisse, nil se capere velle ex vlla scriptura, cui iuris authoritas desit: & 8
secundum hoc Seuerum & Antoninum sæpissimè rescripsisse. Alias autem Principales Constitutiones, quæ huc pertinere possint, extare non puto. ¶ *Constituimus.*] Extat hæc Iustiniani Constitutio, lib. 6. Codicis[e]. ¶ *Exceptis videlicet iis.*] Hanc exceptionem Iustinianus in sua Constitutione proponit his verbis: Quòd si aliquid facere vel Legibus interdictum, vel aliàs probrosum, 9
vel etiam impossibile, iussus aliquis eorum fuerit: tunc sine vllo damno, etiam neglecto testatoris præcepto, seruabitur, emolumentum nempe relictum. Similis est & illa exceptio, cuius conditionem passim in suis Nouellis Iustinianus ascribit, cùm iubet testatorum vltimas voluntates obseruari. Vt in No. Constit. 1 agens de obseruandis defunctorum mandatis, disertè addit hanc conditionem, εἰ τὸ προσταχθὲν νόμιμον εἴη, ἢ μήτε αὐτὸ νόμος κωλύσειεν, [Si quod præcipitur legitimum sit, aut non illud lex aliqua prohibeat.] Et paulò ante; καίτοιγε (inquit) καὶ τοῖς πάλαι νομοθέταις εἴρηται, φυλάττειν τὰς τῶν τελευτώντων διατυπώσεις, ὅσαι μὴ μάχονται νόμοις, πᾶσι πληροῦσθαι τρόποις. [Cùm vtique etiam à veteribus legislatoribus dictum sit; competentes deficientium dispositiones, quæcunque non repugnant legibus, modis omnibus debere impleri.] Et rursus in Nouella Constit. 22. οὐ βουλόμεθα (inquit) τὰς τῶν τελευτώντων ἰδεῖν ἄτοπον ἐχούσας βουλὰς διαπίπτειν, [non volumus morientium nihil absurdi continentes voluntates intercidere.] ¶ *Impossibilia sunt.*] Constat omnes impossibiles conditiones tam in hæredum institutionibus, quàm legatis reiici, vt maneat dispositio pura[f]. Verùm id accipiendum est, vbi ascribitur conditio, cui relinquitur: veluti; Si digito cælum attigeris, legatum accipito, vel hæres esto[g]. Cæterùm vbi adiiceretur ipsi, à quo relinquitur, veluti, Nisi tu hæres digito cælum tetigeris, dato Titio centum: nihili est dispositio: qua enim fronte exigas pœnam, eius non facti nomine, quod fieri non potuit? Idque videtur significasse hoc loco Iustinianus.

e L. vnica C. de iis quæ pœnæ nomine.
f L. 1. de cōdi. insti. l. obtinuit de cōd. et dē.
g L. si Mænia mater mea. de hær. insti.

¶ *Legibus interdicta.*] Sic videlicet, vt nec à testatore possint permitti, sicuti nec ei liberum esse solet efficere, quin leges in suo testamento locum habeant[h]. ¶ *Secta meorum temporum non patitur.*] Vtitur & alio loco Iustinianus hac loquendi formula[i]. Significat autem apud Latinos Secta certam quandam viuendi disciplinam, vel institutorum rationem, vt apud Tullium in Verrinis. Columella lib. sexto coniungit sectam & legem.

h L. nemo de leg. 1.
i L. vlt. in fi. C. de pact.

De ademptione Legatorum. Titulus XXI.

ADemptio Legatorum (siue eodem testamento adimantur, siue codicillis) firma est. Sed & siue contrariis verbis fiat ademptio, veluti si quis ita quid legauerit, DO, LEGO, ita adimatur, NON DO, NON LEGO: siue non contrariis, sed aliis quibuscunque verbis.

Transferri quoque legatum ab alio ad alium potest: veluti si quis ita dixerit, HOMINEM STICHVM QVEM TITIO LEGAVI, SEIO DO, LEGO: siue in eodem testamento, siue in codicillis hoc fecerit, quo casu simul & Titio adimi videtur, & Seio dari.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1.2 *Ademptio legatorum quomodo fiat?*

3.4 *Voluntas testatoris ambulatoria est, eamq́; subinde commutare ipse potest.*

5 *Tacitè etiam legatum quomodo ademptum esse intelligatur?*

6.7.8 *Legatum quomodo ad alium rectè transferatur?*

9 *Quid si translatio facta sit propter infirmitatem prioris legatarij.*

10 *Pronominis, qui, quæ, quod, qui effectus?*

11 *Dictio, IDEM, in legato, quid efficiat?*

12 *Quid, si idem diuersis legetur?*

13 *Legatū sub eadem conditione sub qua datum est trāsferetur, fallit num. 14.*

15 *In legis Falcidiæ ademtione nulla habetur ratio voluntatis testatoris.*

Sine

1 S *Ieredem testamento.*] Siue alio: etiam imperfecto, modò in hoc expressè adimatur, quod in
priori erat relictum. Alioqui enim tacitè non intelligitur infirmasse priorem voluntatem, qui
posteriorem reliquit imperfectam [a]. ¶ *Siue Codicillis*] Siue etiam absque vlla scriptura. Sola e-
2 nim hic voluntas sufficit ad infirmanda legata vel fideicommissa [b]. Vnde & rescriptum est [c]; non
præstari fideicommissum, probata eius, qui reliquerat, pœnitentia.
¶ *Firma est.*] Nam & dicitur testatoris voluntas ad supremum vitæ exitum ambulatoria [d]. Vn-
3 de liberum est priorem sententiam posteriore corrigere, commutare, rescindere [e], hucque etiam
4 pertinet responsum Pomponij [f]. In legatis nouissimæ scripturæ valent: quia & mutari causa præ-
cedentis legati, vel in diem, vel in conditionem, vel in totum ademptione potest. Sed & si sub alia
& alia conditione legatum ademptum est: nouissima ademptio spectanda est. Interdum tamen
in legatis non posterior, sed præcedens scriptura valet. Nam si ita scripsero: Quod Titio infra le-
gauero, id neque do, neque lego: quod infra legatum erit, non valebit. ¶ *Sed aliis quibuscumque*
5 *verbis.*] Vel etiam prorsus sine vllis verbis. Sufficit enim etiam tacita voluntas: & voluntatis mu-
tatæ coniectura colligi potest ex variis circunstantiis, veluti ex capitali simultate [g], quæ nulla fue-
6 rit reconciliatione composita. ¶ *Transferri quoque.*] Inquit Caius [h]. Sicut adimi legatum potest,
ita & ad alium transferri: veluti hoc modo, Quod Titio legaui, id Seio do, lego, quæ res in perso-
na Titij tacitam ademptionem continet. Addit deinde Paulus translationem legati fieri quatuor
7 modis. ¶ *Ad alium.*] Etiam si nulla sit cum eo testamenti factio. Sic enim scribit Vlpianus [i]: planè
vbi transferre voluerit legatum in nouissimum, priori non debebitur: tametsi nouissimus talis sit,
8 in cuius persona legatum non consistat. Et Pomponius [k], Si (inquit) transferam legatum in eum,
9 cum quo nobis testamenti factio non est, siue in seruum proprium, cui sine libertate legauero: li-
cet eis non debeatur, nec illi tamen debebitur, cui fuerit ademptum. Cæterum illud sciendum
est, Translationem factam propter infirmitatem prioris legatarij, & formidatam eius mortem,
pendere ab ipso morbo, nec aliter ratam fore quàm si ex ea infirmitate decesserit legatarius [l].
¶ *Hominem Stichum, quem Titio legaui.*] Sed & si simpliciter & generaliter ita dixerit, Quod Ti-
10 tio legaui, id Seio do, lego: intelligetur ademptio & translatio. Semper enim pronomen substan-
tiæ efficit, vt adempta res primo videatur & cùm ad totum referatur, nō patitur, vt ambo legatarij
concurrant. Cæterùm aliud dicendum esset, si adiecta fuerit dictio, IDEM veluti, Quod Titio lega-
11 ui, idem Seio do, lego. Hic enim ambo ad idem legatum admittentur: censetur que hoc pronomē,
12 IDEM habere inclusam copulam, quę auget; & ad genus potius, quàm ad substantię speciem refer-
tur, vti ex Valla docet Alcia. lib. 7. Parer. cap. 8. Quare & si scripserit testator; Ex qua parte Titium
institui, ex eadem Sempronius hæres esto: vterque vocatus videbitur ad eandem partem [m].
¶ *Et Seio dari.*] Idque eadem lege & conditione. Sic enim respondit Papinianus [n]: Legatum sub
13 conditione datum cùm transfertur, sub eadem conditione transferri videtur, si non cōditio prio-
14 ri personæ adhæreat. Nam si quis vxori sublatis liberis legauerit: repetita conditio non videbitur,
quæ fuit in persona mulieris necessaria. Atque hæc quidem hactenus de ademptione, quæ nomi-
15 natim fit ab ipso testatore. Nunc priusquam transeamus ad Legis Falcidiæ ademptionem, in qua
nulla habetur ratio volūtatis testatoris, appendicis loco subiiciamus aliquid de ademptione, quæ
fit quidem à Lege, sed partim ex coniectura voluntatis testatoris, partim propter pœnam. Et quia
in eo præcipuè genere versantur duo tractatus lib. 34. Pand. nempe de his quæ pro non scriptis ha-
bentur; & Quæ vt indignis auferuntur; non grauabor quod ad eos aliquando annotaui, atque
etiam in scholis dictaui, cùm eam Pandectarum partem explicarem, hoc loco ascribere.

a L. si iure testamento de leg. 3.
b dict. l. si iure.
c L. fideicommissum. C. de fideicom.
d L. quod si seruum. de adi. lega.
e L. nihil prohibet de adi. leg.
f L. si mihi & tibi §. in legatis de lega. 3.
g L. 3 §. vlt. de adi. le.
h L. si ut adimi. de adi. lega.
i L. planè vbi de leg. 1.
k L. si transferam. de adi. leg.
l L. alumnæ. §. vlt. de adi. lega.
m L. Institutum. de hæred. instituend.
n L. legatū sub conditione de adi. lega.

AD TITVLVM DE HIS QVAE PRO NON SCRIPTIS HABENTVR.

1 *Caducum Latinis quid?*
2.3.4.5.6 *Caduca glans; aqua; hæreditas; bona; legata quæ?*
7 *Caducum generalius quid?*
8 *Lex Papia siue Poppea & Iulia, ab Augusto recognita.*
9 *Lege Papia cœlibes nihil ex testamentis capiebant.*
10 *Lex Papia de pœnis cœlibatus & orbitatis per quos sublata?*
11 *Nuptias parum legitimas contrahentes incidisse in pœnam caduci.*
12 *Nuptias inter sexagenarium & quinquagenariā cōtractas lex Papia habuit illegitimas.*
13 *Libertas hodie nuptiarum effecta, etiam senibus concessa.*
14 *Caduca specialiter & propriè quæ?*
15.16 *Hæreditas & legata caduca quæ?*
17.18 *Iustinianus quomodo ius vetus caducorum correxerit?*
19 *Hæreditates & legata in causa caduci quæ fuerint?*
20.21.22.26 27.29.42 *Quæ legata pro non scriptis habeantur?*
23 *Deportati alimenta testamento relicta petere & capere possunt.*
24 *Legatum seruo pœnæ cur pro nō scripto habeatur?*
25 *Deportati seruo legatum ad fiscum pertinere.*
28 *Illecebris alterius voluntatem captare non licet.*
30 *Accursij interpretatio notata.*
31.32 *Ad quem recedant caduca, vel pro non scriptis habita?*
33.36.38.39 *Vtrum, vbi nullus est substitutus, pro non scripto habita legata penes hæredem maneant, an verò collegatario accrescant?*
34 *De hæreditatibus si agatur, quid iuris?*
35 *Cur in legatis accrescendi ius non facile admittatur?*
37 *Vnde hic testatoris voluntas coniectādo percipienda?*

40 Quid. si quis & alteri scripserit legatum?
41 Quid, si mihi & hæredi suo, cui à semetipso inutiliter legatur, aliquis legauerit?
42.43 Mutatio iuris ante Iustinianum quæ?
44 Cum de legatis agitur, primus locus est substitutionis, 2. coniunctionis, 3. hæredis.
46.47 Legem quoque Papiam rationem habuisse parentum liberorumq́; hæredum.
48 An caduca, vel pro non scriptis habita, ad alium transeant cum suis oneribus & conditionibus?
49 Inter ea quæ deficiunt, & ea quæ à principio non consistunt, distinguendum.

VT hunc tractatum perfectum habeamus, initio adiungendus est tractatus de caducis. No-
tùm est quid Latini appellent caducum, cùm dicunt parietem caducum. Sed Iurisconsulti 1
a L. silua de verb. sig. caducam etiam glandem vocant, quæ iam ex arbore cecidit[a]. Et aquam caducam vocabant ex 2
lacubus redundantem, atque effluentem, de qua extat edictum Neruæ apud Frontinum. Memi- 3
nit & Cicero in Philippica 10. caducarum hæreditatum. Et caducorum bonorum, quæ fisco addi- 4
b L. 20. cũ fil. D. ad Syl. cuntur, fit quoque mentio in Pandectis[b]. De caducis hæreditatibus & legatis hoc loco dicendum 5
est. Ac in illis quidem fragmentis quæ circunferuntur Vlpiani nomine, Tit. 7. scriptum est, quod 6
quis sibi testamento relictum, ita vt iure ciuili capere posit, aliqua deinde ex causa non ceperit,
propriè caducum appellari, quia is videlicet ceciderit ab eo. Quanquam & generalius caducum 7
etiam appellabatur, quod quis ab initio capere non potuerat ex testamento. Fuit autem lex ve-
tus Papia, quæ & Poppæa dicitur, & Iulia ab Augusto recognita, atque etiam quibusdam capiti- 8
c L. vnica C. de caducis tollendis. bus aucta, de caducis, iisque fisco vindicandis. Ac quidem Iustinianus in principio significat[c], na-
tam fuisse propter bella ciuilia, quæ ærarium, atque fiscum exhauserant; sicuti & Cornelius Ta-
citus fatetur præcipuè augendi ærarij causa perlatam esse: addo, & populi augendi, ciuitatisque
sobole replendæ causa. Fuit huius legis vnum caput, vt cœlibes nihil caperent ex aliorum testamē- 9
tis, sed quod iis relictum esset, fiscus tanquam caducum occuparet: Item, si quis coniugatus esset,
sed liberos non gigneret, nisi si vel ætate, vel absentia iusta excusaretur, non caperet solidum lega-
tum, sed eius quod etiam alter coniux alteri relinqueret, dimidiam partem vt caducam fiscus ha-
beret. Vtrunque verò hoc caput legis Papiæ de pœnis cœlibatus & orbitatis sublatum fuit per prin- 10
d L. 1. & 2. C. de infirm. pœnis cœli. et orb. cipes Christianos, nempe per Constantinum & Theodosium multis annis ante Iustinianum[d]. Sic
hæ species caducorum sublatæ fuerunt. Fuit & tertium quoddam caput legis Papiæ, vt qui 11
aduersus eius præscriptum nuptias contraheret parum legitimas, non euitaret pœnam caduci, ne-
que ius capiendi ex testamento haberet, quinimò & dos ipsa caduca fieret, sicuti & dotis caducæ
e L. 35. si quis officiũ §. t. de ritu nuptiarum. singulari quodam loco meminit Paulus[e]. Veluti; lex Papia iniustas atque illegitimas habebat nu- 12
ptias primùm contractas inter virum iam sexagenarium & mulierem quinquagenariam: quan-
uis postea per Senatusconsultum habita sit benignè ratio sexagenarij vxorem nondum quinqua-
genariam ducentis. Sed Iustinianus deinde voluit etiam ignosci mulieri quinquagenariæ nu-
benti, viro sexagenario & in vniuersum statuit aduersus legem Papiam, iustas & legitimas 13
f L. sancimus. C. de nuptiis L. si quis maior. L. de hæred. instituen. esse nuptias extrema iam etiam senecta & ætate effœta contractas[f]. Desiit itaque & ex hoc capi-
re, quod talibus coniugibus legabatur, esse caducum. Supererant illa quæ specialiter & propriè 14
caduca appellantur; illi nempe relicta, qui tempore testamenti capere poterat, sed deficientia ex
alia deinde causa, vel post mortem testatoris, sed ante aditam hæreditatem: vel post testamentum,
sed ante mortem testatoris, quo casu propriè dicebantur esse in causa caduci, vt distinguerentur
ab illis caducis, quæ primùm post testatoris mortem deficiebant. Sic itaque erat caduca hæredi- 15
tas, si viuo testatore hæres moreretur. Similiter & legatum erat caducum: cuius quidem dies non 16
cedebat à tempore mortis, sed demum ab adita hæreditate. Iustinianus verò vtrumque hoc ius ve- 17
tus correxit. Nam & legatorum diem cedere voluit à tempore mortis, & ab eo quoque statim tem-
pore hæreditatem adiri posse, tabulis quoque testamenti nondum apertis. Ac veteri quidem iure
g L. 3. § vlt. de hære. instit. hæredes sui & necessarij etiam fiebant ante apertas tabulas[g]. Et filiis nepotibusque iure singulari
hoc tributum erat, vt etsi ante apertas tabulas morerentur, transmitterent tamen paternam aut
auitam hæreditatem potius quàm ea caduca fieret. Iustinianus id omnibus quoque extraneis per-
misit, vt nondum apertis tabulis saltem adire possint hæreditatem. quamuis nec hoc quidem mo- 18
do aditam patiatur potius caducam fieri quàm transmitti. Porrò in causa caduci erant siue hære- 19
ditates siue legata, quæ deficerent medio tempore inter testamentum & testatoris mortem: vt si
interea hæres legatariúsve moreretur, aut conditio hæreditatis deficeret: Ad quem verò recidant,
h L. 1. vnde cognati. quæ ita caduca sunt: vel in causa caduci, posteà dicemus. Nunc de his dicendum est, quæ pro non 20
i L. si duob. §. 1. de le. 1. scriptis habentur, nempe, quæ iam tum cùm scribuntur, non consistunt. Huius generis aliquot
k L. si quis mihi 25. § si quis planè de acquir. hæred. species in hoc Tit. proponuntur. Prima est in L. pen. nempe, si eo tempore, quo legatum scribe- 21
batur, legatarij non erant in rerum natura. Iustinianus id explicans loquitur de eo, qui iam mor-
l L. quod ĩ de pœn. l. 8. de capi. diminutio. l. si mãdauero D mãdati. l. 1. C. de hæred. instit. tuus erat. Sed idem quoque dici potest de eo qui eo tempore nondum erat cõceptus. Quanquam
si conceptus fuisset, & iam in vtero, licet nondum animal dici posit[h], dici tamen potest esse in re-
bus humanis, vt quod ei legatum est, non habeatur pro non scripto, licet postea nunquam viuus
m L. 3. hoc tit. nascatur[i]. Altera species est in L. v. hoc Tit. nempe si deportato, vel in metallum damnato legatũ 22
n § cum is cui. de alimentis legatis. fuerit: quod quidem pro non scripto haberi apertè etiam traditur[k]. Non poterant ex testamento
capere deportati, qui amisso iure ciuitatis simul amittebant ea quæ magis erant iuris ciuilis quàm
o L. si vestitum de re iudicata & Nouel. 12. de incestis nuptiis. § 2. naturalis aut gentium[l]. Quanquam vt deportati petere posint & capere alimenta testamento re- 23
licta, benignè concessum sit, quod non modo hic[m] sed & alio in loco[n], proditum est, & eodem
referri possent alia loca[o]. Porrò quod attinet ad d. L. 3. hoc Tit. non est illud prætereundum, quod
seruo

24 seruo pœnæ legatur; ideo pro non scripto haberi, quia non modò capere non posit ex testamento
iure ciuili, sed nec dominum habeat, cui adquiratur. Cæterùm bene responsum est[a], quòd depor- *a L. si deportati de le. 3*
25 tati seruo legatur, non haberi pro non scripto, sed ad fiscum pertinere: quia nempe vt reliquorum
bonorum deportati, sic & serui huius dominus erat fiscus, quo tempore dies legati cessit. Tertia
26 species eius quod pro non scripto habetur, est[b]; Nempe si quis alienum testamentum scribens (qui *b L. 1. & vlt. hoc tit.*
scriptor appellatur testamentarius) sibi legatum adscripserit. Licet enim dictante testatore vel iu-
bente hoc factum dicatur, tamen pro non scripto habetur, & qui scripsit tenetur etiam lege Cor-
nelia de falsis, nisi si accesserit iusta recognitio, approbatio, vel subscriptio testatoris quod repeten-
27 dum latius est ex aliis locis[c]. Postrema in hoc tit. species est, quæ attingitur in fine L. 1. Nempe *c L. 1. §. testamẽta & l. 15. diuus. & l. 17. & 18. D. ad l. Cornel. de fals. et toto tit. C. de his qui sibi adscribunt.*
captatoriarum scripturarum, quæ pro non scriptis habentur siue in hæreditatibus, siue in legatis.
Nempe cùm quis hæreditatem vel legatum relinquit collata conditione in futurum, si similiter i-
pse ab eodem & vicissim scribatur hæres aut legatarius. Nam tali illecebra tentare & captare alte-
28 rius voluntatem, Senatusconsulto prohibitum fuit, quod pluribus tractatur[d]. Complures aliæ *d L. captatorias & l. seq. de here. inst. l. captatoriæ 63. de leg. 1. & l. 2. de here. instit.*
quæ hic prætermissæ sunt species eorum, quæ pro non scriptis habentur colligi possunt ex aliis Pan-
29 dectarum locis. Nam & si testator hæredem instituens, & conditionem destinans adiicere, eam
non adiecit, hunc hæredem pro non instituto haberi responsum est[e]. Item si testamentarius con- *e L. quoties §. tãtundẽ de hered. instit.*
tra voluntatem testatoris institutioni hæredis conditionem detraxerit, vel mutauerit: hunc simi-
liter hæredem non futurum, nec pro purè instituto habendum esse, quo quidem loco repudianda
30 est Accursij interpretatio. Agitur enim de eo qui hæres esse non potest propter deletam testatoris
voluntatem, aut obscuratam: quamuis eo nomine aduersus testamentarium, qui hoc fecerit, sit
actio: & is etiam falsi teneatur. Sed & si quis seruo suo sine libertate aliquid legauerit, vel si hæredi
suo à seipso aliquid legauit, vel ei qui dominus est rei legatæ, quia in eorum persona talia legata
non consistunt, possunt haberi pro non scriptis[f]. Et generaliter quoties legatur illi qui capere non *f L. plane 34. §. si cõiunctim de leg. 1. l. huiusmodi 84. § si Titius de leg. 1.*
potest. Denique, turpia legata, quæ denotandi magis legatarij causa scribuntur: odio scribentis
pro non scriptis haberi, ait Pomponius[g]. Quamuis non omnes hæ species sint omnino eiusdem
generis. Nam & discrimen aliquod inter eas apparebit cùm de iure accrescẽdi erit quæstio, vt pau- *g L. 54. turpia de lega. primo.*
31 lò post dicetur. Nunc proxima quæstio est, ad quem recidant vel perueniant quæ caduca sunt aut
pro non scriptis habentur. De his verò quæ vt indignis auferuntur & fisco adquiruntur agitur Tit.
32 seq. Imprimis autem substitutum vocari ad hæreditates vel ad legata, quæ in primo gradu non
consistunt docet[h]. Neque dubium est, eum, qui aperta & expressa testatoris voluntate nititur, præ- *h L. prima hoc tit.*
ferri omnibus, veluti coniunctis atque etiam fisco. Quanquam vbi tanquam indigno aufertur
hæreditas, quia mortem defuncti non vindicauit, fiscus præferatur substituto parato etiam vin-
dicare[i]. Præsertim vbi iam erat adita hæreditas: cuius aditione dubium non est ius substituti eua- *i L. si sequẽs D. ad Syl.*
nuisse. Vt autem quæ pro non scriptis habentur, sic & quæ caduca sunt vel in causa caduci, ad sub-
stitutum primò recidere atque deferri constat. Itaque & hæreditas non adita, quę non transmitti-
tur, ad substitutum pertinebit. Cæterùm vbi nullus est substitutus, magna & difficilis quæstio
33 est; vtrum legata, quæ pro non scriptis habentur, penes hæredem, à quo relicta sunt, maneant, an
verò accrescant coniuncto legatario. De legatario eiusdem rei, sed verbis disiuncto, quæstio non
est. Nam iis, qui re ita coniuncti sunt, singulis solidum legatum videri, dubium non est: vt altero
non concurrente certum sit iure suo alterum consequi & retinere solidum. Sed vbi & re & verbis
coniunctus est, inter eum & hæredem iusta quæstio est, ad quem potius pertinet illa præsertim
legati pars, quæ & pro non scripta habetur, & illi relicta erat, qui capere non potuit. Atque in hoc
quidem Tit. vt lex prima significat primam esse caussam substituti: sic lex vlti. indicat secundam
34 caussam esse hæredis, coniuncti verò collegatarij nulla mentio. Ac si quidem de hæreditatibus age-
retur, satis constat, vbi substitutus nullus est qui præcedat, partem non modò caducam vel in cau-
sa caduci vel alio modo deficientem, sed & à principio non consistentem, & quæ pro non scripta
habetur, accrescere coniuncto cohæredi. Sic enim Paulus respondit[k]. Si viuus & mortuus ex par- *k L. quo loco §. vlt. de hered. instituend.*
te dimidia hæredes cõiunctim instituti sunt, & ex altera parte Titius: duos fore hæredes qui æquas
partes habebunt, quia mortui pars (inquit Paulus) pro non scripta habetur. Intelligit autem
eam ideo accrescere coniuncto viuo, & ratio est, quòd leges non patiantur aliquem pro parte te-
35 statum, pro parte intestatum decedere. Sed cùm nullum tale sit periculum in legatis, difficilius
36 Iurisconsulti in his admittunt ius accrescendi. Nam & si penes hæredem maneant, neque accre-
scant cõiuncto, nihilominus in tuto est causa testati, tantummodo quæstio est voluntatis, vtrum
testator voluerit ad coniunctum potius quàm ad hæredem, vel e diuerso, id pertinere quod in le-
gatis deficit, aut non consistit. Ac quidem fragmenta illa, quæ circunferuntur Vlpiani nomine,
significant, veteres distinxisse, vtrum per vindicationem, an verò per damnationem res eadem
duobus legata esset coniunctim: vt primo casu videatur defuncti voluntas propensior fuisse in le-
37 gatarium quàm in hæredem. Altero verò casu magis fauisse hæredi quàm coniuncto legatario, in
ea parte legati, quę deficit vel quæ pro non scripta habetur. Nam alterum huius generis discrimen
notauimus cùm quæreretur[l], an hæredis, an verò legatarij sit electio in alternatiuis aut generalib[us] *l L. si generaliter sup. de lega.*
38 legatis. Ac sanè in Pandectis sine alia expressa distinctione videntur Iurisconsulti partem legati, *m L. si duobus 25. de lega. primo.*
quæ non tam deficit, quàm ab initio non consistit & pro non scripta habetur, magis relinquere
hæredi quàm aut tribuere coniuncto legatario, aut velle vt ei accrescat. Sic enim Pomponius[m] & *n L. si Titio 7. de leg. 2.*
Paulus[n] & Vlpianus[o] respondisse videntur. Et Vlpianus loquens de re coniunctim pluribus le- *o L. planè 34. §. si cõiunctim. de leg. primo.*
gata, ait generaliter, non solùm eos partem facere in quorum persona legatum consistit, sed

&in quorum personanon consistit. Quibus verbis significat non esse tunc locum iuri accre-
scēdi: & exemplum proponit, Si quis Titio & seruo proprio sine libertate rem aliquam legauerit;
sicuti & vbi Titio atque Mæuio legatus erat Stichus, qui alioqui erat seruus Titij: non nisi partem
Stichi deberi Mæuio: & quanuis Mæuius ad legatum non admittatur, tamen partem facere, re-
sponsum est[a]. Quæ omnia eò pertinent, vt pars legati inutiliter relicta, magis penes hæredem 39
maneat, quàm accrescat coniuncto legatario. Atque hæc quidem fuisse videtur constans atque
perpetua nostrorum Iurisconsultorum sententia, si duos singulares casus excipias. Primus est, non
quidem in Pandectis, sed apud Paulum[b], quo loco ait, si quis sibi & alteri ascripserit legatum, ma- 40
gis esse vt totum ad coniunctum pertineat. Rectè quidem Iulianus responderat[c], legatum quod
ideo pro non scripto habetur, quia legatarius sua manu adscripserit, deferri ad substitutum. Sed si
substitutus non sit, an secundo loco idem ius sit coniuncti legatarij non dixerat. Alter verò casus 41
in Pandectis extat, nempe, si mihi & hæredi suo, cui à semetipso inutiliter legatur, aliquis legaue-
rit. Nam partem ei legatam, mihi accrescere dixit Vlpianus[d], & apertius id explicat Florentinus[e].
Posset quidem ea pars dici pro non scripta, & tamen adcrescit coniuncto legatario: quia non o-
mnino videatur à principio non constitisse: nam saltem hæres eam capiebat, vt hæres. Sed quia
propter defuncti voluntatem is hoc titulo eam retinere non potest: potestate iuris ea reuoluitur
& redit ad coniunctum legatarium, tanquam hæredi adempta. Cæterùm extra hos casus non vi-
dentur veteres Iurisconsulti tribuisse coniunctis ius accrescendi in legatis, quę pro non scriptis ha-
bentur: sed ea potius reliquisse hæredi, si substitutus eum non anteuerteret. Cæterùm post Iuris- 42
consultos, sed tamen ante tempòra Iustiniani, contrarium ius receptum fuit. Quod & Iustinia- 43
nus comprobat[f], vt videlicet in his quoque legatis, sicuti & in hæreditatibus, ius accrescendi non
minus quàm in caducis, vel iis quæ sunt in causa caduci, aut aliter deficiunt, locum habeat. Itaque
iam in hisce omnibus primus locus erit substitutionis: secundus coniunctionis. tertius hæredis, 44
si de legatis agatur: vel si de hæreditatibus, hæredum legitimorum ab intestato venientium. Nam
hi omnes fisco præferuntur etiam in caducis. Ac olim quidem caducas hæreditates in itinere re-
tardasse Marcum Antonium properantem in Asiam, scribit M. Tullius Philippica decima. Nunc
verò recepta noua lege Iustiniani, neque M. Antonius neque similes, qui res fisci procurant, valde 45
occupabuntur occupandis caducis. Habuit olim lex Papia rationem quoque parentum libero- 46
rúmve hæredum, vt apud eos potius manerent, quàm fisco addicerentur legata quæ essent in
causa caduci, cùm scilicet legatarius viuo testatore decessisset. Sed extraneis quoque hæredibus
id tribuendum esse Iustinianus iudicauit. Illius autem veteris, quam dixi, erga parentes
liberósve hæredes humanitatis legis Papiæ quædam adhuc vestigia superesse videntur in 47
Pandectis[g]. In iis enim Celsus refert de patre suo se audiisse, cùm filia hærede instituta, liber-
to ducenta legata essent, vt ea deinde alteri daret: & libertus viuo testatore decessisset, placuisse,
vt quia quod relictum erat, apud filiam remaneret, filia eodem teneretur fideicommisso. Su- 48
perest vt videamus (quod proximè quærendum est) an quæ vel caduca sunt, vel pro non scri-
ptis habentur, ad alium transeant recidántve cum suis semper iisdem & oneribus & conditioni-
bus. Hic verò primum distinguendum esse videtur inter illa, quæ deficiunt, & hæc, quæ à 49
principio non consistere dicuntur: cùm in hoc genere vetus quoddam discrimen à Iustiniano
retentum sit, vt illa ad alium transeant cum suis oneribus, hæc verò sine iis, nisi qui-
busdam specialibus casibus, quos ait Iustinianus enumeratos esse in Pandectis. Duos
certè tales commemorare ex iis possumus. Primùm enim illa species legati quod pro
non scripto habetur, quia legatarius sibi adscripserit, hoc habet singulare, vt quemadmo-
dum in ea, veteri quoque iure, fuisse ius accrescendi dictum est: sic etiam vt penes quem
remanet tale legatum, remaneat cum suo onere[h]. Alter casus est paulo generalior, sed
specialem causam habet ex fauore libertatis, vt satis apparet[i]. Porrò autem cùm quæritur
de iis, quæ deficiunt, an cum suo onere suáque conditione ad alium perueniant: constat
primum locum esse substituti, sed in eo distinguendum videtur inter conditiones & onera.
nam facilius onera legatorum censentur repetita in substituto, quàm conditiones, quæ sub-
stitutionem suspendant. Quòd verò ad coniunctos attinet, dubium non est, quod deficit
& accrescit eis, accrescere cum eodem onere eademque conditione: quanuis sic alia ratio
disiunctorum[k]. Sed conditiones quæ onerant coniunctos, vt cum re ipsa transeant, opor-
tet conditiones esse, quæ personæ non cohæreant, sed per alium etiam impleri possint, a-
lioqui non egrederentur personam, cui primùm ascriptæ sunt, & sine iis legatum ad alium
transiret, quod non modò Iustinianus ex Vlpiano tradidit[l], sed etiam ex aliis loci intelligi
potest[m]. Illud postremò intelligendum est, interesse vtrum legatarij vel hæredes sint illi
coniuncti, quibus accrescit: nam legatarij statuere possunt ac deliberare, vtrum ipsis expe-
diat accipere deficientem portionem cum suo onere. Sanè si non de coniunctis agatur, sed
de iis à quibus legatum relictum erat. interest rursus, an legatarij sint an hæredes: Nam penes il-
los pro virilibus portionibus remanet quod frustra relictum est: penes hæredes verò pro portio-
nibus hæreditariis.[n]

AD TI.

a L. huiusmodi §. si Titio. de leg. 1.
b L. lib. 3. Recept. sententia. tit. 10.
c L. 2. hoc tit.
d L. planè. 24. § si duobus de lega. 1.
e L. 116 legatum est. § 2. de lega. 1.
f L. vnica C. de caducis tollend.
g L. 29. Celsus de leg. 2
h L. vlti. hoc tit. l. 14. filium § vlt. D. ad leg. Cor. de Fals.
i L. 26. cùm verò §. si pro non scripto. de fideicomm. libert.
k L. si separatim de cond. & dem.
l L. vnica. C. de cadu. tollend.
m L. legatis 4. de cōd. & dem. & l. legatum sub cōditione de alimen. lega. l. si seruum ab extero de acquir. hæred.
n L. vnica. C. de cad. toll.

AD TITVLVM DE HIS QVAE VT INDIGNIS AVFERVNTVR.

1 Quæ vt indignis auferuntur, generaliter caduca dici possunt.

2 Vbi, quod vt indigno aufertur, ad fiscum tamen non pertineat?

3 Tituli huius in tria capita diuisio.

4 Caussæ, ob quas iudicatur aliquis indignus, non sunt vnius eiusdémve generis.

5 Si contra leges coniugium initum sit, locum adhuc esse iuri legis Papiæ.

6 Duæ species iniusti coniugij, vbi legata maritis ab vxorib. fisco applicantur.

7.9 Quid si de donatione inter viuos agatur?

8 Magistratus quoque an mereri dici possit?

10 Quid si quis eam ducat vxorem, cuius antea fuit adulter?

11 Vbi vterque coniunx referatur inter indignas personas?

12 Mulier suspectæ pudicitiæ ne ex militis quidem testamento capere quid potest.

13 Discussus §.1. L.16. ff. de his quæ vt indig.

14 Libertam patroni concubinam ab eo recedere non posse.

15.16.17 Quid, si quis statuat de alterius adhuc viuentis successione?

18 Obligatio omnium, præsentium & futurorum, bonorum, quomodo valeat?

19 Cõsensu eius, de cuius, viui adhuc, successione agitur pactum confirmat.

20.21 Quid, si hæres ægrotantẽ testatorem negligat, vel ab alio occisum non vindicet?

22 Qui falsum testamentum dicit, vel id dicenti testimonio suo vel patrocinio adest, indignus iudicatur qui ex testamento aliquid capiat.

23.24 An & vbi in legem peccantis heres capax fiat fraude primum acquisita hereditatis?

25 Sola defuncti voluntate indignus aliquis censeri potest.

26 Quid, si quis heres aut legatarius mortuum testatorem accuset quasi illicitæ mercis negociatorem?

27.30 Tractatum quæ vt indignis auferũtur, pertinere ad ea quæ vltimis voluntatibus relinquuntur.

28 Dotem, & donationem inter coniuges, eiusdem esse conditionis cum legato.

29 Donatio caussa mortis cur huc non pertineat?

31 Indignus ille qui testamentum oppugnauit, quomodo multetur?

32 Quid, si quis solos codicillos, vel solas tabulas substitutionum oppugnet?

33 Detrahere Falcidiã ex prælegatis suo cohæredi quatenus quis possit?

34.35 Vbi de prælegatis inter cohæredes agitur, quid iuris?

36.37 Vbi indignus habitus hereditatem tantum, non etiam prælegata amittat?

38 Excussum Papiniani responsum, L.18. ff. de his quæ vt indig.

39 Res quæ vt indigno aufertur, cum sua caussa fructibusq́, accessionibus aufertur.

40 Indignũ cõparari cũ malæ fidei possessori, tũ prædoni.

41 Nec vsuras vsurarum, nec accessiones accessionum solere præstari.

42 Indignum amittere iura, quæ adeundo hereditatem confundit.

43 In fisco hereditatẽ indigno auferente singulare quid?

DIctum est, non modò ea quæ pro non scriptis habentur ad fiscum non pertinere, sed nec ad eũ multa recidere quę caduca sunt, vel in causa caduci: non ita tamen caduca omnia sublata sunt & ablata fisco, quin multæ adhuc species supersint, in quibus ius fisci integrum sit. quales sunt quę
1 hoc titulo enumerantur. Nam & caduca generaliter dici posse, quæ tanquam indignis auferuntur, vt fisco addicantur, apparet [a]. Licet autem illud ordinarium sit, vt quod indigno aufertur, ad fiscum pertineat, non tamen ita est perpetuum, quin hoc etiam in titulo species proponatur, in
2 qua fisco nihil sit iuris ad occupandum id quod tanquam indigno collatum est [b]. Si tutori testamento dato aliquid legatum sit, & is tutelam suscipere noluit: neque legatum capiet, sed eo potius indignus iudicatur. Excusatur quidem vt legatum capere possit, qui cùm tutor esse non recusaret, esse tamen non potuit [c], sed vbi per eum stat quo minus tutelam mandatam administret, legato etiam quod tutelæ causa relictum videbatur, tanquam indignus priuatur [d]. verùm ad fiscum non recidit, sed potius ipsi pupillo datur. Itaque Iustinianus hoc legatum magis habet pro non scripto: & comparat cum illo, quod relictum fuit illi, qui testamentum celauit & occultare aut supprimere voluit. Hoc enim nomine tanquam indignus legatum is amittit. Sed illud non pertinet ad fiscum tanquam ablatum indigno, imò verò pro non scripto habetur, vt remaneat apud hæredem, quem improbus ille legatarius fraudare voluit. Cæterùm reliquæ species eorum, quæ vt indignis auferuntur, propositæ hoc titulo, sunt eius generis, vt in his prima causa sit fisci. Rectè au-
3 tem hic tractatus diuidetur in tria capita. Primùm vt agamus de causis propter quas aliquis iudicatur indignus; secundo loco de rebus, quæ tanquam indignis ablatæ fisco vindicantur: Postremò
4 quibus oneribus vel conditionibus hæ ad fiscum recidant. Ad primum quod attinet, non sunt omnes causæ quæ hic proponuntur, eiusdem planè generis. Quædam enim nituntur coniectura voluntatis testatoris, quædam continent pœnam legitimam. Rursus quædam committuntur viuo testatore, quædam post eius mortem, & postremò quædam totum auferunt, quædam non nisi partem. Nos ab iis initium faciemus quæ proponuntur à Martiano [e]. Dictum est si contra legem Papiam nuptiæ contractæ essent, non modò dotem fuisse caducam, sed & tales coniuges ex testamento capere non potuisse; imò verò quod iis relictum esset, ad fiscum pertinuisse tanquam cadu-
5 cũ. Non est autẽ planè hoc ius vetus sublatũ. Nam & in vniuersum Cæsares rescripserũt; si cõtra le-
6 ges cõiugiũ initũ sit, nos eo adhuc iure vti [f]. Cæterùm [g] hic proponuntur duę species iniusti cõiugij, in qui-

a L. cum fisco 20. D. ad Syllania.
b L. 5. §. amittere. hoc tit.
c L. ab administratione C. de leg. L. cum filiis 76. §. cum iure de lega. 2.
d L. qui tutelam de testam. tut. L. nescimus. §. vlt. de excusa. tuto.
e L. 2. §. 1. & vlt. & l. 3. hoc tit.
f L. qui contra C. de incest. nupt.
g L. 2. §. 1.

in quibus maritus tantùm propterea iudicatur indignus, non etiam vxor: nempe si vel magistra-
tus in sua prouincia prouincialem vxorem ducat; vel tutor suam quondam pupillam. Quod enim
tales vxores talibus maritis legauerint, ad fiscum pertinebit tanquam indignis ablatum. At è diuer-
so quod talibus vxoribus tales mariti legabunt, caducum non erit. Quod quidem non modò hoc
loco traditum est, sed etiam aliis in locis [a]. Neque obscura est ratio discriminis. Ignoscendum e-
nim est puellæ, quæ vel metu vel terrore magistratus aut tutoris percelli facilè potuit, vel eorum
insidiis circumueniri. Cæterùm si non agatur de legato inter tales coniuges, sed de donatione in- 7
ter viuos, an idem dicendum sit, maior quæstio est. Certè Vlpianus scribit [b], uefas esse donatio-
nem esse ratam, si prouincialis mulier nubat contra mandata principum illi, qui in prouincia
meret. Et quanuis merere magis dicantur milites quàm magistratus, quia tamen non prohiben- 8
tur milites ducere vxorem eius prouinciæ, in qua militant, aptius locus ille intelligi posse videtur
de magistratu prouinciali, quanuis impropriè dicatur merere. Idem Vlpianus [c] apertè respondit; 9
si tutor pupillam suam sibi desponderit atque duxerit, non modò ipsa quoque sponsalia impro-
bata esse, sed & quasi ab indignis ea, quæ donata sunt, fisco vindicari. At rescriptum est [d], puellam,
quæ nupsit tutori, saltem vtili actione repetere posse, quod ei donauit qui maritus esse non potest,
& indigna propterea persona est. Sed is locus intelligitur de ea, quæ per errorem tale matrimo-
nium iniustum contraxit. Porrò his commodè subiicietur quod Papinianus tradit [e], nempe, in- 10
iustum esse matrimonium si quis eam ducat vxorem, cuius antea fuit adulter: & quidem tam es-
se illicitum, vt vtraque persona indigna iudicetur, quæ ex alterius testaméto aliquid capiat: quod-
que alter alteri legaret, fisco acquisitum iri. Quid de hac specie illegitimi coniugij post veteres Iu-
risconsultos statuerint vel Canones vel Decreta Pontificum, repetendum est ex lib. 4. Decretal. tit. 11
7. Sed & si aliud tale fuerit genus coniugij planè illiciti, vterque coniux referetur inter indignas
personas, quibus quòd legatur, ad fiscum pertinet. Nihil enim capere possunt propter matrimo-
nium tam illicitum [f], Quod verò attinet ad L. 14. hoc tit. satis constat, quod traditum est à Tri-
phonino [g]; mulierem, in quam turpis suspicio cadere potest, ex testamento militis nihil cape- 12
re posse. Imò verò & quod focariæ suæ miles inter viuos donaret, reuocaretur tanquam inutiliter
donatum [h]. Denique & huc referendum est, quod traditur à Papiniano [i], Qui quidem locus val-
de obscurus est & à multis frustrà tentatus; sed illud mihi probabiliter dici posse videtur; vt in eo 13
intelligamus posse notari discrimen inter libertam patroni sui concubinam, & aliam mulierem
ingenuam, quæ posteaquam pudicitiam vulgauerit, & inter honestas matronas numerari de-
sierit, alicuius concubina facta fuerit. vt illa si se alteri prostituat, indigna iudicetur quæ ex te-
stamento aliquid capiat: hæc verò non ideo indigna habeatur: quia etiam minus peccasse videa-
tur, quàm illa, quæ patrono datam fidem non seruauit. Nam & in aliis Pandectarum locis sæpe
notatum est; libertam patroni concubinam ab eo recedere non posse, cùm quidem alia mulier 14
ingenua, quæ alicuius concubina est, non ita adstringatur. Porrò proxima causa, propter quam
aliquis indignus iudicatur, quæ proponitur à Marciano est [k]; si quis statuat de alicuius adhuc vi- 15
uentis successione quam sperat, quod quidem breuius traditum [l], sed planius & apertius a-
lio loco traditur [m]. Quo loco Papinianus ait; donationem partis bonorum proximæ co-
gnatæ adhoc viuentis, nullam esse, & ei qui donauit, posteaquam successit, quia aduersus
bonos mores & ius gentium festinásset, actiones hæreditarias in totum denegari. nam ei, vt in-
digno, hæreditatem auferri. Certè etiam Iulianus [n], eum esse improbum, qui solicitus 16
est de successione viuentis: eiusque spem esse præmaturam ait Vlpianus [o]. Huius itaque generis
pactum quia etiam præbet occasionem captandæ alienæ mortis, iure improbatur. vt nihil tribuat
iuris stipulanti, sed neque creditori hypothecario. Nam non modò bona alterius adhuc vi- 17
uentis, ab eo qui proximus hæres esse videtur, alienari non possunt, vendi, aut donari, vt
transferantur quandocunque obueniant: sed neque obligari pignori aut hypothecæ. Quanuis
obligatio valeat omnium bonorum præsentium atque futurorum: vt comprehendantur ea
quoque hæreditaria, quæ postea obueniunt. Sicuti & Paulus ait sic posse coiri societatem, vt si 18
qua iusta hæreditas alterutri adueniat, communis sit. Nam generales huius generis conuentiones,
quia non diriguntur in vnius alicuius mortem, receptæ sunt: sed vbi conferuntur in vnius ali-
cuius morituri certa bona, improbantur: neque modò inutiles sunt illi. in quem talis
spes transfertur, sed ipsi etiam transferre volenti, perniciosæ sunt. Nam reddunt eum indi-
gnum, qui aliquando fruatur bonis illis obuenientibus, nisi si aut iusto errore excusetur, aut
ætate, quæ magis iuuenili temeritate peccârit quàm dolo [o]. Certè & consensus illius, de cu- 19
ius bonis agitur, multo magis hoc pactum confirmat, vt si hic testatus aliter non sit, vim
suam exerat [p]. Tertia principalis causa, quæ aliquem indignum facit, proponitur à Marcia-
no [a]. Ac quidem dubium non est, si alicuius iniuria vel medici insidiis, testator necatus sit,
aditi nihilominus posse hæreditatem, vt responsum est [b]. Nam vbi hæredi nihil imputari po- 20
test, neque eius incuria arguitur, non est propter alienam culpam priuandus hæreditate.
Sed si tam inhumanus fuerit, & ingratus vt ægrotantem neglexerit, indignus est qui mortuo
succedat. Nam & libertus si negligat patronum infirma valetudine laborantem, punitur [c].
Imò verò si dominus infirmum seruum derelinquat tædio medendi, & (vt veteres loque-
bantur) deponat, indignus iudicatur. in cuius potestatem recidat seruus, qui postea con-
ualuerit [d]. Sed & si filius patrem furiosum non curauerit, vel pater filium: iusta causa est talis
negligentia.

a L. vlt. de leg. 1. et L. præfectus 64. de ritu nupt.
b L. 3. §. videamus de donat. inter vi. et vx.
c L. cùm hic status. §. vlt. de do. inter vi. & vx.
d L. si voluntate C. de do. int. vi. & vxo.
e L. 13. & 14. hoc tit.
f L. si quis C. de incest. nupt. et l. vxori mariti. de vsuf. leg.
g L. miles 41 §. mulier de militari. testa.
h L. 2. C. de dona.
i L. 16. §. 1. hoc tit.
k L. 2. ad fi. hoc tit.
l Dict. l. 2.
m L. quidam §. 1. de donatio.
n L. 2. § interdum. de de vulg. & pup.
o L. 1. §. si impubere de collatione bonorum.
o L. 4. de postlimi. reuer. l. minoribus C. de his quæ vt indig.
p L. vlt. C. de pactis.
a L. 3. hoc tit.
b L. 5. §. vlt. D. ad Syll.
c L. 4. de libe. agnoscend.
d L. vnic. C. de lat. lib. toll. l. 2. D. qui sine manumiss. ad lib. perue.

negligentia, propter quam hæreditas auferatur, & illi potius detur, qui talem curam susceperit[a].
Denique emptori redhibitorio iudicio agere volenti non parcitur, si seruum ægrotum neglexerit,
nullumque illi medicum adhibuerit vel malum adhibuerit[b]. talemque culpam præstari debere
21 significat Paulus[c]. Porrò non modò indignus iudicatur qui testatorem ægrotum non curat, sed
& qui ab alio occisum non vindicat. Hoc enim crimen mortis inultæ refertur inter causas, pro-
pter quas aliquis indignus habetur. Quod autem pluribus verbis de eo dici posset, repetendum
22 est ex aliis locis[d]. Sed & qui falsum testamentum dixit neque obtinuit, vel etiam qui id dicenti
adfuerit, vel testimonio, vel fideiussione vel patrocinio atque procuratione: indignus iudicatur,
qui ex eo testamento aliquid capiat. Et quod ei relictum fuerit, fisco adiudicatur. Quod latius
23 explicatur aliis in locis[e]. Is quoque qui in fraudem legis, aliquem ex testamento capere prohi-
bentis, tacitè fidem dat testatori atque accommodat, de restituendo ei qui alioqui iure capere
non poterat, inter indignos propterea numeratur, non modò vt non retineat quod ita resti-
tuere promisit, sed etiam vt cùm id fisco restituere cogatur, non possit aliquid retinere ex L. Fal-
cidia. Atque hæc quidem causa pluribus etiam verbis exponitur[f]. Illud meminerimus, quod &
ab aliis prudenter annotatum est, quod generaliter dicitur[g], specialiter referri debere ad hanc,
24 de qua loquimur, causam: nempe vt si ille incapax, cui hæres scriptus restituere tacitè testa-
tori promiserat, viuo adhuc testatore decesserit, hæres excusetur, & retineat quod ita re-
lictum est, potius quàm ad fiscum transferatur. nam & si fraudis consilium initio hic fuerit,
tamen, si euentum spectemus, nulla re ipsa fraus est. idque satis est vt fiscus repellatur[h]. Postre-
25 mò & sola voluntas defuncti, etiam si nulla alia subsit causa, sufficit vt & aliquis indignus iudi-
cetur, & quod ei relictum alioqui fuerat, fiscus occupet. eoque referre oportet quod traditur[i].
Sed & in hoc titu. Lege prima refertur inter indignos qui alioqui nihil peccauit, neque indignus
26 verè dici potest, & præmio potius quàm pœna dignus est, nempe si mortuum testatorem accuset
& conuincat quasi illicitæ mercis negociatorem, vt fiscus hoc nomine res illas occupet defuncti.
Talis delator nihil capit ex iudicio defuncti, quia fiscus ipse capit eius bona: vt & caperet si ab a-
lio delata essent atque nunciata, sicuti de mercibus illicitis traditum etiam est, quæ committun-
tur fisco[k]. Atque hæ quidem præcipuæ & generales causæ sunt, propter quas aliquis in vniuer-
sum indignus iudicatur. Sunt & aliæ quædam, sed veluti particulares, & propter quas non to-
27 tum adimitur, quæ etiam pertinent ad proximum caput. De rebus, quæ vt indignis auferun-
tur. De his enim nunc dicendum est, quæ vt indignis auferuntur, posteaquam dictum est de
his, quibus vt indignis aufertur. Constat autem hunc tractatum magis pertinere ad ea, quæ
vltimis voluntatibus relinquuntur, quàm quæ inter viuos donantur. Nam & si actio ingrati
28 detur ad reuocandas donationes, nihil hoc tamen ad fiscum pertinet: & qui iure ciuili prohibē-
29 tur capere ex testamento, non prohibentur etiam capere donata inter viuos. Quanquam quod
ad hunc locum attinet, dotis causa, & donatio inter coniuges, sint in eadem conditione, in qua
est legatum[l]: Donatio verò causa mortis, quia ex testamento non pendet, huc non pertinet, ne-
que inter ea, quæ vt indignis auferuntur, referenda est[m]. Cæterùm quæ ex vltimis voluntati-
30 bus percipiuntur, ea propriè sunt, quæ vt indignis auferuntur. Et quidem omnia planeque
integra auferuntur, si talis causa sit, quæ omnino & in vniuersum reddat aliquem indi-
gnum. Nam & hic propterea amittit earum quoque rerum, quas à defuncto ceperat, fru-
ctus, quos percepit, & vsuras quoque aliquas dependit; & multa præterea de suo amittit.
Nam iura sua confusa non recuperat. Sed hæc longiorem explicationem desiderant, quam
31 paulo post subiiciemus. nunc illud obseruandum est, quod hoc titu. traditur[n]; Eum qui
indignus iudicatur, quia testamentum oppugnauit, non modò ex eo testamento nihil ca-
pere quod retineat, sed neque ex eius testamenti accessionibus & tanquam appendicibus,
32 veluti codicillis aut pupillaribus tabulis, quæ substitutionem continent. Cæterùm e diuerso qui
codicillos solos oppugnauit vel solas tabulas substitutionum, iudicatur quidem indignus, qui
ex his aliquid consequatur: at non etiam propterea amittit quod ex principali testamento con-
sequi potest. Atque huc quidem pertinet nobile illud Papiniani responsum[o], in quo vt pri-
mùm intelligamus atque etiam explicemus quod difficilius est, & sub finem proponitur de
33 compensatione, quæ Falcidiam recusat, obseruandum est; posse me quidem detrahere Fal-
cidiam ex prælegatis meo cohæredi[p]. Sed si vicissim ab eo mihi sit aliquid prælegatum,
idque solidum ceperim; tunc illud ipsum me imputare debere in Falcidiam[q]. Non so-
lent quidem prælegata in eam imputari, sed ea demum, quæ iure hæreditario capiuntur,
34 verùm alio iure vtimur, vbi de ea re agitur inter cohæredes, cùm scilicet alteri ab altero
vicissim prælegatum est, vt à quo solidum prælegatum accepero, quò magis illi vicissim
solidum præstem quod à me illi prælegatum est, debeo in Falcidiam imputare, quod ab il-
lo iam prælegati nomine accepi. Atque hæc est illa æquitas compensationis, cuius hic me-
35 minit Papinianus: quæ etiam nititur probabili coniectura voluntatis testatoris[h]. Simul &
illud obseruandum est, quod mea culpa amisi quodque mihi tanquam indigno fiscus abstu-
lit, in hac quæstione perinde æstimari, atque si illud ipsum retinerem. vnde facilè erit col-
ligere rationem huius responsi: Et vt fingamus hypothesin familiarem ad eam rem magis
patefaciendam: Si cùm vigintiquatuor in bonis haberem, viginti Parisiis, & quatuor Lugduni,
instituerim

a. Authen. liberis C. de episc. audien.
b L. quod si nolit §. mancipium. de ædilitio edicto.
c L. si seruum de verb. obliga.
d L. 17. 20. & 21. hoc tit. & l. 1. 6. 7. 9. C. eo tit. l. 5. 9. 15. 20. 26. 27. D. ad Syllanian.
e L. 5. 7. 15. 22. & 24. hoc tit. l. alia. C. eo l. 8. §. meminisse. de inoff. testa.
f L. 10. 18. et 23. hoc tit. l. 3. de iure fisci. l. cum quidem §. in tacito. de vsuris. l. etiam C. ad l. Falcid.
g L. vlt. hoc tit.
h L. 3. de iure fisci.
i L. 11 & 16. §. vlt. hoc tit. & l. 4. C eo & l. 3. & vlt. de his quæ in testa. delentur.
k L. Cotem. §. illicita et §. amissa. de publicanis & tot. tit. C. quæ res vind. non poss.
l L. 10. hoc tit. l. cùm hic status. §. vlt. de don. inter vi. & vxo.
m L. 5. § pen. hoc tit.
n L. 5. §. qui principale
o L. 15. hoc tit.
p L. cohæredibus C. ad l. Falcid. l. quod de bonis. §. pe eod. tit. l. ex facto. §. vnde si ita. de hæred. instituend.
q L. Nesennius 22. & l. filio. D. ad L. Falcid.
h Dict. l. Nesennius.

instituerim simpliciter & ex æquis propterea partibus Titium & Sempronium hæredes, vt hæreditario iure habeant singuli dimidiam partem omnium bonorum meorum, deinde in codicillis aliam inter eos bonorum diuisionem facere volens, & vni plus, alteri minus dare, scripsi Sempronio me tantùm relinquere illa quatuor Lugdunensia, Titio verò viginti Parisiensia. Sempronius cùm intelligeret hos codicillos sibi esse damnosos, vt eos subuertat, accusat falsi. non potuit conuincere, proptereaque indignus iudicatur qui ex iis aliquid percipiat: imò verò quod ex his capit, fiscus tanquam indigno aufert. amittit itaque illa duo Lugdunensia, quæ ex illis iure prælegati percipiebat: retinet tamen reliqua duo, quæ capit iure hæreditario, & in quibus propterea legatum non consistit. Iam verò cohæres Titius petit ab eo ex codicillis suum prælegatum, hoc est, decem ex bonis Parisiensibus. reliqua enim decem habet iure hæreditario. Sempronius illud dare non recusat: sed vt aliquid detrahat nomine Falcidiæ, causatur se tantùm habere duo hæreditaria, cùm saltem tria habere debeat, nempe dimidiam suam partem in quadrante, cùm viginti quatuor essent in bonis. Hic Papinianus non negat tantum illi deberi: sed tradit, prius eum imputare debere illa duo, quæ ex codicillis iure prælegati à cohærede Titio consequutus est, quamuis etiam ea amiserit, & vt indigno fiscus abstulerit. Nihilominus enim quod ad hanc rem attinet, perinde iudicandum ac si ea adhuc haberet. Et quamuis prælegata sint, tamen hoc casu imputari in Falcidiam, propter eam, quam supra dixi, singularem rationem dicta Lege Nesennius. Vnde consequitur illum intelligi quatuor habere; tantùm abest vt aliquid detrahat nomine Falcidiæ. Cæterùm cùm in hoc responso Papinianus doceat, in partibus hæreditariis legatum non consistere, sed pro iis partibus hæreditario potius iure capi quod hæredi prælegatum est, vt si tanquam indigno auferantur prælegata, cui alioqui res hæreditariæ non auferuntur, vt in casu de quo hic quæritur, salua sit illi hæc pars, quam vt hæres capit, & amittat illam solam, quam capit vt legatarius: commodè nunc subiiciemus, quod paulo pòst idem Pa- 36
pinianus eleganter e diuerso proponit[a], nempe, cùm quis tanquam indignus hæreditatem amittit, non etiam prælegata. Manifestum est quod idem Papinianus dixit[b], hæredem qui tacitam fidem accommodauit contra leges, in ea tantùm parte, in qua fraudem adhibuit, Falcidia non vti. Itaque si partem suam hæreditariam restituere promiserit illi, qui alioqui capere non poterat ex testamento, cogetur eam ipsam restituere fisco, & indignus est qui ex ea aliquid detrahat nomine Falcidiæ. Sed non propterea amitti quod illi relictum est: vt si sit aliquid ei prælega- 37
tum. verùm quæritur, an quod pro parte hæreditaria iure prælegati non consistebat, tanquam hæreditarium etiam restituere debeat, an verò possit hoc casu tanquam prælegatum totum retinere[c]. Ac quidem responsum est[d]; Si legatum sit hæredi relictum, & rogatus fuerit portionem hæreditatis restituere, id non debere restituere quod à cohærede accepit tanquam prælegatum. Cæterùm quod à semetipso ei relictum erat, in fideicommissum cadere, quia scilicet hæreditarium fuerit. Atqui Papinianus non tantum videtur tribuere fisco[d]. Nam cùm ei qui pro parte 38
hæres institutus fuerat, prædium legatum esset, & quia is promiserat hæreditatem restituere incapaci, fiscus eam sibi restitui integram postularet, simulque illam prælegati prædij partem, quæ inutiliter huic hæredi à semetipso relicta erat, & propterea hæreditaria videbatur: Papinianus, relicta hac iuris subtilitate, benignè secutus simplicem testatoris voluntatem, indicat in hoc prædio nihil habiturum fiscum quasi in eo nihil hæreditarium sit, sed totum atque integrum huic hæredi esse relinquendum, perinde atque si hæres nunquam extitisset, & totum hoc ab initio prælegatum bene constitisset. Sicuti & Iulianus respondit, si vni ex hæredibus fuerit legatum, & is abstinuerit hæreditate totum petere posse legatum[e]. Cæterùm in hoc genere Papinianus aliquando sequutus iuris subtilitatem videtur, potiusquàm nudam testatoris voluntatem[f]. nam respondit, vno hærede, cui legatum erat, mortuo ante aditam quidem hæreditatem, sed post diem legati cedentem, præceptionum portiones, quæ pro parte cohæredum constiterunt, ad substitutos non pertinere, sed ad hæredes huius hæredis instituti. Quibus verbis significat reliquas portiones præceptionum, quæ ei à semetipso inutiliter legatæ erant, & propterea non consistebant, deberi substituris tanquam hæreditarias, non autem hæredibus huius hæredis tanquam prælegatas. Finge me instituisse tres hæredes, & vni eorum legasse aureos triginta. viginti aureorum legatum bene consistet, nempe pro parte cohæredum, à quibus rectè legatum est. Sed reliquos decem aureos caperet iure hæreditario, non autem iure prælegati. Itaque hoc casu tanquam partem prælegati, eos deberi substituris Papinianus indicat, potius quàm hæredibus huius hæredis: quibus reliqui tantùm viginti aurei tanquam prælegati debentur. Sic enim Papinianus iudicauit causam non esse, cur hic plus iis tribuatur aduersus rationem iuris & in fraudem substitutorum: iustiorque illi visa est partitio, si quod omnino tanquam prælegatum bene consistebat, hæredibus huius hæredis daretur. Reliquum verò, quod is capere non poterat nisi tanquam hæres, daretur substitutis, ad quos deficiens portio hæreditatis transferenda erat. Porrò vt absoluamus secundum hoc caput huius tractatus, constat rem, quæ vt indigno aufertur, auferri cum sua 39
causa suisque accessionibus. Nam indignus in hoc genere comparatur non modò malæ fidei 40
possessori, vt præstet fructus & vsuras[g], sed aliquando etiam prædoni[h]. Omne itaque emolumentum illi aufertur, ergo & vsurarum, inquit Vlpianus[i]. Neque verò dubium est quin vsuras, quas tanquam hæres exegit, reddat, sicuti & fructus quos percepit. Sed & vsuras pecuniæ hæreditariæ

a L. 18. §. vlt. hoc tit.
b L. 11. hæres. hoc tit.
c L. in fideicommissaria 18. § vlt. D. ad Trebellia.
d L. 18. hoc tit.
e L. 18. & quidem. de lega. 1.
f L. 75. miles ad sororē § pro parte. de lega. 2.
g L. 17. & 18. hoc tit.
h L. 46. prædonum. de peti. hæredit.
i L. 17. cùm quidam §. in tacito. de vsuris.

hæreditariæ saltem semisse, & post litem motam de suo præstat.[a] Cæterùm fructuum, quos ex re,
quæ illi aufertur, percepit, si eos fortè vendidisset, precium quidem reddet, at non etiam precij vsu
ras[b]. Sicuti neque præstari solent aut vsuræ vsurarum aut accessiones accessionũ. quod Seuerus in
41 proposito benignè secutus est[c], repudians aliã in hoc genere duriorem sententiã Diui Pij[d]. deniq;
indignus amittet iura quæ confundit adeundo hæreditatem. Neque enim hanc auferendo fiscus
illa restituit.[e] Idque etiam expressum est de eo, qui quod falsum testamentum dixit indignus iu-
42 dicatur[f]. Et de eo, qui non vindicat mortem defuncti[g]. Atque vt transeamus ad postremum ca-
put huius tractatus, singulare illud certè est in fisco, qui tanquã indigno aufert hæreditatem, vt
43 non teneatur præstare quod illi antea debebatur. Nam ius cõmune alioqui dictat. vt cùm hęredi-
tas, cuius aditione atque acquisitione aliquid confusum erat, ad alium transfertur cum sua planè
tota causa. iura confusa restituantur.[h] Sed illius, quod dixi, iuris singularis causam non obscuram
Papinianus significat[i]. Cæterùm quod ad reliquum æs alienum hæreditarium aliis debitum at-
tinet, aliáve onera, veluti legatorum, constat fiscum qui tanquam indigno abstulit hæreditatem,
teneri tanquam hæredem. Est enim eius loco, cui tanquam indigno abstulit, & cum eodem one
re succedit[k]. Vt non modò æs alienũ soluat (quod facit. & si ex aliis caussis bona alicuius occupet[l].)
sed & legata & fideicommissa quæ ipse hæres præstitisset[m].

a L. 1. C. eod.
b L. 17. eiũ qui hoc tit.
c dict. l. 17.
d L. quum quidam fi. in tantum. de vsur.
e L. 17. 18. §. 1. hoc tit.
f L. 19. ad fin. de iure fisci.
g L. propter venenis §. nepts. D. Ad Syll.
h L. si maritum. C. de inoffi. ioso testamẽto. l. eum qui. §. vlt. de inoff. l. a liberto. de bo nis libert. l. dominus fructuario de vsufr. l. 2. §. vlt. de hæredita te & act. vend.
i dict. §. nepts.
k L. 16 §. vl. & l. 18. § 1 hoc tit. l. 3 § vlt. D. ad Trebellia.
l L. nõ possunt. de iure fisci. l. 3. si maritu. D. soluto matrim. l. 2. C. ad l. Iuliam de vi. l. 5. C. de bonis proscriptorum. l. debitor. C. de sententiam passis.
m L. 16. §. vlt hoc tit. l. 4. C. eod l. 3. §. vlt. D. ad Trebell. l. 3. §. cum ex causa. l. 14. dicitur de iure fisci. l. eo ff a. D. ad Sylla. l. 96. quidam. §. quoties. de lega. 1.

IN TITVLVM SEQVENTEM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Continuatio huius tituli.
2 Lege Falcidia prohibitum, vltra dodrantẽ bonorum legare.
3 Falcidia, plebiscitum potius quàm lex, quãdo & à quo lata?
4 Dionis error circa Falcidiam.
5 Augustus testator Falcidiam legem an secutus sit?
6 Legis Falcidiæ capita vnde colligenda?
7 Legitima quæ liberis debetur, an ex lege Falcidia fuerit?
8 Legem Falcidiam continuisse etiam capitulum de legitima liberorum portione.
9 Liberis duas olim quartas debitas fuisse, an verum?

Posteaquam dictum est de ademptione, quæ fit à testatore, transit Iustinianus ad aliam,
1 *quæ fit etiam eo inuito, nempe per Legem Falcidiam: qua prohibitum est vltra dodran*
2 *tem bonorum legare. Seruatur enim reliquus quadrans scripto hæredi. Cuius Legis si-*
ue potius Plebisciti autor fuit C. Falcidius Tribunus pl. Augusti Cæsaris temporibus,
3 *vt etiam testatur in suis Chronicis Eusebius: Dion quoq; historicus lib. 48. rectè qui-*
dem scribit, Legem sub Augusto latam; vt hæredibus scriptis liceret quartam hæreditatis partem re-
4 *tinere: sed errat, dum adijcit, licuisse reliquum omittere, si in eo grauati essent. Neq; enim ius nostrum*
permittit hæredi partem hæreditatis omittere: sed totam omnino agnoscere iubet: quanquam ex sin-
gulis rebus deductio competat. Sanè huic Legi non paruisse videtur Augustus, cùm ipse testamẽtum
5 *faciens, ita immensam illam suam hæreditatem legatis exhauserit exinanieritq́, vt professus sit non*
peruenturum ad hæredes suos plus quàm millies & quingenties sestertium: cùm tamen viginti pro-
6 *ximis annis plus quàm quater decies millies ex testamentis amicorum acquisiuisset. Capita Legis Fal*
cidiæ, quorum extant in Pandectis fragmẽta, colligi facilè possunt. Sed illud singulare est, quod nunc
7 *adijciam monitus ab homine clariss. D. Ranconeto, legitimam illam portionem. quæ liberis omnium*
debetur fuisse ex lege Falcidia, & inde etiam legitimam dici. Ac quidem Eusebius in illis suis Chro-
nicis significare etiam id videtur, ad hanc legem referens portionem illam, quæ filijs omnino relin-
quenda est; etiam si eius modum maiorem, quàm olim fuerit statuat, quantus nempe postea fuit, au-
ctus ab Iustiniano Nou. Const. 18. qui quidem eodem loco cùm id facit, & pro veteri quadrante libe-
ris trientem vel semissem dari statuit, ait, in eo sese legem corrigere. Quæ autem lex hæc vetus fue-
rit, exprimit in Nou. Constit. 92. quo loco apertè ait esse Legem Falcidiam. Vnde apparet huius Le-
8 *gis aliquod fuisse caput de legitima liberorum portione: & nostros interpretes valde ineptire, qui fin-*
9 *gunt liberis duas (vt loquuntur) quartas olim debitas fuisse, alteram quam legitimam vocamus, le-*
ge natura, alteram ex lege Falcidia.

De lege Falcidia. Titulus XXII.



Vperest vt de Lege Falcidia dispiciamus, qua modus nouissimè legatis impositus est. Cùm enim olim Lege duodecim Tabularum liberæ erat legandi potestas, vt liceret vel totum patrimonium legatis erogare (quippe cùm ea Lege ita cautum esset, VTI QVISQVE LEGASSET SVAE REI, ITA IVS ESTO) visum est hanc legandi licentiam coarctare: idque ipsorum testatorum gratia prouisum est,

 ob id,

ob id, quòd plerunq; intestati moriebãtur, recusantibus scriptis hæredibus prò nullo aut minimo lucro, hæreditates adire. Et cùm super hoc tam Lex Furia, quàm Lex Voconia latæ sunt, quarum neutra sufficiens ad rei consummationem videbatur: nouissimè lata est Lex Falcidia, qua cauetur, ne plus legare liceat, quàm dodrantem totorum bonorum: id est, vt siue vnus hæres institutus sit, siue plures, apud eum eósve pars quarta remaneat.

Et cùm quæsitũ esset, duobus hæredibus institutis (veluti Titio & Seio) si Titij pars aut tota exhausta sit legatis, quæ nominatim ab eo data sunt, aut supra modum onerata: à Seio verò aut nulla relicta sint legata, aut quæ partem eius duntaxat in partem dimidiam diminuant: an quia is quartam partem totius hæreditatis aut amplius habet, Titio nihil ex legatis, quæ ab eo relicta sunt, retinere liceat, vt quartam partem suæ partis saluam habeat: placuit posse retinere. etenim in singulis hæredibus ratio Legis Falcidiæ ponẽda est.

Quantitas autem patrimonij, ad quam ratio Legis Falcidiæ redigitur, mortis tempore spectatur. Itaque (verbi gratia) si is, qui centum aureorum patrimonium in bonis habeat, centum aureos legauerit: nihil legatarijs prodest, si ante aditam hæreditatem per seruos hæreditarios, aut ex partu ancillarum hæreditariarum, aut ex fœtu pecorum tantum accesserit hæreditati, vt centum aureis legatorum nomine erogatis, hæres quartam partem hæreditatis habiturus sit: sed necesse est, vt nihilominus quarta pars legatis detrahatur. Ex diuerso, si septuaginta quinq; legauerit, & ante aditam hæreditatem in tantum decreuerint bona (incendijs fortè, aut naufragijs, aut morte seruorum) vt nõ amplius quàm septuaginta quinque aureorum substantia, vel etiam minus relinquatur: solida legata debentur. Nec ea res damnosa est hæredi, cui liberum est non adire hæreditatem: quæ res efficit, vt sit necesse legatarijs, ne destituto testamento nihil consequantur, cum hærede in portione pacisci.

Cùm autem ratio Legis Falcidiæ ponitur: antè deducitur æs alienũ, item funeris impensa, & pretia seruorum manumissorum: tunc demum in reliquo ita ratio habetur, vt ex eo quarta pars apud hæredem remaneat: tres verò partes inter legatarios distribuantur, pro rata scilicet portione eius, quod cuiq; eorum legatum fuerit. Itaque si fingamus quadringentos aureos legatos esse, & patrimonij quantitatem, ex qua legata erogari oportet, quadringentorum esse: quarta pars legatarijs singulis debet detrahi. Quòd si trecentos quinquaginta legatos fingamus: octaua debet detrahi. Quòd si quingentos legauerit: initio quinta, deinde quarta detrahi debẽt. Antè enim detrahendũ est, quod extra bonorum quantitatem est, deinde quod ex bonis apud hæredem remanere oportet.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1.2 Testatori liberum non erat gratiam legis Falcidiæ repudiare, & cur?
3 Testatores hodie prohibere possunt, ne vtantur hæredes Falcidia.
4 Scriptorum olim hæredum periculum.
5 Lex Furia quid continuerit?
6 Lex Voconia quæ?
7 Q. Volumnius Saxa Tribunus pl. legem tulit, ne quis mulierem faceret hæredem.
8 C. Voconius Aricinus Volumniũ legem moderatus est.
9 Lege Voconia mulieribus prohibitum, ne qua maiorem centum millibus nummũm hæreditatem posset adire.
10 In donationibus etiam mortis causa locum esse Falcidiæ.
11 Quid si agatur de legitima liberorum portione?
12 In singulis hæredibus ratio Falcidiæ computanda est.
13 Quid, si diuisim & nominatim, quid item si coniunctim & confusè hæredes onerati sint?
14 Quid, si singulæ portiones hæreditariæ ex substitutione vel iure accrescendi in eundem concurrant?
15 Legata in primo gradu scripta, in secundo videri repetita.
16 Papiniani respons. in l. In ratione. 11. §. Si filio. ff. ad legem Falcid. excussum.
17 Omnia siue commoda, siue incommoda post mortem testatoris ad hæredem, nõ ad legatarios pertinere.
18 Patrimonium hic quid?
19 De nominibus hæreditarijs hic quid statuendum?
20 Quid, si hæres ipse sit debitor?
21.22 Quid, si reditus annui perpetuiq; legati sint?
23 Quid, si cui quandiu viuet sit legatum?
24 Interusurium quid?
25 In ratione legis Falcidiæ quantitas patrimonij tempore mortis testatoris spectanda.
26 Quid, si inter hæredem & legatarium de quantitate patrimonij testatoris controuersia sit?
27 Partus in vtero, cùm aliorum spectatur vtilitas, pro nato non habetur.
28 Generaliter & specialiter aliquid legari quid intersit?
29 In Falcidia retinenda æs alienũ cur non cõputetur?
30 Funeris impensa potior est tum ære alieno, tum legatis.
31 Funeris appellatione quid veniat?
32 Falcidiam non pertinere ad legatam libertatem, neque hodie ad pia legata vlla.

Cumenim

1 *Cum enim olim Lege XII. Tab.*] Vide quæ dixi ad 26. cap. 12. Tab. ¶ *Idq; ipsorum testatorum gratia.*]
Non adeò tamen, vt ijs quoq; liberum esset hanc gratiam repudiare. Nam vt fortaßis eorum
2 arbitrio relinqueretur, quid in quadrantem Legis Falcidiæ imputandum esset: eum tamē omni-
no tollere aut impedire non poterant [a]: quia etiam hæredum hic quidam fauor & gratia erat. Et
quanquam is qui, quod per Legem Falcidiam retinere poterat, voluntatem testatoris secutus spo-
pondit se daturum, cogatur soluere [b]: tamen si eiusmodi sponsio fieret adhuc viuo testatore, nō im-
pediret ius Legis Falcidiæ, quod eo mortuo posteà competeret. Sic enim respondit Papinianus [c]:
Frater cùm hæredem sororem scriberet, alium ab ea, cui donatum esse volebat, stipulari curauit, ne
Falcidia vteretur, & vt certam pecuniam, si contra fecisset, præstaret. Priuatorum cautione, Legi-
bus non esse refragandū constitit: & ideo sororē iure publico retentionem habiturā, & actionem
ex stipulatu denegandam. Verùm hodie non est quòd testatores angat ratio prohibēdæ Falcidiæ.
Iustinianus enim ijs patrimonij sui non ignaris permisit prohibere, ne vtantur hæredes Falcidia.
3 Et hanc eorum prohibitionem expreßim factā ratam habet. Sic enim scribit in Nouella sua Con-
stitutione prima: *εἰ μέντοι ῥητῶς ἀπαγορεύσοιεν, μὴ βούλεσθαι τὸν κληρονόμον παρακατασχεῖν φαλκίδιον, ἀνάγκη τὴν
τῶν διαθεμένων γνώμην κρατεῖν.* [si verò expreßim designauerit, nō velle hæredem retinere Falcidiam,
necessarium est testatoris facere sententiam. ¶ *Intestati moriebantur.*] Docet paulò pòst Iustinia-
nus [d], eum etiam videri intestatum decesisse, ex cuius testamento nemo hæres extiterit. ¶ *Nullo
vel minimo lucro.*] Imo etiam magni dispendij impendentis periculo. Nam hoc iure, & ante prodi-
4 tum inuentarij beneficium, subijciebatur hæres periculo non modò præstandorum legatorum in
solidum, sed & totius æris alieni, non habita ratione rerum hæreditariarum. ¶ *Lex Furia.*] Cicero
5 in Oratione pro L. Corn. Balbo, cuiusdam Legis Furiæ de testamentis meminit, sed non explicat
eius capita. Theophilus hoc loco tradit, hac Lege cautum fuisse, ne cui vltra mille aureos legare li-
ceret: & eum, qui maiorem summam sibi relictam accepisset, multari quadruplo eius, quòd aduer-
sus Legem plus acceperat. In fragmentis quæ nuper edita sunt Vlpiani nomine, commemoratur
Lex Furia testamentaria, quæ plusquam mille aßium legatū prohibet capere præter exceptas per-
sonas. & aduersus eum, qui plus ceperit, quadrupli pœnam constituit. Vnde & Lex Falcidia cùm
alium modum legatis imposuisset, veterem hanc quoque quadrupli pœnam tollere volens ait,
quod intra suum modum legatum est, legatarium sine fraude capere posse. ¶ *Lex Voconia.*] Hac
6 cautum fuisse, ne plus haberet legatarius quàm hęres, scriptum etiam est, in illis, quorum iam me-
mini, fragmentis. Fuerunt & alia eius capita de ijs præsertim quæ mulieribus relinquebantur. Ac
7 primum quidem Q. Volumius Saxa Tribunus pleb. ad Populum tulerat, ne quis hæredem mulie-
rem faceret. Posteà C. Voconius Aricinus Tribunus pleb. noua Lege rogata (quam & Cato iam
8 quinque & sexaginta annos natus suasit) id ita moderatus est. Primùm; ne quis Census hæredem
relinqueret mulierem, ne filiam quidem: Deinde ne liceret legare mulieribus vltra quadrantem.
9 Dion lib. 56. de hac lege ita scribit: *κατὰ τὸν οὐοκώνιον νόμον οὐδεμιᾷ τῶν γυναικῶν ὑπὲρ δύο ἥμισυ μυριά-
δας οὐσίας κληρονομεῖν ἐξῆν.* Et refert Augustum quibusdam mulieribus aduersus eam legem singulari
beneficio tribuisse ius succeßionis. ¶ *Ne plus legare.*] Vel etiam mortis causa donare. Nam & in ijs
10 donationibus locum habere Legem Falcidiam statuit Seuerus, probauitque eius nepos Alexan-
der Imperator [e], idemque iuris statuit Iustinianus & in mortis causa capione [f]. Huc etiam perti-
nent donationes, quæ inter viuos quidem fiunt, sed morte confirmantur. Sic enim rescripserunt
Impp. Diocletianus & Maximianus [g]. In donationibus inter virum & vxorem factis, Legem Fal-
cidiam locum habere, quando fideicommißi partibus funguntur, nonnullis iuris placitis com-
11 prehensum est. ¶ *Siue vnus, siue plures.*] Si tamen agatur de legitima liberorum portione, Iustinia.
Nou. Constit. 18. distinguit, vt si plures sint quàm quatuor, habeant semissem. Alioqui verò solum
trientem. ¶ *Eòsve.*] Coniunctim grauatos, alioqui enim singulis separatim vltra modum onera-
tis competeret ius Legis Falcidiæ.
¶ *Placuit posse retinere.*] Inquit Caius [h]: In singulis hæredibus rationem Legis Falcidiæ compu-
12 tandam esse non dubitatur: & ideo si Titio & Seio hæredibus institutis, semis hęreditatis Titij ex-
haustus, Seio autem quadrans totorum bonorum relictus sit; competit Titio beneficium Legis
Falcidiæ. ¶ *In singulis hæredibus.*] Diuisim scilicet, & nominatim vltra modum oneratis. Alioqui
13 si coniunctim & confusè onerentur; non est separata singulorum ratio. Rursus quod hic de singu-
14 lis hæredibus dicitur, non est trahendum ad singulas portiones hæreditarias: quæ si ex substitutio-
ne vel iure accrescendi in eundem concurrant, ita confunduntur, vt simul omnia bona hæredita-
ria spectentur, an legatis paria sint. Itaque si libera aliqua portio, nullisque legaris onerata alteri
accedat portioni vltra modum grauatæ: prodesse poterit legatarijs eiusmodi acceßio siue cōpen-
satio. quanquam è diuerso vbi liberæ portioni accresceret altera grauata, non prodesset id legata-
rijs: quia tum nulla fiat portionum commixtio, sed separatim considerantur singulæ, & pars quæ
accrescit, vt suum onus legatorum secum trahit, sic & tribuit suum ius Legis Falcidiæ. quanquam
si non accresceret, sed ex substitutione caperetur, aliud responsum [i] sit. Tum enim cùm hæres scri-
ptus in semisse, à quo nihil legatum est, alterum semissem, qui supra modum oneratus est, ex sub-
stitutione capit, totius hæreditatis assem consideramus, non singulos amplius semisses. Nam &
15 legata quæ in primo gradu scripta sunt, in secundo repetita videntur, & propterea perinde hic ha-
bentur, atque si ab ipso substituto relicta fuissent: vt ea integra & solida prępstet. si alioqui reliquum
habeat, quod ad Legem Falcidiam sit satis. His lubenter adijcio elegans quoddam, sed obscurum
Papiniani responsum [k], cuius hæc est sententia: Pater habens quadringenta in patrimonio, insti-
g 2 tuit im-

a L. si totum. D. ad Treb. l. cùm virum. C. de fideicom.
b L. qui quod. D. ad leg. Falcid.
c L. quod de bonis. §. 1. D. ad leg. Falcid.
d §. 1. instit. de hered. quæ ab intest. def.
e L. si mortis causa. C. ad leg. Falcid.
f L. pen. D. ad le. Fal.
g L. in donationibus. C. ad leg. Falcid.
h L. in singulis. D. ad leg. Falcid.
i L. qui fundū. §. qui filium. D. ad leg. Falci.
k L. in ratione. 11. §. si filio. D. ad leg. Falcid.

tuit impuberem suum filium, & ab eo legauit ducenta, eidemque pupillariter substituit Caium & Seium: deinde à Caio ducenta legauit, à Seio centum. Eueniente substitutionis conditione, quæsitum est, an Caius vltra modum legatis oneratus vteretur beneficio Legis Falcidiæ. Et respondit Papinianus, eum vti, perinde atque si ipse hæres esset à patre in semissem scriptus, & vltra modum oneratus. Deinde addidit, Seium alterum substitutum posse quoque vti iure Legis Falcidiæ, non quidem ex suo capite, nec onere ei nominatim iniuncto, quod nec reuera modum excedebat: sed si pupillus, cui succedit, non soluerit sua legata: Imò verò eorum soluendorum onus reliquerit Seio: qui sua legata cum pupillaribus miscere potent, vt si ea omnia simul coniuncta modum excedant, vtatur Lege Falcidia.

a L. in quantitate. D. ad legem Falcid.
b L. in ratione. 2. D. ad leg. Falcid.
c L. in ratione. 11. §. quod vulgo. D. ad le. Falcid.

¶ *Quantitas autem.*] Totus hic locus ad verbum descriptus est ex responso Caij[a]. Cui etiam a-
pertè suffragatur Metianus[b], scribens, omnia siue commoda, siue incommoda post mortem testa- 17
toris ad hæredem non autem ad legatarios pertinere. Idemque iuris statuit Papinianus[c] & in te-
stamentis duplicibus, quæ scilicet continent substitutionem pupillarem: vt substitutus succedens,
omnia legata præstet iuxta æstimationem patrimonij, quod erat tempore mortis testatoris, non
habita eius ratione, quod fortaßis pupillus ipse diminuit. Verbi gratia: Testatoris Titij hæreditas
ducentorum erat, cùm ipse moreretur. Relicta autem fuêre centum ab hærede filio impubere: De-
inde etiam à substituto centum. Impubes cùm succeßisset patri, bona diminuit ad dimidiam for-
tè partem, decessitque intra pupillarem ætatem. Et patrimonium paternum, in quo vix centum
supererant, reliquit substituto. Hic (inquam) nihilominus æstimabitur patrimonium, quasi du-
centa contineret & iuxta eam æstimationem præstabuntur legata, nempe vsq; ad centum & quin
quaginta: sic vt substitutus de suo debeat addere quinquaginta. Nec iniquum visum est, eum ferre
sarcireque debere detrimentum, qui accesionem è diuerso lucraretur. ¶ *Patrimonij.*] Hoc est,
Rerum hæreditariarum, quæ ipsius testatoris fuerunt. Quod autem attinet ad nomina hæredita- 18
ria, satis fuerit ea soluendo fuisse mortis tempore, licet postea esse desierint. Rursus si mortis tem- 19
pore non erant, postea autem fuerint: id quoq; proderit legatarijs. Nam & mortis tempore sube-
rat quædam spes melioris huius fortunæ[e]. Quòd si hæres ipse sit debitor: (Nam & hoc debitum 20
spectatur[f], licet aditione confusum.) parum refert, soluendo, an non soluendo sit. Sibi enim quis-
que soluendu intelligitur[g]. Sed quod attinet ad quantitatem ipsorum legatorum intricatior est
plerunque eius æstimatio. præsertim duobus casibus: nempe si vel reditus annui perpetuique fue- 21
rint legati: vel id, quod cùm legatarij vita extinguatur. Nostri tamen Iurisconsulti prudentißimè
obuiam ierunt difficultati vtriusque æstimationis. Et primùm quidem quod attinet ad æstimatio 22
nem annui perpetuique reditus, ex sententia Marcelli respondit Paulus[h], tantum hic intelligi le-
gatum, quantum sufficiat sorti ad vsuras trientes eius summæ, quæ legata est, colligendas: hoc est,
si annuus perpetuusque reditus vnius aurei fuerit legatus, vigintiquinque aureos intelligi semel
legatos. Hæc enim vna est iustißima æstimatio, quæ & reditibus prædiorum conuenit, & mediam
quandam eorum viam rationemque in simili causa sequitur. Ergo si in annos singulos sex aurei
legati fuerint, videbuntur centum & quinquaginta legati. Nã tot sortis aureis opus est, vt annuos
senos habeas ex trientibus vsuris, quæ quaternos tantum annuos fœnoris pariunt in singulos centenarios. Quod si cui quandiu viuet, sex aurei in singulos annos essent legati, vel aliud relictum 23
quod perimatur cum legatarij vita veluti vsusfructus aut alimenta: prodidit Vlpianus[i] iustam a-
liquam rationem qua possit æstimari incerta hæc legata. Ea autem est media quoque via inter
plenam & integram viam, qualis solet hominib. tribui, & abruptam aliquo casu, qui solet etiam
frequenter accidere. Nam hoc dimidium totius (vt ita dicam) incerti, visum est iustißimum tem-
peramentum ineundæ certæ alicuius æstimationis. Porrò autem vbi incerta hæc legata sunt reda-
cta ad probabilem aliquam æstimationem, & certum aliquem diem acceperunt, eodem iure cen-
sebuntur, quo legata in diem certum: nempe, vt deducatur medij temporis emolumentum. Nam
in ratione Legis Falcidiæ, legatũ in diem non statim tanti æstimatur quanta res est ipsa legata, sic-
uti æstimaretur legatum purum: sed prius detrahitur illud commodum medij temporis, quod in- 24
terusurium vocamus: deinde reliquum æstimatur, & confertur cum alijs bonis hæreditarijs[k].

d L. cum quo de peculio D. ad leg. Falcid.
e L. si defunctus. C. arbitrio tute.
f L. 1 § si debitor. D. ad leg. Falcid.
g L. quærebatur. D. ad leg. Falcid.
h L. 3. §. vlt. D. ad leg. Falcid.
i L. 68. computationi. D. ad leg. Falcid.
k L. lex Falcidia. l. circa. l. in quantitate §. in diẽ l. qui quadringenta, ad fi. D. ad leg. Falcid.

¶ *Mortis tempore spectatur.*] Nam & legata hoc tempore cedunt[l]. Quòd si serui cum domino si- 25
mul vita functi sint, responsum est, eos non reputari, quasi fuerint in eius bonis tempore mortis[m].
Porrò si fuerit controuersia inter hæredem & legatarium de quantitate patrimonij testatoris: ad 26
hæredem pertinebit probare, fuisse eam adeò exiguã, vt omnino legi Falcidiæ locus esse debeat[n].
quod facere poterit, etiam si legatarius iurâsset locum esse non posse[o].

¶ *Ex partu ancillarum.*] Etiam qui fortè conceptus erat tempore mortis. Neque enim pro na- 27
to habetur, vt alijs prosit. Fructus tamen sati tempore mortis dicuntur augere hæreditatem, & mi-
nuere ius legis Falcidiæ[p]. ¶ *Decreuerint bona.*] Quæ scilicet in genere legata sunt. Sed si quid spe- 28
cialiter legatum fuerit, & sine vlla culpa vel mora hæredis interierit: constat ipsi legatario perire,
& hæredem liberari: quod iam antea satis diximus[a], & diligenter animaduertendum esse in ratio-
ne legis Falcidiæ admonet Metianus[b].

¶ *Ante deducitur æs alienum.*] Nam in Lege Falcidia fit æstimatio bonorum. Bona autem non
intelliguntur, nisi quæ deducto prius ære alieno, supersunt[c]. Etenim quantum quisque debet, 29
tantum censetur eius bonis siue patrimonio abesse. Nec potest in creditorum fraudem liberalis
esse debitor. ¶ *Æs alienum.*] Omne scilicet: etiam quod ipsi hæredi mortis tempore debitum fue
rit[d]. Vnde & Vlpianus[e], Si quis (inquit) hæredem instituerit eum, cui rogatus fuerat post mortem
suam

l L. vnica §. cùm igitur. C. de cad. toll.
m L. sed & in illo. §. sed & circa de reb. dub.
n L. cum de lege depronat.
o L. vlt. C. de reb. cre.
p L. in lege Falcidia l. placuit D. ad le. Falc.
a § si res legata, suprà de lega.
b L. in ratione. 2. §. diligenter. D. ad le. Fal.
c L. subsignatum. de verb. sign.
d L. in imponenda. C. ad leg. Falcid.
e L. qui fundum. §. si quis hæredem. D. ad leg. Falcid.

ſuam centum reſtituere: centum in ratione legis Falcidiæ deducere debet: quia ſi alius quilibet hæres extitiſſet, hæc centum in ære alieno ponerentur. ¶ *Item funeris impenſa.*] Hæc etiam potior eſt
30 ære alieno[a]: multo magis legatis. Nam & ſanctius eſt de ſuo teſtatorem funerari, quàm aliquos le-
31 gata conſequi[b]. Funeris autem appellatione intelligitur, quicquid corporis cauſa, antequam ſepeliatur, conſumptum eſt[c]. Item impenſa monumenti, ſaltem neceſſaria & modica[d]. Nam Iuriſconſulti, vt improbârunt nimium illum & inſolentem funeris & ſepulturæ contemptum[e], ita ferre non potuerunt ſuperſtitioſam eius pompam, aut nimios apparatus[f]. ¶ *Precia ſeruorum manumiſſorum.*] Inquit Paulus[g]: Si ſeruus tibi legatus ſit, eumq; rogatus ſis manumittere, nec præterea capias. vnde quartam, quæ per Falcidiam retinetur, recipere poſſis: Senatus cenſuit, ceſſare Falcidiam. Id quod pluribus deinde reſponſis explicatur, ſed nobis ſatis ſit; Falcidiam non pertinere
32 ad legatum libertatis, ſicuti nec hodie nouo iure ad vllum pium legatum. Sic enim ſtatuit Iuſtinianus in Nouella ſua Conſt. 131. cuius verba ſunt hæc: *εἰ ὁ κληρονόμος τὰ εἰς εὐσεβεῖς αἰτίας καταλελειμμένα μὴ πληρώσῃ, λέγων τὴν καταλειφθεῖσαν αὐτῷ οὐσίαν μὴ ἀρκεῖν εἰς ταῦτα: κελεύομεν παντὸς τοῦ ἐκ τοῦ φαλκιδίου κέρδους σχολάζοντος, ὅσον δήποτε εὑρεθῇ ἐν τῇ τοιαύτῃ οὐσίᾳ, προχωρεῖν προνοίᾳ τοῦ ὁσιωτάτου τῶν τόπων ἐπισκόπου εἰς τὰς αἰτίας, εἰς ἃς καταλέλειπται.* [ſi hæres quæ ad pias cauſas relicta ſunt, non impleuerit, dicens, relictam ſibi ſubſtantiam non ſufficere ad iſta; præcipimus, omni Falcidia vacante, quicquid inuenitur in tali ſubſtantia, proficere prouiſione ſanctiſsimi locorum Epiſcopi ad cauſas quibus relictum eſt.] ¶ *Itaque ſi fingamus.*] Totus hic poſtremus locus deſcriptus eſt ex reſponſo Caij[h].

a L. pen. de relig. & ſumpt. fu.
b L. at ſi quis. §. 1. de relig. & ſumpt. fune.
c L. funeris. D. illo tit.
d L. 1. §. vlt. & le. ſeq. D. ad leg. Falcid.
e L. pen. de cond. inſti.
f L. ſeruo alieno §. vl. de leg. 1.
g L. ſi ſeruum. D. ad leg. Falci.
h L. in quantitate. §. vlt. D. ad leg. Falcid.

DE FIDEICOMMISSARIIS HAEREDITATIbus, & ad Senatuſconſultum Trebellianum, Tit. XXIII.

NVnc tranſeamus ad fideicommiſſa. ſed prius eſt, vt de hæreditatibus fideicommiſſarijs videamus. Sciendum itaque eſt, omnia fideicommiſſa primis temporibus infirma fuiſſe: quia nemo inuitus cogebatur præſtare id, de quo rogatus erat. Quibus enim non poterant hæreditatem vel legata relinquere, ſi relinquebant, fideicommittebant eorum, qui capere ex teſtamento poterant hæreditatem. Et ideo fideicommiſſa appellata ſunt, quia nullo vinculo iuris, ſed tantùm pudore eorum, qui rogabantur, continebantur. Poſtea Diuus Auguſtus primus, ſemel iterumque gratia perſonarum motus, vel quia per ipſius ſalutem rogatus quis diceretur, aut ob inſignem quorundam perfidiam, iuſſit Conſulibus autoritatem ſuam interponere. Quod quia iuſtum videbatur, & populare erat, paulatim conuerſum eſt in aſſiduam iuriſdictionem, tantusque eorum fauor factus eſt, vt paulatim etiam Prætor proprius crearetur, qui de fideicommiſſis ius diceret, quem fideicommiſſarium appellabant.

1 In primis igitur ſciendum eſt, opus eſſe, vt aliquis recto iure teſtamento hæres inſtituatur, eiúſque fidei committatur, vt eam hæreditatem alij reſtituat: alioqui inutile eſt teſtamentum, in quo nemo hæres inſtituitur. Cùm igitur aliquis ſcripſerit, LVCIVS TITIVS HAERES ESTO: poteſt adijcere, ROGO TE LVCI TITI, VT CVM PRIMVM POTERIS HAEREDITATEM MEAM ADIRE, EAM CAIO SEIO REDDAS, RESTITVAS. Poteſt autem quiſque & de parte reſtituenda hæredem rogare: & liberum eſt, vel purè, vel ſub conditione relinquere fideicommiſſum, vel ex certo die.

Reſtituta autem hæreditate, is quidem, qui reſtituit, nihilominus hæres permanet: is verò, qui recipit hæreditatem, aliquando hæredis, aliquando legatarij loco habetur. Et Neronis quidem temporibus Trebellio Maximo & Anneo Seneca Conſulibus Senatuſconſultum factum eſt: quo cautum eſt, vt ſi hæreditas ex fideicommiſſi cauſa reſtituta ſit, omnes actiones, quæ iure Ciuili hæredi & in hæredem competerent, ei & in eum darentur, cui ex fideicommiſſo reſtituta eſſet hæreditas. Poſt quod Senatuſconſultum Prætor vtiles actiones ei & in eum, qui recepit hæreditatem, quaſi hæredi & in hæredem dare cœpit.

Sed quia hæredes ſcripti, cùm aut totam hæreditatem, aut penè totam plerunq; reſtituere rogabãtur, adire hæreditatem ob nullum vel minimum lucrum recuſabant, atq; ob id extinguebantur fideicommiſſa: poſtea Veſpaſiani Auguſti temporibus Pegaſo & Puſione Conſulibus Senatus cenſuit, vt ei, qui rogatus eſſet hæreditatẽ reſtituere, perinde liceret quartã partem retinere, atq; ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. Ex ſingulis quoq; rebus, quæ per fideicommiſſum relinquuntur, eadem retentio permiſſa eſt. Poſt

quod Senatusconsultum ipse hæres onera hæreditaria sustinebat: ille autem, qui ex fideicommisso recipiebat partem hæreditatis, legatarij partiarij loco erat, id est, eius legatarij, cui pars bonorum legabatur. quæ species legati, Partitio vocabatur: quia cum hærede legatarius partiebatur hæreditatem. Vnde quæ solebant stipulationes inter hæredem & partiarium legatarium interponi, eædem interponebantur inter eum, qui ex fideicommisso recepit hæreditatem, & hæredem: id est, vt lucrum & damnum hæreditariũ pro rata parte inter eos commune esset. Ergo si quidem non plus, quàm dodrantem hæreditatis scriptus hæres rogatus sit restituere: tunc ex Trebelliano Senatusconsulto restituebatur hæreditas, & in vtrunq; actiones hæreditariæ pro rata parte dabantur: in hæredẽ quidem iure Ciuili: in eum verò, qui recipiebat hæreditatẽ, ex Senatusconsulto Trebelliano, tanquam in hæredem. At si plus quàm dodrantem, vel etiam totam hæreditatem restituere rogatus esset: locus erat Pegasiano Senatusconsulto: & hæres, qui semel adierat hæreditatem (si modò sua voluntate adierat) siue retinuerat quartam partem, siue retinere noluerat: ipse vniuersa onera hæreditaria sustinebat. Sed quarta quidem retenta, quasi partis & pro parte stipulationes interponebantur, tanquam inter partiarium legatarium & hæredem. si verò totam hæreditatem restitueret: emptæ & venditæ hæreditatis stipulationes interponebantur.

Sed si recusabat scriptus hæres adire hæreditatem, ob id, quòd diceret eam sibi suspectam esse quasi damnosam: cauebatur Pegasiano Senatusconsulto, vt desiderante eo, cui restituere rogatus esset, iussu Prætoris adiret, & restitueret hæreditatem: perindeque ei & in eum, qui reciperet hæreditatem, actiones darentur, ac iuris est ex Trebelliano Senatusconsulto. quo casu nullis stipulationibus est opus: quia simul & huic, qui restituit, securitas datur: & actiones hæreditariæ ei & in eum transferuntur, qui recipit hæreditatem, vtroque Senatusconsulto in hac specie concurrente.

Sed quia stipulationes ex Senatusconsulto Pegasiano descendentes, & ipsi antiquitati displicuerunt, & quibusdam casibus captiosas eas homo excelsi ingenij Papinianus appellat, & nobis in Legibus magis simplicitas, quàm difficultas placet: ideò omnibus nobis suggestis tam similitudinibus, quàm differentijs vtriusque Senatusconsulti, placuit, explo so Senatusconsulto Pegasiano, quod postea superuenit, omnem autoritatem Trebelliano Senatusconsulto præstare, vt ex eo fideicommissariæ hæreditates restituantur: siue habeat hæres ex voluntate testatoris quartam, siue plus siue minus, siue nihil penitus: vt tunc quando vel nihil, vel minus quarta apud eum remanet, liceat ei vel quartam, vel quod deest, ex nostra autoritate retinere vel repetere solutum, quasi ex Trebelliano Senatusconsulto: pro rata portione actionibus, tam in hæredem, quàm in fideicommissarium competentibus. Si verò totam hæreditatem sponte restituerit: omnes hæreditariæ actiones fideicommissario, & aduersus eum competant. Sed etiam id, quod præcipuum Pegasiani Senatusconsulti fuerat, vt quando recusaret hæres scriptus sibi datam hæreditatem adire, necessitas ei imponeretur totam hęreditatem volenti fideicommissario restituere, & omnes ad eum & contra eum transferre actiones: & hoc transposuimus ad Senatusconsultum Trebellianum, vt ex hoc solo necessitas hæredi imponatur, si ipso nolente adire, fideicommissarius desideret restitui sibi hæreditatem, nullo nec damno, nec commodo apud hæredem remanente. Nihil autem interest, vtrum aliquis ex asse hæres institutus, aut totam hæreditatem, aut pro parte restituere rogatur: an ex parte hæres institutus aut totam eam partem, aut partem partis restituere rogatur. Nam & hoc casu eadem obseruari præcipimus, quæ in totius hæreditatis restitutione diximus.

Si quis vna aliqua re deducta, siue præcepta, quæ quartam continet (veluti fundo, vel alia re) rogatus sit restituere hęreditatem: simili modo ex Trebelliano Senatusconsulto restitutio fiet, perinde ac si quarta parte retenta, rogatus esset reliquam hæreditatem restituere. Sed illud interest, quòd altero casu, id est, cùm deducta, siue præcepta aliqua re, restituitur hæreditas: insolidum ex eo Senatusconsulto actiones transferuntur: & res, quæ remanet apud hæredem, sine vllo onere hæreditario apud eum remanet, quasi ex legato ei adquisita: altero verò casu, id est, cùm quarta parte retenta rogatus est hæres restituere hæreditatem, & restituit, scinduntur actiones, & pro dodrante quidem transferuntur ad fideicommissarium, pro quadrante remanent apud hæredem. Quinetiam licet vna re aliqua deducta, aut præcepta, restituere aliquis hæreditatem rogatus sit, in qua maxima pars hæreditatis contineatur: æquè insolidum transferuntur actiones. Et secum deliberare debet is, cui restituitur hæreditas, an expediat sibi restitui. Eadem scilicet interueniunt,

niunt, & si duabus pluribúsve deductis, præceptísve rebus, restituere hæreditatem rogatus sit. Sed & si certa summa deducta præceptáve, quæ quartam vel etiam maximam partem hæreditatis continet, rogatus sit aliquis hæreditatem restituere: idem iuris est. Quæ autem diximus de eo, qui ex asse institutus est: eadem transferimus & ad eum, qui ex parte hæres scriptus est.

Præterea intestatus quoque moriturus, potest rogare eum, ad quem bona sua vel Legitimo iure, vel Honorario pertinere intelligit: vt hæreditatem suam totam partémve eius, aut rem aliquam (veluti fundum, hominem, pecuniam) alicui restituat: cùm alioqui legata, nisi ex testamento, non valeant.

Eum quoque, cui aliquid restituitur, potest rogare, vt id rursum alij aut totum, aut partem, vel etiam aliquid aliud restituat.

Et quia prima fideicommissorum cunabula à fide hæredum pendent, & tam nomen, quàm substantiam acceperunt, ideo Diuus Augustus ad necessitatem iuris ea retraxit. Nuper & nos eundem Principem superare contendentes, ex facto, quod Tribonianus vir excellentissimus Exquæstor sacri Palatij suggessit, Constitutionem fecimus: per quam disposuimus, si testator fidei hæredis sui commisit, vt vel hæreditatem, vel speciale fideicommissum restituat, & neque ex scriptura, neque ex quinque testium numero (qui in fideicommissis legitimus esse noscitur) possit res manifestari: sed vel pauciores, quàm quinque, vel nemo penitus testis interuenerit, tunc siue pater hæredis, siue alius quicunq; sit, qui fidem hæredis elegerit, & ab eo restitui aliquid voluerit, si hæres perfidia tentus adimplere fidem recusat, negando rem ita esse subsequutã, si fideicommissarius iusiurandum ei detulerit, cùm prius ipse de calumnia iurauerit: necesse eum habere vel iusiurandum subire, quòd nihil tale à testatore audiuerit: vel recusantem, ad fideicommissi vel vniuersalis vel specialis solutionem coarctari, ne depereat vltima voluntas testatoris fidei hæredis commissa. Eadem obseruari censuimus, & si à legatario vel fideicommissario aliquid similiter relictum sit. Quòd si is, à quo relictum dicitur, postquam negauerit, confiteatur quidem aliquid à se relictum esse, sed ad legis subtilitatem recurrat: omnino soluere cogendus est.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Ratio ordinis in hoc titulo.*
2 *Quid, si quis certam partem hereditatis legauerit?*
3.5. *Vtrùm maiorem olim fuisse Fides.*
4 *Per fideicommissum fieri poterat, vt qui institui heredes nō poterant, hereditatem tamen caperent.*
6 *Cui directo quid relinqui non potest, illi nec per fideicommissum licet.*
7.8 *In fraudem iuris fidem accommodare quis quando dicatur?*
9 *An ei, qui testatore decedente capax non est, fideicommissum restituendum?*
10 *Quid si vel heres, vel incapax ipse, fraudem taciti fideicommissi fisco deferant vltro?*
11 *Fiducia contractum iuris olim vinculum habuisse.*
12 *Fiduciarij heredes vnde dicti?*
13 *Augustus quomodo primum exemplum memorabile bona fides ediderit?*
14 *Iusiurandum per salutem olim & genium Principis.*
15 *Assidua iurisdictio quid?*
16 *De Prætoribus fideicommissarijs.*

1 SEd prius est.] Nam vniuersitatis prior potiorque est ratio. De singulis ergo rebus, quę per fideicōmissum relinquuntur, agetur titulo sequenti. ¶ *De hæreditatibus fideicommissarijs.*] Sunt enim
2 hæc vniuersalia fideicommissa, quę etiam onera ipsa continent: quemadmodum & si quis certam partem hæreditatis legauerit[a]. quanquã hic legatarius ipse alio nomine dissimilis sit fideicomissario: quia rogatus partem suam restituere, non restituat ex Senatusconsulto: ideoque nec quar-
3 tam retineat, sed totam suam partem simpliciter debeat restituere[b]. ¶ *Primis temporibus.*] Quibus licet magna fidei vis esset, adeo vt etiam peculiari templo coleretur Fidei numen, & multi boni viri cum nostro Vlpiano existimarent grauissimum esse scelus, fidem fallere[c]: tamen erant etiam, qui Deorum religionē nihil veriti, ad perfidiam solicitabantur impunitatis spe: & facilè contemnebant officium, quod ab inuitis exigi non posse intelligebant. Quanquam reperirentur boni viri, qui bona fide vltrò parebant voluntati defunctorum. Sic Plinius, cui nihil erat antiquius fide obsequij, cùm scriptus esset hæres à Iulio Largo ex Ponto, homine incognito; & rogatus vt hæreditatem adiret cerneretque, ac deinde perceptis quinquaginta millibus numûm, reliquum omne redderet Ciuitatibus Heracleotarum & Theanorum: non grauatim paruit huic fideicommisso, vti apparet ex quadam eius ad Traianum epistola. ¶ *Quibus enim non poterant.*] Veluti olim
4 non poterat à marito vxor hæres institui: sed per fideicommissum fieri poterat, vt ad eam bona perue-

a *L. si quis seruum. §. vlt. de lega. 2.*
b *L. mulier. §. vlt. D. ad Sen. Treb.*
c *L. 1. de constit. pec.*

peruenirent. quod indicat Fabius lib.9 cap.2. Apud Ciceronem quoque lib.2. de Finibus lauda-
tur quidam Sex. Peduceus, qui rogatus à C. Plotio, cùm tamen sciret nemo eum rogatum, vltrò ad 5
mulierem venit, eique nihil opinanti viri mandatum exposuit, hæreditatemque reddidit. Fit &
mentio Sestilij Rufi, quem scripserat hæredem Fabius Callus, suoque testamento adscripserat, il-
lum se rogâsse, vt omnis hæreditas ad filiam perueniret. Negabat Sestilius rogatum reuera se fuisse.
Sed arbitri verisimilius esse iudicârunt, hunc mentiri, cuius interesset, quàm illum, qui id se rogâs-
se scripsisset, quod debuisset rogâsse. Addebat Sestilius, se in Legem Voconiā iuratum contra eam
facere nō audere, nisi amicis aliter videretur. Amicos illos qui arbitri erant, homines amplissimi,
censuisse narrat Cicero, plus filiç dandum non esse, quàm posset ad eam Lege Voconia peruenire.
Sanè eo iure, quod est in Pandect.s. Quibus non potest directò aliquid relinqui, nec per fideicom- 6
missum liçet. Et si hæres in fraudem vltrò fidem suam accommodârit tacito fideicommisso; indig-
nus iudicatur hæreditate, in qua fraudem adhibuit: eaque fisco applicatur. Dicitur autem in frau- 7
dem iuris fidem accommodâsse, qui vel id quod relinquitur, vel aliud tacitè promittit restituere
se personæ, quæ legibus ex testamento capere prohibetur: siue chirographum eo nomine dederit,
siue nuda pollicitatione repromiserit, vt inquit Caius [a]. Sed fraudem interpositam iudicabimus 8
magis ex euentu quàm consilio: vt si tunc, cùm tacitè fideicommittebatur, non capiebat is, cui re-
stitui iubebatur, mortis verò tempore capere poterat [b]. Quòd si quis ei, qui capere posit, rogatus 9
fuerit restituere: & is mortis tempore prohibeatur hoc legibus capere: manebit fideicommissum
apud hæredem, vtpote cuius nulla fraus fuit: nisi si in futurum casum fidem accommodarit [c]. Por- 10
rò extat Constitutio [d] Constantini; vt si hæres vltrò fisco deferat fraudem taciti fideicommissi, re-
tineat trientem. Et si id faciat ipse incapax fideicommissarius: relinquatur ei à fisco semis. Quam
rem etiam pluribus explicat edictum Diui Traiani, quod extat in Pandectis [e].

a L. in fraudem. de iis quæ vt indig.
b L. 3. §. quando autem. de iure fisci.
c dic. l. in fraudē. §. 1.
d L. vnica. C. de his qui se defer.
e L. edicto. de iure fisci.

¶ *Nullo vinculo iuris.*] Habuit tamen illud olim fiduciæ contractus vinculum iuris : cùm scili- 11
cet alicui res mancipabatur ea lege, vt eam aliquando bona fide vltrò redderet, & mancipanti re-
manciparet. Cuius contractus multa fit mentio apud Tullium: & eius exemplo dicuntur etiam 12
in Iure Ciuili fiduciarij hæredes [f], qui hæreditatem alteri restituendam recipiunt.

¶ *Diuum Augustum.*] Qui & ipse primus prodidit memorabile bonæ fidei exemplum. Nam titu- 13
lo sequenti Iustinianus refert, eum vltrò paruisse fideicommisso Lentuli: deincepsq; reliquos eius
autoritatem secutos esse. ¶ *Per ipsius salutem.*] Vlpianus [g] meminit & iurisiurandi per genium 14
aut venerationem principis. & alio item loco meminit eorum, qui per salutem iurabant [h]. ¶ *Assi-* 15
duam iurisdictionem.] Alibi dicitur perpetua iurisdictio [i], sicuti & Edictum perpetuum. Quia erat &
edictum temporarium, & Iurisdictio quæ non nisi ad vnam aliquam causæ speciem pertinebat.

¶ *Prætor proprius crearetur.*] Scribit noster Pomponius [k]; Claudium Cæsarem creasse duos Præ- 16
tores, qui de fideicommisso ius dicerent in Vrbe. & addit Tranquillus, eum demandasse hanc iu-
risdictionem per Prouincias Potestatibus. Postea Titus Imp. ex illis duobus Prætoribus fideicom-
missarijs vnum detraxit. itaque alter solus remansit proprius Prætor fideicommissarius. Atque hic
quidem de fideicommissis non modò ius dicebat, sed & iudicabat & cognoscebat. nam neque ex
formula petebantur legitima aliqua actione, sed extraordinario iudicio. Prætoris fideicommis-
sarij fit etiam in Pandectis aliquando mentio [m]. Sicuti & Prætoris de fideicommisso non quidem
iudices dantis, sed iudicantis, cognoscentis, pronunciantis [n].

f L. Seim. D. ad Sen. Trebell. l. certi. D. si cert. pet. cond.
g L. si duo. §. vlt. de iureiur.
h L. qui per salutem. de iureiur.
i L. si quis id quod. de Iurisd.
k L. 2. §. post deinde. de orig. iuris.
l L. pecuniæ verbum. §. actionis. de verbo. sign.
m L. 4. §. vlt. D. quib. ad lib. procl. non lic. l. si cui legatū de cond. & dem.
n L. Titiæ. de auro & arg. leg. l. iudicata. de excep. rei iud.

§. *Inprimis.*

1 Fideicommissariam quis hæreditatem relicturus, recto iure testamento hæredem instituat.
2 Hæres ex certo die cur institui non possit?

¶ *Opus esse.*] Nempe quando quis vult testamento relinquere fideicommissariam hæredita- 1
tem potest autem etiam codicillis, & ab intestato relinqui [o]: nec tum opus est aliquem hæredem
scribere. ¶ *Eiusq; fidei committatur.*] Quod cùm petitur ab aliquo, vt hærede, non potest non dedu-
ci quadrans ex Senatusconsulto. Sic enim respondit Vlpianus [p]: vt Trebelliano locus sit, non suf-
ficit de hæreditate rogatum esse: sed quasi hæredem rogari oportet. ¶ *Vel ex certo die.*] Ex eo ta- 2
men non posset hæres recto iure institui [a], ne quis videatur partim intestatus [b].

o §. præterea intestatus. inf. eod.
p L. mulier. §. vlt. D. ad Senat. Trebell.
a §. hæres. supr. de hær. instit.
b L. ius nostrum. de reg. iuris.

§. *Restituta.*

1.2 Restituitur hæreditas aut re ipsa, aut verbo. num. 2.
3 Semel hæres, hæres esse non desinit.
4 Olim inter hæredem ceu venditorem, & fideicommissarium ceu emptorem interueniße stipulationes.
5 Hæres etiam restituta ex fideicommisso hæreditate, à creditoribus conueniri quomodo possit?
6 Fideicommissarius cur & quomodo pro hærede habeatur?
7.8. Actiones tum directæ tum vtiles quibus quando dentur?

¶ *Restituta.*] Restituta hæreditas videtur aut re ipsa, si fortè passus est hæres possideri res hære- 1
ditarias: aut verbo, si dixit se restituere [c]. Rectè itaque Caius [d], Facta (inquit) fideicommissi restitu-
tione,

c L. restituta. D. ad Sen. Treb.
d L. facta. D. ad Sen. Treb.

2 tione, statim omnes res in bonis fiunt eius, cui restituta est hæreditas, & si nondum earum nactus
fuerit possessionem. ¶ *Nihilominus hæres permanet.*] Celebre dictum est Papiniani [a], & ipsius Caij [b];
3 Eum, qui semel hæres extitit, non posse omnino desinere hæredem esse. Quod adeò verum est in
eo, qui ex fideicommisso restituit hæreditatem, vt etiam possit à creditoribus hæreditarijs adhuc
conueniri: quanquam ij exceptione possint summoueri [c]. Sed si quid ijs fuerit solutum ab hęrede,
4 repetetur à fideicommissario [d]. Hicque meminisse debemus, olim inter hæredem, qui venditoris,
& fideicommissariũ, qui emptoris loco habebatur, interuenisse quasdam stipulationes solennes.
5 Nam stipulabatur hæres, si quid creditori hęreditario soluisset, sibi reddi à fideicommissario. Con-
trà fideicommissarius stipulabatur, sibi reddi, si quid hæres à debitoribus hæreditarijs exegisset. Si
autem hæres habebatur loco venditoris hæreditatis, satis eo nomine significabatur, posse adhuc
eum conueniri à creditoribus. Nam constat venditorem hæreditatis, qui semel fuit hæres, semper
6 teneri [e]: nec aliter liberari, quàm si creditores vltrò elegerint emptorem, quem conuenirent, & is
non inuitus accesserit [f]: vt si conuentus, nulla exceptione sese tueatur [g]. ¶ *Aliquando hæredis loco.*]
Nempe cùm ei vniuersa restituebatur hæreditas. Qui enim in vniuersum ius succedit, hæredis loco
habetur, inquit Paulus [h]. Idemque respondit [i], Filium exhæredatum, cui ex Senatusconsulto Tre-
belliano hæreditas patris restituta est, effectu quodammodo hæredé esse: & ideo in solidum con-
ueniri de ea condemnatione, quam viuo adhuc patre recepit: quanquam alioqui in exhæreda-
tum iudicati actio non nisi in id, quod facere potest, daretur. Iustinianus in Nouella sua Consti-
tut. prima, de fideicommissario loquens, μιμήματι (inquit) κληρονόμου ὑφίσταται. [imitatione prope-
modum hæres existit.]

a L. ait prætor. §. sed quod Papin. de minor.
b L. ei qui soluendo. de hæred. instit.
c L. 1. §. quanquam autem. D. ad Sen. Trebell.
d L. 1. C. ad Sen. Treb.
e L. 2. §. venditor. de hæred. vel act. vend. l. 2. C. eod. tit.
f dict. l. 2. D. eod. tit.
g L. 2. C. de pact.
h L. in parte. §. 1. de reg. iur.
i L. si filiusfa. §. 1. D. quod cum eo qui in al. pot.

¶ *Quo casu tum est.*] Verba huius Senatusconsulti hæc fuisse testatur Vlpianus [k]: CVM ESSET ÆQVISSIMVM, IN OMNIBVS FIDEICOMMISSARIIS HÆREDITATIBVS, SI QVA DE HIS BONIS IVDICIA PENDERENT, EX HIS EOS SVBIRE, IN QVOS IVS FRVCTVSQVE TRANSFERRETVR, POTIVS QVAM CVIQVAM PERICVLOSAM ESSE FIDEM SVAM: PLACVIT ACTIONES QVÆ IN HÆREDES HÆREDIBVSQVE DARI SOLENT, EAS NEQVE IN EOS, NEQVE IIS DARI QVI FIDEI SVÆ COMMISSVM SICVT ROGATI ESSENT, RESTITVISSENT: SED EIS IN EOS, QVIBVS EX TESTAMENTO FIDEICOMMISSVM RESTITVTVM FVISSET: QVO MAGIS IN RELIQVVM CONFIRMENTVR SVPREMÆ DEFVNCTORVM VOLVNTATES. Addit deinde Vlpianus; hoc Senatusconsulto sublatam esse dubitationem eorum, qui adire hæreditatem recusarent, seu metu litium, seu prætextu metus.

k L. 1. D. ad Sen. Treb.

¶ *Vtiles actiones dare cœpit.*] Directę actiones iure ipso hęredibus & in hæredes competunt. Neque potuit Senatusconsultum subtilem illam Iuris rationem & vim planè tollere. Sed quemadmodum Prætor dedit exceptionem, si aut directis actionibus conueniretur, aut ageret hæres [l]. Sic vtiles actiones dedit & ei & in eum cui hæreditas erat restituta. Neque verò erat opus hæredis cessione, vt in fideicommissarium transirent actiones, quæ quidem suam trahunt originem à defuncto. Cæterùm si hæres ipse vel alium sibi, vel alij se obligârit: priori casu necessaria esset hæredis cessio; altero verò debet fideicommissarius hæredi cauere. Sic enim Paulus respondit [m]: Cùm hæreditas ex fideicommissi causa restituta est, si antè cum hærede compromissum sit, puto fideicommissarium cauere debere hæredi: sicut cùm hæres multa antè, quàm restitueret, administrauit. Nam quod dicitur retinere eum oportere, non est perpetuum. Quid enim si nihil est, quod retineat? veluti cùm omnia in nominibus sunt, aut in corporibus, quæ non possidebat? Nempe enim is, cui restituta est, omnia persequitur: & tamen hæres iudicijs, quibus conuentus est, aut stipulationibus, quibus necesse habuit promittere, obstrictus manebit. Ergo non aliàs cogetur restituere, quàm si ei caueatur.

l L. 1. §. quanquam. D. ad Treb.
m L. cum hæredit. 28. D. ad Sen. Treb.

§. *Sed quia hæredes. cum §. Ergo.*

1 *Pegasiani S. C. & L. Falcidiæ comparatio; & ex illo fideicommissi, ex hac legatorum quartam retinere licuisse.*
2 *Pegasiani S. C. & L. Falcidiæ discrimen.*
4. 5. *In parte hæreditatis, & parte bonorum relicta, quid sit discriminis?*
6 *Hæredi instituto pro quarta actiones, pro cæteris portionibus fideicommissario competunt.*
7 *Qui alieno periculo adit hæreditatem, omni commodo arcendus.*

1 ¶ *Perinde liceret.*] Iustinianus hîc tantummodo illud significat; Ex Senatusconsulto Pegasia-
no detrahi quadrantem hæreditati, quemadmodum ex Lege Falcidia detrahitur legatis, quæ do-
2 drantem excedunt. Interea autem meminerimus esse aliquod discrimen. Nam in quadrantem
Legis Falcidiæ non imputantur præceptiones & legata [n]. Hîc verò imputantur. Nempe, quia Le-
ge Falcidia omnino prohibebatur testator legare vltra dodrantem, vt reliquus quadrans penes
hæredem maneret iure hæreditario. At Senatusconsultum Pegasianum non ita prohibuit vltra
dodrantem fideicommittere: sed tantùm constituit, vt si esset fideicommissum, non cogeretur hæ-
res restituere, nisi aliquo titulo quadrantem haberet ex bonis defuncti. Ergo quæ hîc fit colla-
tio quadrantis ex Lege Falcidia, & ex Senatusconsulto Pegasiano, magis referenda est ad ipsam
quanti-

n L. in quartam. D. ad leg. Falcid.

quantitatem, quàm ad qualitatem: sicque accepta similitudo neminem fallet, etiam si legerit ali-
a L. cohæredi. §. quod si hæredem. de vulg. & pup. subst. l. Titia testamento. D. ad leg. Falc.
quando κατὰ χρηστικῶς Falcidiam appellari quadrantem, quem hęres retinet [a]. ¶ *Id est, eius legatarij, cui pars bonorum legabatur.*] Hæc interpretatio sic accipienda est, vt tantùm significet quandam ex- 3
emptionem ab oneribus hæreditarijs, quòd hoc iure is non teneretur, cui pars hæreditatis relin-
queretur, nisi stipulationibus sese ijs obstrinxisset. Vnde cùm alicui certa pars hæreditatis legata 4
b L. si quis seruum. §. vlt. de lega. 2.
esset, rescripsit Adrianus [b]; neqne precia manumissorum, neque funeris impensam deduci. qua-
si videlicet ea onera solus hæres sustinere de suo deberet. Quòd si cui pars bonorum relinquebatur: 5
certè nunquam poterat conueniri nomine onerum hæreditariorum: sed non nisi deductis ijs re-
c L. cum autem. de lega. 2.
cipiebat suum legatum [c]. ¶ *Quasi partis & pro parte stipulationes interponebantur.*] Paulus lib. 4. Sen-
tent. Inter hæredem (inquit) & fideicommissarium, cui ex Pegasiano hæreditas restituitur, partis
& pto parte stipulatio interponitur: vt hæredi instituto pro quarta actiones, pro cæteris verò
portionibus fideicommissario competant. ¶ *Si verò totam hæreditatem restitueret.*] Idque ex Sena- 6
tusconsulto Pegasiano. Nam ex Trebelliano non erat opus stipulationibus, cùm ipso iure omnes
actiones transirent in fideicommissarium.

d L. quia poterat. D. ad Sen. Trebell.
¶ *Sed si recusabat.*] Totius huius loci rationem eleganter explicat Vlpianus [d], his verbis: Quia
poterat fieri, vt hæres institutus nollet adire hæreditatem, veritus ne damno afficeretur: prospe-
ctum est, vt si fideicommissarius diceret suo periculo adiri, & restitui sibi velle, cogatur hæres insti-
tutus à Prętore, adire, & restituere hæreditatem. Quod si fuerit factum, transeunt actiones ex Tre-
belliano: nec quartæ commodo hæres in restitutione vtetur. Nam cùm alieno periculo adierit 7
hæreditatem, meritò omni commodo arcebitur.

§. *Sed quia stipulat. cum §. seq.*

1.2. Stipulationes ex Pegasiano S.C. descendentes cur antiquitati displicuerint?
3 Nil tam proprium Legibus quam perspicuitas.
4 Pegasiani S.C. quod erat, Trebelliano attributum, ex duobus vnum conflauit Iustinianus.
5 Ratio explosi S.C. Pegasiani, & recepti Trebell.
6 Cum ratio L. Falcidiæ relicta sit hodie arbitrio testatoris, an idem de quadrante S.C. Trebelliani?
7 Hæredi plus debito restituenti an detur repetitio?
8.9. Quid, si hæres restituat fideicōmissario ante diem? an transferantur actiones?
10.11. Hæreditariæ actiones quæ?
12 Iudicium cœptum cum hærede, an transeat in hæredem?
13 Quid, si temporalis actio in hæreditate relicta sit?
14 Ex pluribus fideicommissarijs vnum desiderare hæres potest, vt adeatur hæreditas.
15.17. An omnis fideicommissarius cogere possit suspectam hæreditatem adiri, & sibi restitui?
16 Hæres non nisi coactus hæreditatem adiens commodum quadrantis perdit.

¶ *Ipsi antiquitati displicuerunt.*] Et meritò sanè. Nam his stipulationibus, qui lites & iudicia fu- 1
gere volebat, pluribus litibus inuoluebatur. Etenim cum creditoribus hæreditarijs res illi erat.
Deinde cū fideicōmissario agere debebat ex stipulatione, vt reciperet quod ijs soluisset. ¶ *Captiosas*
eas Papinianus appellat.] Appellat & ipse Iustinianus in Pręfatione Pandectarum. Solum (inquit) Se-
natusconsultum Trebellianum ponendum esse existimauimus. Captiosas etenim, & ipsis vete- 2
ribus odiosas Senatusconsulti Pegasiani ambages, & vtriusque Senatusconsulti inter se tam su-
peruacaneas qnàm scrupulosas diuersitates respuentes, totum ius super his positum, Trebelliano
Senatusconsulto adiudicauimus. Idem Iustinianus in Nouella sua Constitut. prima, τῷ (inquit)
τρεβελλιανείῳ δόγματι διδώκαμεν ἐν τοῖς τοιούτοις φιδεικομμίσσοις χώραν, τὰς πηγασιανοῦ περιόδους μισήσαντές τε
καὶ ἐκβαλόντες. [Trebelliano S.C. dedimus in talibus fideicommissis locum; Pegasiani circuitiones
odio habentes & expellentes.] ¶ *In legibus magis simplicitas.*] Sic postea Iustinianus in tit. de legit.
agnat. succeſs. simplicitatem ait esse legibus amicam. Et rursus in Nouella sua Constit. 106. *ἡμεῖς* 3
(inquit) *πάντα σαφῆ τε καὶ ἀναμφίβολα καθεστάναι βουλόμενοι, οἶδεν γὰρ ὁ τοὺς ἰδίους νόμους ὡς σαφέστατα, &c.* ¶ *Pla-*
cuit exploso Senatusconsulto Pegasiano.] Sic itaque ex duobus senatusconsultis vnum conflauit Iusti- 4
nianus, & quod erat Pegasiani, Trebelliano attribuit. Cuius interpolationis vestigia & in Pande-
e L. qui totam. D. ad Treb.
ctis extant. vt cùm apud Modestinum [e] legimus; eum, qui coactus à Prætore adit & restituit, ex
Trebelliano restituere videri. Scripserat Modestinus ex Pegasiano, cuius proprium hoc fuit. Sed
architecti Pandectarum eius quam dixi, interpolationis memores scripserunt, ex Trebelliano.

¶ *Quod postea superuenit.*] Hic latet ratio explosi Pegasiani, & recepti Trebelliani, cum additio- 5
ne eorum, quæ vtiliter fuerant Senatusconsulto Pegasiano introducta: vt erat ius quadrantis re-
tinendi; & cogendi hæredis, vt adeat. ¶ *Liceat ei.*] Adeò vt hoc iure id liceret etiam aduersus te- 6
statoris voluntatem. Sed cùm postea Iustinianus Nouella sua Constit. 1. reliquerit rationem Legis
Falcidiæ arbitrio testatoris, ne locum habeat eo inuito, videtur idem statuendum de quadrante Se-
f L. 3. §. quod autem. D. ad Sen. Treb.
natusconsulti Trebelliani: cùm eadem sit vtriusq; ratio [f]. ¶ *Vel repetere solutū.*] Saltem si plus fuerit
g L. si hæres ab eo. §. si totā. D. ad Sen. Treb.
solutum iusto aliquo facti errore: eumque errorem hæres probet. Sic enim Valens respondit [g]: Si 7
totam hæreditatem rogatus restituere, sponte adieris, & sine deductione qnartæ partis restitueris:
difficilè quidem crederis per ignorantiā magis, non explendi fideicōmissi causa, hoc fecisse. Sed si
h L. error. C. ad leg. Falc.
probaueris per errorē te quartā non retinuisse, recuperare eam poteris. Porrò Gordianus Imp. suo
rescripto declarat, qualis esse debeat hic error, inquiens [h]: Error facti, quartę ex causa fideicommis-
si non

si non retentæ repetitionem nõ impedit. Is autem qui sciens se posse retinere, vniuersum restituit,
condictionem non habet. quinetiam si ius ignorauerit, cessat repetitio. Sanè vbi ageretur de repe-
titione eorum, quę hæres creditoribus hęreditarijs bona fide soluerit: dicemus eum posse retinere,
quod soluit, & hoc minus ex causa fideicommissi restituere, vt ait Iulianus [a]. Sed & si nihil reti-
nuerit, potest id à fideicõmissario repetere. Sic enim rescripserunt Impp. Seuerus & Antoninus [b]:
Si ex Senatusconsulto quartam partem hæreditatis retinuisti, & dodrantem fideicommissario re-
stituisti: quod creditoribus hæreditarijs pro nouem vncijs præstiteris, à fideicommissario petere
potes. ¶ *Totam hereditatem sponte.*] Hoc est, vltrò repudiato quadrante, quem non vult retinere:
fortassis ne pro rata conueniatur à creditoribus. Et si coactus restituerit hęreditatem, quam etiam
coactus adierat, saltem spontanea est totius restitutio. Semper autem liber est, qui totam restituit,
& liberior quidem securiorque qui coactus adijt: quia fideicommissarius non poterit non recipe-
re totam hæreditatem cum omnibus oneribus, quã adeò affectauit. Vnde est illud Modestini re-
sponsum [c]: Qui totam hæreditatem restituere rogatus, quartam retinere non vult, fidumque ob-
sequium defuncti precibus præbere desiderat: sua sponte adire debebit hæreditatẽ, quasi ex Tre-
belliano eam restituturus. Suaserim tamen suspectam potius dicat hæreditatem, coactusq; à Præ-
tore restituat. Hoc enim casu ex Trebelliano restituere videtur, expositoque hæreditario metu, v-
niuersas actiones in eum transfert, qui recipit hæreditatem. ¶ *Restituerit.*] Nempe sicut rogatus
8 est restituere. Vnde si ante diem vel conditionem restituta sit hæreditas: non transferri actiones,
9 quia non ita restituitur hæreditas, vt testator rogauit, Caius respondit [d]. sed addit: Planè postquam
conditio extiterit, & dies venerit; si fideicommissarius ratam habeat restitutionem hæreditatis,
benignius est intelligi tunc translatas in eum videri actiones. Sanè si à principio consentiat fidei-
commissarius, nemo damnabit festinatam restitutionem [e]; nisi quis alius causetur eam sibi obesse
posse; vt quia fortasis ipse admitti ad eam poterit præstituto restitutionis tempore. Vnde cùm
quædam Seium maritum scripsisset hæredem, eiusque fidei commisisset, vt post mortem suam,
hæreditatem Appiæ alumnæ suæ restitueret: aut si quid ante contigisset alumnæ, tum Valeriano
restitueret: respondit Scæuola [f]; Seium, qui viuus vltrò restituerat Seiæ, non esse liberatum, si viuo
eo Appia decessisset. Sed & cùm à filia pater petijsset, vt cui vellet, ex liberis suis, prædia, cùm mo-
reretur, restitueret: vnique ex liberis prædia fideicommissi viua donasset. Papinianus respondit,
non esse electionem certæ donationis, propter incertum diem fideicõmissi. Nam in vnum etiam-
num destinatio dirigi potuit, qui fideicommissum inter cæteros habiturus est, remota matris ele-
ctione. Verùm quamuis propter iustam illorum spem non sit certa festinatæ restitutionis causa,
nec securum reddat hæredem, qui in fraudem aliorum non potuit diem fideicommissi anteuor-
tere: tamen hac in re contemnitur damnum creditorum ipsius hæredis. Neque enim propterea
hæres dicitur aliquid in fraudem eorum alienasse: sed magis fideliter facere. quemadmodum & si
quadrantem ex Senatusconsulto non retineat: quod Papinianus [g], & Callistratus [h] responderunt.
10 ¶ *Omnes hæreditariæ actiones.*] Quæ descendunt ex bonis testatoris. Cæterùm si qua actio post
aditam hæreditatem fuerit hæredi acquisita, etiam si occasione rei hæreditariæ, non transibit in fi-
deicommissarium. Sic enim Paulus respondit [i]: si damnum in seruo hæreditario datum sit: licet
per seruum hæreditarium hæredi competere actio cœperit, non tamen transit Legis Aquiliæ actio
11 ad fideicommissarium. Hæ enim actiones transeunt, quæ ex bonis defuncti pendent. Sicque acci-
piendum est quod Iulianus ait [k], Actiones fideicõmissario competere, quas habuit hæres eo tem-
pore, quo fideicommissum restituebat. Vt autem actiones, quæ non descendunt à defuncto, non
12 transeunt in fideicommissarium: ita nec iudicium, quod primum est cœptum cum hærede. nam
eius executionem aduersus hæredem, etiam post restitutam hæreditatem, manere ait Scæuola [l].
13 ¶ *Competant.*] Eodem tempore, quo erat hæredi reliquũ. Sic enim respondit Pomponius [m]:
Si temporalis actio in hæreditate relicta fuerit: tempus, quo hæres experiri ante restitutam hære-
ditatem potuit, imputabitur ei, cui restituta fuerit. Porrò vt hic statim facta restitutione acquirun-
tur actiones: ita rerum hæreditariarum dominium statim transfertur, & si eatum possessionem
nondum fuerit assecutus fideicommissarius [n]. ¶ *Fideicommissarius desideret.*] Vel eius absentis iu-
stus procurator: cui id apparet esse mandatum. Nam alioqui quamuis offerat cautionem rati: non
14 compelletur hæres adire, propter fragilitatem cautionis, inquit Paulus [o]. Porrò autem satis est, ex
multis fideicommissarijs vnum desiderare, vt adeatur hæreditas: cùm etiam reliquis tacentibus
petere debeat totam sibi restitui hæreditatem [p].
¶ *Restitui sibi hereditatem.*] Hoc est, aliquam bonorum vniuersitatem. Nam si de re aliqua vel
quantitate restituenda fuerit rogatus hæres: non cogetur adire hæreditatem, quam dicit esse su-
15 spectam [a]. Ergo nõ omnis fideicommissarius (inquit Hermogenianus [b]) cogere potest suspectam
hæreditatem adiri, & sibi restitui. sed is demum, ad quem transire possunt actiones. Et addit: Neq;
enim æquum est, ad hoc quem compelli adire hæreditatem, vt emolumentum quidem hæredita-
tis refundat: ipse verò oneribus hæreditarijs obstrictus relinquatur. Quare si fideicommissum pe-
cuniarium alicui fuerit relictum: cessat compulsio, tametsi indemnitatis cautio offeratur. Tan-
dem concludit: Proinde qui hæreditatem rogatur restituere, is demum compellitur restituere.
16 ¶ *Nec commodo.*] Veluti quadrantis: quem amittit hæres, qui non nisi coactus adit. Nam cùm
17 alieno periculo adeat, meritò omni cõmmodo arcebitur, inquit Vlpianus [c]. ¶ *Aut pro parte resti-
tuere.*] Hic tamen meminerimus non aliter cogi hæredem adire suspectam hæreditatem, quàm vt
totam restituat, omnibus omnino actionibus in fideicommissarium transfusis [d].

§. Si quis

a L. ita tamen. §. qui ex Trebelliano. in fi. D. ad Sen. Treb.
b L. 1. C. ad Sen. Treb.
c L. qui totam. D. illo tit.
d L. facta. si ante di. D. illo tit.
e L. post mortem. C. de fideicom. l. cum quo de lega. 2.
f L. uxorem. § Seiũ maritum. de lega. 3.
g L. patrẽ. de ijs quæ in fraud. cred.
h L. debitorem. D. illo tit.
i L. qui institutus est. §. si damnum. D. ad Sen. Treb.
k L. ita tamen. §. qui ex Trebelliano. D. illo tit.
l Lucius Titius. §. rogatus. D. illo tit.
m L. si hæres institutus. §. ult. illo tit.
n L. facto. D. illo tit.
o L. qui ita institutus. §. 1. D. illo tit.
p L. cogi. § idem Mecianus. D. illo tit.
a dic. l. cogi. §. generaliter.
b L. nam quod. §. non omnis. D. illo tit.
c L. quia poterat. D. illo tit.
d L. cogi. §. si quis hæres. D. illo tit.

§. *Si quis vna.*

1 Præceptio quarta, subiecta non est oneribus hæreditarijs.
2 Interesse, vtrum quadrans iure hæreditario retineatur, an vero in re vel pecunia.
3 Hæres qui certa re præcepta nomine quartæ contentus esse debet, legatarij, fideicõmissarius verò hæredis loco habetur.
4 Hæres si quid supra quadrantem habet nomine rei particularis, subijcitur oneribus hæreditarijs.
5 Quid, si præcepto seruo & peculio hæres de peculio conueniatur?

¶ *Quæ quartam continet.*] Vel etiam amplius; sed in quantum excedit quadrantem, posset id
in subsidium creditoribus hæreditarijs obnoxium fieri: sicuti & legatarijs: quibus non debet fidei-
commissarius teneri vltrà, quod ad eum peruenit [a]. Quare nominatim hîc Iustinianus agit de præ- 1
ceptione, quæ quartam continet. ea enim vna est. quæ non subijcitur oneribus hæreditarijs, cùm
subijci possit quod vltra eam est, quemadmodum ex Iuliani sententia docet Vlpianus [b], & nos
paulo pòst repetemus. Porrò si res præcepta minus quadrante contineat: peti poterit vel retineri
supplementum: sed æquum erit pro eius rata saltem in subsidium, hæredem subijci oneribus hære-
ditarijs. ¶ *Velutis fundo.*] Qui sanè si postea fuerit alienatus à testatore, eius æstimationem hæres
habebit [c]. ¶ *Simili modo.*] Adeò vt etiam illa certa res, quæ quartam continet, amittatur, si coactus
hæres adeat. Ita enim scribit Iulianus [d]: Si præceptis quibusdã rebus hæres rogatus sit restituere hæ-
reditatem, & coactus eam adierit an præcipere debeat. Respondi, eum, qui iussu Prætoris adijt
hæreditatem, omni commodo prohiberi debere. ¶ *Illud interest.*] Hoc discrimen sumptum est 2
ex responso Martiani, cuius verba [e] sunt hæc: Multum interest, vtrum pars quarta iure hæreditario
retineatur, an verò in re vel in pecunia. Nam superiore casu actiones diuiduntur inter hæredem, &
fideicõmissarium: posteriore verò apud fideicommissarium sunt actiones. Porrò si quis plura scire
desiderat de diuisione hæreditariarum obligationum, siue quæratur de æris alieni, siue de lega-
torum præstandorum onere inter hæredes diuidendo, legat nostras annotationes ad 38. cap. 12.
Tabul. ¶ *Quasi ex legato.*] Ergo hîc hæres, qui vna aliqua certa re deducta siue præcepta conten- 3
tus esse debet, legatarij loco habetur: & fideicommissarius hæredis locum solus obtinet. Nam & è
diuerso vbi certa quantitas vel res per fideicommissum relinqueretur: fideicommissarius loco le-
gatarij haberetur, vt respondit Valens [f]. Sanè & hæredes, qui ex certa re sunt instituti, dato genera-
li cohærede, rescripsit alibi Iustinianus [g], haberi loco legatariorum: nec posse vti vel conueniri hæ-
reditarijs actionibus. ¶ *Aequè in solidum.*] Sanè tamen in subsidium, & vbi exhausta est fideicom- 4
missarij portio, æquum esse, quod supra quadrantem est penes hæredem, subijci oneribus hæredi-
tarijs, iam dictum est. Multò magis creditoribus: qui si alioqui fraudarentur, possent etiam totum
legatum reuocare [h]. ¶ *Sed & si certa summa.*] Sanè tamen hîc semel admonendi sumus. quod Vl-
pianus respondit [i]; Si præcepto seruo & peculio rogatus sit hæres restituere hæreditatem: & de pe-
culio conueniatur: non vsurum exceptione Trebelliani. Eum autem, cui restituta est hæreditas,
non teneri, cùm peculium non habeat, nec dolo fecerit, quo minus haberet.

a L. 1. §. si is qui. quadringenta. D. illo tit.
b dic. l. 1. §. pen. & vlt.
c L. hæres præcepto. D. illo tit.
d L. ita tamen. §. si præceptis. D. illo tit.
e L. si legatum. §. multum interest. D. ad Sen. Treb.
f L. si hæres ab eo. D. illo tit.
g L. pen. C. de hæred. instit.
h L. quod autẽ. §. pen. de his quæ in fraud. cred.
i L. 2. §. pen. D quando de pecu. act. annal. est.

§. *Præterea. cum §. seq. finali.*

1. 2. Trebellianum S.C. cur ad intestatos quoque pertineat?
3 Non tantum proximi bonorum possessoris, sed inferioris quoq; fideicommitti posse.
4. 5. Differentia inter legata, & fideicommissa singularia.
6 Legata in codicillis quomodo valeant?
7 Fideicommissarius, & hæres eius, onerari fideicommisso quatenus possint?
8 Fideicommissarius grauatus restituere an quartam deducere possit?
9 Quousq; mandari possint restitutiones illæ?
10 Qui si fideicommissum petenti hæres deferat iurandum, & post iuramentum, ex reperto testamento appareat, nihil esse relictum?
11 Relatio iuramenti vbi locum non habeat?
12 Quando & cur hæres exceptione imperfecti testamenti vti non possit?
13 Impune pœnitere quis vbi possit?
14 Diuersa hic lectio apud Theophilum.
15 Testamenti vitium objicere alteri nemo potest, quin & amittendæ hæreditatis periculum subeat.

¶ *Præterea intestatus potest.*] Inquit Vlpianus [k], meminisse oportebit de hærede instituto Se-
natum loqui. Ideoque tractatum est apud Iulianum, an in intestatis locum habeat. Sed est verius, 1
eoque iure vtimur; vt hoc Senatusconsultum ad intestatos quoq; pertineat, siue Legitimi, siue
Honorarij sint successores. Idemq; probat & alio loco idẽ Vlpianus [l]: & multis Principũ rescriptis
traditur [m]. Quia autem objicere quis potuisset, nõ posse fideicõmisso aliquem onerari, quem nul-
lo cõmodo defunctus honorauit [n]: Paulus [o] iustam reddit rationem, cur ab intestato possit fidei- 2
commissum relinqui: nempe quoniam creditur paterfa. sponte sua relinquere suam hæreditatem
legitimis hæredibus ab intestato successuris. Rectè itaque Vlpianus ait [p]; Eorum fideicõmittere
quem posse, ad quos aliquid peruenturum est morte eius: vel dum eis datur, vel dum eis non adi-
mitur. nec tantum proximi bonorum possessoris, verùm inferioris quoque fideicommitti posse: 3
atque adeò eius, qui nondum natus est, si modò natus nobis successurus sit. Illud quoque huc per-
tinet.

k L. 3. §. meminisse. D. ad Sen. Treb.
l L. 1. §. hoc autem. D. illo tit.
m L. & fine. C. illo tit. L. 3. C. illo tit. l. 2. C. de Codic. l. vlti. C. quando di. leg. ced.
n L. ab eo. C. de fideicom.
o L. conficiuntur. de iure Codic.
p L. 1. § sciendum. de leg. 3.

tinet, quod idem Vlpianus eodem loco subijcit: Si quis intestatus decedens, ab eo qui primo gra-
du ei succedere potuit, fideicommissum reliquerit: si illo repudiante ad sequentem gradum deuo-
luta sit successio, eum fideicommissum non debere. Sed hoc accipiendum est, vbi nominatim erat
à primo gradu relictum fideicommissum. Sanè si quis sit in pari gradu cohæres; deficientis portio
ad eum transibit cum onere fideicommissi [a]. Idem & si quis agnascatur hæres: qui ante mortuum eum
cuius fidei defunctus commiserat [b]. ¶ *Cum alioqui legata.*] Hic latet discrimen legatorum & sin-
4 gularium fideicommissorum: quod etiam pertinet ad intelligẽdum celebre quoddam, parumq;
tamen vulgò notum responsum [c] Pauli. Porrò alia discrimina inter legata & singularia fideicom-
5 missa, licet repetere ex libro posteriori Institutionum Caij, tit. 7. ¶ *Nisi ex testamento.*] Valent qui-
6 dem legata etiam in codicillis: sed tum demum si codicilli testamento confirmentur: sic vt sem-
per intelligantur legata valere ex testamento. ¶ *Eum quoque.*] Videtur hic locus desumptus ex
responso Vlpiani, cuius verba [d] sunt hæc: de illo quæritur, an is, cui ex causa fideicommissi resti-
tuta est hæreditas ex senatusconsulto Trebelliano, ipse quoq; restituendo ex eodẽ senatusconsulto
trãsferat actiones. Et Iulianus scribit etiã ipsum transferre actiones. ¶ *Cui aliquid restituitur.*] Non
modò ex fideicommisso, sed & si ex legato, vel donatione causa mortis aliquid accipiat [e]. Nec is
7 modò, cui aliquid relinquitur, sed & eius hæres potest onerari fideicommisso [f]. Cæterùm semper o-
portet id quod relinquitur, continere eiusmodi aliquod emolumentum, cuiusmodi rogatus resti-
tuere. Vnde Iulianus ait [g]: Qui testamento manumittitur, & neq; legatũ neq; hæreditatẽ capit: fi-
deicõmissum præstare cogendus non est, ac ne is quidem, qui seruum legatum rogatus fuerit ma-
numittere. Is enim demum pecuniam ex causa fideicommissi præstare cogendus est, qui aliquid
8 eiusdem generis, vel simile ex testamento consequitur. ¶ *Potest rogare.*] Et is rogatus plenius co-
gitur restituere: quia non solet quadrantem deducere [h]. Et vbi semel restituit, nihil prorsus iuris
apud eum remanet. Nam penes hæredem qui prius ei restituerat, remanserunt directæ actiones:
nec ipse alias est cõsecutus, quàm vtiles, quæ ad alium transeunt. etiam ipso iure, & prius quam hic
fideicommissarius rogatus restituit. Sic enim Iustinianus statuit [i]. ¶ *Vt id rursum alij.*] Sed ne pu-
temus in infinitũ mandari posse has restitutiones, admonendi sumus, Iustinianum Nouella sua
9 Constitutione 159. nõ videri probare eas, quæ quatuor generationes excederent. Vidit enim non
esse temerè impediendum commerciorum vsum pluribus restitutionum vinculis. ¶ *Constitu-*
10 *tionem fecimus.*] Extat hæc Iustiniani Constitutio libro sexto Codicis [k]. Sed adijcienda est & altera
eiusdem Constitutio [l], qua statuit; vt si cui legatum aut fideicommissum petenti hæres vltrò de-
tulerit iusiurandum, & is iurârit: deinde testamentum reperiatur, ex quo appareat, nihil esse reli-
ctum; nihil deberi, quanuis iuratum sit. Non solet quidem iurisiurandi, quod quis aduersario de-
tulit, & quo veluti transactũ est, vis infringi prætextu instrumenti pòst reperti [m]: Sed in superiori
specie Iustinianus aliter statuisse videtur singulari fauore vltimæ voluntatis: ne quid propter au-
dacis hominis periurium præstetur contra defuncti voluntatem. ¶ *Vel recusantem ad fideicommissi*
11 *solutionem coarctari.*] Adeò, vt non sit ei integrum referre iusiurandum ipsi fideicommissario, cùm
possit is ignorare, an reuera sit ei fideicommissum relictum. ¶ *Postquam negauerit.*] In his verbis
12 latere videtur ratio, cur hic hæres non possit vti exceptione, quam alioqui ex imperfecto testa-
mento habiturus erit. Nempe quòd à principio improbè negârit vllũ fideicommissum relictum:
& propter hanc mendacem inficiationem, perdat iuris beneficium, quod fortassis alioqui erat ha-
biturus. Neque est ei integrum in alterius fraudem, noua deinde confessione recuperare, quod
13 amisit. Ita enim demum ei, qui semel respondit, pœnitere licet, si nulla sit alteri captio ex eiusmo-
di pœnitentia [n]. quanquam fortassis vbi tantùm ageretur de pœna: ea propter inficiationem com-
missa, possit deinde confitenti remitti, vt est apud Iustinianum in Nouella Cõstitutione 18. Theo-
14 philus hoc loco nullius negationis meminit: sed ita loquitur, ac si bona statim fide hic hæres con-
fessus foret relictum fideicommissum. At tunc non aliter cogi posset hæres præstare fideicommis-
sum ex imperfecto vel minus solenni testamento, quàm si appareat defunctum nõ aliter voluisse
15 testari, vel ipse hæres vltrò sese subiecerit fideicommisso [o]; quanquã sint, qui sentiant hæredem hic
teneri præstare fideicommissum, siue id ab initio confessus sit, siue negauerit relictum esse. Non
posse autem ad legis subtilitatem recurrere, hoc est, causari testamentum esse imperfectum siue
minus solenne, cum quidem ipse ex eo adierit hæreditatem. Certè testamenti vitium alteri obij-
cere non posse, quin hæredem se verum non esse ostendat. Ergo & vltrò sese videtur subijcere fidei-
commisso præstando, qui ex testamento, quod id relictum est, hæreditatem adit: saltem si defe-
ctum solennitatis allegat, periculum est, ne amittat lucrum hæreditatis, vt loquitur ipse Iustin [p].
¶ *Ad legis subtilitatem.*] Nempe quòd fideicommisso non adfuerint quinque testes

a *L. si Titio & Maeuio. §. 1. L. cum pater. §. cùm existimares. de lega. 2.*
b *L. 3. §. 1. de iur. Codic.*
c *L. pen. De lega. 1.*
d *L. 1. §. de illo. D. ad Senat. Treb*
e *L. ab eo. C. de fideicom.*
f *L. si fuerit. §. 1. De leg. 3.*
g *L. pænè si filium. §. vlt. De lega. 1.*
h *L. ex asse, in fi. D. ad Sen. Treb.*
i *L. pen. C. ad Treb.*
k *L. vlt. C. de fideicom.*
l *L. vlt. C. de reb. cred.*
m *L. admonendi. ad fi. De Iureiur.*
n *L. de etate. §. vlt. De interro. act.*
o *L. si verum. C. de fideicom.*
p *L. vlti. C. de fideicom.*

h Dc

DE SINGVLIS REBVS PER FIDEICOMMISSVM relictis, Titulus XXIIII.



POTEST tamen quis etiam singulas res per fideicommissum relinquere: veluti fundum, argentum, hominem, vestem, & pecuniam numeratam: & vel ipsum hæredem rogare, vt alicui restituat, vel legatarium, quamuis à legatario legari non possit.

Potest autem non solùm proprias res testator per fideicommissum relinquere: sed & hæredis, aut legatarij, aut fideicommissarij, aut cuiuslibet alterius. Itaque & legatarius & fideicommissarius non solùm de ea re rogari potest, vt eam alicui restituat, quæ ei relicta sit: sed etiam de alia, siue ipsius, siue aliena sit. Hoc solum obseruandum est, ne plus quisquam rogetur alicui restituere, quàm ipse ex testamento ceperit. nam quod amplius est, inutiliter relinquitur. Cùm autem aliena res per fideicommissum relinquitur: necesse est ei, qui rogatus est, aut ipsam redimere & præstare, aut æstimationem eius soluere. Libertas quoq; seruo per fideicõmissum dari potest, vt hæres eũ rogetur manumittere, vel legatarius. vel fideicõmissarius. nec interest, vtrũ de suo proprio seruo testator roget, an de eo, qui ipsius hæredis, aut legatarij, vel etiã extranei sit. Itaque & alienus seruus redimi & manumitti debet. Quòd si dominus eum nõ vendat: si modò nihil ex iudicio eius, qui reliquit libertatẽ, recipit: non statim extinguitur fideicommissaria libertas, sed differtur: quia possit tempore procedente, vbicunque occasio serui redimendi fuerit, præstari libertas. Qui autem ex fideicommissi causa manu mittitur: non testatoris fit libertus, etiamsi testatoris seruus sit, sed eius, qui manumittit. At is, qui directò ex testamento liber esse iubetur, ipsius testatoris libertus fit: qui etiam Orcinus appellatur. Nec alius vllus directò ex testamento libertatem habere potest, quàm qui vtroque tempore testatoris fuerit, & quo faceret testamentum, & quo moreretur. Directò autem libertas tunc dari videtur, cùm non ab alio seruum manumitti rogat, sed velut ex suo testamento libertatem ei competere vult.

Verba autem fideicommissorum hæc maximè in vsu habentur, PETO, ROGO, VOLO, MANDO, FIDEI TVAE COMMITTO. quæ perinde singula firma sunt, atque si omnia in vnum congesta essent.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Quid, si hæres post mortem suam rogatus sit restituere quod tum ei reliquum erit ex hæreditate?*
2 *Legatarij hæredi etiam fidei committi potest.*
3 *Discrimen inter legata & fideicommissa.*

ETiam *singulas res.*] Quòd si rogatus fuerit hæres post mortem suam restituere, id quod tum ei re- 1
liquum erit ex hæreditate, vel aliqua re singulari: debebit vnum saltem rei relictæ quadrantem
fideicommissario seruare. De reliquo autem dodrante, liberè potest suo arbitrio statuere, quod vo-
luerit. Sic enim statuit Iustinianus in Nouella sua Constitutione 108. ¶ *Vel legatarium.*] Vel etiam
ipsius legatarij hæredẽ. Nam & ab eo fideicommissum relictum valere docet Vlpianus [a]. Sed me- 2
minerimus ab eo, quem substituimus impuberi filio exhæredato, nõ posse legari vel fideicõmitti:
etiam si filio aliquid legauerimus, quod ad substitutum perueniat [b]. ¶ *A legatario legari non possit.*]
Meminit huius inter legata & fideicommissa discriminis Caius libro secundo suarum institutio- 3
num, cap. 7. Itaque passim licet in responsis veterum Iurisconsultorum obseruare, id, quod à legatario relinquitur, per fideicommissum relinqui. Sed hodie ex Iustiniani Constitutione [c], non moramur has verborum formas.

a *L. si fuerit. §. 1. De leg. 3.*
b *L. cum quidam. C. de leg.*
c *L. 2. C. commu. de legat.*

§. Potest autem. cum §§. seq.

1 *Quæ dicta superius de legato rei alienæ, in fideicommisso repetenda sunt.*
2 *Nemo in plus onerandus, quàm est honoratus.*
3 *Legatarius sibi imputet, si vltro recepit fideicommissum cum onere suæ rei dandæ.*
4 *Si aliena sit res, non cogitur legatarius ad redimendam eam plus impendere, quàm ex testamẽto accepit.*
5 *Quid, si quis fundum legatum post mortem restituere, & ex fructibus quos percipiet, C. dare Titio rogatus, confestim post acceptum legatum moriatur?*
6 *In fideicommisso relicto ab vxore cui dos relegata est, quid iuris?*
7 *Tantundem præstare quantũ accepit rogatus quis quodammodo possit?*
8 *Si res legata & percepta perierit, fideicommissi nomine cur nihil præstandum?*

Legata-

9 *Legatarius ei, cui debet fideicommissum, actionibus suis cedere potest.*
10 *Libertatem fideicommisso dari posse largius quàm directo.*
11.12 *In fideicommisso libertatis an & quando intersit, sciuerit ne an ignorárit testator alienum esse seruum.*
13 *Libertas fideicommisso relicta seruo alieno stat nonnunquam in suspenso.*
14.15. *Seruus ex fideicommisso manumissus fit libertus manumittentis.*
16 *Directa libertas ab intestato dari non potest.*
17 *Orcinus libertus vnde?*
18 *Directo data libertas seruo alieno nullius est momenti.*
19 *Tria requiri ad directā libertatem seruo relinquendam.*
20 *Fideicommissa quibuscunq; verbis relinqui posse.*
21 *Omne verbum significans testatoris legitimum sensum vtile & validum esse.*
22 *Veterum iurisconsultorum diligentia in colligenda ex ambiguis verbis vol... ate.*

¶ *Non solùm autem proprias res.*] Quæ hic traduntur communia sunt & ... gatis: & quæ suprà di-
cta sunt de legato rei alienæ [a], in fideicommisso repetenda sunt. Mihi au... er... nti satis est eius
1 rei lectorem admonuisse. ¶ *Hoc solum obseruandum est.*] Vlpianus [b] in v... uersum probat Iuliani
sententiam, ne damnum fideicōmissarius sentiat vltrà, quàm ad eum ex ... ditate peruen rit. Id-
que etiam obtinere constat, vbi quota bonorum portio relinquitur [c]. Porro debere onus commo-
do respondere quadam etiam proportione & similitudine, docet idem Iulianus [d], cùm negat,
2 eum, qui testamento manumittitur, posse grauari fideicommisso. Nam (inquit) is demum pecu-
niam ex causa fideicommissi præstare cogendus est, qui aliquid eiusdem generis, vel simile ex
testamento consequitur. Porrò vt pleniorem habeamus rationem comparandi oneris & emo-
lumenti, audiamus Papinianum eleganti distinctione hunc locum pertractantem, his verbis [e]:
Si centum legaris duplum restituere rogatus sit: ad summam legari videbitur constitisse. Sin ve-
rò post tempus fideicommissum relictum sit: vsurarum duntaxat additamentum admittetur.
Nec mutanda sententia erit, quòd fortè legato percepto, magnum emolumentum ex aliquo ne-
gocio consecutus est, aut pœnam stipulationis imminentem euasit. Hoc ita, si quantitas cum
quantitate conferatur. Enimuero si pecunia accepta rogatus sit rem propriam (quanquam ma-
ioris æstimaretur) restituere: nō est audiendus legatarius legato percepto, si velit computare. Non
3 enim æquitas hoc probare patitur, si quod legatorum nomine perceperit legatarius, offerat. Hæc
Papinianus, cuius postremis verbis adijcere potes; Meritò legatario imputari, qui vltrò recepit
fideicommissum cum onere suæ rei dandæ, cuius æstimationē perspectam habuisse intelligitur [f].
Et nescio quomodo spontanea ipsius fideicommissi vel legati perceptione videtur non pluris æsti-
masse suam rem, quàm fideicommisso onerabatur [g]. Porro vt sit perfecta illa superior Papiniani
4 distinctio, addendum est aliud membrū, quod est in Pauli responso [h]: vt si aliena res fuerit, non co-
gatur legatarius ad eam redimendā plus impendere, quàm ex testamento accepit. Et meritò causari
potest, sese, cùm agnosceret conditionem legati, non sciuisse æstimationem eius rei. Qua
etiam ratione, qui speciem aliquam ex testamento accepit, cuius potuit ignorare æstimationem,
non cogetur ex fideicōmisso maiorē quantitatem restituere, quam sit in precio fundi, vt respōdit
5 idem Paulus [i]. Sanè qui fundum legatum rogatus est post mortem suam restituere, & ex fructibus,
quos percipiet, centum Titio dare: si confestim post acceptum legatum moriatur, Titij fideicom-
missum extingui ait Marcellus [k]: quia placet, non plus posse rogari quàm restituere, quàm ei reli-
ctum esset. Et cùm Mæuius, cui vsusfructus fundi legabatur, rogatus esset, centum quotannis dare
Pamphilo; respondit Scæuola [l], eius hæredes nihil præstaturos. Et si appareat testatorem voluisse
præstari, etiam fruito vsufructu: non aliter præstaturos, quàm si id, quod ex vsufructu receptum
esset, ei rei præstandæ sufficeret. Postremò huc pertinet, quod Vlpianus ait [m], Fideicommissum
6 relictum ab vxore, cui dos relegata est, æstimari ex commodo, quod ex relegatione mulier sensit.
In eo enim solo potest onerari, quod habet vltra dotis suæ causam.
7 ¶ *Ne plus.*] Sed vt tantundem quis præstet quantum accepit, rogari potest: maximè cùm Fal-
cidiæ vel Trebelliani quadrans pendeat à testatoris voluntate, nec est obscurum, quod Vlpianus
respondit [n], legatarium vel fideicommissarium non vti Legis Falcidiæ beneficio. ¶ *Qua nis ecc-
perit.*] Vel is, cuius personam refert, (nam & hæres legatarij potest onerari.) vel sanè is, per quem
ipse deinde capit & acquirit. Ideo si filiofa. legatum fuerit: potest pater eatenus onerari, cui per fi-
8 lium acquiritur [o]. Porrò hic nemo intelligetur ex testamento cepisse, nisi maneat certum eius
emolumentum. Itaque si res legata & percepta perierit: nihil fideicōmissi nomine præstabitur [p].
nec vllo modo potest is onerari, cui seruus relinquitur adiecta conditione manumissionis [q]. In-
terim meminerimus, eum, qui minus accepit ex testamento quam poterat, non posse id imputare
fideicommissario. Vnde cùm alicui Stichus aut Dama legatus esset, electione legatario data, & fi-
dei eius commissum esset, vt Stichum alteri præstaret: si maluerit Damam vindicare, compellen-
dum esse Stichum redimere, Iulianus ait [b]: Cùm (inquit) per eum steterit, quo minus ex testamen-
9 to habeat, quod fidei eius commissum fuerit. Porrò Imperator [c] Antoninus rescripsit, Legatarium,
si nihil ex legato accepit, ei, cui debet fideicommissum, actionibus suis posse cedere: nec id cogen-
dum soluere. Vnde & Paulus [d], Si (inquit) legatarius, à quo fideicommissum datum est, petierit
legatum: id tantum, quod per iudicem exegerit, præstare fideicommissario cogetur vel si non ex-
egerit, actionem cedere. Ad eum enim litis periculum spectare, iniquum est, si non culpa legatarij
res perierit. ¶ *Ex testamento.*] Vel alio quocunq; defuncti iudicio. Nam & fideicommissum ab

a §. nō solum. supr. de leg.
b L. 1. § fin quis quadragint. D. ad Sen. Treb
c L. Imperator. §. cū quidam de lega. 2.
d L. plane si filium. §. vlt. de lega. 1.
e Dict. l. Imperat. §. 1.
f L. quisquis C. de rescind. vendit.
g L. sed si non seruus. D. ad leg. Falcid.
h dict. l. sed si non seruus. §. 1.
i L. ciuitatibus. §. vl. de lega. 1.
k L. filiusfa. §. apud Marcellum. de leg. 1.
l L. Titia. de ann leg.
m L. 3. de dote releg.
n L. lex Falcidia. §. nunquid. D. ad le Fal.
o L. à patre. de leg. 3.
p L. quidā testamento. § fistitio seruus. de lega. 1.
q L. planè si filium §. vlt. D eo tit.
b dict. l. planè. §. fic. & Stichum.
c L. imperator. de lega. 2.
d L. legatarius. de lega. 3.

intestato relinqui posse suprà dictum est. Et quod accipitur conditionis implendæ causa, potest
etiam onerari fideicommisso. Vt si seruo libertatem relinquam, ea conditione, vt tibi det centum:
potero te per fideicommissum rogare, vt ea centũ alteri restituas [a]. ¶ *Libertas quoq.*]De fideicõmissa
tijs libertatibus peculiari titulo tractatur lib. 40. Pandect. Vnde multa reperere licet, quæ nobis a-
lio properantibus nõ vacat congerere. Illud vnũ admoneo, hunc locũ propriè videri desumptum
ex responso Lucinij Rufini, cuius verba [b] sunt hæc: Libertates etiã per fideicõmissum dari possunt: 10
& quidẽ largius quàm directò. Nam non tantùm proprijs, sed & alienis seruis per fideicõmissum
libertas dari potest. ¶ *Nec interest.*]Sed nec illud interest, sciueritne, an ignorarit testator alienũ esse 11
seruũ. Neq;. n. hìc adhibetur ea distinctio, quæ in alijs legatis vel fideicõmissis: quia nec reuera te-
stator legat ipsum seruũ (quo casu posset habere locũ ea distinctio) sed ipsi seruo legat libertatẽ, quã
non ignorat suam nõ esse. Rectè itaq; Paulus respondit [c]; Etsi alienus inueniatur seruus, quẽ vt suũ
testator ab vno ex hæredibus voluerit manumitti, tamen cõgendũ eum, qui est rogatus, redimere
eum, & manumittere; quoniã non sit similis causa libertatis, & fideicõmissi pecuniarij. ¶ *Vel etiam
extraneo.*]Modò scilicet cum eo sit etiam testamenti factio. Sic enim Paulus ait [d]; Alieno seruo dari
potest per fideicommissum libertas; si tamen eius sit, cum quo testamenti factio est. Cæterùm ne
quis existimet nihil omnino interesse, an quis rogetur suum, vel alienum seruum manumittere,
saltem vbi dominus paratus est vendere, admonendi sumus cuiusdam discriminis, quod Vlpianus 12
tradit, his verbis [e]: Si quis alienum seruum vel suum, rogatus sit manumittere: & minus sit in eo,
quod accepit ex iudicio testatoris, plus sit in precio serui: an cogatur vel alienũ redimere, vel suum
manumittere, videndum est. Et Marcellus quidem scripsit, cùm ceperit legatũ, cogendum omni-
no suum manumittere. & sanè hoc iure vtimur, vt multum intersit, suum quis rogatus sit manu-
mittere, an alienum. Quod si alienum: non alias erit cogendus, quàm si tanti posit redimere,
quantum ex iudicio testatoris consecutus est. Hæc Vlpianus. Porrò similem distinctionem tra-
dit Paulus [f]; & nos eandem in fideicommissis aliarum rerum suprà retulimus. ¶ *Si modo nihil.*]
Id adiectum est, quia qui aliquid accepisset à defuncto, cogeretur iusto precio vendere seruum ma
numittendum, vt apertè hoc loco Theophilus tradit. Videtur autem hic locus desumptus ex re-
scripto Imperatoris Alexandri, cuius verba [g] sunt hæc: Deberi etiam alienæ ancillæ fideicom- 13
missariam libertatẽ placuit: nec deficit hoc debitum, si interim domina (si modò nihil ex iudicio
eius, qui quæve reliquit libertatem, perceperit) noluit vendere: quia posit procedente tempore,
vbicunque occasio redimendæ ancillæ fuerit, præstare libertas. ¶ *Qui autem.*]Hic quoque locus
descriptus est ex alio eiusdẽ Alexandri Imp. rescripto, quod extat his verbis [h]: Hi quibus per fidei- 14
commissum libertas supremis iudicijs relinquitur, eorum liberti efficiuntur, à quibus manumit-
tuntur. ¶ *Sed eius qui manumittit.*] Quicunque tandem is fuerit, ad quem seruus cum sua causa
peruenerit. Sed si seruus ostendat ius suum imminui ex persona huius manumissoris contra vo-
luntatem testatoris, maluitque ab eo ipso, qui rogatus est manumitti, vt eius fiat potius libertus,
audiendus est [i]. Porrò qui ex fideicommissi causa manumittit, ius patronatus habet: vt nec in ius 15
sine venia vocari posit, & habeat bonorum possesionem contra tabulas: non etiam, vt posit in-
gratum reuocare in seruitutem, aut manumittendo operas imponere: nisi sit filius patroni,
qui manumittit [k]. ¶ *Qui ex testamento.*]Obserua non esse temerè hæc coniuncta. Neque enim 16
directa libertas dari potest ab intestato, cùm tamen posit ita dari fideicommissaria. ¶ *Qui etiam* 17
orcinus appellatur.]Alij legunt Orthinus: quòd recta via fiat liber. Sed aptior est vox Orcini, quæ si-
gnificat libertũ alicuius defuncti, & iam ad orcum missi. Theophilus vertit χαρωνίτην, à Charon-
te inferorum portitore. Porrò autem in iure nostro frequens est mentio liberti [l] Orcini. ¶ *Nec* 18
vllus alius.]Atq; adeò, ne ipse quidem seruus hæredis [m]. Omnino enim libertas alieno seruo directò
data nullius momenti est, inquit Africanus [n]: Adeò, vt non vitiet legatum. Neque enim directò
data libertas, vt sustineatur, fiet fideicommissaria quanquam sanè id benignè tribuatur seruo pig-
nerato, quem iussit creditor esse liberum. Nam licet videatur iure subtili inutiliter reliquisse dire-
ctam libertatem: tamen singulari fauore libertatis, flecti in fideicommissariam, & quasi ex fidei-
commisso peti posse, Vlpianus respondit [o]. In substitutionibus minus dubitamus, eas, quæ iure
directo non valent, fideicommissi nomine sustineri: nempe, quod idem semper sit futurus hæres.
At libertates hac immutatione variantur: & cum directa vni seruo prosit, fideicommissaria tribuit
alteri ius patronatus. ¶ *Et quo moreretur.*] Addere possumus tertium tempus, nempe, quo hære- 19
ditas aditur. Sicque Martianus respondit [p]: Testamento manumissus ita demum fit liber, si testa-
mentum valeat, & ex eo adita sit hæreditas: vel si quis omissa causa testamenti, ab intestato posi-
deat hæreditatem. ¶ *Verba autem fideicommissorum.*]Vlpianus respondit [a]: Fideicommissa quocun- 20
que sermone relinqui posse, nõ Latino solùm vel Græco, sed etiam Punico vel Gallicano, vel alte-
rius cuiuscunq; gentis. In verbis autẽ ipsis nihil aliud quærimus, quàm defuncti voluntatem. eam
enim vnã spectamus in fideicõmissis. Adeò vt posint etiã nutu relinqui sine verbis aut scriptura [b].
Nam & cùm deesset in quodam fideicõmisso verbũ, VOLO: tamẽ quia eius adiectio reddebat ple-
nam sententiã, rescripsit Gordianus [c] habendũ pro adiecto. Et Seuerus, cùm essent omissa fideicõ-
missi verba, cętera tamen quæ legebantur, congruerent cũ ijs, quę scribi debuêre, iudicauit [d] minus
quidẽ scriptũ, tamen rectè datum fideicõmissum. ¶ *Hæc maxime in vsu habentur.*]Interim tamen non 21
negat Iustinianus, quin alijs vti posimus: cùm & in vniuersum semel statuerit [e]; vtile & validũ esse
omne verbum significans testatoris legitimũ sensum. Verùm sapientis est maximè vulgatis & per
spicuis verbis vti, quibus suam declaret voluntatẽ. Sed magna fuit veterum Iuriscõsultorũ diligen 22
tia, & acre iudiciũ in colligẽda ex ambiguis verbis volũtate. Quorũ exemplum oportet nos sequi:

& eo


a L. quidam. §. vlti. de leg. 1.
b L. libertates. de fid. liber.
c L. Paulus. de fidei-com. libertat.
d L. alieno. de fidei-com. liber.
e L. generaliter §. si quis alienũ. D illo tit.
f L. & si non seruus. D. ad leg. Falcid.
g L. deberi. C. de fid. liber.
h L. hi quibus. C. illo tit.
i dic. l. generaliter. §. vlt.
k L. qui ex causa. de bon. lib. l. patroni. de bon. poss. cont. tab. liber.
l L. tutela. §. planè. de legi. tut. l. duo socij. de hær. instit. l. dominus seruo. de pecu. leg. l. cũ testamentũ. C. de iur. & fac. igno. l. directa. C. de testa. manu.
m L. seruo tuo. C. de test. manu.
n L. si seruum legatum. §. si seruum alienum. de leg. 1.
o L. generaliter. §. si quis seruo. de fideicõ. libert.
p L. testamento manumissos. de mann. testam.
a L. fideicommissa. de lega. 3.
b L. & in epistola. C. de fideicom. l. nutu. de lega. 3.
c L. verbum. C. de fideicom.
d L. vnum ex familia. §. si omissa. de leg. 2.
e L. 2. C. commu. de lega.

& eo nomine perlegere multa eorum responsa. Vlpianus testatur [a], his verbis; ILLVM TIBI COMMENDO; non intelligi fideicommissum: quia sit aliud personam commendare, aliud voluntatem suam fideicommittentis hæredibus insinuare. Idem Vlpianus respondit [b], hæc verba; TE FILI ROGO, VT PRÆDIA, QVÆ AD TE PERVENERINT, PRO TVA DILIGENTIA DILIGAS, ET CVRAM EORVM AGAS, VT POSSINT AD FILIOS TVOS PERVENIRE; licet non satis exprimant fideicommissum, sed magis consiliũ quàm necessitatẽ relinquendi; tamen ea prædia in nepotibus post mortẽ patris eorũ, vim fideicõmissi obtinere. Rursus cùm ita scriptũ esset; A TE HÆREDE PETO, NE QVID POST MORTEM TVAM FRATRIBVS TVIS RELINQVAS. HABES FILIOS SORORVM TVARVM, QVIBVS RELINQVAS, &c. & eius hæredis intestato defuncti legitima hæreditas ad fratres peruenisset: respondit Scæuola [c]; Sororum filios fideicommissum à fratribus petere posse. Porrò & hæc verba; PETO VT CONTENTVS SIS CENTVM AVREIS; fideicommissum continere Papinianus [d] ait. Verùm fuerit infinitum omnia persequi. Illud tantùm addam; Esse quædam verba, quæ licet longè minus contineant, quàm ea, quæ hic Iustinianus proponit, æquè tamen intelliguntur habere vim fideicommissi. Veluti, SCIO, CREDO, aut, NIHIL DVBITO TE DATVRVM VEL RESTITVTVRVM [e]. Cuiusmodi liberalem & ingenuam testatoris fiduciam non debere quem fallere, meritò omnes iudicant. Porrò sunt alia verba, quæ quidem prima facie videntur plura continere: sed tamen deflectuntur ad fideicommissa, cùm non possint aliter vim suam explicare. Ergo cùm quis rogari non possit, vt hæredem instituat aliquem: Senatus censuit ea verba sic accipienda, perinde atque si quis rogatus esset hæreditatem restituere [f]. Et cùm testator ita cauisset, ἐντέλλομαί σοι διαδίδω αὐτὴν τινὰ σοι γυναῖκα, hoc est, Mando tibi ne prius testamentum facias, quàm liberos habeas: refert Paulus [g], Imperatorem pronunciâsse fideicommissum ex hac scriptura deberi, quasi per hoc, quòd prohibuisset mulierem testari, petijsset, vt fratrem suum hæredem faceret. Sic enim accipiendam hanc scripturam, ac si hæreditatem suam rogâsset restitui.

¶ *Perinde singula firma sunt.*] Imò aliquando & vbi singula desunt, nihilominus firmum esse fideicommissum paulò antè probauimus [h].

[a] *L. fideicommissa. §. si ita quis. de lega. 3.*
[b] *dic. l. fideicõmissa. §. hæc verba.*
[c] *L. Codicillis. §. matre de lega. 2.*
[d] *L. peto. de lega. 2.*
[e] *L. etiam hoc modo. l. & eo modo. de lega. 1. l. vnum ex familia. §. vlt. de lega. 2.*
[f] *L. ex facto. D. ad SC. Treb. l. filiusfa. §. vt quis hæredem. de leg. 1.*
[g] *L. qui filium. D. ad Sen. Treb.*
[h] *L. verbum. C. de fideicom. l. vnum ex familia. § si omissa. de lega. 2.*

De Codicillis, Titulus XXV.



ANTE Augusti tempora constat Codicillorum ius in vsu non fuisse, sed primus Lucius Lentulus (ex cuius persona etiam fideicommissa esse cœperunt) Codicillos introduxit. Nam cùm decederet in Africa, scripsit Codicillos testamento confirmatos, quibus ab Augusto petijt per fideicommissum, vt faceret aliquid. Et cùm Diuus Augustus voluntatem eius implêsset: deinceps reliqui eius autoritatem sequuti, fideicommissa præstabant: & filia Lentuli legata, quæ iure non debebat, soluit. Dicitur autem Augustus conuocâsse sapientes viros, interque eos Trebatium quoque, cuius tunc autoritas maxima erat, & quæsisse, an posset recipi hoc, nec absonans à iuris ratione Codicillorum vsus esset: & Trebatium suasisse Augusto, quòd diceret vtilissimum & necessarium hoc ciuibus esse propter magnas & longas peregrinationes, quæ apud veteres fuissent: vbi si quis testamentum facere non posset, tamen codicillos posset. Post quę tempora cùm & Labeo codicillos fecisset: iam nemini dubium erat, quin codicilli iure optimo admitterentur.

Non tantùm autem testamento facto potest quis codicillos facere, sed & intestatus quis decedens fideicommittere codicillis potest. Sed cùm ante testamentum factum, codicilli facti erant: Papinianus ait, non aliter vires habere, quàm si speciali postea voluntate confirmentur. Sed Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt: ex ijs codicillis, qui testamentum præcedunt, posse fideicommissum peti, si appareat eum, qui testamentum fecit, à voluntate, quam in Codicillis expresserat, non recessisse.

Codicillis autem hæreditas, neq; dari, neq; adimi potest: ne confundatur ius testamentorum & codicillorum: & ideò nec exhæredatio scribi. Directò autem hæreditas codicillis, neq; dari, neq; adimi potest: nam per fideicõmissum hæreditas codicillis iure relinquitur. Nec conditionem hæredi instituto codicillis adijcere, neque substituere directò quis potest.

Codicillos autem etiam plures quis facere potest, & nullam solennitatem ordinationis desiderant.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Codicilli quid?*

2 *Augustus & Codicillorum seruandorum & fideicommiss-*

commissorum autor fuit.
3 *Posteritatem pudore magis quàm necessitate secutam esse Augusti autoritatem.*
4 *Principes olim nihil temerè sine sapientum consilio statuerunt.*
5 *C. Trebatius Testa quis?*
6 *Testamenti faciendi impedimenta intelligenda hic, non iuris sed facti.*
7 *Labeo quis?*

INitio admonendi sumus, Codicillos esse veluti appendices testamentorum: vel sanè minus solennes sententias voluntatis nostræ de eo, quod post mortem nostram fieri volumus, sine hæ- 1
redis institutione. Est autem Codicillorum alioqui vox generalis: & omnem scripturam significare potest. Vnde Principum diplomata appellantur Codicilli [a]. Item & epistolæ. Vnde Cicero ad Quintum fratrē, Epistolam hanc (inquit) efflagitârunt codicilli tui. Quanquam eruditi quidam obseruârint, apud Ciceronem Codicillos propriè significare ceratas illas tabellas, in quibus aliquid stylo aut festinanter aut raptim aut breuiter scriptum esset: sicuti in ijs vel in cœna, vel in via, vel in curia facilè scribi poterat. Sed literæ propriè dicebantur in charta scriptæ, quod fieri non poterat sine atramento & calamo. ¶ *Voluntatem eius impleßet.*] Fuit hac in re duplex Augusti bene- 2
ficium. Primum, quòd ius Codicillorum approbârit: Deinde, quòd fideicommissum vltro præstiterit. Nec minus fuit autor seruandorum Codicillorum, quàm fideicommissorum. Nam ea prius pependisse à voluntate hæredum, dictum est superiori titulo. Nec dubium est, quin Augustus vltrò impleuerit plenam defuncti voluntatem, nullo deducto quadrante: vel saltē contentus qualicunque præceptione relicta, etiam si ea non contineret quadrantem. Nam ita liberaliter Principes præstare fideicommissa, nostro iure proditum est [b]. ¶ *Eius autoritatem secuti*] Hoc est, exem- 3
plum, quod erubescebant non sequi. Vt hic intelligas posteritatem magis pudore quodam, quàm vlla iuris necessitate secutam Augusti autoritatem; sicuti & de fideicommissis suprà dictum est.

¶ *Conuocaße sapientes viros.*] Multis locis in iure nostro licet animaduertere [c], olim Principes 4
non temerè quicquam statuisse, sine consilio sapientum. Certè Dion Historicus eo nomine laudat Neruam Imperatorem refertque Ælius Lampridius, Alexandrum Seuerum nullam Constitutionem sacrâsse sine viginti Iurisperitis & doctissimis & sapientissimis: denique disertissimis nō minus quinquaginta. ¶ *Trebatius, cuius tunc autoritas maxima erat.*] C. Trebatius Testa, Eques 5
Romanus, celebris fuit Iurisconsultus. Ciceroni familiaris; Cæsaris comes in bello Gallico; postea Octauio Augusto gratus ob iuris prudentiam. Vnde & Flaccus appellat eum patrem optimum, & doctum. Noster Pomponius [d] testatur hunc fuisse auditorem cuiusdam Cornelij Maximi: & iuris quidem peritiorem, quàm eloquentiorem: compluresque libros reliquisse, sed qui minus frequentarentur. ¶ *Vbi si quis testamentum facere non poßet.*] Impeditus scilicet ijs commodis, quæ solet trahere peregrinatio. Nam erat difficile in aliena regione conuocare testes, ciues Romanos, & 6
alia iuris solennia, quæ desiderantur in testamentis, obseruare. Quod admoneo, vt hic intelligas, quod vulgo dicitur, fuisse impedimentum facti, non iuris. Alioqui enim is demum Codicillos facere potest, qui & testamentum [e]: Quod (inquit Paulus [f]) ita intelligemus, non vt exigamus potuisse eum eo tempore, quo scripsit Codicillos, testamentum facere: (quid enim si sufficientium testium facultatem non habuit?) sed vt iure habuerit testamenti factionem.

¶ *Cum & Labeo.*] Intelligit (opinor) Antistium Labeonem, Trebatij discipulum & audito- 7
rem, iuris quoque prudentia clarum, & ea præstantis animi libertate, vt Octauio rerum potiente, nihil probârit, quod non iustum sanctumque esse in Rom. antiquitatibus legisset, quemadmodum ait Atteius apud Gellium lib. 13. cap. 12.

a § filiusf. supr. quib. mo. ius pat. pot. solu.
b L. si legatus. §. vlt. D. ad Sen. Treb.
c L. humanum C. de legib. l. omnium. C. de testam.
d L. 2. §. fuit eodem. de orig. iur.
e L. Diuus. §. pen. l. cōficiuntur. §. 1. de iur. Codic.
f dic. §. 1.

§. *Non tantum.*

1 *Codicilli, qui vicem testamenti exhibent, certiores sunt.*
2.3. *Quid olim, si Codicilli ante vel post testamentum facti essent?*
4 *Codicillos specialiter in testamento confirmari non opus est.*

¶ *Sed & intestatus.*] Imò tum certiores sunt Codicilli, qui vicem testamenti exhibent: cùm a- 1
lioqui testamenti facti ius sequerentur, inquit Africanus [g]. Itaque rupto testamento agnatione posthumi, Codicilli quoque ad testamentum pertinentes rumpuntur [h], qui si ab intestato essent facti, consisterent, obligarentque omnem legitimum hæredem, etiam postea natum [i].

¶ *Papinianus ait.*] Extat in Pandectis Papiniani responsum his verbis [k]: Ante tabulas testa- 2
menti, Codicilli facti nō aliter valent, quàm si testamento, quod postea factum est, confirmentur; aut voluntas eorū quocunq; * iudicio retineatur. Sed nec seruabuntur ea, de quibus aliter defunctus nouissimè iudicauit. Sanè Celsus [l] iudicauit hæc verba, SI QVID AD HOC TESTAMENTVM PERTINENS RELIQVERO, VALERE VOLO: sufficere ad plenam confirmationem Codicillorum, qui prius scripti sunt. Quod autem ait Iulianus [m], testamento facto etiamsi Codicilli in eo confirmari non essent, vires tamen ex eo capere: videtur accipiendum de Codicillis post testamentum factis. Sanè Plinius Secundus, lib. secundo Epistolarum, apertissimè testatur, Codicillos posteriori testamento non confirmatos non valuisse olim; & hoc ius fuisse vulgarissimum, quam- 3
quam ipse noluerit eo vti. Sic enim scribit ad suum Annium: Tu quidem pro cætera tua diligentia, ad-

g L. ab intestato. de iur. Cod.
h L. 1 C. de Codicill.
i dic. l. ab intestato. l. 3. D. illo tit.
k L. ante tabul. ac. D. illo tit.
* al. iudicio.
l L. Plotiana. D. illo tit.
m dic. l. 3 §. vlt.

tia, admones me, Codicillos Aciliani, qui me ex parte instituit hæredem, pro non scriptis habendos, quia non sunt confirmati testaméto: quod ius ne mihi quidem ignotum est, cùm sit ijs etiam notum, qui nihil aliud sciunt. Sed ego propriam quandam legem mihi dixi, vt defunctorum voluntates, etiamsi iure deficerentur, quasi perfectas tuerer. Constat autem Codicillos istos Aciliani manu scriptos. Licet ergo non sint confirmati testamento, à me tamen, vt confirmati obseruabuntur.
4 ¶ *Sed Diui.*] Horum rescriptum extare non puto, sed manifesta satis est eius sententia, nempe; Non debere omnino Codicillos speciali & expresso iudicio in testamento confirmari: Nam satis esse, testatorem non recessisse à voluntate, quam in ijs expresit.

§. *Codicillis autem. cum § seq. finali.*

1 *Nulla omnino institutio hæredis fieri potest in Codicillis.*
2 *Codicillis confirmari non potest hæreditas testamento inutiliter data, sed obscuritas declarari potest.*
3 *Codicillis potest hæreditas inter filios à patre diuidi.*
4 *Ratio, cur codicillis hæreditas neque dari neque adimi possit?*
5 *Hæreditas directò in codicillis data, valet in vim fideicommissi.*
6 *Codicillis non potest hæredi iam instituto conditio adijci.*
7 *Substitutio codicillis directò facta sustinetur mutata in fideicommissum.*
8.9 *Codicillos plures relinquere quis cur possit, testamenta plura non possit?*

¶ *Codicillis autem.*] Saltem Pagani hominis. Nam quæcunque militis voluntas vim habet te- a L. quærebatur. l. mi-
stamenti. ne miremur eum Codicillis posse dare vel adimere hæreditatem[a]. ¶ *Hæreditas.*] Neq; litu. de mil. test.
1 tota, neque pars eius. Omnino enim nulla fieri potest hæredis institutio in Codicillis: quanquam
legari aut fideicommitti possit pars hæreditatis. ¶ *Dari.*] Hoc est, directò relinqui, vt quis hæres
2 instituatur. Sed nec Codicillis confirmari potest hæreditas testamento inutiliter data[b]. quan- b L. 2. §. vl. de iure Codicill.
quam in ijs explicari possit, quæ obscurius data est. neque enim tum datur, sed data declaratur[c]. c L. hæredes palam. §. 1. de testam.
Itaq; cùm quis scripsisset; Quem hæredem Codicillis fecero, hæres esto: & deinde Codicillis Titium
hæredem instituisset: respondit Papinianus[d]; Eius institutionem iure valere. nam (inquit) licet d L. asse toto. de hære. instituen.
Codicillis dari hæreditas non possit: tamen hæc testamento data intelligitur. Vnde & institutio-
nem talem; Si Codicillis Seium hæredem scripsero, hæres esto: respondit Vlpianus[e], non esse inu- e L. institutio. C. de condit. insti.
3 tilem. esse enim conditionalem: nec videri hæreditatem Codicillis dari: quod interdictum est. Sed
& Codicillis posse hæreditatem inter filios à patre diuidi, ostendit Iustinianus in Nouella sua Con
stit. 18. ¶ *Ne confundatur.*] Papinianus aliam huius loci rationem paulò subtiliorẽ reddit his ver-
4 bis[f]: Quod per manus traditum est; Codicillis hæreditatem dari non posse; rationem illam habet, f L. quod per manus. de iur. Codic.
ne per Codicillos, qui ex testamento valent, ipsum testamentum, quod vires per institutionem hæ-
redum accipit, confirmari videretur. Sed hæc ratio potest etiam intelligi in generali ætiologia,
quam hic proponit Iustinianus, non confundendi iura testamentorum & codicillorum. Et Imp. g L. fidem. C. de Cod.
Constantinus[g] ait; vtrisque non esse idem tribuendum: cùm vel sola nominum ratio ostẽdat esse
discrimen. ¶ *Nam per fideicommissum.*] Hæc verba reddunt rationem, cur nominatim dictum sit;
5 directò non posse dari Codicillis hæreditatem: posse autem per fideicommissum. Et sanè vbi appa-
ret testatorem noluisse testamentum facere. sed potius Codicillos: hæreditatis dationem trahere- h L. illud. §. 1. de iur. Codic.
mus ad fideicommissum, vt sustineatur[h]. Sed in dubio potius intelligetur testamẽtum quàm Co-
dicillos facere voluisse, qui meminit institutionis[i]. ¶ *Nec conditionem.*] Hic locus sumptus est ex i L. nõ Codicillum. C. de testam
rescripto Seueri & Antonini, quod refert Martianus his verbis[k]: Diuus Seuerus & Antoninus re- k L. Diuus. de in. cod.
6 scripserunt, nihil egisse matrem, quæ cùm purè liberos suos hæredes institueret, conditionẽ eman-
cipationis Codicillis adiecit: quia neque conditionem hæredi instituto Codicillis adijcere, neque l L. quidam in fin. §. vl. de condit. instit.
substituere directò potest. Idem quoque respondit Modestinus[l]: & addit rationem; quòd in defe-
ctum conditionis videatur quis cogitasse de ademptione hæreditatis; sed eam Codicillis adimi
non posse. ¶ *Neque substituere directò.*] Saltem vt etiam id valeat directò, quod agitur Cæterùm ali m L. Scæuola. D. ad Sen. Trebell.
7 quando sustinetur substitutio directò facta, sed mutatur in fideicommissum. Exemplum extat in
quodam Scæuolæ responso[m]: Pater filium suum impuberem ex asse scripserat hæredem, eiq; Co-
dicillis substituerat: Deinde filius impubes decesit: Licet (inquit Scæuola) substitutio inutilis sit,
quia Codicillis hæreditas, neque dari, neq; adimi potest: tamen benigna interpretatione placet,
vt mater, quæ ab intestato pupillo successit, substitutis fideicommisso obligetur.
¶ *Codicillos etiam plures.*] Et omnes quidem ratos ac firmos, nisi quatenus essent contrarij[n]. n L. cùm proponatis. C. de Codic.
8 Testamenta autem plura nemo ita potest relinquere. Semper enim posteriori rumpitur prius, eti-
amsi vtrunque maximè conueniat. Nempe testamenta plenam continent dispositionem bono-
9 rum & vniuersitatis: Codicilli autem plerunque sunt rerum singularium. ¶ *Et nullam solemnitatem* o L. Diuus. §. 1. de iur. codic.
ordinationis desiderant.] Quia (inquit Martianus[o]) neque ipsius, qui eos facit, manu scribi, neque si-
gnari necesse est. Addit idem Martianus, etiamsi in confirmatione Codicillorum Paterfa. adiece-
rit, vt non alij valeant, quàm sua manu signati & subscripti: tamen valere factos ab eo postea Co-
dicillos, licet neque ab eo signati, neque manu eius scripti fuerint.

INSTITVTIONVM LIBRI II. FINIS.

DE HÆREDITATIBVS, QVÆ AB INTESTATO DEFERVNTVR.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

1 *Dominij rerum acquirendi modus probatissimus, qui ex legitima successione descendit.*
2 *Tractatus de legitima successione apud Gallos præcipuè latissimè cur pateat?*
3 *Ad tuendas politias necessarij descripti & constituti ab intestato succedendi gradus.*
4 *Veterum prudentia in describendo legitimo successionis ordine.*
5.6.7 *Liberos & natura & parentum communi voto ad bona parentum admitti.*
8 *In describendis parentum & cognatorum gradibus magna olim varietas.*
9 *Mosis prima de hæreditate ab intestato lex edita ante 3000. annos.*
10 *Solonis eadem lex, post Mosen annis 900.*
11 *Lex duodecim Tabularum de hæreditate ab intestato qualis?*
12 *Prætorum bonorum possessiones: & Cæsarum constitutiones.*
13 *De iure quod matri tribuendum in successione filij intestati.*
14 *Tantùm Nouellæ certum præscribunt ordinem succedendi: & quis ille sit? num. 15.*
16 *Post cognatos, ordine vsque ad X. gradum consequentes, tribuitur coniugi superstiti bonorum possessio.*
17 *Fiscus bonis vacantibus quando succedat?*
18 *Affinitatis nomine nulla est successio.*
19 *Sinuosæ ambages veteris iuris quomodo superandæ?*
20.21 *Quid, si de bonis quasi Castrensibus? quid item si de patrimonialibus agatur?*
22 *Nullam in bonis paternis rationem haberi sanguinis materni.*
23 *Liberis orbis parentes quatenus ab his succedant?*
24.25 *Patrimonium an ascendere possit?*
26 *Hæreditas omnis aut testamento aut lege defertur.*
27 *Continuatio tituli huius.*
28.29 *Legitima & iusta hæreditas propriè dicitur, quæ ab intestato defertur.*
30 *Honoraria successio quæ?*
31 *Iustinianus in referendis ambagibus obsoletæ antiquitatis nimis verbosus.*

*S*I quis est modus acquirendi rerum dominij, qui summa nitatur 1
ratione, & omnium populorum sapientum calculis probetur, is est,
qui ex legitima successione descendit. Nec vlla ferè Iuris Ciui- 2
lis pars est, quæ latius pateat, præsertim hodie apud nos, qui mo-
ribus vsu receptis prohibemur alios nostro testamento accersere
patrimonij hæredes, quàm legitimos: sicut olim apud priscos Ger-
manos scribit Cor. Tacitus, quoniam nullus erat testamentorum
vsus, semper fuisse legitimos ab intestato successores: primùm qui-
dem liberos, deinde proximos, fratres, auunculos, patruos. Nec sa- 3
nè vlla gens est, quæ suam Politiam tueri possit, nisi descriptos
habeat, & constitutos ab intestato succedēdi gradus. Alioqui enim
futurum est, vt statim cognatio irruat in bona, & quasi in hosticum irrumpens, omnia inuadat &
misceat latronum more. Vt autem videas magnam omnium veterum prudentiam in describendo le-
gitimæ successionis ordine: ij hac in re minus naturalem sanguinis rationem, quàm honestum eius, de 4
cuius successione agitur, affectum secuti videntur. Quis enim filium primo statim loco non admisit ad
intestati parentis hæreditatem? nisi fortè illam nescio quam nouarum insularum barbariem obij-
cias, quæ dicitur filium repellere, quòd nunquam satis certus sit pater. Certè si credimus Procopio,
audiuit aliquando Iustinianus Proculum illum summum Paredrum, qui Iustinum Imp. admone- 5
bat, omnium leges populorum in hoc conuenire, vt primùm filij succedant. Nempe (inquit Papinia- 6
nus [a]) liberi ad bona parentum admittuntur, Naturæ simul & parentum communi voto. Et (vt 7
ait noster Paulus [b]) Ratio naturalis quasi Lex quædam tacita, liberis parentum hæreditatem ad-
dicit, veluti ad debitam successionem eos vocando. Sed vt in deferenda liberis hæreditate facilè con- 8
senserunt veteres: ita in describendis aliorum, qui hos deinde sequuntur, veluti parentum & cogna-
torum gradibus, magna fuit varietas. Is tamen ferè ordo à pluribus fuit receptus, quem postremò
Iustinianus est amplexus. Ante annorum tria millia Moses primam de hæreditate ab intestato le- 9
gem diuinitus acceptam edidit, quæ extat Numerorum capite vigesimoseptimo. Ea primo loco filios
vocat, deinde filias: liberis autem non superstitibus, fratres: post hos, patruos, ac deinceps proximos
quosque consanguineos. Nongentis post Mosen annis, Solon apud Athenienses edidit suam de his 10
successionibus legem, quæ videtur paulò diligentius singulos gradus describere. Ea adhuc extat apud
Demosthenem in Oratione περὶ Ἀγνίου κλήρου. Secuta est Lex duodecim Tabularum apud Roma- 11
nos, quæ hanc rem cœpit inuoluere. Posteà Prætores suas addiderunt Bonorum possessiones. Cæsa- 12
res etiam

a L. scripto. §. 1. D. si tabulæ test. nulla ext. Vnde liberi.
b L. vl. de bonis dān.

ret etiam nouas suas hac de re Constitutiones. Ita variè iactata est, & tantùm non confusa hæc pars
13 *Iuris Ciuilis, & tota eius ratio apud Romanos. Quid enim dicemus de eo iure, quod matri sit tribuen-*
dum in successione filij intestati, adeò per multa secula vix quicquam certi potuisse definiri? Lex
duodecim Tabularum eam omnino repellebat. Ius deinde Honorarium admisit post agnatos. Po-
stea Claudius Cæsar eam statim post liberos voluit admitti, si modò quatuor peperisset filios. Addi-
dit Senatusconsultum Tertyllianum aliam distinctionem. Posteriores deinde Cæsares alias atque a-
lias hac tota de re Constitutiones ediderunt. Sed has omnes veteris iuris ambages satis verbose refe-
ret ipse Iustinianus. Et quamuis ipse tum in Codice, tum in hisce Institutionibus plurimum laborâs-
se videatur in definiendis & describendis legitimæ successionis gradibus: nihil tamen egerat, nisi tan-
14 *dem edidisset Nouellas suas Constitutiones, quæ recisis omnibus illis ambagibus, & sinuosis anfracti-*
bus, breuiter præscriberent certum aliquem & simplicem ordinem succedendi, quod præcipuè factum
est per eius Nouellam Constitutione centesima decima octaua. Primo itaque loco voluit succedere
15 *liberos omnes, quocunque sint gradu, nullo sexus aut ætatis discrimine. His non superstitibus paren-*
tes vocat: sed inter eos vult seruari ordinem graduum. Nam & mater auo paterno præfertur. Si
plures sint eiusdem gradus parentes, iubet inter eos æquis portionibus sic hæreditatem diuidi, vt se-
missem paterni, semissem habeant materni. Porrò cum parentibus admisit fratres vtrinque con-
iunctos: atque etiam per Nouellam Constitutione centesima vigesima septima, fratrum defuncto-
rum filios, vt saltem consequantur parentum suorum portionem. Tertium successionis ordinem
tribuit ijs, qui transuerso cognationis gradu iunguntur: primum fratribus ex vtroque parente con-
iunctis, simul & aliorum æquè germanorum fratrum filijs: vt saltem ij cum patruis suis succedant
in stirpes: qui si soli essent, in capita succederent. Post hos omnes vocat fratres ex altero tantùm
parente coniunctos, nempe consanguineos, vel vterinos. Deinde sequuntur reliqui cognati suo
16 *ordine vsque ad decimum gradum. Post hos, quam Prætor tribuit coniugi superstiti bonorum*
possessionem, probauit Iustinianus. Addidit autem in Nouella sua Constitutione centesima decima
septima, vt si quis locupletior vxorem indotatam vltrò duxisset: huic cum filijs succederet vxor,
sed habitura solum suæ portionis vsumfructum, vt semper ipsa proprietas maneat liberorum. Po-
17 *stremo loco fiscum succedere, tanquam bonis vacantibus fuit receptum. sed tamen ei prælatus est*
superstes Imperialis liberalitatis socius, si agatur de eius rei successione[a]. *Affinitatis autem nomine* a L. vnica. C. si Imp. liber. soc.
18 *nullam esse successionem, constat*[b]. *Hic fuit ordo succedendi ab intestato, qui tandem placuit Iusti-* b L. affinitatis. C. com mu. de success.
19 *niano: cuiusque multum refert diligenter memoriæ semel mandare, ne nobis excidat, interim dum ia-*
ctabimur inter sinuosas ambages veteris iuris. Et sanè adhuc iure moribus vtentium, parum disces-
20 *sum est à Iustiniani præscripto, cùm agitur de bonis quasi Castrensibus, quæ à defuncto ipso primùm*
acquisita sunt: quanquam passim sublatum sit beneficium illius (vt vulgo loquimur) repræsentatio-
21 *nis. Cæterùm si agatur de bonis patrijs & proprijs, quæ patrimonialia dicimus, longè alia est ratio.*
Nam vt tueamur ius gentilitatis, & familias conseruemus, ij solùm, qui sunt eius lineæ, à qua illa
22 *proficiscuntur, horum bonorum hæredes esse possunt. itaque nullam in bonis paternis rationem ha-*
bemus sanguinis materni, vel contrà. Vnde hic nulla est prærogatiua fratrum germanorum v-
trinque coniunctorum. Quinimo est vbi requiratur, vt is qui vult succedere, non modò sit ex eius, qui
prima est origo & causa bonorum, propinquis: sed etiam ex posteris directoque descendentibus.
Adeò, vt hac ratione nec ipsius quidem primi acquisitoris frater omnino legitimus sit hæres. Porrò
23 *illud quoque notandum est, quod moribus receptum passim iactatur, liberis orbis succedere quidem*
parentes, sed non in ijs bonis, quæ patrimonij sunt: non enim ea ascendere ad parentes. Et memini a-
liquid simile statui moribus Longobardiæ, cum de feudo paterno & antiquo agitur. Huius autem
rei ratio esse videtur, quòd, vt dictum est, bona patrimonialia non possint suam (vt ita loquar) li-
neam aut familiam mutare. At cùm non soleat habere patrimonium filius, nisi ex successione alte-
24 *rius parentis: quî posset patrimonium rursus ascendere, nisi ad alterum superstitem parentem, qui*
hac in re habetur extranei loco? Cæterùm si quando nullum est periculum deserendæ familiæ, fortas-
sis ferendum est, patrimonium sursum ire. vt si filius à patruo fortè suo, vel alio consanguineo
paterno nanciscatur aliquod patrimonium: non video, cur pater, si non supersint liberi, omnino
25 *repelli debeat. Nam vt illud Iustiniani vsurpem, Quæ tandem inuidia est, quod ex patris oc-*
casione profectum est, hoc ad eum reuerti? Existimant tamen alij aliter: & nullo modo ferunt
sursum ire patrimonium: vtpote quòd id iudicent omnino deberi propinquis, qui alioqui fraudan-
tur cæteris omnibus bonis, quæ parentibus deferuntur. Hæc initio de nostra ab intestato succeden-
di ratione breuiter præfari volui, in gratiam eorum, qui non in scholis consenescere, sed in luce fori
aliquando cupiunt versari; & vt intelligamus quantum hac in parte hodie recesserimus à Iure Ci-
26 *uili. Nunc, quod instat agamus. Omnis hæreditas aut testamento, aut Lege defertur. De testa-*
27 *mentaria successione hactenus dictum est: Sequitur, vt tandem instituatur oratio de legitima. hoc*
est, de

est, de ea, quæ ab intestato defertur. Nam & hunc nobis ordinem disertè præscribit & commendat Iustinianus in Nouella sua Constitut. 22. τέως δὲ τὰ ἐκ διαθηκῶν εἰπόντες, οὕτως ἐπὶ τὴν ἐξ ἀδιαθέτου τάξιν ἀφιξόμεθα, [interim ea quæ ex testamento sunt dicētes, ita ad ordinem qui ab intestato est veniamus.] Cuius ordinis ergò, aptè protenderetur liber secundus Institutionum vsque ad titulum de Obligationibus: sicuti etiam ab eo primùm titulo aliquando factum esse initium libri tertij constat ex vetustis quibusdam exemplaribus, & eo præcipuè, quod repertum est ad mare Balthicum, ante annos quadringentos descriptum tempore Imp. Lotharij Saxonis. Porro legitimam propriè appellamus hære- 28
ditatem, quæ ab intestato defertur [a]*: quanquam aliquando latiori sensu eadem appellatio tribuatur*
testamentariæ successioni [b]*. Dicitur etiam iusta hæreditas, quæ ab intestato defertur* [c]*; quòd iure* 29
quodam sanguinis & gentilitatis, rationéque naturali debita videatur. Ad exemplum autem legiti-
mæ successionis, Prætores eam ediderunt, quæ Honoraria vocatur [d]*: cùm alioqui multi neque testa-* 30
mento, neque lege successissent, quos tamen æquum erat succedere. Sed de hisce omnibus latius agemus suo loco.
Adferat modò lector patientes aures, quæ verbosam Iustiniani loquacitatem in 31
referendis ambagibus veteris varijque Iuris, & obsoletæ antiquitatis, ferant æquo animo. Ac si quis rem hanc breuius conclusam legere malit, legat quæ ad duodecim Tabulas, vel ad Iustiniani Constitutionem Nouel. CXVIII. annotaui.

a L. 2. §. legitima. de suis & legit. hæred.
b L. lege obuenire. de verb. signif.
c L. 3. D. pro socio.
d L. qui autem. §. 1. de ijs, quæ in fraud. cred.

INSTI-

INSTITVTIONVM, SEV ELEMENTORVM IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS

Liber tertius.

DE HAEREDITATIBVS, QVAE AB INTESTATO DEFERUNTUR, Titulus I.



INTESTATVS decedit, qui aut omnino testamentum non fecit: aut non iure fecit: aut id, quod fecerat, ruptum irritúmve factum est: aut si ex eo nemo hæres extiterit.

Intestatorum autem hæreditates ex Lege duodecim Tabularum, primùm ad suos hæredes pertinent.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Intestati propriè qui?*
2 *Iure prohibitus testari, propriè intestatus non est.*
3 *Paulus Eremita quomodo intestatus decesserit?*
4 *Testari prohibitus ab aliquo an intestatus decedat?*
5 *Codicillos faciens cur & ipse intestatus decedat?*
6 *Nihil interest, aliquid omnino non fieri, & minus ritè fieri.*
7 *Nullum, pro, inutile, quomodo dixerit Cicero.*
8 *Intestata successio quæ?*
9 *Hæredem Prætor vt facere non potest, ita nec facere potest, vt hæres desinat esse hæres.*
10 *Vt quis testatus decedat, pendet ab hærede.*
11 *Iustinianus in Nouella I. quando demum successionem ab intestato deferat?*
12 *Iure ciuili in rebus aut personis, vbi de hæreditate agebatur, an aliquod fuerit discrimen?*
13 *Hodie quæ seruentur in rebus et personis discrimina?*
14 *Verba legis XII. Tab. de successione legitima.*
15 *In bonorum possessione ordo est I. Suorum hæredum. II. Legitimorum. III. cognatorum proximorum.*
16 *Suis hæredibus superstitibus nihil vsucapi cur possit?*
17 *In intestatorum hæreditatibus adeũdis nullum suorum hæredum est discrimen.*
18 *Monachus ciuiliter mortuus.*
19 *Leuitæ olim ius successionis quomodo non habuerint?*



Ntestatus decedit.] Videtur hic locus sumptus ex responso Vlpiani, cuius verba [a] sunt hæc; Intestati propriè appellantur, qui cùm possent testamentum facere, testati non sunt Sed
1 & is, qui testamentum fecit: si eius hæreditas non est adita, vel ruptum aut irritum est testamentum: intestatus non impropriè dicetur decessisse. ¶ *Omnino testamentum non fecit.*] Morte præuentus, vel eiusmodi aliquo impedimento inuolutus, vel sanè sua voluntate, cùm
2 alioqui posset testamentum facere. Cæterùm si iure prohiberetur quis testari, veluti pupillus, furiosus, prodigus: intestatum propriè non esse, respondet Vlpianus [b]. Sed tamen aliquando impropriè dicuntur intestati, qui reuera sunt intestabiles: vt cùm dicimus matrem, quæ filio tutorem non petijt, eius intestati successione priuari [c]. Quod de pupillo intestato dictum esse satis intelligitur: & alioqui constat matrem eo nomine non summoueri à legitima successione puberis [d]. Sanè
3 Diuus Hieronymus facetè ait; Paulum Eremitam decessisse intestatum, qui nihil reliquit, de quo
4 testaretur. Postremò illud notandum est; eum qui testamentum non fecit, quia fuerit ab aliquo prohibitus: intestatum quidem decedere, sed id non profuturum ei, qui prohibuit, alioqui ab intestato successuro [e]. ¶ *Testamentum.*] Etiam si alioqui Codicillos fecerit: quia ijs non potuit dari
5 hæreditas. Et qui ijs contentus decessit, intelligitur etiam omnino voluisse hæreditatem relinquere successuris ab intestato [f].
¶ *Aut non iure fecit.*] Vt quia septem non interfuerint testes vel filiusfam. sit præteritus. Certè
6 illud in vniuersum iure traditum est, nihil interesse, aliquid omnino non fiat, an minus ritè fiat [g].
7 Huc autem pertinet illud Ciceronis; Minutius quidam mortuus est: eius testamentum erat nullum. Lege hæreditas ad Gentem Minutiam veniebat. Nullum eo loco pro inutili dicit more Græcorum. ¶ *Ruptum*] Veluti agnatione sui hæredis, scilicet posthumi præteriti; vel arrogatione filij. ¶ *Irritum.*] Veluti capitis diminutione. Sed & per querelam inofficiosi ita rescinditur testamẽtum, vt quis videatur intestatus decessisse. Imò & per bonorum possessionem contra tabulas. Sic enim
8 Imper. Leo. intestatam successionem esse ait [h], aut testamento penitus non condito, aut si factum fuerit contra tabulas bonorum possessione petita, vel inofficiosi querela mota, rescisso. Intelligimus autem per bonorum possessionem contra tabulas rem reduci ad causam intestati, cùm præteritus est filius emancipatus, & institutus extraneus. Nempe quia tum non sit verisimile scriptum hæredem aditurum ex testamento hæreditatem, quam videt sese retinere non posse. Si tamen adiret, vix posse desinere hæres esse: aut qui testatus est, intestatus videri. Quia Prætor, vt hæ-
9 redem nõ facit: ita nec omnino efficere potest, vt is, qui semel hæres factus est, esse prorsus desinat [i].
At subsidio aliquo iuris Ciuilis fieri potest, vt qui fuit, desinat esse hæres, vel vti per querelam inofficiosi.

a L. 1. de suis & legit.
b dict. l. 1.
c L. diuus l. interdũ. D qui pet tut
d L. matre. l. ad Sen. Tertyl.
e L. 1 & 2. D. si quis ali. testa. prohib.
f L. conficiuntur. de iur cod.
g L. non putauit. § ubi quærun. de bon possess. contra tab. D. quoties quis satis. cog.
h L. vt liberis. C. de collat.
i § quos autem. inst. de bon. possess.

a L. in substitutione. de vulga. & pup.
b L. circa. de inoffic. testam.
c L. intestatus est. de verb. signi. d. L. de suu & legiti.

inofficiosi [a]. Quæ & ideo efficit, vt quis intestatus videatur decessisse [b]. ¶ *Aut si ex eo nemo hæres.*]
Hoc est, Si ex eo hæreditas adita non est, inquit Vlpianus [c]. Licet enim reuera eo tempore quo de-
cedit hic, testatus videatur; tamen habet hæc res quendam tractum, & quodammodo pendet ab 10
hærede, qui totius testamenti caput est atque fundamentum; vt non possimus iudicare certum,
ratum, perfectumque testamentum esse, nisi adita hæreditate. Porrò illud notandum est, Iustinia-
num in Nouella sua Constit. prima, tum demum successionem ijs, quos ab intestato Lex vocat, 11
deferre, vbi omnino nullus eorum, qui in testamento scripti sunt, velit hæreditatem adire, factu-
rus quæ testatoc imperauit. Adeò vt non hæredis modò, sed & substituti, & fideicommissarij, & le-
gatacii, ipsiusque etiam serui libertate donati voluntatem exploret, admodum solicitus, ne fit ic-
rita testatocis voluntas, néve maneat hæreditas (vt aic) ἀπρόσιτος [inaccessa, siue sine aditione.]
¶ *Intestatorum hæreditates.*]Cuiuslibet generis. Nullum enim fuit Iure Ciuili, aut rerum, aut
personarum discrimen, nisi vbi publicabantur damnatorum bona. Nos hodie receptis moribus, 12
magna in rebus ipsis discrimina seruamus: quia longè alia sit conditio bonorum profectitiorum, 13
quàm aduentitiorum, hoc est (vt populariter loquar) acquisitorum, quàm patrimoniorum: rur-
sus alia clientelarium rerum siue feudalium, alia communium, saltem quod attinet ad ius primo-
geniorum. ¶ *Ex lege duodecim Tabularum.*]Huius Legis meminit & alio suprà loco Iustinianus [d].
Si quis (inquit) intestatus moriatur, prima causa est in successione liberorum. Verba autem Legis
hæc fuisse accipimus; *Intestatorum hæreditates, primo suorum hæredum, velut volunt, sunto: his deficientibus* 14
agnatus proximus familiam habeto. Sic & cùm ageretur de ordine, qui in bonorum possessione serua-
tur, Modestinus tradit hos esse gradus statutos [e]; primò suorum hæredum; secundò legitimorum; 15
tertiò proximorum cognatorum. Ergo quandiu supersunt filij sui hæredes, nemo est qui se iactare
possit hæredem intestati, vt rescripsit Diocletianus [f]. vnde perspicua fit alia eius Constitutio [g]: Ni- 16
hil pro hærede posse vsucapi superstitibus suis hæredibus. Suus enim hæres facit, ne alius possit pro
hærede possidere. ¶ *Pertinent.*]Æqualiter. Nam neque Iustinianus vllum probat discrimen aut
sexus, aut ætatis, aut conditionis: adeò vt & monachus intestato patri succedat Iure [h] Ciuili. Sed 17
hodie moribus nostris quasi capite diminutus ciuiliterque mortuus repellitur: & fortassis habent 18
aliunde satis monachi. Certè olim apud Iudæos non succedebant Leuitæ, nec vllam possessionem 19
habebant, quòd ex altari viuerent, & pollicitus erat Dominus, se partem hæreditatis eorum fore.

d §. sui autem. supr. de hære. quali. & diff.
e L. 1. D. quis ordo in bon. poss. ser.
f L. ex testamento. C. vnde libe.
g L. fin. C. de vsuca. pro hæred.
h L. vlt. §. hoc autem cognitum. C. de episc. & cler.

§ *Sui autem hæredes.*

1 *Asiatica Iustiniani perissologia siue sermonis redundantia.*
2 *Patriæ potestatis ratio nihili iam fit.*
3 *Inter naturales & adoptiuos nihil interest, vbi de legitima successione quæstio est.*
4 *Adoptiuis ius latius in legitima, quàm in testamentaria successione.*
5 *Per oblationem curiæ legitimatus, quatenus suorum hæredum iura nanciscatur?*
6.7.8.9.10 *Naturales non legitimati, spurij, incestuosi, adulterini, an & quomodo succedant?*
11 *Legitimandorum filiorum rationem nõ esse nouam.*
12 *Patria potestate per dignitatem qui liberatur, iura suorum hæredum retinet.*
13 *Posthumus suus hæres esse quando possit?*

Sui autem hæredes existimantur (vt suprà diximus) qui in potestate morientis fuerint: veluti filius filiáve, nepos neptísve ex filio, pronepos proneptísve ex nepote, ex filio nato prognatus prognatáve. Nec interest, vtrum naturales sint liberi, an adoptiui. Quibus connumerari necesse est etiam eos, qui ex legitimis quidẽ nuptijs, vel matrimonijs non sunt progeniti, curijs tamen ciuitatum dati, secundum diualium Constitutionum, quæ super his positæ sunt, tenorem, hæredum suorum iura nanciscuntur. Necnon eos, quos nostræ amplexæ sunt Constitutiones, per quas iussimus, vt si quis mulierem in suo contubernio copulauerit, non ab initio affectione maritali, eam tamen, cum qua poterat habere coniugium, & ex ea liberos sustulerit: postea verò affectione procedente, etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit, & filios vel filias habuerit: non solùm eos liberos, qui post dotem editi sunt, iustos, & in potestate patris esse: sed etiam anteriores, qui & ijs, qui postea nati sunt, occasionem legitimi nominis præstiterunt. Quod obtinere censuimus, & si non progeniti fuerint post dotale instrumentum confectum liberi, vel etiam nati ab hac luce fuerint subtracti. Ita demũ tamẽ nepos neptísve, pronepos proneptísve, suorum hæredum numero sunt, si præcedens persona desierit in potestate parentis esse: siue morte id acciderit, siue alia ratione, veluti emancipatione. Nã si per id tempus, quo quis moritur, filius in potestate eius sit: nepos ex eo, suus hæres esse non potest. Idque & in cæteris deinceps liberorum personis dictũ esse intelligimus. Posthumi quoque, qui si viuo parente nati essent, in potestate eius futuri forent, sui hæredes sunt.

¶ *Vt suprà diximus.*]Dictum id est libro superiori, cùm ageretur De hæredum qualitate & differentia: & dictum quidem est adeò diligenter, vt admodum opus non fuerit molesta repetitione, quam

1 ne, quam hîc nobis ingerit Iustinianus, Asiatica sua perissologia, grauis memoti lectori, præsertim
2 cùm iam ratio patriæ potestatis nihili fit. Omnino enim Iustinianus ipse in Nouella sua Const. 118.
agens de successione ab intestato, sustulit discrimen emancipationis, & patriæ potestatis.

¶ *Nec interest.*] Vt sint legitimi hæredes. Alio tamen nomine interest; quòd soluta per eman-
cipationem adoptione, nihil reliqui iuris habeat, qui adoptiuus esse desijt [a]. At naturalis iustusq; *a L. pen. §. sed ne articulum. C. de adopt.*
filius, etiam emancipatus succedit, saltem Iure honorario. Verùm non est hoc discrimen omnino
3 huius loci. Et reuera cùm quæritur de legitima successione, nihil interest inter naturales & adopti
uos. Sicque Impp. Diocletianus & Maximianus rescripserunt Appiano [b]: Si te parens, in cuius *b L. si te parens. C. de*
fuisti potestate, solémniter in adoptionem dedit; cum filijs naturalibus adoptiui patris, antè vel pòst *sui. & legit.*
quæsitis, defuncto intestato succedere potes. Plura, quæ pertinent ad similitudinem filiorum ad-
optiuorum & naturalium, repetenda sunt ex ijs, quæ suo loco suprà dicta sunt de adoptione: ne-
4 que enim vacat aut lubet eadem repetere. Illud solum addam hoc loco; Adoptionis ius in legiti-
ma ab intestato successione latius patere, quàm in testamentaria. Nam ab extraneo filiusfam. ad-
optatus suus hæres non fit, nec eius testamentum tanquam inofficiosum rescindere potest.

5 ¶ *Quibus connumerari necesse est.*] Aliquo tamen discrimine. Nam qui per oblationem Curiæ
legitimus fit, soli patri fit legitimus: & in eius solius successione hęredum suorum iura nanciscitur.
Cæterùm quod attinet ad alios agnatos vel cognatos, legitimus non habetur: quare nec ijs inte-
statis succedet, nec huic cognati succedent. Nihil enim commune cum ijs habet, *καὶ μηδεμίαν μετου-
σίαν*, [nullam participationem,] inquit Iustinianus in Nou. illa Constit. 89. ex qua copiosè peti pos-
sunt, quæcunque pertinent ad eas (quibus de hîc agitur) species *τῆς γνησιότητος*: [ingenuitatis] aut
si quem eò abire pigeat, reuoluat quæ nos libro primo hac de re cum Iustiniano disseruimus [c]. *c §. 1. sup. de nupt.*

¶ *Heredum suorum iura nanciscuntur.*] Qui si mansissent in spuria sua conditione, cum suis aut le
6 gitimis non successissent. Quanquam alendi semper sint à suis fratribus naturalibus: ijsque non
superstitibus, ex legitima successione intestati patris, qui nullos legitimos reliquit liberos, conse-
quuntur cum sua matre duas vncias, hoc est, sextam partem hæreditatis. Cæterùm suæ matri om-
7 nino succedunt, etiam cum legitimis liberis, nisi mater fuisset illustris mulier. Sanè spurij, qui vul
gò sunt concepti, nullo modo possunt patri succedere, cùm nec patrem habere intelligantur. Ma-
tri tamen suæ succedunt [d]: Nam ea semper certa [e] est. Qui autem ex incestu vel adulterio quæsiti *d L. ex liberti. C. de*
8 sunt, nullum prorsus habent ius successionis [f]: cùm nec filij appellari debeant: Adeò vt nec ex testa *sui. & legit.*
mento aliquid capiant, nec voluerit Iustinianus ijs alimenta tribui. quanquam Pontifices aliter *e L. quia semper. de in ius vocan.*
9 decreuerint ex humanitate. Alijs quoque non legitimis olim nihil relinqui poterat [g], donec per *f L. quinetiam. de rit.*
10 constitutionē Antonini Imp. cœpit patri cum ijs esse testamenti factio: vt pater posset eos hæredes *nupt. l. si adulterium*
cum legitimis instituere vel substituere, ijsque quod vellet legare [h]. Cæterùm posteriorum Impe- *cum incestu. D. ad leg.*
ratorum legibus imminuta est hęc potestas [i]. Tandem Iustinianus statuit, vt non nisi vna vncia ijs *Iul. de adult.*
relinqueretur, si extabant legitimi: his verò non superstitibus, vel solida hæreditas relinqui posset. *g L. nec apud. C. de*
¶ *Nec non eos.*] Atque eos quoque, qui ex Principis rescripto natalibus restituti sunt. Nam & hos Iu- *her. inst. l. 1. §. 2. de leg.*
stinianus in Nouella sua Constitut. 89. ait, *μηδὲν τῶν νομίμων παίδων διαλλάττοντας εἶναι*: [nihil à legiti- *3. l. cū tabulis. §. 1. de*
mis filijs differre] vtpote qui non ipsi modò patri fiant legitimi, sed & reliquis agnatis cognatis- *ijs quæ vt indig.*
que. Nec est hæc omnino noua ratio legitimandi (vt ita loquar) cùm & veteres Iurisconsulti eius *h L. Lucius. de vulg. & pup. l. vlt. de iure*
11 meminerint Refert enim Martianus [k], Marcum & Lucium Impp. suo rescripto confirmasse quo- *delib. l. Lucius. 2. §.*
rundam liberorum statum, qui ex patrum legitimo matrimonio erant suscepti. ¶ *Nostræ constitu-* *vlt. de leg. 2.*
tiones.] Extant hæ Constitutiones lib. 5. Codicis [l]: earumque sententiam suprà quoque. libro pri- *i L. 1. & 2. C. de nat. lib.*
mo, retulit Iustinianus. ¶ *Et filios vel filias habuerit.*] Id adiectum est ex veteri quorundam opinio- *k L. qui in prouincia.*
ne, quā statim reijcit Iustinianus. ¶ *Quod obtinere censuimus.*] Extat hæc adhuc Iustiniani sanctio [m]: *§. diuus. de rit nupt.*
& in Nouella Constit. 11. ait, sese eam edidisse ob calumniosam quorundam controuersiam. Porrò *l L. cum quis. l. nuper.*
in Nouel. sua Constit. 18. refert rursus alium calumniosæ dubitationis iniectum scrupulum, an hæc *C. de natu. libe.*
in libertatum matrimonijs locum haberent. Meminit & in Nou. Consti. 19. ¶ *Etsi non progeniti.*] *m dict. l. nuper.*
Imò & si nulla spe suscipiendorum liberorum contractum esset matrimonium. quanquam sanè
soleamus ea spe concubinam vxorem accipere [n]. Sed id perpetuum non est. ¶ *Sine alia ratione.*] *n dict. l. nuper.*
Qualibet, præterquam dignitate, per quam qui patria potestate liberatur, iura suorum hæredum
retinet, vt sanxit Iustinianus in Nou. Const. 81. Et ne hîc impingeremus, adiecit Iustinianus exem
plum emancipationis: quod non fecit duobus alijs locis, quibus hunc locū tractat in hisce Institu-
tionibus [o]. sed quod hîc adiectū est, seruiet illustrandis alijs illis superioribus locis. ¶ *Nepos ex eo.*] *o §. posthumorũ supr.*
Ex alio verò nepos proculdubio succederet cum suo patruo, referretque personam defuncti sui pa *de exhæred. liber. §.*
13 rentis. ¶ *Suus hæres esse non potest.*] Nam nec hæres omnino esse potest, quē præcedit pater: tamen *sed vt nepos. supr. de*
viuēte patre suus hæres esse potest, si pater abstinuerit, licet adhuc hæres [p] esse intelligatur, qui absti *hæred. qua. vel diff.*
nuit. ¶ *Posthumi quoque.*] Lælius admonet ponderandam esse hanc particulam implicatiuam *p §. pla ebat. infr. de legi. agnat. succ.*
QVOQVE, quæ significet eodem modo & iure hos posthumos, atque iam natos, suos esse. deinde &
illud esse notandum, quod in potestate parentis dicuntur, generaliori voce quàm patris: vt auum
quoque exaudias. ¶ *Qui si viuo.*] Id adiectum est propter eos, qui ex concubina nascerentur, vel
ex nuru, quæ nupta est filio emancipato: vel etiam propter eos, qui post mortem aui primum con-
cepti essent. Nam hi cùm nascātur in potestate patris sui, auo non fiunt hæredes sui. ¶ *Nati essent.*]
Neque enim prius in potestate esse possunt [a]. *a L. vlt. de cella. bon.*

§. *Sui autem.*

1 Sui hæreditas olim inuitis quoque accedebat.
2 Extraneis non accedit hæreditas ipso iure, sed quasi mediante aliquo facto.
3 Furiosi ignorantibus quomodo comparentur?
4 In suis hæredibus continuatio dominij quò rem perducat?
5 Non pariter & possessio, vt dominiũ, sine apprehensione acquiritur. fallit num. 6.
7 Pupillo cur in adeunda hæreditate patris opus non sit autoritate tutorũ?
8 Quid si pater captiuus apud hostes decesserit?
9 Fictio iuris postliminij.
10 Ante ipsam condemnationem ius suum nemo perdit.
11 Vbi suus tempore mortis, suus post mortem esse desinat?
12 Morte non extingui crimina perduellionis, repetundarum, peculatus, veneficij ab vxore confecti.
13 Perduelles veteribus qui? & eorundem olim pœna. 14. 15.

Sui autem hæredes fiunt etiam ignorantes. & licet furiosi sint, hæredes possunt existere: quia quibus ex caussis ignorantibus nobis adquiritur, ex his caussis & furiosis adquiri potest. Et statim à morte parentis quasi cõtinuatur dominiũ. & ideo nec tutoris autoritate opus est pupillis, cùm etiam ignorantib. adquiratur suis hæredibus hæreditas: nec curatoris assensu adquiritur furioso, sed ipso iure. Interdum autem, licet in potestate parentis mortis tempore suus hæres non fuerit, tamen suus hæres parenti efficitur: veluti si ab hostibus quis reuersus fuerit post mortẽ patris sui. ius enim postliminij hoc facit. Per contrarium autem hoc euenit, vt licet quis in familia defuncti sit mortis tempore, tamẽ suus hæres non fiat: veluti si post mortem suam pater iudicatus fuerit perduellionis reus, ac per hoc memoria eius damnata fuerit. suum enim hæredem habere non potest, cùm fiscus ei succedat: sed potest dici ipso quidem iure suum hæredem esse, sed desinere.

¶ *Fiunt etiam ignorantes.*] Atque etiam olim inuiti, priusquam Prætor ijs dedisset beneficium 1
abstinendi. Porrò qui sui non sunt hæredes, vt fiant hæredes, omnino debent delatam hæredita- 2
tem adire, de morte testatoris certiores [a] facti, caussamque suæ acquisitionis intelligentes [b].
¶ *Furiosi.*] Qui tamen si sui hæredes non essent, non possent ipsi hæreditatem adire [c]. ¶ *Quia*
quibus ex caussis.] Sumpta est hæc regula ex Pomponij responso, quod in Pandectis refertur duobus 3
locis [d]. Et rectè sanè ignorantibus comparantur furiosi, cùm ij nihil scire [e] dicantur aut velle.
Et modò absentibus, modo dormientibus similes habentur [f]. ¶ *Et statim.*] Inquit Paulus [g]: In
suis hæredibus euidentius apparet continuationem dominij eò rem perducere, vt nulla videa- 4
tur hæreditas fuisse, quasi olim hi domini essent, qui etiam viuo patre quodammodo domini
existimantur. Deinde subijcit; Itaque post mortem patris non hæreditatem percipere videntur,
sed magis liberam bonorum administrationem consequi. ¶ *Dominium.*] Non etiam possessio [h]:
quæ non acquiritur Iure Ciuili, nisi omnino apprehendatur [i]. Sed hodie iure moribus vten- 5
tium, remissa est huius apprehensionis necessitas, cùm & possessio rerum hæreditariarum ipso 6
iure transmitti intelligatur in proximum hæredem. Atque hoc illud est, quod vulgò passim apud Gallos iactatur, *Le mort saisist le vif.* ¶ *Et ideo nec tutoris autoritate.*] Qua tamen omnino opus
esse in adeunda extranei testatoris hæreditate, lib. primo satis dictum est. Sed minus est periculi
in legitima patris hæreditate, cùm semper integrum sit pupillo abstinere, si eam senserit esse dam- 7
nosam. ¶ *Veluti si ab hostibus.*] Idem & si pater captiuus apud hostes decesserit, relicto in ciuitate
filiofamilias. Nam Lex Cornelia fingit patrem in ciuitate decessisse. Sed tamen hic filius propriè 8
non est suus hæres, qui reuera non fuit in potestate morientis [k].
¶ *Ius postliminij hoc facit.*] Vt scilicet retrò credatur semper in ciuitate fuisse, qui ab hostibus ad-
uenit [l]. De iure postliminij plura diximus libro primo. ¶ *In familia defuncti sit.*] Vt est sanè in sub- 9
iecto exemplo: quia constat neminem perdere ante ipsam condemnationem iura ciuitatis Ro-
manæ, veluti patriam potestatem: sicuti nec dominium rerum suarum [m]: etiam si perdere possit 10
liberam earum alienandarum potestatem [n]. ¶ *Post mortem suam*] Ergo mortis tempore filius erat
in potestate: vt non iniuria dicatur, suum hæredem esse, sed desinere. Porrò licet soleant crimina 11
morte extingui [o]: tamen quorundam atrocitas, & exempli latè patentis ratio efficit, vt etiam exerceatur iudicium criminale aduersus mortuos: quorum scilicet memoria damnanda est, bona
sunt publicanda [p]. Vt est crimen Maiestatis, quo de hic agitur. Item Repetundarum, Peculatus [a], 12
Veneficij ab vxore confecti [b]. ¶ *Perduellionis reus.*] Alio loco dicitur, Maiestatis reus. Apud Iusti.
in Nou. Constitut. 95. vocatur καθοσιώσεως ἔνοχος. apud Græcos Oratores, εἰσαγγελίας φεύγων. Vete-
res appellasse perduelles, qui hostes erant, notũ est. Nulli autem perniciosiores hostes sunt, quàm 13
qui in Rempub. aut Principem hostili sunt animo. Sed & qui ciuem occidisset, olim perduellionis
reus erat, propter admissam cędem. Extat oratio Ciceronis pro Rabirio perduellionis reo. Fuit &
olim Horatius perduellionis reus propter occisam suam sororem. De crimine & iudicio Maiestatis
plura dicemus suo loco. ¶ *Memoria damnata.*] Nam nomini perpetua infamiæ nota inuritur. Sic
olim ob affectati regni suspicionem, vt reorum memoria damnaretur, euersa est domus M. Manlij 14
Capitolini, item C. Cassij, & Sp. Melij. ¶ *Cum fiscus ei succedat.*] Visa semper fuit huius criminis atrocitas digna, quæ & vitam adimeret, & bona, etiam fraudatis filijs. Itaq; Tullius in quadam ad
Brutum epistola, defendens suã de Catilinarijs sententiã, Non me fugit (inquit) quàm sit acerbũ,
paren-

a L. qui hæreditatem. de acq. hæred.
b L. si is ad quem. de acq. hæred.
c L. qui seruũ. de acq. hæred.
d L. si à furioso. D. si cert. pet. l. si à furioso. de act. & oblig.
e dict. l. qui seruum.
f L. 2. §. furiosus. de iure codic. l. non voco. §. furiosus de reg. iur.
g L. in suis. de libe. & posth.
h L. cum hæredes. de acq. hær. l. si sorori. C. de iure delib.
i L. 3. de acqu. poss.
k L. lege Cornelia. de testamen.
l L. retrò. de capti. & postli. reuer.
m L. ex iudiciorũ. de accusa. l. vlt. C. ad legem Iul. ma.
n L. donationes. §. vl. l. post cõtractũ. de do.
o L. 2. C. si reus, vel accu. mort. fu.
p L. ex iudiciorum. de accu.
a L. vlt. D. ad leg. Iul. pecu.
b L. Lucius. de iure fisci.

parentum scelera filiorum pœnis lui: sed hoc præclarè Legibus comparatum est, vt charitas liberorum amiciores parentes Reipub. redderet. Idem rursus ad eundem scribens, fatetur in pœna Catilinariorum illud fuisse crudele, quòd ad liberos, qui nihil meruerant, pœna perueniret. Sed id (inquit) & antiquum est, & omnium ciuitatum. Siquidem etiam Themistoclis liberi eguerunt. Certè Iustinianus in Nouella sua Constit. 134. prohibens publicari damnatorum bona in fraudem liberorum: nominatim excipit hoc crimen Maiestatis. Verùm de his plus satis. Nunc aggrediemur tractatum legitimæ successionis, si obiter admonuerimus filium, qui desinit esse hæres, ablata per fiscum hæreditate, desinere quoque creditoribus hæreditarijs teneri: sed vix recuperare sua iura confusa [a].

[a] L. eum qui. §. bonis. de ijs quæ vt indig.

§. *Cùm filius.*

1 Nepos ex filia non est suus hæres, sed tamen æquè hodie succedit.
2 Nepotes ex filio succedunt auo intestato cum patruo in stirpes.
3 Sed quid, si de restitutione hæreditatis fideicommissaria agatur?
4 Nepos cum filio testatoris vbi non admittatur?
5 In successione ascendentium gradus non quæruntur.
6.10 Repræsentationis in liberis æquitas.
7 An eadem ibi successio, vbi alter filius viuit, & ex altero mortuo nepos? Iurisconsulti non explicant.
8.9 Hodie multorum populorum moribus, repræsentationi non esse locum in successionibus.
11 Orsua & Corbu patruelium de successione ciuitatis relicta contentio.
12 Nepotem ex filio primogenito habere in successione aui ius præcipuum sui patris, probatum à Tiraquello.
13 Quid si cum filio pronepos succedere vellet?
14 In stirpes, item in capita succedere quid?

Cùm filius filiáve, & ex altero filio nepos neptísve existunt, pariter ad hæreditatem aui vocantur: nec qui gradu proximior est, vlteriorem excludit. Aequum enim esse videtur, nepotes neptésque in patris sui locum succedere. Pari ratione, & si nepos neptísve sit ex filio, & ex nepote pronepos proneptísve: simul vocantur. Et quia placuit nepotes neptésve, item pronepotes proneptésve in parentis sui locum succedere: conueniens esse visum est, non in capita, sed in stirpes hæreditatem diuidi, vt filius partem dimidiam hæreditatis habeat, & ex altero filio duo plurésve nepotes alteram dimidiam.

1 ¶ *Ex altero filio.*] Non etiam ex filia: ex qua qui nascitur, suus hæres esse non potest: quanquam
2 nouo hodie iure æquè succedat. ¶ *Ad hæreditatem aui.*] Intestati. Hic enim agitur de legitima eius
3 hæreditate. Sed quid si agatur de restitutione fideicommissariæ hæreditatis? Certè vbi non est alia
testatoris, quàm Legis voluntas, admitti poterit nepos cum patruo: Vt cùm testator iussit hæreditatem familiæ restitui [b]. Hic enim Lex ipsa interpretatur id dictum esse de ijs, qui in familia proximi sunt: Et habet æquè propinquum nepotem ex filio, atque alterum filium. Sed si testator nomi-
4 natim expressisset proximium: vix admitteretur nepos cum filio: quia testator aliud sensisse videtur, nihilque reliquit interpretationi Legis. Porrò quædam sunt, in quibus nunquam admittitur
5 nepos cum filio, vt est ius patronatus: quia nec eius causa hæreditaria [c] est: item ius tutelæ [d].

[b] L. cum ita legatur. § in fideicommisso de lega. 2.

[c] L. à duobus. de oper. liber. l. si libertus. præterito patrono. §. 1. de bon lib.

[d] L. 2. §. si duo. de legi. tut.

¶ *Nec qui gradu proximior est.*] Generalius alio loco Iustinianus vetat hîc vllius gradus haberi rationem. Nam in Nouella Constitutione 118. ait, ὅτι πάντως τῆς τάξεως τὸν βαθμὸν ζητεῖσθαι οὐ βουλόμεθα. [in hoc ordine gradum quæri nolumus.] ¶ *Aequum enim esse videtur.*] Hic significatur æqui-
6 tas repræsentationis, vt vulgò loquimur, in liberis: quam omni iure semper probatam receptamq; fuisse constat. Certè euidenter cautam ac traditam fuisse Lege XII. Tabul. ait Diocletianus Imp. & iure deinde Prætorio in liberis quoque emancipatis obseruatam esse [e]. Iurisconsulti tamen in Pandectis huius legis aut non meminerunt aut obscurius certè meminerunt: quanquam sæpè meminerint eorum, qui succedunt in locum suorum ex Lege Vellæa, cùm de testamento aui quæ-
7 ritur. Illud tamen non explicant, an eadem (vt loquuntur) successio sit, vbi alter filius viuit, & ex altero mortuo nepos. Iustinianus porrò postea introduxit aliam quandam (vt populari semper verbo vtamur) repræsentationis speciem per Nouel. Constit. 118. in gratiam nepotis ex fratre cum suo patruo successuri. Sed omnia hæc iuris beneficia videntur hodie multorum populorum mori-
8 bus sublata, apud quos traditur generaliter; repræsentationi non esse locum in successionibus. Quod ego aliquando cùm in foro contenderem tantum esse intelligendum de repræsentatione illa noua, qua filij fratris vti vellent, non etiam de alia illa communi, quæ in liberis semper fuit vsitata: obiectum est graue præiudicium, quod æquitatem interpretationis meæ subuertebat. Cùm enim anno Domini millesimo trecentesimo secundo, mortuus esset Robertus secundus Comes Arthesiensis, relicta filia Mathilde, & Roberto nepote ex filio Philippo: hicque nepos Robertus iure sui patris defuncti fretus vellet succedere, exclusa filia Mathilde: decreto siue aresto Senatus
9 Parisiensis, prohibitus est: quasi repræsentationi non esset hic locus. quanquam alio nomine indignus erat nepos ille Robertus, propterea quòd falsò confinxerat instrumentum, quo iactabat nominatim conuentũ de hoc repræsentationis iure. Porrò de repræsentationis iure, quod hîc æquum
10 esse ait Iustinianus, nos & antiquum & legitimũ esse dicimus (est enim ex lege 12. Tab.) Quædam alia repeti possunt ex nostris annotationibus ad 27. cap. 12. Tab.

[e] L. 3. C. de legi. hære.

¶ *In patris sui locum succedere.*]Sic vt eius gradum subeant, præter id, quod ex suo capite habent, consecuturi etiam ius ipsius patris: vt si pater superstes habuisset iura primigeniorum; habeat & ex eo nepos; & præferatur ὥσπερ ὁ αὐτοῦ γονεὺς προετιμᾶτο εἰ ἔζη, [quemadmodum eius pater prælatus esset si viueret,] vt verbis vtar Iustin. in Nou. Constit. 118. Quo iure videbitur Mars non iniquus iudex fuisse: quem quidem Germanorum historiæ testantur, Othone quarto imperante bis in Germania fauisse nepoti monomachia decertanti aduersus patruum, cùm de auiti regni successione quæstio esset, & patruus, quòd iam ipse maior natu esset, primogeniti fratris sui defuncti filio præferri vellet. Extat & in Rom. histotijs non dissimile exemplum vetus. Scribit enim Liuius libr. 8. Deca. 3. clarissimos quondam iuuenes Corben, & Orsuam, qui erant patrueles, de principatu cu- 11
iusdam ciuitatis, quam Ibem vocát, decertâsse. Corbis maior erat ætate. Sed Orsuæ pater Princeps proximè fuerat. Cùm verbis disceptare Iudex Scipio vellet, ac sedare iras: illi negârunt, aliũ, quàm Martem, se Iudicem habituros. Vicit Corbis maior, & armis potentior. Sed an Iure Mars ei fauerit, videamus. Et sanè si Orsuæ pater iure principatum tenuerat, debebatur eius successio filio, & iniuria Corbis obstabat. Sin quæstio fuisset de legitima successione, inter filium maioris fratris, & alium fratrem defuncti: videbatur meliori iure niti hic filius, qui patris sui personam referebat, eiusque iure niti poterat, si quidem spectemus Ius Ciuile. Cæterùm si controuertebatur inter patrueles ipsos de successione aui: pronunciandum videtur, meliorem adhuc fuisse causam Orsuæ: quia hîc nepotes omnino vtantur iure & conditione suorum parentum. Adeò vt etiam in stirpes auo succedant, & non in capita. Sed si disceptabatur inter patrueles de successione patrui: quia verius est, in capita eos succedere: videri poterat iustior Corbis actio: quando ipse maior erat ætate: nec temerè poterat in eius fraudem alter relicto suo gradu vltrò ad alium transire. Quòd autem diximus, nepotem ex filio primogenito habere in successione aui ius illud præcipuum sui parẽtis, pos- 12
sem pluribus verbis comprobare, nisi si ab alijs factum id copiosissimè esset, præcipuè à Tiraquello, qui rationes congessit XLV. & aduersarias in hac quæstione obiectiones refellit. ¶ *Si nepos, & ex nepote pronepos.*]Cùm hic & in superiori themate Iustinianus solùm agat de eo, qui est inferior vno gradu, posset aliquis existimare beneficium repræsentationis non protendi ad eum, qui pluribus gradibus esset inferior, veluti si cum filio pronepos succedere vellet. Verùm non potest id cer- 13
tò colligi ex exemplis hoc loco propositis. Nam & Iustinianus in Nouella sua Constit. 118. simpliciter iussit in vniuersum, ne hic gradus numeremus: & expressim ait; εἴπερ τῶν κατιόντων παῖδας καταλιπόντα τελευτῆσαι συμβαίη, τοὺς ἐκείνου υἱοὺς ἢ θυγατέρας, ἢ τοὺς ἄλλους κατιόντας εἰς τὸν τοῦ ἰδίου γονέως τόπον ὑπεισιέναι. [si quem horum descendentium filios relinquentem moti cõtigerit, illius filios aut filias, aut alios descendentes, in proptij parentis locum succedere.] ¶ *Non in capita, sed in stirpes.*] In stir- 14
pes succeditur, cùm non numerantur succedentium capita: sed vnius alicuius stirpis tantùm habetur ratio, cuius iure nituntur, qui succedunt. In capita verò succeditur, cùm hæreditas in tot æquales portiones diuiditur, quot sunt succedentium capita. Sic & ipse Iustin. in Nouella sua Constitut. 118. explicat veteres has Iutisprudentiæ Romanæ formulas. Nam agens de nepotibus, qui cum filio succedentes non nisi sui parẽtis portionem habent, inquit: ὅπερ διαδοχὴν in stirpes, ἡ ἀρχαιότης ἐκάλεσεν. [quam successionem in stirpes antiquitas vocauit.] Et loquens paulò pòst de hæreditate æqualiter inter omnes diuidẽda, ait: ὅπερ in capita οἱ ἡμέτεροι λέγουσι νόμοι. [quod in capita nostrę leges appellãt.] Vtitur sæpe & his loquendi formulis Tullius, agens de succedẽdi ratione. Et ne quis nouum esse putet, nepotes cum filio succedentes succedere in stirpes: eadem fuit olim Lex Atheniensium, cuius verba Demosthenes in Oratione περὶ Ἀγνίου κλήρου, refert hæc fuisse: ἐὰν ἀδελφοὶ ὦσιν ὁμοπάτορες, καὶ ἐὰν παῖδες ἐξ ἀδελφῶν γνήσιοι, τὴν τοῦ πατρὸς μοῖραν λαγχάνειν. [si fratres eodem patre geniti siue germani fuerint, & liberi ex fratribus legitimi, patris hi locum detinento.] ¶ *Hæreditatem diuidi.*] Sicuti etiam diuiditur legitima illa liberorum portio, Triens nempe vel Semis. Nam & hîc nepotes parentum suorum personam & portionem referre ait Iustinianus in Nouella sua Constitut. 18. Est & illud hoc loco memorabile, quod eleganter Papinianus de liberis agẽs, qui nisi suum habeant quadrantem, de inofficioso queri possunt, & significans hunc quadrantem inter nepotes diuidi in stirpes ait, Si sunt ex duobus filijs nepotes, ex vno tres, ex vno vnus, hunc vnicum sescuncia, vnum ex illis semuncia excludet querela [a].

a L. 8. §. quoniam. de inoffic.

§. *Item si ex duobus.*

1.2 Patrueles succedere patruo in capita: & cur secus fit in nepotibus auo successuris.

3 Cur nepotes aui hereditatem in stirpes diuidant, non in capita, Caius nullam reddit rationem.

Item si ex duobus filijs nepotes neptésve existant, ex altero vnus fortè aut duo, ex altero tres aut quatuor: ad vnum aut duos dimidia pars pertineat, ad tres vel ad quatuor altera dimidia.

¶ *Item si ex duobus.*] Coniungit hunc casum superiori Iustinianus: sed tamen non videtur omnino vtriusque eadem ratio. Superiori themate nepotes cum filio defuncti succedentes, non possunt non vti persona sui patris: magnique beneficij loco habere debent, si vel in stirpes succedant. at hoc nostro casu par est omnium conditio & gradus. Itaque & patrueles, siue fratrum de- 1
functorum filios, succedere patruo in capita, disertè responsum [b] est. Ac mirum est sanè aliud hic esse con-

b L. 2. §. hereditas. de suis & legiti. l. 1. ad fi. D. si pars here. petat.

esse constitutum in nepotibus auo successuris: idque ne excideret, rursus hoc titulo repeti [a]: nisi si a §. vlt. infr. e.
discrimen hoc descendere existimemus ex ratione ipsius suitatis, propter quam filiusfa. etiam vi- b L. in suis. de libe. & posthu.
2 uo patre videtur dominus quodammodo rerum paternarum [b]. Sic vt hîc intelligatur inter nepo
tum parentes ipso iure quodammodo diuisa patris adhuc superstitis hæreditas: vt eam solam pot-
tionem videantur transmisisse ad suos filios: qui, cùm auo succedent, magis videbuntur consequi
liberam administrationem portionis suorum parentum, quàm hæreditatem aui diuidere. Qua ra
tione multùm poterit obesse vis suitatis. Cæterùm in patruelibus nullam eiusmodi posse intelligi
imaginariam transmisionẽ portionis paternæ. Adde, si subtilius res hæc expendatur, videri fuisse
necesse nepotibus, vt tanquam sui hæredes succederent primo loco ex lege 12. Tab. subire gradum
eorum, qui primo gradu sui hæredes erant, eorumque & personam referre & iure vti. Sed quæcun-
que tandem ratio sit, cur eadem diuisio hęreditatis fiat, siue soli ex pluribus filijs nepotes, siue cum
suo patruo succedant auo: habuit Iustinianus in conferendo & coniungendo vtroque hoc casu, du
cem & authorem Diocletianum Imp. quem secutus videtur: Huius enim Diocletiani extant duo
hæc rescripta [c]. Nepotes ex diuersis filijs varij numeri auo succedentes, ab intestato non ex virili- c L. 2. et 3. C. de legit.
bus portionibus, sed ex stirpibus succedunt. Item, vt intestato defuncti filius ac nepos ex alio, qui lib.
mortis eius tempore in rebus humanis non inuenitur, manentes in sacris, pariter succedant. Sed
3 & Caius, vt hic Iustinianus, nulla ratione reddita, simpliciter ait in suis Institutionibus. Itẽ si quis
moriens filium non relinquat, sed ex duobus masculis filijs dimittat nepotes, hoc est, ex vno filio
vnum, vel duos nepotes, & ex altero tres aut quatuor: similiter, sicut superius dictum est, in stir-
pes, non in capita hęreditas diuidatur, hoc modo, vt illi duo nepotes ex vno filio medietatem per-
cipiant, & illi quatuor ex alio filio aliam medietatem, hoc est, vt tales accipiant portiones, quales
pares eorum, si vixissent, erant habituri.

§ *Cùm autem quæritur.*

1 Quantisper hæres speratur testamentarius, nulla ab intestato hæreditas defertur.
2 Destitutum testamentum quod?
3 Quid, si aut nullum, aut inutile sit testamentum?
4 Nepos præteritus, cùm suus hæres sit, quasi agnoscendo testamentum aui rumpit.
5 Nepos viuo auo conceptus, suus quomodo efficiatur?
6 Quid, si nepos post mortem aui conceptus, bonorum possessionem contra tab. auitis liberti petat?
7 Nepotes in proprio eorum post quorum mortem concepti sunt, cognati appellantur.

Cùm autem quæritur, an quis suus hæres existere possit: eo tempore quærẽdum est, quo certum est aliquem sine testamento decessisse. quod accidit & destituto testamento. Hac ratione, si filius exhæredatus fuerit, & extraneus hæres institutus, & filio mortuo, postea certum fuerit hæredem institutum ex testamento non fieri hæredem, aut quia noluit esse hæres, aut quia non potuit: nepos auo suo hæres existet: quia quo tempore certum est intestatum decessisse patremfamilias, solus inuenitur nepos. & hoc certũ est. Et licet post mortem aui natus sit: tamen auo viuo conceptus, mortuo patre eius, posteaque deserto aui testamento, suus hæres efficitur. Planè si & conceptus & natus fuerit post mortem aui: mortuo patre suo, desertoq; postea aui testamento, suus hæres auo non existet: quia nullo iure cognationis patrem sui patris attigit. Sed nec ille est inter liberos aui, quem filius emancipatus adoptauit. Hi autem, cùm non sint sui (quantum ad hæreditatem) liberi: neque bonorum possessionẽ petere possunt quasi proximi cognati. Hæc de suis hæredibus.

¶ *Quo certum est.*] Neque enim prius potest legitimus ab intestato hæres admitti. Nam quan-
1 diu spes vlla est hæredis testamentarij, nulla defertur ab intestato hæreditas [d]. ¶ *Et testamento de-* d L. quandiu. 2. de acq.
2 *stituto.*] Quod ritè factum erat, sed hærede destitutum nullius fuit momenti. Sic Theophilus hic qui. here. l. quandiu.
interpretatur destitutum testamentum, ex quo nemo hæres factus est. Cæterùm vbi nullum om- de regu. iur. l. quàdiu.
3 nino testamentum factum esset, aut prorsus inutile: ipso statim mortis tempore, quo certum est C. qui admi.
intestatum decessisse, videndum erit, quis tum suus proximusq; hæres sit. ¶ *Et filio mortuo.*] For-
tè intereà dum hæres scriptus deliberat, vt ait Theophilus ita intelligetur hîc filius mortuus post
patrem, sed ante querelam inofficiosi propositam, quæ non potuit proponi ante aditam hæredita
tem. Cæterùm si filius ante patrem decessisset: proculdubio is filius, quem relinqueret, suus hæres
4 esset auo: eiusque hæreditatem ab intestato protinus consequeretur, nec moraretur extranei hæ-
redis institutionem, quæ nullius est momenti, quemadmodum & totum testamẽtum, vbi nepos
qui suus hæres erat. præteritus est: & vt suus non fuerit tempore testamenti, tamen postea veluti a-
gnoscendo id rumpit. ¶ *Non potuit.*] Fortè deficiente conditione, quæ institutioni ascripta erat,
vt hic docet Theophilus. ¶ *Tamen auo viuo conceptus.*] Sic vt etiam eo nomine pro iam nato habe- e L. qui in vtero. de
ri posset [e]. Certè cùm docuisset Iulianus [f], Legem duodecim Tabularum, eum vocare ad hæredi- stat. homi.
tatem, qui moriente eo, de cuius bonis quæritur, in rerum natura fuerit: subijcit statim Celsus [g]. f L. Titius. de suis & legi.
5 Satis esse, si quis eo viuo conceptus sit quia conceptus quodámodo in rerum natura esse existime g L. vel vino. D. illo
tur. Quod & satis poterat deprehendi ex verbis ipsius Iuliani, qui disertè respõderat, eum, qui post tit.

 mortem

mortem aui sui conceptus esset, neque legitimam hæreditatem eius, tanquam suum heredem, neque bonorum possessionem tanquam cognatum, accipere posse. Quod & hîc subijcit Iustinianus ex eodem Iuliani responso: vt non sit alia interpretatione opus, modò meminerimus, quod Paulus respondit [a], nepotem etiam post mortem aui conceptum superstite liberto, bonorum posses-
6 sionem contra tabulas auiti liberti petere posse: & ad hæreditatem eius legitimá admitti. Responsum enim Iuliani tantùm ad hæreditatem legitimam, item ad bonorum possessionem aui petendam pertinere. ¶ *Partem sui patris.*] Hoc est, auum testatorem, quemadmodum hic ait Theophilus: vt nullo modo sit dubitandum, quin hic locus ita legendus sit. Ergo quòd ex consuetudine nepotes cognati appellantur, etiam eorum, post quorum mortem concepti sunt, nō propriè, sed
7 per abusionem, vel potius ἀναφορικῶς accidit, inquit Iulianus [b].

a L. Paulus respondit. 2. § Paulus respondit. 1. de bon. libe.

b L. Item Prætor. de suis & legi.

§ *Emancipati.*

1. *Differentia patriæ potestatis & emancipationis, quo ad rationem succedendi, sublata.*
2. *Ciuilia commenta iura naturalia tollere non possunt.*
3. *Partis appellatione intelligitur semissis.*
4. *Filius arrogatus totus in potestate est & iure patris arrogatoris.*
5. *Arrogationis & adoptionis differentia.*
6. *Arrogati quando & quomodo extraneorum loco habeantur.*

Emancipati autem liberi, Iure Ciuili nihil iuris habent (neque enim sui hæredes sunt, qui in potestate parentis esse desierunt) neque vllo alio iure per Legem duodecim Tabularum vocantur: sed Prætor naturali æquitate motus, dat eis bonorum possessionem VNDE LIBERI, perinde acsi in potestate parentis tempore mortis fuissent: siue soli sint, siue cum suis hæredibus concurrant. Itaque duobus liberis existentibus, emancipato vno, & eo, qui tempore mortis in potestate fuit, sanè quidem is qui in potestate fuit, solus Iure Ciuili hæres est, & solus suus hæres. sed cùm emancipatus beneficio Prætoris in partem admittitur: euenit, vt suus hæres pro parte hæres fiat. At hi, qui emācipati à parente in adoptionem se dederunt, non admittuntur ad bona naturalis patris quasi liberi: si modò, cùm is moreretur, in adoptiua familia fuerint. Nam viuo eo emancipati ab adoptiuo patre perinde admittuntur ad bona naturalis patris, ac si emancipati ab ipso essent, nec vnquam in adoptiua familia fuissent. Et conuenienter, quod ad adoptiuum patrem pertinet, extraneorum loco esse incipiunt. Post mortem verò naturalis patris emancipati ab adoptiuo patre: & quātùm ad hunc adoptiuum patrem pertinet, æquè extraneorum loco fiunt: & quantùm ad naturalis patris bona pertinet, nihilo magis liberorum gradum nanciscuntur. Quod ideo sic placuit, quia iniquum erat, esse in potestate patris adoptiui, ad quos bona naturalis patris pertineant, vtrum ad liberos eius, an ad agnatos.

¶ *Emancipati autem liberi.*] Qui aliquando fuerunt in potestate. Liberi enim, qui nunquam fuerunt in potestate, huc non pertinent: sicuti nec ad edictum, Vnde liberi: quod ijs solis competit, nullis testamenti tabulis relictis, quibus competeret bonorum possessio contra tabulas, si quæ factæ essent. ¶ *Iure Ciuili.*] Quod videtur durasse vsque ad Nouellam Iustiniani Constit. qua priscum illud patriæ potestatis & emancipationis discrimen, saltem quod attinet ad rationem succe-
1 dendi, sublatum est. Sic enim ille in Nouella Constitut. 118. agens de successione intestati parentis, quæ liberis debetur, ait nihil referre, εἴτε αὐτεξούσιοι, εἴτε ὑπεξούσιοι εὑρεθῶσιν. Sic nempè, vt emancipati hodie possint succedere iure Ciuili: nec sectari debeant ambages Honorariæ bonorum possessionis Vnde liberi. ¶ *Naturali æquitate motus.*] Quia semper filius sit, etiam emancipatus: nec possit naturalia iura Ciuilis ratio tollere. Ac videntur sanè veteres maioris, quàm par erat, fecisse discri-
2 men patriæ potestatis, & emancipationis: quod totum proficiscitur ex Ciuili commento. ¶ *In partem.*] dimidiam. Ita enim simplici appellatione partis solemus intelligere semissem [c]. Et solent
3 semper hæredes (vbi aliud dictum non est) æqualiter succedere [d]. Pomponius indicat [e] hunc emancipatum beneficio Prætoris eam partem consequi, quæ ad eum Iure Ciuili pertinuisset, si in potestate mansisset. Porrò quod hîc dicitur de emancipato & filiofa. habet locum, & si quis emancipa-rit filium, & nepotem ex eo in potestate retinuerit [f]. ¶ *Admittitur.*] Iure directo. Sunt enim hæc verba Legis. Sed si testator iussisset aliquem cum hærede ciuili admitti, qui esset ita coniunctus, quasi ex fideicommisso admitteretur, dimidiamque partem consequeretur [g].

¶ *At hi, qui emancipati.*] Totius huius loci ratio pendet ex ea Iustiniani Constitut. qua sanxit fi-lium arrogatum, totum esse in potestate & iure patris arrogatoris [h]: intereaque videri extrane-
4 um, quod attinet ad familiam patris naturalis. ¶ *In adoptionem se dederunt.*] Hoc est, sese arrogari passi sunt. Est enim Arrogatio eorum propria, qui sui iuris sunt: Adoptio verò filio-
5 rumfamiliàs. Sed idem de vtraque statuendum est: saltem vbi quis adoptatus est ab auo materno, vel eo, qui eiusmodi aliquid iuris naturalis habet. Alioqui sanè non mutat familiam, qui adoptatur ab extraneo, quemadmodum statuit Iustinianus [i]. ¶ *Se dederunt.*] Extraneo alicui arrogatori: sic vt prorsus in alienam transierint familiam, suamque naturalem reliquerint. At si arrogati essent

c L. nomen. § portionum. de verb. sign.

d L. 1. C. vnde libe. l. inter liberos. C. fam. ercisc.

e L. 4. D. vnde libe.

f L. 1. de coniungen. cum emancip. liber.

g L. ex parte. de acqu. hær.

h L. pen. § vlti. C. de adop.

i dict. l. pen.

essent ab auo: non videbantur mutare statum, nec perdunt ius succedendi patri naturali. Idemq; putauit Vlpianus[a], vbi quis emancipatus filium suum adoptandum dedit patri suo: sed aliter videtur constituisse Iustinianus[b]. ¶ *Non admittuntur.*] Inquit Paulus[c]: Si posteà quàm filius emancipatus bonorum possessionem patris petijt, statum suum mutauit: nihil obesse ei, quo minus id quod acquisiuit, retineat: quòd si prius conditionem suam mutauerit, bonorum possessionem eum petere non posse. ¶ *Nam viuo eo emancipati.*] Inquit Paulus[d]: Sed si naturales emancipati, &
6 adoptati iterum emancipati sint: ius habent naturalium liberorum. ¶ *Quod ad adoptiuum patrem pertinet.*] A quo fuerunt emancipati. Cęterùm si non adoptione, sed morte adoptiui patris fuissent dissoluta adoptionis iura: non omnino, quod ad successionis causam attinet, haberentur extraneorum loco: sed adhuc intelligeretur inter eos, & alios naturales filios durare cognatio, nempe vt simul intestato succedant[e].

¶ *An ad agnatos.*] Quibus tamen iam erat ius quæsitum in hæreditatem defuncti, nullos in familia sua relinquentis liberos: vt non potuerit non esse iniquum id interturbari nutu emancipantis adoptatoris, à cuius arbitrio pendere non debet delatæ successionis ratio.

a L. 3. §. si quis filio. de bo pos. contra tab.
b dic. l. pen. §. si vero pater.
c L. vl. D. vnde libe.
d L. 2. D. illo titu.
e L. filius autem. D. vnde cogna.

§. *Minus ergo.*

1 *Adoptiuorum & naturalium liberorum discrimen.*
2 *Adoptiui qui post emancipationem admitti tamen ad hæreditatem patris adoptiui possint.*

Minus ergo iuris habent adoptiui filij, quàm naturales. Nanque naturales emancipati, beneficio Prætoris gradum liberorum retinent, licet Iure Ciuili perdant. Adoptiui verò emancipati, & Iure Ciuili perdunt gradum liberorum, & à Prætore non admittuntur: & rectè. naturalia enim iura ciuilis ratio perimere non potest: nec quia desinunt sui hæredes esse, possunt desinere filij filiæve, aut nepotes neptésve esse: adoptiui verò emancipati, extraneorum loco incipiunt esse: quia ius nomenque filij filiæve, quod per adoptionem consequuti sunt, alia ciuili ratione, id est, emancipatione perdunt.

¶ *Minus ergo iuris.*] Hæc illatio pendet potissimùm ex eo, quod dictum est; per emancipationem tolli quicquid erat necessitudinis inter patrem adoptiuum & filium adoptatum: nam finita patris adoptiui potestate, nullum ex pristino iure retinetur vestigium, inquit Papinianus[f]. Sed
1 coniunctionem naturalis patris & filij non ita tolli: quia nihilominus filius sit, etiam emancipatus. Cæterùm quaudiu constat vtriusque potestatis ratio, verum est quod alio loco dicitur[g], non minus iuris habere adoptiuos filios, quàm naturales. ¶ *Namque naturales.*] Huius loci sententia sumpta videtur ex Paulo, cuius extat responsum his verbis[h]: Liberi & capite minuti per edictum Prætoris ad bonorum possessionem vocantur parentum: nisi adoptiui fuerint. Hi enim & liberorum nomen amittunt post emancipationē. Sed si naturales emancipati, & adoptati, iterum e-
2 mancipati sint. ius habent naturalium liberorum. ¶ *Et à prætore non admittuntur.*] Nempè, nisi alioqui naturaliter sint ex familia huius patris quondā adoptiui. Nā respondit Vlpianus[i], adoptiuos liberos post emancipationem ita admitti, si ex liberis naturalibus fuerint; vt puta, si sit nepos naturalis ab auo adoptatus. nam licet sit emancipatus, bonorum tamen possessionem accipiet: cùm sit ex naturalibus liberis. Vnde apparet etiam olim discrimen fuisse, an quis adoptaretur ab extraneo, an verò à consanguineo. Sed nihil olim interfuit, quod attinebat ad patriam potestatem. Primus autem Iustinianus discrimen hac in re esse voluit ¶ *Naturalia enim.*] Regula est à Pomponio tradita[k]; Iura sanguinis nullo Ciuili Iure dirimi posse.

f L. in omni. de adop.
g §. in pluribus. sup. de adopt.
h L. 2. D. vnde libe.
i L. 2. §. liberi. D. ad Senat. Tertyl.
k L. iura. de reg. iur.

§. *Eadem hac.*

1 *An filius, cui aliquid titulo legati vel fideicommissi relictum est, dicatur tamen præteritus?*
2 *Nulla nisi nominatim facta exhæredatio filium summouet à contra tabulas bonorum possessione.*
3 *Bonorum possessio, emancipatorum causa introducta primùm.*
4 *Intestatus etiam dicitur per bonorum poss. contra Tab.*
5. 6. *Ad petendam bonorum possessionem, vel contra Tabulas, vel Vnde liberi, ex liberis defuncti esse necesse sit?*
7 *Etsi filius adoptiuus non potest patri naturali succedere per Vnde liberi; potest tamen per Vnde cognati.*

Eadem hæc obseruantur, & in ea bonorum possessione, quam contra tabulas testamenti parentis liberis præteritis, id est, neque hæredibus institutis, neque vt oportet, exhæredatis, Prætor pollicetur. Nam eos quidem, qui in potestate mortis tempore fuerint, & emancipatos, vocat Prætor ad eandem bonorum possessionem: eos vero, qui in adoptiua familia fuerint per hoc tempus, quo naturalis parens moreretur, repellit. Itē adoptiuos liberos emācipatos ab adoptiuo patre, sicut ab intestato, ita lōgè minus cōtra tabulas

testamenti,ad bona eius non admittit:quia desinunt in numero liberorum eius esse. Admonendi tamen sumus, eos qui in adoptiua familia sunt, quíve post mortem naturalis parentis ab adoptiuo patre emancipati fuerint: intestato parente naturali mortuo, licet ea parte edicti, qua liberi ad bonorum possessionem vocantur, non admittantur: alia tamen parte vocari, scilicet qua cognati defuncti vocantur. Ex qua parte ita admittuntur, si neque sui hæredes liberi, neque emancipati obstent, neque agnatus quidem vllus interueniat. Antè enim Prætor liberos vocat tam suos hæredes, quàm emancipatos: deinde legitimos hæredes: deinde proximos cognatos

¶ *Eadem hæc obseruantur.*] Sententia Iustiniani est hęc: Quæ de adoptiuis liberis dicta sunt, non
solùm in bonorum possessione, Vnde legitimi, quę nullo facto testamento locum habet, obseruauit antiquitas: verùm etiam in bonorum possessione contra tabulas; cùm scilicet testamentum
quidem factum est, sed ij præteriti sunt, qui vel institui, vel exhæredari debebant. ¶ *Idest, neque.*] 1
Hæc interpretatio admodum apta est. Nam & si filio aliquid esset relictum titulo legati vel fideicommissi: nihilominus dicetur præteritus, qui nulla ex parte hæres institutus [a] est. Sanè etiam aliquando instituto quoque filio competit bonorum possessio contra tabulas: nempè si quis ex liberis præteritus sit, qui ea vtatur, edictumque cæteris aperiat [b]. ¶ *Neque vt oportet*] Inquit Vlpia- 2
nus [c]: Non quæuis exhæredatio summouet filium à contra tabulas bonorum possessione, sed quæ ritè facta est. Theophilus hæc verba, VT OPORTET, vertit νομίμως, & interpretatur, nomina-
tim. ¶ *Nam eos quidem, qui in potestate.*] Fuerat quidem bonorum possessio primùm à Prætore in- 3
troducta, liberorum emancipatorum ergò: sed eius beneficium factum est posteà ipsis quoque filijsfa. commune, siquando præterirentur: nempe vt hac ratione à manu Prætoris iustiorem hæreditariarum rerum possessionem acciperent, potius quàm suo priuato iure inuaderent bona defuncti. Iustius enim possidere intelliguntur, qui authore Prætore possident [d]. ¶ *Sicut ab intesta-
to.*] Intestatum hic propriè intelligimus, vbi nullum prorsus relictum est testamentum. quan- 4
quam alioqui etiam dicatur intestatus, qui testamentum quidem reliquit, sed quod rescissum est
per bonorum possessionem contra tabulas, vti suprà explicuimus, ¶ *Ita longè minus.*] Aperta est 5
huiusce rei ratio. Quo enim iure quis peteret bonorum possessionem contra tabulas, qui nihil iuris haberet, etiam si nullæ testamenti tabulæ extarent? Certè qui plana & aperta via prohibetur ad hæreditatem peruenire, frustra sperat eò euadere, alia via præpediti oti, & interclusa quodam ve-
luti tabularum obice. ¶ *Quia desinunt.*] Hæc ratio etiam superiori themati seruire potest. Nempe 6
in vniuersum oportet, ad petendam bonorum possessionem contra tabulas, non minus esse ex li-
beris [e] defuncti, quàm ad bonorum possessionem Vnde liberi [f]. ¶ *Alia tamen parte vocari.*] Vlpia- 7
nus agens de parte huius edicti, Vnde cognati [g], ait: Euenit igitur vt is, qui in adoptionem datus est, tam in familia naturalis patris iura cognationis retineat, quàm in familia adoptiua nanciscatur. Sed eorum tantùm cognationem in adoptiua familia nanciscitur, quibus fit agnatus: in naturali autem, omnium retinebit.

a L. ita tamen. §. qui rogatus. D. ad Senat. Trebel.
b L. 3. §. planè. l. non putauit. §. non est nouum. l. si post mortem. §. vlt. l. illud. §. vl. de bon. pos. contr. tab.
c L. non putauit. §. nō quæuis. de bonor. poss. contr. tab.
d L. iustè. de acquir. poss.
e L. 1 §. sui iuris. in fi. l. non putauit. §. vt an tè. de bono. poss. cont. tab.
f L. 2. D. vnde libe.
g L. 1. §. 2. D. vnde cogna.

§. *Sed ea omnia.*

1 Quid, si ab auo materno adoptatus emancipetur post deceßum patris naturalis? *2 Restituta §. huius lectio.*

Sed ea omnia antiquitati quidem placuerunt: aliquam autem emendationem à nostra Constitutione acceperunt, quam super ijs personis composuimus, quæ à patribus suis naturalibus in adoptionem alijs dantur. Inuenimus etenim nonnullos casus, in quibus filij & naturalium parentum successionem propter adoptionem amittebant, & adoptione facilè per emancipationem soluta, ad neutrius patris successionem vocabantur. Hoc solito more corrigentes, Constitutionem scripsimus, per quam definimus, quando parens naturalis filium suum adoptandum alij dederit, integra omnia iura ita seruari, atque si in patris naturalis potestate permansisset, nec penitus adoptio fuisset subsequuta: nisi in hoc tantummodo casu, vt possit ab intestato ad patris adoptiui venire successionem. Testamētō autem ab eo facto: neq; Iure Ciuili, neq; Prætorio, ex hæreditate eius aliquid persequi potest, neq; contra tabulas bonorū possessione agnita, neq; inofficiosi querela instituta: cùm nec necessitas patri adoptiuo imponatur, vel hęredem cum instituere, vel exhæredatum eum facere, vtpote nullo vinculo naturali copulatum, neque si ex Sabiniano Senatuscōsulto ex tribus manibus* fuerit adoptatus. Nam & in eiusmodi casu, neq; quarta ei seruatur, neque vlla actio ad eius persequutionem ei competit. Nostra autem Constitutione exceptus est is, quem parens naturalis adoptandum susceperit. Vtroque enim iure tam naturali, quàm legitimo in hanc personam concurrente, pristina iura tali adoptioni seruamus, quemadmodum si paterfamiliàs sese dederit adrogandum quæ spe-

cialiter,

** aliàs maribus.*

cialiter,& singulatim,ex præfatæ Constitutionis tenore possunt colligi. Item vetustas ex masculis progenitoris plus diligens, solos nepotes vel neptes, qui, quæve ex virili sexu descendunt, ad suorum vocabat successionem,& iure adgnatorum eos anteponebat: nepotes autem, qui ex filiabus nati sunt, & pronepotes ex neptibus, cognatorum loco connumerans, post adgnatorum lineam eos vocabat: tam in aui vel proaui materni, quàm in auiæ vel proauiæ, siue paternæ, siue maternæ successionem.

¶ *A nostra Constitutione.*] Extat hæc adhuc Iustiniani Constitutio [a], quæ multis verbis explicat totius præsentis loci sententiam. ¶ *Hoc solito more corrigentes.*] Non videtur tamen id omniuo satis correctum. Nam & adhuc subesse potest periculum, ne filius adoptatus excidat vtriusque pa-
1 tris succesione. Quid enim si ab auo materno adoptatus emancipetur post mortem patris sui naturalis, cuius hæreditas iam alijs quæsita est? Sed debet hoc sibi imputare, cùm nou nisi volens emancipari potuerit. Certè non est quod speret vllum quadrantem à patre quondam adoptiuo: is enim tantùm datus est impuberi arrogato [b]. ¶ *Neque si ex Sabiniano senatusc.*] Huius Senatuscon-
2 sulti fit & alijs locis mentio [c]. Sed non satis constat, quid constituerit. ¶ *Ex tribus maribus.*] Ita etiam legitur alijs locis. Sed Alciatus lib. 4. Parer. cap. 3. iudicat potius legendú esse, EX TRIBVS MANIBVS: quòd de patris naturalis manu traderentur filij adoptiui, in manum fiduciatij, qui deinde eos in manum & potestatem patris adoptantis dabat. Vnde alio loco dicitur per tres emancipationes adoptio fieri [d].

a L. pen. C. de adopt.

b §. cùm autem impubes. supr. de adop.

c L. pen. §. quæ autē. C de adopt. l. vlti. ad fi. C. de Decurionib.

d L. vlt. C. de adop.

§. *Diui autem.*

1 *Quid defuncti ex filia nepotes ex relicta illius hereditate consequentur?*

Diui autem Principes non passi sunt talem contra naturam iniuriam sine competenti emendatione relinquere: sed cùm nepotis & pronepotis nomē commune sit vtrisque, tam qui ex masculis, quàm qui ex fœminis descendunt: ideo eundum gradum & ordinem successionis eis donauerunt. Sed vt amplius aliquid sit eis, qui non solùm naturæ, sed etiam veteris iuris suffragijs muniūntur: portionem nepotum, vel neptum, vel deinceps (de quibus suprà diximus) paulo minuendam esse existimauerunt: vt minus tertia parte acciperent, quàm mater eorum, vel auia fuerat acceptura, vel pater eorum, vel auus paternus siue maternus, quando fœmina mortua sit, cuius de hæreditate agitur: ijsque (licet soli sint) adeuntibus, adgnatos minimè vocabant. Et quemadmodum Lex duodecim Tabularum filio mortuo nepotes vel neptes, pronepotes vel pronepte in locū patris sui ad succesionem aui sui vocat: ita & Principalis dispositio in locum matris suæ, vel auiæ, eos cum iam designata patris tertiæ deminutione vocat.

¶ *Diui autem principes.*] Valentinianus, Theodosius, & Arcadius: quorum extat Constitutio his verbis [e]: Si defunctus, cuiuscunque sexus aut numeri, reliquerit filios, & ex filia diem defuncta cuiuscunque sexus aut numeri nepotes: eius partis quam defuncta superstes patri, inter fratres suos fuisset habitura, duas partes consequantur nepotes ex eadem filia: tertia pars fratribus sororibúsve eius, quæ defuncta est, id est filijs filiabúsve eius, de cuius bonis agitur, auunculis nempe siue materteris eorum, quorum commodo Legem sancimus, accrescat.

e L. si defunctus. C. de suis & legiti.

§. *Sed nos.*

1 *Emendata §. huius lectio.*
2 *Iure nouissimo à Iustiniano introducto soli descendentes ad mortui successionem vocantur.*
3 *Vt præceptio trientis quem nepotes ex filia consequebātur, ita & partitio quadrantis & dodrantis in collateralibus sublata est.*
4 *Inter filios fratrum diuiditur hereditas in capita, non in stirpes.*
5 *Diuorum illorum principum constitutio abrogata.*

Sed nos, cùm adhuc dubitatio maneret inter adgnatos & memoratos nepotes, quartam partem substantiæ defuncti adgnatis sibi vindicantibus ex cuiusdam Constitutionis authoritate: memoratam quidem Constitutionē à nostro Codice segregauimus, neque inseri eam ex Theodosiano Codice in eo concessimus. Nostra autem Constitutione promulgata, toti iuri eius derogatum est: & sanximus, talibus nepotibus ex filia, vel pronepotibus ex nepte, & deinceps, superstitibus, adgnatos nullam partem mortui successionis sibi vindicare: ne hi qui ex transuersa linea veniunt, potiores ijs habeantur, qui rectò iure descendunt. Quam Constitutionem nostram obtinere secundum sui vigorem & tempora, & nunc sancimus: ita tamē. vt quemadmodū inter filios, & nepotes ex filio, antiquitas statuit, nō in capita, sed in stirpes diuidi hæreditatē: similiter nos inter filios & nepo

tes ex

tres ex filia, distributionem fieri iubeamus, vel inter omnes nepotes & neptes, & inter pronepotes & proneptes, & alias deinceps personas: vt vtraque progenies, matris vel patris, auiæ, vel aui, portionem sine vlla deminutione consequatur: vt si fortè vnus vel duo ex vna parte, ex altera tres aut quatuor extent: vnus aut duo dimidiam, alteri tres aut quatuor alteram dimidiam hæreditatis habeant.

¶ *Ex cuiusdam constitutionis authoritate.*] Theophilus hîc meminit duarum Constitutionum,
quarum prior iussit agnatis tribui quadrantem, posterior obscurius prohibuit. Alij hîc legunt,
EIVSDEM: & sentiunt agi de illa superiori Constitutione Valentiniani, Theodosij, & Arcadij: 1
cuius quidem verba, quæ huc pertinet, non extant in Codice Iustiniani, sed adhuc supersunt lib. 5.
Codicis Theodosiani. Hæc enim adijcitur clausula: Quòd si hic defunctus, de cuius bonis loquimur,
habebit ex filia nepotes, & præterea filios non habebit, sed qui præferri nepotibus non possint,
habebit agnatos: hi in quandam Falcidiam, & in dodrantem nepotes iure succedant. ¶ *No-* 2
stra autem constitutione promulgata.] Extat hæc Iustiniani Cōstitutio [a], quæ iubet, vt descendentes soli ad mortui successionem vocentur: nec possint agnati quartam partem hæreditatis mortuæ personæ sibi vindicare.

a L. vlt. C. de suis & legit.

¶ *Ne potiores ijs habeantur.*] Hoc est, Ne cùm nepotes ex filijs perdiderint præceptioné trientis, quem supra nepotes ex filia consequebantur: hi, qui à latere iuncti sunt, retinerent
ius vetus sui quadrantis. Vt enim in recta linea sublata est illa diuisio bessis & trientis: ita & in 3
collateralibus tolli debet hæc quadrantis & dodrantis: ac nequis dubitet, an fuerit sublata illa partitio bessis & trientis in recta linea ante hanc quadrantis, & dodrantis, aperta est ratio: ne quando eueniat, vt agnatus potiores partes habeat, quàm nepotes, quid enim si plures sint nepotes, qui vni agnato tribuant quadrantem?

¶ *Vel inter omnes nepotes.*] Non tamen omnino eandem hîc esse rationem suprà demon- 4
strauimus: & addidimus discrimen filiorum fratrum. inter quos diuiditur hæreditas non in stirpes, sed in capita. ¶ *Sine vlla diminutione.*] Hîc significatur abrogatio superioris illius Constitu- 5
tionis, quæ trientem adimebat nepotibus ex filia, saltem succedentibus cum alijs in recta linea. Et nescio an alibi reperies huius veteris iuris abrogationem. Imò extat quædam Iustiniani Constitutio [b], quæ hac in parte probare videtur superiorem Diuorum Principum Constitutionem de diminutione vnius trientis. sed huius loci, nullam in vniuersum diminutionem probantis. ratio tollit necessitatem tam quadrantis, qui agnatis tribuebatur, quàm trientis, quem præcipiebat fauor sexus masculini. Et nequis hac de re dubitet, quia obscurius hîc significetur eiusmodi abrogatio totius veteris iuris, addam aliam Iustiniani Constitutionem, quæ apertè iubet integram, nullaque parte diminutá parentum portionem tribui nepotibus, sublata veteri trientis diminutione. Sic n. Iustinianus in Nou. sua Constit. 18. loquitur: οὐδὲ ἐκείνου φυλαττομένου τὸ λοιπὸν ἐπὶ τοὺς ἐγγόνους, καὶ προεγγόνους τοὺς οὐχὶ γνησίους καὶ ὑπεξουσίους, ὥστε δεῖ τὸ τρίτον ἔχειν αὐτοὺς μοίρας, ἣν τοῖς αὐτῶν γονεῦσι προσῆκεν ἔδει καταλιπεῖν διαθεμένους. οὐ γὰρ ἐξαιροῦμεν ἐπὶ τοὺς ἐγγόνους ἀπὸ παιδὸς τοῦ πρὸς πατρὸς πάππου γενομένους, ὥστε ἐκείνους μὲν λαμβάνειν τέλειον τὸ μέρος, ὅσον ἂν ὁ αὐτῶν πατὴρ ἔλαβεν περιών, τοὺς δὲ ἐγγόνους τοὺς ἀπὸ τοῦ πάππου διὰ μέσης τῆς θυγατρὸς γενομένους, ἢ τοὺς ἀπὸ τῆς μάμμης πρὸς πατρὸς, ἢ πρὸς μητρὸς, παρὰ τὸ τρίτον λαμβάνειν: ἀλλὰ μίαν τάξιν ἐφ᾽ ἅπασι τίθεμεν ἐγγόνοις, καὶ προεγγόνοις, οὐκ ἀνεχόμενοι τὸ θῆλυ τοῦ ἄρρενος ἐν τοῖς τοιούτοις ἔλαττον. [neque illo de cætero in nepotibus aut pronepotibus, qui sui & iure potestatis testatori subiecti non sunt, obseruando, vt minus habeant triente, quem illorum parentibus, si superfuissent, relinquere testatores oportebat. Neque enim excipimus amplius nepotes ex filio, qui per patrem auo adnascuntur, vt illi quidem integram eam partem accipiant, quam superstes eorum pater accepisset; hi verò nepotes qui per mediam filiam ab auo aut ab auia vel paterna vel materna descendunt, minus triente accipiant; Sed vnum eundemque ordinem in omnibus, nepotibus & pronepotibus, constituimus, non reputantes in hoc casu fœminam masculo deteriorem.] Sed & in Nouell. sua Constit. 118. tollit omne sexus discrimen in hæredibus legitimis.

b L. illam. C. de collationib.

De Legitima Adgnatorum successione, Tit. II.

SI nemo suus hæres, vel eorum quos inter suos hæredes Prætor vel Constitutiones vocant, existat, qui successionem quoquo modo amplectatur: tunc ex Lege duodecim Tabularum ad adgnatum proximum pertinet hæreditas. Sunt autem adgnati (vt primo quoque libro tradidimus) cognati per virilis sexus personas cognatione coniuncti, quasi à patre connati.

Itaque ex eodem patre nati fratres, adgnati sibi sunt, qui & consanguinei vocantur, nec requiritur, an etiam eandem matrē habuerint. Item patruus fratris filio, & inuicem is illi adgnatus est. Eodem numero sunt fratres patrueles, id est, qui ex duobus fratribus procreati sunt, qui etiam consobrini vocantur. Qua ratione etiā ad plures gradus adgnationis peruenire poterimus. Ij etiam, qui post mortem patris nascuntur iura consanguinitatis nanciscuntur. Non tamen omnibus simul adgnatis dat Lex hæreditatem: sed ijs, qui tunc proximiores gradu sunt, cùm certum esse cœperit aliquem intestatum

statum decessisse. Per adoptionem quoq; adgnationis ius consistit: veluti inter filios naturales,& eos quos pater eorum adoptauit. Nec dubium est,quin impropriè consanguinei appellentur.Item si quis ex cæteris adgnatis tuis:veluti frater,aut patruus,aut deniq; is qui longiore gradu est,adoptauerit aliquē: adgnatus inter suos hæredes esse nō dubitatur.

Cæterùm inter masculos quidem adgnationis iure hæreditas, etiam si longissimo gradu sint,vltrò citroq; capitur. Quòd ad fœminas verò attinet,ita placebat,vt ipsæ consanguinitatis iure tantùm capiant hæreditatem, si sorores sint:vlterius non capiant. masculi autem ad earum hæreditates (etiam si longissimo gradu sint)admittantur. Qua de causa fratris tui,aut patrui tui filiæ,vel amitæ tuæ hæreditas ad te pertinebat:tua verò ad illas non pertinebat. Quod ideò ita constitutum erat, quia commodius videbatur Ita iura constitui,vt plerumq; hæreditates ad masculos confluerent. Sed quia sanè iniquum erat, in vniuersum eas quasi extraneas repelli, Prætor eas ad bonorum possessionem admittit ea parte,qua proximitatis nomine bonorum possessionem pollicetur.ex qua parte ita scilicet admittuntur, si neq; adgnatus vllus, neq; proximior cognatus interueniat. Et hæc quidem Lex duodecim Tabularum nullo modo introduxit:sed simplicitatem legibus amicam amplexa, simili modo omnes adgnatos, siue masculos,siue fœminas cuiuscunq; gradus,ad similitudinem suorum inuicem ad successionem vocabat.

Media autem Iurisprudentia,quæ erat quidem Lege duodecim Tabularum iunior, imperiali autem dispositione anterior,subtilitate quadam excogitata,præfatam differentiam inducebat,&penitus eas à successione adgnatorum repellebat:omnia alia successione incognita, donec Prætores paulatim asperitatem Iuris Ciuilis corrigentes, siue quod deerat,implentes,humano proposito alium ordinem suis edictis addiderūt: & cognationis linea proximitatis nomine introducta,per bonorum possessionem eas adiuuabant,& pollicebantur his bonorum possessionem, quę VNDE COGNATI appellatur.Nos verò Legem duodecim Tabularū sequentes, & eius vestigia in hac parte conseruantes: laudamus quidem Prętores suæ humanitatis,non tamen eos in plenum huic causæ mederi inuenimus. Quare etenim vno eodemq; gradu naturali concurrente,& adgnationis titulis, tam in masculis,quàm in fœminis æqua lance constitutis, masculis quidē dabatur ad successionem venire omnium adgnatorū, ex adgnatis autem mulieribus nulli penitus, nisi soli sorori,ad adgnatorum successionem patebat aditus? Ideò nos in plenum omnia reducentes,& ad ius duodecim Tabularum eandem dispositionem exæquantes: nostra Constitutione sancimus,omnes legitimas personas,id est,per virilem sexum descendentes (siue masculini generis,siue fœminini sint)simili modo ad iura successionis legitimę ab intestato vocari secundum sui gradus prærogatiuam: nec ideò excludendas, quia consanguinitatis iura,sicut germanæ,non habent.

Hoc etiam addendum nostræ Constitutioni existimauimus, vt transferatur vnus tantummodo gradus à iure cognationis in legitimam successionem: vt nō solùm fratris filius & filia (secundum quod iam definiuimus) ad successionem patrui sui vocentur: sed etiā germanæ consanguineæ vel sororis vterinæ filius & filia soli,& non deinceps personæ vnà cum his ad iura auunculi sui perueniant:& mortuo eo,qui patruus quidē est sui fratris filijs,auunculus autē sororis suæ soboli: simili modo ab vtroq; latere succedant, tanquā si omnes ex masculis descendentes,legitimo iure veniant,scilicet vbi frater & soror superstites non sunt.His etenim personis præcedentibus,& successionē admittentibus:cæteri gradus remanent penitus semoti, videlicet hæreditate nō in stirpes, sed in capita diuidenda.

Si plures sint gradus adgnatorū:apertè Lex 12.Tab.proximū vocat. Itaq; si(verbi gratia)sint defuncti frater,& alterius fratris filius,aut patruus:frater potior habetur. Et quàuis singulari numero vsa Lex XII.Tab.proximū vocet: tamē dubiū nō est,quin si plures sint eiusdē gradus,omnes admittantur.Nam & propriè proximus ex pluribus gradib. intelligitur:& tamē nō dubiū est,quin licet vnus sit gradus adgnatorū, pertineat ad eos hæreditas.

Proximus autem,siquidem nullo testamento facto quisquā decesserit,per hoc tempus requiritur,quo mortuus est is,cuius de hæreditate quæritur. Quòd si facto testamento quisquam decesserit: per hoc tempus requiritur, quo certum esse cœperit,nullum ex testamento hæredem exiturum. tunc enim propriè quisq; intestatus decessisse intelligitur. Quod quidem aliquando longo tempore declaratur. In quo spatio temporis sępe accidit, vt proximiore mortuo proximus esse incipiat,qui moriente testatore non erat proximus.

Placebat autem in eo genere percipiendarum hæreditatum successionem non esse: id est, vt quamuis proximus,qui secundum ea,quæ diximus, vocatur ad hæreditatem,aut spreue-

ſpreuerit hæreditatem, aut antequam adeat, deceſſerit: nihilo magis legitimo iure ſequentes admittantur. Quod iterum Prætores imperfecto iure corrigentes, non in totum ſine adminiculo relinquebãt: ſed ex cognatorum ordine eos vocabant, vtpote adgnationis iure eis recluſo. Sed nos nihil perfectiſſimo iuri deeſſe cupientes, noſtra Conſtitutione, quam de iure patronatus, humanitate ſuggerente protulimus, ſancimus ſucceſſionem, in adgnatorum hæreditatibus non eſſe eis denegandam: cùm ſatis abſurdum erat, 6
quod cognatis à Prætore apertum eſt, hoc adgnatis eſſe recluſum: maximè cùm in onere quidem tutelarum & primo gradu deficiente, ſequens ſuccedit, & quod in onere obtinebat, non erat in lucro permiſſum.

Ad legitimam ſucceſſionem nihilominus vocatur etiam parens, qui contracta fiducia filium vel filiam, nepotem vel neptẽ, ac deinceps emancipat. quod ex noſtra Conſtitutione omnino inducitur, vt emancipationes liberorum ſemper videantur quaſi contracta fiducia fieri: cùm apud veteres non aliter hoc obtinebat, niſi ſpecialiter contracta fiducia parens manumiſiſſet.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Etiam remotiſſimi gradus ſui hæredes excludunt agnatos.*
2 *Prætor inter ſuos vocat & emancipatos; Conſtitutiones verò Reſtitutos natalibus, & ex filia nepotes.*
3 *Exiſtere & ſperari ſuum hæredem, æquiparantur.*
4 *Hæredibus ſuis facultas eſt nouo iure hæreditate abſtinendi.*
5 *Agnatus proximus quis?*

S*I nemo.*] Quocunque gradu. ¶ *Prætor vel Conſtitutiones vocant.*] Vocat Prætor emancipatos: Con- 1
ſtitutiones verò, eos, qui legitimis natalibus reſtituti ſunt, & nepotes ex filia, vti ſuperiori titu- 2
lo dictum eſt. ¶ *Exiſtat.*] Nec ſperetur exiſtere. Nam ſi vel naſci ſperaretur, vel de captiuitate re- 3
a L. 1. de ſui. & legi. uerti poteſt: agnati impediuntur, inquit Vlpianus[a]. ¶ *Qui ſucceſsionem.*] Id, quod attinet ad ſuos 4
hæredes, adiectum videtur ex nouo iure, quo tributa eſt ſuis hæredibus abſtinendi facultas: ijsque abſtinentibus perinde locus eſt agnatis, atq; ſi nemo prorſus extitiſſet ſuus hæres. ¶ *Ad agnatum* 5
b dic. l. 2. §. hæredit. *proximum.*] Inquit Vlpianus[b]: Hæreditas proximo agnato, id eſt, ei quẽ nemo antecedit, defertur.

§. *Sunt autem.*

1 *Tam conſanguineis hodie quàm vterinis fratribus præferuntur germani.*
2 *Filius fratris conceptus poſt mortem patrui, quo iure patruo ſuccedat?*
3 *Legis appellatione intelligi 12. Tabulas.*
4 *Ius agnationis per adoptionem quale?*
5 *Diuerſa §. huius in fine lectio.*

c dic. l. 2. §. 1. ¶ *Vt primo quoque libro tradidimus.*] In titulo De legitima agnatorum tutela. Vlpianus ait[c]; Agnatos eſſe cognatos virilis ſexus ab eodem ortos. ¶ *Nec requiritur, an etiam eandem matrem.*] Ho- 1
die tamen requiritur. Quia per Nouellam Iuſtiniani Conſtitutionem 118. conſanguineis tantùm, vel vterinis fratribus, præferuntur ij, qui ex vtroque parente coniuncti ſunt defuncto, quos germanos fratres dicimus.

¶ *Poſt mortem patris naſcuntur.*] Concepti tamen ſunt ante mortem eius, de cuius ſucceſsione agitur. Alioqui iura conſanguinitatis non nanciſcerentur. Vnde filius fratris, conceptus poſt mor- 2
tem patrui, nõ poſſet patruo ſuccedere ex ſuo capite: ſed ex beneficio noui iuris vtitur conditione ſui parentis, cuius perſonam referre poteſt, gradumque ſubire. ¶ *Dat lex.*] Legis appellatione in- 3
telligi 12. Tab. alio iam loco admonui.

d dic. l. 2. §. parui. ¶ *Per adoptionem quoque.*] Inquit Vlpianus[d]: Parui refert, agnatus hic natiuitate, an adoptione ſit quæſitus. Nam qui adoptatur, ijſdem fit agnatus, quibus pater ipſius fuit: & legitimam eorum 4
hæreditatem habebit, vel ipſi eius.

§. *Cæterum cum.*

1 *Longiſſimus ex quo ſucceditur gradus quis?*
2 *Media Iuriſprudentia cur maſculos fœminis prætulerit?*
3 *Iuſtinianus vbiq; fauit ſexui fœminino.*
4 *Quo exemplo maſculi fœminas excludant à ſucceſſione feudalium bonorum?*
5 *Mediam Iuriſprudentiã fuiſſe ante noſtros Iuriſconſultos.*
6 *Prætores veterem Iuriſprudentiam nõ tam correxerunt, quàm defectus ſuppleuerunt.*

¶ *Agnatos inter ſuos eſſe non dubitatur.*] Ita legitur in vetuſtis Codicibus, vt hic intelligatur agnatus eſſe

tus :ſſe inter alios agnatos. Vulgata exemplaria legunt, AGNATVS INTER SVOS HÆREDES ESSE NON DVBITATVR. Sed doctoribus non videtur hæc lectio genuina. Et in iure ciuili non temerè inuenias ſuos hæredes in alia ſignificatione quàm liberorum.

1 ¶ *Etiamſi longiſſimo gradu.*) Nempe decimo. Is enim eſt longiſſimus gradus, ex quo ſucceditur[a]. *a §. vlti. inf. de ſucc. cogn.*
Theophilus hîc ſolùm meminit ſeptimi gradus: ſed exempli gratia, non etiam quòd exiſtimaret
longiorem non eſſe gradum, ex quo ſuccedatur.

2 ¶ *Quia commodius videbatur.*] Multis id quidem certè nominibus. Primùm enim Reip. intereſt,
ordinum familiarumque dignitatem conſeruari[b]: Sed filia nupta in alienam tranſit familiam, *b L. 1. §. ſed etſi ſerum. de vent. inſpic.*
quaſi ſeorſum nata: vt non videatur ei tantum tribuendum, quantum maſculo, qui ſuæ columen
eſt familiæ, quique gentilitatis nomen & imagines retinet ac tuetur. Notum eſt illud Euripidis
in Iphigenia, στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες. [columnæ enim domus ſunt liberi maſculi.] Et quis
ignorat quanto amplius Reip. proſint maſculi, qui bella gerunt, ſacra faciunt, munera publica
obeunt? vt meritò dictum ſit à Luciano de conditione vitæ muliebris, ἀμείνων ἐστὶ πολὺ ὁ γυναι-
κεῖος, ἀπραγμονέστερος γάρ· καὶ δεσπόζουσι τῶν ἀνδρῶν αἱ γυναῖκες, καὶ οὔτε πολεμεῖν ἀνάγκη αὐταῖς, οὔτε παρ' ἐπάλ-
ξεσιν ἑστάναι, οὔτε ἐν ἐκκλησίᾳ διαφέρεσθαι, οὔτ' ἐν δικαστηρίοις ἐξετάζεσθαι [longè præſtabilior eſt fœminarum
ſtatus, vtpote tranquillior. Etenim & dominantur viris; & neque in militiam ire neceſſe ipſis eſt;
neque in propugnaculis conſiſtere; neque in curia contendere; neque iudiciorum quæſtionibus
occupari.] Quòd ſi tot nominibus durior & deterior eſt marium conditio, æquum videtur alijs
partibus meliorem eſſe debere: vt non omnino videatur iniquum ſexus diſcrimen. Nam & à no-
ſtris Iuriſconſultis reſponſum eſt[c]; In multis iuris partibus deteriorem eſſe fœminarum, quàm ma- *c L. in multis. de ſtatu homi.*
3 rium conditionem. Sed Iuſtinianus, magnus vbique fautor & patronus ſexus fœminini, non tu-
lit vnum in ſucceſsionibus diſcrimen ſexus: clamans id pugnare cum Natura, quę vtrunq; ſexum
pariter finxit humani generis cauſa[d]. Itaque in Nou. ſua Conſtitut. 21. damnat veterem quandam *d L. pen. & vlt. C. de legi. hæred. l. maximum vitium. C. de libe. præteri. §. ſed hæc quidē. ſupra, de exhære. lib. & in Nou. Conſtit. 18.*
Armeniæ conſuetudinem, qua maſculi fœminis præferebantur in ſucceſsione: vultq; ab Armenijs
quoq; hîc obſeruari æqualitatem vtriuſque ſexus: & ſancit, μηδεμίαν εἶναι διαφορὰν ἄῤῥενος τε καὶ θηλείας.
[nullam plane eſſe prærogatiuam maris præ fœmina.] Admittit tamen vetus illud diſcrimen, ſi a-
gatur de ijs prædijs, quæ appellantur γενεαρχικά, quæ princeps & author generis aſcripſit ſuæ fa-
4 miliæ. Quo ſanè exemplo nos hodie poterimus tueri conſuetudinem paſsim moribus receptam,
qua maſculi excludunt fœminas, ſi agatur de ſucceſsione feudalium prædiorum, quorum condi-
tio maximè videtur cōuenire maſculis: magis ſanè quàm fœminis ¶ *Simplicitatem Legibus amicam.*]
Sic paulò ante Iuſtinianus[e], Nobis (inquit) in legibus magis ſimplicitas quàm difficultas placet. *e §. ſed quia ſupra, de fideicom. hæred.*
¶ *Media autem Iuriſprudentia.*] Paulus lib. 4. Sentent. Tit. 8. meminit huiuſce Iuris Ciuilis: ſed
5 quod fuiſſe videtur ante noſtros Iuriſconſultos: Inquit enim, Fœminæ ad hæreditatem legitimas
vltra conſanguineas ſucceſsiones non admittuntur: idq; Iure Ciuili vel Voconia narratione vide-
tur effectum. ¶ *Corrigentes, ſiue quod deerat implentes.*] Theophilus videtur hîc quandam epanor-
6 thoſim intelligere, quaſi dictū ſit, CORRIGENTES VEL POTIVS SVPPLENTES. Nec eſſet ſanè o-
cioſa hæc epanorthoſis, quia Prętores non tam correxerint Iuriſprudentiam veterem, quàm addi-
derint quod ei deeſſe videbatur. Ea enim non omnino quidem repellebat cognatos expreſsis ver-
bis: ſed tantùm ſimpliciter vocabat agnatos. Neq; id correxit Prætor: ſed adiunxit cognatos, qui ſi-
lentio prætermiſsi, videbantur reiecti: quia nemo ab inteſtato ſuccedat, niſi cui id competere ma-
nifeſtè proditum eſt. ¶ *Noſtra Conſtitutione.*] Extat hæc Iuſtiniani Conſtitutio[f], ex qua deſcriptus *f L. pen. C. de legit. hæredib.*
eſt hic locus ad verbum: quod & ipſe Iuſtinianus disertè fatetur in alia quadā ſua Conſtitutione[g]. *g L. vlt. C. de legi. hæred.*

§. *Hoc etiam addendum.*

1 *Hodie cognata cum agnatis æquè ab inteſtato ſuccedunt, idq; non, vt olim, ad vnum ſolummodo gradum.*
2 *Vocabulum Germana cur pro ſorore hîc vſurpatum?*
3 *Frater ex vtroque parente an præferendus conſanguineo, & vterino?*
4 *Nouo iure fratris filij cum patruo in ſtirpes ſuccedentes ſummouent defuncti patruos & auunculos.*
5 *Inter propinquos vbi pares ſunt gradus, pares ſunt ſingulorum portiones.*
6 *Vnde orta ſit opinio, æquè in ſtirpes ſuccedere filios plurium fratrum, atq; nepotes ex pluribus filijs?*
7 *Beneficium repræſentationis in quos vſus quæſitum?*

1 ¶ *Vnus tantummodo gradus.*] Poſteriori iure non vnus tantùm gradus, ſed tota cognatio tranſ-
lata eſt in legitimam ſucceſsionem, ſublato prorſus omni diſcrimine agnationis, & cognationis,
vti apparet ex Nou. Conſtit. 118. ¶ *Germana conſanguinea.*] Hoc eſt, Sororis ex eodem ſolùm patre
natæ. Ne quis hîc temerè Germanam accipiat pro ſorore ex vtroq; parente iuncta. Nam obſtat ob-
2 iectio CONSANGVINEÆ. Nec aliud intelligit hac voce Iuſtinianus, quā nomine ſororis: ſed vt hîc
vitaret ταυτολογίαν, modò germanæ, modò ſororis nomine vſus eſt. Theophilus vtroq; loco vertit,
3 τῆς ἀδελφῆς. [ſororis.] Porrò ſi hîc Iuſtinianus eodem numero habet fratrem conſanguineum tan-
tùm, vel vterinum, eiúſve filios, quo fratrem ex vtroq; parente iunctum (vt certè non videntur ve-
teres vllum ſtatuiſſe diſcrimen) nihil agit. Etenim Nouella ſua Conſtitut. 118. tuetur ius & præ-
rogatiuam duplicis coniunctionis: vt fratres ex vtroque parente iuncti, imò & eorum filij, præ-
ferantur fratribus conſanguineis tantùm vel vterinis: quod & paulò antè dictū eſt, ſed dicendum

est sæpius, quandiu huic scenæ inseruimus. ¶ *Cæteri gradus remanent penitus semoti.*] Correctus est
hic locus per superiorem Nouellam Constitutionem 118. quæ non modò omnes cognatos admit- 4
tit æquè ac ipsos agnatos: sed fratris filios iuuat, vt parentis sui personam referentes, cum suo pa-
truo, ipsius scilicet defuncti fratre, succedant, quanquam in stirpes tantùm, non in capita. Ergo
per suos patruos, defuncti scilicet ipsius fratres, non summouentur omnino alterius fratris defun-
cti filij. parentis enim sui gradum locumque subeunt: & summouent patruos vel auunculos ipsius
defuncti, vt statuit Iustinianus in illa sua Constit. 118. ¶ *Non in stirpes, sed in capita.*] Constat inter 5
propinquos, vbi pares sunt gradus, pares esse singulorum portiones: vt inter patrueles ex pluribus
fratribus. Quod & Prudentes Romani [a], & Cæsares [b] ipsi non obscurè tradiderunt. At in gradibus
inferioris & superioris ordinis, non idem statutum est: quia nepotes ex pluribus filijs, auo succe-
dunt, non in capita, sed in stirpes, quemadmodum superiori titulo satis dictum est. Sed quia po- 6
steriori iure tributum est repræsentationis (vt ita loquar) beneficium filijs fratrum: vulgò credi-
tum est, ex eo consequi, æquè in stirpes succedere filios plurium fratrum, atque nepotes ex pluri-
bus filijs. Verùm vt taceam rationem ipsius inter eos discriminis, quam suprà tradidimus, temera-
rium videtur iuris veteris apertam definitionem velle nescio quibus coniecturis subuertere. cur
enim id non stabit, quod non apparet esse sublatum [c]? & qua tandem fronte coges filios fratrum
vti beneficio illo repræsentationis, quo non habent opus, quodque non est in hos vsus quæsitum. 7
Nam apertè Iustinianus ait, hoc esse datum, quando cum suis patruis vel auunculis vellent succe-
dere: quia nec aliter possent. Et paulò pòst adijcit; Non existentibus patruis simul cum filijs fratrũ,
omnino hæreditatem diuidi in capita, veluti inter solos fratrum filios pari eodemque gradu sub-
nixos. Ac vult quidem Iustinianus, vt suæ repræsentationis iure filij fratrũ excludere possint ipsius
defuncti patruum, qui alioqui in tertio similiter & eodem gradu est. Sed inde non consequitur
posse quoque vnum fratris filium in fraudem aliorum plurium alterius fratris filiorum, ijsque re-
clamantibus, obtendere ius repræsentationis, vt hæreditas diuidatur in stirpes, non in capita: cùm
hoc casu diuidendam esse in capita. veteres apertè tradiderint, & æquum sit, & Iustinianus aliud
non statuerit. Quare saniores videntur Græci interpretes, quibus in mentem non venit confictæ
illius correctionis commentum. Neque enim putauit Theophilus in patruelibus aliquid esse im-
mutatũ, nec etiam Harmenopulus, qui simpliciter lib. 5. tit. 8 tradit eos in capita, nõ in stirpes suc-
cedere. Quorum scripta magnifacio, quòd purè tractarint purã solidamq; Iurisprudentiam, quæ
aliorum postea commentis admodum fuit inquinata. Nec finis tamen futurus erat controuersię,
nisi Carolus V. Imp. vindicata & asserta Iuris Ciuilis aperta definitione, statuisset filios fratrum in-
ter sese partiri hæreditatem patrui, in capita, non in stirpes. Quod factum est in Comitijs Spirensi-
bus anno Domini 1529. Idq; etiam Centumuiralis Curia Parisiensis multis suis arestis (quæ & nu-
per Latinè edita sunt) confirmauit. Cæterùm etiam fuit in hoc genere alia quædam nobilissima
olim in Anglia quæstio: quæ vix tandem multis vtrinque illatis acceptisque cladibus dirimi po-
tuit; an qui patruum anteire vult per repręsentationem iure primogenituræ, idem vinci possit per
suam patruelem fœminam filiam eius, qui vtrunque ætate vinceret. Finge quatuor esse fratres,
Primum, Secundum, Tertium, Quartum. Primum mortuum relicta filia; Secundum sine liberis;
Tertium relicto filio; Quartum adhuc viuere. An ibi ius primogenituræ etiam in successione co-
gnatorum habeat locum; & si quæratur de successione Secundi intestatò & sine liberis mortui, an
filius Tertij præferatur suo patruo Quarto, repræsentando patrem suum Tertium, & idem tan-
quam masculis præferatur suæ patrueli filiæ Primi, quam in pari gradu existentem non patiatur
repræsentare patrem Primum. Hæc (inquam) maxima fuit quæstio in Anglia ante annos centum,
inter nobilissimas duas filias Regij sanguinis Lanclastriam, quæ rosæ rubræ, & Eboracensem, quæ
albæ insignibus vtebatur.

a L. 2. §. hereditas. de suis & legit. l. 5. ad fin. D. si pars hered. peta.
b L. pen. ad fi. C. de legit. hæredib.
c L. præcipimus. C. de appell.

§. Si plures.

1 *In Gallia sublato vsu repræsentationis, ad ius antiquum res redijt.*
2 *Proximus quis dicatur?*

¶ *Frater potior habetur.*] Iam sæpe dictum est, hoc esse correctum: quia etiam filij fratrum cum 1
fratribus succedant. quanquam hodie in Gallia moribus municipalibus res redisse videtur ad ius
antiquum, sublato repræsentationis vsu.
¶ *Tamen dubium non est.*] Nam & eadem Lex duodecim Tabularum introduxit Iudicium fa-
miliæ erciscundæ, quod non nisi inter plures hæredes locum habet. Sanè & alibi in iure, is dictus
est nouissimo loco mortuus, qui simul cum alio mortuus est [d]. quanquam fortassis id non suffe-
cerit conditioni fideicommissi [e]. ¶ *Nam & propriè proximus.*] Inquit Vlpianus [f]: Legitima hære-
ditas tantùm proximo defertur. nec interest, vnus solus sit, an ex duobus prior pluribúsve, an duo
pluresve ab eodem gradu venientes, qui vel cæteros antecedant, vel soli sint: quia is est proximus,
quem nemo antecedit, & is vltimus, quem nemo sequitur: & interdum idem primus postremus- 2
que, qui solus occurrit. Idẽ Vlpianus alio loco [g], Proximus (inquit) accipitur, etiam qui solus est:
quanuis propriè proximus ex pluribus dicatur. Sic & Licinius Ruffinus [h], Proximi (inquit) appel-
latione, etiam ille continetur, qui solus est.

d L. ex duobus. de vulga. & pup. l. qui duos. de reb. dub.
e L. cũ quis. D. ad Sen. Trebell.
f L. 2. §. legitima. de suis & legit.
g L. 1. § proximus. D. unde cogna.
h L. proximi. de ver. signifi.

§. Proxi-

§. *Proximus autem.*

1 *Proximitas usu tantùm ex mortis defuncti, sed & testamenti destituti tempore spectatur.*
2 *Emendata §. huius lectio.*
3 *Intestati qui?*

1 ¶ *Proximus autem.*]Inquit Vlpianus[a]; Proximom non eum quærimos, qui tunc fuit, cùm mo- *a dic. l. 2. §. proximũ.*
reretut paterfamiliàs, sed eum qui tunc fuit, cùm intestatum decesisse certum est. Secundum quę,
etsi suus erat, qui præcedebat, vel consanguineus, si nemo eotum cùm repudiatut hæreditas viuit;
proximum eum accipimus, qui tunc cum tepudiatut hæreditas, primus est. Deinde adijcit idem
Vlpianus (quæ pertinent ad locum sequentem) hæc verba: Vnde bellè quæri potest, an etiam post
repudiationem adhuc demus successionem. pone hæredem scriptum rogatum restituere hæredi-
tatem, repudiâsse eam: cùm nihilominus compelli potuit adire hæreditatem, & restituere, vt Di-
uus Pius rescripsit. Finge eum superuixisse ceotum diebus, verbi gratia, & interim ptoximum de-
cessisse: mox & eum, qui erat restituere rogatus. Dicendum est, posteriotem admitti cum onere fi-
2 deicommissi. ¶ *Tunc enim etiam proprie.*]Vulgata exemplaria legunt, TVM ENIM PROPRIE, sed
vetusti Codices adijciunt vocem, ETIAM quę certè (vt etiam indicat Æmilius) huic loco rectè qua-
3 drat. Nam & Vlpianus[b], intestati (ioquit) ptopriè appellantur, qui cùm possent testameotum fa- *b L. 1. de suis & legi.*
cere, testari noo suot. sed & is, qui testamentum fecit, si eius hæreditas noo est adita, non impro-
priè dicetur iotestatus decessisse.

§. *Placebat. cum §. sequenti finali.*

1 *Lege olim 12. Tab. non volente agnato proximo succedere, succedebat fiscus, quasi bonis vacantibus.*
2 *Successio in hoc §. siue successorium edictum quid?*
3 *Capita, Gradus, & Personæ hic quomodo distinguantur?*
4 *Succedere de capite in caput quid?*
5 *Succedere de gradu in gradum quid?*
6 *Qualitates & nomina hæredum dici hic personas.*
7 *Succedere in personam quid?*
8.9. *Successorij edicti & Iuris accrescendi discrimen.*
10 *Quid, si quis hæreditate, quam semel adierit, postea abstineat.*
11.12. *Si nepos ex filio patris hæreditatem non adeat, mater admittitur.*
13 *Spernere hæreditatem proprie quid?*
14.15. *Prætores ius L. XII. Tabul. quomodo imperfectè correxerint?*
16 *§. Huius beneficium hodie est inutile.*
17 *Vocabulo* Recluderė *Iustinianus abusus est.*
18 *Vbi est onus, ibi sit & commodum.*
19 *Patrem olim L. XII. Tabul. si contracta fiducia filiũ emancipâsset, ante agnatos successisse.*
20 *Diuersa hic lectio.*
21 *Contracta fiducia quid?*
22 *Pactum cum aliquo tertio de successione viuentis, quatenus prohibitum?*
23 *Hodie §. huius nullum esse vsum.*

1 ¶ *Placebat autem.*]Placuit certè id olim legi duodecim Tabularum: ex qua, si nollet succedere
agnatus proximus, vocabatur fiscus: quasi bona essent vacantia, vbi proximus agnatus hæres non
etat. Itaque non admittebantut alij sequentes. Vnde Vlpianus agens de Lege duodecim Tabu-
2 larum, ait[c]: Si suot consanguinei, licet non adierint hæreditatem, legitimis non defertur ¶ *Suc-* *c L. 2. de suis & legi.*
cessionem non esse.] Nec de capite in caput, nec de gradu in gradum. Successiooem autem, siue suc-
cessorium edictum, vbi de cognatis agitur, appellamus, cùm prioribus non succedeotibus, sequen
3 tes suo ordine succedunt. Hicq; oportet distinguete Capita, Gtadus, & Petsonas. Capita erant ipsi
ordines succedendi. Sic primũ caput etat Vnde liberi: secundũ Vnde agnati: tertiũ, Vnde cognati.
Gradus autem propriè appellamus (quanquã aliquãdo pto capite dicatur gradus[d]) ordiné ipsius
cõsanguinitatis in vnoquoq; capite. Vt io primo capite Vnde liberi, primo gtadu sunt filij, secun- *d L. 1. D. si tab. testa. nulla exta.*
4 do nepotes, tertio pronepotes. Iam successio siue successorium edictum dicitut de capite in caput,
5 cùm post liberos succedunt agnati. De gradu in gradum est successio, cùm proximo agnato non
adeunte hæreditatem, sequens admittitur, qui est secundo gradu. Interdum vtrunque coniungi-
6 mus; vt si, quia agnatus primi gradus hæres oon est, admittimus cognatum secundi gradus. Porrò
quòd attinet ad personas, propriè ita dicuntur variæ qualitates & nomina hęredum. Nam nec oo-
7 uum est, vt vnus vice plurium persooatum fungatur[e]. In ijs autem dicimus esse successioné, cùm *e L. si consilio de adop.*
quis vno capite exclusus, ex alio admittitur. Vt cùm filius, qui non successit ex capite Vnde liberi, *f L. 1. §. sed videndũ. de successo. edict.*
8 vult succedere ex capite Vnde agoari[f]. Quòd si non idem, sed alius quispiam sit hætes eiusdem or- *g L. vlt. C. vnde legit.*
dinis & gradus: noo erit locus successorio edicto, sed potius iuri acctescendi. Vt si quis decedat reli-
ctis duobus fratribus, quorũ vnus fiat hæres, alter postea tepudiet: hic qui hæres est, portionem re- *h L. vnica C. quando non peten. part.*
pudiatam consequetur, non ex successorio edicto, sed potius iure accrescendi. Cuius discriminis
9 non leue momentum est. Nam ex successorio edicto nemo inuitus venit ad hæreditatem: cùm ex *i L. ius nostrum. de reg. iur.*
eo bonorum possessio oon nisi petenti detur[g]. At ius accrescendi inuito etiam obuenit[h], ne quis *k L. 1. & 3. de acqui. hæred.*
pro parte tantùm testatus decedat[i]. Illa successio opus habet petitione, & noua quasi aditione: at
non portio accrescens. Satis enim est semel adijsse hæreditatem[k]. Denique illa non transit ad hæ- *l L. 1. § acquirere. de bon. poss.*
redem. Nam si qui successorio edicto vti poterat, nõ fit vsus: non poterit vti eius hæres[l]. At constat *m L. si ex pluribus. de suis & legi.*
ius accrescendi ad hæredem transire[m]. ¶ *Aut spreuerit.*]Hoc est, à principio tepudiârit. Alioqui nec

hodie ſucceſsio eſt. ſi quis hæreditate, quam ſemel adierit, poſtea abſtineat, fortè per reſtitutionem 10
in integrum, vel ſimile beneficium. Tum enim fiſcus vocatur, nec locus eſt inſequenti agnato [a]:
niſi ſanè vbi verba legis generaliter accepta, referri poſſent ad eũ quoq;, qui ex ſucceſſorio edicto
veniat. Hac enim ratione Vlpianus probat [b], ex ſenatuſconſulto Orphitiano adita matris hæredi-
tate, ſi quis poſtea abſtineat, agnatos ante fiſcũ admitti. Nempe quia verba Senatuſconſulti eiuſ-
modi ſint, vt etiam agnatos comprehendant. Idem fuerit, & ſi is qui ſecundo loco vult ſuccedere,
ordinario & generali iure ſoleat ſuccedere: nec niſi ſpeciali quodam priuilegio poſtponatur pric. i.
Nam eo abſtinente, hæreditas ad illum deuoluetur, ad quem ex regula communi peruenire de-
buerat. Exempli cauſa; in bonis liberti, patronus ius habet bonorum poſſeſsionis, ſed ſpecialiter
excluditur à filio. Si hic filius abſtineat, Patronus admittetur, tanquã remoto obicè [c]. Idem ſtatu- 11
endum & de matre [d], quæ ex Senatuſconſulto Tertylliano ſuccedit filio, ſolique nepoti poſtponi- 12
tur. ¶ *Hæreditatem.*] Iam ſcilicet delatam, & quam licebat adire. Neque enim aliter propriè ſper- 13
nere dicimur [e]. Vnde nemo exiſtimet hunc locum pugnare cum eo, quo paulo antè dictum eſt
etiam ex lege duodecim Tabularum, defuncto eo qui proximus erat, ſequentem proximum eſ-
ſe. Nam id dicitur, vbi ſpes eſt ſucceſsionis teſtamentariæ: qua durante non defertur ab inteſtato
hęreditas. Igitur vbi hæres ſcriptus repudiauit, proximus qui ſuccedit ab inteſtato, ſuo iure nititur,
non ſucceſſorio edicto. neque enim ſuccedit in locum alterius, cui fuerit prius delata hæreditas.

¶ *Aut antequam adeat, deceſſerit.*] Non habens cohęredem, cui deficientis portio accreſcat. Alio-
qui ſanè nec hodie ſucceſſorio edicto hic locus eſſet. ¶ *Imperfecto iure corrigentes.*] Quia ſcilicet ſe- 14
quentibus agnatis ſuccurrerint, vbi prior non eſſet hæres, non tamen eos vocabant vt agnatos, ſed
vt cognatos. Qua in re multùm intererat propter diſcrimen agnationis & cognationis. Et ſi quis
cognatus, quocunque gradu potuiſſet ſuccedere vt agnatus: ſummouebantur alij, etiamſi fuiſſent
gradu propinquiori. At cùm non niſi ex ordine cognatorum vocatur à Prætore, nihil habet ſupra
alios cognatos. Itaque Iuſtinianus, vt plenius ſuccurreret agnatis, ſtatuit, inter ipſos etiam agna- 15
tos eſſe locum ſucceſſorio edicto: & ſequentes agnatos poſt priorem admitti, vt agnatos. Sed cùm
hodie per Nouellam eius Conſtitut. 118. ſublatum ſit diſcrimen agnationis & cognationis: factum
eſt inutile hoc beneficium. Nam & parum iam intereſt, ex quo quis capite ſuccedat. ¶ *Recluſo.*] 16
Iuſtinianus hoc loco, & rurſus paulo pòſt, recluſum dixit pro occluſo. Sæpius tamen apud Latinos 17
contraria eſt huius vocis ſignificatio, & ſignificat patens & apertum. Sic dicitur apud Flaccum,
Ebrietas operta recludere. ¶ *Noſtra Conſtitutione.*] Non extat hæc Iuſtiniani de iure patronatus
Conſtitutio, cuius tamen frequens eſt in hiſce Inſtitutionibus mentio. ¶ *Cum in onere tutelarum.*]
Inquit Vlpianus [f]: Non tantùm morte, verum etiam capitis diminutione ſucceſsio debet in legi-
tima tutela admitti. Quare ſi proximior capite diminutus ſit: qui poſt eum eſt, ſuccedit in tutelæ
adminiſtratione. ¶ *Et quod in onere obtinebat.*] Cum tamen ſecundum naturam ſit; commodo cu- 18
iuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda [g]. ¶ *Ad legitimam ſucceſsionem.*] Ad tutelam 19
autem, etiamſi non expreſsim contracta fiducia pater filiũ emancipâſſet, olim vocabatur [h]. Quod
nos diligentius excuſsimus libro primo, agentes de legitima parentum tutela. ¶ *Nihilominus vo-
catur.*] Sententia huius loci eſt: Licet olim Lege duodecim Tabulatũ poſt ſuos ſuccederent agnati,
nihilominus tamen patrem, qui ſpecialiter contracta fiducia filium emancipârat, ante agnatos
ſucceſsiſſe. Vt dubiũ non ſit, quin hic locus affirmatiuè legendus ſit, QVI CONTRACTA FIDVCIA 20
&c. vti etiam apertè oſtendit paulo pòſt Iuſtinianus, & Græca Theophili verſio. Interim tamen fa-
teor, etiam olim parentem, qui non contracta expreſsim fiducia emanciparet, potuiſſe ſuccedere:
ſed id tantùm ęquitate iuris Honorarij, petendo bonorum poſſeſsionem [i], non autem Iure Ciuili.

¶ *Contracta fiducia.*] Hoc eſt, Expreſsim retinendo ius accreſcendi huic filio quem ea fiducia 21
emancipabat. Vnde apparet non eſſe improbatum pactum, quo tuemur ius noſtrum ſuccedendi:
etiamſi is de cuius ſucceſsione agitur, adhuc viuat. Sed pactum eiuſmodi, iuris acquirendi cauſa, 22
iure improbatum eſt [k]. Eſtque etiam prohibitum, cum aliquo tertio paciſci de ſucceſsione viuen-
tis, niſi is conſentiat, de cuius ſucceſsione agitur [l]. ¶ *Emancipat.*] De filiofa. hîc non quæritur, quia
non poterat habere hæredem. Et pater peculiũ eius occupabat iure quodam paterno, non autem
hæreditario nomine [m]. ¶ *Ex noſtra Conſtitutione.*] Extat adhuc hæc Iuſtiniani Conſtitutio [n]. Sed 23
totum eius beneficium inutile eſt, cùm per Nouellam Conſtitut. 118. longè melius conſultum ſit
parentibus, vt videlicet filijs ſuis inteſtatis poſt liberos ſuccedant, cum fratribus tamen defuncti,
fratrumque filijs, iuxta Nouellam Conſtitut. 127. Itaque etiam ſublatæ ſunt omnes ambages &
conditiones ſequentis tituli. quia omnimodo mater ſuccedit cum patre: paremque habet in hæ-
reditate filij portionem. Quod ne cui nouũ videatur, ſcribit Theon Sophiſta in ſuis Progymnaſ-
matibus, id olim ſanxiſſe Pittacum lata lege: Inquit enim: *φησὶ Πιττακὸς, νέμεσθαι πατέρα καὶ μητέρα τὴν ἴσην.* [inquit Pittacus; relictam à filio hæreditatem ex æquo patrem & matrem partiri atque
poſsidere].

a L. vlt. de ſucce. edic.
b L. 1. §. ſed ſi adita. D. ad Senat. Tertyll.
c L. etſi modica. §. pen. de bon. liber.
d L. 2. §. honorum. D. ad Tertyll.
e L. ſi qui heres. de acqui. hæred. l. delata. de verb. ſigni.
f L. 3. §. pen. de legi. tut.
g L. ſecundum naturam. de reg. iur.
h L. 3. §. vlti. de legi. tutor.
i L. 1. D. Si quis à par. manu.
k L. ſtipulatio hoc modo concepta. de verb. oblig.
l L. vlt. C. de pact.
m L. 2. de caſtren. pec.
n L. vlt. C. de emancip. libero.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Ius Quiritium Euripo quomodo ſimile?
2 Diſcrimen inter patrem & matrem in ſucceſsione defunctorum filiorum quomodo ſublatum?

QVOTIES

1 *QVOTIES Iuris Ciuilis iactationem variamq; vicissitudinem animo reputo, videre mihi videor quendam Euripum reciprocis irrequietisq; motibus huc & illuc fluctuantem. Habuit enim ius Quiritum suas æstuarias vices, plurimamq; mutationem. Quod vel ex repræsenti conijcere est. Primùm Lex duodecim Tabularum repulit omnino matrem à successione filij. Ius deinde Honorarium eam admisit post agnatos. Postea Constitutio Imperatoris Claudij, intestati sineq; liberis defuncti filij successionem, simpliciter detulit matri, si modò ea quatuor peperisset filios. Sed Senatusconsultum Tertyllianũ addidit quandam distinctionem, vt ingenuæ mulieri satis esset ius trium liberorum. Posteriores Constitutiones aliorum Principum aliquam hæreditatis portionem matri ademerunt: nempe trientem, qui dandus erat patruo defuncti, vel patrui filio. Sed alio nomine matri succurrerunt: quam iure triũ liberorum destitutam ita adiuuerunt, vt saltem consequeretur trientem. Iustiniano verò, qui semper admodum fauit mulieribus, id non fuit satis: sed primùm sustulit conditionem & ius trium aut quatuor liberorum [a]: Deinde alia Constitutione [b], matrem omnino prætulit patruo patruive filio, sine vlla trientis deminutione: imò & ipsi patri, nisi quòd ad vsumf. attinet. Deinde addidit, vt etiã cum fratribus defuncti vel vterinis vel consanguineis mater succederet: & tum divideretur in capita hæreditas. Sed si sorores solæ essent, cum quibus mater succederet; tum mater sola vnum semissem haberet, alterum sorores. Postremò autem sancitum est ius τῶν νεαρῶν, [Nouellarum,] quo recisis omnibus ambagibus, in vniuersum statuit Iustinianus, patri matriq; pariter deferri successionem intestatorum sine liberis decedentium: simulq; cum ijs admitti fratres sororesq; ex vtroq; parente, eorumq; fratrum filios in*
2 *locum suorum parentum successuros. Nec sanè debebat sublato agnationis & cognationis discrimine manere discrimen inter patrem & matrem; iniquumq; fuisset, matrem repelli, cùm cognati materni sanguinis admitterentur. Idq; etiam olim sensit Theon Sophista, qui in suis Progymnasmatibus ita ratiocinatur: εἰ τοὺς πρὸς μητρὸς, νόμος κληρονομεῖν καλεῖ, πολὺ πρότερον αὐτὴν τὴν μητέρα καλοίη. [Si cognatos maternæ lineæ vocat Lex ad hæreditatem, multo magis matrem ipsam vocauerit.]*

a L. 2. C. de in. libe. subla.
b L. vlt. C. de Senat. Tertyll.

3
De Senatusconsulto Tertylliano, Titulus III.

LEX duodecim Tabularum ita stricto iure vtebatur, & præponebat masculorum progeniem: & eos qui per fœminini sexus necessitudinem sibi iunguntur, adeò expellebat, vt ne quidem inter matrem & filium filiámve vltrò citroque hæreditatis capiendæ ius daret, nisi quòd Prętores ex proximitate cognatorum eas personas ad successionem, bonorum possessione VNDE COGNATI, accommodata vocabant. Sed hæ Iuris angustiæ postea emendatæ sunt. Et primus quidem Diuus Claudius matri ad solatium liberorum amissorum, legitimam eorum detulit hæreditatem. Posteà autem Senatusconsulto Tertylliano, quod Diui Adriani temporibus factum est plenissimè de tristi successione matri, non etiam auiæ, deferenda cautum
4 est: vt mater ingenua trium liberorum ius habens, libertina quatuor, ad bona filiorum filiarúmve admittatur intestatò mortuorũ, licet in potestate parentis sit: vt scilicet cùm alieno iuri subiecta est, iussu eius adeat hæreditatem, cuius iuri subiecta est. Præferuntur autem matri liberi defuncti, qui sui sunt, quíve suorum loco sunt, siue primi gradus, siue vlterioris. Sed & filiæ suæ mortuæ filius vel filia proponitur ex Constitutionibus matri defunctæ, id est, auiæ suæ. Patet verò vtriusq;, non etiam auus & proauus matri anteponitur, scilicet cùm inter eos solos de hæreditate agitur. Frater autẽ cõsanguineus tam filij quàm filiæ excludebat matrem: soror autem cõsanguinea pariter cum matre admittebatur: sed si fuerant frater & soror consanguinei, & mater liberis onerata, frater quidem matrem excludebat, communis autem erat hæreditas ex æquis partibus fratribus & sororibus.

Sed nos Constitutione, quam in Codice nostro nomine decorato posuimus, matri subueniendum esse existimauimus: respicientes ad naturam, & puerperium, & periculum & sæpe mortem ex hoc casu matribus illatam: ideoque impium esse credidimus, casum fortuitum in eius admitti detrimentũ: si enim ingenua ter, vel libertina quater non peperit, immeritò defraudabatur successione suorũ liberorũ. quid enim peccauit si non plures, sed paucos peperit? Et dedimus ius legitimũ plenum matribus (siue ingenuis siue libertinis) & si non ter enixæ fuerint vel quater, sed eum tantùm vel eam, qui quæve morte intercepti sunt, vt sic vocentur in liberorum suorum legitimam successionem.

Sed cùm anteà Constitutiones iura legitimæ successionis perscrutantes, partim matrem adiuuabant, partim eam prægrauabant, nec in solidum eam vocabant, sed in

quibusdam casibus tertiam ei partem abstrahentes, certis legitimis dabant personis, in alijs autem contrarium faciebant: nobis visum est recta & simplici via matrem omnibus personis legitimis anteponi, & sine vlla diminutione filiorum suorum successionem accipere: excepta fratris & sororis persona, siue consanguinei sint, siue sola cognationis iura habentes: vt quemadmodum eam toti alij ordini legitimo præposuimus, ita omnes fratres & sorores, siue legitimi sint, siue non, ad capiendas hæreditates simul vocemus: ita tamen, vt si quidē solæ sorores adgnatæ vel cognatæ, & mater defuncti vel defunctæ supersint: dimidiam quidem mater, alteram verò dimidiam partem omnes sorores habeant. Si verò matre superstite & fratre vel fratribus solis, vel etiam cum sororibus, siue legitima, siue sola cognationis iura habentibus, intestatus quis vel intestata moriatur, in capita distribuatur eius hæreditas.

Sed quemadmodum nos matribus prospeximus, ita eas oportet suæ soboli consulere: scituris eis, quòd si tutores liberis non petierint, vel in locum remoti vel excusati intra annum petere neglexerint: ab eorum impuberum morientium successione meritò repellentur.

Licet autem vulgò quæsitus sit filius filiáve, potest tamen ad bona eius mater ex Tertylliano Senatusconsulto admitti.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Lege XII. Tabularum nec mater filio, nec filius matri succedebat.*
2 *Vulgo quæsitos succedere matri, & matrem ipsis.*
3 *Ius quatuor liberorum, demum ad trium liberorum ius redactum esse.*
4 *S.C. Tertullianum quando & à quo sit introductum.*
5 *Tristis & luctuosa parentum successio quæ?*
6 *Auia quoque nepoti hodie succedit.*

V*ltro citroq;.*] Theophilus hæc verba interpretatur, quasi nec mater filio, nec filius matri succe- 1
deret. Inquit enim: ὅτι οὐδὲ μήτηρ τὸν υἱὸν, ἢ τὴν θυγατέρα ἀδιαθέτους τελευτῶντας διεδέχετο, οὐδὲ μὴν
ὑπ' αὐτῶν ἐκληρονομεῖτο. Atque ita etiam scriptum est in fragmentis, quæ nunc edita sunt Vlpiani titulo. Vide quæ dixi ad 28. cap. 12. Tab. sub finem. Nam eadē pluribus locis inculcare, quid attinet?
Quam vicissitudinem καὶ ἀμοιβὴν probat Iustinianus in Nouella sua Constit. 89. ad finem. ¶ *Nisi*
quod prætores.] Inquit Caius [a] loquens de bonorum possessione Vnde cognati: Hac parte Proconsul naturali æquitate motus, omnibus cognatis permittit bonorum possessionem, quos sangui-
nis ratio vocat ad hæreditatem, licet Iure Ciuili deficiant. Itaque etiam vulgò quęsiti liberi ma- 2
tris, & mater talium liberorum, item ipsi fratres inter se, ex hac parte bonorum possessionem petere possunt: quia sunt inuicem sibi cognati. vsque adeò, vt prægnans quoque manumissa, si pepe-
rit: & is, qui natus est, matri, & mater ipsi, & inter se quoq;, qui nascuntur, cognati sint. ¶ *Primus* 3
quidem Diuus Claudius.] Scribit Suetonius, Claudiū Cæsarem constituisse fœminis ius quatuor liberûm: quod scilicet satis esset, vt filijs intestatis succederent. Id verò postea Senatusconsulto Tertylliano perfectius est constitutum: nempe vt ingenuæ mulieri satis esset ius trium liberorum. ¶ *Diui* 4
Adriani temporibus.] Annis plus centum post Constitutionem Claudij. Nam Tyberius Claudius Cæsar cœpit imperare anno Christi 16. Adrianus verò anno 120. Quod ad Tertyllum siue Tertullum attinet, vix certò possumus definire quis fuerit. Vlpianus meminit cuiusdam rescripti Imperatoris sui ad Ouinium Tertullum [b]. Cassiodorus meminit Tertulli Consulis. Notus est etiam Orator ille Tertullus, qui Paulum Apostolū accusat, Act. 24. Nec est ignotus Iurisconsultus Tertullianus, quem Iustinianus vocat interpretem Iuris antiqui [c]: traditurque scripsisse libros Quæstionum quatuor, & vnum de Castrensi peculio. Rutilius putat ad huius relationem factum Senatusconsultum, de quo hic agitur. Et addit quosdam existimare eum esse Tertullianū, qui postea Christianus factus est, multosque reliquit de religione libros. ¶ *De tristi successione.*] Alio lo- 5
co dicitur luctuosa hæreditas, quę parentibus obuenit [d], turbato scilicet mortalitatis ordine [e]: cùm illum, quod communi voto parentū & naturæ tribui debebat, hoc parentes à filijs accipiunt. tristi rerum conuersione. Vnde est illa Hieronymi ad Heliodorum querela de morte Nepotiani: En rerum in nobis ordo mutatus est, & in calamitatem nostram perdidit sua iura Natura. Atq; hinc dictum est, huiusce miserationis causa parentes admitti ad liberorum successionem [f]. Nempe (inquit Tullius pro Quintio) æquum est, vt ad quem summus mœror ex morte alterius venit, ad eundem summus honos quoq; perueniat. Certè Plinius secundus in Panegyrico scribens, Traianum piè remisisse parentibus succedentibus tributum illud Vicesimæ, addit rationes, quæ huc trahi possunt, inquiens: Ne eodē momento, quo pater esse desijt, hoc quoque amittat, quod fuit. Egregiè Cæsar, quòd lachrymas parentum vectigales esse non pateris. Bona filij pater sine diminutione accipiat: nec socium hæreditatis accipiat, qui non habet luctus. Dignum Imperator mansuetudine tua, minuere orbitatis iniurias, nec pati quenquam filio amisso insuper affici alio dolore. Sic quoque abundè misera res est; Pater filio solus hæres.

a L. 2. D. Vnde cogna.

b L. 1. §. 2. D. ad Senat. Tertyll.

c L. vlt. C. de curat. fur.

d L. vlt. C. de instit. & substi.

e L. nam & si parentib. de inoff. testam.

f L. scripto. §. non sic parentib. D. Vnde lib.

Non etiam

6 ¶ *Non etiam auia.*] Nouella Iustiniani Constitutio 118. plenissimè quoque auiæ prospicit, vt
scilicet suo ordine succedat, hoc est, post parentes primi gradus. ¶ *Vt mater ingenua.*] Hanc distin-
ctionem non temerè alibi reperias. Vlpianus confusè respondit [a], Matrem, siue ingenua sit, siue li- *a L.2.D.ad Sen. Tert.*
bertina, habere Tertylliani commodum. ¶ *Trium liberorum ius*] De hoc iure memini nos aliquid
suprà dixisse libro primo, cùm ageretur de Excusationibus tutorum. ¶ *Licet in potestate.*] Inquit
Paulus [b]: Filij mater ex hoc Senatusconsulto, etiam si in aliena potestate sit, ad hæreditatem ad- *b L.filij.D.ad Senat. Tertyll.*
mittitur.

§. *Præferuntur.*

1 Filij defuncti obstant matri eius.
2 Quid, si quis matrem, & filiam in adoptionem legitimè datam, reliquerit?
3.5 Pater in successione filij excludebat matrem.
4 Patrem adoptiuum matri non obesse.
6 Auus patri & matri quomodo in successione nepotis præferebatur?
7 Soror sola admittebat matrem in filij successione, fratri iuncta eam excludebat.
8 Mater liberis onerata. i. ius 3. vel 4. liberorũ habens.

1 ¶ *Præferuntur autem.*] Inquit Vlpianus [c]: Liberi defuncti sui quidem obstabunt matri eius, *c L.2.§.liberi, D.illo tit.*
tam virilis sexus quàm fœminini: tam naturales quàm adoptiui: matremq; eius excludent bono-
rum possessione etiam non sui. Interim autem hic meminisse debemus, si quis decesserit relicta fi-
2 lia, quam in adoptionem legitimè dederat, relicta & matre: Diuum Pium rescripsisse [d], cessare Se- *d d.L.2.§. sed si quis.*
natusconsultum Tertyllianum, & simul matrem & filiam esse admittendas ad bonorum posses-
sionem Vnde proximi cognati. ¶ *Pater verò.*] Inquit Vlpianus [e]: Obijcitur matri pater in vtrius- *e d.l.2.§.obijcitur.*
3 que bonis tam filij quàm filiæ: siue hæres, siue bonorum possessor existat. Pater autem tantùm na-
turalis, non etiam adoptiuus, matri nocet. verius enim est, cùm pater esse desierit, à matre eum ex-
4 cludi. Rectè itaque & Modestinus respondit [f]; Patrem adoptiuum matri non obesse. Cæterùm de *f L.patrem.D.illo tit.*
filijs aliud statutum est. Nam ait Paulus [g], æquissimum esse omnes filios matri præferri, etiamsi per *g L. æquissimum. D. illo tit.*
adoptionem in familia relicti sint. Sed & nepotem & adoptiuo filio natum matri obstare ex ver-
bis Senatusconsulti. ¶ *Non etiam auus.*] Inquit Vlpianus [h]: Sed neque auus, neq; proauus in Ter- *h d.l.2.§.sed neque.*
tylliano, matri nocent, quamuis fiduciam contraxerint. ¶ *Matri anteponitur.*] Non quidem ex
5 Senatusconsulto Tertylliano [i], sed iure contractæ fiduciæ in emancipatione. Hîc autem agi de suc- *i L.2.C.ad Sen. Tert.*
cessione filij emancipati constat. Nam filiusfam. non habet hæredem, sed omnia eius bona iure pe-
culij occupantur per eum, in cuius est potestate [k]. ¶ *Scilicet cùm inter eos solos.*] Hoc est, duntaxat *k L.pater qui castrense de castren.pec.*
6 inter defuncti patrem & matrem. Nam si accedat auus idemque manumissor, omnibus præfere-
tur: patri quidem propter beneficium emancipationis: matri verò, quia ipsa sit in ea specie, in qua
alioqui cedere debeat, nempe ipsi patri: à quo semel superata, non potest amplius committi auo.
Rectè itaque Paulus ait [l]: Si ex filio nepotem auus manumiserit, isque patre, auo, & matre super- *l L. æquissimum.§.1. D.ad Sen. Tert.*
stitibus decesserit: potest quæri, quis potior esse debeat: Nam si mater excluserit auum manumis-
sorem, qui patri anteponitur, edicto Prætoris inducetur pater defuncti. quo admisso desinet Se-
natusconsulto locus esse, & rursus auus vocabitur. Itaque rectius est auo ius suum conseruare, qui
& contra scriptos hæredes bonorum possessionem accipere solet. Sed & si nepos ab auo manumis-
sus dederit se arrogandum patri suo: respondit Vlpianus [m]; Siue manens in potestate patris deces- *m L.1.§.nepos. D.si à paren.quis ma.fue.*
serit, siue manumissus diem suum obeat: solum admitti auum ad eius successionem ex interpreta-
tione edicti: quia perinde defert Prætor bonorum possessionem, atque si ex seruitute manumissus
esset. ¶ *Frater autem.*] Totum hunc locum apertè explicat Iustinianus in Nouella sua Constit. 22.
sub finem, & sententiam Senatusconsulti, de qua hîc agitur, refert his verbis: *ἐπειδὴ δὲ ἡ μήτηρ ἐξε-
κλείετο μὲν ὑπὸ τοῦ παιδὸς ἄῤῥενος, τοῦτο ποιοῦντος δόγματος, ὅπερ τερτυλλιάνειον καλοῦσι, θυγατράσι δὲ συνεκα-
λεῖτο.* [quoniam mater excludebatur quidẽ à filio masculo, faciente hoc Senatusconsulto quod
7 Tertullianum vocant, cum filiabus verò admittebatur.] ¶ *Sed si fuerant.*] Sola soror sociã in suc-
cessione habebat matrem: sed iuncta fratri, eam summouebat: non quidem suo iure, sed fratris cui
adhæret, & à quo matrem excludi iam dictum est nec tamen ad eum totus as defertur, sed portio-
nem æquam habet soror. Itaque emolumentum iuris fraterni erat commune sorori. Nec dissimi-
le est illud alio loco relatum, Quòd si quis turpem personam instituerit, exhæredato vel præterito
fratre fratrisque filio: huic fratris filio non competere inofficiosi querelam, vbi solus esset: at pro-
pter societatem sui patrui, qui frater est defuncti, testamentumque vt inofficiosum rescindere po-
test, sentiet, rescisso ab eo testamento, emolumentum alieni iuris, nempe cum patruo ab intestato
8 successurus. ¶ *Mater liberis onerata.*] Hoc est, ius trium vel quatuor liberorum habens. quo si fuisset
destituta, nulla dubitatio erat, eã cum alijs cõsanguineis non admitti, quæ nec sola fuisset admissa.

§. *Sed nos. cum §§. sequentib.*

1 Claudij C. Constitutionem, & Senatusconsultum de numero liberorum, quomodo emendarit Iustinia.
2 Matri liberi plus cur debeant quàm patri?
3 Constantini Imp. Constitutio de successione matrum in relicta hæreditate parentum.
4 Ius Nouellarũ de successione matrũ in bonis filiorũ.

5 *Hodie parentes cum fratribus sororibusq́; æqualiter succedunt.*
6 *Iustinianus matrem omnibus agnatis præfert, exceptis fratribus, & sororibus, & fratrum filijs.*
7 *De Constit. 118. & 127.*
8 *Huius §. dispositio iure Nouellarum vt sit correcta?*
9 *Non plus tribuitur matri cum solis sororibus, quàm cum fratribus succedenti.*
10 *Matrem, nuptias iterantem, partis suæ quam in filij sui intestati hæreditate nacta est cum fratribus, amittere proprietatem.*
11 *Frater sororem, in successione fratris sororísve intestata, quid iuuet?*
12 *Ex alterius societate mutari successionem.*
13. 15 *Mater aut auia nõ petentes liberis siue nepotibus suis tutores idoneos, à legitima eorum successione repelluntur.*
14 *Nõ petentes tutores liberis nonnunquã excusantur.*
16 *Matrem, sobolem suam negligentem, non excusat iuris ignorantia.*
17 *Tutorem suspectum deferre mater non tenetur.*
18 *Vbi verba deficiunt, sententia tamen legum admittenda est.*
19 *Ad petendum tutorẽ quantum matri tẽporis detur?*
20 *Matrem ob non petitum impuberi filio tutorẽ etiam à successione pupillaris substitutionis repelli.*
21 *Spurio intestato decedenti cur mater solùm, non etiam agnati succedant?*

a L. 2. C. de iure deli.

¶ *Sed nos Constitutione.*]Extat hæc Iustiniani Constitutio in eius Codice his verbis[a]: Illam iniuriam, quæ contra matrem defuncti vel defunctæ præteritis fiebat temporibus, pro iustitię ratione amputamus, & legitima iura, quæ ex Tertylliano Senatusconsulto ei præstantur, omni modo eam habere sancimus, licet tres liberos ingenua, vel libertina quatuor minimè pepererit. Hic ergo 1
primùm Iustinianus tollit veterem Claudij Cæsaris Constitutionem, itemque Senatuscõsultum de numero liberorum. Quod verò attinet ad correctionem aliarum partium, de quibus proximè dictum est, suo deinde ordine eam refert. ¶ *Respicientes ad naturam, & puerperium, & periculum.*]Iustinianus semper admodum misertus est fœminini sexus. Et quis (inquit[b]) mulierum non misereatur, propter partus periculum, & liberorum procreationem? Quinimo hoc nomine matrem patri præfert, illíque quàm huic, plus à filijs deberi scribit. Sic enim ait in Nouella sua Constit. 162. 2
ad finem: *δεῖ μητέρα πλείονος ἀξιῶσαι σπουδῆς, τήν τε ὠδινήσασαν, καὶ τεκοῦσαν, καὶ θρέψασαν, ὑπὲρ τὸν τῆς ἡδονῆς πάρεργον τὴν τοῦ παιδὸς ποιησάμενον γένεσιν.* [oportet matrem dignari maiori studio; vt quæ & parturierit, & pepererit, & nutrierit; quàm eum qui succisiuam operam dans amori soboli generãdæ præbuerit originem.] Idque etiam olim responsum fuisse ab Iphicrate Atheniẽsi memoriæ proditum est. ¶ *Et sæpe mortem.*]Huius rei tristia exempla quotidiana sunt. Quòd si quando patres quoque ipsos in procreanda sobole mortuos legimus, vt Plinius refert Cornelium Gallum Prætorium, & T. Æthetium Equitem Romanum, in venere mortuos; id fortasse magis imputandum est eorum libidini & salacitati, quàm honesto prolis desiderio. ¶ *Sed cum antea Constitutiones.*] Non extant in Iustiniani Codice hæ Constitutiones, sed in Codice Theodosiano: cuius lib. 5. titulo primo, refertur quædam Cõstãntini Constitutio, qua matri ius trium liberorum non habenti nõ nisi vnus 3
triens datur, reliquo besse relicto defuncti patruo, eiúsve filio: sed ius liberorũ habẽtibus bes datur, patruo verò eiúsve filio triens. ac mirũ est Constantinũ hîc tantopere desideràsse ius liberorũ, qui aliquando noluit tantopere id haberi in precio. Cùm enim quædã vetustę leges arcerent à parentum successione mulieres, quæ liberos non habebant, iudicauit admodum iniquas esse leges: easque etiam sustulit. Sic enim in eius vita scribit Eusebius: *τοὺς ἀπαιδίας παλαιὸς νόμος στερίσκει τῆς τῶν γνησίων διαδοχῆς ἐπιμεμφόμενος, καὶ ἦν οὗτος κατὰ τῶν ἀτέκνων ἀπηνὴς νόμος ὡσανεὶ πλημμελοῦντας αὐτοὺς ζημίᾳ κολάζων· λύσας δὴ συγχωρεῖ κληρονομεῖν τοὺς προσήκοντας τοῦτο βασιλεὺς ἐπὶ τὸ ὅσιον μεθήρμοζε, τοὺς κατὰ γνώμην πλημμελοῦντας εἰπὼν, τῇ προσηκούσῃ δίκῃ σωφρονίζειν κολάσει: ἀπαιδίας μὲν πολλοὺς ἡ φύσις ἀπέδειξεν.* &c. [steriles antiquo iure succedere parentibus prohibebãtur. rigida lege istud, ac si grauius aliquid commisissent. Hac sublata ad hæreditatem quos oporteret vocauit: Ius ciuile ita corrigens, vt, qui consulto deliquisset, non innocentia, puniretur: Etenim multas natura steriles fecit.]& paulò pòst, *τοὺς μὲν οὖν ἀσθενείᾳ φύσεως, παίδων ἐπιθυμίας στερουμένους, ἐλεεῖσθαι, ἀλλ' οὐ τιμωρεῖσθαι προσήκει.* [imbecilla sanè natura, si qui desiderio procreandæ sobolis non reneantur, deploranda, non opprimenda est.]

c L. vl. C. ad Se. Ter.

¶ *Nobis visum est.*]Extat hac de re Constitutio Iustiniani[c]: quæ etiam apertè patruum eiúsve filium matri postponit, vt ea superstite prorsus summoueatur. & quod attinet ad hæreditatem in 4
capita diuidendam inter matrem, fratres, simulque sorores: id confirmat in Nouella sua Constitu. 22. sub finem. Sic enim de matre loquitur: *ἡμεῖς οὐκ ἐπιζητοῦντες τὸ τῶν παίδων δίκαιον, ἀλλ' αὐτόθεν αὐτῇ τὰ νόμιμα δίκαια δόντες, ἐκαλέσαμεν αὐτὴν καὶ μετὰ τῶν ἀρρένων ἀδελφῶν τοῦ τελευτήσαντος, κατὰ τοσοῦτον, καθ' ὅσον ἀριθμὸν ἐν παισὶν εἰσιν: ὥστε καὶ αὐτὴν μοῖραν ἔχειν τοσαύτην, ὅσην ἕκαστος τῶν ἀδελφῶν, καὶ εἰ ἀναμὶξ ἄρρενές τε καὶ θήλειαι καθεστήκοιεν. ταυτὸ τοῦτο διατυπώσαντες.* [nos non ius filiorum inquirentes, sed nostra sponte ei legitima assignãtes iura, vocauimus ipsam etiam vnà cum defuncti masculis fratribus, pro filiorum numero, vt & ipsa tantam partem habeat, quantam vnusquisque ex fratribus, &, si permistim masculi simul & fœminæ existant, idem hoc statuentes.] Ego verba Nouellarum Constitutionum eo diligentius describo, quo minus obuia sunt, aut vulgò nota, cùm tamen non rarò multa & breuius & apertius & certius explicent. Atque vtinam instructa literis iuuentus Græcanicam illam iurisprudentiam, non satis prudenter hactenus neglectam, sedulò coleret & excureret. ¶ *Omnibus personis legitimis.*]Hoc est, cognatis, atq; adeò ipsi patri, saltem vbi is iure patriæ potestatis vsumfructum habet. Tum enim mater portionis suæ legitimæ certam habet proprietatem. Alioqui v-

d L. vl. C. ad Se. Ter.

sumfr. semissis solùm habent pater & mater æquo iure[d]. Sed hodie per Nouellam Constitut. 118. 5
parentes cum fratribus sororibusque æqualiter succedunt.

¶ *Excepta*

6 ¶ *Excepta fratris vel ſororis perſona.*] Nos prætereà ex nouo iure poſſumus huic exceptioni adij-
cere, & fratrum filios, quos cum parentibus fratribusque defuncti admitti ſanxit Nouella Iuſti-
niani Conſtit.127. Verùm hîc annotare ſubit, temerè & perperam id ipſum neſcio quo modo eſſe
7 aſſutum Nouellę Conſtitutioni 118. cùm tamē in ea Iuſtinianus id apertè denegâſſet fratrum filijs.
quod & ipſe fatetur in illa Conſtit.127. vbi id corrigit. Ac ne dubitemus de ea poſteriori Conſtitu-
tione 127. quòd deſideretur adhuc in Græco exemplari, facit Harmenopulus, qui eius ſententiam,
ijs quibus ſcripta fuit, verbis bona fide refert, lib.5. iuris ἐπιτομῶν, titulo octauo. Nec ſanè poteſt o-
mnino noua videri huius rei ratio. Nam ſi veteres Conſtitutiones cum matre etiam admittebant
filios patrui, cur non admittebant & fratrum filios? ¶ *Siue conſanguinei.*] Hæc cum parentibus ſuc-
8 cedendi facultas omnib. omnino fratribus promiſcuè tributa, poſtea eſt à Iuſtiniano ſublata. Eos
enim ſolos fratres vel ſorores cum parentibus admitti ſanxit, qui eſſent ex vtroq; parente coniun-
cti defuncto, hoc eſt, & conſanguinei, & ſimul vterini. Sic enim loquitur in Nouella ſua Conſtit.
118. *εἰ μετὰ τῶν ἀνιόντων εὑρεθῶσιν ἢ ἀδελφοὶ ἢ ἀδελφαὶ ἐξ ἑκατέρων γονέων συναπτόμενοι τῷ τελευτήσαντι, μετὰ τῶν
ἐγγυτέρων τῷ βαθμῷ ἀνιόντων κληθήσονται.* [ſi cum aſcendentibus inueniantur fratres aut ſorores ex v-
triuque parentibus coniuncti defuncto, cum proximis gradu aſcendentibus vocabuntur.] Tanti-
que fecit Iuſtinianus eiuſmodi duplicem coniunctionem, vt etiam eius nomine fratrem fratri
præponeretit: imò & filios fratris germani, fratri conſanguineo tantū vel vterino. ¶ *Ita tamen.*] Hoc
dictum mē fatetur Iuſtinia. in ſua Conſt.[a] petitū eſſe ex veterib. Legibus. In Nou. verò ſua Conſt.22. id *a dict. l. vlt.*
tribuit Senatuſconſulto Tertyll. quod neſcio an poſsit aliunde probari. Sed vtut ſit, illud certū eſt,
9 hāc exceptionē à Iuſtin. ſemel probatā, & hoc ruſus loco repetitā, poſteà ab eodē ſublatā eſſe: vt nō
plus tribueretur matri cū ſororib. ſolis ſuccedenti, atq; cū fratribus. Verba Iuſtiniani ſunt hæc, *ὅπερ
δὲ εἰ μὴ πρότερον ἐπανωρθώσαμεν, νῦν ἄγομεν ἐπὶ τὴν προσήκουσαν διόρθωσιν, καὶ ἐπὶ τούτου τοῦ θέματος καλοῦντες μη-
τέρα πρὸς ἀναλογίαν τῶν παίδων, ὥστε ὅσον ἑκάστη τῶν θυγατέρων ἔχει, τοσοῦτον καὶ αὐτὴν κομίζεσθαι, καὶ ἐπὶ παντὸς θέ-
ματος εἰς τοῦτο φερομένου, ἐν τῇ τοῦ ἀνδρὸς μοίρᾳ (τοῦτο δὴ τὸ τοῦ νόμου) καὶ ἡ μήτηρ ἀφικνείσθω, εἴτε μόνοι καταλείποιντο
ἄῤῥενες, εἴτε μόναι θήλειαι, εἴτε καὶ ἀναμὶξ ἑκατέρα γονή.* [quod quoniam non primitus correximus, modò
deducimus ad competentem correctionem, & in iſto caſu vocantes matrem pro rata liberorum,
vt quantum quæque filiarum habet, tantum & ipſa accipiat. Et in omni caſu qui huc pertinet in
virilem portionem (quo ſcilicet modo lex appellat) etiam mater veniat, ſiue ſoli maſculi exiſtant,
ſiue ſolæ fœminæ, ſiue mixtim vterque ſexus.] Eadem Conſtitutione Iuſtinianus ſancit, matrem
10 quæ ſecundo nubit, portionis ſuæ, quam in filij inteſtati hæreditate nanciſcitur cum fratribus fra-
trumque filijs ſuccedens, perdere proprietatem, ſolumque retinere vſumfr. ¶ *Et fratre.*] Ergo hu
11 ius acceſsio poteſt iuuare ſororem: vt quæ cum alia ſorore ſuccedens non niſi quadrantem erat ha-
bitura, cum fratre habet trientem. Nec nouum eſt, vt quis ex ſocietate alterius conſequatur, quod
alioqui habiturus non erat[b]. huiusque rei tria hoc titulo exempla propoſita ſunt. Et ne miremur, *b L. cum vnus. de bo. aut. iud. poſſ.*
12 olim ex alterius acceſsione & ſocietate mutatam rationem ſucceſsionis, hodie adhuc ex Nouella
Conſtitut.118. idem deprehendas. Nam ſi ſoli ſint parentes, ſic diuidimus hæreditatem, vt materni
ſemiſſem, paterni alterum ſemiſſem habeant, nec numerentur capita. Sed vbi cum parentibus fra
ter eſt vel ſoror: iam hæreditas æqualiter in capita diuiditur.
¶ *Ita eas oportet.*] Nempe matres. Quod & ad auias extenſum eſt: vt ſi nepotibus non petierint
13 tutores, indignæ iudicentur eorum ſucceſsione[c]. Idque in vniuerſum conſtitutum fuit à Theodo- *c L.2. §. & quid. D. ad Sena. Tertyll.*
ſio & Valent.[d] de ijs omnibus, qui pupilli ſucceſsionem legitimam ſperarit. Liberti quoque, vt
idem curarent, veteres voluêre: & ſi id facere contempſiſſent, conſtituerunt, à Præſide puniendos[e] *d L. ſciant. C. de legi. her.*
14 eſſe. ¶ *Suæ ſoboli conſulere.*] Ergo & ſi ei conſuleret non petendo tutorem, excuſabitur: veluti ſi id
faciat, vt ad tempus aliquod retundat differatque vim & impetum ingruentium creditorum, qui *e L.2. §. ſunt autem. D. qui petunt tut.*
aduerſus indefenſum pupillum non poſſunt agere. Rectè itaque Vlpianus[f], Ergo (inquit) ſi ma- *f d. l. 2. §. ergo etiam.*
ter ei, qui ſoluendo non erat, non petierit tutorem: puto ignoſcendum. Conſuluit enim ei, vt mi-
nus inquietetur, quaſi indefenſus. Cumque amplum legatum ſub hac conditione eſſet pupillo re-
lictum, Si tutores non habuerit; & proptereà ei mater non petit: putauit idem Vlpian. Conſtitu-
tionem ceſſare, & pœnam, ſi damnum minus ſit cumulo legati[g]. ¶ *Tutores.*] Vel curatores, ſi quan *g dict. l. 2. §. tractari.*
do ijs opus habuerint impuberes[h]. Tutores autem intelligimus, idoneos. Quod alibi disertè ex- *h dict. l. 2. §. quid ſi curatores. & l. 1. D. qui pet. tut.*
preſſum[i] eſt: hic autem omiſſum, quia ſemper id nihilominus ſatis intelligatur[k]. Ergo (inquit
15 Modeſtinus[l]) mater expellitur legitima filij hæreditate, cui non petijt tutorem, vel ſtudio malum
petijt, vel, eo quem bona fide petierat dimiſſo, alium non petijt. ¶ *Liberis.*] Vel etiam naturali- *i L. 2. §. ſi mater. l. 3. D. qui pet. tuto.*
bus tantùm nec legitimis: quorum ſucceſsionem legitimam matribus deberi paulò pōſt docet Iu- *k L. vt gradatim. §. 4. de mune. & hon.*
ſtinianus: ſed nos matrem dicimus indignam, quæ ſoboli ſuæ non cōſuluit: nec vllam hic ferimus
16 ignorantiam iuris: nam nec id ignorari patitur ſtimulus naturalis pietatis, *καὶ τῆς στοργῆς*. Idq; disertè *l L.2. §. ſunt aut. D. qui pet. tut.*
reſcriptum eſt à Zenone[m]. ¶ *Non petierint.*] Vel petitos datoſque tutores non compulerint ſeſe
immiſcere tutelæ. Ita enim plenum officium à matre deſideramus, inquit Vlpianus, vt nihil videa *m L. vl. C. qui pe. tut.*
tur egiſſe petendo, niſi curarit, vt ij, quos petierit, adminiſtrationem ſuſcipiant. ¶ *Velim locum re-*
17 *moti.*] Suſpectum autem remouere, aut deferre, non tenetur mulier. Sic enim reſpondit Tripho-
ninus[n]: Quæ ſuſpectum tutorem non fecit, nec verbis, nec ſententia Conſtitutionis in pœnam in- *n L. vl. C. qui pe. tut.*
cidit; quia eiuſmodi facta dijudicare & æſtimare, virilis animi eſt; & poteſt etiam delicta ignora-
18 re mater. ¶ *Vel excuſati.*] Vel etiam defuncti. Nam quamuis hic verba deficiant, ſententiam ta- *o L.2. §. quid ſi deceſſerint D. ad Sen. Tert.*
men Conſtitutionis locum habere tradidit Vlpianus[o].
¶ *Intra annum.*] In epiſtola Seueri eſt, CONFESTIM[p]. Idq; interpretatur Vlpianus[a] ſic accipien- *p L. 3. D. qui pet. tut.*
dum, vbi *a d. l. 2. §. confeſtim.*

dum, vbi primùm Prætoris copiam habuit huic rei se dâris: nisi fortè infirmitate impedita est, vel 19
alia magna causâ, quæ etiam mandare eam ad petendos tutores impediret: ita tamen vt nullo mo
do annale tempus excederet. Si autem mortalitate filij præuenta est, nihil matri imputetur. Hæc
Vlpianus. Certè Impp. Diocletianus & Maximianus excusârunt matrem, cuius procurator ad pe
tendum pupillo tutorem, à latronibus interfectus, necessariò remoratus est petitionem [a]. ¶ *Impuberum morientium.*] Ergo filij pubertate cessat huius pœnæ metus & periculum. Quod & Imperator Constantius [b] rescripsit, docens; Matres quæ puberes amiserunt filios, licet impuberibus ijs
tutores non petierint, tamen ab eorum successione non excludi. ¶ *Successione.*] Legitima. Nam
de ea hic agitur. Sed & repelli matrem à successione ex iure pupillaris substitutionis, certum [c] est. 20
Cæterùm non repellitur hoc nomine etiam à fideicommisso, ne vniuersali quidem [d]: quia tum po
tius succedatur ipsi testatori patri [e].

¶ *Licet autem.*] Inquit Vlpianus [f]: Si spurius intestatus decesserit: iure consanguinitatis aut a- 21
gnationis hæreditas eius ad nullum pertinet: quia consanguinitatis, itemque agnationis iura à
patre oriuntur. Proximitatis verò nomine mater eius, aut frater eadem matre natus, bonorum
possessionem eius ex edicto petere potest.

a L. cùm à matribus. C. qui pet. tutor.
b L. matres. C. ad Se. Tertyll.
c L. omnem. C. ad Se. Tertyl. l. sciant. C. de test. hær.
d L. vl. § si verò maritus D. qui pet. tut.
e L. cohæreas. § cùm filiæ. de vulg. & pup.
f L. si spurius. D. vnde cogna.

De Senatusconsulto Orphitiano, Tit. IIII.



PER contrarium autem liberi ad bona matrum intestatarum admittuntur ex Senatusconsulto Orphitiano, quòd Orphitio & Rufo Consulibus effectũ est, Diui Marci temporibus: & data est tam filio, quàm filiæ legitima hæreditas, etiam si alieno iuri subiecti sint: & præferuntur consanguineis & agnatis defunctæ matris. Sed cùm ex hoc Senatusconsulto nepotes & neptes ad auiæ successionẽ legitimo iure non vocarentur: postea hoc Cõstitutionibus Principalibus emendatum est, vt ad similitudinem filiorum, filiarumque, & nepotes & neptes vocentur.

Sciendum autem est huiusmodi successiones, quæ ex Tertylliano & Orphitiano Senatusconsultis deferuntur, capitis deminutione non perimi, propter illam regulam, qua nouæ hæreditates legitimæ, capitis deminutione non pereunt: sed illæ solæ, quæ ex lege duodecim Tabularum deferuntur.

Nouissimè sciendum est etiam illos liberos, qui vulgò quæsiti sunt, ad matris hæreditatem ex hoc Senatusconsulto admitti.

Si ex pluribus legitimis hæredibus, quidam omiserint hæreditatem, vel morte, vel alia causa impediti fuerint, quo minus adeant: reliquis, qui adierint, adcrescit illorum portio: & licet antè decesserint, ad hæredes tamen eorum pertinet.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 S.C. Orphitianum quando latum.
2 Orphitius hic quando vixerit?
3 Materna hodie hæreditatis proprietas filiofa. acquiritur, patri verò vsusfructus.
4 Ad successionem matris prius vocatur filius, quàm defuncta mater vel frater.
5 Vetus hæreditas capitis deminutione perimitur, noua non item. num. 6.
7 Vocabulum hæreditatis hic quid significet?
8.11 Legitimam hæreditatem quauis capitis deminutione perire. fallit, vt num. 9. 10.
12 Nouæ hæreditates quæ?
13 Dicta hic de hæreditatibus, pertinent & ad tutelas.
14.16 Spurij quoq; ex hoc S.C. succedunt matri, nisi ea sit persona illustris.
15 Ex concubina suscepti quando & patri succedant?
17.18.19 Accrescendi ius vbi locum habeat?
20 Si alter hæredum ex fideicommisso suam portionem Titio restituerit, alter suã repudiet, vtri accrescat?
21 Hæredibus inuitis, etiam legatarijs volentibus tantum accrescit. (non est.
22 Inter succedẽtes iure diuerso locus iuri accrescendi
23 Substitutioni cedit ius accrescendi, iuri accrescendi cedit successorium edictum.

g L. 1. D. ad Sen. Tertyll. & Orphit.

PEr contrarium autem.] Inquit Vlpianus [g]: Siue ingenua, siue libertina mater est, admitti possunt liberi ad hæreditatem eius ex Senatusconsulto Orphitiano.

¶ *Quod Orphitio & Rufo Coss.*] Imperãtibus scilicet M. Ælio patre, & Antonino filio, circa Chri- 1
sti annum 180. Meminit etiam Lampridius in Commodo horum Consulum Orphitij & Rufi.
Fuit autem apud Romanos nobilis Orphitiorum familia. Celebratur Seruius Cornelius Orphitius sub Claudio Cæsare: & Pactius Orphitius Primipilus. Celebrat & Suetonius quendam Saluidienum Orphitium. Sed longo post hos omnes interuallo fuit hic noster Orphitius: cuius Consu- 2
latu tempora huius Senatusconsulti designata sunt, vt intelligeremus quanto tempore prius matri tributum erat, quod filio posteà concessum est.

¶ *Legitima*

¶ *Legitima hæreditas.*] Olim autem non nisi Prætoria dabatur, cùm scilicet filius post agnatos
omnes vocabatur inter cognatos. Vnde & in Senatusconsulto Orphitiano [a] dictum est: Si nemo — a L. 1. §. si nemo. D. ad Senat. Tertyll.
filiorum, eorúmve, quibus simul legitima hæreditas defertur, volet ad se eam hæreditatem perti-
nere, ius antiquum esto. Quod ideo dici admonet Vlpianus, vt quandiu vel vnus filius vult legi-
timam hæreditatem ad se pertinere, ius vetus locum non habeat. ¶ *Etiamsi alieno iure subiecti sint.*]
Inquit Caius [b]: Sacratissimi Principis nostri Oratione cauetur, vt matris intestatæ hæreditas ad li- — b L. vl. D. ad Se. Ter.
beros, tametsi in aliena potestate sint, pertineat. Quemnam hîc suum principem intelligat vix cer
tò possum affirmare: quanquam non ignorem Capitolinum scripsisse, M Antonium Philoso-
phum, qui Caij ætatem proximè est secutus, leges quasdam tulisse de bonis maternis: sed quænam
eæ fuerint, & quid sibi voluerint, nusquam proditum est. Verùm Senatusconsulto saltem Orphi-
tiano expressum fuit, quod Caius principi suo acceptum ferre videtur. Rectè itaque responsum [c]
est, Patrem qui nomine sui filijfam. accusat inofficiosum matris testamentum, parare alteri victo- — c L. filius. de inof. test.
riam: quia non tam sibi vincat, quàm filio. Sed scrupulum Vlpianus inijcit [d]: qui cùm tradidisset — d L. qui in aliena. de acquir. her.
filiumfam. non posse delatam hæreditatem nisi iubente patre adire, ne æri alieno inuitus oblige-
tur pater, quòd ei nempe quæreretur adita hæreditas cum suo onere: & subiecisset, in bonorum ta-
men possessione placuisse, ratam eam haberi posse, quam citra voluntatem agnouit is, qui pote-
stati subiectus est, adiecit, Sed & si legitima hæreditas matris filio delata sit ex Senatusconsulto Or
phitiano, idem esse probandum. Vulgò id accipiunt quasi dictum esset idem esse probandũ, quod
de alia quauis hæreditate delata placuit, vt sine iussu patris adiri non possit: perinde atque eadem
erat ratio hæreditatis maternæ, & hæc æquè patri acquireretur, & per consequens æri alieno eum
obligaret. Sed quid si potius intelligamus idem esse probandum, quod proximè dictum erat de
bonorum possessione, quæ non ita pendet à iussu patris? Atqui quod de bonis maternis dicitur, vt
filiofam. potius quàm eius patri acquirantur, solet Constantino tanquam authori primo acceptũ
ferri, qui tamen multis post Caij ætatem & Orphitium annis fuit. Verùm ideo fit, quòd rem hanc
3 totam quæ vel obscurius antea tradita erat, vel in controuersiam reuocata, sic explicuit atque de-
finijt, vt omnibus apertum esset & certum, maternæ hæreditatis proprietatem filiofa. acquiri, pa-
tri verò solum vsumfructum [e]. — e L. 1. C. de bon. mat.

¶ *Præferuntur consanguineis.*] Nempe fratribus, quod & disertè addidit Theophilus, qui hunc
locum vertit, ὡς πρῶτοι καὶ τῶν ὁμαίμων αὐτοῖς ἀδελφῶν. De consanguineis extat rescriptum Imp. Ale-
4 xandri his verbis [f]: Si intestatæ mulieri consanguinei existant, & mater & filia: ad solam filiam ex — f L. 1. C. ad Se. Orphi.
Senatusconsulto Orphitiano hæreditas pertinet.

¶ *Sciendum est autem.*] Inquit Vlpianus [g], Capitis minutio saluo statu contingens, liberis nihil — g L. 1. §. capitis. D. ad Sen. Tertyll.
5 nocet ad legitimam hæreditatem. Nam vetus sola hæreditas, quæ ex Lege duodecim Tabularum
6 defertur, capitis deminutione perimitur: nouæ, vel ex Lege, vel Senatusconsulto delatæ, non peri-
muntur capitis deminutione. Proinde siue quis ante delatam, siue post delatam, capite minuatur:
ad legitimam hæreditatem admittetur: nisi magna capitis deminutio interueniat, quæ vel ciuita-
7 tem adimat, vtputa si deportetur. Hæc Vlpianus. Porrò autem hæreditatem hîc intelligimus ius
adipiscendæ hæreditatis. Cæterùm si hæreditas ipsa omnino delata, adita acquisitáve esset, ne ve-
teri quidem iure duodecim Tabularum, perimeretur propter sequentem capitis deminutionem,
veluti emancipationem [h]. ¶ *Propter illam regulam.*] Generalis & vetus est quædam regula; Legi- — h L. vl. D. vnde libe.
8 timam hæreditatem capitis deminutione etiam minima perire [i]. Altera, quę hîc traditur, eius vel- — i L. tutelas. §. 1. de cap. demin.
9 uti exceptio est: nempe, id locum non habere in nouis hæreditatibus. Et aperta est discriminis ra-
10 tio, quòd vetus illa Lex duodecim Tabularum legitimam successionem deferebat nominatim fi-
lijsfamilias vel agnatis: qui esse desinunt familia mutata [k]. At nouæ Leges successionem deferunt — k dict. §. 1.
non eiusmodi ciuilibus, sed magis naturalibus verbis: veluti filio, matri, fratri: nullamque vel fa-
ciunt mentionem, vel habent rationem patriæ potestatis, aut eiusmodi ciuilis qualitatis, sed natu-
11 ræ tantùm. Cæterùm vbi nouæ Leges nominatim reuocarent illud vetus ius agnationis, & eo no-
mine, hoc est, ciuili agnationis titulo deferrent successionem, æquè perirent hæ nouæ hæreditates
minima capitis deminutione, atque olim veteres. ¶ *Nouæ hæreditates.*] Quæ post legem duode-
12 cim Tabularum nouo aliquo iure deferuntur magis naturalibus, quàm ciuilibus verbis nam ab
ijs potissimum tota huius rei ratio pendet. Rectè itaque Paulus [l] ait: Ex nouis Legibus hæredita- — l L. tutelas. §. ex nouis. de capi. demi.
tes plerunque deferuntur, vt personæ naturaliter designentur, vt ecce deferunt hæreditatem Sena
13 tusconsulta matri & filio. Quod autem hîc de hæreditatibus dicitur, etiam ad tutelas pertinet [m]. — m dict. l. tutelas.
14 ¶ *Nouissimè sciendum*] Inquit Vlpianus [n]: Sed & vulgò quæsiti admittentur ad matris legiti- — n L. 1. §. sed & vulgo. D. ad Sen. Tertyll.
mam hæreditatem, atque id quidem quodammodo dependet ex superiori regula, qua traditum
est; magis hîc spectari naturam, quàm ciuilem rationem.

¶ *Vulgo quæsiti.*] Idem & si ex certa concubina suscepti sint. Nam & ij cum legitimis liberis ad
materna bona perueniunt [o]. Imò & patri aliquando succedunt. Saltem enim non superstitibus le- — o L. pen. § vlti. C. ad Sen. Orphit.
gitimis liberis, ex eius hæreditate consequuntur vnum sextantem. At nullo modo possunt vulgò
16 quæsiti succedere patri, cùm incertum patrem habeant. ¶ *Matris.*] Iustinianus alibi excipit [p] il- — p dict. l. pen.
lustrem mulierem: quæ si iustos habet liberos, nihil ex eius hæreditate potest consequi spuria
soboles.

¶ *Si ex pluribus.*] Hæc appendix non huius modò tituli est, sed pertinet ad totum superiorem
17 tractatum Successionis legitimæ, in qua locus est iuri accrescendi. Nec nouum esse huiusmodi
appendicum exemplum, in his Institutionibus alibi annotauimus [a]. Quanquam nec omnino — a §. vlt. supr. de Attiliano tuto.

alienus

alienus videatur hic locus à Senatuſconſulto Orphitiano. Nam & in eo nominatim cautum fuit,
vt ius antiquum duodecim Tabulatum tum demum locum habeat, vbi nemo filiorum ſuccedit.
Itaque (inquit Vlpianus [a]) ſi ex duobus alter adierit, alter repudiauerit hæreditatem: illi portio ac-
creſcet. Sed tamen conſtat generalem eſſe regulam huius loci: qui ſanè omnino deſcriptus videtur
ex quodam teſponſo Martiani, cuius verba [b] ſunt hæc; Si ex pluribus legitimis hæredibus quidam
omiſerint adire hæteditaté, vel morte, vel qua alia tatione impediti fuerint quo minus adeāt; reli-
quis, qui adierint, accreſcit illorum portio; & licet deceſſerint, antequam accreſceret, hoc ius ad
eorum pertinet hæredes. Alia cauſa eſt inſtituti hæredis, & cohæredis ſubſtituti. Huic enim viuo 18
defertur ex ſubſtitutione hæreditas: non etiam, ſi deceſſerit, hæredem eius ſequitur. hactenus Mar-
tianus. Nec obſcura eſt diſcriminis ratio, ex eo ipſo, quod is poſtremo loco adiecit: hic verò à Iuſti-
niano prætermiſſum eſt: nempe quòd ſubſtitutio omnino cohæreat perſonæ eius, qui ſubſtitutus 19
eſt: ius verò accreſcendi magis pertineat ad ipſam hæreditatem, magiſque ſpectet eam hæreditatis
portionem, cui pars altera deficiens accreſcit, quàm perſonam eius, qui hanc portionem acquirit. 20
cuius rei euidens argumentum eſt. Quòd ſi duorum hæredum alter ex fideicommiſſo ſuam pot-
tionem Titio reſtituerit, alter cohæres ſuam repudiet: accreſcat portio repudiata non illi alteri co-
hæredi, qui præter nomen ex hæreditate nihil habet poſt reſtitutionem, ſed ipſi fideicommiſſario,
cui altera hæreditatis portio data [c] eſt. ¶ *Legitimis.*] Hoc eſt, ab inteſtato ſuccedentibus Iure Ci-
uili. Nam de ijs ptopriè hic agitur. Habet autem locum ius accreſcendi & inter plures hæredes te-
ſtamento inſtitutos. Sed de ijs ſuo loco dictum eſt. Habet & inter hæredes Honotarios, ſed paulò
pòſt ſuo loco id tractabitur [d]. ¶ *Hæredibus.*] Eſt & inter legatarios ius accreſcendi, de quo ſuo quo-
que loco diſſeruimus. Sed notandum eſt diſcrimen, quòd ijs tantùm volentibus accreſcat: hæredi- 21
bus verò etiam [e] inuitis. Nempe quia in legatis nullum eſt periculum, vt quis pro parte teſtatus
deceſsiſſe videatur, etiam ſi pars legatorum deficiens nulli accreſcat. ¶ *Vel alia cauſa.*] Alia tamen
quàm pœnali. Nam ſi quis vt indignus, iure prohibeatur, quo minus adeat: eius portio non cohæ-
redi accreſcit, ſed fiſco defertur. ¶ *Impeditis.*] Omnino ſcilicet, ipſoque iure. Cæterùm ſi tantùm o-
pe exceptionis, vel ſpeciali aliquo beneficio, veluti reſtitutionis, pars vnius deficiat: non habet ean
dem vim ius accreſcendi: quia non accreſcet ea portio alteri inuito [f]. ¶ *Reliquis qui adierint.*] Suam
ſcilicet portionem: qua repudiata nihil haberent, cui aliud poſſet accreſcere. Et adierint quidem
iure eodem, quo aditurus erat alter, cuius nunc deficit portio. Nam inter eos, qui diuerſo iure ſuc- 22
cedunt, non eſt locus iuri accreſcendi. Vnde hæredis ſcripti portio deficiens non accreſceret do-
dranti patroni [g]. Porrò nec ſatis eſt rectè adijſſe, niſi etiam tollas obicem ſubſtitutionis, hoc eſt, vt
is, cuius deficit portio, nullum reliquerit ſubſtitutum. Alioqui ſubſtitutioni cedit ius accreſcendi, 23
ſicut è diuerſo iuri accreſcendi [i], cedit ſucceſſorium edictum. ¶ *Adcreſcit.*] Pro ea ſcilicet parte, qua
hæredes [h] ſunt. ¶ *Et licet antè deceſſerint.*] Apud Martianum [i] eſt, licet deceſſerint antequam accre-
ſceret. Sed tamen oportet prius ſemel adijſſe ſuam portionem: cui altera deficiens ipſo iure accre-
ſcet. nec opus erit noua aditione [k]. ¶ *Pertinet.*] Nempe hoc ius (inquit Martianus) ſcilicet accre-
ſcendi: eiuſque iuris emolumentum. Aliam autem cauſam eſſe inſtituti hæredis & cohæredis ſub-
ſtituti, ſubijcit idem Martianus: ſed nos eum articulum iam ſuprà explicuimus.

a L. 1. §. fi nemo. D. ad Sen. Tertyll.
b L. ſi ex pluribus. de ſuis & legiti.
c L. ſi totā. de acq. hæ.
d §. cum igitur. infr. de bon. poſſeſ.
e L. ſi ſeruus cōmunis ab extero. de acq. hæ. l. vnic. §. vbi autem. C. de cadu. tollen.
f L. ſi minor. de acquis. hær.
g L. ſed cum patrono. de bon. poſſeſ.
h L. vnica. §. his itaq. C. de caduc. tollen.
i L. ſi ex pluribus. de ſuis & legiti.
k L. ſi ſolus. de acq. hæ.

De ſucceſsione cognatorum, Titulus V.



POST ſuos hæredes, eoſque quos inter ſuos hæredes Prætor & Conſtitutiones vocant, & poſt legitimos (quo numero ſunt adgnati, & hi quos in locum adgnatorum tam ſupradicta Senatuſconſulta, quàm noſtra erexit Conſtitutio) proximos cognatos Prætor vocat, qua parte, naturalis cognatio ſpectatur. Nam adgnati capite deminuti, quiq; ex his progeniti ſunt, ex Lege duodecim Tabularum inter legitimos non habentur, ſed à Prætore tertio ordine vocātur: exceptis ſolis tantummodo fratre & ſorore emancipatis, non etiam liberis eorum, quos Lex Anaſtaſiana cum fratribus integri iuris conſtitutis, vocat quidem ad legitimam fratris hæreditatem, ſiue ſororis: non æquis tamen partibus, ſed cum aliqua deminutione, quam facilè eſt ex ipſius Conſtitutionis verbis colligere. Alijs verò adgnatis inferioris gradus, licet capitis deminutionem paſſi non ſunt, tamen anteponit eos, & proculdubiò cognatis. Eos etiam qui per fœminini ſexus perſonas ex tranſuerſo cognatione iunguntur, tertio gradu proximitatis nomine Prætor ad ſucceſſionē vocat. Liberi quoq; qui in adoptiua familia ſunt, ad naturalium parentum hæreditatem hoc eodem gradu vocantur.

Vulgò quæſitos, nullos habere adgnatos, manifeſtum eſt: cùm adgnatio à patre ſit, cognatio à matre: hi autem nullum patrem habere intelligantur. Eadem ratione ne inter ſe quidem poſſunt videri conſanguinei eſſe: quia conſanguinitatis ius, ſpecies eſt adgnationis. Tantum ergo cognati ſunt ſibi, ſicut & matri cognati ſunt. Itaque omnibus iſtis ex ea parte competit bonorum poſſeſſio, qua proximitatis nomine cognati vocantur.

Hoc loco

Hoc loco & illud necessariò admonendi sumus: adgnationis quidem iure admitti aliquem ad hæreditatem, & si decimo gradu sit: siue de Lege duodecim Tabularum quæramus, siue de edicto, quo Prætor legitimis hæredibus daturum se bonorũ possessionem pollicetur. Proximitatis verò nomine ijs solis Prætor promittit bonorum possessionem, qui vsque ad sextum gradum cognationis sunt, & ex septimo, sobrino sobrináve nato natæve.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 *Iure Ciuili cognati non succedebant.*
2 *Prætoria successio quomodo inter legitimas referatur?*
3 *Naturalis cognatio quæ?*
4 *Quid, si legitimi capite diminuti sint?*
5 *Lex Anastasia non extat.*
6 *Anastasius quando imperauerit, & perierit?*
7 *Vulgo quæsiti quomodo sibi inuicem cognati sint?*
8 *Legitimæ successionis iura quousque protendantur?*
9 *Causæ ob quas arctius concludantur nonnunquã successionis gradus.*

P*Ræter vocat.*] Vlpianus loquens de bonorum possesione Vnde cognati, ait [a]: Hæc bonorum *a L.1.D. Vnde cogna.*
1 possesio nudam habet Prętoris indulgentiam, neque ex Iure Ciuili originem habet. Nam eos
inuitat ad bonorum possesionem, qui Iure Ciuili ad successionem admitti non possunt, hoc est,
2 cognatos. Sed ne quis miretur hanc Prætoriam successionem inter legitimas referri, admonendi
sumus, eam quodammodo legitimam quoque esse, si minus ex veteri, saltem nouo Iure: pręsertim
cùm iam sublatum sit per Nouellam Constit. 118. vetus discrimen agnationis & cognationis.
¶ *Naturalis cognatio.*] Scribit Modestinus [b], Naturalem cognationem per se, sine Ciuili cognatio *b L. non facilè. §. cognationum. de gradib. cognat.*
3 ne intelligi, quæ per fœminas descendit. Sed hîc illa intelligitur, quę per mares quidem contracta
est: Ciuilis tamen esse desijt propter familiam emancipatione mutatam. ¶ *Nam agnati capite di-*
4 *minuti.*] Inquit Pomponius [c]: Legitimis capite diminutis non datur bonorum possesio iure hæ- *c L. legitimis. D. vnde cogna.*
redis legitimi: quia non eadem causa eorum est, quæ liberorum: sed gradu cognatorum rursus vo-
cantur. ¶ *Exceptis solis.*] Totum hunc locum apertius refert alibi Iustinianus, his verbis [d]: Præto- *d L. vlt. C. de legiti. hæredib.*
rem, filium emancipatum, licet subtili iure capite fuerat diminutus, attamen in patris successio-
nem sine vlla diminutione vocare manifestum est. nõ eodem autem iure etiam ad fratrum suo-
rum successiones ab eo vocabatur: sed nec filij eius iure legitimo patruis suis succedebant. Nos ne-
cessarium duximus hoc primùm corrigere, & Legem Anastasianam iusto incremento perfectam
ostendere: vt emancipati filius & filia non solùm in paternis bonis ad suorum similitudinem suc-
cedant, sed etiam in fratrum vel sororum suarum successione (siue omnes sui, siue omnes emanci-
pati sint, siue mixti) æquo iure inuicem sibi succedant, & non secundum legem Anastasianam par
te aliqua diminuta. ¶ *Ex ipsius Constitutionis verbis.*] Non extant tamen hodie verba huius Consti
5 tutionis, quam verisimile est cum priori Codice intercidisse: sed extat alia Iustiniani Constitutio [e], *e dict. l. vlt.*
quæ huc pertinet: & quá magis interfit perlegere, vt intelligamus quid hac in re posteà mutatum
sit à Iustiniano: & varias Iuris Ciuilis mutationes cognoscamus. Fuit autem secundus ab Anastasio
6 Iustinianus, cœpitq; imperare Anastasius anno Christi 492. regnauitq; annis viginti sex: perijt au-
tem fulmine ictus. ¶ *Vulgo quæsitos.*] Perspicuus est totus hic locus. itaq; solum conferam Vlpia-
ni responsum, quod in Pandectis extat, his verbis [f]: Si spurius intestatus decesserit, iure consangui *f L. si spurius. D. vnde cogna.*
nitatis aut agnationis hæreditas eius ad nullum pertinet: quia consanguinitatis, itemq; agnatio-
nis iura à patre oriuntur. Proximitatis verò nomine mater eius, aut frater eadem matre natus, bo-
norum possesionem eius ex edicto petere potest. ¶ *Itaque omnibus istis.*] Caius loquens de bono-
rum possesione Vnde cognati [g], ait: Hac parte Proconsul naturali æquitate motus, omnibus co- *g L. 2. D. illo tit.*
gnatis permittit bonorum possesionem, quos sanguinis ratio vocat ad hæreditatem, licet Iure Ci
7 uili deficiant. Itaq; etiam vulgò quæsiti liberi matris, & mater talium liberorum, item ipsi fratres
inter se se, ex hac parte bonorum possesionem petere possunt quia sunt inuicem sibi cognati. ¶ *Et*
si decimo gradu sit.] Intra quem si nullus legitimus ab intestato hæres supersit, fiscus succedit. Nec te-
8 merè in nostro iure vllam speciẽ reperias, in qua latius pateát aut protendantur iura legitimæ suc-
cesionis: quanquã moribus Gallorũ in succesione regni nõ sint vlli graduum eiusmodi cancelli
aut limites. Sed frequenter reperias in iure nostro, vbi propter singularem aliquam causam ar-
9 ctius concludantur gradus successionis. Primùm enim contrahentibus incestas nuptias, olim nõ
succedebatur vltra tertium gradum, ex Constitutione Arcadij & Honorij [h]. Hodie ex Nouella Iu- *h L. si quis incesti. C. de incest. nupt.*
stiniani Constit. 12. soli ex alio legitimo matrimonio filij ijs succedunt. Rursus militi criminis ali-
cuius militaris damnato non succedunt, qui intra quintum gradum ei non coniunguntur. Sic e-
nim respondit Papinianus [i]; Fiscum tunc non admitti, cùm hæres legitimus ad finem quinti gra- *i L. 2. de veter. & mili. succ.*
dus extitit: aut proximus cognatus eiusdem gradus, intra tempus bonorum possesionem acce-
pit. Sed nec liberto succedunt agnati patroni supra quintum gradum [k]. Postremò Iustinianus in *k §. multis. infr. de succ. libert.*
Nouella sua Constit. 36. vltra tertium gradum non admittit successores eorum bonorum, quæ A-
fris in tumultibus Vandalorum fuerant erepta.

De gradibus cognationum, Titulus VI.

HOC loco necessarium est exponere, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Quare in primis admonendi sumus, cognationẽ aliam suprà numerari, aliam infrà, aliam ex transuerso, quæ etiam à latere dicitur. Superior cognatio est parentum: inferior liberorum: ex transuerso fratrum sororúmve, & eorum, qui quæve ex his generantur: & conuenienter patrui, amitæ, auunculi, materteræ. Et superior quidem & inferior cognatio à primo gradu incipit: at ea, quæ ex transuerso numeratur, à secundo. Primo gradu est suprà pater, mater: infrà filius, filia. Secundo gradu suprà auus, auia: infrà nepos, neptis: ex transuerso frater, soror. Tertio gradu suprà proauus, proauia: infrà pronepos, proneptis: ex transuerso fratris sororisque filius, filia, & conuenienter patruus, amita, auunculus, matertera. Patruus est frater patris, qui Græcè πατράδελφος appellatur. Auunculus est frater matris, qui Græcè μητράδελφος dicitur. & vterque promiscuè θεῖος appellatur. Amita est patris soror, quæ Græcè πατραδέλφη appellatur. Matertera verò matris soror, quæ Græcè μητραδέλφη dicitur. & vtraque promiscuè θεία appellatur. Quarto gradu suprà abauus, abauia: infrà abnepos, abneptis: ex transuerso fratris sororisque nepos, neptísve: & conuenienter patruus magnus, amita magna, id est, aui frater & soror. Item auunculus magnus, & matertera magna, id est, auiæ frater & soror. consobrinus, consobrina, id est, qui quæve ex sororibus aut fratribus procreantur. Sed quidam rectè consobrinos eos propriè dici putant, qui ex duabus sororibus progenerantur, quasi consororinos. eos verè, qui ex duobus fratribus progenerantur, propriè fratres patrueles vocari. Si autem ex duobus fratribus filiæ nascuntur, sorores patrueles appellari. At eos, qui ex fratre & sorore progenerantur: amitinos propriè dici putant. Amitæ tuæ filij, consobrinum te appellant, tu illos amitinos. Quinto gradu suprà adauus, adauia: infrà adnepos, adneptis: ex transuerso fratris sororisque pronepos, proneptis: & conuenienter propatruus, proamita, id est, proaui frater & soror: & proauunculus & promatertera. id est, proauiæ frater & soror. Item fratris patruelis, vel sororis patruelis, consobrini & consobrinæ amitini & amitinæ filius filia, propius sobrino, propius sobrina: hi sunt patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ filius filia. Sexto gradu suprà tritauus, tritauia: Infrà trinepos, trineptis: ex transuerso fratris sororisque abnepos, abneptis: & conuenienter abpatruus, abamita, id est, abaui frater & soror: abauunculus, abmatertera, id est, abauiç frater & soror. Item propatrui, proamitę, proauunculi, promaterteræ filius, filia. Item sobrini, sobrinæ, id est, qui quæve ex fratribus vel sororibus patruelibus, vel consobrinis vel amitinis progenerantur.

Hactenus ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Namq; ex his palàm est intelligere, quemadmodum vlteriores quoque gradus numerare debeamus: quippe semper generata persona gradum adijcit: vt longè facilius sit respondere, quoto quisq; gradu sit, quàm propria cognationis appellatione quemquam denotare. Adgnationis quoque gradus eodem modo numerantur. Sed cùm magis veritas oculata fide, quàm per aures animis hominum insigatur: ideo necessarium duximus post narrationem graduum, eos etiam præsenti libro inscribi, quatenus possint & auribus, & oculorum inspectione adolescentes perfectissimam graduum doctrinam adipisci.

Illud certum est, ad seruiles cognationes illam partem edicti, qua proximitatis nomine bonorum possessio promittitur, non pertinere: nam nec vlla antiqua Lege talis cognatio computabatur. Sed nostra Constitutione, quã pro iure patronatus fecimus (quod ius vsque ad nostra tempora satis obscurum, atque nube plenum, & vndique confusum fuerat) & hoc humanitate suggerente concessimus, vt si quis in seruili constitutus consortio, liberum vel liberos habuerit, siue ex libera, siue ex seruilis conditionis muliere: vel contrà serua mulier ex libero vel seruo habuerit liberos cuiuscunque sexus: & ad libertatem his peruenientibus. ij, qui ex seruili ventre nati sunt, libertatem meruerint, vel dum mulieres liberæ erant, ipsi in seruitute eos habuerint, & postea ad libertatem peruenerint: vt hi omnes ad successionem patris vel matris veniant, patronatus iure in hac parte sopito. Hos enim liberos non solùm in suorum parentum successionem, sed etiam alterum in alterius successionem mutuam vocauimus, ex illa Lege specialiter eos vocantes, siue soli inueniantur, qui in seruitute nati, & postea manumissi sunt: siue vnà cum alijs, qui post libertatem parentum concepti sunt: siue ex eodem patre, siue ex eadem matre,

siue

siue ex alijs nuptijs, ad similitudinem eorum, qui ex iustis nuptijs procreati sunt.

Repetitis itaque omnibus quæ iam tradidimus, apparet non semper eos, qui parem gradum cognationis obtinent, pariter vocari, eoque amplius, ne eum quidem, qui proximior sit cognatus, semper potiorem esse. Cùm enim prima causa sit suorum hæredum, & eorum, quos inter suos hæredes enumerauimus, apparet pronepotem & abnepotem defuncti potiorem esse, quàm fratrem aut patrem, matremque defuncti: cùm alioqui pater quidem & mater (vt suprà quoque tradidimus) primum gradum cognationis obtineant, frater verò secundum, pronepos autem tertio gradu sit cognationis, & abnepos quarto. Nec interest, in potestate morientis fuerit, an non, quòd vel emancipatus, vel ex emancipato, aut ex fœmineo sexu propagatus est.

Amotis quoque suis hæredibus, & quos inter suos hæredes vocari diximus: adgnatus, qui integrum ius habet adgnationis, etiamsi longissimo gradu sit, plerunque potior habetur, quàm proximior cognatus. Nam patrui nepos vel pronepos auunculo, vel materteræ præfertur. Toties igitur dicimus aut potiorem haberi eum, qui proximiorem gradum cognationis obtinet, aut pariter vocari eos, qui cognati sunt: quoties neque suorum hæredum, quique inter suos hæredes sunt, neq; adgnationis iure aliquis præferri debeat, secundum ea, quæ tradidimus: exceptis fratre & sorore emancipatis, qui ad successionem fratrum vel sororum vocantur: qui etsi capite deminuti sunt, tamen præferuntur cæteris vlterioris gradus adgnatis.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1.3 Iurisconsultus cur nosse debeat cognatorum gradus.
2 Gradus vnde appellentur?
4 Qua ratione fratrũ filij patruo defuncti prælati sint?
5 Frater quomodo secundo gradu sit?
6.8.25 Hypotheticus semper aliquis intelligendus cuius de cognatione quæratur.
7 Qui à sinistro latere sunt, propinquos non esse ijs, qui à dextro latere sunt.
9 Θεῖος promiscuè & auunculum & patruum significat.
10 Consobrinorum appellatio ambigua est.
11.12.13.14 Propius sobrino siue sobrinu qui?
15.17 Sobrinus propriè qui? & quoto gradu?
16 Emendata hic lectio vulgata.
18.26.29 Ab eo incipiendum, de cuius cognatione quæritur.
19.27 Quid, si de propinquis qui à latere sũt, quæratur?
20 Veterum & recentiorum descriptiones graduum quales?
21.23 Cognatio quid?
22 Cognationum alia inferior, alia superior.
24 Cognationem nomen generale esse, quomodo intelligendum?
28 Lapsus interpretum, vbi de graduũ respectu agitur.
30 Canonicorum in schematibus cognationum fingẽdis errores qui?

1 N*Ecessarium est exponere.*] Paulus[a], qui etiam testatur sese omnes cognationum gradus latiore tractatu habito in librum singularem contexuisse[b], scribit; Iurisconsultum debere nosse cognatorum gradus; quia Legibus hæreditates & tutelæ ad proximum quemque agnatum redire consueuerunt, propterea quòd Prætor proximo cuique agnato dat bonorum possessionem: postremò etiam quòd Lege publicorum iudiciorum, contra affines & agnatos testimonium inuiti dicere non cogimur: sed nec plerunque volentes possumus. Est & alia sanè grauissima & necessaria horum graduum cognoscendorum causa, nempe propter totam rationem nuptiarum. Nam & eam
2 Iustinianus libro primo descripsit ex graduum dinumeratione. Cur autem hic gradus appellemus, docet idem Paulus, quòd scilicet ij sint descripti ad similitudinem scalarum, & locorum procliuium, quos ita ingredimur, vt à proximo in proximum, id est, in eum qui quasi ex eo nascitur, transeamus. Neque verò noua est hæc appellatio. Nam & Ouidius lib. 13 Metamor. ita loquitur;

——Nostri quoque sanguinis author Iuppiter est, totidemq; gradus distamus ab illo.

& idem lib. 2. Fast. Et generis dinumerare gradus. ¶ *Aliam ex transuerso.*] Huius cognationis exempla, quæ posteà subijciuntur, docent hîc quoque rursus alios esse ascendentes, vt patruos: alios
3 descendentes, vt fratrum filios. Neque verò id parui est momẽti, siue de nuptijs agatur, siue etiam de successionibus. Si de matrimonio quæras, quia fit quædam parentum & liberorum imago inter propinquos inferioris & superioris ordinis, naturalis cuiusdã honestatis causa, prohibitæ sunt inter eos nuptiæ, non secus atque inter parentes & liberos. Sed & in successionibus legitimis magnum esse discrimen cognatorum inferioris & superioris ordinis, non temerè diximus: Nam in-
4 feriores superioribus præferuntur, etiam si alioqui sint in pari gradu. Qua ratione credimus fratrũ filios patruo ipsius defuncti esse prælatos. Nam & naturali quodam ductu successio facilius defluit ad inferiores, quàm ad superiores recurrat[c].
5 ¶ *1 secundo.*] Est enim (inquit Paulus) frater, secundo gradu: quia patris vel matris persona,

a *L. si stemata, de grad. cogn. ff.*
b *L. Iurisco. D. illo tit.*
c *L. scripto. D. vnde liberi.*

per quos coniungitur, prior numeratur. Hic itaque duo sunt gradus: quibus primùm ad parentem, generis authorem ascendimus, deinde ad fratrem descendimus: sicuti etiam duæ sunt generationes, vna sursum, altera deorsum.

¶ *Primo gradu, suprà pater, infrà filius.*] Hic meminerimus, semper intelligendum esse aliquem
Hypotheticum, cuius de cognatione quæratur: vt habeamus, quò referatur omnia. Esse itaq; hoc 6
loco inter patrem & filium, veluti medium collocandum Hypotheticum: cuius respectu pater hic
primo gradu suprà, filius primo infrà esse dicitur. ¶ *Ex transuerso fratris filius.*] Hic frater non est re-
ferendus ad sororem, quæ in alio latere est, vt vulgus ineptè facit: sed omnino ad ipsum Hypothe-
ticum: cuius vnius semper respectu gradus hic numerantur, ijsque appellationes induuntur. Nec
existimare debemus eos, qui à latere sunt sinistro, propinquos dici ijs, qui à latere dextro sunt, hoc 7
est, inter sese inuicem referri. Imò verò omnes ad ipsum semper Hypotheticum referendi sunt, à
quo etiam accipiunt ea nomina, quibus appellantur: sicut is rursus eorum respectu assumit no- 8

a L. cum quis. §. codicillis. de leg. 3.

men, quod rei præsenti conueniat. ¶ *Et promiscuè vterque θεῖος appellatur.*] Ergo apud Scæuolam [a]
cùm simpliciter legimus θεῖον, promiscuè intelligere possumus vel auunculum vel patruum. Itaq; 9
Græci, vt hanc tollant dubitationem, addunt aliquam notam: vt apud Æschinem in quadam ad
Ctesiphontem epistola est, ὁ ἐκ μητρὸς θεῖος, vt significetur auunculus. Apud Lucianum in Somnio
itidem est, ὁ πρὸς μητρὸς θεῖος. vtitur autem & hac voce Iustinianus in Nouella sua Constitu. 118. Sa-
nè Cicero lib. 2. epist. ad Atticum, hoc nomine notat patruum, eumque minimè indulgentem. Sic
enim loquitur, Attico commendans fratris sui Quinti filium: Cura, amabo te, Ciceronem no-
strum. ei nos θεῖοι videmur, hoc est, nos illi videmur nimium patrui, non fert seueritatem nostræ
disciplinæ propterea que nos fugit.

b L. 1. §. quarto. de gradib.

¶ *Sed quidam rectè.*] Inter quos Caius, qui ad hunc modum [b] scribit: Quarto gradu sunt fratres
patrueles, sorores patrueles, id est, qui quæve ex duobus fratribus progenerantur: item consobrini
consobrinæque, id est, qui quæve ex duabus sororibus nascuntur, quasi consororini: item amitini
amitinæ, id est, qui quæve ex fratre & sorore propagantur: sed ferè vulgus omnes istos communi

c L. iurisconsultus. §. quarto. D. hoc tit.

nomine consobrinos vocat. Idem quoque tradit Paulus [c]: & refert Trebatium, omnes, qui ex fra- 10
tribus aut sororibus nati essent, promiscuè appellasse consobrinos. Nec dissimilia sunt, quæ docet
Donatus, dum quendam in Hecyra Terentij locum explicat. ¶ *Quinto gradu, adauus.*] Alij ata-
uum dicunt. Apud Corn. Tacitum Nero Augustum vocat modò auum suum, modò atauum. Sed
tamen si propriè loquamur, magis erat abauus, quarto nempe gradu superiori. Nero matrem ha-
buit Agrippinã, hæc patrem Germanicum: Germanicus adoptatus filius fuit à Tiberio, sicuti Ti-
berius ab Augusto. Suetonius autem Neronis atauum rectè vocat Cn. Domitium. Nam & in quin
to gradu superiori eum fuisse probat. ¶ *Propius sobrino, propius sobrina.*] Vulgus hos ipsos esse existi-
mat, qui ex nostris consobrinis nati sunt Sed Ant. Augustinus lib. 2. Emendat. cap. 5. rectius docet 11
eos esse, qui parentibus nostris consobrini sunt, auis nostris fratrum aut sororum filij, nobis verò
filij nostrorum magnorum auunculorum, aut patruorum. Sobrinos autem esse inter se duorum
consobrinorum filios. Sed vbi alter cõsobrinus liberos non habet, alter habet: ille huius filijs pro- 12
pius sobrino est. Sic sobrini mei pater, propius sobrino mihi est. atque ita quidem disertè appella-
tur, quoniam vno gradu nobis sit propior, quàm sobrinus.

d L. 1. ad fi. D. hoc tit.

¶ *Hi sunt.*] Istud referendum est ad propius sobrino vel sobrina. Sic Caius [d], Quinto (inquit)
gradu sunt propius sobrino, propius sobrina: isti sunt patrui magni, amitæ magnæ, auunculi ma-

e L. 2. D. hoc tit.

gni, materteræ magnæ filius, filia: Hoc est, vt Vlpianus [e] ait; patris eius, de cuius cognatione quæri-
tur, consobrinus consobrina, siue frater patruelis. Patruus enim magnus meus aui mei frater est:

f L. Iurisconsultus. §. quinto. D. hoc tit.

eius filius patri meo frater patruelis est, aut etiam consobrinus: mihi propius sobrino. Sic Paulus [f], 13
Quinto (inquit) gradu sunt. patrui magni filius filia, amitæ magnæ filius filia, auunculi magni fi-
lius filia, materteræ magnæ filius filia. Personæ, quas enumerauimus à patrui magni filio, ei, de cu-
ius cognatione quæritur, propius sobrinis vocantur. Nam, vt Masurius ait, quem quis appellat 14
propius sobrino, qui est patris matrisve consobrinus aut consobrina, ab eo consobrini consobri-

g L. 1. D. hoc tit.

næve filius, filia nominatur. ¶ *Item sobrini sobrinæve.*] Inquit Caius [g]: Sexto gradu sunt, qui ex fra-
tribus patruelibus, aut consobrinis, aut amitinis vndique propagantur, qui propriè sobrini vocan 15
tur. Vulgata porrò exemplaria harum Institutionum, in hanc classem referũt filios ipsius propius
sobrino: sed ea verba hîc expungenda esse, vt nec in vetustis quibusdam exemplaribus reperiun- 16
tur, docet Ant. Augustinus lib. 2. Emendat. cap. 5. ac fatetur quidem debuisse Iustinianum conso-
brinorum nepotes enumerare: quod & Caius fecerat: sed hi non sunt filij propioris sobrino. Nam
propioris sobrino filij sunt, qui propriè sobrini appellantur, hoc est, qui quæve ex duobus conso- 17
brinis procreantur.

¶ *Semper generata persona gradum adijcit.*] Ergo in dinumeratione graduum, ipsas gradatim ge-
nerationes numerare debemus. ac primùm quidem, hæc, quæ à Paulo traditur, diligenter obser- 18
uanda est regula: Quoties quæritur, quoto gradu quæque persona sit, ab eo incipiendum est, de cu
ius cognatione quæritur. Quot autem generationibus aliquis ab hoc Hypothetico distat, totidem
gradibus distare intelligitur. Quòd si de propinquis, qui à latere sunt, quæratur: Hypotheticus, vt
gradus dinumeret, primùm rectà ascendat ad eam vsque personam, ex qua est communis origo: 19
inde per obliquum deflectat, & in singulis generationibus singulos semper gradus numeret.

¶ *Magis oculata fide, quàm per aures.*] *Segnius* (inquit Flaccus) *irritant animos demissa per aurem,*
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ ipse sibi tradit spectator.

Certè

Certè acerrimum esse oculorum sensum docet Aristoteles: & habent omnes ferè disciplin
dam, quod desideret mathematicas velut quasdam apodixes. ac ne longius abeam, const
res etiam Græcos, vt apertius describerent cognationum gradus, vsos plerunque fuisse quil
tabellis & schematibus. Sic in oratione, πρὸς Μάκαρ. περὶ Ἁγνίου κλήρου, Demosth. ἀνοίσω,
ἄνδρες δικασταί, γράψας ἐν πίνακι ἅπαντας τοὺς συγγενεῖς τοῦ Ἁγνίου, ὅπως ῥᾷον δῆλον ὑμῖν καθ' ἕκαστον.
senti libro inscrib.] Desideratur hæc graduum descriptio, quam intercepit iniuria temporun
20 ritas, vt hoc damnum sarciret, aliquas huius generis tabellas effinxit, sed alienas à Roman
prudentia: quidam delinearūt arbores, stipites, truncos, ramos: alij nescio quos circulos &
graduum verò ne vllum quidem vestigium: vt taceam alia, quæ addita sunt, omnino p
tra cum Iuris Ciuilis descriptione. quanquam vt facilè credam Romanos non semper gr.
figura esse vsos in depingenda cognatione, sed aliquando etiam stipitis & ramorum, fac
Persij; *Stemmate quòd Thusco ramum millesime ducis*. Stemmatū quoq; meminit noster Paulus.
quam alij legant Schemata. Sed hoc loco nemo sanus negabit graduum descriptionem
ram, quam cum duobus optimis amicis nostris Franc. Hotomano, viro virtute & doctri
gulari, & Ant. Contio non vulgaris quoque ingenij eruditionisq; homine, delineari cura
& his commentarijs inseri, cum vtriusque etiam breui explicatione. Nam latiorem alter
vulgus dedit, alter breui daturus est. Sed neque de numerandorum graduum ratione nun
tabo, neque veterem ciuilem, cum noua Canonica committam odiosius. Nam & hanc nō
no nouam esse indicat quidam Pindari locus.

21 *COgnatio est cohærentia quædam personarum, quæ per generationem contracta ex eodem*
ne constat, cuius communione altera alteri coniuncta est. Etsi autem generatio suapte nat
22 *per deorsum vergit: tamen sciendum est, aliam esse inferiorem, & aliam superiorem: siue (vt*
& simplicius dicam) aliam generantem, & aliam generatam. Atq; ideo cognationem non tan
descendendo, sed etiā in ascendendo considerari; vtpote quæ tum ex superiori, tum ex inferior
ratione contrahatur: Quinimò non tantùm ex generatione, sed etiam ex communione sangui
23 *generationem, quoties idem & quasi commune nascendi initium diuersis personis pariter co*
Et quo illa continentia efficitur personarum, quæ vndique hoc est, tum ex continuitate, tum
latione, &, vt Ciceronis verbis vtar, suprà, infrà, dextrà, sinistrà, antè & pòst, in medium qu.
tanquam vmbilicum collecta & concreta, vocatur Cognatio. Nimirum hoc ipsum est, quod v
cimus, Cognationem generale nomen esse, & comprehendere Parentes, Liberos, et Propinquo.
24 *enim Parentes, qui (suprà collocati) nos genuerunt: Liberi, qui (infrà cōstituti) à nobis genu*
Propinqui autem, qui neq; nos genuerunt, neq; à nobis geniti sunt, sed idem originis generatio
initium habuere, vnde simul nobiscum descenderunt, cùm à dextra, cum à sinistra parte con
25 *Quos ideo Iurisconsulti Græco nomine* συγγενεῖς *appellant*[a]. *Cùm autem hæc omnia relatiua s*
cesse est monstrari eum, ad quem referantur. Ideo nos in describenda cognatione, Hypothetic
pinximus, quē illi Latinè vocās: Eum de cuius cognatione quæritur. Eumq; in medio collocat
hoc est, inferiorem Parentibus, superiorem liberis, propinquum ijs, qui à dextra & sinistra sunt
nim distinguenda esse Schemata testatur Paulus[b]. *Quæ nos, quò facilius priores à posteriorib*
cernerentur, in modum graduum descripsimus: per quos quasi per scalas locósve procliues, sic
remus, vt à proximo in proximū, hoc est, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transiremus, iuxta i.
ab eodem traditum est. Itaque si de parentum vel liberorum gradibus quæritur: sanè is, cuius
rentibus vel liberis agitur, in medio statuendus est: & in graduum computatione hanc regula
26 *vniuersum obseruare debet: Quoties quæritur quoto gradu quæq; persona sit, ab eo incipiendum*
cuius cognatione quæritur. Et si ex superiorib. vel inferiorib. gradib. est, recta linea sursum
vel deorsum tendendo, facilè inueniemus gradus, si per singulos gradus proximum quenque n
27 *mus*[c]. *Quòd si de propinquis quæstio est: Paulus nos hac via ad illos deducit: Non aliter (inq*
eos qui à latere sunt, peruenire potest is, de quo quæritur, nisi per eos transitum fuerit, ex qui
scūtur. Ideo frater secundo gradu est, quoniam patris vel matris persona, per quos coniungitu
numeratur[d]. *Nam cùm nulla sit immediata directa generatio, quæ ducat ab Hypothetico ad*
vel sororem, sed ambo sint in linea parallela, communem à patre originem habentes: sequenda
linea sanguinis, quæ primum sursum vergens, & postea deorsum, ducit ab Hypothetico ad f
28 *vel sororem. Hæc quia non intellexerunt Interpretes, lapsi sunt in errores infinitos, præsert.*
de graduum respectu agebatur. Hinc nata est regula, Quoto gradu propinqui distant à stipite
plicato distans inter se. Nam illa, vt apparet, propinquos, qui dextra parte spectant Hypothe.
ad eos dirigit, qui in sinistra sunt. Atq; ita quicquid ad graduum respectum & appellationem a
id omne confundit ac peruertit. Etenim, ne singulis recensendis longior sim, Auunculus non à
vel patruo, qui in alia sunt parte tabulæ, sic dicitur, hoc est, non appellatur Auunculus respe
rum, sed Hypothetici, qui quidem perpetuò alter eorum, de quorum continentia & coniunctio
tur, constitui debet: in quem alius quilibet eorum, qui in tabula descripti sunt, intueri debeat

ε quid-
at vete-
ɔusdam
quit, &
¶ Præ-
1. Poste
a Iurif-
: orbes:
ıgnan-
ıduum
it illud
. quan-
& figu-
na fin-
timus,
iam in
c dispu
omni-

angui-
ura fem
:larius
cùm in
i gene-
nus per
ntigit.
x copu
iddam,
lgò di-
t. Sunt
ti funt.
nisque
stituti.
nt, ne- a L. non facile. & l.
tm ap- vlt. de gradib.
timus,
. Ita e-
us dif- b L. vl. eiusdẽ tracta.
ncede-
d quod
de pa-
s in v-
eft, de
ersum
imere-
tit) ad c d. l. vlt. §. sunt autẽ.
us na-
prior
fratrẽ d dict. l. vlt. § quinto
est ea gradu.
atrem
im vbi
eo du-
ticum,
itinet,
fratre
u illo-
re agi-
Cæte-
ùm hic



GR. Fratt fotoratne
aneptes.

VII
AL
6

128

rùm hic error alios (vt fit) permultos peperit: velutitùm in gradu primo superiori, ipsum & ipsam collocant, vtuntur promiscuè collateralibus gradibus in ascensu: simul vtrinq; fratrem & sororem appingunt, scilicet, quia non permanserunt in ea, quam antea citauimus regula; Quoties quæritur quotu gradu quæque persona sit, ab eo incipiendum est, cuius de cognatione quæritur. Quo fit, vt in diuersos errores abducti, quasi sine gubernaculo nauigantes, certum in quem contendant, scopum inuenire non possint. Quod ad Canonicos attinet, etsi in hos errores non inciderint, tamen in alios multo grauiores lapsi sunt. finxerunt enim sibi Schemata pro suo arbitratu: in quibus mira comminiscuntur in describenda cognatione. Perpetuum enim tractum in descendendo continuant. Sed multum interest, cognationem an genealogiam describamus. Hic omnes personæ in vnam originem, vnde descenderunt, intuentur: nec potest de contrahendis nuptijs vllo modo disputari, quæ inter generationes mutuas nō coëunt, illic vndecunq; relatio fit, tum ex continuitate, tum ex copulatione; & tractatur commodissimè non tantùm de tutelis, hæreditatibus, testimonijs, verùm etiam de nuptijs. Et tamen (vt sunt ingeniosi) in contrahendis matrimonijs iuditant Ciuiles Leges vsui esse non posse: ac iubent suos Canones obseruari.

§. *Illud certum est cum §§. seq.*

1 Hunc §. esse appēdicem tituli de gradib. cognationum: non nouum titulum.
2 Cognationum seruilium quando aliquis vsus esse possit?
3 Seruiles cognationes non pertinere ad leges. fallit (num. 4.)
5 Seruile consortium quid?
6 Liber, pro filio, singulari numero.
7. 9 Nati ex cognatione seruili cum ad parentum successionem admittuntur, tum patrono frater præfertur.
8 Eorundem præ naturalibus liberis priuilegium.

I*LLVD certum est.*] Est hæc appendix tituli de gradibus cognatioonm: vt ineptum sit, nouum
hic effingere titulum de seruili cognatiooe. Nam & hæc sectio non ita pridem irrepsisse vide-
1 tur propter Schematum interuallum. Certè vetusta exemplaria Institutionom nullū hic habent
nouum titulum, sicuti nec Græca Theophili paraphrasis. Ac ne fortè putes eum errore prætermis-
sum vel expunctum, idem Theophilus postea, in titulo de exceptionibus, citans titulum de lite-
rarum obligarionibus ex hoc tertio libro, manifestè dicit eum esse vigesimum primum: atqui vi-
gesimus secundus esset, si quis esset titulus de seruili cognatione. Et Harmenopulus, lib. 2. Iuris
ὑπομνῶν, tit. 3. citans titulum huius libri de emprione & venditione. ait esse vigesimum tertium:
qui sanè alioqui vigesimus quartus esset. ¶ *Seruiles cognationes.*] Hæ sunt, quæ ex seruitute ducunt
originem: quarum vsus, aut vis aliqua tum demum esse potest, cùm dissoluta est seruitus. Nam
quandiu quis seruus est, nihili fit [a]. Itaque nec hodie adhuc seruus vlli succedit suo nomine, nec ei
2 à quoquam succeditur [b]. ¶ *Non pertinere.*] Vlpianus loquens de bonorum possessione Vnde cog-
nati, ait [c]: Pertinet hæc Lex ad cognatiooes non seruiles: nec enim facilè vlla seruilis videtur esse
3 cognatio. Sic & Paulus [d] loquens de gradibus cognarionum, scribit, seruiles cognationes non
4 pertinere ad Leges. Excipimus tamen leges nuptiarum, ad quas pertinent seruiles cognationes:
cùm etiam nuptijs impedimento esse possint [e] propter naturalia iura sanguinis [f]: & affinitatis [g].
5 ¶ *Seruili consortio.*] Hoc est, contubernio. Nam iure ciuili non dicitur matrimonium aut con-
nubiū seruorum, sed contubernium [h]. ¶ *Liberum.*] Liberum singulari numero rectè dici pro fi-
6 lio, suprà admonuimus [i]. ¶ *Hi omnes ad successionem patris.*] Magnum est & singulare hoc benefi-
7 cium. Nam alijs naturalibus tanrùm liberis denegatur omnis ratio succedendi: saltem quamdiu
8 supersunt legirimi. Sed maiore venia fauoréque dignos putauit Iustinianus eos qui iure prohiben-
te omnino non poterant legirimas nuprias contrahere. ¶ *Alterum in alterius.*] Id referendum est
ad ipsos inter se fratres, ipsius scilicet defuncti liberti filios. Vt intelligamus præferri etiam fra-
trem patrono. quod & hic docet Theophilus. Et sanè, cùm veteri iure æquè postponebantur pa-
trono parens, atque frater [k]: hoc iure sublato non debet deterior esse fratris, quàm parentis condi-
tio in pari causa, parique fauore iuris posterioris.

¶ *Repetitis itaque.*] Elegans est hæc *ἀνακεφαλαίωσις*, siue epilogus, qui totam legitimæ successionis rationem paucis complectitur: & ostendit non adeò necessariam fuisse moram in verbosis superiorum titulorum ambagibus, quæ plus fortassis habent tædij, quàm fructus.

a L. quod attinet. de reg. iur.
b L. seruus. C. comm. de success.
c L. 1. §. 1. D. vnde cogna.
d L. Iurisconsul. §. nominū. in fi. de grad. cogn.
e §. illud. supra, de nupt.
f L. iura sāguinis. de reg. iur.
g L. adoptiuus. §. idē tamē. de ritu nupt.
h L. cum ancillis. C. de incest. nupt.
i §. illud quoque. supra, per quas person. cuique acquir.
k L. liberto. de bono. liber. l. intestato. de suis & legi.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Veteres libertis quomodo successerint.
2 Liberti etiam hic ij intelliguntur, quos ex fideicommisso manumisimus.
3 Successionem passiuè hic accipi.



Ariè apud veteres statutum fuit, quo modo libertis succederetur. Et Lege quidem 1
duodecim Tabularum nullo modo patronis prospectũ erat, si libertus testatus decede-
ret: vel etiam intestatus, sed relictis liberis naturalibus aut adoptiuis. Postea Praeto-
res patronis prospexerunt, tam ex testamento, quàm ab intestato, si quidem relicti non
essent legitimi simul, & naturales liberi. nam adoptiuorum nullam hîc habuerunt ra-
tionem: ne scilicet facilè possent liberti eiusmodi adoptionis commento patronos ludificarier [a]*. Dein-*
de Lege Papia Poppaea magis aucta sunt patronorum iura: vt nec per naturales liberos, si modò pau-
ciores tribus essent, omnino excluderentur: sed in virilem portionem cum ijs admitterentur. Caete-
rùm Iustiniano nec id fuit satis, qui patronis voluit prospicere etiam aduersus libertorum testamen-
ta, & quantumuis multi superessent naturales filij. Illud porrò in vniuersum admonendi sumus, li- 2
bertos hîc accipi debere etiam eos, quos ex fideicommisso manumisimus [b]*. Nam & hi sunt nostri li-*
berti, non autem defuncti testatoris: quanquam aduersus eos ingrati actionem non habeamus [c]*. Et*
successionem in hoc titulo accipimus passiua significatione. hîc enim non quaeritur quemadmodum li-
berti succedant, sed potius qualiter ijs succedatur.

a L. fideicõmissum de condit. & demon.

b L. qui ex causa. de bon. liber. L. 1. de bon. possess. contra tab. lib.

c L. pen. C. de liber. & eor. liber.

De Successione Libertorum, Tit. VII.



VNC de libertorum bonis videamus. Olim itaque licebat liberto patronum suum impunè testamento praeterire. nam ita demum Lex duodecim Tabularum ad haereditatem liberti vocabat patronum, si intestatus mortuus esset libertus, haerede suo nullo relicto. Itaque intestato mortuo liberto, si is suum haeredem reliquisset, patrono nihil in bonis eius iuris erat. Et si quidẽ ex naturalibus liberis aliquem suum haeredem reliquisset, nulla videbatur querela. si verò adoptiuus filius fuisset: apertè iniquum erat, nihil iuris patrono superesse.

Qua de causa postea praetoris edicto haec iuris iniquitas emendata est. siue enim faciebat testamentum libertus: iubebatur ita testari, vt patrono partem dimidiam bonorum suorum relinqueret: & si aut nihil, aut minus parte dimidia reliquerat: dabatur patrono cõtra tabulas testamenti, partis dimidiae bonorum possessio: siue intestatus moriebatur, suo haerede relicto filio adoptiuo: dabatur aequè patrono contra hunc suum haeredẽ partis dimidiae bonorum possessio. Prodesse autem liberto solebant ad excludendum patronum naturales liberi, non solùm quos in potestate mortis tempore habebat, sed etiam emancipati, & in adoptionem dati: si modo ex aliqua parte scripti haeredes erant, aut praeteriti contra Tabulas bonorum possessionem ex edicto Praetorio petierant. nam exhaeredati, nullo modo repellebant patronum. Postea verò Lege Papia, adaucta sunt iura patronorum, qui locupletiores libertos habebant. Cautum est enim, vt ex bonis eius, qui sestertiûm centum millium patrimonium reliquerat: & pauciores, quàm tres liberos habebat: siue is testamento facto, siue intestatus mortuus erat: virilis pars patrono deberetur. Itaque cùm vnũ quidẽ filiũ filiámve haeredẽ reliquerat libertus: perinde pars dimidia debebatur patrono, ac si is sine vllo filio filiáve intestatus decessisset: cùm verò duos duásve haeredes reliquerat, tertia pars debebatur patrono: si tres reliquerat, repellebatur patronus.

Sed nostra Constitutio, quam pro omni natione, Graeca lingua compendioso tractatu habito composuimus, ita huiusmodi causam definiuit, Vt si quidem libertus vel liberta minores centenarijs sint, id est, minus centum aureis habeant substantiam (sic enim Legis Papiae summam interpretati sumus, vt pro mille sesterrijs vnus aureus computetur) nullum locum habeat patronus in eorum successione: si tamen testamentum fecerint. Sin autẽ intestati decesserint, nullo liberorum relicto: tunc patronatus ius (quod erat ex lege duodecim Tabularum) integrum reseruauit. Cùm verò maiores centenarijs sint, si haeredes vel bonorum possessores liberos habeant, siue vnum, siue plures, cuiuscunque sexus vel gradus: ad eos successiones parentũ deduximus, patronis omnib. modis vnà cum sua progenie semotis. Sin autem sine liberis decesserint: si quidem intestati, ad omnem haereditatem patronos patronásque vocauimus: si verò testamentum quidem fecerint, patronos autem, aut patronas praeterierint, cùm nullos liberos haberent, vel habentes eos exheredauerint, vel mater siue auus maternus eos praeterierint, ita quòd non possint argui inofficiosa eorum testamenta: tunc ex nostra Constitutione per bonorum possessionem contra tabulas, non dimidiam (vt antea) sed tertiam partem bonorum liberti consequantur: vel quod deest eis, ex Constitutione nostra repleatur, si quando minus

tertia parte bonorum suorum libertus vel liberta eis reliquerit: ita sine onere, vt néc libertis liberti libertæve ex ea parte, legata vel fideicōmissa præstentur, sed ad hæredes eorum hoc onus redundet: multis alijs casibus à nobis in præfata Cōstitutione congregatis, quos necessarios esse ad huiusmodi dispositionem iuris perspeximus: vt tam patroni patronæque, quam liberi eorum, necnon qui ex transuerso latere veniunt, vsque ad quintum gradum ad successionem libertorum libertarúmve vocentur, sicut ex ea Constitutione intelligendum est: etsi eiusdem patroni vel patronæ, vel duorum duarúmque plurium ve liberi sint: qui proximior est, ad liberti vel libertæ vocetur successionem, & in capita, non in stirpes diuidatur successio: eodem modo & in ijs, qui ex transuerso latere veniunt, seruando. Penè enim consonantia iura ingenuitatis & libertinitatis in successionibus fecimus. Sed hæc de ijs libertinis hodie dicenda sunt, qui in ciuitatem Romanam peruenerunt: cùm nec sint alij liberti, simul & Dedititijs & Latinis sublatis, cùm Latinorum legitimæ successiones nullæ penitus erant: quia licet vt liberi vitam suam peragebant, attamen ipso vltimo spiritu simul animam atque libertatem amittebant, & quasi seruorum, bona eorum iure quodammodo peculij ex Lege Iunia Norbana manumissores detinebant. Postea verò Senatusconsulto Largiano cautum fuerat, vt liberi manumissoris non nominatim exhæredati facti, extraneis hæredibus eorum in bonis Latinorum præponerentur. Quibus etiam superuênit Diui Traiani edictum, quod eundem hominem, si inuito vel ignorante patrono ad ciuitatē Romanam venire ex beneficio Principis festinârat: faciebat quidem viuum ciuem Romanum, Latinum verò morientem.

Sed nostra Constitutione propter huiusmodi conditionum vices, & alias difficultates, cum ipsis Latinis etiam legem Iuniam, & Senatuscōsultum Largianum, & edictum Diui Traiani, in perpetuum deleri censuimus: vt omnes liberti ciuitate Romana fruantur: & mirabili modo quibusdam adiectionibus ipsas vias, quę in Latinitatem ducebant, ad ciuitatem Romanam capiendam transposuimus.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Continuatio tituli.*
2 *Legis X I. Tab. circa libertorum successionem sententia quæ?*
3 *Applicationis ius olim exemplo iuris patronatus receptum.*
4 *Tota libertorum cognatio in solis olim liberis, post manumissionem susceptis.*
5 *Patronus liberti filio intestato succedere nunquam poterat.*

1 NVnc.] Nempe, cùm paulò antè dictum sit de ingenuorum successionibus: & aliquid additum fuerit de seruili cognatione, cui post manumissionem aliqua vis tributa est ad succedendum
2 ab intestato. ¶ *Nam ita demum Lex duodecim Tabularum.*] Huius Legis sententiam refert Vlpianus[a], his verbis, Intestato liberto mortuo primùm suis deferri hæreditatem, verum est. si hi non fuerint: [a] *L. intestato. de suis & legit.*
3 tunc patrono. Porrò fuit etiam apud veteres ius quoddam Applicationis, quo alicui tanquam patrono deferebatur intestati successio: nempe cùm quis peregrinus sese alicui veluti in clientelam dedidisset. Idque receptū videtur exemplo iuris patronatus, de quo hîc agitur. Cicero libro primo de Oratore Quid (inquit) quod in Centumuirali iudicio certatum esse accepimus? Qui Romā in exilium venisset, cui Romæ exulare ius esset, si se ad aliquem quasi patronū applicuisset, intestatoque esset mortuus, nónne in ea causa ius applicationis obscurum sanè & ignotum, patefactum in iudicio atque illustratum est à patrono? Applicationis meminisse videtur & Terentius in sua An-
4 dria, cùm ait: Tum ille egens fortè applicat primùm ad Chrysidis patrem se. ¶ *Nullo hærede suo.*] Præter quem nullum potest relinquere legitimum hæredem. Tota enim libertorum cognatio erat in solis liberis post manumissionem susceptis. Cæterùm seruilis cognationis nulla hoc iure habebatur ratio. Ideoq; nec seruorum parentes aliquo in numero erant; multo minus ex latere cognati, quorum cognatio tota veluti pendet ab ascendentibus. Vnde hîc Theophilus scribit, ὁ μὴ ἔχων ἀνιόντας, οὐδὲ τοὺς ἐκ πλαγίου κέκτηται. [qui ascendentes non habet, neque ex transuerso cognatos
5 habere potest] ¶ *Nihil in bonis eius.*] Multo minus in bonis ipsius filij intestati, etiam nullo suo hærede relicto. Neque enim à libertorum liberis ad patronos vnquam redibat hæreditas. Et quod Cicero libro primo de Oratore scribit, Claudios apud Centumuiros contendisse, Ab liberti filio ad sese hęreditatem redijsse: intelligi debet id eos fecisse nō iure patronatus, sed gentilitatis. Quòd is (de cuius hæreditate quærebatur) non fuisset reuera libertinæ conditionis, seu retinuisset gentilitatem. ¶ *Nulla videbatur querela.*] Hoc est, Nemo iure queri, aut damnare id poterat. Theophilus vertit, φορητὸν ἦν, ferendum erat.

§. *Quâ de causa.*

1 *Liberto patronus quomodo iure prætorio successerit.*
2 *In liberti bonis castrensibus nihil iuris erat patrono.*
3 *Libertus patrono si dimidiam partem suorum bonorum relinqueret quocunq; titulo satis erat.*

4. §. L. PA.

4.5. L.Papiæ capita quæ?
6 Libertorum olim opes.
7.8. Sestertium quanti olim valoris?
9.12. Sestertia continebant millenos sestertios.
10 Centum sestertia, & centum millia sestertiûm quomodo idem significent?
11 Sestertij numi æstimatio quæ verisimiliter in vsu fuerit temporibus L.Papiæ: & patrimonium centum sestertiorum quod?
13.14. Centies sestertiûm; centies centena sestertia; centies centena millia sestertiûm, quomodo idem sint?

a L.1.de bon.liber. ¶ *Prætoris edicto.*] Scribit Vlpianus [a], primum Prætorem Rutilium edixisse, se amplius non 1
daturum patrono, quàm operarum & societatis actionem: videlicet si hoc pepigisset, vt nisi ei ob-
sequium præstaret libertus, in societatem admitteretur patronus: Posteriores verò Prætores certæ
partis bonorum possessionem pollicitos. & hanc addit rationem Vlpianus; Videlicet enim ima-
go societatis induxit eiusdem partis præstationem: vt quod viuus solebat societatis nomine præ-
stare, id post mortem præstaret. ¶ *Bonorum suorum.*] Non castrensium. Nam patronus contra ea 2
b L.3.§.patronus.de bon.liber. bona liberti, quæ in castris quæsita sunt, omnino non admittebatur, vt ait Vlpianus [b]. ¶ *Relin-* 3
queret.] Eo, quo vellet, titulo. Nam & si debita patrono portio, ei legata sit: satisfactum est ei. Et si
institutus fuerit ex parte minore, quàm ei debebatur, residua vero pars suppleta est ei legatis: & ita
satisfactum ei videtur. Et mortis causa donationibus, vel si contemplatione debitæ portionis ei
c dic.l.3.§.si debita. donetur, ei satisfieri potest. Quæ omnia complexus est suo responso Vlpianus [c]. ¶ *Lege Papia.*] 4
Hæc Lex habuit multa capita, veluti; Ne sexagenarij vxorem ducerent: Ne matrimonio misceri
posset Senatorius sanguis cum Libertino: De caducis: De iure, quod habent patroni in bonis li-
bertorum. ¶ *Adaucta.*] Vt etiam cum liberis legitimis & naturalibus ad aliquam portionem 5
admitterentur. Quod prius denegatum fuerat Lege duodecim Tabularum & Iure Prætorio. ¶ *Lo-*
cupletiores libertos.] Fortassis aliquis mirabitur libertorum opes olim potuisse excrescere ad cen- 6
tum millia sestertiûm. Sed scribit Tacitus lib.12. Pallantem Claudij Cæsaris libertum, sestertij ter
millies possedisse, ipso nempe M. Crasso ditiorem vicies & quinquies centenis millibus. Habuit
idem Claudius Cæsar & alios locupletissimos libertos, Narcissum, & Liciniũ. Sed & Demetrium
Pompeij libertum reliquisse censum trium millium talentorum testatur Plutarchus. Et Cæcilius
Claudius Isidorus seruitute liberatus, eas statim diuitias congessit, vt quanuis multa ciuili bello
amisisset, tamen moriens reliquerit seruorum quatuor millia, boum sex millia, reliqui pecoris du
centa quinquaginta quinq; millia: in numerata verò pecunia, sestertiûm sexcenties. Quid dicam
de Chrysogono Syllæ liberto, Amphione Q. Catuli, Hilaro Antonij, Mena & Menogene Sex.
Pompeij? quos certè omnes constat ex bonis proscriptorum subitò esse supra modum ditatos.
¶ *Sestertiûm centum millium patrimonium.*] Sestertius apud Romanos numus erat, qui duos as- 7
ses & semissem initio continebat, poteratque æstimari decem gallicis denariolis, quos appellant
Turonenses. Postea verò sestertius æstimatus fuit quatuor assibus. Sestertia autem numero plura- 8
li & in genere neutro enuntiata, cõtinebant millenos sestertios. Itaq; nihil intererat inter centum 9
sestertia, & centum millia sestertiûm: vtraq; autem summa, si primam æstimationem sestertiorum 10
expendas, complectebatur bismille & quingentos aureos coronatos: vel certè quatuor millia co-
ronatorum, si eam intuearis sestertij numi æstimationem, quam à dictatura Q.Fabij Maximi re- 11
ceptam, verisimile est in vsu fuisse temporibus legis Papiæ. Porrò vt à numis sestertijs ad sestertia 12
transeundo, numerus millies multiplicatur: ita quum ad eam locutionem ventum est, quæ per 13
aduerbia numeralia enuntiatur, crescunt sestertia singula conduplicata. vt si centũ sestertia dicam,
intelligis centum millia sestertiûm; Sic vbi centies sestertiûm dico, intelligere debes centies cen- 14
tena sestertia, siue centies centena millia sestertiûm.

§. *Sed nostra. cum §§. sequentib.*

1.2.4. Cur & quantum minuerit Iustinianus summam Legis Papiæ?
3 Libram auri centum coronatis Gallicis æstimari.
5 Non tantùm liberi liberti, sed parentes etiam & fratres succedendo patronos excludunt.
6 Quid, si filius liberti semel hæres factus, postea abstinuerit?
7.12.20.22. Inter libertinam & ingenuam successionem, bonorumq; possessionem contra tabulas, differentia quæ?
8 Legitima patronorum portio quanto maior quàm liberorum?
9 Patronus, si legitima ipsi à liberto relicta non sit, ad supplementum agit, instar filij.
10.11. Legitima patroni portio ab omni onere, non secus ac filij legitima, libera est.
13 Si patronus trientem suum repudiet, legata præstabuntur ab eo cui is triens accrescet.
14 Quid, si patrono relictum quid sit supra trientem?
15 Ad hæredes cur legatorum & fideicommissorum onera hic redundent?
16 Liberos patroni ex inæqualibus institutos ex æquis tamen partibus actionem operarum consequi.
17 Liberto non tantùm patronus eiúsve liberi in infinitum, sed etiam ex latere cõiuncti vsq; ad gradum V. succedunt.
18 Alia est hæreditatis diuisio inter liberos patroni, quã inter liberos parentum.
19 In libertorũ successione gradus prærogatiua seruãda.
21 Discrimen successionum libertinitatis & ingenuitatis quid faciat?
23 S.C.Largianum cur reiectum?

¶ *Sed nostra Constitutio.*] Hanc Græcam Iustiniani Constitutionem de iure patronatus, cuius iam to-

Iam toties facta est mentio, non extare, iam dictum est. Nam nec hodie extat inter alias Græcas
νεαράς: nec tamen verisimile est cum priori Codice intercidisse: cùm post eum reiectum, eius adhuc
1 quasi vigentis meminerit Iustinianus in Nou. sua Constit. 1. ¶ *Interpretati sumus.*] Habita nempe
rationes tenuitatis & inopię posteriorum temporum: quibus ita decreuerant opes priuatorum in-
finitis tributis exhaustæ, vt sequendo Legis Papiæ conditionem, fuisset prorsus inutile ius patro-
natus. Pauci enim erant liberti, qui tum in bonis haberent centum millia sestertiûm. Ergo Iusti-
nianus mutauit conditionem, quæ centum sestertia desiderabat, & constituit, vt Centenarius li-
bertus censeretur, qui centum eius temporis aureos in bonis reliquisset: quam summam non ex-
cessisse centum & quadraginta nostrates aureos coronatos facilè intelliges, si memineris eorum,
2 quæ alio loco [a] diximus de æstimatione solidorum. Itaque apparet Iustinianum admodum mi- *a in §. nos autem. su-*
nuisse summam Legis Papiæ, nempe ter mille & octingentis sexaginta nostratibus coronatis: aut *pru. de Atti. tute.*
saltem bis mille trecentis & quinquaginta, si primam illam leuiorẽ sestertij numi æstimationem
sequi volueris, quanquam ea iam exoleuerat temporibus Legis Papiæ. Sed vt concedamus eam
adhuc viguisse, tamen non habebatur Centenarius libertus, qui non haberet mille illius veteris
ponderis & æstimationis solidos aureos: quorum singuli centenos sestertios continebant, & qua-
3 draginta conficiebant auri libram, quæ centum nostratibus coronatis solet æstimari. Nunc ex in-
terpretatione Iustiniani habetur Centenarius, etiam qui centum leuiores habet aureos: quorum
4 septuaginta duo conficiunt libram auri, & singuli tantùm continent sexaginta sex sestertios. Vn-
de apparet summam Legis Papiæ, quæ continebat centum millia sestertiûm, redactam esse ad
summam sex millium & sexcentorum sestertiûm. ¶ *Nullo liberorum relicto.*] Iustinianus cùm hic
tantùm referat quod in Lege Papia immutauit, non nisi liberorum meminit: sed interim memi-
5 nisse debemus, quod paulo antè dictum est [b]; nouo iure etiam parentes & fratres præferri patro- *b §. vlti. supra, & de*
6 nis. ¶ *Patronu omnibus modu semotu.*] Si tamen filius semel hæres factus, postea abstinuerit, fortè in *grad. cogna.*
integrum eo nomine restitutus: admittetur patronus, nec amplius summouebitur [c]. *c L. & si ex medica.*
7 ¶ *Per bonorum possessionem contra tabulas.*] Hæc tamen bonorum possessio non rescindet tabu- *§. si filius. de bon. libe.*
las in solidum, sed tantummodo ratione vnius trientis, quem solum persequi potest patronus.
Cæterùm bonorum possessio, quæ filio præterito datur, integrum totumq; testamentum subuer-
tit, vt res ad causam intestati reducatur. Alia, in quibus aut diuersum est, aut conuenit ius filij &
patroni, paulò pòst annotabimus.
8 ¶ *Sed tertiam partem.*] Ergo legitima patronorum portio maior adhuc fuit liberorũ, quæ hoc
iure non nisi quadrantem continebat, & vix tandem postea aucta est ad trientem per Nouellam
9 Iustiniani Constit. 18. ¶ *Quod deest repleatur.*] In hoc conuenit patronus cum filio. Nam & si quid
filio in testamento fuerit relictum; non amplius poterit queri quàm vt repleatur, addaturq; quod
deest legitimæ eius portioni [d]. ¶ *Ita sine onere.*] Fuit quidẽ & olim libera ab onere fideicommissi *d L. omnimodo. C de*
legitima patroni portio [e]: at non ita libera, vt nec liberis ipsius liberti cogeretur præstare fidei- *inoff. testa.*
commissum aut legatum. Imò verò id multis præstabat [f]. Nam & in vniuersum olim, quicunque *e L. cum patronus. de*
iudicium testatoris per bonorum possessionem contra tabulas rescindebat, iubebatur nihilomi- *legat. 2. l. si patronus. de donat.*
nus præstare legata & fideicommissa quibusdam personis, nempe liberis, & parentibus: item vxo- *f L. 4. de condit. &*
10 ri & nurui, si quid dotis nomine legatum esset [g]. Nunc verò Iustinianus legitimam patroni por- *demonstrat.*
tionem ab omni prorsus onere liberam esse voluit: vt nec liberis liberti quicquam eo nomine præ- *g L. 1. de leg. præst. cont. tab. bon. possess.*
11 stare cogatur. Hacque rursus in re patronus par est filio, cuius etiam legitima portio nullo modo *pett.*
potest onerari [h]. Vnde & Iustinianus in Nouella sua Constit. prima. hac in parte cõfert legitimam *h L. quoniam in prio*
12 filij & patroni. Sed in alio discrimen est: quòd filius petita bonorum possessione contra tabulas, *rib. C de inoff. testa.*
ex veteri Prætoris edicto iubeatur legata præstare coniunctis personis [i]. Nec est obscura discrimi- *i si arrogat. de adopt.*
nis ratio. quòd filius per bonorum possessionem, totam hæreditatem consequatur: at patronus su- *i d. §. l. 1.*
13 um trientem. ¶ *Præstentur.*] Ab ipso patrono, qui si suum repudiaret trientem, certè ab eo præsta-
rentur, cui is triens accresceret. Sic enim eleganter à Marcello responsum est [k]: Cùm patronus ex *k L. cùm patronus. de*
debita parte institutus, fideicommissum relictum ab eo præstare non cogatur, si omiserit institu- *legat. 2.*
tionem: vtrùm, qui eam partem vindicat, eodẽ modo retinere, an verò præstare debeat fideicom-
missum? Et magis est, deberi fideicõmissum: quia quod illius personæ præstatur, hoc nequaquam
14 ad alium pertinere debet. Hæc ille. Porrò si quid patrono vltro relictum fit supra trientem: eo,
quod liberaliter adiectum est, non potietur, nisi iudicio testatoris fecerit satis, vt est in Nouella
Constitut. 1.
15 ¶ *Ad coheredes.*] Nam vt hi bessem pro semisse habent noui iuris beneficio, ita æquum est eos
portionis patroni, quæ eorum bono imminuta est, onera sustinere. vt qui vna parte oneratur, al-
tera iuuetur, & è diuerso [l]. *l L. eum qui de inte-*
¶ *Quam liberi eorum.*] In infinitum scilicet. & id quidem suo quodam iure. quia liberi sunt, nõ *stat.*
16 autem quasi hæredes. Vnde fit, vt liberi patroni ex inæqualibus partibus ab eo hæredes institui, *m L. vt iurisiurandi. §. si liberi. D. ope. libe.*
nihilominus consequantur ex æquis partibus actionem operarum [m]. Nempe quia hic non mo- *n L. si ex patrono. §.*
ramur nomen hæreditarium. Itaque & si filij omnino hæredes non fuerint, esse tamen potuerint, *Iulianus. de bono. li-*
nec quid fecerint, cuius nomine sint iure exhæredari [n]: æquè admittentur [o]. Porrò autem nullo *ber.*
17 gradu concludimus eorum ius. Quocunque enim gradu sint, semper liberi sunt, etiam in infini- *o L. si patronus testa*
tum. Et quod hic subijcitur de quinto gradu, tantummodo pertinet ad eos, qui ex transuerso ve- *mento. § 2. & l. Paulus. 2. de bon. liber.*
niunt, vti etiam docet Theophilus. ¶ *Eorum.*] Patroni quidem iusti liberi: neque enim alij ad- *p L. patrona. de bon.*
mittuntur. Patronæ verò etiam vulgo quæsiti [p]. *liber.*

Et in

Et in capita, non in stirpes.] Aliter tamen diuiditur inter liberos hæreditas parentum. Suprà enim dictum est, nepotes ex pluribus filijs, hæreditatem aui diuidere in stirpes, & non in capita. 18
Eodem modo.] Tam scilicet de admittendo solo proximiori, quàm inter eos, qui pari gradu sunt, de diuidunda hæreditate viritim in capita. 19

Pene enim.] Ad hunc modum in Nouella Constitut. 1. ἐν αὐτῇ (inquit) τῇ ἀεὶ τῆς πατρωνικῆς τεθείσῃ παρ' ἡμῶν διατάξει πρὸς ὁμοιότητα σχεδὸν τῶν εὐγενῶν, καὶ τὰς ἀπελευθερικὰς ἐπάξαμεν διαδοχάς. [In ipsa de iure Patronatus posita à nobis Constitutione, ad similitudinem pene ingenuorum, etiam libertinorum successiones redegimus.] Innuit autem hæc vocula, (penè) sicut illa, σχεδὸν, subesse adhuc aliquod discrimen: vt & reuera multum adhuc reliquum est discriminis. 20 Primùm, à latere succeditur ingenuis, saltem vsque ad decimum gradum: At libertis non vltra quintum. In recta linea si agatur de hæreditate ingenui, admittitur nepos cum filio superstite, & hodie quoque in Collaterali filius fratris cum fratre defuncti: At cùm libertina est successio, solus proximus admittitur: nec vllus videtur esse locus repræsentationi. Illic plerunque in stirpes: hîc semper in capita succeditur. Quo fit, vt non satis constet collatio, ipsaq; ætiologia, quam hic proponit Iustinianus: parumque conueniat exemplum successionum ingenuitatis. Nec obscura est discriminis ratio, quòd li- 21
beri patroni suo veluti proprio iure succedant, non vt hæredes parentum, vti paulò antè diximus. Sunt præterea alia discrimina. Bonorum possessio, quæ præterito patrono datur aduersus tabulas 22
liberti, non pertinet nisi ad vnum trientem: nec vltra rescindit testamentum: At quæ filio competit, prorsus totum subuertit testamentum [a]. Rursus liberis datur bonorum possessio contra tabulas, etiam nondum adita hæreditate [b]: Patrono verò non nisi ea adita [c]. Liberis nouo saltem iure, legitima portio omnino relinqui debet titulo institutionis: In patronis nihil tale Lex exigit. Ad hæc, quod accrescit bonis mortui liberti, non auget legitimam patroni: At eiusmodi accessio & incrementum prodesset liberis. Postremò libertus impetrat liberam testandi potestatem, & impunè potest patronum præterire: At in fraudem liberorum id non potest impetrari.

a L. illud. de bon. poss. cont. tabu.
b dic l. illud §. fina.
c L. etiam. § si patronum. de bon. liber.

Sed nostra Constitutione.] Extat hæc Iustiniani Constitutio [d]. Sed plura, quæ pertinent ad Latinos & Dedititios libertos, repetenda sunt ex libro primo. *Et Senatusconsultum Largianum.*] 23
Quod Iustinianus in Nouella sua Constitut. 78. ait reiectum esse, quia frustra esset ab initio introductum, τὸ (inquit) Λαργιανὸν δόγμα, ὡς μάτην καὶ τὴν ἀρχὴν εἰσαχθὲν, καὶ ὀρθῶς ὕστερον ἐκβεβλημένον. [Senatusconsultum Largianum, vt & initio frustra introductum, & rectè postea reiectum, odio habuimus.]

d L. vnica. C. de lati. liber. tollen.

IN TITVLVM SEQVENTEM

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *S.C. de aßignatione libertorum quando latum?*
2 *An hodie patronus feudalis ius suum berile in alium peculiariter poßit transferre?*
3 *Aßignare libertum quid?*
4 *Ex causa aßignationis iudicandum, quo ea tendat.*

CLAVDII Cæsaris temporibus factum fuit Senatusconsultum, quo cauebatur, posse patronum vni vel pluribus ex suis liberis, libertum aßignare: & eo modo ascribere, 1
vt alij filij nihil in eum iuris haberent. Vnde (vt hinc aliquid excerpamus, cuius præsens indiget vsus) annotatum est; hodie posse patronum feudalem, ius illud suum 2
δεσποτικὸν, [berile,] in alium peculiariter transferre: idq; veluti aßignare suum clientem. Sed vereor, ne hæc parum conueniant moribus nostris. Porrò autem Modestinus scribit [e]; Aßignare libertum, esse testificari, cuius ex liberis libertum esse velit. Idq; etiam satis colligi potest ex ipsius Senatusconsulti verbis, quæ paulò pòst referemus. Et pertinet sanè in Iure nostro Ciuili verbum aßignandi, modò ad translationem iuris & dominij [f]: vnde Theophilus hîc vertit ἀσσιγνεῦσαι: modò etiam ad solam pignerationem vel custodiam [g]. Itaq; obseruari debet causa aßignationis: & ex ea iudicari, quò tendat pertineátve [h]. 3 4

e L. aßignare. de verbo. signif.
f L. 4. de Euictioni.
g L. 1. §. antepen. de ven. in poss. mitten.
h L. cum pater. §. pluribus. de lega. 2.

De aßignatione Libertorum, Tit. VIII.

IN summa (quod ad bona libertorum attinet) admonendi sumus, censuisse Senatū, vt quamuis ad omnes patroni liberos, qui eiusdem gradus sunt, æqualiter bona libertorum pertineant: tamen licere parenti, vni ex liberis adsignare libertum, vt post mortem eius, solus is patronus habeatur, cui adsignatus est: & cæteri liberi, qui ipsi quoque ad eadem bona, nulla adsignatione interueniente pariter admitterentur, nihil iuris in his bonis habeant: sed ita demum pristinum ius recipiant, si is, cui adsignatus est, decesserit nullis liberis relictis. Nec tantùm libertum, sed

etiam

etiam libertam: & non tantùm filio, nepotíve, sed etiam filiæ neptíve adsignare permittitur. Datur autem hæc aſsignandi facultas ei, qui duos pluréſve liberos in poteſtate habebit, vt eis, quos in poteſtate habet, adſignare libertum libertámve liceat. Vnde quærebatur, ſi eum, cui adſignauit, poſtea emancipauerit: num euaneſcat adſignatio? Sed placuit euaneſcere: quod & Iuliano & aliis pleriſque viſum eſt. Nec intereſt, an teſtamento quis adſignet, an ſine teſtamento: ſed etiam quibuſcunque verbis patronis hoc permittitur facere, ex ipſo Senatuſconſulto, quod Claudianis temporibus factum eſt, Sabellio Rufo & Aſterio Scapula Conſulibus.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Verba Senatuſconſulti de aſsignandis libertis.
2 Ad patroni liberos tranſit patronatus ius, non quatenus hæredes ſcribuntur, ſed quatenus liberi ſunt.
3 Cui libertus aſsignatus eſt, non poteſt eum rurſus filio ſuo aſsignare.
4 Quid, ſi alteri aſsignatam libertam alter vxorem duceret?

Q*Vod ad bona libertorum attinet.*] Horum verborum adiectio & parentheſis eò tanrùm pertinet, quòd hîc de bonis libertorum agatur, deque eorum ſucceſsione, ne quis temerè colligat, aſsignationem ſolùm pertinere ad bona libertorum. Nam & ad eorum perſonas pertinet. Omnino enim torus libertus, eius fit, cui aſsignatus eſt, perinde atque ſi ab eo eſſet manumiſſus. Verba Se-
1 natuſconſulti, quibus id ſatis ſignificatur, ſunt hęc[a]: Si qui duos pluréſve liberos iuſtis nuptiis quęſitos in poreſtare haberet, de liberto libertáve ſua ſignificâſſet, cuius ex liberis ſuis, eum libertum, eámve libertam eſſe vellet: is, eáve quandoque is, qui eum eámve manumiſit inter viuos, vel reſtamento, in ciuitate eſſe deſiiſſet; ſolus ei patronus, ſoláve eſſet patrona, perinde atque ſi ab eo eáve, libertatem conſecutus conſecutáve eſſet. Vtque ſi ex liberis quis in ciuitate eſſe deſiiſſet, neque ei liberi vlli eſſent; cæteris eius liberis, qui manumiſiſſet, perinde omnia iura ſeruarentur, ac ſi nihil de eo liberto, eáve liberta is parens ſignificâſſet.

a L.1. de aſsigna. libe.

2 *Qui eiuſdem gradus ſunt.*] Etiam ſi alioqui à patre æqualiter ſint ſcripti hæredes[b]. Imò & ſi omnino patri hæredes non ſint: nihilominus enim ſunt liberi; quo ſolo nomine ad eos tranſit ius patrona-
3 rus. ¶ *Aſsignare libertum.*] Quem ipſe manumiſit. Cæterùm is cui libertus aſsignatus eſt, non po-
4 terit rurſus eum filio ſuo aſsignare[c].
¶ *Eius ſolus is patronus.*] Etiam ſi alter vxorem duceret aſsignatam alteri libertam. Sic enim reſpondit noſter Terentius[d]: Si vni ex filiis aſsignatam, alter vxorem duxerit: non idem ius, quod patrono, tribuendum. nihil enim iuris habebit: quia Senatus omne ius libertorum aſsignatorum ad eum tranſtulit, cui id pater tribuit.

b L. vt iuriſiurãdi. §. ſi liberi. de oper. libert.
c L. liberti. de aſsignan. libert.
d L. filio patroni. §. ſi vni. de ritu nupt.

§. *Datur autem.*

1 Emancipato aſsignari libertus an poſsit.
2 Tribonianus & Theophilus notati.
3 §. huius nullus hodie vſus eſt.
4 Aſsignatio emancipatione & exhæredatione tacitè reuocatur.
5 Aſsignatio quibuſcunque verbis, imo & nutu fieri poteſt.
6 Et ex die quis aſsignare poteſt, non tamen in diem.

¶ *Vt eis, quos in poteſtate habet.*] Hæc interpretatio noua eſt, & parum conuenit cum reſponſis ve-
1 terum Iuriſconſultorum. Extat enim Modeſtini reſponſum his verbis[e]: Vtrùm ei tantùm, qui in poteſtate ſit, an etiam emancipato filio aſsignare libertum patronus poſsit. ſi modò non pauciores, quàm duos præterea. in poteſtate habeat, dubitari ſolet. Et magis eſt, poſſe. Nec obſtat ſanè quod hîc ſubiicit Iuſtinianus, emancipatione ſecuta aſsignationem prius filio ſa. factam euaneſcere. Non enim ideo ſequitur non licere emancipato aſsignare. Sic vſusfr. finitur ſecuta media capitis diminutione[f]: non tamen inutilis eſt, ſi cõſtituatur iam capite diminuto. imò verò & in eum
2 caſum conſtitui non poteſt[g]. Hæc parum videtur expendiſſe hoc loco Tribonianus: multo minus
3 Theophilus. Sed res eſt hodie nullius momenti: vt digna non ſit quæ nos torqueat: & tamen facilè dici poreſt, alium eſſe caſum, quem Modeſtinus tractat, alium, quem hoc loco Iuſtinianus.
4 ¶ *Placuit euaneſcere.*] Nam & videtur tacito quodam iudicio pater aſsignationem reuocaſſe[h]. Exhæredationem quoque adimere aſsignationem, ſi hoc animo facta ſit, reſpondit Vlpianus[i].
5 ¶ *Nec intereſt.*] Inquit Vlpianus[k], Aſsignare quis poteſt quibuſcunque verbis vel nutu, vel teſtamento, vel Codicillis. Et Scæuola[l], Aſsignare (inquit) & purè & ſub conditione, & per epiſtolam vel per teſtationem, vel per chirographum poſſumus; quia aſsignatio liberti neque quaſi legatum,

e L. vtrum ei tantum de aſsignan. libert.
f §. finitur ſup. de vſufr.
g L. 1. §. item in fundo cum leg. ſeq. l. repeti. D. quemad. vſusf. amitt.
h L. arg. l. cùm quis, et l. ſi cùm Cornelius. de ſolut.
i L. 1. §. ſed & ſi poſt. de aſsignan. libert.
k Diſt. l. 1. §. aſsignare
l L. aſsignare D. illo tit.

a L. vlt. §. vlt. C. [?]llo rit.

neque quasi fideicommissum percipitur, non potest tamen in diem certum fieri, sed tantùm ex
die[a]. *Velleo Ruso, & Hosterio Scapula.*]Ita legi horum Consulum nomina in libris Flotentinis, testis 6
est Anto. Augustinus lib. 3. Emendat. cap. 7.

IN SEQVENTEM TITVLVM

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Continuatio tituli.

2 Bonorumpossessiones II. modus est acquirendæ vniuersitatis.

3 Ius bonorumpossessionis introductum. ob ius Ciuile, aut adiuuandum, aut supplendum, aut corrigendum.

4 Tempus bonorumpossessionis in patre & liberis annale, in aliis 100. dierum est.

5.7 Bonorumpossessionis definitio, eiusdemq́; declaratio.

6 Possessio quomodo iuris esse dicatur, non facti.

8 Verbum Persequi, pertinere ad rei vindicationem.

9 Successio hic qua appelletur?

b §. vlt. supr. per quas perso. nob. acqui.
c L. ius autē ciuile. §. 1. de iustit. & iure.
d L. 3. §. 1. de bo poss.
e L. rem in bonis. de acquir. rer. domi.
f §. 1. § rei persequēdæ inst de act.
g L. actionis. l. pecuniæ. § persecutionis. l. quibus §. vlt. de verb signific.
h L. hæreditas. de reg. iu.
i L. 3. de bon poss.

SVperius[b] proposnit quatuor modos, quibus per vniuersitatem res nobis acquiruntur. 1
Quorum primus est de hæreditatibus: de quibus tam ab intestato, quàm ex testa-
mento hactenus dictum est; siue ex Lege duodecim Tabularum; siue ex Senatus-
consultis; siue ex Principum placitis, obuenirent. Nunc Iustinianus transit ad se- 2
cundum & proximum modum acquirendæ vniuersitatis, qui est ex iure Prætorio
per bonorum possessiones. Hìcq́; inprimis sciendum est; ius bonorum possessionis esse introductum 3
ex tribus illis caussis, ex quibus & totum Ius Prætorium, nempe; adiuuandi, vel supplendi, vel cor-
rigendi Iuris Ciuilis gratia[c]. Adiuuandi quidem, in agnatis, quibus quod Iure Ciuili competebat,
Prætor confirmauit: supplendi in patrono, qui alioqui à liberto præteritus non habebat Iure Ciuili
certum auxilium: Corrigendum, in posthumo alieno, filio emancipato, &c. Enumerat autem Iu-
stinianus omnes bonorum possessiones, earumq́; tempus definit. quod est annale in patre & liberis: in 4
aliis, centum dierum. Præterea sciendum est; Bonorum possessionem ab Vlpiano definiri[d]; Esse ius 5
persequendi retinendiq́; patrimonij, siue eius rei, quæ cuiusque, cùm moritur, fuit. Quæ verba sentio
non aliò pertinere, quàm ad declarandam vim & effectum siue ius bonorum possessionis iam conces-
sæ: quòd per eam beneficio Prætoris quis consequatur ius dominij in bonis defuncti. Sicut etiam sole-
mus dicere; Id esse in bonis nostris, cuius retinendi nomine possidentes, exceptionem habemus, vel si e-
ius possessione exciderimus, actionem, qua id persequamur[e]. Et ad hunc modum rectè dicitur possessio 6
iuris esse, non facti: nec aliud significâsse videtur Vlpianus. Sed si aliorum interpretationem sequa- 7
mur, magis videbitur definisse petitionem bonorum possessionis, quàm ipsam bonorum possessionem:
quæ sanè nulla est, nisi iam petita aut concessa datáve. Nec tamen prius quàm bonorum possessores à
Prætore facti simus, consequimur ius illud retinendi persequendive patrimonij defuncti. Certè in
iure notum non est; verbum persequendi pertinere ad rei vindicationem[f], sicuti & generale verbum 8
actionis[g]. Sicque & Harmenopulus simpliciter vertit Vlpiani definitionem. Nam libro primo Iuris
ἐπιτομῶν, tit. 10. ait, διακατοχὴ δέ ἐστι δίκαιον τοῦ ἐξεῖναι κρατεῖν τὴν οὐσίαν ἢ τὰ πράγματα τοῦ τελευτήσαντος. *[Bono-*
rum possessio est ius persequendi siue occupandi patrimonium & fortunas defuncti.] Hæreditatem
verò idem Vlpianus[h] definit, esse successionem in vniuersum ius, quod defunctus habuit tempore
mortis. Successionem autem hic vocare videtur, illud ipsum quod ex successione hæredis adeuntis 9
efficitur, complectiturq́; quandam vniuersitatem: sicuti & Vlpianus[i] ipse, Bona definit esse,
vniuersitatis cuiusque successionem. Audio Florentiæ nuper excusos esse in hunc ipsum titulum
vberrimos commentarios, quos etsi nondum viderim, tamen gaudeo tam esse, vt dicuntur, vbe-
res, vt non molestè feram meos nunc esse ieiuniores. Certè mihi gratulor non esse mihi necesse diu-
tius hîc immorari, vbi neque suauis, neq́; vtilis mora est.

De bonorum possessionibus, Titulus IX.

IVs bonorū possessionis introductū est à Prętore emēdādi veteris iuris gratia. Nec solùm in intestatorū hæreditatibus vetus ius eo modo Prętor emēdauit, sicut suprà dictū est: sed in eorū quoque, qui testamēto facto decesserint. Nā si alien' posthumus hęres fuerit institutus: quāuis hęreditatē Iure Ciuili adire nō poterat, cùm institutio nō valebat: Honorario tamē iure bonorū possessor efficiebatur, videlicet cùm à Prætore adiuuabatur. Sed & is à nostra Cōstitutione hodie rectè hæres instituitur, quasi & Iure Ciuili non incognitus. Aliquādo tamē, neq; emēdādi, neque impugnādi veteris iuris, sed magis cōfirmādi gratia, Prętor pollicetur bonorū possessionē. Nam illis quoque qui rectè testamēto facto hęredes instituti sunt, dat secundū Tabulas bonorū possessionē. Itē ab intestato suos hæredes & adgnatos ad bonorū possessionē vocat. Sed & remota quoque bonorū possessione, ad eos pertinet hæreditas Iure Ciuili.

Quos

Quos autem ſolus vocat Prætor ad hæreditatem: hæredes quidem ipſo iure non fiunt. Nam Prætor hæredem facere non poteſt: per legem enim tantùm, vel ſimilem Iuris Conſtitutionem hæredes fiunt, veluti per Senatuſconſulta & Conſtitutiones Principales. ſed cùm eis Prætor dat bonorum poſſeſſionem: loco hæredum conſtituuntur, & vocantur Bonorum poſſeſſores.

Adhuc autem & alios complures gradus Prætor fecit in bonorum poſſeſſionibus dandis, dũ id agebat, ne quis ſine ſucceſſore moreretur. Nam anguſtiſſimis finibus conſtitutum per Legem duodecim Tabularum Ius percipiendarum hæreditatum, Prætor ex bono & æquo dilatauit.

Sunt autem bonorum poſſeſſiones ex teſtamento quidem hæ: Prima, quæ præteritis liberis datur: vocaturque CONTRA TABVLAS. Secunda, quam omnibus iure ſcriptis hæredib' Prætor pollicetur, ideoque vocatur SECVNDVM TABVLAS. Et cùm de teſtamentis prius loquutus eſt, ad inteſtatos tranſitum fecit. Et primo loco ſuis hæredibus, & iis, qui ex edicto Prætoris inter ſuos hæredes connumerantur, dat bonorum poſſeſſionem, quæ vocatur VNDE LIBERI. Secundo legitimis hæredibus Tertio decem perſonis, quas extraneo manumiſſori præferebat. ſunt autem decem perſonæ hæ: Pater, mater, auus, auia, tam paterni, quàm materni: item filius, filia, nepos, neptis, tam ex filio, quàm ex filia: frater, ſorórve conſanguinei, vel vterini. Quarto, cognatis proximis. QVINTO TANQVAM EX FAMILIA. Sexto, patrono patronæque, liberisq; eorũ, & parentibus. Septimo, viro & vxori. Octauo, cognatis manumiſſoris. Sed eas quidem Prætoria introduxit iuriſdictio: à nobis tamen nihil incurioſum prætermiſſum eſt, ſed noſtris Cõſtitutionibus omnia corrigentes, contra Tabulas quidem, & ſecundum Tabulas, bonorũ poſſeſſiones admiſimus, vtpote neceſſarias conſtitutas: necnon ab inteſtato VNDE LIBERI, ET VNDE LEGITIMI, bonorum poſſeſſiones. Quæ autem in Prætoris edicto quinto loco poſita fuerat, id eſt, VNDE DECEM PERSONAE: eam pio propoſito, & compendioſo ſermone ſuperuacuam oſtẽdimus. Cùm enim præfata bonorum poſſeſſio decem perſonas præponebat extraneo manumiſſori: noſtra Conſtitutio, quam de emancipatione liberorum fecimus, omnibus parentibus, eiſdemque manumiſſoribus contracta fiducia manumiſſionem facere dedit: vt ipſa manumiſſio eorum hoc in ſe habeat priuilegium, & ſuperuacua fiat ſupradicta bonorum poſſeſſio. Sublata igitur prædicta quinta bonorum poſſeſſione, in gradum eius ſextam antea bonorum poſſeſſionem induximus: & quintam fecimus, quam Prætor proximis cognatis pollicetur. Cumque antea fuerat ſeptimo loco bonorum poſſeſſio TANQVAM EX FAMILIA, & octauo VNDE PATRONI PATRONAEQVE, ET PARENTES EORVM: vtranque per Conſtitutionem noſtrã, quam de iure patronatus fecimus, penitus euacuauimus. Cùm enim ad ſimilitudinẽ ſucceſſionis ingenuorum, libertinorum ſucceſſiones poſuimus, quas vſque ad quintum gradum tantummodo coartauimus, vt ſit aliqua inter ingenuos & libertinos differentia: ſufficit eis tam contra Tabulas bonorum poſſeſſio, quàm VNDE LEGITIMI, ET VNDE COGNATI, ex quibus poſſunt ſua iura vindicare, omni ſcrupuloſitate & inextricabili errore iſtarum duarum bonorum poſſeſſionum reſoluta. Aliam verò bonorum poſſeſſionem, quæ VNDE VIR ET VXOR appellatur, & nono loco inter veteres bonorum poſſeſſiones poſita fuerat, & in ſuo vigore ſeruauimus, & altiore loco, id eſt, ſexto eam poſuimus: decima quoque bonorum poſſeſſione, quæ erat VNDE COGNATI MANVMISSORIS, propter cauſas enumeratas meritò ſublata: vt ſex tantummodo bonorum poſſeſſiones ordinariæ permaneant, ſuo vigore pollentes. Septima eas ſequuta, quam optima ratione Prætores introduxerunt. Nouiſſimè enim promittitur edicto iis etiam bonorum poſſeſſio, quibus vt detur, Lege, vel Senatuſconſulto, vel Conſtitutione comprehenſum eſt: quam neque bonorum poſſeſſionibus, quæ ab inteſtato veniunt, neque iis, quæ ex teſtamento ſiunt, Prætor ſtabili iure connumeraυit: ſed quaſi vltimum & extraordinarium auxilium (prout res exegit) accommodauit, ſcilicet iis, qui ex Legibus, Senatuſconſultis, Conſtitutionibúſve Principum, ex nouo iure, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato veniunt.

Cùm igitur plures ſpecies ſucceſſionum Prætor introduxiſſet, eaſque per ordinem diſpoſuiſſet: & in vnaquaque ſpecie ſucceſſionis, ſæpe plures extent diſpari gradu perſonæ: ne actiones creditorum differrentur, ſed haberent quos conuenirent, & ne facilè in poſſeſſionem bonorum defuncti mitterentur, & eo modo ſibi conſulerent: ideo petendæ bonorum poſſeſſioni certum tempus præfiniuit. Liberis itaque & parentibus, tam

naturalibus,quàm adoptiuis in petenda bonorum possessione anni spatium, cæteris autem adgnatis,vel cognatis, cētum dierum dedit. Et si intra hoc tempus aliquis bonorum possessionem non petierit,eiusdem gradus personis adcrescit:vel si nullus sit,deinceps cæteris bonorum possessionem perinde ex successorio edicto pollicetur,ac si is,qui præcedebat,ex eo numero non esset.Si quis itaque delatam sibi bonorum possessionem repudiauerit:non quousque tempus bonorum possessioni præfinitum excesserit, expectatur: sed statim cęteri ex eodem edicto admittuntur.

In petenda autem bonorum possessione dies vtiles singuli considerantur. Sed bene anteriores Principes & huic causæ prouiderunt, Ne quis pro petenda bonorum possessione curet: sed quocunque modo admittentis eam iudicium (intra statuta tamen tempora) ostenderit, plenum habeat earum beneficium.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1.2 Alieni posthumi institutio cur non valuerit? & sui cur valeat?
3 Alieni posthumi institutionis quis autor?
4 Alieno posthumo an relinqui legata possint?
5 Posthumum alienum, & antea potuisse instituti, & nunc posse, quomodo accipiendum?
6 Prætor bonorum possessionem non emendandi solùm, sed & confirmandi veteris iuris gratia pollicetur.

C*Vm institutio non valebat.*]Multa subtiliter de posthumis alienis & eorum institutione scribit Lę-
lius ad Gallum. Sed simplicius fortasse est, quod generaliter alij tradiderunt;non valuisse hanc 1
institutionem,propter incertitudinem eius, qui instituebatur nondum natus: quæ ratio idem iu- 2
ris euicisset in suo quoque posthumo,hoc est,filio,nisi dominij continuatio,& præter vim suitatis,
primi quoque gradus prærogatiua, cuius ratio potior visa est incertitudinis incommodo, aliud
suasisset: errare autem eos qui existimant Gallum Aquilium primum induxisse, vt iure Ciuili re- 3
ctè posset institui alienus posthumus: nam id disertè sibi vindicat Iustinianus: & ante se id nequa-
quam licuisse apertè tradit: quanquam Prætor eiusmodi institutionem sustineret: quia verò nul-
lum fuit Prætorum subsidium ad sustinenda legata,alioqui Iure Ciuili infirma, rectè dictum esse;
a §.incertis sup. de leg. non posse valere legatum relictum alieno posthumo,tanquam incertæ personæ[a]. ¶ *Honorario ta-* 4
b §.posthu. sup. de leg. *men iure.*]Suprà dixit Iustinianus[b], posthumum alienum,& antea potuisse institui,& nunc posse.
quod accipi posse accepimus,vt non tam significet iuris similitudinem,quàm effectum: potuisse e- 5
nim antea, & nunc posse. Aliter tamen antea, nempe beneficio Prætoriæ bonorum possessionis,
per quam alienus posthumus consequebatur relictam hæreditatem. Aliter nunc, cùm etiam Iure
Ciuili id posit, nempe ex noua Iustiniani Constitut. cuius & alio loco meminit Iustinianus, ait-
que in suo Codice positam: sed tamen constat non extare; vtpote quæ interciderit cum illo priori
c L.iustè possidet. de acquir. hered. Codice. ¶ *Confirmandi gratia.*] Cuiusmodi confirmatio, vt necessaria non fuerit, inutilis tamen 6
non est. Primùm enim iustior videbitur possessio,quam quis autore Prætore nanciscitur[c]. Deinde
d L.suum heredem. C. de iure deliber. non potest non esse commodum, plures habere vias consequendæ hæreditatis:nam si vnam repu-
diaris, superest altera[d]. Postremò adeundæ hæreditatis tempus continuum est, agnoscendæ ve-
rò bonorum possessionis vtile.

§. *Quos autem.*

1.3 Hæredē & bonorū poss. nō effectu sed ordine iuris differre. *2 Bona nō semper dicuntur deducto ære alieno.*

¶ *Solus vocat Prætor.*]Hic Iustinianus obscurè innuit eos, quos nō solus vocat Prætor, sed etiā Lex Ciuilis,(de quibus paulò ante dictum est)fieri veros hęredes, licet elegerint bonorū possessionem. Negare tamen non possumus, reuera hos esse bonorum possessores, quanquam perinde habeantur,atque si veri hæredes essent,cùm paulò ante Iustinianus tradiderit,tū ad eos hęreditatē Iure Ciuili pertinere,vbi remouerunt bonorum possessionem. ¶ *Vocat ad hæreditatem.*] Omnes qui edicto successorio continentur,vocat Prætor ad possessoriam bonorū successionē, delata iis per suum edictum bonorum possessione.Itaque si vltro vocantem Prætorem sequi velint,statim possunt fieri hæredes. Sed vbi edictum Prætoris non vocat, maior est difficultas:veluti in decretalibus bonorum possessionibus,quæ morantur necessariam decreti Prætorij interpositionem: nec prius de-
e L.1.§.decretaliu. de succ.edict. latæ dicuntur, quàm fuerint à Prætore decretæ[e]. ¶ *Ipso iure.*]Ex sola aditione,& sine beneficio Prętoris.at hæres legitimus,qui certo Iure Ciuili nititur,fit sola aditione. ¶ *Hæredem facere non potest.*] Licet etiam alioqui non extet,qui Iure Ciuili posit hæres esse. quāquam fortasis tū posit Prætor
transferre directas actiones in suū bonorū possessorem. ¶ *Loco hæredum constituuntur.*] Prætor (in- 1
f L.2.de bo.poss.l.Prætor.de reg.iur. quit Paulus[f]) bonorum possessorem hæredis loco in omni causa haber. Et habet sanè bonorū possessor non secus atque hæres, vniuersum defuncti patrimonium, quod commoda & incommoda

hæreditaria

2 hæreditaria continet[a]: ne quis hic bona remerè intelligat deducto ære alieno, ficut aliàs solent intelligi[b]. Porrò hæredis & bonorum possessoris similitudinem potisimùm agnoscere est, vbi agitur de succesione iam acquisita & parta: quia parum refert quo Iure, Ciuili, an Honorario, acquisita sit. Quinimo licet conditiones exactisimæ sint implendæ: tamen huic conditioni, Si hęres erit, factum esse satis creditur, si quis fuerit bonorum possessor[c]. Et quátumuis mandati fines diligenrer obseruandi sint[d]: tamen perendæ bonorum possesionis mandatum, pertinet etiam ad hæreditatis aditionem[e]. Quid multis? Adeò sunt hæc affinia, vt sæpe confundarur appellationis discrimé[f].
3 Cæterùm vbi agitur de acquirenda hæreditate, & ratione succedendi, non parum interesse videtur inter hæredem & bonorum possessorem. Primùm, nemo inuitus fit bonorum possessor[g]: quia videlicet suorum & necessariorum nomina siue qualitates non nisi ad hæredes pertinent. Rursus bonorum possesionem potest filiusfa. agnoscere, etiam inscio patre[h]. At hæreditatem adire nequit, nisi eo prius iubente[i]. Præterea hæreditas solo animo adirur[k]. At bonorum possesiones, saltem hoc iure, à Prætore peri debebant. Nam vt Prætoris edictum proximo deferat bonorum possesioné, nó tamé omnino acquirit. Ad hæc, per procuratorem peti potest bonorú possesio[l]: at non hæreditas adiri[m]. Postremò hæreditaris adeundæ tempus est triginta annorum, & id quidem continuum, quod etiam ignoranti currit[n]. Agnoscendæ verò bonorum possesionis tempus est vtile. liberis quidem vnius anni: cognatis verò centum dierum: nec currit ignoranti.

a L. 1. & 2. de bon. poss. l. nam quod ad ius §. vlt. D. ad Sen. Treb.
b L. subsignatum §. 1. de verb. signif.
c L. in conditionibus. §. si patroni. de condit. & demonstrat.
d L. diligéter D. manda.
e L. si quis mihi bona §. sed & si quis mandauit. de acquir. hæred.
f L. 3. § 2 de bon. poss.
l hæreditat. de verb. signif. l. vlt. C. qui admit.
g Dist. l. 3. §. inuito.
h L. 1. C. qui admi.
i L. si quis mihi bona §. iussum. de acquir. hæredit.
k L. pro hærede de acquir. hæredit.
l L. 2. § acquirere de bon. poss.
m L. Paulus de acqu. hæredit.
n L. licet. C. de iure delibe.

§. *Adhuc autem.*

1.2 Tã creditorũ quàm defunctorũ interest, habere successorem.
3 Exhæredatis beneficium bonorum possesionis non habentibus, querela inofficiosi sufficit.
4 Emancipatorum liberorum caussa bonorum possesio contra tab. primùm inuenta est.
6 Adoptiuis liberis recentiore iure beneficium hoc, contra tabulas, non competit.
6 Ex iniusto testamento non datur bonorum possesio.
7 Bonorum possesio secundum nuncupationem quæ?
8 Vbi tabulas rectè scriptas fuisse constat, non est necesse eas proferre.
9 Verris Prætoris Siculi edictum defendi an posit contra Ciceronem?
10 Bonorum possesio ab intestato non competit, nisi vbi testamentum factum non est.
11 His datur ab intestato bonorum poss. Vnde lib. quibus, facto testamento bonorum poss. contra tab.
12 Filius à matre præteritus nouo iure petere potest bonorum poss. contra tab.
13 Legitimi hæredes qui?
14 Patronos eorumq́; filios, ex triplici cap. potuisse succedere.
15 Pater fiduciarius. & manumissor extraneus, qui?
16 Bonorum posesionis, tanquam ex familia, vbi locus; (sarta?
17 Iurisdictio hic quid?
18.19 Bonorũ possesiones cõtra & secũdũ tab. vbi necessariæ?
20.21 Bonorum poss. Vnde liberi, & vnde legitimi, an hodie necessariæ?
22.23 Lex Romuli, vt vxor viro succederet, quatenus hodie in vsu?
24 Septimam illam & extraordinariam bonorum poss. edictalem esse.
25 Alia extraordinaria bonorum poss. Decretales quæ?

1 ¶ *Ne quis sine successore.*] Nam & defunctorum interest habere successorem[o]: eosque Iustinianus in Nouella sua Cõstit. 1. ait. ἔχοιν τινὰ παραψυχὴν ἐν τῆς αὐτῶν διαδοχῆς [habere quãdã cõsolationé ex eo quod sibi successores aliqui certi futuri sint. Interest etiã ipsorũ creditorũ hæreditariorũ: fuitque hęc
2 causa successorij edicti proponédi: ne videlicet bona hæreditaria vacua sine domino diurius iacerent, & creditoribus longior mora fieret[p]. ¶ *Bonorũ possesiones ex testamento.*] Hoc est, vbi quis restatus mortuus est. Vt intelligas significari hoc loco omnes bonorũ possesiones, tã eas, quę sunt secũdũ restaméti tabulas, quàm alias, quæ contra tabulas dãtur. Neque enim in bonorũ possesionibus, testatoris volũtaté sequimur; sed illud solum inquirimus, an testatus decesserit, cũ aliqua dãda est bonotum possesio secũdum vel cõtra tabulas. ¶ *Prima quæ præteritis liberis.*] Non etiã ritè ex-
3 hæredatis[a]. Nam iis Prętor sufficere putauit querelam inofficiosi testamenri, si causari velint sese iniuria exhæredatos. Atque huius querelæ instituendæ causa, dedit eis Prætor quãdã bonorũ possesioné; sine cui[9] beneficio emãcipati Iure Ciuili incogniti nõ poterãt proponere querelã inofficiosi,
4 quæ Iuris Ciuilis est[b]. ¶ *Liberis.*] Maximè emãcipatis, quorũ gratia primùm hęc bonorũ possesio cõtra tabulas, à Prętore inuéta & prodita est, sed tamé & filiisfa. præteriti ea vti possunt, si existiment
5 è re sua esse. Sed oportet semper liberos esse naturales & legitimos: nã adoptiui huc nõ pertinét nouo iure, quod sequẽti titulo proponitur. ¶ *Secũda.*] Quæ scilicet postponitur priori: nec locũ habet, quãdiu ea peti potest. Sic enim Vlpianus respõdit[c]: Æquissimũ ordiné Prætor secutus est. Voluit enim primò ad liberos bonorũ possesioné cõtra tabulas pertinere. Expectãdi igitur liberi erũt, quã diu bonorũ possesioné petere possunt. Et si tépus fuerit finitũ, aut antè decesserint vel repudiauerint, vel ius petédæ bonorũ possesionis amiserint: tunc reuertetur bonorũ possesio ad scriptos hęredes. Hæc ille. Sed tamen interim nõ prohibebatur quis Iure Ciuili adire hæreditaté[d]. ¶ *Iure scriptis.*] Hoc est, legitimè, & ex testaméto ritè facto: nec refert vtrùm iure cõmuni, an verò singulari, testaméntũ sustineatur. Itaque & ex militari restaméto cõpetit hæc bonorũ possesio. Extat lib. 37. Pã-
6 dectarũ tirulus de bonorũ possesione ex testaméto militis. Cæterùm ex testaméti tabulis non iure scriptis, non cõpetiisse hãc bonorũ possesioné cõstat: idque probat Tullius in Topicis, agens de tabulis eorũ, qui cùm essent in potestate, testaméti tabulas iure facere nõ potuerunt. Sic enim dũ ab

o L. & quia de inter. ro. actionib.
p L. 1. de success. edict.
a L. non putauit. de bon poss. cont. tab.
b L. posthumus. §. vl. cum leg. seq. l. Papin. §. 1. de inoffi. testa.
c L. 2. de bon poss. secund. tab.
d L. is qui in potestate §. sed si scriptus. de lega. præstan.

adiunctis argumentatur, ait: Si ea mulier testamentum fecit, quæ se capite nunquam diminuit, non videtur ex edicto Prętoris secundum eas tabulas possessio dari: adiungitur enim, vt secundum seruorum, secundum exulum, secundum puerulorum tabulas, possessio videatur ex edicto dari.

¶ *Scriptis.*]Quòd si non fuerit scriptum testamentum, sed nuncupatum: non dabitur hæc bonorum possessio, sed alia quædam, quæ SECVNDVM NVNCVPATIONEM dicitur[a]. Porrò autem 7
satis est, hęredes semel scriptos esse, & tabulas mortuo testatore aliquãdo extitisse. Licet enim postea interciderint, nihilominus hæc bonorum possessio peti poterit[b]. Nec est necesse tabulas scri-
ptas proferre, si cõstet ritè scriptas fuisse. Qua ratione fortassis tueri possemus illud, quod adeò Tul- 8
lius in tertia Verrina conuellit, edictum Verris Prætoris Siculi, quo pollicebatur se daturum bo- 9
norum possessionem, etiam si tabulæ non proferantur? Sin proferrentur, vno signo vt sit minus, quàm ex Lege oportet, se non daturum possessionem. Certè priorem huius edicti Verrini partem probare videtur noster Vlpianus, inquiens[c]: Sufficit extare tabulas, & si non proferantur, & si post mortem testatoris extare desierint, id non obesse bonorum possessioni, idem subiicit. Alteram partem probat Imp. Gordianus his verbis[d]: Bonorum pössessionem edicto Prætoris non nisi secundum eas tabulas, quæ septem testium signis signatæ sunt, peti posse in dubium non venit. Nũc tamen audiamus Ciceronem reprehendentem Verris edictum. Iam hoc ridiculum est, SI DE HÆREDITATE AMBIGITVR: ET TABVLÆ TESTAMENTI OBSIGNATÆ NON MINVS MVLTIS SIGNIS, QVA'M E' LEGE OPORTEAT, AD ME PROFERENTVR: SECVNDVM TABVLAS TESTAMENTI POTISSIMVM HÆREDITATEM DABO. Hoc translatitium est: sequi illud oportet, SI TABVLÆ TESTAMENTI NON PROFERENTVR: quid ait? se ei daturum, qui se dicat hæredem esse. Quid ergo interest proferantur, necne; si protulerit, vno signo vt sit minus, quàm ex Lege oportet, non des possessionem: si omnino tabulas nõ proferet, dabis. Quid nunc dicam? neminem vnquam postea alium edixisse? valde sit mirum, neminem fuisse, qui istius se similem dici vellet. Hæc Tullius.

a L. 2. C. de bon. poss. secund. tab. l. vlt. C. de codic.
b L. 1. §. semel autẽ. de bo. possess. secund. tab.
c Dict. l. 1. §. sufficit.
d Dict. l. 2.

10 ¶ *De testamentis prius locutus est.*] Nec id quidem temerè: sed vt intelligeremus Prætorem in bonorum possessionibus eum sequi ordinem, quo & hæreditates Iure Ciuili deferuntur: vt quemadmodum hæreditas non potest adiri ab intestato, quandiu potest adiri ex testamento: ita nec bonorum possessio ab intestato competat, nisi vbi testamentum factum non est. Et hoc ius fuisse vetustissimum testatur Tullius in tertia Verrina, his verbis: Postea quàm ius Prætorium constitutum est, semper hoc iure vsi sumus: SI TABVLÆ TESTAMENTI NON PROFERRENTVR, TVM VTI PROXIMVM QVEMQVE POTISSIMVM HÆREDEM ESSE OPORTERET, SI IS INTESTATO MORTVVS EST, ITA SECVNDVM EVM POSSESSIO DARETVR. Quare hoc sit æquissimum, facile est docere: sed in re tam vsitata satis est ostendere, omnes antea ius ita dixisse, & hoc vetus edictum translatitiumque esse. Hæc Tullius, apud quem hæc verba, SI TABVLÆ NON PROFERRENTVR, videtur significare causam intestati, cùm nullæ testamẽti tabulæ scriptæ fuerunt: ideoque nec proferri possunt. Quòd si in ea specie Verres nihilominus edixisset, se daturũ bonorum possessionẽ secundũ tabulas; proculdubio nouũ & iniquũ, nulloque modo ferendũ proponebat edictũ. Quo modo enim secundũ tabulas dabit bonorũ possessionẽ, vbi nunquam fuerũt tabulæ? ¶ *Suis hæredibus, & iis quos, &c.*] Iustinianus paulò antè agens de bonorum possessione contra tabulas, simpliciter & vno verbo dixit (liberos) quos hic pluribus verbis describit. Verùm satis innuit, iisdem
dari ab intestato, Bonorum possessionem Vnde liberi: quibus facto testamento competit bonorũ 11
possessio contra tabulas. Quod vetitum est, saltem in liberis naturalibus, tam suis quàm emancipatis. Emancipatos enim vocat Prætor cum suis hæredibus, nempe ad successionem patris: non tamẽ etiam matris[e], quæ suos hæredes non habet: & aduersus eius tabulas, hoc iure non habebant liberi bonorum possessionem[f], nec ab intestato, hanc Vnde liberi[g]. Sed cùm nouo iure prætеritio, cui nõ
adiecit mater causam, non habeatur amplius pro exhæredatione: meritò nunc possumus credere, 12
filium à matre præteritum, petere posse bonorum possessionem contra tabulas. Ideoque etiam ab intestato, hanc Vnde liberi.

e § vlt. sup. de exhæred. liber.
f L. illud §. ad testamẽta. de bo. poss. cõt. tab.
g L. vlt. C. de sui. & legit.

¶ *Legitimis hæredibus.*]Horum appellationem latè hic patere indicat Theophilus, vt non solùm
agnati comprehendantur: sed & qui ex Senatusc͂õsulto Tertylliano vel Orphitiano veniunt. Item 13
patroni, eorumque filij. Quos sanè omnes ex hoc capite Vnde legitimi, admitti, iure quoque nostro satis proditum est[h]. Vnde apparet patronos eorumque filios, ex triplici capite potuisse succe-
dere, nempe Vnde legitimi, tanquam ex familia, & ex illo, quod patrono peculiariter & nominatim fuit concessum. 14

h L. 2. § vlt. cum leg. seq. D. vnde legi.

¶ *Quæ extraneo manumissori præferebat.*]Olim pater filium, quem sua potestate liberare volebat, iubebatur mancipare: ac duobus numis receptis quasi vendere alteri, qui in hanc rem adhibebatur; eratque pater fiduciarius. ab hoc deinde qui emptus erat, tanquam seruus manumittebatur: eique
manumissori propter eiusmodi libertatis dationẽ dabãtur iura legitimæ successionis, ad exẽplum 15
veri patroni: præferebaturq; cæteris, qui manumisso olim agnati, nunc cognati solùm erãt propter capitis diminutionẽ. Sed postea Prætor iniquũ esse putauit, tantum tribui illi extraneo, nescio cui, & imaginario manumissori. Itaque decẽ personas, quas hic enumerat Iustinianus, voluit ei præferri in successione intestati. ¶ *Tanquam ex familia.*]Docet Theophilus huic bonorũ possessioni fuis-
se locũ, quãdo libertus, mortuo iam suo patrono, intestatus sine liberis decederet: ad cuius succes- 16
sionẽ vocabãtur agnati patroni, tanquã ex familia Sed Alciatus lib 1 παρεργῶν, cap. 12. hunc locum accipiendũ esse putat de iure gentilitatis. Et quod postremò subiungitur de cognatis manumissoris, existi-

ris, existimat pertinere ad ius stirpis, cuius meminit Cicero lib. 1. de Oratore. Fatetur autem hic
magis ordinem verborum edicti, quàm successionis, obseruatum esse: cùm potiora fuisse videan-
tur stirpis, quàm gentilitatis iura. Sed nos vix iudicare possumus de ratione huius rei tam obsole-
tæ, & in abstruso obscuræ vetustatis recessu latentis: nec est sanè quòd hodie multum nos id angat;
aut cur in eius disquisitione diurius immoremur, nullo satis digno moræ precio, magnoque in-
terim temporis nostri dispendio, & lectoris tædio. ¶ *Prætoria introduxit iurisdictio.*] Quia videlicet
eas Prætor suo edicto detulit, deditque earum adipiscendarum liberam facultatem. Hoc enim est
17 deferre[a]. Hicque iurisdictio nihil aliud significat, quàm ipsum Prætoris edictum: ne quis hoc lo- *a L. delata, de verb.*
co temerè colligat Prætoris decreto esse opus; aut Prætorem ius dicere debere, quasi in re cõtrouer- *signif.*
sa. ¶ *Vtpote necessarias constitutas.*] Cùm hodie per Nouellam Iustiniani Constitutionem 118. subla-
18 tum sit in successionibus discrimen patriæ potestatis & emancipationis, non videntur hæ bonorũ
possessiones magis necessariæ filiis emãcipatis, quàm filiisfa. Sed quia id adhuc est controuersum,
non est cur emancipatus temerè aspernetur oblatam bonorum possessionem. Porrò quod attinet
19 ad bonorum possessionem secundum tabulas, cõstat tùm demum eam omnino esse necessariam,
vbi testamenti tabulæ magis ex Iuris Honorarij æquitate, quàm summo Iure Ciuili sustinentur,
Veluti, cùm mortuo patre, qui filio pupillariter substituerat, filius apud hostes adhuc impubes mo
ritur: pupillare testamentum dicitur sola Prætoria æquitate confirmari[b]. Et pendente adhuc con-
ditione non potest adiri hæreditas Iure Ciuili: sed beneficio Prætoris, peti potest bonorũ possessio[c]. *b L. pater filio. §. vlt.*
¶ *Nec non ab intestato.*] Quæ hîc subiiciuntur bonorum possessiones, si expendantur ad noui iuris *de capt. et postli. reuc.* *c L. 2. §. si quis sub c*[illegible]
20 regulas, non videntur adhuc omnino necessariæ. Primum enim bonorum possessio Vnde liberi, *diti one. l. his demũ de*
non videtur emancipatis necessaria cùm sublatum sit discrimen patriæ potestatis & emancipatio- *bon. poss. secund. tab.*
nis. vt iam dictum est Sed excipi potest, quod rectè est à Constantino statutum his verbis[d]: Qui se *d L. 3. C. vnde libe.*
patris post auum intestatò defuncti negat hæredem, mortui aui paterni suscipere facultates non
potest, maximè emãcipatus: nisi per bonorum possessionem ad eiusmodi beneficium peruenerit.
21 Quod autem attinet ad alteram, quæ hîc proponitur, bonorum possessionem Vnde legitimi, satis
constat non esse hodie necessariam. Nam & ipsum nomen indicat eos, qui ex hoc capite succedũt,
posse Iure Ciuili succedere. Non meminit autem hoc loco Iustinianus bonorum possessionis Vn-
de cognati, quæ tamen vna hoc iure maximè videbatur necessaria, cùm nudam haberet Prætoris
indulgentiam, & personis concederetur, Iuri Ciuili prorsus incognitis[e]. Sed hodie nullus esse po- *e L. 1. D. vnde cognat.*
test illius vsus. sublato agnationis & cognationis discrimine. Et interest sane Reip. hæc varia iuris
discrimina, quæ magnam pariunt confusionem, tolli, vt vnum certum simplexque eius constitua-
tur.
¶ *Parentibus eisdemq; manumissoribus.*] Innuit Iustinianus sublatas esse priscas illas in emancipãdis
liberis imagines venditionum, & fiduciarij patris: hodieque patrem naturalem recta via posse a-
pud competentem iudicem filium suum emancipare, simulque intelligi semper contracta fiducia
emancipare. ¶ *In suo vigore seruauimus.*] Romulus cùm statuisset vxorem fortunarum omnium &
22 sacrorum sociam viro esse: addidit, VT FILIA PATRI, ITA DEFVNCTO VIRO HÆRES ESTO.
Quam legem Dionysius Halicarn. lib. 2. sic explicat, marito intestato sine liberis defuncto, in soli-
dum successisse vxorem: quòd si liberi essent, cum iis æqualiter successisse: quod nos latius ad Ro-
mulum diximus. Sed postea Romani Legumlatores sustulerunt omnem succedendi rationem in-
ter virum & vxorem. deinde rursus Prętores iudicàrunt non adeò contemnendam esse coniugum
coniunctionem; & æquum putàrunt id iis saltem tribui, vt post agnatos & omnes cognatos inui-
cem succederent, fisco summoto. Cuius Prætoriæ bonorum possessionis Vnde vir & vxor, æquita-
tem & rationem probat hic Iustinianus: aitque se eam tueri, nempe in suo illo postremo loco, qui
est post omnes agnatos & cognatos. Sed admonẽdi sumus, postea Iustinianum longè plus tribuis-
se arctissimo matrimonij vinculo. Ac primùm quidem Nouella sua Const. 53. ad finem, sanxit, vt
superstes coniunx si inops sit, succedat cum liberis, habeatque vnum quadrantem, saltem si is non
excedat centum auri libras. Atque hoc quidem modo vtrique pariter coniugi humanissimè con-
suluerat. Sed postea hoc suum beneficium multum imminuit: ac viris (quibus rum fortè nescio
qua de causa offensus erat) prorsus abstulit. Nam in Nouella sua Constitutione 117. statuit, vt
sola vxor cum liberis admittatur, parem quidem cum iis habitura portionem, sed tantùm vt frua-
23 tur ipsa, proprietatemque seruet liberis. Hodie moribus nostris rediisse videmur ad primam il-
lam Romuli Legem. Nam habet superstes coniunx mediam partem bonorum mobilium, & ad-
uentitiorum (quæ conquæstus dicuntur) vtpote communium: sed eo nomine subiicitur one-
ri mediæ partis æris alieni, & nominum dissoluendorum. Apud multos quoque populos in vsu
est inter coniuges pactum mutuæ successionis, quod appellant *entraduestissement*. Græci Iuriscon-
sulti ἀλληλοκληρονομίας vocare videntur. ¶ *Septima eas secuta.*] Post dispositos constitutosque o-
mnium successionum ordines, quia poterat adhuc incidere casus, in quo ex noua aliqua Lege
successio deferretur ei, cui non est omnino hactenus, vel est alio ordine delata: Prętor voluit etiam
huic rei prouidere. Itaque edixit, VTI ME QVAQVE LEGE AVT SENATVSCONSVLTO, POS-
SESSIONEM DARE OPORTEBIT, DABO[f]. ¶ *Permittitur edicto.*] Ex his verbis deprehendere *f L. vnica. C. vt ex le.*
24 possumus, hanc septimam & extraordinariam bonorum possessionem esse edictalem: sic vt nullo *vel Senat. bon. poss. de*
præterea opus habeat Prætoris decreto. Nam & iuris est, non facti: & eodem pertinet, quo supe- *l. 3. D. vnde legi.*
riores omnes bonorum possessiones, nempe ad consequendum ius successionis. Sunt autem &
25 aliæ bonorum possessiones extraordinariæ, sed decretales; quæ non iuris sunt, sed facti: nec

Prætoris edicto deferuntur, sed causa cognita eius decreto dantur. Eius generis est, Carboniana, & ea, quæ aut ventris, aut captiui, aut furiosi nomine datur. De quibus necesse hic est aliquid dicere, quòd res sit obscura, & parum vulgo perspecta. Carboniana possessio est, quæ impuberi filio, cui status cõtrouersia mouetur, à Prætore causa cognita datur, dilato in tẽpus pubertatis iudicio stat[a], & illa quæstione, an sit inter liberos[a]. Estque hæc tantùm facti, & corporalis bonorum possessio, quæ tamen non nisi causa obiter cognita decernitur; ne scilicet alter, qui controuersiam mouit, temerè fraudetur omnino bonorum possessione; quia non aduenerit pubertatis tempus. Eiusdem conditionis est ea, quæ ventri datur: cùm mulier nomine vteri, quem gerit, à Prętore mittitur, causa vtcunque cognita, in defuncti mariti vel soceri bonorum possessionem, donec pariat, aut omnino constet non esse prægnantem: interim ex bonis percipit, quæ ad vitam tuendam, edendumque partum necessaria sunt[b]. Similiter captiuis illud tributum est, vt quandiu non possunt agnoscere delatam ex edicto bonorum possessionem, aliquis eorum nomine bona possideat, autore Prætore: & furiosis, vt donec ad sanitatem reuersi, capaces sint edictalis bonorum possessionis agnoscendæ vel petendæ, alius eorum nomine possideat[c]. Non sunt autem hæ veræ bonorum possessiones, quæ nihil iuris habent, sed illud solum cum iis, de quibus hoc titulo agitur, habent commune, quòd possessionem tribuant, etiam si magis corporalem & nudam, quàm legitimam, aut aliquo certo iure subnixam.

a L. 1. de Carbo. edict.

b L. 1. D. si vent. nomi.

c L. vlt. §. nos itaque. & §. talis itaque. C. de cura fur.

¶ *Quibus vt detur, lege comprehensum est.*] Hoc est, quibus nominatim delata est nouo iure bonorum possessio. Sic vt noua Lex non solùm dicat deferri hæreditatem, aut succedere licere, sed etiam expressim deferat, dari que iubeat bonorum possessionem. Alioqui sanè daretur tantum bonorum possessio Vnde legitimi[d].

d L. 3. D. vnde legi.

§. *Cum igitur.*

1 Successorij edicti ratio.

2 Tempora deliberationis possunt, debitoribus vrgentibus, minui; non item vrgente substituto.

3 Bonorum possessio est ius succedẽdi; possessio vere bonorum est nudum factum detentionis naturalis.

4 Liberis & parentibus cur largius tempus petẽdæ bonorum possessionis tribuatur?

5 Viro & vxori, & patrono, idem tempus petendæ bonorum possessionis præfinitum, quod agnatis vel cognatis.

6 Ius ciuile non suspendit vim iuris Prætorij.

7 Successorio edicto cur antè locus nõ sit, quàm desinat locus esse iuri accrescendi?

8 Ius futurum non posse temerè repudiari.

9 Filio ante elapsum annum repudiante sibi delatam bonorum poss. agnatis sequentibus statim tempus currere incipit.

¶ *Ne actiones creditorum differrentur.*] Sic & successorium edictum à Prætore propositum est, tum 1
in fauorem defuncti, cuius interest habere successorem[e], & in rem eorum, qui vel ex longiori successione vocantur suo ordine ad successionem[f]: tum verò in gratiam creditorum, ne repudiãte eo, qui primo loco debebat succedere, statim hæreditas deferatur ad fiscum, cum quo durius fuerit rem habere. Sed præscriptis successorij edicti temporibus, apertius consultum est & creditoribus, ne scilicet eorum actiones diutius differantur, & ipsi causæ hæreditariæ, ne deliberãre adhuc eo, qui succedere potest, statim creditores inuadant bona. ¶ *Et ne facilè.*] Ex causa tamen potest deliberationis tẽpus minui à iudice, vt citius creditores agere possint, dato bonis curatore[g]: non tamen vt citius is, cui delata est successio, hęreditati inuitus obligetur adeundo, vel ea excidat repudiando[h].
Itaque ex causa possunt minui tẽpora deliberationis vrgentibus creditoribus; non possunt tamen 2
minui vrgente substituto, qui hoc agit, vt institutum hæredem excludat. & sanè reuera non videtur vrgẽtibus creditoribus omnino minui tempus deliberationis, cùm etiam si curator bonis datus sit, nihilominus liberè quis potest deliberare, velit an nolit hæres fieri. ¶ *Possessionem bonorum.*] 3
Iustinianus hactenus dixit bonorum possessionem, cùm significaret ius succedendi. Hic verò conuerso verborum ordine dixit, possessionem bonorum; cùm significat nudum factum, solamque naturalem detentionem ἢ κατοχὴν. ¶ *Liberis itaque.*] Inquit Vlpianus[i]: Largius tempus parenti- 4
bus liberisque, petendæ bonorum possessionis tribuitur, in honorem sanguinis videlicet: quia arctandi non erant, qui penè ad bona propria veniunt: ideoque placuit iis præstitui annum: scilicet ita moderatè, vt neque ipsi vrgerentur ad bonorum possessionis petitionem, neque bona diu iacerent. ¶ *Tam naturalibus, quam adoptiuis.*] Et siue veniant vt liberi, siue ex alio capite[k]. Et siue ipsi
sint instituti, siue ij, quos habent in potestate[l]. ¶ *Cæteris agnatis vel cognatis.*] Vel etiam viro aut 5
vxori: itemque ipsi patrono, cui non nisi centum dies dantur: quanquam patri annus daretur, etiam si succederet vt manumissor & quodammodo patronus[m]. ¶ *Bonorum possessionem non petierit.*] Quanuis alioqui Iure Ciuili hæreditatem petere possit. Neque enim id remoratur, aut suspen- 6
dit vim Iuris Prætorij, quin saltem ex successorio edicto, proximus hæres possit bona possidere & administrare. ¶ *Vel si nullus.*] Ergo tum demum successorio edicto locus est, vbi esse desinit locus 7
iuri accrescendi: nam huius certè potior est causa, quia non mutet gradum. At successorium edictum mutat gradum aut caput.

e L. & quia. de interro. actionib.

f L. vnica C. de his qui ante aper. tab.

g L. si curatoris in fi. C. de iure delib.

h L. si quis hæres in fi. cum leg. seq. de iure delib. l. 1. §. largius. de succ. edict.

i Dict. §. largius.

k L. 4. §. filius. D. quis ordo in bon poss.

l Dict. l. 1. §. vlt. de succe. edict.

m Dict. §. filius.

¶ *Si quis itaque delatam.*] Delata intelligitur edictalis bonorum possessio ex sola vi scripti edicti Prætorij. ideoque statim repudiari potest. At decretalis, quoniam ante decretum delata videri non potest, prius etiam non potest repudiari. Idque in vniuersum traditum est: nem-

8 est: nempe, ius futurum, & quod nondum competiit, non temerè posse repudiari[a]. ¶ *Statim cæ-* *a L. si qui hæres l. qui*
9 *teri admittuntur.*] Ergo si filius, qui anno integro deliberare poterat, quarto fortè mense palàm re- *superstitis. de acquir.*
pudiârit, statim incipit currere tempus sequentibus agnatis: nam & iis statim liberum est petere *hæredit.*
bonorum possessionem.

§. *In petenda autem.*

1 Tempus bonorũ possessionis petendæ vtile quomodo sit.
2 Bonorum possessiones ordinarias peti olim quomodo o-portuerit?
3.5.6.8 Ad bonorum possessionem hodie qualecunque indicium amplectendæ hæreditatis sufficit.
4 Præsentia iudicis ad bonorũ possessionem quorsum requiratur.

¶ *Dies vtiles singuli considerantur.*] Inquit Vlpianus[b]; Vtile tempus est bonorum possessionum ad- *b L. 2. D. quis ordo in*
1 mittendarum. ita autem vtile tẽpus est, vt singuli dies in eo vtiles sint: scilicet vt per singulos dies, *bon poss.*
& scierit & potuerit admittere. Cæterùm quacunque die nescierit, aut non potuerit: nulla dubita-
tio est; quin dies ei non cedat fieri autem potest, vt qui initio scierit, vel potuerit bonorum posses-
sionem admittere: scilicet sicùm initio cognouisset eum intestatum decessisse, postea quasi certio-
re nuncio allato dubitare cœperit, nunquid testatus decesserit, vel nunquid viuat. quia hic rumor
postea irrepserit, hæc Vlpia. ¶ *Sed bene.*] Hæc vocula aduersatiua SED, referenda videtur ad id,
2 quod paulò antè indicauit Iustinianus, esse petendam bonorum possessionem. Et reuera omnes
bonorum possessiones ordinarias, etiam si eas edictum vltro deferat, peti tamen olim debuisse
constat[c]. vt quis earum ius sibi acquireret, nempe possessoriam hæreditatis petitionem Et pete- *c L. 1. C. cõmu. de succes*
bantur quidem per libellum de plano: simulque de plano, &. vt ait Vlpianus, passim petenti in-
dulgebantur, sine vlla causæ cognitione aut decreti interpositione. Aliquando autem nec peti qui-
dem omnino debebant, cùm etiam plerunque absenti darentur, maximè vbi de acceptantis con-
ditione certus esset Prætor[d]. ¶ *Anteriores principes.*] Vt Constantius, qui fuit ducentis ferè annis *d L. seruum de bon pos.*
ante Iustinianum. Extat eius edictum ad Populũ, quod huc pertinet[e]. Et eius meminit in sua Cõ- *e L. vlt. C. qui admi.*
stitutione Iustinianus[f] his verbis. Quum petitio bonorum possessionis Constantiana Lege subla- *f L. vlt. § nos itaque C. de cura furio.*
ta sit, &c. Extat præterea in Theodosiano Codice quædam Constitutio Impp. Theodosij & Valen-
3 tiniani, qua videntur hi Principes tollere & bonorum possessionis petitionem, & cretionis solen-
nitatem, cõtenti qualicunque indicio amplectẽndæ hæreditatis vel repudiatæ. ¶ *Quocunque mo-*
do.] In Constitutione Constantij[g] legimus sufficere qualemcunque testationem amplectendę hę- *g Dict. l. vlt. C. qui*
reditatis. Itaque apparet nullas hic esse iudicis partes. cuius quidem præsentia requiritur, sed tan- *admi.*
4 tùm ad rei gestæ fidem, nõ autem ad vllam decreti interpositionem, quod nunquam necessarium
fuisse in edictalibus bonorum possessionibus, suprà obiter admonuimus. Certè hodie non potest
5 eo esse opus. cùm ne petantur quidem. ¶ *Ostenderit.*] Hoc est, declarârit. Vt intelligamus hoc ver-
bum referri ad testationem amplectendę bonorum possessionis, non autem ad necessitatem pro-
6 bandæ huius agnitionis intra statuta tempora factæ. Nam verius est, non onerari hac probatione
bonorum possessorem: sed eum, qui agnouit, in dubio præsumi intra statuta tempora agnouisse,
donec aduersarius contrarium ostenderit ac probârit.

De acquisitione per arrogationem, Titulus X.



EST & alterius generis per vniuersitatem successio, quæ neque Lege duodecim Tabularum, neque Prætoris edicto, sed eo iure, quod consensu receptum est, introducta est. Ecce enim eùm paterfamilias sese in arrogationem dat, omnes res eius corporales & incorporales, quæque ei debitæ sunt, arrogatori antea quidem pleno iure adquirebantur: exceptis iis, quæ per capitis deminutionem pereunt, quales sunt operarum obligationes, & ius adgnationis: vsus etenim & vsusfructus, licet his antea connumerabâtur, attamẽ capitis deminutione minima eos tolli prohibuit nostra Cõstitutio. nunc autẽ nos eandẽ adquisitionẽ, quæ per arrogationẽ fiebat, coartauimus ad similitudinẽ naturaliũ parẽtũ. Nihil enim aliud, nisi tantùmmodo vsusfructus, tam naturalibus parẽtibus, quàm adoptiuis, per filios familiarũ adquiritur in iis rebus, quæ extrinsecus filiis obueniũt, dominio eis integro seruato. Mortuo autẽ filio adrogato in adoptiua familia, etiam dominium rerum eius ad adrogatorẽ pertrãsit: nisi supersint aliæ personæ, quæ ex Constitutione nostra, patrem in iis, quæ adquiri non possunt, antecedãt. Sed ex diuerso, pro eo, quod is debuit, qui se in adoptionẽ dedit, ipso quidẽ iure adrogator non tenetur, sed nomine filij conuenitur: & si noluerit eũ defendere, permittitur creditoribus per competentes nostros magistratus, bona, quæ eius cum vsufructu futura fuissent, si se alieno iuri non obiecisset, possidere, & legitimo modo ea disponere.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Ius consensu receptum quod?*
2 *Arrogatus liberos etiam & nomina subijciebat arrogatori.*
3 *Quæ pereunt capitis diminutione, pereunt & arrogatione.*
4 *Societas ad arrogatorem non transit, sed arrogatus ipse manet socius.*
5 *Operæ officiales non transeunt ad hæredem extraneum.*
6 *Agnationis ius amittebatur olim arrogatione.*
7 *Non omnis capitis diminutio tollit vsumfructum.*
8 *Arrogator hodie succedit arrogato non peculij, sed hæreditario iure, instar patris naturalis.*
9 *Si arrogatus impubes moriatur, quo iure agnati cognatiue arrogatori præferantur?*
10 *Arrogator quatenus teneatur ad debita filij arrogati?*
11 *Quid, si is, qui actione de peculio filij conueniri possit, latitet?*

C*Onsensu receptum.*] Hoc est, moribus & consuetudine ciuili. Theophilus interpretatur, ἐκ τῆς ἀ- 1
χίου τῶν σοφῶν συναινέσεως, καὶ πολιτικῆς νομοθεσίας. [quod sine scripto & ex approbatione pruden-
tum receptum est.] ¶ *Omnes res eius.*] Atque adeò etiam eius liberi [a]. ¶ *Quæq; ei debita sunt.*] 2
Hæc est tertia quædam rerum species. Sic autem acquiruntur arrogatori nomina, vt in eum prorsus transferantur. Aliter sanè, & plenius quàm in societate, etiam omnium bonorum: quia tum nihilominus manent nomina in suo statu, solumque inuicem præstantur ac ceduntur actiones [b]. Porrò & precarium transit ad arrogatorem [c], licet ad hæredem non transeat [d].
¶ *Exceptum.*] Hæc exceptio iustissima est: quòd ipsa arrogatio sit quædam capitis diminutio; 3
vt quæ pereunt capitis diminutione, non possint non perire & arrogatione. Sed præter hæc, exci- 4
pere debemus & ius societatis. Neque enim arrogator fit socius eius, cum quo is, qui arrogatus est, societatem contraxerat: ne videlicet aliquis inuitus fiat alteri socius. Ideoque nec ad hæredem trásit ius societatis. Sed arrogatum ipsum verius est socium permanere [e].
¶ *Operarum.*] Quæ & si sint officiales, non transeunt ad hæredem extraneum [f]. ¶ *Ius agnationis.*] 5
Quod & ipsi arrogato perit; adeò, vt hoc iure non successisset cum agnatis. ¶ *Nostra constitutio.*] 6
Extat hæc Iustiniani Constitutio [g], in qua dicit, nolle se per omnem capitis diminutionem vsumfructum tolli; sed per eam tantùm, quæ vel libertatem, vel ciuitatem Romanam adimat. 7
¶ *Pertransit.*] Iure hæreditario, non, vt olim, iure peculij; sic vt iam creditoribus filij teneatur in
solidum, quasi eius hæres. ¶ *Aliæ personæ.*] Veluti liberi aut fratres [h]. Porrò si arrogatus moriatur 8
adhuc impubes, omnes agnati cognatiue, ad quos ab intestato peruentura erat legitima hæreditas, præferentur: nempe ex illa cautione, quæ interponi solet, dum impubes arrogatur, non au- 9
tem ex Iustiniani Constitutione, cuius hîc fit mentio. ¶ *Debuit.*] Ante ipsam arrogationem. Ná 10
si iam arrogatus æs alienum contrahat; saltem peculiotenus ipso iure obligabitur arrogator, & conuenietur [i].
¶ *Permittitur creditoribus.*] Sanè & si, qui actione de peculio, filij vel serui nomine conueniri pos-
sit, latitet; eo iure vtimur, (inquit Vlpianus [k]) vt possint bona eius possideri, & vænire. Sed de his 11
bonorum possessionibus, quæ permittuntur creditoribus, plura paulò pòst dicemus.

a §. illud sup. de adop.
b L. 3. pro soc.
c L. si adoptauero. de precar.
d L. cum precario aliquid §. vlt. de precar.
e L. actione §. societas D. pro soc.
f L. si operarum indicio. de ope. lib.
g L. pen. §. vlt. C. vsu.
h L. vlt. C. commu. de succ.
i L. in arrogatorem de pecul. l. si quis creditori. de pecu. lega.
k L. Fulcinius. § si qui actione. D. quib. ex cau. in poss. eat.

De eo, cui libertatis causa bona addicuntur, Titulus XI.



ACCESSIT nouus casus successionis ex Constitutione Diui Marci. Nam si ij, qui libertatem acceperunt à domino in testamento, ex quo non aditur hæreditas, velint bona sibi addici libertatum conseruandarum causa, audiuntur. Et ita Diui Marci rescripto ad Pompilium Rufum continetur. Verba rescripti ita se habent: Si Verginio Valenti, qui testamento suo libertatem quibusdam ascripsit, nemine successore ab intestato existente, in ea causa bona eius esse cœperunt, vt vænire debeant: is, cuius de ea re notio est, aditus, rationem desiderij tui habebit, vt libertatum tam earum, quæ directò, quàm earum, quæ per speciem fideicommissi relictæ sunt, tuendarum gratia addicantur tibi, si idoneè creditoribus caueris de solido, quod cuique debetur, soluendo. Et ij quidem, quibus directa libertas data est, perinde liberi erunt, ac si hæreditas adita esset. Ij autem, quos hæres manumittere rogatus est, à te libertatem consequentur: ita, vt si non alia conditione velis tibi bona addici, quàm vt ij etiam, qui directò libertatem acceperunt, tui liberti fiant. Nam huic etiam voluntati tuæ, si ij, quorum de statu agitur, consentiant, autoritatem nostram accommodamus. Et ne huius rescriptionis nostræ emolumentum alia ratione irritum fiat: si fiscus bona agnoscere voluerit, & ij, qui rebus nostris attendunt, sciant commodo pecuniario præferendam esse

libertatis

libertatis caussam: & ita bona cogenda, vt libertas iis salua sit, qui eam adipisci potuerunt, ac si hæreditas ex testamento adita esset. Hoc rescripto subuentum est & libertatibus, & defunctis: ne bona eorum à creditoribus possideantur & væneant. Certè si fuerint hac de causa bona addicta: cessat bonorum venditio. existit enim defuncti defensor, & quidem idoneus, qui de solido creditoribus cauet. In primis hoc rescriptum toties locum habet, quoties testamento libertates datæ sunt. Quid ergo si quis intestatus decedens, Codicillis libertates dederit, neque adita sit ab intestato hæreditas: an fauor Constitutionis debebit locum habere? Certè si intestatus decesserit, & Codicillis dederit libertatem: competere eam, nemini dubium est. tunc enim Constitutioni locum esse verba ostendunt, cùm nemo successor ab intestato existat. Ergo quandiu incertum erit, vtrùm existat, an non: cessabit Constitutio. Si verò certum esse cœperit neminem existere, tunc erit Constitutioni locus. Si is, qui in integrum restitui potest, abstinuerit hæreditate: an quanuis potest in integrum restitui, possit admitti Constitutio, & bonorum addictio fieri? Quid ergo, si post addictionem libertatum conseruandarum causa factam, in integrum sit restitutus? Vtique non erit dicendum reuocari libertates: quia semel competierunt. Hæc Constitutio libertatum tuendarum causa, introducta est. Ergo si libertates nullæ sunt datæ: cessat hæc Constitutio. Quid ergo si viuus dederit libertates, vel mortis causa: & ne de hoc quæratur, vtrùm in fraudem creditorum, an non, factum sit, idcirco velint sibi addici bona: an audiendi sint? Et magis est, vt audiri debeant, etsi deficiant verba Constitutionis. Sed cùm multas diuisiones eiusmodi Constitutioni deesse perspeximus: lata est à nobis plenissima Cōstitutio, in qua multæ species collatæ sunt, quibus ius huiusmodi successionis plenissimum est effectum: quas ex ipsius lectione Constitutionis potest quis cognoscere.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1.2.3.4.5 Addicere quid?

6 Si is, qui scriptus est, hæres esse nolit, qui alij ordine & quatenus admittantur?

7 Facta venditio libertatum sustinendarum fauore rescindi potest.

8 Idonee cauere quid?

9 Libertates semel competentes, non reuocantur.

1 ADdicere verbum fuit Prætorij decreti, præsertim in executione rerum iudicatarum. Tractum
2 deinde est ad publicas auctiones, quibus in eū, qui rem pluris licitatus esset, rei dominiū certum propriumque transferebatur. Et eodem exemplo ad priuatas quoque venditiones relatum
3 est. Extat in Pandectis tit. de Addictione in diem. Sed & vbi creditori dabatur in solutum res quæ
4 alioqui emptorem non inueniebat, addictio esse dicebatur, vt & dominij impetratio. Postremò & hoc loco vbi alicui tanquam hæredi, bona defuncti dantur, propriaque dicantur, vt loquitur
5 Poëta, addictio quædam est.

¶ *Verba rescripti ita se habent.*] Non puto alibi extare verba huius rescripti: sed eius sententiam alio loco fideliter refert Iustinianus. his verbis[a]; Cum Constitutio Diui Marci declaret, si quis condito testamento, vel sine testamento moriens, vt locus fiat ab intestato successioni, libertates reliquerit, nemo autem adire velit defuncti hæreditatem, eò quòd suspecta esse videatur, & fuerint libertates forsitan, & sine scriptis fideicommissariæ relictæ: licere vel cuilibet extraneo, vel vni ex seruis, qui & ipse libertate donatus est, & pro sua periclitatur conditione, adire hæreditatem sub hac conditione & satisdatione, quòd & creditoribus omnibus satisfaciat, & libertates imponat iis, quibus voluerit testator. hæc Iustinianus. Breuius autem Vlpianus[b], Constitutio Diui Marci (inquit) iubet libertatem competere seruo, & bona ei addici, si idoneè creditoribus cauerit, de solido, quod cuique debetur, soluendo. Subiicit autem postea idem Vlpianus multa, quę pertinent ad interpretationem eius Constitutionis: sed non vacat omnia persequi, nec fuerit fortasis operæpretium. Illud verò magis è re fuerit annotâsse. Iustinianum in Nouella sua Constitutione prima, sustinendorum omnium legatorum, & implendæ honestæ voluntatis defunctorum causa, statuisse,
6 vt si is, qui scriptus est, hæres esse nolit. alij, præstita cautione adimplendæ voluntatis defuncti, admittantur, primùm substituti, deinde cohæredes, post hos fideicommissarij & legatarij; quarto loco serui. quibus à domino relicta est eo testamento libertas: postremò fiscus. *Nemine successore.*] Quandiu tamen incertum erit, vtrùm existat successor, cessabit hæc Constitutio, inquit Vlpianus[c], & ipse postea Iustinianus.
7 ¶ *Vænire debeant.*] Sed & si iam vænierint, nihilominus adhuc intra annum patet via ad petitionem huius bonorum addictionis: fauoreque libertatum sustinendarum, facta venditio rescindetur. Quod statuit Iustinianus Vlpiani sententiam secutus[d].

a L. vlt. C. de testa. manu.
b L. 2. de fideicō. libe
c L. 4. de fideicō. libe.
d DiΛ. l. vl §. 4.

¶ *Si idoneè.*]

a Dig. l. 4. §. addici.

¶ *Si idoneè.*] Vlpianus loquens de hoc rescripto Diui Marci, inquit[a]; Addici ita demum bona vo-
luit, si idoneè creditoribus cautum fuerit de solido, quod cuique debetur. Quid est idoneè? satisda- 8
tione vtique, an pignoribus datis? Respondi: & si ei fides habita fuerit promittenti sine satisdatio-
ne: idoneè cautum videbitur. Crediroribus tamen caueri quemadmodum debet? vtrùm singulis?
an verò omnium nomine vni ab ipsis creato? Et oportet officio iudicis constitui, conuenire credi-
tores, vnumque creare, cui caueatur omnium nomine. ¶ *Ita, vt si non alia conditione velis.*] Inquit
idem Vlpianus: hi, qui ad libertatem peruenerunt, quorum liberti fiant, Constitutio ostendit: vt
qui directam libertatem acceperunt, Orcini sint liberti; nisi fortè is, qui sibi addici bona desiderat,
ita velit addici, vt etiam hi, qui directam libertatem acceperunt, ipsius liberi fiant. ¶ *Si fiscus.*] In-
quit idem Vlpianus[b]; Eadem Constitutio prospexit, vt si fiscus bona admiserit, æquè libertates cō-
petant. Ergo siue iaceant bona fisco spernente, siue is agnouerit, Constitutio habet locum.

b Dig. l. 4. §. eadem.

¶ *Iis salua sit.*] Etiam iis, quos legatarius rogatus est manumittere. Omnibus enim (inquit Vl-
pianus) genetalirer Constitutio voluit libertatem præstari, quibus competeret, si hæreditas adita
fuisset. ¶ *Ergo quandiu.*] Totus hic locus descriptus est ex Vlpiani responso, cuius verba (si cui lu-
beat conferre) sunt hæc[c]; Ergo quandiu incertum sit, vtrùm existat successor, an non, cessabit Con-
stitutio, cùm certum esse cœperit, tunc erit Constiturioni locus. Si is, qui in inregrū restitui potest,
abstinuerit se hæreditate; an quandiu poterit in integrum restitui, existimemus Constitutionem
cessare, quia non est certum ab intestato neminem successorem extare? Est tamen verius, admit-
tendam Constitutionem. Quid ergo si post addictionem libertatum conseruandarum causa fa-
ctam, in integrum sit restitutus? Vtique non erit dicendum, reuocari libertates, quę semel compe- 9
tierunt. ¶ *Lata est à nobis plenißima constitutio.*] Extat hæc Iustiniani Constitutio libro septimo
Codicis[d].

c Dig. l. 4.

d L. vlt. C. de testa. manu.

DE SVCCESSIONIBVS SVBLATIS, QVAE fiebant per bonorum venditiones, & ex Senatusconsulto Claudiano, Titulus XII.



RANT ante prædictam successionem olim & aliæ per vniuersitatem successiones: qualis fuerat bonorum emptio, quæ de bonis debitoris vendendis per multas ambages fuerat introducta, & tūc locum habebat, quando iudicia ordinaria in vsu fuerant. sed cùm extraordinariis iudiciis posteritas vsa est, ideo cum ipsis ordinariis iudiciis etiam bonorum venditiones expirauerunt, & tantummodo creditoribus datur officio iudicis bona possidere, & prout vtile eis visum est ea disponere, quod ex latioribus Digestorum libris perfectius apparebit.

Erat & ex Senatusconsulto Claudiano miserabilis per vniuersitatem adquisitio: cùm libera mulier seruili amore bacchata, ipsam libertatem per Senatusconsultum amittebat, & cum libertate substantiam. quod indignum nostris temporibus esse existimantes, & à nostra ciuitate deleri, & non inseri nostris Digestis concesimus.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Succeßionis per bonorum venditionee olim ambages quæ?*
2 *Theophilus notatus.*
3 *Hodie, sublata solennitate & ordine priscarum formularum, iudicia omnia sunt extraordinaria.*
4 *Quid, si debitor latitet?*
5 *Quid iure nouißimo obtineat?*
6 *Pœna fœminarum seruis sese coniungentiū olim quæ?*
7 *Fœmineus sexus amoris furori præcipuè obnoxius.*
8 *Quo exemplo Iustinianus mulierum infirmitati succurrendum putárit.*

Q*Valis erat bonorum emptio.*] Qualis autem hæc fuerit, aut quales eius ambages, conatur hîc Theo- 1
philus exponere: scribitque, Prætorem primùm debuisse permittere creditoribus posidere
bona debitoris, qui non est soluendo: Deinde vnum ex iis, qui Magister diceretur, constituere cu-
ratorem bonotum, cum quo contraherent, si qui bona ptoscripta vellent emere: Postremò conce-
dere, Legem, quam vellent, venditioni addere. ¶ *Quando iudicia ordinaria.*] Theophilus hunc lo- 2
cum accipit de conuenribus publicis, qui olim certis tempotibus fiebant. Sed parum id conuenit
cum iis quæ sequuntur.

e L. vlt. inf. de inter.
f L. actio negociorū gestorū. de nego. gest.

¶ *Extraordinariis iudiciis posteritas vsa est.*] Rursus alio postea loco Iustinianus testatur[e], omnia hodie iudi-
cia esse extraordinaria, nēpe sublata in vniuersum solēnitate, & veteri ordine priscatū formularū. 3
Certè Paulus[f] noster interpretari videtur extraordinaria esse iudicia, in quibus cōceptio formularū
non ob-

non obseruatur. Sed de iudicijs quæ vel ordinaria dicuntur, vel extraordinaria, alio postea suo ma
gis loco latius dicemus. ¶ *Quod ex latioribus Digestorum libris.*] Tractatur id certè libro quadragesi-
4 mo secundo Digestorum. Fuit autem hoc Prætoris edictum [a], QVI FRAVDATIONIS CAVSA LA- *a L. Fulcinius. D. Qui*
TITAT, SI BONI VIRI ARBITRATV NON DEFENDATVR, EIVS BONA POSSIDERI, VENDI- *bus ex cau. in poss. eat.*
QVE IVBEBO. Tullius autem in oratione pro Quintio commemorat & alia quædam huius edicti
capita. Sic enim Prætorem aliquando edixisse refert, QVI FRAVDATIONIS CAVSA LATITA-
RIT, CVI HÆRES NON EXTABIT, QVI EXILII CAVSA SOLVM VERTERIT. Idem significat
venditionem solere fieri, vbi ex decreto fuissent triginta diebus bona possessa. Rursus idem ad-
monet (quod & hoc iure fuit receptum [b]) possessionem non in aliqua bonorum parte fuisse, sed *b L. quamuis. D. vt in*
5 in vniuersis. sed cùm id per Nouellam Iustiniani Constitut. 53. immutatum sit, nec nisi pro ratione *possess. lega. l. esse lic e.*
debiti bona possideantur, multo minus potest hic vlla videri ratio vniuersitatis acquirendæ. *dic. l. fulcinium. §. 1 &*
6 *Senatusconsulto Claudiano.*] Cor. Tacitus libro duodecimo scribit; Claudium Cæsarem retulis- *l. 2. D quib. ex cau. in*
se ad Patres de pœna fœminarum, quæ seruis coniungerentur: & statuisse, vt ignaro domino ad id *possess. ea.*
prolapsa, in seruiturem sui consensisse intelligeretur: & qui nati essent, pro libertis haberentur.

¶ *Seruili amore bacchata.*] Hoc est, insano serui amore percita, & bacchantium more effringens
omnia pudicitię claustra. Nam quò non adigit insanus illa Cupido? Cuius furore nihil esse vehe-
mentius, ipse quoq; Iustinianus fatetur in Nouella sua Constitut. 74. Pręcipuè autem valet & re-
7 gnat in sexu fœmineo. Certè vt prætereeam Taurum Pasiphaës, equum Semiramidis, & eiusmodi
horrenda exempla portentosæ mulierum libidinis, quid dicas de Messalina illa Claudij Cæsaris
vxore, quæ Licyscæ vilissimi scorti nomen mentita, noctu lupanar adibat? Et nescio an non id
Claudium Cæsarem mouerit, vt paulò durius coërceret effrænem mulierum impudicitiam. Por-
rò bacchandi verbo, quo furor significetur, etiam Vlpianus vsus est [c]. *c L. 1. in fin. de ædil.*

¶ *Ipsam libertatem amittebat.*] Fiebat enim conserua, & ei subijciebatur, cuius erat is seruus, *edict.*
cum quo rem ipsa habuerat.

¶ *Indignum nostris temporibus existimantes.*] Maximè cùm hac in re parceretur viris. Iam enim re-
scripserat Imp. Alexander [d]; Si liber homo alienæ ancillæ contuberniū sequatur: licet ei fuerit de- *d L. 3. C. de liber. cau.*
8 nuntiatum, vt se abstineret, seruus domini mulieris nō fit. Quo exemplo Iustinianus putauit suc-
currendum infirmitati mulieris, quæ, vt alio loco ait, infelici cupidine capta non potuit sibi tem-
perare. Quinimo iubet ipsum seruum, qui se ausus est miscere liberæ mulieri, castigari à domino.
Extatque adhuc Iustiniani hac de re Constitutio [e]. Quid autem statutum fuerit de mu- *e L. vnica. C. de Se-*
lieribus, quæ seruis non alienis, sed proprijs se miscuerint, *natusc. Clau. tollen.*
alio [f] loco dictum est. *f §. 1. supra, de hære. instit.*



DE OBLIGATIONIBVS

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

1 *Continuatio tituli; & Dominium atq; obligationem summa Iuris Ciuilis capita esse.*
2 *Quid certas contractuum formulas introduxerit?*
3 *Romanos commerciorum rationem æquißimè & accuratißime definijsse.*
4.5.6.7 *Emptionis & venditionis; permutationis; conductionis & commodati; Mutui, contractus vnde?*
8 *Deus impreßit contractibus quasdã virtutum exercendarum imagines.*
9 *Christianæ ciuitates Romanorum leges de contractibus plerunq; retinuerunt.*
10 *Obligatio quid?*
11 *Obligationum species quot?*
12 *Obligatio legitima quæ?*
13.15. *Quæ naturalis?*
14 *Ex obligatione naturali tantùm, non datur actio.*
16 *Conuentionum nomen esse generalißimum.*



OMINIVM & Obligatio, duo sunt summa ac præcipua Iuris 1
Ciuilis capita. De rerum dominio copiosè dictum est hactenus.
Superest vt de Obligationibus agamus: ac vt totam contractuum
rationem pertractemus. Eam autem in hac vita ciuili latißimè
patere nemo ignorat. certis autem Legibus regi & componi, pluri-
mùm Reipublicæ interest. Certè necesse est tueri singulorum pro-
prietates & diuersa manere rerum dominia: neq; id, quod nostrum
est, nobis inuitis auferri vel potest vel debet [a]*. Sed cùm nulla* 2
esse poßit Respublica sine mutua rerum communicatione: non mi-
nus necesse fuit certas edi formulas contractuum, quibus sine cuius-
dam iniuria res singulorum facilè communicarentur. Magno in-
commodo affici homines, cum quibus nemo contrahit, & quibus commercio interdicitur, ait Pau-
lus [b]*. & magnam esse habendam rationem vtilitatis contrahentium, idem respondit* [c]*. Totam com-* 3
merciorum rationem nullus vnquam populus vel æquius vel accuratius definijt quàm Romanus.
Ac multum quidem admirari debemus maiorum nostrorum prudentiam, qui tanta cura & iuditio
omnibus omnium difficultatibus & singulorũ neceßitatibus, per certos veluti gradus subuenêrunt.
Habet aliquis pecuniam numeratam, sed re alterius indiget; vel contrà. Hîc paratum est subsidium 4
emptionis & venditionis. Si careat pecunia, sed alijs rebus abundet: permutatio initur. Si nec pe- 5
cuniam, vt emat, nec res, vt permutet, habeat: aut dominus nolit rem suam alienare: itur ad condu- 6
ctionem aut commodatum, vt saltem ad tempus, rei vsum, quo opus habemus, consequamur. Sed quia 7
quædam res vtendo consumuntur, neque alium alioqui habent vsum, quàm qui sic in abusu, mutuum
etiam introductum est, in quo nullum etiam esset eius qui dedit incommodum, si non eadem ipsa res
redderetur, sed alia eiusdem generis & qualitatis. Ac sic quidem Deus contractibus hanc vitam de- 8
uinxit ac contin[illegible]: quibus etiam impreßit quasdam virtutum imagines, officiorumque exercendo-
rum memoriam. Neque enim existimare debemus simpliciter proditos esse, tuendæ solùm vitæ no-
stræ causa. Imò verò ij etiam nos docere debent mutuæ humanitatis officia: & admonere: vt nõ minus
alienæ, quàm nostræ vtilitatis rationem habeamus. Quo magis & fraudes omnes, & iniquas acquisi-
tionum vel communicationum rationes fugere, grauiusq; detestari debemus. Saltem in ea nos con-
tineamus æquitate, quam ciuilis ratio præscribit; & leges in hoc genere Romanas colamus, quas vix
vlla repudiare potest Respublica quin sibi suam accersat internecionem. Quo magis prudenter fe-
cisse mihi videntur Christianæ ciuitates, quæ cùm in succeßionibus alios plerunque mores, qui, vsu
recepti, sunt alieni à Iure Ciuili, secutæ sint: in iucundis suis contractibus vix recesserint à Legibus
Romanis. Nam intellexerunt non modò honestißimè omnia, sed & copiosè singula esse ab ijs 9
descripta. Excute totum venditionis emptionisque tractatum, qui tàm latè patet. quid tandem,
quod ad eum pertineret, Romani Prudentes prætermiserunt? quàm diligenter omnia rerum ve-
nalium vitia Aedilitio suo edicto definiunt, totamque redhibitionis rationem? quàm grauiter
dolos & fraudes coërcent? quàm multa prudenter de Euictionibus, de lege commissaria, de addi-
ctione in diem? De vsuris, & eo, quod interest, plurimæ variæque sunt quæstiones. Sed expen-
sis rerum circumstantijs omnes explicatè perspicueque definierunt leges Romanæ. Quod ad obliga- 10
tionis verbum attinet, Iustinianus eam esse scribit Iuris vinculum, quo astringimur. Sed tamen &
generaliter obligatio sæpe dicitur, quæ non tam valde constringit. Ac Vlpianus quidem obligatio- 11
nes modò diuidit in naturales, Ciuiles & Honorarias: modò in naturales siue Iurisgentium, & legiti- 12
mas. Ac legitimas quidem esse ait, quæ lege aliqua confirmantur: quæ scilicet Iure Ciuili & pro-
ditæ sunt & nituntur. Naturalis obligatio ex contractibus Iurisgentium nascitur, ac Iure Ciui-
li confirmata, Ciuilis quoque efficitur, vt ad agendum valeat, & arctiori vinculo constringat. 13

Nam

a L. id quod nostrum de reg. iur.

b L. quod si minor. §. non semper. de minorib. l. sed an via. de pignorib.

Nam alioqui manet infirmior; cùm ex ea non detur actio. quamuis vim suam illam retineat, vt ad
14 compensandum, vel retinendum solutum satis sit. Sed admonendi sumus & alias quasdam esse mul-
to infirmiores obligationes, quæ itidem naturales appellantur, nec tamen Iurisgentium sunt, sed po-
15 tius ex naturali quadam honestate, siue æquitate planè alioqui libera, descendunt: vt qui beneficijs
affectus est, naturaliter obligatus dicitur πρὸς ἀντίδωρα,[a] [ad referendam gratiam.] Sed eius obli-
16 gationis nullum planè est vinculum. Porrò conuentionis nomen maximè esse generale, docet idem
Vlpianus: ac conuentionum quidem plerasque in aliud nomen transire; veluti in emptionem, locatio-
nem, pignus stipulationem. Ac eas quidem conuentiones, quæ in suo nomine non stant, sed transeunt
in proprium nomen contractus, parere actiones. Cuius generis est venditio, emptio, locatio, condu-
ctio, societas, commodatum, depositum. Sed & si in proprium contractum res non transeat; si ta-
men causa subsit, valida erit obligatio. veluti si tibi rem aliquam dederim, vt mihi a-
liam des. Id enim verè est συνάλλαγμα. [commercium siue vltrocitroque
obligatio,] ex eoque ciuilis actio nascitur.

a L. sed & si lege. §. consuluit. de petit. hered.



OBLIGATIO oritur vel ex

- *Contractu: qui initur*
  - *Re,*
    - *Mutuo,* rerum, quæ pondere, numero, mensura constant. Vnde oritur certi condictio, quæ ciuilis est, perpetua stricti iuris.
    - *Cōmodato,* Vnde actio commodati, directa, quæ commodanti: contraria, quæ commodatario competit. Vtraq; personalis, ciuilis, perpetua. Illa ad rem datur, vel eius æstimationem, si res culpa commodatarij perierit: Hæc propter impensas vel vsum.
    - *Deposito,* Vnde actio depositi, directa, quæ datur deponenti ad rem, vel æstimationem, si res dolo perierit. Contraria depositario, si quid impenderit.
    - *Pignore,* Vnde actio pigneratitia, personalis, perpetua, directa quæ datur debitori persoluto debito, ad repetendum pignus. Contraria, quæ creditori, si quid in pignus impenderit, vel si debitor in dando pignore dolo versatus sit, vel si nolit restituere quod ei precario est concessum.
    - *Indebito soluto,* ——— Vnde condictio indebiti.
  - *Verbis,* Veluti stipulatione. Vnde cōdictio rei generalis, si appareat quid, quale, quantumq; sit promissum. Vel ex stipulatu, si sit incertum.
  - *Literis,* Nempe ex chirographo, idq; post biennium. nam prius agenti obijcietur exceptio non numeratæ pecuniæ.
  - *Cōsensu*
    - *Emptione, venditione:* Vbi de precio certo conuentum est. Vnde bonæ fidei & perpetuæ actiones,
      - ex vendito, vt res tradatur.
      - ex empto, vt soluatur precium.
    - *Locatione, cōductione,* Vnde actio ex locato, vt res restituatur, finito cōductionis tempore: itemq; vt merces soluatur. Ex cōducto verò, si re conducta non liceat vti: si vitiosa res dolo sit locata, & pro impensis.
    - *Societate.* Qua finita oritur actio pro socio, bonæ fidei, perpetua, vtrinq; directa ad collationem lucri vel damni: & alia, quæ ad societatem pertinent.
    - *Mandato:* Vnde mandati actio, bonæ fidei, perpetua. Directa mandanti datur, si eius intersit propter contemptum mandatum. Contraria verò competit mandatario, vbi quod mandatum erat, bona fide impleuit.
- *Quasi ex cōtractu,*
  - *Gestione negotiorum alienorum,* Vnde actio nego. gest. perpetua, bonæ fidei. Directa datur domino contra gestorem, vt reddat rationem negotij gesti: vt præstet quod dolo aut culpa perperam gesserit: vt restituat quod ad eum peruênit ex gestione, simul & vsuras eiusmodi reliquorum. Contraria verò datur ipsi gestori, si quid bona fide impenderit.
  - *Administratione tutelæ,* Vnde datur pupillo actio, vt tutor reddat rationem: & tutori si quid impendit,
  - *Communione,*
    - *Rerum.* Vnde actio Communi diuidundo, ad diuidundam rem communem, & propter sumptus in eam factos.
    - *Hæreditatis.* Vnde actio familiæ erciscundæ datur cohæredibus ad diuidundam hæreditatem.
- *Delicto,*
  - *Furto,* Vnde competit domino condictio furtiua: competit & omnibus, quorum interest actio furti, manifesti in quadruplum, non manifesti in duplum.
  - *Rapina.* Vnde actio Vi bonorum raptorum, omnibus, quorum interest, datur in quadruplum, sed cui inest rei persecutio. Idq; tantùm intra annum vtilem. Post annum in simplum tantùm.
  - *Iniuria.* Vnde actio iniuriarum, quæ morte aut reconciliatione finitur.
  - *Damno iniuria dato.* Vnde actio Legis Aquiliæ, quæ est pœnalis & in duplum aduersus inficiantem. Daturq; aduersus eum, qui damnum dedit vel opem tulit danti.
- *Quasi ex delicto,*
  - Iudicando per imperitiam. Qua ratione facit Iudex litem suam.
  - Si quid ex naui furto sit ablatum. Vnde actio exercitoria.
  - Si quid eiectum aut effusum fuerit.
  - Si quid sit appensum, cuius casus possit nocere.

INSTITV-

INSTITVTIONVM, SEV ELEMENTORVM IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS

LIB. III.

De Obligationibus, Titulus XIII.



NVNC transeamus ad obligationes. Obligatio est Iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ secundùm nostræ ciuitatis iura.

Omnium autem obligationum summa diuisio in duo genera diducitur. nanque aut Ciuiles sunt, aut Prætoriæ. Ciuiles sunt, quæ aut legibus constitutæ, aut certo Iure Ciuili comprobatæ sunt. Prætoriæ sunt, quas Prætor ex sua iurisdictione constituit, quæ etiam Honorariæ vocantur.

Sequens diuisio in quatuor species diuiditur. Aut enim ex contractu sunt, aut quasi ex contractu; aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio. Prius est, vt de ijs, quæ ex contractu sunt, dispiciamus. Harum æquè quatuor sunt species. Aut enim re contrahuntur, aut verbis, aut literis, aut consensu; de quibus singulis dispiciamus.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Obligationum vis ab autoritate iuris dependet.
2 Debitor proprie quis?
3 Res, solutio, vocabula generalia.

1 OBligatio est iuris vinculum.] Suprà docuit Iustinianus[a], obligationes esse res incorporales, & in *a §. 1. sup. de rebus*
iure consistere. Et sanè parum constringeret obligatio, nisi authoritas iuris accederet, eiusque *corp. & incorp.*
vim & nexum tueretur. Itaque tota vis obligationis pendet à iuris authoritate: qua si destituatur,
non potest vllius esse momenti. Sed interim oportet obligationem esse eiusmodi, quæ confirmari
posit. Sic enim Papinianus respondit[b]: Obligationes, quæ non proprijs viribus consistunt: neq; *b L. obligationes. De*
iudicis officio, neque Prætoris imperio, neque legis potestate confirmantur. ¶ *Necessitate astrin-* *act. & obligat.*
gimur.] Sic vt nulla exceptione posimus hunc nexum abrumpere. Et sanè is demum debitor di-
2 cendus est, à quo inuito debitum posit iudicio extundi[c]. Hic ergo ius, siue iuris vinculum, sicu- *c L. creditores. l. de-*
ti vim, necessitati conferri; voluntati autem liberæ opponi intelligimus. Sic antea Iustinianus[d], *bitor. De verb. signi.*
Ideo (inquit) fideicommissa appellata sunt, quia nullo vinculo iuris, sed tantùm pudore eorum, *d §. 1. sup. de fideicõ.*
3 qui rogabantur, continebantur. ¶ *Alicuius rei soluendæ.*] Vtitur hic Iustinianus verbis latè paten-
tibus. Nam & rei verbum admodum generale est, & Solutio significat omnem speciem liberatio-
nis[e]. ¶ *Secundum nostra ciuitatis iura.*] Id referri potest vel ad rationem ineundæ obligationis, vel *e L. solutionib. de so-*
ipsius solutionis, quæ fieri debet secundum præscripta Iuris Ciuilis; alioqui est inutilis, nec debito- *lut. l. liberationu. de*
rem liberat. *verb. signi.*

§. *Omnium autem.*

1 Obligationum diuisiones generales.
2 Ius prætorium quomodo dicatur ius incertum?
3 Obligationes quæ hîc ciuiles appellantur, naturales sunt.
4 Contractus Iuris gentium an dicamus confirmari Iure Ciuili?
5 Obligationes diuidit Aristoteles in voluntarios & inuoluntarios.

1 ¶ *Summa diuisio.*] Hæc est summa quidem diuisio legitimarum obligationum, de quibus pa-
rat dicere Iustinianus. Sed alia est generalis obligationum diuisio, quòd sint aliæ naturales, aliæ le-
2 gitimæ. ¶ *Certo Iure Ciuili.*] Theophilus hanc vocem, CERTO, neglexit: nec tamen videtur ocio-
sa. Indicat enim discrimen quoddã Iuris Prætorij, quod olim duplici nomine fuit incertum: nem-
pe, quòd Prætores non dicebant Ius ex edicto perpetuo: deinde quòd liberius sequerentur solam
æquitatis regulam, quæ ob varias rerum circunstantias, à quibus pendet, à Cicerone quoque dici-
3 tur Ius incertum. ¶ *Comprobata.*] Naturales nempe obligationes, quæ ex Iuris Gentium contra-
ctibus nascuntur. Nam eæ ipsæ sunt, quæ hîc Ciuiles appellantur, quòd Iure Ciuili comprobatæ
confirmatæq; sint. Cæterùm ex confirmatione nemo putet prodi nouam aliquam obligationem.
Semper enim nihilominus vna eademque manet obligatio, & vnica est semper eius substantia.
4 Cæterùm contractus ipsos Iuris Gentium non dicemus confirmari Iure Ciuili, sed recipi tantùm,
aut admitti simpliciter. quare nec Iuris Ciuilis esse dicuntur. Neque verò nihili est hæc obseruatio.
Nam si hæ conuentiones Iure Ciuili confirmari dicerentur, Iuris Ciuilis omnino haberentur.

a L. quadam. de pœnis.
b L. si tibi mandauero. §. si cuius. D. mand.

Itaque ab ijs arceretur deportatus [a]: sed aliter iudicatur, si tantùm Iuris Gentium esse dicantur [b].

¶ *Sequens diuisio.*] Aristoteles lib 5. Ethicorum, obligationes siue contractus diuidit in volun- 5 tarios, qui nostris conuentionibus constant: & inuoluntarios, qui sunt ex maleficijs: enumeratq; plura vtriusque speciei exempla. Aristotelis verba sunt hæc: τῶν συναλλαγμάτων, τὰ μὲν ἑκούσιά ἐστι, τὰ δὲ ἀκούσια. ἑκούσια μὲν γὰρ τὰ τοιάδε, οἷον πρᾶσις, ὠνή, δανεισμός, ἐγγύη, χρῆσις, παρακαταθήκη, μίσθωσις. ἑκούσια δὲ λέγεται, ὅτι ἡ ἀρχὴ τῶν συναλλαγμάτων τούτων ἑκούσιος. τῶν δ' ἀκουσίων, τὰ μὲν λαθραῖα, οἷον κλοπὴ, μοιχεία, φαρμακεία, προαγωγεία, δουλαπατία, δολοφονία, ψευδομαρτυρία. τὰ δὲ βίαια, οἷον αἰκία, δεσμός, θάνατος, ἁρπαγή, πήρωσις, κακηγορία, προπηλακισμός. [Contractuū alij quidē voluntarij sunt, alij verò præter voluntatem contingentes. Voluntarij autem istiusmodi sunt, vt, Venditio, Emptio, Mutuatio, Fideiusio, Locatio, Depositum siue Pignus, Conductio. Voluntaria autem dicuntur hæc commercia, quòd à volentibus vtrinque nec ab inuitis suscipiuntur. Inuoluntaria verò sunt clandestina illa, vt Furtum, Adulterium, Veneficium, Mulierum atque adolescentulorum introductiones. Seruorum corruptiones, Insidiæ, Falsa testimonia. Illa verò & violenta sunt, vt, Pulsatio, Vincula, Cædes, Rapinæ, Membrorum truncationes, Verborum iniuriæ, Contumeliæ.

Quibus modis re contrahitur obligatio, Tit. XIIII.

Re contrahitur obligatio, veluti mutui datione. Mutui autem datio in ijs rebus consistit, quæ pondere, numero, mensura constant: veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro: quas res aut numerando, aut metiendo, aut adpendendo in hoc damus, vt accipientium fiant, & quandoque nobis non eædem res, sed aliæ eiusdem naturæ & qualitatis reddantur. inde etiam mutuum appellatum est, quia ita à me tibi datur, vt ex meo tuum fiat: & ex eo contractu nascitur actio, quæ vocatur Condictio.

Is quoque, qui non debitum accepit ab eo qui per errorem soluit, re obligatur: daturque agenti contra eum propter repetitionē condictitia actio. Nam perinde ei condici potest, SI APPARET EVM DARE OPORTERE, ac si mutuum accepisset. Vnde pupillus, si ei sine tutoris authoritate indebitum per errorem datum est, non tenebitur indebiti condictione: non magis quàm mutui datione. Sed hæc species obligationis non videtur ex contractu consistere: cùm is qui soluendi animo dat, magis voluerit negotium distrahere, quàm contrahere.

Item is cui res aliqua vtenda datur, id est, commodatur, re obligatur, & tenetur commodati actione. Sed is, ab eo qui mutuum accepit, longè distat. namque non ita res datur, vt eius fiat: & ob id de ea re ipsa restituenda tenetur. Et is quidem, qui mutuum accepit, si quolibet fortuito casu amiserit quod accepit, veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum hostiúmve incursu: nihilominus obligatus remanet. At is, qui vtendum accepit, sanè quidem exactā diligentiam custodiendæ rei præstare iubetur: nec sufficit ei tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solitus est: si modò alius diligentior poterat eam rem custodire. sed propter maiorem vim maiorésve casus non tenetur: si modò non ipsius culpa is casus interuenit: alioqui si id, quod tibi commodatum est domi, peregrè tecum ferre malueris, & vel in cursu hostium prædonúmve, vel naufragio amiseris: dubium non est, quin de restituenda ea re tenearis. Commodata autem res tunc propriè intelligitur, si nulla mercede accepta vel constituta, res tibi vtenda data est. alioqui mercede interueniente, locatus tibi vsus rei videtur. Gratuitum enim debet esse commodatum.

Præterea & is, apud quem res aliqua deponitur, re obligatur, teneturque actione depositi: quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur. Sed is ex eo solo tenetur, si quid dolo commiserit: culpæ autem nomine, id est, desidiæ ac negligentiæ non tenetur. Itaq; securus est, qui parum diligenter custoditam rem furto amiserit: quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed suæ facilitati id imputare debet.

Creditor quoque, qui pignus accepit, re obligatur: quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur actione pigneratitia. Sed quia pignus vtriusque gratia datur, & debitoris, quò magis pecunia ei credatur, & creditoris, quò magis ei in tuto sit creditum: placuit sufficere, si ad eam rem custodiendam, exactam diligentiam adhibeat: quam si præstiterit, & aliquo fortuito casu rem amiserit, securum esse, nec impediri creditum petere.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Titulus hic ex Vlpiani responso descriptus.*
2 *Re quomodo contrahatur?*
3 *Ad mutui obligationem contrahendam interuenire oportet factum dationis.*
4 *Ex promissione dandi mutui qualis contrahatur obligatio.*
5.17 *Cur in ijs tantùm rebus, quæ numero mensuráve constant, Mutui datio consistat?*
6 *Pondere, numero, mensuráve vt res constent, spectatur quantitas, non qualitas.*
7 *Quantitatem vnde æstimemus?*
8 *Res non sola quantitate sed qualitate etiam differentes, non pertinere ad mutuum.*
9.10 *In panibus & libris mutuum contrahi potest.*
11 *In creditum ire est mutuum dare.*
12.14.16 *Functionem recipere quid?*
13 *Res in suo genere recipientes functionem differre ab ijs quæ in sua tantum specie.*
15 *Fungi collatione dotis, id est, dotem conferre.*
18 *Rem pro re dare quomodo liceat?*
19 *Creditorem non esse cogendum in aliam formam nummos recipere, si ex ea re damnum passurus sit.*
20 *Mutui pecunia singulare, quòd numi æstimatio augeatur commodo debitoris.*
22 *Auctum vini mutuo dati precium, commodo cedit creditori.*
23 *In numis reddendis non corpus quod datur, sed solam æstimationem considerari secundum Aristotelem. num. 24.*
25 *Res mutuo accepta eadē ipsa vel inuito reddi potest.*
26 *Satis est, à principio de mutuo conuenisse.*
27.28 *Idem genus, & eadem qualitas quomodo differant? & num. 30. 31.*
29 *Substantialia contractuum pacto non posse tolli.*
32 *Alia vini, alia aceti substantia est.*
33 *Mutuum vnde dictum sit?*
34 *Ex contractu mutui orta actio cur dicatur certi condictio?*

1 INitio admonendi sumus totum hunc titulum ferè ad verbum descriptum ex Vlpiani respon-
so[a]: cuius collatio non poterit non lucis plurimum adferre. ¶ *Re contrahitur.*] Re videlicet in i-
2 pso contractu statim interueniēte. Alioqui magis hîc videretur contractus quidā innominatus[b],
qui confirmabitur re postea interueniente, tumque primùm actionem pariet ei, qui quod suarum
est partium, præstiterit[c]. *Mutui datione.*] Vt mutui obligatio contrahatur, debet interuenisse fa-
3 ctum dationis, hoc est, ipsa numeratio. Neque enim suffecerit promissio dandi mutui: ex qua
quidem contrahitur aliqua obligatio; sed non eo amplius, quàm vt id quod interest, præstetur[d].
4 Contrà qui spopondit se creditam pecuniam accepturum, potest non accipiendo, sese non obliga
re[e]. Nam quandiu res est integra, necdum alter dedit, liberum est sententiam mutare. ¶ *Mutui*
datio in ijs rebus consistit.] Rationem huius loci explicat Paulus his verbis[f]: Mutui datio consistit in
ijs rebus, quæ pondere, numero, mensuráve constant: quoniam earum datione possumus in cre-
5 ditum ire. quæ in genere suo functionem recipiunt per solutionem, quàm specie. Nam in cæteris
rebus ideo in creditum ire non possumus, quia aliud pro alio inuito creditore solui non potest.
Quæ Pauli verba interpretari necesse est, vt naturam mutui intelligamus, & quod hîc Iustinianus
docet, paulò diligentius explicemus. quod quidem tanto etiam magis facere necesse est, quo mi-
nus vulgò intelligi videtur ille Pauli nobilissimus locus. Itaque non grauabor ex meis ad titu-
lum Si certum petat. commentarijs breuiter describere, quod huc omnino pertinere videtur. Ait
Paulus mutui dationem consistere in ijs rebus, quæ pondere, numero, mensuráve constant. Iu-
stinianus addit exempla harum rerum, vini, olei, frumenti, pecuniæ numeratæ, æris, argenti,
auri. neque modò hanc tanquam substantiam mutui, sed & eius veluti formam describit, Quas
res (inquit) aut numerando, aut metiendo, in hoc damus, vt accipientium fiant. Neque non
obseruatione dignum est, quòd cùm pecuniam numeratam dixit, eius quoque species singulas
enumerat, æreas nempe, argenteas, aureas. Ex his enim solis tantùm metallis tribus pecunia cudi
potest, aut numus probus conflari atque confici. Vnde Triumuiri Monetales dicebantur, auri,
argenti, æris flatores. Sed hæc ad locum de moneta pertinent. Vt ad Paulum redeam, & harum re-
6 rum descriptionem in quibus mutui datio consistit; dici videntur ex pondere, numero, mensura
constare, atque contineri, quòd cùm inter se planè similes sint in suo genere, qualitas in ijs non
spectetur neque discerni possit, sed sola quantitas; quæ quidem aliter dignosci aut definiri non
potest, quàm pondere, numero, aut mensura. Sicuti & alio loco Paulus ait[g], in pecunia non tam
corpora excogitari, quàm quantitatem, & res quæ in quantitate consistunt, ab ijs quæ in corpore
alibi discernit[h]: Item quæ corpore constant, ab ijs, quæ pondere, numero, vel mensura[i]. Ac qui-
7 dem quantitatem hîc propriè æstimamus & metimur ex ipsius rei æstimatione, vi, momento, &
(vt nunc loquimur) valore. Sanè Vlpianus[k], has res paulò aliter describit, In numis (inquit) & o-
leo & frumento & similibus, quæ communi specie continentur. Quibus verbis significare vide-
tur, has res non habere aliquam sibi propriam & veluti peculiarem speciem, quę in ijs singulis sola
spectetur, & ab alijs eiusdem generis speciebus distinguatur: sed vnam tantùm habere generalem
& cum alijs communem. Sic itaque intelligimus, quibus rebus propriè mutuum contrahatur.
8 Certè res quæ non sola quantitate differunt, sed ipsa etiam qualitate, non pertinent ad mutuum,
neque dicendæ sunt constare pondere, numero, aut mensura. quia & si eadem quantitas serue-
tur, hoc est, eodem pondere, numero, mensura dentur: tamen eædem res esse non videntur, sed a-
lias esse, vt sunt, palàm est propter diuersam qualitatem. Ac quidem ex rerū natura, & eo more aut

a L. 1. §. re contrahitur. de act. & oblig.
b L. 3. l. naturalis. de præscrip. verb.
c L. ex placito. C. de rer. permut.
d L. si pœnā. de verb. oblig.
e L. qui pecuniam. Di si cert. pet. condict.
f L. 2. §. 1. D. si cer. pet. condict.
g L. 94. §. si is cui numos. de solut.
h L. 87. Titio Sei. de lega. 2.
i L. 1. §. non solùm. ad leg. Falcid.
k L. 29. cum Stichus. de solut.

a 4 consuetu-

consuetudine, qua dantur, satis intelligi potest, quæ res ad mutuum pertineant, vt in exemplis
abs Iustiniano propositis non hæreamus. Si quis pistor multos eiusdem materiæ panes conficiat 9
eodemque pondere, vt in multis locis ponderantur; nihil obstare videtur, quin mutuum in ijs
contrahi posit. Quod & dici posset de libris ab eodem typographo, vt nunc fit, excusis. Porrò 10
quod Paulus adiecit, Iustinianus verò prætermisit, difficilius atque obscurius est; ideo in ijs, quas
diximus, rebus mutui dationem consistere, quoniam earum datione possumus in creditum ire,
quæ in suo genere functionem recipiunt per solutionem, quàm specie. Ac quidem satis hic intel- 11
ligimus in creditum ire, idem esse, quod mutuum dare. Sed quod de functione dicitur, non tam 12
a L. certū. si cert. peta.
facilem habet interpretationem. Paulus [a] alio loco ait, ea vice mutua fungi, quæ tantundem præ-
stant. Itaque functionis verbum eodem modo hic accipiunt. Quale & illud est, quod aliquando
b L. sed & si certos. de lega. 1.
Papinianus [b] dixit permutationem recipere. Sed qui acutius hunc locum expendunt, iudicant
Paulum aliò hic spectare. Opponit enim tanquam contrarias, res eas quæ in suo genere recipiunt 13
functionē, & eas quæ in sua tantùm specie: vt in illis aliud pro alio solui posit cùm creditoris non
intersit, & magis idem, quàm aliud videatur: in his verò non posit. Ac illæ quidem mutua vice
fungi rectè dici possunt, quia tantundem præstant. At quomodo has etiam functionem aliquam
dicemus recipere hoc sensu? aut quomodo ad eas functionis verbum hoc referemus? Visum ita-
que est aptius fore, si hic functionem cum solutione coniungamus, vt dicantur res recipere fun- 14
ctionem per solutionem, quæ funguntur solutione, hoc est, soluuntur: vt, quemadmodum fungi
c L. 3. de collat. dot. l. Prætoriæ. de Prætor. stip.
collatione [c] dotis, vel depositione auri dicitur, qui dotem confert, vel aurum deponit; sic & res 15
ipsa fungi dicatur solutione, quæ soluitur: & quidem hanc functionem rectè recipiant in suo ge-
nere, quæ pondere, numero, aut mensura constant. Aliæ verò in sua specie tantùm. Quòd si quis
hanc subtiliorem paulò interpretationem non recipiat propter insolens dicendi genus, sequatur
sanè illam simpliciorem magisque familiarem, vt res, quæ qualitate non differunt, dicantur reci- 16
pere functionem in suo genere: quia vna alterius vice fungatur, & tantundem præstet, vt si eadem
quantitas sit, eadem res esse videatur. Illud modò semper teneamus, in his demum rebus consiste-
re mutuum, quia tum demum illud fieri commodè posit, vt & dominium in accipientem trans- 17
feratur, & ei nihilominus qui dat, perinde consulatur, atque si translatum non esset, resque illi
sua restitueretur. Nam & si hic reuera idem non reddatur, satis tamen est tantundem reddi, cùm in
hisce rebus, quarum eadem est qualitas, sola quantitas spectetur. Seneca libro 6. de Benef. non sa-
tis hæc distinxisse videtur, cùm confusè & generaliter ait, licere rem pro re dare: & pecuniam vi- 18
deri nos reddidisse, quamuis pro argenteis aureos numos. Quod autem de numis dixit, verum
d L. Paulus respondit creditorem. de solut.
sanè est si eadem quantitas, æstimatio, & valor reddatur. Ac rectè quidem Paulus [d] ait; Creditorem
non esse cogendum in aliam formam numos recipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit. 19
Atqui nullum damnum patitur, qui precium idem recipit. In numis enim non corpora sed hanc
quantitatem spectari diximus. Ac quidem si quorundam numorum veluti aureorum mutata sit
æstimatio, aucta nempe vel imminuta, illud singulare est in mutuo pecuniæ, & ab aliarum rerum 20
mutuo differens; quòd numi æstimatio augeatur commodo debitoris, eius verò damno immi-
nuatur. Semper enim eandem æstimationem, non autem similia corpora reddere iubetur. At si
auctum vini mutuò dati precium esset, creditoris erit commodum. Nihilominus enim vinum, 22
quale dedit, recipiet. Si verò sit imminutum eius precium, debitoris erit commodum. Nihilomi-
nus enim liberatur si quale vinum accepit, reddat, etiamsi vilioris fortasse precij id iam fuerit. Sic
itaque in numis nullo modo consideramus corpus quod datur aut redditur: sed solam æstimatio- 23
nem, quæ pecuniæ est tota veluti substantia, magis etiam quàm ipsum pondus. Nam si æstimatio
eadem sit, quamuis pondus mutatum fuerit: creditori tamen satisfactum videbitur, & res esse ea-
dem. Et hoc quidem singulare in numis, quamuis Iurisc̄osulti non satis fortasse expresserint, Ari-
stoteles saltem disertis verbis notauit. Quod quidem ita semper accipiendum est, nisi si appareat 24
aliud actum esse, aut aliam contrahentium intentionem fuisse.

¶ *Non eadem res.*] Hoc est, non eædem species. Quanquam si rem acceperim mutuò, quasi ea
vsurus; deinde fortè euenerit, vt ea non sit mihi opus; potero eandem etiā inuito reddere: nec ideo 25
minus dicetur mutuum. Satis enim est, à principio de mutuo rectè conuenisse. 26

e L. cū quid. D. si cert. pet. cond.
¶ *Eiusdem natura & qualitatis.*] Apud Pomponium est [e], EIVSDEM GENERIS ET BONITA-
TIS. Quæ verba interpretantur hunc locum. Sed notandum hic est discrimen generis siue naturæ,
& qualitatis siue bonitatis. Primùm enim, vt eiusdem generis species reddatur, pertinet ad sub- 27
stantiam mutui. Ideoque nec pacto tolli potest, quanquam fieri posit, vt cùm de solutione agitur,
f L. si pro mutua. C. si cer. petat.
creditor vltrò recipiat rem diuersi generis: nec tamen minus fit mutuum [f]. Satis enim est à princi-
pio ita non conuenisse. Cæterùm vt reddatur res eiusdem bonitatis, magis pertinet ad vulgarem 28
quandam mutui consuetudinem, vt satisfiat creditori. Itaque posset id conuentione mutari aut
tolli. Est enim recepta regula; Pacto quidem non posse tolli ea, quæ ad substantiam contra- 29
ctus pertinent: posse tamen ea, quæ solùm spectant vulgarem quandam cōtractus conditionem,
g L. pacta cōuenta. de contrah. empt. l. 1. §. si cōueniatur. D. depos.
& quæ ex communi vsu & more solent extrinsecus accedere [g]. Est autem hic bonitas, solùm quæ-
dam qualitas, quæ rem ipsam non mutat: multumque differt ab eius substātia: vt liberè posit ne-
gligi à creditore. Nam & cùm paciscitur, vt minus bonum posit reddi: habet sibi id æquè bonum: 30
abundeque est, eius voluntati fieri satis. At vbi de alio genere agitur, quia mutatur contractus sub-
stantia, necessariò mutatur & contractus. Itaque apparet in re tuenien re pacto, vt vinum album
pro rubro reddi posit, aut acidius deteriusve: nihilominus esse mutuum: quia semper eadem sit 31

vtriusque

vtriusque vini *οὐσία*,[natura siue substantia,] vt ait Vlpianus[a]. at non etiam, si conueniat, vt pro
32 vino reddatur acetum, aut zythum, vt ceruisia. Nam alia est horum substantia: nec generali vini
appellatione continentur[b].

a L. in venditioni-bus, in fi. de contrah. empt.
b L. si quis vinum. de trit. vino, & ole. leg.

¶ *Et quandoque nobis non eadem res.*] Ita hunc locum legi in vetustissimis Institutionum exemplaribus Albornotianæ bibliothecæ testatur Ant. Augustinus lib. Emendation. 3. cap. 7. & probat hanc esse [...]am lectionem. Videturque sanè hic locus ex Caio descriptus. Nam in eius Institutionibus sic legimus: Quæ omnia numerando, aut pensando, aut metiendo, ad hoc damus, vt eorum fiant, qui ea accipiunt, & ad nos statuto tempore, non ipsæ res, sed aliæ eius naturæ, quales datæ sunt, atque ipsius ponderis, numeratæ vel mensuratæ reddantur. Idem rursus in Pandectis[c], Quas res (inquit) in hoc damus, vt fiant accipientis, postea alias recepturi eiusdem generis & qualitatis.

c L. 1. de obl. & oblig.

33 ¶ *Inde etiam mutuum appellatum.*] Inquit Paulus[d]: appellata est autem mutui datio, ab eo, quòd de meo tuum fit. Et ideo si de meo non fiat tuum, nō nascitur obligatio. Hic igitur obiectuemus propriè mutuum esse, vbi hoc titulo meam pecuniam facio tuam. Est autem alia species mutui, quod magis (vt ita loquar) improprium videtur. nempe cùm hoc titulo facio quidem pecuniam tuam, sed quæ mea nō erat. veluti si tibi delegauero debitorem meum, vt ab eo exigas, & quod exegeris, habeas mutui loco. Sed & si pecuniam purè mihi debueris, conuenire possum, vt crediti nomine eam retineas: & hoc quoque mutuum benignè iudicabitur[e]: saltem si appareat, non tam agi de dilatione solutionis, quàm de nouatione eius, quod debetur. Sed hæc mutui species paulò magis degenerat: vt propriè & omnino mutuum dici vix possit[f]. ¶ *Quæ appellatur condictio.*] Eaque cer-
34 ti. Certum enim mutuum dicitur, quia idem debeatur in genere: quod cùm perire non possit[g], certum hîc est semper quod debetur. Sic & Seneca lib. 3. de Beneficijs, vocat actionem certæ pecuniæ, quam dicimus certi condictionem, nempe qua petitur id quod creditum mutuóve datum est. Et apud Fabium lib. 8. cap. 3. legimus, postulare certam pecuniam creditam. Cur autem actiones personales propriè appellentur Condictiones, alio postea loco Iustinianus docebit.

d L. 2. §. appellata. D. si cert. peta. cond.
e L. singularia. D. si cert. pet. cond.
f L. rogasti. D. si cer. pet. cond.
g L. incendium. D. si cer. pet.

§. *Is quoque.*

1.2 Indebitum quid?
3 Quid, si quis receperit debitum, ab eo qui non debebat?
4 Si res duæ, sub alternatione debitæ, per errorē simul soluantur, quid iuris?
5 Quid, si quis mente titubante indebitam soluat pecuniam?
6 Sciens indebitum qui soluit, donare videtur.
7 Pecuniam iure Gentium debere esse indebitam, vt locus sit actioni condictitiæ.
8 Indebita per errorem soluta peti non possunt vsuræ.
9 Pupillus neque ex mutuo, neque ex solutione indebiti obligatur.

1 ¶ *Per errorem.*] Vlpianus[h] ait, indebitum solutum hîc accipi non solùm si omnino non debeatur, sed & si per aliquam exceptionem perpetuam peti non poterat[i]. Meminisse autem debemus, non modò perpetuam esse debere, sed & debitoris causa & fauore introductam[l]. Certè si per-
2 petua non esset, non posse condici quod solutum est, constat[k]. Porrò indebitum omnimodo est
3 vbi neque is qui soluit, debebat, neque ei, cui solutum est, debebatur. ac id quidem repeti posse, dubium non est[l]. Sed quid, si quis receperit quidem sibi debitum, sed ab eo, qui non debebat? Certè si qui soluit, suo nomine soluat per errorem de suo, quasi ipse deberet, repetere posse videtur[m]. At si debitoris nomine soluerit, aut soluendo eum liberârit, sic vt aduersus eum habeat negociorum gestorum actionem, non erit locus condictioni indebiti. Vt si quis pro hærede aut nomine hæreditario & de hæreditarijs magis bonis quā suis soluerit creditori hæreditario[n]. Si ex parte hæres soluat per errorē totū æs alienū. non vsus illa diuisione, quæ introducta est per XII. Tab repetet quod pro sua parte soluit[o], quamuis non idem tributum sit vni fideiussori[p], qui totum solueret non vsus diuisione ex epistola Diui Adriani. Quod etiam notaui ad XII. Tab. cap. 38. Si res duæ subalter-
4 natione debeantur, & vtraq; per errorem soluta sit, alteram quasi indebitam repeti posse constat. Sed vtram potius? Vlpianus putauit esse in arbitrio accipientis, vtram velit retinere aut reddere[a].
5 Sed hoc Iustiniano displicuit, qui æquius esse iudicauit debitori electionem relinqui, vtram repe-
6 tere[b] malit. Idem statuit & de eo, qui cùm dubitabat, incertoque & ancipiti erat animo, soluit[c]. Porrò si quis sciens indebitum soluerit, non repetit. nam donare videtur[d] Quinimo (inquit Pomponius[e]) quod quis sciens indebitum dedit, hac mente, vt postea repeteret; repetere non potest. Porrò si dubitetur vtrum ab ignorante, an verò à sciente, solutum fuerit indebitum: is qui accepit, nec vult restituere, probare debet omnino à sciente vltrò esse solutum[f]. Sed nihilne hîc interest inter errorem facti & iuris? Certè Iurisconsulti in toto hoc tractatu simpliciter & generaliter erroris
7 meminerunt, sicuti & hoc loco Iustinianus. Sed alij Cæsares disertè exprimunt intelligendum hîc esse errorem facti, non Iuris[g]. Multa hîc præterea dici possent, velut; pecuniam Iure etiam Gentium indebitam esse debere, vt sit huic conditioni locus: & hac occasione de ea disputari, quam vel pupillus debet vel filiusfam. vel seruus domino, vel libertus patrono. Sed si omnia quæ hîc se ingerunt, persequar, non modò infinita, sed fortè etiam ingrata & molesta commentatio nostra fuerit, præsertim ijs, qui elementis nunc contenti sunt.

h L. 26. si non forte in §. indebitum. de cond. ind.
i L. 40. qui exceptionem. de con. ind.
k L. 9. 10. 17. 18. illo tit.
l L. in sum. §. vlti. l. si pœnæ. § quānis. illo tit.
m L. 17. quod si possessor. l. 31. si quid possessor. de petit. hæred.
n L. 44. repetitio. de cond. ind. l. de. hæreditate. C. de petit hæred. l. 74. de quare §. vlt. de reiud.
o L. ex parte. de solu.
p L. si testamēto. §. 1. de fideiuss.
a L. 26. si non forte. § pen. de cond. ind.
b [...] penul. C. de cōd. ind.
c L. vlt. C. illo tit.
d L. cum per errorē de reg. iur.
e L. quod quis de cōd. indeb.
f [...] verum de indebito de probat.
g L. [...] per ignorātiam & se seq. C. de cond. indeb. l. error. C. ad leg. Falci. l. cum quis. C. de iuris et facti ign.

¶ Daturq;

¶ *Daturq́; agenti.*] Rectè Iustinianus hîc loquitur de agente, potius quàm de soluente. Nam
non semper is qui soluit, condicit: sed non rarò alius soluit, alius agit[a]. ¶ *Propter repetitionem.*] E-
ius, quod solutum est: sed non vltrà, quàm sit locupletior qui accepit, si modò bonæ fidei fuerit[b].
Repetuntur autem simul etiam accessiones, saltem naturales[c]: non vtique ciuiles. Nam rescripsit
imperator Alexander, peti non posse vsuras pecuniæ indebitæ per errorem solutæ[d]. ¶ *Si paret eum* 8
dare oportere.] Hæc est vetus condicendi formula. Itaque hæc verba [illegible] siue enunciati[illegible]accipien
da sunt. Quod etiam docet Theophilus, qui loquens de hac conditione, ait: [illegible]
[illegible] [agens dico, si apparet hunc dare oportere.] Et olim Prætor cùm iudicium dabat,
hac formula vtebatur, SI PARET TITIVM MEVIO CENTVM EX CAVSA MVTVI DARE O-
PORTERE, CAIVS IVDEX CONDEMNATO. ¶ *Vnde pupillus.*] Hæc illatio pendet ex proxima col
latione mutui dati, & indebiti soluti. Et addit hîc Iustinianus quandam exceptionem vtriq; com
munem: quòd pupillus nec ex mutuo possit obligari, nec indebitum recipiendo. Et videtur Iusti- 9
nianus ratiocinari à maiori; Quòd si pupillus mutuo accepto non obligetur, multo minus inde-
bito recepto possit obligari. ¶ *Pupillus.*] Idem & in furioso. ¶ *Datum est.*] Quod si ipse dederit,
solueritque, procul dubio agere poterit. Id quod Vlpianus tradit his[e] verbis: Interdum persona lo-
cum facit repetitioni: vtputa si pupillus sine tutoris authoritate, vel furiosus, vel is, cui bonis inter-
dictum est, soluerit. Nam in his personis generaliter repetitioni locum esse non ambigitur. Et si
quidem extant numi, vindicabuntur: pro consumptis verò condictio locum habebit. ¶ *Sed hæc*
species.] Id alio postea loco rursus inculcat Iustinianus[f]. Vnde repetendum est quod hîc deside-
ratur.

a L. nec nouum est. cū leg. seq. l. dominus. l. indebitā pecuniā. de cond. inde.
b L. in summa. §. si ser uū de condict. indeb.
c L. indebi. D. illo tit.
d L. 1. C. de cond. inde.
e L. interdū. de cond. indeb.
f §. vlti. de oblig. quæ quasi ex cont.

§. *Item is.*

1 *Commodatum quid?*
2 *Rei commodatæ & possessionem & proprietatem retinemus.*
3 *Commodatum præfinit certum vsum, quem transgredi non licet.*
4 *Res quæ casu fortuito perit, domino perit.*
5 *Qui precarium accepit, solummodo dolum præstat.*
6 *Rei commodatæ quanta diligentia adhibenda?*
7 *Casus maiores seu vis maior quæ?*
8 *Casuum fortuitorum periculo temerè se subijcientis obligatio non est rata.*
9 *Aliter vtens commodato, furti tenetur.*

¶ *Vtenda datur, id est, commodatur.*] Putauerat Labeo inter hæc esse discrimen, sed id Vlpianus
non recepit[g], sicuti nec hoc loco Iustinianus Vlpiano astipulatur. Et reuera nihil aliud est commo
datum, quàm ad certum aliquod commodum & vsum res data. ¶ *Non ita datur, vt eius fiat.*] Ma- 1
net enim penes dominum rei commodatæ proprietas, atque adeò possessio. Inquit enim Pompo-
nius[h]: Rei commodatæ & possessionem & proprietatem retinemus. & addit Vlpianus; Nemo e- 2
nim commodando rem, facit eius, cui commodat. ¶ *De eare.*] Eadem prorsus, & integra. Nam
non videbitur reddita, si reddatur deterior[i], nisi quod interest simul præstetur. Sed deteriorem fa-
ctam hîc intelligimus. alio, quàm in quem quæsita aut data erat, vsu. 3

¶ *Restituenda.*] Finito vsu temporis præstituti. Neque enim prius tenetur restituere. Docet id
eleganter Paulus his verbis[k]: Sicut voluntatis & officij magis quàm necessitatis est commodare:
ita modum commodati finemq́ue præscribere eius est. qui beneficium tribuit. Cùm autem id fe-
cit, id est. postquam commodauit, tum finem præscribere, & retrò agere, atque intempestiuè vsum
commodatæ rei auferre non potest. & addit postea idem Paulus hanc rationem: adiuuari quippe
nos, non decipi beneficio oportet.

g L. 1. §. inter. D. commod.
h L. rei. D. commod.
i L. 3. §. si reddita. D. commod.
k L. in commodato §. sicut. D. illo tit.

¶ *Nihilominus obligatus remanet.*] In vniuersum enim res, quæ casu fortuito perit, domino per-
it[l]. Sed muniò datæ rei dominus est. qui eam accepit, non etiam commodatæ. Et notum est illud 4
rescriptum[m]: Incendium ære alieno non exuere debitorem. ¶ *At is qui vtendum accepit.*] Maximè
si sui vnius causa. Nam si commodatum fiat magis ipsius commodantis gratia, solus dolus à com-
modatario præstatur: vt si quis fortè commodârit sponsæ suæ aut vxori, vt honestius culta ad se de-
duceretur[n]. Quòd si vtriusque gratia commodata sit res, veluti vt communem amicum inuitare-
mus, solus dolus præstabitur cum leui culpa[o]. non præstabitur autem leuissima. quæ solet alioqui
hîc præstari. Porrò autem qui precarium accepit, non nisi dolum præstare solet[p]: quia nempe in ar 5
bitrio dantis sit, quandocunque libuerit, precarium repetere, & auferre habenti.

¶ *Exactam diligentiam custodiendæ rei.*] Etiam ei rei, quæ adiuncta est principali rei commoda-
tæ. Inquit enim Vlpianus[a]: Vsqueadeo diligentia in re commodata præstanda est, vt etiam in ea, 6
quæ sequitur rem commodatam, præstari debeat: puta equam tibi commodaui, quam pullus co-
mitabatur: etiam pulli te custodiam præstare debere veteres responderunt.

l L. quæ fortuitis. l. pignus. C. de pign. act.
m L. incendium. C. si cert. pet.
n L. si vt certo. §. interdum. D. commod.
o L. in rebus §. 1. D. illo tit.
p L. quæsitum. §. eum quoque. D. precar.
a L. si vt certo. §. vsqueadeo D. commod.

¶ *Nec sufficit.*] Nam vt possit quis negligere rem suam, cuius est moderator & arbiter: nō item
debet alienam, quæ exactiori cura custodienda est[b]. ¶ *Sed propter maiorem vim.*] Totum hunc lo-
cum diligenter explicant Paulus & Vlpianus. Pauli verba[c] sunt hæc, In rebus commodatis talis
diligentia præstanda est. qualem quisque diligentissimus paterfa. suis rebus adhibet: ita vt tantùm
eos casus non præstet, quibus resisti non possit: veluti mortes seruorum, quæ sine dolo & culpa e-
ius accidunt, latronum hostiúmve incursus, piratarum insidias, naufragium, incendium, fugas
seruorum, qui custodiri non solent. Quod autem de latronibus, & piratis & naufragio diximus:
ita sci-

b L. in re mandata. C. mand.
c L. in rebus. D. cōmo.

ita ſcilicet accipiemus, ſi in hoc commodata ſit alicui res, vt eam rem peręgrè ſecum ferat: alioqui ſi cui argentum commodauerim, quòd is amicos ad cœnam inuitaturum ſe diceret, & id peręgrè ſecum portauerit: ſine vlla dubitatione etiam piratarum, & latronum, & naufragij caſum præſtare debet. Hactenus Paulus. Vlpianus verò ait[a]: Quod ſenectute contigit, vel morbo, vel vi latronum ereptum eſt, aut quid ſimile accidit: dicendum eſt, nihil eorum eſſe imputandum ei, qui commodatum accepit, niſi aliqua culpa interueniat. Proinde & ſi incendio, vel ruina aliquid contigerit, vel aliquod damnum fatale: non renebitur: niſi fortè cùm poſſet res commodatas ſaluas facere, ſuas prætulit. *a L. ſi vt certo. §. quod vero. D. illo tit.*

7 ¶ *Maiores caſus.*]Hos eſſe dicemus, quibus reſiſti non poſsit, vt Paulns inquit. Vim autem maiorem Caius[b] Græcè vocari ait θεοῦ βίαν: eamque conductori non debere damno eſſe. ¶ *Si modo non ipſius culpa.*]Aut poſt eius moram[c]. Sed etſi nominatim conuenerit, vt caſus fortuiti periculum ad commodatarium pertineat: ęquum eſt eum præſtare vim maiorem, cuius periculo apertè ſeſe ſubiecit. accipit enim contractus legem ex conuenrione[d]. ſed interim ſciẽdum eſt, generalem & præ- *b L. ſi merces. §. vis maior. Locati.* *c L. quod te. D. ſi cert. pet. condict.*
8 cipitem ſtulti aut temerarij hominis, omnium caſuum fortuitorum periculo ſeſe ſubijcientis, obligationem non eſſe ratam[e]: ne quis eiuſmodi confuſæ & capioſæ conuentionis inuolucro circunueniatur. ¶ *Quis de reſtituenda ea re tenetur.*]Quinimo & qui alirer re cõmodata vſus eſt, quàm *d L. 1. §. ſi cõueniat. D. depoſi. l. 2. C. commo.* *e L. ſed & ſi quis. §. quæſitum. D. ſi quis caut.*
9 conuenerat, furti tenetur: quod ſuo poſtea loco pluribus excutiemus. Porrò quod hîc dicitur de reſtitutione rei, pertinet etiam ad æſtimationem eius, quæ præſtanda eſt. Nam præſtita repeti poterit, ſi poſtea res in domini poreſtatem redierit[f]. ¶ *Gratuitum enim.*] Cibariorum tamen impenſæ naturali ratione ad eum pertinent, qui vtendum accepit, inquit Paulus[g]. *f L. in commodato. §. vlt. D. commod.* *g L. in rebus. §. poſsit. D. illo tit.*

§. *Præterea.*

1.2 Si tantundem reddatur, depoſitum reddi videtur.	*poſitum reſtituat?*
3 Depoſitarius depoſito vtens furtum committit.	*7 Quid, ſi alteri quàm oportuit, dolo reſtituerit?*
4 Glauci depoſitarij perfidia diuinitus punita.	*8 Magna negligentia in doli crimen cadit.*
5 Depoſitarij hæredes conueniri quomodo poſsint?	*9 Quid, ſi depoſito ſeſe quis offerat?*
6 Quid, ſi quis depoſitario denunciet, ne deponenti de-	

¶ *De ea re, quam accepit.*]Hoc facilius dicitur in ſpeciebus depoſitis. Sed in pecunia numerata,
1 non tam conſideramus corpora nummorum, quàm quantitatem: vt ſi tantũdem reddatur, idem reddi videatur. Erit ergo nihilominus depoſitum. Ait quidem Papinianus[h], eam rem egredi notiſsimos depoſiti terminos. ſed hoc intelligimus de ſtricta illa vna depoſiti ſpecie, vbi nec domi- *h L. Lucius. D. depoſ.*
2 nium nec periculum vllum tranſit in accipientem. Sed depoſitum etiam dici poſſe, vbi pecunia non obſignata, ſed numerata depoſita eſt, vt tanrundem reddat depoſitarius, idem Papinianus alio loco faretur[i]. Et huic depoſito eadem priuilegia tribui, vel inde apparet, quòd in eius poriſsimum gratiam introductum videatur illud prælationis beneficium, quo deponens alios creditores perſonales anteit. Quòd ſi hic deponens vſuras ſtipuletur, iam magis deſinit eſſe depoſitum, nulloque prælationis priuilegio iuuatur[k]. Porrò qui vſuras ſtipulatus non eſt, ſed pecunia tantùm *i L. die. §. 1. D. depoſi.* *k L. ſi hominẽ. §. quoties. D. depoſi. l. ſi ventri. §. in bonis. de priuile. cred.*
3 vti permiſit vel tacitè vel expreſsè, non niſi poſt moram reſtituendi, vſuras petere poſſet[l]. Si nullo deponentis conſenſu depoſitarius pecuniam, quæ fortè obſignata depoſita erat vt ſpecies, in vſus ſuos conuerterit, furti etiam iudicio conueniri poſſet. Sibi itaque graruletur, ſi depoſiti tantùm iudicio conneniatur, vt cum ſorte vſuras præſtet, inquit Gordianus[m] Imperator. Sed cum vſuris non præſtabit quod ex ea ſorte pecunia acquiſierit[n]. Non enim deponentis, ſed ſuam potius rem egit: neque cum fructu pecuniæ, etiam ſuæ induſtriæ & negociationis fructum alteri præſtare debet. Aliter dicetur de meo procuratore, aut negociorum geſtore, qui mihi potius quàm ſibi debuit negociari. Quicquid itaque ex mea pecunia acquiſiſſet, mihi reſtituet, & quantumcunque emolumenti ſenſit, præſtabit, inquit Vlpianus[o]. ¶ *Reſtituenda.*] Ipſi ſcilicet deponenti, vel eius hæredibus. ac ſuis quidem hæredibus ſua pars tantùm reſtituetur, ſi res commodè poſsit diuidi: alioqui præſtita ſatiſdarione, vni in ſolidum reſtituetur, vel in æde ſacra deponetur[p]. Quòd ſi communiter omnes repetant, nulla dubitatio eſt, omnibus pariter eſſe reſtituendam. Hicque mi- *l L. die. §. 1. D. depoſ.* *m L. 3. C. depoſi.* *n L. ſi ex ea. C. de vſuris.* *o L. idem §. §. ſi procurator. Manda.* *p L. 1. §. ſi pecuniam in ſacculo. l. ſi plures hæredes. D. illo tit.*
4 hi occurrit vetus hiſtoria cuiuſdam Glauci, qui cùm ingentem pecuniam à Mileſio hoſpite depoſiti nomine accepiſſet, eamque an filijs hæredibus reſtitueret, Apollinem Delphis rogâſſet; cum tota domo breui dicitur extinctus: quaſi piaculum eſſet, dubitare an hæredibus reſtituendum eſſet depoſitum. Quo exemplo vſus dicitur Leutychides Rex Spartanorum, cùm repeteret quoſdam Æginetas depoſitos, & Athenienſes contrà cauſarentur, non eſſe æquum, vt quos Reges depoſuiſſent, vni reſtituerentur. Sicuti nec profectò ſemper tutum eſt reſtituere aliter, quàm acceperis. Olim apud eoſdem Athenienſes mulier quædam depoſiti nomine pecuniam acceperat à duobus hoſpitibus ea conditione, vt ſimul vtriſque reſtitueret. Horum alter poſt tempus aliquod lugubri veſte ſimulans mortem ſocij, decepta muliere numos abſtulit. Poſtea ſuperuenit alter repetens depoſitum. Sed Demoſthenes mulieris patronus ſic aggreſſus eſt petitorem: Mulier parata eſt depoſitum reddere: ſed, niſi ſocium adduxeris, hoc facere non poteſt: quoniam conuênit, ne pecunia numeretur alteri ſine altero. Ita periclitanti mulieri ſuccurrit Demoſthenes aduerſus nebulones, qui conſpirârant eandem pecuniam bis extorquere. Porrò quod attinet ad

hæredes

a L. si duo heredes. D. deposi.
b L. 1. § heres eius. D. commod.
c L. 1. § si sic deposuero. D. deposi.
d L. si qua vel pecuniis. C. deposi.
e L. vlt. D. deposi.

hæredes ipsius depositarij, debent ij conueniri pro hæreditarijs portionibus[a], nisi fortè vnus ali- 5
quis solus posit totam restituere. Quod & de re commodata dicendum est[b]. ¶ *Tenetur.*] Adeò
vt nec se posit iuuare compensatione: nec conuentione præstituti temporis. Nam & si sic deposue
ro, vt post mortem tuam reddas: nihilominus potero mutata volunrate prius agere, & depositum
à te repetere[c]. Sed nec tertius aliquis temerè potest vllis denunciationibus remorari aut impedi-
re testiturionem depositi. Quod vt rectè intelligamus, sciendum est, Iustinianum, ea cõstitutione,
qua tradidit depositi restitutionem non impediri prætextu alicuius compensarionis, statuisse eti- 6
am, si quis depositario aliqua ex causa denunciauerit seriò, ne restituat: non cogi eum restituere,
nisi deponens cautione securum eum reddat[d]. Sic enim Iustinianus depositario voluit consule-
re. Postea edidit Nouel. Constitut. 88. vt si quis temetè sua illa denunciatione intertutbet liberam
depositi restitutionem: pendat vsiras trientes deponenti, cni res non restituitut, domino: & si res
apud depositarium pereat: periculum sit huius obnunciantis. Illud postremò notandum est, eum,
qui pecuniam exegit, vt depositum restituerer, cogi eãdem pecuniam testituere. Sic enim Labeo[e]
scribit: Potes agere depositi cum eo, qui ribi non alitet quàm numis à te acceptis, depositum red-
dere voluerit: quamuis sine mora & incorruptum reddiderit.

f L. 1. si rẽ à seruo depositam. D. deposi.
g d. l. 1. § si rẽ depositã.
h L. quod Nerua. D. deposi.
i L. 1. § si quoque. de act. oblig.
k d. l. 1. § sæpe euenit.
l L. si sine. D. deposi.

¶ *Dolo commiserit.*] Vel in asseruanda re, vel restituenda. Nam & tenetur, si alreri quàm opor- 7
tuit, dolo testituerit[f]. Quinimo & qui dolum aliquando commisisset, quanuis iam videretut eum
purgâsse, tamen eum teneri responsum est. Sic enim scribit Vlpianus[g]: Si rem depositam vendi-
disti, eamque postea redemisti in causam depositi: eam si sine dolo malo postea perierit, teneri te
depositi, quia semel dolum fecisti, cùm venderes. ¶ *Id est, desidia & negligentia.*] Rectè Iustinianus
hanc interpretarionem addidit: quia sit alia culpa versutiæ dolo proxima, vt cùm quis suarum re-
rum custos diligẽs, alienas negligit: quam culpam præstare debet is, qui depositum recepit[h]. Pau-
lus hunc locum his verbis explicat[i]: Negligentiæ nomine ideo non renetur, quia qui negligenri
amico rem custodiendam committit, de se queri debet. magnam tamen negligentiam placuit in 8
doli crimen cadere. ¶ *Non tenetur.*] Si quis tamen se deposito obtulerit: & dolum & culpam præ-
stabit. at non eriam fortuitos casus: nisi eorum periculum nominatim in se susceperit[k]. ¶ *Itaque* 9
securus est.] Adeò vt nec cogi posit cauere se restiturum quod amisit, si id postea fortè nactus sit:
quanquam tum teuera cogatur restituere. Sic enim Paulus respondit[l]: Si sine dolo malo rem de-
positam amiseris, nec depositi teneris, nec cauere debes, si deprehenderis, eam reddi: si tamen ad te
iterum peruenerit, depositi teneris.

§. *Creditor.*

1 In actione hypothecaria non opus esse traditione.
2 Quid, si pignus pluris venditum sit, quàm creditori debebatur?
3.4.5 Pignus soluto debito repeti quomodo posit?
6 In actionem pigneratitiam quid veniat?

m D. si quã nec causã. § res pignori. D. si cer. pet. cond.
n L. 2. C. de pigno. act. l. 2 C. de par. pign.
o L. 1. C. de pigno. act.
p L. quamuis. § vlt. l. si conuenerit. 2. § 1. de pigno. act.
a L. si rem § omnis. D. illo tit.
b L. debitor. § soluta. illo tit.
c L. 1. l. cum contra. D. si vend. pigno. ag.

¶ *Qui pignus accepit.*] Hic obscurè significatut traditio, ob quam hæc obligatio dicitut re con-
trahi. & quomodo tandem alioqui debitor pignus repeterer, si non tradiderit? Cæterùm quod at-
tinet ad actionem hypothecatiam, quæ credirori datur ad pignoris persecutionem, non ita opus 1
est traditione. ¶ *De ea re.*] Simul & eius accessiouibus fructibúsve[m], nõ modò perceptis, sed & qui
percipi debuerunt, & creditoris dolo vel culpa non sunt percepti[n]. Si tamẽ sint fructus ciuiles, qui
permutarionem recipiant, veluti pensiones pecuniariæ, quia ipso iure imputãtur in sortem, fiunt 2
creditoris[o]. Porrò cum fructibus repeti posset residuum precium, si fortè res pignori data, vendi-
ta fuerit à creditote pluris quàm ei deberetut[p]. ¶ *Restituenda.*] Persoluro debito, vel oblato, vel
consignato, modò semper in solidum. Tum enim demum pignus repeti porest, cùm integrum de-
bitum est persolutũ[a]. Est enim liberatio pignoris indiuidua. Sed perfecta semel solutione, totum 3
liberatur, rescisso eriam iute secũdi creditoris, cui fortè primus creditor rem oppignerauerat[b]. Sed
& si creditor rem sibi pignori datam vendidisset, non obseruaris ijs, quæ in distrahendis pignori- 4
bus celebrari consueuerunt; rescriptum est[c]; Debitore offerẽte pecuniam, cogi emptorem pignus
restituere cum fructibus. Porrò repeti porest pignus, eriam si apud creditorem quadtaginta aunis 5
fuerit. neq; enim eiusmodi præscriptione tolli potest hæc actio pigneratitia, quæ ante solutionem
nata non fuit. Sed nec ius ipsum soluendi: vtpore quod ad socium non pertinet, nec quicquam ha
bet commune cum ipso petendi agendíve iure, quod fortè posset tolli longissimo tempore.

d L. si vt certo. § nunc videndam. D. cõmo. l. contractus. de reg. iur.
e L. si cùm venderet. § vlt. de pig. act.
f L. Prætor ait. § est præterea. de rebus auto. iud. poss.

¶ *Sed quia pignus.*] Hæc ratio generaliter probat leuem culpam præstari[d].
¶ *Placuit sufficere.*] Vlpianus agens de actione pigneratitia, inquit[e]: Venit autem in hanc a- 6
ctionem dolus & culpa, vt in commodato. venit & custodia vis maior non venit. Deinde subijcit
Paulus: Ea igitur quæ diligens paterfamilias in suis rebus præstare solet, à creditore exiguntur. Sed
hæc omnia constat pertinere ad creditorem, qui ex conuentione pignus accepit à debitore. Cæte-
rùm tãtum non exigimus à creditore misso in bonorum possesionem propter contumaciam de-
bitoris. Nam hic quodammodo inuitus accipit eiusmodi pignus Prætorium: & si debitor speraret
omnia sua nihilominus in tuto esse, præstante etiam culpam creditore; facilè contemneret totius
missionis incommodum. Rectè itaque Caius[f] scribit: Est quæsitum si deteriora prædia facta fue-
rint sine dolo malo creditoris (nempe eius qui est missus in bonorum possessionem) vel iura eo-
rum

rum amissa, vel ædificia diruta, vel exusta: item familiæ pecorumque acta cura non sit, aut possessio alij tradita, sine dolo malo tamen, creditor an teneatur. Et apparet eum non teneri: quia dolo malo caret: eritque melior eius conditio, quàm creditoris in pignore, qui non tantùm dolum malum, verùm culpam quoque debet. Deinde addit idem Caius; Eandem causam esse curatoris bonorum. Nam & istum teneri vt creditorem. Quod intelligendum est de creditore, qui ex conuentione pignus accepit, de quo proximè Caius egerat. Et aperta est ratio similitudinis: quòd bonorum curator magis alienum negocium gerat, & suscipiat curam alienorũ bonorum. Id quod non satis vulgò animaduertitur.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Stipulationis autoritas olim Romæ quanta?
2 Solennis verborum formula in stipulationibus.
3 Iurisconsulti nimium religiosè in stipulationum formulis aliquando hæsisse.
4 Stipulationis obligationem ad omnes fere contractus pertinere.
5 Ex nodis pactis quomodo non nascatur obligatio?
6 Nouißima parte pactorum veteres inseruisse stipulationem.



Ggreditur Iustinianus secundam obligationum ex cõtractu proficiscentium speciem,
eam scilicet, quæ verbis constat; quam Stipulationem dicimus. Cuius quanta semper
1 *fuerit vis & authoritas apud Romanos, eleganter ostendit Cicero in oratione pro Ce-*
cinna, his verbis; Si quis quod spopondit, qua in re verbo se vno obligauit, id non facit
maturo iudicio, sine vlla religione iudicis condemnatur. Videtur autem antiquißima
esse ipsa verborum formula & conceptio, qua constat stipulatio. Nam olim eam in feriendo fœdere ob
seruari voluit Tullus Hostilius. Et leges antiquißimas dicimus rogatas, quòd is qui legẽ ferret, po-
pulum interrogaret: rogatusq́; populus responderet. Sed nec quicquam magni momenti cõuocato po-
2 *pulo fiebat, citra solennem hanc verborum formulam; Velitis aut nolitis Quirites: Volumus aut no-*
lumus. Nuptiæ quoque non contrahebantur sine stipulatione atque sponsione. Porrò Tullius in To-
picis fatetur infinitum esse persequi omnes formulas stipulationum. Et lib. 1. de Legib. iudicat eas es-
3 *se humiliores, quàm vt sint à viro graui pluribus verbis explicandæ. Ac sanè videntur nostri Iuris-*
consulti nimium aliquando religiose in iis hæsisse. Verùm quod attinet ad ipsam, quæ cõtrahitur, ob-
4 *ligationem: certè digna est, quæ diligenter explicetur. Nã & in vsu est quotidie, & eius vis latißimè*
patet: pertinetq́; ad omnes fere contractus. Paulus ait inuentam esse stipulationem firmandarũ obli-
5 *gationum causa. Notum ex pactis nudis obligationem non nasci. Eoq́; pertinet quod Seneca lib. 2. de*
Benef. quæ (inquit) Lex nos obligat ad id præstandum quod promisimus? Nulla. Nempe nimis ca-
ptiosum fore visum est, si, quod leuiter & vltrò plerunque effutimus, tanquam seriò promissum præ-
standum esset. Sed vbi interrogatio præcedit, deliberata magis & seria esse grauisq́; videtur promißio
6 *respondentis. Idem Paulus ait, veteres solitos esse nouißima parte pactorum inserere stipulationem*[a]. *a L. Iurisgentium §.*
Nam & plerunque iustis contractibus adiiciebatur, vel vt principem principalemq́; locum obtine- quod fere de pact.
ret, nec alia quàm verborum obligatio & ex stipulatu actio esset, & tota conuentio in eius nomen
transiret, vel etiam vt tanquam appendix & accessio esset.

De verborum obligationibus, Titulus XV.



Erbis obligatio contrahitur ex interrogatione & responsione, cùm quid dari fierive nobis stipulamur. ex qua duæ proficiscũtur actiones, tam conditio certi, si certa sit stipulatio, quàm ex stipulatu, si incerta sit. quę hoc nomine inde vtitur, quòd stipulum apud veteres firmum appellabatur, fortè à stipite descendens.

In hac re olim talia verba tradita fuerunt, SPONDES? SPONDEO. PROMITTIS? PROMITTO. FIDEPROMITTIS? FIDEPROMITTO. FIDEIVBES? FIDEIVBEO. DABIS? DABO. FACIES? FACIAM.

Vtrum autem Latina, an Gręca, vel qualibet alia lingua stipulatio concipiatur, nihil interest: scilicet si vterque stipulantium intellectum eius linguę habeat: nec necesse est eadem lingua vtrunque vti, sed sufficit congruenter ad interrogata respondere. Quinetiam duo Græci Latina lingua obligationem contrahere possunt.

Sed hæc solennia verba olim quidem in vsu fuerunt: posteà autem Leonina Cõstitutio lata est, quę solennitate verborum sublata, sensum & consonantem intellectũ ab vtraque

parte solùm desiderat, quibuscunque tandem verbis expressum est. Omnis stipulatio, aut purè, aut in diem, aut sub conditione fit. Purè, veluti, QVINQVE AVREOS DARE SPONDES? Idque confestim peti potest. In diem, cùm adiecto die, quo pecunia soluatur, stipulatio fit: veluti, DECEM AVREOS PRIMIS CALENDIS MARTIIS DARE SPONDES? Id autem, quod in diem stipulamur, statim quidem debetur: sed peti prius, quàm dies venerit, non potest. at ne eo quidem ipso die, in quem stipulatio facta est, peti potest: quia totus is dies arbitrio soluentis tribui debet. Neque enim certum est eo die in quem promissum est, datum non esse, prius quàm is prætererit.

At si ita stipuleris, DECEM AVREOS ANNVOS QVOAD VIVAM DARE SPONDES? Et purè facta obligatio intelligitur, & perpetuatur: quia ad tempus non potest deberi: sed hæres petendo, pacti exceptione submouebitur. Sub conditione stipulatio fit, cum in aliquem casum differtur obligatio: vt si aliquid factum fuerit, vel non fuerit, committatur stipulatio: veluti, SI TITIVS CONSVL FVERIT FACTVS, QVINQVE AVREOS DARE SPONDES?

Si quis ita stipuletur, SI IN CAPITOLIVM NON ASCENDERO, DARE SPONDES? perinde erit, ac si stipulatus esset, cùm moreretur, sibi dari. Ex conditionali stipulatione tantùm spes est debitum iri: eamque ipsam spem in hæredem transmittimus, si prius quàm conditio existet, mors nobis contigerit.

Loca etiam inseri stipulationi solent, veluti, CARTHAGINI DARE SPONDES? quæ stipulatio licet purè fieri videatur: tamen re ipsa habet tempus adiectum, quo promissor vtatur ad pecuniam Carthagini dandã. Et ideo si quis Romæ ita stipuletur, HODIE CARTHAGINI DARE SPONDES? inutilis erat stipulatio, cùm impossibilis sit repromissio.

Conditiones, quæ ad præsens vel præteritum tempus referuntur, aut statim infirmãt obligationem, aut omnino non differunt: veluti, SI TITIVS CONSVL FVIT, vel, SI MAEVIVS VIVIT, DARE SPONDES? Nam si ea ita non sunt; nihil valet stipulatio. Sin autem ita se habent: statim valet. Quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint.

Non solùm res in stipulatum deduci possunt, sed etiam facta: vt si stipulemur aliquid fieri, vel non fieri: & in huiusmodi stipulationibus optimum erit pœnam subiicere, ne quantitas stipulationis in incerto sit, ac necesse sit actori probare, quod eius intersit. Itaque si quis, vt fiat aliquid, stipuletur, ita adiici pœna debet, SI ITA FACTVM NON ERIT, TVNC POENAE NOMINE DECEM AVREOS DARE SPONDES? Sed si quædam fieri, quædam non fieri, vna eademque conceptione stipuletur quis: clausula huiusmodi erit adiicienda, SI ADVERSVS EA FACTVM ERIT, SIVE QVID ITA FACTVM NON FVERIT, TVNC POENAE NOMINE DECEM AVREOS DARE SPONDES?

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Stipulationem non confici, nisi loquente vtroque.*
2 *In stipulatione præcedit interrogatio, & sequitur responsio.*
3 *Stipulationis definitio.*
4 *Inter stipulationem, & constitutum nudo pacto cõtractum differentia quæ?*
5 *Summa stipulationum diuisio quæ?*
6 *Certi condictio ex quibus caussis competat?*
7 *Incerti contractus qui?*
8 *Vbi Incerti agendum?*
9.10 *Certa & incerta stipulationes quæ?*
11 *Stipulationem aliquando certam & incertam simul esse.*
12.13 *Stipulatio vnde dicta?*
14 *Olim nouissima parte pactorum qualia verba inserta fuerint?*
15 *Sponsio pro stipulatione vsurpatur?*

V*Erbis obligatio contrahitur.*] Principium huius tituli descriptum videtur ex eo Pauli responso[a], ex quo totus ferè superior titulus, De obligationibus, quæ re contrahuntur, descriptus est. Vt autem intelligamus quàm sint hic necessaria verba, addendum est hoc Vlpiani responsum[b]: Sti- 1
pulatio non potest confici nisi vtroque loquente. Et ideo neque mutus neque surdus, neque infans stipulationem contrahere possunt: nec absens quidem, quoniam exaudire se inuicem debẽt. Paulo pòst addit idem Vlpianus, nec eum obligari, qui stipulanti sine verbis annuit, quanquam in iis contractibus qui non tam verbis quàm consensu confirmantur, non obsit ad interrogationem aliquem non respondisse[c]. ¶ *Ex interrogatione, & responsione.*] Eo ordine, quem naturalis ratio sermonis exigit; vt præcedat interrogatio, sequatur responsio[d]. Sic imperator Antoninus, vt 2
rectè fiat promissio, vult interrogationem præcedere[e]. Idque etiam satis colligi potest ex defini-

a L. 1 §. verbis. de oblig. & oblig. act.
b L. 1 de verb. oblig.
c L. si stipuler §. vlt. de verb. oblig.
d L. obligamur § verbis. de obl. & oblig. act.
e L. 3. C. de vsur.

tione

3 tione stipulationis, quam Pomponius tradidit his verbis[a]: Stipulatio est verborum conceptio, a L.5.§. stipulatio. de verbo. oblig.
quibus is qui interrogatur, daturum futurúmve se id, quod interrogatus est, respondet. Sed quid
si responsum sit impersonaliter, Dabitur, fiet? Certè Iustin. Nou. 115. ad fi. nullam esse ait de consti-
tuta pecunia obligationem, si quis ἀπροσώπως [impersonaliter] dixerit; satisfiet tibi; aut simili a-
liquo verbo vsus sit. Sed perperam vulgò idem dicendum esse putant de stipulatione. quod qui-
dem vel ex ipsis Comicis intelligi potest. Plautus in Pseudolo, Nullum periculum est (inquit) sti-
pularier, vt concepisti verba: Viginti minas dabin'? Dabuntur. Hoc quidem actum est, haud ma-
4 lè. Neque obscura est ratio discriminis inter constitutum nudo pacto contractum, & stipulatio-
nem, in qua persona expressa in interrogatione satis intelligi tacitè potest repetita in responsione:
& obscuram stipulationem ita potius interpretari debemus, vt valeat.

5 ¶ *Dari fieríve.*] Latet hic prima summaque stipulationum diuisio. Stipulationes enim vel in
dando vel in faciendo consistunt, vt docet Paulus[b]. *Si certa sit stipulatio.*] Paulus agens de certi b L.2. D. illo tit.
condictione, inquit[c]: Certum est, cuius species vel quantitas, quæ in obligatione versatur, aut no- c L. certú est D. si cert. pet. condict.
mine suo, aut ea demonstratione, quę nominis vice fungitur, qualis quantáve sit, ostenditur. Por-
6 rò docet Vlpianus[d], certi condictionem competere ex omni causa, & ex omni obligatione, ex d L. certi condictio. D. si cert. pet. condict.
7 qua certum petitur: siue ex certo contractu petatur, siue ex incerto. Vocat autem incertum con-
tractum, cuius obligatio variari potest arbitrio debitoris: sed tamen aliquando certam habet pe-
titionem. Vt si stipulatus factum, subiiciam stipulationem certæ pœnæ, si non fiat. Hîc est incerta
obligatio, quia potest non facere debitor: sed tum certa est petitio, nempe certæ pœnæ. Quod si de
8 certa pœna conuentum non esset: ratione eius quod interest, quia id incertum est, esset incerti a-
gendum[e], nempe actione ex stipulatu, ex qua incertum rectè petitur, veluti id quod interest[f]. Fe- e L. vlt. D. si quis in ius voca. non ier.
rè hic præterieram, quod est omnino huius loci, aliud Pauli responsum, cuius verba sunt hæc[g]: f L. si quis certú. D. si cer. pet. cōdict. L. stipe-
9 Stipulationum quædam certæ sunt, quædam incertæ. Certum est, quod ex ipsa pronunciatione na 68. de verb. oblig.
apparet quid, quale, quantúmque sit. Vt ecce, aurei decem, fundus Tusculanus, homo Stichus g L. stipulationū quædā certæ de ver. obli.
tritici Africi optimi modij centum, vini Campani optimi amphoræ centum. Deinde subiicit Vl-
10 pianus: Vbi autem non apparet, quid, quale quantúmque sit in stipulatione, incertam esse stipu-
lationem dicendum est. Addit postremò, esse aliquando stipulationem certam simul & incertã.
11 Nam qui sortem stipulatur & vsuras quascunque: certum & incertum stipulatus videtur. Sed tot
hîc sunt stipulationes, quot sunt res.

¶ *Quod stipulum apud veteres.*] Ne quis nouum hoc etymum temerè ascribat commento Tribo-
12 niani, sciendum est id repetiti libro quinto Sententiarum Iulij Pauli, titulo octauo, vbi ita scri-
ptum est: Obligationum firmãdarum gratia stipulationes inductæ sunt, quæ quadam verborum
solennitate concipiuntur: & appellatæ, quòd per eas firmitas obligationum constringitur. Sti-
pulum enim veteres firmum appellauerunt.

¶ *Fortè à stipite.*] Ita omnino legit hic Theophilus. Atqui prima syllaba stipitis producitur, cùm
13 in stipulationis verbo corripiatur. Alij legunt, A STIPE, quod M. Varro, lib. 1. de lingua Latina,
tradere videatur stipulationem esse dictam à stipe, hoc est, pecunia. Sic enim stipulari dicebatur,
qui stipem pecuniámve rogabat. Alciatus verò lib. 1. παρέργων, cap. 39. legendum Græcè putat, ἀπὸ
τῆς στιπτοῦ, quòd apud Græcos στιπτὸν significet firmum ac solidum.

¶ *Olim talia verba.*] Scribit Vlpianus[h], Olim nouissima parte pactorum solita inseri hæc verba: h L. iuris gētiū §. quod fere. de pact.
14 Rogauit Titius, Spopondit Mæuius: iisque stipulationem significari. Alibi dictum est; sponsionē
15 dici solere de stipulatione[i]. & sæpe legimus, nomine sponsionis notatam stipulationem[k]. Vnde & i L. 7. de ver. sign.
sponsalia dicta sunt, quòd per stipulationem contraherentur[l]: Id quod etiam apud Gel. lib. 4. cap. k L. sed dū taimē §. di-
4. docet Seruius Sulpitius. ctum. de Aedil. edict. l L. 1. de sponsalib.

§. *Vtrum autem.*

1.2 Diuersitas idiomatum siue linguarum stipulationē quatenus non vitiet?

3.6 Romanis & Gallis olim Græca lingua vsus familiaris fuit.

4 Decreta à Prætoribus Latinè tantum interponenda fuisse.

5 In Gallia sententias Senatus lingua Gallica conscribendas esse.

7 De prisca in stipulationibus solennitate verborum multum esse iam olim remissum.

8.10 Cedere diem, & venire diem, quid?

9 Vbi dies tacitè solum inest, pura manet obligatio.

11 Diei adiectionem pro reo esse, non pro stipulatore.

12 Præstitutio diei futura intelligitur de vltimo eius momento.

¶ *Vtrum autem.*] Totius huius loci optimus interpres est Vlpianus, cuius verba sunt hæc[m]: Ea- m L. 1. §. vlt. de verb. obligat.
1 dem an alia lingua respondeatur, nihil interest. Proinde si quis Latinè interrogauerit, & respon-
deatur ei Græcè; dummodo congruenter respondeatur, obligatio constituta est. Idem per contra-
rium. Sed vtrum hoc vsque ad Græcum sermonem tantùm protrahimus, an verò & ad alium, Pœ-
num fortè vel Assyrium, vel cuiusuis alterius linguæ, dubitari potest. & extat scriptura Sabini. Sed
2 verum patitur, vt omnis sermo contineat verborum obligationem: ita tamen, vt vterque alterius
linguam intelligat, siue per se, siue per verum interpretem. Verum interpretem vocat, qui vtriusque
linguã benè calleat, & vtrique alterius sentẽtiã fideliter exponat. Nã si falsò eã referat, nõ pote-

DE OBLIGATIONIBVS

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

1 *Continuatio tituli; & Dominium atq; obligationem summa Iuris Ciuilis capita esse.*
2 *Quid certas contractuum formulas introduxerit?*
3 *Romanos commerciorum rationem æquißimè & accuratißime definijsse.*
4. 5. 6. 7 *Emptionis & venditionis; permutationis; conductionis & commodati; Mutui, contractus vnde?*
8 *Deus impreßit contractibus quasdā virtutum exercendarum imagines.*
9 *Christianæ ciuitates Romanorum leges de contractibus plerunq; retinuerunt.*
10 *Obligatio quid?*
11 *Obligationum species quot?*
12 *Obligatio legitima quæ?*
13. 15. *Quæ naturalis?*
14 *Ex obligatione naturali tantùm, non datur actio.*
16 *Conuentionum nomen esse generalißimum.*



OMINIVM & Obligatio, duo sunt summa ac præcipua Iuris 1
Ciuilis capita. De rerum dominio copiosè dictum est hactenus.
Superest vt de Obligationibus agamus: ac vt totam contractuum
rationem pertractemus. Eam autem in hac vita ciuili latißimè
patere nemo ignorat. certis autem Legibus regi & componi, pluri-
mùm Reipublicæ interest. Certè necesse est tueri singulorum pro-
prietates & diuersa manere rerum dominia: neq; id, quod nostrum
a L. id quod nostrum de reg. iur. *est, nobis inuitis auferri vel potest vel debet* [a]*. Sed cùm nulla* 2
esse poßit Respublica sine mutua rerum communicatione: non mi-
nus necesse fuit certas edi formulas contractuum, quibus sine cuius-
dam iniuria res singulorum facilè communicarentur. Magno in-
commodo affici homines, cum quibus nemo contrahit, & quibus commercio interdicitur, ait Pau-
b L. quod si minor. §. non semper. de minorib. l. sed an via. de pignorib. *lus* [b]*. & magnam esse habendam rationem vtilitatis contrahentium, idem respondit* [c]*. Totam com-* 3
merciorum rationem nullus vnquam populus vel æquius vel accuratius definijt quàm Romanus.
Ac multum quidem admirari debemus maiorum nostrorum prudentiam, qui tanta cura & iudicio
omnibus omnium difficultatibus & singulorū neceßitatibus, per certos veluti gradus subuenêrunt.
Habet aliquis pecuniam numeratam, sed re alterius indiget; vel contrà. Hîc paratum est subsidium 4
emptionis & venditionis. Si careat pecunia, sed alijs rebus abundet: permutatio initur. Si nec pe- 5
cuniam, vt emat, nec res, vt permutet, habeat: aut dominus nolit rem suam alienare: itur ad condu- 6
ctionem aut commodatum, vt saltem ad tempus, rei vsum, quo opus habemus, consequamur. Sed quia 7
quædam res vtendo consumuntur, neque alium alioqui habent vsum, quàm qui sit in abusu, mutuum
etiam introductum est, in quo nullum etiam esset eius qui dedit incommodum, si non eadem ipsa res
redderetur, sed alia eiusdem generis & qualitatis. Ac sic quidem Deus contractibus hanc vitam de- 8
uinxit ac continet: quibus etiam impreßit quasdam virtutum imagines, officiorumque exercendo-
rum memoriam. Neque enim existimare debemus simpliciter proditos esse, tuendæ solùm vitæ no-
stræ causa. Imò verò ij etiam nos docere debent mutuæ humanitatis officia: & admonere: vt nō minus
aliena, quàm nostra vtilitatis rationem habeamus. Quo magis & fraudes omnes, & iniquas acquisi-
tionum vel communicationum rationes fugere, grauiusq; detestari debemus. Saltem in ea nos con-
tineamus æquitate, quam ciuilis ratio præscribit; & leges in hoc genere Romanas colamus, quas vix
vlla repudiare potest Respublica quin sibi suam accersat internecionem. Quo magis prudenter fe-
cisse mihi videntur Christianæ ciuitates, quæ tùm in successionibus alios plerunque mores, qui, vsu
recepti, sunt alieni à Iure Ciuili, secutæ sint: in ineundis suis contractibus vix recesserint à Legibus
Romanis. Nam intellexerunt non modò honestißimè omnia, sed & copiosè singula esse ab ijs 9
descripta. Excute totum venditionis emptionisque tractatum, qui tàm latè patet. quid tandem,
quod ad eum pertineret, Romani Prudentes prætermiserunt? quàm diligenter omnia rerum ve-
nalium vitia Aedilitio suo edicto definiunt, totamque redbibitionis rationem? quàm grauiter
dolos & fraudes coërcent? quàm multa prudenter de Euictionibus, de lege commissaria, de addi-
ctione in diem? De vsuris, & eo, quod interest, plurimæ variæque sunt quæstiones. Sed expen-
sis rerum circumstantijs omnes explicatè perspicueque definierunt leges Romanæ. Quod ad obliga- 10
tionis verbum attinet, Iustinianus eam esse scribit Iuris vinculum, quo astringimur. Sed tamen &
generaliter obligatio sæpe dicitur, quæ non tam valde constringit. Ac Vlpianus quidem obligatio- 11
nes modò diuidit in naturales, Ciuiles & Honorarias: modò in naturales siue Iurisgentium, & legiti- 12
mas. Ac legitimas quidem esse ait, quæ lege aliqua confirmantur: quæ scilicet Iure Ciuili & pro-
ditæ sunt & nituntur. Naturalis obligatio ex contractibus Iurisgentium nascitur, at Iure Ciui-
li confirmata, Ciuilis quoque efficitur, vt ad agendum valeat, & arctiore vinculo constringat. 13

Nam

Nam alioqui manet infirmior; cùm ex ea non detur actio. quamuis vim suam illam retineat, vt ad
14 compensandum vel retinendum solutum satis sit. Sed admonendi sumus & alias quasdam esse mul-
to infirmiores obligationes, quæ itidem naturales appellantur, nec tamen iurisgentium sunt, sed po-
15 tius ex naturali quadam honestate, siue æquitate planè alioqui libera, descendunt: vt qui beneficijs
affectus est, naturaliter obligatus dicitur πρὸς ἀντίδωρα,[a] [ad referendam gratiam.] Sed eius obli-
16 gationis nullum planè est vinculum. Porrò conuentionis nomen maximè esse generale, docet idem
Vlpianus: ac conuentionum quidem plerasque in aliud nomen transire; veluti in emptionem, locatio-
nem, pignus, stipulationem. Ac eas quidem conuentiones, quæ in suo nomine non stant, sed transeunt
in proprium nomen contractus, parere actiones. Cuius generis est venditio, emptio, locatio, condu-
ctio, societas, commodatum, depositum. Sed & si in proprium contractum res non transeat; si ta-
men causa subsit, valida erit obligatio. veluti si tibi rem aliquam dederim, vt mihi a-
liam des. Id enim verè est συνάλλαγμα. [commercium siue vltrocitroque
obligatio,] ex eoque ciuilis actio nascitur.

[a] L. sed & si lege. §. si consuluit. de petit. hered.



OBLIGATIO oritur vel ex

- *Contractu: qui initur*
  - *Re,*
    - *Mutuo,* — rerum, quæ pondere, numero, mensura constant. Vnde oritur certi condictio, quæ ciuilis est, perpetua, stricti iuris.
    - *Cõmodato,* — Vnde actio commodati, directa, quæ commodanti: contraria, quæ commodatario competit. Vtraq; personalis, ciuilis, perpetua. Illa ad rem datur, vel eius æstimationem, si res culpa commodatarij perierit: Hæc propter impensas vel vsum.
    - *Deposito,* — Vnde actio depositi, directa, quæ datur deponenti ad rem, vel æstimationem, si res dolo perierit. Contraria depositario, si quid impenderit.
    - *Pignore,* — Vnde actio pigneratitia, personalis, perpetua, directa quæ datur debitori persoluto debito, ad repetendum pignus. Contraria, quæ creditori, si quid in pignus impenderit, vel si debitor in dando pignore dolo versatus sit, vel si nolit restituere quod ei precario est concessum.
    - *Indebito soluto,* — Vnde condictio indebiti.
  - *Verbis,* — Veluti stipulatione. Vnde cõdictio rei generalis, si appareat quid, quale, quantumq; sit promissum. Vel ex stipulatu, si sit incertum.
  - *Literis,* — Nempe ex chirographo, idq; post biennium. nam prius agenti obijcietur exceptio non numeratæ pecuniæ.
  - *Cõsensu*
    - *Emptione, venditione:* — Vbi de precio certo conuentum est. Vnde bonæ fidei & perpetuæ actiones,
      - ex vendito, vt res tradatur.
      - ex empto, vt soluatur precium.
    - *Locatione, cõductione,* — Vnde actio ex locato, vt res restituatur, finito cõductionis tempore: itemq; vt merces soluatur. Ex cõducto verò, si re conducta non liceat vti: si vitiosa res dolo sit locata, & pro impensis.
    - *Societate.* — Qua finita oritur actio pro socio, bonæ fidei, perpetua, vtrinq; directa ad collationem lucri vel damni: & alia, quæ ad societatem pertinent.
    - *Mandato:* — Vnde mandati actio, bonæ fidei, perpetua. Directa mandanti datur, si eius intersit propter contemptum mandatum. Contraria verò competit mandatario, vbi quod mandatum erat, bona fide impleuit.
- *Quasi ex cõtractu,*
  - *Gestione negotiorum alienorum,* — Vnde actio nego. gest. perpetua, bonæ fidei. Directa datur domino contra gestorem, vt reddat rationem negotij gesti: vt præstet quod dolo aut culpa perperam gesserit: vt restituat quod ad eum peruẽnit ex gestione, simul & vsuras eiusmodi reliquorum. Contraria verò datur ipsi gestori, si quid bona fide impenderit.
  - *Administratione tutelæ,* — Vnde datur pupillo actio, vt tutor reddat rationem: & tutori si quid impendit,
  - *Communione,*
    - *Rerum.* — Vnde actio Communi diuidundo, ad diuidundam rem communem, & propter sumptus in eam factos.
    - *Hæreditatis.* — Vude actio familiæ erciscundæ datur cohæredibus ad diuiduudam hæreditatem.
- *Delicto,*
  - *Furto,* — Vnde competit domino condictio furtiua: competit & omnibus, quorum interest actio furti, manifesti in quadruplum, non manifesti in duplum.
  - *Rapina.* — Vnde actio Vi bonorum raptorum, omnibus, quorum interest, datur in quadruplum, sed cui inest rei persecutio. Idq; tantùm intra annum vtilem. Post annum in simplum tantùm.
  - *Iniuria.* — Vude actio iniuriarum, quæ morte aut reconciliatione finitur.
  - *Damno iniuria dato.* — Vnde actio Legis Aquiliæ, quæ est pœnalis & in duplum aduersus infiriantem. Daturq; aduersus eum, qui damnum dedit vel opem tulit danti.
- *Quasi ex delicto,*
  - Iudicando per imperitiam. Qua ratione facit Iudex litem suam.
  - Si quid ex naui furto sic ablatum. Vnde actio exercitoria.
  - Si quid eiectum aut effusum fuerit.
  - Si quid sit appensum, cuius casus possit nocere.

INSTITVTIONVM, SEV ELEMENTORVM IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS

LIB. III.

De Obligationibus, Titulus XIII.



NVNC transeamus ad obligationes. Obligatio est Iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ secundùm nostræ ciuitatis iura.

Omnium autem obligationum summa diuisio in duo genera diducitur. nanque aut Ciuiles sunt, aut Prætoriæ. Ciuiles sunt, quæ aut legibus constitutæ, aut certo Iure Ciuili comprobatæ sunt. Prætoriæ sunt, quas Prætor ex sua iurisdictione constituit, quæ etiam Honorariæ vocantur.

Sequens diuisio in quatuor species diuiditur. Aut enim ex contractu sunt, aut quasi ex contractu; aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio. Prius est, vt de ijs, quæ ex contractu sunt, dispiciamus. Harum æquè quatuor sunt species. Aut enim re contrahuntur, aut verbis, aut literis, aut consensu; de quibus singulis dispiciamus.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Obligationum vis ab autoritate iuris dependet.
2 Debitor proprie quis?
3 Res, solutio, vocabula generalia.

1 OBligatio est iuris vinculum.] Suprà docuit Iustinianus[a], obligationes esse res incorporales, & in iure consistere. Et sanè parum constringeret obligatio, nisi authoritas iuris accederet, eiusque *a §. 1. sup. de rebus corp. & incorp.*
vim & nexum tueretur. Itaque tota vis obligationis pendet à iuris authoritate: qua si destituatur, non potest vllius esse momenti. Sed interim oportet obligationem esse eiusmodi, quæ confirmari posit. Sic enim Papinianus respondit[b]: Obligationes, quæ non proprijs viribus consistunt: neq; iudicis officio, neque Prætoris imperio, neque legis potestate confirmantur. *b L. obligationes. De act. & obligat.* ¶ *Necessitate astringimur.*] Sic vt nulla exceptione posimus hunc nexum abrumpere. Et sanè is demum debitor di-
2 cendus est, à quo inuito debitum posit iudicio extundi[c]. Hic ergo ius, siue iuris vinculum, sicuti vim, necessitati conferri; voluntati autem liberæ opponi intelligimus. Sic antea Iustinianus[d], *c L. creditores. l. debitor. De verb. signi.* Ideo (inquit) fideicommissa appellata sunt, quia nullo vinculo iuris, sed tantùm pudore eorum, *d §. 1. sup. de fideicō.*
3 qui rogabantur, continebantur. ¶ *Alicuius rei soluendæ.*] Vtitur hic Iustinianus verbis latè patentibus. Nam & rei verbum admodum generale est, & Solutio significat omnem speciem liberationis[e]. ¶ *Secundum nostra ciuitatis iura.*] Id referri potest vel ad rationem ineundæ obligationis, vel ipsius solutionis, quæ fieri debet secundum præscripta Iuris Ciuilis; alioqui est inutilis, nec debitorem liberat. *e L. solutionib. de solut. l. liberationn. de verb. signi.*

§. *Omnium autem.*

1 Obligationum diuisiones generales.
2 Ius prætorium quomodo dicatur ius incertum?
3 Obligationes quæ hic ciuiles appellantur, naturales sunt.
4 Contractus Iuris gentium an dicamus confirmari Iure Ciuili?
5 Obligationes diuidit Aristoteles in voluntarios & inuoluntarios.

1 ¶ *Summa diuisio.*] Hæc est summa quidem diuisio legitimarum obligationum, de quibus parat dicere Iustnianus. Sed alia est generalis obligationum diuisio, quòd sint aliæ naturales, aliæ le-
2 gitimæ. ¶ *Certo Iure Ciuili.*] Theophilus hanc vocem, CERTO, neglexit: nec tamen videtur ociosa. Indicat enim discrimen quoddá Iuris Prætorij, quod olim duplici nomine fuit incertum: nempe, quòd Prætores non dicebant Ius ex edicto perpetuo: deinde quòd liberius sequerentur solam æquitatis regulam, quæ ob varias rerum circunstantias, à quibus pendet, à Cicerone quoque dici-
3 tur Ius incertum. ¶ *Comprobata.*] Naturales nempe obligationes, quæ ex Iuris Gentium contractibus nascuntur. Nam eæ ipsæ sunt, quæ hîc Ciuiles appellantur, quòd Iure Ciuili comprobatæ confirmatæq; sint. Cæterùm ex confirmarione nemo putet prodi nouam aliquam obligationem. Semper enim nihilominus vna eademque manet obligatio, & vnica est semper eius substantia.
4 Cæterùm contractus ipsos Iuris Gentium non dicemus confirmari Iure Ciuili, sed recipi tantùm, aut admitti simpliciter. quare nec Iuris Ciuilis esse dicuntur. Neque verò nihili est hæc obseruatio. Nam si hæ conuentiones Iure Ciuili confirmari dicerentur, Iuris Ciuilis omnino haberentur.

a L. quedam. de pœnis.
b L. si tibi mandaue ro. §. si cum. D. mand.

Itaque ab ijs arceretur deportatus [a]. sed aliter iudicatur, si tantùm Iuris Gentium esse dicantur [b].

¶ *Sequens diuisio.*] Aristoteles lib 5. Ethicorum, obligationes siue contractus diuidit in voluntarios, qui nostris conuentionibus constant: & inuoluntarios, qui sunt ex maleficijs: enumeratq; plura vtriusque speciei exempla. Aristotelis verba sunt hæc: τῶν συναλλαγμάτων, τὰ μὲν ἑκούσιά ἐστι, τὰ δὲ ἀκούσια. ἑκούσια μὲν γὰρ τὰ τοιάδε, οἷον πρᾶσις, ὠνή, δανεισμός, ἐγγύη, χρῆσις, παρακαταθήκη, μίσθωσις. ἑκούσια δὲ λέγεται, ὅτι ἡ ἀρχὴ τῶν συναλλαγμάτων τούτων ἑκούσιος. τῶν δ' ἀκουσίων, τὰ μὲν λαθραῖα, οἷον κλοπή, μοιχεία, φαρμακεία, προαγωγεία, δουλαπατία, δολοφονία, ψευδομαρτυρία. τὰ δὲ βίαια, οἷον αἰκία, δεσμός, θάνατος, ἁρπαγή, πήρωσις, κακηγορία, προπηλακισμός. [Contractuũ alij quidẽ voluntarij sunt, alij verò præter voluntatem contingentes. Voluntarij autem istiusmodi sunt, vt, Venditio, Emptio, Mutuatio, Fideiussio, Locatio, Depositum siue Pignus, Conductio. Voluntaria autem dicuntur hæc commercia, quòd à volentibus vtrinque nec ab inuitis suscipiuntur. Inuoluntaria verò sunt clandestina illa, vt Furtum, Adulterium, Veneficium, Mulierum atque adolescentulorum introductiones. Seruorum corruptiones, Insidiæ, Falsa testimonia. Illa verò & violenta sunt, vt, Pulsatio, Vincula, Cædes, Rapinæ, Membrorum truncationes, Verborum injuriæ, Contumeliæ.

Quibus modis re contrahitur obligatio, Tit. XIIII.

RE contrahitur obligatio, veluti mutui datione. Mutui autem datio in ijs rebus consistit, quæ pondere, numero, mensura constant: veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro: quas res aut numerando, aut metiendo, aut adpendendo in hoc damus, vt accipientium fiant, & quandoque nobis non eædem res, sed aliæ eiusdem naturæ & qualitatis reddantur. inde etiam mutuum appellatum est, quia ita à me tibi datur, vt ex meo tuum fiat: & ex eo contractu nascitur actio, quæ vocatur Condictio.

Is quoque, qui non debitum accepit ab eo qui per errorem soluit, re obligatur: daturque agenti contra eum propter repetitionẽ condictitia actio. Nam perinde ei condici potest, SI APPARET EVM DARE OPORTERE, ac si mutuum accepisset. Vnde pupillus, si ei sine tutoris authoritate indebitum per errorem datum est, non tenebitur indebiti condictione: non magis quàm mutui datione. Sed hæc species obligationis non videtur ex contractu consistere: cùm is qui soluendi animo dat, magis voluerit negotium distrahere, quàm contrahere.

Item is cui res aliqua vtenda datur, id est, commodatur, re obligatur, & tenetur commodati actione. Sed is, ab eo qui mutuum accepit, longè distat. namque non ita res datur, vt eius fiat: & ob id de ea re ipsa restituenda tenetur. Et is quidem, qui mutuum accepit, si quolibet fortuito casu amiserit quod accepit, veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum hostiúmve incursu: nihilominus obligatus remanet. At is, qui vtendum accepit, sanè quidem exactã diligentiam custodiendæ rei præstare iubetur: nec sufficit ei tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solitus est: si modò alius diligentior poterat eam rem custodire. sed propter maiorem vim maioresve casus non tenetur: si modò non ipsius culpa is casus interuenit: alioqui si id, quod tibi commodatum est domi, peregrè tecum ferre malueris, & vel in cursu hostium prædonúmve, vel naufragio amiseris: dubium non est, quin de restituenda ea re tenearis. Commodata autem res tunc propriè intelligitur, si nulla mercede accepta vel constituta, res tibi vtenda data est. alioqui mercede interueniente, locatus tibi vsus rei videtur. Gratuitum enim debet esse commodatum.

Præterea & is, apud quem res aliqua deponitur, re obligatur, teneturque actione depositi: quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur. Sed is ex eo solo tenetur, si quid dolo commiserit: culpæ autem nomine, id est, desidiæ ac negligentiæ non tenetur. Itaq; securus est, qui parum diligenter custoditam rem furto amiserit: quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed suæ facilitati id imputare debet.

Creditor quoque, qui pignus accepit, re obligatur: quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur actione pigneratitia. Sed quia pignus vtriusque gratia datur, & debitoris, quò magis pecunia ei credatur, & creditoris, quò magis ei in tuto sit creditum: placuit sufficere, si ad eam rem custodiendam, exactam diligentiam adhibeat: quam si præstiterit, & aliquo fortuito casu rem amiserit, securum esse, nec impediri creditum petere.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Titulus hic ex Vlpiani responso descriptus.*
2 *Re quomodo contrahatur?*
3 *Ad mutui obligationem contrahendam interuenire oportet factum dationis.*
4 *Ex promissione dandi mutui qualis contrahatur obligatio.*
5.17 *Cur in ijs tantùm rebus, quæ numero mensuráve constant, Mutui datio consistat?*
6 *Pondere, numero, mensuráve vt res constent, spectatur quantitas, non qualitas.*
7 *Quantitatem vnde æstimemus?*
8 *Res non sola quantitate sed qualitate etiam differentes, non pertinere ad mutuum.*
9.10 *In panibus & libris mutuum contrahi potest.*
11 *In creditum ire est mutuum dare.*
12.14.16 *Functionem recipere quid?*
13 *Res in suo genere recipientes functionem differre ab ijs quæ in sua tantum specie.*
15 *Fungi collatione dotis, id est, dotem conferre.*
18 *Rem pro re dari quomodo liceat?*
19 *Creditorem non esse cogendum in aliam formam nummos recipere, si ex ea re damnum passurus sit.*
20 *Mutui pecunia singulare, quòd nums æstimatio augeatur commodo debitoris.*
22 *Auctum vini mutuo dati precium, commodo cedit creditori.*
23 *In nummis reddendis non corpus quod datur, sed solam æstimationem considerari secundum Aristotelem. num. 24.*
25 *Res mutuo accepta eadẽ ipsa vel inuito reddi potest.*
26 *Satis est, à principio de mutuo conuenisse.*
27.28 *Idem genus, & eadem qualitas quomodo differant? & num. 30. 31.*
29 *Substantialia contractuum pacto non posse tolli.*
32 *Alia vini, alia aceti substantia est.*
33 *Mutuum vnde dictum sit?*
34 *Ex contractu mutui orta actio cur dicatur certi condictio?*

1 INitio admonendi sumus totum hunc titulum ferè ad verbum descriptum ex Vlpiani responso[a]: cuius collatio non poterit non lucis plurimum adferre. ¶*Re contrahitur.*] Re videlicet in ipso contractu statim interueniẽte. Alioqui magis hic videretur contractus quidã innominatus[b],
2 qui confirmabitur re postea interueniente, tumque primùm actionem pariet ei, qui quod suarum est partium, præstiterit[c]. *Mutui datione.*] Vt mutui obligatio contrahatur, debet interuenisse fa-
3 ctum dationis, hoc est, ipsa numeratio. Neque enim suffecerit promissio dandi mutui: ex qua quidem contrahitur aliqua obligatio; sed non eo amplius, quàm vt id quod interest, præstetur[d].
4 Contrà qui spopondit se creditam pecuniam accepturum, potest non accipiendo, sese non obligare[e]. Nam quandiu res est integra, necdum alter dedit, liberum est sententiam mutare. ¶*Mutui datio in ijs rebus consistit.*] Rationem huius loci explicat Paulus his verbis[f]: Mutui datio consistit in ijs rebus, quæ pondere, numero, mensuráve constant: quoniam earum datione possumus in cre-
5 ditum ire, quæ in genere suo functionem recipiunt per solutionem, quàm specie. Nam in cæteris rebus ideo in creditum ire non possumus, quia aliud pro alio inuito creditore solui non potest. Quæ Pauli verba interpretari necesse est, vt naturam mutui intelligamus, & quod hic Iustinianus docet, paulò diligentius explicemus. quod quidem tanto etiam magis facere necesse est, quo minus vulgò intelligi videtur ille Pauli nobilissimus locus. Itaque non grauabor ex meis ad titulum Si certum petat. commentarijs breuiter describere, quod huc omnino pertinere videtur. Ait Paulus mutui dationem consistere in ijs rebus, quæ pondere, numero, mensuráve constant. Iustinianus addit exempla harum rerum, vini, olei, frumenti, pecuniæ numeratæ, æris, argenti, auri. neque modò hanc tanquam substantiam mutui, sed & eius veluti formam describit, Quas res (inquit) aut numerando, aut metiendo, in hoc damus, vt accipientium fiant. Neque non obseruatione dignum est, quòd cùm pecuniam numeratam dixit, eius quoque species singulas ennumerat, æreas nempe, argenteas, aureas. Ex his enim solis tantùm metallis tribus pecunia cudi potest, aut numus probus conflari atque confici. Vnde Triumuiri Monetales dicebantur, auri, argenti, æris flatores. Sed hæc ad locum de moneta pertinent. Vt ad Paulum redeam, & harum re-
6 rum descriptionem in quibus mutui datio consistit; dici videntur ex pondere, numero, mensura constare, atque contineri, quòd cùm inter se planè similes sint in suo genere, qualitas in ijs non spectetur neque discerni possit, sed sola quantitas; quæ quidem aliter dignosci aut definiri non potest, quàm pondere, numero, aut mensura. Sicuti & alio loco Paulus ait[g], in pecunia non tam corpora excogitari, quàm quantitatem, & res quæ in quantitate consistunt, ab ijs quæ in corpore alibi discernit[h]: Item quæ corpore constant, ab ijs, quæ pondere, numero, vel mensura[i]. Ac qui-
7 dem quantitatem hic propriè æstimamus & metimur ex ipsius rei æstimatione, vi, momento, & (vt nunc loquimur) valore. Sanè Vlpianus[k], has res paulò aliter describit, In numis (inquit) & oleo & frumento & similibus, quæ communi specie continentur. Quibus verbis significare videtur, has res non habere aliquam sibi propriam & veluti peculiarem speciem, quę in ijs singulis sola spectetur, & ab alijs eiusdem generis speciebus distinguatur: sed vnam tantùm habere generalem & cum alijs communem. Sic itaque intelligimus, quibus rebus propriè mutuum contrahatur.
8 Certè res quæ non sola quantitate differunt, sed ipsa etiam qualitate, non pertinent ad mutuum, neque dicendæ sunt constare pondere, numero, aut mensura. quia & si eadem quantitas seruetur, hoc est, eodem pondere, numero, mensura dentur: tamen eædem res esse non videntur, sed alias esse, vt sunt, palàm est propter diuersam qualitatem, Ac quidem ex rerũ natura, & eo more aut consuetu-

a L. 1. §. re contrahitur. de act. & oblig.
b L. 3. l. naturalis. de præscrip. verb.
c L. ex placito. C. de rer. permut.
d L. si pena. de verb. oblig.
e L. qui pecuniam. Di si cert. pet. condict.
f L. 2. §. 1. D. si cer. pe. condict.
g L. 94. si is cui numer. de solut.
h L. 87. Titio Sei. de lega. 2.
i L. 1. §. non solùm. ad leg. Falcid.
k L. 29. cum Stichus. de solut.

consuetudine, qua dantur, satis intelligi potest, quæ res ad mutuum pertineant, vt in exemplis abs Iustiniano propositis non hæreamus. Si quis pistor multos eiusdem materiæ panes conficiat 9
eodemque pondere, vt in multis locis ponderantur; nihil obstare videtur, quin mutuum in ijs contrahi possit. Quod & dici posset de libris ab eodem typographo, vt nunc fit, excusis. Porrò 10
quod Paulus adiecit, Iustinianus verò prætermisit, difficilius atque obscurius est; ideo in ijs, quas diximus, rebus mutui dationem consistere, quoniam earum datione possumus in creditum ire, quæ in suo genere functionem recipiunt per solutionem, quàm specie. Ac quidem satis hic intel- 11
ligimus in creditum ire, idem esse, quod mutuum dare. Sed quod de functione dicitur, non tam 12
facilem habet interpretationem. Paulus[a] alio loco ait, ea vice mutua fungi, quæ tantundem præstant. Itaque functionis verbum eodem modo hic accipiunt. Quale & illud est, quod aliquando Papinianus[b] dixit permutationem recipere. Sed qui acutius hunc locum expendunt, iudicant Paulum aliò hic spectare. Opponit enim tanquam contrarias, res eas quæ in suo genere recipiunt 13
functionē, & eas quæ in sua tantùm specie: vt in illis aliud pro alio solui possit cùm creditoris non intersit, & magis idem, quàm aliud videatur: in his verò non possit. Ac illæ quidem mutua vice fungi rectè dici possunt, quia tantundem præstant. At quomodo has etiam functionem aliquam dicemus recipere hoc sensu? aut quomodo ad eas functionis verbum hoc referemus? Visum itaque est aptius fore, si hic functionem cum solutione coniungamus, vt dicantur res recipere fun- 14
ctionem per solutionem, quæ funguntur solutione, hoc est, soluuntur: vt, quemadmodum fungi collatione[c] dotis, vel depositione auri dicitur, qui dotem confert, vel aurum deponit; sic & res 15
ipsa fungi dicatur solutione, quæ soluitur: & quidem hanc functionem rectè recipiant in suo genere, quæ pondere, numero, aut mensura constant. Aliæ verò in sua specie tantùm. Quòd si quis hanc subtiliorem paulò interpretationem non recipiat propter insolens dicendi genus, sequatur sanè illam simpliciorem magisque familiarem, vt res, quæ qualitate non differunt, dicantur reci- 16
pere functionem in suo genere: quia vna alterius vice fungatur, & tantundem præstet, vt si eadem quantitas sit, eadem res esse videatur. Illud modò semper teneamus, in his demum rebus consistere mutuum, quia tum demum illud fieri commodè possit, vt & dominium in accipientem trans- 17
feratur, & ei nihilominus qui dat, perinde consulatur, atque si translatum non esset, resque illi sua restitueretur. Nam & si hic reuera idem non reddatur, satis tamen est tantundem reddi, cùm in hisce rebus, quarum eadem est qualitas, sola quantitas spectetur. Seneca libro 6. de Benef. non satis hæc distinxisse videtur, cùm confusè & generaliter ait, licere rem pro re dare: & pecuniam vi- 18
deri nos reddidisse, quamuis pro argenteis aureos numos. Quod autem de numis dixit, verum sanè est si eadem quantitas, æstimatio, & valor reddatur. Ac rectè quidem Paulus[d] ait; Creditorem non esse cogendum in aliam formam numos recipere, si ex eare damnum aliquod passurus sit. 19
Atqui nullum damnum patitur, qui precium idem recipit. In numis enim non corpora sed hanc quantitatem spectari diximus. Ac quidem si quorundam numorum veluti aureorum mutata sit æstimatio, aucta nempe vel imminuta, illud singulare est in mutuo pecuniæ, & ab aliarum rerum 20
mutuo differens; quòd numi æstimatio augeatur commodo debitoris, eius verò damno imminuatur. Semper enim eandem æstimationem, non autem similia corpora reddere iubetur. At si auctum vini mutuò dati precium esset, creditoris erit commodum. Nihilominus enim vinum, 21
quale dedit, recipiet. Si verò sit imminutum eius precium, debitoris erit commodum. Nihilominus enim liberatur si quale vinum accepit, reddat, etiamsi vilioris fortasse precij id iam fuerit. Sic itaque in numis nullo modo consideramus corpus quod datur aut redditur: sed solam æstimatio- 22
nem, quæ pecuniæ est tota veluti substantia, magis etiam quàm ipsum pondus. Nam si æstimatio eadem sit, quamuis pondus mutatum fuerit: creditori tamen satisfactum videbitur, & res esse eadem. Et hoc quidem singulare in numis, quamuis Iurisconsulti non satis fortasse expresserint, Aristoteles saltem disertis verbis notauit. Quod quidem ita semper accipiendum est, nisi si appareat 24
aliud actum esse, aut aliam contrahentium intentionem fuisse.

¶ *Non eadem res.*] Hoc est, non eædem species. Quanquam si rem acceperim mutuò, quasi ea vsurus; deinde fortè euenerit, vt ea non sit mihi opus; potero eandem etiã inuito reddere: nec ideo 25
minus dicetur mutuum. Satis enim est, à principio de mutuo rectè conuenisse. 26

¶ *Eiusdem naturæ & qualitatis.*] Apud Pomponium est[e], EIUSDEM GENERIS ET BONITATIS. Quæ verba interpretantur hunc locum. Sed notandum hic est discrimen generis siue naturæ, & qualitatis siue bonitatis. Primùm enim, vt eiusdem generis species reddatur, pertinet ad sub- 27
stantiam mutui. Ideoque nec pacto tolli potest, quanquam fieri possit, vt cùm de solutione agitur, creditor vltrò recipiat rem diuersi generis: nec tamen minus fit mutuum[f]. Satis enim est à princi- 28
pio ita non conuenisse. Cæterùm vt reddatur res eiusdem bonitatis, magis pertinet ad vulgarem quandam mutui consuetudinem, vt satisfiat creditori. Itaque posset id conuentione mutari aut tolli. Est enim recepta regula; Pacto quidem non posse tolli ea, quæ ad substantiam contra- 29
ctus pertinent: posse tamen ea, quæ solùm spectant vulgarem quandam cōtractus conditionem, & quæ ex communi vsu & more solent extrinsecus accedere[g]. Est autem hic bonitas, solùm quædam qualitas, quæ rem ipsam non mutat: multùmque differt ab eius substãtia: vt liberè possit negligi à creditore. Nam & cùm paciscitur, vt minus bonum possit reddi: habet sibi id æquè bonum: 30
abundeque est, eius voluntati fieri satis. At vbi de alio genere agitur, quia mutatur contractus substantia, necessariò mutatur & contractus. Itaque apparet interueniente pacto, vt vinum album pro rubro reddi possit, aut acidius deterius ve: nihilominus esse mutuum: quia semper eadem sit 31
vtriusque

[a] L. certū. si cert. peta.
[b] L. sed & si certos. de lega. 1.
[c] L. 3. de collat. dot. l. Pretoriæ. de Pretor. stip.
[d] L. Paulus respondit creditorem. de solut.
[e] L. cū quid. D. si cert. pet. cond.
[f] L. si pro mutua. C. si cer. petat.
[g] L. pacta cōuenta. de contrah. empt. l. 1. §. si cōueniatur. D. deposi.

vtriusque vini *οὐσία*,[natura siue substantia,] vt ait Vlpianus [a]. at non etiam, si conueniat, vt pro
32 vino reddatur acetum, aut zythum, vt ceruisia. Nam alia est horum substantia: nec generali vini
appellatione continentur [b].

¶ *Et quandoque nobis non eadem res.*] Ita hunc locum legi in vetustissimis Institutionum exemplaribus Albornotianæ bibliothecæ testatur Ant. Augustinus lib. Emendation. 3. cap. 7. & probat hanc esse [veram] lectionem. Videturque sanè hic locus ex Caio descriptus. Nam in eius Institutionibus sic legimus: Quæ omnia numerando, aut pensando, aut metiendo, ad hoc damus, vt eorum fiant, qui ea accipiunt, & ad nos statuto tempore, non ipsæ res, sed aliæ eius naturæ, quales datæ sunt, atque ipsius ponderis, numeratæ vel mensuratæ reddantur. Idem rursus in Pandectis [c], Quas res (inquit) in hoc damus, vt fiant accipientis, postea alias recepturi eiusdem generis & qualitatis.

33 ¶ *Inde etiam mutuum appellatum.*] Inquit Paulus [d]: appellata est autem mutui datio, ab eo, quòd de
meo tuum fit. Et ideo si de meo non fiat tuum, nō nascitur obligatio. Hic igitur obseruemus propriè mutuum esse, vbi hoc titulo meam pecuniam facio tuam. Est autem alia species mutui, quod magis (vt ita loquar) improprium videtur. nempe cùm hoc titulo facio quidem pecuniam tuam, sed quæ mea nō erat. veluti si tibi delegauero debitorem meum, vt ab eo exigas, & quod exegeris, habeas mutui loco. Sed & si pecuniam purè mihi debueris, conuenire possum, vt crediti nomine eam retineas: & hoc quoque mutuum benignè iudicabitur [e]: saltem si appareat, non tam agi de dilatione solutionis, quàm de nouatione eius, quod debetur. Sed hæc mutui species paulò magis degenerat: vt propriè & omnino mutuum dici vix possit [f]. ¶ *Quæ appellatur condictio.*] Eaque cer-
34 ti. Certum enim mutuum dicitur, quia idem debeatur in genere: quod cùm perire non possit [g],
certum hîc est semper quod debetur. Sic & Seneca lib. 3. de Beneficijs, vocat actionem certæ pecuniæ, quam dicimus certi condictionem, nempe qua petitur id quod creditum mutuóve datum est. Et apud Fabium lib. 8. cap. 3. legimus, postulare certam pecuniam creditam. Cur autem actiones personales propriè appellentur Condictiones, alio postea loco Iustinianus docebit.

a L. in venditionibus, in fi. de contrah. empt.
b L. si quis vinum. de trit. vino, & ole. leg.
c L. 1. de act. & oblig.
d L. 2. §. appellata. D. si cert. peta. cond.
e L. singularia. D. si cert. pet. cond.
f L. rogasti. D. si cer. pet. cond.
g L. incendium. D. si cer. pet.

§. *Is quoque.*

1. 2 Indebitum quid?
3 Quid, si quis receperit debitum, ab eo qui non debebat?
4 Si res duæ, sub alternatione debita, per errorē simul soluantur, quid iuris?
5 Quid, si quis mente titubante indebitam soluat pecuniam?
6 Sciens indebitum qui soluit, donare videtur.
7 Pecuniam iure Gentium debere esse indebitam, vt locus sit actioni condictitiæ.
8 Indebita per errorem soluta peti non possunt vsuræ.
9 Pupillus neque ex mutuo, neque ex solutione indebiti obligatur.

1 ¶ *Per errorem.*] Vlpianus [h] ait, indebitum solutum hic accipi non solùm si omnino non de-
beatur, sed & si per aliquam exceptionem perpetuam peti non poterat [i]. Meminisse autem debe-
mus, non modò perpetuam esse debere, sed & debitoris causa & fauore introductam [i]. Certè si per-
2 petua non esset, non posse condici quod solutum est, constat [k]. Porrò indebitum omnimodo est
3 vbi neque is qui soluit, debebat, neque ei, cui solutum est, debebatur. ac id quidem repeti posse, du-
bium non est [l]. Sed quid, si quis receperit quidem sibi debitum, sed ab eo, qui non debebat? Certè
si qui soluit, suo nomine soluat per errorem de suo, quasi ipse deberet, repetere posse videtur [m]. At si
debitoris nomine soluerit, aut soluendo eum liberârit, sic vt aduersus eum habeat negociorum ge-
storum actionem, non erit locus condictioni indebiti. Vt si quis pro hærede aut nomine hæredi-
tario & de hæreditatijs magis bonis quā suis soluerit creditori hæreditario [n]. Si ex parte hæres sol-
uat per errorē totū æs alienū, non vsus illa diuisione, quæ introducta est per XII. Tab repetet quod
pro sua parte soluit [o], quamuis non idem tributum sit vni fideiussori [p], qui totum solueret non v-
sus diuisione ex epistola Diui Adriani. Quod etiam notaui ad XII. Tab. cap. 38. Si res duæ sub alter-
4 natione debeantur, & vtraq; per errorem soluta sit, alteram quasi indebitam repeti posse constat:
Sed vtram potius? Vlpianus putauit esse in arbitrio accipientis, vtram velit retinere aut reddere [a].
5 Sed hoc Iustiniano displicuit, qui æquius esse iudicauit debitori electionem relinqui, vtram repe-
6 tere [b] malit. Idem statuit & de eo, qui cùm dubitabat, incertoque & ancipiti erat animo, soluit [c].
Porrò si quis sciens indebitum soluerit, non repetit. nam donare videtur [d]. Quinimo (inquit Pom
ponius [e]) quod quis sciens indebitum dedit, hac mente, vt postea repeteret; repetere non potest.
Porrò si dubitetur vtrum ab ignorante, an verò à sciente, solutum fuerit indebitum: is qui accepit.
nec vult restituere, probare debet omnino à sciente vltrò esse solutum [f]. Sed nihil ne hic interest in-
ter errorem facti & iuris? Certè Iurisconsulti in toto hoc tractatu simpliciter & generaliter erroris
7 meminerunt, sicuti & hoc loco Iustinianus. Sed alij Cæsares disertè exprimunt intelligendum hic
esse errorem facti, non Iuris [g]. Multa hic præterea dici possent, veluti; pecuniam Iure etiam Gen
tium indebitam esse debere, vt sit huic conditioni locus: & hac occasione de ea disputari, quam
vel pupillus debet vel filiusfam. vel seruus domino, vel libertus patrono. Sed si omnia quæ hic se
ingerunt, persequar, non modò infinita, sed fortè etiam ingrata & molesta commentatio nostra
fuerit, præsertim ijs, qui elementis nunc contenti sunt.

h L. 26. si non forte in §. indebitum. de cond. ind.
i L. 40. qui exceptionem. de con. ind.
k L. 9. 10. 17. 18. illo tit.
l L. in summa. §. vlti. l. si pœnæ. § quànu. illo tit.
m L. 17. quod si possessor. l. 31. si quid possessor. de petit. hæred.
n L. 44. repetitio. de cond. ind. l. de hæreditate. C. de petit hæred. l. 74. de quare §. vlt de reiud.
o L. ex parte. de soln.
p L. si testamēto. §. 1. de fideiuss.
a L. 26. si non forte. § pen. de cond. ind.
b L. penul. C. de cōd. ind.
c L. vlt. C. illo tit.
d L. cum per errorē de reg. iur.
e L. quod quis de cōd. indeb.
f L. cum de indebito de probat.
g L. per ignorātiam & se seq. C. de cond. indeb. l. error. C. ad leg. Falci. l. cum quis. C. de iuris et facti ign.

¶ Datur q;

a L. nec nouum est. cū leg. seq. l. dominus. l. indebitā pecuniā. de cond. inde.
b L. in summa. §. si ser uū de condict. indeb.
c L. indebi. D. illo tit.
d L. 1. C. de cond. inde.

¶ *Daturq́, agenti.*] Rectè Iustinianus hîc loquitur de agente, potius quàm de soluente. Nam non semper is qui soluit, condicit: sed non tantò alius soluit, alius agit[a]. ¶ *Propter repetitionem.*] Eius, quod solutum est: sed non vltrà, quàm sit locupletior qui accepit, si modò bonæ fidei fuerit[b]. Repetuntur autem simul etiam accessiones, saltem naturales[c]: non vtique ciuiles. Nam rescripsit imperator Alexander, peti non posse vsuras pecuniæ indebitæ per errorem solutæ[d]. ¶ *Si paret eum* 9
dare oportere.] Hæc est vetus condicendi formula. Itaque hæc verba ἀγωγῆς siue enunciati accipienda sunt. Quod etiam docet Theophilus, qui loquens de hac conditione, ait: κινῶν λέγω, εἰ φαίνεται τοῦτον χρῆναι δοῦναι. [agens dico, si apparet hunc dare oportere.] Et olim Prætor cùm iudicium dabat, hac formula vtebatur, SI PARET TITIVM MEVIO CENTVM EX CAVSA MVTVI DARE OPORTERE, CAIVS IVDEX CONDEMNATO. ¶ *Vnde pupillus.*] Hæc illatio pendet ex proxima collatione mutui dati, & indebiti soluti. Et addit hîc Iustinianus quandam exceptionem vtriq; communem: quòd pupillus nec ex mutuo posit obligari, nec indebitum recipiendo. Et videtur Iusti- 9
nianus ratiocinari à maiori; Quòd si pupillus mutuo accepto non obligetur, multo minus indebito recepto posit obligari. ¶ *Pupillus.*] Idem & in furioso. ¶ *Datum est.*] Quod si ipse dederit,

e L. interdū. de cond. indeb.

solueritque, proculdubio agere poterit. Id quod Vlpianus tradit his[e] verbis: Interdum persona locum facit repetitioni: vtputa si pupillus sine tutoris authoritate, vel furiosus, vel is, cui bonis interdictum est, soluerit. Nam in his personis generaliter repetitioni locum esse non ambigitur. Et si quidem extant numi, vindicabuntur: pro consumptis verò condictio locum habebit. ¶ *Sed hæc*

f §. vlti. de oblig. quæ quasi ex cont.

species.] Id alio postea loco rursus inculcat Iustinianus[f]. Vnde repetendum est quod hîc desideratur.

§. Item is.

1. *Commodatum quid?*
2. *Res commodata & possessionem & proprietatem retinemus.*
3. *Commodatum præfinit certum vsum, quem transgredi non licet.*
4. *Res quæ casu fortuito perit, domino perit.*
5. *Qui precarium accepit, solummodo dolum præstat.*
6. *Res commodata quanta diligentia adhibenda?*
7. *Casus maiores seu vis maior quæ?*
8. *Casuum fortuitorum periculo temerè se subijcientis obligatio non est rata.*
9. *Aliter vtens commodato, furti tenetur.*

g L. 1. §. inter. D. commod.
h L. rei. D. commod.
i L. 3. §. si reddita. D. commod.

¶ *Vtenda datur, id est, commodatur.*] Putauerat Labeo inter hæc esse discrimen, sed id Vlpianus
non recepit[g], sicuti nec hoc loco Iustinianus Vlpiano astipulatur. Et reuera nihil aliud est commo
datum, quàm ad certum aliquod commodum & vsum res data. ¶ *Non ita datur, vt eius fiat.*] Ma- 1
net enim penes dominum rei commodatæ proprietas, atque adeò possessio. Inquit enim Pompo-
nius[h]: Rei commodatæ & possessionem & proprietatem retinemus. & addit Vlpianus; Nemo e- 2
nim commodando rem, facit eius, cui commodat. ¶ *Decare.*] Eadem prorsus, & integra. Nam
non videbitur reddita, si reddatur deterior[i], nisi quod interest simul præstetur. Sed deteriorem fa-
ctam hîc intelligimus alio, quàm in quem quæsita aut data erat, vsu. 3

k L. in commodato. §. sicut. D. illo tit.

¶ *Restituenda.*] Finito vsu temporis præstituti. Neque enim prius tenetur restituere. Docet id eleganter Paulus his verbis[k]: Sicut voluntatis & officij magis quàm necessitatis est commodare: ita modum commodati finemque præscribere eius est, qui beneficium tribuit. Cùm autem id fecit, id est postquam commodauit, tum finem præscribere, & retrò agere, atque intempestiuè vsum commodatæ rei auferre non potest. & addit postea idem Paulus hanc rationem: adiuuari quippe nos, non decipi beneficio oportet.

l L. quæ fortuitū. l. pignus. C. de pigno. act.
m L. incendium. C. si cert. pet.
n L. si vt certo. §. interdum. D. commod.
o L. in rebus §. 1. D. illo tit.
p L. quæsitum. §. cum quoque. D. precar.

¶ *Nihilominus obligatus remanet.*] In vniuersum enim res, quæ casu fortuito perit, domino per-
it[l]. Sed mutuò datæ rei dominus est, qui eam accepit, non etiam commodatæ. Et notum est illud 4
rescriptum[m]: Incendium ære alieno non exuere debitorem. ¶ *At is qui vtendum accepit.*] Maximè
si sui vnius causa. Nam si commodatum fiat magis ipsius commodantis gratia, solus dolus à com-
modatario præstatur: vt si quis fortè commodârit sponsæ suæ aut vxori, vt honestius culta ad se de-
duceretur[n]. Quòd si vtriusque gratia commodata sit res, veluti vt communem amicum inuitare-
mus, solus dolus præstabitur cum leui culpa[o]. non præstabitur autem leuissima, quæ solet alioqui
hîc præstari. Porrò autem qui precarium accepit, non nisi dolum præstare solet[p]: quia nempe in ar- 5
bitrio dantis sit, quandocunque libuerit, precarium repetere, & auferre habenti.

a L. si vt certo. §. vsqueadeo D. commod.

¶ *Exactam diligentiam custodiendæ rei.*] Etiam ei rei, quæ adiuncta est principali rei commoda-
tæ. Inquit enim Vlpianus[a]: Vsqueadeo diligentia in re commodata præstanda est, vt etiam in ea, 6
quæ sequitur rem commodatam, præstari debeat: puta equam tibi commodaui, quam pullus co-
mitabatur: etiam pulli te custodiam præstare debere veteres responderunt.

b L. in re mandata. C. mand.
c L. in rebus. D. cōmo.

¶ *Nec sufficit.*] Nam vt posit quis negligere rem suam, cuius est moderator & arbiter: nō item debet alienam, quæ exactiori cura custodienda est[b]. ¶ *Sed propter maiorem vim.*] Totum hunc locum diligenter explicant Paulus & Vlpianus. Pauli verba[c] sunt hæc, In rebus commodatis talis diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus paterfa. suis rebus adhibet: ita vt tantùm eos casus non præstet, quibus resisti non posit: veluti mortes seruorum, quæ sine dolo & culpa eius accidunt, latronum hostiúmve incursus, piratarum insidias, naufragium, incendium, fugas seruorum, qui custodiri non solent. Quod autem de latronibus, & piratis & naufragio diximus: ita sci-

ita scilicet accipiemus, si in hoc commodata sit alicui res, vt eam rem peręgrè secum ferat: alioqui
si cui argentum commodauerim, quòd is amicos ad cœnam inuitaturum se diceret, & id peręgrè
secum portauerit: sine vlla dubitatione etiam piratarum, & latronum, & naufragij casum præsta-
re debet. Hactenus Paulus. Vlpianus verò ait [a]: Quod senectute contigit, vel morbo, vel vi latro- *a L. si vt certo. §. quod*
num ereptum est, aut quid simile accidit: dicendum est, nihil eorum esse imputandum ei, qui com *vero. D. illo tit.*
modatum accepit, nisi aliqua culpa interueniat. Proinde & si incendio, vel ruina aliquid contige-
rit, vel aliquod damnum fatale: non tenebitur: nisi fortè cùm possettes commodatas saluas face-
re, suas prætulit.

7 ¶ *Maiores casus.*]Hos esse dicemus, quibus resisti non posit, vt Paulus inquit. Vim autem ma
iorem Caius [b] Græcè vocari ait θεῦ βίαν: eamque conductori non debere damno esse. ¶ *Si modo non* *b L. si merces. §. vis*
ipsius culpa.]Aut post eius moram [c]. Sed etsi nominatim conuenerit, vt casus fortuiti periculum ad *maior. Locati.*
commodatarium pertineat: ęquum est eum præstare vim maiorem, cuius periculo apertè sese sub- *c L. quod te. D. si cert.*
iecit. accipit enim contractus legem ex conuentione [d]. sed interim sciẽdum est, generalem & præ- *pet. condict.*
8 cipitem stulti aut temerarij hominis, omnium casuum fortuitorum periculo sese subijcientis, ob- *d L. 1. §. si cõueniat. D.*
ligationem non esse ratam [e]: ne quis eiusmodi confusæ & captiosæ conuentionis inuolucro cir- *deposi. l. 2. C. commo.*
cumueniatur. ¶ *Quin de restituenda ea re teneri.*]Quinimo & qui aliter re cõmodata vsus est, quàm *e L. sed & si quis. §. quæsitum. D. si quis caut.*
9 conuenerat, furti tenetur: quod suo postea loco pluribus excutiemus. Porrò quod hîc dicitur de
restitutione rei, pertinet etiam ad æstimationem eius, quæ præstanda est. Nam præstita repeti po-
terit, si postea res in domini potestatem redierit [f]. ¶ *Gratuitum enim.*]Cibariorum tamen impen *f L. in commodato. §. vlt. D. commod.*
sæ naturali ratione ad eum pertinent, qui vtendum accepit, inquit Paulus [g]. *g L. in rebus. §. possũt. D. illo tit.*

§. *Praterea.*

1.2 Si tantundem reddatur, depositum reddi videtur.
3 Depositarius deposito vtens furtum committit.
4 Glauci depositarij perfidia diuinitus punita.
5 Depositarij hæredes conueniri quomodo possint?
6 Quid, si quis depositario denunciet, ne deponenti depositum restituat?
7 Quid, si alteri quàm oportuit, dolo restituerit?
8 Magna negligentia in doli crimen cadit.
9 Quid, si depositi se se quis offerat?

¶ *De ea re, quam accepit.*]Hoc facilius dicitur in speciebus depositis. Sed in pecunia numerata,
1 non tam consideramus corpora nummorum, quàm quantitatem: vt si tantũdem reddatur, idem
reddi videatur. Erit ergo nihilominus depositum. Ait quidem Papinianus [h], eam rem egredi no- *h L. Lucius. D. depos.*
tissimos depositi terminos. sed hoc intelligimus de stricta illa vna depositi specie, vbi nec domi-
2 nium nec periculum vllum transit in accipientem. Sed depositum etiam dici posse, vbi pecunia
non obsignata, sed numerata deposita est, vt tantundem reddat depositarius, idem Papinianus a-
lio loco fatetur [i]. Et huic deposito eadem priuilegia tribui, vel inde apparet, quòd in eius potissi- *i L. die. §. 1. D. deposi.*
mum gratiam introductum videatur illud prælationis beneficium, quo deponens alios credito-
res personales anteit. Quòd si hic deponens vsuras stipuletur, iam magis desinit esse depositum,
nulloque prælationis priuilegio iuuatur [k]. Porrò qui vsuras stipulatus non est, sed pecunia tantùm *k L. si hominẽ. §. que-*
3 vti permisit vel tacitè vel expresè, non nisi post moram restituendi, vsuras petere posset [l]. Si nul- *ro. D. deposi. l. si ven*
lo deponentis consensu depositarius pecuniam, quæ fortè obsignata deposita erat vt species, in v- *tri. §. in bonis. de priuile. cred.*
sus suos converterit, furti etiam iudicio conueniri posset. Sibi itaque gratuletur, si depositi tan-
tùm iudicio conueniatur, vt cum sorte vsuras præstet, inquit Gordianus [m] Imperator. Sed cum v- *l L. die §. 1. D. deposi.*
suris non præstabit quod ex ea sorte pecunia acquisierit [n]. Non enim deponentis, sed suam potius *m L. 3. C. deposi.*
rem egit: neque cum fructu pecuniæ, etiam suæ industriæ & negociationis fructum alteri præstare *n L. si ex ea. C. de rei vin.*
debet. Aliter diceretur de meo procuratore, aut negociorum gestore, qui mihi potius quàm sibi de-
buit negociari. Quicquid itaque ex mea pecunia acquisisset, mihi restituet, & quantumcunque
emolumenti sensit, præstabit, inquit Vlpianus [o]. ¶ *Restituenda.*] Ipsi scilicet deponenti, vel eius *o L. idem §. §. si procu-*
hæredibus. ac suis quidem hæredibus sua pars tantùm restituetur. si res commodè posit diuidi: a- *rator. Manda.*
lioqui præstita satisdatione, vni in solidum restituetur, vel in æde sacra deponetur [p]. Quòd si com- *p L. 1. §. si pecuniam in*
muniter omnes repetant, nulla dubitatio est, omnibus pariter esse restituendam. Hicque mi- *sacculo. l. si plures hæredes. D. illo tit.*
4 hi occurrit vetus historia cuiusdam Glauci, qui cùm ingentem pecuniam à Milesio hospite depo-
siti nomine accepisset, eamque an filijs hæredibus restitueret, Apollinem Delphis rogâsset; cum
tota domo breui dicitur extinctus: quasi piaculum esset, dubitare an hæredibus restituendum
esset depositum. Quo exemplo vsus dicitur Leutychides Rex Spartanorum, cùm repeteret quos-
dam Æginetas depositos, & Athenienses contrà causarentur, non esse æquum, vt quos Reges
deposuissent, vni restituerentur. Sicuti nec profectò semper tutum est restituere aliter, quàm
acceperis. Olim apud eosdem Athenienses mulier quædam depositi nomine pecuniam acce-
perat à duobus hospitibus ea conditione, vt simul vtrisque restitueret. Horum alter post tem-
pus aliquod lugubri veste simulans mortem socij, decepta muliere numos abstulit. Postea super-
uenit alter repetens depositum. Sed Demosthenes mulieris patronus sic aggressus est petitorem:
Mulier parata est depositum reddere: sed, nisi socium adduxeris, hoc facere non potest: quoniam
conuênit, ne pecunia numeretur alteri sine altero. Ita periclitanti mulieri succurrit Demosthenes
aduersus nebulones, qui conspirârant eandem pecuniam bis extorquere. Porrò quod attinet ad
hæredes

hæredes ipsius depositarij, debentij conueniri pro hæreditarijs portionibus [a], nisi fortè vnus ali- 5
quis solus possit totam restituere. Quod & de re commodata dicendum est [b]. ¶ *Tenetur.*] Adeò
vt nec se possit iuuare compensatione: nec conuentione præstituti temporis. Nam & si sic deposue
ro, vt post mortem tuam reddas: nihilominus potero mutata voluntate prius agere, & depositum
à re repetere [c]. Sed nec tertius aliquis temerè potest vllis denunciationibus remorari aut impedi-
te restitutionem depositi. Quod vt rectè intelligamus, sciendum est, Iustinianum, ea cõstitutione,
qua tradidit depositi restitutionem non impediri prætextu alicuius compensationis, statuisse eti- 6
am, si quis depositario aliqua ex causa denunciauerit seriò, ne restituat: non cogi eum restituere,
nisi deponens cautione securum eum reddat [d]. Sic enim Iustinianus depositario voluit consule-
re. Postea edidit Nouel. Constitut. 88. vt si quis temerè sua illa denunciatione interturbet liberam
depositi restitutionem: pendat vsuras trientes deponenti, cui res non restituitur, domino: & si res
apud depositarium pereat: periculum sit huius obnunciantis. Illud postremò notandum est, eum,
qui pecuniam exegit, vt depositum restitueret, cogi eádem pecuniam restituere. Sic enim Labeo [e]
scribit: Potes agere depositi cum eo, qui tibi non aliter quàm numis à te acceptis, depositum red-
dere voluerit: quamuis sine mora & incorruptum reddiderit.

a L. si duo heredes. D. deposi.
b L. 1. §. heres eius. D. commod.
c L. 1. §. si sic deposue-ro. D. deposi.
d L. si quis vel pecu-nias. C. deposi.
e L. vlt. D. deposi.

¶ *Dolo commiserit.*] Vel in assetuanda re, vel restituenda. Nam & tenetur, si alteri quàm opor- 7
tuit, dolo restituerit [f]. Quinimo & qui dolum aliquando commisisset, quanuis iam videretur eum
purgâsse, tamen eum teneri responsum est. Sic enim scribit Vlpianus [g]: Si rem depositam vendi-
disti, eamque postea redemisti in causam depositi: eam si sine dolo malo postea perierit, teneri te
depositi, quia semel dolum fecisti, cùm venderes. ¶ *Id est, desidia & negligentiæ.*] Rectè Iustinianus
hanc interpretationem addidit: quia sit alia culpa versutiæ dolo proxima, vt cùm quis suatum re-
rum custos diligēs, alienas negligit: quam culpam præstare debetis, qui depositum recepit [h]. Pau-
lus hunc locum his verbis explicat [i]: Negligentiæ nomine ideo non tenetur, quia qui negligenti
amico rem custodiendam committit, de se queri debet. magnam tamen negligentiam placuit in 8
doli crimen cadere. ¶ *Non tenetur.*] Si quis tamen se deposito obtulerit: & dolum & culpam præ-
stabit. at non etiam fortuitos casus: nisi eorum periculum nominatim in se susceperit [k]. ¶ *Itaque* 9
securus est.] Adeò vt nec cogi possit cauere se restituturum quod amisit, si id postea fortè nactus sit:
quanquam tum reuera cogatur restituere. Sic enim Paulus respondit [l]: Si sine dolo malo rem de-
positam amiseris, nec depositi teneris, nec cauere debes, si deprehenderis, eam reddi: si tamen ad te
iterum peruenerit, depositi teneris.

f L. 1. si rē à seruo de-positam. D. deposi.
g d. l. 1. §. siuē deposita.
h L. quod Nerua. D. deposi.
i L. 1. §. is quoque. de act. oblig.
k d. l. 1. §. sæpe euenit.
l L. si sine. D. deposi.

§. Creditor.

1 *In actione hypothecaria non opus esse traditione.*
2 *Quid, si pignus pluris venditum sit, quàm creditori debebatur?*
3.4.5 *Pignus soluto debito repeti quomodo possit?*
6 *In actionem pigneratitiam quid veniat?*

¶ *Qui pignus accepit.*] Hic obscurè significatur traditio, ob quam hæc obligatio dicitur re con-
trahi. & quomodo tandem alioqui debitor pignus repeteret, si non tradiderit? Cæterùm quod at-
tinet ad actionem hypothecariam, quæ creditori datur ad pignoris persecutionem, non ita opus 1
est traditione. ¶ *De ea re.*] Simul & eius accessionibus fructibúsve [m], nō modò perceptis, sed & qui
percipi debuerunt, & creditoris dolo vel culpa non sunt percepti [n]. Si tamē sint fructus ciuiles, qui
permutationem recipiant, veluti pensiones pecuniariæ, quia ipso iure imputãtur in sortem, fiunt 2
creditoris [o]. Porrò cum fructibus repeti posset residuum precium, si fortè res pignori data, vendi-
ta fuerit à creditore pluris quàm ei deberetur [p]. ¶ *Restituenda.*] Persoluto debito, vel oblato, vel
consignato, modò semper in solidum. Tum enim demum pignus repeti potest, cùm integrum de-
bitum est persolutū [a]. Est enim liberatio pignoris indiuidua. Sed perfecta semel solutione, totum 3
liberatur, rescisso etiam iure secūdi creditoris, cui fortè primus creditor rem oppignerauerat [b]. Sed
& si creditor rem sibi pignori datam vendidisset, non obseruatis ijs, quæ in distrahendis pignori- 4
bus celebrari consueuerunt; rescriptum est [c]; Debitore offerēte pecuniam, cogi emptorem pignus
restituere cum fructibus. Porrò repeti potest pignus, etiam si apud creditorem quadraginta annis 5
fuerit. neq; enim eiusmodi præscriptione tolli potest hæc actio pigneratitia, quæ ante solutionem
nata non fuit. Sed nec ius ipsum soluendi: vtpore quod ad socium non pertinet, nec quicquam ha
bet commune cum ipso petendi agendíve iure, quod fortè posset tolli longissimo tempore.

¶ *Sed quia pignus.*] Hæc ratio generaliter probat leuem culpam præstari [d].
¶ *Placuit sufficere.*] Vlpianus agens de actione pigneratitia, inquit [e]: Venit autem in hanc a- 6
ctionem dolus & culpa, vt in commodato. venit & custodia. vis maior non venit. Deinde subijcit
Paulus: Ea igitur quæ diligens paterfamilias in suis rebus præstare solet, à creditore exiguntur. Sed
hæc omnia constat pertinere ad creditorem, qui ex conuentione pignus accepit à debitore. Cæte-
rùm tãtum non exigimus à creditore misso in bonorum possessionem propter contumaciam de-
bitoris. Nam hic quodammodo inuitus accipit eiusmodi pignus Prętorium: & si debitor speraret
omnia sua nihilominus in tuto esse, præstante etiam culpam creditore; facilè contemneret totius
missionis incommodum. Rectè itaque Caius [f] scribit: Est quæsitum si deteriora prædia facta fue-
rint siue dolo malo creditoris (nempe eius qui est missus in bonorum possessionem) vel iura eo-
rum

m D. si quis nec causā. § res pignori. D. si cer. pet. cond.
n L. 2. C. de pigno. act. l. 2 C. de par. pign.
o L. 1. C. de pigno. act.
p L. quamuis. §. vlt. l. si conuenerit. 2. § 5. de pigno. act.
a L. si rem §. omnis. D. illo tit.
b L. debitor. §. soluta. illo tit.
c L. 1. l. cum contra. D. si vend. pigno. ag.
d L. si vt certo. §. nunc videndum. D. cōmo. l. contractus. de regu. iur.
e L. si cùm venderet. §. vlt. de pig. act.
f L. Prætor ait. §. est præterea. de rebus au-to. iud. poss.

rum amissa, vel ædificia diruta, vel exusta: item familiæ pecorumque acta cura non sit, aut possessio alij tradita, sine dolo malo tamen, creditor an teneatur. Et apparet eum non teneri: quia dolo malo careret, eritque melior eius conditio, quàm creditoris in pignore, qui non tantùm dolum malum, verùm culpam quoque debet. Deinde addit idem Caius; Eandem causam esse curatoris bonorum. Nam & istum teneri vt creditorem. Quod intelligendum est de creditore, qui ex conuentione pignus accepit, de quo proximè Caius egerat. Et aperta est ratio similitudinis: quòd bonorum curator magis alienum negocium gerat, & suscipiat curam alienorũ bonorum. Id quod non satis vulgò animaduertitur.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Stipulationis autoritas olim Romæ quanta?*
2 *Solennis verborum formula in stipulationibus.*
3 *Iurisconsulti nimium religiosè in stipulationum formulis aliquando hæsisse.*
4 *Stipulationis obligationem ad omnes fere contractus pertinere.*
5 *Ex nudis pactis quomodo non nascatur obligatio?*
6 *Nouissima parte pactorum veteres inseruisse stipulationem.*



AGgreditur Iustinianus secundam obligationum ex cõtractu proficiscentium speciem, eam scilicet, quæ verbis constat; quam Stipulationem dicimus. Cuius quanta semper
1 *fuerit vis & authoritas apud Romanos, eleganter ostendit Cicero in oratione pro Cecinna, his verbis; Si quis quod spopondit, qua in re verbo se vno obligauit, id non facit maturo iudicio, sine vlla religione iudicis condemnatur. Videtur autem antiquissima esse ipsa verborum formula & conceptio, qua constat stipulatio. Nam olim eam in feriendo fœdere obseruari voluit Tullus Hostilius. Et leges antiquissimas dicimus rogatas, quòd is qui legẽ ferret, populum interrogaret: rogatusq́ populus responderet. Sed nec quicquam magni momenti cõuocato po-*
2 *pulo fiebat, citra solennem hanc verborum formulam; Velitis aut nolitis Quirites: Volumus aut nolumus. Nuptiæ quoque non contrahebantur sine stipulatione atque sponsione. Porrò Tullius in Topicis fatetur infinitum esse persequi omnes formulas stipulationum. Et lib. 1. de Legib. indicat eas es-*
3 *se humiliores, quàm vt sint à viro graui pluribus verbis explicandæ. Ac sanè videntur nostri Iurisconsulti nimium aliquando religiose in iis hæsisse. Verùm quod attinet ad ipsam, quæ cõtrahitur, ob-*
4 *ligationem: certè digna est, quæ diligenter explicetur. Nã & in vsu est quotidie, & eius vis latissimè patet: pertinetq́ ad omnes fere contractus. Paulus ait inuentam esse stipulationem firmandarũ obli-*
5 *gationum causa. Notum ex pactis nudis obligationem non nasci. Eoq́ pertinet quod Seneca lib. 2. de Benef. quæ (inquit) Lex nos obligat ad id præstandum quod promisimus? Nulla. Nempe nimis captiosum fore visum est, si, quod leuiter & vltrò plerunque effutimus, tanquam seriò promissum præstandum esset. Sed vbi interrogatio præcedit, deliberata magis & seria esse grauisq́ videtur promissio*
6 *respondentis. Idem Paulus ait, veteres solitos esse nouissima parte pactorum inserere stipulationem[a].* a L. Iurisgentium §. quod fere de pact.
Nam & plerunque iustis contractibus adiiciebatur, vel vt principem principalemq́ locum obtineret, nec alia quàm verborum obligatio & ex stipulatu actio esset, & tota conuentio in eius nomen transiret, vel etiam vt tanquam appendix & accessio esset.

De verborum obligationibus, Titulus XV.



VERBIS obligatio contrahitur ex interrogatione & responsione, cùm quid dari fieriue nobis stipulamur. ex qua duæ proficiscũtur actiones, tam conditio certi, si certa sit stipulatio, quàm ex stipulatu, si incerta sit. quę hoc nomine inde vtitur, quòd stipulum apud veteres firmum appellabatur, fortè à stipite descendens.

In hac re olim talia verba tradita fuerunt, SPONDES? SPONDEO. PROMITTIS? PROMITTO. FIDEPROMITTIS? FIDEPROMITTO. FIDEIVBES? FIDEIVBEO. DABIS? DABO. FACIES? FACIAM.

Vtrum autem Latina, an Græca, vel qualibet alia lingua stipulatio concipiatur, nihil interest: scilicet si vterque stipulantium intellectum eius linguę habeat: nec necesse est eadem lingua vtrunque vti, sed sufficit congruenter ad interrogata respondere. Quinetiam duo Græci Latina lingua obligationem contrahere possunt.

Sed hæc solennia verba olim quidem in vsu fuerunt: posteà autem Leonina Cõstitutio lata est, quę solennitate verborum sublata, sensum & consonantem intellectũ ab vtraque

parte solùm desiderat, quibuscunque tandem verbis expressum est. Omnis stipulatio, aut purè, aut in diem, aut sub conditione fit. Purè, veluti, QVINQVE AVREOS DARE SPONDES? Idque confestim peti potest. In diem, cùm adiecto die, quo pecunia soluatur, stipulatio fit: veluti, DECEM AVREOS PRIMIS CALENDIS MARTIIS DARE SPONDES? Id autem, quod in diem stipulamur, statim quidem debetur: sed peti prius, quàm dies venerit, non potest. at ne eo quidem ipso die, in quem stipulatio facta est, peti potest: quia totus is dies arbitrio soluentis tribui debet. Neque enim certum est eo die in quem promissum est, datum non esse, priusquàm is prætererit.

At si ita stipuleris, DECEM AVREOS ANNVOS QVOAD VIVAM DARE SPONDES? Et purè facta obligatio intelligitur, & perpetuatur: quia ad tempus non potest deberi: sed hæres petendo, pacti exceptione submouebitur. Sub conditione stipulatio fit, cum in aliquem casum differtur obligatio: vt si aliquid factum fuerit, vel non fuerit, committatur stipulatio: veluti, SI TITIVS CONSVL FVERIT FACTVS, QVINQVE AVREOS DARE SPONDES?

Si quis ita stipuletur, SI IN CAPITOLIVM NON ASCENDERO, DARE SPONDES? perinde erit, ac si stipulatus esset, cùm moreretur, sibi dari. Ex conditionali stipulatione tantùm spes est debitum iri: eamque ipsam spem in hæredem transmittimus, si prius quàm conditio extet, mors nobis contigerit.

Loca etiam inseri stipulationi solent, veluti, CARTHAGINI DARE SPONDES? quæ stipulatio licet purè fieri videatur: tamen re ipsa habet tempus adiectum, quo promissor vtatur ad pecuniam Carthagini dandā. Et ideo si quis Romæ ita stipuletur, HODIE CARTHAGINI DARE SPONDES? inutilis erat stipulatio, cùm impossibilis sit repromissio.

Conditiones, quæ ad præsens vel præteritum tempus referuntur, aut statim infirmāt obligationem, aut omnino non differunt: veluti, SI TITIVS CONSVL FVIT, vel, SI MAEVIVS VIVIT, DARE SPONDES? Nam si ea ita non sunt; nihil valet stipulatio. Sin autem ita se habent: statim valet. Quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint.

Non solùm res in stipulatum deduci possunt, sed etiam facta: vt si stipulemur aliquid fieri, vel non fieri: & in huiusmodi stipulationibus optimum erit pœnam subiicere, ne quantitas stipulationis in incerto sit, ac necesse sit actori probare, quod eius intersit. Itaque si quis, vt fiat aliquid, stipuletur, ita adiici pœna debet, SI ITA FACTVM NON ERIT, TVNC POENAE NOMINE DECEM AVREOS DARE SPONDES? Sed si quædam fieri, quædam non fieri, vna eademque conceptione stipuletur quis: clausula huiusmodi erit adiicienda, SI ADVERSVS EA FACTVM ERIT, SIVE QVID ITA FACTVM NON FVERIT, TVNC POENAE NOMINE DECEM AVREOS DARE SPONDES?

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Stipulationem non confici, nisi loquente vtroque.
2 In stipulatione præcedit interrogatio, & sequitur responsio.
3 Stipulationis definitio.
4 Inter stipulationem, & constitutum nudo pacto cōtractum differentia quæ?
5 Summa stipulationum diuisio quæ?
6 Certi condictio ex quibus caussis competat?
7 Incertis contractus qui?
8 Vbi incerti agendum?
9.10 Certa & incerta stipulationes quæ?
11 Stipulationem aliquando certam & incertam simul esse.
12.13 Stipulatio vnde dicta?
14 Olim nouissima parte pactorum qualia verba inserta fuerint?
15 Sponsio pro stipulatione vsurpatur?

V*Erbis obligatio contrahitur.*] Principium huius tituli descriptum videtur ex eo Pauli responso[a], ex quo totus ferè superior titulus, De obligationibus, quæ re contrahuntur, descriptus est. Vt autem intelligamus quàm sint hic necessaria verba, addendum est hoc Vlpiani responsum[b]: Sti- 1
pulatio non potest confici nisi vtroque loquente. Et ideo neque mutus neque surdus, neque infans stipulationem contrahere possunt: nec abiens quidem, quoniam exaudire se inuicem debēt. Paulo pòst addit idem Vlpianus, nec eum obligari, qui stipulanti sine verbis annuit, quanquam in iis contractibus qui non tam verbis quàm consensu confirmantur, non obsit ad interrogationem aliquem non respondisse[c]. ¶ *Ex interrogatione, & responsione.*] Eo ordine, quem naturalis ratio sermonis exigit; vt præcedat interrogatio, sequatur responsio[d]. Sic imperator Antoninus, vt 2
rectè fiat promissio, vult interrogationem præcedere[e]. Idque etiam satis colligi potest ex definitione

a L.1 §. verbis. de obl. & oblig.
b L.1 de verb. oblig.
c L. si stipuler. §. vlt. de verb. oblig.
d L. obligamur § verbis. de obl. & oblig.
e L.3. C. de vsur.

3 tione ſtipulationis, quam Pomponius tradidit his verbis [a]: Stipulatio eſt verborum conceptio,
quibus is qui interrogatur, daturum futurúmve ſe id, quod interrogatus eſt, reſpondet. Sed quid
ſi reſponſum ſit imperſonaliter, Dabitur, fiet? Certè Iuſtin. Nou. 115. ad fi. nullam eſſe ait de conſti-
tuta pecunia obligationem, ſi quis ἀπροσώπως [imperſonaliter] dixerit; ſatisfiet tibi; aut ſimili a-
liquo verbo vſus ſit. Sed perperam vulgò idem dicendum eſſe putant de ſtipulatione. quod qui-
dem vel ex ipſis Comicis intelligi poteſt. Plautus in Pſeudolo, Nullum periculum eſt (inquit) ſti-
pularier, vt concepiſti verba: Viginti minas dabin'? Dabuntur. Hoc quidem actum eſt, haud ma-
4 lè. Neque obſcura eſt ratio diſcriminis inter conſtitutum nudo pacto contractum, & ſtipulatio-
nem, in qua perſona expreſſa in interrogatione ſatis intelligi tacitè poteſt repetita in reſponſione:
& obſcuram ſtipulationem ita potius interpretari debemus, vt valeat.

a L.5.§.ſtipulatio. de verbo. oblig.

5 ¶ *Dari fieríve.*] Latet hic prima ſummaque ſtipulationum diuiſio. Stipulationes enim vel in
dando vel in faciendo conſiſtunt, vt docet Paulus [b]. *Si certa ſit ſtipulatio.*] Paulus agens de certi
condictione, inquit [c]: Certum eſt, cuius ſpecies vel quantitas, quæ in obligatione verſatur, aut no-
mine ſuo, aut ea demonſtratione, quę nominis vice fungitur, qualis quantáve ſit, oſtenditur. Por-
6 rò docet Vlpianus [d], certi condictionem competere ex omni cauſa, & ex omni obligatione, ex
7 qua certum petitur: ſiue ex certo contractu petatur, ſiue ex incerto. Vocat autem incertum con-
tractum, cuius obligatio variari poteſt arbitrio debitoris: ſed tamen aliquando certam habet pe-
titionem. Vt ſi ſtipulatus factum, ſubiiciam ſtipulationem certæ pœnæ, ſi non fiat. Hic eſt incerta
obligatio, quia poteſt non facere debitor: ſed tum certa eſt petitio, nempe certæ pœnæ. Quod ſi de
8 certa pœna conuentum non eſſet: ratione eius quod intereſt, quia id incertum eſt, eſſet incerti a-
gendum [e], nempe actione ex ſtipulatu, ex qua incertum rectè petitur, veluti id quod intereſt [f]. Fe-
rè hic prætericram, quod eſt omnino huius loci, aliud Pauli reſponſum, cuius verba ſunt hæc [g]:
9 Stipulationum quædam certæ ſunt, quædam incertæ. Certum eſt, quod ex ipſa pronunciatione
apparet quid, quale, quantúmque ſit. Vt ecce, aurei decem, fundus Tuſculanus, homo Stichus
tritici Africi optimi modij centum, vini Campani optimi amphoræ centum. Deinde ſubiicit Vl-
10 pianus: Vbi autem non apparet, quid, quale quantúmque ſit in ſtipulatione, incertam eſſe ſtipu-
lationem dicendum eſt. Addit poſtremò, eſſe aliquando ſtipulationem certam ſimul & incertā.
11 Nam qui ſortem ſtipulatur & vſuras quaſcunque: certum & incertum ſtipulatus videtur. Sed tot
hìc ſunt ſtipulationes, quot ſunt res.

b L.2.D.illo tit.
c L.certū eſt D. ſi cert. pet. condict.
d L.certi condictio.D. ſi cert. pet. condict.
e L.vlt.D. ſi quis in ius. voca. non ier.
f L.ſi quis certū.D.ſi cer. pet. cōdict. L.ſi pœna 68. de verb. oblig.
g L.ſtipulationū quædā certæ de ver. obli.

¶ *Quod ſtipulum apud veteres.*] Ne quis nouum hoc etymum temerè aſcribat commento Tribo-
12 niani, ſciendum eſt id reperiri libro quinto Sententiarum Iulij Pauli, titulo octauo, vbi ita ſcri-
ptum eſt: Obligationum firmãdarum gratia ſtipulationes inductæ ſunt, quæ quadam verborum
ſolennitate concipiuntur: & appellatæ, quòd per eas firmitas obligationum conſtringitur. Sti-
pulum enim veteres firmum appellauerunt.

¶ *Fortè à ſtipite.*] Ita omnino legit hic Theophilus. Atqui prima ſyllaba ſtipitis producitur, cùm
13 in ſtipulationis verbo corripiatur. Alij legunt, A STIPE, quod M. Varro, lib. 1. de lingua Latina,
tradere videatur ſtipulationem eſſe dictam à ſtipe, hoc eſt, pecunia. Sic enim ſtipulari dicebatur,
qui ſtipem pecuniámve rogabat. Alciatus verò lib. 1. παρέργων, cap. 39. legendum Græcè putat, ἀπὸ
τοῦ στιφροῦ, quòd apud Græcos στιφρὸν ſignificet firmum ac ſolidum.

¶ *Olim talia verba.*] Scribit Vlpianus [h], Olim nouiſsima parte pactorum ſolita inſeri hæc verba:
14 Rogauit Titius, Spopondit Mæuius: iiſque ſtipulationem ſignificari. Alibi dictum eſt; ſponſionẽ
15 dici ſolere de ſtipulatione [i]. & ſæpe legimus, nomine ſponſionis notatam ſtipulationem [k]. Vnde &
ſponſalia dicta ſunt, quòd per ſtipulationem contraherentur [l]: Id quod etiam apud Gel. lib. 4. cap.
4. docet Seruius Sulpitius.

h L.iuriſgētiū §.quod fere de pact.
i L.ſponſio.de ver.ſign.
k L.ſciēdū tamē §.dictum.de Aedil.edict.
l L.1. de ſponſalib.

§. *Vtrum autem.*

1.2 Diuerſitas idiomatum ſiue linguarum ſtipulationẽ quatenus non vitiet?

3.6 Romanis & Gallis olim Græca lingua vſus familiaris fuit.

4 Decreta à Prætoribus Latinè tantum interponenda fuiſſe.

5 In Gallia ſententias Senatus lingua Gallica conſcribendas eſſe.

7 De priſca in ſtipulationibus ſolennitate verborum multum eſſe iam olim remiſſum.

8.10 Cedere diem, & venire diem, quid?

9 Vbi dies tacitè ſolum ineſt, pura manet obligatio.

11 Diei adiectionem pro reo eſſe, non pro ſtipulatore.

12 Præſtitutio diei futura intelligitur de vltimo eius momento.

¶ *Vtrum autem.*] Totius huius loci optimus interpres eſt Vlpianus, cuius verba ſunt hæc [m]: Ea-
1 dem an alia lingua reſpondeatur, nihil intereſt. Proinde ſi quis Latinè interrogauerit, & reſpon-
deatur ei Græcè; dummodo congruenter reſpondeatur, obligatio conſtituta eſt. Idem per contra-
rium. Sed vtrum hoc vſque ad Græcum ſermonem tantùm protrahimus, an verò & ad alium, Pœ-
num fortè vel Aſſyrium. vel cuiuſuis alterius linguæ, dubitari poteſt. & extat ſcriptura Sabini. Sed
2 verum patitur. vt omnis ſermo contineat verborum obligationem: ita tamen, vt vterque alterius
linguam intelligat, ſiue per ſe, ſiue per verum interpretem. Verum interpretem vocat, qui vtriuſ-
que linguā benè calleat, & vtrique alterius ſentẽtiā fideliter exponat. Nā ſi falsò eā referat, nō pote-

m L.1.§.vlt.de verb. oblig.

o 2 rit, cùm

a L. vlt. simen. fal. dix.
b L. Græcè. de fideiuss. l. fideicommiss. de leg. 3. l. vlt. C. de testa. tut.
c L. decreta. de re iud.

rit, cùm desit consensus, cõtrahi obligatio. Et posset sic interpres teneri, si alterius interesset, vt mẽ-
sor, qui falsò renunciauit [a]. Porrò in orbe Romano non minus popularẽ fuisse vsum Græcæ quàm
Romanæ linguæ dubium nõ est. Itaque & Romæ cõtractus & testamẽta plerunque Grecè conscri- 3
bebantur: & id rectè fieri posse sæpe responsum est [b]. Nam & Iurisconsulti non dubitabant suos sæ-
pe de Iure Romano libros Grecè scribere. Decreta tamen à Prætoribus Latinè interponenda erant, 4
vt ait Tryphoninus [c]. sicuti & hodie Lex Regia apud Gallos iubet lingua Gallica conscribi sentẽ- 5
tias & aresta Senatus. Sanè olim Gallos quoque lingua Græca tabulas suarum conuentionum 6
conscripsisse testis est Strabo lib. 4.

d L. omnes C. de contrah. & commi. stip.
e Dist. l. 1. §. si quis ita.

¶ *Sed hæc.*] Hæc correctio referenda est ad certas illas verborum formulas, quas olim in hac re
traditas fuisse dixit paulo antè Iust. ¶ *Leonina Constitutio.*] Extat adhuc hæc Leonis Imperatoris
constitutio, his verbis [d]: Omnes stipulationes, etiamsi non solennibus vel directis, sed quibuscun-
que verbis, consensu contrahentium compositæ sint, vel legibus cognitæ, suam habeant firmita-
tem. Sed & ante Leonem videtur multum fuisse remissum de prisca illa certorum verborum so- 7
lennitate. Nam Vlpianus tradidit [e], ratam esse obligationem, si quis interrogarit, Dabis? & alter
responderit, Quid ni?

f L. quod dicimus. de solutionib.
g §. vlt. inst. de inutilib. stipulat.
h L. cedere diem. de verb. significat.

¶ *[...] confestim.*] Quod tamen cum aliquo temperamento intelligendum est, nec enim cum
sacco statim adire debet, inquit Paulus [f]. Vnde & postea ipse Iustinianus [g], Si fundum (inquit) da-
ri stipuleris, vel hominem, non poteris continuò agere, nisi tantum spacium præterierit, quo tra-
ditio fieri posit. ¶ *Peti potest.*] Inquit Vlpianus [h]: Vbi purè quis stipulatus fuit: & cessit & venit
dies. Cedere autem diẽ, significat incipere deberi pecuniam: venire diem, significat eum diem ve- 8
nisse, quo pecunia peti posit.

i L. interdum. de verb. oblig.

¶ *Cum adiecto die.*] Vbi dies expressim non adiicitur, sed solùm tacitè inest, pura manet obliga- 9
tio. Sic enim respondit Paulus [i]: Interdum pura stipulatio ex re ipsa dilationem capit: veluti si id
quod in vtero sit, aut fructus futuros, aut domum ædificari stipulatus sit. tunc enim incipit actio,
cùm ea per rerum naturam præstari potest.

k L. eũ qui Calẽdis. de verb. oblig.
l Dist. l. cedere diem.
m L. centesimis. de verb. obligat.

¶ *Primis Calendis Martiis.*] Inquit Vlpianus [k]: Eum, qui Calendis Ianuariis stipulatur, si adiiciat
primis aut proximis, nullam haberẽ dubitationem palàm est. Si autem non addat, quibus: facti
quæstionem inducit, quid fortè senserit, hoc est, quid inter eos actum sit. Vtique enim hoc sequi-
mur, quod inter eos actum est, easque assumemus: Si autem non appareat, dicendum est (quod
Sabinus ait) primas Calendas Ianuarias spectandas. ¶ *Statim quidem*] Inquit Vlpianus [l]: Vbi in 10
diem quis stipulatus fuit, cessit dies, sed nondum venit. Apertius Paulus [m] ait: Centesimis Calen-
dis dari vtiliter stipulamur: quoniam præsens obligatio est, in diem autem dilata solutio.

n L. liber homo qui bona fide §. decẽ hodie de verb. oblig.

¶ *Ac ne eo ipso quidem die.*] Aliud tamẽ esset, si nominatim quis stipulatus esset, hodie dari. Id quod
Papinianus explicat his verbis [n]: Decem hodie dare spondes? Dixi posse vel eodem die pecuniam
peti: nec videri præmaturius agi non finito stipulationis die. (quod in aliis temporibus Iuris est.
nam peti non debet, quod intra tempus comprehensum solui potest.) In proposito enim, diem
non differendæ actionis causa insertum videri, sed quo præsens ostendatur, responsum est.

o Dist. l. eũ qui §. vlt.

¶ *Quia totus is dies.*] Vlpianus ait [o], diei adiectionem pro reo esse, non pro stipulatore. Et quod 11
hic de Calendis dicitur, idem etiam in Idibus & in Nonis est probandum, & generaliter in omni-
bus diebus. Deinde subiicit Pomponius: Qui hoc anno aut hoc mense dari stipulatus sit: nisi om-
nibus partibus anni vel mensis præteritis, non rectè petet. Nec sanè nouum est, præstitutionem 12
diei futuræ, intelligi de vltimo eius momento, vsque quod dies illa dici posit. Id quod sciuit Spu-
rina ille Aruspex, qui cùm monuisset Iulium Cæsarem vt sibi caueret Idibus Martiis: & Cæsar Idi-
bus eum irrideret, quòd eç adessent sine noxa: grauiter respondit, Venerunt quidem, sed nondum
præterierunt.

p L. quod quis. de act. & obli. l. quod in diẽ. de solut. l. stipulatio ista. §. inter. de verb. obligat.
q L. quicquid astringendæ. §. si stipulatus. de verb. oblig.

¶ *Arbitrio soluentis.*] Sic videlicet vt ei sit liberum, si volet, prius soluere, & diem præuenire, qui
adiectus intelligitur eius fauore [p]. ¶ *Neque enim certum.*] Huc pertinet hoc Celsi responsum [q]: Si
stipulatus hoc modo fuero, Si intra biennium Capitolium non ascenderis, dari? non nisi præteri-
to biennio rectè petam. Nam etsi ambigua verba sunt, sic tamen exaudiuntur, si immutabiliter
verum fuerit, te Capitolium non ascendisse.

§. *At si ita.*

1 *Promittis 10. aureos annuos? quid contineat?*
2 *Quid, si dixeris, 10. aureos, quoad viuam?*
3 *Iure obscura magis fauetur debitori.*
4 *Legatis conuenire liberaliorem interpretationem.*
5 *Cum in annos singulos legatur, plura esse legata.*
6 *An vna sit stipulatio, quæ certa annorum enumeratione diuisa est.*
7 *Obligationem ad tempus constitui non posse.*

h L. si Stichum. §. hæc stipulatio. de verbo. oblig. l. veteris C. de contra. stip.

¶ *Decem aureos annuos quoad viuam.*] Hæc ita clarè expressa nihil habent dubitationis aut scrupuli. 1
Cæterùm si simpliciter stipuleris, decem aureos annuos, dubitari posset. Sed verius est, perpetuam
esse obligationem, summotaque omni exceptione ad hæredes transire [h]. Quòd si dixeris, Decem 2
aureos, quoad viuam: hîc primùm inspiciamus rei circunstantias, ex quibus coniiciendum est,
quid senserint contrahentes. vt si de alimentis agatur, intelligantur aurei decem annui. Alioqui
in dubio non temerè intendemus obligationem; sed potius in gratiam debitoris, cui in re ob- 3
scura

ſcura magis fauetur, ita interpretabimur, vt non niſi ſemel decem debeantur, quaſi ſtipulatus eſ-
ſes me tibi fortè obligatum ſemel decem dari, quandocuoque ſuperſtes & viuus petieris. Idque
videtur ſenſiſſe Iulianus, cùm ait[a]: Qui ita ſtipulatur; Decem quoad viuam, dare ſpoodes? con- a L. cum qui ita. §. qui
feſtim decem dari rectè petit: ſed hæres eius exceptione pacti conuenti ſummouendus eſt. Idem- ita. de verb. oblig.
4 que eſſe exiſtimârant Labeo & Trebatius in legatis. Sed Iabolenus contrà ſentit, ratus (opinor) b L. in teſtamento. de
iis magis conuenire liberalem interpretarioœm[b]. Iaboleni verba ſunt hæc[c]: Legatum ita eſt, At- reg. iur.
tiæ donec nubat, quinquaginta damnas eſto hæres meus dare: neque aſcriptum eſt, in annos ſin- c L. legatum ita. de
gulos: Labeo & Trebatius præſens legatum deberi putât. ſed rectius dicetur, id legatum in annos annu. lega.
ſingulos videri. Sed & cùm alicui, quâdiu viuat, legatus eſſet viusfr. reſpōdit Vlpianus[d], videri re- d L. ſi annos. vnde §. cum
petitum, quoties amiſſus erit. ¶ *Et purè facta obligatio.*] Atque etiam vnica[e], ſic vt ſi agatur de eius tractatum D. quib. ad. viusfr. ami.
conditione, ſolùm inſpiciatur contractæ primum ſtipulationis tempus: nec noceat, ſi quid poſtea e L. ſi Stichū. §. ſtipulatio. de verb. obli.
5 ſit mutatum[f]. Sed aliud ſtatuitur de annuo legaro: quia nec id vnum eſt. Sic enim Paulus ſcribit[g]:
6 Cùm in annos ſingulos legatur: plura eſſe legata placet. & per ſingula legata ius capiendi inſpicie- f L. ſi filius. de ver. ob.
tur. Sanè nec ſtipulatio vna videtur, quæ certa ipſorum annorum enumeratione diuiſa eſt. Vt ſi g L. cum in annos. de annu. lega.
quis ita ſtipuletur, Annua, bima, trima die decem aureos dare ſpondes? Nam hic tres eſſe iudican-
tur trium ſummarum ſtipulationes[h]. Sed & ſi quis diſiunctiuè, decem annoua promittat, non pa- h L. plurib. de ver. ob.
titur libertas diſiunctionis vnam eſſe ſtipulationem. Vnde qui promiſit habitationem vel in an-
nos ſingulos decem: habet (inquit Trebatius[i]) mutandæ voluntatis poteſtatem: ſingulisque an- i L. ſi ſterilis. §. qui domū. de act. empt.
nis alterutrum præſtare poteſt: nempe quia plures ſunt ſtipulationes.

¶ *Et perpetuatur.*] Sic nempe vt ſummo iure ad hæredes tranſeat, ſicut tranſire ſolent omnes ob-
ligationes[k], quæ ipſo tempore deſinere non poſſunt. Rectè itaque Paulus[l]: placet ad tempus obli- k L. veterum. C. de cōtrah. ſtipul.
7 gationem conſtitui non poſſe, non magis quàm legatum, nam quod alicui deberi cœperit, certis l L. obligationū ferè §. placet. de act. & obli.
modis deberi deſinit. Planè poſt tempus ſtipulator, vel pacti conuenti, vel doli mali exceptione
ſummoueri poterit.

§. *Sub conditione. cum §§. ſeq.*

¶ *Sub conditione.*] Agit hîc Iuſtinianus de conditione expreſſa & vt (loquuntur) extrinſeca. Sed
1 notandum eſt, eſſe quoque tacitas quaſdam & intrinſecas conditiones, quæ obligationem diffe-
rant, licet purè conceptam. Vt ſtipulatio dotis dandæ, habet hanc tacitam conditionem, ſi nuptiæ
ſequantur[m]: adeò vt etiam ſi dos vltrò data fuerit ante nuptias, iis non ſecutis condici poſſit[n]. Sed m L. item quia §. huius rei. de pact.
& cùm conueniſſet ſortem non petere donec vſuræ ſoluerentur, poſteaque addita eſſet ſimplex ſti- n L. qui ſe dotem §. vlt. de cōd. cau. da. l.
pulatio non petendæ ſortis, conſultus Iulianus reſpondit[o], huic ſtipulationi, licet purè concepta ſi mulier. D. eo tit.
videatur, ineſſe tacitam illam conditionem, donec vſuræ ſoluantur. ¶ *Differtur obligatio.*] Nam o Dict. l. item quia §. idem Iuliano.
2 pendente conditione neque ceſsit, neque venit dies[p].
3 ¶ *Si aliquid factum fuerit, vel non fuerit.*] Separanda ſunt hæc, vt ad diuerſas conditiones pertineât: p L. cedere diem. de verb. ſignif.
ſitque hæc vna conditio; Si quid factum fuerit. Altera; Si non fuerit. Alioqui ſi vtranque iungas,
& diſiunctiuè referas ad vnam & eandem obligationem; pura erit, non conditionalis obligatio.

¶ *Si in Capitolium non aſcendero.*] Hoc eſt. ſi nunquam aſcendero. Cæterùm ſi hic tempus aliquod
certum eſſet aſcriptum, veluti ſi intra biennium Capitolium non aſcendero, elapſo biennio rectè
petetur. ¶ *Perinde erit.*] Neque enim prius certum eſt, me Capitolium aſcendere non poſſe. Hic-
4 que notandum eſt, in contractibus non habere locum Mutianam cautionem, præterquam in ſti-

latione vsusfru. qui alioqui inutiliter constitueretur in tempus mortis, cùm ad hæredes non trás-
eat[a]. Cæterùm in vniuersum habet locú Mutiana cautio in hæreditatibus & legatis sub cõditione,
quæ in faciendo concepta est, relictis[b]: cùm saltem conditio talis est, quæ non nisi morte eius, cui
ascripta est, finiatur, siue hoc fine vitæ primùm impleatur, vt est apud Iulianum & Papinianum[c].
Sed de huius generis cautione plura dicemus alio loco.

¶ *Ex conditionali.*] Cùm hic generaliter de conditione loquatur Iustinianus, meritò reiicitur
commentum vulgaris distinctionis, quæ tradit hunc locum tantùm pertinere ad conditionem
(vt loquuntur) casualem aut mixtam, non autem ad eam, quæ in potestate nostra fuerit: quasi e- 5
ius implendæ facultas ad hæredes non transeat. atqui tamen contrà in iure nostro sæpe legimus
eam non esse denegatam hæredibus[d]. Nam & per alium impleri posse eiusmodi cõditionem con-
stat[e]. Et dummodo is finis seruetur, propter quem apposita est, cur non omnino possit ab alio im-
pleri, qui sustineat referatque personam rei obligati siue contrahentis. Interea tamen fatendum
est, conditionem, quæ prorsus adhæret personæ, non posse ab ea separari: sed cum ea perire, cùm 6
magna sit inter personas differentia[f]. Sicuti & vbi ageretur de ea re, quæ ad hæredes transire non
solet. Quod etiam iudicamus de conditione, quæ in sola voluntatis declaratione consistit. Veluti
si quis stipuletur decem, si ea petierit[g]. Neque verò dissimulo non satis inter veteres Consultos 7
conuenisse in vniuersum, vtrùm facultas conditionis quæ in potestate debitoris erat, ad eius hæ-
redem transeat. Vlpianus[h] Non vtimur, inquit, Labeonis sententia, qui existimauit, si arbiter
aliquam pecuniam dari iusserit. & is decesserit, antequam daret, pœnam committi, licet hæres e-
ius paratus sit offerre Et sanè dura erat hæc Labeonis sententia, & magis ex summo quodam stri-
ctoque iure, quàm ex æquo & bono: præcipuè cùm de pœna committenda ageretur. Si hoc peri-
culum non subesset potuisset fortassis Labeonis sententia admitti. Sicuti Vlpianus[i] ipse, cùm fi-
deiussor hoc modo acceptus esset, SI REVS NON SOLVERIT: si is decesserit, antequam solueris:
quasi commissa stipulatione fideiussorem obligari ait. ¶ *Tantum spes est.*] Sic & Vlpianus[k], Con- 8
ditionales (inquit) creditores dicuntur hi, quibus nondum competit actio, est autem competitu-
ra: vel qui spem habent, vt competat. ¶ *In hæredem transmittimus.*] Sicuti & promissor, qui pen- 9
dente conditione moritur, hæredem relinquit obnoxium eiusdem obligationis periculo[l]. Quòd 10
autem attinet ad legatum aut fideicommissum conditionale, transmittitur quidem periculum
obligationis in hæredes eius, qui oneratus est[m]: at non æquè spes emolumenti in hæredem lega-
tarij[n]. Discriminis huius inter stipulationes & legata, hæc esse videtur ratio: quòd legata nitantur 11
solius testatoris arbitrio: nec quicquam agat legatarius. At stipulatio duorum voluntate constat:
& qui stipulatur, magis videtur etiam hæredibus suis consuluisse[o]. Ac vt intelligas hanc transmis-
sionem pendere à decessore, notandum est quod iam diximus; Onus legati conditionalis transire
in debitoris hæredem. Porrò si legato iungatur stipulatio ad securiorem eius præstationem: ea na-
turam legati, cui adiicitur, assumet. Vnde Vlpianus[p] docens quomodo legatorum nomine ca-
ueatur, Si quis (inquit) sub conditione legatum stipulatus, pendente conditione decesserit, sti-
pulatio euanescit: quia legatum non transmittitur: & huic stipulationi easdem causas & condi- 12
tiones inesse sciendum est. Postremò nec illud præterire possum, quod ad confirmationem supe-
rioris discriminis tradidit idem Vlpianus[a], Eum, cui sub conditione legatum est, pendente con- 13
ditione non esse creditorem; sed tunc cùm extiterit conditio: quanuis eum, qui stipulatus est sub
conditione, placeat etiam pendente conditione creditorem esse.

¶ *Loca inseri stipulationi solent.*] Plura loca vni stipulationi dupliciter inseri possunt. Et si quidem 14
coniunctim adiiciantur, veluti Carthagini & Romæ decem dari, inducitur diuisio, vt pro rata
quolibet loco soluatur[b]. Si verò disiunctim siue alternatiuè, veluti, Carthagini aut Romæ dari,
tunc est quidem in electione creditoris, quo loco petat. Sed quia saltem ante litem contestatam
creditor eligere potest, quo loco soluat: non debet temerè vno aliquo certo loco litem intendere
creditor. priusquam fuerit in aliqua mora debitor, elapso scilicet tanti temporis spacio, quo po-
tuit alium locum adire, ibique soluere.

¶ *In cert.*] Nominatim & expressè. Id enim consultissimum videtur. Quia si omissus fuerit locus,
controuersia est, de quo potissimum intelligi debeat actum. Verius est tamen, quocunque loco
peti posse[c], vbi scilicet alioqui conueniri potest debitor. Nam fori præscriptionem nõ adimit sim- 15
plex promissio dandi. 16

¶ *Solent.*] Est etiam vbi omnino debent. Vt si quis stipuletur domum fieri: omnino debet lo-
cum certum inserere. Alio qui stipulatio non valebit[d]. In vltimis sanè voluntatibus locum ambi-
guè insertum benignius interpretamur, ne incertus maneat. Vt si testator iusserit aliquid in foro
fieri. neque ascripserit in quo foro: Respondit Labeo, probauitque Iabolenus, in eius municipij
foro faciundum, in quo testator domicilium habuerit[e]. ¶ *Re ipsa habet tempus adiectum.*] Inquit
Paulus[f]: Interdum pura stipulatio ex re ipsa dilationem capit. Sic qui Carthagine dari stipulatur, 17
cùm Romæ sit tacitè tempus complecti videtur, quo perueniri Carthaginem potest. hoc autem
tempus arbitrio iudicis præstitui debet. Id quod tradit Venuleius[g] eleganter his verbis: Cùm ita
stipulatus sim; Ephesi dari; inest tempus. Quod autem accipi debeat, quæritur. Et magis est, vt to-
tam eam rem ad iudicem. aut bonum virum remittamus, qui æstimet quanto tempore diligens
paterfa. efficere possit. quod facturum se promisit, vt qui Ephesi daturum se spoponderit, neque
diplomate diebus ac noctibus, & omni tempestate contempta, iter continuare cogatur: neque
tã delicatè progredi debeat, vt reprehensione dignus appareat: sed habita ratione temporis, ætatis,
sexus,

a L. Titio de vsufr.
b L. Mutianæ. de cõdit. & demonstr.
c L. seruo §. si testator. ad Treb. l. Titio fundus. de cond. & dem.
d L. necessario. de peric. & com rei. vẽd.
e L. vlt. de cõd. instit.
f L. inter artifices. de solut.
g L. si decẽ cùm petiero. de verb. obligat.
h L. diem proferre. §. 1. de recep. arb.
i L. fideiussor obligari §. vlt. de fideiuss.
k L. conditionales. de verb. signifi.
l L. si quis si Titius. de verb. oblig.
m L. legatum sub cõditione de condi. & demonst.
n L. vnica §. fin. aut. C. de cadu. toll. l. intercidit. De cõdit. & demonst.
o L. si pactũ. de prob.
p L. 1. § si quis sub conditione D. vt leg. nomi. cauea.
a L. nec cui. de obl. & obligat.
b L. 2. §. si quis ita. 1. de eo quod cer. loco.
c L. 1. de annu. lega.
d L. 3. §. si quis insulã. de eo quod cer. lo. l. qui insulam §. ita stipulatus sum. de verb. obligat.
e L. quæ cõditio. §. vlt de cõd. & dem.
f L. interdũ. de verb. obligat.
g L. cõtinuus § cùm ita. de verb. oblig.

sexus, valetudinis: cùm id agatur, vt maturè perueniat, hoc est eo tempore. quo plerique eiusdem conditionis homines solent peruenire: eoque transacto quamuis Romæ remanserit, nec posit Ephesi pecuniam dare, nihilominus ei rectè condicetur, vel quia per ipsum steterit, quo minus Ephesi daret: vel quoniam per alium Ephesi dare posit: vel quia vbique potest soluere. Quòd si diplomate vsus, aut fœlici nauigatione, maturius quàm quisquam, peruenerit Ephesum, confestim obligatus est: quia in eo quod tempore atque facto finitum est: nullus est coniecturæ locus. Hactenus Venuleius. Certè in iudiciis videtur res expedition, in quibus certum tempus in vniuersum Lex ipsa præstituit, vt videlicet singuli dies dentur viginti millium passuum nomi-
78 ne[a]. ¶ *Inutilis erit stipulatio.*] Aliud est de vltima voluntate, quam nec vitiat imposibilis condi- a L.1.D.si quis caus. l. 3. de verb. signific.
tio. Rectè itaque Proculus ait[b], Si quis seruos, quos Gadibus haberet, eo testamento quod Romæ b L. si mihi & tibi. §. 1. de lega. 1.
morans fecerat, triduo quàm mortuus fuerit, hæredem dare mihi damnauerit: ratum esse legatũ,
& angustias temporis nihil legato nocere. ¶ *Impossibilis est repromissio.*] Nam vt fœlicissima vtaris
79 nauigatione, saltem itinere trium dierum abest à Carthagine Roma. Legimus M. Catonem Censorium fidem in Senatu factutum, quàm non longè abesset ab vrbe Roma ciuitas inimica Carthago: Africanas ficus ostendisse, dixisseque, Fundus ex quo hæc puma lecta sunt, trium dierum nauigatione ab vrbe Roma distat

¶ *Conditiones.*] Hic locus videtur consutus ex multis Iurisconsultorum responsis. Primùm enim
80 Modestinus ait[c]: Conditio in præteritum, non tantùm in præsens tempus relata, statim aut perimit obligationem, aut omnino non differt. Papiniani verò responsum est[d]: Cùm ad præsens tem- c L. conditio. de verb. obligat.
pus conditio confertur, stipulatio non suspenditur. Et si conditio vera sit stipulatio tenet, quan- d L. cùm ad præsens. D. si cer. pet. condit.
uis tenere contrahentes conditionem ignorent: veluti; Si rex Parthorum viuit, centum dare spõdes? Eadem sunt, & cum in præteritum conditio confertur. Et subiicit Scæuola[e]: respiciendum e- e L. respiciendum. D. illo tit.
81 nim est, an (quantum in hominum natura sit) posit sciri, eam debitum iri. Quibus verbis sentit
Scæuola; Rerum naturam intuendam esse, in qua omnia præterita vel præsentia certa sunt; non f L. sed et si restituatur de iudic.
autem nostram inscitiam, quemadmodum alio loco inquiunt Sabinus & Casius[f]. Vnde pasim g L. quũ quidã §. suũ. de acquir hæred.
82 in iure nostro videmus, id quod in rerum natura sciri potest, pro certo haberi[g]. Et dictum est, non
83 esse necessariam hæredis scientiam, vt conditio iuris impleatur. sed sufficere conditionem re ipsa h L. multũ interest de cond. & demonst.
84 extare[h]. Itaque apparet (quod & Papinianus ait[i]) tunc potestatem conditionis obtinere, cùm in i L. itaque D. si cer. peta. cond.
futurum confertur. Itaque sub eiusmodi conditione, quæ ad præsens aut præteritum tempus refertur. posset filiusfa. institui[k]: quia nempe nulla hic sit incertitudo, propter quam non posset fi- k L. institutio talis. in fi. de condi. instit.
liusfa. sub conditione institui: ne quando scilicet ea deficiente videretur præteritus[l]. Porrò quod l L. si pater C de inst. et substi. sub cõdi. fac.
hic dicitur de stipulatione concepta sub conditione rei præsentis vel prætéritæ, etiam pertinere ad vltimas voluntates constat[m]. m L. cùm in secundo. D. iusto. rup. & irrita.

¶ *Statim infirmant.*] Io responso Modestini est, perimunt: sed vtroque verbo intelligimus, ac si dictum esset, consistere non permittunt, reueta autem obligatio, quæ nunquam hic substitit, non n L. 5. D illo tit.
85 potest propriè dici infirmata[n]. Sed καταχρηστικῶς [abusiuè] infirmari dicitur, sicut alibi desinere id o L. 3. §. desinere. de vsufr. quem ad cauе.
quod nunquam cœpit[o]. ¶ *Sed etiam facta.*] Imo & permixtim res factaque simul. Meminit quodam loco Iustinianus mixtæ stipulationis ex dando & faciendo[p]. Eiusmodi est obligatio redden- p L. veteris C. de contrah. stip.
datum rationum, quæ & factum habet, & dationem, nempe reliquorum persolutionem. ¶ *Vel non fieri.*] Veluti per te heredemque tuum non fieri, quo minus mihi ire agere liceat. Nam hoc exemplum frequens est in ore nostris Iurisconsultis.

¶ *In eiusmodi stipulationibus,*] Quæ scilicet cùm factum contineant, non possunt ad summum ab
86 inuito, nisi id quod interest, extundere[a]. Rectè itaque Venuleius[b], In eiusmodi (inquit) stipulatio- a L. stipulatione §. Celsus. de verb. oblig. l. si ab alio. §. vlt. de re iudica.
nibus, quæ quanti ea res est, promissionem habent, commodius est certam summam comprehendere: quoniam plerunque difficilis probatio est, quanti cuiusque intersit, & ad exiguam summam deducitur. ¶ *Optimum erit pœnam inbiicere.*] Et quia non temerè potest pœna simul cum re principali peti[c]: nec nisi semel ad summum pœna peti posit: qui volet pœnam exaggerare, poterit vti- b L. vlt. de prætori. stip.
87 que expressa conuentione id facere. Sed hoc consilium dare nolim, qui etiam pœnam excedẽtem c L. rescriptum §. si pacto. de pact.
id quod interest nollem prorsus excusare.

¶ *Quantitas stipulationis.*] Hoc est, Eius quod interest: quod quidem inesse intelligitur stipulationi faciendi. ¶ *In incerto sit.*] Quatenus enim cuiusque intersit, in facto, non in iure consistit[d]. Vt d L. quatenus. de reg. iur.
88 non temerè dicatur difficilis probatio eius, quod interest[e]. Sed huic incerto facilè occurritur ad- e Dict. l. vlt.
iectione certæ pœnæ. Rectè itaque Paulus[f], Si pœnam (inquit) stipulatus fuero, Si pecuniam mi- f L. si pœnam de ver. obligat.
hi non credidisses: certa est & vtilis stipulatio. Quòd si ita stipulatus fuero. Pecuniam te mihi crediturum spondes? incerta est stipulatio, quia id venit in stipulationem, quod mea interest.

¶ *Siue quid ita.*] Altera harum clausularum sufficit. hicque Iustinianus tradere vult, quo tandem orationis compendio posimus pœnam subiicere stipulationi faciendi, & non faciendi: & quæ verborum formula vtrique fit satis. Sed omittit quod est præcipuum, quomodo committatur pœnalis stipulatio subiecta stipulationi facti, quæ est indiuidua: & an aduersus plures committatur in solidum. Sed hunc articulum Paulus[g] explicat: Ego verò totum eius respõsum, quod latisimè g L. 2 §. pen. de verb. obligat.
patet. lubenter hic explicarem. Sed longior est illa tota & subtilior de pœnali stipulatione disputatio, quàm vt commodè hic inseri posit. quanquam omnino instituerim meam ea tota de re sententiam edere. Interea verò quia tractatum de conditionibus quem hoc præcipuè titulo Iustinianus attigit, quique etiam multa de stipulatione pœnali continet. iampridem pollicitus sum, & in scholis magna ex parte dictaui, & verò video continere ea Iuris Ciuilis capita,

o 4 quæ im-

quæ imprimis agitari solent, non granabor hoc loco subiungere quod ex meis commentariis ea de re descripsi: speroque hanc siue appendicem siue accesionem Iuris studiosis gratisimam fore.

DE CONDITIONIBVS.

1 Conditionis vox quàm latè pateat? & num. 2. 3. 4.
5. 6 Conditiones ad præsens vel præteritum collata, cõditiones propriè non sunt.
7 Discrimen inter conditionem in præteritum, & eam quæ ad futurum refertur, obseruandum.
8 Quid, si quis 5. in arca habens, 10. legauerit vel stipulanti promiserit?
9 Multas esse verborum formulas, quæ an conditionem contineant dubitetur.
10 Ablatiuus absolutè positus conditionem continere.
11 Demonstratio an conditionem contineat?
12 Relatiuum si verbo futuri temporis iunctum sit, conditionem magis quàm demonstrationẽ significari.
13 Nihil ferme agi sine die aut conditione.

COndirionis verbnm generale latisimè patet. Nam & pro conuentione accipitur: vt & con- 1
ditionem sæpe Iurisconsulti vocant, quam aliàs legem contractus appellare solent. Et Cicero
in Top. Si quæratur (inquit) à Naturáne Ius profectum sit, an ab alia quasi conditione hominum
& pactione, &c. Idem lib. 1. de Orat. ait; olim scribi solere in conditionibus DE QVIBVS SCIAM
POTEROQVE, cùm significat hanc clausulam frequentem fuisse in conuentionibus atque spon-
sionibus. Sed & conditionem rerum atque personarum pro statu & qualitate sæpe legimus, sicuti 2
& conditionem obligationis. Et generaliter conditio appellatur ea qualitas, qua aliquid con- 3
di, hoc est, fieri placuit. Sed & quæ sub condirione concipiuntur, aliquando etiam conditiones
appellátur[a]. Nos verò de iis, quæ propriè & specialiter conditiones appellantur, agere tantùm in-
stituimus, vt etiam à modo & causa, de qua dictum est alio loco, atque adeò abs condirione in
præteritum concepta vel ad præsens relata, distinguátur. Nam & hæ demum propriè conditiones 4
sunt, quæ in futurum incertum collatæ sunt, vt interea id quod agitur, sit in suspenso: quæ verò ad 5
præsens aut præteritum, conditionis vim non habent[b]. Vnde & filiusfa. qui sub conditione incer-
ta non rectè institueretur, institui tamen potest sub ea, quæ in præsens vel præteritum confertur,
quia nec illa conditio sit, vt ait Vlpianus[c]. Et cùm ageretur de patrono, qui haberet bonorum pos-
sessionem contra tabulas, si tantùm sub conditione institutus esset: responsum est[d], non videri
sub cõditione institutum, si conditio in præsens vel præteritum collata sit. Vnde satis intelligimus 6
quod sub tali conditione agitur, purum nihilominus esse & præsens, siue in testamentis siue in
conuentionibus. quod & eleganter ostendit Vlpianus[e] cùm loquitur de secundo testamento, quo
rumpitur prius. Nam si in secundo scriptus sit hæres sub conditione ad præsens vel præteritum re-
lata: hæc si vera sit, prius testamentum statim ruptum esse ait. si verò non sit vera, ratum manere.
Sed si sit conditio in futurum concepta, aliam adhibet distinctionem, nempe, vt si ea existere po-
tuerit, quanuis non extiterit: rumpatur prius testamentum: si verò imposibilis fuerit, pro non
scripta habeatur. Porrò & cùm de captatoriis institutionibus agitur, illustre discrimen est inter 7
conditionem in præteritum conceptam, & eam quæ ad futurum refertur[f]. Nec disimili in re re-
prehensus abs Vlpiano[g] Marcellus est, quòd hoc discrimen non obseruaret. Hic postremò facere
non possum, quin subiiciam nobile responsum Papiniani, quod in Pandectis extat in hęc verba[h]:
Si ita stipulatus fuero, HANC SVMMAM CENTVM AVREORVM DARE SPONDES? etsi maxi-
mè ita exaudiatur ille sermo, SI MODO CENTVM AVREORVM EST: non facit conditionem
hæc adiectio: quoniam si centum non sint, stipulatio nulla est: nec placuit, instar habere con-
ditionis, sermonem, qui non ad futurum, sed ad præsens tempus refertur: etsi contrahentes
rei veritatem ignorent. Hæc ille. Satis profectò constat talem stipulationis sermonisque formu-
lam non facere conditionem, vt quidem propriè conditio appellatur, sed neque vim conditionis
ad suspendendam obligationem habere posse. Verùm si hæc verba, HANC SVMMAM CENTVM
AVREORVM, ita accipiantur, SI MODO CENTVM AVREORVM SIT: saltem continent quan-
dam ad præsens relatam conditionem, quæ si falsa sit, solet quod ita agitur, inutile facere. An igi-
tur in proposito talis aliqua saltem inest conditio. vt si centum non sint aurei, stipulatio nulla &
inutilis planè sit? Certè Papiniani verba id præseferre videntur. vt quanuis apertè neget non ines-
se conditionem illam, quæ actum suspẽdat, tacitè tamen fateri videatur illam saltem subesse, quæ
ad præsens relata, si falsa sit, noceat. Quòd si apertè scripsisset Papinianus illam verborum adie-
ctionem non ita facere conditionem, vt si centum aurei non sint, stipulatio nulla sit: faciliùs
intelligeremus nullam, quæ nocere posit, planè iis inesse conditionem, ne eam quidem quæ ad
præsens refertur. Essetque hæc profectò non absurda sententia. Nam & Africanus respondit[i]; Si 8
is, qui quinque in arca habebat, ita legauerit vel stipulanti promiserit, DECEM, QVÆ IN ARCA
HABEO: nihilominus legatum & stipulationem valere, vt quinque saltem debeantur. Tunc ita-
que nulla planè conditio inesse intelligitur, siue quòd id magis actum esse intelligatur, & talis in-
terpretatio benignior sit, siue etiam quòd fortasse pecunia illa non tam vt quátitas, quàm vt certa
species corpusque arca inclusum, quale quale esset, legabatur aut promittebatur. Multæ verborum
formulæ sunt, quæ an conditionem contineant, (quod imprimis tamen statuendum est,) du- 9
bitari posit. Cuius generis exemplum illustre extat in quodam Scæuolæ responso[k], cùm nempe
agitur

a L. exceptio est. de exc ept. l. 1. C. de vẽd. rer. ciui. l. 1. de pact.
b L. cùm ad præsens. & lo. seq. si cer. pet. cond. l. conditio. de verb. obligat.
c L. institutio talis. ad S. de cond. instit.
d L. 3. §. si patronus. de bon. libert.
e L. cùm in secundo. de iniusto rup.
f L. ille aut. de hære. instit. l. 1. de his quæ pro non script. hab.
g L. 2. de hæred. instit.
h L. 120. si ita stipulat. de verb. oblig.
i L. si seruus legatus §. qui quinque. de leg. 1.
k L. 108. à testatore. de cond. & dem.

10 agitur de ablatiuis (vt populariter loqnar) absolutè positis, quanquam iis conditionem magis cō-
tineri apertè alibi responsum sit [a]. Sic etiam quæri solet, an demonstratio conditionem contineat.
11 Id autem ex re præsenti & coniectura voluntatis statuendum est. Verborum enim vis patitur, vt
interpreteris vel inesse vel non inesse conditionem. Si tibi ita legauero, DECEM, QVÆ MIHI
DEBES. videor etiam hanc conditionem ascripsisse, SI EA DECEM MIHI DEBEAS: vt si non
debeantur, inane sit legatum. Non enim videor hæredem meum onerare voluisse, vt aliquid prę-
staret: sed liberatione legata noluisse vt aliquid exigeret, si quid mihi debetes. At si dixero, LEGO
CENTVM, QVÆ TIBI DEBEO, simplex est sine conditione demonstrario, vt etsi falsa fuerit, non
12 noceat [b]. Sanè si relatinum verbo futuri temporis iunctum sit, conditionem magis quàm demon-
strationem significari, sæpe responsum est [c].
Quàm latè pareat tractatus conditionnm, dici satis non potest. Nam & si actus quidam legi-
13 timi sint, qui neque diem, neque conditionem recipere dicantur [d], de quibus & aliàs dictum à no-
bis est: quid tamen prętetea vel inter viuos vel in testamento valde agitur sine die aut conditione?
Nam & conditionem non modò ascribi, sed etiam adimi rectè posse (tametsi Papinianus subtili-
ter id negaret) docuit Vlpianus [e]. Nos hanc Iuris Ciuilis nobilissimam partem, vt & familiariter
explicemus, & diligenter euolnamus, operam certè dabimns. & quoniam coniunctus etiam est
locus de die, non recusamus, quò magis vtrique fiat satis, ab eo Vlpiani respōso, à quo sunt etiam
de conditionibus tractatum exorsi Pandectarum architecti sunt, ordiri, & illud etiam porius,
quàm aliorum more nouas regulas confingamus, interpretari.

a L. 63. facta §. rescripto. Ad Trebell. l. fideicommissa. §. cùm esses. de leg. 3.
b L. 75. §. si sit. §. 1. de lega. 1.
c L. 1. §. vlt. de cōd. & dē. l. a de hare instit. l. Stichum. de leg. 1. d. 85 nuper. de lega. 3.
d L. actus. de reg. Iur.
e L. 3. § conditio. de adim. leg. a.

VLPIANVS LIB. III. AD Q. MVTIVM.

In principium tituli. cum §. seq.

1 Contractuum caussa cum vltimis voluntatibus coniungenda.
2 De conditione non certa sed incerta hic agi.
3 Conditio certa quid? & quotuplex? num. 4.
5.33 Quod ante certa conditionis diem per errorem solutum fuerit, non potest condici.
7 Vbi certa conditio differt petitionem, fit hoc ratione diei.
7.8.10 Conditio simpliciter certa, sine die, non est renera conditio.
9 Discrimen inter conditionem simpliciter certam, & inter illam qua diem habet.
11.12 In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die deberi.
13.15 Vocabulum statim cum temperamento est intelligendum.
14 Quot dierum ciuilis illa dilatio esse debeat?
16 Dilationis, quæ humanitatis gratia indulgetur, non habetur ratio in præscriptione longi temporis.
17.18 Dies qui tacite inest, differre potest petitionē quidem, sed non obligationem.
19 Inter diem certum & incertum discrimen quod?
20.21.22 Ante diem incertum, vt & ante conditionem ascriptam, non rectè solui: & condictioni indebiti locum esse, si solutum sit.
23 Obligatio in diem præsens est, quamuis petitio differatur. fallit num. 24.
25 Inter legatum vsusfructus & proprietatis differentia quæ?
26 Is qui ante diem vsusfructus agit, nihil facit.
27 Nihil agere, & male agere. quid?
28.29 Sub conditione vel ex certa die nobis legatum, cur ante diem vel conditionem repudiare non possimus?
30 Certus dies scriptus si cesserit (licet nōdum venerit) legatum solui, & à legatario cedi, & ad hæredem transmitti potest.
31 Quid, si post incertum tempus heres dare iubetur?
32 In stipulationibus & contractibus quid iuris?
34 Cur non certò possimus debitum dicere, quod in testamento relictum est?

Legatis quæ relinquuntur, dies aut certus aut incertus, aut conditio adscribitur: aut si nihil horum factum sit, præsentia sunt, nisi si ipsa conditio insit.

Cùm dies certus scriptus est, quanuis dies nondum venerit, solui tamen possunt, quia certum est ea debitum iri.

Dies autem incertus est, cùm ita scribitur, HAERES MEVS, CVM MORIETVR, DECEM DATO. Nam diem incertum habet mors eius. Et ideo si legatarius antè decesserit, ad hæredem eius legatum non transit: quia non cessit dies viuo eo, quanuis certum fuerit hæredem moriturum: Inest autem conditio legatis, veluti cùm ita legamus, QVOD EX ARESCVSA NATVM FVERIT, HAERES DATO. aut, FRVCTVS, QVI EX EO FVNDO PERCEPTI FVERINT, HAERES DATO. aut, SERVVM, QVEM NON LEGAVERO, SEIO DATO.

1 ¶ *Legatis.*] Vel etiam contractibus. Sic enim horum semper causam cum vltimis voluntatibus coniungemus atque conferemus, complexi duo illa summa capita, ad quæ ius perpetuum reuocare oportet.

¶ *Aut conditio ascribitur.*] Eaque etiā aut certa, aut incerta. De conditione incerta, quæ an extabit,
2 incertum est, solùm hic agit Vlpianus. Ea enim sola est, quæ propriè conditio sit & vim cōditionis habeat,

habeat,& ad id quod nunc agitur, omnino pertineat. Fit tamen aliis locis sæpe etiam mentio cō-
ditionis certæ, quæ scilicet omni modo extatura est. (sic enim eam Iurisconsulti definire solent, & 3
describere.) Et hæc quidem duplex est. Vel enim diem aliquem habet, vel nullum habet. Prioris 4
exemplum est SI MORIERIS. Posterioris, SI DIGITO COELVM NON TETIGERIS. Item, SI
NAVIS EX ASIA VENERIT AVT NON VENERIT. Cùm certa quidem est conditio, sed diem
a L. Nā si. de cōd. ind.
aliquem habet, qui sit expectandus; peti ante eum nihil potest, sed quod antè fuerit vltrò per erro- 5
rem solutum non condicetur. Sic enim Vlpianus docet[a], Si (inquit) CVM MORIAR, dare pro-
misero, & antea soluam, repetere me non posse Celsus ait, quæ sententia vera est. Huius conditio-
nis, quæ diem habet, non fuit opus hoc loco Vlpianum meminisse, cùm diei satis meminisset. Ac
si fortè hæc conditio differt petitionem: fit hæc dilatio ratione diei: vt si qua huius conditionis vis 6
sit propter diem sit. Cæterùm cùm simpliciter certa est conditio, nec diem aliquem habet, qui sit 7
b L. si pupillus. §. 1. de nouat.
expectandus, conditio nullo modo esse videtur. Nihilominus enim omnimodo præsens purum-
que est quod agitur, & peti statim potest. Sic enim Vlpianus respondit[b]; eum qui sub conditione, 8
c L. in illa stipulatione. §. calendis. de verb. oblig.
quæ omnino extatura est, stipulatur, purè stipulatum videri. Et Paulus[c], Cum eo (inquit) qui ita
promisit, SI INTRA CALENDAS DIGITO COELVM NON TETIGERIM, agi protinus potest.
Quo etiam loco docet, quid intersit inter hanc conditionem certam, & illam, quæ diem habet. 9
d L. necessario §. si ita de peri. & comm. rei vend.
Nam (inquit) licet quod ad illam conditionem attinet, commissa videatur stipulatio: dies tamen
superest, isque expectandus est: aliter, vbi nullus talis dies est. Idem Paulus[d], Si ita (inquit) res ve-
nierit, EST SERVVS ILLE EMPTVS SIVE NAVIS EX ASIA VENERIT, SIVE NON VENERIT:
statim perfecta est venditio, quoniam certum sit eam esse contractam. De hac specie conditionis 10
nullam hic mentionem fecit Vlpianus, quia nec conditio dici vllo modo possit, nec vim vllam
habeat. Nihilominus enim quod agitur, omnino præsens purumque est.

e L. si dies quando dies lega. ced.
¶ *Præsentia.*] Omnimodo: non solùm, vt debeantur, sed etiam peti possint: Paulus[e], Si dies (in-
quit) legato apposita non est: præsens debetur, & confestim ad eum pertinet, cui datum est. Mo-
f L. omnia de lega. 2.
destinus[f], Omnia, quæ testamentis sine die vel conditione ascribuntur, ex die aditæ hæreditatis
præstantur, quod etiam generaliter dici & de iis potest, quæ inter viuos aguntur. Nam & regula 11
g L. in omnibus de reg. iur.
hæc iuris perpetui est[g]; In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die de-
h L. eū qui calendis. §. quoties de verb. obli.
beri. Et Vlpianus[h] de stipulationibus loquens, totidem propè verbis id repetit. Quoties (inquit) 12
in obligationibus dies non ponitur; præsenti die pecunia debetur. Humaniter tamen aliquid
i L. quod dicimus. de solut.
temporis dari ad soluendum, dubium non est. Quod dicimus (inquit Paulus[i]) hæredem debere
statim soluere, cum aliquo temperamento intelligendum est, nec enim cum sacco adire debet. 13
Non adit hæres hæreditatem cum sacco; quo pecuniam hæreditariam includat, & ex quo statim
depromat quod debetur. Neque creditor cum sacco, & hianti marsupio, adire & vrgere eum de-
bet. Cuius temporis autem, quótve dierum sit hæc vel esse debeat ciuilis dilatio, vix certò statui 14
debet: quanquam in quibusdam speciebus expressum id sit, vt in constituto, decem dierum, in re
iudicata, quatuor mensium: in restitutione dotis, vnius anni. Sed hæ & huius generis dilationes
non efficiunt quin dies interea etiam venisse, & præsens esse non modò obligatio, sed etiam peti-
k L. si cum militi. §. 1. de compensat.
tio dicatur. Papinianus[k], Aliud est (inquit) diem obligationis non venisse, aliud humanitatis 15
gratia tempus indulgeri solutionis. Atque ea quidem ratione probat, diem ad iudicati executio-
nem datum non impedire compensationem. Quo quidem etiam nomine non obstaret talis di-
latio exceptioni; neque eius haberetur ratio in præscriptione longi temporis: neque qui antè age- 16
ret, incideret in pœnam eorum, qui ante diem agunt.

¶ *Nisi ipsa conditio insit.*] Exemplum conditionis, quæ tacitè inest, paulo pòst subiiciet Vlpianus.
quo etiam loco latius dicemus de conditionibus tacitis, & an expresśis comparandæ sint, simul
& de die, qui etiam tacitè quandoque inesse intelligitur. Cuius quidem hic nullam fecit mentio- 17
nem Vlpianus, quia & si differre possit petitionem, obligationem tamen ipsam non differt vt
conditio. Quanquam alio loco Vlpianus tam subtiliter & presśè id non distinxerit. Nam & cùm
l Dict. §. quoties.
dixisset[l], in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die pecuniā deberi; ad-
iecit; nisi si locus adiectus spacium temporis inducat, quo illò possit perueniri. Hoc quidem tem- 18
pus quod tacitè inest, non secus atque si expressum esset, efficit vt antè peti non possit, sed non ef-
ficit alioqui, quin pecunia debeatur. Reuera enim præsens nihilominus obligatio est, sed in diem
m L. centesimis. de verb oblig.
differtur solutio, vt inquit Paulus[m]. ¶ *Cū dies certus.*] Quid si incertus? Vlpianus[n] inter certā in-
n L. stipulatio ista habere licere §. inter incertū. de verb. oblig.
certamque diem discrimen hoc esse notat: quòd certa die promissum, vel statim dari possit, quia 19
totum medium tempus ad soluendum liberum promissori relinquitur. At qui promisit, SI ALI-
QVID FACTVM, vel, CVM ALIQVID FACTVM FVERIT: nisi cùm id factum fuerit, dederit: non vi-
o L. 48. si promisit. de cond. ind.
deri fecisse quod promisit. Et ideo repetere posse, alio loco[o] adiectum est, quo repetitur hoc Vlpia-
ni responsum. Sic itaque non rectè solui ante diem incertū, sicuti nec ante conditionem ascriptā re- 20
ctè solueretur, intelligimus. Nihil enim in re tea debetur; & propterea cōdictioni indebiti, si solua- 21
tur, locus est. Quod quidem rectè dicitur de die omnimodo incerto, qui non modò quādo veniet,
p L. sub conditione. & le. seq. de cōd. ind.
sed etiam an aliquando erit, incertum est[p]. Nam alioqui solutum non repeteretur. Sed paulo pòst
de die incerto pluribus agemus. ¶ *Scriptus est* Nam hæredis fauore, qui legati præstatione est o-
neratus, adscriptus intelligitur, sicuti fauore promissoris dies appositus in stipulationibus in-
telligi solet. Cæterùm si appareret diem à testatore ascriptum esse in rem ipsius legatarij: non re-
q L. eum qui rogatus. de annu. lega.
ctè solueretur ante diem. Qua de re extat elegans Iaboleni[q] responsum. Qui rogatus erat post decē 22
annos restituere, ante diem restituerat. quæsitum est, an rectè soluisset: Respondit, Si propter ca-

pientis

pientis personam, quod rem familiarem tueri non posset, in diem fideicommissum relictum probaretur, & perdituro ei id hæres ante diem restituisset: nullo modo liberatum esse. Quòd si tempus hæredis causa prorogatum esset, vt commodum medij temporis ipse sentiret: liberatum eum intelligi. Nam & plus eum præstitisse quàm debuisset. Quæ distinctio adhibetur, & cùm agitur de fructibus medij temporis[a]. ¶ *Quamuis dies nondum venerit.*]Cessit tamē: Nam & si incertus sit dies non quidem omnimodo, sed aliquo modo: veluti cùm certum quidem est fore, & quidem viuo legatario: sed quando aliquid id erit, incertum est: adeo tamen præsens est obligatio, vt etiam interea transmittatur[b] legatum tale ad hæredem. Quod paulo pòst apertius dicemus cùm de die in-
23 certo agetur. Sed estne perpetuum vt obligatio in diem sit præsens, quàuis petitio differatur? Cer-
24 tè in vsufructu non habere locum fatemur. Eius enim legati promissive in diem, dies non prius cedit quàm venit, perinde atque si sub conditione deberetur. Itaque nulla est non modò actio, sed nec obligatio ante diem. Quod Vlpianus[c] diligenter explicuit docēs vsusfructus legati diem tum demum cedere, cùm non modò adita hæreditas est, & legatarius existit, qui fruatur, sed & cùm dies ipse venit. Ratio eius singularis iuris est, quod vsusfructus morte fructuarij extinguatur: ad eius verò hæredem non transmittatur. Frustra itaque dies eius cederet, antequam venerit, neque causa erat cur à sua proprietate separaretur, priusquam certum esset præstari debere. Aliud verò meritò
25 dicitur de legato proprietatis, quod ad hæredes transit. Qua ratione & in iure accrescendi nobilis est differentia inter legatum vsusfructus & proprietatis. Si eiusdem rei vsusfructus pluribus relictus sit, etsi iam ab vno semel acquisitus pro sua parte sit, tamen postea amissus aliis accrescit[d], non secus atque si à principio hæc pars defecisset, neque ad hæredem amittentis transire potest. Sed vt ad vsumfr. in diem legatum promissúmve redeam, Vlpianus[e] pro cotonide adiicit, Scæuolam di-
26 xisse; eum, qui ante diem vsusfructus ageret, nihil facere: quamuis aliàs qui ante diem agit, malè
27 agat. Nihil agere aut facere ait eum, qui nullam ne ipse quidem iure actionem habet. Malè verò agere, qui ipso quidem iure actionem habet, sed munitam propter exceptionē. Vt qui ante diem agebat, repellebatur dilatoria illa exceptione, cuius Cicero lib. I. de Orat. meminit, & formulæ quoque principium ascribit, CVIVS PECVNIÆ DIES NON FVISSET, &c. Sed dictum est in Institut. de act. & de except. & ad 39 cap. 12. Tab. quomodo coërceretur qui plus tempore peteret, siue qui ante diem ageret. Si non tam agatur de obligatione, quàm de dominio; parum interest vtrum de die an de conditione agatur. Nam & dies diei obstat quò minus dominium vllum trāsferatur interea in legatarium. Itaque nec illud rectè repudiari ante diem dicitur, quia nondum
28 acquisitum dici potest. Si sub conditione (inquit Pomponius[f]) vel ex die certa nobis legatum sit, ante diem vel conditionem repudiare non possumus. Nam nec pertinet ad nos antequam dies
29 veniat, vel conditio existat. Sic & qui superstitis bona repudiauit, nihilominus postea eius hæreditatem petit[g]. Et bonorum possessionem nondum delatam repudiari non posse ait Vlpianus[h].
30 ¶ *Solui tamen.*]Sicuti & à legatario cedi, & ad eius hæredem transmitti. Sufficit enim diem cessisse, etsi nondum venerit. Vlpianus[i]. Si (inquit) post diem legati cedentem legatarius decesserit, ad hæredem suum transfert legatum. Paulus[k] in alia quadam disputatione fatetur hoc esse consequens. Mouet me (inquit) quod dies legati cesserit, & per hoc ad hæredem legatarij pertinere potuerit. Item; dies legati siue fideicommissi statim cedit, cùm post certum tempus hæres dare roga-
31 tur vel iubetur. Quid si post incertum? Certè si planè incertus non sit & conditionis propterea loco non habeatur; non impediet hanc transmissionem. Sed conditio & dies ita incertus vt pro
32 conditione habeatur, impediret. In stipulationibus verò & contractibus non idem dicimus, ex quibus etiam cōditionalibus saltem spes interea transmittitur, vt dictum alio loco est, neque hoc discrimen confunditur, tametsi transfundatur in stipulationem quod ex legato debetur. nihilominus etiam eadem manet natura conditionalis legati, vt ad hæredem ex eo nihil transeat[l]. Vnde etiam discuti potest & solui nodus ille, qui Ciceronem torquet lib. 2. de Legib. Pecunia legata erar olim onerata & veluti astricta sumptibus sacrorum priuatorum. Astuti Iurisconsulti consulebār, vt legatarius, si hoc onus effugere vellet, pecuniam sibi legatam stipularetur sibi dari. Sed inanem esse hanc cautionem, ex eo quod iam dixi, satis intelligi potest.

¶ *Possunt.*]Non etiam debent. Sic enim legatario antè solui possunt. Ab inuito hærede peti non possunt[m]. Adeo autem licet antè soluere & debitum repræsentare: vt etiam si id deinde perierit, nihilominus liberatio contingat[n]. Quòd si creditor morosus oblatam ante diem pecuniam recipere recuset (quanquam id rarum sit; satis erit eam consignatam deponere[o]. Porrò autem vt ante diem rectè potest solui quod in diem debetur: sic etiam quod ante solutum per erro-
33 rem fuerit, repeti non potest[p].

¶ *Quia certum est ita debitum iri.*] Non dixit deberi, quia adhuc subest tacita illa conditio SI ADEATVR HÆREDITAS. Sic apud Pomponium[a] Labeo loquens de legato in diem. Id (inquit) ad hæredem legatarij transit, quod certū sit, debitum iri, si adeatur hæreditas. Paulus[b] quoque ait certum esse hærede existente debitū iri. In contractib[9] & stipulationibus in diem, simpliciter dicimus deberi statim atque dies cessit. Nullum enim amplius subest in iis periculum. Sed quia nihil eorū quæ testamento scripta sunt, valet, nisi ex eo adeatur hæreditas: non ita possumus esse antea certi, neque certò dicere, debitum esse, quod in eo relictū est. Cedere tamen dicitur dies legati à morte testatoris, licet adhuc fieri possit vt non omnino debeatur quod relictum est, nempe si fortè nō adiretur hæreditas. Legati in diem vsusfructus ne quidem adita iam hæreditate diem cedere antea diximus, sed tum demum cùm dies veniet.

a L. si ita relictam. §. Pegasus. de lega. 2.
b L. vlti. quando dies lega. ced.
c L. vnica quan. dies vsusfr. lega. ced.
d L. 1. de vsufr. accresc.
e Dict. l. vnic. ad fi.
f L. si ita scriptum sit, §. 1. de lega. 1.
g L. qui superstitu. de acquir. hæred.
h L. 1. §. decretalis. de succ. edict.
i L. si post dic. quan. dies lega. ced.
k L. 26. Sempronius Attalus de vsufr. leg.
l L. 1. §. si sub conditione. Vt legat. nom. cau.
m L. si dies. quan. dies leg. ced.
n L. si pecuniam. de solut. l. eum qui rogat. de annu. lega.
o L. acceptam C. de vsur. l. obsignatione. C. de solut.
p L. in diē. de cōd. ind.
a L. si Titio §. quādō. quan. dies lega. ced.
b L. si dies §. vlt. vbi sup.
[9] tit.

§. *Dies autem.*

1 Dies incertus variè accipitur.
2 Dies omnimodo incertus pro conditione habetur.
3.4.5.6 Quid, si certum quidem sit, factum iri aliquādo; sed incertum quando fiet?
7 Legatum, cum morietur hæres, *conditionale est; At,* cum morietur legatarius, *conditionale non est.*
8 Legatis tum cōditio tum & dies interdum tacitè inesse intelligitur, vel ex dandæ rei, locíve adiecti, natura, vel ex voluntatis testatoris coniectura.
9 Ex verbis stipulationum, magis quàm ex eo quod agitur, conditionem & tempus obligationum colligenda.
10 Cur minus temere conditionem quàm tempus præsumamus?
11.12 Legatum fructuum nasciturorum quam habeat conditionem?
13.14 Conditiones extrinsecas non facere legata conditionalia.
15 Conditio iuris & conditio facti quid differant?
16 Verba illa, Si volet Titius, hæres esto. *in voluntaria heredis persona conditionem non facere.*
17 Conditiones iuris, & extrinsecus prouenientes, à conditionibus facti sunt discernendæ.
17 Qui purè legatum adimit sub conditione, videtur tacite rursus legare sub conditione contraria.
19 Sæpe nulla verborum vi, sed ex sola voluntatis coniectura, conditio inesse intelligitur.
20 In conditionibus testamentorum voluntas magis consideranda est quàm verba.
21 Papinianum in peruestiganda defuncti voluntate, præcipuè coniecturas pietatis secutum esse.
22 Pietatis coniecturam Iustinianum etiam secutum esse.
23 Filiorum appellatione contineri & naturales in seruitute susceptos.
24 Vt detur condictio, ob caussam non secutam, non est necesse, caussam eam fuisse expressam.
25 Nuptiis non secutis condici posse quod dotis nomine datum est.
26 Quid, si inter sponsum & sponsam donationes simpliciter factæ sint?
27 Qui ante agit, non modò malè sed nihil agit.
28 Exempla conditionum tacitarum.
29 Si debitor ter admonitus non soluat, creditor pignus distrahere potest.
30 Quid, si conuenit, vt, dum vsuræ soluantur, sors non petatur?
31 Ea, quæ præfationibus conuenisse concipiuntur, etiam in stipulationibus repetita videntur.
32 Præfationes contractuum atque conuentionum quid?
33.34 Si eidem personæ ab eadem res iterum legetur, conditio priori legato ascripta repetita intelligitur.
35 Quid, si legatum vni, cui conditio cohæreat, adimitur, & in alium transfertur?
36 Quid, si heredi sub conditione instituto substituamus?
37 Quid, si deficiens legati conditionalis portio accrescat alteri, cui res eadem purè relicta fuerat?

¶ *Dies incertus.*] Antequam diem incertum, vel cum die certo, vel cum conditione committa- 1
mus, monendi sumus, diem incertum variè dici & accipi. Interdum incertus est omnimodo, cum
omnino incertum est non modò quando fiet, sed etiam an aliquando fiet Hic cum die certo nihil 2
habet commune, sed pro conditione haberi solet. Sic accipimus quod Papinianus ait [a], Diem in-
certum conditionem in testamento facere. Paulus [b], Si (inquit) dies certus sit, statim cedit, quan-
uis nondum venerit. At si incertus, veluti, CVM MAGISTRATVM INIERIT, CVM ALIQVID
FECERIT, nisi temporis conditio obtingit, neque res pertinere, neque dies legati cedere potest.
Hinc etiam descendit discrimen quod Vlpianus [c] notat inter diem certam & incertam, & huius
formulam eandem prope esse, quæ conditionis est. Nam diei incertæ formulam proponit, SI A-
LIQVID FIAT, aut, CVM ALIQVID FIET. Apertius etiam Pomponius [d], Nihil interest (inquit)
vtrum scribatur, CVM QVATVORDECIM ANNORVM FACTVS ERIT, vel, SI ANNORVM
QVATVORDECIM FACTVS ERIT. Priore enim scriptura per tempus conditio demonstratur se-
quente per conditionem tempus, vtrobique autem eandem conditionem esse. Aliquando incer- 3
tus etiam dies dicitur, cum certum quidem est factum iri aliquando, nec dubitatur an fiet: sed in-
certum est, quando fiet. An is pro conditione habeatur vel pro die certo, dici in vniuersum vix
potest, nisi si distinctionem quandam prius adhibeamus. Si ita est incertum quando fiet, vt etiam 4
incertum sit an viuo legatario fiet, conditionis loco habetur: & à die certo differt, vt in exemplo
quod hic proponitur, LEGO TITIO CENTVM CVM MORIETVR HÆRES: certum est aliquan-
do moriturum hæredem: sed ita incertum est, quando morietur, vt etiam incertum sit, an viuo le-
gatario morietur. Tale itaque legatum erit conditionale, vt ad legatarij prius morientis hęredem
non transmittatur. Cæterùm quia spes contractus stipulationísve conditionalis ad hæredem trás- 5
it, non secus atque si iam dies cessisset: in stipulationibus non ita distinguimus, an certum vel in-
certum fuerit viuo adhuc stipulatore fore vel factum iri: & interea non habetur pro conditione
dies, cum certum est factum iri, licet incertum sit quando fiet. Parum enim tum interest, quan-
do fiat. Itaque rectè quidem Pomponius [e] diem omnino incertum in stipulationibus etiam com-
parans dixit, sub conditione debitum, per errorem solutum, pendente conditione repeti posse:
conditione verò existente non posse: vt quod sub incerta die debebatur, antè solutum non repe-
titur die existente. Sed rectè etiam Vlpianus subiecit: Nam & si, CVM MORIAR, dare promisero,
& antè soluam: repetere non possum. Non posse id repeti etiam die non existente, quanuis posse
Pomponius significet, si dies omnino incerta esset, vel inde intelligi potest quod subiicit, nō pos-
se repeti

a L. 74. dies de cōdit. & dem.
b L. si dies. quan. dies leg. ced.
c L. stipulatio ista habere §. inter. de verb. oblig.
d L. si Titio quando dies legat. ced.
e L. sub conditione de cond. indeb.

se repeti quod sub conditione, quæ omnino extatura est, debetur. vt itaq; satis est ad impediẽdam
repetitionem, si certum sit conditioné euenturam, sic erit satis certum esse, diem venturum etiam si
6 incertum sit, quando: nec in contractibus quærimus, an viuo stipulatore certum sit venturum, vel
incertum: quod in legatis distinguimus propter diuersam rationem transmittendi ad hæredem
legati. Si certum sit non modò aliquãdo factum iri, sed viuo etiam legatario id fore, etiam si alio-
qui sit incertum, quando: talis dies etiam in legatis pro certo magis habebitur quàm pro incer-
to: nullo autem modo pro conditione habebitur. Itaq; nec impediet transmißionem. Id ex Scæ-
uola [a] satis intelligi potest; Instituo te hæredé, &c, SI HÆRES NON ERIS, LEGO TIBI CENTVM. *a L. vlti. quan. dies*
Legatum debetur, si decesseris non adita hæreditate: Nempe certum est viuo te legatario factum *leg. ced.*
illud iri: quia saltem cùm incipis mori, id fiat, & conditio eueniat. Eadem ratio est & si legatum sit
TITIO CVM MORIETVR. Quia enim viuens mori dicitur, certum esse dicimus eo viuo id fieri.
Hanc conditionem CVM MORIAR, ritè tempus complecti ait Vlpianus [b]. quanquam fateatur in *b L. 18. qui duos. §. 1.*
hoc legato CVM MORIAR, LIBER ESTO, vt sustineatur, verba sic interpretari benignius esse, vt *de manu. test.*
post mortem meam reliquisse libertatem videar. Nam si de vitæ tempore acciperentur, necesse es-
set liberum fieri viuo testatore. Id autem testatorem noluisse apparet. Vnde periculum esset, ne le-
gatum fieret inutile. Aulus Gellius lib. 6. c. 13. narrat. maximos philosophos valde laborasse in hac
quæstione, quando moriens moreretur, an cùm iam in morte esset, an verò tum cùm in vita adhuc
esset. Sed nostrorum Iurisconsultorũ hac de re non obscura est sententia. Illud itaq; hîc statuimus [c], *c L. hæres meus. de*
7 legatum, CVM MORIETVR HÆRES, esse conditionale. At legatum, CVM MORIETVR LEGATA- *cond. l. 4. quan. dies*
RIVS, non esse, quia quandocunq; morietur, viuens mori intelligatur. ¶ *Inest conditio, &c.*] Sed & *lega. ced. l. si pecuniã.*
8 dies interdum tacitè inesse intelligitur, saltem ad differendam petitionem, vel ex natura rei, quæ *§. quod ita. de lega. 2.*
dari debet, vel ratione loci adiecti, vel deniq; ex verisimili mente testatoris & huius voluntatis cõ-
iectura. Paulus [d], Interdum (inquit) pura stipulatio ex re ipsa dilationem capit. veluti si id quod in *d L. 73. interdum. de*
vtero sit, aut fructus futuros aut domũ ædificari stipulatus sit. Tunc enim incipit actio, cùm ea res *verb. oblig.*
per rerum naturam præstari potest. Sed & cùm legatum aut fideicommissum ita relictum est, vt te-
stator velle se dixerit id seruari alicui filiofa. cui relinquitur, aut ad eum peruenire, intelligitur in-
esse tempus, quo vel sui iuris erit, vel eius pater morietur [e]. Nunc de conditionibus, quæ tacitè in- *e L. filium. de auro &*
9 esse dicuntur, dicturus, illud lubenter profiteor, quod Paulus [f] ait; plerunq; in stipulationibus ver *arg. leg. l. vbi. ad Tre*
ba, ex quibus obligatio oritur, inspicienda esse: rarò autem inesse tempus vel conditionem ex eo, *bell. l. fideicommiss. §.*
10 quod agi apparebit, intelligendum esse. Et quidem tanto etiam minus temerè conditioné quàm *si filio. de leg. 3. l. epi-*
tempus inesse intelligimus, quia hæc quàm illud magis noceat, præsertim si ex voluntate aut testa- *stolam. §. mulier. ad*
mento, non autem extrinsecus prouenire intelligatur. hæc enim demum veram vim conditionis *Trebell.*
obtinet. & impedit ne dies statim omnino cedat, neve legatum ita relictum interea trãsmittatur. *f L. 126. si ita stipula-*
Sed multæ sunt tamen sæpe coniecturæ, quæ nos ad talem (vt ita loquar) præsumptionem impel- *tus. §. Chrysogonus. ad*
lant. Vlpianus hic proponit tria exempla conditionum, quas inesse ait. Sed priores duæ ex natura *fi. de verb. oblig.*
ipsius rei proueniunt: quæ propriè conditiones non sunt, neq; vim obtinent conditionum, saltem
11 quod ad impediendam transmißionem attinet. Illud tamen nõ ignoro neq; dissimulo. legatum
fructuum nasciturorum habere hanc conditionem, SI PROXIMO ANNO NASCENTVR, sic vt e-
ius anni sterilitas, si nulla hæredis culpa sit, reddat hoc legatum inane, vt pote defectum conditio-
ne. Sed si fructus nascituri legentur adiecto certo pondere, numero vel mensura, non ita statim e-
uanescere propter anni vnius sterilitatem, sed alterius prouentum expectari. Quod & de stipula-
tione dicitur [g]. Nempe quòd tum sit obligatio magis in diem, quàm sub vlla conditione. Tertia
conditionis tacitæ species, quam hîc Vlpianus proponit, prouenit quidem ex voluntate & testa- *g L. inter stipulãtem.*
mento, sed magis expressa videtur quàm tacita. Certè his verbis, LEGO STICHVM QVI MEVS *§. pro quo illud. de ver*
ERIT CVM MORIAR, conditionem inijci legato: & talem sermonem pro conditione accipiẽdum *bo. oblig.*
esse, & verò conditionem esse, non secus atq; si dictum esset, SI MEVS ERIT, alijs locis responsum
est [h]. Vt autem redeam ad priora duo exempla, cùm legamus aut promittimus partum nasciturũ, *h L. 6. Stichũ qui me-*
12 aut fructus nascituros: ex natura ipsius rei conditionem & tempus inesse, neq; tam ex testaméto, *us erit. de leg. 1. l. 85.*
quàm extrinsecus prouenire constat: vt nihilominus dies statim cedat: neque interea impediatur *super. de leg. 3.*
13 transmißio. Inquit Papinianus [i]: Conditiones extrinsecus, non ex testamento veniẽtes, id est, quę *i L. cõditiones extrin*
tacitè inesse videntur, non faciunt legata cõditionalia. Illud ipsum alio deinde explicans loco, ex- *secus. hoc tit.*
empla etiam, quæ hic proponũtur, proponit [k]. Ait tacitè conditioné inseri, cùm ita legatur, QVOD *k L. 22. cũ illud. §. hæ-*
EX ARESCVSA NATVM ERIT, vel, FRVCTVS, QVI IN ILLO FVNDO NASCENTVR. Si tamen *res. quan. dies le. ced.*
medio tempore legatarius moriatur, & postea partus edatur, vel fructus proueniant: hæredem le-
14 gatarij petitionem habere. Namq; diem legati, cui conditio non ascribitur, quamuis extrinsecus
expectanda sit, cedere. Sic etiam Paulus [l] ait; magis moram, quàm conditionem legato iniectam *l L. quod purè. quan.*
videri, cum extrinsecus suspenditur legatum, non ex ipso testamento: propterea que licet antè de- *dies lega. ced.*
cedat legatarius, ad hæredem transmittere legatum. Atq; eius quidem rei exemplum hoc propo-
nit; Si rem dotalem maritus legauerit extero, & vxori aliquam pro dotali re pecuniam. Extrinse-
cus, & ex ipso iure, habet vxor electionem, vtrum dotem an legatum malit. Inest itaq; huic rei do-
talis legato conditio hęc, si vxor eligat aliud legatum. Quid igitur, si deliberante vxore de electio-
ne dotis decesserit legatarius, & deinde legatum elegerit mulier? responsum est, ad hæredem lega-
15 tarij transire legatum. Huc quoq; pertinet, quod Iulianus [m] ait, Multum interesse, conditio facti *m L. 21. multũ. hoc tit.*
an iuris sit. Conditionem iuris vocat, quæ ipso iure inest: Facti verò, quæ prouenit ex voluntate,
non extrinsecus. Illa propriè conditio non est si vim conditionum spectes. Hæc verò propriè con-

ditio est,& conditionis vim habet ad differendam vel suspendendam obligationem,quæ alioqui
præsens esset,si solũ ius spectaremus. Sed & si illa exprimatur, quæ & alioqui inerat ipso iure,vim
a L.3. de lega.1.
conditionis magis non habet. Vlpianus [a] Hæc(inquit)verba testatoris, SI HÆRES ERIT TITIVS,
b L.22. si Titio. §. quædã. quan. dies le. ced.
vel, SI HÆREDITATEM ADIERIT, subiectum legatum vel fideicommissum non faciunt cõditio-
nale. Et Pomponius [b], Quædam (inquit) conditiones etiam superuacuæ sunt: veluti si ita scribat,
TITIVS HÆRES ESTO. SI TITIVS HÆREDITATEM MEAM ADIERIT, MÆVIO DECEM DA-
TO. Nam pro non scripta ea cõditio erit, vt omnino ad hæredem Mæuij legatum transeat. etiam si
c L.12. verba. de cõd. instit.
Mæuius ante aditã hæreditatẽ decesserit. Deniq; huc pertinet quod Hermogenianus ait [c], hæc ver 16
ba, SI VOLET TITIVS, HÆRES ESTO, in voluntaria hæredis persona conditionẽ non facere, pro-
inde frustra addi: cùm & si non fuerint addita, inuitus hęres non efficiatur: quanquam in necessa-
d L.69. Cornelius. de hæred. instit.
rio faciant conditionem. Sic & Proculus [d] ait, ea verba in eo non frustra adijci, neque solùm figu-
tam, sed vim quoq; conditionis continere. Sed in alio hærede voluntario esse adiectionem super-
uacuam. Ergo vt antea conditiones quæ ad præteritum vel præsens, referuntur, quæ propriè con-
ditiones non sunt, neq; aliter nocent, quã si falsæ sint, separauimus: sic etiã nunc conditiones iuris, 17
& extrinsecus prouenientes, vel ex natura rei, quæ & si non exprimantur, tacitè inesse intelligun-
tur, sed siue tacitæ siue expressæ sint, vim conditionis non obtinent; separemus ab alijs conditioni-
bus, quæ facti esse dicuntur, & ex hominum voluntate descendunt, vt quæ alioqui obligatio ipso
iure præsens erat, per eas differatur, atq; suspendatur. Hæ autem sæpius exprimuntur. Interdum e-
tiam etsi expressæ omnino non sint, tacitè tamen inesse intelliguntur ex cõiectura voluntatis: nõ
modò vbi quædam verba sunt, quæ eò pertineãt, sed etiam vbi nulla verba sunt. In exemplo, quod
hic proponitur, STICHVM QVEM ALII NON LEGAVERO TIBI LEGO, cõditionem inesse per-
inde atq; si dictum esset, SI ALII EVM NON LEGAVERO, mirum nõ est. Nam & verba id ipsum
satis significare dictum est. Si quod purè quis legauit, sub conditione adimat, videtur tacitè rursus 18
legasse sub contraria conditione. vt si adimat, SI NAVIS EX ASIA NON VENERIT, videtur le-
e L. quod purè. quan. dies lega. ced. l. si legatũ purè. l legata inutiliter. de adi. lega.
gasse SI VENERIT [e]. Hæc contraria conditio tacita est, & vim conditionis habet. Descẽdit enim ex
voluntate. Sed tam tacita tamen non est, quin verba ademptionis eam includant, & significent sa-
tis. Cæterùm est vbi nulla verborum vi aut significatione adducti, sed sola voluntatis tacitæ conie- 19
ctura commoti conditionem inesse intelligamus donationi vel legato purè alioqui concepto. Cu
ius rei non possum illustrius adferre exemplum, quàm quod postea ex Papiniano propositum est
f L.101. cùm auus. de condit.
in hoc tractatu [f]. In conditionibus testamentorum voluntatẽ potius quàm verba considerare nos 20
g L. in conditionibus. hoc tit.
oportere, dixit antea Papinianus. Sed & Vlpianus [g], In conditionibus (inquit) primum locũ vo-
luntas defuncti obtinet, eaq; regit conditiones. Et alio loco [h] generaliùs etiam loquens, Voluntas
h L. ex facto §. rerum. de hæred. instit.
(inquit) defuncti totum facit nam quid senserit, spectãdum est. Sed quã voluntatem non modò
verba significant, sed ijs quoq; deficientibus, multæ nobis coniecturæ indicant. Sed ex his illã ve-
luti abditam elicere, & latentem rectè peruestigare, magnæ prudentiæ est, singularisq; iudicij. Pa-
pinianus verò in hoc genere excelluit, & præcipuè secutus pietatis coniecturas est. Nam & vim τῶν 21
στοργῶν φυσικῶν sentiebat, & ea in parte perniciosè errari non posse intelligebat. Neque modò in te-
stamentis, sed & in pactis & stipulationibus in ea hæsit. Cùm aliquando pater, qui dotem pro filia
promiserat, pactus esset cum genero, vt filia in matrimonio sine liberis defuncta, post mortem
suam, portio dotis apud fratrem hæredem suum maneret, hoc est, ab eo non peteretur: & deinde
i L. tale pactum. §. vl. de pact.
liberos suscepisset, quos hæredes reliquit: respondit Papinianus [i], ijs quoque profuturam pactio-
nem. Nam & si verba fratrem spectent: voluntatem tamen paciscentis, vt hæredi consuleretur,
fuisse: neque intelligi voluisse, filium fratri posthabere. Sed quia filium non habebat, nec habere
sperabat, in fratrem suum videri iudicium supremum tunc contulisse. Itaque & si quis inter viuos
liberaliter sua bona fratri donásset cùm filium non haberet; eo postea suscepto reuocaretur dona-
k L. si vnquam. C. de reuo. donat.
tio propter hanc, quam dixi, voluntatis coniecturam [k]. Semper enim filij, si nascantur, à patre ex-
cepti, vt ijs consulatur, etiam si expressim non excipiantur, intelliguntur. Inest itaque & illa tacita
conditio, SI LIBEROS NON SVSCEPERO. Nam pietas non patitur, vt hos si nascantur, à
patre neglectos, desertos & alijs posthabitos existimemus. Eadem est ratio quam in eo, quod
nunc tractamus capite, secutus Papinianus est. Respondet conditionem defecisse relictis libe-
ris superstitibus. Sed quam conditionem? Nullam enim verba fideicõmissi præseferunt. Sentit ta-
men hanc inesse, SI SINE LIBERIS MORIARIS. Si liberi iam tum nati fuissent, & testator sciens
prudens ijs præteritis, fideicommissum alteri purè omnino reliquisset, non esset coniecturis in re
manifesta locus. quibus illi prælati nihilominus fideicommissario intelligantur. vt respõsum est,
l L. sicut certi. C. de test. milit.
militem, cuius solam sequimur voluntatem, si scit se filium habere, & alium tamen scribat hære-
dem, videri filium quem sciens præterit, exhæredásse: non etiam si eum habere se nesciret [l]. At nos
hic loquimur de liberis, qui quo tempore fideicommissum relinquebatur, nondum nati erant: vt
propterea de ijs nihil dictum à testatore sit: de quibus si cogitasset nequaquam ijs præteritis fidei-
commissum alteri ita reliquisset. Non est verisimile. quòd impium & inhumanum esset, nos alte-
rum filium ditare velle, & alterius infœlices liberos portione quoque paterna fraudare. Nam & a-
mat nepotes suos auus, vt filios pater. Etsi alteri filio tantum tribuo, vt quandiu viuat, portione
eum sua frui velim: etsi eum rogem, vt decedens fratri, qui superstes erit, restituat: tamen palàm
est, me eum hac in re fideicommissario illi præferre. Cur igitur & eius liberos, quibus eadem pie-
tas debetur, eadem in re non intelligar prætulisse? Si eorum mentionem non feci, factum id
est, quòd nati non essent, neque nascituros putarem. Igitur huic fideicommisso inerit ta-
cita

cita hæc conditio, *SI SINE LIBERIS MORIARIS*. Hanc enim pietas ipsa dictat, & talem fuisse testa-
toris voluntatem monet. Si quis adhuc viuens rogatus simpliciter esset alteri restituere præscripto
die certa quædam prædia, posset testator maiorem fideicommissarij, quàm eius quem fideicom-
misso grauat, eiúsve hæredum rationem habuisse videri [a]: proptereaque & si is qui fideicommisso
est oneratus, relictis liberis decedat ante diem, non impediri differri ve restitutionem fideicom-
missi. Sed in specie, quam hîc Papinianus tractat, omnia concurrunt, quæ moneant testatorem
imprimis consulere voluisse illi, quem, si moriatur, onerat fideicommisso: & per consequens eius
liberos etiam complecti, præsertim cùm id illi tantùm dedit, quod naturali æquitate & legitima
ratione deberi videbatur: & filiorum conditionem exæquari debere sæpe traditum sit. Quid mul-
22 tis? Pietatis cõiectura, quam hîc secutus Papinianus est, valde nostro deinde Iustiniano placuit [b].
Illud nunc quæritur, quinam liberi hac conditione comprehensi intelligantur. Certum est non
esse necesse, vt patri suo hæredes sint. Satis est si fuerint superstites relicti [c]. Et quidem ex coniectu-
ra voluntatis hanc conditionem defecisse vel vno filio superstite relicto respondit Papinianus [d].
Et si simul cum patre fortè perierit filius, in dubio superuixisse videri, & conditionem hanc non
defecisse sed extitisse [e]. Sed naturalem hîc filium esse necesse est, non adoptiuum: Nam ipse quo-
que noster Papinianus respondit; fideicommissum si sine liberis decesseris, adoptionis commen-
to non excludi [f]. Et legatum tibi relictum in tempus liberorum, non deberi si filium adopte-
ris, Vlpianus ait [g]. Sed satísne est, naturales esse an verò etiam necesse sit, esse legitimos, & iustis
nempe nuptijs susceptos? Vlpianus narrat nostrum Papinianum respondisse [h], naturales efficere,
vt hæc conditio deficiat. Mihi autem (inquit Vlpianus) voluntatis quæstio videtur esse, de quibus
liberis testator senserit. & hoc ex dignitate & voluntate & conditione eius, qui fideicommisit, ac-
cipiendum esse. Si sciebat testator fideicommissarium alios suscipere non posse, aut tam humilis
conditionis sit, eiusque vitę, vt in suam familiam tam facilè nothos quàm legitimos admittat, ne-
que sua valde interesse, putet; facilè credemus, hac conditione etiam comprehendi naturales. Sic
cùm liberto suo testator legâsset fundum, ita vt eius filijs post mortem suam restituere eum iussis-
set: filiam liberti naturalem posse fideicommissum petere dixit Scæuola [i]. Rationem hanc adie-
23 cit Claudius; quòd appellatione filiorum contineantur quoque naturales liberi in seruitute su-
scepti. Sed vbi non appareret hanc quoque defuncti fuisse voluntatem, neque vel dignitati vel
honori vel familiæ conueniret talem præsumi, non grauatim admittemus de liberis legitimè su-
sceptis conditionem fideicommissi intelligi [k]. Nam & hi propriè filij dicendi sunt. & ne longius
probationem repetamus, Iustinianus ipse in hac re, sobolis iustæ meminit [l]. Idque etiam tanto fa-
ciliùs intelligimus, vbi liberorũ facta expressim mentio est. Satis enim superque esse videtur, si taci-
tè interpretemur nihilominus consultum esse legitimis. Postremum illud est, quod ipse quoque
Papinianus tractauit [m].

Sed hæc longius à proposito nunc nostro recederent. Cõditiones tacitas persequamur, & ab
vltimis voluntatibus ad ea etiam quæ inter viuos geruntur, oculos reflectamus: vt detur conditio
24 ob causam non secuta, non est necesse causam illam fuisse expressam. Satis est si tacitè etiam inesse
intelligebatur. Si ab eo solo, qui dabat, cogitata esset: illi verò qui accipit, nulla significatione com
municata aut patefacta, certè inanis esset: & nihilominus pura & liberalis gratuitaq; donatio ha-
bebitur [n]. Sed si ex eo quod agitur, causâ quæ inest, intelligi posSit. pro expressa habebitur. Si (in-
quit Paulus) parendi conditioni causâ tibi dedero decem, & mox repudiauero hæreditatem, pos-
sum condicere [o]. Nempe satis apparet, meæ illi dationi causam hanc & conditionem subesse, si hæ-
reditatem consecutus ero. quam quidem hæreditatem nondum videor adijsse implendo condi-
tionem, sed tantum effecisse, vt adire possim. Mihi itaq; est adhuc integrum repudiare: vt non adi
ta hæreditate condicam, quod ob eam causam dedi. neq; hîc interest, non potuerim an noluerim
adire [p]. Eodem pertinet, quod in eodem tractatu, conditionis ob causam, sæpe inculcatur; nuptijs
25 non secutis condici posse quod dotis nomine datum est, etiam si nulla in eum casum expresSim
collata sit stipulatio dotis restituendæ. Sanè & Vlpianus ait [a], Stipulationem, quæ propter causam
dotis fit, habere in se conditionem hanc, *SI NVPTIAE FVERINT SECVTAE*: & ita demum ex
ea agi posse, quamuis non sit expressa conditio, *SI NVPTIAE CONSTANT*. Item [b], Si (inquit) ante
matrimonium æstimatæ res dotales sint, hæc æstimatio quasi sub conditione est. Nanq; hanc ha-
26 bet conditionem, *SI MATRIMONIVM FVERIT SECVTVM*. Quinimo donationes inter sponsum &
sponsam simpliciter factas, intelligi sub hac conditione fieri, Constantinus statuit. Paulus [c] quo-
que cùm generaliter tradidisset, conuentiones etiam tacitas valere, adiecit, huius rei argumẽtum
esse & stipulationem dotis causa factam. Namque dotem ante nuptias malè peti, quasi hoc ex-
pressum fuisset, vt nuptijs non secutis ipso iure euanescat stipulatio. Rectius fortasSis & aptius di-
27 xisset cum Vlpiano, non committi hanc stipulationem conditione defectam, & qui antè agit,
non modò malè agere, sed etiam nihil agere, vt loquitur Scæuola [d]. Sed cùm res satis intelligitur,
28 verba subtilius captare, ne cauillari videamur, opus non est. Si alia exempla conditionum tacita-
rum, quæ contractibus insunt, requiramus, multa proferri possunt. Ipse [e] Paulus narrat, cùm inter
locatorem & conductorem conuenisset, ne intra tempora locationis conductor inuitus expelle-
retur: alioqui pœnam ei certam præstaret locator: idque stipulatione simpliciter comprehensum
esset: quæsitum esse, cùm conductor biennij continui pensionem deinde non soluisset, an sine pœ-
næ metu expelli posSit. Sese autem respondisse; Quamuis nihil expressum sit in pœnali stipulatio-
ne de solutione pensionum; tamen verisimile esse, ita conuenisse de non expellendo colono intra

a L. liberto §. vlti. de annu. lega.
b L. cùm acutissimi. C. de fideicom.
c L. 114. filiusfam. §. cùm quæ rogatus. de leg. 2.
d L. 100. pater. §. ita boctus.
e L. 17. ex facto. § si quis autẽ. ad Trebell.
f L. fideicommissum. de cond. & demonst.
g L. si ita quis. §. vlti. de lega. 2.
h L. 17. ex facto. §. si quis rogatus. ad Treb.
i L. 88. Lucius Titius testamento. §. vlti. de leg. 2.
k L. filium. de his qui sui sunt vel alie. iur.
l L. generaliter. §. cũ autem ad si. C. de institut. & substit. sub cond. fact.
m dict. L. ex facto. §. ex facto.
n L. 3. §. si quis, in fin. de cõd. cau. da. L. penult. C. de condict. ob cau. dat.
o L 1. § vlti. de cond. cau. dat.
p L. 65. in summa 1. §. sed & ugere. de cõd. indeb.
a L. stipulationem. de iure dot.
b L. plerunq. §. si ante illutet.
c L. 4. de pactis.
d L. 1. §. vlti. quando dies vsusfr. lega.
e L. 54. quæro. §. inter locati.

tempora præfinita, si pensionibus paruerit, & vt oportet, paruerit. Simile & illud est; si conuenerit,
ne creditor pignus distrahat, tacitè inesse hanc conditionem; si debitor admonitus soluat. Itaque
si ter ei denuntiatum fuerit vt soluat, & cessauerit, creditorem rectè distrahere posse[a]. Sed ad su- 29
periorem Pauli locum reuertamur, quo quidem posteaquam docuit conuentiones etiam taci-
tas valere, & exempli loco promissionem dotis proposuisset, cui conditio hæc inest *SI NVPTIAE*
SEQVANTVR, adiecit[b]: Idem Iuliano placet, ex facto etiam consulto, cùm conuenisset, vt do-
nec vsuræ soluerentur, sors non peteretur: & stipulatio purè concepta fuisset: conditionem ines- 30
se stipulationi, atque si hoc expressum fuisset. Vt nobilem eum locum rectè intelligamus, inpri-
mis meminisse debemus quod Paulus[c] alio loco dixit; ea quæ præfationibus conuenisse conci-
piuntur, etiam in stipulationibus repetita videri. Præfationes vocat primam illam & principa- 31
lem conuentionem, quæ cum suis conditionibus præscribebatur prima tabularum parte primo- 32
que loco: Stipulationes verò, quæ de more adijciebantur tanquam appendices, omnibus con-
uentionibus atque contractibus. Quòd si aliud requiramus exemplum tacitæ huius repetitionis,
qua intelligimus conditiones præfationibus ascriptas, in stipulatione subiecta esse repetitas, repe-
ti etiam ex Pandectis[d] potest.

Sed vt ad testamenta redeamus, & quod de conditionibus, quæ repetitæ intelliguntur, &
quas propterea inter eas, quæ tacitæ insunt, referimus, dicamus quod dicendum superest. Iulianus
ait[e], in repetendis legatis hæc verba, quæ adijci solent, *ITEM DARE DAMNAS ESTO*, & ad
conditiones & ad dies legatorum eosdem repetendos referri. Ergo si vel eidem personæ, vel ab eo-
dem, vel ab eadem, res iterū legetur, conditio priori legato ascripta, inesse intelligetur tāquam re- 33
petita, huic secundo, licet id purè videatur repetitum. Quid si posteriori legato ascripta conditio
sit, an eadem priori videbitur inesse? Certè Pomponius[f], Si purè (inquit) tibi legauero, deinde
postea scripsero ita, *HOC AMPLIVS SI NAVIS EX ASIA VENERIT, HAERES MEVS*
EI FVNDVM DATO. verius est eo verbo *AMPLIVS* superiora repeti. Sed itáne superius lega-
tum repetitur, vt etiam eadem illi conditio ascripta videatur? Equidem nisi si de voluntate ali-
ter appareret, non existimarem. Sed conditionem prius ascriptam, in sequentibus facilius intel-
ligi repetitam, constat. Sic etiam Scæuola[g], Cùm libertis quis legâsset domum, ita vt ea de nomi-
ne non exiret: & adiecisset, *ET EO AMPLIVS EISDEM LIBERTIS DARI VOLO FVN-*
DVM: quæsitumque esset, an conditio apposita, *NE DE NOMINE EXIRET*, ad sequens quoque
legatum pertineret: respondit, pertinere. Sed & Papinianus[h] scripsit: Auia, quæ nepotem sub
conditione emancipationis, pro parte hæredem instituerat, ita postea codicillis scripsit: *HOC*
AMPLIVS NEPOTI MEO, QVAM QVOD EVM HAEREDEM INSTITVI, LEGO PRAE-
DIA ILLA. Conditionem emancipationis repetitam videri placet: quamuis auia nullam in le-
gatis, vt in hæreditate, substitutionem fecisset. Huc pertinet, quod cùm seruus purè liber, & hæ-
res scriptus sub conditione sit, &, si hæres non extiterit, legatum acceperit, in legato repetitam
videri conditionem, Diuum Pium rescripsisse Martianus[i] ait. Et adijcitur, hac ratione respon-
disse Papinianum, quod iam retuli eum respondisse. Et certè Papiniani responsum nominatim
sese tuetur hoc Diui Pij rescripto. Huc quoque referre potest, quod Callistratus, Cùm seruus ita
liber esse iussus esset, *SI RATIONES REDDIDERIT*: eique fundum etiam dare hæres dam-
natus esset: respondit[k], verum esse, quod quidam putant, eandem conditionem etiam legato
insertam esse. Postremò & Paulus, Cùm seruo alieno fideicommissum ab vno ex hæredibus sub
conditione libertatis fuisset datum, idemque seruus eidem hæredi substitutus: respondit[l], licet
purè substitutio facta sit, tamen sub eadem conditione substitui videri, sub qua fideicommis-
sum meruit. Ex his satis intelligimus conditionem vni legato ascriptam, in altero repeti- 34
tam videri, & ascriptam institutioni, legato inesse: vel fideicommisso adiectam, in sub-
stitutione intelligi repetitam, præsertim vbi de eadem persona agitur. Quæ quidem om-
nia ad caput Conditionum tacitarum, quæ etsi expressæ non sint, inesse tamen intelli-
guntur, reuoco.

Proximum nūc illud est vt subijciamus, quod in hoc tractatu dicitur[m]; Legatum sub con-
ditione relictum, si non conditio personæ cohæreat, sub eadem conditione translatum videri. A-
gitur de legato, quod vni adimitur, & in alium transfertur, propterea que & in tractatu de Adi- 35
mendis legatis repetitum id est. Quo quidem etiam loco adijcitur exemplum conditionis, quæ
quia personæ cohæreat, in translatione non intelligitur repetita, nempe cùm vxori domus legata
esset *SI LIBEROS SVSTVLERIT*. Si enim hoc legatum in alium transferatur, non videri re-
petitam conditionem, quæ fuit in persona mulieris necessaria, rectè respondit Papinianus[n]. Illud
prætereundum non est, quod Caius[o] ait, sub conditione hærede instituto, si substituamus: nisi ean
dem conditionem repetamus; purè eum hæredem nos instituere intelligi. Inest substitutioni 36
semper illa cōditio *SI HAERES ILLE NON ERIT*, & satis superque est, eadem legata in substitutione
repetita intelligi. easdémque partes, quæ erant in institutione expressæ[p]. Quorsum substitutio-
nem alioqui purè conceptam aliis præterea tacitis repetitionibus oneraremus, & ad illud pericu-
lum rem reuocaremus, vt nullum habeat testator ex testamento hæredem? quanquam iusta ratio
sit, cur antea responsum esse diximus; si seruo alieno sub conditione libertatis fideicōmissum fit re
lictum, & idem substitutus hæredi: sub eadem conditione substitutum intelligi, sub qua erat ei re-
lictum

a L.4.de pign.act.
b L.4.§.vlt.de pact.
c L.134. Titia.§.idē respondit.de ver.obl.
d L.vlt.§.vlti.de resci.vend.
e L.63.in repetendis.de lega.3.
f L.54.si purè tibi.de lega.3.
g L.107.libertis.de cond.& demon.
h L.76.auia.illo tit.
i L.18.cùm seruus.de condi.instit.
k L.71.cùm seruus.de condi.& demon.
l L.83.Latinus.§.vl.de lega.2.
m L.94.legatum.de cond.& demon.
n L.legatā sub conditione.de adi.leg.
o L.73.sub cōditione.de hæred.instit.
p L.licet Imperator.de lega.1.l quisliberis.§.vl.de vulg.& pup.

lictum fideicommissum. Nam & hanc testatoris fuisse voluntatē satis apparet. Quid si non trans-
feratur, sed deficiens legati conditionalis portio accrescat alteri, cui res eadem purè relicta etiam
fuerat? Certè si verbis disiuncti sint eiusdem rei legatarij: veluti si separatim Titio totus fundus pu
rè, & alteri sub conditione legatus sit: si alter ille ante conditionem decedat; non tenebitur eius
conditione Titius [a]. Suo enim iure quodam totum legatum consequitur, non ex alterius perso-
na: magisque hic esse videtur ius esse decrescendi (si ita loqui licet) quàm accrescendi. Idémque tri
buetur & ipsius Titij hæredi [b]. Si verò verbis etiam coniuncti sint, deficiens portio vt cum suo one
re accrescit, sic etiam suam circunferet conditionem ad eum, cui accrescit: quod latius Iustinianus
tractat in illa sua nobili cōstitutione de Caducis tollendis. & nos antea pluribus verbis rem hanc
alio loco explicuimus [c]. Nunc, vt absoluamus hoc caput de conditionibus, quæ repetitæ intelli-
guntur, subijciamus insigne Iaboleni responsum, quod in hoc quoque tractatu proponitur, [d] in
hæc verba.

a L. 29. si separatim. de cond. & demon.
b L. 25. hæc scriptura. §. 1. de cond. & dem.
c Sup. de adim. lega.
d L. 39. quæ conditio. de condit.

§. *Quæ conditio.*

1 *Quid, si conditio prima testamenti parte præponatur ante, vel etiam postremo loco subijciatur post omnes gradus?*
2.4 *Quid, si cōditio institutionum inter plures gradus, plurésve vnius gradus personas veluti media scribatur?*
3 *Facilius in legatorum quàm institutionum gradibus repetita intelligitur conditio.*
5 *Exhæredatus inter institutionem hæredis & substitutionem, ab vtroq; gradu exhæredatus intelligitur.*
6 *Conditio institutionum quo latius patet, tātò maius habet periculum subuertendi testamenti.*
7 *Qui non omnes sed aliquos hæredum legatorum præstatione onerare vult, nominatim dānare oportet.*
8 *Legata ab hæredibus relicta, à substitutis quoq; repetita intelliguntur.*
9 *Vbi persona industria electa est, ab ea non receditur.*
10 *I. Quæritur, an sit cōditio. II. quæ & qualis. III. quæ vis eius sit & potestas.*
11 *Conditionum aliæ arbitraria & promiscuæ, aliæ fortuitæ sunt, siue casuales.*
12 *Cōditionem arbitrariā pro pura haberi: fallit nu. 13.*
14.15 *Conditio arbitraria siue promiscua quid?*
16 *Si conditio arbitraria casu deficiat, habetur pro impleta.*
17 *Promiscuas conditiones mortuo testamento implendas esse, fortuitas eo viuo rectè existere.*
18 *Mixtæ conditiones pro fortuitis magis habentur.*
19.20.21 *Conditio dandi vel faciendi cur plerunque pro fortuita habeatur?*

Quæ conditio ad genus personarum, non ad certas & notas personas pertineat: eam
existimamus totius esse testamenti, & ad omnes hæredes institutos pertinere. At quæ con
ditio ad certas personas accommodata fuerit: eam referre debemus ad eum duntaxat gra
dum, quo hæ personæ institutæ fuerunt.

Si duabus regulis quod hic quæritur concludamus, rationem atque probationem ex hoc re-
sponso commodè ijs adijciemus. Prior sit hæc: Si conditio prima testamenti parte proponatur an-
te omnes gradus, vel etiam postremo loco subijciatur post omnes gradus: cōditio erit totius testa-
menti, & ad genus personarum, omnesq; personas & omnes gradus pertinebit, non secus atq; si
in singulis nominatim repetita esset. veluti si ita scriptum sit: *SI NAVIS EX ASIA VENERIT, IN-*
1 *STITVO TITIVM ET SEIVM, HISQVE SVBSTITVO SEMPRONIVM ET CAIVM, LEGOQVE TI-*
TIO CENTVM ET SEIO DOMVM, ET HIS IN REBVS SVBSTITVO SEMPRONIVM. Inerit his o-
mnibus & institutionibus & substitutionibus & legatis eadem conditio. Idem & multo quidem
magis, si scriptum sit, *INSTITVO CAIVM ET SEIVM, SVBSTITVOQVE SEMPRONIVM, ET LEGO*
TITIO & cætera, *SI NAVIS EX ASIA VENERIT.* Sanè & cùm scriptū esset, *LEGO VSVMFRVCTVM*
MVLIERI ET TITIO, SI MVLIER NON NVPSERIT: responsum est [e] vtriusq; legatum esse condi-
tionale: quanquam mulier nubendo non dicatur conditione defecta: quia in eius persona condi-
tio turpis sit & contra bonos mores, proptereaq; ei impunè non pareat. Atq; hac quidē in re con-
ditio benè conuenit cum exhæredatione & onere legatorum. Sic enim & qui primo loco exhære-
datur, intelligitur exhæredatus ab omnibus qui subijciuntur gradibus tum institutionum, tum
substitutionum [f]. Et exhæredatio omnibus gradibus subiecta, ad eos omnes referri atq; pertinere
intelligitur [g]. De legatis ascriptis idem & multo quidem etiam magis sentiendum esse dubium
non est [h]. Altera regula huius loci est; Si conditio, saltem institutionum, inter plures gradus, plu-
résve vnius gradus personas veluti media scribatur atq; inseratur: non nisi ad præcedentes refer-
2 tur: ad inferiores verò non pertinet. Veluti, *INSTITVO TITIVM SI NAVIS EX ASIA VENERIT:*
TITIO SVBSTITVO CAIVM. Conditionem post institutionem appositam, non nisi ad eam perti-
nere: neque in subiecta substitutione repetitam videri constat [i], quanquam non idem dici de con-
ditionibus legatorum supra dictum sit. Nam si legauero tibi domum *SI TITIO DECEM DE-*
DERIS, & in eodem legato simpliciter substituam tibi Sempronium: conditio in hac substitutio-
ne intelligetur repetita [k]. quia non modò continet fauorabilem alterius legati causam, sed & nul-

e L. mulieri & Titio. de cond. & dem.
f L. 3. §. filius. de lib. & posth.
g L. 1. C. de lib. Præt.
h L. si plures. de leg. 3.
i L. sub conditione hærede. de hæred. instit.
k L. vna. §. pro secundo, C. de cadu. toll.

 lum cir-

lum circunfert testamenti subuertendi periculum. Facilius itaque in legatorum gradibus quàm 3
institutionum, repetita conditio intelligitur. Quòd si conditio non inter plures gradus, sed plu- 4
res vnius gradus personas scribatur: siue de hæredibus agatur, siue de legatarijs, non nisi ad præ-
cedentes refertur. Vt si dictum sit, *TITIVM SI NAVIS EX ASIA VENERIT, ET SEM-
PRONIVM HAEREDES INSTITVO*: non erit Sempronij institutio conditionalis. Sed &
cùm legatum ita esset, *SEIO, SI MIHI HAERES NON ERIT, ET VXORI EIVS CEN-
TVM LEGO*: Seiusque hæres extitisset. vxori nihilominus legati partem deberi Scæuola [a] re-
spondit. quo responso apertè significat non fuisse, quod vxori legatum erat, sub ea conditione le-
gatum. Exhæredationis filijfamilias alia ratio est. Nam si scripta simpliciter inter plures gradus,
veluti inter institutionem & substitutionem. plurésve vnius gradus personas, veluti inter me-
dias hæredum institutiones, ad omnes pertinere totumque genus referri, constat [b]. Nam qui 5
exhæredatus est medio loco inter institutionem hæredis & substitutionem: ab vtroque gradu
exhæredatus intelligitur. Et qui exhæredatus est hoc modo, *INSTITVO TITIVM, FILIVM
EXHAEREDO, SEMPRONIVMQVE ALTERVM HAEREDEM INSTITVO*, exhæredatus
dicetur à toto gradu institutionis, & tam à parte Sempronij, quàm Titij. Nempe vitiosa esset
alioqui exhæredatio, & gradum illum rumperet, à quo toto facta non esset. propterea que faci-
lius protenditur, vt testamentum potius valeat, & ne filiusfamilias pro præterito habeatur. Nam
interea satis consultum est exhæredato per querelam inofficiosi. At conditio præsertim institu-
tionum, quo latius patet, tanto maius habet periculum testamenti subuertendi. Itaque iusta cau- 6
sa est, cur potius restringatur. Deinde cùm non sit nisi quædam veluti appendix & accessio al-
terius principalis voluntatis: satis superque est, si ad eam partem principalem, quæ præcedit, re-
feratur, ex qua sola dependere videatur. Quòd ad onus legatorum attinet, quia continet fauo-
rabilem causam, nullùmve periculum testamento inferat, facilius quoque repetitum intelligi-
tur, etsi inter plures gradus, pluresve vnius gradus personas ascribatur. Paulus ait [c]: Si plures
sint gradus hæredum, & scriptum sit, *HAERES MEVS DATO*, ad omnes gradus hic sermo per-
tinet. Itaque si quis velit non omnes hæredes onerare legatorum præstatione, sed aliquos ex his; 7
nominatim damnare oportet. Et quidem legata ab hæredibus relicta, abs substitutis quoque
repetita intelligi constat [d]. Porrò conditiones quæ personæ cohærent, non posse in alia persona 8
intelligi repetitas, & abs Iustiniano de caducis tollendis agente statutum, & suprà quoque dictum
est cùm de pura translatione legati conditionalis ageretur. & exemplum hoc propositum est,
LEGO VXORI SI LIBEROS SVSTVLERIT. hæc conditio personæ cohæret [e]. Ad alium
itaque trahi non potest. Sed & cùm quæritur an conditio per alium impleri possit, intuemur, an
personæ cohæreat. Nam generaliter, vbi personæ industria electa sit, ab ea non receditur, quia ma- 9
gna inter artifices differentia esse dicatur [f] Denique interdum cõditio dicitur cohærere illius per-
sonæ, in cuius omnino persona impleri debet. vt conditio *SI DEDERIS CENTVM SERVO*: non di-
cetur impleta, nisi ipsi seruo datum sit [g].

Sed transeamus ad aliam conditionum principalem diuisionem. Id enim proximum nunc
esse videtur, vt ad earum deinde vim & naturam descendamus, posteaquam iam dictum est de
conditionibus ascriptis, & quæ ascriptæ tacitè intelligantur. Prima semper quæstio est, an sit con-
ditio. Proxima verò, quæ & qualis illa sit. Postremò de eius vi & potestate quæritur. Quod igi-
tur de secundo illo capite dicendum superest, breuiter persequamur. Quæ dicta sunt hactenus, 10
propriè pertinent ad illud primum caput, quo quæritur an conditio sit. Vbi constat esse conditio-
nem, siue ea sit expressa siue tacita; & quidem conditionem ad futurum relatam esse, & quæ facti
sit non iuris (hæc enim demum propriè est conditio, vt dictum est) tum antequam de natura &
potestate conditionum agamus, inprimis hæc proponenda est principalis diuisio conditionum,
quòd aliæ sint arbitrariæ & promiscuæ, quas ipse etiam Iustinianus [h] appellat potestatiuas, quia 11
esse dicuntur in potestate, aliæ verò fortuitæ, siue nec promiscuæ, quas vocant casuales. Magnum
autem & multiplex inter eas discrimen est. Ac quidem sub finem huius tractatus, vbi quæritur, an
conditio existens retrotrahatur, illustre discrimen proponemus. Nunc reliqua persequamur. Fi-
liusfamilias qui sub alia conditione hæres institui non bene potest, posse sub conditione planè 12
arbitraria institui [i]. Nam & hanc pro pura haberi debere ait Vlpianus [k], cùm loquitur de eo, qui o-
missa causa testamenti, in quo scriptus est hæres sub ea conditione, quæ in arbitrio eius sit, ab inte-
stato possidet hæreditatem: vt edicto teneatur non secus atq; si purè fuisset institutus. Sanè tamen
alioqui hęc conditio non ita semper habetur pro pura, vt etiam pro expleta habeatur. Quid enim? 13
Quod sub conditione relictum est, non pertinere ad nos antequam conditio existat, propterea-
que nec ante conditionem repudiari posse, responsum generaliter est [l]. Nihil autem tum interesse,
qualis qualis sit conditio, etsi in arbitrium collata fuerit, Vlpianus [m] adiecit, cùm doceret; hære-
dem institutum sub conditione nihil agere, si ante conditionem existentem repudiauit Sed tunc
sicuti & in hoc capite non appellamus conditionem arbitrariam. quæ in arbitrium aut meram
voluntatem alicuius sic confertur, vt nullo præterea facto sit opus. Verba enim hæc, *TITIVS SI
VOLET, HAERES ESTO*: conditionem propriè non facere constat [n]. Et si in alterius arbitrium
ita expressim conferretur, quod alicui relinquitur, inutile esset. Sed conditionem arbitrariam
siue promiscuam nunc vocamus, quæ facilè impleri potest, quandocunq; eam explere voluerit is, 14
cui ascri-

a L. vl. §. Seio. de le. 2.
b L. 3. § filius. de lib. & posth.
c L. si plures. de leg. 3.
d L. licet Imperator. de leg. 1.
e L. legatum sub conditione. de adim. leg.
f L. inter artifices. de solut.
g L. qui heredi l. Meuium. de condit.
h L. vna. C. de ca. toll.
i L. 4. de her. instit. l. vlt. de cond. instit.
k L. 1. §. qui sub conditione si quis om. cau. testa.
l L. 45 si ita scriptum. §. 1 de lega. 2.
m L. 13 is qui heres. de acquir. hered.
n L. verba hæc. de condit. inst. l. si nonnunquam. hoc tit.

cui aſcripta eſt.vt non ita nudæ voluntatis ſit,quin factum etiam aliquod requirat. Ergo hæc verba efficiunt conditionem, SI CAPITOLIVM ASCENDERIS, HÆRES ESTO. Et hæc quoque admittit, TV MIHI HÆRES ESTO, SI TITIVS CAPITOLIVM ASCENDERIT, vel ſi ſub conditione ita concepta tibi aliquid legatum ſit. Quod Modeſtinus [a] tradidit,cùm doceret nonnunquam contingere,vt quædam nominatim expreſſa officiant,quamuis omiſſa tacitè intelligi potuiſſent, nec tunc eſſent obfutura. Nihil quidem intereſſe videtur vtrum SI IN CAPITOLIVM ASCENDERIT, an, SI VOLVERIT, dicas, vt inquit Vlpianus [b]. Vtrobique enim conditio eſt arbitraria. Sed hæc tamen longè magis in arbitrium collata eſt, vtpote quæ à mera voluntate pendet. Illa verò arbitraria etiam dici poteſt: ſed tamen aliud, præter voluntatem, quippiam requirit. Quò pertinet, quod Vlpianus [c] ait non prius diem cedere, quàm conditio fuerit impleta, ne quidem ſi ea ſit conditio, quæ in poteſtate ſit legatarij. Multum itaque intereſt, cùm vim & naturam v-
15 triuſque propius conferimus. Et quidem cùm Vlpianus [d] ait, hæredem ante conditionem non poſſe repudiare, qualis qualis fuerit conditio, etſi in arbitrium collata eſt: conditionem arbitrariam intelligimus, de qua etiam hic propriè agimus, quæ nõ nuda voluntate expleatur, ſed etiam alicuius facti ſit: veluti, SI IN CAPITOLIVM ASCENDERIT, SI DECEM DEDERIT: Non enim his verbis illud ſolum continetur, SI VOLVERIT ASCENDERE VEL DARE, ſed etiam, SI ASCENDERIT, SI DEDERIT. Itaque & qui ita inſtitutus hæres eſt: etſi dixerit nolle ſe dare, nondum eſt omnino excluſus hæreditate: nondum enim conſtat eum non dediſſe, cùm dare, quandiu viuet, poſsit: neque prius defecta hæc conditio dici poteſt. Vt neque eam impleuiſſe dicetur, qui dixerit velle ſe dare, niſi etiam dederit. Quid igitur? Tum demum vbi dederit, hoc eſt, conditionem impleuerit, rectè, ſi velit hæreditatem iam delatam, repudiat, quam adire integrum illi erat. Sed hæc alio magis ſuo loco diligentius adhuc excutientur. Porrò vt naturam conditionis arbitrariæ & fortuitæ non eandem eſſe magis etiam hic intelligamus, ſi hæc condi-
16 tio arbitraria, de qua nunc agimus, per aliquem caſum deficiat, habetur pro impleta, præſertim ſi nihil eſt quod ei imputetur, in cuius ab initio poteſtatem collata erat. Sed & cùm quæritur, an
17 conditio per alium impleri poſsit, magna differentia eſt. Poſtremò & vbi de tempore agitur, quo implenda conditio ſit. Nam promiſcuas conditiones poſt mortem teſtatoris impleri oportere: Fortuitas verò etiam eo viuo rectè exiſtere conſtat. Et quidem illæ ab eo, qui hoc ſciens agit implendæ ſunt. Sed hæc diligentius excutientur in eo capite, quo de implendis conditionibus &
18 defectis agemus. Illud autem prius notandum eſt, quaſdam eſſe conditiones mixtas, quæ partim arbitrariæ, partim fortuitæ eſſe videntur. Magis autem eæ pro fortuitis habentur. Vt conditio hæc [e], SI NVPSERIS, non enim vnius arbitrio, ſed duorum conſenſu nuptiæ contrahuntur. neque ſemper integrum eſt aut maritum aut vxorem inuenire. Sic & hæc conditio, SI
19 TITIVM ADOPTAVERIS. Itaque ſi te parato adoptare, Titius ſe nolit arrogandum dare, conditionem pro expleta haberi ait Iulianus [f]. Sed & conditio dandi faciendive, propter difficultatem plerunque magis habetur pro fortuita. Vlpianus [g] ait; Puto rectè generaliter definiri: vtrum in poteſtate fuerit conditio, an non fuerit, facti poteſtas eſt: vel, vt alij legunt, facti potius eſt. Certè hæc poteſtas facti eſt. Eſt igitur & huius generis quæſtio magis facti quàm iuris. Ideoque in vniuerſum definiri vix poſsit, quænam arbitraria ſit conditio: Nam & quæ mihi erit, alte-
20 ri non erit. Hæc enim res ex circunſtantijs pendet. Addit itaque Vlpianus: Poteſt hæc conditio SI ALEXANDRIAM PERVENERIT, non eſſe in arbitrio propter hiemis conditionem. Poteſt & eſſe, ſi ei, qui à primo miliario Alexandriæ agat, ſit interpoſita. Poteſt & hæc, SI TITIO DECEM DEDERIT. Sanè & Imperator Alexander, qui conſilio Vlpiani vtebatur, cùm tradidiſſet, patrem iure teſtatum non videri, ſi ſuum filiumfamilias ſub conditione, quæ in eius poteſtate non erat, hæredem ſcripſit, exemplum hoc adiecit [h]; Cùm trans mare & longè te agentem, ſub hac conditione hæredem ſcriptum eſſe dicas, ſi in patriam, quæ in prouincia Mauritaniæ erat, regreſſus fuiſſes: manifeſtum eſt, multis caſibus non voluntatijs, ſed fortuitis euenire potuiſſe, vt eam implere non poſſes. Porrò & hanc conditionem SI DECEM DEDERIT, modò in
21 poteſtate eſſe, modò non eſſe, ſed eſſe in difficili ait idem Vlpianus [i]. Quid enim ſi ei aſcribatur, qui decem non habet, aut commodè & facilè dare non poteſt? Sed & ſi vtraque hæc conditio, SI FECERIT, SI DEDERIT, arbitraria ſit, intereſt tamen: quod cùm factum cohæreat perſonæ, ab alio illa impleri non poſsit, ſed neque vlǒmo vitæ ſpiritu. Hæc verò, SI DEDERIT, & ab alio expleri poteſt, & nouiſsimo quoque tempore cùm quis moritur. Sed tempus eſt vt latius tractemus: De conditionibus implendis agetur, poſt diuiſiones conditionum explicatas. Nam quod attinet ad conditiones impoſsibiles & turpes, quæ vel impleri non poſſunt vel non debent, alio loco tractabo [k].

a dic. l. nonnunquam.
b L. 1. de legat. 2.
c L. 5. §. 1. quando dies leg. ced.
d dic. l. si qui hæres.
e L. hæc conditio ſiliæ. de cond. & demonſt. l. ſi quis hæredem. C. de inſt. & ſubſtit.
f L. 11. ſi quis in teſtamento. de cond. inſtit.
g L. 4. § puto. de hæred. inſtit.
h L. 4. C. de inſti. & ſubſt.
i dic. § puto.
k § impoſsibiles. inſt. de inutil. ſtipulat.

§. De conditionibus.

1 De conditionibus in non faciendo conceptis.
2.3 Mutianæ cautionis beneficium ſiue remediũ quod?
4 Quid, ſi ſub modo relictum aliquid ſit?
5 Cautio Mutiana dicitur interdum & ſatiſdatio.
6 Interdum Iuratoriam *cautionem ſufficere; interdum* Hypothecariam; *interdum &* fideiuſſoriam *requiri.*
7 Mutiana cautio quibus præſtanda?
8 Quid cautio Mutiana contineat?
9 Quando eadem vel exigatur vel admittatur.

P 4 10 Probibi-

10 Probibitiones quales esse oporteat?
11.25. Libertatis legatum singulare.
12 Cautioni Mutianæ locus est in conditionibus arbitrarijs siue promiscuis, non in fortuitis.
13 Ominosa interponendarum cautionum interpretationes vitandæ.
14 Mutianam in stipulationum conditionibus non facilè locum habere.
15 An conditio scindi vel diuidi possit?
16 Pœna an in solidum committatur, si quid pro parte non detur, vel non fiat?
17 Subtilitas Iuris Ciuilis, aliquando asperior, præbuit occasionem Iuri tum Prætorio, tum deniq; Canonico siue Pontificio.
18 Cum vnus vnam rem vni vel etiam pluribus debet, Totum dare debet; nec prodest partem dedisse, vbi de conditione implenda agitur.
19 Ad vsurarum cursum sistendum, vel modum imminuendum, non prodest partem sortis soluisse.
20 Conditio, quasi tacita voluntas, reddit solutionem indiuisam.
21 Conditionem scindi aut pro parte impleri ne tunc quidem posse, si de pœna vitanda agatur; nedum si agatur de consequendo legato. fallit numer. 22.
23 Conditionis onus metiendum ex emolumento cui adiectum est.
24 Quid si pars rei legatæ vsucapta sit?
26 An quod duobus dandum, ita dandum, ac si vni dandum esset?
27 In eo quod vni sub conditione legatum est, scindi ex Accidente conditio non debet.
28 Ex persona hæredum conditio obligationis non immutatur.
29 Quid si, vbi factum est diuiduum, vnus promissoris hæres, non pareat conditioni stipulationis?
30.31 Vulgares interpretes reprehensi.
32 Enumeratione plurium personarum, conditionem ijs ascriptam scindi atq; diuidi.
33.34 Conditio nominatim promissori & hæredibus eius ascripta, perinde est atq; pluribus principalibus promissoribus ascripta.
35 Si duorum seruo legatum sit sub conditione dandi, an per partes conditioni pareri possit?
36.37 Quid, si in conditione, pluribus ascripta, aliquod sit factum indiuiduum?
38 Ex voluntatis coniectura conditiones obscuriores æstimandæ.
39 Si plures personæ vnam conditionem implere fuerint iussæ; an singuli quasi soli implere eam compellantur?

De conditionibus explendis caput cùm latißimè paret, tum verò multos continet Iuris Ci-
uilis obscuros & difficiles locos. Conabimur tamen quicquid id est, breuiter & perspicuè comple-
cti. Ac primùm quidem dicendum videtur de ijs conditionibus in non faciendo conceptis, quæ 1
expletæ omnino dici propriè non possunt, nisi moriente eo, cui ascriptæ sunt. Sed antea tamē pro
expletis habentur beneficio cautionis Mutianæ. Sic enim & Iulianus scribit [a]; Eum, qui ita hæres 2
institutus est, *SI SERVVM HAEREDITARIVM NON MANVMISERIT*: cauentem cohæredi, implere
conditionem. quæ quidem noua & singularis est explendæ conditionis ratio, valdeque expedita:
tametsi eius explicatio interpreti multum obijciat difficultatis. Huius cautionis author fuit
Q. Mutius Scæuola, tam illustris Iuriscon sultus, quàm integer & nobilis Proconsul Asiæ. Qui qui-
dem & patris sui P. Mutij, & sui auunculi P. Licinij Crassi Mutiani prudentiam summam non
imitatus modò est, sed & longè etiam supe[illegible] quæ de Mutio in Pandectis paßim occurrunt,
meminerimus ad hunc nostrum Q. Muti[illegible]re. Certè eum inuenisse cautionem eam de qua
nunc agitur, ipse quoque Iustinianus te[illegible] est in sua Constitut. Nou. 22. ad fi. Videbat, testamen- 2
tis, institutionibus hæredum, & legatis, pleru[illegible]cribi conditiones negatiuè conceptas, *SI
NON FECERIS*: quas existere, & impletas esse, [illegible] mortem eius, cui ascribebantur, certum esse
non poterat. Tandiu verò testamenta pendere[illegible] legatorum præstationem differri, dirum esse
videbatur. Vt itaque huic incommodo occurr[illegible]et, cautionem, cuius vsum probauit pop. Rom. in-
troduxit, vt qui cauisset sese non facturum, statim consequeretur quod relictum erat, perinde at-
que si iam certum fuisset, id eum non fecisse. Commendat vtilitatem huius cautionis Vlpianus.
Sed ipsa sese satis commendat. Et quid tandem alioqui futurum erat legato sub tali conditione
vsufructus? Inutile esset hoc legatum, si ad legatarij vsque mortem, qua extingueretur, differatur.
Sed huic remedium Mutianæ cautionis succurrit, vt inquit Papinianus [b]. At placuit quidem tam 3
valde Romanis vsus cautionis huius Mutianæ, vt etiam ad eius exemplum quædam aliæ non dis-
similes cautiones introductæ sint. Si sit aliquid relictum sub modo, exigi cautionem neque lega- 4
tum aliter præstari paulo post tempora Mutij respondit Trebatius [c], & dictum alio loco à nobis
anteà est. Sed & cùm ita legatum esset, *HAERES MEVS TITIO FVNDVM DATO: ET SI EVM TI-
TIVS ALIENAVERIT, EVNDEM SEIO DATO*: Vlpianus [d] respondit oneratum esse hæredem & pu-
ro & conditionali legato. Doli verò exceptione proposita posse sibi prospicere, vt caueat Titius
sese fundum nō alienaturum. Nam & sub ea conditione videtur ei legatus: cùm sit expresßim sub
contraria conditione ademptus. Porrò quæ cautio Mutiana sæpius appellatur, interdum etiam 5
Satisdatio vocatur [e]. Quæ vox significat fideiussores hic esse dandos. Nam satisdationis ea signifi-
catio est [f]. Cæterùm Iustinianus Nouella sua Constit. 22. diligentius hanc rem distinguit, & signi-
ficat interdum iuratoriam cautionem hic sufficere, interdum hypothecariam; interdum etiam
fideiussoriam requiri. Sed cui præstanda hæc Mutiana cautio est? Iulianus [g] generaliter respondit, 6
his præstari, quorum interest. Caius [h] verò paulo apertius ait ei caueri, ad quem Iure Ciuili defici- 7
ente conditione, hoc legatum eáve hæreditas pertinere potest. Si sit hæres institutus sub conditio-
ne non faciendi, cauebit suo cohæredi, vel si cohæredem non haber, ijs qui ab intestato venirent:
nisi tale factum sit, cui satis obstet ipsa aditio hæreditatis [i]. Si sit relictum legatum, cauebit legata-
rius hæ-

a L. 4. §. vlt. de cond. inst.
b L. 78. hæres meus. §. quamuis. hoc tit.
c L. quibus diebus. §. vlt. de cond.
d L. si quis ita legauerit. §. si quis ita legauerit. de adim. lega.
e L. hoc genus. & L. cum sub hac. hoc tit.
f L. 1. qui satisd. cogū.
g L. 65. seruo. § si testator. ad Trebell.
h L. ii cui. de condit.
i L. 7. hoc tit.

rius hæredi. Sed si res eadem alteri legata sit sub contraria conditione, iusta tamen adhuc causa est,
cur hæres caueri sibi postulet[a]. Nam & fieri adhuc potest, vt hæredi res illa acquiratur; nempe si se-
cundus ille legatarius moreretur antequam conditio existeret: & semper hæredis interesse vide-
tur, qui illi secundo legatario dare iussus est existente conditione. Sanè si cautio (inquit Papinia-
nus[b]) medio tempore defecerit, quæ solicitè fuerat exacta, hæres de suo nihil præstabit: sed quia ni-
hil ei potest obijci, actiones tantùm suas cedet. Iam verò si quæratur, quid contineat Mutiana cau-
tio: Labeo[c] ait, ea commissa, vel fundum vel quanti ea res est, restitui. Apertius[d] respondit, & rei
& fructuum omnium simul restituendorum nomine caueri. Sed diligentius totam hanc rem di-
stinguit Iustinianus Nou. Constit. 22. Porrò præcipua nunc quæstio est, quando vel admittatur vel
exigatur hæc cautio. Vlpianus[e] ait; eius vtilitatem consistere in conditionibus, quæ in non facien-
do conceptæ sunt: Papinianus[f]; In conditionibus quæ morte legatariorum finiuntur, Iulianus[g]
in conditionibus; quæ nisi fine vitæ, expleri non possunt. Iustinianus autem ait, Mutium hanc
cautionem excogitasse & introduxisse *εἰς τὰς τῶν πραγμάτων κωλύσεις*. [super his quæ ex facti prohi-
bitione penderent.] Hæc priusquam excutiamus illud inprimis reddendum est, prohibitionem
esse debere nec iniquam, nec inhonestam, nec iure improbatam. Nam vbi remittitur conditio
tanquam turpis, cautionem quoque remitti constat[h]. Deinde si non agatur de facto eius, cui ita
relinquitur, certum est eum non cauere. Si sit pœnæ nomine ita relictum, *SI ID NON FECERIS
HAERES, DATO TITIO CENTVM*: committetur conditio & legatum præstabitur, cùm hæres facere
potuit, & non fecit, præsertim si interpellatus[i] sit. Sed & in legato libertatis hoc singulare est, vt si
relicta seruo sit, *SI IN CAPITOLIVM NON ASCENDERIT*, talem conditionem ita accipiamus atq;
si dictum esset, *SI CVM PRIMVM POTVERIT, IN CAPITOLIVM NON ASCENDERIT*, vt si facul-
tare data ascendendi in Capitolium, abstinuerit seruus, ad libertatem quasi impleta conditione
12 statim perueniat[k]: nisi si appareat aliud voluisse testatorem. Porrò satis intelligi etiam potest,
conditiones esse debere arbitrarias siue promiscuas, non autem fortuitas, vt cautio Mutiana lo-
cum habeat. Quid enim caueremus, si res in potestate nostra non est, & vbi vel inuitis nobis po-
test aut deficere aut existere? Denique in ijs solis, quas alioqui legatario, cui ascriptæ sunt, viuo
certum esse non possit, expletas esse. Itaque & cùm ita scriptum esset, *LEGO MVLIERI CEN-
TVM, SI A MARITO SVO NON DISCESSERIT*: respondit Papinianus[l], Mutianam
cautionem non habere locum, quia morte viri conditio possit existere, viua nempe adhuc ipsa
muliere. Cæterùm pietatis causa suasit vt non idem responderet cum ita scriptum esset, *LEGO
MVLIERI CENTVM, SI A FILIIS SVIS NON DISCESSERIT*: Imò verò ait[m] dupli-
13 cuisse sententiam eorum, qui negabant mulierem rectè hic cauere, quasi mortuis liberis legati
conditio posset existere: & humanissimè contendit, non esse voto matris opponendã tam omi-
nosam non interponendæ cautionis interpretationem. (sic enim is locus legendus est.) Signi-
ficat itaque Papinianus, matri, cuius pium & naturale votum est, liberos sibi etiam superstites es-
se[n], non esse, si cauere hic velit, obijciendam tristem illam non interponendæ cautionis ratio-
nem, quòd filijs ipsa superesse possit, & illi antè decedere: Nam neque tam malum omen ad-
14 mittit piæ matris cogitatio. Cauebit itaque hic mater quasi certum esset filios superstites fo-
re, & præstita cautione statim legatum consequetur. Mutianam cautionem in conditionibus
stipulationum atque contractuum non temerè locum habere dictum est alio loco[o]. quanquam
vbi sub modo aliquid debetur, siue ex testamento, siue etiam ex contractu, cautio semper habeat
locum[p]. Sed de hac cautione dictum etiam alio loco est. Illud postremò circa Mutianam cau-
tionem notandum est, quod Papinianus[a] ait, eam locum non habere, si per aliam conditionem
actio legati differri possit. Finge duplicem esse conditionem, alteram faciendi, alteram non fa-
ciendi: Veluti, Lego tibi centum, *SI ILLVD FECERIS, ET ALIQVID ALIVD NON FE-
CERIS*: hic certè nihil prodesset cauere te non facturum, nisi etiam feceris, quod facere iussus es.
Nam neque alioqui impleta dici posset tota hæc conditio. Quod quidem & ad proximum caput
pertinere videtur.

In tractatu de conditionibus explendis, cùm & multæ & graues sint quæstiones, tum verò
15 illa quæ nobilissima est, nunc inprimis occurrit; An conditio scindi possit aut diuidi, & an ali-
quid prosit, pro parte eam impleri. Quæ quidem quæstio multos & illustres Iuris Ciuilis locos
attingit, neque minus variam quàm vtilem continet disputationem. Ac quidem aliquot in ti-
tul. de Conditionibus locis attingitur[b]. Sed complures alij Pandectarum loci sunt, qui eodem
pertinent, & quos hic simul complecti necesse est. Iustinianus[c] vnam aliquam in hoc genere spe-
ciem commemorat, de qua apud Vlpianum dubitabatur. Sed plures aliæ occurrent dubitationes,
si totum hunc locum euoluamus. Nam & huc pertinet nobilis illa disputatio de stipulatione pœ-
16 nali; An in solidum committatur, si quid pro parte non detur, aut non fiat; aut etiam contra id
17 quod conuenit, fiat. Cogor autem præfari, in hoc genere, subtilitatem Iuris Ciuilis aliquando vi-
sam esse asperiorem, & ab ipso quoque Prætore nonnunquam ex æquo & bono fuisse propterea
temperatam, atque illius veluti rigorem benignè relaxatum[d]. Atque hoc fortasis exemplo
Romani quoque Pontifices ausi sunt aliquid in hoc genere contra Ius Ciuile remittere atque in-
dulgere debitoribus; & creditorum, præsertim eorum, quorum maior & æquitas & modera-
tio & liberalitas esse debere videbatur, Ius summum infringere. Nam Pontifex Innocentius
III. Spoletano Episcopo rescripsit[e]; non debere eum, quia ad diem non persoluisset totam pe-
cuniam debitor, totam pœnam, quæ integra commissa erat, exigere. Et facilè equidem fateor,
hanc

a L. cum sub hac. l. Titio fundus. hoc tit.
b dic. l. Titio fundus.
c L. cum sub hac. hoc tit.
d L. hæres meus. §. qui post. hoc tit. l. cum filius. §. qui Mutianã. de lega. 2.
e L. 7. hoc tit.
f dic. l. Titio fundus.
g dic. l. seruo. §. testator.
h L. Titio centum. §. 2. hoc tit.
i L. si Pœnam. Quando dies leg. ced. l. ita stipulatus. de verbo. oblig.
k L. libert. et. §. 1. & l. vlt. de manu. testa.
l L. pater Seuerinam. §. socrus. de cond.
m L. cum tale. illo tit.
n L. scripto. §. vlt. Vn de lib.
o §. si quis ita. Instit. de verb. oblig.
p L. insulam. §. vlti. Locati.
a L. vnic. §. Mutiana. de cond.
b L. 23. qui duobus. l. 43. Plurium. l. 53. §. vlti. l. 55. cui fundus. l. pen. hoc tit.
c L. pen. C. de cond. inser.
d L. si seruum. §. 1. si quis tant. 2. §. cum ra autem. de verb. obli.
e cap. suam. de pœn.

hanc duritiem antistitibus Ecclesiarum indignam esse, neque inuitus patior hoc ijs frænum inijci: Sed Iuris alioqui Ciuilis perpetuam rationem ea res non infringit. Quid autem eo cautum sit, si quæratur. Illud initio sine longiori distinctione, in vniuersum dici potest; cũ vnus aliquis vnam 18
aliquam rem vni alicui vel etiam pluribus dare debet, vt talem dandi conditionem expleat: neque prodesse, partem dedisse: quia conditio indiuisa sit, neque impleta dicatur, nisi in solidum expleta sit. Est quidem obligatio dandæ quantitatis diuidua, vt si pro parte solutum sit, pro parte contingat liberatio. Sed si hoc agitur, vt conditio impleatur, nihil prodest partem dare. Nam & tacite hoc actum esse videtur, vt tum indiuisa sit solutio. Vbi simplex est obligatio dandæ quantitatis, etsi fortasse partem recipere inuitus creditor non cogeretur, tamen si recipiat, eo ipso soluentem liberat pro ea parte. At si qui soluit, aliud præterea captaret: talis soluno partis ei non prodesset. Vsuræ debentur sub conditione, SI SORS NON SOLVATVR. Ad earum 19
a L. tutor. §. Lucius. de vsur. vel cursum sistendum, vel modum imminuendum, non prodent partem sortis soluisse [a]. Pignus
b L. 1. C. de luit. pign. obligatur sub simili conditione. Si itaque de eo luendo agatur, inutilis est solutio partis [b]. Idem, si agatur de impedienda lege commissoria: vel denique de euitanda pœna quæ promissa sit, SI DE-
c L. 5. §. vlt. de ver. obli. CEM NON DENTVR. Nam & si pars data sit, nihilominus pœna in solidum committetur [c]. Sicuti & cũ species vna aliqua certa danda erat. Itaq; cùm ita conuenisset, SI FVNDVM ILLVM NON
d L. 85. in executione. §. pen. de ver. obl. DEDERIS, DABIS CENTVM? responsum [d] est, nisi totus fundus detur, pœnam in solidum committi: nec prodesse partem fundi dare, cessante vna. Est quidem obligatio dandæ speciei non mi-
e L. 9. si stipulatum. §. 1. de solut. nus diuidua, quam obligatio dandæ quantitatis [e]. Sed conditionis ratio, tanquam tacita volun- 20
tas, reddit solutionem indiuisam. Obligatio generis, veluti dandi hominis, est quidem natura diuidua. Sed etsi conditio nulla insit, tamen solutio erit indiuisa. Hoc enim tacitè actum esse alia ra-
f L. de verb obli. & dic. l. si stipulatum. §. 1. tio suadet, nempe ne partes in diuersis speciebus soluantur [f]. Idemque & si sit stipulatio disiunctiua duarum specierum. Quod alio loco pluribus verbis tectius explicabitur. Illud tunc teneamus; 21
conditionem non scindi, neque pro parte rectè impleri, ne quidem si de pœna euitanda agatur.
g L. 55. cui fundus. de cond. & dem. Quod quidem multo etiam magis dicendum est, si de legato consequendo agatur. Iabolenus [g], Cui (inquit) fundus legatus est, SI DECEM DEDERIT, partem fundi consequi non potest, nisi totam pecuniam numerauerit. Neque vero ius hoc tam strictum est tamque perpetuum, quin ali-
h L. 43. Plautius. de cond. & dem. quãdo ex causa aliud statuatur. Sed illud quoque ius singulare in suo genere perpetuũ est. Paulus [h] ait; scindi ius dandi, si is cui legatum est, non potest totum sibi relictum capere. Nam verius esse, 22
partem eum præstare debere; partem illos, qui auferunt ab eo, quod plus relictum est, quàm à lege
i L. 20 et qui. de do nat. cau. mor. conceditur. Idque alio rursus loco repertum his verbis est [i]: Ei, qui non amplius parte poterat capere, legatus est fundus, SI DECEM DEDISSET HÆREDI non totam summã dare is debet, vt par- 1
tem fundi habeat, sed partem duntaxat pro rata, qua legatum consequitur. Nempe, conditionis 23
onus metiri oportet ex emolumento, cui adijcitur. Neq; enim testator hæc disiungi voluit. Quinimo quod conditionis implendæ causa dabitur, augebit petitionem partis, quam legatarius capere potest. Nam præter id quod lege capere potest, capiet quantum dedit, hoc enim ex testamento capere vel acquirere non videbitur, cùm tantundem dederit eius causa. propterea que
k L. 61. sed si hoc. §. 1. de condit. & dem. non imputabitur in partem, quam lege capere potest. Quod quidem eleganter refert Terentius [k]
l L. 44. qui heredi. §. si pars. hoc tit. Iurisconf. à Iuliano traditũ esse. Sed & cùm pars rei legatæ vsucapta esset, dubitare se dixit Paulus [l]; 24
an in solidum conditioni parendum sit. Sed posse dici ex sententia testatoris, non nisi pro parte parendum. Æquum enim est, quanto minus consequitur legatarius, tanto etiam minus præstare: Vt imminuto emolumento legati, imminuatur & eius conditionis onus. Sicuti cùm hæres rogatus tibi restituere, SI TITIO CENTVM DEDERIS, beneficio legis Falcidiæ vtatur, vt inde tibi uedo
m dic. l. Plautius. §. vlti. aliquid tibi detrahat: responsum [m] est; non esse iniquum, quanto minus tibi præstat, tanto te mi-
n L. 4. §. item si. de statulib. nus Titio præstare. Omitto quod libertatis fauore Paulus [n] ait receptũ esse, vt si seruus decem dare 25
hæredi iussus fuerit, & liber esse, hæres etiam per partes accipere cogatur. Illud verò prætermittendum non est; Si per legatarium non stet, sed per alium quo minus totum det, & conditionem totam expleat, vt quia alter ex his, quibus dandum erat, decessit antequam in mora legatarius esset:
o L. pen. de cond. & dem. benigna interpretatione responsum [o] esse; partem dimidiam alteri superstiti dantem legatarium posse partem rei legatæ consequi. Quid igitur alioqui, an quod duobus dandum est, tam est om- 26
p L. 22. qui duobus. hoc tit. nino dandum, vt conditio expleatur, quàm si vni dandũ esset? Certè Iuliani [p] apertum responsum est. Qui duobus hæredibus decem dare iussus est, & fundum sibi habere: verius est, vt cõditionem scindere non possit, ne etiam legatum scindatur. Igitur quamuis alteri quinq; dederit, nullam partem fundi vindicabit, nisi alteri quoque adeunti hæreditatem reliqua quinque numerãrit: aut illo omittente hæreditatem, ei, qui solus adierit hæreditatem, tota decem dederit. Singulis quidem in hac specie hæredibus non nisi partem, hoc est, quinq; dare legatarius iussus est, & cùm vni quinque soluit, totum quod illi dare debet, soluit. Sed tamen nisi si vtrique dederit, nihil hic egisse videtur. Adeò indiuisa est conditio, quę vni alicui ascripta est. Sed & licet diuidatur quę duobus ascripta est, tamen inter vnius, cui primùm ascripta erat, hæredes, si fortè ad eos transierat con-
a dic. l. cui fundus. de cond. ditio, vt aliquando transit, indiuisa manet. Iabolenus [a] posteaquam tradidisset eum, cui fundus legatus est, SI DECEM DEDERIT, nihil consequi, nisi totam pecuniam numerauerit: quamuis dissimilem esse causam fateatur, cùm duobus eadem res sub tali conditione legata est: adiecit; In 27
eo, quod vni sub conditione legatum est, scindi ex accidente conditionem nõ debere, & omnem numerum eorum, qui in locum eius substituuntur, pro singulari persona habendum esse. Sed &
b dic. l. 5. §. vlti. de ver. obli. Pomponius [b], Si (inquit) sortem promiseris, &, si ea soluta non esset, pœnam: etiamsi vnus ex hæredibus

redibus tuis portionem suam ex sorte soluerit: nihilominus pœna committetur, donec portio co-
hæredis soluatur. Denique Paulus [a], Quamuis, inquit, obligatio quantitatis diuidatur inter hære- *a L. hæredes. §. idem. Fam. ercisc.*
des, per legem 12. Tab. si tamen à testatore sub pœna promissa sit, nihilum prodest ad pœnam eui-
28 tandam soluere suam partem. Et notæ sunt illæ ab eodem Paulo traditæ regulæ [b]; Ex persona hæ- *b L. 2. § ex his. de ver. oblig. l. 2 § incertam. de verb. stipul.*
redum conditionem obligationis non immutari. Item; Posse dici, ex persona hæredum promis-
soris non posse descendentem à defuncto obligationem, diuersam conditionem cuiusque facere.
Ergo ex persona hæredum non modò natura aut principalis qualitas obligationis non immuta-
tur, sed nec ipsa ratio implendę cōditionis, quę indiuisa manet in hęredibus, vt in eo, cui primùm
vni ascripta erat, siue agatur de re aliqua consequenda, siue etiā de pœna euitanda Nam & hanc
in solidum committi constat, si vel vnus hæres pro sua portione conditionē nō impleuerit. Quid
29 igitur dicemus, quod idem Paulus [c] refert, Catonem dixisse; vbi factum diuiduum est, veluti, *c L. 4. §. Cato. de ver. obli.*
RATVM HABERE; vnum promissoris hæredem, non parentem conditioni stipulationis, hoc est,
contra quàm promissum sit, aliquid facientem, proportione sua solùm pœnam committere? Certè
si promissor ipse, vel pro parte tantùm, contrà fecisset, tamē in solidum pœnam committeret. quia
verum sit conditioni non paruisse. Ergo idem dici debet etsi vnus ex eius hęredibus contra fecerit
pro sua parte: vt propterea conditio pœnalis stipulationis commissa intelligatur, & pœna in soli-
dum committatur. Vulgo cum Catonis sententiam defendere volunt, aiunt; eum loqui de facto.
30 Leges autem, quæ vno hærede cessante docent pœnam in solidum committi, loqui de datione. Et
discriminis rationē esse, quòd hęres pro parte quoq; sui cohæredis dare possit: at nō itē facere. Itaq;
31 illic posse vni imputari nisi si totū det. hîc verò nō item. Sed inane & vanū esse hoc, quod commini
scuntur, discrimen, ipse Pomponius [d] disertè ostendit, qui nō minus de facto quàm de datione lo- *d L. 5. §. vlti. de ver. obli.*
quitur: & posteaquam docuit pœnam in solidum committi, si vel vnus hæres suam partem ex sor-
te non soluerit, adijcit; idem esse dicendum de pœna compromisso adiecta, si hæres vnus paruerit
sententiæ, alter non paruerit. Deinde quis non videt & multa esse, quæ alius pro alio facere facilè
possit, & item multa, quæ pro alio alius dare nō possit? Quid enim si agatur de certa specie danda?
Nos ad defendendū Catonem, illud probabilius dici posse arbitramur; eum loqui de stipulatione
pluribus personis, inter quas diuisa intelligatur, ascripta, nempe de illa, *SPONDES TE HAERE-
DEMQVE TVVM RATVM HABITVRVM, ET SI CONTRA FIAT, CENTVM NOMINE POENAE?*
32 Vt hîc locum habeat quod nūc dicendum est; enumeratione plurium personarum conditionem
ijs ascriptam scindi atq; diuidi, vt à singulis pro sua parte rectè impleatur. Iabolenus [e] ait: duobus *e L. 52. si quis seruū. §. vl. de cond. & dem.*
eadem res, *SI HAEREDI CENTVM DEDISSENT*, legata est. Si alter ex his quinquaginta dederit,
partem legati consequetur. Id paulo pòst idem Iabolenus latius explicat [f]; cum enim doceret con- *f L. 55. cui fundus. D. hoc tit.*
ditionem vni ascriptam, etiē in eius quidem hæredibus scindi, adiecit; dissimilem esse causam, cùm
duobus eadem res sub conditione legata est. In hac enim quæstione statim à testamento, quo plu-
ribus conditio apposita est, diuisam quoque in singulas personas videri posse: & ideo singulos pro
sua parte & conditioni parere, & legatum capere posse. Nam quamuis summa vniuersæ cōditio-
nis sit ascripta, enumeratione tamen personarum posse videri esse diuisam. Sed & cum fundus
legatus ita quibusdam esset; si pecuniam certam in funus, impensasque corporis in aliam regio-
nem perferendi dedissent: & quæreretur, num nisi vterque dederit, neutri sit legatum, nec possit
nisi per vtrunque conditio expleri? respondit Pomponius: Nos humanius hoc interpretari so-
lemus, vt cùm duobus fundus legatus sit, si decem dedissent: & alteri, dando partem, legatum
quoque debeatur [g]. Atque hæc quidem rectè dici dubium non est, non solùm cùm agitur de le- *g L. pen. §. 1. D. hoc tit.*
33 gato consequendo, sed multo etiam magis si de pœna euitanda. Sed & conditionem pro-
missori eiusque hæredibus nominatim ascriptam perinde accipi atque si pluribus principalibus
promissoribus ascripta esset. vt vtrobique inter eos diuisa intelligatur. veluti in illa stipulatione,
*TE HAEREDEMQVE TVVM RATVM HABITVRVM, ET, SI CONTRA FIAT, CEN-
TVM DARI.* Cùm hæredem hîc dicimus, perinde est acsi singulos hæredes diceremus [h]. Ac *h L. 158. in vsu. de verb. signif.*
Cato quidem cùm tradit; vno hærede contrà faciente, non nisi pro eius parte pœnam commit-
ti. Satis enim esse alios pro sua parte conditionem impleuisse, hoc est, ratum habuisse, vt pro eo-
rum parte non committatur pœna. non exprimit plenam & integram illam stipulationis for-
mulam, quæ hæredum nominatim meminerit: sed compendio quodam sermonis tantùm
proponit impersonalem stipulationem, *RATVM HABERI.* Verùm nihil id obesse, quin in-
telligatur explicata illa stipulatio ita, vt dixi, concepta, satis intelligunt qui in sermone Iuris-
consultorum versati sunt, & eo ipso loco Paulus, & iterum alio non obscurè id exprimis [i]. Quid *i dic. l. 4. & l. 4. in-ser. §. si quis stipulatus. Fami ercisc.*
igitur? Si hæredum nulla mentio facta esset: inter eos non diuideretur conditio, vt antea dictum
est: quia nihilominus omnis numerus eorum qui in locum vnius substituuntur, pro singulari per-
sona habendus est, vt inquit Iabolenus [k]. Sed si nominatim & veluti etiam principaliter facta eo- *k dic. l. cui fundus, ad fin.*
rum mentio sit: diuidetur inter eos conditio eiúsve implendæ ratio, sicuti inter plures legatarios,
34 quibus ascripta est, scinditur. Vnde cùm conuenisset; Te hæredemque tuum annuos centum au-
reos certo die soluturum, & nisi ita factum solutúmve esset, tunc eo amplius, pœnæ nomine, cen-
tum dari: responsum à prudentissimis in Senatu Parisiensi causidicis esse memini; conditio-
nem scindi: vt si vnus hæres pro sua parte soluerit suo die: pro eius parte pœna non committa-
tur: sed tantùm pro alterius, qui non soluerit. Neque sanè dubitarem eius sententiæ patronum
ciere Catonem. Porrò ne quis discrimen illud valde esse insolens existimet, cùm Iabolenus
ait; con-

ait; conditionem duobus quidem aſcriptam inter eos ſcindi , non etiam inter duos hæredes vni-
us,cui rantùm aſcripta fuerat,adijciam & aliud non omnino diſsimile. Damnauerat teſtator hæ-
redem ſuum; Titio & Mæuio agrum quendam vendere certo precio. Cùm Titius emere nollet,
Mæuius autem vellet: reſpondit Scæuola[a]; Mæuium poſſe dimidiam agri partẽ emere, & cautio-
nem euictionis pro ea portione præſtari. Atqui cùm is,qui fundum ea lege emerat, vt ſoluta pecu-
nia traderetur ei poſſeſsio, duobus hæredibus relictis deceſsiſſet: nõ dubitauit Iabolenus[b], Labeo-
nem ſecutus, reſpondere: non poſſe vnum, ſi partem ſoluat, ex empto agere: quoniam ita contra-
ctum æs alienum diuidi non poſsit. Hîc ergo ſolutio, quæ in emptore fuit, in eius quoque hæredi-
bus indiuiſa manet, neque eius conditio immutatur. At ſi duobus aſcripta fuiſſet, facilè diuidi in-
ter eos poſſet. Sed neq; illud hoc loco prætermittendum eſt; ſi duorum ſeruo legatum ſit ſub con- 35
ditione dandi; quoſdam olim exiſtimâſſe; non poſſe per partes conditioni pareri, ſed ſemel dan-
dam pecuniam: Sed Paulum[c] contrà putâſſe: Ex cuius ſententia perinde res accipietur, ac ſi non
vni ſeruo, ſed pluribus eius dominis conditio eſſet aſcripta. Nam & ſeruus communis vicem duo-
rum ſuorum dominorum ſuſtinere dicitur[d]. Itaq; conditio illi aſcripta diuidetur, perinde atque
ſi eius dominis pluribus eſſet aſcripta. Sanè ſi indiuiduum aliquod factum ſit in conditione plu- 36
ribus aſcripta, conſtat tunc eam non ſcindi inter eos. Vt cùm res quæ danda eſt, diuidua eſt, tamen,
ſi conditio indiuiſa ſit, vt quia vnì aſcripta eſt, fruſtra quod ad eam attinet, pro parte datur; Sic e di-
uerſo licet diuiſa poſsit eſſe ratio conditionis, vt quia pluribus ſit aſcripta; ſi tamen, quod in ea ver-
ſatur, diuiduum eſt, illa quoq; pro indiuiſa habebitur. Sed quæritur, an ſaltem ab vno eorum, qui- 37
bus aſcripta eſt, rectè in ſolidum impleatur? Certè ſi agatur de euitanda pœna ſtipulationi facien-
di appoſita; facilè admittimus eam non committi, ſi vnus in ſolidum fecerit, & eius etiam facto
alios liberari. Veluti ſi à pluribus ſtipulatus ſim domum ædificari, & niſi ædificaretur, centum da-
ri: vt pœna euitetur, vnum in ſolidum feciſſe ſatis erit. Nam neq; ſtipulatoris intereſt, neque alio-
rum ceſſatio illi nocet, neque æquum eſt rem eum ſimul & pœnam conſequi. Sed ſi ageretur de a-
liquo emolumento conditione, quæ pluribus aſcripta ſit, impleta conſequendo: difficilius admit-
timus, vnius facto, alijs ceſſantibus illud acquiri, cùm vix admittamus, illi qui in ſolidũ fecit, quaſi
conditione rectè expleta, totum hoc tribui. Tales conditiones, SI MONVMENTVM FECERINT,
pluribus propoſitas, nõ poſſe niſi in omnibus ſimul perſonis exiſtere, ait Pomponius[e]. Sed hîc ta- 38
men præcipuam eſſe voluntatis quæſtionem, ex eiusque coniectura rem hanc totam pendere, ele-
ganter Vlpianus[f] oſtendit. Sanè Iuſtinianus cùm dixiſſet, apud Vlpianum olim dubitatum fuiſ- 39
ſe; ſi plures perſonæ vnam conditionem implere fuerint iuſſæ, vtrùmne omnes ſimul eandem fa-
cere debeant, an ſinguli quaſi ſoli implere eam compellantur? Vt illud definiat, teſtatur[g] ſibi vide-
ri, vt qui ſuam partẽ relicti emolumenti conſequi volunt, conditionẽ totam eos implere debere.

a L. 41. vxorem. §. agri. deleg. 3.
b L. fiſtulas. §. qui fundũ. de contr. empt.
c L. 43. qui hæredi §. qui duorum de cond. & de.
d L. 1. § cõmunn. de ſtipu. ſer.
e L. pen. de cond. & dem.
f L. 13. ſi ita fuerit. de manu. teſta.
g L. pen. c. de cond. inſert.

§. *Dixi.*

1.2 Si conditio plurium rerum ſit, an ſcindi poſſit?
3 Vnius facto commiſſa ſtipulatione, alios etiam cohæredes ſtipulatoris teneri.
4.6 Vbi vnus hæredum prohibetur, an poſſit cohæres ex ſtipulatu agere?
5 Stipulatio pœnalis non poteſt non in ſolidum committi.
7 De ſtipulationibus facti diuidui.
8 Stipulatorem & rem & pœnam ſimul conſequi, bona fides iurisq; ratio non patitur.
9 Quid, ſi conditiones neque in dando neque in faciendo conſiſtant?
10 Si ita res legetur; Quæ mea erit cum moriar; *quid iuris?*
11 Verba, SVVM, MEVM, ambigua eſſe.

Dixi quàm breuiſsimè potui, de cõditione pluribus aſcripta; vt, ſi rei alioqui diuiduę ſit, inter
eos ſcindi & diuidi, vt pro parte impleatur, poſsit. Nunc illud addendũ eſt; ſi conditio plurium re- 1
rum ſit, ſcindi quoque poſſe. Sic enim duobus modis fit, vt licet vna eſſe videatur ſolaq; conditio,
quia vel vna ſit res, vel vna oratio: tamen perinde iudicemus ac ſi plures conditiones ſint. vt cùm
plures perſonæ expreſſæ ſunt, quæ diuiduum aliquid facere vel date iuſſæ ſunt, licet eadem res ſit:
vel cũ plures res ſummæve expreſſæ ſunt, licet vna ſit oratio. Supereſt igitur vt hoc poſterius nunc
adijciamus atque breuiter explicemus. Ac imprimis quidem nunc illa mihi occurrit nobilis quæ-
ſtio, quam Paulus[h] tractat: Ego, ſi poſſum, familiarius explicabo hypotheſim. Accepi abs te cen-
tum mutuò, promiſique vſuras ſemiſſes: &, niſi eas (quæ erant menſtruæ) ſua die ſoluero, centeſi-
mas. Primo menſe non ſolui ſemiſſes. debebuntur igitur centeſimæ pro eo menſe. Sed quid ſi alijs
menſibus ſemiſſes ſoluere paratus ſim? An nihilominus propter centeſimarum ſtipulationem ſe-
mel commiſſam prima penſione primóve menſe, ſemper deinde centeſimæ exoluendæ ſint? Pau- 2
lus reſpondit; plures conditiones continere eam ſtipulationem, quæ de grauioribus vſuris præ-
ſtandis ſubiecta eſſet: id eſt, vt per ſingulas penſiones conditio expectaretur nõ illatarum ſuis tem
poribus leuiorum vſurarum: & ideo poſſe euitari pœnam ſequentium penſionum. Hic itaq; plu-
res eſſe creduntur & ſtipulationes centeſimarum & conditiones propter plures ſummas, penſio-
néſve ſuis temporibus exoluendas. Diuiduntur itaque & ſeparantur. Sed & cum quis ſtipulatus
eſſet annua, bima, trima die hoc argentum quaque die dari? etſi apud veteres variatum ſit, tamen
Paulus verius eſſe affirmat[i], hîc tres quoque eſſe trium ſummarum ſtipulationes. Quo etiam loco
docet,

h L. Seia. de vſur.
i L. 140. pluribus. §. 1. de verb. obl.

docet, pluribus rebus propositis cum stipulatio ita subiecta est, *EA OMNIA, QVAE SVPRA SCRI-*
PTA SVNT, DARI? propius esse, vt tot stipulationes sint, quot sunt res.
Multa iam dicta sunt, an in solidum committatur & quando ita committatur stipulatio
pœnalis, si eius conditio, siue in dando, siue in faciendo, siue etiam in non faciendo concepta pro
parte existat. Sed quædam præterea adijcienda sunt. Et quidem cùm omnibus facti stipulationi-
bus intelligatur inesse, tacita est conditio atque etiam stipulatio, *SI NON FIAT, VEL SI CON-*
TRA FIAT QVAM CONVENIT PRAESTARI ID QVOD INTEREST? sæpe quæri solet, an ea com-
mittatur non secus quàm si fuisset pœnalis stipulatio: & an aliquid inter hanc & illam sit discrimi-
nis? Certè cùm stipulatus essem, *PER TE NON FIERI NEQVE PER HAEREDEM TVVM QVO MI-*
NVS MIHI IRE AGERE LICEAT: & ab vno ex tuis hæredibus prohibitus essem, responsum [a] est, *a L.2.§.item si in facto.l.haeredes.§.in illa.Fam.ercisc.*
tali vnius facto, quod indiuiduum est, in solidum committi stipulationem: neque distinguitur, v-
3 trum de pœna expresim apposita quæratur, an verò de eo quod stipulatoris prohibiti intersit: sed
illud tantùm inculcatur [b]; vnius facto commissa stipulatione, alios etiam cohæredes stipulatori *b L.inter.§.quod ex facto Fami.ercisc.l.4.§.Cato.l.in executione.§.quod si.de verb.oblig.*
teneri; quia conditio stipulationis hæreditariæ extiterit: & licet ab vno tantùm prohibitus sit sti-
pulator, nō tamen in partem prohibitum esse. sed quia factum indiuiduum sit, ab omnibus quo-
dammodo factum videri: & omnes commisisse videri, quod nisi in solidum peccari non potuerit,
&c. Quæ quidem ratio non tam pertinet ad naturam conditionis, quæ indiuisa est, quàm ipsius
facti, quod erat indiuisum. Ergo tum siue fuerit pœnalis aliqua stipulatio expresim adiecta, siue
non sit, sed agatur ad id quod interest, in solidum semper agitur. Non enim stipulator minus pro-
hibitus est, qui ab vno prohibitus est, quàm si ab omnibus. Cæterùm contrario casu, cum scilicet
eius, qui stipulatus erat; sibi hæredique suo ire agere licere; vnus tantùm hæres prohibitus est. hanc
distinctionem adhibet Paulus [c], vt si pœna nulla apposita sit, tunc pro parte eius tantùm, qui pro- *c dic.l.2.§.contra autem.*
hibitus est, committatur stipulatio. Nam eius solius interest: neque alijs iniuria facta est. Sed si pœ-
4 na stipulationi adiecta sit, in solidum summo iure committi stipulationem. Cuius quidem diffe-
rentiæ Vlpianus [d] ait hanc esse rationem, quòd vbi vnus ex hæredibus prohibetur, non potest co- *d L.3.de verb.oblig.*
hæres ex stipulatu agere, cuius nihil interest: nisi pœna subiecta sit. Nam pœnam subiectam effice-
re, vt omnibus committatur, quia hîc non quærimus, cuius intersit. Sed differentiæ, de qua nunc
5 agimus, rationem magis illustrâsset Vlpianus, si quod huius loci est, adiecisset. Stipulationem pœ-
nalem, cuius conditio existit, non posse non in solidum committi. Extitisse autem conditionem
videri, si vel in vno eorum, quæ fieri vel non fieri oportuit, peccatum sit, vt suprà dictum est. Cæte-
6 rùm in casu proposito agnoscit Paulus nimis strictum esse hunc summi iuris rigorem. Itaque adij-
cit, eos, qui non sunt prohibiti, summoueri posse doli mali exceptione. Nam & cùm stipulatio pœ-
næ subiecta in relligatur loco eius quod interest; & ne id aliter probari sit necesse [e]: Prætor ex æquo *e L.vlt.de Praet.stip.*
& bono iudicat, non nisi eum, cuius videtur interesse, hoc est, qui prohibitus est pœnam petere &
consequi debere, & quidem tantùm pro qua parte hæres est. Pœna enim commissa, quæ pecunia-
ria est, diuisa est.
Dixi de stipulationibus facti indiuidui, Quid si sit factum diuiduum? Tunc certè maius dis-
7 crimen apparet, vtrum adiecta fuerit pœnalis stipulatio, an de eo quod interest, agatur. Promisit
simpliciter aliquis ratum habere: locum habebit quod Pomponius [f] ait; pro parte ratum haberi *f L.si procurator.rem rat.hab.*
posse, & pro parte ratum non haberi: vt scilicet pro ea tantum parte pro qua ratum non habebitur
committatur stipulatio ad id quod interest. Sed si expresim adiecta sit pœnalis stipulatio, verum
erit, quod Paulus [g] ait; eum, qui ratum habere promisit, pro parte ratum habere non posse: sic (in- *g L.4.§.sed videamus.de ver.oblig.*
quam) non posse, vt pro ea solùm parte pœnam committat. Hanc enim in solidum committi cre-
dimus, quia tota conditio, quæ indiuisa erat, extiterit vel eo solo nomine, quod pro parte ratum
8 non habuit. Ne tamen stipulator & rem & pœnam simul consequi videatur, quod neque bona fi-
des, neque iuris ratio patitur, neque contrahentibus placuit: liberum erit promissori, qui quia pro
parte ratum non habuerat, pœnam solidam soluit, pro altera parte impunè ratum non habere.
aut si pro ea ratũ iam prius habuerat, stipulator imputare debet & deducere, quod inde eius con-
secutus emolumenti est.
Dictum est de conditionibus dandi faciendi, vel etiam non faciendi quæ pro parte existant
9 aut committantur ascriptæ vni alicui pluribúsve. Sed quid si conditiones sint quæ neque in dan-
do, neque in faciendo consistant, neque alicui ita ascribantur? Certè hæ facilius scindantur, vt non
inutiliter pro parte impleantur, neque committantur, nisi pro qua parte existunt. Et quidem du-
bium non est, scindi pro numero plurium personarum rerúmve, vna licet oratione comprehen-
sarum. Cùm duo serui ita essent hæredes instituti: *PRIMVS ET SECVNDVS, SI MEI ERVNT,*
CVM MORIAR, LIBERI ET HAEREDES SVNTO: & alter ex his sit alienatus: Celsus [h] respondit, il- *h L.2.§.vlt.de cond.inst.*
lud sic accipiendum esse, atque si singulos separatim sub eadem conditione hæredes instituisset.
Idem &, si sub tali conditione libertatem & fundum ijs legâsset; ex sententia Tuberonis aduersus
Labeonem [i]. Sed & cùm quis ita scripsisset: *STICHVM ET PAMPHILVM TITIO DO LEGO, SI* *i L.29.qui concubinam.§.vlt.de lega.3.*
MEI ERVNT, CVM MORIAR: & vnum ex his alienauisset, quæreretur que; an vel alter posit à lega- *k L.34.falsa.§.vlt.*
tario vindicari: Paulus [k] respondit placere, posse vindicari. Nam hunc sermonem, licet pluralis sit, *de cond.& dem.*
pro eo oportere accipi, atque si separatim dixisset, *STICHVM, SI MEVS ERIT, CVM MORIAR:*
PAMPHILVM, SI MEVS ERIT, CVM MORIAR. Sed quid si vnus aliquis seruus sub tali conditione
vel hæres institutus sit, vel alteri legatus: & tempore mortis, pro parte tantùm fuerit testatoris an
conditio defecisse videatur, an verò extitisse? Vlpianus [l] respondit; cùm sub tali conditione insti- *l L.2.de cond.instit.*

tutus seruus fuisset, & quæreretur, quatenus in ea conditione accipiatur hoc verbum, *MEVS*, respondit: Si in eo seruo vsumfructum alienâsset deinde testator, nihilominus ipsius esse. Si verò partem in eo alienauerit; verius adhuc esse non defecisse conditionem, nisi euidentissimis probationibus apparuerit, testatorem voluisse verba inserere pro hac conditione, *SI TOTVS SERVVS IN DOMINIO EIVS REMANSISSET*: tunc enim parte alienata conditionem deficere. Sed & cum quis ita legâsset, *STICHVM QVI MEVS ERIT, VEL SI MEVS ERIT, CVM MORIAR*, conditionem talem accipi debere, *QVATENVS MEVS ERIT*, respondit Iulianus [a], vt si partem testator alienauerit, pro altera saltem parte debeatur, quæ testatoris fuit cùm moreretur. Ac Labeo quidem olim putauerat cum res legata ita esset, *QVAE MEA ERIT CVM MORIAR*, totam deberi, &
10 si communis fuerit. Sed verior visa est Trebatij [b] sententia, non nisi partem deberi respondentis.
Verbum *SVVM*, aut *MEVM*, ambiguum esse dicitur, vtrum de tota, an de parte significet [c]. Sed 11
in legatis & cõditionibus benignè accipitur, vt etiam partẽ significet, cùm quis de re sua disponit.

a L. Stichum. de leg. 1.
b L. 5. § 2. de lega. 1.
c L. 242. pupillus. § vlt. de ver. signif.

§. *Nunc facere.*

1 Conditiones stipulationum pœnalium, aliunde pendentes, an pro parte committantur, si pro parte existant?
2 Stipulatio duplæ vbi committatur?
3 In actione ex empto non tam quid euictum sit, quàm euictionis effectum ipsum spectari.
4 Sed stipulationem duplæ ad ea tantum, de quibus nominatim concepta est, referri.
5.6 Si tantum euincatur, quod ex re vendita apud emptorem natum est, an agi de euictione possit?
7 Bonæ fidei actiones dantur tam accessionis quàm rei principalis nomine.
8 Quid, si rei emptæ vsusfructus euincatur?
9.10.11 In stipulatione dupla cum homo venditur, an partis adiectio necessaria sit?
12 Non interesse quo genere iudicij res euincatur.
13 Vt agi ex empto possit ad id quod interest, quid requiratur?
14 Duplæ stipulatio quomodo diuidua sit?
15 Si res post venditionem vel melior vel deterior facta sit, an vel augeatur vel minuatur condemnatio in dupla stipulationis commissione?
16 Quid, si agatur ex empto ad id quod interest?
17 Ex natura res scindi conditionem.

Nunc facere non possum, quin priusquam hunc locum de diuisione conditionum missum
faciam, adijciam aliquid, de conditionibus stipulationum pœnalium, quæ neq; in dando neque 1
in faciendo consistunt, neque alteri contrahentium propriè ascriptæ sunt, sed aliunde pendent; an pro parte committantur, si pro parte existant. Quod optimè quæritur in stipulatione duplæ sub illa conditione concepta, *SI RES EVINCATVR*: cum qua obiter etiam conferam actionem ex empto ad id quod interest: vt iterum videamus, an multùm referat, vtrum pœna expressim apposita sit, an tacitè veniat id quod interest. Stipulatio duplę committitur non modò cùm res tota iudicio
euicta est, sed & cùm eius pars. nam & tum eius conditio non inutiliter pro parte existere intelli- 2
gitur. pars tamen euicta esse debet, quæ verè & propriè pars rei emptæ dici possit, non autem sit simplex accessio. quamuis non minus huius quàm illius causa possit agi ex empto ad id quod interest. Quod quidem discrimen eam rationem habere videtur, quòd actio ex empto, quæ bonæ
fidei est, latius liberaliusque accipiatur, & fauorabilior sit, cùm non tam ad pœnam, quàm ad id 3
quod verè interest, competat. Itaque in ea non tam strictè & subtiliter quid euictum sit, quàm ipsius euictionis effectum ipsum simpliciter intuemur. At stipulatio duplæ constringitur, vt ad ea
tantùm, de quibus nominatim concepta est, referatur. neque committatur, neque vllo modo eius 4
conditio existere intelligatur, nisi si iudicio sit euictum, quod emptum erat, nempe aut res ipsa empta, aut eius ipsius pars quædam (vt ita loquar) principalis, siue diuisa sit, siue indiuisa portio. Cuius quidem discriminis obseruatio cùm magnum & perpetuum vsum habet, tum verò multis locis Iuris Ciuilis magnam lucem adfert: & eos etiam, qui alioqui dissidere viderentur, conciliat. Si tantùm euincatur, quod ex re vendita apud emptorem natum est, non ag de euictione respon-
sum est [d]. Id autem intelligendum videtur de stipulatione duplæ, quæ propterea commissa non 5
est, quia res ipsa empta, eiusve pars aliqua propriè dici non possit euicta, sed quædam tantùm accessio. At eo tamen nomine agi posse actione ex empto ad id quod interest, ex alijs locis intelligi
potest [e]. Sicuti & aliæ bonæ fidei actiones, depositi & commodati, dantur non modò rei principa- 6
lis nomine, sed & accessione [f], quæ tamen neque eius partes propriè sunt, neque depositæ aut 7
commodatæ dici possunt. Quid si rei emptæ vsusfructus euincatur, an quasi parte euicta com-
mittatur stipulatio duplæ? Certè committi, & eius conditionem videri propterea pro parte exi- 8
stere, Iurisconsulti sæpe significant [g]. Nam & vsumfructum esse partem rei traditum [h] est. Illud postremò tanquam ius singulare notandum est, quod Paulus [i] respondit; in stipulatione duplæ
cùm homo venditur, partis adiectionem necessariam esse: quia non possit videri homo eui- 9
ctus, cùm pars eius euicta est. Seruus, quia homo est, vt aliarum rerum accessio non est [k], sic etiam non intelligitur in partes tam facilè diuidi posse, quàm res aliæ diuiduntur. Itaque illud singulare habet eius euictio, vt nisi totus euictus sit, partemque eius nullam retineat emptor, non committatur ne pro parte quidem stipulatio duplæ, nisi expressim aliter conuenerit: neque possit emptor causari sibi habere non licere, quandiu reliquam eius
partem aliquam habet. Neque tamen ignoro quod Pomponius [l] ait; si communi diuidundo 10
mecum

d L. 42. si prægnans, & le. seq. de euict.
e L. 8. venditor hominum. de euict. l. 82. non quocunq. § Iulianus. de lega. 1.
f L. 1. § quæ depositis. deposi. l. 5. § vsque adeo Commod.
g L. 15. sed & si § 1. l. 43. vaccæ. l. 46. fundum. l. 49 si ab emptore. de euict.
h L. 4. de vsufr.
i L. 56. si dictum. § in stipulatione. de euict.
k L. iustißimè. de Aedil. ed.
l L. 34. si mancipium. si communi. de euict.

mecum actum fit, & aduersario totus seruus, qui communis erat, adiudicatus sit, habere me ex
duplæ stipulatione actionem, quia non intersit, quo genere iudicij euincatur, vt mihi habere non
liceat. Hic certè totus seruus emptori aufertur, nullaque eius pars illi reliqua est. At propriè tamen
(inquies) non nisi pars, quæ in re communi aliena erat, euincitur. quòd verò altera quoque pars
per adiudicationem aufertur, fit hoc alia ratione, quia nemperes illa commodè diuidi nõ posit,
non quòd aut venditoris non fuerit, aut emptoris non sit. Itaque & huius suæ partis æstimatio-
nem emptor tanquam compensationem quandam recipit ab eo, cui rem totam iudex adijcit. Re-
11 spondeo, nihilominus, quia nullam empti partem habet emptor, cessante illo, quod dixi, iure sin-
gulari, committi duplæ stipulationem, & quidem summo iure in solidum committi. Sed æquum
esse, vt emptor imputet, atque deducat. quod ab aduersario in adiudicatione acceperit. Illud po-
stremò ex illo Pomponij responso nunc obseruemus; non interesse quo genere iudicij res euinca-
tur. Sed iudicio tamen oportet esse euictam, vt committatur duplæ stipulatio. Nam eius condi-
12 tio hæc, SI RES EVINCATVR, intelligitur de tali euictione: & verbum euincendi propriè eò perti-
net. Cæterùm vt agi ex empto posit, ad id quod interest, satis est, rem alia ratione emptori, cuius
nulla culpa est, ademptam esse, si modò ea causa subesset iam tum, cùm res venderetur. Itaque si ex
13 causa fideicommisi coactus emptor fuerit, seruum manumittere: non aget eo nomine ex stipu-
latu, sed ex empto [a]. Et si emptor rei alienæ succedat domino, amittitur actio ex stipulatu: quia a L. 26. sed hoc nomine. de euictionibus.
iam res euinci non posit. neque euicta dici potest. sed ad actionem ex empto recurrendum est, in- b L. 9. si vendideris. de euict.
quit Paulus [b]. Deniq; si fundum mihi alienum vendideris, & is ex causa lucratiua meus factus sit:
idem Paulus [c] ait, nihilominus mihi ex empto aduersus te actionem competere. At eo casu non c L. Iulianus. §. si fundum. de act. empti.
committeretur duplæ stipulatio.

Dixi quomodo & quando hæc stipulatio committatur & eius conditio existat, parte euicta.
Proximum est, vt videamus, quatenus propterea committatur, an in solidum, an verò tantùm
pro parte. Quo rursus in genere apparebit discrimen huius stipulationis pœnalis, & actionis ex
14 empto ad id quod interest. Constat duplæ stipulationem diuiduam esse, vt non amplius com-
mittatur quàm pro modo euictionis, & rata parte rei euictæ. Nam & eius conditionem diximus
scindi posse atque diuidi. Hîc itaque inspicimus quantum euictum sit: & quanti id erat cùm ven-
15 deretur, vt duplam eius æstimationem simpliciter consequamur. neque si interea res vel melior
16 vel deterior facta sit, propterea vel augetur vel imminuitur condemnatio [d]. At cùm agitur ex em- d L. ex mille. §. 1. de euict.
pto ad id quod interest, præcipuè consideramus quanti intersit, & quanti res eiúsve pars cùm e-
uinceretur fuit. nam inde vel pluris vel minoris interesse emptoris, apparet. Sed hæc longius hoc
17 loco non persequar, ne à proposito longius videar discedere. Illud, quod huius præcipuè loci
est, teneamus: ex natura rei scindi conditionem; cùm intelligatur venditor qui duplam pro-
mittit, SI RES EVINCATVR, tantùm id promittere pro ratione rataque parte rei quæ euin-
cetur, neque amplius se obligare; præsertim cùm iniquum sit alioqui, emptorem pro altera
quoque parte non euicta pœnam consequi, ne & rem & pœnã simul consequatur. De alijs condi-
tionibus, quæ contractui venditionis & emptionis apponi solent, alio fortasis postea loco, si ita
res ferat, agemus.

§. *Nunc posteaquam.*

1.2.3 Si hæredi plures conditiones coniunctim data sint, omnibus parendum est; sed si disiunctim, cuilibet.
4.6 Dua conditiones alternatiuè siue disiunctim concepta, quomodo vna sit conditio?
5 De vocabulis illis, separatim & disiunctim.
5 De verbis illis, cuilibet & omnibus.
8 Si coniunctim plures conditiones ascribantur, omnibus parendum esse.
9 A significatione orationis coniuncta disiunctaq́, propter coniecturam alterius voluntatis non nunquam recedi.
10 Sufficere alterum fieri, vbi non sunt verba coniuncta.
11.12 Si principalis aliqua rerum duarum stipulatio disiunctiuis verbis concipiatur, quid iuris?
13.14.15 De conditionibus deficientibus pro impletis tamen habitis.
16 Ex vendito agi potest quasi impleta conditione, cum per emptorem stat, quo minus impletur.
17 Quid, si per alium stet, in cuius persona non erat implenda conditio.
18 Propter occisionem serui, deficere conditionem.
19 Conditio à principio collata in legatarij potestatem, si sine mora eius, casu deficiat, non nocet.

Nunc posteaquam dictum est de conditionibus, quæ quia pluribus personis ascriptæ erant,
vel erant plurium rerum, plures quoq; esse videntur, & pro eatum numero scinduntur atque di-
uiduntur, & in singulis vel personis vel rebus repetitæ videntur: videamus quid dicendum sit, vbi
plures & diuersæ conditiones expresim vni etiam personæ appositæ sunt, & an prosit quasdam
1 impletas esse, si aliæ expletæ non sint. Ac Paulus [e] quidem regulam hanc tradit: Si hæredi plures e L. 5. de cond. instit.
conditiones coniunctim datæ sint, omnibus parendum est: quia vnius loco habentur: Sed si dis-
iunctim, cuilibet. Eandem regulam totidem propè verbis Iustinianus inculcat & repetit [f]. Ac si f §. pen. de hæred. instit.
quidem non vni institutioni plures diuersæve conditiones ascriberentur, sed pluribus ex eadem
etiam parte institutionibus: Florentinus [g] ait, conditionem, quæ prior extiterit, occupare institu- g L. 17. si plures. de cond. instit.
tionem. Tum enim satis apparet omnino seperatas fuisse eas conditiones. Nos verò hîc agimus

 de diuer-

de diuersis quidem & pluribus conditionibus: sed quæ vni alicui ascriptæ sunt. Ac distinctio qui-
dem illa Pauli, vtrum coniunctim an disiunctim ascribantur, satis etiam intelligi ex eo potest,
quod Papinianus [a] ait: Disiunctiuo modo conditionibus ascriptis, alteram defecisse non oberit, 3
altera vel postea impleta. nec interest, in potestate fuerint accipientis conditiones, an in euentum
collatæ. Iulianus [b] quodam loco videtur dicere; duas conditiones alternatiuè conceptas, esse v- 4
nam conditionem habentem duas partes. Sed eodem loco significat, satis esse alteram partem
implere. Sanè Iustinianus cùm explicat quod dixerat Paulus de pluribus conditionibus disiun-
ctim datis, exemplum subijcit, *SI ILLVD AVT ILLVD FACTVM FVERIT*. Sed illud malè me
habet, quòd conditiones ita concipi dicat separatim. Melius enim conuenit verbum, *DISIVN-
CTIM*. Sed Iustiniano ignoscemus, vt Modestino ignoscitur, qui cùm aliquando rectè dixisset [c], 5
SEPARATIM, postea vbi tamen non conueniebat, dixit [d], *DISIVNCTIM*. Si omnino separatim,
hoc est, diuersis orationibus seorsim plures ascribantur conditiones: certè eo iure vtimur, vt si plu-
res sint etiam vnius hæredis institutiones ex eadem parte ita scriptæ: Conditio quæ prior extabit,
occupet institutionem [e] vt paulo antè dictum est. Io legatis ita relictis traditum [f] id est, nouissi-
mam; in libertatibus ita relictis leuissimam conditionem spectari. Sed quod attinet ad conditio- 6
nes plures, quæ propriè disiunctim, hoc est, alternatiuè conceptæ sunt, perpetua ea regula est, vt
cuilibet, siue vni alicui ex ijs, paritum esse, sit satis. Quo verbo, CVILIBET, rectè vsi sunt & Pau- 7
lus & Iustinianus, opponentes illud huic verbo OMNIBVS. Sicuti alijs in locis opponitur. Non
enim est vniuersalis, sed particularis dictio. vim tamen habet distribuendi vniuersum in singula
sua sobiecta separatim [g]. Quòd si conionctim plures conditiones ascribantur, veluti (inquit Iu- 8
stinianus) SI ILLVD ET ILLVD FACTVM FVERIT, omnibus parendum esse, omnesque in soli-
dum impleri debere dubium non est, non secus atque si vna tantùm ascripta esset. Neque alio iure
vtimur in legato libertatis. Nam si plures conditiones coniunctæ ascriptæ sint seruo cùm ei liber-
tas legatur: nisi omnibus paruerit, liber non erit, inquit Modestinus [h]. Sed & in stipulationibus
locum habere superiorem distinctionem tam apertè ostendit Scæuola, vt operæ precium sit eius
verba audire [i]. Si quis ita stipulatus fuerit, DECEM AVREOS DABIS SI NAVIS EX ASIA VE-
NERIT, ET TITIVS CONSVL FACTVS EST? non aliàs dabitur, quàm si vtrunque factum sit.
Item in contrarium. DARE SPONDES SI NEC NAVIS VENERIT, NEC TITIVS CONSVL FA-
CTVS SIT? exigendum erit, vt neutrum factum sit. At si sic, DABIS SI NAVIS VENIT, AVT TI-
TIVS CONSVL FACTVS SIT? sufficit vnum factum. & contrà: DABIS SI NAVIS NON VENIT,
AVT TITIVS CONSVL FACTVS NON EST? sufficit vnum non esse factum. Sed & Vlpianus [k],
Si quis (inquit) stipuletur, SI NAVIS EX ASIA VENERIT, AVT SI TITIVS CONSVL FACTVS
FVERIT: constat siue nauis prior venerit, siue Titius antè Consul factus fuerit, committi stipulatio-
nē. Adijcit autem, vbi cōmissa est ex priore causa, ex altera (licet existat conditio) amplius nō com-
mitti, alteram enim causam nō vtranq; inesse stipulationi. Huc quoq; pertinet, quod Caius [l], cùm
quæreretur, an si à reo sub conditione fuero stipulatus, posim fideiussorem & in haoc & in aliam
conditionem obligare: respondi, posse me, si modò eas coniungam, nisi enim (inquit) vtraque ex-
titerit, non tenebitur, cùm reus ex vna tantùm conditione teneatur. Hic itaque in leuiorem cau-
sam fideiussor obligatus videbitur. Sed adijcit Caius, si conditiones disiungam, duriorem fieri
conditionem fideiussoris, quia videatur apprehendi existente alterutra conditione.

Hic ego pro coronide huiusce capitis valde velim disputationem Iuliani, quæ huc omnino
pertinet, adiungi atque repeti, qualis in Pandectis [m] extat. Sed quia illa subtilis, & propterea
etiam obscura est, breuiter adijciam quod ad eam illustrandam pertinere existimo. Ac imprimis
quidem constituendum est, quæ sit vis, natura, & proprietas orationis solutæ, coniunctæ & dis-
iunctæ. Ac coniunctæ quidem disiunctæque propria significatio satis nota est: sed ab ea interdum 9
receditur propter coniecturam alterius voluntatis, non modò vt coniuncta oratio accipiatur pro
disiuncta [n]: sed etiam è diuerso vt disiunctio verborum accipiatur pro coniunctione. At longius ex-
empla non repetamus, eodem illo Iulianus loco eleganter id docet [o]. Scriptum erat, SI QVIS
MIHI FILIVS AVT FILIA NASCATVR, HÆRES MIHI ESTO. SI MIHI FILIVS
AVT FILIA HÆRES NON ERIT. SEIVS ESTO. Fatetur Iulianus talem propriè scri-
pturam conuenire vbi quis filium quidem & filiam instituere hæredes vult: sed siue alter tan-
tùm hæres sit, Seium adiungere; siue neuter, Seium substituere. Quòd si non aliter Seium admit-
ti velit, quàm si neque filius, neque filia hæres sit, ita potius scribi oportere, SI MIHI NEC FI-
LIVS NEC FILIA HÆRES ERIT, SEIVS ESTO. Sed interea in superiori quoq; scriptu-
ra procliuius esse ait, sententiam testatoris sic accipi, vt siue filius siue filia hæres sit, Seius non ad-
mittatur. Hîc ex coniectura voluntatis paternæ orationem disiunctam pro coniuncta accipi-
mus. Aliud exemplum est apud Iustinianum. Scriptum erat: SI FILIVS SINE LIBERIS MO-
RIATVR VEL INTESTATVS, TITIVM SVBSTITVO. Id Iustinianus [p] perinde accipit atque si
scriptum esset, SI FILIVS SINE LIBERIS ET INTESTATVS MORIATVR. Idem [a] si
illi aut illi promissum vel legatū sit, talem personarū disiunctionem pro coniunctione accipit,
vt vtrique debeatur, quia alioqui incertum esset legatum & stipulatio incerta. Aliam tamen esse
verborum proprietatem nemo ignorat, vt etiam regula [b] Iuris docet: sufficere alterum fieri vbi
verba coniuncta non sunt. Vt autem propius ad Iuliani disputationem veniam, constat; si sic 11
principalis aliqua rerum duarū stipulatio disiunctiois verbis concepta, veluti ISTVD AVT ILLVD
DARI, ex qua satis appareat non nisi alterum habere stipulatorem velle, & subijciatur stipu-
latio

a L. 77. cùm pupillus. §. 1. de cond. & dem.
b L. 36 hæc scriptura. hoc tit.
c L. quod vulgo. de manu. testa.
d L. sub diuersis. de cond. & dem.
e L. si plures. de cond. instit. l. si te solum. de hær. instit.
f L. sub diuersis. l. quod traditum. & ll. seq. de cond. & dem l. quod vulgò. de manu. test.
g L. 44. si pluribus. de lega. 2. l. nō distingue mus. §. cùm in plures. de arbit.
h L. quod vulgò. de manum. testa
i L 129. si quis ita. de verb. oblig.
k L. 13. cùm quærebatur, Iudic. solui.
l L. 71. si à reo. de fideicommiß.
m L. si qui ducenta. §. cùm ita. de reb. dub.
n L. coniunctionem. l. sæpe ita. de ver. sig.
o d. l. si qui ducenta. §. vlt.
p L. generaliter. C. de instit. & subst.
a L. pen. C. de verb. signifi.
b L. 110. in eo quod plus. §. vbi. de reg. iu.

latio pœnalis *SI ILLVD AVT ILLVD DATVM NON SIT*: promissorem qui vnum dederit, etsi
alterum etiam non dederit, liberari, neque in pœnam incidere. Sed & vbi res plures stipulor vel
coniunctim vel collectiuè, vt satis appareat me omnes eas simul habere velle: promissor si vel in
vno solo peccârit, hoc est, aliquam earum rerum non dederit, pœnam in solidum committet, per-
inde atque si nullam earum rerum dedisset. Ea enim summo iure vis est conditionis indiuiduæ.
Hîc tamen ex æquo & bono quædam moderatio adhibetur, vt pœna ita commissa non exigatur
12 nisi pro qua parte peccatum est[a]. Vbi tamen non tam esset pœnalis & accessoria, quàm principa-
lis vna stipulatio ita concepta: certè multò magis cum Iuliano fatebimur, in solidum committi,
si vel in altero tantùm peccauerit promissor. Et quamuis altero facto (vt ait Iulianus) verum sit,
hoc aut illud factum esse: non ideo tamen minus verum est, hoc aut illud factum non esse. Nam
& vtrunque verè hîc dici potest, quamuis contraria sint. Itaque interpretamur; stipulationis ita
conceptæ conditionem existere, si vel in altero verum sit commissam esse, sicuti & cùm apparet
voluisse stipulatorem omnia fieri quæ stipulatione comprehensa sunt, satis est aliquid eorum
non fieri, vt pœna tota committatur. Sed hæc pluribus verbis abs Iuliano tractantur, cum cuius
disputatione esset operæ precium Dialecticorum in hoc genere regulas & acumen componere
atque conferre.

a L. si seruus. §. 1. §. qui caut.

Vt persequamur, quæ de conditionibus vel existentibus vel deficientibus dicenda super-
13 sunt: nunc mihi dicendum videtur, de conditionibus quæ cùm reuera defecerint, neque impletæ
sint, pro impletis tamen magis habentur: nempe quæ collatæ in potestatem, per casum deinde
aliquem deficiunt, vel cùm non stat per eum, qui implere debet, sed per eum, cuius interest non
impleri. Quoquidem in genere nihil commodius proponere primo loco possum, quàm quòd
14 hîc in vniuersum perspicuè proponit Iulianus[b], & inter Iuris quoque regulas relatum est[c]: Iure
Ciuili receptum est, quoties per eum, cuius interest conditionem non impleri, fit quo minus im-
pleatur, vt perinde habeatur ac si impleta fuisset. Quod plerique & ad legata & ad hæredum insti-
tutiones perduxerunt. Quibus exemplis stipulationes quoque committi quidam rectè putaue-
runt, cùm per promissorem factum esset, quo minus stipulator conditioni parêret. Quod ait Iure
15 Ciuili receptum esse: Iure quoque Pontificio vt nunc appellatur, repetitum id est. Nam inter eius
regulas illa quoque refertur; Cùm stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio implea-
tur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset. Vulgata exemplaria legunt, *CVM NON STAT PER
EVM*, &c. Sed tum regula omnino vera non erit. Non enim semper verum est, conditionem le-
gati vel obligationis, cùm non stat per legatarium vel creditorem; sed cùm stat per hæredem vel
promissorem. Paulus[d] ait; Tum demum pro impleta haberi conditionem, cùm per eum stat, qui,
si impleta esset, debiturus erat. Eoque pertinere videtur regula, quam hîc Iulianus tradit. Nam &
cùm ait; in stipulationibus quoque eam locum habere; exprimit, cùm per promissorem factum
esset, quominus stipulator conditioni pareret. Sicuti & Paulus ait[e]: Quicunque sub conditione
obligatus curauit ne conditio existeret, nihilominus obligatur. Et similiter in contractibus, quo-
rum vltrò citroque est obligatio, conditio habetur pro impleta, quod attinet ad eum obligan-
16 dum, per quem stat quo minus illa impleatur; Sic enim Vlpianus ait[f]; Ex vendito agi posse qua-
si impleta conditione, cùm per emptorem stet, quominus impleatur. Sic itaque & hoc loco di-
cemus apud Iulianum; Si is qui sub conditione iussus est testamento aliquid dare, sic vt eius pro-
pterea interesse intelligatur conditionem non impleri, faciat quo minus impleatur, per eúmve
stet, conditio habetur pro impleta. Nam & si iure quodam suo id facere videatur, non tamen im-
pediet conditionem. Potest hæres impedire statuliberum, qui de suo peculio aliquid dare iussus
est, vt talem libertatis conditionem non impleat, nempe adempto peculio. Sed nihilominus
tunc conditio habebitur prô impleta, & libertas competet[g]. Sanè si seruo legata esset libertas
SI RATIONES REDDIDISSET, tum demum quasi impleta conditione liberum fore cùm
rationes offert & reliqua, & hæres, qui recipere non vult, in mora est, respondit Papinianus, adij-
ciens non sufficere hæredem in mora fuisse, si non id fiat per statuliberum, quod remota hæredis
mora libertati aditum daret[h]. Quibus verbis Papinianus significat non esse satis non stare per
hæredem, nisi etiam nullo modo per statuliberum stet. Non sufficit itaque rationes offerre. Nam
& si hæres eas recipiat, supersunt reliqua exoluenda. Quod igitur præstaret si hæredis nulla mo-
ra esset, & præstare deberet vt conditionem relictæ libertatis expleret: illud offerre debet totum,
antequam hæredis moram accusare possit. Quòd si per aliquem tertium, cui dandum erat, stet,
quominus ei detur, conditióque dandi impleatur: habebitur similiter pro impleta. Paulus[i],
Si ita (inquit) hæres institutus sim, *SI DECEM DEDERO*: & accipere nolit, cui dare iussus
sum: pro impleta conditio habetur. Et Vlpianus[k], Si qua conditio sit (inquit) quæ per legata-
rium non stat, quominus impleatur, sed aut per hæredem aut per eius personam, in cuius persona
iussus est parere conditioni: dies eius legati cedit, quoniam pro impleta habetur, vtputa si iussus
sim hæredi decem dare, & ille accipere nolit. Idem & si hæres, quod illi dare debebã, mihi remittat
& acceptum ferat[l]. Quinimo Papinianus[m] respondit; Cùm pupillus aut tutor eius, conditio-
nem in persona pupilli collatam impedit: legati conditionem iure communi impletam esse vi-
deri. Exemplum sumatur ex Scæuola. Ita scriptum erat, *LEGO TITIO CENTVM ANNVA
QVANDIV VIVET, SI NEPOTIS MEI NEGOCIA ADMINISTRET*. Non stat per Ti-

b L. Iure Ciuili. de cond. & dem.
c L. Iure Ciuili. de reg. iur.
d L. 80. Iulius Paulus, ad §. hoc tit.
e L. in exeutione §. vlt. de verb. obligat.
f L. 50. Labeo scribit, si mihi Bibliothecam, de contrah. empt.
g L. 3. §. vlt. de cond. caus. dat. caus. non sec.
h L. 34. seruus si hæredi. §. si Imperator. de statulib.
i L. 3. de condit. instit.
k L. 5. §. item si qua, Quan. dies leg. ced.
l L. 45. Iulianus. hoc tit.
m L. 77. cum pupillus. de cond. & dem.

tium, quo minus id faciat: sed per illum nepotem, qui non vult nec patitur eum administrare.
Scæuola [a] respondit, si non propter fraudem aliámve quam iustam causam improbandæ operæ
remotus esset Titius à negocijs, quæ administrare secundum defuncti voluntatem vellet; perce-
pturum legatum. Papinianus ait, fideicommissa menstrua vel annua sub ea conditione liberto
relicta QVANDIV RES PATRONI FILIAE GESSERIT, & si præstari necesse sit filia prohibente
res suas administrari: tamen voluntatem mutante filia, conditionem resumere, quoniam plura
sunt [b]. Sed ad Scæuolam redeo. Cùm conditio legatorum alimentorum seruis manumissis ascri-
pta esset, SI CVM HAEREDE MANERENT: quamuis ab eo discessissent propter duriorem hære-
dis morositatem, legatum deberi putat, quasi per hæredem magis stet quàm per legatarios, quo-
minus conditio impleatur [c]. Et vxori legatum, SI CVM FILIO HABITET: deberi cùm per mu-
lierem mora non est, quominus cum filio habitet, sed filius à matre migrauit, respondit Iabole-
nus [d]. Sexcenta sunt huius generis apud Iurisconsultos. Sed quid si per alium stet, in cuius alioqui 17
persona non erat implenda conditio? Quid enim si conditio legati sit SI SERVVM MANVMIT-
TAS: & aliquis eum occiderit? Certè si nullo iure id fecit, & soluendo sit, vt non sit inanis aduer-
sus eum actio, facilè existimauerim conditionem deficere; sed eum cuius interest, aduersus illum
acturum. Vlpianus [e] enim ait; propter occisionem deficere conditionem, sed legatarium conue- 18
nire posse eum qui occidit. Quod si alia fuerit ratio eius qui impedit me conditionem implere,
sed talis, vt propterea aduersus eum agere non posim: magis habebitur conditio pro impleta, vt
legatum non amittam. Cùm scriptum in testamentum esset, *TITIVS SI STATVAS IN MVNICI-
PIO POSVERIT HAERES ESTO*: responsum [f] est, hæredem eum fore si paratus sit ponere, sed im-
pediatur à Municipibus, qui locum ei nolunt dare. Idemque Iuris esse & in legato. Non licuisse
priuatim cuique statuas in ciuitatibus ponere, & id petenti Municipes iure negasse potuisse, satis
sciunt qui veteres de statuis Leges tenent. Sanè cùm mihi legatum esset sub conditione *SI IN-
TRA CERTVM TEMPVS ALIQVO IVISSEM*, responsum [g] est, quibus diebus vicinus meus me via
publica, cùm ad parendum conditioni ire vellem, ire prohibuit: nec per me stetit, quo minus a-
gendo ob calumniam eum summoueam; hos dies conditioni nō imputari: Sed quid si per nemi-
nem factum sit, quo minus conditio existeret, sed casu aliquo ea defecerit? Vlpianus [h] loquens de
eo cui aliquid relictum est *SI STICHVM MANVMITTAT*, Sticho deinde mortuo ait non vide-
ri defectum conditione, si parere conditioni non possit. Dicemus itaque, conditionem, quæ à 19
principio collata in legatarij potestatem erat, cùm is in mora non esset, casu aliquo deficientem
& impeditam non nocere. Non enim intelligitur testator voluisse talem conditionem, quam in
eius, cui ascribebat, potestatem contulit, sic ab aliquo casu pendere, vt per eum deficiat, & ei, cuius
culpa alioqui nulla est, noceat. Quid igitur si conditio in eius planè potestatem non fuerit colla-
ta, sed ex alterius quoque arbitrio & facto pendebat? veluti *SI TITIO NVPSERIS, VEL TITIAM
VXOREM DVXERIS*? Certè Africanus [i] talem hîc distinctionem adhibet, vt si alterius morte im-
peditum sit matrimonium, conditio defecta videatur. Sed si voluntate & facto non quidem le-
gatarij, sed alterius recusantis in matrimonium coire: non nocere legatario, per quem non stat,
quo minus conditio impleatur. Quam quidem distinctionem & Cæsares [k] secuti videntur: Sed
& Marcellus [l] cùm tradidisset eos, quibus legatum est, *SI TITIAM DVCANT VXOREM*, perci-
pere legatum, si Titia nubere nolit, adiecit hanc rationem: Plerunque enim hæc conditio *SI V-
XOREM DVXERIT, SI DEDERIT, SI FECERIT*, ita accipi debet, quòd per eum non stat, quo mi-
nus ducat, det, faciat. Videtur hîc Marcellus confundere conditionum varia genera. Sed memi-
nerimus, discrimen, quod antea tradidi, seruare.

a L.13. Maeuia. de annu. lega.
b L.100. pater Seuerinam. §. vlt. de cond. & dem.
c L.23. Caio Seio. § Imperator, ad si. de alim. lega.
d L.29. qui concubinam. §. vxori. de le.3.
e L. vnde Neratius. §. idem Iulianus. ad legem Aquil.
f L.14. Titius. de cō. & dem.
g L. 40. quibus. hoc tit.
h L. quæ sub conditione. §. quoties. de cond. instit.
i L.31. in testamento ita. de cond. & dem.
k L.1. C. de instit. & subst. l.4. C. de cond. inser.
l L.23. vter. de cond. instit.

§. *Porrò constat.*

1 *In conditione pœna si quid non detur, quænam & cuius temporis mora expectetur?*
2 *Pegasi sententia; Non prius committi pœnam, quàm desiisset posse fieri aut dari.*
3 *Sabini: statim, vbi fieri daríve potuisset, nec factum aut datum esset.*
4.8.9.10 *Papinianus hos quomodo conciliet?*
5.6 *An vt, si non fiat quod in conditione est, non statim stipulatio committitur; sic & in conditione dandi non statim committatur?*
7 *Si stipulatio à conuentione incipiat, & in conditionem definat, quid iuris?*
11 *Fideiussor ita acceptus; si reus non soluerit; quomodo teneatur?*
12 *Quid, si non modò conditio sed & dies certus in substitutione adijciatur? quid si in stipulatione? numero decimotertio.*
14 *Quid, si quod in conditionem cum die certa confertur, in certum tunc erat an existeret?*
15 *Diem interpretamur vt prosit maximè promissori.*
16 *Quo potissimum tempore conditiones expleri debeant?*
17 *Conditionum in futurum collatarum triplicem esse naturam.*
18 *Tempora conditionum esse alia definita, illud indefinita.*
19 Si in Capitolium ascenderit: *item, si dederit; quomodo accipienda?*
20.22 *Promiscuas conditiones post mortem impleri oportere: Non promiscuas siue fortuitas, etiam viuo testatore existere posse.*
21 *Si iam facta sint, quæ conditionis loco ponuntur, & sciat te-*

sciat testator siue contrahens, expectatur quaterum fieri possint: si nesciant, præsenti die debentur.

23 Qui fato conditioni promiscua paruit, non videtur obtemperasse voluntati.

24 Conditiones fortuitas casu impleri satis est.

25 An pupillus sine tutoris autoritate possit implere conditionem hæreditatis vel legati?

Porrò cōstat conditionem pœnę non cōmitti, si non stat per eum, qui SI QVID NON FACIAT,
pœnam pendere deberet: vt cùm sub tali conditione iussus esset legatarius aut hæres monumen-
tum facere arbitratu Titij: Titio mortuo, vel nolente arbitrari. Respondit Pomponius[a], multam a L. multo. de cond. et
non committi ab hærede vel legatario. Et cùm quidam voluisset certa pecunia suos hæredes mul- demonst.
tari, si sibi monumentum non facerent, ad exemplū eius, quod erat cuiusdam Demetrij in via Sa-
laria (erat autem via Salaria, quæ à porta Quirinali siue Collina mittebat in Sabinos, & per quam
hi salem ex mari adferebant, & in qua Marij sepulchrum & aliud magnificentissimum Licinij
tonsoris Augusti fuisse accepimus) respondit Alphenus[b]; Si non repetiretur eius exemplum, ne- b L. 27. in testamēto. quidam. hoc tit.
que satis alioqui constaret, quale sibi monumentū testator fieri voluisset, pœnam nullam vim ha-
bere. Tamen aliquod monumentum extrui debere secundum substantiam & dignitatem de-
functi. Proximum est, vt videamus de hac conditione pœnæ SI QVID NON FIAT, SI QVID
1 NON DETVR, quænam & cuius temporis mora expectetur, vt id dici posit non factum, non
datum, & illa siue pœna, siue eius conditio committatur: an statim atque fieri darive potuit, & fa-
ctum datúmve non est: an verò tum demum cùm constat amplius fieri darive non posse. Quo in
genere extat nobilis quædam disputatio Papiniani[c], atq; adeò Pegasi & Sabini cōtentio, quæ Pa- c L. 115 ita stipulatus. de verb. oblig.
2 pinianum ipsum torquet, in partesq; rapit varias. Pegasus sensisse videtur; non prius committi pœ-
3 nam, quàm desijsset posse fieri aut dari: Contrà Sabinus, statim atque fieri darive potuisset, nec
4 factum aut datum esset. Papinianus conatur alterum alteri conciliare adhibita distinctione, v-
trum cœperit à conditione stipulatio, vt tum Pegasi sententia obtineat: an verò à conuentione, vt
tunc Sabinum sequamur: sed magis tamen in Sabinum inclinat: neque videmur Pegasi senten-
tiam tueri satis posse nisi adhibita altera distinctione, vtrum id quod in conditionem confertur,
sit etiam in præstatione eius qui promittit, an verò non sit, sed aliundè pēdeat, vt tum demum Pe-
gaso sit locus. Sed omissa contentione rem ipsam videamus, & quantum fieri potest, ius aliquod
perpetuum colligamus, & ordine tradamus. Nulla controuersia est. cùm factum in cōditione est,
vt, si non fiat, pœna committatur; veluti SI IN CAPITOLIVM NON ASCENDERIS, SI
5 ALEXANDRIAM NON IERIS: non statim committi stipulationem. cùm primùm ascendere vel
ire potueris, nec ieris: sed cùm certum esse cœperit te amplius ascendere aut ire non posse. Id enim
Papinianus eo loco apertè respondit. & ratio esse potest, quòd cùm hæc potestas faciendi ad hære-
6 dem tuum non transeat, tibi saltem quandiu viuis, relinquatur. Sed quid si agatur de conditione
dandi, quæ ad hæredem magis transit. & propterea vix vnquam committi potuerit. si finitum ali-
7 quod tempus non habeat? Certè si stipulatio à conuentione incipiat, in conditionem verò desi-
nat, dubium non est, Sabini sententiam pro iure perpetuo accipiendam esse. Veluti, PROMITTIS
DARE PAMPHILVM? ET SI NON DEDERIS, CENTVM DARE SPONDES? Hic rectè dicimus, cō-
mitti pœnalem stipulationem statim atq; per te stat: hoc est. confestim quàm dari seruus potuit, &
datus non est. Quod sine dubio verum esse Papinianus ait, cùm id actum probatur. vt si homo da-
tus non fuerit, & homo & pecunia debeatur, hoc est, vt priore non dato, vtrumque esset in obliga-
tione. quod certè actum esse intelligitur. cùm primùm dari hominem stipulamur: & si datus non
sit. pœnam. Commissa stipulatione vtrunq; est in obligatione neq; homo ille tantùm in solutio-
ne fuisse dici potest, cùm principaliter promissus sit. Si tantùm stipulatus essem. Pamphilum dari?
præsenti die deberetur, & statim peti posset, & si reus interpellatus non daret. cùm dare posset, mo
ram contraheret. Cur igitur idem non dicemus cùm pœna adiecta est? neq; enim hæc aut sustulit
aut imminuit vim illius obligationis: nam neq; eam nouat. Porrò addit Papinianus: Sed & si ita
cautum sit, vt sola pecunia non soluto homine debeatur, idē defendendum erit: quoniam volun-
tas fuisse probatur. vt homo soluatur, aut pecunia petatur. Quibus verbis significat. etsi à conditio-
ne incipiat stipulatio, nempe ita concepta SI PAMPHILVM NON DEDERIS, CENTVM DABIS?
pœnam committi statim atq; stetisset per te quo minus Pamphilus datus sit. vt si quod in solutio-
ne est. nempe Pamphilus, non præstetur: petatur quod in obligatione est, nempe pœna propterea
8 commissa. Ergo hic rursus Sabino assentitur Papinianus, repudiata Pegasi sententia. Quid igitur,
nunquámne Pegasi sententia admitti poterit? Certè poterit, si non modò à conditione incipiat sti
pulatio. sed etiam id quod in conditionem confertur, non sit in præstatione promittentis, nec ab
eo pendeat. Veluti SI CAESAR ROMAM NON VENERIT, DECEM DABIS? Certum est talem sti-
pulationem non committi. nisi si omnino certum sit desijsse posse id fieri, hoc est, nisi certum sit,
Cæsarem nūquam venire posse. quod eo demum mortuo certum erit. Neq; ea res obscuram ratio-
nem habet. Nam neq; hic promissoris mora vlla esse dici potest, neque pœna est quam ita promit-
tit, sed est vulgaris & simplex sponsio sub conditione concepta. Quid igitur, si id quod in conditi-
onem ita confertur, sit quidem in potestate & præstatione promittentis, sed vt alteri magis quàm
stipulatori præstetur: Veluti SI TITIO PAMPHILVM NON DEDERIS, DABIS MIHI CENTVM?
9 Certè vix est, vt in ea specie Pegaso assentiamur potiusquā Sabino. Quid enim excusationis habet

mora promissotis, Titiò non dantis, cùm date posrit, sed dare nolentis, vt diutius eludat stipulatorem? Esto, non intersit stipulatotis, Titio dari. Cùm pœna promissa est si alteri non detur, non quæritur an intersit stipulantis non esse alteri datum. Cur igitur id impediat pœnam committi, cùm reus in mora dandi? Pomponius ait: Si Titius & Seius separatim ita stipulati essent, *FVNDVM ILLVM SI ILLI NON DEDERIS, MIHI DARE SPONDES?* finem dandi alteri fore, quod iudicium acciperetur, & ideò occupantis fore actionem. Multo igitur magis si ita stipuler, *SI PAMPHILVM ILLI NON DEDERIS, MIHI DABIS?* committetur stipulatio statim atque illi dare potuisti, nec dedisti. Nam cùm actum est, vt id quod est in conditione, detur existente conditione, hoc etiam actum videtur, vt conditio existat, vbi aliqua mora est; perinde atque si ita stipulatio concepta esset: *FVNDVM ILLVM SI ILLI NON DEDERIS CVM POTVERIS, MIHI DARE SPONDES?* Nam cùm id etiam actum intelligitur[a] ad committendam stipulationem, vbi concurrunt duæ contrariæ tales conditiones, quarum alioqui altera alteri obstare videtur, multo magis id dici potest & debet, vbi vna est simplex talis conditio. Idem itaque & si non res eadem, sed aliud quippiam tanquam pœna ita promittatur. Quod si è diuerso id quod in conditionem confertur, sit quidem in præstatione, sed respectu tantùm stipulatoris, cui præstandum sit, non etiam promissotis: iam cùm nulla promissoris mora esse posrit, facilè assentiar Pegaso, vt non antè talis stipulatio committatur, quàm desierit posse illud dari, & (vt verbo Vlpiani[b] vtar) immutabiliter verum sit, datum non esse: perinde atque si in alium incertum casum concepta conditio esset. Veluti, *SI TITIVS FVNDVM MIHI NON DEDERIT, DABIS CENTVM?* Quòd si Titius fundum illum mihi debebat, & sub tali conditione stipuler abs te eundem mihi dari: certè iam quædam species fideiussionis erit, de qua audiendus Vlpianus[c] est, qui respondit; fideiussorem ita acceptum *SI REVS NON SOLVERIT*, teneri cùm appellatus reus non soluisset, sicuti & si reus decessisset antequam soluisset. Satis superque tali sponsori tribuitur, qui cùm iure alioqui communi, quod in vsu erat tempore Vlpiani, statim conueniri tanquam fideiussor potuisset, non excusso, sed nec appellato reo: expressa illa conditione, *SI REVS NON SOLVERIT*, hoc saltem consequitur, vt saltem ad eam committendam reus appellari, & ita in mora constitui, debeat. Sed quid si quod in conditionem conijcitur, mihi quidem ab alio debebatur, sed ita stipuler aliud dari *SI ID NON DETVR AB ILLO*, veluti, *SI REVS TITIVS MIHI NON SOLVAT CENTVM QVAE MIHI DEBET DARE, DVCENTA SPONDES?* vel, *DARE FVNDVM SPONDES?* Quid dicemus? Certè quia nulla quidem mora tua esse potest, sed alienæ moræ periculum suscepisse videris, sic interpretabor talem stipulationem, vt quandiu integrum erit Titio soluere centum & liberari, tu non teneatis. Vbi amplius non erit, vt quasi iam commissa conditione obligeris. Sed videamus, vbi non modò conditio huius generis ascribitur, sed & dies certus adijcitur, quid dicendum sit. Nam hanc quoque quæstionem tractat, & cum superiori coniungit Papinianus[d]. Certè constat, diem adiectum non impedire quin antè committatur conditio, & quod ad conditionem attinet, obligatio. Sed dubium est, an antè quoque peti statimque agi posrit. Ac quidem cùm in testamento scriptum esset. *INSTITVO TITIVM SI INTRA DVOS MENSES ADIERIT: SI NON ADIERIT, CAIVM:* responsum est, statim atque certum erit, Titium adire non posse: Caio substituto fore locum, neque finem alioqui duorum mensium expectari[e]. Sed illud singularem suam habet rationem, ne quis testator aliquo tempore, intestatus & sine hærede sit. Sed quid de stipulationibus dicemus? Et quidem cum pœnam stipulatus essem, si intra certum tempus, siue expressum, siue tacitè comprehensum, domum non ædificâsses: responsum est, statim committi atque tantum tempus præterierit, vt satis appareat, sua die, rem perfici non posse[f]. Sed nos ita interpretamur committi, vt tamen ante diem peti non posrit. Papinianus negat ante tempus finitum committi[g]: Sed intelligit ita non committi vt etiam statim agi posrit. Paulus ait[h], in illa stipulatione *SI CALENDIS STICHVM NON DEDERIS, DECEM DARE SPONDES?* Sabinum & Proculum putâsse, mortuo homine statim ante Calendas agi non posse, sed expectandam actori diem esse. Totam enim obligationem sub conditione & in diem collatam esse; & licet à conditione committi videatur, diem tamen superesse. Sed cum eo, qui ita promisit, *SI INTRA CALENDAS DIGITO COELVM NON TETIGERIT*, agi protinus posse. Vlpianus quoque ait[i], Si stipulatus hoc modo fuero, *SI INTRA BIENNIVM CAPITOLIVM NON ASCENDERIS, DARI?* Nam & si ambigua verba sint, sic tamen exaudiri; Si immutabiliter verum sit, te Capitolium non ascendisse. Poterat adijcere, idem dici & si iam certum sit te ascendere non amplius posse. Quid igitur, si quod in conditionem cum die certa confertur, incertum tunc erat an existeret, sed ex alterius magis quàm promittentis facto & potestate pendebat? Vulgus existimat alio nos hîc iure vti, hoc est, diem non expectari, sed statim agi posse commissa conditione, cùm certum erit, illud amplius fieri non posse. Sed hæc distinctio non nisi ex corrupta cuiusdam loci Pandectarum lectione nata esse videtur. Pomponius inquit: hoc iure vtimur, vt ex hac stipulatione *SI TITIVS ANTE CALENDAS MAIAS IN ITALIAM NON VENERIT, DECEM DARE SPONDES?* non antè quicquam peti posrit, quàm exploratum sit, ante eam diem in Italiam Titium venire non posse, neque venisse: siue eo viuo, siue mortuo id acciderit[k]. Vulgò locum illum aliter legunt, nempe, *TITIVM VENIRE NON POSSE, NEQVE VENIRE.* Sed in exemplaribus quæ melioris fidei ha-

a dict. l. si Titius.
b L. quicquid. §. vlti. de verb. oblig.
c L. fideiussor obligari. §. vlt. de fideiuss.
d dict. l. ita stipulatus.
e L. si quis hæres ita scriptus. de acq. here.
f L. cùm sim stipulatus à reo Proculo. de verb. oblig.
g L. 124. insulam. de verb. oblig.
h L. 8. in illa. de verb. oblig.
i L. 99. quicquid. §. vlt. de verb. oblig.
k L. hoc iure. de verb. oblig.

dei ha-

dei habentur, rectius legitur in præterito *NEQVE VENISSE*. Quod si ita est, vt est, ineptum hic erit
distinguere factum promissoris à facto alterius: sed vtrobique expectandus erit dies, quia ante
eum dici non potest, Titium neque venire posse neque venisse. Certè nisi si obstatet hoc verbum
VENISSE, nonnihil causę esse posset, cur vulgaris distinctio posse admitti videretur. Nam cùm pro-
mittis si ad certam diem non dederis aut feceris aliquid, pœnam, diem ascribere videris ad diffe-
rendam vim & potestatem obligationis. At vbi illud in tua præstatione non est, magis videri pos-
set adiecta dies, vt tempus conditionis incertæ finiretur & concluderetur. Si igitur prius certum
15 fuerit eam existere amplius non posse: videri posset inanis iam esse dies: nisi si benignius semper
esse videretur, sic eum interpretari, vt quàm maximè prosit promissori. Quid igitur si ita stipuler,
SI TITIVS INTRA CALENDAS QVINGENTA MIHI NON SOLVAT, ILLVD DABIS?
Certè idem quod in superiori specie dicendum esse videtur. Sed vt propius vrgeamus atque per-
sequamur, quod de explendis conditionibus dicendum est, videamus nũc; quo potissimùm tem-
16 pore expleri debeant, vt rectè expletæ videantur. Qua quidem in re non vnam adhibent distin-
17 ctionem Iurisconsulti. Martianus ait [a]; Conditionum quæ in futurum conferuntur, triplicem es- a L. 89. conditionum. de condit.
se naturam. Quasdam pertinere ad id tempus, quo testator viuit, vt hanc, *TITIAE LEGO SI MIHI*
NVPSERIT. Nam cùm mortuo nubere non possit, certum est non nisi viuente testatore talem con
ditionem impleri posse, & manifestum est talem quoque fuisse testatoris voluntatem. Quasdam
verò pertinere ad id tempus, quod post mortẽ futurum sit: vt hãc *SI AD EXEQVIAS FVNERIS MEI*
VENERIT: nam non nisi post mortem impleri posse constat. Viui enim hominis funus esse non po-
test. Neque tam inepti erant fatui olim, vt nunc nonnulli esse dicuntur, vt suas exequias viui per-
agerent. Quasdam deniq; ad alterutrum tempus pertinere: vt hanc, *SI FILIO MEO NVPSE-*
18 *RIT*. Nam vel viuo vel mortuo testatore rectè impleri. Rursus addit Martianus; quasdam ex his
habere tempus infinitum, hoc est, incertum, neque alioqui aut præscriptum aut definitum, sic
vt quandocunque impleri possint, veluti *SI NVPSERIT*. Quasdam verò habere tempus cer-
tum, vt illam *SI AD EXEQVIAS FVNERIS MEI VENERIT*. Possem & alias quasdam ad-
ijcere, quæ partim finitum, partim infinitum tempus habent. Hanc conditionem SI IN CAPI-
19 TOLIVM ASCENDERIT: sic accipi, SI CVM PRIMVM POTVERIT, CAPITOLIVM
ASCENDETIT, nempe, post mortem testatoris, responsum [b] est. Hæc quoque conditio SI DE- b L. 28. hæc conditio. hoc tit.
DERIT, habet quidem tempus præscriptum, vt nõ nisi post mortem testatoris impleatur; Sed alio-
qui habet infinitũ, vt quandocunq; post mortẽ rectè impleatur. Sed adijciẽdum est, interdũ ante
aditam hæreditatem rectè impleri, interdum non nisi adita hæreditate, vt si quis hæredi dare ius-
sus [c] sit. Atque hic quidem altera distinctio quæ præcipua est, subiungenda est, vt eam Paulus tra- c L. 91. quæsitum. §. 1. de legat. 1.
20 didit [d], nempe; Promiscuas conditiones post mortem impleri oportere; veluti, SI IN CAPI- d L. sitam facta. §. 1. de condit.
TOLIVM ASCENDERIT: Non promiscuas, etiam viuo testatore existere posse; veluti SI TI-
TIVS CONSVL FACTVS FVERIT. Similis est distinctio, quam Vlpianus [e] adhibet. Con- e L. 2. hoc tit.
ditionum quædam sunt (inquit) quæ * quandocunque impleri possunt, etiam viuo testatore, vt- * al. quandoque.
puta, SI NAVIS EX ASIA VENERIT. Nam quandocunque venerit nauis, conditioni pari-
tum videtur. Quædam sunt, quæ non nisi post mortem testatoris, veluti, SI DECEM DEDERIT,
SI CAPITOLIVM ASCENDERIT. Sanè hanc conditionem SI CONSVL ERIT, tanquam
fortuitam, viuo quoque testatore rectè impleri constat [f]. Non enim est in arbitrio aut potestate f L. 36. Publius. hoc ti.
nostra Consules fieri. Sed & hæc conditio SI NVPSERIT, inter fortuitas magis refertur, vt etiam
viuo testatore rectè impleatur: quod non modò Vlpianus significat [g], sed & Iustinianus [h] apertè g L. 10. hæc conditio. filiæ. hoc tit.
statuit. & si sub hac cõditione sit vxori legatum SI LIBEROS PEPERERIT, nihil interest, siue viuo h L. si quis heredem. C. de instit. & substi.
marito, siue eo iam mortuo liberi primùm [i] nascuntur. Et quidẽ addit Vlpianus, hanc conditionẽ
SI NAVIS EX ASIA VENERIT, pro impleta haberi, & si iam testamenti facti tempore venisset, i L. 60 si vir vxori. de condit.
ignorante testatore. Et Pomponius [k], Cùm pater filiæ legasset, CVM NVPSERIT, respondit,
etsi filia iam tum cùm testamentum fit, nupta esset, sed ignorante patre, nihilominus lega- k L. 6. 45. si ita scriptum. vlt. de leg. 2.
tum deberi: Sed si hoc pater non ignorabat, videri de alijs nuptijs sensisse. Non dissimilis est il-
21 la Pauli [l] distinctio, Si (inquit) iam facta sint, quæ conditionis loco ponuntur, & sciat testator; l d l. sitam facta.
quæ iterum fieri possunt, expectantur, vt hanc. Si verò nesciat, præsenti die debentur. Atque hæc
quidem etiam de conditionibus contractuum dici posse dubium non [m] est. Sed & eum qui in m L. cùm ad præsens. si cert. peta.
tempus liberorum vxori legat de ijs non sensisse, quos iam tum vxor habuit, responsum [n] est. n L. 9. solemus. de cõd.
22 Porrò cùm tradidisset Vlpianus; conditiones fortuitas quandoque impleri posse, etiam viuo
testatore: promiscuas verò non nisi post mortem testatoris: adijcit alterum discrimen, quod huius
nunc loci est. vt (inquit [o]) paruisse quis conditioni videatur, etiam scire debet hanc conditio- o dict. l. 2.
23 nem insertam. Nam si fato fecerit, non videtur obtemperasse voluntati. Quibus verbis significat,
conditionem promiscuam abs legatario id sciente atque etiam agente implendam esse. Cùm a-
24 lioqui conditiones fortuitas satis sit casu quodam impletas esse, ignorante etiam non modò te-
statore, sed & legatario. Si tamen ageretur de acquirenda hæreditate, hæres qui scit sese institu-
tum esse sub conditione, non poterit adire nisi si sciat conditionem [p] impletam esse, si modò p L. multum. de cond.
25 hæc facti sit, magis quàm iuris. Sed de pupillo, an sine tutoris authoritate possit implere
conditionem hæreditatis vel legati sibi relicti, quæsitum est. Et est responsum [a], posse: quia con- a L. 26 si pupillus. de condit. instit. l. 5. de cond. & dem.
ditione expleta pro eo est, quasi purè ei hæreditas vel legatum relictum sit. Ergo qui conditioni,
sub qua scriptus est hæres, paret, non ideo quoque fit hæres, aut adire hæreditatem propterea in-
telligitur: sed tantùm puram efficit institutionem, quæ alioqui erat cõditionalis, & veluti sternit
sibi viam

a L. 1. §. 1. de cond. cau. da. cau. non sec.

b L. 5. de cōd. et dem.

sibi viam ad hæreditatem adeundam, si eam adire velit. Nam integrum adhuc est repudiare, eáque etiam repudiata repetere quod parendi conditioni causa datum esset[a]. Mirum ergo non est, si pupillus, qui sine tutore non posset adire hæreditatem, posit tamen sine eo conditionem implere, præsertim si eam implendu nihil amittat: vt si sit conditio *SI IN CAPITOLIVM ASCENDERIT*. Cæterùm si aliquo sumptu opus esset, vel esset conditio dandi: non remerè id pupillo sine turore permittendum esse videretur, cùm ne pupillo quidem sine tutore rectè dari conditionis explendæ causa, paulo pòst dicturi sumus. Verùm inquies, etsi conditio sit, quam nullo incommodo expleat pupillus, tamen ea impleta hæres per consequens erit, saltem si fuerit filiusfa. suus hæres ita institutus vt sub conditione quæ in sua potestare sit, rectè instituitur. Nanque hæc saltem conditio non amplius suspendet vim sui, vbi impleta erit. Respondit Paulus[b], neminem moueri debere, quòd explera conditione necessarius hæres aliquando esse posit pupillus. Nam hoc iure potestatis fieri, non conditionis expletæ. Potestarem intelligit patriam & iuris: qua fit, vt filiusfa. suus hæres & necessarius sit: adeò etiam, vt hanc vim, tutoris authoritas non inhibeat. Subijcit Paulus, Item seruum aut filiumfa. sine iussu patris aut domini conditionem implere posse: quia eo facto nemo fraudatur.

§. *Proximum est.*

1. *Arbitrarias siue promiscuas conditiones, an alter alterius nomine implere posit?*
2. 2.3.4 *An ab ea etiam persona cui dari debet, recedi possit? & nomine eius alteri numerari?*
3. 5 *An haredi eius cui dandum erat, rectè detur, conditionis implenda causa?*
4. 6.7 *Ambulatoriam conditionem, siue rem ambulatoriam quam appellent Iurisconsulti?*
5. 8 *Per duas causas impleri conditionem in primi haredis persona.*
6. 9 *Ius commune legatorum conditionalium quod?*
7. 10 *Legatarius eius heredi, cui dare iussus erat, dando an conditionem impleat?*
8. 11 *Conditionem dandi, posse à legatario moriente quoque impleri.*
9. 12 *Ius implenda conditionis an ad haredes quoque eorum qui debuerant implere, transeat?*
10. 13 *De conditionibus promiscuis & arbitrarijs.*
11. 14.15 *Conditionem testamentu ascriptam non transmitti ad haredes eius, cui quid ita relictum est. fallit num. 16.*
12. 17 *Si sub conditione stipulati simus, & prius quam conditio extet, moriamur, ius nostrum transmitti ad haredes.*
13. 18 *Quid, si conditio negatiuè concipiatur?*
14. 19 *Reo antè moriente quàm soluat, fideiussoriā obligationem committi.*
15. 20 *Modum, siue contractui siue legato appositum, tam per haredem, quàm ui harede impleri posse.*

c L. vl. de cōd. instit.
d L. 5. de her. inst.
e L. Arescusa. de statu homi.
f L. 13. si fundus. de cond.
g L. 95. Stichum aut Pamphilū. §. vsumfr. de solut.
h L. 68. si seruus decē. de solut.
i L. 44. qui heredi. de cond. et dem.

Proximum est, vt videamus; an conditiones arbitrariæ, siue promiscuæ, tam valde promi-
scuæ sint, vt etiam per alium, eius, cui ascriptæ sunt, nomine rectè impleri posint. Et certè si ta- 1
les sint, vt personæ cohærere videantur, non possunt. Non enim rum à persona illa recedi potest.
Sed alioqui possunt. Prioris generis esse solent conditiones faciendi: posterioris, dandi. Papinia-
nus[c] hanc conditionem, *SI ALEXANDRIAM IERIT FILIVS*, non posse morienre filio impleri,
quia scilicet, per alium impleri non posit, & ipse filius motiens ire non posit. Sed hanc, *SI DE-
CEM DEDERIT*, extremo vitæ momento impleri posse, quia per alium nomine filij impleri posit.
Eadem planè distinctio est & apud Iulianū[d]. Huc quoque pertinet quod Triphoninus[e] ait, ma-
numissam sub hac conditione *SI DECEM DEDERIT*, eo momento, quo pariet, si per alinm im-
pleuerit conditionem, iam liberam peperisse videri. Sed poretítne aliquando ab ea quoque per- 2
sona, cui dari debet, recedi, vt alteri, eius loco & nomine detur aut numeretur? Sanè Paulus[f] re-
spondit: Si fundus alicui legatus fuerit, *SI PVPILLO VEL FVRIOSO PECVNIAM DEDIS-
SET*, videri explesse conditionem, curatori vel tutori dando. Quod Papinianus etiam tractat, &
quidem paulò diligentius. Ait[g], conditionis implendæ causa rectè pecuniam tutori vel curarori
dari, sicuti & cùm furiosi aut pupilli persona solutioni adiecta est. Adijcit autem, id ita recipi posse,
si pecunia in rem vel pupilli vel furiosi versa est: quomodo si domino dare iussus, seruo dedisset vt
domino daret. Ergo vtroq; casu conditio expleta non videtur, nisi si pecunia in rem eius, cui pro-
desse datio debet, versa sit. Adeò autem tutori vel curatori rectè datur, vt sine eo non rectè daretur 3
ipsi pupillo aut furioso: ne datio ex horum imbecillitate pereat: nec enim hoc egit restator, vt quo-
quo modo esset datum, expleta videatur cōditio. Id eleganter Marcellus etiam tractat[h]. Sed vt ad
Papinianū reuertar, his quæ suprà dicta sunt, subiūgit; Cæterùm, qui seruo dare iussus est, domino 4
dando non aliter implêsse conditionem intelligendus est, quàm si ex voluntare serui dederit. Pau
lus quoque[i], eum qui seruo alicuius dare iussus est, seruo non autem domino dare debere respon-
dit: quia quæ facti sunt, non transeanr ad dominum. & contrà, eum, qui domino dare debet, non
implere conditionem dando seruo eius, nisi si dominus consenserit. Neminem enim in tali specie
conditionem, nesciente me & nolente, implere posse. Dicet aliquis, Cur qui seruo dare debet, re-
ctè non dat domino: cùm quidem & si seruo datum sit, domino protinus acquiratur? Certè quia
qui seruo dari voluit, serui potius quàm domini rationem habet: & ipsius etiam serui interest, sibi
dati, vel vt peculium suum augeat, vel etiam vt dominum, si ei acquirat, magis demereatur. Ita-
que & qui dare iussus est illi, qui alioqui ex restamento acquirere non porest, ei tamen dare iube-
tur vt

tur vt conditionem impleat[a]: nam & si ille dominus non fiat, tamen eius etiam interest pecuni-
5 am accipere. Saltem enim ea vti poterit. Quid autem; an hæredi eius, cui dandum erat, rectè dabi-
tur, explendæ conditionis causâ? Sanè si hæredi seruus dare iussus sit, & liber esse hæredis hæredi
dando, rectè implet conditionem, & liber erit[b]. Interdum etiam nec huic quidem dare tenetur,
& nemini dando nihilominus erit liber[c]: vt si hæres antequam daret, eum manumiserit, & postea
defunctus est. Nam tum demum hæredis hæredi dari oportet, cùm (inquit Papinianus[d]) prior do
minus accepturus pecuniam fuerit. Quæ causa fecit ambulatoriam, vt ita dixerim, conditionem,
6 inquit idem Papinianus. Ambulatoriam conditionem vocat, quæ non in vnius tantùm persona
vel est implẽda vel rectè impletur, sed & in alterius, veluti hæredis eius. Sic enim ambulatoriã rem
7 vocant Iurisconsulti quæ nõ subsistit in vno aliquo, sed longius profertur. Sic legis ambulatoriam
potestatem dicunt[e], & ambulatoriam esse testantium voluntatem vsq; ad supremũ vitę exitum[f].
& obligationis cum capite ambulare[g]. Deniq; emptionẽ per plures personas ambulauisse[h]. Ad-
8 dit autem eleganter Papinianus; duas esse causas, per quas in hæredis primi persona conditio im-
pletur: dominij rationem, itemq; demonstrationem personæ. Priorem causam trãsire in omnem
successorem, ad quem peruenerit statuliber per dominij translati conditionem. Sequentem, per-
sonæ duntaxat eius, qui demonstratus est, adhærere. Itaq; & cùm ita data esset libertas, *SI TITIO, QVI NON EST HAERES DECEM DEDERIT*: responsum[i] est, certam personam demõstrari, & pro-
pterea in persona eius tantùm conditionem impleri posse. Et si cùm cesserit dies, pecuniam condi-
tione cõprehensam statuliber habuerit iure constituto, nulli dando, consequi libertatem. Quibus
verbis significat, si per statuliberũ non stet, sed is, qui demonstratus erat, non viuat, dare alteri non
9 debere, & nihilominus liberũ fore. Dixi ius singulare, quod in legato libertatis hîc secuti sunt Ro-
mani. Sed quod ius cõmune est aliorum legatorũ sub tali cõditione relictorũ? Paulus[k] cùm dixis-
set; Seruum hæredi iussum dare, etiã hæredis hæredi dare posse adiecit; Sed & si hoc sensit testator,
etiam in legatario idem dicendum est. Modestinus[l] cùm dixisset; eum, qui decẽ dare hæredi iussus
est & liber esse, & hæredis hæredi dando, peruenire ad libertatem, adiecit: quod non similiter in le-
gatarij persona custodiri Publicius scripsit. Et Hermogenianus[m] postquã tradidisset ius singulare
constitutum fauore libertatis relictæ sub conditione dandi Titio, quod suprà retuli: ait diuersam
esse causam legatarij, in cuius persona placuit conditionẽ deficere, si antequã dederit legatarius pe
cuniam, Titius moriatur. Sed loquitur vbi Titij, cui dandũ erat, persona sic demonstrata est, vt in
ea tantùm conditio impleri posset. Hîc legatum libertatis non modò non tanquã conditione de-
fectum intercideret, sed onere potius conditionis liberatũ magis confirmaretur. Sed aliud legatũ
propter deficientem talem conditionem perire facilius posset. Cæterùm si non appareat eam fuis-
se testatoris voluntatem vt in persona tantùm demonstrata conditio impleretur (sicuti reuera nõ
temerè videtur simplex conditio dandi tam valde constringenda) facilè patiemur; legatarium hæ
10 redi eius, cui iussus erat dare, dando implere cõditionem, vt sequamur communem illam regulã,
11 quæ conditionem dandi expleri posse tradit abs moriente quoq; legatario, neque alterius morte
hanc facultatem temerè constringi docet. Maior quæstio est de hæredibus eorum, qui implere con
12 ditionem debent: an (inquam) ad hos hæredes ius hoc & hæc facultas implendæ cõditionis trans-
eat. Ac inprimis quidem in vniuersum memoria tenendum est, conditiones, quæ personæ cohæ
rent, eius personæ morte deficere, vt si ea viua, ab alio expleri non possint, multo minus post eius
mortem ab hærede possint. Quod & responsum est de conditionibus, quæ sola voluntate explen-
tur, & voluntatis declaratione requirunt. Nã & hæ personis cohærẽt. Nemo enim alius, præter me,
meã voluntatẽ dicere potest & aperire. Vnde cùm ita expressum esset, *TITIO SI VOLVERIT, DO LEGO*, responsum[n] est non aliter ad hæredẽ legatarij pertinere, quàm si ipse legatarius voluerit ad
se pertinere: quia conditio personæ iniuncta videatur. Quod & in stipulationibus rectè dicitur. Ac
rectè quidem responsum[o] est, hanc stipulationem *CVM PETIERO*, non continere conditionem: &
ideo licet decessero priusquam petiero, non videri defecisse. Sed si ita expressim concepta sub con-
ditione esset *SI PETIERO*: certè conditio esset personæ meæ cohærens.

13 Cæterùm videamus de conditionibus promiscuis & arbitrarijs, quæ personæ non cohærent,
quales esse diximus, conditiones dandi. Ac in contractibus & stipulationib. id potissimùm quæ-
14 rendum est. Nam satis constat; conditionem testamentis ascriptã non transmitti ad hæredes eius,
cui quid ita relictũ est, & ius tunc apertũ esse; hæredem conditioni parêre nõ posse; notatum[p] est:
vnde & illud descendit quod Vlpianus[a] scribit; Prætorẽ non sub cõditione collationis bonorum
possessionẽ contra tabulas promisisse: sed demonstrâsse, quid data bonorũ possessione fieri opor-
teat: alioqui magnã captionẽ fore emancipati, si non aliter bonorũ possessionẽ intelligeretur acci
pere, nisi cauisset de collatione: nam si interim ipse decessisset, hæredi suo nihil relinquere. In illis,
quæ circũferuntur & Vlpiani esse dicuntur, fragmẽtis legimus; Emancipatis liberis ex edicto dari
bonorũ possessionẽ si parati sunt cauere fratribus suis, qui in potestate manserunt, bona, quæ mo-
riente patre habuerunt, se collaturos. Sed nunc Vlpianus ostendit illis verbis *SI PARATI SINT CAVERE*, non significari conditionem, sed tantùm quid facere debeãt accepta bonorũ possessione:
Nam si conditio esset, ea non impleta ius hoc non transiturum ad hæredem; quia ius hic sequere-
15 mur conditionum vltimis voluntatib. ascriptarum. Et adeò quidẽ quod sub conditione relictum
est, nõ transit ad hęredẽ eius cui relictũ erat, si decesserit nõ extante cõditione, vt ne quidẽ transeat
si illud in stipulationẽ deductum legatũ esset[b]. Neq; tamen ignoro, aliquando fieri posse, vt ad hæ
16 redem quoq; legatarij transire possit potestas implendæ cõditionis. Quid enim, si per legatarium
non

a L. Mænius. de cõd. & demon.
b L. 20. si peculium §. hæredi de statulib.
c L. 50. sub diuersis. §. vl. de cond. & dem.
d L. 34. seruus si hæredi. de statulib.
e L. erit. de fundo do.
f L. quod si. de adi. le.
g L. tutelas §. 1. de capi. dimin.
h L. sed vbi. de mino rib.
i L. 93. cum ita datur. de cond.
k d. l. si peculium. §. hæredi de statulib.
l L. sub diuersis. §. vl. de cond. & dem.
m L. 93. cùm ita datur. hoc tit.
n L. 68 si ita expres-sum. hoc tit. l. si ita legatum. §. ille si volet. de lega. 1.
o L. 48. si decem. de verb. oblig.
p L. 118. à testatore, hoc tit.
a L. 3. de collat. bon.
b L. 1. §. si sub conditione. vt legat. no. cau.

a L. cui fundus. §. de cond.

b L. 27. diem profer-ro. §. 1. de arbi.

c L. fideiussor obliga-ri. §. vlt. de fideiussor.

d L. si prædio. de in diem add.

e L. 108. à testatore. de condit.

non stetit quo minus daret? quid si etiam obtulit, antequam moreretur? Ac tum quidem respon
sum est, inter eius hæredes, ad quos conditio transit, conditionem non diuidi [a]. Cæterum in sti-
pulationibus sæpius quæritur de hæredibus conditionem implentibus. Est enim iuris perpetui re 17
gula ab Iustiniano tradita; Si sub conditione stipulati simus, & priusquam conditio extet, moria
mur, nos ius vel potius spem nostram transmittere ad hæredes. Neque audiendi sunt, qui id tan-
tum dici posse putant vbi est conditio fortuita. Nam cùm generalis regula sit, cur non idem dice-
mus & de promiscua arbitrariáve, præsertim si talis alioqui sit, quæ personę non cohæreat? Ac si
quidem negatiuè concipiatur, veluti, *SI NON DEDERIS*, alia quæstio est: & de ea quidem inter ve 18
teres Iurisconsultos controuersia fuit. Vlpianus ait [b]: Non vtimur Labeonis sententia, qui existi-
mauit, si arbiter aliquam pecuniam dare iusserit: & is decesserit antequam daret, pœnam com-
mitti, licet hæres eius paratus sit offerre. Ergo, quod æquius & humanius visum est, sentit Vlpia-
nus, ad euitandam pœnam posse meum hæredem dare, cùm mihi pœna ascripta esset *SI NON
DEDISSEM*: præsertim cùm non eam conditionem mihi ascripsissem, sed arbiter iniunxisset.
Quod si non tam de pœnali obligatione committenda ageretur, quàm de alia, veluti fideiuſ-
soria, ita concepta, *SI REVS NON SOLVERIT*: reo moriente antequam soluat, illam com- 19
mitti, cum Iuliano [c] facilè respondebo. Nam & qua fronte fideiussor, qui expreſsim ita se obliga-
uit, ad hæredem debitoris defuncti me reijceret, pręsertim cùm nihil petam quod & mihi non de-
beatur, & fideiussor recepturus ab illo hærede non sit? Cæterùm si conditio ita sit conuentioni a-
scripta, *SI QVID DETVR*: cur impleri per hæredem nō poſsit, vt quod ita promissum est, debeatur,
non equidem video. Sanè & cùm quid venditum est, sed ita addictum in diem, vt si intra Calen-
das melior conditio allata fuisset, res esset inempta: venditoris ante Calendas mortui, hæres ea con
ditione vti poterit, vt venditionem rescindat, si alius intra Calendas meliorem conditionem of-
ferat [d]. Quod ad modum attinet, siue contractui siue legato appositus sit, tam per hæredem quàm 20
in hærede impleri posse, facilè equidem affirmari potest Nam neque suspendit quod sub eo debe-
tur, neque legati transmiſsionem impedit, vt alio loco dictum est. Nunc pro coronide huius capi-
tis video mihi valde opportunè subiūgere posse nobilem illum Scæuolæ locum [e], qui & modum
& conditionem continere videtur, & quæstionem huius generis obscuram complectitur, quæ in-
terpretem adhuc requirit. Verba Scæuolæ hæc sunt:

In responsum SCAEVOLAE *lib. xx. Digestorum.*

1 *De duplici fideicommisso, vbi quis rogatus est, resti-tuere portionem certa quantitate accepta.*

2 *An heredi mei coheredis (cui iussus sum restituere meam portionem,* si mihi 100. dederit) *inte-grum sit dare, vt fideicommissum consequatur? respon. num. 3.*

4 *Quid, si de herede meo quæratur?*

5 *Heredem non posse implere conditionem legati aut fideicommißi.*

6.7 *Scæuolæ mos & ingeniosa calliditas, in refugiendo facti quæstionem, prædicata à Claudio.*

8 *Filius promisit, quicquid constitit patrē debere: mor-tuo patre antè, quàm illud constituisset, quæritur an adhuc cōmitti poßit hæc stipulatio. resp. nu. 9.*

10 *De pendente adhuc conditione.*

11 *De pactione commissoria, & conditione addictionis in diem.*

12 *Quid, si quod purè tibi debebam, alius stipulanti tibi sub conditione promittat? respon num. 13.*

14 *Is cui debetur sub conditione, quid iuris habeat ea adhuc pendente.*

15 *Conditionales debitores qui?*

16 *Conditio contractuum vbi extitit, ad tempus con-uentionis retrahi solet.*

17 *Spem conditionalis stipulationis (non etiam legati) transmitti ad heredem.*

18 *De his quæ in fraudem creditorum alienantur.*

19 *Nihil interest, vtrum legatum sub conditione sit, an promissum, si debiti conditionalis nomine pe-tatur cautio.*

20 *Creditor conditionalis quomodo in poſseßionem mitti non poßit?*

21 *Vbi agitur de quantitate patrimonij æstimanda, an aliqua eorum habeatur ratio quæ sub condi-tione debebantur?*

22 *Rei sub conditione promissæ spes maior est et melior quàm legatæ.*

23 *Si quis hereditatem ita vendat,* Si quid iuris ha-*beret, an valeat venditio?* 21

24 *Minor, si spem fideicommißi aut legati conditiona-lis temerè remisit, restituitur.*

25 *Fideicommissum conditionale mutuum aut reci-procum tacitè remitti potest.*

26 *Quid, si heres cum fideicommissario transigat, vt accepta aliqua parte, spem totius fideicommißi remittat?*

27 *Conditionis incertum quid?*

28 *Simplici hereditatis diuisione non tollitur fidei-commissum conditionale.*

29 *Transactio non pertinet ad eas actiones quæ non-dum competebant.*

30 *Quid, si coheres fideicommissum purè sibi relictum, diuidendo non excipiat?*

31 *Iusserat testator, heredem certa re esse contentum pro ijs quæ ei in testamento reliquerat, quid iuris?*

32 *Existente conditione quid iuris habeat cui sub ea conditione debetur? respondetur num. 33. 34. 35.*

36 *Quid, si dominus fructuario prædium legârit, idq; deinde legatarius filio, ex caussa inofficiosi testa-menti, restituere cogatur?*

37 *Quid, si re sub conditione mihi legata, medio tem-pore aliunde acquisito illius dominio, eam petam, & causa cadam?*

38 *De iure testamenti.*

39 *Filiusfa. quomodo de eo quod sub conditione sibi le-gatum est, rectè paciscatur.*

40 *Cum quæritur, an conditio existens retrotrahatur, distinguen-*

distinguendum est inter conditionem fortuitam, & eam qua ex voluntate nostra pendet.

41 Quid si hæres ob legata conditionalia de pignore rei sua conuenisset, & postea eadem pignora ob pecuniam creditam pignori dedisset?

A testatore rogatus vt acceptis centum numis restitueret hæreditatem Titiæ cohæredi suæ, adita hæreditate decessit. Similiter & Titia antequam daret centum. Quæsitum est an hæres Titiæ offerendo centum fideicommisso partem hæreditatis consequeretur. Respondi hæredem conditioni parere nõ posse. Claudius magno ingenio de iure aperto respondit: cùm potest dubitari, an in proposito conditio esset.

1 Inprimis hic meminisse debemus, quod acutè Vlpianus [a] respondit. Cùm esset quis rogatus
restituere portionem accepta certa quantitate, duplex esse fideicommissum: vnum vt posit pete- *a L. fideicommissa. §.*
re quantitatem, paratus portione cedere: aliud, vt & si non petat, tamen cogatur fideicommissario *cùm esset, de lega. 3.*
restituere, parato præstare quãtitatem. Hic itaque esse videtur mutua obligatio inter hæredem re-
stituentem, & alterum cui restitui debet. Nam ille petere potest certam illam quantitatem paratus
restituere, & hic fideicommissum, paratus quantitatem illam dare, perinde atque si scriptum ita
esset sub conditione & modo: *RESTITVE TITIO COHAEREDI TVAM PORTIONEM SI TIBI DET*
CENTVM, &c. *VOLO VT TITIVS COHAERES DET TIBI CENTVM, VT TV ILLI RESTITVAS*
TVAM PORTIONEM. Hoc constituto, dico nunc apud Scæuolam quæri, de hæredibus horum hære
dum. præcipuè autem de hærede mei cohæredis Titij, cui iussus sum restituere meam portionem
SI MIHI CENTVM DEDERIT. an (inquam) illi hæredi integrum sit dare, vt fideicommissum con-
2 sequatur, cùm mortuus esset Titius antequam daret. Scæuola significat si ita ascripta sit fideicom-
misso expresim conditio, *SI MIHI CENTVM DEDERIT*, hæredem eius Titij conditionem imple-
re non posse. Sed apertè in proposito pronunciare non audet, an conditio talis fuerit, cùm verba
essent absolutis (vt loquuntur) ablatiuis concepta, *RESTITVE HAEREDITATEM ACCEPTIS AB EO*
CENTVM. Verùm potuisset sine vllo periculo Scæuola, nisi si omnem quæstionem facti tanquam
scopulum timidè refugisset, respondere; conditionem ijs quoq; verbis intelligi in proposito. Nam
neque Vlpianus dubitauit [b]; & Caius [c] apertè dixit; nihil interesse inter hæc fideicommissa, *ROGO,* *b d. §. cùm esset.*
SI TITIVS TIBI CENTVM DEDERIT, RESTITVAS EI HAEREDITATEM MEAM, &c. *c L. 63. facta. §. rescri-*
ACCEPTIS A TITIO CENTVM RESTITVAS EI HAEREDITATEM MEAM. Si ita est, vt est, *pto. ad Trebell.*
nulla amplius dubitatio erit; an in proposito conditio sit, neq; minus de facto quàm de iure aper-
3 to Scæuola tutò & apertè respondere potest; nempe, illius mei cohæredis Titij hæredi integrũ non
4 esse, centum dando implere conditionem, vt fideicommissum consequatur. De hærede meo quæ-
stio non est, an illa centum abs Titio petere posit paratus restituere portioné. Non minus id eum
posse quàm si viuerem, ipse possem, si intelligantur illa centum mihi abs cohærede relicta sub mo-
do, vt scilicet illi portionem meam restituerem, iam antea dictũ est. Sed quæritur de hærede illius,
cui restitui oportebat, si centum dedisset, & tum quidem cùm non ita expresim conditio ascripta
5 esset, sed ijs verbis, quibus an conditio inesset, dubitabat Scæuola. Ius hic apertum fuisse cõstat; hæ-
redem non posse implere conditionem legati aut fideicõmissi Sed quærebatur, an ex ijs, quæ pro-
6 ponebantur, talis aliqua conditio intelligenda esset. Scæuola more suo disimulanter reijciens ac
veluti refugiens facti quæstioné obscuram, de iure tantùm aperto respondet: vt non aliud respon-
dere videatur quàm, Si conditio hic fuerit, conditionem non posse impleri per hæredem de quo
7 agitur. Ingeniosè profectò sibi cauet Scęuola cùm ita respondet, & callidè elabitur: sed interea con
sultorem eludere videtur. Claudius, qui in eum notas scripsit, & qui sæpe aliàs solet eius responsa *d L. qui negociationẽ.*
suis notis illustrare atq; confirmare [d], eadem propè stropha sese explicat. Sic enim ambiguum & *de admi. tu. l. Lucius.*
astutum eius respõsum laudat, vt ingeniosæ calliditatis magis, quàm ingenuæ prudentię laudẽ illi *§. Dama & Pamphi-*
tribuere videatur: & interea quoq; cùm quid de quæstione proposita sentiat, apertè dicere non au *lo. de lega. 2. l. pater.*
sit, sententiam suam eodem astu disimulat. Alio verò loco vbi Scæuola de conditione rursus con- *§. quindecim. de lega.*
8 sultus, simili responso elabitur, planè obmutescit Claudius. Scriptũ erat in cautione quadã; quem- *3. l. Lucius. §. Mæuia.*
piam promisisse, quicquid, patrem suum debere, cõstitisset. Mortuo deinde patre, antequam illud *§ idem quæsijt. Ad*
constitisset, quærebatur an adhuc committi posset hæc stipulatio; hoc est, an ijs verbis cõditio in- *Treb. l. generali. §. fi-*
esset in futurum concepta, perinde ac si dictum sit, *SI CONSTABIT PATREM DEBERE:* Tum enim *lios. de vsufr. lega.*
cõstat nihil impedire, quin mortuo quoque patre impleatur; atq; ita stipulatio committatur. An
verò hic intelligatur conditio ad præsens aut præteritũ relata, nempe, *SI CONSTITIT CONSTAT-*
VE. Nam tum quoque apertum ius est, stipulationem non valere, nisi si illa conditio iam tum vera
esset, Scæuola neq; hoc, neq; illud quod quæritur explicat, sed consultorem propè tam incertum
quàm acceperat, dimittens, de iure tantùm apertè respondet [e], nempe; si conditio non extiterit, sti- *e L. qui Romæ. §. Age*
9 pulationem non esse cõmissam. Hoc scilicet est sub conditione de conditione respondere. An hoc *rius. de verb. oblig.*
responsi genus valde ingeniosum sit, alij viderint. Consultor sanè ita dimissus, sibi, opinor, illudi
putabat. Scio aliam ingeniosè adferri interpretationem eius responsi, quæ Scæuolam excuset. Sed
non institui nunc eum locum pluribus verbis excutere. Superest vt cùm de vi & potestate condi-
tionum quæritur, videamus, quid iuris sit, pendente adhuc conditione. Ac eleganter quidem Pau
10 lus [f] ait conditionem efficacem esse, quæ in constituenda obligatione inseritur, non quæ post per- *f L. obligationum fe-*
fectam eam ponitur, veluti, *CENTVM DARE SPONDES, NISI NAVIS EX ASIA VENERIT.* quan- *rè. §. conditio. de act.*
quam & hoc casu, existente conditione, locus erit exceptioni pacti conuenti, vel doli mali. Cùm *& obligat.*

pactio commissoria, vel condictio addictionis in diem sæplus ita conijciatur, vt emptio purè ni- 11
hilominus contracta interea videatur, sed sub conditione resoluatur: videamus, quod huius etiam
loci est, an talis obligatio interea vim aliquam habeat, vt ex ea agi possit, veluti si debitori pu-
a L. non solum autem. §. vlt. de lib. leg.
rè obligato sit sub conditione legata liberatio? Respondeo, nihilominus interea agi posse [a]. Pote-
ric itaque hæres interea exigere quod debetur, modò caueat de eo restituendo conditione existen-
b L. 5. de doli mali except.
re [b], sicuti & legatorum sub conditione relictorum nomine cauere solet. Cæterùm vbi talis cautio.
locum non habet, & alterius quoque interest, veluti si alteri sub conditione dare tuo iussu promi-
serim, quod tibi purè debebã, hoc magis actũ videtur, vt tu interea nõ petas. quod eleganter labo-
c L. 36. pecuniã. si cer. petat.
lenus [c] docet, estque eius hac de re responsum dignum, quod in tractatum conditionum omnino
referatur. Sed quid si è diuerso, id quod tibi purè debebam, alius, puta Seius, stipulanti tibi sub con
d L. 56. eum qui ita. §. vlt. de verb. oblig.
ditione promittat? Extat de hac quæstione nobile quoque Iuliani [d] responsum. Sed scrupulũ inij- 12
cit ea ipsa. quam adhibet, distinctio. ait; Si res ita promissa, pendenre conditione, post morã tuam,
petierit, confestim me aduersus te agere posse, nec Seium existente conditione mihi obligati. vt
obligati certè non posset, cùm res esse desierit, in quã obligetur. Itaq; amplius differtur nõ vis prio-
e L. aliquando. §. vlt. ad Vell.
ris obligationis, neque secundæ conditio expectatur. Quod enim bonum est (vt verbo Caij [e] no-
stri vtar) hanc expectare, cùm & si existat, inanis sic, & tu omnino suscipere debeas actionem, id-
que iam certum sit? Sed quæritur quænam sit aut esse posit illa mora tua, cùm quidem si penden-
te conditione nulla petitio sit, ne ex priori quidem obligatione, nulla interea mora esse posse vi-
deatur. Qui hunc scopulum euitare volunt, & acutiores esse videntur, fingunt apud Iulianum mo
ram factam iam esse à priori promissore antequam alter promitteret. Sed cùm cupiunt vitare
Charybdim, incidunt in Scyllam. Nam alter tum sese obijcit scopulus. si enim talem moram fuis-
se eo loco intelligamus, eam videri sublatam atque purgatam altera stipulatione conditionali:
f L. qui decem. de sol.
nisi si id restringamus [f], vbi res præsens & tanquam oblata erat, quam creditor maluerit in alterius
stipulationis conditionem reijcere, potius quàm eam recipere. Sed in casu proposito mora si
qua iam facta erat per alteram ab alio factam promissionem sub conditione, magis interea sus-
penditur, sicuti & prior ipsa obligatio, quàm tollitur. Illud certè in vniuersum rectè dici potest;
si posterior obligatio, quæ nouandæ prioris gratia interponitur, sic conditionalis, non fieri noua- 13
tionem, antequam conditio existat, sicuti & è diuerso si prior stipulatio, quæ nouanda est, condi-
g L. si Stichum. §. 1. l. quoties. de nouat.
tionalis esset [g]. Sed amplius videamus, quid pendente conditione iuris habeat is, cui sub condi-
h L. 54 cõditionales. de verb. signif.
tione debetur. Vlpianus [h] scribit, conditionales creditores eos dici, quibus nondum competit a- 14
ctio; est autem competitura; vel qui spem habent, vt competat. Sed an interea creditores ij rectè 15
i L. 42. in cus. de act. et oblig.
dicantur, & simplici appellatione creditorum contineantur? Vlpianus [i] alio loco id explicat. Is
cui (inquit) sub conditione legatum est, pendente conditione non est creditor, sed tunc cùm ex-
titetit conditio. quamuis eum, qui stipulatus est sub conditione, placet etiam pendente condi-
tione creditorem esse. Nam & conditionem contractuum, vbi extitetit, solere ad tempus conuen- 16
tionis retrotrahi, postea dicemus. Dictum quoque antea sæpe est; spem conditionalis stipulatio-
nis, ad hæredem transmitti: eaque in re plus iuris eum habere, qui sub conditione stipulatus est, 17
quàm eum, cui sub conditione legatum est: & discriminis apertam esse rationem: vsum autem la-
k L. 27. qui in fraudẽ. qui & à quib.
tius etiam parere nunc intelligemus. Hermogenianus [k] ait: Qui in fraudem creditorum manu-
mittitur, liber esse prohibetur, siue dies soluendæ pecuniæ iam cessit, siue in diem, vel sub condi-
tione sit debitum. Diuersa causa est legati sub conditione relicti. Nam antequam conditio extite-
tic inter creditores legatarius iste non habetur. Quod quidem etiam dici & referri potest ad Edi-
ctum de his, quæ in fraudem creditorum alienantur. Neque tamen prius fraudatus creditor esse 18
dicetur, quàm existente conditione creditorem eum esse appareat, vt tum demum rescindatur,
l L. 16 si cum fideicom missaria. §. penul qui & à quib.
quod in eius fraudem factum esse dicetur [l]. Itaque vis alienationis pendebit ex euentu illius con-
ditionis. Quòd si res ipsa quæ sub conditione præsertim per modum vindicationis legata est, alie-
netur, dubium nõ est, quin à legatario, eueniẽte cõditione, cùm dominus sit, vindicari posit. Cæ-
terùm nihil interest vtrum legatum an promissum sub conditione sit, si petatur cautio debiti illi- 19
m L. in omnibus. de iudic. & toto tit. vt legat. no. cau.
us conditionalis nomine: præstabitur enim vtroque casu [m]: & eo etiam nomine, si illa non præ-
n L. 6 ex quib. cau. in poss. eat.
stetur, in possessionem mitti creditores, quibus sub conditione pecunia promissa est, accepimus [n].
quanquam alioqui etiam responsum [o] sit; creditorem conditionalem in possessionem non mitti, 20
quia bona ex edicto vendere non posit. Sed & Papinianus hæreditarijs creditoribus, quibus sub
o L. pen. §. vlt. illo tit.
p L. 4 de separat.
conditione debetur, separationem dari, quoniam & his cautione cõmuni consulatur, ait [p]; Lega-
tarijs eandẽ dati alia etiam ratione probat, quòd in ea saltem parte, quæ de bonis seruati posit, de-
ducto nempe ære alieno, habeant pignoris causam. Postremò cùm agitur de æstimanda quãtitate 21
patrimonij propter rationẽ Legis Falcidiæ, non dubium est haberi aliquã rationẽ eorum, quæ sub
q L. 73 in quantitate. magis. ad leg. Falc.
conditione vel debebantur defuncto, vel is debebat. Narrat Caius [q] magnam dubitationem olim
fuisse de his, quorũ conditio mortis tempore pendebat, an id quod sub conditione debetur stipu-
latoris bonis annumeretur, & promissoris bonis detrahatur. Sed monet eo iure nos vti, vt quanti
ea spes obligationis venire posit, in tantum stipulatoris quidẽ bonis accedere videatur, promis-
soris verò decedere: & cautionibus rem explicari posse, vt duorum alterum fiat: vt aut ita ratio ha-
beatur, tanquam purè debeatur: aut ita, tanquam nihil debeatur. Deinde hæres & legatarij, inter
se caueant vt existente conditione aut hæres reddat, quanto minus soluerit: aut legatarij restitu-
ant, quanto plus consecuti sint. Addit deinde Caius, Si legata quædam purè, quædam sub condi-
tione relicta efficiant, vt existente conditione Lex Falcidia locũ habeat, purè legata solui, perinde
atque

atque ſi nulla alia ſub conditione legata fuiſſent: cauere autem legatarios debere, ex euentu conditionis quod amplius accepiſſent, id redditum iri. Sed alioqui interea aliorum legatorum con-
22 ditionalium nulla in hoc genere æſtimatio fiet. Eius rei, quæ nobis ſub conditione promiſſa aut legata eſt, quædam ſaltem præſens ſpes eſt. Maior quidem & melior rei promiſſæ: quia & nobis mortuis durat: infirmior legatæ: quia morte extinguitur. Hanc verò qualem qualem ſpem & expectationem, tanquam rem aliquam noſtram & donare poſſumus & vendere [a], ſi quis inueniatur, qui ſpem precio emere velit. Certè & cùm quis, ignorans an ad ſe hæreditas pertineret, vendi-
23 derit ſub hac veluti conditione, *SI QVID IVRIS HABERET*, valere venditionem, quaſi ſpes hæreditatis empta ſit. vt ipſum incertum rei væneat, ſicut in retibus, reſponſum [b] eſt. Neque modò ſi iactum retis emero valere venditionem, quicquid tandem ceperit piſcator: quia ab initio erat in-
24 certum [c]: ſed & ſi dem piſcatori centum aureos ea conditione, vt, ſi fœlix ſit captus piſcium, reddat centum quinquaginta. Si non ſit fœlix, nihil reddat: valere conuentionem Scæuola [d] dixit. Sed ne longius diſcedam, adeo non eſt nihili ſpes etiam fideicommiſsi aut legati conditionalis. vt minor, qui temerè illam remiſerit, tanquam captus reſtituatur, quia vel propter ſpem eius intereſt, vt, inquit Vlpianus [e]. Quanquam ſi mutuum aut reciprocum ſit fideicommiſſum conditionale,
25 veluti, *QVICVNQVE EX VOBIS DVOBVS PRIOR MORIATVR, SVAM PORTIONEM ALTERI SVPERSTITI RESTITVAT*: rectè inuicem remittitur. & quicquid tandem poſtea euenerit, nulla erit reſtitutio, ne quidem prætextu minoris ætatis [f]. Non enim ſi tempus conuentionis ſpectemus, vlla læſio eſt, cùm non modò omnia incerta adhuc eſſent, ſed & quantum ipſe minor remitteret, tantundem ipſi inuicem remitteretur. ſanè & vbi conditionale fideicommiſſum non eſſet mutuum aut reciprocum: ſed eius remiſsio non eſſet gratuita: non facilè quoque hęc reſcinderetur ratione poſterioris euentus: ſicuti nec illud quod datum eſſet, reuocaretur. Vnde cùm teſtator hæredem rogâſſet, vt ſi ſine liberis moreretur, Frontoni hæreditatem reſtitueret: & hæres cùm nondum
26 liberos haberet, omniaque adhuc incerta eſſent, cum Frontone tranſegiſſet, vt is acceptis duabus vncijs remitteret ſuam ſpem & expectationem iuſque totius fideicommiſsi: natusque deinde ex hærede filius duas illas vncias repetere vellet, quaſi iam appareret ſine cauſa fuiſſe datas, cùm fideicommiſsi conditio defecit: reſcripſit Imp. Seuerus [g], repeti non poſſe & conditionis incertum,
27 non iniquis conditionibus, conuentione finitum eſſe. Conditionis incertum vocat fideicommiſſum illud ſub incerta conditione relictum: aliter quàm Papinianus [h], qui conditionis incertum vocat vbi incertum & dubium eſt, an & quomodo conditio extiterit. Facit ergo ratio incerti, vt illa inter hæredem & fideicommiſſarium conuentio non iniqua videatur, & talis (vt eo loco
28 appellatur) diuiſio ratam maneat. Illud nunc proximum eſt, vt adijciamus; ſimplici diuiſione hæreditatis (vt propriè appellatur diuiſio) non intelligi ſublatum fideicommiſſum conditionale. Non enim id, quod nondum competebat, illa contineri: ſicuti reſponſum [i] eſt, hæreditatiam pecuniam
29 quæ tempore diuiſionis latuiſſet cohæredem, non contineri; & in vniuerſum tranſactio non ſolet pertinere ad eas actiones, quæ nondũ competebant [k]. iniquumq; eſſet, id, de quo cogitatum non
30 docetur, interpretari pacto aliquo generali ſublatũ eſſe [l]. Si præſens & purum eſſet fideicõmiſſum cohæredi relictum, cuius ipſe ignarus cùm hæreditatẽ diuideret, nõ erat, & is diuidendo generaliter tranſigat eo non excepto: non eſſet ferendus ſi poſtea fideicommiſſum peteret [m]. Sed ſi fideicommiſſum ſit conditionale, magis exiſtimabo exceptum videri, neq; intelligi remiſſum. Quod quidem Papinianus aliud agens ſignificare etiam videtur [n]. Ait, Rogatos reſtituere hæreditatem ſuam, nominum periculo, quæ per diuiſionem obtigerunt, inter cohæredes interpoſitis delegationibus, non aſtringi, non magis quàm prædiorum, cùm permutatio rerum diſcernens communionem interuenit. Videtur Papinianus agere de quibuſdam hæredibus rogatis ſuam partem reſtituere, CVM MORIENTVR, ſuis cohæredibus. Facta hæreditatis diuiſione durare adhuc hoc fideicommiſſum non dubitat. Sed tantùm an periculum nominum per hæreditatem obuenientium, aut rerum reſtituendarum, ad eos, qui rogati ſunt, interea pertineat, quærit. & non pertinere reſpondet. Sciò apud Scæuolam [o] relatum eſſe, cùm fratres hæreditatem diuiſiſſent, & cauiſſent, nihil ſe contra eam diuiſionem facturos: & alter deinde, qui ſuperuixiſſet, petijſſet fideicommiſſum: pronunciatum aduerſus eum fuiſſe, quaſi de hoc quoque tranſactum fuiſſet. Sed non ſatis conſtat de fideicommiſſo conditionali illic agi, & ſi id conſtaret, non conſequitur, quod pronuntiatum eſſe dicitur, bene iudicatum eſſe; ſibique actor imputet, qui non prouocauit, ſi propter illam fideicommiſsi petitionem, quam iudex pronunciauit aduerſus tranſactionem eſſe, in pœnam incidat. Quanquam nihil hic temerè pronunciare ipſe vellm de illo veteri pronuntia-
31 to. Certè cùm teſtator iuſsiſſet, hæredem certa re eſſe contentum pro ijs, quas ei in teſtamento reliquerat: reſponſum eſt [p]; non videri attingere cauſam fideicommiſsi conditionalis. Hæredes ſcripti erant Titius & Sempronia, & rogatus Titius, SI SINE LIBERIS MORIATVR, reſtituere Semproniæ partem ſuam. Poſtea teſtator codicillis dedit certas res Semproniæ, vt ijs contenta eſſet, loco eorum, quæ ex teſtamento alioqui perceptura fuiſſet. Hanc non impediri eueniente conditione, etiam illud, quod dixi, fideicommiſſum petere, Paulus ait: & ita ſe pronuntiâſſe refert.

Sed quoniam omnia perſequimur: volumus certè quidem: & conditionum partes omnes,
32 iuſque totum quod latiſsimè patet & variè ſparſum diſiectumque eſt, colligimus: agedum perſequamur; quid exiſtente conditione iuris habeat is, cui ſub ea conditione debetur? Rei ſub conditione legatæ dominum interea eſſe hæredem dubium non eſt, & eſt multis Iuris Ciuilis locis traditum [a].

a L. ſpem. C. de donat. l. ſ. nec empcio. de contrah. empt.
b L. nam hoc modo. de her. vel act. vend.
c L. ſi actum. de act. empt.
d L. periculi precium. de nau. fœn.
e L. 3. §. ſi quid minori. de minorib.
f L. de fideicommiſſo. C. de tranſact.
g L. 1. C. de pact.
h L. pen. de bon. poſſ. ſec. tab.
i L. tres fratres. de pact.
k L. vlt. §. item quæſitũ eſt de cond. ind.
l L. qui cum tutoribus. §. vlt. de tranſ.
m L. nõ eſt ferendus. de tranſact.
n L. 77. cum pater filios. §. hæreditatem poſt mortem. de leg. 2
o L. qui Romæ. §. vlt. de verb. oblig.
p L. Paulo. §. Pomponius. de lega. 1

ditum [a]. Fructus itaque interea facit ſuos. Sed & rem ipſam vel obligare vel ſeruitute onerare, vel e-
tiam alienare interea poteſt: ita tamen, vt ius legatarij, quandocunque cōditio euenerit, non im-
minuatur. ſed is rem conſequatur, qualem reliquit ei defunctus, & perinde atque ſi hæres eā non
obligâſſet vel alienâſſet. Extat hac de re non ignobile Pomponij reſponſum [b]. quod & alio loco re-
petitur [c]. & eadem res multis quoque aliis locis, ſæpe, vtpote de qua frequens quæſtio ſit, inculca-
tur [d]. Et Iuſtinianus celebrem hac quoque de re conſtitutionem edidit [e]. quanquam Nouella qua-
dam ſua Conſt. 39. exceptionem addiderit, vt fauorabilem eſſe velit dotis aut donationis propter
nuptias cauſam. Nam & olim Vlpianus eam antetuliſſe videtur cauſæ legati conditionalis [f]. Ve-
teres quoque Conſulti Iulianus & Scæuola videntur propter bonam fidem vendentis hæredis, &
alterius ementis iuſtam ignorantiam, ſuſtinere voluiſſe venditionem rei, alteri etiam purè legatę,
vt non niſi æſtimationem ab hęrede legatarius petat [g]. Multo igitur magis id dici poſſet, ſi res fuiſ-
ſet ſub conditione legata. Sed extra hos ſingulares caſus dubium non eſt, exiſtente conditione le- 33
gatariis ius integrum eſſe, & rem vindicare poſſe, quicquid tandem interea fecerit hæres. Quine- 34
tiam plus interdum conſequitur, quàm principio relictum fuiſſe videatur. Si hæres fundo ſub 35
conditione legato ſeruitutes interea imponat: eas extingui, ſi conditio legati exiſtat, acquiſitas ta-
men ſequi legatarium ait Martianus [h]. Sed nnuum magis eſt, quod nūc referam. Inquit Iulianus [i].
Si tibi fundi vſusf. purè, proprietas autem ſub conditione Titio legata fuerit: & pendente condi-
tione dominium proprietatis acquiſieris: deinde conditio extiterit: pleno iure fundum Titius
habebit. Neque intereſt, quod detracto vſufructu proprietas legata ſit. Tu enim dum proprieta-
tem acquiſieris, ius omne legati vſusf. amiſiſti. Huius ſingularis reſponſi ratio eſſe videtur, quòd
non modò tibi imputandum ſit, cur tuum vſumfructum vltronea cōſolidatione confuderis, cùm
quidem non ignorares proprietatem quam emebas, alteri eſſe ſub conditione legatam: ſed etiam
quòd eueniente conditione tua tota acquiſitio ab initio non reſcindatur, ſed à tempore conditio-
nis exiſtentis tantùm: adeò vt medij temporis fructus tibi non auferantur. Si proprietas, cuius ac-
quiſitæ acceſsione & conſolidatione extinctus vſusfructus fuit tuus, ſic tibi eriperetur, vt retro nū-
quam tua fuiſſe videatur, poſſes vſumfr. confuſum recuperare. Vt cùm dominus fructuario præ- 36
dium legâſſet: idque deinde filio, qui cauſam inofficioſi teſtamēti rectè pertulerat, reſtituere lega-
tarius coactus eſſet: reſponſum eſt [k] manere vſusfr. ius integrum. Nempe reſciſſo per inofficioſi
querelam teſtamento, tota à principio cauſa teſtamentariæ acquiſitionis tollitur, & hæredi ſcripto
legatariόve eripitur. Sed quòd exiſtente conditione conſequitur legatarius ex teſtamento, non
niſi à tempore conditionis exiſtentis id conſequitur, neque (vt populariter loquar) retrotrahitur
conditio legati. Fateor conditionem inſtitutionis, retrotrahi quandocunque extiterit: ne quis
pro parte teſtatus pro parte inteſtatus deceſsiſſe videatur. Sed hæc ratio ceſſat in legatis. Nulla ita-
que cauſa eſt cur fingamus prius eſſe acquiſita, quàm eorum conditio extiterit. Itaque & cùm ſub 37
conditione res mihi legata fuiſſet, & medio tempore aliunde acquiſito eius dominio eam petiiſ-
ſem: victus tamen fuiſſem: mox exiſtente conditione, legati rurſus petam: reſponſum eſt [l], nō ob-
ſtare exceptionem rei iudicatæ. Aliam enim fuiſſe cauſam prioris dominij: hanc verò nouam nūc
acceſsiſſe. In iis ergo quæ in teſtamento ſub conditione relicta ſunt, cùm de eorum acquiſitione a-
gitur, inſpicimus tempus conditionis exiſtentis, neque hæc ad tempus teſtamenti retrotrahitur.
Certè ſi de iure teſtamenti agatur, etſi ſub conditione ſcriptus fuerit hæres, tamen vt teſtamentum 38
valeat, magis inſpiciemus tempus quo factum eſt, quàm quo conditio inſtitutionis exiſtit. Vnde
quod dicitur, ſi miles intra annum, quo miſſus eſt deceſſerit, valere eius teſtamentum, quod iure
militari fecerat: reſponſum eſt [m], verum eſſe, etiam ſi poſt annum conditio inſtitutionis extiterit.
Sed ſi quæratur de iure illius, cui ſub conditione relictum eſt, dicimus magis inſpici tempus quo
conditio extitit. In ſtipulationibus verò & contractibus non item. Ac ſi quidem de ipſius rei pro-
miſſæ qualitate ageretur, non ignoro, vt ſtipulatio valeat inſpici poſſe tempus conditionis exiſtē-
tis [n]. Sed cùm de eo, cui ex ſtipulatione quæritur quæſtio eſt, magis inſpicimus tempus cōuentio-
nis. Itaque ſi filiofa. ſub conditione ſtipulanti promiſſum ſit: etſi conditio primum eo tempore
exiſtat, quo ſui iuris iam factus eſt: tamen patri acquiretur. At ex tali legato magis acquireretur i-
pſi filio. quod quidem multis Iuris Ciuilis locis proditum [o] eſt. Itaque & Paulus reſpōdit [p]; filium- 39
fa. de eo, quod ſub conditione ſibi legatum eſt, rectè paciſci: vt ſcilicet non petat, ſi ſui Iuris fuerit
cùm exiſtet conditio. Sic enim de re ſua iureque paciſcitur, non patris. At de eo quod ita ſibi ſub
conditione promiſſum ſtipulanti eſſet, non item rectè paciſceretur: cùm ius patris imminuere ſuo
pacto non poſsit. Quandocunque enim talis ſtipulationis conditio exiſtet, patri obligatio quæ-
ritur. Loquor de conditione quæ magis fortuita ſit, quàm ab ipſius filiifamilias poteſtate &
facto pendeat. Alioqui filius iam ſui iuris factus implendo conditionem ſtipulationis, ſibi po-
tius quàm patri acquirere poſſet. Vnde cùm filiusfamilias ita ſtipulatus eſſet, Quantam pecu-
niam Titio credidero, fide tua eſſe iubes? & emancipatus crediduſſet: ei potius quàm patri actio-
nem acquiri [b] reſponſum eſt. Et in vniuerſum, cùm quæritur an conditio, quæ exiſtit, retro- 40
trahatur, vt intelligamus ex quo tempore contracta obligatio intelligatur, diſtinguere opor-
tet inter conditionem fortuitam quæ vel inuitis nobis exiſtit, & eam quæ ex voluntate no-
ſtra dependet. Illa magis obligationis vim & effectum quàm obligationem ipſam interea ſuſ-
pendit, ſic vt cùm euenerit, oſtendat obligationem iam inde ab initio contractam fuiſſe: in
eamque nos iam tum conſenſiſſe tempore conuentionis. & quod vel inuitis nobis neceſſariò
conſequitur, ad ſuam cauſam reuocandum, ad eiúſque tempus referendum eſt. Ac condi-
tio quæ

[a] L. generaliter. Qui & à quib. L. 2. §. ferm. Ad Syllan. L. ſi poſt diſ. §. ſed ſi ſub conditione. Quando dies lega. ced. L. 12. arborts. §. vlti. De vſufr. L. 12. & poſt litem §. 1. Fami. erciſc. L. 66. non ideo. De rei vid.
[b] L. 104. ſi fundum. De cond. & dem.
[c] L. 81. ſi fundum De le. 1.
[d] L. 113. ſeruo legato. §. 1. De lega. 1. L. ſi is cui. §. vlt. Quemadm. ſeruit. amitt. L. ſi ſub conditione. Quib. mo. vſusfr. amitt.
[e] L. vlt. §. ſin autem. C. comm. De lega.
[f] L. mulier. §. cùm proponeretur ad Sen. Treb.
[g] L. vlti. §. vlt. De leg. 2. L. quidam ita. §. ſi quis filium. Ad Treb.
[h] L. ſi is cui. §. vlt. Quemad. ſeruit. amitt.
[i] L. 17. ſi tibi. Quib. mod. vſusf. amitt.
[k] L. 57. Dominus. De vſuf.
[l] L. ſi mater. §. eandē De excep. rei iud.
[m] L. 39. quod dicitur. De milit. teſt.
[n] L. ſi rem meam. De verb. oblig.
[o] L. 18. quæ legata. L. non omne. §. 1. de reg. Iur. L. 78. ſi filiusfa. De verb. obl. L. ſi vſusf. §. vlt. Quando dies lega. ced. L. ſi vxorem. C. de cond. inſert.
[p] L. & heredi. §. ſi filiusfa. De pact.
[a] L. ſi vnus. §. 1. De pact. L. filius. C. de pact.
[b] L. quidam cum filium §. vlt. De verb. obl. L. ſi debitori §. ſi filiusfa. De fideiuſſ.

tio quæ ex noſtra voluntate pendet, facit, vt tum demum cùm impleta eſt, videatur aliqua primùm contracta obligatio:& ex eo primùm tempore videamur in eam conſenſiſſe. Itaque talem conditionem hic non retrotrahi, alteram verò retrotrahi credimus. Sic intelligimus quod Caius reſpondit [a]. Contracta ſub conditione ſtipulatio erat, & eius nomine hypotheca data. Interea res eadem purè alteri obligata eſt. Deinde prioris ſtipulationis cōditio extitit. Caius dixit huius prioris cauſam eſſe potiorem: quia cùm ſemel cōditio extiterit, perinde habeatur ac ſi eo tempore, quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſtipulatio facta eſſet. Sic & Africanus [b] ait, etiam ſub conditione creditorem tuendum aduerſus eum, cui poſtea quicquam deberi cœpiſſet, ſi modò non ea conditio eſ-
41 ſet, quæ inuito debitore impleri non poſſet. Sed & ſi hæres ob ea legata, quæ ſub conditione data erant, de pignore rei ſuæ conueniſſet, & poſtea eadem ipſa pignora ob pecuniam creditam pignori dediſſet, ac poſtea conditio legatorum extitiſſet, tuendum quoque eum, cui prius pignus datum eſſet. Cæterùm vbi talis conditio eſſet, quæ inuitis nobis non exiſteret, ſed ex noſtra voluntate penderet, & eſſet in noſtra omnino poteſtate, non niſi ex quo placuit nobis eam exiſtere, contracta intelligitur aliqua obligatio, vt ex eo primùm tempore contrahitur, quo apparet nos voluiſſe & in eam conſenſiſſe. Conuenit inter nos vt ſi tibi centum mutuò darem, fundus mihi tuus pignori obligatus eſſet. Hic certè non niſi ex quo tempore mutuum tibi dederim, contractam eſſe pignoris obligationem Iuriſconſulti reſpondent [c], quia & ego potuerim non dare, & tu non accipere.

a L. potior eſt. §. 1. qui pot. in pign.
b L. qui balneum. §. 1. illo tit.
c L. 1. qui pot. in pig. l. 4. quæ res pig. obl. poſ.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ

1 Continuatio huius tituli.
2 Duos pluréſve reos ex quouis contractu atq; ex teſtamento etiam conſtitui, non propriè tamen. num. 3. 4.
5 Reos quos dixerint veteres?
6 Reorum nomine contrahentes intelliguntur, & tam ſtipulator quàm promiſſor.
7 Quæ in obligatione olim duorum reorum debendi verba ſolennia fuerint apud Græcos?

1 *HActenus dictum eſt de ijs ſtipulationibus, quæ inter ſingulos ineuntur: nunc propo-*
nuntur eæ, quibus plures vni in ſolidum obligantur, vel vnus pluribus. Et quanquam
2 *plures rei credendi aut debendi fiant non modò ſtipulatione, ſed & alio genere contra-*
ctus [d], atque etiam ex teſtamento [e]: tamen id magis fieri ſolet per ſtipulationem. Nec id
3 *fortaſſis alijs obligationibus adeo conuenit. Etenim ex natura obligationis, quæ re con*
trahitur, non ſolet quis propriè obligare vltra id, quod ad eum peruenit [f]. Non poteſt autem res in ſo-
lidum ad plures ſimul peruenire. Quia tamen poteſt perueniſſe ad plures quodam ordine: fieri poteſt
4 *vt ſi id actum ſit, plures in ſolidum teneantur. Verùm id non fit ex propria vi, & natura contractus,*
ſed magis ex eo, quod actum eſt [g]. At ex propria ſtipulationum natura plures rei poſſunt conſtitui.
5 *Poſſunt enim verba concipi, vt ad plures in ſolidum obligandos pertineant. Porrò admonēdi ſumus,*
apud veteres; Reos eſſe dictos, non eos modò, qui arguerentur, accuſarentúrve, ſed omnes quorum de
6 *re diſceptaretur, vt docet Tullius lib. 2. de Oratore. Hinc & noſter Pomponius [h], Conuentionales*
(inquit) ſtipulationes ſunt, quæ ex conuentione reorum fiunt: reorum nomine intelligens contrahen
tes, & tam ſtipulatorem quàm promiſſorem. Itaque non ſolùm debendi reus eſt, ſed & credendi: ſicuti
ſtipulandi reus eſt, & promittendi. Quare & hîc, & in Pandectis, & in Codice, titulus de vtriſque
conceptus eſt. Poſtremò illud notandum eſt; olim apud Græcos in obligatione duorum reorum deben-
7 *di ſolennia fuiſſe hæc verba;* τὴν δὲ πρᾶξιν εἶναι ἐξ ἑνὸς ϗ ἀμφοῖν*: quibus ſignificabant, à ſingulis ſolidum*
exigi poſſe. Meminit Ariſtoteles libro ſexto Politicorum. Noſtri hodie tabelliones in eiuſmodi con-
tractibus ſolent vti his verbis; Chaſcun pour le tout.

d L. eandem. de duobus reis.
e L. ſi Titio aut Seio. de legatis 2. l. ſi ex toto §. 1. de lega. 1.
f L. ſi tibi de pact. l. rogaſti. § ſi tibi. D ſi cer. pet. cond.
g L. 1. §. duo. D. depoſi.
h L. 5. de verb. oblig.

De duobus reis ſtipulandi & promittendi. Tit. XVI.


T ſtipulandi & promittendi duo pluréſve rei fieri poſſunt. Stipulandi ita, ſi poſt omnium interrogationē promiſſor reſpondeat, SPONDEO. vtputà cùm duobus ſeparatim ſtipulantibus ita promiſſor reſpondeat, VTRIQVE VESTRVM DARE SPONDEO. Nā ſi prius Titio ſpoponderit, deinde alio interroganti ſpondeat: alia atq; alia erit obligatio, nec creduntur duo rei ſtipulandi eſſe.

Duo pluréſve rei promittendi ita fiunt, MAEVI DECEM AVREOS DARE SPONDES? ET SEI EOSDEM DECEM AVREOS DARE SPONDES? Si reſpondeant ſinguli ſeparatim SPONDEO.

Ex huiuſmodi obligationibus, & ſtipulationibus ſolidum ſingulis debetur, & promittentes ſinguli in ſolidum tenentur. In vtraque tamen obligatione vna res vertitur: & vel alter debitum accipiendo, vel alter ſoluendo, omnium perimit obligationem, & omnes liberat.

Ex duobus reis promittendi, alius purè, alius in diem, vel ſub conditione obligari poteſt: nec impedimento erit dies aut conditio, quominus ab eo, qui purè obligatus eſt, petatur.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1.2.3 *Vt fiant duo pluréſve rei promittendi & ſtipulandi quæ requirantur?*
4 *Duo vnius pupilli tutores, non eſſe propriè reos debendi.*
5 *Quid ſi dictum eſt,* Mihi & Titio decem dabis?
6 *Quid verò, ſi disiunctiuè,* Mihi aut Titio?
7 *Si à duobus reis ſtipulandi interrogatus reſpondit vni, huic vni tenetur, & contrà.*
8 *Vna illa verborũ conceptio;* Promitto Caio & Titio centum, *cur non faciat plures reos?*
9 *Res ſæpius repetita quomodo plures reos faciat?*
10 *Quomodo vna ſpecie pluribus ſimpliciter legata non conſtituuntur plures rei credendi?*
11 *Duobus reis ſingulis debetur ſolidum, ita tamen vt ſi vni fuerit ſemel ſolutũ, plena liberatio ſequatur.*
12 *Extraneus actus intercedẽs obligationem infirmat.*

a L. 2 & l. 3 in fin. de duobus reis
b L. nemo eſt qui neſciat D. illo tit.
c L. ſi id quod. D. illo tit.
d L. reos. §. cum in tabulis. D. illo tit.

Fieri poſſunt.] Vt autem fieri poſsint, neceſſe eſt hæc interuenire. Primùm, vt ſit vna eademque 1
res, quæ debeatur [a], ſi non omnino verè, ſaltem iuris fictione. Nam ſi duo fabri eiuſdem peritiæ, operas promittant: rei ſunt promittendi, quia eædem videantur operæ [b]. Et hoc eſt generale &
commune conſtitutioni plurium reorum ſiue promittendi ſiue ſtipulandi. Ad hæc, vt fiant duo
plurésve rei ſtipulandi, oportet vt iis res eadem debeatur ab vno eodemque & propter eandem 2
cauſam [c]: & debeatur quidem in ſolidum ſingulis [d], quanquam ad liberationem ſatis ſit vni ſemel
ſoluiſſe. Vt autem duo rei promittendi fiant, eadem è diuerſo requirimus: ac prætetea vt volunta- 3
ria ſit eorum obligatio. Nam aliud eſt, vbi non quia ſic inter eos actum conuentumque eſt, ſed
ipſo iure & ex legis diſpoſitione efficerentur duo quodammodo rei debendi. Vt euenit in duo-

e L. ſi pupillus. de adm. tut.
f L. 1. §. nunc tractemus de ente. & rat. diſtrah.
g L. 1. §. vlti. cum leg. ſeq de exerc. actio.
h L. 2 §. ex his. de verbo. oblig.

bus vnius pupilli tutoribus [e]: quos non eſſe veros reos debendi vel ex eo colligere liceat, quòd poſ- 4
ſint ſeſe iuuare diuiſionis beneficio [f], quod quidem hoc iure denegatum erat reis debendi. Idem
euenit & in pluribus fideiuſſoribus, & iis, qui eodem fortè inſtitore vſi ſunt [g]. Poſtremò fit aliquando ex natura rei indiuiduæ, vt plures in ſolidum obligentur [h]: non tamen ideo ſunt rei debendi.

¶ *Si poſt omnium.*] ſtipulantium: quos omnes neceſſe eſt interrogare promiſſorem. Nam alioqui ſi vnus tantùm ſtipulando interrogârit, non poterunt eſſe duo rei ſtipulandi, etiamſi alterius
fiat quoq; mentio. Vel enim dictum eſt; Mihi & Titio decẽ dabis? & tum ſoli ſtipulanti debebun- 5
tur quinq;. Nam alteri quod ſtipulamur, fruſtraneum eſt. Vel ſanè disiũctiuè dictum eſt; Mihi aut
Titio? & tum debebuntur quidem decem, ſed ſoli ſtipulanti: cenſebiturque Titius tantùm adie- 6
ctus ſolutioni. Id quod poſtea ſuo loco diligentius tractabimus [i]. ¶ *Interrogationem.*] Nempe ſeparatam. ſic paulò pòſt apud Iuſtinianum, DVOBVS SEPARATIM STIPVLANTIBVS.

i §. plane. infr. de inutil. ſtipulat.
k L. duos reos. de duobus reis.

¶ *Vtrique veſtrum.*] Quòd ſi alteri tantùm reſponderit, ei ſoli obligabitur. Sic enim ait Iulianus [k]:
Si à duobus reis ſtipulandi interrogatus, reſpondiſſet vni, ſeſpondere: ei ſoli teneretur. Quemad- 7
modum è diuerſo; ſi duos interrogauero, & alter tantùm reſponderit, is ſolus obligatur. ¶ *Nam ſi prius Titio ſpoponderit.*] Dum hoc non agitur expreſsim, vt duo rei credendi fiant: alioqui enim
non nocet hæc ſeparatio. Id quod eleganter Vlpianus tradit [l].

l L. 3. D. illo tit.

¶ *Alia atque alia erit obligatio.*] Reipſa & effectu plures enim ſunt ſtipulationes, pluresque promiſsiones, & plures quoque res. Quod ſi eſſet vna verborum conceptio, velutì, Promitto Caio & 8
Titio centum. vel, Caius & Titius promittũt centũ: non erunt hic plures rei, quia nulla fit mentio ſolidæ obligationis, ſed viriles partes ſinguli ſtipulari aut promittere intelligentur [m]. At ſi res
fuerit ſæpius repetita. veluti. Promitto Caio centum, & Titio centum vel, Caius promittit Sem- 9
pronio centum, & Titio centum: iam poterunt eſſe plures rei, vt ſemper intelligantur eadem centum [n].

m L. reos. §. cum in tabulis. D. illo tit.
n L. ſtipulatio iſta. §. eum qui ita. de verb. oblig.
o L. ſi pluribus. de le. 1.

¶ *Eoſdem decem aureos.*] Dixit, EOSDEM, vt tollatur omnis prætextus multiplicandæ quantitatis, quæ facilè poteſt multiplicari. In ſpecie autem vel certo aliquo corpore nulla eſt eiuſmodi
dubitatio. Et quod alibi reſponſum eſt [o]; vna ſpecie pluribus ſimpliciter legata, non conſtitui 10
plures reos credendi: in cauſa fuit manifeſta voluntas teſtatoris, qui iuſsit vtrunque legatarium
accipere legatum; palamque aduerſatur conſtitutioni duorum reorum; quibus quidem ſingulis 11
debetur ſolidum; at non vt ſinguli ſolidum accipiant. Imò ſi vni ſemel fuerit perſolutum, plenã ſequitur liberatio. ¶ *Si reſpondeant ſinguli ſeparatim.*] Non tamen adeò magno interuallo,
vt aliquis extraneus actus interceſſerit, qui ad obligationem non pertinebat. Alioqui eiuſmo- 12
di interuallum, quod vitiaret ſimplicem ſtipulationem, multo magis vitiaret conſtitutionem
duorum reorum. Rectè itaque Venuleius [p]: Si ex duobus qui promiſſuri ſunt, hodie alter, alter
poſtera die reſponderit, probatur non eſſe duos reos: ac ne obligatum quidem intelligi eum qui

p L. ſi ex duobus. de duobus reis.

poſtera

postera die responderit: cùm actor ad alia negocia discesserit: vel promissor, licet peractis illis rebus, responderit. ¶ *Spondeo.*]Idem & si respondeant, Spondemus. Nam (inquit Pomponius [a]) duo rei promittendi, siue ita interrogati, Spondetis? respondeant, Spondeo, aut Spondemus: siue ita interrogati, Spondes; respondeant, Spondemus; rectè obligantur.

a *L. duo rei. D. illo tit.*

§. *Ex huiusmodi.*

1 *Duorum reorum est, vt vnusquisq; in solidum sit obligatus.*
2 *Quid, si stipulator, alterius correorum sit debitor?*
3 *Reorum debendi obligatio singulos promittentes in solidum obligat.*
4 *Hodie correorum quisq; pro rata tantum cõuenitur.*
5 *Renunciatio Authentica, Hoc ita. C. hoc tit.*
6 *Inter duos reos diuisionem interdum ex tacito pacto induci.*
7 *Quid, si plures sint Rei?*
8 *Siue vnus soluat, siue vni soluatur, contingit liberatio.*
9 *Rei promittendi quomodo fideiussores etiam sint?*
10 *Vna res, hoc loco quomodo intelligendum?*
11 *Communis obligatio efficit, vt quod duobus solutum est, vni solutum videatur.*
12 *Acceptilationem vnius Rei stipulandi satis esse ad plenam liberationem.*
13 *Pœna non tollit obligationem, sed potius transfert in succedentem Fiscum.*
14 *A socijs quod solutum acceptumq; est communicabitur.*
15 *Creditor gratificari potest alteri, si alterum solum conueniat.*

¶ *Solidum singulis debetur.*]Et solidum singuli petere possent, saltem re integra. Nam si res non
fuerit integra, sed vnus cœperit petere, is contestatæ litis præoccupatione reliquorum ius veluti
1 perimit, & suum confirmat, vt non alij possit rectè solui [b]. ¶ *In solidum tenetur.*] Hoc (inquit Vl-
pianus [c]) duorum reorum est, vt vnusquisque eorum in solidum sit obligatus. Adeò vt si duo rei
2 promittendi socij non sint: nõ prosit alteri, quòd stipulator alteri eorum pecuniam debeat; inquit
3 idem Vlpianus [d]. Sed nec hoc iure solidam exactionem effugere poterant vllo beneficio diuisio-
4 nis, quod ijs denegatum fuit. Verùm id eis postea Iustinianus indulsit. Nam in Nouella sua Con-
stit. 99. sanxit, vt tantùm pro rata quisq; conueniretur, nec in vnum redundaret totius obligatio-
nis onus: ne id quod est commune, fiat priuatum: μή τι (inquit) τὸ κοινὸν χρέος, ἴδιόν τινος γινόμενον βάρος. Excipit tamen duos casus. Prior est, vbi alter reus abest extra prouinciã. Tum enim in solidum
conuenitur. qui præsens est. nec ei, vt differat solidæ exactionis iudicium, dantur tempora quibus
absentem accersat: quanquã ea dentur fideiussori, vt reũ principalem absentem quærat. Secundus
casus est, vbi alter reus non est soluendo. sed id probare debet creditor, qui alterum in solidũ parat
conuenire. Aliter rursus quàm in fideiussore, cuius est probare soluendo esse alterum fideiussorem
5 vt se iuuare possit beneficio diuisionis. Porrò hodie nullus ferè vsus est beneficij Iustiniani, cùm
non soleant duo rei constitui, nisi pariter renuncient exceptioni diuisionis. Id enim habet vulga-
ris obligandorum reorum formula, qua nostri vtuntur Tabelliones: sed magno plerunq; errore,
6 cùm nec ipsi, nec qui se obligant vim eiusmodi renunciationis soleant intelligere. Illud postremò
hoc loco prætereundum non est; aliquando inter duos reos diuisionem induci ex tacito pacto, &
benigna veteris etiam iuris interpretatione. Si enim creditor ab altero virilem tantùm debiti par-
tem vltro receperit, & constet eam esse solutam receptamque pro persona soluentis [e]: diuidetur
vis obligationis, & is, qui soluit partem, prorsus liberabitur [f]. Ita enim censetur remissus à credito-
7 re complexus solidæ obligationis. Sed hæc intelligimus inter duos reos. Cæterùm si plures sint, li-
berato eo, qui partem suam soluit, remanebunt alij in solidum obligati, eius debiti nomine, quod
reliquum est. ¶ *In vtraq; tamen obligatione.*] Inquit Vlpianus [g]: vtique cùm vna sit obligatio, vna
8 etiam summa est, vt siue vnus soluat, omnes liberentur. siue vni soluatur ab altero. contingat libe-
ratio. Vnam autem esse duorum reorum obligationem intelligimus propter effectum & eandem
rem, quæ in vtraque vertitur. Cæterùm reuera plures sunt numero obligationes. Nam & si maxi-
mè (inquit Vlpianus [h]) parem causam suscipiunt: nihilominus in cuiusque persona propria sin-
gulorum consistit obligatio. Vnde reos promittendi vice mutua fideiussores non inutiliter acci-
9 pi respondit idem Vlpianus [i]. Certè cùm reus promittendi alteri reo successisset, tradidit Venu-
leius [k] eum duas obligationes sustinere: quia nec reperiri posit, cur altera magis quàm altera con-
sumatur, cùm sit vtraque eiusdem potestatis. ¶ *Vna res vertitur.*] Vlpianus ait, vnam summam
10 esse. sed generalius est verbum, quo Iustinianus vtitur, & aptius. Vnam autem rem intelligamus, si
non omnino verè, saltem iuris fictione: vt duo fabri eiusdem peritiæ, si promittant suas operas, in-
telliguntur easdem operas promittere: ideo & duo rei fiunt [l]. ¶ *Et vel alter.*] Nempe duorum sti-
pulandi.

b *L. ex duobus reis stipulandi. D. illo tit. sin. de cõmissa. §. plerũq. de leg. 3. l. in l. Falcidia hoc esse seruandũ. D. ad le. Falci.*
c *L. 3. §. 1. de duobus reis.*
d *L. si duo rei promittendi. D. illo tit.*
e *L. inter eos. §. 1. de fideiuss.*
f *L. creditores. C. de pact.*
g *L. 3. §. vlti. de duob. reis.*
h *L. eandem. §. vlti. D. illo tit.*
i *L. reos promittendi. D. illo tit.*
k *L. si reus promittendi. D. illo tit.*
l *L. nemo est qui nesciat. in fi. D. illo tit.*

¶ *Debitum.*]Solidum. Nam si partem tantùm recipiat, non perimit ius alterius, quin ei rectè
adhuc soluatur reliqua pars: cui certè solui non posset si perempta esset eius obligatio. Itaq; vt cre-
ditor vnus à pluribus reis debendi singulis partem petere potest, si vult [m]: ita & hic debitor singu-
lis reis stipulandi rectè partem soluet, & æquè liberabitur: quia (inquit Vlpianus [n]) obligatio com-
11 munis efficit, vt quod duobus solutum est, vni solutum videatur. ¶ *Accipiendo.*] Vel acceptum re-
12 ferendo. Nam acceptilationem vnius rei stipulandi hîc satis esse ad plenam liberationem tradi-
tum est, quòd acceptilatio sit imaginaria solutio [o].

m *dic. l. 3. §. vlt.*
n *L. qui hominem §. si duo rei. de solut.*
o *L. 3. § nunc de effectu. de libe. lega.*

r 4 Alter

a L. 2. C. ad leg. Iul. de vi publi.
b L. vlti. de duob. reis.
c L. in lege Falcidia hoc esse seruandum. D ad leg. Falcid.
d L. 2. C. de duob. re.

¶ *Alter soluendo.*] Aliud est, vbi alterius persona eximitur obligatione, veluti deportatione.
Neque enim pœna tollit obligationem, sed potius transfert in fiscum succedentem bonis con- 13
demnatorum[a]. Rectè itaq; Pomponius[b], Cùm (inquit) duo eandem pecuniam deberent: si vnus
capitis diminutione exemptus est obligationi, alter non liberatur. multùm enim interest, vtrum
res ipsa soluatur, an persona liberetur. Cùm persona liberatur manente obligatione, alter durat
obligatus. ¶ *Omnium perimit obligationem.*] Sed si fuerint socij, quod solutum acceptumque est,
communicabitur, perinde atque si singuli partem pecuniæ stipulati essent[c]. Sed & vbi esset obli- 14
gatio ex causa onerosa, veluti ex mutuo dato, æquum est quod vni soluetur, alteri esse commune.
Quod autem ad reos promittendi attinet, si fuerint socij, erit quoque commune onus: & si vnus
solidum soluerit, alteri pro parte imputabitur. Idem & si alter quasi fideiussor conuentus sit: aut
ex ea causa, cuius emolumentum fuerit commune, veluti ex mutua pecunia communiter acce-
pta[d]. Alioqui autem qui solidú suo nomine soluit: quia id debuit, non poterit ab altero quicquam
repetere. Sic potest hic creditor gratificari alteri, si alterum solum conueniat. Sed iam ex Nou. Iu- 15
stiniani Constitu. (vt dictum est) habent rei debendi beneficium diuisionis, quo possunt sese tueri
aduersus solidam exactionem.

§. *Ex duobus.*

1 *Non sunt duo Rei, à quibus impar suscepta est obligatio.*
2 *Posterior conuentio, statum & naturam obligationis quæ duos primum reos fecit, non mutat.*
3 *Si ex euentu conditionis speratur puræ obligationis nouatio, non potest ex pura interim obligatione agi.*
4 *Quid, si quod mihi purè debebatur.*
5 *Vtrum idem hodie de pluribus Reis, quod de pluribus fideiussoribus statuendum?*

e L. ex duob. de duob. reis.
f L. potior §. videamus. D. qui pot. in pigno.
g L. eandem §. sed si quis. de duob. reis.
h L. pecuniam. D. si cer. pet. cond.
i L. purè. de doli mali & metus exc.
k L. si plures. de fideiuss.

¶ *Ex duobus.*] Totus hic locus ad verbú descriptus est ex responso Florentini[e]. ¶ *Alius in diem
vel sub conditione.*] Nam quicquid hic est dissimilitudinis, facilè potest reduci ad paritatem. Cùm e-
nim semel conditio extitit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine
conditione inita esset stipulatio[f]. Sed si ea esset dissimilitudo, quæ tolli non possit, hæc certè pos-
set impedire obligationem duorum reorum. vt si quis stipuletur ab altero dolum præstari, ab alte-
ro culpam tantùm. Neque enim fieri potest, vt hi parem causam suscepisse videantur. Rectè itaque
Vlpianus[g], Si quis (inquit) in deponendo penes duos, paciscatur vt ab altero culpa præstetur: ve-
rius est, non esse duos reos, à quibus impar suscepta est obligatio. Non idem probandum est, cùm 1
duo quoque rei culpam promisissent, si alteri postea pacto culpa remissa sit: quia posterior con-
uentio, quæ in alterius persona intercessit, statum & naturam obligationis, quæ duos in initio re- 2
os fecit, mutare non potest. ¶ *Nec impedimento erit.*] Neque enim hic vlla expectatur obligatio-
nis puræ nouatio ex euentu conditionis. Cuiusmodi sanè spes posset impedimento esse, ne in- 3
terea ex pura obligatione ageretur. Vnde si pecuniam, quam mihi purè debebas, iussu meo pro-
misisti Titio sub conditione, respondit Iabolenus[h]; me, pendente causa conditionis, petere non
posse. Nam & ego videor puram meam alioqui obligationem suspendisse sub contraria quadam
conditione: vt si conditio stipulationi Titij ascripta defecerit, tum demum redintegretur vis meæ
obligationis: sed si euenerit, perimatur nouatione mea obligatio. Sed interim inter me & te a-
ctum videtur, ne ipse agerem. Alioqui enim ludicra esset & inutilis stipulatio Titij meo iussu con-
tracta. Sed si id non videretur actum, non impediret incerta conditio purum præsensque nego-
cium. Itaque si quod mihi purè debebatur, debitori sub conditione legauero: interim non impe- 4
ditur hæres petere: sed tamen ideo non est inutile legatum; quia is cauet de restitutione vbi eue-
nerit conditio[i]. ¶ *Petatur.*] Solidum. Sed aliud est in pluribus fideiussoribus. Sic enim apertè Vl-
pianus[k]: si plures sint fideiussores: & vnus purè, alius in diem vel sub conditione acceptus, succurri
oportet ei, qui purè acceptus est, dum existere conditio potest: nempe vt interim in virilem par-
tem conueniatur. Eius autem responsi ratio est, quòd fideiussoribus tribuatur beneficium diui-
sionis. Id quod cùm etiam hodie tributum sit pluribus reis promittendi per Nouellam Iustiniani
Constitut. 99. multi existimant hunc locum esse correctum: nec aliter esse statuendum de pluribus 5
reis, quàm statuit Vlpianus de pluribus fideiussoribus. Et certè magna est & aperta ratio huius si-
militudinis.

De stipulatione seruorum, Tit. XVII.



ERVVS ex persona domini ius stipulandi habet. Sed & hæreditas in plerisque personæ defuncti vicem sustinet. ideoque quod seruus hæreditarius ante aditam hæreditatem stipulatur: adquirit hæreditati, ac per hoc etiam hæredi postea facto adquiritur.

Siue autem domino, siue sibi, siue conseruo suo, siue impersonaliter seruus stipuletur, domino adquirit. Idem iuris est & in liberis, qui in potestate patris sunt, ex quibus causis adquirere possunt.

Sed cùm

Sed cùm factum in stipulatione continebitur: omnimodo persona stipulantis continetur: veluti si seruus stipuletur, vt sibi ire agere liceat. ipse enim tantùm prohiberi non debet, non etiam dominus eius.

Seruus communis stipulando, vnicuique dominorum pro portione dominij adquirit: nisi iussu vnius eorum, aut nominatim alicui eorum stipulatus est. tunc enim soli ei adquiritur.

Quod seruus communis stipulatur, si alteri ex dominis adquiri non potest, solidum alteri adquiritur. veluti si res, quam dari stipulatus est, vnius domini sit.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Serui persona iure Ciuili nihili est.*
2 *Neque alia est serui quàm domini persona.*
3 *Infantis etiam seruus stipulari potest.*
4 *Cur non in omnibus iuris partibus defuncti persona vicem sustineat hereditas?*
5 *Hereditatis iacentis furtum fieri cur dici non possit?*
6 *Hereditarius seruus cur hereditati vsumfructum stipulari non possit?*
7 *Et cur eidem legari possit vsusfructus?*
8 *Seruus cur, si nominatim heredi alicui stipuletur, nondum adita hereditate, nihil agat?*

1 EX *persona domini.*] Nam ipsius serui persona iure Ciuili nihili est[a]: nec in personam seruilem vl-
la cadit obligatio, inquit Vlpianus[b]. Itaq; serui quod ex suo capite non habent, à domino ha-
beant necesse est. Atque ita hunc titulum inchoat Theophilus, οἱ οἰκέται ἀπρόσωποι ὄντες ἐκ τῶν προσ-
ώπων τῶν δεσποτῶν χαρακτηρίζονται [serui, cum personam non habeant, ex persona dominorum suo-
rum æstimantur.] Certè ex persona domini, & seruo deberi, & is debere potest[c]: Ideoq́ue & stipu-
lari. Nam vt stipulationes sint proditæ, quo sibi quisque stipuletur: seruus qui domino acquirit,
2 sibi videtur acquirere: nec enim alia est serui, quàm domini persona. Saltem ante manumissio-
nem serui, non intelliguntur duæ esse personæ[d]. ¶ *Ius stipulandi hab. t.*] Vt seruus possit stipulari,
satis est dominum ius stipulandi habere; etiam si fortè re ipsa impediatur stipulari; hoc est, facto
3 aliquo, non autem iure; veluti, per ætatem aut furorem. Itaque stipulari potest infantis seruus[e].
4 ¶ *In plerisque.*] Alibi dicitur, IN MVLTIS IVRIS PARTIBVS[f]: & additur ratio cur non in o-
mnibus. quia id non obtineat, vbi factū personæ requiritur. Vt si iussu alicuius adeunda sit hære-
5 ditas: non poterit hæreditas iacens domini loco iubere. Nec alia ratione dicimus; furtum nō fie-
6 ri hæreditatis iacentis: quia nempe non sit dominus, quo inuito res ablata videri queat[g]. Postre-
mò & huc pertinet. quòd seruus hæreditarius non possit hæreditatis stipulari vsumfruct.[h] Omni-
no enim vsusfruct. desiderat certam personam, quæ vtatur. fruatur. Et neque potest enim sibi ser-
uus acquirere; multo minus domino mortuo: nimè verò hæredi futuro. is enim adhuc incer-
tus est, etiamsi testamento scriptus fuerit. Nam fortassis repudiabit oblatam hæreditatem. Rectè
itaque Paulus[i]. Vsusft. (inquit) sine persona esse non potest: & ideo seruus hæreditarius inutiliter
7 vsumfr. stipulatur: legari autem ei posse vsumfr. dicitur: quia dies eius non cedit statim, stipulatio
autem pura suspendi non potest. ¶ *Quod seruus hereditarius stipulatur.*] Nempe ἀορίστως [indefinite.]
8 & generaliter ipsi hæreditati aut hæredi futuro[k]. At si nominatim certo alicui hæredi stipuletur
qui nondum adijt hæreditatem, nihil agit[l]: quia stipulationis tempore hæres dominus eius non
fuit. Itaque videtur extraneo stipulari: quod iure non est permissum.

a *L. quod attinet. de regu. iuris.*
b *L. in personam. de regu. iuris.*
c *L. nec seruum. de pecul.*
d *L. si Pamphilo. de op. le.*
e *L. 1. §. 1. de verb. obli. L. si pupillus. §. seruū pupilli. D. rem rat. hab.*
f *L. hereditas. de acquir. rer. domi.*
g *L. hereditariæ. de furt.*
h *dic. L. hereditas.*
i *L. vsusfr. de stip. seru.*
k *L. si ex re. §. illud quæsitum. de stip. seru.*
l *L. seruum hereditarium. D. illo tit.*

§. *Siue autem.*

1 *Sibi an domino seruus stipuletur, nihil interest.*
2 *Impersonalem stipulationem semper valuisse.*
3 *Cur idem non in constituto etiam probetur?*

1 ¶ *Siue autem.*] Inquit Iulianus[m]: Cùm seruus stipulatur, nihil interest, sibi an domino, an
verò sine alterius adiectione dari stipuletur. ¶ *Siue impersonaliter.*] Plautus in Pseudolo inquit;
Nullum periculum est, quod sciam, stipularier, vt concepisti verba: Viginti minas dabis? dabun-
tur. hoc quidem actum est haud malè. Vnde apparet impersonalem stipulationem semper valuis-
2 se. Quod & iure nostro non obscurè proditum est: quia intelligatur quis sibi stipulari[n]. Nec aliter
intelligi potest impersonalis promissio: quando nec temerè soleamus in stipulationibus accersere
extrinsecus alienam personam[o]. Idemque & in vltimis voluntatibus est receptum[p]. At non i-
dem probari in Constituto tradidit Iustinianus in Nouella sita Constit. 115. ad finem. nempe quòd
3 non habeat Constitutum vllam præcedentem interrogationem, iuxta quam possimus inter-
pretari impersonalem promissionem. Imò verò id constitui solet. quod iam debitum est[a]. ¶ *Do-
mino acquirit.*] Etiamsi stipulationem contulerit in alienationem vel manumissionem suam,
inquit Pomponius[b].

m *L. 1. D. illo tit.*
n *L. stipulatio ista. §. si ficus. §. siquis ita. de ver. obli.*
o *L. si ita stipulatus. §. Chrysogonus. de verb. oblig.*
p *L. si seruus legatus. §. qui margaritā. de leg. 1. L. acceptam. in fi. D. ad leg. Falci.*
a *L. 1. §. debitū. de cōst. per.*
b *L. vlt. D. stipul. seruorum.*

Sed cùm

§. *Sedcum factum.*

1 Quæ iuris, non quæ facti sunt, transeunt ad dominum.
2 Si seruus adiectus sit solutioni; seruo, non domino, solui debet.
3 Stipulationem itineris, viæ, actus, cur à seruo rectè interponatur, nec ad dominum pertineat?

a L. qui heredi. de cond. & demonstr.
b L. si stipulatus sum. de solut.
c L. stipulatio ista habere licere. §. hi qui. de verb. oblig.

Sed cùm factum.] Totus hic locus pendet ex illa Pauli regula [a]: Quæ facti sunt, non transeunt 1
ad dominum. Sanè est & vbi licet non agatur de facto: tamen solius serui persona contineatur: 2
nempe si seruus adiectus sit solutioni. Tum enim illi, non autem domino solui poterit [b]. ¶ *Vt* 3
sibi ire agere liceat.] In hac stipulatione non ius, sed factum versari, ideoque à seruo rectè interponi,
nec ad dominum pertinere tradit Iulianus [c].

§. *Seruus communis. cum §. finali.*

1 Communis seruus pro parte dominij dominis acquirit. fallit num. 2. 3. 4.
5 Quid, si seruus quatuor pluresve dominos habeat, & duorum iussu stipuletur?
6 Quid, si seruus meus & tuus viam indefinitè stipuletur, egoq́; solus vicinum fundum habeam?

d L. seruus communis sic omnium. de stip. seruo.
e L. cōmunis seruus. de acquir. rerum domi.
f L. si communis seruus. 2. de stip. ser.
g L. si seruus communis. 3. D. illo tit.
h L. seruus communis. 2. D. illo tit.
i L. proinde. D. illo tit.
k L. 1. §. cōmunis seruus. D. illo tit.
l L. si communis seruus. 1. D. illo tit.

¶ *Seruus communis.*] Inquit Vlpianus [d]: Seruus communis sic omnium est, non quasi singulo- 1
rum totus, sed pro partibus vtrique indiuisis: vt intellectu magis partes habeant, quam corpore.
Et ideo, si quid stipulatur, vel qua alia ratione acquirit, omnibus pro parte, qua dominium in eo
habent, acquirit. Hæc Vlpianus. Cui apertè Caius suffragatur, inquiens [e]; Quòd si aliunde quàm
ex re alterius dominorum acquisierit aliquid communis seruus, omnibus socijs pro parte domi-
nij hoc acquiratur. ¶ *Nisi.*] Est & alia exceptionis species, nempe quia aliquando vtrique do- 2
mino acquiritur, sed non pro portione dominij: nempe vbi nominatim vtrique domino stipu-
latur. Sic enim Pomponius respondit [f]: Si communis seruus ita stipuletur, Lucio Titio & Caio
Seio dare spondes? qui domini sunt illius: pro virilibus partibus ex stipulatione sua dari de-
bet. Si verò ita; Dominis meis dare spondes? pro parte, qua domini essent. Porrò si seruus com- 3
munis sic stipulatus sit; Decem illi domino, eadem decem alteri dare spondes? respondit Pau-
lus [g], duos esse reos stipulandi. Itaque singulis non pro portione dominij, sed in solidum acqui-
ritur. ¶ *Iussu vnius, aut nominatim.*] Has duas exceptiones Vlpianus apertissimè explicat his ver- 4
bis [h]: licet communi seruo nominatim alicui ex dominis stipulari, vel traditam accipere rem.
Sed si non vni domino nominatim stipuletur, sed iussu vnius dominorum: hoc iure vtimur, vt
soli ei acquirat, cuius iussu stipulatus est. Deinde subijcit Pomponius; Offilius rectè dicebat, & per
traditionem accipiendo vel deponendo, commodandoque posse ei soli acquiri, qui iussit. quæ
sententia Cassij & Sabini dicitur. ¶ *Iussu vnius eorum.*] Quòd si quis fortè quatuor dominos ha- 5
buit, & duorum iussu stipulatus sit: ijs duobus acquiret, qui iusserunt: idque non æqualiter, sed
pro portione dominica totum ijs acquiret [i]. ¶ *Quod seruus communis.*] Tractat hunc locum Iulia-
nus, hancque regulam tradit [k]: Persona serui communis eius conditionis est, vt in eo quod alteri
ex dominis potest acquirere, alteri non potest, perinde habeatur, acsi eius solius esset, cui acqui-
rendi facultatem habet. Porrò & huc pertinet quod Vlpianus respondit [l]: Si communis seruus 6
meus & tuus viam vel iter vel actum stipuletur, sine adiectione nominis nostri: cùm ego solus vi-
cinum fundum habeam, soli mihi eam acquirit.

De diuisione Stipulationum, Titulus XVIII.

STIPVLATIONVM aliæ sunt Iudiciales, aliæ Prætoriæ, aliæ Conuentionales, aliæ communes, tam Prætoriæ, quàm Iudiciales. Iudiciales sunt duntaxat, quæ à mero Iudicis officio proficiscuntur, veluti de dolo cautio, vel de persequendo seruo qui in fuga est, restituendóve pretio.

Prætoriæ sunt, quæ à mero Prætoris officio proficiscuntur, veluti damni infecti, vel legatorum. Prætorias autem stipulationes sic exaudiri oportet, vt in his etiam contineantur Ædilitiæ: nam & hæ à iurisdictione veniunt. Conuentionales sunt, quæ ex conuentione vtriusque partis concipiuntur, hoc est, neque iussu Iudicis, neque iussu Prætoris, sed ex conuentione contrahentium: quarum totidem genera sunt, quot (penè dixerim) rerum contrahendarum.

Communes sunt, veluti rem saluam fore pupillo (nam & Prætor iubet rem saluam fore pupillo, caueri: & interdum iudex, si aliter hæc res expediri non potest) vel de raro stipulatio.

IN SV-

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Stipulationum diuisiones.*
2 *De quibus primo hic loco Iudicialibus cautionibus Iustinianus hic agat?*
3 *Prætoria stipulationes hic quæ?*
4 *Aedilicia rum stipulationum exemplum.*
5 *Notata vulgaris hic lectio, autoritate Theophili.*
6 *Iurisdictio Aedilium hic quid?*

1 INitio admonendi sumus totum hunc de diuisione stipulationum tractatum esse descriptum
ex Pomponij [a] responso, quod in Pandectis extat. Nam posteaquam propositæ sunt duæ sti- *a L.5.de verb.oblig.*
pulationum diuisiones, prior, quæ à materia & fine sumitur, nempe quòd aliæ in dando, aliæ in
faciendo consistant: altera verò quæ ex earum rerum quas stipulamur, natura & conditione de-
pendet, nempe quòd aliæ diuiduæ sint, aliæ indiuiduæ: subijcitur hæc tertia, quæ ab efficientibus
repetita videtur.

¶ *Iudiciales sunt duntaxat quæ, &c.*] Apud Pomponium est, Iudiciales sunt, quæ duntaxat, &c.
Sed verba Iustiniani manifestius hîc significant agi de ijs stipulationibus, quæ propriè & solùm
Iudiciales sunt, non etiam communes: quò magis eas discernamus à Prætorijs, quæ generaliter
etiam Iudiciales dicuntur, nempe cùm propter iudicium interponuntur, veluti; Ratum haberi;
aut Iudicatum [b] solui. Ac eæ quidem interponebantur, vt iudicium, quod dandum erat, magis *b L.1.§.1.de Prat. stip.*
certum & firmum, maiorique cautione munitum esset, siue alioqui Prætor ipse, siue alius Iudex
de causa cognosceret. At Iustinianus primo loco hîc tantùm agit de ijs duntaxat Iudicialibus cau-
2 tionibus, quæ demum post datum acceptumque, & constitutum à Prætore iudicium interponun-
tur, iussu ipsius Iudicis, qui datus est, vt de causa cognoscat, easque præstari imperantis ex mero
suo soloque officio, cùm alioqui neque reus ad id esset obligatus, neque Prætor huic Iudici expres-
sim id mandâsset.

¶ *Veluti de dolo cautio, vel de persequendo.*] Hoc vnum exemplum iudicialis cautionis siue stipu-
lationis, quam Iudex actori rem petenti præstari abs reo iubet, proponit Pomponius. Sed Iusti-
nianus hic proponit alterum exemplum, nempe cautionis de persequendo seruo, qui in fuga esse
dicetur. Nam & Vlpianus [c] alibi eius meminit. *c L. item si cum exceptione. § pro eo aut. de eo quod metus cau.*

3 ¶ *Prætoria sunt.*] Prætorias duntaxat hîc intelligimus: nempe quæ cùm nullum adhuc iudi-
cium datum erat in iure apud ipsum Prætorem interponebantur, & quas solus Prætor Præsésve
imperabat, nisi si ex iusta & necessaria causa alteri mandaret hanc curam exigendæ cautionis, &
nisi præstaretur, mittendi in possesionem [d]. *d L.4.§.duu.de damno inf.*

¶ *A mero prætoris officio.*] Vlpianus ait; Iubere cauere Prætoria stipulatione, magis esse Imperij,
quàm Iurisdictionis. Et reuera Prætor hîc interueniebat non vt ius diceret, aut iudicium daret,
sed vt extra iudicium ex solo nudoq; suo officio iuberet & imperaret has cautiones præstari, cùm
neque alioqui earum exigendarum nomine vlla actio competeret.

¶ *Continentur & Aedilicia*] Exemplum harum Iustinianus nullum hîc proponit: sed ex Ædi-
4 licio edicto repeti potest. Nam tenetur venditor emptori cauere, rem vitiosam non esse [e]. *e L. si venditor. de Aedil edic. l. ex empto. §. animalium. de act. empt.*
5 ¶ *A iurisdictione veniunt.*] Malè vulgò legitur, A IVRISDICTIONE PRÆTORIS. Nam potius
6 hîc intelligi Ædilium Iurisdictionem dubium non est, & Theophilus apertè significat. Cæterùm
possumus hîc intelligere Iurisdictionem, non modò edictum, sed & iussum & imperium Ædi-
lium. Sicuti & Liuius deca. 3. libro septimo edictum Ædilium vocat, cùm aliquid iubent & præ-
cipiunt viua voce Ædiles.

¶ *Nam & Prætor.*] Dictum est suprà de satisdatione tutorum. Differentia quoque inter Præ-
torem & Iudicem sæpe aliàs notata est. neque hic locus exigit, vt de huius generis cautionibus
plura hunc dicamus.

DE INVTILIBVS STIPVLATIONIBVS, Titulus XIX.



MNIS res, quæ dominio nostro subijcitur, in stipulationem deduci potest: siue mobilis sit, siue soli. At si quis rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest, dari stipulatus fuerit: veluti Stichum, qui mortuus sit, quem viuere credebat: aut Hippocentaurum, qui non esse possit: inutilis erit stipulatio.

Idem iuris est, si rem sacram, aut religiosam, quam humani iuris esse credebat, vel rem publicam, quæ vsibus populi perpetuò exposita sit, vt forum, vel theatrum, vel liberum hominem, quem seruum esse credebat, vel cuius commercium non habuerit, vel rem suam dari quis stipuletur.

Nec in

Nec in pendenti erit stipulatio ob id quòd publica res in priuatum deduci, & ex libero seruus fieri potest, & commercium adipisci stipulator potest, & res sua stipulatoris esse desinere potest. sed protinus inutilis est.

Item contrà, licet initio vtiliter res in stipulatum deducta sit: si tamen posteà in aliquam eorum causam, de quibus suprà dictum est, sine facto promissoris deuenerit: extinguitur stipulatio.

At nec statim ab initio talis stipulatio valebit, LVCIVM TITIVM, CVM SERVVS ERIT, DARE SPONDES? & similia. Quæ enim natura sui dominio nostro exempta sunt, in obligationem deduci nullo modo possunt.

Si quis alium daturum facturúmve quid promiserit, non obligabitur: veluti si spondeat Titium quinque aureos daturum. Quòd si effecturum se, vt Titius daret spoponderit, obligatur.

Si quis alij, quàm ei, cuius iuri subiectus sit, stipuletur, nihil agit.

Planè solutio etiam in extraneam personam conferri potest: veluti si quis ita stipuletur, MIHI AVT SEIO DARE SPONDES? vt obligatio quidem stipulatori adquiratur, solui tamen Seio, etiam inuito eo, rectè posit, vt liberatio ipso iure contingat: sed ille aduersus Seium habeat mandati actionem.

Quòd si quis sibi, & alij, cuius iuri subiectus non sit, dari decem aureos stipulatus est: valet quidem stipulatio. sed vtrum totum debeatur stipulatori, quod in stipulationem deductum est, an verò pars dimidia, dubitatum est: sed placuit, non plus quàm dimidiam partem ei adquiri.

Ei verò, qui iuri tuo subiectus est, si stipulatus sis, tibi adquiris: quia vox tua, tanquam filij sit, sicuti & filij vox tanquam tua intelligitur in ijs rebus, quæ tibi adquiri possunt.

Præterea inutilis est stipulatio, si quis ad ea, quæ interrogatus fuerit, non respondeat: veluti si quis decem aureos à te dari stipuletur, tu quinque promittas, vel contrà: aut si ille purè stipuletur, tu sub conditione promittas, vel contrà: si modò scilicet id exprimas, id est, si cui sub conditione vel in diem stipulanti, tu respondeas, PRAESENTI DIE SPONDEO. Nam si hoc solùm respondeas, PROMITTO: breuiter videris in eandem diem vel cõditionem spopondisse. Neq; enim necesse est in respondendo eadem omnia repeti, quæ stipulator expresserit. Item inutilis est stipulatio, si vel ab eo stipuleris, qui tuo iuri subiectus est, vel si is à te stipuletur.

Sed seruus quidem non solùm domino suo obligari non potest, sed ne quidem vlli alij, filij verò familiarum alijs obligari possunt.

Mutum neque stipulari, neque promittere posse, palàm est. quod & in surdo receptum est: quia & is, qui stipulatur, verba promittentis: & is qui promittit, verba stipulantis audire debet. vnde apparet, non de eo nos loqui, qui tardius exaudit, sed de eo, qui omnino non audit. Furiosus nullum negotium gerere potest: quia non intelligit quod agit.

Pupillus omne negocium rectè gerit: ita tamen, vt vbi tutoris autoritas necessaria sit, adhibeatur tutor: veluti si ipse obligetur. nam alium sibi obligare etiam sine tutoris autoritate potest. Sed quod diximus de pupillis, vtique de ijs verum est, qui iam habent aliquem intellectum. nam infans, & qui infantiæ proximus est, non multùm à furioso distant: quia huiusmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum. Sed in proximis infantiæ, propter vtilitatem eorum, benignior Iuris interpretatio facta est: vt idem iuris habeant, quod pubertati proximi. Sed qui in potestate parentis est impubes, ne autore quidem patre obligatur.

Si impossibilis conditio obligationibus adijciatur: nihil valet stipulatio. Impossibilis autem conditio habetur, cui natura impedimento est, quo minus existat: veluti si quis ita dixerit, SI DIGITO COELVM ATTIGERO, DARE SPONDES? At si ita stipuletur, SI DIGITO COELVM NON ATTIGERO, DARE SPONDES? purè facta obligatio intelligitur, ideoque statim peti potest.

Item verborum obligatio inter absentes concepta, inutilis est: Sed cùm hoc materiam litium contentiosis hominibus præstabat, fortè post tempus tales allegationes opponentibus, & non præsentes fuisse vel se, vel aduersarios suos contendentibus: ideo nostra Constitutio propter celeritatem dirimendarum litium introducta est, quam ad Cæsarienses Aduocatos scripsimus: per quam disposuimus, tales scripturas, quæ præstò esse partes indicant, omnino esse credendas: nisi is qui talibus vtitur improbis allegationibus, manifestissimis probationibus, vel per scripturam vel per testes idoneos adprobauerit,

toto

toto codice, quo conficiebatur instrumentum, sese vel aduersarium in alijs locis fuisse.

Post mortem suam dari sibi nemo stipulari poterat: non magis, quàm post eius mortem, à quo stipulabatur. Ac ne is, qui in alicuius potestate est post mortem eius stipulari poterat: quia patris vel domini voce loqui videretur. Sed & si quis ita stipuletur, PRIDIE QVAM MORIAR, VEL, PRIDIE QVAM MORIERIS DARE SPONDES? inutilis erat stipulatio.

Sed cùm (vt iam dictum est) ex consensu contrahentium stipulationes valeant: placuit nobis etiam in hunc iuris articulum necessariam inducere emendationem: vt siue post mortem, siue pridie quàm moriatur stipulator, siue promissor, stipulatio concepta sit: stipulatio valeat. Item si quis ita stipulatus erat, SI NAVIS CRAS EX ASIA VENERIT, HODIE DARE SPONDES? inutilis erat stipulatio, quia præposterè concepta est. Sed cùm Leo inclytæ recordationis in dotibus eandem stipulationem, quæ præpostera nuncupatur, non esse reijciendam existimauerit: nobis placuit, & huic perfectum robur accommodare, vt non solum in dotibus, sed etiam in omnibus valeat huiusmodi conceptio stipulationis. Ita autem stipulatio concepta, veluti si Titius dicat, CVM MORIAR DARE SPONDES; vel, CVM MORIERIS: & apud veteres vtilis erat, & nunc valet. Item post mortem alterius rectè stipulamur.

Si scriptum in instrumento fuerit, promisisse aliquem: perinde habetur, atque si interrogatione præcedente responsum sit.

Quoties plures res vna stipulatione comprehenduntur, si quidem promissor simpliciter respondeat, DARE SPONDEO, propter omnes tenetur: Si verò vnã ex his, vel quasdam daturum se spoponderit, obligatio in ijs pro quibus spoponderit, contrahitur. Ex pluribus enim stipulationibus vna, vel quædam videantur esse perfectæ. singulas enim res stipulari, & ad singulas respondere debemus.

Alteri stipulari (vt suprà dictum est) nemo potest. Inuentæ enim sunt huiusmodi stipulationes vel obligationes ad hoc, vt vnusquisque adquirat sibi, quod sua interest. cæterum si alij detur, nihil interest stipulatoris. Planè si quis velit hoc facere, pœnam stipulari conueniet: vt nisi ita factum sit, vt est comprehensum, committatur pœnæ stipulatio etiam ei, cuius nihil interest. Pœnam enim cùm stipulatur quis, nõ illud inspicitur, quod intersit eius, sed quæ sit quantitas in conditione stipulationis. Ergo si quis ita stipuletur, TITIO DARI? nihil agit. sed si adiecerit pœnam, NISI DEDERIS TOT AVREOS DARE SPONDES? tunc committitur stipulatio.

Sed & si quis stipuletur alij, cùm eius interesset, placuit stipulationem valere. Nam si is, qui pupilli tutelam administrare cœperat, cesserit administrationem contutori suo, & stipuletur rem pupilli saluam fore, quoniam interest stipulatoris fieri, quod stipulatus est (cùm obligatus futurus sit pupillo, si malè res gesserit) tenet obligatio. Ergo & si quis procuratori suo dari stipulatus sit, habebit vires stipulatio.

Etsi creditori suo quis stipulatus sit, quod sua interest, ne fortè vel pœna committatur vel prædia distrahantur, quæ pignori data erant: valet stipulatio. Versa vice, qui alium facturum promisit, videtur in ea esse causa, vt non teneatur, nisi pœnam ipse promiserit.

Item nemo rem suam futuram in eum casum, quo sua sit, vtiliter stipulatur.

Si de alia re stipulator senserit, de alia promissor: perinde nulla contrahitur obligatio, ac si ad interrogatum responsum non esset: veluti si hominem Stichum à te quis stipulatus fuerit, tu de Pamphilo senseris, quem Stichum vocari credideris.

Quod turpi ex causa promissum est: veluti si quis homicidium, vel sacrilegium se facturum promittat, non valet.

Cùm quis sub aliqua conditione stipulatus fuerit: licet ante conditionem decesserit: postea existente conditione hæres eius agere potest. Idem est & ex promissoris parte.

Qui hoc anno, aut hoc mense dari stipulatus est, nisi omnibus partibus anni, vel mensis præteritis, non rectè petet.

Si fundum dari stipuleris, vel hominem, non poteris continuò agere, nisi tantum spacium præterierit, quo traditio fieri posit.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

a L. interdum. de verb. oblig.
b §. ea quoque res supr. de legat.
c L. nec emptio. de contrah. empt.
d L. & quæ nondum. de pignorib.
e L. promissor hominis. de constit. pec.
f L. eum qui iurauit. §. 1. de iureiur.
g L. inter stipulantē. §1.§ Stichum penult. De verb. oblig.
h L. si ita stipulatus fuero te sisti. de verb. obligat.
i L. nouatio non potest. de nouat.
k L. si stipuler. de verbo. obligat.

IN *rerum natura non est, aut esse non potest.*] Aptius & clarius fortasis erat dicere; In rerum natura 1
non est, necesse potest. Ita enim sine disiunctione facilius intelligemus hoc dici de eadem re:
ad quam stipulationibus submouendam vtrunque est necessarium. Iisque verbis admonebimur,
satis hic excipi rem, quam aliquando in rerum natura fore speramus, vt sunt fructus nasciturі, aut
fœtus qui est in vtero. Cuiusmodi certè res ideo rectè stipulari possumus [a], sicuti & legari rectè
possunt [b], & emi [c], & pignori dari [d]. ¶ *Qui mortuus sit.*] Iam tum scilicet, cùm primùm eum sti-
pulamur, & priusquam esset in aliqua mora promissor. Nam si hic homo alio prius nomine fuis-
set debitus, ac post moram debitoris pereat: non omnino esset inutilis eius deinde promissio. Sic
enim eleganter respondit Iulianus [e]: Promissor hominis, homine mortuo, cùm per eum staret,
quominus traderetur & si hominem daturum se constituerit, de constituta pecunia tenebitur, vt
precium eius soluat. Sane & si iurauero, te Stichum mihi dare oportere, licet is non sit in rerum
natura, si tamen id post moram tuam fuerit factum, rectè videbor iurâsse, & Stichi æstimatio
præstanda erit [f]. Sed ne longius abeam, apertius est, & rei de qua quæritur aptius, quod nunc mi-
hi occurrit, Pauli responsum, cuius verba sunt [g]. Stichum, qui decessit, si stipuler: si quidem condici 2
etiam mortuus potest, vt furti: vtiliter me stipulatum Sabinus ait. Si vero ex alijs causis, inutiliter:
quia & si deberetur, morte promissor liberaretur. Idem ergo dicitur, & si mura facta defunctum
stipularer. Idem autem intellige, quod in causa furtiua dictum est. ¶ *Aut Hippocentaurum.*] Sic in
Pandectis Celsus [h]. Si, inquit, ita stipulatus fuero; te sisti? &, nisi stiteris, Hippocentaurum dari?
perinde erit, atque si te sisti solummodo stipulatus essem: scilicet quòd inutilis sit adiuncta Hippo-
centauri stipulatio, ideoque nec possit priorem stipulationem nouare [i]. Porrò autem quæ fuerit
huius monstri contingendi occasio variè traditur. Aiunt Centauros viros fuisse Pelij Thessaliæ 3
montis accolas, a quibus primùm fuerit monstrata ratio ex equo dimicandi. Ferunt autem ac-
cidisse vt cùm fortè circa Peneum amnem sedentes aquarentur, quorum equi potantes habebant
immersa fluctibus ora, eam procul spectantibus speciem præbuisse, quàm in biformibus Hippocen-
tauris postea credula fabulosaque expressit vetustas. ¶ *Qui esse non possit.*] Hippocentauros esse
non posse multis verbis probare conatur Lucretius lib. 5. Et Galenus lib 3. de Vsu partiū, inuehitur 4
in Pindarum, qui finxerit ex hominibus & Magnesijs equis nasci potuisse Hippocentauros. Tul-
lius lib 2 de Natura deorum, Quis (inquit) Hippocentaurum fuisse aut Chimeram putat? Idem
rursus lib. 1. Tusculanarum Quæst. apertè negat vnquam fuisse Hippocentaurum. Certè apud Xe-
nophontem lib. 4. Κυρουπαιδ. dubitauit Chrysantas: qui multa loquens de Hippocentauris, addit
hanc conditionem, εἰ ἐγένοντο. Ne tamen omnino nihil fuisse hæc monstra putemus, facit, quod 5
Plinius lib. 7. testatur, se vidisse Hippocentaurum in melle allatum ex Ægypto, oblatumq; Clau-
dio Cæsari. Et asserit Hieronymus eiusmodi aliquod monstrum ab Antonio visum in solitudine.
Certè non magis ab hominum natura absunt capri, quàm equi: & tamen Satyros ex capra & ho- 6
mine commixtos fuisse in Subsolanis Indorum montibus tradit Plinius. Eiusmodique Satyrum
fuisse aliquando adductum ad Syllam scribit Plutarchus. Et memoriæ proditum est, sub Con-
stantino fuisse perductum Satyrum in ciuitatem Alexandrinam spectante omni populo, eiusq;
deinde cadauer sale conditum allatum Antiochiam, vt ab Imperatore videretur. Sed vt aliquan-
do esse potuerit Hippocentaurus: nemo tamen crediderit adhuc eiusmodi monstrum posse repe-
riri: ideoque non potest non esse inutilis eius promissio aut stipulatio. ¶ *Inutilis erit stipulatio.*] 7
In vniuersum tradit Paulus [k]; non posse obligationem consistere, si stipuler vt id fiat, quod na-
tura fieri non concedit: vel vt id detur, quod dari non potest.

§. Idem iuris est.

l L. inter stipulantē. §. sacram. De verb. oblig.
m §. sed si talis, supr. de legat.

¶ *Idem iuris.*] Totus hic locus sumptus est ex responso Pauli, cuius verba sunt [l] hęc: Sacram rem, 1
vel religiosam, vel vsibus publicis in perpetuum relictam; vt, forum, aut Basilicam, aut hominem
liberum; inutiliter stipulor. quamuis res sacra, profana fieri, aut vsibus publicis relicta, in priuatos
vsus reuerti, & ex libero seruus fieri possit. Porrò quod hic dicitur de stipulatione, locum etiam ha-
bere in legato, manifestum est ex ijs, quæ suo suprà loco dicta sunt [m].

Vel libe.

3 *Vel liberum hominem dari.*] Acsi liberum hominem, qui seruus putabatur, solùm tradi quis sti-
puletur, non erit inutilis stipulatio. Tum enim non de dominio eius, sed de sola possessione agi-
tur. Ideoque & liberi hominis, vel alienæ rei constat emptio & venditio bona fide facta [a]. nempe
quia non cogatur venditor dare, aut emptorem facere dominum, sed tantùm rem tradere, & eui-
ctionem præstare [b]. ¶ *Cuius commercium non habuerit.*] Is scilicet qui stipulatur. Inquit enim Vl-
pianus [c]: Multum interest, vtrum ego stipuler rem, cuius commercium habere non possum, an
4 quis promittat. Si stipuler rem, cuius commercium non habeo: inutilem esse stipulationem pla-
cet. si quis promittat rem, cuius commercium non habet, ipsi nocere, non mihi. Nec dissimile est
5 discrimen, quod Paulus [d] probat in Legatis: in quibus & illud præterea interesse, ex qua tandem
peculiari causa non habeat legatarius rei legatæ commercium, suo loco annotauimus. ¶ *Vel rem*
6 *suam.*] Quod nobis proprium est, amplius nostrum fieri non posse suprà docuit [e] Iustinianus; &
7 nos eo loco docuimus, quo modo sit inutile rei propriæ legatum. quæ quidem trahi possunt ad sti-
8 pulationem. Huc præterea pertinet id, quod postea tradit Iustinianus [f]; Quod cuiusquam est, id
ei dari non oportere. Vnde & Vlpianus respondit [g]; Neminem vtiliter stipulari rem suam futu-
ram, in eum casum, quo sua fit. Sed nec si quis sibi rem suam dari simpliciter stipuletur, valere sti-
9 pulationem docet idem Vlpianus [h]. Addit autem valere stipulationem, si quis expressim stipule-
tur eam sibi dari ex causa furtiua: quia scilicet tum propter eiusmodi consensum stipulantis domi-
ni videatur minui vis & obligatio furtiuæ condictionis, vt facilè inueniat stipulatio quod sarciat,
10 & in quo iuuet stipulatorem. Porrò posse nos vtiliter stipulari rem nostram nobis restitui, aut rei
nostræ precium nobis dari, docet idem Vlpianus [i].

a L. & liberi. l. sed Celsus. de contrah. emptio.
b L. ex empto. §. 1. de act. empt.
c L. multum interest. de verb. oblig.
d L. mortuo boue. §. Labeo de legat. 2.
e §. sed si rem legatarij. supr. de lega.
f §. sic itaque. inf. de actionib.
g L. neminem suam. 2. de ver. oblig.
h L. scire debemus. §. si à fure. D. allo vit.
i L. nemo rem suam. 1. de ver. oblig.

§. *Item contra.*

1 Si res promissa desinat esse in commercio citra culpam & moram promissoris, promissor liberatur.
2. 3 Obiectiones contrariæ solutæ.
4 Stipulatio semel sublata restitui non potest.
5. 7 Eorum quæ præsentis temporis obligationem non recipiunt, stipulatio non probatur.
6 Inciuile esse casum expectari hominis liberi.
8 Idem ad emptionem accommodari.
9 Non semper inspiciendum est quod euenire potest.

1 ¶ *Item contrà.*] Et hic locus petitus est ex eodem responso Pauli [k], qui superioribus illis suis
verbis, quæ paulo antè retulimus, hæc adijcit: Nam & cùm quis rem profanam, aut Stichum dare
promisit, liberatur, si sine facto eius res sacra esse cœperit, aut Stichus ad libertatem peruenerit:
nec reuocatur in obligationem, si rursus lege aliqua, & res sacra profana esse cœperit, & Stichus ex
libero seruus effectus sit: quoniam quidem vna atque eadem causa liberandi, & obligandi esset
2 quòd aut dari non posit, aut dari posit. Hæc Paulus: qui deinde quædam huic suæ sententiæ ve-
luti obijcit. nempe quòd naui dissoluta licet etiam dissolui eius obligatio videatur, tamen ea re-
stituta simul restituatur: & promissio certæ quantitatis vini, licet videatur cessasse non nato vino
3 primo prouentu, tamen postea vino nato, vis eius veluti etiam renascatur ac redintegretur. Sed
hæc dissimilia esse, nec quicquam superiori sententiæ officere probat idem Paulus; diluens eius-
modi contraria argumenta, quæ ipse commentus erat. Verùm id facit satis obscurè & confu-
sè: aut saltem eius verba nimis concisè & perturbatè relata sunt ab ipsis Rhapsodis Pandecta-
rum: sed alio loco plenius dilucidiusque referuntur [l]; vt multum lucis attulerit collatio. Verùm
quando hic Iustinianus non meminit eius loci, nos aliò transeamus. ¶ *Sine facto eius.*] Hoc
est; Citra vllam culpam aut moram promissoris. Nam alioqui eum nihilominus teneri docet i-
dem Paulus [m]: cuius verba quòd essent obscuriora, memini nos alio suprà loco [n] propius excussisse.
4 ¶ *Extinguitur stipulatio.*] Adeò vt semel in perpetuum sublata, restitui non posit, vt iam ex
Paulo dictum est.
¶ *Ac nec statim.*] Et hic locus ex eodem Paulo descriptus est, qui ait [o]: Adeò cùm liber homo
promissus est, seruitutis tempus expectandum non est, vt ne hæc quidem stipulatio de homine
5 libero probanda sit, Illum, cùm seruus esse cœperit, dare spondes? item, Eum locum, cùm ex sacro
religiosóve profanus esse cœperit, dare spondes? quia nec præsentis obligationem temporis reci-
pere potest: & ea duntaxat, quæ natura sui posibilia sunt, deducuntur in obligationem. Deinde
6 addit idem Paulus; Neque ciuile neque naturale esse, casum aduersamque fortunam expectari
7 hominis liberi: & de ijs rebus negocium rectè geri, quæ subijci vsibus dominioque nostro statim
posint: vt mirari non debeamus, si quod hic dicitur de stipulatione, idem Paulus trahat ad em-
8 ptionem, inquiens [p]; Liberum hominem scientes emere non possumus. Sed nec talis emptio aut
stipulatio admittenda est; Cum seruus erit: quamuis dixerimus futuras res emi posse. Nec enim
fas est eiusmodi casus expectare. Hæc ille. Vnde apparet hic locum non habere vulgatas illas iu-
ris regulas, quæ dictant; satis esse, dispositioné differri in illud tempus, quo res erit apta negocio,
9 de quo agitur [a]: & inspiciendũ esse, quod euenire potest [b]. ¶ *Et similia.*] Id referendũ est ad superio-
ra illa exempla rerum, quæ non sunt in commercio: nõ autem ad stipulationem rei propriæ Nam
si rem meam stipuler, cùm mea esse desierit, valebit stipulatio. Quemadmodũ & si rem meam sub
conditione stipulet. vtilis est stipulatio, si conditionis existentis tempore mea non [c] sit. Quod &
de emptione rei propriæ [d] & legato [e] responsum est.

k dic. l. inter stipulantem. §. sacram.
l L. qui res suas. §. aream. de solut.
m L. si seruum Stichum. §. sed si fit. de ver. oblig.
n In §. si res legata, supr. de lega.
o dic. l. inter stipulantem §. sacram.
p L. si in emptione. §. liberum. de contrah. empt.
a L. in tempus. de hæreds. instituen.
b L. Iulianus. D. qui & à quib.
c L. si rem meam. l. existimo. de ver. obli.
d L. existimo. de contrah. empt.
e L. cætera. §. 1. de legat. 1.

§. *Si quis alium. cum seq.*

1.3 Nemo factum alienum rectè promittit.
2 Alius hîc quis?
4 Quid, si quasdam rei venalis qualitates venditor promittat?
5 Si item pœna adiecta fuerit?
6 Rei impossibilis promissioni pœnam frustra adijci; an locum hîc habeat?
7 Qui alium sisti promittit, hoc promittit; id se acturū vt stet.
8 Vlpianus an id probet?
9 Spinosa minutia, & concisa responsa veterum Iurisconsultorum, quid ingenijs studiosorum afferant?
10 Quod quis promisit curare vt daretur, non potest stipulator statim petere.
11 Sua quisq; temeritatis pœnam luat.
12 Nemo alteri stipulari potest, nisi potestati eius subiectus sit.
13.14 Quæcunq; gerimus, cum ex nostro contractu originem trahunt, nisi ex nostra persona obligationis initium sumant, inanem actum nostrum efficiunt.
15 Ex bono & æquo an statui melius esset; Licere alteri stipulari.
16 Hodie Tabelliones stipulantur alteri, vt olim serui publici infantis nomine stipulabantur, cui proprius seruus non esset.
17 Filia matri, libertus patrono stipulari cur non possint?
18 Dotis nomine licere alteri stipulari.
19 Memoria tenendum; Agi hîc de Ciuili acquisitionis modo; deq; Ciuili acquisitione actionis; non de acquisitione naturali.
20 Quid, si numos meos tuo nomine dedero tanquam tuos?
21 In extranei personam solutionem rectè conferri.
22 Rem aliam non posse in meam personam, in Titij item aliam designari.
23 Filiofamiliâs stipulationi adiecto, posteaq; emancipato, rectè tamen soluitur.
24 Cur stipulator non etiam hæredum fidem secutus sit?
25.26 Illud Pauli; nihil interesse, iubeam te Titio soluere, an ab initio stipulatio ita concepta sit; vbi locum habeat?
27 Aliquando hîc Mandati, aliquando Negociorum gestorum actionem competere.

¶ *Si quis alium.*]Hic quoque locus natus videtur ex eodem responso Pauli, qui inquit[a]; Inter stipulantem & promittentem negocium contrahitur. Ita alius pro alio promittens daturum facturúmve eum, non obligatur. Nam de se quenque promittere oportet. Sic & Vlpianus (in- 1
quit[b]) alienum factum promittendo obligatur; & ita vtimur. ¶ *Alium.*] In quem nihil iuris ha- 2
bemus, cuique non possimus imperare: vt intelligas alium hic non haben seruum, nec item hæredem. Imò qui se obligat, ne quid ipse faciat, videtur etiam complexus personam sui hæredis, ne ipse quoque id facere possit[c]. Porrò autem alium hîc intelligimus etiam reum principalem, respectu fideiussoris. Itaque respondit Hermogenianus[d]; Sicut reus principalis non aliàs, quàm si de sua persona promittat, obligatur: ita fideiussores non aliàs tenentur, quàm si se quid daturos vel facturos promittant. Nam reum principalem daturum aliquid vel facturum frustra promittunt: quia factum alienum inutiliter promittitur. ¶ *Daturum facturúmve quid.*] Quod non pertinet ad 3
eius obseruationem, cuius nomine prius erat obligatus promissor. alioqui valeret stipulatio. vt si ita debitor promittat; Titium fideiussurum[e]. Sed & si non omnino promittatur factum alie- 4
num: sed quasdam modò qualitates rei venalis venditor promittat, vtilis est promissio, & continet id quod interest. veluti si quis promittat seruum, quem vendit non esse fugitiuum[f]. ¶ *Non* 5
obligabitur.]Si tamen adiecta fuerit pœna, eam præstabit[g]. Nec eum excusabit, quòd sua cura & sedulitate nihil proficiat. Sciens enim prudensque hoc totum sibi intriuit: totum itaque ipse exedat. Et quanquam dicere soleamus; frustra pœnam adijci promissioni rei impossibilis[h]: tamen 6
hoc eum nequaquam excusat. Id enim tantùm habet locum, vbi per rerum naturam impossibilis esset promissio, sic vt omnino prestari nequeat; non etiam vbi fortè propter alterius morosam difficultatem non esset in mea potestate: veluti quia non possum ab alio impetrare, quod de eo promisi. Sed de hac pœnæ promissione, subiecta promissioni alieni facti, agit paulo pòst Iustinianus: quanquam aptius erat hoc loco illud addere, semelque absoluere certo ordine quicquid pertinet ad stipulationem alieni facti. ¶ *Quod si effecturum se.*] Cuiusmodi interpretatio ad sustinendum id quod agitur, nō raro tacitè fit in solennibus illis Prætorijs stipulationibus, Ratā rem dominum habiturum; qua contineri intelligitur quòd intersit stipulatoris, si dominus ratum non habeat[i]: non secus atque si quis nominatim spopondisset se effecturum, vt dominus ratum haberet. Idem & si quis promittat alium sisti. Sic enim ab Vlpiano responsum est[k]: Quoties quis alium sisti promittit, nec adijcit pœnam, puta vel seruum suum vel hominem liberum, quæritur an committatur stipulatio. Et Celsus ait, & si non est huic stipulationi additum, nisi steterit, pœnam dati? id quanti interest sisti, contineri. & verum est quod Celsus ait. Nam, qui alium sisti promittit, hoc 7
promittit, id se acturū vt stet. Et ad hunc modum Paulus interpretatus videtur has stipulationes, DOLVM MALVM ABESSE, &, HABERE LICERE. Sic enim scribit[l]: Qui spondet dolum malum abesse, abfuturumque esse, non simplex abnutiuum spondet: sed curaturum se, vt dolus malus absit. Idemque in illis stipulationibus; Habere licere. Sed hanc interpretationem, qua facilè 8
sustinerentur omnes alieni facti promissiones, non videtur probasse Vlpianus[m]. Is enim apertè docet; si quis de alio quàm suo aut hæredis dolo agat, adijciendam esse stipulationē pœnæ, aut eius quod interest. Cuiusmodi sanè adiectione non videretur opus, si locus esset interpretationi Pauli.

Deinde

a dic. l. inter stipulantem.
b L. stipulatio ista. de ver. oblig.
c dic. l. stipulatio ista.
d L. sicut reum. de fideiuss.
e L. qui autem. §. 1. de constit. pec.
f L. si ita quis. de euict.
g L. stipulatio ista habere licere. §. at si quis. de ver. oblig. l. tantum. C. de fideiuss.
h L. si homo mortuus. de ver. oblig.
i L. 2. l. in stipulatione qua procurator. D. rem rat. habe.
k L. quoties. de ver. oblig.
l L. inter stipulantē. §. 1. de ver. obl.
m L. stipulatio ista. §. si quis dolum. de ver. oblig.

Deinde idem Vlpianus non obſcurè reſpondit [a], hanc ſtipulationem; Habere licere; non videri — *a dic. l. ſtipulatio iſta.*
omnino vtilem: quia videatur reus promiſiſſe per omnes futurum, vt tibi habere liceat: nec obli-
9 getur quatenus promiſit alienum factum; hoc eſt; alterius, quàm ſuum ac hæredis. Vides lector
quas habeant ſpinas hæ minuriæ, & quas cruces ingenijs ſtudioſorum adferant conciſa veterum
10 Iuriſconſultorum reſponſa. ¶ *Effecturum ſe, vt Titius daret.*] Valet etiam ſtipulatio, dari, curari? ſed
liberabitur promiſſor, ſi locupletem reum ſiue idoneum expromiſſorem dederit. ideo non pote- — *b L. illa ſtipulatio. §. 1. de ver. obl. l. vlt. in fi. D. ſi cert. pet. cond.*
11 rit ſtipulator omnino id ſtatim petere, quod quis promiſit curare, vt daretur [b]. ¶ *Obligatur.*] Ve-
rè enim promiſit factum ſuum: cuius ſi is non fuerit, quem ſperabat, ſucceſſus, ſibi imputet. pœ-
nam certè ſuæ temeritatis luet, præſtabitque id quod ſtipulatoris intereſt.
12 ¶ *Si quis alij.*] Inquit Vlpianus [c]: Alteri ſtipulari nemo poteſt, præterquam ſi ſeruus domino, — *c L. ſtipulatio iſta. §. alteri de ver. obl.*
vel filius patri ſtipuletur. Addit deinde Vlpianus multa, quæ huc pertinent: ſed ea paulo pòſt ipſe — *d §. alteri. inf. hoc tit.*
quoque Iuſtinianus addit [d], veluti de pœna eiuſmodi ſtipulationibus adijcienda. Et mirum eſt
Iuſtinianum hæc diuiſiſſe, quæ re ipſa cohærent. Porrò vt confirmemus regulam, quæ hoc loco
31 traditur, admonendi ſumus generalis illius Pauli axiomatis [e]: Quæcunque gerimus, cùm ex no- — *e L. quæcunque. de act. & oblig.*
ſtro contractu originem trahunt, niſi ex noſtra perſona initium obligationis ſumant, inanem
noſtrum actum efficiunt: & ideo neque ſtipulari, neque emere, vendere, contrahere, vt alter ſuo
nomine rectè agat, poſſumus. Huc quoque pertinet & illud quod inter Iuris regulas refertur [f], — *f L. Quintus Mutius. §. vlt. de reg. iur.*
14 Nec paciſcendo, nec legem dicendo, nec ſtipulando, quiſquam alteri cauere poteſt. Tractatur &
hic locus multis principum reſcriptis [g]. ſed tot habet variarum diſtinctionum anfractus, totque — *g L. 3. & l. vlt. C. de inuti. ſtip. l. ſi generos. C. de iure dot. l. 1. C. per quas perſo. no. acq.*
impetitur exceptionibus, vt neſcio an non melius fuerit; ſtatuere in vniuerſum ex bono & æquo?
15 licere alteri ſtipulari. Nec video quid in ea re poſsit eſſe incōmodi. Certè nos hodie hac in parte pa
16 rum moramur veteris iuris ſubtilitatem: ſolentque noſtri Tabelliones alteri ſtipulari, quemad-
modum & olim ſerui publici poterant ſtipulari infantis nomine, qui proprium ſeruum non ha-
17 beret [h]. ¶ *Quam ei, cuius iuri ſubiectus ſit.*] Veluti patri vel domino. Sed filia matri [i], aut libertus pa- — *h L. 2. D. rem pup. ſal. fo.*
trono [k] ſtipulari non poteſt, neque enim in matris iure vel poteſtate eſt filia, aut libertus in pote- — *i L. debitor. §. vlt. D. ad Trebell.*
18 ſtate patroni. Ne quis tamen nimis ad viuum vrgeat hanc exceptionem, quaſi confirmet regu-
lam vbi non eſt exceptum: admonendi ſumus; ſingularem quoque dotis fauorem excipiendum — *k L. ſi quis ita ſtipulatus §. Chryſogonus. de ver. oblig.*
eſſe, quia eius nomine aliquando liceat alteri ſtipulari [l]. Sunt alij caſus vbi alteri ex alterius con-
19 tractu quæritur actio, ſaltem ex bono & æquo: ſed infinitum foret omnia perſequi. ¶ *Stipuletur.*] — *l L. Caius. D. ſolut. matr. l. pater. C. de pact. conuen.*
Expende, hic agi de ciuili acquiſitionis modo, deque ciuili acquiſitione actionis. Cæterùm ſi age-
retur de naturali acquiſitione, veluti rei, quæ ſolam facti apprehenſionem deſiderat, aliud eſſet.
Sic enim reſpondit Modeſtinus [m]: Ea quæ ciuiliter acquiruntur, per eos qui in poteſtate noſtra — *m L. ea quæ. de acq. re. do.*
ſunt, acquirimus: veluti per ſtipulationem. Quod naturaliter acquiritur, ſicuti eſt poſſeſsio, per
20 quemlibet, volentibus nobis poſsidere, acquiritur. Huc pertinet; quòd ſi numos meos tuo nomi-
ne dedero velut tuos, ex ea numeratione poſsit tibi condictio acquiri, vt reſpondit Ariſto. [n] licet — *n L. certi condictio. §. ſi numos. D. ſi certū pet. cond.*
vbi numeráſſem tibi decem, ſi poſtea hæc alijs ſtipulatus ſim, ſit inutilis ſtipulatio, quæ in rem al-
terius interpoſita eſt [o]. quo nomine manet mihi condictio ex mutuo. — *o dic. l. certi. §. numerau.*
¶ *Planè ſolutio.*] Totum hunc locum diligenter tractat Caius. primùm enim ait [p]: Si ita ſtipu- — *p L. vlt. §. ſi ita ſtipulatum de ver. oblig.*
latus fuerit; Mihi aut Titio? & tu mihi daturum reſpondeas: ſecundum omnium opinionem ad
21 interrogatum te reſpondere conſtat, & mihi ſoli acquiri obligationem. Titio autem duntaxat re- — *q dic. l. vlt. §. cum mihi.*
ctè ſoluitur. Poſtea idem Caius [q] docet tempora diuerſa hic deſignari poſſe: veluti, Mihi Calendis
Ianuarijs, aut Titio Calendis Februarijs? Imò & citeriorem diem in Titij perſonam conferri poſſe.
Ad hæc poſſe perſonæ Titij addi conditionem, cùm mihi dare purè ſim ſtipulatus. Sed ſi contrà
fiat, inutilem eſſe totam ſtipulationem, niſi in meam perſonam aſcripta conditio extiterit. Nam
22 niſi à me vim acceperit obligatio, adiectio nihil poterit valere. Poſtremò dicitur, aliam quidem
rem in perſonam meam, aliam in Titij deſignari non poſſe: veluti, Mihi decem aut Titio homi-
nem? Si tamen Titio ea res ſoluta ſit, quæ in eius perſonam deſignata fuerit: licet ipſo iure non li-
beretur promiſſor, per exceptionem tamen defendi poſſe. — *b L. eum qui. §. qui filium ſuo de ver. obl.*
¶ *Etiam in extraneam.*] Multo magis in domeſticam [b]. Sed & in eam, quæ alioqui nec ipſa pro-
mittere, nec creditori poſſet ſoluere, veluti in pupillum [c]. ¶ *Solui tamen Seio.*] Saltem ſi in eodem — *c L. ſi ſtipulatus fuero mihi aut pupillo. de ſolut.*
ſtatu manſerit, nec conditionem mutârit in deterius. Nam alioqui non rectè ei ſoluetur: vt ſi in
adoptionem vel exilium ierit, vel aqua & igni ei ſit interdictum, vel ſeruus pœnæ factus ſit [d]. Sed — *d L. cùm quis ſibi. de ſol.*
nec quod ſeruo poterat ſolui, manumiſſo ac libero rectè ſoluetur [e]: Nempe quòd nouus homo
23 videatur [f]. Quod non eſt in filio emancipato. Itaque ſi filiusfa. fuerit ſtipulationi adiectus, rectè — *e L. ſi quis ſeruo. de ſolu.*
ei poſtea emancipato ſoluetur [g]. Porrò cùm negamus rectè ſolui ei, qui conditionem ſuam mu- — *f L. ſi hominem. de ſolu.*
24 tauit: ſatis apparet multo minus ſolui poſſe eius ſucceſſoribus [h]. Neque enim ſi fidem alicuius ſe-
cutus eſt ſtipulator, propterea ſecuturus quoq; erat fidem hæredū eius. non enim par eſt omnium — *g dic. §. qui ſibi aut filio.*
integritas: nec eſt virtutum defuncti, vt bonorum, hæreditaria ſucceſsio.
¶ *Etiam inuito eo.*] Saltem ſi nondum litem ipſe conteſtatus ſit. Sic enim reſpondit Vlpianus [i]: — *h L. cum quis ſibi. de ver oblig. l. ſi ſtipulatus ſum mihi. de ſolut.*
Si mihi aut Titio ſtipulatus fuero dari: deinde petam: amplius Titio ſolui non poteſt: quamuis an-
te litem conteſtatam poſsit. Certè ſi quis non eſſet à principio adiectus ſolutioni, ſed ex interual- — *i L. ſi quis ſtipulatus fuerit decem. de ſolu.*
lo conueniſſet vt ei ſolueretur, non omnino poſſe inuito ſtipulatore ei ſolui. reſpondit Proculus [k]: — *k L. ſi cùm Cornelium. de ſolut.*
qui etiam adijcit exemplum hoc ſimile; Sicuti ſi cùm pactum conuentum nullum interceſsiſſet,
mulier iuſsiſſet fundum Cornelio reddi, deinde antequam redderetur, vetuiſſet: non tutò redde- — *l L. ſi ita ſtipulatus ſim. de ſolut.*
25 retur. Vnde apparet hic non habere locum, quod Paulus ait [l]; Nihil intereſſe, iubeam te Titio

soluere, an ab initio stipulatio ita concepta sit. Nam si vetat stipulator alteri solui, multùm inter-
est: quia hic liceat reuocare ptiorem iussum: at non etiam id quod ab initio conuentum est. Vn-
de & Vlpianus[a] ait: Si quis mandauetit, vt Titio soluam, deinde vetuerit eum accipere: si igno-
rans prohibitum eum accipere, soluam, liberabor: sed si sciero, non liberabor. Alia causa est, si mi-
hi proponas stipulatum, aliquem, sibi aut Titio. hic enim etsi prohibeat me Titio soluere, soluen-
do tamen liberabor: quia certam conditionem habuit stipulatio, quam mutare non potuit sti- 26
pulator. hæc Vlpianus. Ergo tantùm habet locum superior illa Pauli sententia in eo casu, de quo
agit. nempe; vbi non inuito aut vetante stipulatore soluitur alteti. Illud postremò sciendum est,
vt inuito & vetante stipulatore nihilominus rectè solui potest ei, qui adiectus est solutioni: ita &
eo mortuo[b].

a L. vero procurato-ri. §. sed & si quis. de solut.

b L. Caim. D. solut. matr.

¶ *Rectè possit.*] Etiam si promissor simpliciter constituisset se soluturum stipulatoti. Sic enim
respondit Paulus[c]: Si ita stipulatus sim, Mihi aut Titio dare spondes? & debitor cōstituerit se mihi
soluturum: quamuis mihi competat de constituta actio, potest adhuc adiecto soluere. Addit de-
inde idem Paulus: Dum adiecto soluitur, mihi solui videtur: & ideo si indebitum adiecto solu-
tum sit, stipulatori posse condici Iulianus putat.

c dic. l. si ita stipulatus sim.

¶ *Vt liberatio ipso iure contingat.*] Etiam si ei fuerit solutum, cui alioqui, vero creditori soluen-
do, nulla contingeret liberatio: veluti pupillo. Sic enim respondit Pomponius[d]: Si stipulatus fue-
ro, Mihi aut pupillo dari? promissor sine tutoris authoritate soluendo pupillo liberabitur à me.
Sanè tamen si alibi quàm conuenerit. ei qui solutioni adiectus est, soluatur: non omnimodo con-
tingit liberatio, quin adhuc saltem peti posit, quod interest[e].

d L. si stipulatus fuero. de solut.

e L. 2 §. item Iulianus tractat. de eo quod cer. lo.

¶ *Habeat mandati actionem.*] Si mandârit, aut eo præsente nec contradicente, in eius personam 27
solucio collata sit: alioqui competet actio negociorum gestorum. Vt quando soluitur non procu-
ratori, nempe ei, cuius nomen stipulationi insertum est[f]: nec alio nomine ei soluitur, quàm quòd
sit adiectus solutioni.

f L. vero procuratori. §. 1. de solut.

§. *Quod si quis. cum seq.*

1 Quod extraneo inutiliter stipulatus sum, non auget meam partem.
2 Quid si quis ita dicat; Mihi & Titio decem?
3 In contractibus non est locus iuri accrescendi.
4 Quid, si res indiuidua esset promissa?
5 Patrem filio vtiliter stipulari, fallit num. 6.
7 Patrem & filium naturâ eandem prope esse personam.
8 Stipulanti mihi X. si tu XX. respondeas, contrahi obligationem tantum in X. & contra.
9 In contractibus oportere suffragari intentionem contrahentium.
10 Conciliatio Iustiniani cum Vlpiano.
11 Diuersitas qualitatis vel temporis vitiat stipulationem.
12 Quintas Calendas dici pro quinq; Mensibus.
13. 14 Qui simpliciter respondet, omnimodo videtur interrogationi astipulari.
15 Quæ in præfationibus conuenisse dicuntur, etiam in stipulationibus repetita videntur.
16 Actiones an filio contra patrem dari possint?
17 Tam ex contractibus quam ex delictu in filiumfa. competit actio.

¶ *Quod si quis sibi & alij.*] Hic locus sumptus videtur ex responso Pomponij, cuius verba sunt
hæc[g]: Si mihi & Titio, cuius in potestate non sim, stipuler decem: non tota decem, sed sola quin-
que mihi debentur. Pars enim aliena in obligatione deducitur: vt quod extraneo inutiliter stipu- 1
latus sum, non augeat meam partem. Hîc autem primùm notandum est, quod apertè Iulianus re-
spondit[h]: Eum qui ita stipulatur, Mihi & Titio decem dare spondes? vero similius est semper vnà
decem communiter sibi & Titio stipulati: sicuti qui legat decem Titio & Sempromo, non aliud
intelligitur quàm vnà decem communiter duobus legare. Atque hæc quidem disertè probat Vl-
pianus. Primùm enim ait[i], Si quis testamento Titio & Seio decem dati iusserit, nullam hæc verba
recipiunt ambiguitatem, vt dena dixisse videatur qui decem dixit. Deinde alio loco respondit[k]; 2
Eum qui ita dicat, Mihi & Titio decem: eadem decem, non alia decem dicere. Scio quidem eum
locum aliter vulgò legi. nempe, Eum qui dicat, mihi decem, & Titio decem, &c. Sed corruptam
esse eam lectionem ostendunt superiora responsa: atque adeò ratio sensus communis. Quis enim
credat repetita bis decem nō viginti sed decem efficere? Et memini Erasmum in quadam sua pur-
gatione aduersus epistolam Martini, nominatim admonere restituendum esse hunc locum semel
expuncta voce, decem. Porrò est aliud quod in superioti Pomponij responso notandum est, vt in- 1
telligamus rationem sententiæ. quam hic probat Iustinianus, & discrimen, quo differat hæc stipu- 3
latio à Legato: nempe; In contractibus non habere locum ius accrescendi: quanquàm sanè vbi res 4
indiuidua esset promissa, veluti seruitus, nihil alteri decrescat. sed etiā vni solida debeatur[l]: quem-
admodum & in vsufructu locum habere ius accrescendi traditum est[l]: Item & in re donata duo-
bus à Principe[m].

g L. si mihi & Titio. de ver. oblig.

h L. eum qui ita stipulatur. de ver. oblig.

i L. si quis testamento 89 de legat. 1.

k L. stipulatio ista. §. eum qui ita dicat. de verb. oblig.

l L. 1. §. vlt. de vsufr. accrescen.

m L. vnica. C. si Imp. liberalit. soc. sine hered. dec.

¶ *Et verò.*] Inquit Paulus[n], Dominus seruo stipulando sibi acquirit: sed & pater filio: secun-
dum quod leges permittunt. Id quod alio loco explicans idem Paulus, ait[o]; Quod dicitur pa- 5
trem filio vtiliter stipulari, quasi sibi ille stipuletur: hoc in ijs verum est, quæ iuris sunt, quæque
acquiri patri possint. Alioqui si factum conferatur in personam filij, inutilis erit stipulatio: veluti 6

n L. dominus seruo. de verb. oblig.

o L. quod dicitur. de verb. oblig.

2 Vt ei ire agere liceat? Contrà autem filius, vt ire, agere patri liceat, ſtipulando acquiret ei. Imò & quod in ſuam perſonam filius conferre non poteſt, hoc patri acquiret. ¶ *Quia vox tua tanquam fi-*
7 *lij.*] Iuſtinianus alio loco ait [a]; patrem & filium natura eandem penè eſſe perſonam. Et turſus alibi, filium eſſe ſcribit [b], partem quodammodo corporis paterni: vt vbi ſit pater, videatur & filius eſſe.

¶ *Veluti ſi quis decem.*] Iuſtinianus videtur parum aptè hoc loco proponere hoc exemplum: & perperam confundere cum ſequentibus, cùm quidem magnum ſit diſcrimen: quod etiam perſpicuè notârat Vlpianus, ex cuius reſponſo deſumpta eſt regula, quam hîc Iuſtinianus tractat. Nam in ſequentibus exemplis prorſus eſt inutilis ſtipulatio, propter adiectionem diuerſæ qualitatis: cuius pugnans diuerſitas non poſsit commodè tolli vlla naturali interpretatione. At in quantita-
8 te aliud eſt: quia facilè ſeparatur. Itaque inquit Vlpianus [c]; Si ſtipulanti mihi decem, tu viginti reſpondeas: eſſe contractam obligationem, ſaltem in decem. Econtrariò quoque, ſi me viginti interrogante, tu decem reſpondeas, in decem eſſe contractam. Et ſubijcit Vlpianus hanc rationem: Licet enim oporteat congruere ſummam: attamen manifeſtiſsimum eſt, in viginti & decem ineſſe. Et ſanè conſtat ex communi & naturali ſenſu, minorem ſummam ſemper ineſſe maiori. Non eſt tamen id omnino ſatis, quod attinet ad contractus, (qui ex noſtra mente & voluntate legem
9 accipiunt) ſed oportet ſuffragari intentionem contrahentium: vt appareat eos de minori ſumma æquè aut multo magis quàm de maiori conueniſſe: conſtetque omnes in minorem ſummam conſenſiſſe [d]. Alioqui is qui ſe aſtrinxit maiori quantitati, à qua non videtur facilè diſceſſurus, non intelligetur conueniſſe de minori. Vnde Pomponius, Si (inquit [e]) decem tibi fundum locauero: tu autem exiſtimes quinque te conducere, nihil agitur: quia omnino non eram minoris locaturus, quàm decem, nec vllo modo in quinque conſenſurus. Sed ſi ego minoris me locare ſenſero, tu pluris te conducere: vtique valebit conductio, ſicuti ego putaui. Conductor enim æquè, atque adeò magis intelligitur in eam minorem ſummam conſentire. Hæc ille. Ergo ſi venditionis aut locationis cauſa ſtipularer decem: tu quinque promittas, ne in quinque quidem valebit ſtipulatio. neque enim tum in meam fraudem conſentire intelligor in minorem ſummam. at vbi gratuita eſt promiſsio & liberalis: facilius intelligitur, qui decem conſequi non poteſt, quinque ſaltem non repudiare. Ac iuxta hæc quidem videtur accipiendum Vlpiani exemplum, vbi qui decem ſtipulanti, promittit viginti, facilè daturus eſt decem: vt ſpontanea maioris ſummæ promiſsio, vltroq; adiectum auctarium καὶ ἐπίμετρον [atq; additamentum] tantùm ſit argumẽtum maioris cuiuſdam liberalitatis, & generoſi animi, qui vix patiatur ſe rogari, nulloque modo cunctetur præſtare quod rogatus eſt. Contrà is qui viginti ſtipulatus, non ſit aſpernaturus decem, ſi promittantur: nec ita mordicus tenax maioris ſummæ, neque adeò impatiens omnis repulſæ, vt reijciat minorem, ſi of-
10 feratur. Cæterùm in exemplo quod hîc proponit Iuſtinianus, ſi omnino inutilis eſt ſtipulatio, vt ipſe ait, oportet alios omnino fuiſſe animos contrahentium, quàm in illo ſuperiori reſponſo Vlpiani: nempe adeò moroſos & pertinaces, vt qui decem promittit, non ſit daturus quinque: nec velit ſponſionem ſuam diuidere, ſed aut totam valere, aut totam corruere. Contrà qui ſtipulatur decem, contemnat quinque: nec ferat vllam repulſam, potius cariturus toto, quàm partem acceptutus. Sic vt non poſsint videri in minori ſumma conſenſiſſe, & appareat omnino pugnare cum interrogatione reſponſionem. Quòd ſi quis vrgeat hîc non conſtare eiuſmodi fuiſſe animos contrahentium, nec in dubio intelligi poſſe huiuſmodi fuiſſe: is non aliud fecerit, quàm Iuſtinianum accusârit, omnique excuſationis colore prorſus ſpoliârit, quod parum explicuit, nullaque ratione illuſtrauit ſuam huius loci ſententiam: cui alioqui nec naturalis ratio ſuffragetur, nec veterum Iuriſconſultorum aſſentiantur reſponſa. Poſſemus fortè alios comminiſci diuinatricis interpretationis colores: ſed ſi ſit vllus commentis aut coniecturis locus, non video iuſtius commentum,
11 quàm ſuperioris diſcriminis. ¶ *Aut ſi ille purè.*] Inquit Vlpianus [f], Si quis ſimpliciter interrogatus, ſub conditione reſponderit, Si illud factum erit, dabo: non obligari eum conſtat. & ſi interrogatus, Intra Calendas quintas dabis? reſponderit, Dabo Idibus: æquè non obligatur. non enim ſic reſpondit, vt interrogatus eſt. Et verſa vice, ſi interrogatus fuerit ſub conditione, & reſponderit purè: dicendum erit, eum non obligari. Hæc Vlpianus. In cuius reſponſo obiter notandum eſt, quin-
12 tas Calendas dici pro quinque menſibus. Cuiuſmodi loquendi ratio ducta eſt à fœneratorum conſuetudine, qui vſuras ſtipulabantur in ſingulas Calendas. Sic accipienda eſt & illa ſtipulatio [g], Centeſimis Calendis dare ſpondes? hoc eſt, intra centum menſes, ſiue octo annos & quatuor menſes. Meminit Celſus [h] etiam tertiarum Calendarum. ¶ *Tu ſub conditione.*] Quæ ſcilicet alioqui tacitè non inerat, nec intelligebatur. Alioqui enim non obeſſet expreſſa conditio vt ſi ſimpliciter ſtipuler fructus naſcituros, & tu reſpondeas, vltro expreſſa hac conditione, Si naſcantur: valebit ſtipulatio, cùm eiuſmodi conditio tacitè inſit ipſi quoque puræ & ſimplici interrogationi [i]. ¶ *Breui-*
13 *ter videris.*] Qui enim ſimpliciter reſpondet, videtur omnimodo aſtipulari interrogationi, eiuſque formulam approbare. Nec poteſt iuſtior eſſe aut certior reſponſionis interpretatio, quàm ex interrogatione. Vnde ſi quis interrogatus, An ex dimidia parte hæres ſit, reſponderit, Hæres ſum:
14 docuit Vlpianus [k], magis eum intelligi reſpondiſſe ad interrogatum. Eſt & alia cauſa, cur in dubio promiſsio intelligatur iuxta interrogationem: nempe, vt valeat quod agitur [l], ac ne ſit in arbitrio promiſſoris an obligetur, aut in eius poteſtate eludere vim promiſsionis, cauſando ſeſe alia mente reſpondiſſe. ¶ *Neque enim neceſſe eſt.*] Nam & reſpondit Paulus [m]; Plerunque ea, quæ in
15 præfationibus conueniſſe dicuntur, etiam in ſtipulationibus repetita videri: ſaltem ſi ex ea repetitione inutilis non efficiatur ſtipulatio.

a L. vlt. C. de impub. & ali. ſubſt.
b L. cùm ſcimus §. vlt. C. de agri. & cenſ.
c L. 1. §. ſi ſtipulanti. de verb. oblig.
d L. diem proferre. §. ſi plures de arbitr.
e L. ſi decẽ. D. locati.
f L. 1. §. ſi quis ſimpliciter. de verb. oblig.
g L. centeſimis. de verb. oblig.
h L. ſi liber homo. §. ſi ita ſcriptum fuerit. de hæred. inſtit.
i L. interdũ. de verb. oblig.
k L. ſi ſine. §. qui interrogatus. de interro. act.
l L. quoties in ſtipulationibus. de ver. obli.
m L. Titia. §. 1. de verb. oblig.

a L. actiones. de act. et oblig.
b L. lis nulla. de indic.

¶ *Item inutilis.*] Inquit Pomponius[a]; Actiones aduersus patrem filio præstari non possunt, 16
dum in potestate eius est filius. Et Caius[b], Lis (inquit) nulla nobis esse potest cum eo, quem in po-
testate habemus, nisi ex castrensi peculio.

c L. eam ex contractibus. de iudic.

¶ *Alijs obligari possunt.*] Inquit Vlpianus[c]; Tam ex contractibus quàm ex delictis in filiumfa. 17
competit actio. Quomodo autem ex hac obligatione conueniri possit pater aut filius, suo postea
loco dicemus, cùm agetur de ijs, quæ gesta sunt cum eo, qui est in aliena potestate.

§. *Mutum. cum seq.*

1 Stipulatio sine verbis solennibus concipi non potest.
2 Surdus cur à stipulationibus omnino repelli nequeat?
3 In negocijs contrahendis alia est causa furiosi, alia pupilli.
4 Prodigus vbi furioso comparetur?
5 Furor superueniens, rectè facta non rescindit.
6 Lex olim Lectoria quæ?
7 Qui loqui potest, & stipulari & promittere potest.
8 Impossibilis conditio affirmatiuè concepta, stipulationem vitiat.
9 Modum impossibilem non nocere.
10 Quid, si impossibilitas sit in substantia dispositionis?
11 Res Cæsaris frustra ab alio legari.
12 Et bona fidei contractibus conditiones impossibiles nocere.
13 Vltimas voluntates cur non vitiet imposs. conditio?
14 Impossibilia alia per rerum naturam, alia de iure. num. 18.
15. 16 Quid, si de conditione perplexa sit quæstio?
17 Conditio difficilis non obest obligationi.
19 Stipulatio æstimanda est, secũdum ius præsentis non futuri temporis.
20 Negatiuè inserta stipulationi conditio impossibilis, fit pura & necessaria.
21. 22 Restituta & explicata L. hoc iure. 10. de verb. oblig.
23 In contractibus bonæ fidei, quomodo ex conuentione quæ ad certum tempus inita sit, statim agi possit?
24 Quid, si in faciendo impossibilis conditio in institutione hæredis sit expressa?
25 Sub impossibili conditione verbis negatiuis cõcepta, affirmatiuè stipulamur inutiliter.

d L. 1. de verb. oblig.
e L. 1. §. vlt. de act. & obligat.
f L. discretis. §. si e-nim. C. de ijs qui test. fac. poss.
g L. mutus. de ædil. edict.
h L. item Offilius. §. vlt. de ædil. edict.

¶ *Mutum.*] Inquit Vlpianus[d]: Stipulatio non potest confici, nisi vtroque loquente. Et ideo 1
neque mutus, neque surdus, neque infans stipulationem contrahere possunt. Paulus autem (ex
quo videtur hic locus descriptus) ait[e]; Mutum nihil pertinere ad obligationem verborum, natu-
ra manifestum est. Sed & de surdo idem dicitur: qui (etiamsi loqui possit) siue promittat, verba sti-
pulantis exaudire debet: siue stipuletur, debet exaudire verba promittentis. Vnde apparet, non
de eo surdo nos loqui, qui tardius exaudit: sed qui omnino non exaudit. ¶ *Qui omnino non audit.*]
Sed cùm ipse Iustinianus alibi fateatur[f]; nullum esse, qui penitus non exaudiat, si quis supra cere-
brum illius loquatur, secundum quod Iubentio Celso placuit: non potest omnino surdus repelli 2
à stipulationibus. Sed mutus omnino potest, si modò is sit qui omnino loqui nequeat. Cæterùm si
quis loquatur ἀσαφῶς, [obscurè,] non debet iudicari mutus[g], sicuti nec balbus, blesus, aut atypus[h]
(qui verba non satis exprimit siue conformat.)

i L. in negocijs. de reg. iur.

¶ *Furiosus nullum.*] Videtur hic locus desumptus ex responso Pauli, cuius verba sunt hæc[i]: In
negocijs contrahendis alia causa habita est furiosorum: alia eorum qui fari possunt, quamuis actũ 3
rei non intelligant. Nam furiosus nullum negocium contrahere potest: pupillus omnia negocia
tutore authore gerere potest. Nos addere possumus eum etiam sine tutore posse sibi stipulari, quod
non potest furiosus; vti hoc loco docet Iustinianus. Sed quid dicemus de prodigo, cui bonis inter- 4
dictum est? Et sanè quod attinet ad sese obligandum, comparatur furioso, cùm etiam sibi relictus

k L. 1. de cura. fur. l. Fulcinius. §. planè. D. ex quib. cau. in poss. ea.
l L. is cui bonis. de verb. oblig.
m L. si à reo. §. si à furioso. de fideiusso.
n L. certi conditio §. idem queri. D. si cert. peta. cond. & dict. l. is cui bonis. de ver. obl.
o L. qui furere. de sta. homi. l. patre furioso. de ijs qui sui sunt vel alie. iur.

æquè futiosum faceret bonorum suorum exitum[k]. Itaque nec magis pro eo poterit fideiussor in-
teruenire, quàm pro furioso, vt ait Vlpianus[l]. Pro furioso autem quàm non possit interuenire, sa-
tis explicat Caius, inquiens[m]: Si à furioso stipulatus fueris, non posse te fideiussorem accipere, cer-
tum est: quia non solùm ipsa stipulatio nulla intercessisse, sed nec negocium quidem vllũ gestum,
intelligitur. Cæterùm quod attinet ad acquirendum, magis pupillo similis est prodigus, quia &
stipulando sibi acquirat[n]. ¶ *Nullum negocium.*] Non modò contractum, sed nec testamentum,
nec item matrimonium. Quod tamen ante furorem habuit, retinet, nec furor superueniens rescin 5
dit quicquam rectè factum[o].

¶ *Pupillus omne negocium.*] Hoc est, contractum. Testamentum autem omnino facere non po-
test, quemadmodum suo loco diximus. ¶ *Ita tamen, vt vbi tutoris authoritas.*] Suo loco satis multa
dicta sunt de tutoris authoritate, simul & de illo pupillorum bono, qui conditionem suam sine tu
tore meliorem facere possunt, deteriorem non possunt, & alios sibi obligare, cùm ipsi alijs non ob-
ligentur. Nunc verò eadem illa repetere & inculcare, hominis fuerit ocio suo, & lectoris patientia
abutentis. Itaque illud solum, quod maximè huc pertinet, commemorabo; Suetonium testari; o- 6
lim fuisse Legem Lectoriam, quę vetabat minorem vigintiquinque annis stipulari, hoc est, inter-
rogari vt promitteret. Ita enim eo loco in passiua significatione stipulandi verbum accipiendum

p L. 1. § furiosum. de act. & oblig.

est. ¶ *Sed in proximus infantia.*] Apertior est totus hic locus apud Paulum, cuius verba sunt hæc[p]:
Furiosum siue stipuletur, siue promittat, nihil agere, natura manifestum est. Huic proximus est,
qui eius ætatis est, vt nõdum intelligat quid agatur. sed quo ad hunc, benignius acceptũ est. Nam
qui loqui potest: creditur & stipulari & promittere rectè posse. ¶ *Sed qui in potestate parentis.*] In- 7

a L. vlt. §. 1. de verb. obligat.

quit Caius[a]: Pupillus licet ex quo fari cœperit, rectè stipulari potest: tamen si in parentis potestate
est, ne authore quidem patre obligatur: pubes autem, qui in potestate est, perinde ac paterfam.
obligari

obligari solet. Quod autem in pupillo dicimus, idem & in filiofa. impubere dicendum est. Hæc ille. Nec est obscura discriminis ratio inter patrem & tutorem: nempe quòd non pertineat ad obligationes contrahendas patris potestas, sicut tutoris authoritas.

¶ *Si impossibilis.*] Videtur hic locus sumptus ex responso Pauli, quod extat his verbis[a]: Impos-
8 sibilis conditio, cùm in faciendo concipitur, stipulationibus obstat: aliter atque si talis conditio
inseratur stipulationi, Si in cœlum non ascendero. Nam hæc vtilis & præsens est, & pecuniam cre-
9 ditam continet. ¶ *Conditio.*] Modus verò impossibilis non nocet, veluti si promisero tibi decem,
vt digito cœlum tangas. Quòd si impossibilitas (vt ita loquar) neque in modo sit, neque in condi-
10 tione: sed in substantia ipsius dispositionis, vt loquuntur; certè eam omnimodo corrumperet: ne-
que modò stipulationi obesset, sed etiam vltimæ voluntati, Paulus[b] ait; si stipuler, vt id fiat aut de-
tur, quod natura fieri non concedit, aut dari non potest: obligationem non consistere, sicuti & re-
11 sponsum est; Res Cæsaris ab alio frustra legari, cùm haberi non possint[c]. ¶ *Obligationibus.*] Non
12 modò stipulationibus, sed & ipsis bonæ fidei contractibus[d]. Nam intelliguntur contrahentes lu-
dere, nec quicquam seriò agere voluisse, qui vltro adijciunt cōditionem, quam sciunt impleri non
13 posse[e]. Sed in vltimis voluntatib. aliud esse, dictū est[f]. In ijs enim ἀδυνάτως conditio pro non scri-
pta habetur, inquit Iulianus[g]. Nā & nihil hîc est quod imputetur legatario vel hæredi. Est autem
quod stipulatori imputetur, qui non reiecit conditionem impossibilem vel apertius legem non
dixit[h]. ¶ *Nihil valet stipulatio.*] Paulus ait; inutilem esse[i]; & alio loco; nullius esse momenti[k]; Vl-
pianus verò nullam[l]. ¶ *Impossibilis autem conditio habetur.*] Ergo hîc tantùm agit Iustinianus de
14 conditione, quæ per rerum naturam omnino non potest impleri. Quod autem attinet ad condi-
tionem quæ iure habetur impossibilis, vt quia turpis est, dicam postea. Quòd si quæratur de con-
15 ditione perplexa, & quæ semper in sese recurrens, vix potest exitum inuenire: veluti, Promitto tibi
fundum, si Caio eum non dedero: Deinde rursus eundem Caio promitto, si tibi non dedero: re-
spondit Pomponius[m], non ideo prorsus inutilem esse stipulationem. Nam finem dandi alteri fo-
re, cùm iudicium acciperetur, & occupantis fore actionē. Quibus verbis significat, ludibrium in-
uoluti illius asystati posse sisti, & fallacem illum gyrum contineri, lite ab altero stipulatore conte-
stata: cuius occupatione præcidantur omnes desultoriæ ludificationis ambages: nec possit reus al-
teri, quàm agenti soluere. Ei autem vbi soluerit, aduersus alterum stipulatorem tutus erit[n]. Idque
non modò in duobus reis stipulandi receptum est: sed & in legatarijs duobus[o]. Cæterùm vbi adeò
16 perplexa esset conditio, vt nullo modo possit explicari: ea nō modò stipulationem vitiaret, sed &
hæredis institutionē[p]: cui tamen alioqui non solet obesse impossibilis conditio. Postremò illud
17 notandum est; conditionem, quæ non sit omnino impossibilis, sed tantùm difficilis, non obesse
obligationi. Generaliter enim (inquit Venuleius) causa difficultatis ad incommodum promisso-
ris, non ad impedimentum stipulatoris pertinet. ¶ *Cum natura.*] Idem et si Iuris non modò natu
18 talis, sed & Ciuilis ratio sit impedimento. Vnde cùm quis stipulatus aliquid esset sub hac conditi-
one; Si Titius rem sacram vel publicam vēdiderit: respondit Venuleius;[b] Quia conditio iure non
possit impleri, nullius momenti fore stipulationem: perinde ac si ea conditio, quæ natura impos-
sibilis est, inserta esset. Nec ad rem pertinere, quòd ius mutari potest: & id quod nunc impossibilis
19 est, postea sit possibile fieri. Non enim secundum futuri temporis ius, sed secundum præsentis, æsti-
mare debere stipulationem. ¶ *Impedimento est.*] In vniuersum scilicet. Cæterùm si ab eo stipulatus
sim, qui efficere non possit, cùm alijs possibile sit, iure factam esse obligationem, Sabinus scribit.
20 ¶ *At si ita*] Vulgò dici solet; Quod natura impossibile est, conuersum in negationem, fieri pu-
rum & necessarium. Itaque & cum eo, qui ita promisit, Si intra Calendas digito cœlum non teti-
gerit: agi protinus potest, vt Paulus[d] respondit. Cæterum si à principio certa & impossibilis non
fuisset conditio: commissa stipulatione quod ad conditionem, diem tamen adiectum esse expe-
ctandum, idem Paulus eodem loco significat. Neque repugnat, quod ex Pomponio paulò pòst
21 subijcitur[e]: si pro, NEQVE VENIRE legatur, vt in melioribus codicibus legitur NEQVE VE-
NISSE. Est enim hic eius loci sensus: Ex hac stipulatione, si Titius intra Calendas proximas non
venerit in Italiam, dari? non antè quicquam peti posse, quàm Calendæ præterierint, & explora-
tum sit; Titium ante Calendas non modò venire non posse, sed neque venisse. neque rursus ob-
stat, quod responsum est[f]; pœnam stipulationi facti adiectam committi, si tantum tempus
præterierit, vt ante tempus tacitè adiectum fieri, quod conuenit, non possit. Nam respondeo li-
cet pœna commissa sit, quod ad conditionem: diem tamen superesse, ante quem peti non possit[g].
Quod & Papinianus significat, cùm negat ante tempus finitum committi stipulationem. Intelli-
git enim sic nō committi, vt etiam agi possit ante tempus finitum. Scio in hoc genere vulgarē esse
22 distinctionē, vtrum à principio fortuita fuerit conditio, an arbitraria: vt in illa dies expectetur: in
hac nō expectetur. Sed cōmentitia videtur talis distinctio, & veterib. Iurisconsultis ignota, neque
aliūde nata, quā ex corrupta lectione eius loci, quē dixi. Sanè cū ita in testamēto scriptū esset; Si in
quinquēnio proximo, Titio filius natus nō erit, tū decē Seio hæres dato: & Titius ante quinquen
niū mortuus esset: nō dubitauit Pōponius; Seio decē statim nō deberi: quia hic articulus, TVM, ex-
tremi quinquennij tēpus significet[h]: Verū & si hic articulus adiectus nō esset, idē responderi posse
23 videtur.[i] Illud fateor; in contractibus bonæ fidei, ex conuentione, quæ ad certum tempus inita sit,
statim agi posse, si medio tempore commissa sit. Sic enim Paulus respondit[k]; Si fundus in quin-
quennium pensionibus locatus sit, posse dominum, si deseruerit habitationem colonus, cum eo
statim agere. Sed & cùm quis in testamento scripsisset; Instituo Titium, si intra duos menses

adieris

a L. impossibilis. §. de verb. oblig.
b L. si stipuler. de ver. oblig.
c L. apud Iulianum. §. constat. de legat. 1.
d L. non solum. de act. & oblig.
e dict. l. non solum. & l. cū hæres. §. 1. de statulib. l. an inutilis. de acceptil.
f §. impossibilis. supr. de hæred. instit.
g L. ab omnibus. §. in testamento. de lega. 1.
h L. cùm quæritur. de reb. dub.
i L. 1. §. item sub impossibili. de act. et oblig.
k L. non solum. de act. & oblig.
l L. certi. §. idem quæri. D. si cert. pet. condi.
m L. si Titium. de ver. obligat.
n L. si quis duobus. de constit. pec.
o L. si Titio. de lega. 2.
p L. si Titius. de condit. instit.
a L. continuus. §. illud, in fi. de verb. oblig.
b dict. l. continuus §. cùm quis.
c dict. l. continuus. §. si ab eo.
d L. in illa stipulatione. in fi. De verb. obl.
e L. hoc iure, [illegible] verb. oblig.
f L. cùm sim stipulatus à reo Proculo. de verb. oblig.
g L. in illa. de verbo. oblig.
h L. 4. §. 1. de cond. & demonst.
i d. l. in illa. de verbo. oblig.
k L. si in lege. §. si domus. locati.

adierit hereditatem: Si non adierit, Caium: responsum est, statim atque certum erit, Titium adire
non posse, locum fore Caio substituto: neque amplius finem duorum mensium expectari[a]. Nam
& alioqui videri posset defunctus aliquo tempore intestatus, & sine hærede esse: quod nec ipse
voluit, nec admittendum est. Diximus de conditione in non faciendo concepta. Porrò & si in
faciendo (inquit Vlpianus[b]) impossibilis conditio in institutione hæredis sit expressa: secundum
omnium sententiam perinde hæres erit, ac si purè institutus esset. Et huc referri potest, quod re- 24
sponsum est[c]. Eum, qui sub ea conditione, quæ omnino extatura est, stipulatur, videri purè stipu-
lari. Verùm hic admonendi sumus: ne sub impossibili conditione verbis negatiuis concepta, af- 25
firmatiuè aliquid stipulemur. Tum enim prorsus esset inutilis stipulatio: veluti; Si hominé mor-
tuum non dederis, decem dabis[d]? Atque hæc quidem hactenus ad Iustinianum de cōditione im-
possibili aliàs annotaui.

a L. si quis hæres scriptus. de acq. hær.
b L. seruum meum. §. 1. de hæred. instit.
c L. si pupillus. §. 1. de noua.
d L. si homo mortuus. de verb. obliga.

Cæterùm quia hæc res latius patet, & digna est quæ diligentius repetatur, & fusius tractetur: nō grauabor ex meis ad tit. de conditionib. commentariis, quæ huc pertinent, hic inserere, vt quod antea de conditione tractaui, tanto magis absoluam.

VLPIANVS.

1 Impossibiles conditiones testamento ascriptæ an pro nullis habēdæ essēt, inter veteres fuisse cōtrouersum.
2 Impossibilis conditio legatum vitiare quando possit?
3 Contractibus etiam, ex coniectura voluntatis, nocere posse conditionem impossibilem.
4 Hîc agi de conditionibus in futurum relatis, & affirmatiuè conceptis, num. 5.
6 Quid, si legatum sub pœna magis quàm sub conditione relinquatur?
7 Quid, si modus impossibilis adijciatur?
8 Quid, si legetur quod in commercio non est?
9 Conditio ἀδύνατος siue impossibilis quæ?
10 Milies significat millies cētena millia nummorum sestertiorum, id est, 2500000. coronat. Gallic.
11 Quid, si partim possibilis, partim impossibilis conditio sit?
12.14 Conditio an in solidum semper explenda sit?
13 Cum de stipulatione aut conuentione agitur, non valet conditio nisi quatenus expletur.
14.15 Quid, si dubitetur; an, quæ in totū expleri non potest, sed pro parte potest, pro parte saltē implenda sit?
16 Conditionem difficilem hæredi vel legatario non remitti. fallit num. 17.
18 Testamentorum partes quæ?
19 Pro nullis haberi conditiones testamenti, quid?
20 Conditiones contra substantiam coniugij insertæ vitiant totam conuentionem nuptiarum.
21 Nuptiarum conuentio similis modò alijs est stipulationibus, modò vltimis voluntatibus.
22.23 Turpes conditiones haberi pro impossibilibus.
24 Quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.
25 Cōditio fraudis causa ascripta, habetur ꝑ nō scripta.
26 Tolerabilia quæ vetus consuetudo comprobat.

e L. 3. de cōd. & dem.

Obtinuit, impossibiles conditiones testamento ascriptas, pro nullis habendas esse[e].

f L. 6. §. vl. hoc tit. l. 1. l. mulier. de cond. instit. l. ab omnibus §. 1. de lega. 1. l. Mænia. de hæred. instit. l. 5. §. 1. quando dies lega. ced.
g L. 58. seruo. de cond. ind.

¶ *Obtinuit.*] Videtur aliqua inter veteres hac de re fuisse controuersia. Quidam enim contende- 1
bant; non minus vltimis voluntatibus, quàm conuentionibus inter viuos nocere debere condi-
tionem impossibilem. Contrà tamen obtinuisse, non hoc modò loco, sed sæpe etiam aliàs tradi-
tum est abs Iurisconsultis[f]. Nam & vltimas voluntates liberaliori interpretatione adiuuandas es-
se iudicabant, & testatorem quod agit magis seriò agere, & valere id velle videri: denique ipsi
hæredi vel legatario nihil imputari posse, si ascripta impossibilis illis conditio sit. Sanè tamen si te- 2
stator possibilem esse putabat, ea tunc aliquando posset propter coniecturam voluntatis, vitiare
legatum. Eoque referunt quod Papinianus in hæc verba scripsit: Seruo manumisso fideicommis-
sum ita reliquit. SI AD LIBERTATEM EX TESTAMENTO PERVENERIT. Is post acceptam si-
ne iudice pecuniam, ingenuus pronunciatus est. Indebiti fideicommissi repetitio erit. Hic iudica-
tur fideicommissum non fuisse debitum, sed inane: quòd testator illi, qui liber erat, cùm eum ser-
uum esse putaret, reliquerit sub hac conditione, si libertatem ex suo testamento consequeretur.
Hæc erat conditio impossibilis. Non enim qui iam liber est, libertatem rursus aliunde consequi
potest. Sed testator seruum esse putabat, & conditionem quam ascribebat propterea esse possibi-
lem: neque aliàs relicturum fuisse fideicommissum apparebat. Hoc exemplo ex voluntatis conie- 3
ctura poterit non minus vltimis voluntatibus quàm contractibus nocere conditio impossibilis:
& in vtroque æquè genere obtinere quod Paulus[h] generaliter etiam respondit: libertatem inutili-
ter dari, si tam difficilis, imò penè impossibilis conditio adiiciatur, vt aliunde ea libertas obtinge-
re non posit: quia nec animus tunc sit dandæ libertatis. Sed talem animum in iis quæ inter viuos
geruntur, facilius intelligimus, quā in testamentis. ¶ *Conditiones.*] Certū est hîc agi de conditioni
bus in futurū relatis. quia quæ in præteritū vel præsens cōcipiuntur, si sint impossibiles. nō possunt 4
non semper statimq; nocere, quia falsæ sint, vt suprà dictū est. Itē conditiones hîc intelligūtur affir
matiuè conceptæ Nam impossibiles cōceptæ negatiuè non possunt nocere, ne stipulationib. qui- 5
dem[i]. Porrò & si legatū non tam sub conditione, quàm sub pœna propriè relinquatur: non punie
tur, neq; pœnę nomine relictū ita legatū præstabit, qui quod impossibile nō est, fecit; quāuis alio- 6
qui obtinuerit vt quod pœnæ nomine relinquitur, valeat. Sed in pœna inspicimus quid possit is,
à quo legatur: In conditione verò inspicimus quid is posit, cui legatur. Quod si non conditio, sed
modus adijciatur impossibilis. iam suprà dictū est[k], non modò non nocere vltimis voluntatibus,
sed neque

h L. 4. §. 1. de statulib.
i L. 7. de verb. obliga.
k L. vna. C. de his quæ pœnæ nom. §. vlt. instit. de lega.

sed neq; contractibus stipulationibúsve. Quod si id legetur, quod in commercio non est, neq; ha
8 beri potest: non minus inane est legatum, quàm si promittam id dare vel facere, quod per rerum
naturam dari vel fieri non potest. Tum enim impossibilis est res ipsa, in qua consistere substantia
obligationis deberet, atque ita possibilis est stipulatio, impossibile legatum. Sed nihil id ad con-
ditiones. ¶ *Impossibiles.*] Labeo & Iulianus [a] maluerunt aliquando dicere Græcè ἀδύνατον condi- *a L. mulier. de condi.*
tionem. Sed alij Iurisconsulti impossibilem etiam Latinè dici non dubitárunt. Sed neque Quin- *insti. l. ab omnibus. §.*
9 tilianus ipse, ab ea voce abhorruit. Porrò impossibilem conditionem Iustinianus [b] describit eam *1. de legat. 1.*
esse, cui natura impedimento est, quo minus existat: veluti, *SI DIGITO COELVM TETIGE-* *b §. si impossibilis. de*
RIS. De conditione turpi, quæ etiam pro impossibili habetur, paulò pòst dicemus. Quid autem si *inutil. stipul.*
tam impossibilis non sit, quàm difficilis, vel illi quidem, cui ascribitur, impossibilis, quæ tamen in
alio non esset impossibilis? Sanè Paulus [c], hanc conditionem libertatis relictæ, *SI MILIES SER-* *c L. 4. §. 1. de statulib.*
VVS HAEREDI DEDERIT, LIBER ESTO. nō modò valde difficilem, sed penè impossibilem
10 esse dixit. Cùm *MILIES* dicit, ex vsu linguæ Romanæ intelligimus millies centena millia num-
morum sestertiorum. quæ summa excedit vicies quinquies centena millia nostratium coronato-
rum. Vix maximi reges, si ab hoste capiantur, tantum persoluere, vt se redimant, possunt. Quo mo
do seruus talem summam pro libertate daret? Non magis certè posset, quàm digito cœlum tange-
re. Addit autem Paulus ita relictam libertatem inutiliter dari: sed hoc dicit. cùm nec animum dan
dæ libertatis esse apparet: Propterea enim & legatis nocere posse impossibilem conditionem, su-
prà dictum est. Sed alioqui ne eam quidem his nocere verius est. Quod si partim possibilis, partim
11 impossibilis conditio sit, satis erit eam impleri pro qua parte impleri potest, vt in solidum valeat,
12 quod testamento relictum est. Solet quidem dici; conditionem in solidum explendam esse, neq;
scindi posse, aut rectè pro parte expleri posse: quod postea suo loco excutiemus. Sed id rectè dici-
tur, vbi tota expleri potest. Si de stipulatione aut conuentione ageretur, non posset ea valere, nisi
13 quatenus expleri potest conditio & expletur. Sed quid mirum est, vltimis voluntatibus non no-
cere, cùm ne illa quidem noceat, quæ nec pro parte obseruari potest? Si tamen dubitetur, an quæ in
14 totum expleri non potest, sed pro parte potest, pro parte saltem implenda sit: audiendus Scæuola [d] *d L. 12. qui dotē in pe-*
est, cuius verba hæc sunt: Qui dotem in pecunia numerata & æstimatis rebus acceperat, vxori ita *cunia. de dote præleg.*
legauit: Seiæ vxori meæ, si omnes res, quæ tabulis dotalibus continentur, hæredi meo exhibuerit,
tradiderit: summam dotis, quam mihi pro ea pater eius intulit, dari volo: hoc amplius decem.
Quæsitum est: cùm res in dotem datæ plures ipso vsu finitæ essent, nec moriente marito fuerant:
an, quasi sub impossibili conditione legatum datum, debeatur? Respondi, videri conditioni pari-
tum, si quod ex rebus in dotem datis supererat, in potestatem hæredis peruenit. Sed & in ipso Pan-
15 dectarum tractatu de conditionibus caput extat, quod eandem rem explicat [e]: neque dissimulat *e L. multa. §. vlti. de*
fuisse hac quoque de re controuersiam inter veteres Iurisconsultos. Verùm de conditionibus ex- *cond.*
plendis, earumque explendarum ratione, dictum est alio loco pluribus verbis. Illud vnum nunc
16 adijcio: conditionem, quæ ab hærede vel legatario expleri possit, & si alioqui difficilis esse videa-
tur, non tamen ijs remitti, vt vel hæreditatem vel legatum sine conditione expleta consequan-
tur. Quod si hæres ita institutus sit, & rogatus hæreditatem restituere: nolit conditionem exple-
re, quòd alteri magis quàm sibi id profuturum videat, facilius tunc propter difficultatem excusa-
17 bitur, neque vrgeri à fideicommissario poterit, vt conditionem difficilem expleat & hæreditatem,
quam restituat, adeat. Quamuis id facere compelli [f] possit, si honesta & facilis conditio sit. *f L. 63. ex facto. §. si*
18 ¶ *Testamentis.*] Apud Iustinianum est; Institutionibus, legatis & fideicommissis [g]: ex enim te- *sub cōditione. ad Tre*
stamentorum partes sunt. Aliud dicitur de contractibus & stipulationibus, vt suprà dixi & iterum *bell.*
mox dicetur. ¶ *Pro nullis habendas.*] Alibi dicitur: haberi pro non scriptis: alibi, non nocere: item *g §. impossibilis. de hæ*
19 non vitiare quod ita relinquitur. Postremò, purè relictum videri, quod sub ijs relictum est. Sed *red. instit.*
priusquam aliò transeam: de conditionibus, quæ apponuntur contrahendo matrimonio verbum
vnum adijciendum est. Gregorius IX. Pontif. singularem hac in re adhibuit distinctionem hanc [h]: *h ca. vl. de cōd. inser.*
20 vt conditiones contra substantiam coniugij insertæ, veluti, *SI SOBOLEM NON GENERAVE-*
RIS, vel, *SI TE ALIIS AD QVAESTVOSAM LIBIDINEM PROSTITVAS*, vitient totam
conuentionem nuptiarum. Alias verò conditiones turpes vel impossibiles non nocere, sed pro
non adiectis haberi propter fauorem matrimonij. Sic nuptiarum conuentio in hoc genere, mo-
21 dò similis est alijs stipulationibus, modò vltimis potius voluntatibus. Cæterùm honestam condi-
tionem in contrahendo matrimonio appositam, prius implendam esse, & alioqui inutile esse &
nihili quod agitur, dubium non est. Ac honestam quidem esse quoque hanc conditionem, *SI MI*
HI CENTVM DONAVERIS. Sed si deinde concubitus accedat, detractam intelligi, non secus
atque nouo & præsenti consensu, qui purè interuenisset. Fuitque hoc Alexandri 3. Pontific. decre-
tum [i]: neque recuso, quin iusta ratione subnixum videatur. *i cap. super. de condit.*
Posteaquam dictum est de impossibilibus conditionibus, proximum est vt dicamus de tur- *appos.*
22 pibus. Nam & hæ habentur pro impossibilibus, & à Prætore remittuntur, vt & si hæres vel legata-
rius eas non impleuerit, nihilominus hæreditatem vel legatum cōsequatur. Filijfa. institutio sub
conditione impossibili inutilis est, vt tamen filio non noceat. Nam istum tanquā præteritus rum
per testamentū. In extraneo hærede, qui alia ratione quàm ex testamento hæres esse nō posset, talis
cōditio pro nulla vel pro nō scripta haberetur, vt suprà dictū est. Sed quid si filiusf. sit institutus sub
conditione turpi vel inhonesta, an videbitur sub cōditione arbitraria, sub qua rectè potest institui,

institutus?

institutis? Respondit Papinianus; magis videri sub impossibili conditione institutum. Sed eius
a L. 15 filius. de condit. instit.
verba audiamus a: sunt enim commemoratione valde digna, Filius, qui fuit in potestate, sub conditione scriptus hæres, quam Senatus aut Princeps improbauerunt, testamentum infirmat patris, ac si conditio non esset in eius potestate. Nam quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (vt generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt: nec facere nos posse cre- 24
b L. 9. de condit. instit.
dendum est. Paulus b exempla etiam subiecit. Conditiones (inquit) quæ contra bonos mores inseruntur, remittendæ sunt, veluti; Si ab hostibus patrem suum non redemerit: Si parentibus suis a-
c L. 27. ad leg. Falc.
limenta non præstiterit. Omitto quod Scæuola c aliquando respondit; conditionem fraudis causa 25
d L. Imperatores. §. 2. de pollicit.
ascriptam haberi pro non ascripta. Sed illud præterire non possum quod Papyrius scripsit d; rescriptum esse ab Imperatoribus; conditiones donationibus, quę in Remp. fiunt, appositas, ita demum ratas esse, si vtilitatis publicæ interest. Quod si damnosæ sunt, id obseruari non debere: & ideo non obseruandum esse, quòd defunctus certa summa legata vetuit vectigal exerceri. Esse enim tolera- 26
bilia, quæ vetus consuetudo comprobat. Verùm, vt hanc totam rem generaliter complectamur,
e L. 20. de cõd. et dem.
commodissimum est, vt regulam e à Marcello traditam, & tractatui de conditionibus in Pandectis insertam, hic proponamus, & excutiamus.

MARCELLVS.

1 In pari causa turpitudinis, meliorem esse causam possidentis.
2 Quid, si conditio turpitudinem contineat ex parte solius accipientis?
3 De condictione ob turpem causam.
4 Quid, si non conditio, sed res sit ipsa turpis?
5 Iusiurandum de re turpi adactum, non ligare.
6 Vt conditio turpis legatario, sic & hæredi pœna remittitur.
7 Turpes conditiones vbi remittuntur, testamento relicta debentur.
8.11 Iurisiurandi conditiones plerunque non semper remitti.
9 Legata libertate conditio iurisiurandi cur non remittatur?
10 Vbi remissa conditione iurisiurandi, legatum pro puro habeatur?
12 An iurisiurandi conditio in contractibus quoque remittatur?
13 Donationes causa mortis ad ius legatorum reuocari.
14 Conuentionibus inter viuos conditionem iurisiurandi non remitti.
15 In re honesta iurare turpe non est.
16 Exceptio iurisiurandi.
17.18 De conditione ferendi nominis.
19.20.21 Conditiones iurisiurandi quare turpibus conditionibus annumerentur?
22 De conditionibus quæ remittuntur, nec impleri debent.
23 Ineptas voluntates defunctorum circa sepulturam non valere.
24 Inhonestas conditiones negatiuè conceptas remissas etiam cautione Mutiana.
25 De conditione illa, si non nupseris.
26.28.29.30 Romani nuptias præmijs, cœlibatum pœnis afficiebant: & de L. Iulia Miscella, num. 27.
31 Inuitare ad nuptias alios licet. & num. 32.

Non dubitamus quin turpes conditiones remittendæ sint. quo in numero plerunque sunt etiam iurisiurandi.

Generaliter loquitur de conditionibus turpibus, neque aliter distinguit, vtrum testamentis, an verò stipulationibus adscribantur. Sed titulus ipse significat propriè loqui de conditionibus testamentorum: neque omnino idem dici de turpibus conditionibus, quæ conuentionibus inter viuos adiiciuntur, constat. Nam si stipulanti promittam decem, SI HOMINEM OCCIDERIT: inanis est promissio. Nam & si hanc conditionem impleuisset, quod tamen ita pro-
missum est, peti non possit. quamuis vltro solutum non possit condici. Nam constat in vniuer- 1
sum, in pari causa turpitudinis, meliorem esse causam possidentis. Quod si conditio turpitudi- 2
nem contineat ex parte solius accipientis, non modò quod ita promissum est, peti non posset,
sed & solutum posset condici. Quod propriè pertinet ad condictionem ob turpem causam. Ex 3
quo etiam tractatu suprà diximus repetendum esse, quod de modo turpi dici debet. Porrò si non
sit conditio turpis, sed res ipsa quæ vel legatur vel promittitur; constat non minus legatum esse 4
f L. 112. si quis inquilinos. §. vlt. de leg. 1.
inutile, quàm inutilis est talis stipulatio. f Martianus ait: Si quis scripserit testamento fieri quod contra ius est vel bonos mores, non valet: veluti si quis scripserit contra legem aliquid vel contra
g L. 26. generaliter. de verb. obliga.
edictum Prætoris, vel etiam turpe aliquid. Sic g Vlpianus: Generaliter nouimus turpes stipulationes nullius esse momenti: & subiiciuntur hæc ex Pomponio exempla: Veluti si quis homicidium vel sacrilegium se facturum promittat: & officio quoque Prætoris contineri, ex huiusmodi
obligationibus actiones denegare. Nam neque iusiurandum de hoc adactum ligare, alio loco tra 5
h L. Iurisgentium §. si paciscar. de pact.
i L. 35. si stipuler. de verb. oblig.
ditum h est. Denique Paulus i eodem loco habet; Siue natura dari fieriue non possit, quod stipulanti promissum est, siue id leges fieri prohibeant aut contra bonos mores fit. Sed vt ad conditio-
nes reuertamur, illud prætereundum non est; vt remittitur turpis conditio legatario, sic etiam re- 6
k L. vna. C. de his quæ sub pœnæ nom. §. vlt. de lega.
mitti pœnam hæredi k, à quo sub pœna relictum erat, si quid probrosum aut turpe illi fuisset iniunctum. Et cùm dicimus turpes conditiones remitti, intelligimus id, quod ita testamento relictum esset, perinde deberi, atque si sub honesta conditione, quæ expleta esset, relictum fuisset. Et hac quidem de re fuit propositum quoddam Prætoris edictum; non modò de conditione iurisiu-

randi,

8 randi, ſed & de alia quauis turpi[a]. Vt meritò dictum hoc loco ſit, non dubitati quin ea remittatur.
¶ *Plerunque.*] Nam neque in legatis perpetuum eſt omnino, vt conditio iuriſiurandi remittatur. Vlpianus[b] enim inquit: Si quis libertatem ſub iuriſiurandi conditione reliquerit, edicto Prætoris locus non erit, vt iuriſiurandi conditio remittatur: & meritò. Nam ſi quis remiſerit conditionem libertatis, ipſam libertatem impedit: dum competere aliter non poſsit, quàm ſi paritum fuerit conditioni. Proinde & ſi quis cum libertate legatum acceperit: non aliter legatum habebit, niſi conditioni iuriſiurandi paruerit. Sed ſi purè libertatē acceperit, legatum ſub iuriſiurandi con-
9 ditione putat Iulianus remitti ill[illegible] conditionem iuriſiurandi. Hæc ille. Sed nondum explicata videtur ratio huius ſingularis iu[illegible]egata libertate conditio iuriſiurandi non remittatur. Nam quo fauorabilius eſt hoc legat[illegible]to magis illa remittenda videtur. Certe plus aliquid tum remittitur, vt fauori libertatis ſemper cōſuli intelligamus. Nam Iulianus ait[c]. Qui ita liber eſſe iuſſus eſt, *SI IVRAVERIT SE CAPITOLIVM ASCENSVRVM*: confeſtim vt iurauerit, quamuis Capitolium non aſcenderit, liber erit. Sic iurando ſeruum implere conditionem ait Paulus[d]. Id verò graue non eſt, præſertim ſeruo: & eſt expeditius faciliuſque quàm remiſſo iureiurando, reipſa facere vel dare & ita explere conditionem. Quod quidem præſtare deberet alius hæres aut legatarius cui quid relinquitur, *SI IVRAVERIT SE FACTVRVM AVT DATVRVM.* Remittitur quidem iuſiurandum: ſed facere tamen vel dare cogitur[e]. quanquam id non impediat tranſmiſsionem lega-
10 ti, ſi interea moriatur legatarius. Nam quod ad eam attinet, remiſſa conditione iuriſiurandi legatum pro puro habetur[f]. Qua quidem in re magnum commodum eſt. Sed in legato libertatis, nō
11 eſt requirendum. Sed neque perpetuò conditionem iuriſiurandi tanquam turpem remitti, vel inde intelligi poſſet, quòd cùm Municipibus legatum eſſet, *SI IVRASSENT*, reſpōſum eſt, non eſſe conditionem impoſsibilem, & ei parere poſſe, ſi ij iurent, qui res Municipij gerunt[g].
12 Porrò an conditio iuriſiurandi in contractibus quoque remittatur, quæſitum eſt. Et ſanè in donationibus cauſa mortis locum habet edictum, quo illa remittitur. vt ſi quis fortè cauerit; niſi iu-
13 ràſſet ſe aliquid facturum, reſtituturum quod acceperit: cautio talis remittatur[h]. Sed nouum non
14 eſt, donationes cauſa mortis ad ius legatorum reuocari. Cæterùm conuentionibus inter viuos a-
15 ſcriptam conditionem iuriſiurandi non remitti, neque reiici verius eſt. Nam neque turpe eſt iurare in re honeſta & ſeria, neque cùm ita ſemel placuerit atque conuenerit, amplius obtendi poteſt ſuperſtitio nolentis iurare. Certè Iulianus [i]ait, iuſtam eſſe conuentionem, ſi quælibet cauſa in conditionem iuriſiurandi deducta fuerit: cùm probare vellet valere pactum, cùm quis cum debitore ſuo pepigerit, ne ab eo pecunia peteretur, ſi iuràſſet aliquid non feciſſe, vt tum demum exceptio
16 daretur, ſi iuràſſet: & propterea appellatur magis hæc exceptio iuriſiurādi quàm pacti. Sed & Imp. Diocletianus generaliter reſcripſit[k], cùm hac conditione diuiſio facta eſſet cum patruo, *SI IVRASSET SE NVLLVM DOLVM ADHIBVISSE*, res indiuiſas videri, ſi fidē placitis non exhibuit. Quod quidem tam ſignificare poteſt, *SI IVRARE NOLIT*, quàm, *SI DOLVM ALIQVEM ADHIBVERIT.* Quid multis? Non dubitauit Vlpianus[l] valere hanc ſtipulationem, ſi tibi centum ſpopondero hac conditione, *SI IVRASSES TE NOMEN MEVM LATVRVM*, neque hanc turpem cauſam videri:
17 Sed vt obiter etiam aliquid dicamus de conditione nominis ferendi: eam non remitti, ſed à Prætore exigi ait Caius[m]. Nihil enim mali eſſe honeſti hominis nomen aſſumere. Sed in famoſis & turpibus nominibus hanc conditionem à Prætore non exigi. Itaque & cùm quis hæres iuſſus eſſet nomen veſpillonis teſtatoris ferre, habendā eſſe rationem dignitatis reſponſum eſt[n]. Sed vita eſt alioqui bonorum virorum honeſta affectio nominis ſui propagandi. Vnde illud fideicommiſſum apud Papinianum[o], *ROGO VT SEMPRONIO NEPOTI MEO PLVS TRIBVAS IN HONOREM NO-*
18 *MINIS MEI.* Et adoptiones apud Romanos eò quoque pertinuiſſe ſcimus. Illud memini valdè aliquando in Senatu Pariſienſi dubitatum eſſe, an hæc conditio nominis ferendi vni aſcripta, in eius quoque liberis repetita intelligatur, vt fœminæ, quæ in alienam familiam tranſeunt nubendo, quia hanc conditionem non videantur explere, à tali fideicommiſſo arceantur. Sed ea in re non tam meum interponere volo, quàm Senatus areſtum expectare.
19 ¶ *Conditiones iuriſiurandi.*] Non eſt huius rei aliunde ratio repetenda quàm abs Vlpiano, qui elegantiſsimè eam pertractat. Eum itaque audiamus[p]. Quæ, inquit, ſub conditione iuriſiurandi relinquuntur, à Prætore reprobantur. Prouidit enim ei, qui ſub iuriſiurandi conditione quid accepit, ne aut omittendo conditionem, perderet hæreditatem legatúmve: aut cogeretur turpiter, accipiendo cōditionem, iurare. Voluit ergo eum, cui ſub iuriſiurandi conditione quid relictum eſ-
20 ſet, ita capere, vt capiunt hi, quibus nulla talis iurandi conditio inſeritur, & rectè. Cùm enim faciles ſint nonnulli hominum ad iurādum, contemptu religionis: alij perquam timidi metu diuini Numinis vſque ad ſuperſtitionem: ne vel hi, vel illi, aut conſequerentur aut perderent, quod relictum eſſet, Prætor conſultiſsimè interuenit. Etenim potuit is, qui voluit factum, quod religionis conditione aſtringit, ſub conditione faciendi relinquere. Ita enim homines aut facien-
21 tes admitterentur, aut non facientes deficerentur conditione. Hæc ille. Sanè & Papinianus[a] timorem pudorémque hominis iurare nolentis, non modò excuſare, ſed & laudare videtur. Modeſtius (inquit) facit, qui refert iuſiurandum, quàm qui iurat, Iuſtinianus quoque noſter[b] ait multos quadam ſubtili reuerentia etiam verum iuſiurandum præſtare non audere. Neque verò excuſare omnino aut laudare velim ſuperſtitionem hominum, qui cùm intelligant quid iuſiurādum verè ſit, verè etiam iurare nefas eſſe putant. Sed quia de iureiurando integram aliquādo diſ-
22 putationem edere inſtitui, pluribus nunc verbis hanc rem non perſequar. Perſequar potius quod

a L.8. de condi. inſt. l. 63. ſalliu §. ſi ſub conditione. Ad Trebell.
b L 12 ſi quis libertatē de manu. teſta.
c L.13. ſi quis ita § ſi quis ita. de ſtatulib.
d L.36 ſeruum teſtamēto. de manu. teſta.
e L.26. hæc ſcriptura. hoc tit. l. 8 §. quoties. de condit. inſt l.14. nō dubium. §.1 de legat.3.
f Dict. l.8. §. vlt.
g L.96. Municipibus. hoc tit.
h Dict. l.8. §. & in mortis.
i Dict l.39. ſi quis cum debitore. de iureiur.
k L. ſi cum patruo C. commu. vtr. iud.
l L.19. hoc iure. §. vlt. de donat.
m L.63. ſuſt.1. §. quod ſi. ad Trebell.
n L.7. ad Trebell.
o L 76. cum filius §. pater. de legat.2.
p L.8. de condi. inſtit.
a L. illud §.1. de conſt. pecu.
b L. vlt. §. penul. C. de fide inſtrum.

instat: & quod de conditionibus, qnæ remittuntur, nec impleri debent, adiici breuiter potest, breuiter adiiciam. Papinianus[a] cùm docet, quoties conditio remittitur, remitti etiam cautionem Mutianam: proponit boc exemplum, *TITIO CENTVM LEGO SI A MONVMENTO MEO NON RECEDAT*, eamque cum cautione remitti ait, pet quam ius libertatis infringirur: Sed in defuncti libertis alio iure nos vti. Lucianus in Nigrino ridet testatores *κελεύοντας παραμένειν τινὰς οἰκέτας τοῖς τάφοις* [iubentes seruos quosdam seu familiares assistere atque permanere ad sepulchta.] Tales tameo vltimas voluntates præsertim patronorum, obseruati volebant Romani. Itaque & Modestinus[b] hanc probat conditionem libertati seruorum ascri[illegible] *SI MONVMENTO MEO ALTERNIS MENSIBVS LVCERNAM ACCENDANT, ET SOLEN[illegible]ORTIS PERAGANT*. Sed non fuerunt tamen tam superstitiosi Romani, vt huius ineptę relig[illegible]s prętextu voluerint infringi aliotum hominum libertatem. Nam & idem Papinianus[c] sapienter respondit, ineptas voluntates defunctorum circa sepulturam non valere, veluti, vt quædam superuacua in funus impendantur. 23
Et alio loco[d], cùm loquitur de conditione monumenri faciendi, ait: ira in hoc seruandam esse defuncti voluntatem, si probabilem modum non excedat. Sicuti & Vlpianus[e] bac in re prudenter respondit; non esse voluntatem testatoris sequendam, si res egrediarur iustam sumptuum rationem. Quo etiam loco ait. non esse faciendum quod bomines simpliciores faciunr, qui vestes & ornamenta cum corporibus, quæ sepeliunt, condunt. Sed & e diuerso coоditiones turpes nec obseruandæ iudicantur, quæ totam sepulturam tollunt[f]. 24

Porrò alias conditiones negatiuè conceptas, quæ quia bonestæ non videntur, remittuntur, remissa etiam cautione Mutiana, Paulus etiam commemorat[g], veluti, *SI AB HOSTIBVS PATREM SVVM NON REDEMERIT*: vel, *SI PARENTIBVS SVIS ALIMENTA NON PRAESTITERIT*: de qui- 25
bus dictum est antea. Sed illa maximè celebris est, *SI NON NVPSERIS*, de qua variè multis in hoc titulo locis tractatur. Nos ordine rem illam totam breuiter complectamur. Legem vtilem Reip. sobolis scilicet procreandæ causa, latam esse, vt tales cōditiones reiiciantur, eamque propter ea interpretatiooe adiuuandam esse, ait Terentius[h] Iurisconsul. Huius Legis autorem nominare non possumus. Sed dignus profectò erat, cuius nomen extaret. Certè ne pater quidem ipse, quantumuis maxima sit patria porestas, posset non modò tyrannico imperio indicere inuitis suis filiisfam. cœlibatū; sed nec alia ratione, aut longiori procrastinatione, impedire eorum nuptias[i]. nam nec illos, si cœlibes viuere mâlint, ad cooiugium inuitos adigere posset[k]. Sed & si liberta patrono iurauerit sese non nupturam; remitti iusiurandum responsum est[l]. Quanto igitur magis remittēda est illa, quam alius ascripsisset, condirio non nubendi, præsertim cùm Reip. quoque inutilis 26
sit? Neque temerè factum est, vt olim sapientes Romani nuptias multis præmiis, cœlibatum quibusdam etiam pœnis affecerint. Sed non fuit perpetua hac in re nostrorum Legumlatorum eadē- 27
que semper senrentia. Lata quædam olim apud Romanos Lex fuit Iulia Miscella, quæ misellarum viduatum miseratione quadam, mulieribus, quibus mariti viduitatem indixerant, & aliquid sub hac conditione, *SI NON NVBERENT*, reliquerant, permittebat nihilominus nubere & legatum consequi: sed hoc intra annum tantùm: & ira demum, si iurassent, se non aliqua libidine, sed sobolis tantùm procreandę causa, secundas repetere nuptias. Post annum verò, ne tali quidem iurisiurandi conditione remittebatur illa conditio non nubendi. Sed ita demum legatum consequebantur, si cauerent se non nupturas. Siue Q Mutius hoc casu suam caurionem locum habere voluerit, siue alius id adiecerir. Nam ab hac culpa Iustinianus liberat autorem Legis Iuliæ Miscellæ. Sed vtvt sit, tota ea Lex, eiusque vsus displicuit aliquando nostro Iustiniano[m]. Iraque ea planè sublata voluit coniugibus libetum esse, nouum coniugium repetere, & indictam viduitatem cōtemnentes non amittere relictum legatum. Neque modò cautionem Mutianam hic remitti, remissa conditione non nubendi. sed neque iurari, liberotum tantùm procreaodorum causa nuptias repeti. Verùm nescio qui factum postea sit, vt sententiam postea mutârit Iustinianus, & conditionē, quæ viduitatem indiceret, non esse remitiendam existimârit: nimium profectò indulgēs ineptis defunctorum voluntatibus. Quasi verò eotum intersit, cœlibes sint an coniuges, qui sunt superstites. An non audierat illius apud nobilem Poëtam muliérculæ vocem; *Scilicet id manes credis curare sepultos?* Sed quæ tota fuetit Iustiniani in hoc genere sententia, satis intelligi potest ex Nouella eius Constit. Aurent. 22. ad fi. vbi pluribus, vt solet. verbis hanc rem persequitur, & quam cautionem non nubendi exigat, vt sub tali conditione relictum legatum vidua consequarur, copiosius exponit. Sed veteris saltem legis, conditionem non nubēdi remittentis, beneficium virginibus ademptum non est: & hoc ius singulare primis nuptiis relictum est. Sed cur iam iniquior viduis est Iustinianus? An eas putat facilius marito carere posse? Cur secundis nuptiis minus faue ? Saltem illud legis Iuliæ Miscellæ beneficium, etiam non sustulisset, quo porerant infœlices viduę, si iurarent non libidinis sed liberorum causa se nubere, legatum cum nuptiis consequi. Sed quid conqueror? Ea fuit multotum veterum siue iniquiras, siue superstitio, vt abs nupriis secundis abhorrerent: vt iam mirari desinamus. Tertullianum libro etiam edito suæ vxori viduitarem, religionis prætextu, indicere voluisse. Illud longè tolerabilius est. legem illam, qnæ conditionem non nubendi remittit reiicitque, etsi alioqui, quia vtilis Reip. est, inrerpretatione adiuuetur, restringi tamen, vt si 28
non nisi ad aliquod tempus indicarur cœlibatus, vel si nuptiæ prohibeantur cum certis tantùm personis. aut certis quibusdam solùm locis, conditio admittatur, modò nihil fiat in fraudem legis, & alioqui nuptiæ planè non impediantur. Ergo hæc condirio valet[n], *SI A LIBERIS IMPVBERIBVS NON NVPSERIS*, hoc est donec ij puberes fuerint. Tum enim magis curam liberorum 29
quàm

a L. 70. Titio centum §. Titio centū. hoc tit.
b L. 44. Mæuia. de manu. testa.
c L. 113. seruo §. vlt. de lega. 1.
d L. 50 hereditatis. §. 1. de petit. hered.
e L. 14. at si quis. §. quid ergo de relig. & sump. fun.
f L. 27. quidā in suo. de cond. inst.
g L. 9. de cond. instit.
h L. 63. hoc modo. ad fi. hoc tit.
i L. qui liberos. de ritu. nupt.
k L. non cogitur de ritu. nupt.
l L. adigere. §. vlt. de iure patro.
m L. 2. & 3. C. de ind. vidu. toll.
n L. sed si hoc. §. vlt. de cond. & dem.

29 quàm viduitatem iniungi, responsum est. Item hæc conditio admittitur[a], *SI TITIO NON NV-
PSERIT. non enim tali conditione viduitatem iniungi, cùm alij cuilibet satis commodè mulier
30 nubere potest. Caius etiam respondit. Postremò si scriptum sit, *SI ROMAE, VEL TALI LOCO,
NON NVPSERIT, est illud quidem durius: sed tum demum tamen reiicitur, cùm ea est mulier,
quæ alibi nuptias non facilè posset inuenire[b], vt satis appareat scriptum id esse in fraudem legis re-
iicientis generalem non nubendi conditionem. Cæterùm alioqui vbi conditio non omnino im-
pedit nuptias, sed ad aliquod tantùm tempus, vel cum certis solùm personis, vel vno aliquo tan-
tùm loco; obseruanda erit: cùm quidem possit mulier vel alibi vel alteri nubere suo tempore.
Quòd si non illi legetur, cui conditio non nubendi ascribitur: poterit quoque admitti[c], veluti,
Lego Titio centum, si Sempronia non nubat. nisi fortè in fraudem legis appareat hoc ita scri-
ptum esse ad impediendas nihilominus nuptias, vt si scriptum fuerit[d]: Lego tibi centum, si filia
tua non nubat. Nam facilè pater multa comminisci potest, vt filiæ nuptias interturbet & impe-
diat. Quid si conditio indicat nuptias? Certè honesta est, & Reip. vtilis. Non potest quidem vel
31 pater ipse, inuitos filios, quibus magis placet cœlibatus, adigere ad coniugium[e]. Sed proposito
præmio siue emolumento, tanquam illecebra inuitare aliquem ad nuptias licet. Cæterùm pœ-
næ damnique metu non item astringi connubia possunt. Itaque si pœnæ nomine ita legauero, *SI
HAERES MEVS VXOREM NON DVCAT,* vel, *NISI DVCAT, DATO TITIO CENTVM:* est lega-
tum pœnæ nomine relictum: sed inhonestè ita relinquitur: neque aut talis pœna committitur,
aut legatum debetur, etsi non duxerit vxorem hæres. Dixit aliquando Paulus[f], inhonestum
esse visum; vinculo pœnæ matrimonia obstringi, siue futura, siue iam contracta. Sed propius
ad nostrum accedit propositum, quod Papinianus respondit[g]; si Titio centum relicta sint, *SI
MAEVIAM VXOREM DVCAT,* conditionem remitti. Cæterùm si pecuniam promisero, *SI MAE-*
32 *VIAM NON DVCAM,* nullam esse posse actionem contra me. Aliud enim esse eligendi matri-
monij libertatem, pœnæ metu auferri: aliud, ad matrimonium certa lege inuitari. Illud ita-
que inhonestum & turpe est: hoc verò est licitum & receptum: si modò alioqui præscripta nu-
ptiarum species non sit inhonesta. Rectè itaque Caius[h]; cùm ita legatum mulieri esset, Si Ti-
tio nupserit: Si quidem (inquit) honestè Titio possit nubere, dubium non erit, quin nisi parue-
rit conditioni, excludetur à legato.

a L. 62. cũ ita. hoc tit.
b L. 63. hoc modo. hoc tit.
c L. auia. §. Mutianæ. de condit.
d L. hæres meus. §. vlti. hoc tit.
e L. non cogitur. de ritu. nupt.
f L. 134. Titia. de verb. obligat.
g L. 70. Titio cẽtũ. §. 1. de cond. & demonst.
h L. 62. cum ita. de cond. & demonst.

§. *Item verborum.*

1 Boni principis est, curare ne lites sint immortales.
2 De constitutione illa Iustiniani, ad quem scripta sit? & eiusdem verba. num. 3.
4 Instrumento, quo affirmatur, stipulantem & promittentem præsentes fuisse, quatenus credatur?
5 Instrumenta edenda cum die & consule.

¶ *Propter celeritatem dirimendarum litium.*]Est boni Principis ac Iudicis, lites minuere[i], ac curare
1 ne sint ex immortales[k], Elegans est Isocratis ad Nicoclem Regem sententia, vt eas leges ferat, quę
pariant (vt ait) τὰς μὲν ἀμφισβητήσεις ὡς ἐλαχίστας, τὰς δὲ διαλύσεις ὡς οἷόν τε ταχίστας [cõtentiones & contro-
uersias quã minimas, & quę quàm celerrimè, quoad fieri potest, easdem expediat.] ¶ *Ad Cæsa-
rienses Aduocatos scripsimus.*]De Cæsatieusi Aduocatione alio loco diximus[l]. Illud autem hoc loco
2 admonendi sumus; Constitutionem Iustiniani, quæ extat, scriptam esse ad Ioannem Præfectum
Prætorio: nec vllam facere mentionem Cæsariensium Aduocatorum. ¶ *Per quam dispesuimus.*]
3 Verba huius dispositionis in Constitutione Iustiniani sunt hæc[m]; Etsi inter præsentes partes res
acta esse dicitur; & hoc esse credendum: si tamen in eadem ciuitate, vtraque persona in eo die cõ-
moretur, in quo huiusmodi instrumentum conscriptum est: nisi is, qui dicit sese vel aduersarium
abfuisse, liquidis ac manifestissimis probationibus, & melius quidem si per scripturam, vel saltem
per testes vndique idoneos, & omni exceptione maiores ostenderit sese vel aduersarium suum in
eo die ciuitate abfuisse: Sed huiusmodi scripturas propter vtilitatem contrahentium esse creden-
das.
¶ *Manifestißimis probationibus.*] Debent enim esse iustissimæ probationes, quæ pugnant aduersus
4 fidem ipsius instrumenti: cui omnino stare solemus, donec contrarium apertè fuerit probatum[n].
Sed non temerè tantum vllis instrumentis tribuitur, vt non liceat ea falsa dicere, etiam ab eo, qui
semel ea agnouisset quasi vera[o].
¶ *Toto eo die.*] Ergo hic instrumentum edi debebit cum die & Consule, quod certè non fieret,
nisi aduersarius testaretur sese velle illud falsi conuincere, nec aliter posse quàm edito die ac Con-
sule, ne quid fraudis excogitetur prolato die[p]. Quemadmodum & cùm inspiciuntur testamẽti ta-
bulæ, non paritur Prætor diem tabularum[a] inspici, nempe quòd nec id pertineat ad eum, qui non
parat tabulas falsi conuincere.

i L. quidã existimauerũt. D. si cer. pet. cõdictl. l. 3. §. 1. de arbitr.
k L. propemodũ. C. de iud.
l §. sed hoc etiam. sup. quib. alie. lic.
m L. optimã. § & si in ter. C. de contrah. stip.
n L. cum precibus. C. de probat.
o L. qui agnouit. de probat.
p L. 1. §. editiones. de edend.
a L. 2 §. diẽ autẽ. D. testamẽta quẽad. aper.

§. *Post mortem. cum seq.*

1 In stipulationibus magis sensus quàm verborum formula desiderantur?
2. 3. 4. 5 Scrupulosa veterum inquisitio, vtrum post mortem, an cum moreretur, &c. stipulatus

fit aliquis;penitus abrogata.
6 *Si Titius Consul factus fuerit,tunc ex hac die in annos singulos dena dare spondes? vtilis est stipulatio.*
7 *Præposteram stipulationem hodie valere.*
8 *In iure ciuili non tam ordo scripturæ spectatur,quàm ex iure sumitur id quod agi videtur.*
9 *Stipulatio;cum moriar dabis? valet etiam iure veteri.*
10 *Moriens quando moriatur?*
11 *Verbum, promisisse, in instrumento,vel etiam in scriptura priuata insertum, significat interrogationem præcessisse.*
12 *Multa leuius dicuntur quàm scribuntur.*
13 *Interest,vnáne sit rerum plurium stipulatio, an plures.*
14 *Soluta oratio Iureconsultis quid?*
15 *Disiunctiuè stipulari quid?*

a §.1.in fi.sup.de ver. obligat.
b L.scrupulosam.C. de contrah.stipul.

¶ *Vt iam dictum est.*]Dictum est supra[a],in stipulationibus magis desiderati sensum & consonan- 1
tem intellectum contrahentium,quàm formulas verborum.
¶ *Placuit nobis.*] Extat hæc noua Iustiniani Constitutio his verbis[b]; Scrupulosam veterum in-
quisitionem,vtrùm post mortem, an cùm moreretur,vel pridie quàm moreretur, stipulatus fica- 2
liquis,vel in testamento legati vel fideicommissi nomine aliquid dereliquerit,penitus amputan-
tes: omnia,quæ vel quocunque contractu, vel stipulati , vel pacti sunt contrahentes, vel testator
in suo testamento disposuit, etiamsi post mortem,vel pridie quàm moreretur, scripta esse noscun-
tur:nihilominus pro tenore contractus vel testamenti valere præcipimus. Hæc Iustinianus:qui a-
lia rursus Constitutione totam hanc rem apertius definit,his verbis[c]; Cùm stipulationes, & lega-
ta,& alios contractus post mortem compositos,antiquitas quidem respuebat, nos autem pro cō-
muni hominum vtilitate recipimus: consentaneum erat etiam illam regulam, qua vetustas vte- 3
batur,more humano emendare. Ab hæredibus enim incipere actiones,vel contra hæredes, vete-
res non concedebant, contemplatione stipulationum cæterarumque causarum post mortem cō-
ceptarum.Sed nobis necesse est,ne priocis vitij materiam relinquamus, & ipsam regulam de me- 4
dio tollere:vt liceat & ab hæredibus,& contra hæredes incipere actiones & obligationes: ne pro-
pter nimiam subtilitatem verborum,voluntates contrahentium impediantur. ¶*Inutilis erat sti-* 5
pulatio.] Vtilis tamen erat hæc; Si Titius Consul factus fuerit; tunc ex hac die in annos singulos 6
dena dare spondes?Eam enim probauit Africanus[d], adeò, vt eorum quoque annorum, qui ante
impletam conditionem intercesserint,præstatio in id tempus collata intelligatur, & sententia e-
ius stipulationis talis sit;Tum cùm Titius Consul factus fuerit, in annos singulos. etiam præteri-
ti temporis habita ratione, dena præstentur. Et suffragatur quidem Africano Paulus,qui ait[e];Si i-
ta stipulatus fuero;Si Titius Cōsul factus fuerit,tunc ex hac die in annos singulos dena dare spon-
des?Post triennium conditione existente, triginta poterunt peti. Atque hæc quidem non minus
probant adiuuantque Iustiniani correctionem quam hoc loco proponit, atque Leonis exem-
plum. ¶ *Præposterè concepta.*]Et quodammodo secum pugnans, quæ & pura & conditionalis vi-
debatur,& veluti proponebat agendi facultatem ante conditionis euentum.

c L.vnica C.vt act. & ab hæredib.
d §.huiusmodi stipulatio interposita de verb.oblig.
e L.si ita stipulatus fuero.Si Titius.de verb.obligat.
f L.præpostern. C.de testa.

¶ *Nobis placuit.*]Hoc Iustiniani placitum extat in eius Constitutione,cuius verba sunt hæc[f]; Præ-
posteri reprehensione,quam Nouella Constitutio Diui Leonis in dotalibus instrumentis sustulis- 7
se noscitur: in aliis quoque omnibus tam contractibus quàm testamentis tollimus : vt tali exce-
ptione cessante, & stipulatio & alij contractus,& testatoris voluntas indubitatè valeant:exactio-
ne videlicet post conditionem vel diem competente.Hæc Iustinianus.Nec sanè in Iure Ciuili no- 8
uum est,vt non tam ordo scripturæ spectetur,quàm ex iure sumatur,id quod agi videatur[g]. Porrò
Leonis Constitutionem, cuius hic fit mentio,existimo hodie non extare.
¶ *Dare spondes?*]Idem & si quis spondeat facere:veluti, insulam,cùm morietur, ædificare. Nam
& hanc stipulationem valere voluit Iustinianus[h], & hæredes teneri.
¶ *Et apud veteres vtilis erat.*]Eam enim apertè probat Paulus[i], & ipse quoque Vlpianus[k]. Eclu- 9
lianus huius conditionis verba,Cùm moriar, liber esto:ad sustinendum id quod agitur,benignius
interpretatus est,vt post mortem suam videatur testator ei libertatem reliquisse[l].Atque ita definit
illam quæstionem,de qua Taurus Philosophus apud Gellium, lib.6.cap.13. disputat, cùm ab eo 10
quæsitum esset;quando moriens moreretur:cùm iam in morte esset,an tum etiam cùm in vita fo-
ret.Et refert quidem Gellius, quod Iuliani nostri sententiam confirmat , multos nihil in eo tem-
pore vitæ reliquisse,totumque illud quod mori dicitur,morti vindicâsse. Certè Plato neque vitæ,
neque morti id tempus dedit:sed expressit aliud quoddam nouum in confinio tempus,quod ap-
pellauit τὴν ἐξαίφνης φύσιν [repentinam naturam.]

g L.nec enim de solut.l.talem.§.1. de hæred.instit.
h L.vlt.C.de contrah.stip.
i L.hæreditarium. de reb.auto.iud.possidē.
k L.quodcunque.§.si-cuti.& §. non solum. de verb.obliga.
l L.qui duos §.hæc cō-ditio.de manu. testa.

¶ *Et nunc valet.*] Totam autem vim suam habet post mortem, vt iam dictum est, & apertè
probat Paulus, inquiens[m], Hæreditarium æs alienum intelligi, etiam id de quo cum defun-
cto agi non potuit: veluti quod is, cùm moreretur, daturum se promisisset. Iustinianus pau-
lo ante[n], hanc stipulationem; Si in Capitolium non ascenderit; similem putauit huic, Cùm mo-
reretur.
¶ *Si scriptum in instrumento.*] Vel etiam priuata scriptura,veluti epistola. Sic enim rescripserunt 11
Seuerus & Antoninus[o]. Licet epistolæ,quam libello inseruisti, additum non sit stipulatum esse
eum, cui cauebatur: tamen si res inter præsentes gesta est, credendum est interrogationem præ-
cessisse, & vocem spondentis subsecutam.
¶ *Promisisse aliquem.*] Quod si agatur de aliqua promissione, quæ non sit instrumento conscri-
pta,etiā si fortè sit appendix & accessio eius,de qua in instrumento agitur:probari oportebit inter-
rogatione

m Dict.l.hæreditariū.
n §.si quis ita.supr.de verb.obligat.
o L.1.C.de cōtra.stip.

12 rogatione præcedente promisſionem ritè factam. Nec hic fuerit ſatis, teſtes ſolùm meminiſſe pro-
miſsionis, neque enim tantum tribuitur verbis teſtium, quantum verbis inſtrumentorum: quia
& multa leuius dicuntur, quàm ſcribuntur. Nec omnes teſtes adeò iuris periti ſunt, vt promiſsio-
nis verbo etiam ſtipulationem intelligant. ¶ *Perinde habetur.*] Non quidem omnino neceſſariò:
nam & promittere poſſumus nudis verbis[a]. ſed quia magis ita fieri ſoleat, & in dubio ita factum
præſumatur. Quòd ſi quis contrarium velit probare, audietur. Sicuti cùm ſcriptum eſt; Rogauit
Titius; Spopondit Mæuius; credimus ſtipulationem ritè factam. at quia id non eſt neceſſe (potuit
enim medium tempus interueniſſe, quod ſtipulationem vitiaret) admittitur in contrarium pro-
batio[b]. Sed & ſi quis ſcripſerit ſe fideiuſsiſſe: videbuntur omnia ſolenniter acta[c]. Id quod poſtea
cum Iuſtiniano tractabimus[d].

¶ *Plures res vna ſtipulatione.*] Hoc eſt, vna verborum conceptione. Interim verò quod attinet ad
ipſum effectum, intelligentur hîc plures eſſe ſtipulationes, vt etiam paulo pòſt indicat Iuſtinia-
nus, ac tot, quot res ſunt[e], ſaltem ſi eæ res ſigillatim expreſſæ ſint in ſtipulatione[f], vel ſanè in ptio-
re aliqua conuentione. Nam & ſi pluribus ſpecialiter pactis, ſtipulatio vna omnibus ſubiicitur,
quamuis vna interrogatio & reſponſum vnum ſubiiciatur, tamen perinde habetur ac ſi ſingulæ
13 ſpecies in ſtipulationem deductæ fuiſſent[g]. Multùm autem intereſt, vnáne ſit plurium rerum ſti-
pulatio, an verò plures. Nam ſi vna ſit ſtipulatio, non poterit res vna ſine altera ſolui inuito credi-
tore, vt curſus vſurarum cohibeatur[h]: quemadmodum venditis rebus pluribus, ſi vna tantùm in-
telligatur venditio, non temerè poterit res vna ſine altera redhiberi[i].

¶ *Comprehenduntur.*] Vel coniuncta, vel ſanè ſoluta oratione, quæ magis accipi ſolet pro coniun-
14 cta[k]. Solutam orationem vocant Iuriſconſulti, quæ nullam habet copulam: veluti, Stichum, Pam-
philum, Eroten dare ſpondes? Sed ſi quis disiunctiuè ſtipuletur Stichum aut Pamphilum: & tu v-
num daturum te ſpoponderis: te non teneri, quia non ſit ad interrogatum reſponſum, tradidit
15 Vlpianus[l]. Sed idem docet; Si ſtipuler Stichum & Pamphilum: tuque vnum ſpoponderis, teneri
te: quia videaris ad vnam ex duabus ſtipulationibus reſpondiſſe[m]. ¶ *Ex pluribus enim.*] Ergo plu-
res hic intelliguntur ſtipulationes, nempe tot, quot ſunt res nominatim expreſſæ in ipſa interro-
gatione, quod etiam paulo antè diximus.

a L. ſciendum §. dictũ de ædil. edict.
b L. iuriſgentium. §. quod fere. de pact.
c L. ſecundũ. de verb. oblig.
d §. vlt. inf. de fideiuſſ.
e L. ſcire debemus. de verb. oblig.
f L. quod dicitur. de verb. oblig.
g L. Titia. §. vlt. de verb. oblig.
h L. tutor. §. Lucius. de vſur.
i L. cum eiuſdem. de ædil. edict.
k L. ſæpe ita comparatum. de verb. ſig. l. 1. §. & ideo. de his quæ in teſta. del.
l L. inter ſtipulantem §. ſi ſtipulante. de verb. oblig.
m Dict. l. inter §. item ſi ego.

§. *Alteri.*

1 *Si pœna ſtipulationi, alteri factæ, adiiciatur, quomodo ſtipulatio valeat?*
2 *Pœna autem adiicienda in perſona ſtipulantis.*
3.4 *Si de pœna conuenerit citra ſtipulationem, eam nõ deberi; niſi quatenus interſit.*
5 *In pœnis ſtipulationum non inſpicimus intereſſe ſtipulatoris, ſed quis ſit ſtatus ſtipulationis.*
6 *Eueniente conditione pœnalis ſtipulationis, pœnam commiſſam dicimus.*
7 *Iudex ad modum iuſtæ exactionis redigere debet ſtipulationem, de cuius iniquitate debitor conqueritur.*

¶ *Inuenta enim ſunt.*] Totus hic locus ad verbum deſcriptus eſt ex reſponſo Vlpiani[n]. ¶ *Si quis
velit hoc facere.*] Vt nõ omnino liberum ſit ac impunitum, fruſtrarier alteri factam ſtipulationem.
1 Nam hic adiecta pœnæ ſtipulatio illud ſolum efficit, vt eius meru promiſſor vltro præſtet, quod
promiſit: vel ſi id non fecerit, pœnam dependat. Non confirmat autem adiectio pœnæ inutilem
ſtipulationem: neque ſolet acceſsio confirmare rem principalem[o].

¶ *Pœnam ſtipulari.*] Sibi. Nam ſi alteri quoque pœnam ſtipuletis, nihil agitur: etiam ſi ſtipuleris
2 ipſi fiſco[p]. Itaque & Paulus quodam loco ait[a]; pœnam adiiciendam in perſona ſtipulantis.

¶ *Vt niſi.*] Hæc eſt apertiſsima pœnalis ſtipulationis formula. Eſt autem & alia quædam obſcu-
rior, veluti, Decem mihi. aut quinque Titio dare ſpondes? Videntur quidem hæc verba ſimplici-
ter ſignificare Titium ſolutioni adiectum: ſi tamen de voluntate contrahentium conſtet perindè
accipientur, ac ſi ſtipulatus eſſem; Titio quinque, & ſi ea Titio non darentur, pœnæ nomine mihi
decem dari[b].

¶ *Pœnam enim cum ſtipulatur quis.*] Stipulationis ſemper meminit, ideoque vulgò aiunt; Si de pœ-
3 na conuenerit citra ſtipulationem, eam non deberi, niſi quatenus interſit. Sed reſponſum Papi-
niani, quod eò referunt, non ita in vniuerſum aut abſolutè loquitur, nec omnino hæret in eo, an
non interſit, ſed præcipuè conſiderat, an dura barbaraque & inhumana eſſet pœnæ exactio. Ait e-
nim[c]; Seruus ea lege væniit, ne in Italia eſſet. Quod ſi aliter factum eſſet: conuenit citra ſtipulatio-
nem, vt pœnam præſtaret emptor. Vix eſt, vt eo nomine vindictæ ratione venditor agere poſsit:
acturus vtiliter, ſi non ſeruata lege, in pœnam, quam alij promiſit, inciderit. huic conſequens erit,
vt hactenus agere poſsit, quatenus alij præſtare cogetur. Quicquid enim excedit, pœna eſt, non rei
perſecutio. Quod ſi ne pœnæ cauſa exportaretur, conuenit: etiam adfectionis ratione rectè age-
tur. nec videntur hæc inter ſe contraria eſſe: cùm beneficio adfici hominem, interſit hominis. E-
nimuero pœnæ non irrogatæ indignatio ſolam duritiem continet. Hæc Papin. Porrò eſt & vbi pœ-
4 na ipſo quidem iure committitur debeturque: ſed eam exigentibus obſtat exceptio, ſi eorum om-
nino non interſit, atque aduerſus eos directò peccatum non ſit. Nam ſi ſtipulatus ſim; Mihi hære-
dique meo ire agere licere, adiecta pœna, ſi contrà factum fuerit: & vnus ex hæredibus meis pro-
hibeatur: ipſo iure aliis quoque pœna committitur: ſed obſtat exceptio, ſi petát, qui prohibiti non

n L. ſtipulatio iſta. §. alteri. de verb. oblig.
o L. quod per manus. de iure cod.
p L. arbiter intra. de recep. arbi.
a L. qui res §. qui ſtipulatur. de ſolut.
b Dict. §. qui ſtipulatur.
c L. ſeruus. ea lege. de ſer. export.

t 3 ſunt,

a L. 2. §. ult. de verb. oblig.
b Dict. l. stipulatio ista §. alteri.

sunt, cùm nec sua interesse, nec ulla se iniuria affectos esse causari possint[a]. ¶*Quæ sit quantitas in conditione stipulationis.*] Apud Vlpianum est[b]; QVÆ SIT QVANTITAS, QVÆQVE CONDITIO STI- 5
PVLATIONIS. Et sanè primùm inspicitur an euenerit conditio pœnalis stipulationis, qua euenié- 6
te pœnam commissam dicimus. Inspicitur & quæ sit conditio qualitásve principalis stipulationis.
Nam si hæc stipulatio aut turpis esset, aut impossibilis, frustra pœna adiiceretur[c]. Porrò cùm præ-
cipuè inspici dicimus quantitatem pœnæ promissæ; non fatemur semper exigi posse, quantacun-
que ea sit. Iustum enim aliquem modum seruari debere iudicamus, quem Iustinianus[d] reliquit
prudentis iudicis æstimationi: sicuti & olim Marcus[e] Imp. rescripsit; Præsidem ad modum iustæ
exactionis redigere debere stipulationem, de cuius iniquitate debitor conquerebatur.

c L. si homo mortuus. de verb. obligat.
d L. vna. C. de sentēt. quæ pro eo. quod inte.
e L. cū quidā. de usur.

§. *Sed & si quis. cum aliquot seq.*

1 *Alteri nonnunquam rectè nos stipulari.*
2 *Si Procuratori dari stipulemur, valet stipulatio.*
3 *Quod à principio parum constat, ex caussa superueniente confirmari potest*
4 *Si quis alij stipulatus sit, cum iam eius interesset; & postea interesse desierit; desinit quoque stipulatio?*
5 *Non procul accersendus color cur nostra interesse videatur.*
6 *Propriæ rei dandæ inutilis est stipulatio.*
7 *Quid, si rem stipuler, quæ postea mea fiat?*
8 *Rem, quæ iam nostra est, sub conditione rectè stipulamur.*
9 *Cur dissensus in re stipulationem vitiet?*
10 *Iudicium non pendet à rei dissensu.*
11. 12 *In negotiis contrahendis error interueniens contractum vitiat.*
13 *Aliud est, ubi erratur non in corpore, sed in qualitate materiæ.*
14 *In emptione consensus in corpore non prodest; si vel in materia vel in qualitate erratum sit.*
15 *Vini & aceti eandem propè esse naturam.*
16 *Error solius nominis rei nihil obest.*

f Dict. l. stipulatio ista §. si stipul.

¶*Sed & si quis.*] Hic quoque locus sumptus est ex responso Vlpiani[f]. Cuius verba (nam operæ-
precium est conferre) sunt hæc; Si stipuler alicui, cùm mea interesset: videamus an stipulatio com-
mittatur. Et ait Marcellus stipulationem valere in specie eiusmodi: is qui pupilli tutelam admini- 1
strare cœperat, cessit administratione contutori suo: & stipulatus est, rem pupillo saluam fore: ait
Marcellus posse defendi, stipulationem valere. Interest enim stipulatoris fieri, quod stipulatus est:
cùm obligatus futurus sit pupillo, si aliter res cesserit. Si quis insulam faciendam promiserit aut
conduxerit, deinde ab alio, insulam stipulatori fieri stipulatus sit. aut si quis, cùm promisisset Ti-
tio fundum Mæuium daturum. aut si is non dedisset, pœnam se daturum, stipulatus à Mæuio fue-
rit fundum Titio datum iri. Item si quis locauerit id faciendum, quod ipse conduxerat: constat
habere eum utilem ex locato actionem. Si quis ergo stipulatus fuerit, cùm sua interesset ei dari: in
ea erit causa, ut valeat stipulatio. Vnde & si procuratori meo dari stipulatus sim, stipulatio vires ha- 2
bebit, & si creditori meo: quia interest mea ne vel pœna committatur, vel prædia distrahantur,
quę pignori data erant. ¶*Cum eius interesset.*] Sed etsi postea primum cœperit interesse, confirma-
tur stipulatio. Illudque in Iure nostro frequens est; ut quod à principio parum constabat, ex causa 3
superueniente confirmetur[g]. Et in exemplo, quod hic subiungitur, nondum intererat tutoris pu-
pillo stipulantis: sed occurritur imminenti periculo, si quando intersit. Nam & e diuerso, si quis 4
alij stipulatus sit, cùm iam eius interesset, & postea interesse desierit: desinit quoque valere stipu-
latio[h]. Scio tamen id ab aliis detorqueri ad contrariam sententiam. Sed cuique liberum per me
sit, sequi quod volet.

g L. existimo. §. etiam si vinū de ver. oblig. l. si à Titio de reb. cre. l. si procuratorem. D. manda.
h L. si sub vna. §. ult. de ver. obli. l. pro parte. de seruit.
i L. 1. § pen de Mag. conuenien.
k L. nam etsi. de dolo.
l L. si sterilis §. cū per venditorē. de act. em.

¶*Tenet obligatio.*] Et stipulanti quidem competet actio directa: ipsi verò pupillo utilis: quemad-
modum & ubi magistratus vel seruus publicus stipulatur, rem pupilli saluam fore[i]. ¶*Et si credi-* 5
tori.] Debitori autem nostro frustra stipulamur, si non alio nomine interest, quàm quòd referat
habere locupletem debitorem. quia aduersus inopem inanis sit actio[k]. Neque enim morari sole-
mus tam incertam causam, & procul quæsitum colorem, cur nostra interesse videatur[l]. ¶*Quis
stipulatus sit.*] Nempe ad dissoluendam suam obligationem, qua creditori tenebatur. Nam de hac
stipulatione hîc propriè Iustinianum agere sequentia verba indicant. ¶*Versa vice.*] Hic quoque
locus sumptus est ex Vlpiano[m]. & nos suprà eius meminimus. Itaque aliò pergamus.

m L. stipulatio ista. §. at si quis de ver. oblig.
n L. nemo rem suā. 2. de verb. oblig.

¶*Item nemo.*] Hęc etiam regula descripta est ex responso Vlpiani[n]. Porrò autem inutilem esse rei 6
propriæ dandę stipulationem, suprà satis dictum est. Videamus nunc de stipulatione rei, quę qui-
dem nostra non est tempore stipulationis, sed nostra postea facta est. Et sanè si simpliciter rē ali- 7
quam stipuler, quæ postea mea facta est ex alia causa, antequam à promissore traderetur: si qui-
dem fuerit causa lucratiua, fiet inutilis stipulatio[o], exemplo legatorum, de quibus suprà suo loco
diximus[p]. Quod si expressim stipuler rem, cùm mea erit: inutilis statim erit stipulatio, habita ra-
tione temporis, in quod confertur. Idem & si ascribatur alia conditio, sub qua res futura est mea
ex alia causa. Vt si rem mihi sub conditione legatam stipuler sub eadem conditione: quanquam
valere possit stipulatio, si adiiciatur non tam nouæ obligationis. & acquisitionis ergò, quàm ad
confirmationem & executionem alterius prioris obligationis[a]. Sanè rem, quæ iam nostra est, sub 8
conditione rectè stipulamur: ut valeat stipulatio, si fortè res nostra esse desierit tempore conditio-
nis[b].

o L. inter stipulantem § si rem. de ver. obli.
p §. si res sup. de lega.
a L. 1. §. si quis sui cōditione. D. ut lega. no. caueat.
b L. si rem meam l. existimo de ver. obli.
c L. continuum, §. 1. de verb. oblig.

¶*Si de alia.*] Inquit Venuleius[c]; Si hominem stipulatus sim, & ego de alio sensero, tu de alio: ni-
hil actum

9 hil actum erit Nam stipulatio ex vtriusque partis consensu perficitur. Idque probat totidem verbis Paulus[a]: sed non probat, quod Aristo idem esse putârat in iudiciis, & reddit rationem discriminis; quòd stipulatio ex vtriusque consensu valeat; iudicium autem etiam inuitum reddatur. Et ideo potius actori credendum esse: nam & alioqui negaret reus se consensisse, & facilè iudicium e-
10 luderet, si id pêderet ab eius dissensu. ¶ *De alia re.*]Quam scilicet principaliter stipulamur. Nam si tantùm sit quædam accessio, dissensus in ea re nô vitiabit principalem obligationem. Vt si cùm fundum emerem, stipuler Stichum accessurum[b]. ¶ *Nulla contrahitur obligatio.*] Iuquit Pompo-
11 nius[c]: In omnibus negociis contrahendis, siue bonæ fidei sinr, siue non sint, si error aliquis inreruenerit, vt aliud sentiat, puta qui emit, aut qui conducit: aliud, qui cum his contrahit, nihil valet
12 quod actum sit. & idem in societate quoque coëunda respondendum est: vt si dissentiant, aliud alio existimante, nihil valeat ea societas, quæ in côsensu non consistir Hæc Pomponius. At hîc quidem, vbi scilicet erratur in ipso corpore, similis est stipulatio bonæ fidei côtractibus. Sed aliud est,
13 vbi tantùm erraretur in mareria siue qualitate ipsius corporis. Etenim si id quod autum putabam cùm æs esset, stipulatus à re fuero: teneberis etiam æris nomine: quoniã in corpore côsense rimus,
14 inquit Paulus[d]. At in emptione contrahenda nihil profuerit nos in corpore consensisse, si vel in materia vel qualitate erratum sit[e]. Quæ tamen res non catuit olim controuersia: Cùm enim esset quæsitum, an constaret venditio, si in ipso corpore non erretur, sed in substantia: vt puta si acetum pro vino væneat, aut æs pro auro, vel plumbum pro argento: putauit quidem in vniuersum Mar-
15 cellus constare venditionem. Sed Vlpianus non probat eius sententiam nisi in vino, quia eius, & aceti eadem propè sit *vsia*[f]. Porrò vbi in solo rei nomine erratur, nihil id obesse vel stipulationibus, vel aliis contractibus, vel iudiciis, vel vltimis voluntatibus, clarissimum est.

a L. inter stipulantẽ. §. si Stichũ. de ver. obl.
b L. si in emptione fũdi. de côtrah. empt.
c L. in omnib. negociis. de act. & obligat.
d L. si id quod aurum. de verb. oblig.
e L. si et[illegible]. §. quantum. de act. empt.
f L. in venditionibus de contrah. empt.

§. *Quod turpi. cum seq.*

2 Turpes conditiones nullius sunt momenti.
3 Si promissio turpis ipsa non est, licet turpiter extorta, seruanda est propter religionem sacramenti.
4 Patratum scelus non modò impunitate sed & præmio donari.
5.6 Promissum in annos singulos, in principio anni cuiusque petitur.
7 Fructus non prius debentur quàm nati sint.

1 ¶ *Quod turpi.*] Inquit Vlpianus[g]; Generaliter nouimus turpes stipulationes nullius esse momẽti, & subiicit Pomponius. Veluti si quis homicidium, vel sacrilegium se facturum promittat. Sed & officio quoque Prætoris continetur, ex huiusmodi obligationibus actiones denegari. Id quod multis aliis locis in iure nostro, & tam Iurisconsultorum responsis, quàm Cæsarum rescriptis tra-
2 ditum est[h]. Eaque de re grauissimè differit Tullius lib. 3. Offic. Sed breuissimè noster Papinianus[i], Si (inquit) flagitij faciendi vel facti causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet. ¶ *Turpi ex causa.*]Siue etiam sub turpi conditione: nam & ea impossibilis habetur[k]. ¶ *Promissum est*]Etiam addita iurisiurandi religione[l]. Nulla est enim religio, qua obstringamur turpiter facere. Estque hic Deo gratior præuaricatio quàm obedientia, vt ait Iustinianus in Nouella sua Côstit. 51. Cæte-
3 rùm si non esset ipsa turpis promissio, licet turpiter fortassis extorta, erit tamen seruanda propter religionem sacramenti, cùm honestè possimus eam seruare. ¶ *Veluti si quis homicidium.*]Agit ergo solum hic Iustinianus de causa, quę ex vtraque parte turpis est: ex qua nulla quidem est obligatio. Sed si quid vltro fuerit solutum, repeti non poterit: quia in pari turpitudinis causa, potior est conditio possidentis[m]. Cæterùm si tãtùm turpitudo versetur in stipulatore, vt si ei quid promittatur, ne homicidium faciat: valet fortassis ipso iure promissio. sed qui ex ea aget, exceptione summouebitur, nô enim debet aliquid petere, vt malè non agat. Et si quid vltro fuerit solutum, repeti poterit[n]. Quod si turpitudo sit in promittente solùm, vt fortassis obstet petenti exceptio, tamen non petere tur solutum. Vt si quid promittam meretrici, turpiter ipse facio: sed ipsa postquã iam semel sese prostituit, non inhonestè accipit[o]: ideoque nec repeti potest. ¶ *Facturum.*] Idem & si quid
4 promittatur flagitij iam facti nomine[p]. Nam indignum fuerit, perpetratum scelus nô modò impunitare, sed etiam præmio donari, quo delinquens animosior fieret in posterum ad de[illegible]dum. Nefas autem est aliquem ad malum spe præmij pellici. Nec est malitiis hominum [illegible]gedum[a].

g L. generaliter. de verb. oblig.
h L. iurisgentium. § si paciscar. in fi. l. si vnus §. pacta. de pact. l. pacta. quæ contra C. de pact. l. non dubium. C. de legib.
i L. si flagitij. de ver. oblig.
k L. filius. de cõd. inst.
l Dict. §. si paciscar.
m L. 1. de cond. ob tur. cau.
n Dict. l. g in fi. & l. 2. D. illotis.
o L. idemque. §. sed quod meretrici. D. illo tit. l. si ea quæ l. si adulterium. C. ad leg. Iul. de adult.
p L. si flagitij. de verb. oblig.

¶ *Idem & ex promissoris parte.*] Inquit Iulianus[b]; Si quis, si Titius Consul factus erit, decem dare spoponderit: quamuis pendenre conditione promissor moriatur, hæredem relinquit obligatum. Idemque esse & in legatis traditum est[c]. Idque suprà explicuimus, vbi Iustinianus docuit (quod hîc rursus inculcat) spem condirionalis obligationis transmitti in hæredem[d].

¶ *Qui hoc.*]Hic locus ad verbum descriptus est ex responso Pomponij[e]. ¶ *Hoc anno, aut hoc mense.*]Non item, si non hodie. Tum enim rectè agi posset anre eum præteritum[f]; quasi hic dies adiectus sit non vt differatur actio, sed quo præsens promissio significetur. Sanè & vbi tempus adiice-
5 retur, limitãdæ constringendæque obligationis causã, quæ esset alioqui perpetua: vt si stipuler decem annua quoad viuã: hic traditum est, decem deberi, exigique posse principio cuiusque anni[g]; cuius si esset finis expectandus, facilè posset obligatio elidi. quid enim si interea morerer? Postre-

a L. in fundo. §. vlt. de rei vind.
b L. si quis Titius. de verb. oblig.
c L. legatũ sub conditione. de cõd. & dem.
d §. ex conditionali. sup. de verb. obli.
e L. [illegible] hoc anno. de verb. oblig.
f L. liber homo. §. decem de verb. oblig.
g L. nec semel. D. quãdo dies lega. ced. l. in singulis. de annu. lega.

mò & vbi tempus adiiceretur tantùm multiplicandæ (vt ita loquar) obligationis ergò: vt, si fuero simpliciter stipulatus decem singulis annis; etiam initio cuiuslibet anni peti poterunt. Illud autem palàm est; si debeantur fructus, semper tempus expectari debere, quo fuerint nati: nec prius deberi[a]. ¶ *Dari stipulatus est.*] Idem & in legatis.

a L. pater l. Firmio Heliodoro D. quando dies lega. ced.

IN TITVLVM SEQVENTEM

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Continuatio tituli.*
2 *Fideiußio est quasi appendix verborum obligationu.*
3 *Fideiußiones Resp. nocent.*
4 *Fideiussor à mandatore & constituta pecunia reo differt.*
5 *Expromissores reo liberato, solos se obligant.*

b L. 5. §. satis acceptio. de ver. oblig. l. blàdstus. C. de fideiuß.



CVM fideiußionis obligatio semper ineatur verbis, nec sine stipulatione fiat[b], etiam si principalis obligatio, cui accedit, re aut consensu contrahatur; rectè Iustinianus eam retulit inter verborum obligationes: quarum etiam maximè solet esse veluti appen- 1
dix. Est autem fideiußionis frequentißimus vsus. Quoties enim debitor non satis est (vt Græci dicunt) ἀξιόχρεως [locuples, & qui soluendo sit] vel vbi nobis magis cautũ esse volumus; adsciscimus vadem, qui rem sua fide esse iubeat, & omne periculum obligationis præstet, non rarò suo magno malo, quia sit inanis aduersus inopẽ reum actio: ne temerè factum putes, quod sacris veterum oraculis admoneamur; Sponsioni noxam præsto esse: & quod olim Græci Prudentes dicebant; Periculosum esse ἀναδέχεσθαι, [in se recipere fidemq; dare.] Certè & Salomon in suis Prouerbiis, nos deterret, ne paßim ac temerè fideiubeamus. Nam & plerunque hæc res nocet Reipub. quòd 3
lites gignat; & multas familias subuertat. Porrò hîc notandum est; fideiussoris appellationem esse 4
generalem: distingui tamen à mandatore, & constituta pecunia reo. Mandatum præcedit obligationem[c]: Constitutum verò sequitur[d]. At fideiußio non minus præcedere quàm sequi potest, vti mox dicemus. Omnium autem est par & similis obligatio: & omnes æquè tuetur Iustinianus Nou. sua Cõst.
4. *Cæterùm expromissorum alia est ratio. Hi enim propriè non accedunt alienæ obligationi, sed nouam principalem ineunt; & reo liberato, se solos eius loco obligant.* 5

c L. si verò non remunerandi. §. si post. D. manda.
d L. vlt. C. de constit. pecu.

De fideiussoribus, Titulus XX.



PRO eo qui promittit, solent alij obligari, qui Fideiussores appellãtur: quos homines accipere solent, dum curant, vt diligentius sibi cautum sit. In omnibus autem obligationibus adsumi possunt, id est, siue re, siue verbis, siue literis, siue consensu contractæ fuerint. At nec illud quidem interest, vtrùm ciuilis an naturalis sit obligatio, cui adiicitur fideiussor: adeò quidem, vt pro seruo quoque obligetur, siue extraneus sit, qui fideiussorem à seruo accipiat: siue ipse dominus in id, quod sibi naturaliter debetur.

Fideiussor non tantùm ipse obligatur, sed etiam hæredem relinquit obligatum.

Fideiussor & præcedere obligationem, & sequi potest.

Si plures sint fideiussores: quotquot erunt numero, singuli in solidum tenentur. Itaque liberum est creditori, à quo velit, solidum petere. Sed ex epistola diui Hadriani compellitur creditor à singulis, qui modò soluendo sunt litis constante tempore, partes petere. Ideoque si quis ex fideiussoribus eo tempore soluendo non sit: hoc cæteros onera[illegible]si ab vno fideiussore creditor totum consecutus fuerit: huius solius detrimentum cr[illegible], pro quo fideiussit, soluendo non sit: & sibi imputare debet, cùm potuerit iuuari ex epistola diui Hadriani, & desiderare, vt pro parte in se detur actio.

Fideiussores ita obligari non possunt, vt plus debeant, quàm debet is, pro quo obligantur. Nam eorum obligatio accessio est principalis obligationis. nec plus in accessione potest esse, quàm in principali re. At ex diuerso, vt minus debeant, obligari possunt. Itaque si reus decem aureos promiserit, fideiussor in quinque rectè obligatur: contrà verò obligari non potest. Item si ille purè promiserit, fideiussor sub conditione promittere potest: contrà verò non potest. Non solùm autem in quantitate, sed etiam in tempore minus aut plus intelligitur. Plus est enim statim aliquid dare: Minus est, post tempus dare.

Si quid autem fideiussor pro reo soluerit: eius recuperandi caussa, habet cum eo mandati iudicium.

Græcè

Græcè etiam fideiussor ita accipitur, τῇ ἐμῇ πίστει κελεύω ἐγώ. sed & si dixerit, θέλω, siue βούλομαι, sed & φημί: pro eo erit, ac si dixerit, λέγω.

In stipulationibus fideiussorum, sciendum est hoc generaliter accipi: vt quodcunque scriptum sit quasi actum, videatur etiam actum. Idcoque constat, si quis scripserit se fideiussisse: videri omnia solenniter acta.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 *Fideiussio nisi persona principaliter obligata adsit, nullius est momenti.*
2 *Pro iacente hæreditate fideiussor rectè interuenit.*
3 *Fideiussor pro fideiussore accipi potest.*
4 *Debitor principalis an cogi soleat dare fideiussores.*
5 *Stipulator si hæredem scribat fideiussorem, perimitur obligatio fideiussionis.*
6 *Pro ignorante, & inuito etiã potest quis fideiubere.*
7 *Fideiussionis vsus & finis.*
8 *Filiusfa. etiam fideiubere pro patre potest.*
9.10 *Etiam post accepta pignora, rectè accipiuntur fideiussores.*

PRo eo.] Hic indicatur persona, quæ subesse debet, pro qua scilicet fideiussor interueniat. Alio-
1 qui enim nihili esset fideiusio. Vnde Papinianus[a]. Postquam (inquit) hæres ab hostibus captus est, conditio legari, cuius nomine proposita stipulatione cautum fuerat, extitit. Fideiussores interim teneri negaui: quia neq; ius neque persona esset, ad quã verba stipulationis dirigi posint. Sanè tamen si rectè semel & purè contracta sit fideiussoris obligatio, cùm scilicet persona subesset, pro qua intercedebatur: ea rata manebit, licet postea reus principalis sine hærede decesserit[b]. Sed
2 & pro hæreditate iacente interuenire potest fideiussor. Sic enim respondit Florentinus[c]. Mortuo reo promittendi, etiam ante aditam hæreditatem, fideiussorem accipi posse: quia hæreditas personæ vice fungatur. ¶ *Qui promittit.*] Vel etiã pro eo qui iã promisit, aut certè aliquando promissurus est, & eandem cum fideiussore subiturus obligationem. Porrò quanquam hic Iustinianus agat
3 propriè de principali reo debendi, primoque promissore: tamen & pro fideiussore accipi quoque posse fideiussorem, respondit Vlpianus[d]. ¶ *Solent.*] Non etiam coguntur. Nam nec principalis
4 debitor cogi solet dare fideiussores: nisi etiam prom fierit satisdare: vel nisi interim dum nondum venit dies agendi, oboriatur iusta caosa, propter quam iure petat creditor sibi magis caueri, veluti propter iustam & nouam suspicionem fugæ[f]. Sed & si à lege differatur solutio, vel à Principe, vel à Iudice: interim æquum est, vt creditori caueatur[g]. Porrò & legatorum nomine, hæres cauere debet: quod lib. 36. Pandect. latius tractatur. Præterea & reus iudicio conuentus, multis ex causis satisdare cogitur: quod pertinet ad titulũ de Satisdationib[o], quẽ libro sequẽti enarrabim[o]. ¶ *Alij.*] Necesse enim est vt tertia accedat persona. quæ fideiussoris nomẽ subeat. Nam neque debitor ipse sibi fideiussor esse potest[h], nec creditor apud sese. Vnde & si stipulator fideiussorẽ hæredem scripse-
5 rit, perimitur fideiusionis obligatio[i]. ¶ *Obligari.*] Verbis scilicet, hic enim semper interuenire debet stipulatio[k]. Quod si quis se pro alio non obligârit, licet fortasis alienæ obligationis tabulas vt testis signauerit: non poterit vt fideiussor conueniri[l]. Quanquam aliquando fauore pupillorũ, tãquam fideiussores obligẽtur, qui cùm inter fideiussores in actis nominãtur, & sunt præsentes, tacuerunt[m]. ¶ *Quos homines accipere solent.*] Necesse est vt fideiussor, quem creditor sibi vult obligare, accipiatur ab ipso creditore: vt scilicet ipse vel alius eius nomine stipuletur à fideiussore. Cæte-
6 rùm nõ semper debitor ipse dat fideiussorem. Nam & pro ignorante[n], atque adeò pro inuito[o], potest quis fideiubere. ¶ *Dum curant.*] Nempe cùm ad eos omnino pertineat id curare, vtpote qui creditores sunt, & alium habent obligatum. Cæterùm vt non accipitur fideiussor pro eo, qui obligatus nõ est: ita nec is sibi accipere poterit, qui principalis creditor non est[p], etiam si fortè alioqui solutioni adiectus fuerit[q]. ¶ *Vt diligentius sibi cautum sit.*] Hic Iustinianus indicat finẽ & vsum fi-
7 deiusionis, nempe vt aliquid cautionis ex ea creditori accedat. Quantuluncunque autẽ id fuerit, satis est ad sustinendã fideiusionẽ. Adeò vt etiam filiusfa. pro patre posit fideiubere. neque enim
8 omnino (inquit Vlpianus) sine effectu erit hæc fideiusio, primũ quidẽ, quòd sui iuris effectus poterit teneri in id, quod facere potest: deinde quòd etiam dum in potestate manet, cõdemnari potest. Sed & si plenisimè alicui cautũ esset, nẽpe datis pignoribus, quibus tutius est incũbere, quàm
9 in personam agere[b]: tamen adhuc rectè accipietur fideiussor. semper enim eius accesio addit aliquid cautionis. posũt perire pignora aliquo casu fortuito: hic acceptus fideiussor erit vsui: qui conueniri rectè poterit, etiã si tantùm in id esset acceptus, quãto minus ex pretio pignoris distracti seruari posset[c]. Sanè si & pignora data sint & fideiussores simpliciter accepti: in arbitrio creditoris erat hoc iure, vel pignora persequi, vel cum fideiussoribus agere[d]. Quanquam aliud sit, vbi non nisi in id quod ex pignore seruari non posset, fideiussor esset acceptus, vel expresè[e], vel tacitè ex verisimili contrahentium mente[f]. Porrò si post fideiussores accedant pignora, non ideo videbuntur li-
10 berati fideiussores[g]. Tribuẽt autem pignora aliquid etiam cautionis ipsi fideiussori. Nam si is pro debitore satisfecerit creditori, pignora nisi pro alio quoque debito creditori obligata sunt[h], transferentur in fideiussorem: eique quasi creditori obligata intelligentur[i].

a L. postquam D. vt legat. no. caue. & l. fideiussor. 16. de fideiuss. & mand.
b L. 1. §. idem Pomponius in fi. D. deposi. l. si sine hærede. de adm. tut.
c L. mortuo. de fideiuss.
d L. Græcè. §. vlt. de fide.
e L. qui satisdare. de fideiuss. l. qui autem. §. 1. de constit. pec.
f L. omnibus. de indic. l. si creditores. de priu. credit.
g L. si constante §. quoties D. solu. mat. l. vniuersæ. C. de precib. Imp. offeren. l. si debitori. de indic.
h L. hæres à debitore. §. seruo tuo. de fideiuss.
i L. hæres à debitore §. quod si stipulator.
k L. blanditus. C. de fideiuss.
l L. si pater tuus. C. de fideiuss. l. Caius. de pigner. act.
m L. cùm ostendimus. D. de fideiuss. C. nominat §. fin.
n L. fideiubere. de fideiuss.
o L. si pro te. D. mãda.
p L. fideiussor obligari de fideiuss.
a L. si mihi aut Titio. D. illa iii.
b L. plus cautionis de reg. iur.
c L. amissi. de fideiuss.
d L. inter eos. §. creditor. D. eod.
e L. missu. C. eod.
f L. inter creditorẽ & debitorem. D. eod.
g L. etiam. C. eod.
h L. 2. C. eod.
i L. Paulus D. eod.

§. In omni-

§. *In omnibus.*

1.4 Omni obligationi fideiussor accedere potest.
2 An dotium fideiussor dari possit?
3 Pro obligationibus ex delicto rectè fideiubet.
5 Sed, quid si non agatur de eo quod interest, sed de criminis? vel capitalis supplicio?
6 Quid, si fideiussor reum criminis exhibere nequeat?
7 Fideiussor tantùm naturali, tantumq́; ciuili obligationi adhibetur.
8 An pro furioso vel prodigo teneatur fideiussor.
9 Non potest fideiussor pro eodem & eidē esse obligatus.

a L.1.de fideiuss.
b L.testa.datos.de testa.tute.
c L.Gracè.§.sed et si.de fideiuss.
d L.si quis pro eo.§.ult.de fideiuss.
e L.minimè.C.de appell.

¶ *In omnibus.*]Sic Vlpianus[a];Omni obligationi fideiussor accedere potest.Certè quod statutum
est ne fideiussores dotium dentur;sic accipiendū esse accepimus;vt eos maritus dare non cogatur, 1
non etiam quod prohibeatur si velit. Durum esset ab inuito exigere hanc fideiussionem. Cur e- 2
nim subire hanc satisdationis contumeliam (vt Vlpianus loquitur[b]) iuberetur?Sed si id non modò non recuset, sed vltro etiam velit, cur non possit? ¶ *Sine consensu.*]Siue etiam ex delicto.Sic e-
nim ait Vlpianus[c]: Sed & si ex delicto oriatur actio: magis putamus teneri fideiussorem.Et gene- 3
raliter, omnium obligationum fideiussorem accipi posse nemini dubium est.Sic & Paulus[d]: Pro 4
furti actione (inquit) fideiussor accipi potest: item pro eo, qui in legem Aquiliam commisit.
Sed quid si non agatur de eo, quod interest, verùm de crimine? Certè vbi capitalis supplicij cer-
tum periculum impendet, non recepimus vadis fidem vicariam: ne quando nocens delicti sui 5
violatæque fidei consequatur impunitatem, & innocens subiiciatur periculo alienæ perfidiæ: vt-
pote cum rara sit illa Damonis & Pythiæ fides. Sed vbi nondum apparet vllum esse certum capi-
tis periculum:potest reus fideiussoribus iuuari:veluti vt è vinculis liberetur,& à reatu soluatur da-
tis vadibus. Idque etiam tribuit Constantinus reo iam condemnato, qui prouocauit[e]. quod nos
hodie vulgò dicimus *eslargir à caution.* Græci vocant ἐξεγγυᾶν siue ἐξεγγυᾶσθαι, & διεγγυᾶν siue διεγγυᾶσθαι, cùm fideiussor sua spōsione reum liberat,& reatu soluit. Vnde Demosthenes ἵνα (inquit) τοὺς ἀπαχθέντας ἐξεγγυησάμενοι, ἑαυτοὺς ἐάσωσι βάλλεσθαι λύεσθαι. Hinc διεγγύησις dicitur fideiussoris interuentio ὑπὲρ τοῦ εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπαγομένου. [Pro aliquo in carcerem coniecto,] inquit Budæus in suis Commentariis. Porrò si quis reum criminis, pro quo satis dederit, non exhibuerit:
pœna pecuniaria tantùm plectitur,si nullo ejus dolo factum sit,vt eum non possit exhibere. alio- 6
qui autem etiam extra ordinem grauius punitur[f]. ¶ *Ac nec illud quidem.*]Inquit Iulianus[g]; Fide-

f L.si quis reū criminis de custo.& exhibi. reor.
g L.fideiussor obligari §.fideiussor de fideiuss.
h L.si quis postquam. de fideiuss.
i L.si sub impossibili. de fideiuss.
k L.Marcellus.D.hoc tit.
l L.si à reo.§.si à furioso.D hoc tit.
m Dict.l.si à reo.§.adeò.
n L.si quis pro eo.§.1.D.hoc tit.

iussor accipi potest,quoties est aliqua obligatio, ciuilis vel naturalis,cui applicetur. Porrò licet nō
admodum referat,qualis tandem sit obligatio:oportet tamen aliquam esse. Si quis enim fideius- 7
serit pro eo,qui iam liberatus erat,nulla est fideiussio[h]. Et si sub impossibili conditione stipulatus
sim: fideiussor adhiberi non potest,inquit Caius[i].
¶ *Vt pro seruo quoque.*] Vel etiam pro pupillo,qui sine tutore contraxit. Nam nec huius fideiusso-
ribus succurri Marcellus ait:nec mandati quidem actionem competere[k]. Addit Marcellus, idem
esse de furioso & prodigo.Sed Caius alio loco docet[l],id accipiendum esse de eo,qui ante furorem, 8
vel priusquam iudicatus esset prodigus,erat obligatus. ¶ *Siue ipse dominus.*] Et siue ipse quoque
dominus à fideiussore stipuletur,siue seruus[m], qui principalis est debitor. ¶ *In id quod sibi.*] Edi-
uerso autem in id quod dominus seruo naturaliter debere posset, fideiussorem seruus à domino
non potest accipere:quia non potest fideiussor pro eodem & eidem esse obligatus,inquit Paulus[n].
Obligaretur autem hic fideiussor ipsi domino debitori,cum ei per seruum quæratur ex stipulatio- 9
ne obligatio.

§. *Fideiussor.*

1.2.5 Fideiussoria obligatio transit in hæredes. fallit num.3.
4 Obligatio accessoria principali vbi cedat?

o L.1.C.ne ex del. defunct.
p L.fideiussoris.C. hoc tit.l. generaliter. D.hoc tit.

¶*Fideiussor,*]Qui scilicet accessit eiusmodi obligationi, quę etiā pertinet ad hęredem principalis 1
rei. Neque enim fideiussor plus oneris, quàm reus ipse, ad hæredē transmittet: sed quandiu durat
principalis obligatio,durabit & fideiussoria:vt si fideiussor moriatur adhuc reo superstite, qui ex
delicto conueniri potest: proculdubio & fideiussoris hæres conueniri poterit.Nec ineptum fuerit, 2
si hic dicamus;fideiussoris hæredem in eadem esse conditione, in qua est hæres rei principalis. Er-
go cùm pœnalibus actionibus delinquentium hæredes non teneantur, nisi fuerit lis cum reo ad-
huc superstite cōtestata[o]:nec iis tenebitur hæres ei[p] fideiussoris,qui accessit obligationi ex delicto:
nisi fortassis certa cōmissi delicti pœna iam fuisset inter creditorē & debitorē veluti definita, eius-
que nomine fideiussor acceptus. Sicque traditū est obligationē fideiussorū, qui promiserūt aliquē 3
iudicio sistere,ad hæredes non pertinere,nisi in certam quantitatem fideiusserint. Itaque & moribus Galliæ iam receptum est,vt nunquam reus cōperēdinetur, nisi fideiussoribus in certā pecuniā
datis. ¶ *Hæredem.*] Proprium, & qui non sit ipsius quoque principalis debitoris hæres. alioqui
confunderetur perimereturque fideiussoris obligatio: & is non posset conueniri, nisi tanquā hæ-
res debitoris[p].Cedit enim obligatio accessoria principali, quoties vtraque in vnam personam cō- 4
currit. sed id tantùm, quatenus creditoris non interest. vtpote cui satis cautum sit ex principali
obligatione.

obligatione. Alioqui certè nihil confunderetur, si omnino eius interesset manere fideiussoris obligationem, vt sæpe eius interest[a].

¶ *Relinquit obligatum.*] Impp. Diocletianus & Maximianus rescripserunt[b], Fideiussoris hæredem exemplo rei principalis teneri. Fortaßis aptius erat, si dixissent, teneri exemplo hæredis ipsius rei principalis. Vlpianus[c] ait; fideiussoré relinquere hæredem obligatum, quia rei locum obtineat.

a L. heres à debitore. §. quod si seru. D. hoc tit. l. debitor fideiussoris. de separat. l. Stichū §. quod vulgo. de solu.*
b L. fideiussoru. C. de fideiuß.
c L. 4. §. vlt. de fideiuß.

§. *Fideiussor.*

1 Mandator precedit obligationem, nunquam sequitur.

2.3.4 Fideiussor & precedenti & futura obligationi rectè adhibetur.

¶ *Fideiussor.*] Atque adeò is quoque qui satisdat pro ea pecunia, cuius relictus est vsusfructus. Aliud tamen est de eo, qui se constituit alieno nomine debere: nam id non potest fieri ante princi-
1 palem obligationem, ex qua quid debeatur[d]. Contrà, mandatum solet semper præcedere, nunquam autem sequi rem principalem.
2 ¶ *Precedere obligationem.*] Vlpianus[e] ait; Adhiberi fideiussorem posse, tam futuræ quàm præce-
3 denti obligationi: dummodo sit aliqua vel naturalis futura obligatio. Verùm sciendum est, fideiussoris interuentionem præcedere principalem obligationem magis ipsa forma & conceptu verborum, quàm effectu. Nam si agatur de vi obligationis fideiussoriæ, non potest ea præcedere contractum principalem, cui accedit & veluti appenditur. Itaque (inquit Scæuola[f]) fi-
4 deiussor conueniri non potest, antequam reus debeat. Hocque illud est quod dicitur[g]; Fideiussionem in futurum posse concipi. Porrò si fideiussor exprimat certam futuræ obligationis quantitatem: veluti, Decem aureos, quos Titio mutuò dabis, mea fide fore spondeo: non nisi eatenus obligabitur[h]. Quod si nihil definierit, poterit in immensum crescere fideiusio[i].

¶ *Sequi.*] Etiam longo interuallo, nec modò quod attinet ad conceptum verborum, sed & ad vim obligationis. Etenim (inquit Vlpianus[k]) accepto reo purè, ipse fideiussor ex die vel sub conditione accipi potest. Sed è diuerso si reus sub conditione sit acceptus, fideiussor purè non potest obligari.

d L. 1. de consti. pec. l. vlt. C. de consti. pec.
e L. stipulatus sum. §. vlt. de fideiuß.
f L. fideiussor antequā de fideiuß.
g L. non quemadmodum de iudic.
h L. si vlt. r. s. C. hoc tit.
i L. si ita stipulatus. D. hoc tit.
k L. Grecè §. item accepto. de fideiuß.

§. *Si plures.*

1 Inter eos fideiussores actio diuidenda est, qui solidum & partes viriles fide sua esse iusserunt.
2 Plures etiam mandatores, & constitutores, in solidū singulos obligari.
3 Plures expromissores non nisi in viriles teneri.
4 Inter plures vnius fideiussoris hæredes obligatio diuiditur pro hereditariis proportionibus.
5 Argumentum à caussa ad effectum.
6.7 Quid si fideiussorum vnus partem soluerit?
8.9 De Adriani & Iustiniani impp. hic beneficio.
10 Olim creditor poterat hypothecaria statim actione impetere possessorem bonorum debitoru.
11.12 Iustinianus an hoc sustulerit?
13 Fideiussorum vetus subsidium quod?
14 Creditor hic quomodo compelli *dicatur?*
15 Si dubitatur, an aliquis fideiussorum soluendo sit, fideiussor in solidum conuentus, probare id debet.
16 Litis contestatæ tempus quod hic intelligendum?
17 Si tutorum aliquis post tempus finitæ administrationis soluendo non fuerit, damnum est adolescentis.
18 Inter fideiussorē fideiussoris, & ipsum principalem fideiussorem quomodo diuidatur obligatio?
19 Quid, vbi diuersarum stipulationum siue diuersorum reorum fideiussores sunt?
20 Quid, vbi plures sunt eiusdem tutoris fideiussores?
21 Quibus fideiussoribus denegetur beneficium diuisionis?
22 Si quis fideiussorum ante exactam à se partem sine hærede decesserit, aut ad inopiam redactus sit, ad cæteros onus respicit.
23 Fideiussori qui in solidum soluit, actio in alterum fideiussorē denegatur, secus est in tutorib. num. 24.
25 Hodie beneficium excußionis habent fideiussores.
26 Quid, si à principio diuisionis beneficio renūciatum fuerit? an confideiussor pro rata sua parte teneatur?

¶ *Si plures sint fideiussores.*] Qui scilicet pro eodem reo fideiusserint, vel simpliciter[l]: vel nominatim in solidum & partes viriles. Sic enim scribit Papinianus[m]; Inter eos fideiussores actio diuiden-
1 da est, qui solidum & partes viriles fide sua esse iusserunt. Diuersum erit verbis ita conceptis: Solidum aut partes viriles fide tua esse iubes? Tum enim ab initio non nisi viriles partes singulos de-
2 bere conuenit. Porrò quod hic dicitur, si plures fideiussores sint, in solidum singulos obligari, pertinet etiam ad plures mandatores, vel eos, qui constituerint[n]. Sed aliud est in pluribus expromis-
3 soribus. hi enim ab initio non nisi in viriles ipso iure tenentur[o]. Sicut & inter plures vnius fideius-
4 soris hæredes obligatio per legem 12. Tab. diuiditur pro portionibus hæreditariis[p].
5 ¶ *Itaque.*] Ratiocinatur à causa ad effectum. Est enim obligatio actionis causa. Ergo quem in solidum tenet obligatio, tenebit & actio. ¶ *A quo velit solidum petere.*] Et si is à quo primùm petitum est, non satisfecerit: integrum est creditori alium impetere, cùm nullus ex fideiussoribus, electione creditoris liberetur ante plenam solutionem[a]. Sed si singulos creditor conuenisset pro virili parte: non posset post litis contestationem redintegrare petitionem diuisam[b]. Et vbi constaret creditorem, vnum admisisse nominatim pro parte sua soluentem:

l L. reos. l. nō rectè. C. de fideiuß.
m L. inter eos. de fideiuß.
n L. si mandato. §. Paulus respondit D mand. l. vlt. in p. D. quod iussu. l. vlt. C. de consti. pec.
o L. si paternam. C. ad Velleia.
p L. Lucius Titius, in fi. l. si testamento. §. quod si duo. D. hoc tit.
a L. reos principales l. vlt. C. de fideiuß.
b L. liberum. C. de fideiuß.

omnino

a L. si creditores. C. de pact.
b L. inter eos fideiussores §. 1. de fideiuss.

omnino is liberatur[a], diuisa obligatione, etiamsi alter non sit solnendo. Sed si non apparẽt fide-
iussorem probâsse conditionem eiusmodi solutionis: non esset temerè fraudandus suo iure credi-
tor. Sic accipiendum est, quod respondit Papinianus[b]: Fideiussorem vnum è pluribus, qui par- 7
tem pecuniæ debitæ soluit cogi posse, vt nihilominus residui iudicium accipiat, maximè si alter
soluendo non sit. Nam si soluendo sit, huic qui soluit, per exceptionem succurritur.

¶ *Sed ex epistola.*] Adrianus Princeps humanissimus sentiens cum Iustiniano, ἐγγυηταῖς βοηθεῖν
ὅσιον εἶναι [fideiussoribus subuenire pium & iustum esse] magno beneficio affecit fideiussores, inter 8
eos diuidens solidæ obligationis nexum, vt non nisi pro virili parte conueniri possint, saltem vbi
alij soluendo sunt. Sed longè maius est Iustiniani beneficium, qui voluit non posse omnino con- 9
ueniri fideiussores, quandiu reus principalis soluendo est & præsens. Sic enim statuit Nouella eius
quarta περὶ τοῦ τοὺς δανειστὰς πρότερον χωρεῖν κατὰ τῶν πρωτοτύπων χρεωστῶν, [vt creditores aggrediantur

c L. iure nostro. l. si alienã. C. de fideiuss.

primùm suos debitores Principales] &c. antea enim liberum erat statim impetere fideiussorem
relicto reo principali. Nam quod Cicero lib. 12. ad Atticum ait; sibi, qui pro Cornificio spoponde-
rat, non valde metuendum esse, quia locuples reus sit non existimo dictum id esse, quòd fideiussor
conueniri non posset, quandiu soluendo esset reus: sed potius quòd soluenti fideiussori satis tum
cautum esset. Certè idem Cicero lib. 16. ad Atticum, cùm de Dolabella suo debitore loquitur, signi
ficat; liberum fuisse statim conuenire fideiussores: idque ciuilius fuisse. sed fideiussores appellatos,
solitos esse creditorem reiicere ad bona ipsius debitoris. Sed vtvt olim res hæc se habuerit: quid
fideiussoribus tribuerit Iustinianus, videmus, cumque etiam olim liberum esset creditori, statim 10
impetere actione hypothecaria possessorem bonorum debitoris: videtur Iustinianus eadem No-
uella Constitutione eiusmodi libertatem imminuisse. Vult enim creditorem personali actione 11
conuenire principalem reũ, & fideiussores, priusquã de iure hypothecæ contendat aduersus extra-
neum possessorem. Idem tamen in Nouella Constit. 112. excipit ius specialis hypothecæ: vt si qua 12
res nominatim & specialiter fuerit pignori obligata, fueritque à debitore vendita: nisi debitor de
precio creditori faciat satis, licebit statim emptori rem eripere. Postremò aliud est fideiussorũ sub- 13

d L. si cut eligẽdi C. de fideiussoribus. de fideiuss. l. Modestinus. de solut.

sidium veteri etiam iure proditum, vt fideiussor qui soluit, consequatur à creditore cessionem no-
minis eius, & actionum[d].

e L. inter fideiussores de fideiuss.

¶ *Compellitur creditor.*] Id petente fideiussore, qui in solidum conuentus est. Neque enim ex epi- 14
stola Adriani inter fideiussores ipso iure diuiditur obligatio[e]: sed oportet nominatim id peti, &
obiici agenti. ¶ *Qui modò soluendo sunt.*] Licet fortassis nondum possint conueniri. Nam si plures
sint fideiussores, & vnus purè, alius in diem vel sub conditione acceptus: succurri oportet ei, qui pu

f L. si plures sint. de fideiuss.

rè acceptus est, dum existere conditio potest: scilicet vt interim in virilem partem conueniatur, in-
quit Vlpianus[f]. Sed si, cùm conditio extiterit, non est soluendo, qui sub conditione acceptus est;
restituendam actionem in purè acceptum, Pomponius scribit. Sed etsi qui soluendo sunt, nun-

g L. si Titius & Mænia. de fideiuss.

quam possint validè conueniri: si nihil est quod fideiussori imputes, non impedietur beneficium
diuisionis[g]. Porrò si dubitetur, an alij soluendo sint, & id neget creditor: fideiussoris qui in soli- 15

h L. si dubitet. D. hoc tit.

dum conuenitur, erit id probare. Quod si nolit id facere, poterit se iuuare alio subsidio, quod iure
proditum est[h].

¶ *Litis contestatæ tempore.*] Hoc est, tunc cùm solidum ab vno petitur, & fideiussor in solidum cõ- 16
uentus vult creditorem à singulis partem petere. Neque enim audiendus est, qui vult creditorem
reiicere ad eos, qui iam soluendo non sunt. Itaque etsi post litem contestatam, sed ante sentẽtiam
hoc petat fideiussor, non audietur, si tum alij soluendo non sint, etiam si tempore litis contestatæ
fuissent soluendo. Imputet enim sibi fideiussor, qui eodem tempore id non petiit, & tempestiuè

i L. 3. C. de probat.

sibi non consuluit. Porrò autem si agatur de tutoribus, qui exemplo fideiussorum habent diuisio-
nis beneficium: inspicietur tempus finitæ administrationis, an tum soluendo fuerint[i]. Quod si 17
qui postea facti sunt non soluendo, damnum erit adolescentis.

¶ *Partes petere.*] Hoc diuisionis beneficium tribuitur tantùm pluribus eiusdem rei fideiussori-
bus. Quod si sit fideiussor fideiussoris: inter eum & principalem fideiussorem non magis diuidetur 18

k L. si plures §. vlti. de fideiuss.
l L. si à Titio. de fideiuss.
m L. vlt. D. rem pup. sal. fo.
** Alias, non esse eum distringendum.*

obligatio, quàm inter reum & fideiussorem[k]. Sed nec inter eos, qui diuersarum stipulationum si- 19
ue diuersorum reorum, licet eiusdem pecuniæ fideiussores sunt, quia reuera confideiussores non
sunt[l], diuiditur obligatio. Postremò nec inter plures eiusdem tutoris fideiussores. Id quod Pau- 20
lus[m] tam eleganter tradit, vt non possim non eius verba ascribere; Si plures fideiussores à tutore
pupillo dati sint, non esse distinguendum *, sed in vnum dandam actionem: ita vt ei, qui conue-
nitur, actiones præstentur. Nec quisquam putauerit à iure discessum: postquam pro ea parte pla-
cuit tutorem condemnari, quam administrauerit: & ita demum in solidum, si res à singulis non
seruetur, aut idonea culpa detegatur, quòd suspectum facere supersederit. Nanque æquitas arbi-
trij, atque officium boni viri videtur eam formam Iuris desiderâsse. Cæterùm fideiussores ciuiliter
in solidum obligati, cæteris quidem agentibus, vt diuidatur actio impetrare possunt: pupillo verò
agente, qui non ipse contraxit, sed in tutorem incidit, & ignorat omnia, beneficium diuidendæ

n L. si dubitet §. ita de mum. de fideiuss.
o L. pen. C. de pact.
p L. inter fideiussores. de fideiuss.

actionis iniuriam habere visum est: ne ex vna tutela, causæ plures variæque quæstiones apud di-
uersos iudices constituerentur. Hactenus Paulus. Postremò & illud notandum est, denegari be-
neficium diuisionis iis fideiussoribus, qui conuenti negârunt se fideiussores[n]: itemque iis, qui huic 21
beneficio renunciarunt: vt hodie semper facere solent, & fuit semper liberum facere[o].

¶ *Ideoq; si quis.*] Inquit Caius[p]; inter fideiussores non ipso iure diuiditur obligatio ex epistola

Diui

22 Diui Adriani. Et ideo, si quis eorum ante exactam à se partem sine hærede decesserit, vel ad ino-
piam peruenerit: pars eius ad cæterorum onus respicit. ¶ *Huius solius.*] Qui à creditore non peti-
uit sibi cedi actiones. Sic enim loquitur Imperator Alexander [a] denegans fideiussori, qui in soli- a L. cùm alter. C. de fideiuss.
23 dum soluit, actionem aduersus alterum fideiussorem. Et Modestinus [b], Vt fideiussor (inquit) ad-
uersus confideiussorem suum agat, actio danda non est: ideoque si ex duobus fideiussoribus eius- b L. vt fideiussor. 39. D. eodem.
dem quantitatis alter electus à creditore, totum exoluerit, nec ei cessæ sint actiones: alter nec à cre
24 ditore, nec à confideiussore rectè conuenietur. Aliud tamen est in tutoribus: nam si vnus solidum
soluerit, habet, etiam sine cessione, actionem vtilem aduersus contutorem [c]. ¶ *Si is, pro quo fide-*
iussit, soluendo non fit.] Hæc conditio & illud tacitè indicat, fieri potuisse vt conueniretur fideiussor, c L. 1. §. nunc tractemus. de tute. & rat. distrah.
cùm etiam debitor esset soluendo. Idque certè hoc iure obtinuit, quo non compellebatur credi-
25 tor prius excutere principalem reum. Sed postea fuit aliter statutum per Nouellã Iustiniani Con-
stitutionem quartam. ¶ *Et sibi imputare debet.*] Sed quid, si hic nihil fuerit, quod sibi imputet; ve-
26 luti, quòd à principio fuerit renunciatum huius diuisionis beneficio? Certè æquum videtur con-
fideiussorem pro rata sua parte teneri. Imò verò vt vitaretur circuitus & nouæ aduersus eum litis
molestia, Senatus Parisiensis aliquando permisit, vt fideiussor à creditore electus & in solidum
conuentus, si non posit sese tueri beneficio diuisionis, in ius vocet suum confideiussorem, petat-
que pro rata parte simul condemnari. Cuiusmodi iudicij & condemnationis exemplum prodi-
tum est anno 1534 decreto siue aresto amplissimæ Curiæ Parisiensis, quæ maiorem hic habuit æqui
& boni, quàm summi iuris rationem.

§. *Fideiussores.*

1 *Fideiussores non possunt durius obligari, quàm debitor principalis, leuius possunt. num. 7.*

2 *Fideiussores iudicio sistendi causa pœnam vltro promittere possunt.*

3.4 *Fideiussores si durius obligati sint, vtrum* non omnino, *an verò* omnino non *obligari dici debeant?*

5 *Vel re, vel loco, vel causa, vel tempore, plus aliquid deberi darive dicitur.*

6 *Fideiussor arctius potest, sed non latius obligari.*

8 *Agere hic Iustinianum de eadem obligatione, cuius eadem sit substantia.*

9 *An, si quis fundum promiserit, fideiussor autem vsumfructum eiusdem, fideiussor teneatur?*

10 *Accepto reo purè, fideiussor ex die vel sub conditione accipi potest. Sed non contrà.*

11 *Quid si reus interrogetur purè, & fideiussor cum adiectione loci accipiatur?*

12 *Minus soluit, qui tardius soluit.*

1 ¶ *Fideiussores ita obligari non possunt.*] Inquit Paulus [d]; Hi qui accessionis loco promittunt, in le- d L. hi qui de fideiuss.
uiorem causam accipi possunt: in deteriorem non possunt. Et Vlpianus [e]; Illud commune est in v- e L. Græcè. §. illud. de fideiuss.
niuersis qui pro alijs obligantur, quòd si fuerint in duriorem causam adhibiti, placuit eos non o-
mnino obligari. In leuiorem planè causam accipi possunt. propter quod in minorem summam
rectè fideiussor accipietur. ¶ *Fideiussores.*] Vlpianus ait, idem esse de vniuersis qui pro alijs obli-
2 gantur. Sed tamen fideiussores iudicio sistendi causa possunt vltro pœnam promittere; quam non
promisit reus principalis; eoque nomine in duriorem causam obligari. ¶ *Ita obligari non possunt.*]
3 Quòd si fuerint in duriorem causam adhibiti, non omnino obligabuntur, inquit Vlpianus [f]. vel, vt f D. § illud.
4 alij legunt, omnino non obligantur. Dubium autem est propterea, an saltem obligentur vsq; ad
quantitatem principalis obligationis. Et multa quidem subtiliter dici possunt, vt ne eatenus qui-
dem obligari dicantur. Sed non video cur æquius non sit, non omnino vitiari hãc fideiussionem,
quin saltem ita valeat, vt durior eius causa non sit. Sicuti diximus eum, qui stipulanti decem, pro-
mittit viginti, saltem in decem obligari [g], nisi illud omnino egerit, vt nollet suam promissionem g L. 1. §. si stipulãti. de verb. oblig.
5 diuidi. Idemque & in constituto [h], & mandato [i] receptum est. ¶ *Et plus debeant.*] Vel re, vel loco,
vel causa, vel tempore. his enim quatuor modis plus dicitur [k]. Cæterùm potest fideiussor vltro da- h L. hactenus. §. vlt. de const. pec.
6 to pignore conditionem suam aliquo modo facere duriorem. Et in vniuersum, potest fideiussor i L. rogatus D. mand.
arctius quidem obligari, sed non latius. ¶ *Vt minus debeant.*] Vel vt laxiorem habeant soluendi k §. plus autem inf. de act.
7 libertatem, vt si quæ reus coniunctim promisit, fideiussor disiunctim promittat. Sanè tamen, si
esset etiam disiunctiua rei principalis obligatio, non ita rectè fideiussor acciperetur [l]. Tum enim l L. Stichũ. de fideiuss.
esset in eius potestate aliud velle, quàm reus voluisset: atque ita videretur ex alia obligatione sol-
uere: & obligatio fideiussoria non esset omnino accessio alterius principalis. Qua ratione putauit
Marcellus, fideiussorem rei decem tantùm debentis, si promittat Stichum aut decem, non obli-
gari: quia scilicet in aliam potius obligationẽ acceptus videatur. Et sanè cùm hic Iustinianus tam
8 solicitè agat de maiori vel minori fideiussoris obligatione: indicat, sese agere de eadem obligatio-
ne, saltem cuius sit eadem semper substantia. vt facilè possimus intelligere non posse in aliam acci-
pi fideiussorem. Illud porrò est omnino huius loci quod quæritur; An, si quis fundum promiserit,
9 fideiussor autem eius vsumfructum, consistat obligatio fideiussoris. Et certè Caius [m] ostendit, fi- m L. si à reo. §. si reo. de fideiuss.
deiussorem teneri; quia vsusfructus, pars sit fundi. Præstabit autem ob hoc fideiussor vsumfructũ,
quia suæ causæ, hoc est, proprietati cohæret. præstabit itaque integrum fundum: vt sit creditoris,
quandiu viuet. Quod si fundus præstari non posit, & æstimatio præstetur: solius vsusfructus æsti-
matio præstabitur. ¶ *Obligari non potest.*] Omnino, vt ait Vlpianus [n], hoc est, in decem, si reus tan- n d. l. Græcè. §. illud.

 tùm de-

tùm debeat quinque. Sed obligatur in quinque, vt iam dictum est. ¶ *Item si ille purè.*] Inquit Vl- 10
pianus[a]; item accepto reo purè, ipse fideiussor ex die vel sub conditione accipi potest. Enimuero si
reus sub conditione sic acceptus, fideiussor purè non obligabitur. Quod si in diem reus promiserit:
poterit fideiussor sub conditione accipi: Sed in pendenti erit, an obligabitur, quia si ante diem ve-
niat conditio, nihili est fideiusio[b]. ¶ *Sed etiam in tempore.*] Neque adeò in loco, vel causa. Vnde
Iulianus[c], Si (inquit) reum purè interrogauero, & fideiussorem cum adiectione loci accepero: non 11
obligabitur fideiussor. Et si à reo mihi aut Titio stipulatus, à fideiussore mihi tantùm stipuler: non
obligabitur fideiussor, quasi in deteriorem causam acceptus: quia non habeat eam facultatem Ti-
tio soluendi, quam reus habet[d]. ¶ *Plus enim est.*] Hunc locum rursus alio postea loco tractat Iu-
stinianus[e], & habet suffragantes Vlpianum[f], & Callistratum[g]. Notumq; est vetus prouerbium,
Bis dat, qui citò dat. Et sanè mora cunctantisque debitoris procrastinatio multas rei bene geren-
dæ occasiones non rarò creditori præripit: vt non temerè dictum sit; Eum minus soluere, qui tar- 12
dius soluit.

a dict. l. Græcè §. item accepto.
b L. fideiussor obligari. §. stipulatione in diem. D. hoc tit.
c L. fideiussor obligari. §. 1. D. eod.
d L. hi qui accessionis. D. eod.
e dict. § plus autem.
f L. si ita. §. vltim. de verb. sign.
g L. solidum. de solut.

§. *Si quid autem. cum seq. final.*

1 Fideiussor quod soluit pro principali, repetit actione mandati. fallit num. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 12. 14.
8 Soluere hic quid?
9 Oblatum consignatúmque in iudicio deponere, solutionis vice est, & liberationem tribuit.
10 A iudice fideiussor soluere iussus, rectè mandati agit.
11 Quid, si debitor fideiussorem suum testamento iusserit ab herede liberari.
13 Non decipi nos sed iuuari beneficijs oportet.
15 Diuersa Græcorum illorum verborum lectio.
16 Verba, fideiubere, & promittere, solennem stipulationem inferunt.

¶ *Si quid autem fideiussor.*] Qui bona fide est suo functus officio, nec quicquam profudit in frau 1
dem debitoris. Alioqui si iniuria condemnatus, ab iniqui iudicis sententia non prouocârit, sed vl- 2
tro soluerit, de suo liberalis iudicabitur; nihilq; ei præstabitur iure mandati[h]: sicuti nec quicquam
consequitur, vbi honestam, & qua sese tueri poterat, exceptionem, sciens omisit[i]: Ignorâti tamen 3
subuenitur[k]. Et vbi nullam habent litigandi causam fideiussores, si vltro & sine iudicio soluerint,
æquè habent mandati actionem[l]. Neque enim prohibentur bonam fidem agnoscere[m]. Et si su- 4
pertinacatiteam litem instituerent, non possent alteri quàm sibi impendia & sumptus litis imputa-
re. Porrò & eos qui pro inuito intercedunt, vel qui donandi animo; aut negocium proprium ge- 5
rentes; non habere mandati actionem, scribit Vlpianus[n]: sicuti & vbi actum est, vt suo periculo
responderent[o]. addit deinde Vlpianus, rei turpis nullum esse mandatum: & ideo hac actione non 6
agi. Ideo alio loco[p], Si (inquit) adolescens luxuriosus mandet tibi, vt pro meretrice fideiubeas, id-
que tu sciens mandatum susceperis: non habebis mandati actionem, quia simile est. quasi perdi-
turo pecuniam sciens credideris. Postremò illud prætereundum non est, quod Papinianus acutè
respondit[a]; Hæredem à testatore iussum cauere pro eo, cui pecuniæ vsusfru. legabatur, si quid al- 7
teri fortè cohæredi, finito vsufructo ex causa fideiussoria soluerit, mandati non actutum; quia non
suscepisse mandatum, sed voluntati testatoris paruisse intelligatur: videaturque testator prospe-
xisse legatario, cuius interesse credidit fideiussores non suo periculo quærere. ¶ *Pro reo soluerit.*]
Hoc est, Quoquo modo eum liberârit. Nihil enim interest, vtrum numos soluerit creditori, an 8
reum aliter liberarit[b]. Vnde etsi quis donaturus fideiussori, pro eo soluerit creditori: habet fideius-
sor mandati actionem[c]. Qua ratione & si creditor in gratiam fideiussoris, remiserit debitum: aget
mandati fideiussor. Porrò & si fideiussor nondum quidem reuera soluerit, sed obtulerit consigna- 9
ritque & deposuerit in iudicio: confestim mandati aget[d]. Nam & id solutionis vice est, & libera-
tionem tribuit[e]. Sed & qui solùm condemnatus est, & à iudice iussus soluere, etiamsi nondũ præ- 10
stiterit, rectè tamen mandati aget[f]. Præterea si debitor fideiussorem suum testamento iusserit ab 11
hærede liberari: ex testamento aget fideiussor, vt liberetur[g]. Hoc enim vtilius est, quàm soluere &
postea iudicio mandati repetere solutum. Sed & si legatarium testator onerârit, vt aliquid soluat,
cuius nomine fideiusseram: potero legatarium conuenire, vt me liberet[h]. Possem & alios casus e-
numerare quibus agit fideiussor, priusquam soluerit. Sed hi propriè huc non pertinent: hîc enim
de mandati iudicio agitur. ¶ *Habet.*] Confestim, si suo loco & tempore soluerit. Cæterùm si quid
ante diem vltro soluerit, id à reo non recuperabit antequam dies veniat[i]. Neque enim beneficio 12
decipi nos, sed iuuari oportet[k]. Et fideiussor etiam erga reum principalem bonæ fidei sponsor in- 13
telligitur. ¶ *Eius recuperandi causa.*] Simul & vsurarum ac sumptuum[l]. Est enim bonæ fidei hoc
mandati iudicium, quod habet fideiussor. Quod si præstiterit aliquam speciem quæ debebatur, re-
cuperabit veram eius æstimationem, quæ erat tempore solutionis[m]; etiamsi ea species non tam in
obligatione fuerit quàm in soluendi potestate[n]. Quod si fideiussor paulò fuerit liberalior in solu- 14
tione: nõ statim recuperabit quod soluit: sed id tantùm, quod potius soluere debebat ad leuiorem
liberationem[o]. Sed nec recuperare plus potest, quàm soluerit[p]. ¶ *Mandati iudicium.*] Si pro reo
sciente ac patiente fideiusserit[a]. Quod si quis pro absente fideiusserit: negociorum gestorum habe-
bit actionem. mandati autem actio non potest competere, cùm non antecesserit mandatum. in-
quit Paulus[b]. Sed si pro præsente & vetante quis fideiusserit: nec mãdati, nec negociorum gesto-
rum datur actio[c].

h L. si pro ea. C. mãda. l. ex. epistõe. de fideius.
i L. Idemq; §. generaliter D. manda.
k L. si fideiussor cõuentus D. manda.
l d. §. l. idemq; §. fideiussores.
m L. quoties. §. sicut. in fi. de admin. tutor.
n L. si remunerãdi. §. si passus. D. manda.
o d. l. si remunerandi. § vlt.
p L. si verò non remunerãdi. §. si adolescẽs. D. manda.
a L. tribus heredibus. de vsufr. ea. rer. quæ vsu consu.
b L. inter causas §. si non. D. manda.
c L. si verò nõ remunerandi § 1 D. manda.
d L. qui mutuã. §. 1. D. mãda. l. fideiussor qui minori. de fideiuss.
e L. obsignatione. C. de solu. l. acceptam. C. de vsur.
f L. Lucius. D. mand. l. si pro ea. C. manda.
g L. si debitor fideiussorem. de liber. lega.
h L. sicut legatur. § si Titio. de lega. 1.
i L. si mandauero tibi vt pro me. l. fideiussor quamuis. D. mandati.
k L. in commodato. §. sicut. D. commoda.
l L. si mãdato meo. §. si fideiussor. D. manda. l. post solutionem. C. manda.
m L. hominem certũ D. manda.
n L. si qui pro eo spoponderit. D. manda.
o L. si fideiussor sine actione bonitatis. D. manda.
p L. inter causas §. præterea si tendũ. D. manda.
a L. si fideiussor. C. manda.
b L. ex mandato. §. si. deiussori. D. manda.
c L. si pro te præsente. D. manda.

¶ Græcè

15 ¶ *Græcè etiam.*] Locus hic descriptus est ex responso Vlpiani [a]: cuius tamen variat lectio, etiam si eodem recidat. Nam quidam ita legunt; Græcè fideiussor ita accipitur, ἐντέλλομαι, ἐγγυῶμαι. [mando, fide promitto.] Sed & si dixerit quis, γλίχομαι, θέλω, [cupio, volo,] perinde erit atque si dixerit, ἐγγυῶμαι. [fideiubeo.] Illud certè constat, Græcos hac in re frequentius vsos verbo ἐγγυᾶσθαι. Dixeruntque, ἐγγυῶμαί σοι τοῦτον, ἢ πρὸς σε, hoc est, fideiubeo pro eo apud te. *a L. Græcè. de fideius.*

¶ *In stipulationibus fideiussorum sciendum est.*] Inquit Vlpianus [b]; Sciendum est generaliter, si quis scripserit; se fideiussisse; videri omnia solenniter acta. Sed & in alijs verborum obligationibus, si
16 scriptum sit; aliquem promisisse, intelligi id de solenni stipulatione, suprà docuit Iustinianus [c]. Quam rem pluribus persequi, non est huius loci. *b L. sciendũ. de verb. oblig.* *c § si scriptum. sup. de inutil. stip.*

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Tituli huius initium atie.*
2 *Nomina olim apud Argentarios confecta, scripturæ erant, contra quos nihil obijci posset.*
3 *Ex syngrapha priuata ius non dicebatur.*
4 *Iam ex priuata syngrapha ius dici.*
5 *Ex syngrapha priuata conuento, data exceptio non numeratæ pecuniæ.*
6 *Apud Athenienses licuit ex priuata simpliciter scriptura ius dicere.*
7 *Literarum obligatio moribus Galliæ quomodo hodie recepta sit?*



Entum est ad tertiam quandam obligationis speciem, nempe Literarum. Cuius totam
1 *rationem breuiter explicat Vlpianus his verbis* [d]*; Non figura literarum, sed oratione,*
quam exprimunt literæ, obligamur: quatenus placuit non minus valere, quod scriptu-
ra, quàm quod vocibus lingua figuratis significaretur. Sanè olim apud Argentarios
2 *conficiebantur nomina: & hæ erant scripturæ, aduersus quas nihil obijci poterat. Cæte-*
3 *rùm ex priuata syngrapha non item ius dicebatur. Cicero lib. 5. epist. ad Attic. disputat de lege Gabi-*
nia, quæ vetabat ex syngrapha ius dici. Sed illa propriè loquitur, vbi de illegitimis vsuris quæstio e-
4 *rat, deque versura facta. Sed vtut veteres de syngraphis statuerint, Iustinianus permisit ius dicere ex*
5 *priuata syngrapha, saltem post biennium. Prius autem ex ea conuento dedit exceptionem non nume-*
ratæ pecuniæ: vt licet fateatur se eam scripsisse syngrapham, negare tamen possit quod ea continetur:
& creditor aliter cogatur id probare, quod petit: fidemque aliter facere, se verè numerâsse. Sanè olim
6 *apud Athenienses constat licuisse, simpliciter ius dicere ex priuata syngrapha: nec temerè potuisse*
debitorem conuellere literarum suarum obligationem, aut reijcere propriam manum vltro emissam.
Sic enim Demosthenes in oratione κατὰ Διονυσοδ. *testatur Atheniensium Legibus fuisse cautum:*
ὅσα ἄν τις ἑκὼν ἕτερος ἑτέρῳ ὁμολογήσῃ, ταῦτα κύρια εἶναι. *[quæcunque alter alteri sciens prudensque, confitetur, ea*
rata esse.] Certè & hodie moribus Galliæ certa est literarum obligatio: nec facilè recipitur exceptio
7 *non numeratæ pecuniæ, si quis semel manum suam & scripturam agnouerit. Quòd si sit instrumen-*
tum à publicis Tabellionibus confectum, longè paratior est exactio. Statim enim apparitor adit debitorem, iubetque soluere creditori, quod publico documento comprehenditur: & nisi obtemperet, statim pignora rerum mobilium aufert, diemque ei præstituit, quo auctioni exponentur. Quòd si debitor intercedat, paratus iusta aliqua exceptione subuertere vim publicæ scripturæ; dies illi dicitur, quo se iudicio sistat, exceptiones suas propositurus: pignoribus tamen interim ablatis, sed quorum auctio venditioque differebatur, dum lis pendebit: interim deponebantur penes publicam personam. Sed hodie nouis Constitutionibus Francisci Regis editis anno 1539. vendi possunt pignora, & precium dari creditori satisdanti se restituturum, si quando opus sit. Iisdem Constitutionibus cautum est, vt non minus aduersus hæredem, quàm ipsum debitorem obligatum, statim executioni tradatur obligationis instrumentum, nulla præmunitione hæredem admonente. Sed si creditor non probârit eum hæredem, præstabit omnia damna & sumptus, certamque mulctam tum fisco, tum aduersario, quem temerè & iniuria vexauit.

d L. nõ figura. de act. & oblig.

De literarum obligatione. Titulus XXI.



Lim scriptura fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur, quæ nomina hodie non sunt in vsu.

Planè si quis debere se scripserit, quod sibi numeratum non est: de pecunia minimè numerata, post multum temporis exceptionem opponere non potest. hoc enim sæpissimè constitutum est. sic fit, vt & hodie dum queri non potest, scriptura obligetur: & ex ea nascatur cõdictio, cessante scilicet verborum obligatione.

Multum autem tempus in hac exceptione antea quidem ex principalibus Constitutionibus vsque ad quinquennium procedebat: sed ne creditores diutius possint suis pecunijs forsitan defraudari: per Constitutionem nostram tempus coarctatum est, vt vltra biennij metas huiusmodi exceptio minimè extendatur.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 De Argentariorum officio.
2.4 Nomina quæ vocata?
3 Syngrapha quæ?
5 Cur non statim fides adhibeatur syngraphæ?
6.7.8 Quid, si suspicemur, testatorem prætexuisse colorem debiti, in fraudem legis donare prohibentis?
9 Quid, si creditor ipse in apocha temere scripserit, sibi numeratum?
10 Hodie maiorem tum syngraphis tum apochis adhiberi fidem.
11 Etsi maiorē cautionē scripserim, quā fuerit numeratū, tamē eatenus me tueor exceptione illa nō numeratæ pecuniæ.
12 De exceptione nō numerata dotis.
13.20 Exceptio non numeratæ pecuniæ actorem onerat necessitate nouæ probationis.
14 Minores, & Reip. causa absentes iure singulari adiuuantur.
15 De temporibus præstitutis olim cautionibus.
16.17.18.19 Debitor quomodo non numeratæ pecuniæ exceptionem perpetuam reddere possit?

a L. argentarius. §.1. de eden.

Q*Va nominibus fieri dicebatur.*] Id doctiores referunt ad mensas Argentariorum. Nam & legimus 1
eorum officium publicam habuisse causam [a]: & coram ijs contractus iniri solitos, & nomina
confici, quoties quis debitorem se constitueret. Ideoque & apud omnes ordines gratiosi erant, vt
inquit Tullius lib. 3. Offic. quo loco etiam meminit horum nominum. Loquens enim de Canio
emente hortulos à quodam Pythio, Nomina (inquit) facit, negocium conficit. Sanè Asconius no- 2
mina vocata esse testatur titulos debitorum in his debitis, in quibus hominum nomina scripta
sunt, quibus pecuniæ commodatæ sunt. Sed huc fortasse magis pertinet, quod idem Asconius 3
docet, syngrapham etiam vocari, in qua contra fidem veritatis pactio venit, & non numerata
quoque pecunia, aut non integrè numerata, pro temporaria voluntate hominum scribi solet. Sed
quod ad nominum primam appellationem attinet, & superiorem illum Ciceronis locū, primùm 4
dicta sunt nomina fieri confecto instrumento, in quo scribebatur nomen venditoris, emptoris,
rei, & precij. Postea generaliter nomina pro omnibus debitis accepta sunt.

¶ *Plane si quis.*] Spe scilicet futuræ numerationis: qua ne frustretur, nihil non facturus est: vt
facilè quamlibet confessionem extundit imperiosa necessitas. Et quanquam multi sint Græca
fide, quorum (vt ait Plautus) oculatæ sint manus, nec credunt nisi quod vident: facilè tamen
improbus creditor egentem hiantemque debitorem vel sola & inani ostentatione pecuniæ in-
escabit, ab eoque manum imprudentem siue confessionem extorquebit, si qua spes dolosi affulserit numi. Cuiusmodi fraudis suspicio in causa fuit, vt aduersus scripturam reciperetur non nu- 5
meratæ pecuniæ exceptio: nec omnino statim fides adhiberetur syngraphæ. Sic & vbi suspica-
mur, testatorem prætexuisse colorem debiti, in fraudem legis donare prohibentis: parum iuuat 6
color [b] quæsitus: & ab eo qui eiusmodi scriptura nititur, exigi potest, vt aliter probet [c] debitum.
Interim tamen fatemur, eiusmodi colorem & prætextum, si verus non sit, habere vim tacitæ [d] do-
nationis. Itaque si testator se aliquid debere scribat ex mutuo, saltem ei, cui donare poterat: non 7
puto hæredem audiendum, si obijciat exceptionem non numeratæ pecuniæ. Primùm enim nul-
la hic est fraudis suspicio: nec vllis cupiditatibus solicitatur infirmus, nullam meruit necessitatem:
& quantulumcunque sit quod relicturus est, satis habet. Deinde vt verè non debuerit quod scri- 8
psit: iam ex scriptura debere incipiet, saltem vt id præstet hæres. ¶ *Debere.*] Ex numeratione scili-
cet & causa mutui Ibi enim (inquit Imperator Alexander [e]) non numeratæ pecuniæ locum habet,
vbi quasi credita pecunia petitur. In aliis verò contractibus, maior statim fides adhibetur scriptu-
ræ: vt si ea testetur rem depositam, vel negocium transactum, vel aliam eiusmodi causam debiti
profiteatur. Tum enim sola scriptura niti potest qui agit: & si reus contrà nitatur, alijs euidentissi-
mis argumentis debet religionem iudicis instruere [f]. Sed quid si creditor ipse in apocha temerè 9
scripserit, sibi numeratum, quod reuera numeratum non est? Certè Iustinianus [g], intra dies trigin
ta permisit creditori vti exceptione non numeratæ pecuniæ, vt debitor conuentus qui se tuetur
apocha, nihilominus aliter probare cogatur redditam pecuniam. Quod tamen denegatum vide-
tur Fisci procuratori, vbi semel testatus est pecuniam ab aliquo esse solutam [h]. Vt multa principes
sibi adimunt, quæ alijs indulgent. Hodie verò passim omnibus tam syngraphis quàm apochis fi- 10
dem adhibemus, nullum temporis spacium morati. nec aliter posse commercia constare docuit
rerum vsus. ¶ *Quod sibi numeratum non est.*] Siue id pars sit obligationis, siue sors tota. Nam etsi
maiorem cautionem scripserim, quàm fuerit numeratum: eatenus potero me tueri exceptione 11
non numeratæ pecuniæ [i]. ¶ *De pecunia minimè numerata.*] Hanc exceptionem non numeratæ pe-
cuniæ, Iustinianus in Nouella sua Constitut. 100. appellat *ἀναργυρίας* [quasi pecuniæ carentiam.]
Et ad eius exemplum scribit sese introduxisse exceptionem non numeratæ dotalis pecuniæ: qua
vtatur sponsus, si præcipiti & temerario calore (vt nihil tam sui iuris non est, atque animus amo-
ris œstro percitus) fortè scripserit, sese dotem accepisse, quam tamen reuera non acceperit

b L. Sulpitius. de donat. inter vir. & vx.
c L. qui testamentum. de probat.
d L. Lucius Titius. §. Semproniæ. de leg. 3.
e L. aduersus. C. de nō nume. pec.
f L. generaliter. C. de non nume. pec.
g L. in cōtractibus. §. super cæteris. C. de nō nume. pec.
h L. vl. C. de apo. pub.
i L. 2. l. cum vltra. C. de nnm. pec.

¶ *Exceptio-*

13 ¶ *Exceptionem.*] Cuius scilicet ea sit vis, & singulare ius, vt actorem oneret necessitate nouæ probationis. Et si quãdo ipsi debitori agenti replicationis loco detur: seruabit eandem vim etiam post bieonium. Verbi gratia; Spe futuræ numerationis syngrapham & pignus ante tempus dedi. hic possum non accipiendo mutuum, non obligari [a], & pignus repetere. Quod si pigneratitia actione agenti obijciat creditor, se pecuniam numerasse, necdum eam redditam: replicare potero, 14 de non numerata pecunia [b]. ¶ *Opponere non potest.*] Nisi sit ex ijs, qui propter aliquas speciales causas singulari iure adiuuantur [c]. Cuiusmodi sunt minores, & Reipub. causa absentes.

¶ *Ex principalibus Constitutionibus.*] Qui desiderat cognoscere tempora olim omnibus cautio-
15 nibus præstituta, legat Constitutionem Impp. Honorij, Theodosij, & Constantij, quam reperiet libro secundo Codicis Theodosiani, tit. Si certum petatur chirographis. ¶ *Sed ne creditores.*] Hanc suam ætiologiam Iustinianus in Nouel. Constit. 100. latius explicat his verbis: *ἵνα μὴ τῆς ἑαυτῶν ῥᾳθυμίας, ἢ πανουργίας ὥσπερ ἐμπορικώτερον ἀπολαύοιεν ἄνθρωποι, καὶ πράγματα παρέχοιεν ἑτέροις. οὐδὲ ἴσον διὰ παντὸς τὰ τῆς ἀποδείξεων τοῖς ἄγειν ταύτας βουλομένοις, πολλὰς δὲ ὁ χρόνος περιτρέπει.* [ne homines ex socordia forte sua & improbitate quasi ex promercio fructum caperent, alijsq; negocia facesserent. Neque enim par eademque ratio probationum est omnibus qui eas exhibere volunt, multas quoq; recusat tempus.] Sed cùm omnia tam circumspectè Iustinianus expenderit, demiror eum non aliter cõsuluisse veteris creditoribus. Nam quòd tempus exceptionis coarctauit, parum eos adiuuat, cùm
16 debitori sit integrum, si viderit creditorem expectare finem huius temporis, perpetuam reddere
17 hanc exceptionem, vel denunciationibus creditori missis; vel adito iudice, coram quo protestetur
18 sibi nihil esse oumeratum [d]. Præterea potest per condictionem petere suam cautionem siue syn-
19 grapham [e]: omnemque deinde agendi spem creditori eripere. Itaque non possum non cum Demosthene queri, esse admodum duram & miserabilem creditorum mutuantium conditionem, nisi fides adhibeatur debitorum tabulis. Sed malo hanc querelã exponere verbis ipsius Demosthenis, qui in oratione *κατὰ Διονυσ.* grauissimè ait: *ὁ δανειζόμενος ἐν παντὶ προέχει ἡμῶν. λαβὼν γὰρ ἀργύριον φανερὸν καὶ ὁμολογούμενον ἐν γραμματιδίῳ δυοῖν χαλκοῖν ἐωνημένῳ, καὶ βιβλιδίῳ μικρῷ πάνυ, τὴν ὁμολογίαν καταλέλοιπε τοῦ ποιήσειν τὰ δίκαια. ἡμεῖς δ' οὔ φαμεν δώσειν, ἀλλ' εὐθὺς τῷ δανειζομένῳ δίδομεν τὸ ἀργύριον. Τῷ οὖν ποτὲ πιστεύοντες, καὶ τί λαβόντες τὸ βέβαιον προϊέμεθα; ὑμῖν ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ τοῖς νόμοις τοῖς ὑμετέροις, οἳ κελεύουσιν, ὅσα ἄν τις ἑκὼν ἕτερος ἑτέρῳ ὁμολογήσῃ, ταῦτα κύρια εἶναι.* ¶ *Per constitutionem nostram.*] Extat hæc Iustiniani Constitutio libro quarto Codicis [f]: in qua etiam ait hoc bienniũ esse continuum. ¶ *Huiusmodi exceptio.*] Quæ scilicet probationis onus reijciat in creditorem agentem. Cæterùm si ipse reus paratus sit probare quod excipiendo proponit, perpetuam habet exceptionem. Et facilè quidem potest hic probare quod negat, si cogat actorem libello suo edere diem & locum numerationis ex qua agit.

a L. qui pecuniam. D. si cert. pet. cond.
b L. 1. C. de nõ nu. pec.
c L. in contractibus. C. de non num. pec.
d d. l. in contractibus. §. in omni. C. de nõ nume. pec. l. si præses. C. de episc. audien.
e L. si quasi. C. de non num pec. l. 3. C. de postulan.
f d. l. in contractibus. C. de non num pec.

De obligationibus ex consensu, Tit. XXII.

Consensu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, societatibus, mãdatis. Ideo autem istis modis obligatio dicitur consensu contrahi: quia neque scriptura, neq; præsentia omnimodo opus est, ac nec dari quicquam necesse est, vt substantiam capiat obligatio: sed sufficit eos qui negotia gerunt, consentire. vnde inter absentes quoque talia negotia contrahuntur, veluti per epistolam, vel per nuntium. Item in his contractibus alter alteri obligatur in id, quòd alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet: cùm alioqui in verborum obligationibus alius stipuletur, alius promittat.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Præcipua obligationum actionumq́, ratio quæ?*
2 *Ex solo consensu naturalem obligationem nasci falsum est.*
3 *Emptio inter absentes contrahi potest, et per nuncium & per literas.*
4 *Quicquid in obligatione stricti iuris, non est expressum verbis, omissum intelligitur.*

1 Initio admonendi sumus totum hunc titulum ad verbum esse descriptum ex responso Iuliani [g]. ¶ *Societatibus mandatis.*] In quibus nempe omnibus pro causa subest mutua obligatio. Nam hæc præcipua est obligationum actionumq́; ratio. Neq; enim bonum aut æquum visum est, quenquam quemcunq; dare vel præstare oportere ei, qui nihil ipse dedisset vel præstitisset, aut non ita obligatus esset, vt præstare postea necesse haberet aliquid, quamobrem sibi promitti aut promissum dari postularet. Ergo & qui rem ex empto petit, exceptione summouetur, nisi precium offerat [h]. & qui operas suas, vt opus faceret, locauit, pecuniam operis faciundi gratia nõ consequetur, nisi prius satisdederit, sese pecuniam in eam rem impensurum [i]. & qui mandatum monumenti faciundi

g L. 2. de act. & obli.
h L. Iulianus §. offerri. de act. empt.
i L. insulã. §. vl. D. de lo.

ciundi suscepit, nō prius poterit conueniri, quàm ei data fuerit pecunia monumēti faciundi causa [a]. Et societas sic inita, vt alter lucrum omne ferat, alter damnum tantùm sentiat, nihili est [b]. Certè is etiam, qui nominatim donationis causa aliquid promisisset, non poterat olim ex ea promissione cogi dare [c]. Ergo falsum est, quod vulgo in vniuersum traditur; ex solo consensu naturalem
obligationem nasci. Nam & si stipulanti, sine causa dare promittam, nulla, ne naturalis quidem, 2
nascitur obligatio. Nam agenti obstare dicitur [d] doli mali exceptio; quia contra naturalem æquitatem sine causa petat. Quin etiam ex hac stipulatione solutum, condici posset: nec ex ea compensatio admitteretur [e]. ¶ *Neque scriptura, neque præsentia.*] Nec item voce aut sermone. Ideo hic potest interuenire vel mutus vel surdus [f]. ¶ *Nec dari quicquam necesse est, vt substantiam capiat obligatio.*] Vt tamen ex ea possis agere, saltem obligatus esse debes, vt aliquando aliquid prestes. quod paulò antè dictū est. ¶ *Per nuncium.*] Vel etiam Procuratorem; sed quem nuncij appellatione facilè intel-
ligimus. Vlpianus [g] quodam loco ait; Emptionem esse iurisgentium. & ideo consensu peragi, & 3
inter absentes contrahi posse, & per nuucium & per literas. ¶ *Item in his contractibus.*] Qui scilicet sunt bonæ fidei. In quibus (inquit Paulus [h]) tantundem officium iudicis valet, quantum in stipulatione nominatim eius rei facta interrogatio. Tullius autem libro tertio Officiorum ait; In his magni esse iudicis, statuere quid quenque cuiq; præstare oporteat. Sed si sit obligatio stricti iuris, vt est stipulatio, quicquid in ea verbis expressum non est, intelligitur [i] omissum. Verùm postea suo loco [k] latius agemus de iudicijs bonæ fidei & stricti iuris.

a L. si verò non remunerādi. §. vl. D. mād. b L. si nō fuerunt partes. §. vlti. D. pro soc. c L. Aristo. de dona. d L. 2 §. circa. de doli mal. excep. e L. quecunq. de compensat. l. qui exceptionem. & l. pen. de condict. indebi. f L. in quibuscunque. de act. & oblig. l. vbi non voce. de reg. iur. g L. 1. in fi. de cōtrah. empt. h L. quia tantundem. de nego. gest. i L. quicquid astringēdæ. de verb. oblig. k §. in bonæ fidei. inf. de act.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Emtionis & venditionis vsus maximè necessarius.
2 Lex adilitia apud Athenienses, in mercimonijs forensibus falsum puniens.
3 Aediles Curules Romanorum.
4 Vt carnes iusto precio præberentur præfectura vrbica cura fuit.
5 Episcopos olim præfuisse pani, & cæteris eiusmodi venalibus rebus.
6.8 Emtionis appellatio complectitur omnem contractum, per quem dominium transfertur.
7 Nulla olim fiebat alienatio sine venditione siue vera siue imaginaria.
9 Sectio olim quæ?
10 Sectores olim & venditores deinde erant.
11 Veteres appellationibus emtionum & venditionum vsos esse promiscuè.
12 De personis imprimis quæritur, an vendere aut emere potuerint, an voluerint, an consenserint?
13 Secundò de rebus quæ vendi possunt, postremùm de precio.
14 Quando quis vendere cogatur aut emere?

*DIcturus Iustinianus de contractibus, qui consensu ineuntur, auspicatur ab eo, qui inter 1
cæteros facilè princeps est, ac præcipuè necessarius humanæ societati. Neque enim potest hæc vita constare sine alterna rerum permutatione: vt solem & aquam sustulisse de mundo videri possit, qui venditionis aut emptionis vsum tolleret. Sed quo frequentior et magis necessarius est hic contractus, eo maior cautio adhibēda est, vt rectè possit iniri: quemadmodum etiam sedulò admonet Plato: & in hanc rem habuerunt veteres suos ἀγορανόμους [rerum venaliū inspectores,] quibus Theophrastus scribit potissimùm duo curanda fuisse: Primùm, vt omnia in foro compositè citraq; tumultum fierent: deinde, vt abstinerent à mendacijs non venden-
tes modò, sed etiam ementes. Nam & Demosthenes in oratione contra Leptinem testatur, apud Athe- 2
nienses fuisse quandam Ædiliciam Legem, quæ in mercimonijs forensibus falsum puniebat. Et Aristoteles Politic. libro sexto grauiter ostendit, quàm sit vtilis in Republica & necessaria huius magistratus authoritas & cura. πρῶτον μὲν (inquit) ἡ ἐπιμέλεια ἀναγκαίων, ἡ περὶ τὴν ἀγοράν, ἐφ' ᾗ δεῖ τινὰ ἀρχὴν εἶναι τὴν ἐφορῶσαν, περί τε τὰ συμβόλαια, καὶ τὴν εὐκοσμίαν. σχεδὸν γὰρ ἀναγκαῖον πάσαις ταῖς πόλεσι, τὰ μὲν ὠνεῖσθαι, τὰ δὲ πωλεῖν πρὸς τὴν ἀλλήλων ἀναγκαίαν χρείαν, καὶ τοῦτ' ἐστὶν ὑπογυιότατον πρὸς αὐτάρκειαν, δι' ἣν δοκοῦσιν εἰς μίαν πολιτείαν συνελθεῖν. Sanè Romanis fuit id admodum curæ, qui non contenti Manilianis rerum venalium
Legibus, multisq; alijs Ciuilibus ac Prætorijs edictis, habuerūt suos Ædiles Curules, qui præerant fo- 3
ro rerum venalium, & ob earū vitia peculiares dabant actiones. Habuerunt & curā annonæ forēsis & copiæ cibariorū. Ideo celebrantur Manius Martius & Trebius Ædiles, qui, quòd in summa caritate, frumentū populo in modios asse dari curâssent, statuas in Capitolio & Palatio meruêre. Sed &
cura carnis, vt iusto pretio præberetur, ad cura Præfecturæ Vrbicæ pertinuit [l]. Et cōmemorat noster 4
Arcadius [m] Episcopos, qui olim præerant pani & cæteris venalib. rebus, quæ ciuitatū populis ad quo- 5
tidianum victū vsui sunt. Quod attinet ad venditionis appellationem, sciendū est, eam generalē esse, 6
& admodū latè patere, vtpote quæ comprehendere possit omnē omnino cōtractum, per quē dominium
transfertur [n]. Nec ignota est ratio: quòd olim nulla fieret abalienatio sine vera aut imaginaria ven- 7
ditione. Nam & testamenta quæ fiebant per æs & libram, habebant quandā venditionis imaginem.
Varro lib. 2. de Re rust. emptionum generali significatione cōprehendi ea, quæ dominiū legitimū effi- 8
ciunt, scribit. Has verò tres tanquā diuersas emptionum species commemorat; emptionē rerum mancipi;*

l L. 1. §. cura carnis. de offi. præfect. vrbi. m L. vlti. §. item. de mun. & hono. n L. sicut. §. venditionum. D. quib. mod. pig. vel hyp. sol.

cipi; emptionem hostilis prædæ; & sectionem; quæ tamen valde similes inter se videntur, cùm pre-
cium in omnibus interueniat. Cicero quoque libro secundo de Inuent. negare videtur sectionem esse
9 *speciem emptionis. Atqui sectionem olim fuisse dictam, cùm bona damnatorum publicata aliquis*
in vniuersum emeret, accepimus. nisi si eorum magis placeat coniectura, qui ita etiam appellari pu-
10 *tant diuisionem prædæ militaris, quam Græci appellant* λαφυραπωλίαν. *Porrò qui sectores olim dice-*
bantur, ementes nempe bona damnatorum, venditores etiam deinde erant. Emebant enim vniuer-
sa, vt deinde singula venderent. Itaque eo verbo modò emptor modò venditor intelligitur. Illud
11 *quoque notandum est, quod ait Caius [a], veteres emptionum venditionumque appellationibus pro-* a L. veteres.19 de ac
miscuè esse vsos. Venditorem verò etiam dici pro emptore, vel è diuerso: quanquam vno aut altero in tio.empti & vendi
Pandectis loco id occurrat, rarius est. Quod ad rem attinet, nullus certè dignior contractus est, qui ti.
diligenter pertractetur. Sed quod in his elementis prætermissum est, repeti ex Pandectis potest, vbi
12 *omnes huiusce contractus partes diligentissimè explicatæ sunt. Ac inprimis quidē de personis quæri-*
tur; an vendere aut emere potuerint; an voluerint; an consenserint? Ac ne longius discedamus, ipse
13 *Pandect. tractatus de contrab. empt. multis id capitibus attingit. De personis agit [b]. Opus est dein-* b L.2.26 27.34.§.vl.
de rebus, quæ vendi possint & tradantur. Ad eas pertinent multa etiam capita eiusdem tit. & hoc 45.62.63.de cōt. emp.
ordine coniungenda sunt [c]. Postremò requiritur precium certum & numeratum, de quo agit [d]. E- l.9.10.11.12.13.14.15.
go nunc ad primos veluti fontes digitum intendo, vt si quis velit Pandectarum titulum huic re- 16.34.D.eod.
spondentem huc referre, locos habeat paratos. Neque verò dubium est, quin hîc se amplissimus c L.8.34 57.4.5.6.16.
14 *offerat campus commentationis. Nam & aliunde multa dici possent. veluti, quando quis vendere* 17.18.35.§.veneni.&
cogatur aut emere; & de illo titulo Cod. vt nemini liceat in emptione specierum se excusare. Tum 52.D.eod.
etiam de ijs, qui testamento interdum damnabantur vendere, quod intelligebatur iusto precio [e]. in- d L.2.19 35.36.37.38.
terdum etiam prohibebantur vendere, præsertim extra familiam [f]. Iam verò de conditionibus 53.79.D eod.
huiusce contractus, & pactis inter emptorem & venditorem, tum dè causis propter quas rescindatur, e L.49.§.vl.de leg.1.
postremò & de euictione quàm multa vtiliter dici possent? Sed angustiæ harum Institutionum co- f L.85.§ insulam.&
gunt nos nunc esse breuiores. le seq.de lega.2.l.114.
§.Diui.de lega.1.

De emptione & venditione, Titulus XXIII.

EMPTIO & Venditio contrahitur simulatque de pretio conuenerit: quamuis nondum pretium numeratum sit, ac ne arra quidem data fuerit. Nam quod arræ nomine datur, argumentum est emptionis & venditionis contractæ. Sed hoc quidem de emptionibus & venditionibus, quæ sine scriptura consistunt, obtinere oportet. nam nihil à nobis in huiusmodi emptionibus & venditionibus innouatum est. In ijs autem, quæ scriptura conficiuntur: non aliter perfectam esse venditionem & emptionem constituimus, nisi & instrumenta emptionis fuerint conscripta, vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem scripta, à contrahentibus autem subscripta: & si per tabellionem fiunt, nisi & completiones acceperint, & fuerint partibus absoluta. Donec enim aliquid deest ex his, & pœnitentiæ locus est, & potest emptor vel venditor sine pœna recedere ab emptione & venditione. Ita tamen impunè eis recedere concedimus, nisi iam arrarum nomine aliquid fuerit datum. hoc enim subsecuto, siue in scriptis, siue sine scriptis, venditio celebrata est: is, qui recusat adimplere contractum, si quidem est emptor, perdit quod dedit, si verò venditor, duplum restituere compellitur, licet super arris nihil expressum est.

Pretium autem constitui oportet. nam nulla emptio sine pretio esse potest. Sed & certum esse pretium debet. alioqui si inter aliquos ita conuenerit, vt quanti Titius rem æstimauerit, tanti sit empta: inter veteres satis abundeque hoc dubitabatur, constaretne venditio, an non. Sed nostra decisio ita hoc constituit, vt quoties sic composita sit venditio, QVANTI ILLE AESTIMAVERIT, sub hac conditione staret contractus: vt si quidem ille, qui nominatus est, pretium definierit: tunc omnimodo secundum eius æstimationem & pretium persoluatur, & res tradatur, & venditio ad effectum perducatur: emptore quidem ex empto actione, venditore ex vendito agente. Sin autem ille, qui nominatus est, vel noluerit vel non potuerit pretium definire: tunc pro nihilo esse venditionem, quasi nullo pretio statuto. Quod ius cùm in venditionibus nobis placuit: non est absurdum & in locationibus, & in conductionibus trahere.

Item pretium in numerata pecunia consistere debet. Nam in cæteris rebus, an pretium esse posset, valde quærebatur: veluti an homo, aut fundus, aut toga alterius rei pretium esse posset. Et Sabinus & Cassius etiam in alia re putabant pretium posse consistere. vnde illud est, quod vulgò dicebatur, Permutatione rerum emptionem & venditionem contrahi, eamque speciem emptionis & venditionis vetustissimam esse: argumentoque vtebantur Græco Poeta Homero: qui aliquam partem exercitus Achiuorum vinum sibi comparasse ait, permutatis quibusdam rebus, his verbis.

Ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοί,
Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ.
Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν,
Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι.

[Cæsarie insignes redimunt hinc vina Pelasgi,
Aere alij, ferro quidam lucente, bouinis.
Tergoribus quidam, bubus pleriq; sed ipsis,
Mancipijs alij.]

Diuersæ scholæ autores contrà sentiebant: aliudque esse existimabant permutationem rerum, aliud emptionem & venditionem. alioqui non posse rem expediri permutatis rebus, quæ videatur res væniisse, & quæ pretij nomine data esse. nam vtranque videri & væniisse, & pretij nomine datam esse, rationem non pati. Sed Proculi sententia, dicentis, Permutationem propriam esse speciem contractus, à venditione separatam, meritò præualuit: cùm & ipse alijs Homericis versibus adiuuabatur, & validioribus rationibus argumentabatur: quod & anteriores diui Principes admiserunt, & in nostris Digestis latius significatur.

Quum autem emptio & venditio contracta sit (quod effici diximus, simul atque de pretio conuenerit) cùm sine scriptura res agitur periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit. Itaque si homo mortuus sit, vel aliqua parte corporis læsus fuerit, aut ædes totæ, vel aliqua ex parte incendio consumptæ fuerint: aut fundus vi fluminis totus, vel aliqua ex parte ablatus sit, siue etiam inundatione aquæ, aut arboribus turbine deiectis, longè minor aut deterior esse cœperit: emptoris damnum est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium soluere. Quicquid enim sine dolo & culpa venditoris accidit, in eo venditor securus est.

Sed & si post emptionem fundo aliquid per alluuionem accesserit: ad emptoris commodum pertinet. Nam & commodum eius esse debet, cuius periculum est.

Quòd si fugerit homo qui vænit, aut surreptus fuerit, ita vt neque dolus, neque culpa venditoris interuenerit: animaduertendum erit an custodiam eius vsque ad traditionem venditor susceperit. Sanè enim si susceperit, ad ipsius periculum is casus pertinet: si non susceperit, securus est. Idem & in cæteris animalibus, cæterisque rebus intelligimus. Vtique tamen vindicationem rei & condictionem exhibere debebit emptori: quia sanè qui nondum rem emptori tradidit, adhuc ipse dominus est. Idem etiam est de furti & de damni iniuriæ actione.

Emptio tam sub coditione, quàm purè contrahi potest. Sub conditione, veluti, SI STICHVS INTRA CERTVM DIEM TIBI PLACVERIT, ERIT TIBI EMPTVS AVREIS TOT.

Loca sacra, vel religiosa, item publica (veluti forum, basilicam) frustra quis sciens emit. quæ tamen si pro profanis vel priuatis deceptus à venditore quis emerit: habebit actionem ex empto, quòd non habere ei liceat: vt consequatur, quòd sua interest eum deceptum non esse. Idem iuris est, si hominem liberum prò seruo emerit.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Cur periculum rei vendita ad emptorem statim pertineat?
2 Tam de re quam de pretio conuenisse oportet.
3 Si, re vendita sub conditione, cõditio deficiat, emptio nulla est.
4 Quid, si pendente conditione emptor vel venditor decesserit?
5 Si pendente conditione res deterior effecta sit, damnũ emptoris est.
6 Vbi tradita res est, impleta dicitur venditio.
7 Argumentum emptionis hic quod dicatur?
8 Scriptura, an alio probationis genere constet de eo quod quæritur, nihil interest.
9 Antiqua venditionis & emptionis formula.
10 Testes etiam idonei, præter scripturam, adhibendi contractibus.
11 Non minus obligat subscriptio quam scriptio.
12 Vbi solo consensu perfecta est emptio, non est pœnitentia locus.
13.14 Quid, vbi arrha iam super facienda emptione data sunt?
15 Arram non esse pignori dissimilem.
16 Quid, si de arris sponsaliorum agatur?

Contrahi-

1 *Contrahitur.*] Atque etiam quodammodo perficitur [a]. Nam & Iulianus perfectam dixit ven-
ditionem, quæ contracta erat [b]. Ergo & statim periculum rei venditæ ad emptorem perti-
2 nebit [c]: & iusta nascetur obligatio: quæ non nisi vtriusque partis consensu dissolui posit [d]. ¶ *De
precio conuenerit.*] De re quoque inter emptorem & venditorem conuenisse oportere certum est.
Nam si de ea non conuenerit, tam imperfectam esse emptionem, quàm si in precio dissentiant,
inquit Vlpianus [e]. vt si in corpore aut materia erretur. Consensus autem siue inter præsentes, siue
per nuncium aut epistolam interuenerit, non interest [f]. Sed vt certum sit, verè contractam esse em-
3 ptionem, oportet purè conuenisse. Quod si sub conditione res venierit: siquidem defecerit con-
ditio, nulla est emptio. sed si extiterit, videbitur ab initio purè contracta, & incipiet periculum
4 esse emptoris, vt docet Paulus [g]: qui etiam illud addit; Quòd si pendente conditione emptor vel
venditor decesserit: si extiterit conditio, hæredes quoque obligatos esse, quasi iam contracta em-
ptione in præteritum. Planè si pendente conditione res interierit. perimitur emptio. Sed si res ex-
5 ret, licet deterior effecta, damnum erit emptoris. Rectè itaque, cùm species vendita incendio esset
absumpta. rescriptum est [h], tum demum amissæ rei periculum ad venditorem non pertinere, vbi
nulla conditio venditionem suspenderat. Addi potest; Aut si nulla venditoris mora præcesserit.
Sic totam hanc rem perstringit Gordianus [i]; Cùm inter emptorem & venditorem, contractu
sine scriptis inito; de precio conuénit, moraque venditoris in traditione non intercesſit; periculo
emptoris rem distractam esse, in dubium non venit. ¶ *Quamuis nondum precium.*] Itaque hoc no-
mine res vendita, si fuerit tradita, condici aut vindicari non poterit [k]: & si non fuerit tradita, non
6 poterit denegari emptori, si paratus sit precium soluere. ¶ *Nondum precium numeratum.*] Ac nec
res quidem tradita. quæ vbi tradita est, impleta dicitur venditio [l]. Sed prius nihilominus perfecta
est venditio, vt periculum ad emptorem pertineat, si modò nulla venditoris in traditione mora
præcesserit. ¶ *Nam quod arræ nomine datur.*] Inquit Caius [m]; Quod sæpe arræ nomine pro emptio-
ne datur, non eò pertinet, quasi sine arra conuentio nihil proficiat: sed vt euidentius probari pos-
7 sit, conuenisse de precio. Sic itaque argumentum emptionis hîc dicitur, quod euidentius probat
contractam esse emptionem. ¶ *In ijs autem quæ scriptura conficiuntur.*] Sic vt scriptura prorsus ni-
8 tantur, nec aliter ratum esse velint contrahentes, quod agitur. Alioqui autem nihil interesse solet,
9 scriptura, an alio probationis genere cõstet de eo, quod quæritur [n]. Porrò lubet hîc ex membranis
antiquitatum Romanarum, subijcere formulam Emptionis & Venditionis, quæ antiquis Ro-
manorum temporibus scriptura fuit confecta: vt quod in testamentis fecimus, certum quoque
hîc edamus exemplar eius rei, de qua agitur. Et habet certè multum honestæ voluptatis, multum-
que momenti ad illustrandum Ius Ciuile, hæc cognitio antiquitatis.

a L. 2. §. 1. de contrah. empt.
b L. necessario. §. si ita res deperic. & commo. rei vendita.
c d[ict]. l. necessario.
d L. 1. & 2. C. quan. lic. ab empt. disced.
e L. in venditionibus de contrah. empt.
f L. 1. §. vlti. D. eod. tit.
g dic. l. necessario.
h L. cùm speciem. C. de peric. & commo. rei vendi.
i L. cùm inter. C. de peric. & com. rei vendit.
k L. inciuile. C. de rei vend.
l L. si quis alienam. de act. empt.
m L. quod sæpe. de contrah. empt.
n L. contrahitur. de pigno. l. pactum quod bona fide. C. de pact.

FORMVLA VENDITIONIS SCRIPTVRA OLIM CONFECTAE.

Pascutius Culita, Pascutij Culitæ F. Sarnensis, Sarcularius, cum Pignatia Nigella, quæ viro suo nunc hîc adest, & suo & vxoris nomine vendit Segnitio Funestillo, Acerrano viatori, qui ipse emit sibi, liberis, nepotibus, pronepotibusque suis, cum omni posteritate, domunculam. Sita est Sarnensi in suburbio, secundum flumen. Tribules, & vicinos bonos habet Pilutium, Rufillum, Cocleatium, Surriponem, itemque Lardatium Fabaronem. Proba est domuncula tota, proba concignatio, probus paries, tectum ipsum probè canteriatum, adserulatumque quernis etiam scandulis, Auerunconis Fabri: proba cisterna, siue vllo saliculi vicio, aut latrinæ seruitute: Fundamenta bene iacta, volutabrum lutulentum, in quo viciniæ totius sordes desideant. Harula ad solem meridianum exposita. firmiterque quaternata. Vnciolæ tres, precium. Tu Pascuti accepisse argentum omne, perpensum probè, & enumeratum fateris. Tibi verò Segniti ea domuncula solenni more est à Pascutio emancupata, ab ipsis etiam fundamentis tota, cum tecto, asseribus, canterijs, claniculis, scalis, foribus, culina, volutabrióq́ue decursibus, ab infimo solo ad vsque cæli subsellium, cum ipso etiam cælo, cumq́ue terræ imis atque perimis infernisq́ue. Sistes autem in omni foro, & causa, festis, profestisq́ue, fastis nefastisq́ue diebus, Segnitio ac Segnitij posteris. Pro quo præstando prædia, supellectilemq́ue suam, & cum ea abacem, confinum, riscum, & rete triplumbatum, obligatum obligat, seq́ue statutum in Prætorio adiudicem. Tu Pascuti fustem illũ inuestito. Tu Segniti fustem ipsum manu capito. Hæcce, vti vera sunt, sciens volensq́ue, suæ sponte, atque ex conuento, vtq́ue inter viros bonos decet, vterq́ue agitis: meq́ue vt scribam, rogatis, iureq́ue iurando cuncta hæc confirmatis. Testes adsunt de more aciti, rogatiq́ue, viri vtique probi, Plotius Locusta Fesulanus, Casellio Albanus, Licida Albutius Fregellanus. Hæcce sicce conuenere, hisce verbis, hisce conditionibus, acta & transacta sunt: hisce adsentiente vxore Pignatia, vt par est, viros inter bonos bene agere.

Cal. Quintilib. Prætore Balbo.
Bebius Porca.

Non aliter

¶ *Non aliter perfectam.*] Vnde nec ex ea prius vllum ius vlli competit: vixque transfertur do-
minium, si vltro prius facta sit traditio [a]. ¶ *Constitutionem.*] Extat hæc Iustiniani Constitutio lib. 4.
Codicis [b]: & pertinet ad omnes contractus, quos in scriptis fieri placuit. Idem Iustinianus in No-
uella sua Constit. 73. admonet, vt hisce contractibus, præter scripturam, ad maiorem certiorem-
que rei gestæ fidem, adhibeamus aliquos testes idoneos: qui (vbi fuerit opus) testentur, instru- 10
mentum, prout scriptum est, contrahentibus placuisse. Idq; etiam veteres obseruâsse apparet ex
superiori venditionis formula. ¶ *A contrahentibus.*] Id scilicet agentibus, vt obligatio contrahe-
retur. Etenim si quis instrumento subscriberet, vt authoritatem præstans, veluti tutor, vel vt testis
solennitatis ergò adhibitus; non statim eo nomine obligabitur ipse instrumentum probare in
fraudem suam [c]. ¶ *Subscripta.*] Subscriptio approbat totum scriptum: vt non minus quis obli- 11
getur subscribendo quàm scribendo [d]. Porrò autem subscripta hic esse oportet instrumenta in
mundum recepta, vt inquit in sua Cõstitutione Iustinianus. ¶ *Et potest.*] Etiã inuito altero. Sed vbi 12
solo consensu contracta perfectaq; esset emptio: non ita esset pœnitẽtiæ locus. Sed vtriusque com- 12
muni consensu esset opus ad rescindendum contractum: idque adhuc re integra, id est, nondum
tradita [e]. ¶ *Itatamen.*] Et hunc articulum in eadem sua Constitutione Iustinianus, his verbis 13
complexus est [f]; Illud etiam adijcientes, vt in posterum si quæ arræ, super facienda emptione cu-
iuscunque rei datæ sunt, siue in scriptis, siue sine scriptis: licet non sit specialiter adiectum, quid su-
per ijsdem arris, non procedente contractu fieri oporteat: tamen & qui vendere pollicitus est,
venditionem recusans in duplum eas reddere cogatur: & qui emere pactus est, ab emptione re-
cedens, datis à se arris cadat, repetitione earum deneganda. ¶ *Is qui recusat.*] Cum scilicet alter pa- 14
ratus est pactis stare, & præstare, quod suarum est partium. Cæterùm vbi communi & mutuo con-
sensu venditio dissolueretur, emptor, quod arrarum nomine dedit, reciperet [g]. Vnde & Vlpia-
nus [h], Is (inquit) qui vinum emit, arræ nomine certam summam dedit: postea conuenerat, vt em-
ptio irrita fieret: Iulianus ex empto agi posse ait, vt arra restituatur. Sed & perfecta impletaque
venditione, repetitur arra, si non fuerit data vt cederet in partem precij, sed tantùm vt tueretur
vim contractus: veluti quoddam pignus. Neque enim dissimilis est pignori arra: cuius nomen 15
etiam aliquando in iure habet [i]. Nec profectò aliud apud Græcos significat ἀῤῥαβὼν, quàm apud
Latinos pignus: quanquam & hæc magis Hebraica quàm Græca vox sit. ¶ *Duplum.*] Theophi- 16
lus rectè interpretatur, καὶ αὐτὸ τὸ δοθὲν, καὶ ἕτερον τοσοῦτον. [& ipsum quod datum fuerit, & alterum
tantùm.] Arras sponsaliorum legimus olim redditas fuisse in quadruplum, ab eo qui sine iusta
causa non seruabat sponsalia ritè contracta: sed nouo iure duplum tantùm præstatur, nisi expres-
sim de quadruplo contrahentes conuenerint [k]. Tum enim patitur Iustin. veteres leges de quadru-
plo locum habere. quia & arræ ipsæ multo minores sint principali negocio, cuius duplum non
passus est Iustin. facilè excedi [l].

a L. vaicu §. quod si prædia. C. de iustra.
b L. contractus. C. de fide instru.
c L. Titius cum testamento. §. Lucio. de lega. 2. l. Caius. de pign. act.
d L. si quis ex argentarijs §. 1. de eden. l. si ego. §. planè. de iure dot. l. cam antiquitas. §. vlt. C. de testamen.
e L. 1. C. quan. lic. ab empt. disced.
f L. contractus. § illud etiam. C. de fi. instru.
g L. 2. C. quando lic. ab empt. disced.
h L. ex empto. §. si qui vinum. de act. empt.
i L. 1. C. si rec. prouinc.
k L. vlt. C. de sponsalib.
l L. vnic. C. de senten. quæ pro eo, quod interest, profer.

§. *Precium.*

1 Precium animo soluendi primùm esse constitutum satis, licet postea non soluatur.
2 Rem donationis causa posse vendi minoris.
3 Non numeratio sed conuentio perficit sine scriptis habitam emptionem.
4 Fides empti & venditi sine quantitate nulla est.
5 Emptio illa; Quanti tu emisti; valet.
6 Quid, si precium venditionis siue locationis in alterius arbitrium conferatur?
7 Stipulatio quoq; in alterius arbitriũ rectè confertur.
8 Societatem arbitratu alicuius tertij rectè coiri.
9 Quid si æstimatoris illius æstimatio nimis iniqua fuerit?
10 Non dominum rei eum vendens, euictionis nomine obligatur.
11 Si de quo conuenerat non arbitretur, contractus nihil est.

¶ *Precium autem constitui oportet.*] Satis est autem id esse constitutum animo soluendi ab em- 1
ptore, & recipiendi à venditore: etiamsi fortassis postea non soluatur, sed donetur vel remittatur.
quemadmodum & si tibi habitationem locauero, postea pensionem remittam: nihilominus e-
rit locatio & conductio [m]. Cæterùm si à principio animus erat remittere precium quod constitui-
tur; non esset venditio. Sic enim Vlpianus [n] scribit, Cùm in venditione quis precium rei ponit,
donationis causa non exacturus: non videtur vendere, sicuti & donationis causa contrahi non
posse locationem, ait Paulus [o]. Hoc autem intelligendum esse quoties vniuersa venditio donatio-
nis causa facta est, Vlpianus ipse monet. posse autem donationis causa rem minoris vendi con- 2
stat [p]. ¶ *Nam nulla emptio.*] Inquit Vlpianus [a]; Sine precio venditio nulla est. nõ autem precij nu- 3
meratio, sed conuentio perficit sine scriptis habitam emptionem. Et Impp. Diocletianus & Ma- 4
ximianus rescripserunt [b]; Empti fidem ac venditi, sine quantitate nullam esse. ¶ *Sed & certum.*] 5
Saltem eò relatum, vnde certum fiet. Nam & id pro certo habetur [c]. Itaque (inquit Vlpianus [d])
huiusmodi emptio; Quanti tu eum emisti: vel, quantum precij in arca habeo: valet. Nec enim in-
certum est precium in tam euidenti venditione. magis enim ignoratur quanti emptus sit, quàm
in rei varietate incertum est. ¶ *Inter veteres satis abundeque dubitabatur.*] Quæ tamen extant ve- 9
terum Iurisconsultorum responsa, non videntur admodum hac de re dubitare: Nam eam simpli-
citer definiunt, sicuti fecit postea ipse Iustinianus. Etenim Caius apertè respondit [e]: Si merces pro-
missa sit generaliter alieno arbitrio, locatio & conductio contrahi non videtur. Sin autem, quan-
ti Titius

m L. si tibi habitationem. D. locat.
n L. cum in venditione. de contrah. empt.
o L. sicut emptio. Locati.
p L. si quis donationis. de contrah. empt.
a L. 2 § vlt. de contrah. empt.
b L. empti. C. de contrah. empt.
c L. vbi autẽ. de ver. oblig.
d L. hæc venditio §. huiusmodi emptio de contrah. empt.
e L. si merces. D. loca.

ti Titius æstimauerit: sub hac conditione stare locationem: vt siquidem ipse qui nominatus est, mercedem definierit: omnino secundum eius æstimationem, & mercedem persolui oporteat, & conditionem ad effectum peruenire. Sin autem ille vel noluerit vel non potuerit mercedem definire: tunc pro nihilo esse conductionem, quasi nulla mercede statuta. Hæc ille. Sic & stipulatio-
7 nem rectè conferri in arbitriū alterius idem Caius[a] indicat, & Vlpianus[b]. Idemque & de coëun-
8 da societate arbitratu alicuius tertij, respondit Celsus[c]: vt non possim intelligere cur de contractu venditionis dubitâssent: quanquam sanè non extet vllius responsum agentis de eiusmodi venditione: nec alia extat decisio, quàm Iustiniani. ¶ *Sed nostra decisio.*] Extat hæc Iustiniani decisio libro quarto Codicis, scripta ad Julianum Præfectum Prætorio[d]. ¶ *Quanti ille æstimauerit.*] Is scilicet, de quo inter contrahentes conuenit. Cæterùm generaliter alieno arbitrio precium promitti non posset[e]. Sicuti nec potest relinqui arbitrio vendentis vel ementis[f]: quanquam alterius contrahentis arbitratui possit committi definitio quarundam accessionum[g]: sine quibus scilicet
9 rectè etiam constabit contractus. ¶ *Omnimodo secundum eius æstimationem.*] Si modò non fuerit
10 ea nimis iniqua. alioqui enim ad arbitratum boni viri redigetur[h]. ¶ *Et precium persoluatur, & res tradatur.*] Vlpianus[i] ait, emptorem cogi numos venditoris facere: venditorem verò rem emptori præstare, hoc est, tradere. vt si dominus fuit venditor, faciat emptorem dominum: si non fuit: tantùm euictionis nomine obligetur. ¶ *Tunc pro nihilo esse venditionem*] Neque enim recedi potest à persona eius, cuius arbitrium insertū est[k]. quod & in compromissis[l], & societate[m] coëunda tra-
11 ditum est. Adeoque nihili est stipulatio, si is de quo conuenerat, non arbitretur. vt etiam si pœna adiecta sit, non committatur[n]. Atque hæc quidem, vbi per alium factum non est, quo minus is arbitraretur. alioqui is qui in culpa aut mora fuerit, tenebitur & habebitur pro implera, conditio
15 stipulationis[o]. ¶ *Quod ius.*] Non modò precij certi. sed & eius committendi alterius definitioni & arbitrio. Id quod dudum ante Iustinianum etiam tradiderat Caius[p]: cuius responsum paulò antè retulimus. idemque sequenti titulo à Iustiniano inculcatur.

a L. vlt. de ver. obl.
b L. si quis arbitr. de ver. oblig.
c L. si coita. D. pro soc.
d L. vlti. C. de contrah. empt.
e L. si merces. D. loca.
f L. in vendentu. C. de contrah. empt.
g L. hùc venditio. de contrah. emps. l. si in lege. D. locati.
h L. societatem. §. arbitrorum. D pro soc.
i L. ex empto. de act. empti.
k L. si quis arbitratu. de ver. oblig.
l L. in compromissis. de recep. arbi.
m L. si coita. D. pro soc.
n L. & ideo. de ver. oblig.
o L. iure ciuili. de cond. & dem.
p L. si merces. D. loca.

§. *Item precium.*

1 *Precium emptionis in numerata pecunia consistit.*	10 *Origo emendi & vendendi à permutationibus cœpit.*
2 *Celsi responsum explicatum.*	11.12.13 *Numi cur, vbi, & quando inuenti & signati?*
3 *Pecunia nec emi nec vendi potest.*	14 *Lycurgus auri argentiq; vsum Spartanis ademit.*
4 *Precium ab initio emptionis in numerata pecunia consistere satis est.*	15.17 *Germanis olim permutatio familiaris fuit.*
5 *Precium non modò certum esse, & in numerata pecunia consistere, sed & iustū esse debet.*	16 *Homeri autoritas olim in foro etiam & controuersijs ciuilibus magna erat.*
6 *Venditorem vltra dimidium iusti precij decipere non licet. Idem de emptore, num. 7.*	18.19 *De sectis Proculeianorum, & Sabinianorum.*
8 *Si dominus sciens minoris vendiderit, non est postea audiendus.*	21 *Quid si sit contractus mixtus?*
9.20.23 *Emptio & venditio à permutatione quomodo differant?*	22 *Caroli V. anno 1541. aduersus Ducem Cliniæ contentio.*
	24 *Homerum nō confudisse permutationem cum emptione.*

1 ¶ *In numerata pecunia.*] Eaque proba & legitima[a]. Et numeratam quidem hîc omnino desideramus: quia alioqui non erit emptio, sed potius contractus quidem innominatus, si ea detur, vt species certúmve corpus: vt fit non rarò[b]. Atque ita debet accipi responsum Celsi[c], negantis
2 emptionem esse, si tibi dedi pecuniam, vt mihi Stichum dares. Ibi enim intelligi debet data pecunia, non numerata, sed vt species. Et cùm alio loco dicitur[d]; esse emptionem, si do pecuniam, vt tu des rem: intelligi debet pecunia numerata. Porrò autem ipsamet pecunia nec emi, nec ven-
3 di potest. Nam cùm sit ipsa rel. quarum rerum precium, resque singulas æstimet: alijs rebus com-
4 modè nequit æstimari[e]. ¶ *Consistere debet.*] Saltem ipsius conuentionis tempore. Cæterùm postea ex interuallo poterit loco pecuniæ conuentæ alia res dari pro precio. Sic enim rescriptum est[f]; Precij casu non pecunia numerata, sed pro ea pecoribus in solutum consentienti datis, contractus non constituitur irritus. Porrò admonendi sumus, nondum omnia, quæ in precio de-
5 siderantur, esse dicta. neque enim satis est id certum esse, & in pecunia numerata consistere, nisi etiam iustum sit, saltem non vltra citráve dimidiam iustæ æstimationis. Etenim vt fortassis aliqua toleretur circunuentio in precio[g], quia si id semper ad viuum exigeretur omnimodo iu-
6 stum, non possint constare commercia: tamē vbi grauior est circunuentio, iure coërcetur: vt si minus dimidia iusti precij parte fuerit solutum. Sic enim rescripserunt Impp. Diocletianus & Maximianus[h]; Rem maioris precij, si tu vel pater tuus minoris distraxerit: humanum est, vt vel precium te restituente emptoribus, fundum venditum recipias autoritate Iudicis intercedente: vel si emptor elegerit, quod deest iusto precio recipias. Minus autem precium esse videtur, si nec dimidia pars veri precij soluta sit. Hactenus illi. Et quanquàm solùm loquantur de venditore circunuento, idem tamen intelligitur de emptore, qui plus dimidia parte, quàm res sit, soluerit. Semper enim vbi quod est acceptum, supra semissem minus est eo, quod datum fuit, circunuento leges subueniunt. Vt, quemadmodum rem decem aureorum, temerè vendenti quatuor aureis, succur-

a L. eleganter. §. qui reprobos. de pign. act.
b L. si certos numos. de ver. oblig. l. sed & si certum. de legat. 1.
c L. vlt. de cond. c. n. da ca. non sec.
d L. naturalis. §. & si quidem. de præscr. verb.
e L. si ita fideiussore. de fideiuss.
f L. pre ij causa C. de rescind. vendi.
g L. in causæ cognitione etiam. §. pen. de minor. l. item si precio. §. 1. D loc.
h L. 2. C. de rescind. vend.

succurritur;ita& ementi viginti & vno succurratur,vt venditio protsus rescindatur,vel quod plus
darum est,restituatur. Sanè tamen si quis sciens prudensq; vltro maius precium dederit,non de- 8
bet de alio quàm de suo queri: quemadmodum & si dominus sciens minoris vendat. Apud Plato-
nem extant duæ leges venditionis, quas & nos in commercijs obseruari admodum vellemus, si
commodè fieri posset. Sunt autem hæ: μηδέποτε εἶπερ δύο τιμὰς ὧν ἂν πωλῇ. ἔπαινος δὲ ὅρκος τε περὶ παντὸς
τοῦ πωλουμένου ἀπέστω. [Ne res venales easdem diuersis precijs æstimato: Laudatio ijs & iusiuran-
dum omnino abesto.] ¶ *Valde quærebatur.*] Totam hanc quæstionem & veterum disceptationem
a L.1.de cōtrah.empt. tractat plutibus verbis Paulus [a], ex cuius responso videtur hic locus desumptus. ¶ *Speciem esse em-* 9
b L.2.C.de rer.permu. *ptionis.*] Fatentur quidem Principum rescripta; Permutationem esse simillimam emptioni [b]: sed
eius esse speciem nequaquam fatenrur. Et sanè magis videri poterat emptio species esse permuta-
tionis. Origo enim emendi vendendique à permutationibus cœpit. Olim non erat numus: neq; 10
aliud merx, aliud precium vocabatur: sed vnusquisque secundum necessitatem rerum ac tempo-
rum, inutilibus vtilia permutabat. quia plerunque euenit, vt quod alteri superest, alteri desit. Sed
quia non facilè nec semper eueniebat, vt cùm tu haberes quod ego desiderarem, ego inuicem ha-
berem quod tu accipere velles: electa est certa res, cuius publica & perpetua æstimatio difficultati- 11
c L.1.de cōtrah.empt. bus permutarionum facilè subueniret, quemadmodum latius scribit noster Paulus [c]: qui hac in re
secutus videtur Aristorelem. Is enim lib.5. suorum Moralium grauissimè probat; In societate ciuili
non posse fieri rerum commutationem, nisi prius redigantur ad æqualem proportionem: eam
autem non facilè fieri ex substantijs rerum, nisi æstimenrut aliquo modo comparabili, qui sit loco
rei, facileque posit augeri aut minui: Vt est pecunia numerata, siue numus. Hacque etiam ratione 12
Plato numum contendit esse in Rep. necessarium. Et reuera non nisi exigente humanorum com- 13
merciorum necessitate is excusus est. primumque signatus dicitur apud Romanos regnante Ser-
uio. Lycurgus tamē in alia fuit sententia, quem scribit Iustinianus legem tulisse suis Spartanis; Vt 14
singula compararent non pecunia, sed compensarione mercium. Auri enim argentique vsum ijs
ademerat. Existimauitque etiam Plinius lib.33. longè feliciora fuisse illa tempora, quibus igno-
tus cùm esser numus, voluntaria rerum permutatio continebat humanam societatem. Sed nescio
an Plinius satis expenderit permutarionum difficultates, veramque ciuilium commerciorum ra-
tionem. Cornelius Tacirus scribit veteres Germanos, qui inreriores erant, pecuniæ vsum con- 15
tempsisse: & simplicius antiquiusque permutatione mercium vsos. Eos verò qui Romanorum fi-
nibus proximi erant. ob vsum commerciorum, aurum & argentum in precio habuisse: & argen-
tum magis quàm aurum secutos, quia numerus aureorum facilior vsui esset promiscua ac vilia
mercantibus.

¶ *Argumentoq; vtebantur Græco poeta Homero*] Magna semper fuit apud veteres Homeri autori- 16
tas, non modò in scholis, sed & in foro & controuersijs ciuilibus. Adeò vt Solon dicatur aliquan-
do in iudicio, vno versu Homerico euicisse; Salaminem insulam fuisse Atheniensium. Certè Fa-
bius libro duodecimo iubet suum Oratorem, qui in foro versaturus est, diligenter perdiscere sen-
tentias Poëtarum. Nam & (inquit) Philosophi repetere autoritatem à plurimis versibus non fasti-
dierunt. Porrò ne quis arbitretur solos olim Græcos hanc permutationem in vsu habuisse, scribit 17
Cornelius Tacirus eandem apud priscos Germanos diu mansisse. ¶ *Vinum sibi comparasse ait*]
Locus est Iliados libro septimo ad finem, vbi refert Homerus, naues vino onustas è Lemno adue-
nisse, missas ab Euneo: statimque Græcos, vt sibi opiparam cœnam instruerent, longæ obsidionis
Troianę tædium leuaturi, inde sibi vinum comparâsse, promiscua aliarum rerum suarum permu-
tatione. Est prȩterea & alius quidam apud Homerum locus, qui etiam vocat emptionem, vbi pro
precio dati erant boues. Sic enim scribit lib. Odyssea 1.

Τήν ποτε Λαέρτης πρίατο κτεάτεσσιν ἑοῖσιν, [*Quam olim Laërtes emerat facultatibus suis*
πρωθήβην ἔτ' ἐοῦσαν, ἐεικοσάβοια δ' ἔδωκεν. *Impubem adhuc; precium autem viginti boum dedit.*]

¶ *Diuersæ scholæ autores.*] Nempe Proculus, & qui eum antecessit Nerua, quique secutus est Pe- 18
gasus. Hi enim omnes ab Antistio Labeone profecti, suam sectam tutati sunt aduersus alterius se-
ctæ autores Capitonem, Masurium Sabinum, Cassium Longinum, Cælium Sabinum, Priscum
Iabolenum. Sed de Proculeianorum & Sabinianorum sectis alio loco diximus. Illud autem Pro- 19
culi sententiam, quam hic probat Iustinianus, multum iuuat, quod ipse Celsus, qui Pegaso succes-
sit, & partes Sabinianorum alioqui secutus est, testetur se procliuiorem in eam sententiam, vt di-
d L.vlt.de cond.causa data cau.non sec. stinguatur specierū permutatio ab emptione [d]. ¶ *Meritò praualuit.*] Primùm enim (vt iam dictum 20
e L.1.de contrah.empt. l.naturalis. §.et si quidē.de præscr.verb. est) probauit eam Celsus vnus ex aduersarijs: deinde Paulus [e]. Et à Cæsaribus rescriptū est; Emptio-
nem tebus fieri nō posse [f]. Denique res ipsa euincit, aliud esse emptionem, aliud permutationem.
f L.emptionem.C.de rer.permut. In emprione merx certa est, & preciū certum in numerata pecunia cōsistens: At in permutatione
g L.1.de rer.permu. non possumus distinguere, quis sit emptor, aut venditor, quid merx, aut precium [g]. Emptio nudo
h L.ex placito.C.de rer.permut. consensu initur; At permutatio nō contrahirur nisi re ab altero dara [h]; est enim permutario quidā
i L.vlt.de cond.cau.data. iuris gentiū innominarus contractus, qui nullam obligationem nisi re secuta parit [i]; & obligatio-
nem quidem illi qui dedit, vt ei sit liberum, vel rem ab alrero petere, vel quod dedit repetere: At
k L.in ciuile.C.de rei vendica. vendirione semel contracta, non est integrum alteri rescindere contractum; sed tantùm venditor
agit vt precium soluatur: emptor, vt res tradarur [k]. Si tamen contractus sit mixtus, partim nomi- 21
natus, partim innominatus: vt si sit venditio, in qua præter precium conuenit, vt emptor aliquid
daret vel faceret, sine quo alioqui venditor non erar contracturus: certè vbi eiusmodi principali
& (vt vulgò loquuntur) substantiali pacto non fieret satis, liceret venditori totum contractum re-
scindere.

22 ſcindere. Sic enim in Comitijs Ratisbonenſibus anno Domini 1541. Imp. Carolus V. contendens
aduerſus Gulielmũ Cliuiæ Ducem de ducatu Geldriæ, interpretatus eſt celebre reſcriptum trium
Imperatorum Cari, Carini, & Numeriani, quod in Codice extat his verbis [a]; Cùm te fundum tu-
um certæ rei contemplatione inter vos habita, exiguo precio in alium tranſtuliſſe commemores,
poterit tibi ea res non eſſe fraudi, quando nõ impleta promiſsi fide, dominij tui ius in ſuã cauſam
reuerti conueniat. Et ideo aditus competens iudex, fundum, cuius mentionem facis, reſtitui tibi
cum fructibus ſine vlla ludificatione, ſua autoritate perficiet: præcipuè cùm & aduerſa pars rece-
23 ptis numis ſuis nullam paſſa videri poſsit iniuriam. Hactenus illi. Poſtremò notandum eſt hoc
quoque diſcrimen, quòd emptionis & venditionis non ſit tam grauis obligatio, quàm permuta-
tionis. Nam venditor non cogitur omnino rem venditam dare, hoc eſt, eius dominium transfer-
re, ſed tantùm tradere. Ideoque etiam res aliena rectè vendi poteſt [b]. at non poteſt ita permutari [c].
Nam qui permutat, dominium transferre debet: alioqui nihil agitur.

a L. cum te fundum. C. de pact. inter empt. & vendit.
b L. rem alienam. de contrah. empt.
c L. 1. in fi. de rerum perm.

¶ *Alijs Homericis verſibus.*] Qui ſint hi verſus, non ſatis conſtat. Budæus conijcit eſſe eos, in qui-
bus Homerus ſolet res æſtimare bobus: quod ſæpiſsimè facit, quaſi tum agat de certo numeratæ
pecuniæ precio, quod emptioni proprium eſt. Certè fuit olim apud Athenienſes Bos genus numi
inſculptam habentis formam bouis. Vnde prouerbium, βοῦς ἐπὶ γλώττης. [Bos in lingua.] Theophi-
lus verſus, quorum hic fit mentio, eos eſſe putat, qui extant Illiados lib. 6. de permutatione Glauci
& Diomedis

———τεύχε' ἄμειβε, [———arma permutauit;
χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων. *Aurea aeneis; centum bobus valentia nouem bobus valentibus.*]

Et notat hic nominatim Homerum meminiſſe permutationis, cùm prius meminerit emptionis,
24 in alijs verſibus. Vnde colligit Homerum non confudiſſe permutationem cum emptione ¶ *Au-
ctores diui principes.*] Veluti Diocletianus & Maximianus, qui reſcripſerunt [d]; Pridem placuiſſe
emptionem rebus fieri non poſſe.

d L. emptionem. C. de rerum permu.

§. *Cum autem. cum ſeq.*

1 Sub conditione contracta emptione, non eſt, ea pendente, emptoris periculum.
2.3 Spes empta ſi fallat, quatenus emptoris ſit periculum?
4 Fungibilium rerum certa quantitate vendita, non ſtatim eſt periculum emptoris.
5 Quid, ſi res ex conuentione deguſtandæ ſint?
6 Debitor certæ ſpeciei, ſi ante moram ea perimatur, liberatur.
7 Quid, ſi fundus ad menſuram ſit venditus?
8 Quid, ſi iam arbores tempore venditionis deiectæ fuerint?
9 Leuem etiam culpam venditor præſtat.
10.13.14 Eum ſequitur commodum quem & incommodum, & contra.
11 Id quod alluuione obuenit, eodem cenſetur iure, quo id cui accreſcit.
12 Fructus poſt venditionem nati ad emptorem pertinent.
15 Quid, ſi res empta furto pereat?
16 Dominia non nudis pactis, ſed traditionibus transferuntur.
17 Quid, ſi venditor ancillam ante traditionem manumiſiſſet?
18 Emptor, antequam adipiſcitur rei poſſeſsionem, ſecurus non eſt.
19 Quid, ſi res empta, conditione pendente vel pereat, vel deterior facta ſit?
20 An emptio contrahi poſsit ſub conditione, qua in emptoris ſit poteſtate?
21 Nec precij definitionem relinqui poſſe emptoris arbitrio.
22 Quid, ſi conuenerit, vt, ſi diſplicuerit quod venit, redhibeatur?
23 De conditione addictionis in diem.
24 Lex commiſſoria, veluti, ſi quid ita venierit, vt ſi ad diem non ſoluatur, ſit inemptum.
25 Loca ſacra emens precium datum perdit.
26.27 Quid, ſi ab ignorante ematur?
28 Quid, ſi res vendita vitioſa ſit?
29 De retractibus, quibus rem venditam proximus agnatus patruum feudalis eripit emptori.

1 ¶ *Contracta ſit.*] Purè. Nam ſi ſub conditione, non erit ea pendente, emptoris periculum, ſal-
2 tem ſi res tota intereat [e]. nam nec prius eſt emptio [f]. Quòd ſi vendatur res futura, veluti fructus na-
ſcituri, vel iactus retis, vel captura piſcium: ſi nihil ſit quod imputes venditori, erit emptoris peri-
culum, ſi ſpes empta fallet [g]. Verùm ſi à principio nulla vera ſpes erat aut expectatio: emptori cir-
cumuento ſuccurretur. Sic enim Paulus reſpondit [h]; Si ſterilis ancilla ſit, cuius partus venit, vel
maior annis quinquaginta, cùm id emptor ignorauerit, ex empto venditor tenetur.

3 ¶ *Periculum.*] Quod ſuperuenit ſine culpa venditoris, nec ab eo promanat ex aliqua antece-
denti cauſa. Rectè itaque Impp. Diocletianus & Maximianus, cùm reſcriberent [i], Caſum mortis
ancillæ diſtractæ etiam ante traditionem pertinere ad emptorem, diſertè addiderunt hanc exce-
4 ptionem; Niſi ex præterito vitio fuiſſet mortua. ¶ *Rei venditæ.*] Hoc eſt, Speciei: non etiam gene-
ris. Nam id perire non poteſt [k]: nec prius hic certum eſt quòd venierit, quàm ſit emptori tradi-
tum. Sic vbi rerum fungibilium certa quantitas venditur, non eſt ſtatim emptoris periculum. eſt
tamen, vbi ex vendetentur, vt certæ ſpecies aut corpora. Sic enim ſcribit Caius [l]; Si omne vinum
vel oleum, vel frumentum, vel argentum, quantumcunque eſſet, vno precio venierit, idem iuris
eſt, quod in cæteris rebus. Quod ſi vinum ita venierit, vt in ſingulas amphoras, item oleum, vt in

e L. neceſſario. §. ſi pendente. de peri. & commo. rei vend. l. cum ſpeciem. C. illo ti.
f L. nec emptio. de contrah. empt. l. cedere diem. de ver. ſigni.
g L. nec emptio. de contrah. empt. l. emptorem. §. vlt. & leg. ſeq. de act. empt.
h L. ſi ſterilis. de act. empt.
i L. vlt. C. de peri. & com. rei vend.
k L. in ratione. §. verum. D. ad leg. Falci. l. incendium. C. ſi cer. pet.
l L. quod ſæpe. §. in his. de contrah. empt.

singulas metretas: item frumentum, vt in singulos modios: item argentum vt in singulas libras, certum precium diceretur: quæritur, quando videatur emptio perfici. quod similiter quæritur de ijs, quæ numero constant, si pro numero corporum precium fuerit statutum. Sabinus & Cassius tunc perfici emptionem existimant, cùm adnumerata, admensa, adpensáve sint: quia venditio quasi sub hac conditione videtur fieri, vt in singulas metretas, aut in singulos modios, quos quásve admensus eris: aut in singulas libras, quas appenderis aut in singula corpora, quæ adnumeraueris. Hactenus Caius. Sed breuius Imp. Alexander [a], Cùm (inquit) conuênit, vt singulæ amphoræ vini certo precio væneant: antequam tradantur, imperfecta etiam tunc venditione, periculum vini mutati, emptoris, qui moram mensuræ faciendæ non interposuit, non fuit. Cùm autem vniuersum quod in horreis erat positum, vænisse sine mensura, & claues emptoribus traditas alleges: post perfectam venditionem, quod vino mutato damnum accidit, ad emptorem pertinet. Hæc omnia locum habent non solùm si vinum, sed etiam si oleum, vel frumentum, vel his similia væ-
nierint, & ea aut deteriora, aut penitus corrupta fuerint. Hæc ille. Verum hic notandum est, quod 5
singulari iure traditum accepimus de gustatione vini venditi [b]: quod non potest alijs rebus æquè
conuenire. ¶ *Tradita non sit.*] Modò tamen nulla venditoris mora intercesserit [c]. ¶ *Si homo mor-* 6
tuus sit.] Qui vnus simpliciter venditus erat: vt nihil obsit, quin hîc etiam proponatur vetus regula, quæ dictat; debitorem certæ speciei, ea ante moram perempta, liberari [d]. Cæterùm vbi esset disiunctiua hominis venditio: alterius mors, nempe prioris, ad venditorem pertineret. Sic enim scribit Paulus [e]; Si emptio ita facta fuerit, Esto mihi emptus Stichus aut Pamphilus: in potestate est venditoris, quem velit dare: sicut in stipulationibus: sed vno mortuo, qui superest, dandus est: & ideo prioris periculum ad venditorem, posterioris ad emptorem respicit. Sed & si pariter decesserint, precium debebitur. Vnus enim vtique periculo emptoris vixit. ¶ *Incendio.*] Quod sine culpa venditoris accidit. Quamuis enim plerunque incendia culpa inhabitantium fiant, vt inquit Paulus [f]: potest tamen & sine culpa accidere [g]. Itaque & si ædes inhabitârit venditor, si probârit se culpa carere, non tenebitur. id quod Alphenus Varus eleganter respondit [h].

¶ *Aut fundus.*] Qui tamen si ad mensuram fuerit venditus, non nisi eo dimenso intelligetur 7
perfecta eius venditio. Itaque si interim fundus inundatione vel chasmate perierit, damnum ad venditorem pertinebit: & poterit emptor precium, si quod dedit repetere. Itaque existimo Scæuolam notâsse, vt minus veram, illam Iuliani sententiam; Fundi nomine emptor agere non potest, cùm priusquam mensura fieret, inundatione aquarum aut chasmate, alióve quo casu pars fundi interierit. Verùm vt nihil hîc decrescit damno emptoris, ita nec aliquid accrescit. Nam si venditor in fundo ad mensuram vendito, dixerit esse iugera centum, cùm tantùm essent nonaginta: si antequam mensuretur, decem iugera per alluuionem accreuerint, non statim pertinebunt ad emptoris emolumentum [i]. Sed tantum quanto minoris, is aget si quando modus minor inueniatur, quàm dictus sit.

¶ *Arboribus.*] Harum tamen euulsarum sine deiectarum saltem truncos & ligna emptor non perdet, vtpote cùm essent eo tempore, quo fundum emit. alioqui si prius deiectæ, iam fundi esse desijssent, tunc cùm fundus emeretur, ex ijs nihil debebitur [k]. & si non emebatur fundus principaliter earum nomine, constabit venditio: sed emptor circunuentus consequetur, quod sua in-
tersit, à venditore, qui non dixit deiectas esse arbores [l]. Quod si potissimùm emebatur fundus 8
contemplatione arborum: si eæ deiectæ fuerint tempore venditionis, non constabit venditio. Sic enim respondit Papinianus [m]; Arboribus vento deiectis, vel absumptis igne, dictum est, emptionem fundi non videri esse contractam, si contemplatione illarum arborum (veluti oliueti) fundus comparabatur: siue sciente, siue ignorante venditore.

¶ *Culpa*] Leuem etiam culpam præstare venditorem significat Paulus, cùm ait; custodiam 9
talem præstare debere, quam præstant hi, quibus res commodata est; & vt diligentiam præstet exactiorem, quàm in suis rebus adhiberet [n]. Caius ait talem custodiam desiderari à venditore, qualem bonus paterfa. suis rebus adhibet [o]. Quod si custodiam expresśim suscepisset venditor, leuissimam quoque culpam præstaret: vt paulo pòst significat Iustinianus.

¶ *Dolo.*] Si quod delictum principaliter commissum fuerit circa rem ipsam: omnino præstabit improbus venditor quicquid emptoris interest: quod interdum precium egreditur, nempe si pluris intersit, quàm res valeat, vel empta est [p]. Sed si delictum aliò pertinuit: vt quia propter id publicatus est venditus. non nisi precium datum restituetur [a]. Quòd si absque vlla venditoris culpa fundus publicaretur vel militibus assignaretur; nec precium quidem ab emptore datum, emptori restituetur [b], sed id tantùm quod possidenti venditori datum fuerit à Principe, honoris vel cuiusdam compensationis nomine [c].

¶ *Sed & si post emptionem.*] Inquit Paulus [d]; Id quod post emptionem fundo accessit per allu- 10
uionem, vel perijt, ad emptoris commodum incommodumque pertinet. Nam vt si totus ager post emptionem flumine occupatus sit periculum esset emptoris: sic igitur & commodum eius esse debet.

¶ *Alluuionem.*] Memini alio loco multis verbis probasse [e]; id quod alluuione obuenit, censeri 11
eodem iure & esse conditionis eius, cuius est id, cui accrescit. Adeoque id verum est, vt etiam si fundus nec tuus sit, nec tibi debitus, sed tantùm destinatus, vt aliquando fortè debeatur, prosit tibi accesśio alluuionis. Sic dicitur legatum, etiam quod nondum cessit, interea alluuione crescere [f].

a L.2. C. de peri. & comm. rei vend.
b L.1. de peri. & cõm. rei ven.
c L. cum inter l. vlt. C. de peri. & com. rei vend.
d L. quod te. D si cert. pet. l. si ex legati causa. D verb. oblig.
e L. si in emptione. §. si emptio. de contrah. empt.
f L.3. §.1. de off. præf. vigi.
g L. si modo. de leg. 1.
h L. si vendita de peri. & com. rei vend.
i L. Iulianus. §. si Titius. de act. empt.
k L. si post inspectũ. de peric. & com. rei vend.
l dict. l. si post inspectũ.
m L. arboribus. de contrah. empt.
n L. 3. de peric. & comm.
o L. quod sæpe. §. si res. de contrah. empt.
p L.1. de act. empt.
a L. si fundus. D. locat.
b L. Lucius. de euict.
c L. item si verberatum. §. item si fortè. de rei vind.
d L. id quod post. de peri. & cõ. rei vend.
e §. præterea quod per alluuionem. sup. de rer. diuis.
f L. quod in rerum §. si quid post. de leg. 1.

¶ *Accesse-*

¶ *Accesserit.*] Idem & si quid ex fundo prouenerit. Nam fructus post venditionem nati, ad
12 emptorem pertinent: Adeò vt si moram in tradenda re vendita cõmiserit venditor, non eos tan-
tùm quos percepit, sed etiam eos qui percipi poterant, præstare teneatur. Cùm enim per eum stat,
quo minus rem habeat emptor, scribit Paulus omnem vtilitatem emptoris in æstimationem ve-
nire [a]. Et Neratius respondit [b]; Si per venditorem steterit quo minus emptor seruum sibi vendi-
tum in tempore haberet, non solùm id quod ipse venditor per eum acquisiuit, præstandum esse,
sed & id quod emptor iam tunc sibi tradito seruo acquisiturus fuisset. Idque etiam Iuliano placuit.
Postremò ne vel in alluuionis vel fructuum exemplo hæreamus, generaliter rescripsit Imp. Ale-
13 xander [c]; Post perfectam venditionem omne commodum vel incommodum quod rei venditæ
14 contingit, ad emptorem pertinere. ¶ *Nam & commodum.*] Vulgata est iuris regula; eum, qui sen-
tit rei alicuius commodum, debere ferre & eius onus: contrà, eum qui fert incommodum, debere
sentire & commodum [d]. Et memini nos cum Iustiniano alio supra loco eius regulæ pluribus me-
minisse [e].
¶ *Aut subreptus fuerit.*] Hunc propriè casum tractat Caius eo responso, ex quo videtur totus
15 hic locus descriptus. Inquit enim [f]; Si res vendita per furtum perierit, prius animaduertendum erit
quid inter eos de custodia rei cõuenerat: si nihil appareat cõuenisse, talis custodia desideranda est à
venditore, qualem bonus paterfa. suis rebus adhiberet. quam si præstiterit, & tamẽ rem perdiderit,
securus esse debet: tantùm vt vindicationem rei & condictionem exhibeat emptori. ¶ *Is casus.*]
Serui scilicet malè custoditi. Quòd si talẽ custodiam præstitisset venditor, qualem bonus paterfa.
suis rebus adhiberet: & nihilominus seruus aut fugisset aut surreptus esset: non pertineret hic casus
ad venditorem, quando eum esse hic secutum lex iubet [g]. ¶ *Exhibere debet emptori.*] Saltẽ si eas ha-
buerit. Quòd si non habuerit sua culpa, vt quia dominus non sit, remq; alienam vendiderit: æquũ
est, eum hoc nomine emptori ex empto teneri [h]. ¶ *Quia sanè.*] Hæc ætiologia eò pertinet; quòd em-
ptor qui nondum est dominus, non possit his actionibus vti, nisi ei à domino venditore cessis. Ex
16 enim soli domino propriè competunt [i]. ¶ *Adhuc dominus est.*] Neque enim dominia nudis pactis,
sed traditionibus transferuntur [k]. Vnde non potest quis rem emptam antequam ei fuerit tradita,
17 vindicare [l]. Et cùm venditor ancillam manumisisset ante traditionem: rescriptum est [m]; Vendito-
rem, qui pleno iure adhuc dominus erat, manumittendo, ciuem Romanam effecisse: & emptori
tantùm competere personalem actionem contra venditorem propter ruptam fidem. Hucquo-
que pertinet quod Imp. Alexander rescripsit [n]; Qui tibi hæreditatem vendidit, antequam res hæ-
reditarias traderet, dominus earum perseuerauit: & ideo vendendo eas alijs, dominium transfer-
18 re potuit, nempe si eas etiam tradiderit. Vnde apparet emptorem, antequam adeptus sit rei posses-
sionem, securum esse non posse: quia si quis in ea assequenda eum præuotterit, etiam si is postea
emerit, potior [o] sit. ¶ *Idem etiam.*] Nam & hæ furti aut legis Aquiliæ actiones tantùm domino
competunt [p]. Ideoque non possunt competere emptori ante traditionem, nisi ei cessæ fuerint à
venditore domino: securi dictum est de conditione furtiua & vindicatione.
19 ¶ *Tam sub conditione.*] Qua pendente, si res pereat, periculum est venditoris: sed si tantùm de-
terior facta sit, emptoris erit damnum, vt docet Paulus [a]: qui & illud addit, Quod si ita res væuierit;
Esto ille seruus emptus, siue nauis ex Asia venerit, siue non venerit: Iulianum putare; statim perfe-
ctam esse venditionem. quoniam certum sit eam contractam esse. ¶ *Veluti, si Stichus, &c.*] Hoc
20 exemplum plus habet difficultatis, quàm superior ipsa regula. Emptionem etiam sub conditione
contrahi posse nulla dubitatio est: sed an possit sub ea conditione, quæ sit in potestate emptoris,
non est satis expeditum. Ac constat quidem, nullam esse obligationem collata conditione com-
parandi in ementis vel vendentis voluntatem: quia nulla necessitate astringat contrahentes [b].
21 Vt si dixero; Vendo tibi fundum, si volueris. Sed nec precij definitionem posse relinqui arbitrio
emptoris, responsum [c] est, & nos suprà diximus. Est tamen recepta probataque hoc loco formula
huius conditionis; Si Stichus intra certum diem tibi placuerit, erit tibi emptus, &c. quòd scilicet
hic certum tempus præstituatur: vt non perpetuò pendeat contractus ab emptoris arbitrio. Quod
si res ita distracta sit, vt si displicuisset, inempta sit: valet conditio. & purè quidem emptio contra-
22 cta videtur, sed ea resoluitur sub conditione [d]. Idem & si conuenerit, vt si displicuerit, quod vænit,
redhibeatur [e]. Et si hic de tempore nihil conuenerit, non nisi sexaginta dies emptori dabuntur ad
23 redhibendum [f]. Porrò & conditio addictionis in diem receptissima est in venditione. Et si qui-
dem hoc actum est, vt meliore conditione allata, ab emptione discedatur, erit pura emptio, quæ
sub conditione resoluitur. Sin autem hoc actum est, vt perficiatur emptio, nisi melior conditio
24 afferatur: erit emptio conditionalis [g]. Postremò & lex commissoria frequens est: veluti si quid ita
vænierit; vt si ad diem precium non soluatur, sit inemptum. Est autem hic pura emptio, quæ sub
conditione resolui potest [h], si videlicet conditione, quæ euenerit, velit vti venditor. nam inuitus
non cogitur [i]. Sed si non refragetur: ipso iure desinit hic emptor esse dominus per conditionis
euentum, vt docet Vlpianus [k]. qui & illud indicat, non esse in his pactis omnino necesse certum
25 diem præstituere. ¶ *Frustra qui sciens emit.*] Atque adeò & precium datum perdit. non tamen vt
lucro cedat improbi venditoris, sed fisci, cui & dolosus venditor tandundem de suo inferre cogi-
26 tur [l]. ¶ *Habebit ex empto actionem.*] Et liberi hominis, & loci sacri religiosive, qui haberi non po-
27 test, emptio intelligitur, si ab ignorante ematur, inquit Pomponius [m]. Nempe vt emptori detur
ex empto actio aduersus venditorem, quatenus interest. habet quoque emptor actionem, vt præ-
ter precium quod dedit, consequatur à venditore aliam tertiam eius partem. Iustum est enim (in-

a L. si sterilis §. cum per venditorẽ. de act. empt.
b L. si ea res. de act. empt.
c L. 1. C. de peri. & com. rei venditæ.
d L. secundum naturam de regu. iuris. l. in qui in potestate. §. vl. de legat. præstandis. l. vnica. §. pro secundo. C. de cad. tollend.
e §. pen. supr. de leg. patr. tutel.
f L. quod sæpe § si res. de contrah. empt.
g L. quod sæpe §. res vendita. de contrah. empt.
h dic. l. quod sæpe. §. si res vendita, in fi.
i L. in rẽ. de rei vind. l. 1. de cond. furti.
k L. traditionibus. C. de pac.
l L. Quintus. de act. empt.
m L. si ancillam. C. de act. empt.
n L. qui tibi. C de hæred. vel act. vend.
o L. quoties. C. de rei vind. l. antẽ. §. si duobus. de publicia. in rẽ act.
p L. item Mela. 11. §. legu. l. ob id 43. D. ad leg. Aquil. §. ex maleficijs. inf. de act.
a L. necessario. 8. §. sane. de peri. & com. rei vend.
b L. in vendentis. C. de contrah. empt.
c L. quod sæpe. §. 1. de contrah. empt.
d L. 3 de cõtrah. emp.
e L. quod si nolit. §. si quid ita vænierit. de ædil. edict. l. si conuenit. de rescind. vẽdit. l. si prædiũ. C. de ædil. act.
f dic. § si quid ita vænierit.
g L. 2 de in diem addict.
h L. 1. de lege cõmiss.
i L. 2. & 3. D. eo tit.
k L. si quis hac lege. de rei vind.
l L. vlt. C. de litig.
m L. 4. de contrah. empt.

a L. vlt. §. fin autem C. de litig.

b L. Iulianus. de act. empt.

c L. 1. §. quæritur. §. vlt. l. si tamen. §. in ædilicijs de ædil. edic. l. ea quæ. de contrah. empt.

quit Iustinianus[a]) propter dolosam mentem, & absconditam machinationem in tertia parte precij eum puniri. Porrò si rem venditam quidem habere liceat, sed ea vitiosa sit; competunt Ædilitiæ actiones; idque siue venditor vitium ignorârit, siue scierit. satis enim est, emptorem re ipsa esse 28 deceptum[b]. Sed si vitium facilè poterat intelligi, cessat edictum Ædilium[c]. Nunc commodè for- 29 tassis pro coronide possemus aliquid adijcere de ijs (vt ita loquar) retractibus, qui hodie passim in Gallia moribus recepti sunt, versanturque in foro frequentissimè: quibus rem venditam proximus agnatus patronus feudalis eripit emptori, restituto tamen precio. Sed cùm ea res ab alijs diligenter sit pertractata: non est cur actum agamus non omnino suo loco.

De locatione & conductione, Titulus XXIIII.



OCATIO & conductio proxima est emptioni & venditioni, ijsdemque iuris regulis consistit. Nam vt emptio & venditio ita contrahitur, si de precio conuenerit: sic & locatio & conductio ita contrahi intelligitur, si merces constituta sit: & competit locatori quidem locati actio, conductori verò conducti. Et quæ suprà diximus, si alieno arbitrio precium promissum fuerit: eadem & de locatione & conductione dicta esse intelligimus, si alieno arbitrio merces permissa fuerit. Qua de causa si fulloni polienda curandáve, aut sarcinatori sarcienda vestimenta quis dederit, nulla statim mercede constituta, sed postea tantum daturus, quantum inter eos conuenerit: non propriè locatio & conductio contrahi intelligitur, sed eo nomine actio præscriptis verbis datur.

Præterea sicut vulgò quærebatur, an permutatis rebus emptio & venditio contraheretur: ita quæri solebat de locatione & conductione, si fortè rem aliquam vtendã, siue fruendam tibi aliquis dederit, & inuicem à te vtendam, siue fruendam aliam rem acceperit. Et placuit non esse locationem & conductionem, sed proprium genus contractus. veluti si cùm vnum bouem quis haberet, & vicinus eius vnum, placuerit inter eos, vt per denos dies inuicem boues commodarent, vt opus facerent: & apud alterum alterius bos perierit: neque locati, neque conducti, neque commodati competit actio: quia non fuit commodatum gratuitum: verùm præscriptis verbis agendum est.

Adeò autem aliquam familiaritatẽ inter se videntur habere emptio & venditio, item locatio & conductio: vt in quibusdam causis quæri soleat, vtrùm emptio & venditio contrahatur, an locatio & conductio: vt ecce de prædijs, quæ perpetuò quibusdam fruenda traduntur, id est, quàm diu pensio siue reditus pro his domino præstetur, neq; ipsi conductori, neque hæredi eius, cuíve conductor hæréſve eius id prædium vendiderit, aut donauerit, aut dotis nomine dederit, alióve quocunq; modo alienauerit, auferre liceat. Sed talis contractus, quia inter veteres dubitabatur, & à quibusdam locatio, à quibusdam venditio existimabatur: lex Zenoniana lata est, quæ Emphyteuseos contractus propriam statuit naturam, neque ad locationem, neque ad venditionem inclinantem, sed suis pactionibus fulciendam: & si quidem aliquid pactum fuerit, hoc ita obtinere, ac si naturalis esset contractus: sin autem nihil de periculo rei fuerit pactum: tunc si quidem totius rei interitus accesserit, ad dominum super hoc redundare periculum: sin autem particularis, ad emphyteuticarium huiusmodi damnum venire. quo iure vtimur.

Item quæritur, si cum aurifice Titius conuenerit, vt is ex auro suo certi ponderis, certæque formæ anulos ei faceret, & acciperet (verbi gratia) decem aureos: vtrùm emptio & venditio, an locatio & conductio contrahi videatur. Cassius ait, materiæ quidem emptionem & venditionem contrahi, operæ autem locationem & conductionem. Sed placuit tantùm emptionem & venditionem contrahi. Quod si suum aurum Titius dederit, mercede pro opera constituta: dubium non est, quin locatio & conductio sit.

Conductor autem omnia secundum legem conductionis facere debet: & si quid in lege prætermissum fuerit, id ex bono & æquo præstare. Qui pro vsu aut vestimentorum, aut argenti, aut iumenti, mercedem aut dedit, aut promisit: ab eo custodia talis desideratur, qualem diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet. quam si præstiterit, & aliquo casu fortuito eam rem amiserit, de restituenda ea non tenebitur.

Mortuo conductore intra tempora conductionis, hæres eius eodem iure in conductione succedit.

IN SV-

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1.2.3.4.5.6 Locatio & conductio quatenus iisdem regulis consistant quibus emptio & venditio?
7 In quibus causis venditio similis sit locationi?
8 De actione mandati.

1 P*Roxima est.*] Locus hic descriptus est ex libro Caij secundo Rerum quotidianarum [a]. ex qui-
bus commentarijs fatetur alio loco Iustinianus sese magnam harum Institutionum partem
desumpsisse. ¶ *Iisdemq; iuris regulis consistit.*] Saltem quatenus id patitur vtriusque contractus par
2 tatio & natura. Multæ sunt enim iuris regulæ, quæ non possunt vtrique pariter conuenire. Vendi-
tio pertinet ad dominij translationem, aut saltem ad vsucapiendi conditionem [b]: At non mutat
locatio dominium [c]: atque adeò nec possessionem [d]. Vnde Iabolenus [e], Toties (inquit) conductio
alicuius rei est, quoties materia, in qua aliquid præstatur, in eodem statu eiusdem manet: quoties
verò & mutatur & alienatur, emptio magis quàm locatio intelligi debet. Si res pereat, perit em-
3 ptori: at non æquè conductori. Denique emptioni fit satis, si res semel tradatur: nec amplius ex
4 empto agi potest eo nomine [f]: at ex conducto sæpius agi potest, vt res tradatur; nempe quoties ea
frui non licet [g]. neque enim vnico statim actu impleri potest totum negocium. ad venditiones
5 Edictum Ædilium de redhibitione pertinebat, non ad locationes [h]. Sed nec illud prætereundum
6 est, multa esse, quæ vendi prohibeantur, locari tamen possunt. Rursus quædam, quæ locari prohi-
7 beantur, vendi tamen possunt. Vt seruitutis ius vendi potest: locari verò non potest [i]. ¶ *Nam vt
emptio.*] Præter eas causas, in quibus docet hîc Iustinianus similem esse venditioni locationem,
adijcere possumus, vtranque esse iuris gentium, & bonæ fidei [k], & similis libertatis. Nam vt nemo
solet cogi vendere vel emere [l]: ita nec locare aut conducere [m]. ¶ *Dicta esse intelligimus.*] Et intelligi
8 facilè possunt ex responso Caij, quod adhuc extat in Pandectis, & nos suprà retulimus. ¶ *Sed post-
ea tantùm daturus.*] Quod si nec id conuenisset, vera mandati actio competeret. Sic enim postea
ipse Iustinianus ait [n]; Si fulloni polienda curandáve quis dederit vestimenta, aut sarcinatori sar-
cienda nulla mercede constituta neque promissa: mandati competit actio. Et ad hunc quidem
modum Caius totum hunc locum eleganti distinctione explicat, inquiens [o]; Si tibi polienda sar-
ciendáve vestimenta dederim; si quidem gratis hanc operam te suscipiente, mandati est obligatio.
Si verò mercede data aut constituta, locationis conductionisve negocium gerit. Quod si neque
gratis hanc operam susceperis, neque protinus aut data aut constituta sit merces, sed eo animo ne-
gocium gestum fuit, vt postea tantum mercedis nomine daretur, quantum inter nos statutum sit:
placuit quasi de nouo negocio in factum dandum iudicium esse.

a L.2.D.locat.
b L.ex empto. de act. empt. L. 2. D. pro emp.
c L.non solet. D.loca.
d L. non solum. §. quod vulgò. de vsucap.
e L.conuenit. de contrah. empt.
f L. qui pendentem, in fi. de act. empt.
g L. si quis domum. L. ex conducto. D. loca.
h L. sciendum. de Ædil. edic.
i L. locari seruitutē. D. loc.
k §. actionum, inf. de act.
l L. nec emere. C. de iure delib.
m L. inuitos. l. nec cuiliceat. C. de loca. & cond.
n L. si merces. D. locati.
o §. vlt. inf. manda.
p L. si tibi polienda. de præscrip. verb.

§. Præterea.

1 Si quis vtendum aliquid tibi dederit, aliudque à te inuicem vtendum acceperit, cur non sit locatio vel conductio?
2 Colonus qui annuam præstat frumenti quantitatem propriè non est conductor.

1 ¶ *Placuit non esse locationem.*] Quia scilicet merces in locatione constitui debeat, eaque pecuniæ
numeratæ. Vnde & Vlpianus [a], Si quis seruum (inquit) custodiendum coniecerit fortè in pistri-
num: si quidem merces interuenerit custodiæ: puto esse actionem aduersus pistrinarium ex con-
ducto. Si verò mercedem accipiebam ego pro hoc seruo, quem in pistrinum accipiebat: ex locato
me agere posse. Quod si operæ eius serui cū custodia compensabātur, quasi genus cōducti & locati
interuenit: sed quia pecunia non dabatur, præscriptis verbis datur actio. Huc quoque pertinet
quod idem Vlpianus alio loco respondit [b]: Si conuenerit inter te & socium tuum, vt alternis an-
nis fructus perciperetis, & non patiatur te socius tui anni fructus percipere: videndum est, an ex
conducto sit actio, an verò Communi diuidundo. Et puto magis Communi diuidundo iudi-
cium, quàm ex conducto locum habere: (quæ enim locatio est, cùm merces non intercesserit?) aut
2 certè actionem incerti ciuilem reddendam. Ex his colligere possumus; colonum, qui annuam
præstat frumenti quantitatem: quia hîc non consistat merces in pecunia numerata, non esse pro-
priè conductorem: quanquam sanè καταχρηστικῶς [abusiuè] ascribatur hic contractus locationi &
conductioni [c]. ¶ *Bos perierit.*] Vel in alio opere, vel culpa eius, cui datus erat. Alioqui vix est, vt
vllo modo teneatur, si nihil ei possit imputari.

a L.1.§. si quis seruum. D. deposi.
b L. si conuenerit. D. commun. diuid.
c L. si olei. C. de loca.

§. Adeò autem.

1 Emphyteuseos descriptio generalis.
2 Feudum ab emphyteusi differt.
3 Censualis contractus quis?
4 Contractus ille quo reditus pecuniarij constituuntur, non vsurarius.
5 Perpetuarij contractus, & perpetuarij coloni.
6 Quandiu oporteat non esse solutam pensionem vt res auferri possit?

7 Quid, si ecclesiastica sit emphyteusis.
8 De simplicibus colonis siue conductoribus rerum nostrarum.
9 Is, cui rei emphyteutica propter non solutam pensionem iure adimitur, meliorationis nomine nihil petere potest.
10 Emponematum significatio quid complectatur?
11 An vt à colono propter nõ solutas pensiones eiecto peti adhuc possunt pensiones, ita & ab emphyteuta.
12 In priuatis emphyteutis quomodo distinguendum?
13.14 Quid si de certa pœna conuenerit?
15 Vendẽs emphyteusim nõ requisito domino, eã perdit.
16 Nouus emphyteuta à domino receptus præstare tenetur quinquagesimum numum precij.
17 Emptori solùm non donatario dominus præfertur.
18 Emphyteusis vnde?
19 Aedificiorum quoque restitutiones dictas fuisse emphyteuses.
20 Rem, quæ in bonis nostris est, nobis perire & ad quem rei emphyteuticæ periculum pertineat? num. 21.
22.23.24 De colonis fructuum nomine obligatis.
25 Partiarius colonus damnum & lucrum cum domino partitur.
26 Domini Christianæ humanitatis sint memores.
27 Publicanorum insolentia.
28 Vnius anni remissio annorum sequentium vbertate sarcienda est.

a L. 2. §. 1. D. locati.

¶ *Adeò autem.*] Principium hoc est Caij [a]: sed non id, quod interseritur, exemplum emphy-
teuseos. ¶ *De prædijs, quæ perpetuò fruenda.*] Non est hæc peculiaris & propria emphyteuseos defi- 2
nitio, sed potius rudis quædam & generalis descriptio: quæ & alijs quibusdam contractibus con-
uenire posset: qui tamen vt multum præseferant similitudinis cum contractu emphyteutico, ita
plurimum habent in recessu discriminis. Eiusmodi est contractus noster feudalis, qui licet pri- 2
mam emphyteuseos faciem referre videatur, multis tamen nominibus differt. Primùm enim nõ
obligat ad annuam vllam pensionem, cùm sit gratuitum beneficium, sed potius ad obsequium
personale: nec tollit libertatem alienandi: quanquam dominus feudalis possit retrahere, aut
quintum precij numum laudimiorum loco exigere. Rursus est alius contractus moribus fre- 3
quentissimus, quem Censualem vocamus: qui etiam hoc habet cum emphyteusi commune, quòd
penes dantem remaneat dominium directum, eique debeatur ius annuæ cuiusdam pensionis.
Sed alijs nominibus differt: quia non tribuit ius commissi propter pensionem triennio non solu-
tam, aut propter alienationem inscio domino directò factam. Et ex alienatione, laudimiorum
loco habere solet dominus duodecimum precij numum, cùm ex emphyteutico prædio abaliena-
to non nisi quinquagesimus debeatur. Est & alius, qui huc pertinet contractus, quo fundos no-
stros prorsus & in perpetuum abalienamus, nec vllum dominium directum retinemus: nihilque
aliud, quàm annuam pensionem sine vllo iure commissi aut laudimiorum. Nos hunc contra-
ctum vulgò appellamus, *arrentement*. Est præterea hodie frequentissimus ille contractus quo re- 4
ditus pecuniarij constituuntur: credimusque esse emptionem & venditionem. nam pecunia,
cuius annuas pensiones stipulamur, omnino fit accipientis, ita tamen vt eam quandocunque
voluerit, reddere possit, & se liberare illa pensionum præstandarum obligatione: cùm tamen is
qui dedit, non possit eam repetere. Quo nomine satis apparet non esse hunc contractum vsura-
rium. ac videtur quidem in vsu quoque fuisse tempore Iustiniani. Nam in eius Nou. Constit. 160.
legimus quoddam eius exemplum. ¶ *Perpetuò fruenda.*] Ita quidem olim in perpetuum res steri-
les dabantur in emphyteusim. Sed tamen postea fuit receptum, vt etiam res cultissimæ hac lege
darentur, nec modò in perpetuum, sed ad certum tempus. Vnde & Iustinianus Nou. Constit 7.
meminit emphyteuseon ecclesiasticarum, quæ vltra pronepotes non protendebantur. Sanè Ari-
stoteles lib. 2. OEcono. refert Byzantios cùm aliquando pecunijs egerent, prædia publica locâsse
certa mercede, fertilia quidem ad tempus, sterilia verò in perpetuum. *Βυζάντιοι δεηθέντες χρημάτων
τὰ τεμένη τὰ δημόσια ἀπέδοντο, τὰ μὲν κάρπιμα, χρόνον τινά· τὰ δὲ ἄκαρπα ἀϊδίως.* Nec dissimile est quod
aliquando apud Romanos fecisse AElium Pertinacem Imperat. refert Herodianus. Huc quoque
pertinent fundi illi vectigales, quos à Rep. interdum in annos centenos, mancipes conducebant.
Certè fit aliquando in iure nostro mentio perpetuarij contractus, & perpetuariorum colono- 5
rum [b]. ¶ *Id est, vt quandiu.*] Hæc interpretatio similis est illi, quæ traditur à Paulo, qui ait [c]; Vectigales
vocantur, qui in perpetuum locantur, id est, hac lege vt quandiu pro his vectigal pendatur, tandiu
neque ipsis qui conduxerint, neque ijs, qui in locum eorum successerint, auferri eos liceat. Nunc 6
videamus, quandiu oporteat non esse solutam pensionem, vt res auferri possit. Certè vbi aliud a-
ctum non est, vult Iustinianus [d], triennio cessatum esse. quod intelligendum videtur, vbi est an-
nua (vt esse solet) pensio, vt tribus statis pensionis soluendæ temporibus fuerit cessatum. Cæterùm
si nõ nisi singula trieteride solueretur vna pensio, fortassis esset opus cessatione nouẽ annorum, vt
triplicetur constitutũ tempus [e]: eiusq; temporis habeatur ratio, quo soluenda est pensio [f]. Porrò in
emphyteusi ecclesiastica satis esse duorũ annorum cessationẽ statuit idem Iustinianus in Nou. sua 7
Constit. 120. permittens expelli colonũ aut emphyteutã rei ecclesiasticæ, *εἰ ἐν διετίᾳ* (vt eius verbis
vtar) *μὴ καταβάλλῃ τὸν παρ' αὐτοῦ ὁμολογηθέντα ἐμφυτευτικὸν, ἢ μισθωτικὸν κανόνα.* [Si per bienniũ nõ intulerit
quod ab eo promissum est emphyteuticũ, aut locationis canonẽ] Quòd autẽ attinet ad simplices
colonos, aut conductores rerum nostrarũ, certè ob non solutam pensionẽ vel vnius tantùm anni
elapsi, statim possunt expelli [g]. Quod si nõ appareant, dominus expectare debet biennium, priu- 8
quam eorũ res inuadat. Sic enim scribit Paulus [h]; Cùm domini horreorũ insularumq; desiderant,
diu non apparentibus, nec eius tẽporis pensionem exoluentibus conductoribus, aperiri horrea, &
ea quæ ibi sunt, describere: à publicis personis, quorũ interest, audiendi sunt. Tempus autẽ in hu-
iusmodi

b L. vlti. C. de locat. præd. ciuil. L. 1. C. de offic. comit. sa. pal.
c L. 1. §. 1. D. si ager vect. vel emphyteu.
d L. 2. C. de iure emphyt.
e L. si sic constituta. D. quemad. ser. ami.
f L. diuertio. §. quod in anno. D. sol. matri.
g L. 3. C. de loc. & cond.
h L. cum domini. D. loca.

iusmodi re, biennij debet obseruari. Sed etsi conuenerit; ne conductor aut colonus expelli posset
ante finita conductionis tempora: si tamen continui biennij pensionem non soluerit, poterit ex-
pelli [a]. Illud verò nequaquam prætereundum est; eum, cui res emphyteutica propter non solutam — a L. quæro. §. inter locatorem. D. locat.
9 pensionem iure adimitur, nihil petere posse nomine meliorationis, vel eorum, quæ emponemata — b Dict. l. 2. §. 1. C. de iure emphyt.
dicuntur [b]. Perdit enim omnes eiusmodi suos labores, & impendia, quæ scilicet necessariò facta
sunt colendæ rei sterilis causâ. Quod si quem vltro maiorem sumptum fecerit, cui ex lege aut natu
ra contractus astrictus non erat: æquum non foret eius quoque damnum ferre. Ergo si vltro sum-
ptuosum aliquod in solo emphyteutico ædificium extruxerit, à vindicante domino poterit repe-
tere mercedes fabrorum & precium materiæ. Id quod vulgò parum expenderunt nostri interpre-
tes, non sat assecuti, quid emponematum (quibus mulctatur expulsus emphyteuta) significatio
10 complectatur. Nam ea tantùm complectitur quæ necessariò elaborata sunt & immensa ad exco-
lendam rem sterilem, aut conferendam: non etiam ea, quæ sponte adiecta sunt, quorunque nomi
ne fundus pluris est. Saltem memores esse debebant illius responsi Scæuolæ, quod in Pandectis
extat, his verbis [c]; Colonus, cùm lege locationis non esset comprehensum, vt vineas poneret, ni- — c L. penul. D. locati.
hilominus in fundo vineas instituit, vt propter earum fructus denis amplius aureis annuis is a-
ger locari cœperit. Quæsitum est si dominus istum colonum fundo eiectum, pensionum debita-
rum nomine conueniat, an sumptus vtiliter factos in vineis instituendis repetere possit oppo-
sita doli mali exceptione. Respondi, vel expensas consecuturum, vel nihil amplius præstaturum
11 esse. Admonet me hoc responsum, vt excutiam; an quemadmodum à colono propter non solu-
tas pensiones eiecto, peti adhuc possunt pensiones, ita & ab emphyteuta. Et sanè Iustinianus id di-
serte statuit in Emphyteuta rei ecclesiasticæ. Nam vbi is biennio cessauit in soluendo canone, Iu-
stinianus in Nouella sua Constitutione 120 permittit, καὶ τὰ ὀφειλόματα τοῦ παρελθόντος χρόνου καὶ τὴν
ἀρχαίαν κατάστασιν τοῦ μισθωθέντος, ἢ τοῦ ἐμφυτευθέντος πράγματος ἀπαιτεῖν, καὶ ἐκβάλλειν τῆς ἐμφυτεύσεως ἢ
μισθώσεως μὴ δυνάμενον μηδὲ περὶ ἐμπονημάτων ἀγωγὴν προκινεῖν. [vt tam præteriti temporis debita, &
veterem statum ac qualitatem locatæ seu in Emphyteusin datæ rei exigat, quàm emphyteusi aut
locatione depellat eum, qui neque meliorationum nomine contra venerabiles domos actionem
12 aliquã mouere posit.] Nos in priuatis emphyteutis distinguere possumus, vt, si dominus expellẽ-
do emphyteutã testatus sit se nihilominus debitã pensionẽ exacturũ; aut pensionẽ recipiendo de-
clarárit se nequaquã velle remittere ius eijciẽdi emphyteutæ; posit vtroq; iure vti. curauit enim
causam iuris sui saluã esse [d]. Quod si nulla eiusmodi protestatione sibi cauerit, periculũ est, ne si vnũ — d L. si debitor. §. 1. D. quib. mod. pig. vel hyp. sol.
elegerit, altero excidat [e]: quia videatur alterũ remisisse, cuius causam saluã manere nõ est sectatus.
13 Illud fortasis apertius est; adiectionem certæ conuentæq; pœnæ non adimere quidem ius expel- — e L. si fundus §. elegantor. l. post diem. de lege commiss.
lendi emphyteutæ, qui non soluit canonem: sed non posse quem vtroque iure simul vti. Imò verò
14 alterius electione alterum perimi [f]. Pensionem tamen cum pœna peti posse, quia sit abundè, pœnã
non pati concurrere simul ius eiectionis, etiam si non impediat quoque petitionem pensionum — f L. rescriptum. §. si pacto. de pact. l. apud Celsum. §. Labeo. de except. doli.
debitarum: quando nec adiecta videtur alio nomine, quàm loco iuris expellendi, si fortè nolit eo
vti dominus. Verùm hæc certius possent definiri, vbi inspicerentur verba contractus Emphyteuti-
ci. ¶ *Vendiderit.*] Saltem consentiente domino. Nam si eo inscio emphyteuta ius suum vendat,
15 iure suo excidit: quod ad dominũ reuertitur. Prius enim debuit eum admonere, atque adeò duo-
bus mensibus præstolari, si fortè paratus sit tantundem precij dare, quantum offertur, præferrique
extraneo emptori. Atque hæc quidem esse ex natura contractus emphyteutici, vbi aliter conuen-
tum non est, statuit Iustinianus [g]. Additque nouum emphyteutam, vbi à domino recipietur, do- — g L. vlt. C. de iure emphy.
16 mino præstare debere quinquagesimum numum precij vel æstimationis. Quibus verbis compre-
hendere videtur non minus emptorem quàm donatarium, quando & hac in re vtriusque par est
conditio. Sed cùm agit Iustinianus de consensu domini, quem morari debemus duobus mensi-
bus, tantum loquitur in venditione, vt intelligamus soli emptori dominum posse præferri, non
17 autem donatario, quia iniquum esset interuerti beneficium. Itaque in donatione non est adeun-
dus dominus, nisi cùm petitur inuestitura à nouo emphyteuta offerente quinquagesimam par-
tem æstimationis rei. Et ne multis morer, extat aperta Constantini Imp. Constitutio, his verbis [h]; — h L. 1 C. de fund. patri. & saltuensib. & emphyt.
Si quis fundos emphyteutici iuris, salua lege fisci, citra iudicis autoritatem donauerit, donationes
firmæ sint, dummodo suis quibusque temporibus, ea, quæ fisco pensitanda sunt, repræsentare co-
gatur: is nempe cui donatus est fundus: nam nec aliter potest transferri [i]. ¶ *A quibusdam locatio, à qui-* — i L. vlt. C. sine censu vel reliq. l. Imperatores de publica.
busdam venditio.] Venditio quidem, propter translationem vtilis dominij [k]. Locatio verò propter — k L. 1 D. si ager vectig.
annuam pensionem. ¶ *Lex Zenoniana.*] Extat adhuc in Codice hæc constitutio Imp. Zenonis [l]. — l L. 1. C. de iure emphyt.
18 ¶ *Emphyteuseos.*] ἐμφύτευσις apud Græcos nihil aliud est, quàm implantatio siue insitio. descẽdit e-
nim à verbo ἐμφυτεύειν. Solebant autẽ veteres prædia sterilia, quæ colere ipsi nolebant, aliis dare co-
lenda: & vt facilius inuenirent colonos, dabant perpetuo colenda, neque enim alioqui temerè in-
uentus fuisset, qui tantum laboris sumptuumque vellet impendere in eam rem excolendam, cu-
ius non esset certa possesio. Sic itaque olim Byzantios sterilia prædia in perpetuum locasse suprà
diximus. Emphyteuseos ecclesiasticę multa fit mentio apud Iustinianum in Nouella eius Constit.
120. vbi & illud cauetur, ne steriles dirutarum domuum Ecclesiasticarum areæ, in perpetuam den-
tur emphyteusin alia conditione, quàm vt tantum singulis annis præstet emphyteuta, quanti erat
tertia pars pensionum quæ ex ædibus adhuc stantibus colligebantur, aut dimidiam partẽ pensio-
nũ, quas colliget ex ædificio, quod reficere suis sumptibus paratus est: habebit autẽ eo nomine ru-
19 dera & materiam veteris ædificij diruti. Vnde apparet emphyteuses, quæ erant propriè insitiones,

etiam dictas fuisse ædificiorum restitutiones. ¶ *Ad dominum redundare periculum.*] In vniuersum
a L. pignus. C. de pig. act. iure traditum est; rem, quæ in bonis nostris permanet, nobis perire [a], saltem vbi nihil est quod al- 20
teri imputemus. Hicque obseruandum est; emphyteutam nulla personali obligatione teneri sol-
b L. 2. §. si hæres præcepto. D. ad Se. Treb. uere annuam pensionem. Nam vt ea personalis actio fundum non sequeretur [b], ita nec cum eo
peribit. ¶ *Sin autem particularis.*] Apud Zenonem est [c], Sin verò particulare vel aliud leue conti-
c L. 1. §. vlt. C. de iure emphyteu. gerit damnum, ex quo non ipsa rei penitus lædatur substantia: hoc emphyteuticarius suis partibus 21
non dubitet adscribendum. Vnde apparet emphyteutam solidam præstare pensionem, quandiu
superest res emphyteutica: nec tam eius fructus, quàm substantiam spectari. Nam etsi fuerit pro-
uentus sterilis, non minuet pensionem: vtpote quæ ipsius rei ratione debeatur. Vnde Impp. Valen
d L. 3. C. de fund. patri. et salt. et emphyt. tinianus & Valens rescripserunt [d]; Quicunque possessiones ex emphyteutico iure susceperint, ea
ad refundendum vti occasione non possunt, qua asserant desertas esse cœpisse, tametsi rescripta
per obreptionem meruerint. Sed quod attinet ad colonos, qui fructuum nomine obligantur, li- 22
cet rei substantiam integram habeant, tamen propter sterilitatem, minus pendunt. Qua de re ex-
e L. licet. C. de locato. tat elegans Imp. Alexandri rescriptum, his verbis [e]; Licet certis annuis quantitatibus fundum con 23
duxeris: si tamen expressum non est in locatione (vt mos regionis postulabat) vt si qua lue tempe-
statis, vel alio cœli vitio damna accidissent, ad onus tuum pertinerent: & quæ euenerunt sterilita-
tes, vbertate aliorum annorum repensatæ, non probabuntur: rationem tui iuxta bonam fidem
haberi rectè postulabis: eamq; formam, qui ex appellatione cognoscet, sequetur. Sed quæ tandem
f L. si merces. §. vis maior. D. locati. habenda sit hîc ratio, apertius definit Caius, his verbis [f]: Vis maior, quam Græci θεοῦ βίαν, vel θεο-
[illegible] appellant, non debet conductori damno esse, si plus quàm tolerabile est, læsi fuerint fru- 24
ctus. alioquin modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum
non aufertur. Apparet autem de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit: a-
lioqui partiarius colonus, quasi societatis iure, & damnum & lucrum cum domino fundi parti- 25
tur. Hæc Caius. Quibus fuerit operæprecium coniungere & conferre, quæ Vlpianus hac in re tra-
g L. ex conducto. §. 1. D. locati. didit [g]. Interim hîc ego vnumquenque velim admonitum Christianæ humanitatis, vt benignè 26
cum colonis agatur, nec omnia ad viuum resecentur summo iure. Decet hoc bonos ciuilesque do
minos: nec alioqui finis vllus futurus est contentionum, si non per alium quàm iudicem remisio
fiat. Elegans certè locus est apud Columellam lib. 1. de Re rustica, de officio bonorum patrumfa.
quem hîc non grauabor adscribere; Comiter agant (inquit) cum colonis, facilesque se præbeant,
& auarius opus exigant quàm pensiones: quoniam & minus id offendit, & tamen in vniuersum
magis prodest. Nam vbi sedulò colitur ager, plerunque compendium, nunquam (nisi si cœli ma-
ior vis, aut prædonis incessit) detrimentum adfert: eoque remissionem colonus petere non au-
det. Sed nec dominus in vnaquaque re, cui colonum obligauerit, tenax esse iuris sui debet, sicut
in diebus pecuniarum, in lignis, & cæteris paruis accessionibus exigendis, quarum cura maio-
rem molestiam, quàm impensam rusticis adfert. Nec sanè est vindicandum nobis, quicquid licet.
Nam summum ius antiqui summam putabant crucem. Nec rursus in totum remittendum: quo-
niam vel optima nomina, non appellando, fieri mala, fœnerator Alphius verissimè dixisse fer-
tur. Hæc ille. Similia sunt, quæ passim in suis Nouellis Iustinianus mandat Publicanis: quorum a-
h L. quæsta. de public. lioqui quanta sit insolentia, & improbitas, sciuit cum Vlpiano [h]: itaque sub specie tributorum il- 27
i L. illicitas. §. illicita. de offi. præsid. licitas fieri exactiones, cum eodem [i] prohibuit. Verùm si humaniter agant cum collatoribus Pu-
blicani, æquum est etiam Magistratus humaniter agere cum ipsis Publicanis. Sicque Tullius in li-
bris Officiorum admonet, debere Magistratus agere cum Publicanis, sicuti boni viri solent cum
suis colonis. Nempe, vt ipse Polybius de Publicanorum rationibus agens libro sexto ait, χρόνον δῶ-
ναι, καὶ συμπτώματος γενομένου κουφίσαι, καὶ τὸ παράπαν ἀδυνάτου τινὸς συμβάντος, ἀπολῦσαι τῆς ἐργωνίας. Porrò
vt magnam exigimus humanitatem in remittenda aliquando pensione: ita par est gratos esse co-
k L. ex conducto. §. Papin. D. locati. lonos in vberiori prouentu. Rectè itaque Papinianus ait [k]; Si vno anno remissionem quis colono
dederit ob sterilitatem, deinde sequentibus annis contigerit vbertas: nihil obesse domino remis- 28
sionem: sed integram pensionem etiam eius anni, quo remiserit exigendam. Hoc idem & in ve-
ctigali damno respondit.

§. *Item quæritur.*

1 *De Publicanorum contractu qui redimunt, quando conductores, quando item redemtores censeãtur?*
2 *Nulla est locatio, vbi corpus ab eo cui id fieret, non datur.*
3 *Quid, si dem aliquid, vt tu aliquid facias?*
4 *Toties conductio est alicuius rei, quoties materia in qua aliquid præstatur, in eodem statu eiusdem manet.*

l L. 2. §. 1. D. locati. ¶ *Item quæritur.*] Totus hic locus descriptus est ex responso Caij [l]. Sed præterea quæri etiam
posset de contractu Publicanorum, qui redimunt. nam modò emptores, modò conductores di- 1
cuntur. Breuiter distinguamus, vt si ij singulis annis pro rata vectigalium, quantitatem præstent,
magis conductores videantur. Sin vnam eandemq; pensionẽ in omnes annos dare conuenerint:
censeantur redemptores. ¶ *Placuit tantùm emptionem contrahi.*] Placuit certè id olim Caio Iuriscon-
m L. Sabinus respondit. de contrah. empt. sulto, qui respondit vnum hîc tantummodo intelligi negocium, magisque emptionem & vendi-
tionem esse. Et reuera nulla esse potest locatio, vbi corpus ipsum non detur ab eo, cui id fieret [m]: 2
saltem

saltem illud corpus, in quo præstantur operæ. Nam alioqui certè fateor, posse locationem intelli-
gi aliquando, vbi quis & rem & operam præstat. Sic enim respondit Paulus [a]; Cùm insulam ædi-
ficandam loco, vt sua impensa cõductor omnia faciat: proprietatem quidem eorum ad me trans-
fert, & tamen locatio est: locat enim artifex operam suam. Vbi intelligere debemus, Conducto-
rem non præstitisse ipsum corpus, hoc est, solum in quo præstabat operas: & domum quidem sua
materia ædificâsse, sed in solo ipsius locatoris. ¶ *Quod si suum aurum.*] Quod si dem aliquid, vt tu
3 aliquid facias, non erit locatio, nisi duæ res concurrant: nempe, quòd ego pecuniam dem nume-
ratam, mercedis loco: & tu loces operam [b] tuam, id facturus scilicet quod facere cõsueueris. Quod
si alterum desit, non erit locatio, sed contractus innominatus: quem tamen iure dubites, vtrum
emptioni an conductioni magis similem dicas. Videtur enim admodum affinis emptioni: sed
tamen quia hîc traditio non habet annexam causam bonorũ, ea parte similior est locationi. ¶ *Du-
bium non est.*] Toties non enim conductio est alicuius rei, quoties materia in qua aliquid præsta-
4 tur, in eodem statu eiusdem manet [c]. ¶ *Conductor autem.*] Locus hic ex Paulo sumptus est [d]. Et re-
scriptum est ab Impp. [e] Legem conductionis seruari oportere.

a L. item si precio. §. cùm insulã. D. locati.
b L. 3. § at cùm do. de præscript. verb.
c L. conuenit. 65. de cõtrahen. empt.
d L. si in lege. § conductor. D. loca.
e L. lege. C. de locato.

§. *Conductor. cum §. finali.*

1.2 In contractibus bonæ fidei multa, nec dicta, nec cogitata, fieri debent.
3.4 In iudicio locati & conducti dolum, & custodiam, non casum venire.
5 Qui se artificem profitetur, non minus imperitiæ quàm culpæ nomine tenetur.
6 Obligatio ex locato transit ad hæredem conductoris.
7 Si finita conductione maneat conductor, locatore permittente, renouata videtur conductio.

¶ *Conductor.*] Sicuti & locator [f]. Est enim hic contractus, qui vtrinque obligat: quem Græci
appellant *συνάλλαγμα*. Interdũ tamen (inquit Paulus [g]) locator non obligatur, conductor obliga-
tur: veluti, cùm emptor fundum conducit, donec precium exoluat. ¶ *Id ex æquo & bono præstare.*]
1 Est enim hic contractus bonæ fidei [h]. Itaque multa, quæ nec dicta, nec fortasis cogitata sunt, fieri
debent, si æquum sit. Veluti vt conductor suo sumptu sarciat damnum rei, quod intulit [i]. Contrà,
vt rem locatam reficiat suo impendio locator [k], si nihil est quod imputetur conductori. Idque si
non faciat locator, potest ipse conductor facere, & in diminutionem mercedis imputare, vel rem
ipsam, qua commodè vti non potest, relinquere, detracturus pensionem eius temporis, quo non
fuerit vsus [l]. Præterea lex huius contractus continet, ne intra tempora quis expellatur; sed ex æquo
2 & bono, certæ causæ exceptæ intelliguntur, quibus eijci potest conductor. Eas Imperator Antoni-
nus eleganti responso complexus est, inquiens [m], Æde, quam te conductam habere dicis, si pensio-
nem domino in solidum soluisti, inuitam te expelli non oportet; nisi proprijs vsibus eam necessa-
riam esse probauerit, aut corrigere domum maluerit, aut tu malè in re locata versata es. Quæ sanè
omnia rectè intelligemus de casibus nouis & inopinatis, quosque non poterat præuidere locator
tempore locationis. alioqui facilè haberentur ludibrio bonæ fidei conductores.
3 ¶ *Qui pro vsu.*] Rescriptum est [n]; In iudicio tam locati quàm conducti, dolum & custodiam,
non etiam casum, cui resisti non potest, venire. Vnde apparet tam locatorem quàm conductorem
teneri posse. Sed custodiæ nomine non teneri locatorem, nisi eam receperit, indicat Paulus, in-
quiens [o]; Dominus horreorum, effractis & expilatis horreis, non tenetur, nisi custodiam eorum
receperit. ¶ *Diligentiss. paterfam.*] Hoc est; Is qui non potest inter negligentes haberi; curatque res
suas, vt bonus prudensque paterfamilias solet. Nam eiusmodi conductoris diligentia contenti
4 esse debemus, vt scilicet præstet dolum & culpam [p]: non etiam leuissimam quanque cessationem.
Sanè tamen vbi locata esset opera in tractandis ijs rebus, quæ summam cautionem singularem-
que industriam desiderant: non excusabitur à culpa: nisi omnia fecerit, quę diligentissimus quisq;
erat facturus. Sic enim respondit Caius [q]; Qui columnam transportandã conduxit: si ea, dum tol-
litur aut portatur aut reponitur, fracta sit: ita id periculum præstat, si qua ipsius eorumque, quorũ
opera vteretur, culpa acciderit. Culpa autem abest, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quis-
que obseruaturus fuisset. Idem intelligemus, etsi dolia, vel tignum transportandum, aliquis con-
duxerit. Idemque etiam ad cæteras res transferri potest. Sanè & is, qui se artificem professus est,
5 non minus imperitiæ quàm culpæ nomine tenetur, etiam si vilissima sit functio, veluti vitulo-
rum pascendorum [b].
6 ¶ *Mortuo conductore.*] Inquit Imp. Gordianus [c]; Viam veritatis ignoras; In conductionibus nõ
succedere hæredes conductoris existimás; cùm sine perpetua cõductio est, etiam ad hæredes trans-
mittatur: siue temporalis, intra tempora locationis, hæredi quoque eius contractus onus incum-
bat. Et subijcit Imp. Philippus [d]; Inuitos conductores seu hæredes eorum, post tempora locationis
7 impleta non esse retinendos. Si tamen post finitam conductionem maneat conductor in re loca-
ta, patiẽte locatore, videbitur tacito vtriusq; consensu renouata conductio; vti rescripserunt Impp.
Diocletianus & Maximianus [e]; responditque Vlpianus [f], & latius idipsum interpretatus est, his
verbis; Quod diximus, taciturnitate vtriusque partis colonum reconduxisse videri: ita accipien-
dum est, vt in ipso anno, quo tacuerint, videantur eandem locationem renouasse: non etiam in
sequentibus annis: & si lustrum fortè ab initio fuerat conductioni præstitutum. Sed & si secundo
quoque

f L. ex conducto. D. locat.
g L. sicut emptio. § 1. D. locat.
h § actionum. infr. de actio.
i L. si vulnerauerit. D. locat.
k L. Aediles. § quicunque autem mercede de via publ.
l L. si merces. § si vicino. D. locat.
m L. 3. C. de locato.
n L. in iudicio. C. de lo.
o L. dominus horreorum. D. locat.
p L. contractus. de reg. iur.
q L. si merces. 25. § qui columnam. D. lo. atto.
b L. si quis. 9 § Celsus. D. locat.
c L. viam veritatis. 10. C. de locato.
d L. inuitos. 11. C. illo tit.
e L. legem. C. illo tit.
f L. item quæritur §. qui impleta. D. illo tit.

quoque anno, post finitum lustrum, nihil fuerat contrarium actum, eandem videri locationē in illo anno permansisse. Hoc enim ipso, quòd tacuerint, consensisse videntur. Et hoc deinceps in vnoquoq; anno obseruandum est. In vrbanis autem prædijs alio iure vtimur: vt prout quisq; habitauerit, ita & obligetur: nisi in scriptis certum tempus conductionis comprehensum est.

IN TITVLVM SEQVENTEM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Rem esse communem non sufficit, nisi animus quoq; sit societatis contrahendæ.
2 Societatis contractus vtilis & frequens.
3 De monopolijs & illicitis negociatorum conuentionibus.
4 Iudicium societatis, & arbitrium pro socio.

INter contractus qui consensu ineuntur, meritò Societas refertur. Omnino enim & il- 1
la consensu contrahitur: nec sufficit rem esse communem, nisi fuerit animus contrahen-
a L. vt sit. D. pro soc. dæ societatis [a]. Est autem hic contractus in Rep. non minus vtilis quàm frequens pro- 2
pter rationem commerciorum, habetque multa perplexa, quæ desiderant fidelem calcu-
lum & subsidium arithmetices: vt cùm agitur de partibus lucri & damni. Ac diligen-
ter in Rep. curandum est, ne mercatorum societates, quam iuuare debebant, turbent libertatem com-
merciorum. vtinamq; hodie essent Nomophylaces, qui sedulò tuerentur saluberrimam illam Zeno- 3
b L. vn. C. de monop. nis constitutionem de monopolijs & conuentu negociatorum illicito [b]. Porrò iudicij societatis de qua 4
dicere paramus, frequens est apud veteres mentio. Tullius pro Quintio meminit Arbitrij pro socio.
Idem pro Roscio Amerino, In rebus (inquit) minoribus socium fallere turpissimum est. Et paulò
pòst; Rectè maiores nostri, eum qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putârunt
haberi oportere.

De societáte, Titulus XXV.



SOcietatem coire solemus aut totorum bonorum, quam Græci specialiter κοινωνίαν appellāt: aut vnius alicuius negotiationis, veluti mancipiorum vendendorum emendorumque, aut olei, aut vini, aut frumenti emendi vendendique.

Et quidem si nihil de partibus lucri & damni nominatim conuenerit: æquales scilicet partes & in lucro & in damno spectātur. Quod si expressæ fuerint: partes hæ seruari debent. Nec enim vnquam dubium fuit, quin valeat conuentio, si duo inter se pacti sint, vt ad vnum quidem duæ partes & lucri & damni pertineant, ad alium tertia. De illa sanè conuentione quæsitum est, si Titius & Seius inter se pacti sint, vt ad Titium lucri duæ partes pertineant, damni tertia: ad Seium duæ partes damni, lucri tertia: an rata debeat haberi conuentio. Quintus Mutius contra naturam societatis talem pactionem esse existimauit, & ob id non esse ratam habendam. Seruius Sulpitius (cuius sententia præualuit) contrà sensit: quia sæpe quorundam ita preciosa est opera in societate, vt eos iustum sit cōditione meliore in societatem admitti. Nam & ita coiri posse societatem non dubitatur, vt alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit: quia sæpe opera alicuius pro pecunia valet. Et adeò contra Quinti Mutij sententiam obtinuit, vt illud quoq; constiterit, posse conuenire, vt quis lucri partem ferat, de damno nō teneatur. quod & ipsum Seruius conuenienter sibi fieri existimauit. Quod tamen ita intelligi oportet, vt si in alia re lucrum, in alia damnum illatum sit: compensatione facta, solum quod superest, intelligatur lucro esse. Illud expeditum est, si in vna causa pars fuerit expressa, veluti in solo lucro, vel in solo damno, in altera verò omissa: in eo quoque, quod prætermissum est, eandem partem seruari.

Manet autem societas eousque, donec in eodem consensu perseuerauerint. At cùm aliquis renunciauerit societati, soluitur societas. Sed planè si quis callidè in hoc renunciauerit societati: vt obueniens aliquod lucrum solus habeat, veluti si totorū bonorū socius, cùm ab aliquo hæres esset relictus, in hoc renunciauerit societati, vt hæreditatem solus lucrifaceret, cogitur hoc lucrum communicare. Si quid verò aliud lucrifaciat, quod non captauerit: ad ipsum solum pertinet. Ei verò, cui renunciatum est, quicquid omnino post renunciatam societatem acquiritur, soli conceditur.

Soluitur adhuc societas etiam morte socij: quia qui societatem contrahit, certam

personam

personam sibi eligit. sed & si consensu plurium societas contracta sit: morte vnius socij soluitur, etsi plures supersint: nisi in coëunda societate aliter conuenerit. Item si alicuius rei contracta societas sit, & finis negotio impositus est: finitur societas.

Publicatione quoque distrahi societatem manifestum est: scilicet si vniuersa bona socij publicetur. nam cùm in eius locum alius succedat, pro mortuo habetur. Item si quis ex socijs mole debiti prægrauatus, bonis suis cesserit, & ideo propter publica aut priuata debita substantia eius væneat, soluitur societas. sed hoc casu si adhuc consentiant in societatem, noua videtur incipere societas.

Socius socio vtrù eo nomine tantùm teneatur pro socio actione, si quid dolo commiserit, sicut is, qui deponi apud se passus est: an etiam culpæ, id est, desidiæ atque negligentiæ nomine, quæsitum est: præualuit tamen etiam culpæ nomine teneri eum: Culpa autem non ad exactissimã diligentiam dirigenda est. Sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet. Nam qui parum diligentem socium sibi adsumit: de se queri, sibique hoc imputare debet.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1.2 In societate totorum bonorũ omnes res coëuntium continuò communicantur.
3 Quid, si postea aliquid acquiratur?
4 Quid, si simpliciter coita fuerit societas?
5 κοινωνία & κοινοπραξία quid differant?
6 Societatis res vendendæ tus.
7 Si inter socios nihil conuentum sit, seruatur æqualitas lucri & damni.
8 Aequales partes quæ hic intelligantur.
9 Aristotelis sententia, in bonorum societate plus accipere conferentes plus.

1 T*Otorum bonorum.*] In cuiusmodi societate (inquit Paulus [a]) omnes res, quæ coëuntiũ sunt, continuò communicantur. Quia (vt addit Caius [b]) licet specialiter traditio non interueniat, taci-
2 tè tamen creditur interuenire: nempe quia quod quisque sociorum possidet, intelligitur nomine
3 communi possidere saltem quod possidet eo tempore, quo societas coitur. Cęterùm ea quę postea acquiruntur. non ita communicantur ipso iure: sed vera traditione opus est, ac iudicio [c]. quod certè hic competet. Nam hæc societas vniuersorum bonorum latè patet: & complectitur non modò bona præsentia. sed & quæ postea obueniũt idq; siue ex quæstu, siue ex donatione, vel successione, vel qualibet alia ratione [d]. Oportet autem in hac societate specialiter meminisse omnium bono-
4 rum [e]. Nam si simpliciter coita fuerit societas, & sine vlla distinctione: videtur quidem coita vniuersorum, sed eorum, quæ ex quæstu veniunt, vel opera cuiusque descendunt [f]. Itaq; hic non comprehenderentur hæreditates, legata, vel donationes [g]. Sed nec æs alienum, nisi quod ex quæstu pendebit [h]. *Κοινωνίαν appellant.*] Hinc Demosthenes in Oratione κατὰ Διονυσοδ. κοινωνὸς εἶναι τοῦ δανείσματος. Quidam autem hic non κοινωνίαν, sed κοινοπραξίαν legunt. Verùm Harmenopulus lib. 3. Iu-
5 ris Προχείρου, tit. decimo admonet κοινοπραξίαν propriè appellari eam, quæ magis re ipsa contrahitur, quàm consensu: vt magis esse videatur communio, quàm societas. ¶ *Vel vnius alienius negociationis.*] Addit Vlpianus [i], Vel etiam rei vnius. ¶ *Vendendorum.*] Cuiusmodi societas alicuius rei ven-
6 dendæ tribuit cuique socio plenam potestatem vendendarum omnium rerum vænalium, etiam inscio altero socio. Cùm tamen vbi res non sunt ita vænales, nemo ex socijs plus parte sua possit alienare, etiam si totorum bonorum socij sint [k].

a L. 1. § 1. D. pro soc.
b L. 2. D. illo tit.
c L. si quis societatem contraxerit. D. illo. tit.
d L. 3. § 1. L. societatẽ vniuersarũ D. illo tit.
e Dict. L. 3. § 1.
f L. coiri. cum l. seq. D. illo tit.
g L. nec adiecit l. & ita de hæreditate. D. illo tit.
h L. sed nec æs. D. illo tit.
i L. societas contrahitur. D pro soc.
k L. nemo ex socijs. D. illo tit.

7 ¶ *Et quidem si nihil.*] Inquit Vlpianus [l]; Si non fuerint partes societatis adiectæ: æquas eas esse constat. ¶ *Aequales partes.*] Si modò æqualia in societatem contulerint. Neque enim hic aliter æ-
8 quales partes sunt quàm iuxta proportionem. Itaque ratio æqualitatis dictat, vt qui plus contulit, plus habeat emolumenti. sicuti & plus est habiturus periculi aut damni [m]. Et alioqui æqualitas inter inæquales, magna foret inæqualitas, vt est apud Aristotelem in Ethicis. Ac ne longius abeam, idem Aristoteles lib. tertio Politicorum, disertè docet hanc æqualitatis proportionem in societate esse obseruandam, inquiens; Οὐκ εἶναι δίκαιον, ἴσον μετέχειν τῶν ἑκατὸν μνῶν, τὸν εἰσενέγκαντα μίαν
9 μνᾶν, τῷ δόντι τὸ λοιπὸν πᾶν, οὔτε τῶν ἐξ ἀρχῆς, οὔτε τῶν ἐπιγινομένων. Idem libro 8 Ethic. ἐν χρηματικαῖς κοινωνίαις πλείω λαμβάνουσιν οἱ συμβαλλόμενοι πλείω. ¶ *Spectantur.*] Sicuti & in legatis [n], & hæredum Institutionibus [o], quibus partes ascriptæ non sunt. ¶ *Expressa fuerint.*] Saltem alterius definitioni relictæ, qui eas expresserit [p].

l L. si non fuerint. D. pro soc.
m L. secundum naturam. de reg. iur.
n L. legata inutiliter. §. vlt. de lega. 1.
o L. quoties. § heredes. de hæred. instit.
p L. si coita. D. pro soc.

§. De illa sanè.

1.5 Lucrum intelligitur, damno deducto, & contrà.
2 Dispar ratio damni & lucri non est contra naturam societatis.
3 Leonina societas, vbi vnus totum lucrum sentit, & de damno teneri non vult.
4 Conuentio, vt qui solus pecuniam contulit, de damno

damno non teneatur, aliquid vsuraria iniquitatis continet.
5 Si in quibusdam lucrum factum fuerit, in quibusdam damnum, compensatur lucrum cum damno.
6 Contrariorum eadem est ratio.

a L. Mutius. D. pro so.

¶ *Q. Mutius.*]Totus hic locus petitus est ex responso Pauli, qui ait[a]: Mutius libro decimotertio scribit, non posse societatem coiri, vt aliam damni, aliam lucri partem socius ferat. Seruius in
noris Mutij ait; non posse ita societatem cootrahi. neque enim lucrum intelligitur, nisi omni da- 1
mno deducto: neque damnum nisi omni lucro deducto. Sed potest societas coiri ita, vt eius lucri, quod reliquum in societate sit omni damno deducto, pars illa feratur: & eius damni, quod similiter relinquatur, pars alia capiatur. Apparet itaque Seruium Sulpitium non damnâsse simpliciter sententiam Mutij Scæuolæ: sed tantummodo in ea specie, quam non satis explicuerat ac distinxerat, quamque hic Iustinianus proponit, probata illa Seruij Sulpitij aduersum Mutium sententia. ¶ *Et obid.*]Rectè quidem hoc sequebatur, si fuisset assumptio vera: quia non valeat vlla conuentio à principio adiecta aduersus substantiam vel naturam ipsius contractus[b]. Sed parum constare assumptionē Murij intellexit Seruius. Reuera enim non est contra naturam societatis, dispar
ratio damni & lucri. ¶ *Non dubitatur.*]Extat rescriptum Diocletiani & Maximiani[c], quod testa- 2
tur magis obtinuisse; societatem; vno pecuniam conferente, alio operam; posse contrahi. ¶ *Et tamen lucrum.*]Non etiam ipsa pecunia principalis (quam sortem vocant aut caput) ab altero collata. neque enim ea quoque communicatur, sed tantùm lucrum, quod ex ea prouenit. Vt autem lucrum est hic commune: ita foret etiam damnum: vt non modò impensa opera perdatur, sed & pars deperditæ pecuniæ alteri sarciri debeat. vt quemadmodum spes quæstus erat communis, ita sit & periculum commune. ¶ *Quia sæpe.*] Sic Vlpianus[d]; Plerumque (inquit) tanta est industria socij, vt plus societati conferat quàm pecunia: vt si solus nauiget, solus peregrinetur, pericula subeat so-
lus. ¶ *Lucri partem.*]Vt autem solus totum lucrum ferat, nec de damno teneatur, conueniri non 3
potest, quemadmodum Aristo refert Cassium respondisse[e]; qui hanc societatem solitus erat appellare Leoninam: opinor, ex illo vulgato Æsopi apologo de societate Asini, Vulpis, & Leonis.

b L. cum precario. de precar.
c L. 1. C. pro soc.
d L. si non fuerint. §. 1. D. pro soc.
e dict. l. si non fuerint. §. vlt.

¶ *De damno non teneatur.*] Is scilicet, qui operam præstat, modò, vt Sabinus scribit. tanti sit opera quanti damnum est[f]. Sic vt hic etiam multum perdere intelligatur, qui operam impensam per-
didit. Sed & qui solus pecuniam contulit, potest conuenire, ne ipse de damno teneatur: vtq; alius 4
totum periculum recipiat. restituturus pecuniam, si perierit. Sed tum vereor, ne eiusmodi pactio contineat aliquid vsurariæ iniquitatis. ¶ *Seruius existimauit.*] Paulus id quoque putâsse Cassium scribit[g]. ¶ *Quod tamen.*]Nempe quod dictum est de varijs portionibus lucri & damni. quæ sanè non aliter diuersæ probantur. quàm prius compensatio fiat. Neque enim (inquit idem Seruius[h])
lucrum intelligitur, nisi omni damno deducto: neque damnum, nisi omni lucro deducto. Sic in 5
negocijs gestis; si in quibusdam lucrum factum fuerit, in quibusdam damnum: compensatur lu- 6
crum cum damno[i].

¶ *Illud expeditum.*]Nempe, quia in vniuersum sit contrariorum eadem ratio[k].

f dict. l. si non fuerint. §. ita coiri.
g dict. §. ita coiri.
h L. Mutius. D. pro so.
i L. si negotia absētis. de nego. gest.
k L. vlt. §. vlt. de leg. 3. l. cùm pro pecunia. C. de solut.

§. *Manet.*

1 Renunciatione societas soluitur: idq; tum expressa, tum tacita. num. 2.
3 De renunciatione socium alterum certiorem factum oportet.
4 Si paciscatur socius ne partem suam petat, effectu tollitur societas.
5 Intempestiua societatis renunciatio, ipso iure in æstimationem venit.

¶ *At cùm aliquis renunciauerit.*]Vt scilicet liberè potest quisque renunciare: quia nemo temerè 1
inuitus cogatur manere in communione[l]: nisi hanc sibi libertatem pacto ademerit. Nam licet nulla societas æterna esse possit[m]: potest tamen ad mortem vsque vel certum tempus iniri[n]. Ante eiusmodi tempus si quis renunciârit: socium à se, non se à socio liberat Nam si quid compendij factum erit ab eo, eius partem hic non feret. Sed si quid dispendij, æquè præstabit portionem[o].
¶ *Renunciauerit.*]Vel expresim, vel etiam tacitè: vt si separatim rem suam sibi agere cœperit[p]. 2
Porrò & per alios renunciare possumus societati[a]. ¶ *Societati.*] Facto scilicet certiore altero so-
cio. Nam si ignoranti renunciata societas sit (inquit Paulus[b]) quoad sciuerit, quod is acquisiuit, 3
qui renunciauit, in commune redigi debet: detrimentum autem solius eius esse, qui renunciauerit: & quod absens acquisierit, ad eum solum pertinere: detrimentum ab eo factum, commune esse. Quod si procuratori absentis fuerit renunciatum: non oberit absenti renunciatio, priusquam eam procuratori suo factam habuerit ratam[c].
¶ *Soluitur.*]Ipso etiam iure. Quòd si pacto, mutuoque consensu solueretur societas: magis vi exceptionis, quàm ipso iure solueretur: quemadmodum & vbi tacito pacto id fieret. Vnde respon-
dit Paulus[d]; Si paciscatur socius, ne partem suam petat; effectu tollitur societas. ¶ *Societas.*]Etiam 4
reliquorum omnium sociorum: nisi in societate coëunda aliter conuenerit, vti paulò pòst etiam docet Iustinianus. ¶ *Sed planè si quis callide.*] Tradidit in vniuersum Paulus[e]; intempestiuam so-
cietatis renunciationem, ipso iure in æstimationem venire. Sed alio loco id latius explicat, cuius 5
verba multum lucis videntur allatura huic loco Iustiniani; inquit igitur[f]; Cassius scribit, eum, qui renuncia-

l L. vl. C. com. diuid.
m L. nulla. D. pro soc.
n l. in hoc iudicio. §. si conuenerit. D. commu. diuid.
o L. 1. D. pro soc.
p L. actione. § item qui societatem. D. pro soc.
a L. ita quoque. D. pro soc.
b L. actione. §. renunciare. D. pro soc.
c L. sed et socius. §. 1. D illo tit.
c L. actione. § itē scriptum D. illo tit.
d L. in hoc iudicio §. vlt. D. commun. diuid.
e L. sed et socius. §. vl. D. pro soc.
f L. actione. §. diximus. D. illo tit.

renunciauerit societati, à se quidem liberare socios suos: se autem ab illis non liberare. Quod vtiq; obseruandum est, si dolo malo renunciatio facta sit: veluti si cùm communium bonorum societatem inijssemus: deinde cùm obuenisset vni hæreditas, propter hoc renunciauerit. Ideoque si quod damnum attulerit hæreditas, hoc ad eum qui renunciauit, pertinebit: commodum autem communicare cogetur, actione pro socio. ¶ *Quod non captauerit.*] Sic igitur accipiẽdum est, quod subijcit Paulus [a]; Si quid post renunciationem acquisierit, non erit communicandum: quia nec dolus est admissus in eo. *a dict. §. diximus.*

§. *Soluitur adhuc.*

1.6 Morte vnius sociorum finitur omnium superstitum societas.
2.3 Hæres socij succedit emolumento, et quæ per defunctum inchoata sunt, per eum explicari debent.
4.5 Cur societas pacto ad hæredem transire nequeat?
7 Negocio finito finitur & societas.

¶ *Soluitur adhuc.*] Inquit Paulus [b]; Morte vnius socij, societas dissoluitur, & si consensu omni- *b L. actione. §. morte.*
1 um coita sit, plures verò supersint: nisi in coëunda societate aliter conuenerint. Nec hæres socij suc- *D. pro soc.*
cedit. Sed quod ex re communi postea quæsitum est: item dolus & culpa, in eo quod ex antè gesto
pendet: tam ab hærede, quàm hæredi præstanda sunt. Sic & Vlpianus [c], In hæredem (inquit) socij,
2 Pro socio actio competit, quamuis hæres socius non sit. Licet enim socius non sit, attamen emolu- *c L. verum. §. in hæredem. D. illo tit.*
menti successor est. His adijci potest, quod respõdit Pomponius [d]; Hæres socij, quamuis socius non *d L. hæres socij. D. illo*
3 est, tamen ea quę per defunctum inchoata sunt, per hęredem explicari debent. Porrò (inquit idem *tit.*
Pomponius [e]) adeò morte socij soluitur societas, vt nec ab initio pacisci possimus, vt hæres etiam *e L. adeo. D. illo tit.*
4 succedat societati: nempe quòd non posit cum incerta persona societas contrahi. ¶ *Quia qui.*]
Sentit hîc Iustinianus iniquum fore, nos certo socio delecto, alterius implicari societate: aut pro
5 Titio, habere Titij hæredem socium; cùm inter personas, vt inter artifices [f], sit magna differentia: *f L. inter artifices. D. de solut.*
nec defuncti fidem ac industriam semper referat hæres. ¶ *Nisi aliter conuenerit.*] Id referendum ad
6 id, quod proximè dicitur; Vnius morte solui societatem etiam omnium superstitum sociorum.
quod hîc Iustinianus docet ita accipiendum esse; si non inter eos aliter conuenerit; vt scilicet inter
superstites duraret societas. ¶ *Item si alicuius.*] Inquit Paulus [g]; Si alicuius rei societas coita sit, & *g L. actione. §. item si*
7 finis negocio sit impositus: finitur societas. Quod si integris omnibus manentibus alter decesserit, *alicuius. D pro soc.*
deinde tunc sequatur res, de qua societatem coierunt: tunc eadẽ distinctione vtemur, qua in mandato: vt si quidem ignorata fuerit mors alterius, valeat societas: si nota, non valeat.

§. *Publicatione quoque. cum §. fin.*

1.2 Publicatione & cessione bonorum distrahitur societas.
3 Socius dolum & culpam, leuem etiam, præstat.
4 Quid, si res, non consensus, aliquos ad societatem coniungat?

1 ¶ *Publicatione quoq;.*] Inquit idem Paulus [h]; Publicatione quoq; distrahi societatem diximus: *h L. actione. §. publicatione. D. pro soc.*
quod spectare videtur ad vniuersorum bonorum publicationem, si socij bona publicentur. Nam
cùm in eius locum alius succedit, pro mortuo habetur. ¶ *Alius succedat.*] Nempe fiscus, qui verus
est eius successor, cuius bona publicantur. adeò, vt etiam tanquam hæres teneatur creditoribus hæ
2 reditatijs [i]. ¶ *Item si quis.*] Inquit idem Paulus [k]; Item bonis à creditoribus venditis vnius socij, *i L. 2. C. ad leg. Iul. de vi publ. l. vt propo*
distrahi societatem Labeo ait. ¶ *Sed hoc casu.*] Quo scilicet is, qui socius esse desijt, neq; pro mor- *nu. C. de bo. proscript.*
tuo habetur, neque perdidit iura ciuitatis Romanę: sic vt posit adhuc acquirere. & quod acquisie- *k dict. l. actione. § 1.*
rit, retinere [l]. ¶ *Præualuit tamen.*] Ex sententia ipsius Celsi: quam disertè probat Vlpianus, & asti- *l L. fin. qui bonis, et l. seq. de cess. bon.*
pulatur Caius ex quorum duorum responsis hic locus conflatus est. Vlpiani verba sunt hæc [m]; Venit in hoc iudicium Pro socio, bona fides. Vtrum ergo tantùm dolum, an etiam culpam præstare *m L. cũ duobus. §. venit. D pro soc.*
socium oporteat, quæritur. Et Celsus lib. 7. Digestorum, ita scripsit; Socios inter se dolum & cul-
3 pam præstare oportere. Caius autem ait [n], Socius socio etiam nomine culpæ tenetur, id est, desidiæ *n L. socius socio. D. illo*
atque negligentiæ. Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est. Sufficit enim *tit.*
talem diligentiam communibus rebus adhibere, qualem suis rebus adhibere solet: quia qui parum
diligentem sibi socium acquirit, de se queri debet. Sed quid si de eo agatur, quem nõ vltro socium
4 accersierit sibique acquisierit aliquis, sed in eum aliter inciderit? Paulus idem respondit [o], sed alia *o L. hæredes. §. nõ tantum. fam. l. er. isc.*
ratione. Non tantùm dolum (inquit) sed etiam culpam in re hæreditaria præstare debet cohæres:
quoniam cum cohærede non cõtrahimus, sed in eum incidimus. Non tamen diligentiam præstare debet: qualem diligens paterfamilias: quoniam hic propter suam partem causam habuit gerendi. & ideo negociorum gestorum ei actio non competit. talem igitur diligentiam præstare debet, qualem in suis rebus. Eadem sunt, si duobus res legata sit. Nam & hos coniunxit ad societatem non consensus, sed res.

IN SEQVENTEM TITVLVM

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Mandato semel suscepto fideliter defuugi oportet.*
2 *Interest Reip. vs quod quis faciendum recepit, bona fide praestet,*
3 *Cicero de mandati contractus religione.*
4 *Amicorum fides commune omnium praesidium est.*



Nter obligationes, quae consensu ineuntur, postremo loco Iustinianus refert Manda-
tum, quod quidem à principio suscipere vel non suscipere, est liberum: sed semel susce- 1
a L.1. de consti. pec. *pto oporset fideliter defuugi. Verè enim grauißimum hic esset, fidem fallere* [a]. *Inter-*
estq́, sanè Reip. vt quod quisq́ faciendum recepit, bona fide praestet: ue beue cõsulta con- 2
silia, religione mandati soluta, corrumpãtur. Vt ausem intelligamus, quàm fuerit hae
res curae veteribus: lubet subscribere elegautißimum locum Ciceronis ex Oratione pro Roscio Ame-
rino; In priuatis (inquit) rebus, si quis rem mandatam non modò malitiosius geßisset sui quaestus & 3
commodi gratia, verùm etiam negligentius: eum Maiores summum admisisse dedecus existimabant.
Itaq́, Mandati coustitutum est iudicium, nou minus turpe, quàm furti: credo propterea, quòd quibus
in rebus ipsi interesse nõ possumus, in ijs operae nostrae vicaria fides amicorum supponatur. quam qui
laedit, oppugnat commune omuium praesidium, & (quantum iu ipso est) disturbat vitae societatem.
Non enim possumus omnia per nos agere. Alius in alia re magis vtilis. Idcirco amicitiae comparan- 4
tur, vt commune commodum mutuis officijs gubernetur. Quid recipis maudatum, si aut neglecturus,
aut ad tuum cõmodum conuersurus es? Cur mihi te offers, ac meis commodis efficio simulato officis,
& obstas? Recede de medio, per alium transigam. Suscipis genus officij, quod te putas sustinere posse:
quod minimè graue videtur ijs, qui minimè ipsi leues suns. Ergo idcirco surpis haec culpa est, quòd
duas res sanctißimas violat, amicitiam & fidem. Nam neque maudat quisquam ferè nisi amico: neq́,
credit, nisi ei, quem fidelem putat. Perditißimi est igitur hominis simul & amicitiam dissoluere, &
fallere eum, qui laesus non esses, nisi credidisset. Hactenus Tullius: cuius verba fuit operaepretium re-
citare. elegantißimè enim simul & grauißimè explicaus tosam vim huius contractus. Ac vs Iuris-
b L. in re mandata. C. mand. *consultos nunc nostros omistam, illud ipsum suis rescriptis Constãtinus inseruisse videtur* [b]. *Sed quia*
in ijs, quos de Constantino scripsi commentarijs, hac de re satis multa dixisse mihi videor, malo le-
ctorem, si id requirat, eò reijcere, quàm lougiori nunc repetitione vel obtundere vel remorari.

De mandato, Titulus XXVI.



Andatum contrahitur quinque modis: siue sua tantùm gratia aliquis tibi mandet, siue sua & tua, siue aliena tantùm, siue sua & aliena, siue tua & aliena. At si tua tantùm gratia mandatum fit: superuacuum est mandatum, & ob id nulla ex eo obligatio, nec mãdati inter vos actio nascitur. Mandantis tantùm gratia interuenit mandatum: veluti si quis tibi mandet, vt negotia eius gereres, vel vt fundum ei emeres, vel vt pro eo sponderes. Tua gratia & mandantis: veluti si mandet tibi, vt pecuniam sub vsuris crederes ei, qui in rem ipsius mutuaretur: aut si volẽte te agere cum eo ex fideiussoria causa, mandet tibi, vt eum reo agas, periculo mandantis: vel vt ipsius periculo stipuleris ab eo, quem tibi deleget in id, quod tibi debuerat. Aliena autem tantùm causa interuenit mandatum: veluti si tibi aliquis mandet, vt Titij negotia gereres, vel vt Titio fundum emeres, vel vt pro Titio sponderes. Sua & aliena: veluti si de communibus suis & Titij negotijs gerendis tibi mandet, vel vt sibi & Titio fundum emeres, vel vt pro eo & Titio sponderes. Tua & aliena: veluti si tibi mandet, vt Titio sub vsuris crederes: quia si sine vsuris pecuniam crederes, aliena tantùm gratia intercedit mandatum. Tua tãtùm gratia interuenit mandatum: veluti si tibi mandet, vt pecunias tuas in emptiones potius praediorum colloces, quàm foeneres: vel ex diuerso, vt pecunias tuas foeneres potius, quàm in emptiones praediorum colloces. Cuius generis mandatum, magis consilium, quàm mandatum est, & ob id non est obligatorium: quia nemo ex consilio mandati obligatur, etiamsi non expediat ei, cui mandabatur: cùm liberum cuique sit, apud se explorare, an sibi expediat consilium. Itaque si otiosam domi te habentem hortatus fuerit aliquis, vt rem aliquam emeres, vel eam crederes: quamuis non expediat eam tibi emisse vel credidisse, non tamen tibi mandati tenetur. Et adeò haec ita sunt, vt quaesitum

quæsitum sit,an mandati teneatur,qui mandauit tibi,vt pecuniam Titio fœnerares: sed obtinuit Sabini sententia,obligatorium esse in hoc casu mandatum: quia non aliter Titio credidisses,quàm si tibi mandatum esset.

Illud quoque mandatum non est obligatorium,quod contra bonos mores est; veluti si Titius de furto, aut damno faciendo, aut de iniuria facienda mandet tibi. licet enim pœnam istius facti nomine præstiteris, non tamen vllam habes aduersus Titium actionem.

Is,qui exequitur mandatum,non debet excedere fines mandati. vt ecce; si quis vsq; ad centũ aureos mandauerit tibi,vt fundum emeres,vel vt pro Titio sponderes: neq; pluris emere debes,neque in ampliorem pecuniam fideiubere. alioqui non habebis cum eo mandati actionem. adeò quidem, vt Sabino & Cassio placuerit, etiam si vsq; ad centum aureos cum eo agere volueris: inutiliter te actururũ. Sed diuersa schola authores vsq; ad centum aureos te acturum existimant. quæ sententia sanè benignior est. Quòd si minoris emeris,habebis scilicet cum eo mandati actionem: quoniam qui mandat, vt sibi centum aureorum fundus emeretur,is vtique mandasse intelligitur,vt minoris (si possit) emeretur.

Rectè quoq; mandatum contractum, si dum adhuc integra res sit, reuocatum fuerit,euanescit. Item si adhuc integro mandato, mors alterutrius interueniat,id est,vel eius qui mandauerit,vel illius,qui mandatum susceperit: soluitur mandatum. Sed vtilitatis causa receptum est,si eo mortuo,qui tibi mandauerat,tu ignorans eum decessisse, executus fueris mandatum: posse te agere mandati actione. alioqui iusta & probabilis ignorantia tibi damnum adferret. Et huic simile est,quod placuit, si debitores manumisso dispensatore Titij,per ignorantiam liberto soluerint,liberari eos: cùm alioqui stricta iuris ratione non possent liberari,quia alij soluissent,quàm cui soluere debuerint.

Mandatum nõ suscipere,cuilibet liberum est: susceptum autem consummandum est,aut quamprimùm renuntiandum,vt per semetipsum, aut per alium eandẽ rem mandator exequatur. Nam nisi ita renuntietur, vt integra causa mandatori reseruetur eandem rem explicandi: nihilominus mandati actio locum habet: nisi iusta causa intercesserit,aut non renuntiandi,aut intempestiuè renuntiandi. Mandatum & in diem differri, & sub conditione fieri potest.

In summa,sciendum est,mandatum nisi gratuitum sit,in aliam formam negotij cadere. Nam mercede constituta, incipit locatio & conductio esse. Et (vt generaliter dicamus) quibus casibus sine mercede suscepto officio, mandati siue depositi contrahitur negotium,is casibus interueniente mercede, locatio & conductio intelligitur contrahi. Et ideo si fulloni polienda curandáve quis dederit vestimenta,aut sarcinatori sarciẽda, nullâ mercede constituta neque promissa: mandati competit actio.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Mandatum & expresso & tacito consensu contrahitur.*
2 *Commendationis temerariæ nulla pœna.*
3 *Quinq; modos illos quibus mandatum contrahitur, ad res redigi posse.*
4 *Quid, si fundum sumtu tuo nomine meo emeris?*
5 *Procuratori officium non debet esse damnosum.*
6 *Exempla mandatorum.*
7 *Si tibi mandauero quod mea intererat, erit mihi tecum mandati actio.*
8.9 *Consilij non fraudulenti nulla obligatio est.*
10 *Non decet circumueniri eum, qui sine mandato meo crediturus non erat.*
11 *Rei turpis nullum est mandatum.*
12 *Mandati fines custodiendi.*
13 *Qui habet quod voluit iniustè queritur.*
14 *Alia via rem aggrediens, si malè ea cesserit, tenetur.*
15 *Reuocatione mandatum extinguitur, si res sit integra.*
16 *Tã mandatario quã mandatori præstãda indẽnitas.*
17 *Morte integrum mandatum etiam Iurisdictionũ; finitur.*
18 *Iudices dati etiam in tempus successorum eius qui eos dedit durant.*
19 *Iudicem datum differre ab eo cui mandata est iurisdictio.*
20 *Mandatorum formæ plures.*
21.22 *Mandatum morte mandantis quando non planè perimatur?*
23 *Dispensatori, qui ignorante debitore remotus est ab actu, rectè soluitur.*
24 *Non rectè soluitur ei qui solutioni adiectus est, si soluatur post mutationem status.*
25.26 *Mandatum ab initio voluntatis, fit postea necessitatis.*
27 *Mandata cur esse gratuita debeant?*
28 *Si merces ex conuentione interueniat mandato, locatio potius est quàm mandatum.*
29 *Incertæ pollicitationis salarium peti non potest.*
30 *Multa inhonestè petuntur, quæ honestè accipiũtur.*

M*Andatum.*] Initio admonendi sumus, totum hunc locum esse descriptum ex responso Caij[a], 1
cuius verba, si conferantur, multum lucis adferent. ¶ *Contrahitur.*] Consensu scilicet[b], vel
expresso, vel etiam tacito. Si enim passus sum aliquem pro me interuenire, mandati teneor[c], quia
videor mandasse[d]. Sed nec hîc refert (si sit animus mandandi) quibus verbis mandes[e]. Quòd si
tantùm commendandi alicuius causa roges aliquid, nulla erit mandati obligatio[f]. Et si dolus ab-
fuerit[g], nulla est temerariæ commendationis pœna, præter communem illam & vulgarem apud 2
bonos grauesque viros suggillationem: sed cuius metus vnumquenque satis admonere debet, vt,
iuxta præceptum Flacci, quem cui commendet, etiam atque etiam inspiciat: ne statim incutiant
peccata aliena pudorem. ¶ *Quinque modis.*] Quos facilè possumus redigere ad tres, nempe Mea, 3
Tua, & Aliena gratia. ¶ *Vt negotia eius gereres.*] Id quod si vltro & absque vllo mandato faceres:
competeret negociorum gestorum actio, de qua titulo sequenti agemus. Quòd si mandatum so-
lius mariti secutus, tam mariti, quàm vxoris eius negocia gesseris: rescriptum est[h], duplicem oriri
actionem: nempe mandati, inter te & maritum: negociorum gestorum, inter te & vxorem.

¶ *Vel vt fundum emeres.*] Quem si tuo sumptu emeris meo nomine: quæsitum est, an omnes fru- 4
ctus quos ex eo perceperis, simul restituere debeas. Nos facilè assentimur esse restituendos: sed,
quòd quidam aiunt, imputandos in precium, quod hic procurator soluerit: vt si possint id pensa-
re, habeat dominus sine vllo suo impendio fundum: probare non possum. Esset enim huic procu-
ratori suum officium damnosum. Imò verò interea dum ei precium dominus nō restituit, æquum 5
est eum, eius quod interest, nomine, ex fructibus domino reputare vsuras[i], saltē quincunces. Nam
& quum fructus sint domini: videtur ab initio procurator rem ei tradidisse, fidemque suam libe-
râsse quare meritò hic procurator vsuras suæ pecuniæ sibi à domino deberi contendet. ¶ *Vt pecu-
niam sub vsuris.*] Hic meum & tuum commodum versatur. Meum quidem, cuius mandato contra- 6
hitur mutuum in rem meam: tuum verò, qui mutuum das stipulatus vsuras: sic vt ex ex stipulatio-
ne tibi debeantur, nec præstolari debeas moram, ex qua alioqui vsuræ tantum deberi solent[k].

¶ *Vt cum reo agas.*] Hoc exemplum sumptum est ex veteri iure, quo liberum erat, omisso reo prin
cipali, statim cum fideiussore agere[l]. Tum enim mandato, de quo hîc agitur, non parum iuuaba-
tur fideiussor præsenti iudicio liberatus. proderat etiam id tibi, qui fideiussoris periculo suscipie-
bas iudicium cum reo principali. Sed hodie non vtimur hac specie mandati, cùm ex Nou. Iustinia
ni Constitut. 4. omnino teneantur creditores primùm aggredi principales reos: nec nisi ijs excus-
sis, possint à fideiussoribus quicquam petere. ¶ *Periculo mandantis.*] Hic latet commodum man-
datorij: quod nec sustulisse videtur noua Iustiniani Constitutio. Quanquam enim ex ea primùm
sit conueniendus debitor principalis, id tamen non fit impensa vel periculo fideiussoris: nec, si
reus parum soluendo sit, eius frustraneæ litis sumptus præstabit creditori fideiussor. Cæterùm vbi
mandato eius & periculo agitur, eos præstare debebit. ¶ *Vt ipsius periculo stipuleris.*] Huius manda
ti vim & obligationem explicat Paulus his verbis[m], Quod mihi debebas, à debitore tuo stipula-
tus sum periculo tuo. posse me agere tecum mandati, in id quod minus ab illo seruare potero. Ner
ua & Atilicinus aiunt: quamuis id mandatum ad tuam rem pertineat, & meritò. Tum enim li-
beratur is, qui debitorē delegat, si nomen eius creditor secutus est: non, cùm periculo debitoris ab
eo stipulatur. ¶ *Aliena tantùm gratia.*] Huius mandati forma non est omnino ludicra, etiam si for
tè non intersit mandantis. Valet enim non quidem vt geras negocia: sed si vltro gesseris, vt man-
dati tenearis. Et ex diuerso vtilis est ipsi mandatario, si quid impenderit in negocia aliena, quo-
rum nomine habebit actionem aduersus eum, qui mandauit[n]. ¶ *De communibus.*] Idem & si quis
mandauerit alicui gerenda negocia eius, qui ipse sibi mandauerat. Nam & is habebit mandati a-
ctionem: quia (inquit Vlpianus[o]) & ipse tenetur. Tenetur autem, quia gerere potest. Sed & in v-
niuersum tradidit idem Vlpianus[p]: Si tibi mandauero, quod mea intererat; veluti vt pro Seio in- 7
teruenias, vel vt Titio credas; erit mihi tecum mandati actio. Sic enim eius loci restituenda est le-
ctio, expuncta vocula negatiua, NON; quam nec conuenire ipsius contextus rationi, nec ipsi veri-
tati, facilè est animaduertere: nec eam extare in veteribus exemplaribus, nos admonuit Paraphra
stes Cantiuncula. ¶ *Quia nemo ex consilio.*] Inquit Vlpianus[a]: Consilij non fraudulenti nulla ob-
ligatio est. Cæterùm si dolus aut calliditas intercesserit: de dolo actio competit. Vt si quis dolo con 8
suluerit mihi repudiare hæreditatem, quasi minus soluendo esset[b]. Et sanè cùm sit consilium (vt a-
pud Platonem ait Socrates) ἱερὸν [sacrum quiddam] religiosè, citraq; vllam fraudem impertien-
dum est. Nec impunè ferre debet, qui rem tam sacram perfidia violârit; & credulum simplicitatis
candorem, securamque alterius fiduciam improbè fefellerit. ¶ *Etiam si non expediat.*] Nam & ple-
runque benè consulta vel casus aliquis repentinus immutat; vel culpa eius, qui ea suscepit faciun-
da, peruertit; quemadmodum grauiter in epistolis Demosthenes, iudicans propterea, χαλεπωτά-
την τάξιν ἔχειν, τὸ συμβουλεύειν. [Consiliarij munus esse difficilimum.] ¶ *Cùm liberum.*] Nam consi-
lium seu exhortatio liberam tantùm voluntatem excitat, nec vllam habet parendi necessitatem[c]. 9
Ideoque rectè dictum est[d]; Eum qui consulit, mandatoris opera non fungi.

¶ *In hoc casu.*] In quo scilicet nominatim datum est consilium in rem & gratiam ipsius Titij:
pro quo videtur quodammodo fideiussisse, qui consilium dedit: vt meritò, si malè cesserit tenea-
tur. Nam & reuera magis hîc mandatum videtur, quàm meum consilium: nec par est, te circun- 10
ueniri, qui non aliàs crediturus eras, quàm si ego mandâssem. Ac videtur hac in re astipulari Sa-
bino Vlpianus[e].

¶ *Illud quoque.*] Inquit Vlpianus[f]; Rei turpis nullum mandatum est: & ideo hac actione non 11
agetur.

a L. 2. D. mand.
b L. 1. D. mand.
c L. si remunerādi. §. si passus. D. eo tit.
d L. semper qui non prohibet de reg. iur.
e L. 1. §. 1. D. mand.
f L. si verò non remunerandi. §. cum quidam. D. manda. l. vl. C. quod cum eo.
g L. quod si cùm scires de dolo ma.
h L. si mandatum. C. de neg. gest.
i L. si verò non remunerādi. §. si mihi mād.
k L. cùm quidam. §. si pupillo. de vsur.
l L. inter eos. §. creditor. de fideiuss.
m L. si mandato meo fundum. §. quod mihi debebat. D. mandati.
n L. si mandatum. C. de neg. gest.
o L. si procuratorem. §. si quis mandauerit. D. manda.
p L. si remunerādi. §. si tibi mandauero. D. mandati.
a L. consilij. de reg. iu.
b L. si quis affirmauerit. §. 1. de dolo.
c L. cùm pater. §. mando filiæ. de leg. 2.
d L. ad hæc verba. de his quæ nota. infa.
e L. si remunerandi. §. planè. D. manda.
f d. l. si remunerandi. §. rei turpis. D. mand.

agetur. Et Paulus[a], Si (inquit) ædem sacram spoliandam, hominem vulnerandum vel occidendum, mandato suscipiat, nihil mandati iudicio consequi potest propter turpitudinem mandati.

¶ *Non tamen vllam actionem.*]Contrariam scilicet mandati, quæ solet dari contra mandantem. Cæterùm is cui ex hoc mandato iniuria facta est, agere porest tam aduersus eum qui mandauit, quàm qui mandatum suscepit[b].

12 ¶ *Is qui exequitur.*] Inquir Panlns[c]; Diligenter fines mandati custodiendi sunt. Nam qui excessit, aliud quid facere videtur: & si susceptum non impleuerit, renetur. Ea tamen res ex varijs rerum circumstantijs variè dijudicatur. Sed vt breuiter dicam; Vbi illud ipsum, quod mãdatum est, fuerit impletum, licet fortè alia ratione, si tamen nullo mandantis incommodo: satis factum vi-
13 detur mandato[d]: nec iusta est eius querela; qui habet quod habere voluit; etiãsi aliter habeat, cùm eius non intersit, nec prohibuit alia via rem confici. alioqui fortasſis nullo modo recedendum esset à præscripta forma. Sic accipio quod à Paulo responsum est[e]; Cõmodisſimè illa forma in mandatis seruanda est, vt quoties certum mandatum sit, recedi à forma non debeat: at quoties incertum, vel plurium causarum, tunc licet alijs præstationibus exoluta sit causa mandati, quàm quæ ipso mandato inerat: si tamen hoc mandatori expediat, mandati erit actio. Illud certum est eum; qui rem alia aggreditur via, teneri, si ea malè cesserit. Itaque periculosum est; aliter gerere, quàm
14 mandatum sit. Verùm fuerit hic infinitum omnia persequi, quæ hac in re vir prudens expendere potest: & melius fuerit totam hanc rem relinquere boni viri arbitrio, qui omnes rei, de qua quæretur, circunstantias conferet. ab ijs enim potisſimùm videtur pendere definitio huius rei: quemadmodum etiam sentire videtur Gellius, qui libro primo, capite decimotertio diligenrer hunc articulum excurit, variasque Philosophorum sententias refert. ¶ *Non debet excedere.*]Non excedit aurem, qui id agit, quod mandato cohæret, eoque videtur comprehensum, cùm non posset alioqui mandatum commodè impleri. Vt si mandatum sit Titio, rem mobilem vindicare, vel legatum petere: poterit petere ipsam rem vel testamenti tabulas exhiberi[f]. Quemadmodum & mandata iurisdictione, omnia mandata videntur, sine quibus non potest exerceri iurisdictio[g]. ¶ *Sed diuersa schola.*]Cùm proposuisset Paulus[h]; Si precium statui, tuque pluris emisti: quidam negauerũt, mandati te habere actionem, etiam si paratus esses id quod excedit, remittere: subiecit Caius[i], quod huc pertinet. Sed Proculus rectè eum existimat vsque ad precium statutum actutum. Quæ sententia sanè benignior est. ¶ *Minoris emerit.*] Illum etiam ipsum fundum, qui mandato continetur. Nam si alium etiam fortasſis meliorem, æquè minoris emeris: nullo modo videris implêsse mandatum[k]. Porrò si mandauero tibi, vt fundum meum centum venderes: tuque minoris vendideris: non obstabit mihi fundum vindicanti exceptio, nisi & reliquum, quod deest mandato meo, præstes, & indemnem me per omnia conserues.

15 ¶ *Dum adhuc integra res sit.*]Hoc est, priusquam cœperit interesse eius, qui mandatum suscepit. alioqui in eius fraudem aut damnum æquum non fuerit inrempestiuè reuocari mandatum. neq;
16 enim minus mandatario, quàm mandatori indemnitas præstari debet. Itaq; si mandatum tuum secutus, operis futuri fundamenta iecerim: inregtum tibi non est mandarum reuocare, nisi paratus sis restituere, quod mea interest. Sic etiam, licet soleat esse liberum, renocare mandatam iurisdictionem[l]; si tamen causa aliqua cœpta sit, quia res integra non est, non poterit in eius fraudem reuocari; sed omnino vbi cœptum est iudicium, ibi debebit[m] finiri. Mandatum certè procuratoris, vsq; ad litem contestatam reuocari potest: sed non postea, quasi tum amplius res integra non[n]
17 sit. ¶ *Item si adhuc.*]Morte finiri mandatum inregtum, sæpe traditum est[o]. Idque etiam pertinere ad mandatam iurisdictionem constat. Labeo ait[p]; Si is, qui mandauit iurisdictionem, decesserit, antequam res ab eo, cui mandata est iurisdictio, geri cœperit, solui mandatum, sicut in reliquis
18 causis. Iudices tamen datos solere etiam in rempus successorum eius, qui eos dedit, durare, & cogi pronunciare, easque sententias seruari, responsum est[a]. Nempe multùm differt Iudex datus, ab eo
19 cui mandata est iurisdictio. Et quod ad hunc locum attinet, discriminis, quod dixi, ratio hæc esse videtur; quòd iudex datus propriè non dicatur contrahere mandatum, cùm id non suscipere non posſit. Est enim iudicandi necesſitas[b]. At mandatũ suscipere rectè dicitur is, cui mandata est iurisdictio, non modò quòd fungatur vice eius, qui mandât, sed etiam quòd eam inuitus nõ suscipiar. Ad eum itaq; pertinet lex mandati, non etiam ad iudicem datum. Porrò obseruare debemus, mul-
20 tas esse mandatorum formas, quæ etiam post cineres & busta mandanris durant. Multumque hic refert, quis mandet, cui, quid, & quomodo. Si qnid mandatum sit in rem ipsius mandatarij; etiam mortuo mandante, id durat[c]. Sed nec mandatũ dotis, vel libertatis dandæ, euanescit morte mandanris[d]. Item & si mandatum contineat aliquid, quod omnino post mortem mandanris faciundum sit[e]. ¶ *Vel illum qui mandatum susceperit.*]Inquit Caius[f]; Morte quoq; eius, cui mandatum est, si is integro adhuc mandato decesserit, soluitur mandatum: & ob id hæres eius, licet executus fue-
21 rit, non habet mandati actionem. Sanè tamen is per errorem exequendo, tribuit emprori bonæ fidei conditionem vsucapiendi[g]. ¶ *Sed vtilitatis causa.*] Inquit Paulus[h]; Inter causas mandati omittendi, etiam mors mandatoris est. nam mandatum soluitur morte. Si tamen per ignorantiam
22 impletum est, competere actionem vtilitatis causa dicitur. Huc quoque pertinet, quòd si vniuersale quoddam mandatum suscepero, & vno generali communique nomine designatus sim alterius instiror, propter vtilitatem commerciorum & promiscui vsus rata habeantur, quæ à me gesta fuerint, etiam mortuo mandante domino[l]. ¶ *Huic simile.*]Interest tamen: quia superiori casu agitur de obligatione: hic verò de liberatione. illic, morte; hic status mutatione mandatum intelli-

y 3 gitur

a L. si mandauero tibi. §. qui ædẽ. D. mãd.
b L. non solũ. §. si mandatum. de iniur.
c L. diligẽter. D. man.
d L. vlt. §. vl. D. mãd.
e L. si quis pro eo. D. mandatum.
f L. ad rem mobilem. l. ad legatũ. de procu.
g L. 2. de iurisdict.
h L. preterea. D. mã.
i L. sed Proculus. D. illo tit.
k L. diligẽter. §. 1. D. illo tit.
l L. solet. §. 1. de off. Pro. et lega. l. iudicium de iudic.
m L. vbi cœptum. de iudic.
n L. post litẽ. de procu.
o L. inter causas. D. mand. l. mandatum. C. mand. l. vl. de solu.
l. eius qui in prouincia. D. si cer. pet.
p L. et quia. de iurisd.
a L. venditor. § vlt. de iudic.
b L. vlt. §. iudicandi. de muner. & honor.
c L. si eum fundũ. de pact.
d L. si ego. §. 1. de iure dot. l. si pater. de ma. vind.
e L. si verò non remunerandi. §. vl. D. mã.
f L. si quis alicui. §. morte. D. mand.
g L. mandatum. D. mand.
h L. inter causas. D. mand.
i L. si quis mãcipijs. § si impubes. de institor. act.

a L. dispensatori. de solut.
b L. si quis seruo. de solut.
c L. eius qui. D. si cer. pet. cond.
d L. 3. C. de solut.
e §. planè. supr. de inut. stip.

gitur solutum. ¶ *Quod placuit.*] Placuit certè id multis Iurisconsultis, veluti Paulo, qui in vniuer- 23
sum respondit [a]; dispensatori, qui ignorante debitore remotus est ab actu, rectè solui: ex voluntate enim domini ei soluitur: quam si nescit mutatam, qui soluit, liberatur. Idem quoque respondit Vlpianus [b] de eo, qui seruo pecunijs exigendis præposito, ignorans soluit post eius manumissionem. Nec dissimilia sunt, quæ continentur responso Africani [c], & rescripto Gordiani [d].

¶ *Quia alij soluissent.*] Memini nos alio suprà loco pluribus verbis docuisse [e]; non rectè sol- 24
ui ei, qui solutioni est adiectus, si soluatur post mutationem status: quasi tum alius homo videatur.

f L. si quis alicui. §. qui suscepit. D. mand.
g L. si mandauero. §. vlt. D. mand.

¶ *Mandatum non suscipere.*] Totus hic locus compositus est ex duobus Iurisconsultorũ responsis: quorum collatio, iustæ interpretationis loco fuerit. Primùm inquit Caius [f]: Qui suscepit mandatum, si potest id explere, deserere promissum officium non debet. Alioqui quanti mandatoris interfit, damnabitur. Si verò intelligat explere se id officium non posse: idipsum, cùm primùm po- 25
terit, debet mandatori renunciare: vt is, si velit, alterius opera vtatur. Quod si cùm possit denunciare, cessauerit; quanti mandatoris intersit, tenebitur. Sed si aliqua ex causa non poterit renunciare, securus erit. Paulus autem ait [g]: Sicut liberum est, mandatum non suscipere, ita susceptum consummari oportet, nisi renunciatum sit. Renunciari autem ita potest, vt integrum ius manda- 26
tori reseruetur, vel per se, vel per alium eandem rem commodè explicandi: aut redundet in eum captio, qui suscepit mandatum. Et quidem si is, cui mandatum est, vt aliquid mercaretur, mercatus non sit, neque renunciauerit se non empturum, idque sua, non alterius culpa fecerit; mandati actione teneri eum conuenit. Hoc amplius tenebitur (sicut Mela quoque scribit) etsi eo tempore per fraudem renunciauerit, cùm iam rectè emere non posset. His deinde subijcitur ex Hermogeniano & Paulo [h], Sanè si valetudinis aduersæ, vel capitalium inimicitiarum causa, seu ob immanes* rei actiones, seu ob aliam iustam causam excusationes alleget; audiendus est.

h L. sanè. cum ll. seq. D. mand.
** al. inanes.*
i L. 1. §. mandatũ. D. mand.

¶ *In summa.*] Inquit Paulus [i]; Mandatum nisi gratuitum, nullum est. Nam originem ex offi- 27
cio atque a[illegible] trahit. Contrarium porrò est officio, merces. Interueniẽte enim pecunia, res ad locationem & conductionem potius respicit.

k L. si remunerandi. D. mand.
l L. salariũ D. mand. l. 1. §. vlt. C. mand.
m L. qui mutuã. §. salarium. D manda.
n dict. § salarium. & l. salarium. C. mand.
o L. 1. §. est enim. de var. & extr. cognit.
p §. 1 supr. de locat. & conduct.

¶ *Nisi gratuitum sit.*] Si quid tamen honoris & gratitudinis nomine vltro offeratur à man- 28
datore, accepti beneficij memore, honestè id accipiet mandatarius, neque id impediet mandati actionem [k]. & si quid eiusmodi certi salarij remunerationis causa promissum aut constitutum sit, peti poterit [l]. Sed vt constituatur, agi non poterit vllo iudicio [m]. cùm nec extra ordinem peti 29
posit salarium incertæ pollicitationis [n]. Sed quædam, & si inhonestè petantur, honestè tamen 30
accipiuntur [o].

¶ *Mercede constituta.*] Propter id scilicet quòd locari soleat, & ab eo accepta, qui operas suas locare soleat. Alioqui hic esset contractus innominatus, Facio vt des.

¶ *Neque promissa.*] Quòd si promissa fuerit, sed incerta: erit contractus innominatus, & competet præscriptis verbis actio, quemadmodum suprà docuit Iustinianus [p].

DE OBLIGATIONIBVS, QVAE QVASI EX contractu nascuntur, Tit. XXVII.



POST genera contractuum enumerata, dispiciamus etiam de ijs obligationibus, quæ quidem non propriè nasci ex contractu intelliguntur: sed tamen quia non ex maleficio substantiam capiunt, quasi ex contractu nasci videntur. Igitur cùm quis negotia absentis gesserit, vltro citroque inter eos nascuntur actiones, quæ appellantur Negotiorum gestorum. sed domino quidem rei gestæ aduersus eum, qui gessit, directa competit actio: negotiorum autem gestori, contraria. quas ex nullo contractu propriè nasci manifestum est: quippe ita nascuntur istæ actiones, si sine mandato quisque alienis negotijs gerendis se obtulerit. ex qua causa ij, quorum negotia gesta fuerint, etiam ignorantes obligantur. Idque vtilitatis causa receptum est: ne absentium, qui subita festinatione coacti, nulli demandata negotiorum suorum administratione, peregrè profecti essent, desererentur negotia. quæ sanè nemo curaturus esset, si de eo, quòd quis impendisset, nullam habiturus esset actionem. Sicut autem is, qui vtiliter gessit negotia, dominum habet obligatum Negotiorum gestorum: ita & contrà iste quoque tenetur, vt administrationis reddat rationem. quo casu ad exactissimam quisque diligẽtiam compellitur reddere rationem: nec sufficit talem diligentiam adhibere, qualem suis rebus adhibere solet: si modò alius diligentior eo commodius administraturus esset negotia.

Tutores quoq;, qui tutelæ iudicio tenentur, non propriè ex contractu obligati esse intelli-

intelligũtur(nullum enim negotium inter tutorem & pupillũ contrahitur) ſed quia ſanè non ex maleficio tenentur, quaſi ex contractu teneri videntur. Hoc autẽ caſu mutuæ ſunt actiones. Non tantùm enim pupillus cum tutore habet tutelæ actionem, ſed & contrà tutor cum pupillo habet contrarium tutelæ, ſi vel impenderit aliquid in rem pupilli, vel pro eo fuerit obligatus, aut rem ſuam creditoribus eius obligauerit.

Item ſi inter aliquos communis res ſit ſine ſocietate: veluti quòd pariter eis legata donatáve eſſet: & alter eorum alteri ideò teneatur Communi diuidundo iudicio, quòd ſolus fructus ex ea re perceperit, aut quòd ſocius eius ſolus in eam rem neceſſarias impenſas fecerit: non intelligitur ex contractu propriè obligatus eſſe, quippe nihil inter ſe contraxerunt. ſed quia ex maleficio non tenetur, quaſi ex contractu teneri videtur. Idem iuris eſt de eo, qui cohæredi Familiæ herciſcundæ iudicio ex his cauſis obligatus eſt.

Hæres quoque legatorum nomine non propriè ex contractu obligatus intelligitur (neque enim cum hærede, neque cum defuncto vllum negotium legatarius geſſiſſe propriè poteſt) & tamen quia ex maleficio non eſt obligatus: quaſi ex contractu debere intelligitur.

Item is, cui quis per errorem non debitum ſoluit, quaſi ex contractu debere videtur. Adeò enim non intelligitur propriè ex contractu obligatus eſſe, vt ſi certiorem rationem ſequamur, magis (vt ſuprà diximus) ex diſtractu quàm ex contractu poſſit dici obligatus eſſe. Nam qui ſoluendi animo pecuniam dat: in hoc dare videtur, vt diſtrahat potius negotium, quàm contrahat. Sed tamen perinde is, qui accipit, obligatur, ac ſi mutuum ei daretur. & ideò condictione tenetur.

Ex quibuſdam tamen cauſis repeti non poteſt, quod per errorem non debitum ſolutum ſit. ſic namque definierunt veteres, ex quibus cauſis inficiando lis creſcit, ex ijs cauſis non debitum ſolutum, repeti non poſſe: veluti ex Lege Aquilia, item ex legato. Quod veteres quidem in ijs legatis locum habere voluerunt, quæ certa conſtituta, per damnationem cuique legata fuerant. noſtra autem Conſtitutio, cum vnam naturam omnibus legatis & fideicommiſſis induſit, huiuſmodi augmentum in omnibus legatis & fideicommiſſis extendi voluit: ſed non omnibus legatarijs hoc præbuit, ſed tantummodo in ijs legatis & fideicommiſſis, quæ ſacroſanctis eccleſijs, & cæteris venerabilibus locis, quæ religionis & pietatis intuitu honorantur, relicta ſunt: quæ ſi indebita ſoluantur, non repetuntur.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 Ex vero contractu nemo obligatur niſi qui conſenſit: ſecus in quaſi contractu.
2 In iudicijs intelligimur quaſi contrahere.

1 N*On propriè naſci ex contractu.*] Nam ex vero contractu nemo obligatur, niſi qui conſenſit [a].
2 Hîc autem obligantur etiam ignorantes [b]. Et quanuis iudicia dicantur reddi in inuitum [c], tamen in ijs intelligimur quaſi contrahere [d].

a L.1.de pact.
b L.2.de nego.geſt.
c L.inter ſtipulantẽ. §.ſacram. de ver.obl.
d L.3 §.idem ſcribit. de pecul.

§. *Igitur.*

1.2.3 De negociorum geſtione; eiusq; cauſis efficiente & finali, num. 4. 5.
6 Verba illa, CVM QVIS, quomodo accipienda?
7 Quot modis dicatur alienum negocium geſtum?
8 Culpam videri, temerè ſeſe immiſcere negocio alieno: quatenus verum?
9 Directa naſcitur vtrinque actio, quoties par eſt vtriuſque in contractu ratio.
10 Quoties alterius cauſa potior eſt, hinc naſcitur directa, inde contraria.
11 Directa actio dicitur etiam principalis.
12. 13 Directa etiam dicitur ad differentiam vtilis actionis.
14 Quid, ſi eum propoſuiſſem tua negocia gerere, Titius mihi mandâras vt geram?
15 Sufficit ab initio vtiliter geſſiſſe.
16 Quod à pupillo, qui malè geſſit, conſequi non poſſumus negociorum geſtorum actione, conſequimur exceptione, ſummouendo agentem contrario iudicio.
17 Negociorum geſtor vbi leuiſſimam etiam culpam præſtet?
18 De caſu fortuito non tenetur vllus bonæ fidei geſtor.
19 Negociorum neglectorum nomine quis teneatur?

¶ *Igitur cum quis.*] Totus hic locus desumptus est ex responso Caij, cuius verba (quorum col-
latio multum lucis adferet) sunt hæc [a]: Si quis absentis negotia gesserit: si quidem ex mandato,
palàm est ex contractu nasci inter eos actiones mandati, quibus inuicem experiri possunt, de eo,
quod alterum alteri ex bona fide præstare oportet. Si verò sine mandato, placuit quidem sanè eos
inuicem obligari: eoque nomine proditæ sunt actiones, quas appellamus, NEGOTIORVM GE- 1
STORVM: quibus æquè inuicem experiri possunt, de eo, quod ex bona fide alterum alteri præsta-
re oportet: sed neque ex contractu, neq; ex maleficio hæ actiones nascuntur. Neque enim is qui
gessit, cum absente creditur antè contraxisse: neque vllum maleficium est, sine mandato suscipere
negotiorum administrationem. Longè magis is, cuius negotia gesta sunt, ignorans aut contra-
xisse, aut deliquisse intelligi non potest. Sed vtilitatis causa receptum est, inuicem eos obligari.
Ideò autem id ita receptum est, quia plerunque homines eo animo peregrè proficiscuntur, quasi
statim redituri: nec ob id vlli curam negotiorum suorum mandant: deinde nouis causis interue-
nientibus, ex necessitate diutius absunt, quorum negotia deperire iniquum est: quæ sanè deperi-
rent, si vel is, qui obtulisset se negotijs gerendis, nullam habiturus esset actionem de eo, quod vti-
liter de suo impendisset: vel is, cuius negotia gesta essent, aduersus eum, qui inuasisset negotia eius,
nullo iure agere posset. Hæc Caius. Eiusdem extat aliud responsum, quod refertur his verbis [b]: Si
quis absentis negotia gesserit, licet ignorantis: tamé quicquid vtiliter in rem eius impenderit, vel
etiam si se in rem absentis alicuius obligauerit: habet eo nomine actioné. Itaq; eo casu vltro citroq;
nascitur actio, quæ appellatur NEGOTIORVM GESTORVM. Sanè sicut æquum est, ipsum actus 2
sui rationem reddere, & eo nomine condemnari, quicquid vel non vt oportuit, gessit, vel ex his
negotijs retinet: ita ex diuerso iustum est, si vtiliter gessit, præstari ei, quicquid eo nomine vel abest
ei, vel abfuturum est. Vlpianus [c] quoque ait; fuisse hoc edictum necessarium: quoniam magna 3
vtilitas absentium versatur: ne indefensi rerum possessionem aut venditionem patiantur, vel pi-
gnoris distractionem, vel pœnæ committendæ actionem, vel iniuria rem suam amittant. Hæc plu-
ribus commemoro, vt ex collatione magis elucescat methodus huius loci, quo Iustinianus omnia
illa superiora breuiter complexus est. Nec sanè possumus hic satis mirari prudentiam Prætorum, 4
qui intelligentes eam esse hominum ingratitudinem, vt officij vltro præstati gratiam non temerè
soleant vltro referre, sed potius habeant ludibrio liberalem amici candorem: huiusque rei metum
qui neminem non deterreret ab humanitatis officijs, posse fraudi esse viris quoque bonis absen-
tibus, eo nomine destitutis spontaneo amicorum subsidio: grauiter edixerunt de negotijs gestis, 5
tum vt nos ad liberale & vltroneum officium magis inuitarent securos τῆς ἀμοιβῆς καὶ ἀζημίας. [re-
munerationis & impunitatis.] (vt nec pati solent vnquam proprium officium cuiquam esse da-
mnosum [d]) tum etiam vt simul absentibus consulerent, ne vel ijs interciperetur rei bene gestæ
fructus, vel sanè periclitarentur insidiosa damnosaque alterius sese huc temerè ingerentis sedu-
litate. ¶ *Cum quis.*] Inquit Vlpianus [e]; Hæc verba, SI QVIS, sic sunt accipienda. SIVE QVÆ. Nam 6
& mulieres negotiorum gestorum agere posse, & conueniri non dubitatur. Certè & mandatum
alieni negotij procurandi administrandive extra iudicia, posse eas suscipere constat [f].

¶ *Negotia.*] Inquit idem Vlpianus, Negotia sic accipere debemus, siue vnum, siue plura. ¶ *Ab-
sentis.*] Vel etiam præsentis, sed non mandantis. Prætor in suo edicto simpliciter ait, NEGOTIA
ALTERIVS. Aliena autem negotia multifariam hîc accipiuntur. Primùm enim re ipsa dicitur a- 7
lienum negotium gestum, cùm quid omnino in rem alterius factum est. Sed & si ad eum tantùm
pertinebat negotij gesti cura & administratio, dicetur eius negotium gestum. Postremò & nego-
tium alienum intelligetur, vel solius ratihabitionis nomine: vt cùm ratum habes, quòd tuo no-
mine gessi, etiamsi alioqui nihil id ad re pertinebat.

¶ *Gesserit.*] Vel aliqua necessitate vrgente, vel etiam sponte [g], quia fauebat absenti, & huma-
niter cum Papiniano [h] iudicabat, hominis interesse hominem beneficio afficere. ne quis hic odio-
se ingerat: culpam videri, temerè sese immiscere negotio ad se non pertinenti: quod quidem iure 8
traditum [i] est, sed alio sensu. Sanè verum est, eum duntaxat præstare solum dolum, qui bona affe-
ctione ductus obtulit se negotijs alienis [k], quæ scilicet videbat alioqui ab omnibus deserta esse, o-
mnique cura destituta: vt qualecunque sit, quod bona fide præstitit, officium, debeat esse domino
gratum: eique par est sufficere, si vel in paucis amici labore adiuuetur [l].

¶ *Directa competit actio.*] Frequens est apud nostros Iurisconsultos mentio actionis directæ &
contrariæ. Quoties igitur par est vtriusque ratio in contractu, vtrinque nascitur directa. Quoties 9
verò potior est alterius causa, hîc nascitur directa, inde contraria. In contractu emptionis & ven- 10
ditionis, vtriusque causa par est. Perinde enim interest emptoris habere rem, ac venditoris ha-
bere precium. Ideò mutuæ nascuntur actiones directæ. Eadem obtinent in locato & conducto.
Item in societate. at non idem est in commodato, deposito, aut mandato. Potior enim causa est
commodantis, deponentis, aut mandantis. Sed & licet pignus tum debitoris, tum creditoris gra-
tia detur, tamen quia proficiscitur à debitore res ipsa, qua obligatio contrahitur, eiusque, vtpote
domini, plusculum interfit: datur ei directa actio: creditori contraria. Eadem obseruare licet in
negotijs gestis. Porrò quam hîc dicimus directam actionem, interdum etiam dicitur Principa- 11
lis [m]. Dici autem etiam directam ad differentiam eius quæ vtilis appellatur, satis constat. Et qui-
dem cùm negocium vltro gestum est, & re ipsa & eius ipsius, contra quem agitur, contemplatio- 12
ne directam dari dicimus, ipsis nempe verbis edicti palam comprehensam ac velut apertè descri-
ptam. Si non sponte negocium gestum sit, sed vel necessitate vrgente vel necessitatis opinione, 13
dari

a L. ex maleficijs. §. 1. de act. & obliga.
b L. 2. de nego. gest.
c L. 1. D. illo tit.
d L. 2. de admi. tut. l. si quis ex signatoribus. D. quem. testa. aper.
e L. 3. De nego. gest.
f L. idemq. §. si cui. D. mand. l. sed & si quu. §. parui. de instit. act.
g L. 3. §. hac actione. de nego. gest.
h L. seruum ea lege. in fi. de ser. expor.
i L. culpa. de reg. iur.
k dic. l. 3. §. interdū.
l L. tutori. C. de neg. gest.
m L. in commodato. §. 1. D. commo.

dari tamen actionem ait Vlpianus [a]: Sed ea vtilis est. Sic & si cùm putarem id te mihi mandâsse,
negocium tuum gesserim [b]. Præterea si re ipsa tantùm sit gestum, non etiam contemplatione eius,
contra quem agitur, non nisi vtilis datur. Si pupilli tui negocia gessero, non mandato tuo, sed ne
tutelæ iudicio tenearis: & te mihi obligari, & pupillum, saltem locupletiorem, responsum est [c]. Sed
aduersum te dari directam actionem Nego. gest. vtilem verò aduersus pupillum, satis intelligi-
mus. Et cùm posthumo tutor datus esset, neque posthumus natus esset: ei qui negocia gessit,
non nisi vtilis dari potest aduersus substitutum aut hæredem ab intestato [d]. ¶ *Siue Mandato.*] Sal-
tem illius, cuius sunt negotia gesta. Nam si quis alius mandârit, nihilominus dabitur negotiorum
gestorum actio. Id quod tractatur à Marcello [e], sed obscurius. Nos paucis axiomatibus possumus
14 eam rem explicare. Primò; Si cùm proposuissem tua negotia gerere, Titius mihi mandauerit, vt
geram: inter me & te erit actio negotiorum gestorum: inter me verò & Titium, mandati. Secun-
dò; Si cùm non proposuissem tua gerere negotia, Titius mihi mandârit vt geram: inter me & Ti-
tium erit actio mandati: inter te & Titium, negotiorum gestorum, si modo ille tuus procurator
non fuerit. Nam alioqui erit actio mandati. Inter me verò & te nulla erit actio, nisi gesserim con-
templatione tui, & in tuam omnino gratiam [f]. Tertiò, Si mihi mandâris vt geram negotia tua, &
ego non tua tantùm, sed etiam Titij ignorans gesserim: si quidem eius Titij tutela vel cura ad te
pertineat, vtriusque negotij gesti nomine, erit inter nos actio mandati, sicuti esset negotiorum ge-
15 storum, si sine mandato gessissem [g]. ¶ *Qui vtiliter gessit.*] Saltem ab initio. Neque enim quic-
quam præstat, si bono initio minus respondeat successus, & vtilem conatum destituat frustretur-
que fortuna [h].

¶ *Dominum habet obligatum.*] Nempe vbi non apparet hunc, qui gessit, habuisse animum do-
nandi [i]: cuiusmodi animum facilè colligeremus vel ex paterna pietate [k], vel maritali affectione [l].
Certè & si libertus aliquid in negotia patroni impenderit, debito magis obsequio, quàm repeten-
di animo: non habebit patronũ obligatũ [m]. Præterea meminisse debemos, hic non obligari pupil-
lum nisi quatenus fuerit factus locupletior ex negocio gesto [n]. Idque non modò vbi negotia eius
16 gesta sunt, sed & vbi ipse gessit [o]. Verùm quod negotiorum gestorum actione à pupillo, qui ma-
lè gessit, consequi non possumus: consequemur exceptione, summouendo agentem contrario iu-
dicio [p]. Nec id in iure nostro nouum est. Sic enim & vbi cum filiofa. contracta est societas, agitque
pater: nos seruare possumus solidum per compensationem, quamuis si ageremus ipsi, duntaxat
de peculio actio daretur [a]. Illud postremò constat, non obligari eum, cuius inuiti & repugnantis
negotia gesta sint, licet sint vtiliter gesta [b]. Sicuti & eum, qui pro inuito fideiusserit, neque manda-
ti actionem habere neque negoc. gest. significat Vlpianus, comparans eum cum illo, qui donandi
animo fideiubet [c]. ¶ *Administrationis reddat rationem.*] Apud Caium est; Actus sui reddat rationem.
Et quod de negotiorum gestore hîc dicitur, habet locum & in procuratore, vt tradit alio loco i-
17 dem Caius [d]. ¶ *Ad exactissimam diligentiam.*] Negotiorum gestorum: si quidem alteri diligentiori
gerere volenti, noluerit cedere, præstat dolum & culpam leuem [e], atque etiam leuissimam. Quod
si officio spontaneo sese obtulerit alienis negotijs, alioqui desertis: solum dolum præstabit, sicuti
18 iam suprà diximus. De casu autem fortuito non tenetur vllus bonæ fidei gestor, nisi vltro suscepe-
rit eius periculum, aut ipse fuerit prius in culpa [f]. Et hæc quidẽ de gestis negotijs dicimus. Negle-
19 ctorum autem nomine tenetur, postquam suscepit geréda, & temerè neglexit, quod alius gesturus
erat, qui gerentis contemplatione non accessit [g].

a L. 3. §. pen. de neg. gest.
b L. 5. D. hoc tit.
c dic. l. 5. §. si pupillo.
d L. pen. de tutel. & rat. distrah. l. cum pater. de nego. gest.
e dic. l. 3. §. vlt.
f L. nam & seruus. in fi. l. item si. §. nam & si cui. l. si quis mandato de nego. gest. l. si mandatum. C. illo tit.
g L. liberto. §. 1. D. illo tit.
h L. sed an vltro. §. 1. D. illo tit.
i L. sed videamus. D. illo tit.
k L. si paterno. l. alimẽta. C. illo. tit. l. quæ pater filio. D. famil. ercisc.
l L. quod in vxorem. C. de nego. gest.
m L. officio. C. illo tit.
n L. si pupilli. D. illo tit.
o L. 3. §. pupillus. D. illo tit.
p dic. l. pupillus.
a L. si cum filiofa. de compensat.
b L. 7. §. vlt. de neg. gest. l. vlt. C. eod.
c L. 6. §. si passus. Mand.
d L. qui proprio. §. procurator. de procu.
e L. tutori. C. de neg. gest.
f L. debitor. l. siue hæreditaria. de nego. gest.
g L. pupilli. §. videamus. D. illo tit.

§. *Tutores quoque.*

1 Tutelæ administratio, secunda quasi contractus species est.
2 Hinc actio tutelæ nascitur, tum directa tum contraria.
3 De protutoribus; & de protutela, item rationum distrahendarum actione, num. 4. 5.
6 De stipulatione, rem pupilli saluam fore.
7 Quid, si tutor in rem pupilli plus impenderit quàm est in facultatibus?

¶ *Tutores quoque.*] Hic quoque locus sumptus est ex responso eiusdem Caij, cuius verba [h] sunt
1 hæc; Tutelæ quoque iudicio, qui tenetur: non propriè ex contractu obligati intelligitur. nullum
enim negotium inter tutorem & pupillum contrahitur: sed quia sanè non ex maleficio tenentur,
quasi ex contractu videntur teneri. Et hoc casu duæ sunt actiones. nõ tantùm enim pupillus cum
2 tutore, sed & contrà, tutor cum pupillo habet actionem, si vel impenderit aliquid in rem pupilli,
3 vel pro eo fuerit obligatus, aut rem suam creditori eius obligauerit. ¶ *Tutores.*] Idem & de pro-
tutoribus, qui Protutelæ quoque iudicio tenentur, & præstare debent eam fidem ac diligentiam,
quam veri [i] tutores. E diuerso autem habent ipsi quoque contrarium Protutelæ iudicium, si quid
in rem pupilli bona fide impenderint de suo [k].

¶ *Tutelæ iudicio.*] Est aliud iudicium, quo tenentur tutores, idque in duplum, nempe, Ratio-
4 num distrahendarum, si quid de bonis pupilli interuerterint. Sed huc non pertinet, cùm oriatur
ex delicto. Et nos alibi plura diximus de iudicijs, quibus tutores tenentur [l]. ¶ *Tenentur.*] Iusti-
nianus alio loco addit, Post pubertatem: vt ostenderet huic iudicio non esse locum ante finitam
tutelam. Quanquam sanè aliud sit de Protutelæ iudicio [m].

h L. ex maleficijs. §. tutelæ. de act. & obli.
i L. qui pro tutore. de eo qui protut.
k L. vlt. D. illo tit. l. 1. §. hæc actio. de contrar. & vti. act. tute.
l §. vlt. sup. de Atil. tut.
m L. 1. §. cum eo. de eo qui protut.

¶ Nullum

Nullum enim negotium.] Saltem quod pertineat ad iudicium tutelæ, de quo hic agitur. Cæte- 6
rùm negat contrahi aliud negotium inter pupillum & tutorem, nempe ex stipulatione, Rem
pupilli saluam fore. ¶ *Mutuæ sunt actiones.*] Hoc est, Duæ esse possunt actiones: non tamen semper
sunt. Sæpe enim accidit, vt non sit ab altera parte actio. Vnde Vlpianus loquens de contrario tu-
telæ iudicio, quod tutori datur, inquit [a]; Hanc actionem dandam placet, & si tutelæ iudicio non
agatur. Etenim nonnunquam pupillus idcirco agere tutelæ non vult, quia nihil ei debetur: imò
plus in eum impensum est, quàm ei abest.

a L. 1. §. vlt. de contra. & vti. act. tut.

¶ *Aliquid in rem pupilli.*] Quid si plus impenderit, quàm est in facultatibus? Simpliciter respon- 7
dit Labeo; posse id eum consequi. Quod putauit Vlpianus [b] sic accipiendum, si expediat pupillo
ita tutelam administrari. Cæterùm si non expedit, pupillum absolui oportere. Neque enim in hoc
tutelas administrari, vt mergantur pupilli. Verùm semper hic meminerimus, satis esse, bene & di-
ligenter tutorem negotia gerere, etiam si fortè euentum aduersum habeat quod gestum est [c].

b L. 3. D. illo tit.
c dic. l. 3. §. sufficit.

¶ *Vel pro eo fuerit obligatus.*] Inquit Paulus [d]; Si tutor pro pupillo se obligauit: habet contrari-
am actionem, etiam antequam soluat. quasi nihilominus id ei absit, cuius nomine obligatus est [e].

d L. vlt. D. illo tit.
e L. 1. & 2. l. si quis mand. ite. de neg. gest. l. si mandato. D. mād.

¶ *Creditoribus eius.*] Ipsi autem pupillo semper intelliguntur tacitè obligatæ res tutoris pro 8
officio [f]. Sed id nihil ad hunc locum.

f L. pro officio. C. de admi. tut.

§. Item si inter.

1 *Sine societate communis res est inter eos, quibus eadem res testamento legata est.*
2 *Communi diuidundo iudicium vbi detur?*
3 *De impensis factis in reparandis ædificijs cōmunibus.*
4 *De obligatione finium regundorum.*

¶ *Sine societate.*] Hoc est, sine animo & conuentione societatis ineundæ: quæ vbi nominatim
esset inita & contracta, eius obligatio referenda esset inter eas, quæ propriè nascuntur ex contra- 1
ctu. tametsi & tum quoque agi posit Communi diuidundo [g]. ¶ *Veluti quod pariter.*] Videtur hoc 1
exemplum sumptum ex Caio, qui ait [h]; sine societate communem rem esse inter eos, quibus ea-
dem res testamento legata est. Et addit e diuerso; Cum societate rem communem esse inter eos,
qui pariter eandem rem emerunt. Quod accipiendum est, vbi emptores habuerunt animum so-
cietatis ineundæ. Nam alioqui nulla inter eos hoc solo nomine contraheretur societas [i]. ¶ *Quod
solus fructus perceperit.*] Iustinianus in his iudicijs non meminit rei principalis, sed accessionum
tantùm, veluti fructuum & impensarum: quia scilicet tum demum quasi ex contractu nasci in-
telligantur. Nam quòd attinet ad ipsam rem principalem, cùm de eius diuisione agitur, videtur
hoc iudicium nasci ex consensu, nempe volentium à communione discedere. Datur autem iudi- 2
cium Communi diuidundo, non modò vbi agitur de diuisione ipsarum rerum communium,
sed & si quid eo nomine abest alicui sociorum, aut ad eum peruenerit ex re communi [k].

g L. 2. D. commu. diuidun.
h dic. l. 2.
i L. vt fr. D pro soc. l. cum propon. C. illo tit.
k L. 3. D. cōm. diuid.

¶ *Necessarias impensas.*] Quæ si factæ fuerint in reparandis ædificijs communibus, quæ sarta te- 3
cta seruari etiam Reip. interest: nisi socius iustam earum partem cum vsuris centesimis intra qua-
tuor menses restituat, portionis suæ dominio cadet, quæ adijcietur alteri impendiorum nomine [l]:
nisi maluerit persequi potius quod sua interest. ¶ *Idem iuris est.*] Vt nempe ex similibus accessio-
num causis, quasi ex contractu nascatur obligatio: de cuius actione nos suo loco plura dicemus. Il-
lud verò hìc sciendum est; posse superioribus adijci obligationem finium regundorum, quatenus 4
complectitur personales præstationes [m].

l L. si cum duobus. §. idem respōdit Socius. D. pro soc. l. si vt propon. C. de ædifi. pri.
m L. 1. & 3. D. fini. reg.

§. Hæres quoque.

1 *Quarta species quasi contractus est aditio hæreditatis.*
2 *Ex hoc quasi contractu datur actio personalis ex testamento.*

¶ *Hæres quoq.*] Sic & Caius [n], Hæres quoque qui legatum debet, neque ex contractu, neque
ex maleficio obligatus esse intelligitur. nam neque cū defuncto, neq; cū hærede contraxisse quic-
quam legatarius intelligitur. Maleficium quoque nullum in ea re esse, plusquam manifestum est.
Ex his Caij verbis sequitur, quasi ex contractu hæredem obligari. Et Vlpianus ait; eum qui adit 1
hæreditatem, videri contrahere [o]. ¶ *Debere intelligitur.*] Qua ratione conuenietur actione perso- 2
nali ex testamento.

n L. ex maleficijs. §. hæres quoque. de act. & obli.
o L. apud Iulianum. §. vlt. D. quib. ex cau. in poss. eat.

§. Item is cui. cum §. sequenti fin.

1 *Quinta species quasi contractus est solutio indebiti.*
2 *Condictio indebiti ex bono & æquo introducta est.*
3 *Indebitum cur supra relatum sit inter contractus qui re contrahuntur?*
4 *Singulare ius exceptionum singulares causas desiderat.*
5, 12 *Quæ per inficiationem in lite crescunt, ab ignorante etiam indebita soluta repeti non posse.*

11 Legatum

6 Durum est, obesse iustum errorem soluenti.
7 Cessat Lex Aquilia; si quis falso confessus sit, damnum se dedisse, quod reuera nullum datum erat.
8. 9. 10 Quid, si legatum ad pias causas per errorem soluerim?
11 Legatum indebitum per errorem facti solutum, repeti posse.
12 Legata ad pias causas non modo ex inficiatione, sed etiam ex mora solutionis duplicantur.

¶ *Item is.*] Et hic rursus locus descriptus est ex Caio, cuius verba (quorum erit vtilis collatio) de more ascribam: Is quoque qui non debitum accepit, per errorem soluentibus * obligatur quidem quasi ex mutuidatione: & eâdem actione tenetur, qua debitores creditoribus, sed
1 non potest intelligi is, qui ex ea causâ tenetur, contractu obligatus esse. Qui enim soluit per errorem, magis distrahendæ obligationis animo quàm contrahendæ dare videtur. His Caij verbis conuenit quod Pomponius ait [a]; plerunque accidere, vt extra id quod agitur, tacita obligatio nascatur veluti cum per errorem indebitum soluendi causa datur. ¶ *Quasi ex contractu.*] Qui quidem intelligitur re fieri: quia qui soluit indebitum, hoc ipso gerit aliquid negocij [b]. Et hanc tacitam rationem obligationis adiuuat æquitas, ne quis alioqui locupletetur cum alterius iniuria.
2 Rectè itaque Papinianus loquens de hac indebiti condictione respondit [c]: Hæc condictio ex bono & æquo introducta est: quia quod alterius apud alterum sine causa deprehenditur, reuocari consueuit. Sanè si quis sic soluerit, vt si apparuerit esse indebitum, reddatur, Vlpianus ait [d], repetitionem locum habere. negocium enim contractum esse inter eos. Intelligit autem eo casu in factum actionem præscriptis verbis competere, eamque cum condictione concurrere, quia non nudum pactum fuerit, sed certum cum re negocium, idque non tantum distrahendæ, sed etiam
3 contrahendæ obligationis causâ. ¶ *Vt suprà diximus.*] Dixit supra [e] Iustinianus; Eum, qui non debitum accepit, re obligari. Deinde subiecit; Sed hæc species obligationis non videtur ex contractu consistere: cùm is, qui soluendi animo dat, magis voluerit negocium distrahere, quàm contrahere. Reliqua de hac condictione inde repetenda sunt.

¶ *Ex quibusdam tamen.*] Quæ hîc subijcitur appendix, solùm pertinet ad exceptionem superioris exempli in duobus casibus: quos dum proponit Iustinianus, velim rationem vtriusque paulo
4 diligentius explicuisset. Omnino enim exceptionum ius singulare desiderat iustas & peculiares causas, quas nos vix reddere possumus, nisi multa cōminiscamur, vt fit in re dubia. Iustinianus proponit hoc loco duas singulares exceptiones: quarum alteram sumpsisse videtur ex quodam Diocletiani Maximianiq; rescripto [f]. Sic enim ij rescripserunt, Certissimi iuris esse; ea, quæ per inficia-
5 tionem in lite crescunt, ab ignorante etiam indebita soluta repeti non posse. Constat quòd in vniuersum Paulus respondit [g]; Quod transactionis nomine datur, licet res nulla media fuerit, non repeti. Nam si lis fuerit, hoc ipsum quòd a lite disceditur, causam videri esse: quanquam si euidens calumnia deregitur, & transactio imperfecta sit, repetitio detur. Quod igitur iustæ transactionis causâ lite mota datum erit, licet alioqui nihil ab eo, contra quem agebatur, debitum esset, non repetetur tanquam indebitum. Sed neque alium verum debitorem liberat [h]. tantum abest, vt ab eo quicquam repetere possit. At Iustinianus casum nonnihil diuersum hic proponere videtur, vbi quis nondum lite mota, damnum, quòd verè datum erat, vltro præstitit, existimans se dedisse, nec volens ex temeraria inficiatione subire dupli periculum. hic quominus ex suo errore agat aduersus eum, qui sibi debitum recepit, impeditur, quòd videatur quodammodo transegisse, ne inficiatus subijceretur periculo dupli. Sed ne causetur sibi iniuriam fieri, non negamus ei actionem dari,
6 vt quod soluit, ab eo, qui verè damnum dederat, repetat [i]. Quod si hîc reuera nullum damnum fu-
7 isset datum: durius esset, iustum errorem obesse soluenti, autem, qui accepit, esse in lucro cum alterius damno. Satis enim constat [k]; cessare Legem Aquiliam; si quis falso confessus sit damnum se
8 dedisse, quod reuera nullum datum erat. Eiusdem generis existimo esse alterum casum, quem hîc Iustinianus proponit. Legatū fuit aliquid ad pias causas. Ego existimans me hæredem, nec temerè volens ex inficiatione subijci periculo dupli, vltro solui. Postea intelligens me hæredem non es-
9 se, volo repetere quod per errorem solui. Hîc traditur me non posse: presertim si is qui acceperit, verè sibi debitum acceperit, nitaturq; fauore piæ causæ: & ego qui dedi, videar quodammodo transegisse: ac tamen ne sim in damno, habeam actionem aduersus eum, qui verè debebat legatum.
10 Hæc omnia nemo non iudicârit æquissima. Sed si non agnoscas hîc vllum verè debitum fuisse legatum, non video quis tandem iustus erit religionis pretextus ad impediendam repetitionem, & vt aliquem cum alterius iniuria locupletes. Scio equidē, quòd respondit Iulianus [l]; Quicquid dotis nomine quis dederit, credens se pro dote obligatum, non repeti. quia sublata falsa opinione relinquatur causa pietatis, ex qua solutum repeti non possit. Sed nescio, an æquè iusta sit ratio pietatis in ecclesijs ditandis, quæ est in filiabus dotandis. Certè hilarem datorem diligit Deus, inquit D. Paulus: nec vult prætextu religionis dominos inuitos rebus suis fraudari, aut ignorantes, & qui nullum piæ donationis habent affectum, circumueniri. Pium est sanè tueri & augere prouentus ecclesiasticos, quibus veri ministri Euangelij alantur, & sustineantur prochotrophia: Sed ne id fiat inhonesto & inciuili astu cum iniuria & detrimento alterius per errorem decepti. Posset quidem facilè tribui fauori piæ causæ, vt legatum quoquomodo relictum, si vltrò soluatur, quod non poterat iudicio exigi, solutum repeti non possit: quanquam alioqui rescriptum sit [m];
11 Legatum indebitum per errorem facti solutum repeti posse. Sed non videtur Iustinianus, hîc agere de legato, quod vllo modo aut relictum esset, aut deberetur ab eo, qui soluit. Verùm sequatur quisque quod volet: ego quod mihi videbatur æquissimum, exposui.

¶ Sic

* *aliâs soluentibus*
a *L. si is qui. §. vlti. D. commo.*
b *L. si in area. de condict. indebi.*
c *L. pen. de cond. indeb.*
d *L. 2. de cond. ind.*
e *§. is quoq. sup. quib. mod. re cont. oblig.*
f *L. 4. C. de cond. indeb.*
g *L. in summa. de con. ind.*
h *L. nec intentio. C. de trans.*
i *L. qui seruum. de interrog. actionib.*
k *L. vnde Neratius. §. vlti. cum le. seq. D. ad le. Aqui.*
l *L. eum [illegible] philum. § si in ea opinione. de condic. indeb.*
m *L. fideicommissum. C. de condict. indebi.*

¶ *Sic enim definierunt veteres.*] Extat quædam huius rei definitio in rescripto Diocletiani & Maximiani, his verbis [a]: Ea quę per inficiationem in lite crescunt, ab ignorante etiam indebita soluta repeti non posse, certissimi iuris est. Sed & si cautio indebitæ pecuniæ ex eadem causa interponatur, condictioni locum non esse constat. ¶ *Nostra Constitutio.*] Quæ scilicet priscas legandi formulas simulque differentias legatorum & fideicommissorum sustulit: extatque adhuc libro sexto Codicis [b]: & nos suprà suo loco eius meminimus. ¶ *Huiusmodi augmentum in omnibus legatis.*] Hoc est, in omnibus legandi modis & formulis, modò pia sit legandi causa. Nam & ea vna est, propter quam hæc legata non modò duplicantur ex inficiatione, sed etiam ex sola mora differentis soluere, donec à magistratu compellatur, vti postea docet Iustinianus [c].

a l. ea quæ. C. decōd. ind.
b L. 2. C. commu. de lega.
c §. item mixta. §. sed furti. infr. de act.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Illius in libro II. supra tituli IX. & huius XXVIII. differentia quæ?
2 Dominia rerum per procuratorem etiam acquiruntur; non item obligationes.



T libro superiori, cùm de acquirendo rerum dominio ageretur, adiecit postremo loco Iustinianus, per quas personas id nobis acquiri posset: sic & hoc loco postquam de obligationibus disseruit, aptè subijcit, per quas personas eæ nobis acquirantur. Illud verò admonendi sumus, vel hoc solo nomine inter hosce duos titulos interesse; quòd etiam per procuratorem nobis acquirantur rerum dominia: non item obligationes [d], quæ magis adhærent personæ ipsius acquirentis. Vnde traditum est, per liberum hominem nobis non acquiri actionem, nisi ea cedatur [e]. Hocque discrimen vel ex eo poterat colligi, quòd hîc nulla fiat mentio procuratoris: cuius tamen disertè meminit Iustinianus, vbi agit; per quas personas nobis acquirantur rerum dominia.

d L. 1. C. per quas pers. no. acquir. L. possessio quoque. §. possessio. de acquir.
e L. solutam. §. per liberam. de pign. act.

PER QVAS PERSONAS NOBIS OBLIGAtio adquiritur. Titulus XXVIII.



XPOSITIS generibus obligationum, quæ ex contractu, vel quasi ex contractu nascuntur: admonendi sumus adquiri nobis non solùm per nosmetipsos, sed per eas quoque personas, quæ in nostra potestate sunt, veluti per seruos & filios nostros. vt tamen quod per seruos nostros nobis adquiritur, totum nostrum fiat: quod autem per liberos, quos in potestate habemus, ex obligatione fuerit adquisitum: hoc diuidatur secundum imaginem rerum proprietatis & vsusfructus, quam nostra decreuit Constitutio. vt quod ab actione commodum perueniat, huius vsumfructum quidem habeat pater: proprietas autem filio seruetur, scilicet patre actionem mouente secundum Nouellæ nostræ Constitutionis diuisionem.

Item per liberos homines, & alienos seruos, quos bona fide possidemus, adquiritur nobis: sed tantùm ex duabus causis, id est, si quid ex operis suis vel ex re nostra adquirant. Per eum quoque seruum, in quo vsumfructum vel vsum habemus, similiter ex duabus istis causis nobis adquiritur. Communem seruum pro dominica parte dominis adquirere certum est: excepto eo, quòd nominatim vni stipulando, aut per traditionem accipiendo, illi soli adquirit: veluti cum ita stipulatur, TITIO DOMINO MEO DARE SPONDES? Sed si domini vnius iussu seruus fuerit stipulatus, licet antea dubitabatur: tamen post nostram decisionem res expedita est, vt illi tantùm adquirat, qui hoc ei facere iussit, vt supra dictum est.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 Tituli huius continuatio.
2 De modis obligationum dissoluendarum.
3 De pluribus modis, quibus obligationum vis retunditur, dictum infra in titulo de Exceptionibus.

T*otum nostrum fiat.*] Sic videlicet, vt nihil imminuere possit, vel is, qui nobis per seruum acquiritur [f]: vel seruus ipse, cùm nihil sibi possit possidere, nisi fortasis aliquid peculij domino permittente. ¶ *Hoc diuidatur.*] Olim quicquid acquirebat filiusfa. in solidum patris erat. Sed postea Iustinia-

f L. nec seruus. de pecul.

2 ea Iustinianus statuit, hoc ius tantùm patri tribui, in bona filijfa. profectitia. In Castrensia vel
3 quasi castrensia, nihil iuris eum habere voluit. Aduentitiorum autem solum vsumfr. vt suprà satis dictum est [a]. Nunc ad exemplum bonotum aduentitiotum diuidit Iustinianus emolumentum obligationis per filiumfa. contractæ, saltem ex alia quàm castrensi vel quasi castrensi causa.

¶ *Secundum nouella nostra Constitutionis diuisionem.*] Verba huius Constiturionis sunt hæc [b]; Pater suscipiat actiones, & moueat, cuiuscunque ætatis filius inueniatur. adhibeatur autem eriam filiorũ consensus, nisi adhuc in prima ætate sunt constituri, vel lougè absunt: sumptibus videlicet à patre propter rerum incrementa faciendis. Cùm enim nuda proprietas apud filium inueniatur, ex qua substantia possibile est eum sumptus litis dependere? Hæc Iustinianus. Ne autem miremur, filiofa. adimi directum exercitium actionum; meminerimus idem quoque veteri iure fuisse constitutum. quanquam semper ex æquo & bono consultum sit filiofa. vbi iustum erat eum admitti ad actionem [c]. hocque iudicium Vlpianus adpellat extraordinarium [d], & vtilem [e]. Porrò autem cùm hic pater mouebit actiones ex obligatione per filiumfa. contracta: id faciet tanquam legitimus administrator bonotum filijfa. sed hoc nomine plus iuris habet, quàm si tutor esset filij sui emancipati.

a §. 1. supr. per quas perso. cuiq. acquir.
b L. vlt. §. vbi autē. C. de bo. quæ libe.
c L. in factum. de act. & obligat.
d L. cum filiusfa. D. si cert. peta. cond.
e L. si longius. §. 1. de iudic.

§. *Item per liberos. cum seq. fin.*

1 Ex operis serui vsuarij nobis an acquiratur?
2 Seruum communem pro dominij portione cuique acquirit, fallit numero tertio & quarto.

1 ¶ *Item per.*] Totum hunc locum Iustinianus suprà pluribus explicuit [f].

¶ *Vel vsum.*] Sed videtur, ex operis serui vsuarij nihil nobis acquiri, cùm eas ipsi locare non possimus [g]. Respondet Theophilus; Ipsum saltem seruum posse suas alij operas locare. quanquam etiam aliter ex operis serui vsuarij nobis acquiti possit; nempe ex ijs, quas in cultu agrotum nostrotum præstabit.

2 ¶ *Certum est.*] Et suprà quoque perspicuè traditum, his verbis [h]; Seruus communis stipulando vnicuique dominotum proportione dominij acquirit: nisi iussu vnius eorum, aut nominatim alicui eotum stipulatus est: tunc enim soli ei acquiritur.

3 ¶ *Excepto eo.*] Possumus & illud quoque excipere: Si seruus, expressis nominibus proprijs do-
4 minotum, stipuletur: non pro dominica parte, sed pro virili ijs acquirere [i]. Quod & in substitutionibus obseruatur [k].

¶ *Post nostram decisionem.*] Extat hæc adhuc Iustiniani decisio [l], quæ duos casus complectitur. Nam posteaquã definijt seruum etiam simpliciter stipulatum, illi soli acquirere, qui nominatim sibi iussit eum stipulari: addit, Quod si ab vno dominorum simpliciter iussus sit stipulari, & simpliciter quoque stipulatus sit, nullo dominorum specialiter nominato: soli nihilominus iubenti acquiri. sed si vnius nomen expresserit, siue iubentis, siue alterius domini: ei soli, qui nominatus est, acquiri.

f §. de ijs autem. supr. per quas perso. cuique acq.
g L. per seruum. de vsu & habit.
h §. seruus communis. sup. de stip. seruor.
i L. si seruus communis ita stipuletur. de stipul. seruor.
k L. nonnunquam. D. ad Sen. Treb.
l L. vlti. C. per quas perso. no. acq.

IN SEQVENTEM TITVLVM

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Tituli huius continuatio.
2 De modis obligationum dissoluendarum.
3 De pluribus modis, quibus obligationum vis retunditur, dictum infra in titulo de exceptionibus.

1 *IVSTINIANVS naturalem methodum ordinemque docendi secutus, tandem post explicatos contrahendarum obligationum modos, subnectit rationes earundem dissoluendarum: non ignorans naturale esse, vnumquodque dissolui, prout contractum*
2 *est [m]. Enumerat autem hoc titulo quatuor modos dissoluendarum obligationum, nempe; Solutionem eius quod debetur, Acceptilationem, Nouationem & Consensum volentium recedere ab eo contractu, qui solo consensu constabat. nos præterea possumus adijcere, Interitum speciei debitæ, per quem tollitur obligatio, si nec in mora, nec in culpa fuerit debitor [n]. Postremò & ipsam rationem confundendæ obligationis, vt cùm creditor debitori hæres exti-*
3 *tit [o]. Sunt & alij modi, per quos retunditur vis obligationis summo alioqui iure consistentis: sed de ijs agemus in tractatu exceptionum.*

m L. prout. de solut. l. nihil tam naturale. de reg. iur.
n L. quod te. D. si cert. pet. cond. l. si ex legati causa. de verb. oblig.
o L. si debitori creditor. de fideiuss.

QVIBVS MODIS TOLLITVR OBLIGAtio, Titulus XXIX.



Tollitvr autem omnis obligatio solutione eius, quod debetur: vel si quis, consentiente creditore, aliud pro alio soluerit. Nec interest quis soluat: vtrùm ipse qui debet, an alius pro eo. liberatur enim & alio soluente: siue sciente, siue ignorante debitore, vel inuito eo solutio fiat. Item si reus soluerit: etiam ij qui pro eo interuenerunt, liberantur. Idem ex contrario contingit, si fideiussor soluerit. non enim ipse solus liberatur, sed etiam reus.

Item per acceptilationem tollitur obligatio. Est autem Acceptilatio, imaginaria solutio. Quod enim ex verborum obligatione Titio debetur, id si velit Titius remittere, poterit sic fieri, vt patiatur hæc verba debitorem dicere, QVOD EGO TIBI PROMISI, HABESNE ACCEPTVM? & Titius respondeat, HABEO. Sed & Græcè potest acceptilatio fieri: dummodo sic fiat, vt Latinis verbis solet exigi, ἔχεις λαβὼν δηνάρια τόσα; ἔχω λαβών. [habes acceptos tot denarios? habeo acceptos.] Quo genere (vt diximus) tantùm ex soluuntur obligationes, quæ ex verbis consistunt, non etiam cæteræ. Consentaneum enim visum est, verbis factam obligationem, alijs posse verbis dissolui. Sed & id quod alia ex causa debetur, potest in stipulationem deduci, & per acceptilationem dissolui. Sicut autem quod debetur, pro parte rectè soluitur, ita in parte debiti acceptilatio fieri potest. Est autem prodita stipulatio, quæ vulgò Aquiliana appellatur, per quam contingit, vt omnium rerum obligatio in stipulatum deducatur, & ea per acceptilationem tollatur. Stipulatio enim Aquiliana renouat omnes obligationes, & à Gallo Aquilio ita composita est; Quicquid te mihi ex quacúq; causa dare facere oportet, oportebitve, præsens in diémve, aut sub conditione, quarumcunque rerum mihi tecum actio est, quæque aduersus te petitio, vel aduersus te persecutio est eritve: quódve tu meum habes, tenes, possides, dolóve malo fecisti, quo minus possideas: quanti quæq; earum rerum res erit. tantam pecuniam dari stipulatus est Aulus Agerius, spopondit Numerius Nigidius. Quod Numerius Nigidius Aulo Agerio spopondit, id haberétne à se acceptum Numerius Nigidius Aulum Agerium rogauit: Aulus Agerius Numerio Nigidio acceptum fecit.

Præterea nouatione tollitur obligatio: veluti si id, quod tibi Seius debebat, à Titio dari stipulatus sis. Nam interuentu nouæ personæ, noua nascitur obligatio, & prima tollitur, translata in posteriorem: adeò vt interdum, licet posterior stipulatio inutilis sit, tamen prima nouationis iure tollatur: veluti si id, quod tu Titio debes, à pupillo sine tutoris autoritate stipulatus fuerit. quo casu res amittitur: nam & prior debitor liberatur, & posterior obligatio nulla est. Non idem iuris est, si à seruo quis stipulatus fuerit. nam tunc prior perinde obligatus manet, ac si postea nullus stipulatus fuisset. Sed si eadem persona sit, à qua postea stipuleris: ita demum nouatio fit, si quid in posteriore stipulatione noui sit: fortè si conditio, aut dies, aut fideiussor adijciatur, aut detrahatur. Quod autem diximus, si conditio adijciatur, nouationem fieri, sic intelligi oportet, vt ita dicamus factam nouationem, si conditio extiterit: alioqui si defecerit, durat prior obligatio. Sed cùm hoc quidem inter veteres constabat, tunc fieri nouationem, cùm nouandi animo in secundam obligationem itum fuerat: per hoc autem dubium erat, quando nouandi animo videretur hoc fieri, & quasdam de hoc præsumptiones alij in alijs casibus introducebant: ideò nostra processit Constitutio, quæ apertissimè definiuit; tunc solùm nouationem prioris obligationis fieri, quoties hoc ipsum inter contrahentes expressum fuerit, quòd propter nouationem prioris obligationis conuenerunt. alioqui & manere pristinam obligationem, & secundam ei accedere, vt maneat ex vtraque causa obligatio, secundum nostræ Constitutionis definitionem, quam licet ex ipsius lectione apertius cognoscere.

Hoc amplius, ex obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissoluuntur. Nam si Titius & Seius inter se consenserint, vt fundum Tusculanum emptum Seius haberet centum aureis: deinde re nondum sequuta, id est, neque pretio soluto, neque fundo tradito, placuerit inter eos, vt discederetur ab ea emptione & venditione; inuicem liberantur. Idem est in conductione & locatione, & in omnibus contractibus, qui ex consensu descendunt, sicut iam dictum est.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Sublata semel obligatio an redintegretur?*
2.3 *De obligationibus ex maleficijs.*
4 *Cum ipsa obligatione sublata tolluntur omnia simul ei appendentia.*
5 *Quid si, qui ex pluribus causis obligatus est, simpliciter soluat?*
6 *Solutionis verbum ad quamlibet liberationem pertinere; & quid hoc peculiariter loco significet? num. 7.*
8 *In iusta solutione quæ consideranda sint?*
9 *An aliud pro alio creditori inuito solui possit?*
10 *Necessitatis vbique ratio habenda est.*
11.12 *Interdum pro re debita, æstimatio eius boni consulenda est.*
13 *Quid, si creditor ab alio solutionem recipere nolit?*
14 *Prohibente nominatim creditore, non rectè alteri soluit debitor.*
15 *Secundus ædium conductor an domino primo locatori, rectè soluat?*
16 *Solui pro alio ignorante etiam & inuito cur possit?*
17.18 *Pro inuito præstitum officium non caret periculo.*

1 T*ollitur.*] Et semel sublata obligatio, non restituitur aut redintegratur [a]. quanquam confusa
per successionem, restituatur, vbi cessârit confusionis causa [b]. ¶ *Omnis obligatio.*] Cuiuscun-
que tandem generis sit, & siue re, siue verbis, siue consensu constet: siue etiam quasi ex contractu
nata sit. Quod attinet ad obligationes ex maleficijs: primùm respondendum est, de ijs nondum
2 agi. Et quanquam actio pœnalis non tollat rei persecutionem [c], neque è diuerso: nihilominus
3 semper solutione eius, quod debetur, tollitur ea obligatio, cuius nomine solutio facta est. Alia au-
rem est & diuersa obligatio, qua quis dependet pœnam patrati sceleris: nihilque habet commune
cum ea, qua quis sarcire cogitur damnum datum.
4 ¶ *Obligatio.*] Ea ipsa, quæ contracta erat ratione huius debiti, quod iam persolutum est. Si-
mul autem cum ipsa obligatione tolluntur omnia, quæ ei accedunt, & veluti appendent. Vnde
persoluto debito, soluetur etiam hypotheca eius ergô contracta: nec ob solas vsuras nondum per-
5 solutas pignus retineri poterit [d]. Porrò vbi multiplex esset obligatio, & qui ex pluribus diuersisque
causis debet, simpliciter soluerit: in dubio benignè interpretabimur esse solutum in duriorem de-
6 biti causam: vt potius tollatur vel minuatur obligatio, quæ grauior est [e]. ¶ *Solutione.*] Solutionis
verbũ pertinet ad omnem liberationem quoquo modo factam [f]. magisque ad substantiam obli-
7 gationis, quæ dissoluitur, referri solet, quam ad numerationem. Verùm hoc loco cùm adijciatur
mentio eius, quod debetur, apparet solutionem dici pro numeratione: nec tam pertinere ad si-
gnificãdam dissolutæ obligationis substantiam, quàm ad præstationem rei debitæ. Quemadmo-
dum & Marcellus ait [g]; Solutam pecuniam intelligi vtique naturaliter, si numerata sit creditori.
Porrò autem vt solutione eius quod debetur, tollatur obligatio, oportet iustam esse solutionem.
8 Quæ in re tria consideranda sunt. Aliquando enim propter personam soluentis, non est iusta, nec
ad tollendam obligationem efficax solutio. veluti si fiat à pupillo sine tutore [h]. Rursus propter per-
sonam creditoris aliquando nihili est solutio ei facta. Vt si fiat pupillo sine tutore. Sed & si debi-
tor, cùm esset perpetua & fauorabili exceptione tutus, per errorem vltro soluerit, non cogetur tan-
ti redimere damnosam liberationem. quinimo vtetur condictione indebiti [i]. Omnino enim vt
ritè fiat solutio, oportet soluentem non ignorasse ius suæ obligationis. Postremò ratione rei solutæ
plerunque est inutilis solutio: vt si soluerentur numi reprobi aut adulterini [k]. sed & si reddatur res
deterior, quæ commodata est, non liberabitur commodatarius [l]. Nec cogitur vllus creditor rem
deteriorem factam recipere, nisi simul id quod interest præstetur: saltem vbi res debetur ex obli-
gatione bonæ fidei. Sed & si rem alteri obligatam soluero, non liberabor [m].
¶ *Vel si quis consentiente creditore.*] Hæc adiectio videtur sumpta ex rescripto Diocletiani &
Maximiani, cuius verba sunt hæc [n]: Manifesti iuris est, tam alio pro debitore soluente, quàm rebus
pro numerata pecunia consentiente creditore datis, tolli comparatam obligationem. Paulus tra-
9 didit [o], aliud pro alio inuito creditori solui non posse. quod etiam Principum rescripto comproba-
tum [p] est. Et sanè esset ludicra & nimis soluta laxaque obligatio, si debitori liberum esset credito-
10 rem suo arbitrio tractare. Interea semper fatemur, necessitatis habendam esse rationem: vt quan-
doque creditor pro re debita, si ea præstari non possit, eius æstimationem recipere compellatur.
Hucque pertinet quod Iustinianus in Nouella sua Constit. 4. statuit; vt si aurum mutuo datum sit,
aut eius generis aliquid, cuius nihil habeat debitor, quod reddat: cogatur creditor pro portione
11 sui nominis, aliam rem debitoris (æstimatione inita) recipere. Præterea & illud aliquando iusta
pietas exigit, vt satis sit pro re debita, eius æstimationem præstare: ne alioqui ad inhumani credi-
12 toris nutum quis auellatur ab ijs, quos habet charissimos [a]. Postremò & vbi pecunia speciei no-
mine deberetur, abundè fuerit speciem ipsam pecuniæ loco præstare [b].
¶ *Creditore.*] Vel eo, qui solutioni adiectus est. hoc tamen discrimen est, quòd tum non om-
nino tolleretur obligatio: nec tam ipso iure, quàm exceptionis subsidio liberaretur debitor.
13 ¶ *Nec interest.*] Sed quid si creditor ab alio recipere nolit? Certè non deest ratio, qua occurra-
tur huic malitiæ. Nam pecuniam, quam temerè durus reijcit creditor, permissum est consignare,
& legitimo modo deponere: hacque via dissoluere obligationem [c].
¶ *Quis soluat.*] Modò semper ipsi creditori soluatur, vel etiam, eo consentiente, alteri cuilibet [d].

a L. qui res suas. §. aream. de solut. l. cũ ex causa iudicati. in fi. C. de remiss. pign.
b L. 1. §. cum quis debitori. de hæred. vel act. vend. l. si maritus. C. de inoff. test.
c L. si pro fure. §. 1. de cond. furti.
d L. per retentionem. C. de vsur. l. solutum. §. si in sortem. de pign. act.
e L. 1. l. cæterum. §. si quis ex famosa. de solutionib.
f L. solutionis verbũ. de solut. l. liberationis. l. solutionis. de verb. sign.
g L. solutam. de solut.
h §. vlt. sup. quib. alie. lic. vel non.
i L. qui hominem. §. vlt. de solut.
k L. eleganter. §. qui reprobos. de pign. act.
l L. 3. §. si reddita. D. commod.
m L. si rem meam. de solut.
n L. manifesti. C. de solut.
o L. 2. §. 1. D si cert. pet. condic.
p L. eum à quo. C. de solut.
a L. si domus. §. qui confitetur de leg. 1.
b L. si verò §. vlt. D. solut. mat. l. miles. §. 1. de re iudic.
c L. acceptam. C. de vsur. l. obsignatione. C. de solu.
d L. solutum. de solut.

Sed & si eo ignorante soluatur eius creditori: continget liberatio, vel ope exceptionis [a], vel etiam
ipso iure, vtputa si vtrumque nomen procedat ex eadem causa [b]. Si tamen creditor nominatim id 14
fieri prohibuerit: non cogetur ratum habere, quod eo inuito & contradicente factum est [c]. Porrò
cùm hîc dicimus, consentiente creditore alteri solui posse, occurrit elegans Vlpiani responsum,
quod omnino huc pertinet, & extat his verbis [d]: Solutam pecuniam, accipiendum est, non solùm
si ipsi cui obligata res est, sed & si alij sit soluta voluntate eius, vel ei cui hæres extitit, vel procura-
tori eius, vel seruo pecunijs exigendis præposito. Deinde subijcit idem Vlpianus (quod est diligen-
ter notandum) Vnde si domum conduxeris, & eius partem mihi locaueris, egoque locatori tuo
pensionem soluero: pigneratitia aduersus te potero experiri. Nam Iulianus scribit, solui ei posse.
Cuius rei ratio colligi potest ex eo, quod idem Vlpianus eodem loco docet; dominum primum
locatorem, censeri cum primo conductore conuenisse, non modò de obligatione eorũ, quæ ipse
inferret, sed & quæ alius, cui ipse domum locâsset. Atque hic quidem tacitus consensus facit, vt 15
secundus conductor posit soluere domino, primo locatori.

a L. si opera. de do. ma. excep.
b L. si liber homo. in fi. de nego. gest.
c L. vlti. C. de neg. gest.
d L. solutam. §. solutam. de pig. act.

¶ *Si vel ignorante debitore, vel inuito eo.*] Id sumptum videtur ex Caio, qui ait [e]; Soluendo quisque 16
pro alio licet inuito & ignorante, liberat eum. Et addit hanc rationem; Naturalis enim simul &
ciuilis ratio suadet, alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis & inuiti nos face-
re posse. Sic & Pomponius [f]; Solutione (inquit) vel iudicium pro nobis accipiendo, & inuiti &
ignorantes liberari possumus. Interim tamen hic admonendi sumus, multum interesse, vtrùm 17
quis vltro soluat ignorante debitore, an verò eo inuito & contradicente. Nam qui pro ignorante
bona fide soluit, procul dubio habet actionem negotiorum gestorum. at si eo inuito vel refragan-
te soluerit: vix est, vt possit ea vti actione [g]. Nec aliud potest quã benignè à creditore petere, actio-
nes sibi cedi: quod vt faciat creditor, cogi non potest [h]. Itaque non est sine periculo temerè præsti- 18
tutum officium pro inuito.

e L. soluendo. de neg. gest.
f L. solutionem. de solut.
g L. vlti. C. de nego. gest.
h L. nulla. C. de solut.

§. *Item si reus.*

1 Sublata obligatione per iustam solutionem, tolluntur & accessoria.
2 Fideiussor soluens quomodo principalem debitorem liberet?

¶ *Si reus soluerit.*] Idem & si quam fuerit nactus exceptionem ipsi rei cohærentem, qua pos- 1
sit creditorem agentem summouere. Nam & ea sese tueri poterit fideiussor. quod suo postea loco
diligentius excutiemus [i]. ¶ *Etiam ij, qui pro eo interuenerunt.*] Quinimo & ipsa quoque pignora.
adeò, vt persoluta sorte retineri non possint ob solas vsuras [k]. quanquam sanè ob aliud principale
debitum possint retineri [l].

¶ *Si fideiussor soluerit.*] Pro debitore videlicet, & eius nomine. At si fideiussor suo proprio no- 2
mine soluerit: non erit ipso iure liberatus apud creditorem debitor [m], sed exceptione sese tuebitur
quam habet ex facto fideiussoris. Ipsi autem fideiussori soluenti semper obligatus manet debitor
vel mandati, vel negotiorum gestorum iudicio.

i §. exceptiones autẽ. infr. de replicat.
k L. per retentionem. C. de vsur. l. solutum. §. si in sortem. de pign. act.
l L. 1. C. etiam ob chirog. pecu.
m L. Papinianus. D. mand. l. Stichum aut Pamphilum. §. si mandato. de solut. l. si quid possessor. de petit. hæred.

§. *Item per acceptilationem.*

1 Acceptilatione liberamur solutionis exemplo.
2 Acceptilatio ab apocha quid differat?
3.4 Acceptilatio quid? & vnde dicatur?
5 Acceptilatio quomodo Græce etiam fieri posit?
6 Acceptilatio cur dicatur intelligentium?
7 Cur verborum tantum obligationem soluere posit?
8 Diuersum obligationis genus, adiunctum verborum obligationi, simul per acceptilationem tolli.
9 Acceptilationem parum iustam, simplicis tamen pacti vim obtinere, fallit num. 10.
11 Nihil est tam naturale, quàm vnumquodq; dissolui prout contractum est.
12 Acceptilatio partis quomodo vtiliter fieri posit?
13 Obligatio generis natura diuidua est, solutione indiuidua.
14 Quid, si quantitatis sit obligatio?
15 Partem oblatam an reijcere creditor posit?
16 Agit hic de indiuiduo aliquis debito.
17 De formula stipulationis Aquilianæ.

¶ *Per acceptilationem tollitur obligatio.*] Sic vt omnis agendi via perimatur [n]. Vlpianus ait [o]; so- 1
lere acceptilationem, solutionis exemplo liberare. Idem alio loco [p], inter acceptilationem & apo- 2
cham hoc interesse scribit, quòd acceptilatione omnimodo liberatio contingat, licet pecunia so-
luta non sit: apocha autem non aliter, quàm si pecunia soluta sit. ¶ *Est autem acceptilatio.* Mode- 3
stinus [a] definit acceptilationem, esse liberationem per mutuam interrogationem, qua vtrinque
contingit ab eodem nexu absolutio. Origo huius vocis est, quod Latini dicerent, acceptum ferre, 4
quod ascribebant rationibus receptorum. Nos autem eo verbo vtimur, cum remittere dicimus
& quasi solutum acceptumque habere, quod tamen reuera non est solutum. ¶ *Imaginaria solutio.*]
Nam & exemplo solutionis liberare solet [b]: & videtur is soluisse, qui est liberatus acceptilatione [c].
Sed tamen cùm hîc nulla interueniat numeratio, non est mirum, si fideiussor gratuita liberatus
acceptilatione nihil repetat à debitore [d].

n L. 2. C. de acceptil.
o L. in diem. de acceptilat.
p L. si acceptolatum. D. illo tit.
a L. 1. D. illo tit.
b L. in diem. D. illo tit.
c L. si ex pluribus. D. illo tit.
d L. si verò non remunerandi. D. mand.

¶ *Hæc*

¶ *Hæc verba.*]Vel alia similia. Nam & Vlpianus docet fieri acceptilationem bis verbis [a]; Accepta facis decem? Facio.
5 ¶ *Sed & Græce.* Videtur hic locus sumptus ex responso Vlpiani, qui ait; Acceptilationem esse iu[ris] gentium. Ideoq; & Græcè acceptum ferri posse, dummodo sic fiat, vt Latinis verbis solet.
6 Hicque obiter obseruemus, acceptilationem dici iurisgentium. propter consensum paciscentium. Porrò nec ad constituendam verborum obligationem interest, vtrum Latina, an Græca, an alia qualibet lingua stipulatio concipiatur, dummodo vterque alterius linguam intelligat, siue per se, siue per interpretem, vt suprà dictum est. ¶ *Tantum eæ soluuntur obligationes.*]Inquit Vlpianus [b], Acceptum ferri non potest, nisi quod verbis obligatum est. acceptilatio enim verborum obliga-
7 tionem tollit: quia & ipsa verbis fit. Neque enim potest verbis tolli, quod non verbis contractum
8 est. Sanè tamen hîc admonendi sumus; diuersum obligationis genus adiunctum verborum obligationi, simul per ipsam acceptilationem tolli cum obligatione verborum. Et huc pertinet quod Vlpianus respondit [c]: Si fideiussori acceptò fuerit latum, cùm reus re, non verbis fuisset obligatus: an reus quoque liberetur? Et hoc iure vtimur, vt licet reus non sit verbis obligatus. tamen
9 acceptilatione per fideiussorem liberetur. Illud quoque in vniuersum semel admonendi sumus; acceptilationem, quæ parum iusta est, vel propter neglectam verborum formulam, vel speciem obligationis, cui dissoluendæ accommodatur, nihilominus vim simplicis pacti obtinere [d], nisi
10 appareat eum, qui non ritè fert acceptum, nullum habuisse animum paciscendi [e] ¶ *Consentaneum enim.*]Hæc ætiologia videtur sumpta ex vulgari regula iuris [f], quæ dictat; nihil esse tam natura-
11 le, quàm vnumquodq; dissolui, prout contractum est. ¶ *Quod debetur pro parte rectè soluitur.*] Sal-
12 tem vt si id recipiat creditor, statim pro parte soluta contingat liberatio; saltem vbi quantitas debetur, vbi nullum est periculum solutionis diuersæ, quale metuitur vbi genus deberetur, & pars in vna specie solueretur. non enim tum pro parte soluta liberatio contingit, ne fortè reliqua pars in
13 alia specie soluatur magno cum creditoris incommodo. Sic enim obligatio generis natura quidem est diuidua, sed tamen solutione est indiuidua propter vtilitatem contrahentium. Quanti-
14 tatis verò obligatio omnimodo est indiuidua, vt etiam pro parte contingat liberatio, si pars solu-
15 ta sit. Qua de re extat elegans Pauli disputatio [g]. An autem partem oblatam reijcere posset creditor nec recipere, non multùm disputant Iurisconsulti: quia tam morosum ac difficilem fore non putârunt creditorem, qui id sine causâ faceret, cùm sua non interesset. Sed vbi de pœna euitanda aut inhibendo vsurarum cursu, aut conditione implenda ageretur, sæpe responderunt partis solutionem non profuturam. Verùm relicta hac disputatione, quæ non potest propriè pertinere ad acceptilationem, quam quidem certum est totam pendere à voluntate creditoris: vt melius constet comparatio solutionis & acceptilationis, quæ hoc loco proponitur, meminerimus hic agi de
16 aliquo debito indiuiduo, & obligatione, quæ partis solutionem non recipiat nisi consentiente creditore. Vt quemadmodum eius consensu nihilominus pro parte rectè soluitur: ita etiam pro parte possit acceptum ferri, veluti si homo debeatur, vel lanx, vel aliquod eiusmodi corpus. Sanè Iulianus (ex cuius responso videri potest hic locus desumptus) vtranque speciem obligationis pariter coniunxit, inquiens [h]; Qui hominem aut decem stipulatus est: si quinq; acceptò fecerit, par-
17 tem stipulationis peremit. Et petere quinque, aut partem hominis potest. ¶ *Ita composita est.*] Hæc formula stipulationis Aquilianæ, quæ acceptilationem anteit, petita est ex responso Florentini [i]: & continet non modò renouationem obligationis, sed & eius acceptilationem.

¶ *Præsens in diem vé.*] Vel etiam sub conditione. Nam & conditionali obligationi Aquiliana stipulatio, & deinde acceptilatio potest accommodari [k].

a L. sanè. de acceptil.
b L. an inutilis §. acceptum. D. illo tit.
c L. & per iusiurandũ. §. & si fideiussori. D. illo tit.
d L. si vnus. §. pen. de pact. l. si acceptolatiõ. de acceptilat.
e L. an inutilis. de accep.
f L. prout. ff. de solut. & li[b]erationib. l. nihil tã[m]. de reg. iur.
g L. 2. stipulationum quædam. de ver. obl.
h L. qui hominem. de accep.
i L. & vno. §. 1. D. illo tit.
k L. si sub conditione. D. illo tit.

§. *Præterea.*

1 *Nouatio quid? & vnde dicta? num. 2.*	6 *Nouatio cum seruo inutilis est.*
3 *Nouatione tollitur & ipsa obligatio, & omnes simul accessiones eius.*	7 *Toties olim nouationem fieri intelligebant, quoties secunda obligatio aliquid noui continebat.*
4 *Manent tamen prioris obligationis priuilegia iure concessa, nisi aliter conueniat.*	8 *Pœnalis stipulationis adiectio non nouat obligationem præcedentem.*
5 *Sequens obligatio nullo iure subsistens, non nouat priorem.*	9 *Qui in diem stipulatur, statim nouat: qui sub conditione, vbi ea euenerit.*

1 ¶ *Præterea nouatione.*]Nouatio (inquit Vlpianus [l]) est prioris debiti in aliam obligationem vel ciuilem vel naturalem transfusio, atque translatio; hoc est; cùm ex præcedenti causâ ita noua
2 constituitur, vt prior perimatur. Nouatio enim à nouo nomen accepit, & a noua obligatione.
3 ¶ *Tollitur obligatio.*]Simul & eius accessiones. veluti hypothecæ [m], pignora [n]. fideiussores [o], stipulationes vsurarum [p], & pœnæ [a]: denique & periculum moræ commissæ [b]. Atque hæc quidem o-
4 mnia perire intelligimus, nisi in nouatione repetantur, & veluti excipiantur. Interea autem fatemur, se[m]per manere prioris obligationis priuilegia iure concessa, nisi nominatim aliter conuenerit in ipsa nouatione [c].
5 ¶ *Interdum.*]In vniuersum constat, sequentẽ obligationem, quæ nullo iure subsistit, omninoque est inutilis, non nouare priorem. Sed si aliquo iure quomodocunque subsistat, omnino

l L. 1. de nouat.
m L. nouatione de nouat.
n L. vnica. C. etiam ob chiro pe n.
o L. nouatione. C. de fidei.
p d. l. nouatione.
a L. si cred. ser. de nouat.
b L. si Stichum. de nouat.
c L. 2. § pen. de priuileg. cred. l. aliam. de noua.

a L. 1. §. vlt. de nouat. nouare præcedentem. Sic enim Vlpianus ait [a]: Qualiscunque obligatio sit, quæ præcesit, nouari
verbis potest: dummodo sequens obligatio aut ciuiliter teneat, aut naturaliter; vtputa si pupillus
sine tutoris autoritate promiserit.

b L. quod attinet. D. de reg. iur. ¶ *Non idem iuris.*] Seruus enim, qui iure ciuili nihili fit [b], contrahere non potest, nec vllo mo- 6
do obligari; saltem extra causam sui peculij.

c L. seruus inscio de fideiuss. & licet. § si fideiussa. de pecul. ¶ *Ita demum nouatio fit.*] Nouatio scilicet prioris obligationis verbis initæ. Nam vbi aliter
esset contracta: sequens stipulatio etiamsi nihil noui adijceret, eam nouaret, quia fit alia species
obligationis. Quod hîc etiam annotauit Theophilus.

¶ *Si quid in posteriore stipulatione noui fit.*] Olim vetustissimo iure toties intelligebatur fieri no- 7
uatio, quoties secunda obligatio noui aliquid continebat, siue illud maius, siue minus esset eo,
d L. vlt. C. de nouat. quod priori obligatione debebatur, vt refert ipse Iustinianus [d]. Sed posteriores Iurisconsulti non
existimarunt aliter intelligi posse tacitam nouationem, quàm si vel amplius quiddam de nouo
e L. qui vsumfr. de nouat. adijceretur & accederet. (vnde responderunt [e] eum, qui stipulatur decem, postea quinque, puste-
riore stipulatione nihil agere, nisi expressent sese hoc facere nouandi animo) vel sanè noua pror-
sus qualitas adderetur: eaque, non confirmandæ prioris obligationis causa. alioqui enim non tam
f L. fin. si fuero. cum le. seq. de nouat. nouatio quàm nouæ qualitatis vtilis adiectio videbatur [f].

g dic. l. si ita fuero. ¶ *Fideiussor adijciatur.*] Solidæ videlicet obligationis, quæ hîc sit repetita. Cæterùm (inquit Vl-
pianus [g]) si ita fuero stipulatus, quanto hoc minus à Titio debitore exegissem, tantum fideiubes?
non fit nouatio: quia non agitur vt nouetur. Quid autem, si pœnalis stipulatio adijciatur? Et certè 8
eam nullo modo nouare præcedentem obligationem, verius est.

h L. si Stichum. § legata. de nouat. ¶ *Sic intelligi oportet.*] Docet id Vlpianus his verbis [h]; Legata vel fideicommissa si in obliga-
tionem fuerint deducta, & hoc actum est, vt nouaretur, fiet nouatio: si purè quidem vel in diem
fuerint relicta, statim: si verò sub conditione, non statim, sed vbi conditio extiterit. Nam & [illegible] as, 9
qui in diem stipulatur, statim nouat, si hoc actum est: cum certum sit diem quandoque venturum.
at qui sub conditione stipulatur: non statim nouat, nisi conditio extiterit. Idem Vlpianus hanc
i L. quoties. de nouat. rem alio loco pluribus verbis inculcat, inquiens [i]; Quoties quod purè debetur, nouandi causa sub
conditione promittitur: non statim fit nouatio: sed tunc demum, cùm conditio extiterit. Addit
deinde; Sed si id quod sub conditione debetur, purè quis nouandi causa stipuletur: ne nunc qui-
dem statim nouat, licet purà stipulatio aliquid egisse videatur: sed tunc nouabitur, cùm conditio
extiterit. Etenim existens conditio primam stipulationem committit, commissamque in secun-
dam transfert. Et ideò, si fortè persona promissoris pendente conditione fuerit deportata: Marcel-
lus scribit, ne existente quidem conditione vllam contingere nouationem: quoniam nunc, cum
extitit conditio, non est persona quæ obligetur. ¶ *Expressum fuerit.* Vt non solùm id agatur, quod
k L. omnes res. de nouat. etiam olim omnino oportuit [k]) sed & nominatim exprimatur. Quia non est hîc alioqui locus ta-
citis coniecturis.

§. *Hoc amplius.*

1 Contrarius consensus, non contractus sed distractus est, ex quo præcedens obligatio pro infecta habetur.
2 Re integra partis vtriusque consensu ab emptione & venditione recedi potest.
3. 4 Res quando integra esse definiatur?
5 Quid, si post initam venditionem res perierit?
6 Donatio nudo consensu rectè contrahitur.
7 In contractibus innominatis vel vnius pœnitentia facit, vt datum repeti possit.
8 Mandatum item & societas vnius renunciatione tolluntur.

l L. 2. de rescind. vendit. ¶ *Dissoluuntur.*] Sic vt pro infectis habeantur [l]. Neque verò hîc contrarius consensus, nouus 1
est aliquis contractus, sed merus distractus ad dissoluendum priorem contractum. Porro totum
m L. ab emptione. de pact. hunc locum nemo diligentius explicat atque Neratius, his verbis [m]; Ab emptione, venditione,
locatione, conductione, cæterisque similibus obligationibus, quin integris omnibus, consensu
eorum, qui inter se obligati sunt, recedi posit dubium non est. Aristoni hoc amplius videbatur;
si ea quæ me exempto præstare tibi oporteret, præstitissem: & cùm tu mihi precium deberes, con-
uenisset mihi tecum, vt rursus præstitis mihi à te in re vendita omnibus, quæ ego tibi præstitissem,
precium mihi non dares: tuque mihi ea præstitisses: precium te debere desinere: quia bonæ fidei
(ad quam hæc omnia rediguntur) interpretatio hanc quoque conuentionem admittit. nec q[illegible]
quam interest, vtrùm integris omnibus in quæ obligati essemus, conueniret, vt ab eo neg[o]tio dis-
cederetur: an in integrũ restitutis ijs, quæ ego tibi præstitissem, consentiremus, ne quid tu mihi eo
nomine præstares. Illud planè conuentione, quæ pertinet ad resoluendum id quod actum e[st], per-
fici non potest, vt tu, quod iam ego tibi præstiti, contrà præstare mihi cogatis: quia co mod[illegible]
tam hoc agitur, vt à pristino negocio discedamus, quàm vt nouæ quædam obligationes inter [illegible]
n L. 1. C. quando lic. ab empt. disced. constituantur. Hæc Neratius. Sed breuius Imper. Gordianus [n]; Re (inqu[illegible]) integra [illegible] em- 2
ptione & venditione vtriusque partis consensu recedi potest. Etenim quod co[n]sensu c[illegible]
est, contrariæ voluntatis adminiculo dissoluitur. At enim post traditionem inte[illegible]
voluntas non resoluit emptionem, si non actus quoque priori similis retroagens venditi[o]nem,
intercesserit.

¶ N[illegible]

3 ¶ *Neque precio.*] Vel eius parte. Nam & ea soluta desineret res esse integra. Vnde & quod arra-
rum nomine datum est, saltem ea lege, vt cederent in partem precij, efficit ne res sit amplius inte-
4 gra, quanquam vbi aliter datum esset, hoc est, simpliciter, aliud sit respondendum [a]. Sanè datus fi-
deiussor non efficiet, quo minus res sit integra [b]. ¶ *Soluto.*] Neque per solennem stipulationem
promisso. alioqui ad dissoluendum hunc contractum opus esset acceptilatione [c]. ¶ *Neque fundo
tradito.*] Nullo modo: vt nec vlla hic interuenerit imaginaria traditio. Nam si vel per precàrium
vel constitutum intelligeretur res tradita: amplius non videbitur res integra, nec liberum esset so-
5 lo dissensu dissoluere contractam obligationem. Sed & si post initam venditionem res perierit si-
ne culpa venditoris; cùm censeatur tum res quasi tradita fuisse emptori, cuius est periculum: non
licebit ab ea obligatione recedere promptius, quàm per acceptilationem [d].

¶ *Inuicem liberantur.*] Atque etiam ab alijs, quibus ius aliquod ex eo contractu quæsitum est:
quia nec aliter quæri potuit, quàm sub eadem conditione dissolutionis, quamdiu ea est libera &
6 integra. ¶ *In omnibus.*] Ergo idem iuris erit & in donatione, quæ hodie nudo consensu contrahi
potest [e]. Quid igitur de contractibus innominatis? In ijs vel vnius pœnitentia eam vim ha-
7 bet, vt quod datum est, repeti posit [f]. Sed id locum non habet in transactione, ne
8 lites finitæ facilè instaurentur. Porrò & mandatum & societatem vnius
renunciatione dissolui posse, ex ijs, quæ suprà suo loco
dicta sunt, satis intelligi potest.

a L. vl. C. quando lic. ab empt. disced.
b L. 3. de rescin. vend.
c L. emptor. de pact.
d L. cũ emptor. §. vlt. de rescind. vend.
e L. si quis argentum. §. pen. C. de donat.
f L. dedi. § si pecuniã. de cond. cau. da. cau. non secu.

INSTITVTIONVM IVSTINIANI LIBRI III. FINIS.



INSTITVTIONVM, SEV ELEMENTORVM IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS

IN SEQVENTEM TITVLVM ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1.2 *Continuatio tituli, deq; cohærentibus, per noui hic libri inchoationem temerè interruptis.*
3 *Aristoteles de obligationibus ex maleficio natis.*
4 *Iustinianũ obligationes ex delictis priuatis hic proponere simplicius.*
5 *Ex quocunque maleficio nasci aut ciuile aut criminale iudicium.*
6 *Horum vnum altero non consumi.*
7 *De furti obligatione.*



GGREDITVR Iustinianus tertiam speciem obligationum, 1
nempe ex maleficio, vt sequatur, quem semel proposuit ordinem [a].
Sed cùm hic tractatus ad obligationes pertineat, fortaßis opus hîc 2
non erat nouum librum auspicari, vel interrumpere quæ cohærent.
Admonui aliquando repertum esse ad mare Balthicum, antiquißi-
mum harum Institutionũ exemplar, tempore Imp. Lotarij Secun-
di Saxonis conscriptum, cuius dispositio videbatur aptior. In eo ter-
tè tertius harum Institutionũ liber à titulo De obligationibus pro-
tendebatur, vsq; ad titulum De actionibus: & titulus; Quibus modis
tollitur obligatio; vltimum occupabat locum, & proxime præcede-
bat titulum De actionibus. Sed relicta hac curiosa distinctionis soli-
citudine rem ipsam videamus potius. Aristoteles libro quinto Ethicorum scribit etiam ex maleficijs 3
nasci obligationes, sed quas ait esse coactas, nec voluntarias. Commemorat enim συναλλάγματα ἀκούσια.
[obligationes præter animi sententiam euenientes.] Et hac quidem deinde partitur in clandestina
synallagmata, veluti Furti: & in Violenta, veluti, Bonorum raptorum. Iustinianus autem genera- 4
lius & simplicius hîc proponit obligationes ex delictis priuatis, agitq; sequentibus aliquot titulis de
ciuili eorum iudicio. Sumus autem hîc semel in vniuersum admonendi; Ex quocunque maleficio du- 5
plex iudicium nasci [b]. *Vnum Ciuile, in quo intenditur actio ad rem familiarem pertinens: alterum*
Criminale, in quo quæritur de vltione & pœna ipsius delicti. Nec vnum consumitur altero [c]. *Sed non* 6
potest vtrunque simul proponi. Id suo loco diligentius excutietur; Nunc cum Iustiniano agamus de 7
Obligatione furti; qua fur tenetur ad duplum vel quadruplum. Eam enim potißimum hîc attingit
Iustinianus: sed tamen meminit etiam Condictionis & vindicationis, quam dominus habet, vt rem
suam sibi subtractam persequatur. Est præterea aliud iudicium, quo fur extra ordinem castigatur [d]:
sed non pertinet ad actiones.

a §. sequẽs diuisio sup. de oblig.
b L. vl. de priu. delict.
c L. Prætor edixit. §. 1. de iniur.
d L. vlt. de fur.

DE OBLIGATIONIBVS, QVAE EX DELICTO nascuntur, Titulus I.



VM sit expositum superiore libro de Obligationibus ex contractu, & quasi ex cõtractu: sequitur, vt de obligationibus ex maleficio, & quasi ex maleficio dispiciamus. Sed illæ quidem (vt suo loco tradidimus) in quatuor genera diuiduntur: hæ verò vnius generis sunt: nam omnes ex re nascuntur, id est, ex ipso maleficio, veluti ex furto, rapina, damno, iniuria.

Furtum est contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam vsus eius, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere: Furtum autem vel à furuo, id est, nigro dictum est, quòd clàm & obscurè fiat, & plerunque nocte: vel à fraude, vel à ferendo, id est, auferendo: vel à Græco sermone, qui φῶρας appellant fures. Imo & Græci ἀπὸ τοῦ φέρειν, φῶρας dixerunt.

IN SV-

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 FVrtum est.] Hæc furti definitio, sicut & quæ subijcitur etymologia, sumpta est ex responso Pau-
li [a]. Restitui autem debere ad eum, quo restituimus, modum, probat ex Pandectis Florentinis *a L. 1. de furt.*
Augustinus lib. Emend. 4. cap. 4. Porrò huc pertinet quod Gellius lib. 11. cap. vlt. referens, quàm re-
ligiosè à prudentissimis definitum sit, quid esset furtum, testatur Sabinum ita scripsisse; Qui alie-
nam rem attrectauit, cùm id se inuito domino facere, iudicare deberet: furti tenetur. Idem alio lo-
2 co. Qui (inquit) alienum iacens lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur, siue scit cuius sit, si-
ue nescit. ¶ *Contrectatio.*] Sola autem cogitatio furti faciendi, furem non facit, inquit Paulus [b]. *b d. l. 1. §. sola cogitatio*
3 Quinimo & qui domum alienam ingressus est furandi animo: si nihil contrectauerit, furti non
tenebitur: sed tamen extra ordinem plusquam fur, puniendus est, vt respondit Vlpianus [c]. Quòd si *c L. pen. de extraordi.*
agatur de ea furti significatione, quæ ab affectu quandoq; sumitur: proculdubio fur dici poterit [d] *crimin.*
4 ex solo furandi animo, etiam si nihil adhuc contrectârit. Atque ita videtur accipiẽdum, quod Gel *d L. fugitiuus. de ver*
lius scripsit; Furtum sine vlla attrectatione fieri posse sola mente atque animo, vt furtum fiat, an- *bo. signifi.*
nitente. Verùm de hoc furto hìc non agimus: nec eius vlla pœna est Iure Ciuili statuta.

¶ *Fraudulosa.*] Neque enim fit furtum sine dolo & improbo furandi animo. Quod & paulò
5 pòst docet ipse Iustinianus. Et Aristoteles lib. 1. Rhetor. eleganter ostendit; non omnes, qui clàm a-
liquid surripiunt, furtum facere, sed eos demum, qui hac ratione conantur dominum re sua pri-
uare, eamque in se transferre. Hocque exemplo probat atque explicat Aristoteles illud suum axio-
ma; ἐν τῇ προαιρέσει γὰρ ἡ μοχθηρία. [nequitia seu vitium ex consilio siue intentione æstimatur.]

6 ¶ *Vel ipsius rei.*] Alienæ, & quæ certum aliquem habeat dominum. Nam rei pro derelicto ha-
bitæ furtum non fit, etiam si quis furandi animum habuerit. Neque enim furtum fieri potest, nisi
7 sit, cui fiat [e]. Vnde & rei ex hæreditate iacente subtractæ furtum non solet dici. Certè rei propriæ
8 furtum propriè fieri non posse nemo dubitat. Vnde & Aristoteles lib. 5. Ethicorum, οὐδεὶς (inquit) *e L. falsus. §. qui aliénam. de furt.*
κλέπτει τὰ ἑαυτοῦ. [nemo quæ sua sunt furatur.]

9 ¶ *Vel etiam vsus.*] Veluti si creditor vtatur pignore: vel depositarius, re deposita. Item si qui rem
vtendam accepit, in alium vsum eam transferat.

10 ¶ *Possessionis.*] Veluti si debitor rem pignori datam surripiat creditori. Seneca quodam loco in-
dicat idem esse, si quis rem apud alium depositam clàm subtrahat: & ait, hìc separari actiones furti
& depositi: ac de eo quod agimus, de eodem nobiscum agi.

11 ¶ *Quod lege naturali prohibitum est.*] Vlpianus [f] quoq; ait, Furtum, sicuti adulterium, natura tur-
pe esse. Et sanè ratio naturalis idipsum dictat, cùm etiam tueatur priuatorum proprietates & do- *f L. probrum. de ver. signifi.*
minia. Si quarundam gentium barbaries furtum non prohibuit, id non immutat legem Naturę.
Nam hoc fecerunt, vel vt suis moribus patrocinarentur, vt quæ ex rapto viuebant: vel vt suos exci-
tarent ad nescio quam diligentiam, vt Lacedæmonij: vel vt maiori malo irent obuiam, vt Ægy-
ptij. Sed parum iusta erat hæc Politiæ continendæ ratio. nam seueritate coërcendũ, non alendum
12 indulgentia, malum est. Certè Draco Atheniensis etiam furtum olusculi, morte iudicauit expian-
dum: & Solon, quantumuis huius sanguinarias leges auersaretur, ne bubuli quidem stercoris fur-
13 tum, sine iudicio esse voluit. Celebris est, quæ deinde in prouerbium abijt, ἡ τοῦ βολίτου δίκη. [Boliti
pœna.] Sed nescio an hæc acerbitas semper sit vtilis Reip. Certè lex Mosaica vetabat viatorem fru-
14 gibus arceri: & permittebat decerpi quantum præsens vsus exigeret. Idque tãquam esset maximè
secundum naturam, probauit Plato lib. 8. de Legibus. Et memini tale aliquid extare in Georgicis
Iustiniani legibus.

§. *Furtorum.*

Furtorum autem duo sunt genera: manifestum, & nec manifestum. Nam conceptũ & oblatum, species potius actionis sunt furto cohærentes, quàm genera furtorum, sicut inferius apparebit. Manifestus fur est, quem Græci ἐπ' αὐτοφώρῳ, appellant; nec solùm is, qui in ipso furto deprehenditur, sed etiam is, qui in eo loco deprehenditur, quo furtum fit: veluti qui in domo furtum fecit, & nondum egressus ianuam deprehensus fuerit: & qui in oliueto oliuarum, aut in vineto vuarum furtum fecit, quandiu in eo oliueto aut vineto deprehensus fuerit. Imò vlterius furtum manifestum est extendendum: quãdiu eam rem fur tenens visus vel deprehẽsus fuerit, siue in publico, siue in priuato, vel à domino, vel ab alio: antè quàm eò peruenerit, quò deferre vel deponere destinâsset. Sed si pertulit, quò destinauit, tametsi deprehendatur cum re furtiua, nõ est manifestus fur. Nec manifestum furtum quid sit, ex ijs quæ diximus intelligitur. nam quod manifestum non est, id scilicet nec manifestum est. Conceptum furtum dicitur, cùm apud aliquem testibus præsentibus furtiua res quæsita & inuenta sit: nam in eum propria actio cõstituta est, quamuis fur non sit, quæ appellatur Concepti. Oblatum furtum dicitur, cùm res furtiua ab aliquo tibi oblata sit, eaque apud te concepta sit, vtique si ea mente tibi data fuerit, vt apud te potius, quàm apud eum qui dedit, conciperetur: nam tibi, apud quem concepta sit, propria aduersus eum qui obtulir, quamuis fur non sit, constituta est actio, quæ appellatur Oblati. Est etiam prohibiti furti actio aduersus eum, qui furtum quærere testibus præsentibus volentem prohibuit. Præterea pœna constituitur edicto Prætoris per actionem furti non exhibiti, aduersus eum, qui furtiuam rem apud se quæsitam & inuentam non exhibuit. Sed hæ actiones scilicet concepti & oblati, & furti prohibiti, necnon furti non exhibiti, in desuetudinem abierunt. Quum enim requisitio rei furtiuæ hodie secũdum veterem obseruationem non fiat: meritò ex consequentia etiam præfatæ actiones ab vsu communi recesserunt: quum manifestum sit, quòd omnes, qui scientes rem furtiuam susceperint & celauerint, furti nec manifesti obnoxij sunt. Pœna manifesti furti, quadrupli est, tam ex serui, quàm ex liberi persona: nec manifesti, dupli.

¶ *Manifestus fur est.*] Gellius libro vndecimo, capite vlt. testatur, Masurium definijsse furtum 1
manifestum esse; quod deprehenditur, dum fit: faciendi finem esse, cùm perlatum est, quò fieri cœ-
perat. Quæ autem hic à Iustiniano traduntur de furto manifesto, sumpta videntur ex sententijs
a L. 3. et 5. de furt. Iuliani & Cassij, ac responsis Vlpiani [a]. ¶ *Quem Græci ἐπ' αὐτοφώρῳ.*] Quasi dicas, In ipso furto. Vt 2
apud Æschinem contra Ctesiphontem; ἐπ' αὐτοφώρῳ κλέπται. [in ipso actu deprehensi fures.] Quo
verbo deinde generaliter vsi sunt Græci, quoties de ijs loquerentur ita deprehensis, vt factum infi-
b L. si dominus. de praescrip. verb. ciari non possent. Demosthenes contra Aristogitonem vocat ἐπ' αὐτοφώρῳ εἰλημμένους, [in ipso facto
captos,] clamans non esse relinquendos ἀθῴους [citra noxam.] noster Papinianus [b] appellat de-
prehensos in admisso. Orator Lysias, ἐπ' αὐτοφώρῳ ἐγὼ αὐτὸν ἐλέγξω dixit, pro eo, quod est, Ita eũ con-
uincam, vt infìciando non sit. Apud Plutarchum adulter deprehensus dicitur καταφωραθείς, & κα-
τάφωρος. ¶ *Sed etiam is.*] Apud Lucianum in Philopseu. narrat Eucrates fuisse quandam apud se
Pelichi statuam, è qua cùm aliquid seruus quispiam abstulisset, nec posset egredi, in eo loco depre-
hensus sit ἐπ' αὐτοφώρῳ. [in ipso furto,] nempe ἔχων τὰ φώρια. [habens res furto ablatas.] ¶ *Vel ab a-*
c L. 3. de furt. *lio.*] Inquit Vlpianus [c]: Parui refert, à quo deprehendatur, vtrum ab eo cuius res fuit, an ab alio, ve-
d L. si quis in seruitute. in fi. D. illo tit. luti vicino, aut etiam quolibet transeunte [d]. Vnde & Paulus [e], Cùm quis (inquit) furtum mihi fa-
e L. quis solutione. §. mora. de vsur. cientem deprehendit, negocium meum agens, manifesti furti actionem mihi parat. nec hoc casu
per liberam personam acquiri videtur. sed officium impleri. ¶ *Quo deferre destinasset.*] Hoc est, in- 3
f L. 4. de furt. quit Paulus [f], Quo destinauerat eo die manere cum eo furto. ¶ *Conceptum furtum dicitur.*] Scribit 4
Gellius, furti concepti, item oblati, pœnam fuisse tripli. Quod fuerit autem oblatum & cõceptum 5
furtum, iubet nos repetere ex Sabini libro de furtis. Porrò admonendi sumus fuisse aliam speciem
furti, quod per lancem & licium conceptum dicebatur: eiusque pœnam fuisse quadrupli, perinde
ac si manifestum foret, scribit idem Gellius. Cuiusmodi autem fuerit hoc furti genus, multi teme-
rè multa commenti sunt. Sed refutatis eorum commentis, docuit nos Tatius Alpinus; fuisse fur 6
tum sacrilegio proximum, nempe rerum, non quidem iam ad ministerium Dei ritè sacratarum,
sed collectarum potius ad sacrificia. Ministri sacrorum, licio succincti, gestabant lancem ad com-
portandas stipes, quas ad Dei cultum conquirebant. Deinde quas ostentu sacri ministerij congesserant, ipsi surripiebant scelerati impostores. adeo ad fraudes & furta valet prætextus religionis.
¶ *Requisitio rei furtiuæ.*] Saltem inanimatæ. Nam seruum fugitiuum, qui sui furtum domino facere
g L. 1. de ser. fug. l. requirẽdi. C. de ser. fug. dicitur [g], semper licuit perquirere in alienis ædibus. ¶ *Non fiat.*] Nam hoc prætextu seruiren tom- 7
h L. plerique. de in ius voc. nium curiositati nostræ ædes, quæ nobis tutum & liberum præbere debent domicilium [h]. at quo
modo id ferant leges Romanę, cùm etiam graue esse dixerint [i], vel rei familiaris vilitatem detege-
i L. 2. C. quib. et quã. quar. pars. re, vel diuitias inuidiæ subijcere. Vnde & licet viæ simpliciter relictæ seruitus censeri soleat realis:
cùm tamen via per domum hæreditariam esset filiæ relicta: dictum [k] est personalem fore. Nam vt
k L. pater. de ser. leg. ferre possimus filiam paternarum rerum esse consciam: certè alteri patere itidem arcana ædiũ gra-
ue est. De requisitione rei propriè in ædibus alienis extat lex apud Platonem lib. 12. de Legib. Idq;

φωρᾶν

8 φωρῶν vocat. ¶ *Cum manifestum sit.*] Manifestum certè id erat ex rescripto [a] Impp. Diocletiani & *a L. eos. D. de furt.*
Maximiani: qui statuerunt, eos; qui furtim ablata scienter susceperint, nõ tantùm de susceptis con
ueniri, sed etiam pœnali furti actione. ¶ *Rem furtiuam.*] Quòd si quis solum furem susceperit, te-
9 nebitur edicto de Receptoribus. Iudicatum est autem pessimum esse receptorum genus, vtpore si-
10 ne quibus latere nemo diu posset, inquit Martianus [b]: additque eos, vt latrones puniri. Sed tamen *b L. 1. de recept.*
meminerimus hîc aliquid humaniter esse tributum necessitudini. Nam scribit Paulus [c]; Eos, apud *c L. 2. de recept.*
11 quos affinis vel cognatus latro conseruatus est, non adeò seuerè puniendos esse. Apud Platonem
12 lib. 12. de Legib. eodem loco habetur receptor, quo fur. ἐάν τις (inquit) κλεμμάτων τῶν ὑποδέχηται γε-
γνώσκων, τὴν αὐτὴν ὑπεχέτω δίκην τῷ κλέψαντι. ¶ *Susceperint.*] Quocunque tandem id fecerint titulo.
13 Nam & si creditor rem alienam sciuerit apud se deponi pignori, furti se obligat, inquit Paulus [d]. *d L. seruus. de cõdict. indeb.*
Idem & si quis rem furtiuam sciens emerit. Certè & si emisset ignorans, non poterit à vindicante
14 domino precium petere. Vnde Seuerus & Antoninus ad negociatores inquiunt [e]; Inciuilem rem *e L. 2. C. de furt.*
desideratis, vt agnitas res furtiuas nõ prius reddatis, quàm precium fuerit solutum à dominis. Cu-
rate igitur cautiùs negociari: ne non tantùm in damna huiusmodi, sed etiam in criminis suspicio-
nem incidatis. ¶ *Pœna manifesti furti.*] Consule nostras annotationes ad 56. & 57. ca. 12. Tab. Quid enim attinet rem eandem pluribus locis inculcare?

§. *Furtum. cum §. seq.*

1 Inuitum hoc loco quid significet.
2. 3 Qui quod vtendum accepit alij commodat, furti obligatur.
4 Si tibi centum dedero vt ea Titio dares, tuq; consumpseris, & mandati & furti teneris.
5 Stulta etiam credulitas à furto excusat.
6 In dubio furtum præsumitur, si res aliena contrectata sit.

Furtum autem fit, non solùm cùm quis intercipiendi causa rem alienam amouet: sed generaliter cùm quis alienam rem inuito domino contrectat. Itaque siue creditor pignore, siue is, apud quem res deposita est, ea vtatur: siue is qui rem vtendam accepit, in aliũ vsum eam transferat, quàm cuius gratia ei data est, furtum committit: veluti si quis argentum vtendum acceperit, quasi amicos ad cœnam inuitaturus: & id peregrè secum tulerit: aut si quis equum gestandi causa commodatum sibi, longius aliquò duxerit: quod veteres scripserunt de eo, qui in aciem equum perduxisset.

1 ¶ *Inuito domino.*] Hoc est, Non cõsentiente. Sic enim hoc loco inuitus dicitur etiam qui igno- *f L. qui vas. §. vetare. de furt.*
rat, nec expresse cõsentit [f]. Sed & si sciuerit, nec prohibuerit: adhuc non videbitur consensisse. Qua *g L. pen. de furt.*
in re Pauli contrariam sententiam reiecit Iabolenus. ¶ *Itaque siue.*] Quæ hîc subijciuntur exem- *h L. si pignore. de fur.*
pla sumpta videntur ex Caio, cuius extãt hæc verba in Pandectis [h]; Si pignore creditor vtatur, fur-
2 ti tenetur. Eum, qui quod vtendum accepit, ipse alij commodauerit, furti obligari responsum est.
Ex quo satis apparet, furtum fieri, & si quis vsum alienæ rei in suum lucrum conuertat. Nec mo-
uere quem debet, quasi is nihil lucri sui causa faciat. Species enim lucri est, ex alieno largiri, & be-
3 neficij debitorem sibi acquirere. Vnde & is furti tenetur, qui ideo rem amouet, vt eam alij donet.
Hæc Caius. Quibus addi potest, quod Iulianus scribit [i]; Si pecuniam quis à me acceperit, vt credi- *i L. si quis vxori. §. Iulianus. de furt.*
tori meo soluat: deinde cùm tantam pecuniam eidem creditori deberet, suo nomine soluerit: fur-
tum eum facere. Et Iabolenus [k]; Si rem tibi dederim, vt Titio meo nomine donares, eamque tuo *k L. si tibi dederim. de donat.*
nomine ei dederis: quantùm ad iuris subtilitatem, accipientis facta non est, & tu furti obligaris.
Sed benignius est, si agam contra eum, qui rem accepit, exceptione doli mali me summoueri. Po-
4 stremò & huc pertinet, quod scribit Paulus [l]; Si tibi centum dedero, vt ea Titio dares: tuq; non de- *l L. si mandauero tibi. §. si tibi centũ. de man.*
deris, sed consumpseris: & mandati & furti teneri te Proculus ait.

¶ *Siue creditor pignore.*] Sed & si is (inquit Iabolenus [m]) qui pignori rem accepit, cùm de vendendo pignore nihil conuenisset, vendidit: aut antequam dies venditionis veniret, pecunia non soluta, id fecit, furti se obligat. ¶ *Aut si quis equum.*] Cùm ageretur de equo commodato, vt ad villam duceres, & tu ad bellum duxeris, tuumque esse periculum respondisset Vlpianus, addidit [n]; Quinimo & qui aliter re commodata vtitur: non solùm commodati, verùm furti quoque tenetur, vt Iulianus libro vndecimo Digestorum scribit. Sanè apud Gellium libro quinto capite 17. testatur Brutus, olim quendam furti damnatum fuisse, quòd iumentum aliorsum duxisset, quàm quò vtendum acceperat: idque Mutium Scæuolam respondisse. Quod & Valerius Maximus lib. 8. cap. 2. refert de eo, qui equo, cuius illi vsus vsque ad Ariciam commodatus fuerat, vlteriore eius municipij cliuo vectus esset. *m L. si is qui pignori. de furt.* *n L. si vt certo. §. sed interdum. D. commo.*

Placuit tamen eos qui rebus commodatis aliter vterentur, quàm vtendas acceperint, ita furtum committere, si se intelligant id inuito domino facere: cumque si intellexisset, non permissurum. at si permissurum credant, extra crimen videri. optima sanè distinctione: quia furtum sine affectu furandi non committatur.

¶ *Placuit tamen.*] Id videtur adiectum ex responso Pomponij, quod in Pandectis extat his verbis [o]; Qui re sibi commodata, vel apud se deposita vsus est aliter atque accepit: si existimabat se non inuito domino id facere, furti non tenetur: sed nec depositi vllo modo tenebitur: commodati an tenea- *o L. qui re. de furt.*

an teneatur, in culpa existimatio erit, hoc est, an non debuerit existimare id dominum permissurum. ¶ *Si se intelligant.*]Idq; sese intellexisse, bonaq; fide credidisse iustis coniecturis probent: nec erubescant vel stultã agnoscere credulitatẽ. Nam & ea à furto excusabit, quæ à dolo excusat [a]. Cæ- 5
terùm in dubio periculum est, ne valeat præsumptio furti: saltem vbi nulla est coniectura, nullusq; 6
bonæ fidei color, qui prætexi honestè posit rei temerè ablatæ. In quo sanè recipiendo difficiles esse non debemus. Vnde licet socius rei communis furtum facere posit [b]: non tamen ex sola contrectatione id ab eo factum temerè conijciemus. Verùm potius interpretabimur bona fide id eum fecisse communis vsus gratia, suóve iure [c].

a L. igitur. §. potest. de libe. cau.
b L. si seruus. de fur. l. in re communi. D. pro soc.
c L. merito. D. pro soc.

§. *Sed & si credat.*

1 Qui putat domini se voluntate rem alienam contrectare: fur non est.
2 Dominum confessione sui consensus furem absoluit.
3 Affectum etiam sine secuto effectu puniri.

Sed & si credat aliquis inuito domino se rem commodatam sibi contrectare, domino autẽ volente id fiat; dicitur furtũ non fieri. Vnde illud quæsitum est, cùm Titius seruum Mæuij solicitauerit, vt quasdam res domino subriperet, & ad eum perferret, & seruus id ad Mæuiũ pertulerit: Mæuius autẽ, dum vult Titium in ipso delicto deprehendere, permiserit seruo quasdam res ad eum perferre: vtrùm furti, an serui corrupti iudicio teneatur Titius, an neutro. Et cùm nobis super hac dubitatione suggestum est, & antiquorum Prudentium super hoc altercationes perspeximus, quibusdam neque furti, neque serui corrupti actionem præstantibus, quibusdam furti tantummodo: nos huiusmodi calliditati obuiam euntes, per nostram decisionem sancimus, non solùm furti actionem, sed & serui corrupti contra eum dari. Licet enim is seruus deterior à solicitatore minimè factus est, & ideò non concurrant regulæ, quæ serui corrupti actionem introducunt: tamen consilium corruptoris ad perniciem probitatis serui introductũ est, vt sit ei pœnalis actio imposita, tanquam si re ipsa fuisset seruus corruptus: ne ex huiusmodi impunitate & in alium seruum, qui facilè posset corrumpi, tale facinus à quibusdam perpetretur.

¶ *Sed & si credat.*]Hic locus sumptus videtur ex responso Vlpiani, qui & superiora, & quæ sequuntur, eleganter complexus est his verbis [d]; Rectè dictum est, qui putauit se domini voluntate
rem attingere, non esse furem. Quid enim dolo fecit, qui putat dominum consensurum fuisse? si- 1
ue id falsò, siue verè putet. Is ergo solus fur est, qui contrectauit, quod inuito domino se facere sciuit. Per contrarium quæritur; si ego me inuito domino facere putarem, cùm dominus vellet: an furti actio sit. Et ait Pomponius, furtũ me facere. Verum tamẽ est, vti cùm ego velim, tu, licet ignotes, ne furto sis obligatus. Hæc Vlpianus. quem satis apparet reiecisse Pomponij sententiam, sicu-
ti & alio loco, vbi ait [e]; Quis voluntatem domini habens, fur dici potest? Atque hinc intelligere 2
possumus; dominum confessione sui consensus, furem absoluere, ac liberare: vt nullus eum ad pœnam ideò posit vocare [f]. vt nec alius est, qui furti reum peragere posit, quàm is, cui iniuria facta
est. ¶ *Per nostram decisionem sancimus.*] Extat hæc Iustiniani sanctio libro sexto Codicis [g], in qua 3
ait; Nobis veterum altercationes decidentibus placuit, non solùm furti actionem, sed etiam serui corrupti, contra eum dari. Licet enim seruus minimè deterior factus est, tamen consilium corruptoris ad perniciem probitatis serui introductum est: & quemadmodum secundum iuris regulas, furtum quidem non est commissum, quia is videtur furtum committere, qui contra domini voluntatem res eius contrectat: ipse autem furti actione propter dolum suum tenetur: ita & serui corrupti contra eum actio propter suum vitium non absre extendatur, vt sit ei pœnalis actio imposita, tanquam re ipsa fuisset seruus corruptus: ne ex huiusmodi impunitate & in alium seruum, qui facilè posit corrumpi, hoc facere pertentet.

d L. inter omnes. §. rectè dictum est. de furt.
e L. qui v. n. §. qui ex voluntate. de furt.
f L. Dum. D. ad Senat. Sila.
g L. si quis seruo. C. de furt.

§. *Interdum.*

1 Plagij iudicium quale?
2 Mater vnde non habet furti actionem pro filio, nec frater pro fratre surrepto?

Interdum etiam liberorum hominum furtum fit: veluti si quis liberorum nostrorum, qui in potestate nostra sunt, subreptus fuerit.

¶ *Liberorum hominum furtum fit.*] Atque etiam plagium, si celandi animo abducantur. Estque 1
plagij criminale iudicium ex Lege Fauia. ¶ *Volute si quis.*] Inquit Paulus [h]; Si filiusfa. surreptus 2
sit, patrem habere furti actionem palàm est. Quod responsum etiam Vlpiano tribuitur [i]. Addit autem Paulus [k]: licet furti actio sit liberarum personarum nomine, condictionem tamen nusquam esse. ¶ *Quæ in nostra potestate sunt.*]Ergo nec mater, quæ filium in sua potestate non habet, multo minus frater, licet etiam is de plagio queri posit [l], admittetur ad hanc furti actionem [m]: sed solus pater

h L. si filiusfa. de furt.
i L. eum qui emit. §. si filiusfa. de furt.
k L. mater. §. 1. D. illo tit.
l L. si fratrem. C. ad leg. Fau. de plag.
m dic. l. mater.

pater iure patriæ potestatis: qui aget, vt præstetur duplum vel quadruplum non quidem ipsius filij (nam persona libera æstimari non potest [a]) sed eius, quod interest non fuisse surreptum. *a L.1.§. sed cùm liber homo. de hu qui deie. vel effud.*

§. *Aliquando.*

1 Rei propria nonnunquam furtum fieri, rem tamen ipsam non fieri furtiuam.
2 Qui rem pignori datam interuertit, fur est.
3.4 Qui rem pignoratam vendit, fur est.
5 Debitor, qui pignus surripuit an repetere possit, quod furti actione soluerit?

Aliquando autem etiam suæ rei furtum quis committit: veluti si debitor rem quam creditori pignoris causa dedit, subtraxerit.

1 ¶ *Suæ rei furtum.*] Non fit tamen ipsa res furtiua: ideoque nihilominus ab alio posset vsucapi.
Quod eleganter respondit Paulus, his verbis [b], Si rem pignori datam debitor surripuerit, & vendi- *b L. sequitur. §. si rē. de vsucap.*
derit: vsucapi eam posse Cassius scribit: quia in potestatem domini videtur peruenisse, qui pignori
dederit: quamuis cum eo furti agi potest. quod puto rectius dici. ¶ *Veluti si debitor.*] Hoc exem-
plum rursus paulò pòst inculcat Iustinianus, & videtur desumptum ex responso Vlpiani [c]. *c L. itaque. §. sed & si res. de furt.*
¶ *Rem.*] Etiam vnam aliquam ex pluribus rebus pignori datis. Nam & si reliquæ res sunt sol-
uendo, furti tamen agetur. quia non debemus respicere pignus, quod subreptum non est, sed id
quod subtractum est [d]. ¶ *Pignoris causa dedit.*] Vel quam creditor retinere poterat iure quasi pigno- *d L. eum qui emit. §. Papin. de furt.*
ris, veluti rem commodatam, ob impensas necessarias [e]. ¶ *Subtraxerit.*] Etiam si aliud quippiam *e L. creditoris. §. vlti.*
supposuerit. Si (inquit Paulus [f]) pignori datum est aurum: deinde cùm dixisset se ponderare, aut *l. si is qui rem. de fur.*
2 obsignare velle, æs subiecit: furtum fecit. rem enim pignori datam interuertit. Sed & (inquit idem *f L. cum æs pignori. de furt.*
3 Paulus [g]) si is, qui rem pignori dedit, vendiderit eam: quamuis dominus, furtum facit: siue eam
tradiderit creditori, siue speciali tantùm pactione obligauerit. idque Iulianus putat. Et apertè Vl- *g L. si is qui rem. D. illo tit.*
pianus his verbis [h]; Qui rem pignori dat, eamque surripit, furti actione tenetur. Furtum autem rei
pignoratæ dominus non tantùm tunc facere videtur, cùm possidenti siue tenēti creditori pignus *h L. in actione. §. vlt. illo tit.*
4 aufert, verùm etiam si eo tempore abstulerit, quo non possidebat: vt puta si rem pignoratam ven-
diderit. Nam & hic furtum eum facere constat. & ita Iulianus scribit. Illud prætereundum non est,
quod respondit Papinianus [i]; Debitorem, qui pignus subripuit, non repetere quod actione furti *i L. si debitor. de furt.*
5 soluerit. quanquam æquum videatur, quòd quidam putant eum audiendum & liberandum, si pa-
ratus sit debitum creditori persoluere.

§. *Interdum.*

1.3.4 Cuius ope consilioque, furtum fit, furti nec manifesti tenetur.
2 Et quando condictione etiam?
5 Ope & consilio furtum fieri, non solùm si vt socij furarentur, sed & si inimicitiarum causa id fecerint.
6 In delictis vno pœnam soluente non liberantur reliqui.
7 An, si plures serui furtum fecerint, omnes obligentur?
8 Quid, si duo pluresue vnum tignum furati sint?

Interdum quoque furti tenetur, qui ipse furtum non fecit: qualis est is, cuius ope & consilio furtum factum est. In quo numero est, qui tibi numos excussit, vt alius eos raperet: aut tibi obstiterit, vt alius rem tuam exciperet: aut oues tuas, vel boues fugauerit, vt alius eas acciperet. Et hoc veteres scripserunt de eo, qui panno rubro fugauit armentum. Sed si quid eorum per lasciuiam, & non data opera, vt furtum admitteretur, factum est, in factum actio dari debet. At vbi ope Mæuij, Titius furtum fecerit: ambo furti tenentur.

¶ *Cuius ope & consilio.*] Cicero lib. 3. de Nat. Deor. meminit huius actionis, *OPE CONSILIOQVE*
1 *TVO FVRTVM AIO FACTVM ESSE.* ¶ *Furti tenetur.*] Nec manifesti [k]. Reuera enim hic fur non *k L. in qui opē. de fur.*
est: ideo manifestus esse non potest. Et conuenitur sola furti nec manifesti actione, non autem con
2 dictione, nisi ad eum res peruenerit, vel nisi fur ipse, qui abstulit, non sit soluendo [l]. Sic accipien- *l L. 4. §. si opem ferente. de pecul.*
dum est, quod Paulus ait [m]; nunquam alium quàm qui furtum fecit, condictione furtiua teneri: *m L. ex causa. de condi. furti.*
quodque subiecit Vlpianus [n]; Proinde & si ope & consilio alicuius furtum factum sit, condictione
non tenebitur, etsi furti teneatur. Idem rursus alio loco [o], Quamuis (inquit) earum quoque rerum, *n L. proinde. D. illo ti.*
quas quis non abstulit, furti teneatur: attamen condici ei non potest: idcirco, quia condici ea res, *o L. vulgaris. §. vlti. de furt.*
quæ ablata est, potest. & ita Pomponius scribit. ¶ *In quo numero est.*) Inquit Vlpianus [p]; Si quis de
3 manu alicuius numos aureos, vel argenteos, vel aliam rem excusserit: ita furti tenetur, si ideo fece- *p L. si quis vxori. §. si quis de manu. de fur.*
rit, vt alius tolleret, isque sustulerit.
¶ *Et hoc veteres scripserunt.*] Inquit Vlpianus [a]; Cum eo: qui pannum rubrum ostendit, fuga- *a L. in furti. §. vlt. de furt.*
4 uitque pecus, vt in fures incideret: siquidem dolo malo fecit, furti actio est. Sed & si non furti fa-
ciendi causa hoc fecit, non debet impunitus esse lusus tam perniciosus: idcirco Labeo scribit, in fa-
ctum dandam actionem. Deinde Caius subijcit; Nam & si præcipitata sint pecora, vtilis actio dāni

iniuriæ,quasi ex lege Aquilia dabitur. ¶*Qui panno rubro.*]Naturales philosophi scribunt maximè
Tauros rubro colore efferari,sicuti Elephantes albo,Lynces tympanorum strepitu,Leones,si quis
eos limis oculis aspiciat. ¶*Titius furtum fecerit.*] Neque enim alioqui Mæuius videbitur opem
præstitisse furto,quod factum non est [a].Sed interim meminisse debemus,quod ait Celsus; Ope &
consilio furtum factum videri:non solùm si vt socij furarentur, sed & si inimicitiarum causa id fe- 5
cerit [b]. ¶*Ambo tenentur.*]Et singuli quidem in solidum,vt solutio vnius alterum non liberet, sed 6
debeat quisque delicti sui pœnas dare.Idque in vniuersum Iure Ciuili traditum est; vt,quoties ad-
uersus plures ex delicto actio pœnalis intenditur,vnius pœna alios non liberet: sed debeant singu
li in solidum pœnam suam pendere [c]. Quanquam vbi non ageretur de vera pœna, sed potius de
eo,quod interest,si id semel fuerit solutum,amplius peti non poterit [d]: quia nec amplius interest.
Portò quod hic dicimus de solida obligatione furti à pluribus commissi,trahi non debet ad fami- 7
liam seruorum.Nam si plures serui furtum fecerint:summo quidem iure omnes obligantur. Sed
Prætor ex æquo & bono statuit [e], vt dominus liberetur, si eius furti nomine præstiterit, quantum
præstaretur,si vnus aliquis liber homo furtum fecisset. Quanquam aliud sit in albo corrupto [f]. Il- 8
lud postremò sciendum est,quod ait Vlpianus [g];Si duo pluresve vnum tignum furati sunt, quod
singuli tollere non potuerunt: omnes eos furti in solidum teneri, quamuis id vnus nec cōtrectare
nec tollere solus posset.

- a L. sis qui rem pignori. §. si tu Titium. de furt. l. si quis vxori. §. neque D. allosit.
- b L. si furis §. 1. de fur.
- c L. itē mela § sed si plures. D. ad le. Aqui. l. pen §. vl. D. ne quis eū qui in ius voc. est. l. adeo. de iurisd
- d L. 1. § si plures. de eo per quem fact. erit.
- e L. illud. D. ad le. Aq. l. si familia. D. si fam. furt. fec
- f L si familia de iurisdict.
- g L. vulgaris. §. si duo. de furt.

§. Ope & consilio.

1 *Si quis solius iniuriæ causa, non damni dandi animo, ianuā effregerit, & res inde per alios amota sint, an furti teneatur?*
2 *Maleficia distinguuntur voluntate & proposito.*
3 *Consilium dare opemq; ferre quis dicatur?*
4.5 *An consultor & hortator ob consilium furti teneantur?*
6 *Non oportet laudando augeri malitiam.*

Ope & consilio eius quoque furtum admitti videtur, qui scalas fortè fenestris supponit:aut ipsas fenestras vel ostium effringit, vt alius furtum faceret: quive ferramenta ad effringendum, aut scalas, vt fenestris supponerentur commodauerit: sciens cuius rei gratia commodauerit. Certè qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, sed tantùm consilium dedit,atque hortatus est ad furtum faciendum,non tenetur furti.

¶*Ope & consilio.*] Inquit Caius [h], Qui ferramenta sciens commodauerit ad effringendum o-
stium,vel armarium: vel scalam, sciens cuius rei gratia id fieret, commodauerit ad ascendendum:
licet nullum eius consilium principaliter ad furtum faciendum interuenerit.tamen furti actione
tenetur. ¶*Vt alius.*]Aliquis scilicet,siue certus is sit,siue incertus. satis enim est hoc fieri inimici-
tiarum causa,& nocendi animo [i].Sed si quis non damni dandi animo, verùm solius iniuriæ causa, 1
ianuam effregerit: quamuis inde per alios res amotæ sint, non tenetur furti,vt ait Paulus [k]. & ad-
dit hanc rationem,Nam maleficia,voluntas & propositum delinquentis distinguūt. ¶*Sciens cu* 2
ius rei gratia.] Inquit Vlpianus [l];Rectè Pedius ait;Sicut nemo furtum facit sine dolo malo: ita nec
consilium vel opem ferre sine dolo malo posse. Deinde adijcit; Consilium autem dare videtur,
qui persuadet,& impellit atq; instruit consilio ad furtum faciendum.Opem fert,qui ministerium
atq; adiutorium ad surripiendas res præbet. ¶*Hortatus est.*] Eum scilicet, qui & alioqui furtum 3
facturus erat. Cæterùm si quem nihil tale meditantem, eò sceleris improbo nostro hortatu impu-
lerimus: non video cur non debeamus furti teneri, cuius tota causa primaque origo ex nobis est. 4
Quare vel opem vel ita consilium dare,tunc omnino nocet,vbi secuta est contrectatio [m]. Saltem
si sceleris consultor & hortator furti non tenetur,quia solo verbo furtum non fiat:alia pœna plecti
debet. Sanè in seruo corrupto non distinguimus,vtrum alioqui facturum hortati sumus, an frugi 5
corruperimus. Imò (inquit Vlpianus [n]) & si erat seruus omnimodo fugiturus, vel furtum factu-
rus:hic verò laudator huius propositi extitit,tenetur. Non enim oportet laudando augeri mali-
tiam. Siue ergo seruum bonum,fecerit malum:siue malum fecerit deteriorē: corrupisse videbitur. 6

- h L. si pignore. §. pen. de furt.
- i L in furti. §. 1. de furt.
- k L. qui iniuria. de furt.
- l d. l. in furti. §. rectè.
- m L. si quis vxori. §. neque verbo. de furt.
- n L. 1. §. sed verū. de ser. corrup.

§. Hi qui.

1.2.6 *Serui & filij cur, cùm furtum quidem nobis faciant, furti tamen nobis non teneantur?*
3 *Furta domestica an publicè vindicentur?*
4 *Quid, si seruus communis vni ex dominis furtum fecerit?*
5 *An seruus, qui furtum fecit, si alienatus vel manumissus sit, furti actione teneatur?*
6 *Quid, si opem ferente seruo meo, tu mihi furtum feceris?*

Hi,qui in parentum vel dominorum potestate sunt, si rem eis subripiunt, furtum quidem faciunt, & res in furtiuam causam cadit (nec ob id ab vllo vsucapi potest, antè

quàm

quàm in domini potestatem reuertatur) sed furti actio non nascitur: quia nec ex alia vlla
causa potest inter eos actio nasci. Si verò ope & consilio alterius furtum factũ fuerit: quia
vtrique furtum committitur, conuenienter ille furti tenetur: quia verum est, ope & consi-
lio eius furtum factum esse.

¶ *Hi qui.*]Inquit Vlpianus [a], Serui & filij nostri furtum quidem nobis faciunt: ipsi tamen furti *a L. serui & filij. de*
1 nobis non tenentur. Neque enim qui potest in furem statuere, necesse habet aduersus furem liti- *fur.*
gare. Idcirco nec actio ei à veteribus prodita est. ¶ *Furti actio.*] Neque enim ea patri vel domino
opus est, cùm sibi consulere suo iure possint per deductionem ex peculio. Nec quod surripuit ser-
2 uus domino, fiet peculij [b]. Sed nec accusatione criminali hic opus est. Neque enim inquit (Marcel *b L. 4. §. ex his. de pec.*
lus [c]) furta domestica, si leuiora sint, publicè vindicanda sunt: nec admittenda est huiusmodi ac- *c L. respiciendum. §.*
3 cusatio. Sed de hac priuata patris vel domini animaduersione plura libro primo diximus. Illud *furta. de pœn.*
hoc loco notandum est, quod ait Africanus [d]; Si seruus communis vni ex dominis furtum fecerit; *d L. si seruus commu-*
4 Communi diuidundo agi, & arbitrio iudicis contineri, vt aut damnum præstet alter dominus, aut *nis. de furt.*
partem cedat. ¶ *Non nascitur.*]Et si à principio nasci non potest, non nascetur postea. Vnde cùm
quæsitũ esset; an seruus, qui furtum fecerit, si fuerit alienatus vel manumissus, furti actione tenea-
5 tur? Respondit Vlpianus [e], non teneri. Et addit; Neque enim actio, quæ non fuit ab initio nata, o- *e L. serui & filij. de*
riri potest aduersus hunc furem. ¶ *Quia nec.*] Inquit Paulus [f]; Ne cum filiofamilias pater furti a- *furt.*
6 gere possit, nòn iuris constitutio, sed natura rei impedimento est: quia non magis cum ijs, quos in *f L. ne cum filiofa. de*
potestate habemus, quàm nobiscum ipsi agere possumus. Rectè itaque Caius [g], Lis nulla (inquit) *furt.*
nobis esse potest cum eo, quem in potestate habemus, nisi ex castrensi peculio. *g L. lis nulla. de iudi.*

¶ *Si verò.*]Videtur id adiectum ex alio Vlpiani responso, apud quem est [h]; Placuit eum qui fi- *h L. si seruo. §. itẽ pla-*
lio, vel seruo, vel vxori opem fert furtum facientibus, furti teneri, quamuis ipsi furti actione non *cuit. de furt.*
conueniantur. Et Pomponius ait; Si cum rebus aufugerit fugitiuus, furti actione solicitatorẽ con
ueniri rerum nomine: quia opem & consilium contrectatori tulerit. quod & Sabinus significat.
Porrò autem è diuerso; si opem ferente seruo meo, tu mihi furtum feceris, respondit Pomponius [i]; *i L. 4. §. si opẽ. de pecu.*
7 Id ex peculio deducendum esse, quo minus ob rem surreptam consequi possum.

§. *Furti autem.*

1 *Actionem furti habet is, cuius interest rem non surripi.*
2 *Interesse quale hic intelligamus.*
3 *Fur furti an agere possit?*
4. 6 *Vt furti agatur, interesse quomodo oportet?*
5 *Lucrum interceptum an pro damno esse possit?*
7 *Emtor, si res tradita non est, furti actionẽ non habet.*
8 *De pignore creditori actio furti an detur?*
9 *An creditori competat actio, si bona debitoris sui, quæ sibi iure pignoris obligata non sunt, furto surripiantur.*

Furti autem actio ei competit, cuius interest rem saluam esse, licet dominus non sit.
Itaque nec domino aliter competit, quàm si eius intersit rem non perire. Vnde constat
creditorem de pignore subrepto, furti actione agere posse, etiam si idoneum debitorem
habeat: quia expedit ei, pignori potius incumbere, quàm in personam agere. adeò qui-
dem, vt quamuis ipse debitor eam rem subripuerit, nihilominus creditori competat a-
ctio furti.

¶ *Furti autem.*] Inquit Iustinianus [k]; Manifestißimi iuris est, perpetrato furto ei competere *k L. vl. C. de furt.*
furti actionem, cuius interest ne furtum committatur. Manifestum autem est ex Vlpiano, qui re-
1 spondit [l]; Eum actionem furti habere, cuius interfuit non surripi. ¶ *Cuius interest.*] Vel aliquan- *l L. cuius de furt.*
do interfuit, necdum desijt interesse: vt si res furto sublata perierit [m]. Sed si desierit omnino inter- *m L. inter omnes. de*
esse, vt nec appareat aliquãdo interfuisse: furti actio euanescit [n]. Interesse autem hic oportet ex ho- *furt.*
2 nesta causa. Neq; enim aliter furti actionem dari, respondit Paulus [o]. Vnde si quis alteri furtum fe *n L. si vendidero. §. si Titius. de furt.*
cerit: & id quod surripuit, alius ab eo surripuit: cum posteriore fure dominus eius rei, furti agere po *o L. is cuius. de furt.*
test: fur prior non potest: ideo quòd domini interfuit, non prioris furis, vt id quod surreptum est,
saluũ esset. Hæc Quintus Mutius refert, & vera esse testatur Pomponius [p], addita hac ratione; Nam *p L. qui re. §. 1. de fur.*
licet intersit furis rem saluam esse, quia condictione tenetur: tamen cum eo, is cuius interest, furti
3 habet actionem, si honesta ex causa interest. Extat tamen apud Vlpianum casus, in quo fur furti a-
4 git [a]: sed agit ipsius rei nomine, cùm ipse fur esset non tam ipsius rei, quàm vsus eius. Præterea hic *a L. qui vas. §. si ego. de furt.*
vt furti agatur, interesse oportet nõ modò propter ereptam lucri occasionem, sed & damnum da-
tum. Vnde Iabolenus [b]; Eius rei (inquit) quę pro hærede posidetur, furti actio ad possessorem non *b L. is cui commoda te. §. vlt. de furt.*
pertinet: quamuis vsucapere quis posit: quia furti agere potest is, cuius interest rem non surripi.
Interesse autem videtur eius, qui damnum passurus est: non eius, qui lucrum facturus esset. Sed hic
5 meminisse oportet; posse lucrum esse tam certum, vt id interceptum pro damno sit. Vnde si seruus
qui surreptus est, hæres institutus fuerit: furti iudicio actor consequetur etiam pretium hæredita-
tis: si modò seruus, antequam iussu domini adeat, mortuus fuerit [c]. Postremò interesse oportet ra- *c L. si quis vxori. §. si seruus. de furt.*
6 tione iuris realis, veluti proprietatis interceptæ, vel pignoris, vel possessionis, vel vsus. Cæterùm

 rei tan-

rei tantùm nobis promissę, aut debitę ratio non habebitur. Ergo is cui ex stipulatu res debetur, fur-
a L. is cui. D. illo tit. ti actionem non habet, si ea surrepta sit, inquit Paulus [a]. Et eum, qui emit, si non est tradita ei res, 7
b L. eum qui emit. D. illo tit. furti actionem non habere, sed venditoris esse hanc actionem, Celsus [b] scribit. ¶ *Vnde constat*]
c L. itaque fullo. §. sed & si res. D. illo tit. Inquit enim Vlpianus; [c] Sed si res pignori data sit, creditori quoque damus furti actionem: quan- 8
uis in bonis eius res non sit. Quinimo non solùm aduersus extraneum ei dabimus, verùm etiam
contra ipsum quoque dominum, furti actionem. Et ita Iulianus scripsit. Nec non & ipsi domino
dari placet. & sic fit, vt non teneatur furti, & agat Ideo autem datur vtriq; furti actio, quia vtriusq;
interest. Sed vtrū semper creditoris interest: an ita demum, si debitor soluendo non est? Putat Pom
ponius semper eius interesse pignus habere. quod & Papinianus libro duodecimo Quæstionum
probat. Et verius est, vbique videri creditoris interesse. & ita Iulianus sæpissimè scripsit. ¶ *Pignore*
d L. eum qui emit. §. Papin. de furt. *surrepto.*] Vel etiam vno ex pluribus [d], vti etiam paulò antè diximus. Sanè & si omnia debitoris bo-
na furto surrepta essent: si non sint creditori obligata, non competet creditori actio, etiam si eius 9
e L. interdum. de fur. non parum interesse videatur. Rectè itaq; Caius [e], Interdum (inquit) accidit, vt non habeat furti
actionem is, cuius interest rem saluam esse: vt ecce creditor ob rem debitoris surreptam furti age-
re non potest etiam si aliunde creditum seruare non possit. Loquimur autem scilicet de ea re, quæ
pignoris iure obligata non sit. ¶ *Agere posse.*] Idq; in solidum, & ipsius rei consequendę ergò, non
habita nominis ratione, si modò eam rem ipse sua culpa amiserit: quia tum eius omnino interest,
qui debitori teneatur contraria actione pigneratitia. Id quod eleganter tradidit Papinianus, his
f L. eum qui emit §. idem scribit. de furt. verbis [f]; Si cùm mihi decem deberentur, seruus pignori datus subtractus sit, & actione furti conse-
cutus fuero decem: non competere mihi actionem furti, si iterum surripiatur: quia desijt mea in-
teresse, cùm semel sim consecutus Hoc ita, si sine mea culpa surripiatur. Nam si culpa meæ: quia in-
terest mea. eò quòd teneor pigneratitia actione, agere potero. Quòd si culpa abest: sine dubio actio
competere domino videtur, quæ creditori non competit. Quam sententiam Pomponius quoque
g L. plus cautionis. de reg. iur. libro decimo ad Sabinum probat. ¶ *Quia expedit ei.*] Inquit Pomponius [g], Plus cautionis in rem
est, quàm in personam.

§. *Item si fullo.*

1.2 Fullo actionem furti vbi habeat?
3 Furtiuam condictionem idem non habet.
4.5 Malæ fidei possessori furti actio an detur?
6 Emtor non nisi re tradita furti actionem habet.
7.8 Nihil ab eo qui nihil habet accepit.
9 Qui soluendo esse intelligatur?

Item si fullo poliendâ curandáve, aut sarcinator sarcienda vestimenta mercede certa constituta acceperit, eaq; furto amiserit, ipse furti habet actionem, non dominus: quia domini nihil interest eam rem nō perire: quum iudicio locati à fullone aut sarcinatore rem suam persequi possit. Sed & bonæ fidei emptori subrepta re quam emerit, quamuis dominus non sit, omnino cōpetit furti actio, quemadmodum & creditori. Fulloni verò & sarcinatori non aliter furti actionem competere placuit, quàm si soluendo fuerint: hoc est, si domino rei æstimationē soluere possint. Nam si soluendo non sint, tunc quia ab eis suum dominus consequi non possit, ipsi domino furti cōpetet actio: quia hoc casu ipsius interest rem saluam esse. Idem est, & si in parte soluendo fuerit fullo aut sarcinator. Quæ de fullone & sarcinatore diximus, eadem & ad eum, cui commodata res est, transferenda veteres existimabant. Nam vt ille fullo mercedem accipiēdo, custodiam præstat: ita is quoq;, qui commodatum vtendi causa accepit, similiter necesse habet custodiam præstare.

h L. itaq; fullo. de fur. ¶ *Item si fullo.*] Videtur hic locus petitus partim ex Vlpiano [h], partim ex Iaboleno [i]. ¶ *Furto* 1
i L. fullo. de furt. *amiserit.*] Non omnino tamen sine sua culpa. Alioqui licet custodiam præstare debeat, vt ait Vlpia-
nus: posset tamen omnia præstitisse, quæ desiderari possunt in fideli vigilantiq; rei alienæ custode:
nec tamen damnum effugisse. Qua enim cura aut diligentia consequi possemus, ne quis omnino
k L. ad eos. D. commo. damnū nobis iniuria daret [k]? Cuiusmodi damnū, quod sine vlla culpa accidit, ęquum nō esset fullo- 2
nem præstare: & ideo furti hic non ageret. quia nec eius est periculum: sed dominus aget, cuius est
periculum. ¶ *Furti habet actionem.*] Non etiam condictionem furtiuam: quæ soli domino compe- 3
tit, vt rem suam consequatur. Id quod multum lucis addit respōso Labeonis, quod huc pertinet,
l L. cùm in plures. §. vestimenta. D. locat. & in Pandectis extat his verbis [l]; Vestimenta tua fullo perdidit: & habes vnde petas, nec repetere
vis: ages nihilominus ex locato cum fullone: sed iudicem æstimaturū, an magis aduersus furē pos-
sis agere, & ab eo res tuas cōsequi fullonis videlicet sumptibus. Sed si hoc tibi impossibile esse per-
spexerit, tunc fullonem tibi quidem condemnabit. tuas autem actiones te ei præstare compellet.
¶ *Iudicio locati.*] Quod quidem si fulloni remissum esset: ipse non aget furti, sed dominus, cuius in-
terest. Et si furti egisset, priusquā ex locato cum eo ageretur, & antequā de furto iudicaretur, locati
m L. fullo. 2. de furt. actione liberatus esset: & fur ab eo absolui debet [m]. ¶ *Bonæ fidei.*] Inquit Vlpianus [n], Sed furti actio
n L. itaque. de furt. malę fidei possessori nō datur, quāuis interfit eius rem nō surripi: quippe cùm res eius periculo sit. 4
sed nemo de improbitate sua cōsequitur actionē & ideo soli bonę fidei possessori, non etiā malę fi- 5
dei, furti actio datur. Porrò quomodo ex honesta causa interesse debeat, vt furti agatur, suprà dixi.

¶ *Emerit.*]

6 ¶ *Emerit.*]Eremptam acceperit. Nam eum qui emit. si non ei tradita res est, furti actionem
non habere. sed adhuc venditoris esse hanc actionem, Celsus scribit [a]. ¶ *Fulloni verò.*]Et Id quoq;
sumptum videtur ex Vlpiano, qui de fullone loquens [b], ait; Si autem soluendo non est, ad domi-
7 num actio redit. Nam qui nõ habet quod perdat, eius periculo nihil est. Sic etiam dicere solemus;
inanem esse actionem aduersus eum, qui nihil habet [c]. Nempe, inquit ille apud Lucianum Me-
8 nippus, ἵνα ἂν λάβοιτε παρὰ τοῦ μὴ ἔχοντος. ¶ *Idem & si in parte.*] Nam nemo intelligitur soluendo esse,
9 nisi qui solidum soluere [d] potest. Multumq; hic domini interest, ne cogatur vnicum iudicium di-
uidere, & cum pluribus conflictarier aduersarijs [e].

a L. eum qui emit. de furt.
b dict. l. itaque.
c L. nam n. de dolo.
d L. soluẽdo. de verb. signific.
e L. 2. de exerc. act. l. iam tamen. §. pen. D. ind sol.

§. Sed nostra.

1 Re commodata duobus, singuli in solidum culpam domino praestant & custodiam.
2 Actionis vnius electio alteram perimit, nec ad aliam patet regressus.
3 Vxor quae rem commodatam marito commodatario subtraxerit, an domino furti teneatur?

Sed nostra prouidentia etiam hoc in nostris decisionibus emendauit, vt in domini voluntate sit, siue commodati actionem aduersus eum, qui rem commodatam accepit, mouere desiderat: siue furti aduersus eum, qui rem subripuit: & alterutra earum electa, dominum non posse ex poenitentia ad alteram venire actionem. sed si quidem furem elegerit: illum, qui rem vtendam accepit, penitus liberari. sin autem commodator veniat aduersus eum, qui rem vtẽdam accepit: ipsi quidem nullo modo competere posse aduersus furem furti actionem: eum autem, qui pro re commodata conuenitur, posse aduersus furem furti habere actionem: ita tamen, si dominus sciens rem esse subreptã, aduersus eum, cui res commodata fuerit, peruenit. sin autem nescius & dubitans rem esse subreptam, apud eum commodati actionem instituerit: postea autem re comperta voluerit remittere quidem commodati actionem, ad furti autem actionem peruenire: tunc licentia ei conceditur & aduersus furem venire, obstaculo nullo ei opponendo, quoniam incertus constitutus mouit aduersus eum, qui rem vtendam accepit, commodati actionem: nisi domino ab eo satisfactum fuerit. tunc etenim omnino furem à domino quidẽ furti actione liberari: suppositum autem esse ei, qui pro re sibi commodata domino satisfecit: quũ manifestissimum sit, etiam si ab initio dominus actionẽ commodati instituerit, ignarus rem esse subreptam: posteà autem hoc ei cognito, aduersus furem transierit: omnino liberari eum, qui rem commodatam acceperit, quemcunque causae exitum dominus aduersus furem habuerit: eadem definitione obtinente siue in parte, siue in solidum soluendo sit is, qui rem commodatam acceperit.

¶ *Etiam hoc.*]Quod scilicet hic veteres commodatarium conferebant fulloni. Visum est enim Iustiniano multum inter eos esse discriminis: quia cum fullone contractus ineatur vtriusque gratia: at cum commodatario, eius vnius ergò. vt aequius hic sit liberalis domini arbitrio saltem relinqui electionem actionis.

¶ *In nostris decisionibus emendauit.*]Extat haec Iustiniani emendatio & Decisio libro sexto Codi-
cis [f]. In qua pluribus adhuc verbis explicantur omnia, quae hic satis verbosè inculcantur. Illud
porrò hoc loco praetereundum non est, quòd cùm docuisset Vlpianus [g]; Re commodata duobus,
1 singulos in solidum praestare culpam & custodiã domino, & ambobus competere furti actionem:
subiecit Pomponius; Alterutro agente, alterius actionem contra furem tolli. Deinde Vlpianus [h]
ait; Vnde quaeritur, si alter furti egerit, an ipse solus debeat commodati conueniri. Et ait Celsus; Si
alter conueniatur. qui furti non egit, & paratus sit periculo suo conueniri alterum, qui furti agen-
2 do lucrum sensit ex re commodata: debere eum audiri, & absolui. ¶ *Alterutra electa.*]Quoties duę
competunt eiusdem rei nomine actiones, vnius electio alteram consumit: nec patet ad aliam re-
gressus, inquit Vlpianus [i]: nempe nisi quis errore deceptus sit. vt ait idẽ Vlpianus [k]. Porrò si hic do-
minus & furem & commodatarium diutius ludat suspensos, & incertos fatiget, saepius cõperen-
dinato electionis tempore: poterit illi certus dies praestitui à iudice, quo teneatur omnino alteru-
utram eligere actionem [l]. ¶ *Soluendo sit u.*]Hic tamen notandum est, quod in sua Constitutione
3 addidit Iustinianus; Si maritus commodatarius, cui rem vxor subtraxit, soluendo sit: omnino do-
minum contra eum commodati agere, nec posse contra mulierem furti agere: sed maritum con-
uentum postea contra vxorem acturum de rebus amotis [m].

f L. vlt. C. de furt.
g L. si vt certo. §. vlt. D. commod.
h L. vnde quaeritur. D. commod.
i L. quod in haerede. §. 1. de tribu.
k L. sed si ex parte. §. vlt. D. quod cũ eo qui in alie.
l L. quandiu institutus. de acq. hered.
m L. vlt. §. vlt. C. de furt.

§. Sed is apud.

1 Depositarius, cum dolum tantum praestet, furti agere nequit.
2 Quid, si per culpam quam depositarius repromiserit, furtum factum sit?

Sed is, apud quem res deposita est, custodiam non præstat: sed tantùm in eo obnoxius est, si quid ipse dolo malo fecerit. qua de causa si res ei subrepta fuerit: quia restituendæ eius rei nomine, depositi non tenetur: nec ob id eius interest rem saluam esse: furti agere non potest, sed furti actio domino competit.

a L. eum qui. §. is autem. de furt.

b L. 2. §. & generaliter. D. vi bon. rap.

¶ *Sed is apud quem.*]Hic locus sumptus est ex Vlpiano, qui respondit [a]; Is autem apud quem res
deposita est, videamus an habeat furti actionem. Et cùm dolum duntaxat præstet, meritò placet, 1
eum non habere furti actionem. Quid enim eius interest, si dolo careat? Quòd si dolo fecit, iam
quidem periculum ipsius est: sed non debet ex dolo suo furti quærere actionem. Hæc ille. Quòd si
culpam repromiserit, & per eam furtum factum sit, sic vt eius intersit: habebit actionem. quod a- 2
lio loco Vlpianus [b] docuit: & docet sequenti titulo Iustinianus.

§. *In summa.*

1 Impubes, qui iam doli capax est, furtũ facere potest.
2.3 Aetas impunitatem, aut beneficium restitutionis quatenus præbeat?
4 Pubertati proximus quis?
5.6 De puero cornicum oculos configente, & Patroclo puero, multatis.

In summa, sciendum est, quæsitum esse, an impubes rem alienã amouendo furtum faciat. Et placuit, quia furtum ex affectu furandi consistit, ita demum obligari eo crimine impuberem, si proximus pubertati sit, & ob id intelligat se delinquere.

c L. impuberẽ. de fur.

d L. 1. C. si aduer. delict.

e L. impunit as. C. de pœnis.

f L. si ex causa. §. nũc videndum. de mino.

g L. auxiliũ. §. in delictis de minor.

h L. pupillũ. de reg. iu.

i L. sed & si quemcunque. §. vlti. D. ad leg. Aq. l. infans. D. ad le. Cor. de sic.

k L. 1. §. impubes. D. ad Sylla.

l L. non tantum. de excu. tut.

m L. aut facta. §. 1. de pæn.

¶ *In summa.*]Totus hic locus sumptus videtur ex respõso Vlpiani, quod extat his verbis [c]; Im- 1
puberem furtum facere posse, si iam doli capax sit, Iulianus libro 22. Digestorum scriptit. ¶ *Ita
demum obligari.*] Ergo saltem aliquando obligatur: nec suffragio ætatis iuuatur in delictis [d]. Neque 2
enim præbet ætas impunitatem [e], aut beneficium restitutionis [f], nisi quatenus minoris ætatis mi-
serario iudicem flectere potest ad misericordiam, aut mitiorem pœnam [g]. ¶ *Proximus pubertati.*]
Vt scilicet videatur doli capax [h]. Alioqui enim impubes non dicitur peccare: quòd non censeatur
intelligere quod agit [i]: eiusque ætas mereatur excusationem [k]. Certum autem hic annorum nu- 3
merum præscribere non possumus, cùm res tota pendeat à varijs rerum circumstantijs. Callistra-
tus quidem quodam loco interpretatus [l] est; pupillorum ætatem probe pubertatem esse, si nõ nisi
semestre tempus reliquum sit ad pubertatem. Verùm id ad generalem cõsequentiam aut regulam 4
trahere non possumus: cùm & delictorum mille sint formæ, & ingeniorum. Nec tam annorum
numerum, quàm ætatis doli capacis malitiam expendere debeat bonus iudex. Legimus olim pue-
rum ob cornicum oculos crudeli ludo confixos graui pœna mulctatum, quòd ea viderentur ma- 5
ioris crudelitatis & sæuitiæ progymnasmata. Et Patroclus puer, cùm in aleæ ludo, sodalẽ puerum
fortè occidisset, exilio punitus est, vti ex Homero refert etiam noster Saturninus [m].

§. *Furti actio.*

1 Exempla, vbi furti actio nõ merè pœnalis est, sed in duplo & quadruplo res ipsa furtiua annumeratur.
2 Actiones quæ rem persequũtur cur per furti actionem pœnalem non consumantur?
3 Iuliani responsum; Furti quæstionem sublatam esse, si fur non nisi rem simpliciter restituere iussus sit, declaratum.
4 In hæredes furis an furti actio competat?
5 Ex maleficijs pœnales actiones in hæredem rei non dari, sed hæredibus non denegari.
6 Condictio furtiua quæ contra furis hæredem detur?

Furti actio, siue dupli, siue quadrupli, tantùm ad pœnæ persecutionẽ pertinet. Nam ipsius rei persecutionem extrinsecus habet dominus, quam aut vindicãdo, aut condicendo potest auferre. Sed rei vindicatio quidem aduersus possessorem est: siue fur ipse possidet, siue alius quilibet. condictio autem aduersus furem ipsum, hæredémve eius, licet non possideat, competit.

n L. hoc edicto. §. vlt. de publica.

o L. in tutelæ. in fi. de tut. & rat. distrah.

p L. 7. §. 1. de cond. furt. l. nulla. C. de fur. l. vlt. C. de noxa.

a L. interdum. §. qui furem. de furt.

¶ *Tantùm ad pœnæ persecutionem.*]Sic, vt totum duplum vel quadruplum pœna sit. Sanè tamen 1
in duplo, quod Publicanus pendit ob rem iniuria extortam vectigalis prætex[illegible], res ipsa annume-
ratur [n]; vt solum simplum pœna sit; quemadmodum & in duplo, quod debet tutor interuertẽs res
pupilli [o]. Imò etiam in eo quadruplo, quo raptor violentus mulctatur. ¶ *Extrinsecus habet.*] Pro-
ptereaque hæ actiones quæ rem persequuntur, non consumuntur per furti actionem pœna- 2
lem [p]. Sicuti neque è diuerso tollitur pœnalis, etsi actum sit ea actione, per quam quis iam
rem est consecutus. Quid igitur sibi vult Iulianus [a], qui respondit; furti quæstionem sublatam 3
esse, si fur ad præfectum vigilum vel Præsidem deductus, non nisi rem simpliciter restituere iussus sit? Satis enim esse, quòd in periculum maioris pœnæ deductus esset. Vulgus interpretum nihil hic solidi affert. Sed quod accepi à duobus doctissimis viris proponam. Alter iudicat, in eo casu sublatam esse actionem furti, quia qui furem deduxit ad Magistratum, huiusque arbitrio rem

totam

totam commisit, videatur ius totum suum semel simulque deduxisse, præsertim cùm Magistratus
liberam haberet potestatem pœnæ in vniuersum statuendæ. At non idem dici posse, vbi iure ordi-
3 nario sola condictio intenditur, & à Prætore iudex eius causa datur, certaque etiam formula con-
stringitur. Alter existimabat in eo Iuliani loco non esse sublatam furti actionem pœnalem in du-
plum vel quadruplum, sed solam quæstionem. hoc est, criminalem accusationem, qua fur extra
4 ordinem castigatur, & quæ alioqui concurrit cum actione pœnali [a]. ¶ *Hæredémve eius.*] In hunc *a L. vlti. de furt.*
tamen pœnalis furti actio non datur, nisi fuerit lis cum fure superstite contestata. Hæredi verò
eius, qui damnum passus est, hæc actio non denegatur. Sic enim postea docet Iustinianus [b], cer- *b §. non autem, instit.*
5 tissimam esse iuris regulam; Ex maleficijs pœnales actiones in hæredem rei non competere; sed *perp. & temp. act.*
hæredibus non denegari; excepta iniuriarum actione. Cicero libro septimo Epistolarum scribit
ad Trebatium; Illuseras heri inter scyphos, quòd dixeram controuersiam esse, possétne hæres,
quòd furtum antea factum esset, rectè furti agere. Itaque & si domum bene potus seroque redie-
ram, tamen id caput, vbi hæc est controuersia, notaui: & descriptum tibi misi, vt scires, id quod tu
neminem sensisse dicebas, Sex. Ælium, M. Manilium, & M. Brutum sensisse. Ego tamen assentior
Scæuolæ & Testę. Hic si Tullius quærebat, an hæres eius, qui furtũ passus est, eo nomine furti agat:
nulla dubitatio est, posse, vt ostendit iuris regula, quam nunc proposuimus. Sin potius quæreba-
tur, an si quid ex hæreditate iacente, necdum adita, esset ablatum furti, agatur: iustior erat dubita-
tio. Extat autem in nostris Pandectis responsum Marcelli [c], quo perspicuè definitur hæc contro- *c L. hæreditariæ. de furt.*
uersia: Ait enim; Hæreditariæ rei furtum fieri Iulianus negabat, nisi fortè pignori dederat defun-
ctus, aut commodauerat: addit Scæuola, Aut in qua vsusfructus alienus est. His enim casibus (in-
quit Marcellus) putabat hæreditariarũ rerum fieri furtum & vsucapionem impediri. idcirco hæ-
6 redi quoque actionem furti competere posse. Porrò condictionem furtiuam, quæ pœnalis non
est, sed rem persequitur, dari contra hæredem furis, licet nõ possideat. alijs quoq; locis traditum [d] *d L. 3. & L. 7. §. vlt. de cond. fur.*
est: & quidem dari pro qua parte hæres [e] est, licet fortasse minus ad eum peruenerit ex hæreditate. *e L. in condictione. de cond. furt.*

De Vi bonorum raptorum, Tit. II.

VI res alienas rapit, tenetur quidem etiam furti (quis enim magis alienam rem inuito domino contrectat, quàm qui vi rapit? ideoque rectè dictum est, eum Improbum furem esse) sed tamen propriam actionem eius delicti nomine Prætor introduxit, quæ appellatur Vi bonorum raptorum: & est intra annum quadrupli: post annum, simpli: quæ actio vtilis est, etiam si quis vnam rem, licet minimam, rapuerit. Quadruplum autem non totum pœna est, sicut in actione furti manifesti diximus: sed in quadruplo inest & rei persecutio: vt pœna tripli sit, siue comprehendatur raptor in ipso delicto, siue non. Ridiculum enim esset, leuioris conditionis esse eum, qui vi rapit, quàm qui clàm amouet.

Ita tamen competit hæc actio, si dolo malo quis rapuerit. Nam qui aliquo errore ductus, rem suam esse existimans, & imprudens iuris, eo animo rapuerit, quasi domino liceat etiam per vim rem suam auferre à possessoribus: absolui debet. Cui scilicet conueniens est, nec furti teneri eum, qui eodem hoc animo rapuit. Sed ne, dum talia excogitantur, inueniatur via, per quam raptores impunè suam exerceant auaritiam: melius Diualibus Constitutionibus pro hac parte prospectum est, vt nemini liceat vi rapere vel rem mobilem, vel se mouentem, licet suam eandem rem existimet. sed si quis contra statuta Principum fecerit, rei quidem suæ dominio cadere. sin autem aliena res sit, post restitutionem eius, etiam æstimationem eiusdem rei præstare. Quod non solum in mobilibus rebus, quæ rapi possunt, Constitutiones obtinere censuerũt: sed etiam in inuasionibus, quæ circa res soli fiunt, vt ex hac causa ab omni rapina homines abstineant.

Sanè in hac actione non vtique expectatur, rem in bonis actoris esse. nam siue in bonis sit, siue non: si tamen ex bonis sit, locum hæc actio habebit. Quare siue locata, siue commodata, siue etiam pignorata, siue deposita sit res apud Titium, sic vt intersit eius eam rem per vim non auferri (veluti si in deposita re culpam quoque promisit) siue bona fide possideat, siue vsumfructum quis habeat in ea, vel quid aliud iuris, vt intersit eius non rapi: dicendum est, ei competere hanc actionem, non vt dominium accipiat: sed illud solum, quod ex bonis eius, qui rapinam passus est, id est, quod ex substantia eius ablatum esse proponatur. Et generaliter dicendum est, ex quibus causis furti actio competit in re clàm facta, ex eisdem causis omnes habere hanc actionem.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Ex quibus causis furti actio competit in re clam sublata, ex ijsdem datur actio, Vi bonorũ raptorum, in re vi rapta.
2.3.8 Raptor quàm multis iudicijs teneatur?
4 Raptor fur manifestus non tenetur tamen pœna furti manifesti, sed non manifesti.
5 Raptor fur est improbior.
6 Quid, si Christianus Iudæo vim inferat?
7 Raptor cur mitius puniatur quàm fur?

a L. 2. §. vlt. D. vi bon. rap.

Q*Vi res alienas rapit.*] Quid de hæredibus? Inqnit Vlpianus [a]; Hæc actio hæredi cæterisq́; successoribus dabitur. aduersus hæredes autem & cæteros successores, non dabitur: quia pœnalis actio in eos non datur. An tamen in id quo locupletiores facti sunt, dari debeat, videamus. Et ego puto Prætorem ideò non esse pollicitum in hæredes, in id quod ad eos peruenit, quia putauit sufficere condictionem. ¶ *Alienas res.*] Quas interest eius, qui vim passus est, habere. Nam generaliter ex quibus causis furti actio competit in re clàm sublata, ex ijsdem causis datur hæc actio Vi bonorum raptorum, in re vi rapta [b]. 1

b dic. l. 2. §. & generaliter.
c L. 1. D. vi bon. rap.

¶ *Tenetur etiam furti.*] Nec manifesti in duplum, inquit Paulus [c]: qui deinde addit, Quòd si antè actum sit, Vi bonorum raptorum: denegandā esse furti actionem. Si autem ante furti actum sit, non esse hanc actionem bonorum raptorum denegandam: vt saltem id, quod amplius in ea est, consequatur. Vlpianus commemoraturus, quàm multis iudicijs teneatur raptor, ait [d]; Rerum raptarum nomine, etiam furti vel damni iniuriæ, vel condictione agi poterit: vel certè singulæ res vindicari possunt. Sed omittit criminalem accusationem publicumq́ue iudicium de vi publica vel priuata: quia paulo antè de hoc iudicio Legis Iuliæ de vi dixerat [e]. 2 3

d L. 2. §. pen. D. illo tit.
e dic. l. 2. §. hoc edicto.
f L. si vendidero. §. cùm raptor. de furt.

¶ *Quis enim magis.*] Papinianus [f] scribit; raptorem omnimodo furtum facere, & debere existimari furem manifestum; non tamen teneri eum pœna furti manifesti, sed tantùm in duplum quasi non manifesti, suprà docuimus ex Paulo. ¶ *Rectè dictum est.*] Dictum certè id est à Iuliano quem testatur Vlpianus [g], scripsisse; Eum, qui vi rapit, furem esse improbiorem. Meminit & huius furti improbioris Imperator Alexander [h]. Certè maioris esse improbitatis raptorem quàm furem indicat quoque illa apud Aristophanem in Pluto οὐ κέκλοφας ἀλλ᾽ ἥρπακας. [Correctionis conuersio: Non furatus es sed rapuisti.] 5

g dic. l. 2. §. etiam quis.
h L. si te. C. ex quibus caus. infa. irrogat.
i dic. l. 2. D. vi bon. rap.

¶ *Prætor introduxit.*] Prætor ait [i]; Si cui dolo malo hominibus coactis damni quid factum esse dicetur: siue cuius bona rapta esse dicentur, ei intra annum, quo primùm de ea re experiundi potestas fuerit, in quadruplum: post annum, in simplum iudicium dabo. Cuius edicti Prætoris interpretationem addit Vlpianus, quam ab eo petat, qui eam desiderat. ¶ *Quadrupli.*] Sanè tamen si Christianus Iudæo vel Pagano vim intulerit, non nisi in duplum, quæ rapuit, restituere cogitur ex Constitutione Honorij & Theodosij [k]. Sed cur id tribuerint fauori Christianorũ, nescio. Certè quo maior esse debet Christianorum innocentia & mansuetudo, eo grauius est eorum scelus alienas res vi rapientium ijs, quos omnem innocentiam & lenitatem docere debuerant. 6

k L. Christianis. C. de pagan.
l dic. l. 2. §. vel cuius.
m dic. l. 2. §. si in re.

¶ *Etiam si quis vnam rem.*] Cùm Prætor in edicto locutus esset de bonis raptis; addidit Vlpianus [l]; Idem esse & si vna aliqua res rapta sit. ¶ *Licet minimam.*] Apud Iustin. in Nou. Constit. 63. est, καὶ τὸ μικρόν τι πρᾶγμα. Et huc pertinet, quod inquit Vlpianus [m]; Si quis interesse sua vel modicè docebit: debet habere Vi bonorum raptorum actionem.

¶ *Vt pœna tripli sit.*] Iustinianus in Nouella sua Constitut. 63. cùm dixisset, τοὺς τὰ ἄλλα ἁρπάζοντας εἰκότως ἀποστρεφόμεθα καὶ ποινῆς ἀξίους νομίζομεν. [optimo illos iure auersamur qui aliena rapiunt. & pœna dignos iudicamus.] statim subiunxit, quænam ea esset pœna, nempe tripli. εἰκότως (inquit) καὶ τὸ μικρόν τι πρᾶγμα λαβεῖν κατὰ τρόπον ἁρπαγῆς θαῤῥήσαντι, ἡ ποινὴ Vi bonorum raptorum μετὰ τὸ τριπλασίας μέτεισι ποινῆς. [ritè ac meritò vel paruam aliquam rem auferre per modum rapinæ audentem pro officio, *Vi bonorum raptorum actio* vltra rei æstimationem pœna tripli persequitur.]

n L. vlt. de furt.
o L. interdum. §. qui furem. de furt.

¶ *Ridiculum enim esset.*] Hæc ipsa ratio Iustinianum mouere debebat, vt iustam rationem adderet, cur raptor non nisi tripli pœna mulctetur: fur saltem manifestus, quadrupli. Nos certè aliam comminisci non possumus, quàm hoc ei tributum esse, quia multis alijs nominibus grauius puniatur, quàm fur. Primùm enim hæc tripli pœna saltem perpetua est: cùm furti nec manifesti pœna sit dupli tantùm. Deinde cùm in furem criminaliter accusatum non nisi extra ordinem animaduertatur [n] arbitrio Iudicis [o]: Raptoris certa est pœna vltimi capitalisque supplicij ex Lege Iulia de vi. 7 8

§. *Ita men.*

1 Actio vi bonorum raptorum requirit dolum.
2 Quæcunq; credulitas & imprudentia a dolo excusat.
3 Error iuris an excusationem habeat?
4 Rapina absq; dolo commissa an puniatur?
5 Hodie, vt vi rapiatur, neminem excusat iuris ignorantia. ne militem quidem, nec rusticum.
6 Quid, si parentes aut patroni vi rapiant?
7 Cur non permittendum singulis, quod per magistratum fieri debet publicè?
8 Nimis superbe iura dicentes in Rep. sunt compescendi.

9 Vi rape-

1 ¶ *Si dolo malo.*]Itaque & Prætor in suo edicto disertè meminit doli mali. Certè (inquit Vlpianus [a]) qui vim facit, dolo malo facit: scilicet si non ignoret se iniuria vim facere. ¶ *Nam qui aliquo.*] Hic Iustinianus paulò apertius refert, quod dictum erat ab Vlpiano [b] concisius his verbis; Hac actione is demum tenetur, qui dolum malum adhibuit. Si quis igitur suam rem rapuerit, Vi
2 quidem bonorum raptorum non tenebitur: sed aliter mulctabitur. ¶ *Et imprudens iuris.*] Quæ-
3 cunque credulitas, etiam si leuis sit, à dolo excusat [c]: quanquam alioqui error Iuris Ciuilis non temerè vllam habeat excusationem [d]. Iuris certè naturalis, quod omnium animis diuinitus insculptum est, nulla admittitur ignorantia [e]. ¶ *Sed in dum talia.*]Meminit huius loci postea Iustinianus [f]: totamque eius sententiam paucis inculcat & reperit. ¶ *Melius diualibus constitutionibus.*]Extant quidem multæ Diuorum Principum Constitutiones, quæ raptorem damno rei suæ mulctant [g]. Extat & edictum Diui Marci, quod eodem pertinet [h]. Verùm hoc loco Iustinianus videtur significare Constitutionem Impp. Valent. Theod. & Arcadij [i]. Sanè extat & ipsius Iustiniani
4 Nouella quædam Constitutio. 60. qua sanxit; vt, si creditor domum debitoris vi occupet, vel ei eiúsve hæredibus insolenti audacia negotium facessat, aut etiam signa rebus propria autoritate imponat; iure suæ actionis excidat, & quantum sibi deberi causabatur, tantundem det iniuria affectis, ac præterea mulctetur tertia parte bonorum suorum, quæ publicabuntur.
5 ¶ *Nemini.*] Nulli prorsus hic parcitur, nec vlla à quoquam obtendi potest iuris ignorantia,
6 non à milite, non à rustico, qui alioqui impunè possunt ius ignorare. Sed nec patrono, aut parenti parcitur, licet ad vitandam infamiæ notam non de vi, sed in factum actione conueniantur: saltem si non intenderint vim armatam. Nam tum indigni sunt, quorum famæ aut nomini parca-
7 tur. Nam (inquit Vlpianus [k]) non est singulis permittendum, quod per magistratum publicè potest fieri, ne ea sit occasio maioris alicuius tumultus excitandi. ideoque nihil diligentius in Re-
8 pub. compesci debet, quàm insolens audacia & temeritas eius, qui sibi nimis superbe ius dicit, *παραβὰς τὸ διωρισμένον ἐκ τοῦ νόμου δικαστήριον.* [transgrediens legibus definitam iurisdictionem] vt verbis vtar Demosthenis.
9 ¶ *Vi rapere.*] Hoc est possessionem rerum apud alios constitutarum violenter inuadere, vt est in Constitutione [l], de qua hic agitur. Et sanè nisi res ab aliquo fuerit possessa, non potest dici vi erepta.
10 ¶ *Res sua domino cadere.*] Quod addicetur possessori vim passo: sicut debitori eiusmodi iniuria affecto nomen remittitur, quod creditori est ademptum. Imò ex Nouella Constitutione 60. tantundem præterea illi à creditore dari debet.
11 ¶ *Sin autem aliena sit.*] Etiamsi vim facienti debita. Tum enim ius, quod in eam rem competebat, amittitur. Sic enim edixit Diuus Marcus [m]: Quisquis probatus mihi fuerit, rem vllam debitoris, vel pecuniam debitam, non ab ipso sibi sponte datam, sine vllo iudice temerè possidere, vel accepisse, sibique ius in eam rem dixisse: ius crediti non habebit. Sanè tamen excusari posset creditor, qui præsenti periculo motus extorserit rem à debitore fugam parante omnibus bonis suis
12 conuasatis [n]. Vnde apparet, pœnam vis illatæ, non ipso statim iure infligi: sed causa cognita & per
13 sententiam iudicis. ¶ *Præstare.*] Damnum passo scilicet, inquit alio loco Iustinianus [o]. qui & in Nouella sua Constitutione 60. addit, tertiam bonorum vim facientis partem fisco dari. Sic olim apud Athenienses, tantundem præstabatur fisco, quantum vim passo. Ita enim Demosthenes *κατὰ Μειδίου* scribit: *Τὸ ἴσον τῷ δημοσίῳ προστιμᾶν οἱ νόμοι κελεύουσιν, ὅσονπερ τῷ ἰδιώτῃ.*

a L. 2. §. doli. D. vi bono. rap.
b Dic. L. 2. §. hac a-
c L. igitur. §. potest. de liber. cau.
d L. liberorum. §. notatur. de iis qui not. infa.
e L. venia. C. de in ius. voc.
f §. sed ex Constitutionibus. inf. de interdi.
g L. si consisterit. C. fini. regund. L. non ab re. C. vnde vi.
h L. extat. D. quod met. cau.
i L. si quis in tantam. C. vnde vi.
k L. non est singulis. de reg. iur.
l L. si quis in tantam. C. vnde vi.
m L. extat D. quod met. cau. L. pen. D. ad leg. Iul. de vi priua.
n L. ait prætor. §. si debitorem. de iis quæ in frau. cred.
o §. sed ex constitutionibus. infr. de interd.

§. *Sanè.*

1 ¶ *Sanè in hac.*] Totus hic locus ad verbum descriptus ex responso Vlpiani [p] ¶ *Si tamen ex bonis sit.*] Res in bonis nostris esse dicitur, quam amittentes, actionem, possidentes, exceptionem
2 habemus [a], nempe veri eius domini. Ex bonis autem nostris res esse dicitur, in quam aliquid iuris
3 habemus: sic vt intersit mea eam mihi non auferri. ¶ *Sic vt intersit.*] Vel modicè [b]. Nam & si quis
4 vel minimam rem rapuerit, vi bonorum raptorum erit actio, quia (inquit Vlpianus [c]) non minima differentia est inter eum, qui clàm facit, & eum qui rapit: cùm celet ille suum delictū: hic publi-
5 cet, & crimen etiam publicum admittat. ¶ *Culpam quoque promisit.*] Vel si se deposito obtulit. Nam eum periculo depositi se alligare Iulianus [d] scribit: nempe vt non dolum solum, sed etiam culpam & custodiam præstet: non tamen fortuitos casus. Porrò cum his duobus casibus dicimus depositarij interesse, vt agat Vi bonorum raptorum: oportet eum non carere culpa, quam præstare cogitur. Quòd si in dolo fuerit, quem ex natura contractus semper præstat, eoque nunquam eius
6 intersit non habebit ex eo actionem [e]. Nemo enim de improbitate sua consequitur actionem, inquit Vlpianus [f].

p L. 2. §. in hac actione. D. vi bon. rap.
a L. rem in bonis. de acqui. rer. domini. L. bonorum appellatio. § in bonis. de verb. signifi.
b dic. l. 2. §. si in re deposita.
c dic. §. si bere.
d l. 1. §. sæpe. D. deposi.
e L. eum qui emit §. si autem. de furt.
f L. itaque fullo. in fi. de furt.

IN SEQVENTEM TITVLVM

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 Legis Aquiliæ origo quæ?
2 Lex Aquilia omnes priores leges de damno iniuria dato locutas complectitur.

LEGIS Aquiliæ originem, totamque simul rationem, non possumus melius perstringere, quàm verbis nostri Iustiniani, qui in Nouella sua Constitut. 18. de ea scribit ad hunc modum: ἡ σπουδὴ ἀεὶ τὴν ἀγνωμοσύνην περί τινων γινομένην, ἀναγκαῖον ἡμῖν ἐποίησε τὸν τοῦ δήμου πάλαι νομοθετηθέντα ἀναδέξασθαι, ὃν διά τινος τῶν ἐκείνου τῶν δημάρχων τοῦ Ἀκυιλίου προσηγορίαν ἐξ ἐκείνου δεξάμενον. *[Studium quo plerique ad improbitatem feruntur, necessitatem nobis imposuit, vt vetus plebiscitũ, quod Aquilius olim tribunus plebis rogauit, à quo etiam nomen accepit, denuo amplectamur.] Et eo quidem loco Iustinianus solùm agit de ea parte legis Aquiliæ, quæ inficiantes duplo multat. nos autẽ omnes eius partes hoc titulo excutiemus. Et patet sanè latissimè vis huius legis, quæ cõplectitur omnes priores leges, quæ de damno iniuria dato locutæ sunt[a].* 1 2

a L. 1. D. ad leg. Aqui.

De Lege Aquilia, Titulus III.

DAMNI iniuriæ actio constituitur per legem Aquiliam: cuius primo capite cautum est, vt si quis alienum hominem, alienámve quadrupedem, quæ pecudum numero sit, iniuria occiderit: quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur. Quod autem non præcisè de quadrupede, sed de ea tantùm, quæ pecudum numero est, cauetur: eò pertinet, vt neque de feris bestijs, neq; de canibus cautum esse intelligamus: sed de ijs tantùm, quæ gregarim propriè pasci dicuntur: quales sunt equi, muli, asini, oues, boues, capræ. De suibus quoque idem placuit. Nam & sues pecudum appellatione continentur: quia & hi gregatim pascuntur. Sic denique & Homerus in Odyssea ait (sicut Aelius Martianus in suis Institutionibus refert.)

Δήεις τόνγε σύεσσι παρήμενον. αἱ δὲ νέμονται
Πὰρ Κόρακος πέτρῃ, ἐπί τε κρήνῃ Ἀρεθούσῃ.

[Inuenies hunc suibus assidentem; hæ autem pascuntur
Apud Coracis petram, ad fontem Arethusam.]

Iniuria autem occidere intelligitur, qui nullo iure occidit.

Itaque qui latronem insidiatorem occiderit, non tenetur: vtique si aliter periculum effugere non potest. Ac ne is quidem hac Lege tenetur, qui casu occidit: si modò culpa eius nulla inueniatur. nam alioqui non minus ex dolo quàm ex culpa quisque hac Lege tenetur.

Itaque si quis dum iaculis ludit, vel exercitatur, transeuntem seruum tuum traiecerit, distinguitur. Nam si id à milite in eo campo, vbi solitum est exercitari, admissum est, nulla culpa eius intelligitur. si alius tale quid admiserit, culpę reus est. Idem iuris est de milite, si in alio loco, quàm qui ad exercitandum militibus destinatus est, id admiserit.

Item si putator ex arbore deiecto ramo seruum tuum transeuntem occiderit: si prope viam publicam, aut vicinalem id factum est, neque proclamauit, vt casus euitari posset, culpę reus est. sed si proclamauit, nec ille curauit præcauere, extra culpam est putator. Atq; extra culpam esse intelligitur, si seorsùm à via fortè, vel in medio fundo cædebat, licet non proclamauit: quia in eo loco nulli extraneo ius fuerat versandi.

Præterea si medicus, qui seruum tuum secuit, dereliquerit curationem eius, & ob id mortuus fuerit seruus, culpæ reus erit.

Imperitia quoque culpæ adnumeratur: veluti si medicus ideò seruum tuum occiderit, quia malè eum secuerit, aut perperam ei medicamentum dederit.

Impetu quoque mularum, quas mulio propter imperitiam retinere non potuit, si seruus tuus oppressus fuerit, culpæ reus est mulio. Sed & si propter infirmitatem eas retinere non potuerit, cùm alius firmior eas retinere potuisset, æquè culpa tenetur. Eadem placuerunt de eo quoque, qui cùm equo veheretur, impetum eius aut propter infirmitatem, aut propter imperitiam suam retinere non potuerit.

His autem verbis legis, QVANTI ID EO IN ANNO PLVRIMI FVERIT, illa sententia exprimitur: vt si quis hominẽ tuum, qui hodie claudus, aut mancus, aut luscus erit, occiderit, qui eo in anno integer, aut preciosus fuerit: non tanti teneatur quanti hodie erit, sed quanti in eo anno plurimi fuerit. Qua ratione creditum est, pœnalem esse huius legis actionem: quia non solùm tanti quisque obligatur, quantum damni dederit, sed aliquan-

aliquando longè pluris. Ideoque constat in hæredem eam actionem non transire: quæ transitura fuisset, si vltra damnum nunquam lis æstimaretur.

Illud non ex verbis Legis, sed ex interpretatione placuit, non solùm perempti corporis æstimationem habendam esse secundum ea, quæ diximus: sed eo amplius, quicquid præterea perempto eo corpore, damni vobis illatum fuerit: veluti si seruum tuum hæredem ab aliquo institutũ, antè quis occiderit, quàm is iussu tuo hæreditatem adierit. nam hæreditatis quoque amissæ rationem esse habendam constat. Item si ex pari mularum vnam, vel ex quadrigis equorum vnum quis occiderit, vel ex Comœdis vnus seruus occisus fuerit: non solùm occisi fit æstimatio, sed eo amplius id quoque computatur, quanti depretiati sunt, qui supersunt. Liberum autem est ei, cuius seruus occisus fuerit, & ex iudicio priuato Legis Aquiliæ damnum persequi, & capitalis criminis eum reum facere. Caput secundum Legis Aquiliæ in vsu non est.

Capite tertio de omni cætero damno cauetur. Itaque si quis seruum vel eam quadrupedem, quæ pecudum numero est, vulnerauerit: siue eam quadrupedem, quæ pecudum numero non est, veluti canem, aut feram bestiam vulnerauerit, aut occiderit: hoc capite actio constituitur. In cæteris quoq; omnibus animalibus, item in omnibus rebus, quæ anima carent, damnum per iniuriam datum, hac parte vindicatur. Si quid enim vstum, aut ruptum, aut fractum fuerit: actio ex hoc capite constituitur: quanquam poterat sola rupti appellatio in omnes istas causas sufficere. Ruptum enim intelligitur, quod quoquo modo corruptum est. Vnde non solùm fracta, aut vsta, sed etiam scissa, & collisa, & effusa, & quoquo modo perempta, atque deteriora facta, hoc verbo continentur. Denique responsum est, si quis in alienum vinum aut oleum, id miscuerit, quo naturalis bonitas vini aut olei corrumperetur: ex hac parte Legis Aquiliæ eum teneri. Illud palàm est, sicut ex primo capite ita demum quisque tenetur, si dolo aut culpa eius homo aut quadrupes occisus occisáve fuerit: ita ex hoc capite, de dolo aut culpa, & de cætero damno quemque teneri. Ex hoc tamen capite non quanti in eo anno, sed quanti in diebus triginta proximis res fuerit, obligatur is, qui damnum dederit. At nec PLVRIMI quidem verbum adijcitur. Sed Sabino rectè placuit, perinde habendam æstimationem, ac si etiam hac parte PLVRIMI verbum adiectum fuisset. nam plebem Romanam, quæ Aquilio Tribuno interrogante hanc legem tulit, contentã fuisse, quòd prima parte eo verbo vsa esset.

Cæterùm placuit, ita demum directam ex hac Lege actionem esse, si quis præcipuè corpore suo damnum dederit. Ideoque in eum, qui alio modo damnum dederit, vtiles actiones dati solent. veluti si quis hominem alienum, aut pecus ita incluserit, vt fame necaretur: aut iumentum ita vehementer egerit, vt rumperetur: aut pecus in tantum exagitauerit, vt præcipitaretur: aut si quis alieno seruo persuaserit, vt in arborem ascenderet, vel in puteum descenderet, & is ascendendo, vel descendendo, aut mortuus, aut aliqua parte corporis læsus fuerit: vtilis actio in eum datur.

Sed si quis alienum seruum, aut de ponte, aut de ripa in flumen deiecerit, & is suffocatus fuerit: eo, quod proiecit, corpore suo damnum dedisse, non difficulter intelligi potest: ideoque ipsa Lege Aquilia tenetur. Sed si non corpore damnum fuerit datum, neque corpus læsum fuerit, sed alio modo alicui damnum contigerit: quum non sufficiat, neque directa, neq; vtilis Legis Aquiliæ actio: placuit eum, qui ob noxius fuerit, in factum actione teneri: veluti si quis misericordia ductus, alienum seruum compeditũ soluerit, vt fugeret.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Damnum à seruo datum nesciente domino, ad noxalem actionem pertinet.*
2 *Quid, si damnum detur à quadrupede secundum naturam suam; quid item si cõtra naturam? num. 3.*
4 *Quid, si dominus seruum suum alij pignori datum, vel communem occiderit?*
5 *Quid, si seruum legatum hæres ante ad. tam hæreditatem occiderit?*
6 *Quid, si damnum datum sit in rem, quæ in integrum restitui possit?*
7 *Dominum lex Aquilia quem appellet?*
8 *Legis Aquiliæ capita quæ.*
9 *De animalibus gregalibus.*
10.11 *Sues inter minores pecudes relati.*

C*Vius primo capite cautum est.*] Descriptus est totus hic locus ex responso Caij [a]: qui etiam interpretatur hæc legis Aquiliæ verba; Qui seruum seruám ve, alienum, alienám ve, quadrupedem vel pecudem iniutia occiderit: quanti id in eo anno plurimi fuerit, tantũ æs dare domino damnas
1 esto. ¶ *Si quis.*] Liber homo scilicet, vel etiam seruus, modò sciens dominus permiserit [b]. Alioqui da-
2 mnum à seruo datum pertinet ad noxalem actionem [c]. Quòd si detur à quadrupede iuxta suam naturam, veluti si bos depascatur gramina: ad actionem de pecoris pastu [d]. Sin contra naturam suam, ad titulum, Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. ¶ *Alie-*

a L. 2. D. ad leg. Aquil.
b L. in lege Aquilia. 2. §. 1. D. ad leg. Aquil.
c L. 2. de noxal. actionib.
d L. qui seruandarũ. §. vlti. de præscript. verb.

a L. si dominus seruũ. D. ad leg. Aquil.
b L. sed & si communem. D. illo tit.
c L. scilicet. D. illo tit.
d L. & eleganter. §. item si seruum.

¶ *Alienum.*]Sed & si dominus seruum suum iniuria occiderit, in factum actione bonæ fidei 4
tenebitur possessori, & ei, qui pignori eum accipisset [a]. Et si communem seruũ occiderit quis, lege
Aquilia teneri eum Celsus ait [b]. nempe pro ea parte, pro qua dominus est, qui agit, inquit Vlpia-
nus [c]. Sanè si seruum legatum hæres ante aditam hæreditatem occiderit: quoniam (inquit Vlpia- 5
nus [d]) prius quàm factus sit legatarij, interemptus est: cessat legis Aquiliæ actio. de dolo autem a-
ctio, quocunque tempore eum occiderit, cessat: quia ex testamento actio competit. ¶ *Quanti ea* 6
rei.]Quòd si damnum datum sit in eam rem, quæ possit in integrũ restitui: ante omnia damnum
verè sarciendum erit, nec sufficiet offerre æstimationem rei. Vt si aqua per iniuriam aliò deriuata
sit: primò in priorem statum restituendus erit aquæ ductus, vt est in rescripto Imperatoris Gordi-
ani [e]: deinde præstabitur quanti interest non fuisse auersum aquæ ductum.

e L. 2. C. de lege Aquil.
f L. ob id quod. D. ad leg. Aquil.

¶ *Domino dare.*] Inquit Pomponius [f]; Dominum lex Aquilia appellat, non vtiq; eum solum 7
qui fuerit tunc, cùm damnum daretur: sed etiam eum, qui postea dominus factus est. Vnde probat
Pomponius, ob id, quòd antequam hæreditatem adites, damnum admissum in res hæreditarias
est, legis Aquiliæ actionem te nihilominus habere.

¶ *Neque de canibus cautum esse intelligamus.*]Hoc scilicet primo capite legis Aquiliæ. Sed ad eas 8
quadrupedes, quæ pecudum numero non sunt, pertinet eiusdem legis tertium caput, de quo pau-
lò pòst agemus. ¶ *Quæ gregatim pasci dicuntur.*]De animalibus gregalibus, quæ dicuntur à Græcis 9
ἀγελαῖα, agit Aristoteles libro octauo & nono de Historia animalium. hic solùm commemorabo,
quod de bobus scribit libro nono, cap. 4. αἱ βόες καὶ ταῦροι κατ' ἑταιρίας καὶ συνηθείας κἂν μία ἀποπλανηθῇ,
ἀκολουθοῦσιν αἱ ἄλλαι. [vaccæ & boues quasi inita societate gregatim pasci consueuerunt, & si fortè vna
deerrauerit, insequuntur & cæteræ.]De auibus autem gregalibus libro octauo, inquit; ἀγελαῖοι δὲ
ὀρνίθων εἰσὶ, γέρανος, κύκνος, πελεκὰν, χὴν ὁ μικρός. [Gregales & auiũ numero sunt, Grues, olores, platee,
anseres.] ¶ *De suibus idem placuit.*]Placuit certè id Labeoni, vt testatur Caius [g]. Placuit & Var- 10
roni, qui sues inter minores pecudes collocat.

g L. 1. D. ad leg. Aquil.

¶ *Homerus in Odyssea.*]Locus hic extat Odysseæ libro decimotertio: vbi Minerua monet Vlys-
sem, vt priusquam ædes suas adeat, quas proci occupabant, ignoto habitu petat subulcum suum,
qui Eumæus vocabatur. Eum autem (inquit) inuenies assidentem suibus, qui gregatim pascun-
tur iuxta Coracis saxum, fontemque Arethusam, & glandibus saginantur, &c. ¶ *Martianus in suis*
Institutionibus.]Extat adhuc lib. 32. Pand. responsum Martiani [h], his verbis; Pecoribus legatis, Cas- 11
sius scribit quadrupedes contineri, quæ gregatim pascuntur. Et sues pecorum appellatione con-
tinentur: quia & hi gregatim pascuntur. Sic denique & Homerus in Odyssea ait, &c.

h L. legatis. §. pecoribus. de leg. 3.

§. *Iniuria autem.*

1 Non de occisis, sed de non iure occisis hic agitur.
2 Insidiator quis?
3.6.11.12.13 Nihil magis secundum naturam est, quàm vim vi repellere.
4 De vindicatione secundum Ciceronem.
5 Si duorum commissorum arietum alter alterum interfecerit, quid iuris?
7 Vis iusta vi repelli iure non potest.
8 Inter defensionem & vindictam distinguendum est.
9 Inconsultus iritati animi calor dolo caret.
16 Possessionem vi ereptam in ipso congressu recuperans in pristinam causam reuertitur.
14.16 Inculpata tutelæ moderatio seruanda.
15 A corpore quoq; cognatorum vim repellere licet.
17 Orto incendio vicini ædificium impune dissipare potes.
18 Fuga etiam quærenda salus.
19.20.27 Qui casu occidit qua pœna multatus olim Athenis?
21.22 Qua item apud Israelitas olim; & hodie apud Gallos?
23 Causæ delictorum duæ; Iudicium & voluntas.
24 Quod per temulentiam committitur, duplici olim pœna plectebatur.
25 Iurisconsulti per vinum lapsis pœnam capitalem remittunt.
26 Summus delictorum gradus est dolus.
28 Quid, si volens Titium occidere; occidat Caium?
29 Violentum & inuoluntarium quid?
30 Hominem plerunq; non nisi malum esse posse.
31 Quid, si per lusum à iaculantibus quis occidatur?
32 Lusus noxius in culpa est.
33 Si pugilum alter alterum occiderit, quid iuris?
34 Ciceronis locus in Topicis, explicatus.
35 De excercitijs olim militum.

i L. 3. D. ad leg. Aquil.

¶ *Iniuria autem.*]Inquit Vlpianus [i]; Iniuria occisum esse, meritò adijcitur. Non enim sufficit 1
occisum: sed oportet iniuria id esse factum. deinde subijcit Caius; Itaq; si seruum tuum latronem
insidiantem mihi occidero, securus ero. Nam aduersus periculum, naturalis ratio permittit se de-
fendere. ¶ *Latronem insidiatorem.*]Propriè insidiator dicitur, qui vias insidet, vt ex improuiso se- 2
curum opprimat viatorem: sed nos hîc generalius insidiatorem accipiemus eum, qui vitæ nostræ
periculum intentat; cuius vim vi propulsare iure possumus. insidiatori enim aut latroni (inquit
Tullius) quæ potest adferri iniusta nex? Et Herodotus lib. 4. ἀμύνεσθαι αὐτοὺς ἐπιβουλεύοντας οὐ μόνον
δίκαιον, ἀλλὰ καὶ σύνηθες. [Iniurias propulsare non modò iustum, sed & visu receptum est.]Nec quic- 3
quam magis secundum naturam est quàm vim vi repellere. Quod Florentinus Iuriscons. eleganti
responso tradit: visaque est eius mihi definitio digna, quam subscriberem cum interpretatione,
quam aliquando congessi. Cùm itaque ageretur de præceptis naturalibus, adiecit [k] hoc exem-
plum lib. 1. Instit.

k L. 3. de instit. & iure.

FLOREN-

FLORENTINVS.

Vt vim atque iniuriam propulsemus. Nam iure hoc euenit, vt quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur. Et cùm inter nos cognationē quandam Natura constituerit: consequens est, hominem homini insidiari, nefas esse.

Cuius responsi verba singula priusquam expendamus, admonendi sumus Ciceronem quoque
4 libro secundo de Inuentione scribere; Vindicationem esse iuris gentium: eamque definire; esse
per quam vis atque iniuria, atque omnino omne quod obfuturum est, defendendo aut vlciscen-
do propulsatur. Vt autem ea propriè pertineat ad ius gentium, quod est homini proprium: recte-
que constet exemplum huius responsi; Vindicationem hic accipere debemus eam, quæ iure fit ac
ratione; nec infert, sed solùm propulsat iniuriam. Cæterùm qui propulsato periculo, in eum, qui
nocere destinârat, vltro sæuire pergit: is naturali quodam & cæco impetu mouetur, qui brutis quo-
que animantibus communis est: ex iis nempe quæ à philosophis dicuntur τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν [pri-
ma naturalia,] & habet quidem excusationem in brutis expertibus rationis. Vnde si duorum cō-
5 missorum arietum, alter alterum interemerit, dominus arietis damnum dantis non sarcit paupe-
riem domino alterius arietis interempti, si quidem prior alterum irritarit[a], pugnamque mouerit: a L.1.§.cùm arietes. D.si
cuius modum aliquem à brutis exigere stultum fuerit. Sed vt ad iustam illam (de qua superiori re- quad.paup.fec.dicat.
sponso agitur) naturalemque nostri defensionem redeamus: eius rationem eleganter Tullius in
6 oratione pro Milone describit his verbis; Est hæc non scripta, sed nata lex: quam non accepimus,
didicimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non do-
cti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: vt si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela,
aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Hæc ille.
Quæ proculdubio in hac ciuili vita & politicis iudiciis non possunt non probari. Sed si sacras scri-
pturas consulas, fortasis intelliges non temerè tantum esse tribuendum naturali illi nostræ phil-
autiæ, vt præterea nullam habeamus alterius rationem.

¶ *Vt vim.*] Quam sanè vi repelli posse alibi quoque respondit Vlpianus[b]; idque omnes leges, b L.sed & partus.§.1.
omniaque iura permittere Paulus ait[c]. Porrò autem aptè hoc loco vti possumus Demosthene in- de eo quod met.cau.
terprete, qui in oratione κατὰ Ἀριστοκρ. enarraturus Draconis legem, in qua scriptum erat; ἐάν c L.scientiā.§.qui cùm
τις βιαίῳ θανάτῳ, &c. [si quis vi cæsus sit.] ait: πρῶτον μὲν δὴ τούτῳ προσγράψας, βιαίῳ, σύμβολον πεποίηκεν, ᾧ aliter.D.ad leg.Aqu.
γνωσόμεθα, πότ' ἀδίκως λέγει, [primum sane adscribens, vi, notam siue indicium fecit ex quo co-
gnoscamus quid iniustè siue iniuria fieri dicatur.] Idque omnino sese hic sensisse satis indicat Flo-
rentinus, cùm addit, INIVRIAM. ¶ *Atque iniuriam.*] Sic etiam disertè in illa Draconis lege scri-
ptum fuisse refert Demosthenes: ἐὰν φέροντα ἢ ἄγοντα βίᾳ ἀδίκως εὐθὺς ἀμυνόμενος κτείνῃ, νηποινεὶ κτείνῃ,
[si quis violenter impetum in se facientem statim sese defendens occiderit, impune occidit.] Vn-
7 de colligimus hic agi de iniusta vi. Cæterùm vim iustam non ita vi repelli posse constat. Itaque de-
prehensus adulter aut fur nocturnus, qui iure inuaditur, iniuria vim vi conatur repellere. Et ma-
gistratui, publico nomine vim inferenti priuato, nefas est vi resistere[d]. Neque enim ea vis, quam d L.quēadmodum.§.
Magistratus infert, iure honoris quem sustinet, iniusta est, aut aduersus bonos mores[e]. Idque hono municipales.D.leg.
ri publico, & ordinationi Dei tribuendum est, vt pareamus eius imperio & cedamus. Aquil.l.iniuriarum.
§.1.de iniur.
8 ¶ *Propulsemus.*] Hoc est, imminentem repellamus, & intentatam. Cæterùm acceptam iam pla- e L.3.§.1.de eo quod
gam, illatamque vim propulsare quis iure non potest referiendo? Nam fugientem cedentemque met.cau.
iam aggressorem vltro persequi & vrgere, magis vindicta fuerit quàm defensio. Vnde Paulus[f], Il- f L.scientiā.§.qui cùm
lum (inquit) solum, qui vim infert, ferire conceditur: & hoc, si tuendi duntaxat, non etiam vlci- aliter.D.ad le.Aqui.
scendi causa factum sit. Hic multa relinquimus prudentis iudicis religioni: vt ex rei propositæ cir-
cunstantiis dispiciat, iustáne fuerit ratio defensionis; cuius certè limites qui transilit, furoris velu-
ti æstu percitus; quia plus fecerit, puniendus est, vt inquit Diuus Pius[g]: sed eo mitius, quòd idem
fateatur difficillimum esse iustum dolorem temperare. Nam & caret vitio doli, inconsultus irrita- g L.si adulteriū cum
9 ti semel animi calor[h]. quid enim tam sui iuris non est, quàm æstuans furor vindictâ, & commotus incestu.§.Imperato-
animus, quem atrox iniuria docuit etiam propriæ vitæ contemptum: quemque præsens & facilis res.D.ad leg.Iul.de
vlciscendæ iniuriæ acceptæ occasio extimulat? Quòd si quis non tam nocendi libidine, vel animo adult.
retaliandæ iniuriæ, quàm studio recuperandæ rei ereptæ aduersarium persequatur: fortasis iustior h L.3.§.quæri.D.ad
10 videbitur eius causa, saltem si incontinenti id fiat. Sic enim Iulianus ait[i]; Qui possessionem vi ere- Turpil.
ptam, in ipso cōgressu recuperat: in pristinam causam reuerti potius, quàm vi possidere intelligē- i L.qui possessionē.de
11 dus est. Et Vlpianus[k], Eum (inquit) qui cum armis venit, possumus armis repellere: dūmodo scia- vi & vi arm.
mus non modò resistere permissum ne deiiciatur, sed & si deiectus quis fuerit, eundem deiicere, nō k L.3.§.eum igitur.
ex interuallo, sed incōtinēti posse. Atque huc referri potest, quod Lex Draconis permittebat βιαίως D.illo rit.
ἀδικοῦντα εὐθὺς ἀμύνεσθαι, [eum qui vi alterum impeteret statim repellere,] quodque interpres ipse
Demosthenes adiicit: προσγράψας τὸ, εὐθὺς, ἀφεῖλε τὸν τοῦ βουλεύσασθαι κακὸν χρόνον, [ascribens, STATIM,
ademit cōsilij mali suscipiendi morām.] Sanè Aristoteles lib. 2. Rhetoric. significat tū demū, si ali-
quem percusseris, contumeliā aut iniuriā esse, si prior quoque lacessieris, & rixæ origo penes te sit.
quod significat his verbis; ἄρχειν χειρῶν ἀδίκων, [qui prior iniuriā infert pugnámve capessit.] Hæcq;
etiā Legis verba fuisse, vt intelligeremus, tū demū iniustā cædē esse, cùm quis prior ferit. ¶ *Nam* l L.scientiā.§.qui cùm
12 *hoc iure euenit.*] Hoc est, Consuetudine & vsu Gētium inter omnes receptum est: & (vt ait Paulus[l]) aliter.D.ad leg.Aqui.

id omnes Leges omniaque Iura permittunt. Qua ratione probat hic Florentinus; iniuriæ propulsationem, quæ naturalis est, ac brutis etiam communis, si ratione certa constet, esse propriè Gentium, humanique iuris: quemadmodum & Demosthenes in illa oratione cōtra Aristocratem testatur; τοῦτον τὸν κοινὸν εἶναι ἁπάντων ἀνθρώπων νόμον, [hâc communem esse omnibus hominibus legē.] Et Thucydides libro tertio inquit: κατὰ τὸν πᾶσι νόμον καθεστῶτα, τὸν ἐπιόντα πολέμιον, ὅσιον ἐστιν ἀμύνεσθαι.
Et Herodianus lib. quarto: ἀμύνασθαι αὐτοὺς ἐπιβουλεύοντας οὐ μόνον δίκαιον, ἀλλὰ καὶ συνήθες. Perseus quo- 13
que apud Liuium lib. 42. ait; Iure gentiū ita comparatum est, vt arma armis propulsentur. ¶ *Ob tutelam corporis.*] Atque etiam legitimę possessionis bonorū, inquiunt Impp. Dioclet. & Maximia[a].
a L. 1. C. vnde vi. qui tamen interea sedulò admonent; diligenter seruádam esse, inculpatæ rutelæ moderationem. 14
Verùm non satis intelligo, quænam tandem satis iusta hic esse posit moderatio, si liberum est alteri vitam eripere, ne nobis aliquid pecuniæ eripiat. ac vt id in Rep. toleretur, maioris mali vitandi ergò, & ne fenestra rapinis aperiatur, & impunita licentia conturbet omnia iusta dominia: tamen nolim id admodum in Christianis probare. ¶ *Sui.*] Habet ea quoque vis excusationem, 15
qua propulsamus vim à corpore cognatorum. Iusta est enim naturæ & sanguinis, quæ nos eò agit mouetque, ratio[b]. Quod & testatur Demosthenes disertè expressum fuisse in illa lege Draconis,
b L. 1. 3. & 4. de liber. cau. l. cum seruus. D. mand. his verbis; ἐάν τις ἀποκτείνῃ ἐπὶ δάμαρτι, ἢ ἐπὶ μητρί, ἢ ἐπὶ ἀδελφῇ, ἢ ἐπὶ θυγατρί, ἢ ἐπὶ παλλακῇ, τούτων ἕνεκα μὴ φεύγειν κτείναντα, [si quis vel vxoris, vel matris, vel sororis, vel filiæ, vel cōcubinæ defendendæ caussa cædem commiserit, eam ob rem non esse quod fugam capessat qui occidit.] Et fortasis iustior hęc est defensio, quæ non proficiscitur à corrupta nostra philautia, sed Christiano proximi amore, iustoque odio iniuriæ, & fauore afflictæ innocentiæ. ¶ *Cognationem quandam.*] Hunc locum elegāter explicat Tullius libro tertio Officiorum, his verbis; Sic etiam hoc natura præscribit, vt homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam causam, quòd homo sit, consultum velit; necesse est secundū eandem naturam, omnium vtilitatem cōmunem esse. Quòd si ita est, vna continemur omnes, & eadem lege naturę. Idque ipsum si ita est, certè violare alterū, lege naturę prohibemur. Et qui tollūt aut dirimunt communem hanc generis humani societatem, à Diis constitutam, impij iudicandi sunt. ¶ *Homini hominem insidiari nefas est.*] Certè homo hominis non lædendi, sed iuuandi causâ natus est: hominisque proprium esse putat Papinianus, hominem beneficio afficere[c]. Et alioqui
c L. seruum ea lege. de ser. expor. profectò Lupus est homini, non homo, vt inquit Plautus. Atque hæc hactenus de responso Flotétini, quæ nos hic obiter inserere operæprecium putauimus. Nunc redeamus ad nostrum Iustinianum, & quam eleganter adiicit superiori tractationi, exceptionem videamus.
d L. sed et si quęcūque. D. ad leg. Aquil. ¶ *Vtique cùm aliter.*] Si autem (inquit Vlpianus[d]) cùm furem posset apprehendere, maluit occi- 16
e L. scientiā. §. qui cùm aliter. D. eodem. dere: magis est, vt iniuria fecisse videatur. Sic & Paulus[e], Qui cùm aliter tueri se non possent, damnum culpa dederint: innoxij sunt. Rursus Vlpianus, Furem nocturnum (inquit[f]) si quis occiderit,
f L. furē nocturnū. D. ad leg. Corne. de sicar. ita demum impunè feret, si parcere ei sine suo periculo non potuit. Porrò adeò magna huius ne- 17
g L. 3. §. quod ait Prætor. de incen. rui. nau. cessitatis habetur ratio, vt nec lege Aquilia teneatur, qui orto incendio, vicini ædificium dissipauit: quia non iniuria fecisse videatur, qui se tueri voluit, cùm aliàs non posset, vt ait Vlpianus[g].
¶ *Periculum effugere.*] Quauis ratione modoque. Ne quis hîc erubescat duorum salutem etiā fuga 18
quærere, & cum illo Antigono, vtilitatem à tergo sitam persequi. Sit hoc, si lubet, apud stultos homines probrosum: apud viros bonos gloriosum est. Nec nos pudere debet huius adeò salutaris timiditatis. saltem meminisse debemus, quod Cleanthes ille Assius cuidam obiicienti, quòd meticulosus esset, respondit; Ideo minimùm pecco. ¶ *Neu quidem hac lege tenetur.*] Multo minus lege 19
h L. in leg. Corn. D. ad leg. Corn. de sicar. Cornelia de Sicariis, quæ dolum malum requirit[h]. Sanè tamen cædis inuoluntariæ pœna fuit olim apud Græcos ἀπενιαυτισμός, hoc est annuum exilium: & interim ab aliquo locuplete homine, cædis perpetratæ expiamentum quærebat, qui eam commiserat. Quòd si quem ex consanguineis eius qui interemptus erat, exorare & placare semel potuisset, nulla erat cædis inuoluntariæ pœna, 20
vt scribit Demosthenes περὶ Ναυσιμάχου. Eaque venia & misericordia propriè dicebatur αἴδεσις, quam etiam humaniores quique facilè tribuebant; Vnde idem Demosthenes κατὰ Μειδίου, Οἱ νόμοι (inquit) τοὺς μὲν ἐκ προνοίας ἀποκτείνοντας, θανάτῳ καὶ ἀειφυγίᾳ καὶ δημεύσει τῶν ὑπαρχόντων ζημιοῦσι, τοὺς δ' ἀκουσίως, αἰδέσεως καὶ φιλανθρωπίας πολλῆς ἠξίωσαν. [Leges consultò quidē & deliberatò homicidia patrātes, morte & perpetuo exilio, bonorūq; direptione multabāt Sed eos qui casu & pręter volūtatē cędē perpetrasśēt venia & misericordia humaniter dignati sunt.] Sed & olim apud Israëlitas ho- 21
micidij imprudenter admissi asyla erant certæ quædā ciuitates, ad quas erat confugiendū, ne pręsentia ipsius homicidæ irritarentur amici aut proximi defuncti. Et hodie adhuc in tota Gallia, qui 22
i L. respiciendū. § delinquunt. de pœnis. homicidium casu admiserunt, à Principe vel eius Cancellario veniam impetrare debet: tanquam cædis expiamentum. ¶ *Qui casu occidit.*] Inquit Marcellus[i], Omnia delicta committuntur vel proposito, vel impetu, vt cùm per ebrietatem ad ferrum venitur; vel casu, vt cùm venando telum in feram missum, hominem interficit. Cuiusmodi delictum pœnam non habet, quia nulla culpa sit delinquentis. Causæ delictorum, quæ pœnam merentur, duæ sunt, iudicium & voluntas. 23
Neutra autem est in eo delicto, quod casu admittitur per ignorantiam, vt est apud Aristotelem libro tertio Ethicorum: Apud Platonem Socrates in sua Apologia, τῶν (inquit) ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, οὐ δεῦρο νόμος εἰσάγειν ἐστίν, ἀλλ' ἰδίᾳ λαβόντα διδάσκειν καὶ νουθετεῖν. Et apud Xenophontem libro tertio παιδ. Tigranes grauiter ait, ὁπόσα ἀγνοίᾳ οὐ κακονοίᾳ ἄνθρωποι ἐξαμαρτάνουσι, πάντα ἀκούσια ταῦτ' ἔγωγε νομίζω, [quicquid per imprudentiam homines, non per malitiam, peccant, omne ego id inuoluntarium duco.] Porrò scribit Aristoteles non idem esse, per ignorantiam peccare, & ignorātem peccare: illudque impune esse, hoc minimè. Ebrius, ignorans peccat, non per ignorantiam:

hoc est,

hoc eſt, Ignorat quidem à quibus abſtinendum ſit: non tamen ignorat, ſi percutit, ſe percutere. In
24 eoque etiam duplex eſſe videtur peccatum, ebrietatis ſcilicet & damni dati. Ac proinde Mityle-
næus illis Pittacus legem tulerat, vt ſi quid per temulentiam commiſſum eſſet, duplici pœna ple-
cteretur. Sed hanc legem Ariſtoteles in Politicis ſcribit, non tam æquitatis, quàm publicæ vtilita-
tis ratione niti. Certè noſtri Iuriſconſulti reſponderunt [a]; per vinum lapſis capitalem pœnam eſſe
25 remittendam. Ac legimus olim multa lagenæ ſiue temulentiæ condonaſſe Pyrrhum regem, & *a L. omne delictum. §. pen. de re milit.*
Dionyſium Siculum.
26 ¶ *Si modò culpa.*] Primus ſummuſque delicti gradus eſt Dolus, nempe cùm conſultò peccatur, &
ſpontanea voluntate; cuius nulla eſſe poteſt excuſatio. Vbi ſola culpa eſt [b]: ea cùm non habeat volū- *b L. in lege. D. ad leg. Corne. de ſica.*
tatem delinquendi, excuſationem habet in delictis: ſed tamen quia res ſit mali exempli [c], punitur *c L. ſi quis aliquid. 2. § qui abortionis. de pœn.*
27 etiam ſi leuius [d]: Cæterùm caſus fortuitus iuſtiſſimam habet impunitatis rationem, iuſtamque ex-
cuſationem, cùm in eo nihil poſſit accuſari. Sed ſi quis alioqui agebat, quod non licet, non excu-
28 ſaretur: vt ſi quis volens Titium occidere, errans Caium occiderit. Et cum eo quidem durius age- *d L. lege §. 1. D. ad leg. Corne. de ſicar.*
tur, quem euentus inopinati non pœniret: quia veluti aſſentitur commiſſo præter opinionem de-
licto. Porrò ſi non excuſatur fortuitus caſus, quem noſtra culpa præceſſit: multo minus excuſabi-
29 tur neceſſitas, cuius ipſi prius vltro fuerimus authores. Certè Ariſtoteles in Ethicis, id demum vio-
lentum & inuolūtarium eſſe definit, cuius aliunde eſt principium, nempe ad quod nihil contulit
is qui agit aut patitur. Nec obſcurè docet quid principij nomine intelligat, cùm ſcribit iniuſtos &
intemperantes, ideo ſponte eſſe tales, quia initio licuerit non eſſe: tametſi nunc alij eſſe nequeant.
Atque ad eam rem explicandam, vtitur his ſimilibus: Qui ægrotat, non erit ſanus, cùm voluerit: &
tamen ſua ſponte ægrotat, ſi intemperanter viuendo morbum ſibi contraxit: Sicut vbi quis lapi-
dem proiecit, non amplius poteſt reſumere: ſed initio penes ipſum fuerat, aut retinere, aut proii-
cere. Sic intellexit profanus philoſophus, non eſſe ſemper in poteſtate hominis, vt bonus ſit: imò
30 plerunque non niſi malum eſſe poſſe: & tamen ſua voluntate eſſe id quod eſt, nulla verò violētia:
quia principio libera penes ipſum fuerit electio, qua ſe vltro tradiderit in libidinum ſeruitutem.
adde eos qui peccant, nihilominus ſemper voluntariè, non autem coactò peccare: vtpote qui non
ſentiant vim vllam neceſſitatis, ſed ei cupidè aſſentiantur.
31 ¶ *Itaque ſi quis.*] Inquit Vlpianus [e]; Si per luſum à iaculantibus ſeruus fuerit occiſus: Aquiliæ lo- *e L. itē ſi obſtetrix. §. vlt. D. ad leg. Aquil.*
cus eſt. Sed ſi cùm alij in campo iacularentur, ſeruus per eum locum tranſierit, Aquilia ceſſat: quia
non debuit per campum iaculatorium iter intempeſtiuè facere. Qui tamen data opera in eum ia-
32 culatus eſt, vtique Aquilia tenebitur. & addit rationem Paulus; Nam luſus quoque noxius in cul-
pa eſt: qui ſcilicet animum habet nocendi, aut præcipiti temeritate nocet extra rationem ludi. Cæ-
terùm ſi colluſori ludendo nocitum ſit ſine dolo, impunè erit: & culpa carere intelligetur qui ma-
33 gno ſtudio luſit. Itaque (inquit Vlpianus [f]) ſi quis in colluctatione, vel pancratio, vel pugiles dum *f L. qua actione §. ſi quis D. ad leg. Aquil.*
inter ſe exercentur, alius alium occiderit: ſiquidem in publico certamine, ceſſat Aquilia: quia glo-
riæ cauſa & virtutis, non iniuriæ gratia videtur damnum datum. Sic & Alphenus [g], Cùm (inquit) *g L. ſi plagis §. vlt. D. ad leg. Aquil.*
pila plures luderent, quidam ex iis ſeruulum, cùm pilam recipere conaretur, impulit: ſeruus ceci-
dit, & crus fregit: quærebatur, an dominus ſeruuli lege Aquilia, cum eo, cuius impulſu ciciderat,
agere poſſet. Reſpondi, non poſſe: cùm caſu magis quàm culpa videretur factum. Illud hoc loco
prætereundum non eſt, quod Cicero in Topicis ad Trebatium, Iacere, inquit, telum, voluntatis
eſt, ferire quem nolueris, fortunæ. Ex quo aries ille ſubiicitur in veſtris actionibus, SI TELVM
34 MANV FVGIT MAGIS QVAM IEICT, Vt eum Ciceronis locum intelligamus, adiiciendum eſt,
quod idem lib. 3. de Orat. ait, hiſce verbis: SI TELVM MANV FVGIT, ſignificari imprudentiam
emiſſi teli. Sed quia imprudentia in iudicio legis Aquiliæ, non ſatis firma ſit defenſio, niſi ſi libera
ſit ab omni etiam culpa: vt aries dici poſſit ad repellendam actionem legis Aquiliæ, intelligemus,
quod Cicero ait, ſic imprudenti excidiſſe telum, vt planè fortuitò factum videatur, & nulla culpa
35 præceſſerit. ¶ *Nam ſi id à milite.*] Cuius ſcilicet exercitio deſtinatus erat campus: vt ſolebant mi-
lites in hybernis agentes, aut induciis id præſtantibus, vt neceſſe non eſſet in acie ſtare, vel excuba-
re ſub pellibus, multis luſibus vires reficere, qui militiam ſapiebant. Pugnabant ad palum, iacula-
bantur ad ſcopum, torquebant fundam, vibrabant haſtam, decertabant palæſtra, concurrebant
lanceis, armati in equum inſiliebant. Et legimus olim in campo Martio fuiſſe quædam equorum
ſimulacra, in quos inſilire diſcerent, qui militiæ exercebantur: ſimul & alia eiuſmodi militaris vir-
tutis exercitia. Vnde Maro libro ſeptimo;

Ante vrbem pueri, & primæuo flore iuuentus,
Exercentur equis, domitantque in puluere currus:
Aut acres tendunt arcus aut lenta lacertis
Spicula contorquent: curſuque, ictuque laceſſunt.

§. *Item ſi putator.*

1 *Quid, ſi putator ramum ex arbore deiiciens præter-euntem aliquem occiderit?*
2 *Culpa hic quæ intelligenda.*

¶ *Item ſi putator.*] Totus hic locus deſumptus eſt ex reſponſo Pauli: cuius collatio iuſtæ interpre-
1 tationis vice fuerit. is ita ſcribit [h]; Si putator, cùm ex arbore ramum deiiceret, vel machinarius ho- *h L. ſi putator, D. ad leg. Aquil.*
minem prætereuntē occiderit, ita tenetur, ſi is in publicum decidat, nec ille proclamauit, vt caſus

eius euitari posset. Sed Mutius dixit. etiam si in priuato idem accidisset, posse de culpa agi. Culpam autem esse, cùm quod à diligẽte prouideri potuerat, non esset prouisum; aut tunc denunciatum esset, cùm periculum euitari non posset. Secundum quam rationem, non multùm refert, per publicum an per priuatum iter fieret: cùm plerunque per priuata loca vulgò iter fiat. Quòd si nullum iter erit, dolum duntaxat præstare debet; ne immittat in eum, quem viderit transeuntem. Nã culpa ab eo exigenda non est: cùm diuinare non potuerit, an per eum locum aliquis transiturus sit. Hæc ille. Huc quoque pertinent, quæ traduntur lege Mosaica, Deuter. cap. 19. de simili casu cædis fortuitæ.

§. *Præterea. cum §§. aliquot seq.*

1 Contractibus semel initis necessariò standum est.
2 Medicus an curationem derelinquere possit?
3 Artis nostræ vsus nostri est arbitrij.
4 Imperitia culpæ annumeranda est.
5 Imperitia cur medico imprimis imputanda sit?
6 Ars non alliganda ad exitum.
7 Quid, si obstetrix medicamentum dederit, & mulier inde perierit?
8 Occidere. & mortis caussam præstare differunt.
9 Infirmitas quando culpæ annumeranda sit?
10 Quid, si seruum meum conduxisti, eiusq; negligentia iumentum tuum pereat?
11.12 Aestimatio in lege Aquilia quomodo fiat?
13 Annus hic retrorsum computatur.
14 Quid, si quis lethaliter vulneratus post aliquod deinde internallum moriatur?
15 Quid, si quis alicui mortiferum vulnus infligat, eundemq; ex interuallo alius quoque percutiat vt maturius moriatur?
16 Interest, sanum quis occiderit, an factum imbecilliorem.
17 Actio L. Aquiliæ datur heredibus, sed non in heredes; cum sit pœnalis.
18 Eadem aduersus negantem datur in duplum.
19 Quid veniat in hanc L. Aquiliæ actionem?
20 Quid, si hereditas amissa sit ob hoc quòd seruus non exhibebatur?
21 De ratione habenda eius quod interest.
22 Quid, si culpa nautarum nauis incidat in retia piscatorum.
23 Ratio coniunctæ officij res diuersas quasi vnam facit.
24.25 Vbi ex vno delicto ciuilis & criminalis actio oritur, vna non consumit alteram.
26 Vbi criminale iudicium publicum est, præiudicium ei fit per priuatum.

¶ *Præterea si medicus.*] Inquit Caius[a]; Qui bene secuit, & dereliquit curationem, securus non erit: sed culpæ reus intelligitur. Nempe sunt quidem contractus liberi: sed iis semel initis necessariò standum est[b]. Certè ægroto periculosa esset medici mutatio. ¶ *Dereliquerit.*] Magis scilicet ex ne- 1
gligentia, quàm curandi desperatione. Alioqui fortasis iusta ratione derelinquentem necessitas 2
excusare posset, cùm amplius iuuare non potest infirmum, ἢ ἔτι (inquit Lucianus in Abdicato) τὶ ὅ πλεῖον ἀπεγνωσμένον [atque vbi planè quid fuerit desperatum.] Certè à principio non suscipere curationem liberum est. est enim artis nostræ vsus nostri arbitrij. quod idem Lucianus grauissimè 3
scribit: fueritque operæpretium eius verba referre. ex quibus intelligamus; quid intersit inter non curare & curationem derelinquere. *τὸ τῆς ἰατρικῆς ὅσῳ σεμνότερον ἐστὶ καὶ τῷ βίῳ χρησιμώτερον, τοσούτῳ καὶ ἐλευθερώτερον εἶναι προσήκει τοῖς χρωμένοις. καὶ τινὰ προνομίαν ἔχειν τὴν τέχνην δίκαιον τῇ ἐξουσίᾳ τῆς χρήσεως: ἀναγκάζεσθαι δὲ μηδέν, μηδὲ προστάττεσθαι πρᾶγμα ἱερὸν καὶ θεῶν παίδευμα καὶ ἀνδρῶν σοφῶν ἐπιτήδευμα, μηδ' ὑπὸ δουλείας γενέσθαι νόμου, μηδ' ὑπὸ ψήφου καὶ τιμωρίας δικαστηρίου* & paulò pòst: *πείθεσθαι τὸν ἰατρὸν χρῆ, οὐ κελεύεσθαι, ἢ βούλεσθαι, οὐ φοβεῖσθαι, ἐπὶ τὴν θεραπείαν οὐκ ἄγεσθαι, ἑκόντα δὲ ἐρχόμενον ἀφίεσθαι.*

¶ *Imperitia quoque.*] Imperitiam culpæ annumerandam scripsit Celsus libro octauo Digestorum 4
vt refert Vlpianus[c]. Estque id relatum inter regulas iuris[d]. Certè imperitia quoque imputatur assessori[e], & quibuscunque artificibus[f], quamlibet artem, etiam vilissimam profitentibus, vti paulò pòst dicemus. Sed iustissimè imputatur medico, qui quod non benè didicit, tam graui multo- 5
rum periculo profitetur, & de vita hominis tam temerè ludit. Nec prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines, innoxium esse debet, inquit Vlpianus[g]: qui tamẽ addit; medico non imputari euentum mortalitatis. ne imperitiæ statim ascribamus tristiores euentus curationis; aut artem ad exitum alligemus: quod esse iniquum ait Fabius libro secundo. 6

Non est in medico, semper releuetur vt æger, Interdum docta plus valet arte malum.

Nec is pollicetur omnium morborum curationem; nec immortalitatem præstare potest. Rectè itaque Lucianus in illo suo Abdicato sentit, iniustum esse medico (vt loquitur) *ἐγκαλεῖν τὴν ἀδυναμίαν τῆς τέχνης* [obiicere tenuitatem artis,] cùm malum fuerit *ἀνίατον* [incurabile] & grauiter admonet, non omnium morborum curationem esse in medicorum potestate. ¶ *Veluti si.*] Proculus ait[h]; Si medicus seruũ imperitè secuerit; vel ex locato. vel ex lege Aquilia cõpetere actionẽ. deinde addit Caius; Idem iuris est si medicamento perperam vsus fuerit. Sed & si quis (inquit Vlpianus[i]) alicui medicamentum infuderit vel ore, vel clystere, vel si eum vnxit malo veneno: lege Aquilia tenetur: quemadmodum obstetrix supponens, de qua paulo antè idem Vlpianus eodem loco ita responderat; Si obstetrix medicamentum dederit. & inde mulier perierit, Labeo distin- 7
guit: vt si quidem suis manibus supposuit, videatur occidisse. Si autem dedit, vt illi mulier offerret: in factum actionem dandam. quæ sententia vera est. magis enim caussam mortis præstitit, quàm occidit. Atque hic addere oportet, quod alio loco idem Vlpianus docuit, his verbis[k]; Celsus 8
multùm

a L. idem iuris. D. ad leg. Aquil.
b L. sicut C. de act. & oblig.
c L. si quis domum. §. Celsus. D loca.
d L. imperitia. de reg. iur.
e L. 2. D. quod quisque iur.
f L. si seruum. §. si calicem. D. ad leg. Aqui.
g L. illicitas § sunt. de off. præsid.
h L. qua actione. §. vlt. D ad leg. Aquil.
i L. item si obstetrix §. 1. D. ad leg. Aquil.
k L. qua actione §. sed si quis. D. ad leg. Aqu.

multùm interesse dicit,occiderit,an mortis causam præstiterit: vt qui mortis causam præstiterit,
non Aquilia,sed in factum actione teneatur. Vnde asserit,eum, qui venenum pro medicamento
dedit,causam mortis præstitisse,quemadmodum qui furenti gladium porrexit.

¶ *Impetu quoque.*] Totus hic locus descriptus est ex responso Caij [a], cuius verba de more ascribe-
mus, vt collatio iustæ interpretationis loco sit; Mulionem quoque, si per imperitiam impetum
mularum retinere non potuerit,& hæ alienum hominem obtriuerint:vulgò dicitur,culpę nomi-
ne teneri. Idem dicetur,& si propter infirmitatem sustinere mularum impetum nō potuerit. Nec
9 videtur iniquum, si infirmitas culpæ annumeretur:cùm affectare quis non debeat, in quo vel in-
telligit, vel intelligere debet, infirmitatem suam alij periculosam futuram. Idem iuris est in per
sona eius, qui impetum equi, quo vehebatur, propter imperitiam, vel infirmitatem retinere non
potuit. ¶ *Culpa reus est mulio.*] Vt scilicet teneatur lege Aquilia: quemadmodum & qui vitulos
pascendos conduxit,culpam præstat. Culpa est autem,quod imperitia peccauit,quippe vt artifex
10 conduxit,inquit Celsus [b]. Porrò scribit Labeo [c];Si seruum meum mulionem conduxisti,& negli-
gentia eius mulus tuus perierit: si ipse se locâsset, ex peculio duntaxat, agi posse. Sin autem ego
ipse eum locâssem: præstaturum me dolum & culpam meam abesse. Quod si sine definitione per-
sonæ mulionem à me conduxisti,& ego eum tibi dedi, cuius negligentia iumentum tuum perie-
rit:illam quoque culpam me tibi præstaturum: quòd eum elegissem, qui eiusmodi damno te affi-
ceret.

a L. idem iuris § mulionē. D. ad leg. Aquil.
b L. si quis domum. § Celsus. D. locat.
c L. cùm in plures 60. § seruum. D. loca.

¶ *Illa sententia exprimitur.*] Inquit Vlpianus [d];Iulianus scribit æstimationem hominis occisi,ad id
11 tempus referri,quo plurimi eo anno fuit. Et ideo si precioso pictori pollex fuerit præcisus, & intra
annum, quo praecideretur. fuerit occisus:posse eum Aquilia agere: præcioque eo æstimandū, quā-
ti fuit, priusquam artem cum pollice amisisset. Deinde addit: Sed etsi bonæ frugi seruus intra an-
num mutatis moribus,occisus sit: precium id æstimabitur,quanti valeret, priusquam mores mu-
târat. In summa, omnia commoda, quæ intra annum quo interfectus est, preciosiorem seruum
facerent,hæc accedere ad æstimationem eius dicendum est. Porrò illud hîc adiiciendum est, quod
in vniuersum Paulus respondit [e];Cùm agitur de æstimatione hominis occisi, non æstimari priua-
12 tam domini affectionem,sed quanti omnibus homo valeret. Additque dictum Pedij; Precia re-
rum non ex affectione,nec vtilitate singulorum,sed communiter fingi. Quod dictum Paulus ali-
13 bi refert [f] non laudato autore. ¶ *Quanti ideo in anno.*] Scribit Vlpianus [g]; Annum hîc retrorsum
14 computari,ex quo quis occisus est. Quòd si mortiferè fuerit vulneratus,& postea post longum in-
teruallum mortuus sit:inde annum numerabimus,secundum Iulianum,ex quo vulneratus est:li-
cet Celsus contrà scribat. Certè cùm quis seruo mortiferum vulnus inflixisset, eundemque alius
15 ex interuallo ita percusisset,vt maturius interficeretur:respondit Iulianus [h] vtrumque lege Aqui-
lia teneri:sed æstimationem perempti non eandem in vtriusque persona fieri. Nam (inquit) qui
prior vulnerauerit,tantum præstabit,quanti in anno proximo homo plurimi fuerit, repetitis ex
die vulneris trecentis sexaginta quinque diebus: posterior verò in id tenebitur,quanti homo plu-
rimi vænire potuerit in anno proximo, quo vita excessit. Hucque pertinet quod Vlpianus respon-
dit [i];Multùm interesse,quod erat alioqui firmum,vi fluminis lapsum sit protinus, an verò antè sit
16 vitiatum,deinde sic ceciderit. Etenim (inquit) multum interest, quod ad Aquiliam pertinet, sa-
num quis hominem occiderit,an factum imbecilliorem. ¶ *Qua ratione.*] Scribit quoque Vlpia-
17 nus [k]:hanc actionem & hæredi,cæterisque successoribus dari:sed in hæredem vel cæteros non dari,
cùm sit pœnalis,nisi fortè ex damno locupletior hæres sit factus. Porrò autem magis intelligemus
18 hác actionem esse pœnalem,si meminerimus quod subiicit idem Vlpianus:eam in duplum com-
petere aduersus negantem.

d L. vnde Neratius. § idem Iulianus. D. ad leg. Aquil.
e L. si seruum. D. ad leg. Aquil.
f L. precia rerum. D. ad leg. Falcid.
g L. ait lex. D. ad leg. Aquil.
h L. ita vulneratus. § rursus. D. ad leg. Aq.
i L. fluminū § idē Seruius. de damno infect.
k L. vnde Neratius § hanc actionem. D. ad leg. Aquil.

¶ *Ex interpretatione placuit.*] Sic enim ait Vlpianus [l];Sed vtrùm corpus eius solùm æstimamus,quā-
ti in eo anno fuerit,cùm occideretur:an potius quanti interfuit nostra, non esse occisum? Et hoc
19 iure vtimur,vt eius,quod interest,fiat æstimatio. Deinde addit Paulus; Proinde si seruum occidi-
sti, quem sub pœna tradendum promisi: vtilitas venit in hoc iudicium. Item causæ corpori cohæ-
rentes æstimantur. Si quis ex Comœdis,aut Symphoniacis,aut gemellis,aut quadrigis,aut ex pa-
ri mularum vnum vel vnam occiderit:non solùm perempti corporis æstimatio facienda est,sed &
eius ratio haberi debet,quo cætera corpora depreciata sunt. Vnde & Neratius scribit, si seruus hæ-
res institutus occisus sit, etiam hæreditatis æstimationem venire. quod & euicto seruo dicitur [m].
20 Sic & Vlpianus [n], Sed & si (inquit) hæreditas amissa sit ob hoc quòd seruus non exhibebatur, æ-
quissimum est æstimari officio iudicis damnum hæreditatis. Atque illud quidem hîc notare de-
bemus,ius adeundæ hæreditatis,quæ delata est,verè esse in bonis,vt si nobis intercipiatur,intelli-
gamur damnum pati. Quia tamen libera est hęc facultas,& tam adire quàm non adire sit integrū:
respectu alterius,veluti creditoris aut legatarij, non dicetur esse in bonis, nec eo nomine locuple-
tior aliquis iudicabitur. Itaque & in ratione legis Falcidiæ non æstimatur hæreditas seruo hæredi-
tario delata,priusquam sit adita. quia & si eius dominus sit ab alio hæres institutus, quod ad rem
legatariorum vel creditorum attinet,non dicetur locupletior factus, priusquam adierit [o]. Porrò
21 diligenter notandum est,quod hîc Iustini. ait;tationem eius quod interest, quæ hîc habetur, non
esse ex verbis legis Aquiliæ, sed ex interpretatione Prudentum, vt cùm agetur de duplo aduersus
inficiatorem, meminerimus hoc quod extrinsecus interest, non duplari. Nam id tantùm dam-
num duplari statuit lex Aquilia, de quo ipsa loquebatur. quod non satis vulgò animaduersum
est.

l L. ait lex § vlt. D. ad leg. Aquil.
m L. vēditor de euict.
n L. sed & si hæreditas. D. ad exhib.
o L. precia rerum. D. ad leg. Falcid.

¶ *Quicquid præterea perempto corpore damni.*] Hoc est, vt ait Vlpianus, quod interest. Et huius qui-
dem damni, siue eius quod interest, oportet, causam illum planè dedisse, qui conuenitur: vt nega-
re non posit, quin damnum illud dederit. Cæterùm si esset alioqui verisimile id euenturum, &
quod interesse dicimus, propinquiores alias habeat causas: aliud respondendum erit. Sanè cùm 22
culpa nautarum nauis incidisset in retia piscatorum, respõsum est[a], Lege Aquilia agi, sed vbi dam-
ni iniuria agitur ob retia, non piscium, qui ideo capti non sunt, fieri æstimationem: cùm incertum
fuerit, an caperentur; idemque & in venatoribus & aucupibus probandum. Posset tamen tam ve-
risimilis ac certus esse piscium captus, vt is, qui iam imminebat, præreptus æstimari debeat. Quòd
si iactum retis emero, & venditor iacere noluerit: dubium non est, incertum quoque ipsum ca-
ptum æstimari. nam illud ipsum est, quod emi: vt magis de re ipsa principaliter debita, quàm de
eo, quod interest, agi videatur.

a L. quemadmodum. §. planè. D. ad leg. Aqu.
b L. si iactum. de act. empt.

¶ *Quanti depreciati sunt, qui supersunt.*] Eiusdem generis siue officij plures res, quæ non nisi con-
iunctæ, vsui esse possunt, si separentur, redduntur ferè inutiles. Vnde & Ædilitio edicto permitti-
tur ob vnius vitium, omnes redhiberi, etiam si singulæ, diuersis preciis emptæ sint: nempe cùm
manifestum est, non nisi omnes quem empturum, vt plerunque (inquit Africanus[c]) circa Comœ-
dos vel quadrigas vel mulas pares accidere solet, vt nõ nisi omnes habere expediat. Certè eiusmo- 23
di ratio coniuncti officij adeò facit rem vnam videri, vt si tres Comœdos aut lecticarios promise-
ris, vel in singulos decem: existimetur nihilominus vna stipulatio, quòd illa precij constitutio in
capita non magis diuidi posit, quàm ipsi Comœdi[d].

c L. cum eiusdem. de Aedil. edict.
d L. si ex toto §. vlti. de lega. 1.

¶ *Liberum autem est.*] Apertior est hic locus apud Vlpianum, his verbis[e]; Si dolo seruus occisus 24
sit, & lege Cornelia agere dominum posse constat: & si lege Aquilia egerit, præiudicium fieri legi
Corneliæ non debet. Sic & Imp Gordianus rescripsit cuidam Dolenti[f]; Ex morte ancillæ, quam
cæsam conquestus es, tam legis Aquiliæ, damni sarciendi gratia, actionem, quàm criminalem ac-
cusationem aduersus obnoxium cõpetere tibi posse, non ambigitur. Illudque in vniuersum scien- 25
dum est; Ciuilem actionem, in qua de re familiari agitur, non consumere criminalem accusatio-
nem, nec contrà[g]. Vnde qui in factum actione, propter suppressum testamentum, cùm sua inter-
esset, egit, poterit postea, imò & quiuis alius, cùm publicum sit iudicium, de falso criminaliter ac-
cusare. Nec interest vtrùm ciuilis actio, an accusatio prius proponatur[h]; sed vtraque eodem iudi-
cio proponi non potest. & vbi criminale iudicium publicum est, præiudicium ei fit per priuatum. 26
vt scilicet prius cognoscatur de priuata ciuilique actione. Sic accipiendum est, quod respondit
Paulus[i]; Interdum euenit, vt præiudicium publico iudicio fiat: sicut in actione legis Aquiliæ, &
furti, & Vi bonorum raptorum, & interdicto Vnde vi, & de tabulis testamenti exhibendis. Nam
in his de re familiari agitur.

e L. vnde Neratius. §. si dolo. D. ad leg. Aquil.
f L. 3. C. ad leg. Aquil.
g L. vnica C. quando ciuis. act. crimi.
h Dict. l. vnica.
i L. interdum. de publi. iudic.

§. *Capite tertio.*

1 De III. legis Aquiliæ capite.
2 Quid, si plures eundem vulnerauerint?
3 Rumpere quid significet?
4 Vinum spurcatum quid?

¶ *Capite tertio.*] Huius capitis tertij verba refert Vlpianus[k]. ¶ *Vulnerauerit.*] Ex quo vulnere si 1
mors sequatur, licebit rursus agere ex primo capite. Sic enim ait Vlpianus[l]; Si vulnerato seruo, le-
ge Aquilia actum sit: postea mortuo ex eo vulnere, agi Aquilia nihilominus potest. Sed si (inquit
Iulianus[m]) priore iudicio æstimatione facta: postea mortuo seruo, de occiso agere dominus insti-
tuerit: exceptione doli mali opposita, compelletur, vt ex vtroque iudicio nihil amplius consequa-
tur, quàm consequi deberet, si initio de occiso homine egisset. Sed quid, si plures vulnerauerint?
Et extat[n] sanè hac de re responsum eiusdem Iuliani, ex quo collegimus hæc axiomata; Si vulnera- 2
tus à duobus decedat: ambo tenentur de occiso, cùm ambo æquè mortis causam dederint, & appa-
ret posteriorem plagam saltem esse accelerâsse mortem. Cæterùm si constaret posterius vulnus ni-
hil incommodi addidisse, alioqui æquè morituro, nec eius certam mortem accelerâsse; tum is so-
lus, qui prior vulnerauit, tenebitur: quemadmodum è diuerso, si appareret posterioris percussoris
ictu, magis quàm prioris, vulneratum decessisse: posterior solus teneretur, qui reuera solus occidit:
non secus atque si vulneratum, nouo statim vulnere exanimâsset, & cum ictu mortem præsentem
inflixisset[o]. ¶ *Ruptum enim intelligitur.*] Apud Vlpianum est[p]; Inquit lex, RVPERIT. Quod ver- 3
bum omnes ferè veteres sic intellexerunt, corruperit. Idem paulo pòst, Rupisse eum vtique acci-
piemus, qui vulnerauerit, vel virgis, vel loris, vel pugnis ceciderit, vel telo, vel quo a-
lio sciderit alicui corpus, vel tumorem fecerit: sed ita demum, si damnum iniuria datum
est.

k L. si seruus seruũ. §. tertio. ad leg. Aquil.
l L. si vulnerato. D. ad leg. Aquil.
m L. sed si priore. D. ad leg. Aquil.
n L. si ita vulneratus. D. ad leg. Aquil.
o L. itẽ Mela. §. Celsus D. ad leg. Aquil.
p L. si seruum. §. inquit lex. D. ad leg. Aquil.

¶ *Denique responsum est.*] A Celso, vt testatur Vlpianus, his verbis[q]; Cum eo planè, qui vinum
spurcauit, vel effudit, vel acetum fecit, vel alio modo vitiauit, agi posse Aquilia, Celsus ait; quia &
effusum, & acetum factum corrupti appellatione continetur. Vocat autem vinum spurcatum, 4
quod est dilutum & vitiatum aqua infusa. Ita enim veteres locuti sunt, vt testatur Festus. Et no-
tum est illud Athenæi; ἀπώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας τὸ ὕδωρ, [vinum perdidisti cum aquam infude-
ris.]

q Dict. l. si seruum. §. cum eo.

¶ *Sed Sabino rectè placuit.*] Vlpianus hanc sententiam referens, nec Sabinum, nec alium laudat
autorem.

autorem. Simpliciter enim ait[a]: Hæc verba, QVANTI IN TRIGINTA DIEBVS PROXIMIS FVERIT: & si non habent verbum PLVRIMI, sic tamen esse accipienda constat. a L. quemadmodum §. vlt. D. ad leg. Aq.

§. *Cæterùm placuit.*

1.2 *Actiones directæ & vtiles quomodo differant?*
3 *Qui mortis caussam præbuit an teneatur ex L. Aquilia?*
4 *Quid, si quis fame hominem necauerit?*
5 *Nonnunquam & in factum actio datur accommodata L. Aquiliæ.*
6 *Intempestiua misericordia nocet.*

¶ *Corpore suo.*]Ita vt verius dici possit ipse damnum dedisse, quàm damni occasionem. ¶ *Vtiles actiones.*]Quoties ipso Iure Ciuili proposita erat certa actionis formula, nec alioqui à Prætore,
1 qui agendi facultatem dabat, penderet: directa dicebatur actio, quæ accommodabatur & dirigebatur ad vulgarem & ordinariam Iuris formulam. vbi verò nullo iure actio satis prodita esset, &
2 tamen æquum videretur dari, & Prætor singulari beneficio dabat, vtilis appellabatur, quæ scilicet ex æquo & bono dabatur, & vtilitatis causa introducebatur, ait Vlpianus[b], Idem, Quoties (inquit) deficit actio vel exceptio, vtilis danda est[c]. Sic itaque cùm is, qui mortis quidem causam præstitit, b L. quia actionum. de præscript. verb. c L. quoties de præscrip. verb.
3 sed non ipse occidit, non teneatur ex verbis legis Aquiliæ: sed tamen ex Prudentum interpretatione videatur occidisse: Prætor vtilem dabat actionem. Vlpianus ait[d]; dari actionem in factum. d L. qua actione. §. proinde. L. item si obstetrix. D. ad leg. Aq.
4 ¶ *Vt fame necaretur.*]Inquit Vlpianus[e]; Si quis hominem fame necauerit, in factum actione teneri, Neratius ait. Idem alio loco[f], Et cùm pecudes aliquis pignori cepisset, & fame eas necâsset, dum non patitur eis cibaria adferri, in factum actio danda est. Itaque de vtili actione loqui intelligunt Impp. Diocletianus & Maximianus, cùm rescripserunt[g]; De pecoribus, quæ per iniuriam inclusa, fame necata sunt, legis Aquiliæ actione agi. Quòdque addunt in duplum agi, intelligi debet contra inficiantem, de quo paulo antè locuti erant[h]. ¶ *Aut iumentum ita vehementer egerit.*] e L. item si obstetrix. f §. si quis hominem. D. ad leg. Aquil. f L. quemadmodum §. Magistratus. D. illo tit. g L. de pecoribus. C. illo tit. h L. contra negantem C. illo tit.
• Quamuis alienum pecus in agro suo quis deprehenderit: sic illud expellere debet, quo modo si suum deprehendisset: quia si quod ex ea re damnum ceperit, habet proprias actiones, alioqui si quis vehementius egit, vt rumperetur, aut eiiceret, lege Aquilia tenebitur[i], saltem vtili, si id non attigerit[k].

¶ *Sed si quis de ponte alienum seruum.*]Inquit Vlpianus[l]; Sed si quis de ponte aliquem præcipitauerit: Celsus ait, siue ipso ictu perierit, aut continuò submersus est, aut lassatus vi fluminis victus perierit: lege Aquilia teneri. quemadmodum si quis puerum saxo illisisset. i L. Quintus Mutius. D. illo tit. k L. bones. D. illo tit. l L. qua actione. §. sed & si quis D. illo tit.

¶ *Veluti si quis misericordia motus.*]Scripsit idem Vlpianus[m]; Labeo quærit, si compeditum seruum meum, vt fugeret, solueris: an de dolo actio danda sit. Et ait Q. Mutius apud eum notans; Si non
5 misericordia ductus fecisti, furti teneris: si misericordia, in factum actionem dari debere. Sanè si hominem apud se depositum, vt quæstio de eo haberetur, ac propterea vinctum, sequester soluerit misericordia ductus: respondit idem Vlpianus[n]; Dolo proximum esse, quod factum est. quia m L. & eleganter. idem Labeo. de dolo.
6 cùm sciret, cui rei pararetur, intempestiuè misericordiam exercuit: cùm posset non suscipere talem causam, potius quàm decipere. n L. si hominem. D. depositi.

IN TITVLVM SEQVENTEM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Continuatio tituli.*
2 *Iniuriarum coercio latißimè patet.*

SCribit Aristoteles libro secundo Politicorum; Hippodamum Milesiorum legislatorem, iudicium dedisse, de cæde, damno, & iniuria. Et Demosthenes contra Midiam ait, apud Athenienses fuisse νόμον βλάβης, καὶ ὕβρεως *[legem de damno dato & iniuria.]*
1 *Sic igitur Iustinianus, posteaquam agit de iudicio legis Aquiliæ ob damnum datum,*
2 *subiicit tractationem iniuriarum, quarum certè maximè est necessaria coercio; & latißimè patet in Rep. quod elegantißimè tradit Isocrates in oratione* κατὰ τοῦ λοχίτου: *vt operæpreciũ fuerit, eius verba huic protheoriæ ascribere. Nam & nos admonent atque excitant, vt tractatum, qui sequitur, maiori attentione excipiamus,* ἐνθυμεῖσθε, ὅτι τῶν μὲν περὶ τῆς οὐσίας κινδύνων, οὐ μέτεστι τοῖς πένησι, τῆς δὲ εἰς τὰ σώματα αἰκίας, ὁμοίως ἅπαντες κοινωνοῦμεν· ὥσθ' ὅταν μὲν ἀποστεροῦντας τιμωρῆσθε, τοὺς πλουσίους μόνον ὠφελεῖτε, ὅταν δὲ ὑβρίζοντας κολάζητε, ὑμῖν αὐτοῖς βοηθεῖτε· ὧν ἕνεκα δεῖ περὶ πλείστου ποιεῖσθαι ταύτας τῶν δικῶν καὶ περὶ μὲν τῶν ἄλλων συμβολαίων τοσούτου τιμᾶν, ὅσον περ εὑρήσει τὸν διώκοντα κομίσασθαι· περὶ δὲ τῆς ὕβρεως, ὅσον ὑποτίσας ὁ φεύγων παύσασθαι μέλλει τῆς παρούσης ἀσελγείας.

De iniuriis, Titulus IIII.



Eneraliter iniuria dicitur omne, quod non iure fit: ſpecialiter, aliàs contumelia, quæ à contemnendo dicta eſt, quam Græci ὕβριν appellant: aliàs culpa, quam Græci ἀδίκημα dicunt, ſicut in lege Aquilia damnum iniuria darum accipitur: aliàs iniquitas & iniuſtitia, quam Græci ἀνομίαν καὶ ἀδικίαν vocanr. cùm enim Prætor vel Iudex non iure contra quem pronuntiat, iniuriam accepiſſe dicitur.

Iniuria autem committitur non ſolùm cùm quis pugno pulſatus, aut fuſtibus cæſus, vel etiam verberatus erit: ſed & ſi cui cõuitium factum fuerit, ſiue cuius bona quaſi debitoris, qui nihil deberer, poſſeſſa fuerint ab eo, qui intelligebat nihil eum ſibi debere. vel ſi quis ad infamiam alicuius libellum, aut carmen, aut hiſtoriam ſcripſerit, compoſuerit, ediderit, dolóve malo fecerit, quo quid eorum fieret: ſiue quis matremfamiliàs, aut prætextatum prætextatámve adſectatus fuerit: ſiue cuꝰ pudicitia attentata eſſe dicetur: & denique aliis plurimis modis admitti iniuriam manifeſtum eſt.

Patitur autem quis iniuriam non ſolùm per ſemetipſum, ſed etiam per liberos ſuos, quos in poteſtate habet: item per vxorem ſuam. id enim magis præualuit. Iraque ſi filiæ alicuius, quæ Titio nupta eſt, iniuriam feceris, non ſolùm filiæ nomine tecum iniuriarum agi poteſt, ſed etiam patris quoque & mariti nomine. Contrà autem ſi viro iniuria facta ſit: vxor iniuriarum agere non poteſt Defendi enim vxores à viris, non viros ab vxoribus, æquũ eſt. Sed & ſocer nurus nomine, cuius vir in eius poteſtate eſt, iniuriarũ agere poreſt.

Seruis autem ipſis quidem nulla fieri iniuria intelligitur, ſed domino per eos fieri videtur. non tamen iiſdem modis, quibus etiam per liberos & vxores: ſed ita, cùm quid atrocius commiſſum fuerit, & quod apertè ad contumeliam domini reſpicit: veluti ſi quis alienum ſeruum atrociter verberauerit: & in hunc caſum actio proponitur. At ſi quis ſeruo conuicium fecerit, vel pugno eum percuſſerit: nulla in eum actio domino competit. Si communi ſeruo iniuria facta ſit, æquum eſt, non pro ea parte, qua dominus quiſque eſt, æſtimationem iniuriæ fieri, ſed ex dominorum perſona, quia ipſis fit iniuria. Quòd ſi vſus fructus in ſeruo Titij eſt, proprietas Mæuij, magis Mæuio iniuria fieri intelligitur. Sed ſi libero homini, qui tibi bona fide ſeruit, iniuria facta ſit: nulla tibi actio dabitur, ſed ſuo nomine is experiri poterit: niſi in contumeliam ruam pulſatus ſit: tunc enim competir & tibi iniuriarum actio. Idem ergo eſt & in ſeruo alieno bona fide tibi ſeruiente: vt toties admittatur iniuriarum actio, quoties in tuam contumeliam iniuria ei facta ſit.

Pœna autem iniuriarum ex Lege Duodecim Tabularum propter membrum quidem ruptum talio erar: propter os verò fractum nummariæ pœnæ erant conſtitutæ, quaſi in magna veterum paupertate. Sed poſtea Prætores permittebant ipſis, qui iniuriam paſſi ſunt, eam æſtimare: vt Iudex vel tanti reum condemnet, quanti iniuriam paſſus æſtimauerit, vel minoris, prout ei viſum fuerit. Sed pœna quidem iniurię, quę ex Lege duodecim Tabularum introducta eſt, in deſuetudinem abüt, quam autem Prætores introduxerunt (quæ etiam Honoraria appellatur) in iudiciis frequentatur. Nam ſecundum gradum dignitatis, vitæque honeſtatem, creſcit aut minuitur æſtimatio iniurię. qui gradus condemnationis & in ſeruili perſona non immeritò ſeruatur: vt aliud in ſeruo actore, aliud in medij actus homine, aliud in viliſſimo vel compedito ius æſtimationis conſtituatur.

Sed & Lex Cornelia de iniuriis loquitur, & iniuriarum actionem introduxit, quæ competit ob eam rem, quòd ſe pulſatum quis, verberatúmve, vel domum ſuam vi introitam eſſe dicat. Domum autem accipimus, ſiue in propria domo quis habitet, ſiue in conducta: ſiue gratis, ſiue hoſpitio receptus ſit.

Atrox iniuria æſtimatur vel ex facto: veluti ſi quis ab alio vulneratus ſit, vel fuſtibus cæſus: Vel ex loco, veluti ſi cui in theatro, vel in foro, vel in conſpectu Prætoris iniuria facta ſit: Vel ex perſona, veluti ſi magiſtratus iniuriam paſſus fuerit, vel ſi Senatori ab humili perſona iniuria facta ſit, aut parenti patronóve fiat à liberis vel libertis. Aliter enim Senatoris & parentis patronique, aliter extranei, & humilis perſonæ iniuria æſtimatur. Nonnunquam & locus vulneris atrocem iniuriam facit, veluti ſi in oculo quis percuſſus fuerit. Parui autem refert, vtrùm patrifamiliâs. an filiofamiliâs talis iniuria facta ſit. nam & hæc atrox iniuria æſtimabitur,

In ſum-

In summa sciendum est, de omni iniuria, cum qui passus est, posse vel criminaliter agere, vel ciuiliter. Et si quidem ciuiliter agatur: æstimatione facta, secũdum quod dictum est, pœna reo imponitur. Sin autem criminaliter: officio Iudicis extraordinaria pœna reo irrogatur: hoc videlicet obseruando, quod Zenoniana Constitutio introduxit, vt viri illustres, quique super eos sunt, & per Procuratores possint actionem iniuriarum criminaliter vel persequi, vel suscipere, secundum eius tenorem, qui ex ipsa manifestius apparet.

Non solùm autem is iniuriarum tenetur, qui fecit iniuriam, id est, qui percussit: verùm ille quoque tenetur, qui dolo fecit iniuriam, vel qui procurauit, vt cui mala pugno percuteretur. Hæc actio dissimulatione abolctur. & ideo si quis iniuriam dereliquerit, hoc est, statim passus ad animum suum non reuocauerit: postea ex pœnitentia remissam iniuriam non poterit recolere.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1.2.3 ὕβρις, ἔγκλημα, ἀδίκημα & ἀδικία quid?
4 Iudex à Prætore quid differat?
5 Iniuriam accipitis, contra quem sententia per iniuriam dicta est.

G*eneraliter iniuria dicitur.*] Totus hic locus desumptus est ex responso Vlpiani[a]. Adiicit autẽ præterea hîc Iustinianus voces Græcas, quæ Latinis respondent. ¶ *Quam Græci ὕβριν*] Apud Græ- a L.1.de iniur.
1 cos ὕβρις, verbum est polysemum. Propriè autem significat insolentem quandam & confidentem contumeliam. Apud Æschinem ὑβρίζειν est stupro contaminare. Apud Aristophanem in Ranis ὕβρις significat quod idem autor alio loco ait, τρυφὴν, delicias nimias, quibus scilicet insolescimus & efferamur ad inferendam iniuriam contumeliamque.
¶ *Illæ culpa.*] Apud Vlpianum est, damnum culpa datum: & quod Iustinianus addit, id Græcè
2 dici ἔγκλημα: verum quidem est sed tamen apud Græcos Oratores eo verbo sæpius significatur actio petitioque iudicialis. aptius est quod est apud Theophilum, ἀδίκημα. Quod autem ait Iusti-
3 nianus iniquitatem iudicis propriè ἀδικίαν appellari, alludere videtur ad illam iuris iudiciorumque præsidem Δίκην. Alioqui constat generale nomen esse τῆς ἀδικίας. Apud Platonem ἀδικίαι vel ἀδικήματα, sunt ea omnia flagitia, quæ etiam vocat ἁμαρτανόμενα. Sicuti & apud Latinos iniuriæ nomen latè patet, si generaliter accipiatur. Sed de iniuria nemo tractauit copiosius quàm Aristoteles in Rhetor.

4 ¶ *Cum Prætor vel Iudex.*) Iudex à Prætore distinguitur, quia propriè ita appellatur Iudex à Prætore datus. Ac Prætor quidem de quibusdam causis extra ordinem cognoscebat, iudicabat, pronunciabat. In aliis verò iudices dabat qui iudicarent, quanquam tempore Iustiniani hic mos esset mutatus.

5 ¶ *Iniuriam accepisse dicitur.*] Is scilicet, contra quem non iure pronunciatum est. Vnde est apud Vlpianum[b]; Per iniuriam sententiam dicere. Sed tamen hoc nomine idem ait, non dati iniuriarum actionem. Rursus alio loco scribit[c]; Iniuriam emptori factam à Iudice, cuius imprudentia vel errore victus est. Galli appellant, *tort, ou grief.*

b L.iusiurandum. §. idem Labeo. de iniur. c L.si per imprudentiam de euict.

§. *Iniuria.*

1 Iniuriam fieri aut re aut verbis.
2 Qui vitare volunt atrocia, occurrere debent leuioribus.
3 Occasiones exiguæ magnorum sæpe malorum occasiones existunt.
4 Quid, si quis manibus tantùm contra se leuatis ab altero fuerit territus?
5 Superbia verborum capitali pœna digna non est.
6 Absenti etiam fieri potest conuicium.
7.8 Vbi non est consilium conuicij, dictum excusat obiecti criminis veritas.
9 Quid, si quis nõ creditor debitorem te suum appellet?
10.11 Nota paupertatis non caret iniuria.
12 Quid, si liber pro fugitiuo apprehendatur?
13 Augustus cognitionem de famosis libellis qua occasione primùm tractarit.
14 Famosum libellum inueniens supprimere eũ debet.
15 Hoc crimen denunciare cuiuis concessum est.
16 Iudex ex officio suo iudicatum crimen exequitur.
17 Prætexta quid? & prætextata amicitia, num. 18.
19 Prætextati hoc loco qui?
20 Proximè prætextati ætatem accedere quis dicatur?
21.22 Assectari; item attentare pudicitiam, quid?

1 ¶ *Iniuria autem committitur.*] Iniuriam fieri Labeo ait[d]; aut re, aut verbis. Re, quoties manus inferuntur: Verbis autem, quoties non inferuntur manus, vt cum conuicium fit. ¶ *Aut cum quis pugno pulsatus.*] Extat grauissima Demosthenis aduersus Midiam oratio περὶ τῶν κονδύλων, de alapis, in qua grauiter accusat Midiam, quòd ab eo pulsatus pugno esset in Dionysiis: multisque verbis probat

d L. §. iniuria autem de iniur.

probat non debere eiusmodi petulantiam in Repub. bene instituta esse impunitam. Et refert
quendam Eueona Laodamantis fratrem inter epulas & in conuentu publico olim iure obtruncatum fuisse à Bœoto, ob vnum colaphum iniuria inflictum. Extat & eadem de re elegantissima
Isocratis oratio κατὰ τοῦ λοχίτου [contra insidiatorem manipularem.] Certè oportet prudentes Re-
rump. gubernatores, qui atrocia vitare volunt, leuioribus occurrere. Quare apud Athenienses fuit 2
actio κακηγορίας, ob conuicia: αἰκίας, ob verbera: τραυμάτων, ob vulnera: φόνου, ob cædem, vt apparet
ex oratione Demosthenis contra Midiam & contra Cononem. Et alioqui sanè impunita initio
licentia euadet ad summum: & per gradus impunitatis tandem erumpet ad atrocissima. Itaque
grauiter Isocrates in illa sua superiori oratione, πολλάκις (inquit) ἤδη μικραὶ προφάσεις μεγάλων κακῶν 3
αἴτιαι γεγόνασι. καὶ δίκαι πολλαί, καὶ τῶν πολιτῶν διὰ τοὺς τῦφον τολμῶντας, εἰς τοῦτ᾽ ὀργῆς προήχθησαν, ὥστ᾽ εἰ τραύματα, καὶ σφαγὰς, καὶ θανάτους, καὶ τὰς μεγίστας συμφορὰς ἐλθεῖν.

¶ *Vel etiam verberatus erit.*] Sed & si quis verberatus non sit, verùm manibus aduersus eũ leuatis
pertertitus fuerit, quasi vapulaturus: vtilem iniuriarum actionem intendere potest[a]. 4

a L. item apud Labeonem. §. 1. de iniur.

¶ *Sed & si cui conuiciũ.*] Ait Prætor; Qui aduersus bonos mores conuicium cui fecisse, cuiúsve opera quid factum esse dicetur, quò aduersus bonos mores conuicium fieret: in eum iudicium dabo.
Et sanè Magistratus ferre non debet, bonorum virorum famam (qua nihil habent antiquius, &
quæ semel vlla infamia aspersa, vix vnquam satis potest elui) conuiciis lædant mali. Rectè itaque
Iustini. in Nouella sua Constit. 77. κατὰ ἀνθρώπων (inquit) γινόμεναι βλασφημίαι, ἀνεκδίκητοι οὐ καταλιμπάνονται [hominibus facta conuicia, impunita non relinquuntur.] Ideoque refert Plutarchus Solonem Legem tulisse, vt si quis cui conuicium dixisset, vel in sacris locis, vel in foro: is priuatim illi tres drachmas, fisco duas dependeret. Quanquam interim grauis viri sit & magnanimi, contémnere iniuriam conuicij: nec priuatæ vltionis libidine transuersum agi, vbi suo alioqui nomini satis consuluit. Superbiam verborum (inquiunt illi apud Liuium Rhodiorum Legati.) iracundi 5
quidem oderunt; prudentes verò irrident: capitali certè pœna nemo vnquam dignam iudicauit.
Huius patientiæ & Heroicæ mansuetudinis plura extant apud Ethnicos exempla. Certè apud
Græcos præcipuè laudantur eo nomine Lysander & Pericles. ¶ *Sicut.*] Cui (inquit Vlpianus[b])
non sine causa adiectum est. Nam si incertæ personæ conuicium fiat: nulla executio est. Non tan- 6
tùm autem præsenti, sed & absenti fieri potest conuicium.

Deca. 5. lib. 5.

b L. item apud Labeonem. §. cui de iniu.

¶ *Factum fuerit.*] Animo iniuriæ inferendæ. Nam & ea non potest non esse conuicij comes. Vbi 7
autem non est consilium conuicij, sed aliud agitur; dictum excusat obiecti criminis veritas[c]; item
& vbi publicè intererat sciri quod dictũ est[d]. Rectè itaque Diocletianus & Maximianus rescripse-
runt[e] Si non conuicij consilio te aliquid iniuriosum dixisse probare potes; fides veri à calumnia te 8
defendit. Et cùm responsum est, puniendum esse Astrologum, vel eum, qui aliquam illicitam
diuinationem pollicetur; ante omnia proponebatur, eum dixisse aliquem furem, qui tamen fur
non erat[f].

c L. eum qui nocentẽ. de iniur.
d L. quod Reip. de iniur.
e L. si non conuicij. C. de iniur.
f Dict. l. item apud §. si quis astrologus.

¶ *Siue cuius bona.*] Inquit Vlpianus[g]; Si quis non debitorem, quasi debitorem appellauerit iniu- 9
riæ faciẽdæ causa, iniuriarum tenetur. Et Caius[h], Si creditor (inquit) meus, cui paratus sum soluere, in iniuriam meam fideiussores meos interpellauerit: iniuriarum mihi tenetur. Et si iniuriæ faciendæ gratia, Seia domum absentis debitoris signâsset sine autoritate eius, qui concedendi ius potestatémve habuit: iniuriarum actio intendi potest. Ergo non caret iniuria, nota paupertatis, 10
quod & grauiter scribit Tullius pro Quintio. Vnde & qui locupletem fideiussorem iudicio sisten-
di causa, accipere noluit, iniuriarum tenetur, quòd quasi pauperem reiecerit[i]. Et creditores, qui 11
hæredem suspectum dixerunt; si nec perfidiam nec paupertatem in eo ostendere potuerint: iniuriarum iudicio conuenientur[k]. Et sanè vt aliquis pauper sit, non tamen id ei odiosè exprobrandũ est: nec ea insolentia ferenda est in Republ. bene instituta, in qua nec turpis haberi debet confessio paupertatis, si non ex inertia sit. Vtrumque veteres Oratores grauiter docuerunt. Nam primùm Isocrates rectè admonet, μηδενὶ συμφορὰν ὀνειδίσῃς, κοινὴ γὰρ ἡ τύχη, καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον. [nemini calamitatem conuitiando exprobres; nam eadem fortuna expectanda omnibus est, & futura sunt incerta.] Et Pericles apud Thucydidem libro secundo, τὸ πένεσθαι, οὐχ ὁμολογεῖν τινὶ αἰσχρὸν, ἀλλὰ μὴ ἔργῳ διαφεύγειν, αἴσχιον. [Paupertatem non confiteri alicui turpe est, sed reipsa non vitare est turpius.]

g Dict. l. item apud §. si quis non debitorem.
h L. si creditor cum l. seq. de iniur.
i L. si verò. §. 1. D. qui satisd. coga.
k L. si creditores. §. 1. de priui. cred.

¶ *Bona possessa.*] Multo magis si cuius corpus contumeliosè apprehensum sit. Vnde si liber pro 12
fugitiuo apprehensus sit, iniuriarum agetur[l]. ¶ *Possessa.*] Vel signata solùm & temerè descripta[m].
¶ *Vel si quis ad infamiam alicuius libellum.*] Inquit Vlpianus[n], Si quis librum ad infamiam alicuius
pertinentem scripserit, composuerit, ediderit, dolóve malo fecerit, quo quid eorum fieret: etiam
si alterius nomine ediderit, vel sine nomine: vti de ea re agere liceret, voluit Senatus: Et si quis cõdemnatus sit qui id fecit, inrestabilis ex Lege esse iubetur. Certè scribit Cor. Tacitus libro primo,
primum Augustum cognitionem de famosis libellis specie Legis Maiestatis, tractâsse, commo- 13
tum Cassij Seueri libidine, qua viros fœminasque illustres procacibus scriptis diffamauerat. Meminerimus tamen quod Cicero in libris de Repub. scripsit, Duodecim Tabulas, cùm perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putauisse, si quis actitauisset, siue carmen condidisset, quod infamiam faceret, flagitiúmve alteri precaretur. quod in nostris ad eam Legem
commentariis latius dixi. Addiderunt præterea Imperatores Valentinianus & Valens, Vt si quis 14
famosum libellum inuenerit, supprimat, potius quàm alteri manifestet[o]. Indicare certè hoc cri- 15
men ac denunciare, cuiuis concessum est, siue liber, siue seruus sit: atque etiam eo nomine præmiũ
accipit[p]. Non est tamen ideo publicum famosi libelli iudicium. Nam hîc solum iudicium cuiuis
patet: &

l L. si liber. de iniur.
m L. si iniuriæ. de iniu.
n L. Lex Cornelia §. si quis librum. de iniur.
o L. vna. C. de fam. libel.
p L. Lex Cornelia. §. vlt. de iniur.

16 patet: & Iudex ex officio suo indicatum crimen exequitur: eoque autore omnia fiunt, quasi ipse iust[a] sit aduersarius & accusator. Qui autem indicauit, solùm adesse cogitur[a], iudicemque instruere[b]: nec in crimen subscribit, quamuis non impune sit falsò indicâsse[c].

17 ¶ *Aut prætextatum.*] Prætexta dicebatur ea toga, cuius circuitus purpura prætextus erat, hoc est, Limbus purpureus: ideoque à Plutarcho appellatur περιπόρφυρος. Factum est autem regnante Romulo, vt matronis, quarum interuentu prælium sedatum fuit, honoris causa inter cætera tributum sit, vt earum pueri bulla aurea ornarentur & purpurea prætexta. Sic enim scribit Plutarchus in Romulo; φορεῖν δὲ καὶ παῖδας αὐτῶν τὴν καλουμένην βοῦλλαν ἀπὸ τοῦ σχήματος καὶ περιπόρφυρον, [vt earum liberi bullam gestarent, qui ornatus collo circumponitur, & purpura circundatus à forma nomen habet.] Eratque hæc nota pupillaris siue impuberis ætatis. Vnde prætextata dicitur amicitia
18 apud Martialem, quæ à puero cœpta est. Sed & hoc quoque erat cuiusdam ingenuitatis indicium. Donabantur enim hoc munere generosi pueri, non sine magno parentum gaudio. Vnde idem Plutarchus in Sertorio, οἱ πατέρες ἥδοντο θαυμαστῶς τοὺς παῖδας ἐν περιπορφύροις ὁρῶντες, [patres delectâtur mirum in modum, vbi filios suos in prætexta tuentur.] Posita autem prætexta virilem togam sumebant, decem & septem annorum ætate, vt indicat Tranquillus. Refert tamen Augustum permisisse liberis Senatorum, quò celerius Reip. assuescerent, protinus virilem togam induere.
19 Nos itaque hoc loco prætextatum & prætextatam accipiemus pro adolescentibus ipso habitu ingenuitatem præ se ferentibus: sic vt omnis excusationis occasio præcidatur delinquenti. Cæterùm si quis virginem meretricia veste indutam assectaretur, aut appellaret, non teneretur iniuria-
20 tum[d], Vlpianus ait; proximè prætextati ætatem accedere dici eum, qui puberem ætatem nunc est ingressus[e].

21 ¶ *Assectatus.*] Vel solicitans eos ad nefandam venerem, vel sanè pudorem ingenuitatis suggillans, notamque infamiæ, tanquam scorto, inurens. Sic enim solent perditi nebulones, dum suggillare volunt puellæ aut honestæ matronæ opinionem, petulanter iis in publico obambulare, quasi scortum ad locum constitutum assectantes. Assidua itaque eiusmodi frequentia quandam præbet infamiam, inquit Vlpianus[f]: qui tamen meminisse nos debere ait, non omnem, qui assectatus est, teneri. Neque enim, si quis colludendi, aut colendi, aut si officij honestè faciendi gratia id fecit, tenetur: sed qui contra bonos mores hoc facit. D. Augustinus in lib. de Morib. Manichæorum, non obscurè significat, sese ægrè ferre quosdam Manichæos non fuisse punitos, qui in vrbe Carthaginensi prætereuntes fœminas assectati, petulanti gestu adhinniissent. Sic enim loquitur[g].

¶ *Pudicitia attentata.*] Veteres appellare dixerunt, blanda oratione alterius pudicitiam attentare. Sed & qui turpibus verbis vtitur, licet non tentet pudicitiam, tamen iniuriarum tenetur[g].

¶ *Aliis pluribus modis.*] Qui tamen iniuriarum agit, certum dicere debet, quid iniuriæ factum sit[h]: hoc est, certum iniuriæ modum exprimere; siue, vt ait Labeo, iniuriæ nomen dicere[i].

a L. ab accusatione. §. nunciatores. D. ad Turp.
b L. in quæstionibus. D. ad le. Iul. Maiest.
c L. ea quidē. C. de accusat. & subscrip.
d L. itē apud Labeonē §. si quis virgines. de iniur.
e L. 3. §. vlt. de lib. exh.
f L. item apud. §. aliud est. de iniur.
g Dict. l. item apud. §. qui turpibus.
h L. Prætor edixit. de iniur.
i Dict. l. Prætor edixit. §. quo autem.

§. *Patitur.*

1 Bifariam fit iniuria.
2 Actionē ob iniuriam filio factam solus pater exercet.
3 Quid, si iniuria mihi fiat ab eo qui putet me Lucium Titium esse, cum sim Caius Seius?
4 An, vbi vxor ipsa non potuit agere, maritus possit?
5 Ex vna iniuria tribus interdum oritur actio.

1 ¶ *Patitur autem quis.*] Inquit Vlpianus[k]; Aut per semetipsum alicui fit iniuria; aut per alias personas. Per semetipsum, cùm directò ipsi patrifam. vel matrifam. fit iniuria. Per alias, cùm per consequentiam fit, vt cùm fit liberis, vel seruis meis, aut vxori nuruive. Spectat enim ad nos iniuria, quæ iis fit, qui vel potestati nostræ, vel affectui subiecti sunt. ¶ *Per liberos.*] Etiam impuberes, qui vt iniuriam facere non possint, pati tamen possunt[l]. Vsqueadeo autem iniuria, quæ fit liberis nostris ad nos pertinet, vt licet etiam volentibus iis fiat, nobis competat actio[m]. Certè actionem
2 ob iniuriam filio factam solus exercet pater, vel ex suo vel ex filij capite. Remittit quoque iniuriam vtriusque nomine; nisi honestior sit filij persona quàm patris. Nostri enim Prudentes[n] iudicârunt, sordidum patrem non debere generoso filio quādam degeneris humilisque animi notam inurere facili remissione iniuriarum. Sed Christianis Iurisconsultis aliter fortasse videbitur. Neque enim huius mansuetudinis quenquam pudere debet, nec potest nimiùm pater filium docere omnem humanitatem καὶ ἀμνηστίαν, [quandam quasi legem obliuionis.] Doceant Romani suos liberos implacabilem ferociam, & superbam vindictæ cupiditatem; Nos aliam Christi legem & doctrinam nostris commendabimus.

¶ *Quos in potestate habet.*] Et quos in potestate esse non ignorat, qui iniuriam infert. Sic e-
3 nim Paulus respondit[o]; Si iniuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus: aut si quis putet me Lucium Titium esse, cùm sim Caius Seius: præualet, quod principale est, iniuriam eum mihi facere velle. nam certus sum ego: licet ille putet me alium esse, quàm sim: & ideo iniuriarum habeo actionem. At cùm aliquis filiumfam. patremfam. esse non putat: non potest videri iniuriam patri facere: non magis, quàm viro, si mulierem, viduam esse credat: quia neque in personam eorum confertur iniuria, nec transferri personæ putatio ex persona filiorum ad eos potest: cùm affectus iniuriam facientis, in hunc tanquam in patremfa. consistat. Quòd si sciisset filiumfa. esse: tametsi

k L. 1. item aut. de iniur.
l L. illud. §. 1. de iniur.
m Dict. l. 1. §. vsque ad eo. l. si quis seruū meū. de iniur.
n L. sed si vnius. §. filiosfa. de iniur.
o L. eū qui nocentē. §. si iniuria. de iniur.

tametsi nescisset, cuius filius esset: dicerem, patrem suo nomine iniuriarum agere posse: nec minus
virum, si ille nuptam esse sciret. Nam qui hæc non ignorat: cuicunque patri, cuicunque marito,
per filium, per vxorem vult facere iniuriam. Hæc Paulus. Cuius verbis malui, quàm meis propo-
nere, quæ ad illustrandam Iustiniani sententiam pertinent. ¶ *Vxorem.*] Vel etiam sponsam. Sic
a L. item apud. § sponsũ quoque. de iniur.
enim Vlpianus respondit[a]; Sponsum quoque ad iniuriarum actionem admittendum puto. Ere-
nim spectat ad contumeliam eius, iniuria quæcunque sponsæ eius fiat. ¶ *Id enim magis præualuit.*]
Non puto vnquam fuisse controuersum, an propter illatam vxori iniuriam posset maritus agere:
sed aliquando dubitatum est; an vbi vxor ipsa non potuisset agere, maritus posit. veluti si patro- 4
nus libertæ suæ nuptæ fecerit iniuriam. Et quidem Marcellus admisit tum quoque agere posse
b L. nõ solum §. quãquam. de iniur.
maritum. eum enim videri suo nomine iniuriarum agere, vxore sua iniuriam passa. Vlpianus[b] au-
tem notauit, non de omni iniuria hoc esse dicendum. Leuis enim (inquit) coërcio etiam in nu-
ptam, vel conuicij non impudici dictio cur patrono denegetur? ¶ *Non solum.*] Inquit Vlpia-
c L. 1. §. vlt. D. illo tit.
nus[c]; Neratius ait, ex vna iniuria interdum tribus oriri iniuriarum actionem: neque vnius actio- 5
nem per aliam consumi: vt puta vxori meæ, filiæfa. iniuria facta est. & mihi, & patri eius, & ipsi, in-
iuriarum actio incipiet competere.
¶ *Contra autem.*] Hic locus ex Paulo[d] desumptus est.
d L. 2. D. illo tit.

§. *Seruis autem. cum §§. aliquot seq.*

1 *Reip. interest, tenuiores in aliorum esse clientela.*
2 *Manumissus agere non potest iniuriarũ nomine, quas seruus passus est.*
3 *Iniuria seruo communi illata quomodo æstimanda?*
4 *Lex XII. Tabul. de iniuriis, apud Gellium.*
5 *Maximus census apud Romanos sub Seruio rege quis?*
6 *Vulgaris iniuriarum multa olim quæ?*
7 *De L. Neratij improbitate.*
8 *Talionis vestigia quæ in iure ciuili superfint?*
9 *Mediastinus seruus quis?*

e L. item apud Labeonem. D. illo tit.
¶ *Seruis autem.*] Totum hunc locum Vlpianus[e] multis verbis tractat: sed aliò properantibus,
non est integrum in hisce, quæ hodie nullum ferè vsum habent, diutius immorari. Illud obiter ad-
moneo; iure quidem videri sublatam inhumanam illam veteris seruitutis conditionem. Sed ta- 1
men Reip. interesse, tenuioris fortunæ homines esse in aliorum clientela, à quibus seriò & pruden-
ter vindicentur, si quæ iis iniuriæ inferantur. Habuit prisca seruitus multum quidem barbaræ fe-
ritatis: sed illud commodi Reip. adferebat, quòd tenues & infimi homines seruabantur, & à do-
minis non modò alebantur, sed etiam instituebantur: nullique inertes erant & ociosi mendici, qui-
bus hodie onerantur nostræ Resp. Deinde non adeò erat aliorum iniuriis obnoxia infœlix seruo-
rum fortuna, quæ dominos habebat vindices. Porrò quàm fuerit hæc res curæ veteribus Græcis,
ostendit Demosthenes in oratione contra Midiam, laudans Atheniensium legem, quæ seruos ab
omni iniuria tutabatur. Idem quoque scribit Athenæus libro sexto.
¶ *Nulla iniuria.*] Propter quam nempe ipse seruus agere posit. Sed nec manumissus agere posset 2
iniuriarum nomine, quas cùm seruus esset, passus est[f]. ¶ *Sed domino.*] Vel ei, qui iam dominus es-
f L. seruo autem. D. illo tit.
se desierit, priusquam iniuriarũ agere cœpisset[g]. Sed & si seruo hęreditario fiat iniuria ei, qui post-
g L. si seruũ. D. illo tit.
ea adita hæreditate dominus factus est, competet actio[h]. ¶ *Sed ex dominorum persona.*] Quòd si
h L. 1. §. denique. D. illo tit.
par & similis fuerit omnium dominorum persona, iniuriæ æstimatio fiet, & pœna diuidetur, pro 3
ea parte, qua dominus quisque est. Sic accipiendum videtur quod Paulus refert[i], Pedium dixisse;
i L. sed non. D. illo tit.
Non esse æquum, pro maiore parte, quàm pro qua dominus est, damnationem fieri: & ideo offi-
cio iudicis portiones æstimandas esse.
¶ *Pœna autem ex lege 12. Tab.*] Hanc legem Phauorinus Philosophus apud Gellium lib. 20. cap. 1. 4
grauiter damnat. Sed eandem non minus grauiter tuetur Sex. Cęcilius. Quorum docta concerta-
tio plurimum lucis adfert huic loco. Sed cùm longior sit, & omnibus obuia: non visum est eam hic
describere. ¶ *Talio erat.*] Sic enim in lege scriptum fuit: SI MEMBRVM RVPIT MEVM, E PACTO
TALIO ESTO. Primùm ergo tribuebatur facultas paciscendi, vt non omnino necesse esset pati ta-
lionem. Quòd si reus nec pacisci vellet, nec pareret iudici talionem imperanti: æstimata lite iudex
hominem pecuniæ damnabat, atque ita si reo & pactio grauis, & acerba talio visa fuerat, seueritas
legis ad pecuniæ mulctam redibat, vt ait Sex. Cæcilius. ¶ *Propter os fractum, numaria pœna.*] In lege
12. Tabularum scriptum fuisse accepimus, SI INIVRIAM ALTERI FAXIT, XXV. ÆRIS POENÆ
SVNTO. Sed Cæcilius refert, Decemuiros non omnes iniurias ære isto pauco diluisse, tametsi (in-
quit) hæc ipsa paucitas asium, graue pondus æris fuit. Nam librariis asibus in ea tempestate po-
pulus vsus est. Sed iniurias atrociores, vt de osse fracto, nõ liberis modò, verumetiam seruis factas,
impẽsiore damno vindicauerũt. Reliqua pete ex nostris cõmentariis ad 12. Tab. ¶ *In magna vete-*
rum paupertate.] Maximus Census apud Romanos sub Seruio Rege, non nisi centum & decẽ millia 5
asium siue æris cõplectebatur, hoc est, centũ circiter & mille aureos coronatos. Quare & olim gra-
uissima erat mulcta triginta boũ & duarũ ouiũ, hoc est, trecentarũ ferè drachmarũ, siue triginta no
strorũ coronatorũ. Viginti quinq; asses, quæ vulgaris erat mulcta iniuriarũ, possunt hodie ęstima- 6
ri octo solidis Francicis. ¶ *Sed postea Prætores.*] L. Neratius homo improbus, qui pro delecta- 7
mento habebat, os hominis liberi, manus suæ palma verberare, iubebat (vt scribit Labeo) ser-
uũ sequi, crumenã plenam asium portitantem: & quęcunque depalmauerat, numerari statim se-

cundum

cundum duodecim Tabulas, quinque & viginti asses iubebat. Propterea Prætores postea hanc legem abolescere & relinqui censuerunt, iniurijsque æstimandis Recuperatores se daturos edixerunt. ¶ *Prout ei visum fuerit.*] Sic & si iuratum in litem fuerit, licebit iudici vel absoluere, vel minoris condemnare, inquit Martianus [a]. Sed de hoc in litem iureiurando eiusque vi, tractatus la-
8 tius patet, quàm vt hîc non suo loco possit ingeri. ¶ *In desuetudinem abijt.*] Adeò vt vix in toto iure Ciuili vllum supersit talionis vestigium, præter id quòd calumniator subeat idem iudicium, quod innocenti reo intendit. Et iudex qui delatum ad se crimen negligit, talionis periculo subij-
9 citur [b]. ¶ *Medij actus homine.*] Hunc vno verbo Latini Mediastinum appellant, vel quòd medium statũ tenebat (vt inquit Vlpianus) vel sanè quòd in media domo excubabat, paratus ad omnium imperia, vt scribit Budæus ex Columella. Indicat autem alibi Vlpianus, vilem fuisse operam Mediastinorum, veluti atriariorum, & focariorum [c].

a L. in actionibus. de in lit. iur.
b L. vlt. C. ne sacr. bapt. itere.
c L. 1. §. cæterùm. D. Nau. caup. stabul.

§. *Sed & lex. cum sequentibus.*

1 *Lex Cornelia ex tribus causis dedit actionem.*
2 *Si quis alium non se queratur esse pulsatum, an ex lege Cornelia agere possit?*
3 *Domum alienã inuito domino introire nemo debet.*
4.5.6 *Domus quæ hic sit accipienda?*
7 *Atrox iniuria quæ, & quot modis fiat?*
8.11 *Ex circumstantijs delicta vel augentur vel minuuntur.*
9 *Demosthenes Choragus pugno pulsatus à Midia.*
10 *Inquisitio illa & æstimatio atrocitatis quorsum pertineat?*
12 *Iniuriarũ tam ciuiliter quã criminaliter agi potest.*
13 *In iudicio iniuriarum cur vnum tollat alterum?*
14 *In cæteris delictis iudiciũ vnũ cur alterũ non tollat?*
15 *Constituendæ hic pœnæ arbitrium est penes iudicem.*
16 *Extraordinaria pœna quæ dicatur?*
17 *Extra ordinem quando agatur?*
18 *Procuratores an in criminibus vel persequendis vel defendendis admittantur?*
19 *Qui super viros illustres fuerint?*
20 *Tam is qui mandauit, quàm is qui suscepit, iniuriarum tenetur.*
21 *Iniuriarum actio dissimulatione tollitur.*
22 *Magistratus olim iniuriam sibi factam dissimulare non poterat.*
23 *Remissa iniuriarum actione, non statim remissa est & Aquilia actio.*
24 *Filijsfa. iniuriam passi dissimulatio non obest patri.*
25 *Facilius impeditur aliquid fieri quàm factum tollitur.*

1 ¶ *Sed & lex Cornelia.*] Inquit Vlpianus [d]; Lex Cornelia ex tribus causis dedit actionem: quòd quis pulsatus, verberatúsve, domúsve eius vi introita sit. Apparet igitur omnem iniuriam, quæ
2 manu fiat, lege Cornelia contineri. ¶ *Si pulsatum.*] Quòd si quis alium queratur esse pulsatum: non poterit ex lege Cornelia agere. Itaque filiofa. iniuriam passo, non potest pater ex lege Corne-
3 lia iniuriarum agere [e]. ¶ *Domum suam vi introitam.*] Quod fieri non debet, etiam si prætexatur causa in ius vocandi [f]. Et addit rationem Caius [g]; quòd domus cuique tutissimum refugium & receptaculũ sit. Notum est illud veteris parœmiæ, οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος. [est grata domus, domus optima semper] Vnde nec leges nostræ temerè patiuntur quenquam de domo sua vi extrahi [h].
4 ¶ *Domum autem.*] Inquit Vlpianus [i]; Domum accipere debemus, non proprietatem domus, sed domicilium. Quare siue in propria domo quis habitauerit, siue in conducta, vel gratis, siue hospitio receptus, hæc lex locum habebit. Deinde paulò pòst addit; Ego puto ad omnem habitationem, in qua paterfa. habitat, pertinere hanc legem: licet ibi quis domicilium non habeat. Idem
5 Vlpianus alio loco [k]; Habitare dicimus vel in suo, vel in conducto, vel in gratuito. Rursus alibi do-
6 mum accipiendam esse tradit pro ratione rei, de qua agitur [l]. ¶ *Hospitio receptus.*] Ad longius scilicet aliquod tempus, vt intelligas hîc agi de certa fixaque habitatione. Nam ad meritoria loca hæc lex non pertinet, nec ad eos, qui inhabitant momenti causa [m]. Itaque vnius aut alterius diei hospes hîc non aget quia ibi non habitat, sed paulisper hospitatur, vt loquitur Vlpianus [n].
7 ¶ *Atrox iniuria.*] Inquit Vlpianus [o]; Atrocem iniuriam, quasi contumeliosiorem & maiorem accipimus. Atrocem autem iniuriam aut persona; aut tempore; aut re ipsa, fieri Labeo ait. Persona atrox iniuria fit, cùm Magistratui, cùm parenti, aut patrono fit. Tempore, si in ludis, & in conspectu Prætoris. Re atrocem iniuriam haberi Labeo ait, vt puta si vulnus illatum, vel os alicui percussum sit. Deinde addit Paulus; Vulneris magnitudo atrocitatem facit: & nonnunquam locus vul-
8 neris, veluti oculo percusso. Sic Quintilianus lib 6. cap. 1. Atrocitas (inquit) crescit ex his, quid factum sit, à quo, in quem, quo animo, quo tempore, quo loco, quo modo: quæ omnia infinitos anfractus habent. Pulsatum querimur: de re primùm ipsa dicendum: tum si senex, si puer, si Magistratus, si probus, si bene de Rep. meritus. Etiam si percussus sit à vili aliquo contemptoque: vel ex contrario à potente nimium, vel ab eo, à quo minimè oportuit. Et si die fortè solenni, aut ijs temporibus, cùm iudicia huius rei maximè exercerentur: aut in solicito ciuitatis statu. Item in theatro, in templo, in concione: crescit inuidia. Et si non errore, nec ira: vel etiam si fortè ira, sed iniqua, quòd patri adfuisset, quòd respondisset quòd honores contrà peteret. Et si plus etiam videri potest voluisse, quàm fecit. Plurimum tamen adfert atrocitatis modus, si grauiter, si contumeliosè: vt Demosthenes ex parte percussi corporis, ex vultu ferientis, ex habitu, inuidiam Midiæ quærit. Hactenus Quintilianus. Certè totum hunc locum ante Romanos Iurisconsultos vel Rhetores,
9 grauiter & disertè tractauit Demosthenes in sua oratione aduersus Midiam. Nam cùm Choragus

d L. Lex Cornelia. de iniur.
e L. Lex Cornelia. §. illud quæritur. de iniur.
f L. is qui in domum. de iniur.
g L. plerique. de in ius vo.
h L. nemo. de reg. iur. L. dies cautioni. §. Prætor ait. de damn. infect.
i L. lex Cornelia. § domum. de iniur.
k L. 1. §. habitare. de his qui deiec. vel effu.
l L. 1. §. domum. an libe agno.
m L. 1. §. ego puto. de iniur.
n Dic. l. 1. § habitare.
o L. Prætor edixit. §. atrocem. de iniur.

esset, publicè à Midia ludis Dionysijs pugno grauiter pulsatus est, impacto in eam corporis partem, quæ & atrocius lædi, & turpius suggillari, diutiusque conspici potest, videlicet in malam. Id
quod apud eum dicitur ἐπὶ κόῤῥης. ¶ *Iniuria æstimatur.*] Sic & in iure nostro sæpe distinguitur sce- 10
lus atrox à leui [a]. Pertinet autem hæc inquisitio & æstimatio atrocitatis tum ad instruendum iudicem, tum quòd multi sint, qui non nisi atrocem iniuriam iudicio persequantur, veluti filius e-
mancipatus [b], & libertus [c]. ¶ *Vel ex facto.*] Claudianus Iurisconf. [d] enumerat, lateque explicat 11
septem factorum circunstantias, siue vt Græci vocant, περιστάσεις, quibus crescit vel minuitur delictum, nempe causam, personam, locum, tempus, quantitatem, qualitatem, euentum. Et adfert exemplum ex oratione Demosthenis contra Midiam. Licet autem & alium locum adijcere ex Oratione Isocratis κατὰ τοῦ Λοχίτου. sed illud parum conuenit, quod idem ait: οὐ δίκαιόν ἐστιν, ἐλάττους ποιεῖσθαι τὰς τιμωρίας ὑπὲρ τῶν ἀδόξων, ἢ τῶν ὀνομαζομένων. [Nō iustum est pauciores statuere pœnas super obscuris quàm celebribus.]

a L. ad ea. de reg. iur. l. liber homo si iussu. D. ad leg. Aquil. l. non ideò minus. C. de accusa.
b L. prætor edixit. §. sed & si quis. de iniur.
c L. sed & si hac lege. §. Prætor ait. de in ius voca. l. si adulterium cum incestu. §. liberto. D. ad leg. Iul. de adult.
d L. aut facta. §. 1. de pœn.

Veluti si magistratus.] Tractat & hunc locum Aristoteles in Problematis sectione 29. his verbis: Ἐὰν μέν τις ἄρχοντα κακῶς εἴπῃ, μεγάλα τὰ ἐπιτίμια, ἐὰν δέ τις ἰδιώτην, οὐθέν. καὶ καλῶς. οἴεται γὰρ τότε οὐ μόνον εἰς τὸν ἄρχοντα ἐξαμαρτάνειν τὸν κακηγοροῦντα, ἀλλὰ καὶ τὴν πόλιν αἰσχύνειν. [Si quis Magistratui maledixerit, magnæ propositæ sunt multæ; si verò priuato, non item. Et rectè. Existimandus enim est illic non
tantummodo in magistratū delinquere maledicus, sed & ipsi ciuitati turpitudinis notā inurere. 12

e L. Prætor edixit. §. posse. de iniur.
f L. constitutionib. §. vlt. de iniur.
g L. Prætor edixit. §. 1. de iniur.
h L. Senatus. de custo. & exhib. reor.
i L. vlt. de priua. delic.
k L. vna. C. quando ciui. actio.

¶ *In summa.*] Inquit Vlpianus [e]; Posse hodie de omni iniuria sed & de atroci ciuiliter agi Imperator noster rescripsit. Et Martianus [f] respondit; Etiam ex lege Cornelia iniuriarum actionem ciuiliter moueri posse, condemnatione æstimatione iudicis facienda. Et cùm priuatorum delictorum pœnæ vltionesque, criminales extraordinariæve, non pecuniariæ aut ciuiles esse soleant: aliud statutum est de iudicio iniuriarum: quia ei, qui iniuriam passus est, hanc actionem æsti-
mare licet capitis aut pecuniæ. Sed vtut agat, non agit de re familiari, sed de vltione. Itaque vnum 13
iudicium alterum tollit [g]: quia æquum non est, idem admissum pluribus legibus puniri [h]. Quod
dicendum & de crimine sepulchri violati, & termini moti. Cæterum ex alijs quibusuis delictis du- 14
plex iudicium nascitur [i]: nec vnum tollit alterum [k]: quia non idem est vtriusque scopus. Nam ciuile pertinet ad rem familiarem & damnum datum sarciendum: Criminale, ad vltionem ipsius
maleficij. ¶ *Officio iudicis.*] Cuius hac in re libera est potestas, & constituendæ pœnæ arbitrium: 15
quando hic nullum certum pœnæ genus lex præscripsit, sed eius definitionem reliquit religioni iudicis, qui æstimabit rei circunstantias, poteritque etiā capitale supplicium infligere, si iudicarit
tam atrocem esse iniuriam. ¶ *Extraordinaria pœna.*] Corporis, aut saltem æstimationis. Ea enim 16
extraordinaria pœna in Iure Ciuili dicitur [l]. Et cùm de maleficijs criminaliter agitur, extra ordi-
nem agi dicitur: quòd videlicet tum negligatur solennis ille iudiciorum ordo, vt postea pluribus 17
explicabimus [m]. Potest autem & extraordinaria pœna certa esse & legitima ordinariaque. Sic enim sacrilegij pœna est, videlicet capitis [n]: & tamen appellatur extraordinaria [o]: quia criminalis est. Rursus, termini moti certa, iureque statuta pœna est [p]: & tamen extra ordinem hoc maleficium puniri dicitur [a]. ¶ *Quod Zenoniana Constitutio.*] Extat & Iustiniani Nou. Constit. 71. quæ vult illustres viros criminale iniuriarū iudiciū vel intendere, vel suscipere posse per procuratores: additq; huius priuilegij hāc rationē: ὥστε μὴ ἀναγκάζεσθαι ἢ συγκαθῆσθαι τοῖς ἄρχουσιν ἐν ᾧ δικάζουσιν, ἢ παρεστάναι πάλιν διὰ δικαζομένους. ἑκατέρωθεν γὰρ τὸ πρᾶγμα ἐστιν ἐπισφαλές, ἢ τῶν ἀξιωμάτων ὑβριζομένων, ἢ τοῦ δικαστικοῦ σχήματος ἀναξίως προϊόντος. [ne cogantur aut assidere cum magistratibus, quo ipsi loco iudicant; aut verò adstare tanquam litigatores. Vtrinq; enim res cum periculo fit; siue dignitates afficiantur contumelia, siue iudiciarius ordo præter dignitatem procedat.] Vt autem intelligatur esse hoc priuilegium, addam iuris communis regulam; quæ extat in quodam Papiniani responso his verbis [b]:
Ad crimen publici iudicij persequendum frustra procurator interuenit, multò magis ad defen- 18
dendum. & apertius id est ex Constitutione ipsius Zenonis, quæ adhuc extat [c]. Cæterùm per procuratorem quilibet potest ciuiliter agere iniuriarum [d].

l L. si quis fortè §. vlti. cum ll. seq. de pœn.
m §. 1. inst. de publi. iudic.
n L. sacrilegij. D. ad leg. Iul. pecul.
o L. 4. §. 1. D. ad leg. Iul. pecul.
p L. 2. de termi. moto.
a L. 1. C. de accus.
b L. pen. §. 1. de publ. iud.
c L. vlt. C. de iniur.
d L. non solum. §. agere. de iniur.

Quique super eos sunt.] Quales erant Consules & Patricij, quibus nullus alioqui titulus ascribe- 19
batur vt alijs Magistratibus qui vel Illustres vel Clarissimi dicebantur honoris causa. Neque sanè illustrior aut maior vllus titulus erat quàm Illustrium. Sed Consulum & Patriciorum dignitas summa satis nota nobilisque erat sine titulo huius generis.

e L. non solùm. de iniur.
f L. non solùm. §. si mandato. de iniur.

¶ *Non solum autem.*] Totus hic locus ad verbum desumptus est ex responso Vlpiani [e]. Præterea
autem addit idem Vlpianus [f]: Si mandato meo facta sit alicui iniuria: plerique aiunt; tam me qui 20
mandaui, quàm eum, qui suscepit, iniuriarum teneri. Proculus rectè ait; Si in hoc te conduxerim vt iniuriam facias: cum vtroque nostrum iniuriarum agi posse: quia mea opera facta sit iniuria. Idemque ait; Et si filio meo mandauero, vt tibi iniuriam faceret. Artilicinus autem ait; & si persuaserim alicui aliàs nolenti, vt mihi ad iniuriam faciendam obediret: posse iniuriarum mecum agi.

g dic. l. non solùm. §. 1.
h L. miles. §. socer. D. ad leg. Iul. de adult.

¶ *Hæc actio.*] Hic quoque locus ex Vlpiano [g] descriptus est: & habet grauem causam & Chri- 12
stiana mansuetudine dignam rationem tollendorum facilè odiorum: vt quantum licet, in Repub. probemus veterem illam Atheniensium ἀμνηστίαν. [obliuionis legem] Et vt fortè probrosum iudicetur à Papiniano [h], factum eius, qui non erubuit commodū pecuniarium præponere vindi-
ctæ domus suæ: Non tamen erubescamus magno animo contemnere priuatam iniuriam. Sa- 22
nè tamen illud singulariter est notandum, quòd olim Magistratus iniuriam sibi factam condonare, aut remittere, aut dissimulare non poterat. Fuisset enim reus imminuti magistratus,

quod

quod erat propè crimen maiestatis, vt notat Asconius Pædianus in 3. Verri. quo loco Cicero Verrem accusat, quòd cùm se abs Lampsacenis violatum esse dixisset, eam tamen iniuriam non sit persecutus. Cur (inquit Cicero) imminuisti ius legationis? cur causam Populi Rom. deseruisti atque prodidisti? cur iniurias tuas coniunctas cum publicis reliquisti? Nónne te ad Senatum causam deferre? nónne de tam atrocibus iniurijs conqueri? nónne eos homines, qui populum concitârant, Consulum literis euocandos curare oportuit? Hæc ille. Porrò illud postremò hoc loco no-
13 tandum est; remissa iniuriarum actione, non statim intelligi quoque remissam Aquiliæ actio-
14 nem ob damnum datum. ¶ *Dissimulatione.*] Filijfa. tamen qui iniuriam passus sit, dissimulatio non oberit patri, qui iniuriarum vult agere[a]. Sed patris dissimulatio facit, ne filius agere queat: nisi patris persona vilis abiectaque sit, filij verò honesta. quia non debet pater vilissimus filij sui
15 contumeliam ad suam vilitatem metiri, inquit Vlpianus[b]. ¶ *Et ideò.*] Vulgaris est hæc in iure nostro regula[c]; facilius impediri aliquid fieri, quàm factum tolli. Si itaque dissimulatio potest abolere & tollere iam natam iniuriarum actionem, multò magis à principio obstabit, quo minus nascatur.

a L. usqueadeo. D. hoc tit.
b L. sed si vnius. §. filiofa. D. hoc tit.
c L. patre furioso. de his qui sui sunt vel alieni iur.

DE OBLIGATIONIBVS, QVAE QVASI EX delicto nascuntur, Tit. V.



SI iudex litem suam fecerit: non propriè ex maleficio obligatus videtur. sed quia neque ex maleficio, neque ex contractu obligatus est, & vtique peccasse aliquid intelligitur, licet per imprudentiam: ideo videtur quasi ex maleficio teneri, & in quantum de ea re æquum religioni iudicantis videbitur, pœnam sustinebit.

Item is, ex cuius cœnaculo, vel proprio ipsius, vel conducto, vel in quo gratis habitat, deiectum effusúmve aliquid est, ita vt alicui noceret: quasi ex maleficio obligatus intelligitur. Ideo autem non propriè ex maleficio obligatus intelligitur, quia plerunque ob alterius culpam tenetur, aut serui, aut liberi. Cui similis est is qui ea parte, qua vulgò iter fieri solet, id positum aut suspensum habet, quod potest (si ceciderit) alicui nocere. quo casu pœna decē aureorum cōstituta est. De eo verò, quod deiectum effusúmve est, dupli, quantum damni datum sit, constituta est actio. Ob hominem verò liberum occisum, quinquaginta aureorum pœna constituitur. Si verò viuat, nocitumque ei esse dicatur: quātum ob eam rem æquum iudici videtur, actio datur. Iudex enim computare debet mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia quæ in curatione facta sunt: præterea operas, quibus caruit, aut cariturus est ob id, quòd inutilis est factus. Si filiusfamiliâs seorsum à patre habitauerit, & quid ex cœnaculo eius deiectū effusúmve fuerit, siue quid positū suspensúmve habuerit, cuius casus periculosus est: Iuliano placuit in patrem nullam esse actionem, sed cum ipso filio agendum esse. Quod & in filiofamiliâs iudice obseruandum est, qui litem suam fecerit.

Item exercitor nauis tui cauponæ aut stabuli, de dolo aut furto, quod in naui, aut caupona aut stabulo factum erit, quasi ex maleficio teneri videtur: si modò ipsius nullum est maleficium, sed alicuius eorum, quorum opera nauem aut cauponam aut stabulum exercet. Cùm enim neque ex maleficio, neque ex contractu sit aduersus eum constituta hic actio, & aliquatenus culpæ reus est, quòd opera malorum hominum vteretur: ideò quasi ex maleficio teneri videtur.

In his autem casibus in factum actio competit: quæ hæredi quidem datur, aduersus hæredem autem non competit.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Si iudex litem suam faciens sit filiusfa. tantùm peculio tenus condemnari poterit.*
2 *Quid, si arbiter iniustam sententiam pronunciârit?*
3 *Quid sit facere litem suam?*
4 *Si iudex aditus & rogatus negligit ius reddere, præstat quod sua interest.*
5 *Iudex sciens ac volens malè iudicans, ex delicto quomodo obligetur?*
6 *Si famosus mali iudicis pœna quæ?*
7 *Si Assessoris imperitia aliter quàm oportuit ius dictum sit, magistratus hoc an officiat?*
8 *Pœna, quam iudex imperitus sustinet, ipsius iudicis, non iniuriati respectu pœna dicitur.*

IN rio admonendi sumus totum hunc fermè titulum ad verbum esse descriptum ex vno Caij responso[d]. Et quod attinet ad primum exemplum, refertur apud eundem Caium alio loco

d L. ex maleficijs. §. si iudex. de act. et oblig.

a L. vlt. de extr. cognit.
b L. si filiusfa. de iudic.
c L. diem proferre. §. stari. de recept. arbi.
d L. pen. in si. C. de pact.
e dic. L. si filiusfa. §. 1.
f L. 4. §. in eum. de damno insec.
g L. munerum. §. iudicando. de mun. & honor.
h L. vlt. C. ne sacr. bapt. ite. L. vlt. ad leg. Iul. de vi publ.
i dic. L. si filiusfa. §. 1.
k L. vlt. C. de pœn. iudic. qui ma. iudic.

plenius a. ¶ *Si iudex.*] Siue paterfa. siue filiusfa. Sed si filiusfa. fuerit: non nisi peculio tenus ex 1
hac causa poterit condemnari b. Præterea si arbiter iniustam sententiam pronunciârit, licet eius 2
pronunciato semper stare debeant qui compromiserunt c: æquum tamen fuerit aliquando hoc
nomine arbitrum conueniri posse ab eo, quem iniuria læsit d. ¶ *Litem suam fecerit.*] Hoc est, ini- 3
què iudicando, litis periculum suum fecerit: vt si dolo in fraudem legis, sententiam dixerit, vt
est apud Vlpianum e; vel etiam (quod hîc traditur) per imprudentiam, grauius tamen punitur,
qui in dolo est. nam & grauius delinquit. Porrò si quis iudex aditus & rogatus negligat ius red-
dere: æquum est, vt præstet quod mea interest f. (neque enim in fraudem meam potest officium 4
suum deserere. præsertim cùm sit necessarium iudicandi munus g, quod subijt.) Et minatur Iusti-
nianus longè grauiorem pœnam in Nouella sua Constitut. 86. Certè in causis criminalibus Iudex
qui non facit officium suum, & delatum ad se crimen negligit, talionis periculo subijcitur h.
¶ *Licet per imprudentiam.*] Quòd si dolo iudicem peccâsse constaret, vt quia euidens arguatur 5
eius vel gratia vel inimicitia, aut etiam sordes detegantur; ex delicto obligabitur, præstabitque
veram litis æstimationem i, & infamis fiet. Sic enim rescripsit Imp. Constantinus k. Seuerior fuit
Cambyses Cyri filius, qui iudicem quendam nomine Sisamnem, quòd pecunia corruptus malè 6
iudicâsset, interemit: interempto pellem detraxit, eamque in lora concidit, quibus intendit tri-
bunal, in quo iussit Othanem Sisamnis filium sedere, itidem admonens, vt meminisset, ex quo
tribunali ius redderet. Verùm hîc Iustinianus non agit de delicto improbi iudicis, sed quasi deli-
cto imperiti vel imprudentis. cuius quidem error non habet dolum, sed non caret culpa. imperi-

l L. si quis domum §. Celsus. D. locat. L. imperitia. de reg. iur.
m L. 2. D. quod quisque iur.

tia enim culpæ assignatur l. Quòd si iudex habeat assessorem, non nisi de suo dolo tenebitur. Nam
si assessoris imperitia ius aliter dictum sit, quàm oportuerit: non debet hoc magistratui officere, 7
sed ipsi assessori, vt ait Paulus m. Et sanè magistratibus, quotum occupationibus dantur assessores,
non debet esse fraudi aliorum lapsus. Sed temerè dari non debent assessores, qui iudicis imperi-
tiam excusent. Imò verò non nisi periti iudices eligi debent. Id quod grauissimè scribit Iustinia-
nus in Nouella sua Constit. 82. his verbis, ἤδη γὰρ ἐνθυμηθῆναι χρῆναι, ὥστε ὀλίγους πρὸς ὀνόματι, μάλιστα δὲ
νόμων ἀνεπιστήμονας, ὥστε τὰ ὅλα πραγμάτων ἐντυγχάνοντας ποιεῖν. τοῖς δυνάμει τοσαύταις ἄρχουσι πάρεισι πάντως καὶ πάρ-
εδροι τὰ ἐκ τῶν νόμων ὑφηγούμενοι, καὶ τὴν αὐτῶν ἀναπληροῦντες σχολήν, &c. [neque enim ex vsu fore existi-
mauimus, vt aliqui iudicum nomen gestent, qui & legum maximè sint imperiti, neque vllum
in rebus gerendis obtineant vsum. Nam nostris magistratibus omnino præsto sunt & Adsessores,
qui legum placita explicent, & illorum suppleant occupationes.] ¶ *Pœnam sustinebit.*] Pœna certè 8
hæc erit respectu ipsius iudicis. at non eius, qui iniuria est affectus. Is enim nô tam pœnam, quàm
id quod sua interest, persequitur. Erit itaque hæc in factum actio ex altera tantùm parte pœnalis:
nempe ex parte iudicis, qui litem suam fecit, nô etiã eius, qui ex iniqua sententia damnũ accepit.

§. *Item is ex cuius. cum §§. sequentib.*

1 *Actio in eum ex cuius cœnaculo quid deiectum effusúmve est, popularis est, & num. 5.*
2 *Publicè interest, sine metu & periculo per itinera cõmeari.*
3 *Vno ex eodem hîc facto obligatorum soluente, liberantur & reliqui.*
4 *Suspensi actio est etiam si nondum nocuerit.*
6.7.8.9 *In homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest, sed habetur ratio impendiorum curationis operarumque amissarum.*
10 *An & deformationis & cicatricum fiat æstimatio?*
11 *Damnum cessationis apud Hebræos quod?*
12 *Futuri temporis operarum æstimatio quomodo iniri possit?*
13 *Si ex domo filijfa. seorsim habitantis quid projciatur, pater non tenetur.*
14 *Exercitor quis?*
15 *Quid, si qua iniuria inferatur hospiti recepto?*
16 *Exercitor omnium nautarum suorum facta præstat.*
17 *Exercitor de rebus semel receptis, etiam si in littore perierint, tenetur.*
18 *Idem in duplum præstat suâ culpâ damnum datum.*
19 *Ipsorum vectorum factum non præstat, sed tantum inhabitatorum.*
20 *Publicum Pandochium aperiens satagere debet vt omnia domi suæ sint tuta.*
21 *Pœnalis actio non transit in heredes.*

n L. 1. §. 1. de his qui deie. vel effud.
o dic. l. 1. §. habitare.
p L. si verò plures. §. cum autem D. illo tit. a L. licet. D. nau. caup. stabula.
b L. 3. de his qui deiec. vel effud. L. item Mela. § sed interim. D. ad leg. Aquil.
d arc. l. si verò plures.

¶ *Item is.*] Popularis est hæc in factum actio ex edicto Prætoris, de his, qui deiecerunt vel ef-
fuderunt. Quod edictum latè explicatur libro nono Pandectarum. ¶ *Deiectum effusúmve aliquid* 1
est.] In eum locum, quo vulgò iter fieret. Idque summa cum vtilitate Prætorem edixisse ait Vlpia- 2
nus n; quia publicè interfit, sine metu & periculo per itinera cõmeari. Cæterùm si in locũ secretum
& quo iter fieri non solebat, aliquid deiectum vel effusum sit: non erit locus huic edicto, etiamsi
postea cœperit populus eà commeare. quod idem Vlpianus adiecit. ¶ *Gratis habitat.*] Non etiam
in quo tanquam vnius, aut alterius diei hospes excipitur o. quanquam si quid effuderit vel deie-
cerit, patrifa. teneatur rependere, quòd hoc nomine paterfa. soluerit p. Sic & nauis exercitor, quod
alieno nomine soluit, ab eo repetit qui damnum dedit a. ¶ *Non propriè ex maleficio.*] Vnde & 3
licet hîc plures ex eodem facto in solidum obligentur: vno tamen soluente, reliqui liberantur b.
At vbi plures ex vero maleficio tenentur, debent singuli solidã pœnam pendere, nec alteri prodest
vnius solutio c. Cùm ergo hîc non propriè ex maleficio sit obligatio; si plures in eodem cœnaculo
habitent, vnde aliquid deiectum est, in quemuis hæc actio dabitur, sed non nisi cum vno agi po-
terit, quia eius iudicio reliqui liberantur. Sed si plures diuiso inter se cœnaculo habitent: actio in
eum solum datur, qui inhabitat eam partem, vnde effusum est, inquit Vlpianus d.

¶ Cui

¶ *Cui similis.*] Prætor ait [a]; Ne quis in suggrunda protectóve, supra eum locum, quo vulgò
iter fiet, vel in quo consistetur, id positum habeat, cuius casus nocere cui possit. Qui aduersus ea fe-
4 cerit, in eum solidorum decem in factum iudicium dabo. ¶ *Quod potest alicui nocere.*] Ergo licet
nulla sit actio deiecti vel effusi, priusquam alicui nocitum sit: est tamē actio huius suspensi, etiam
si nondum nocuerit. Satis enim est id potuisse nocere, & expedit præuortere periculosum casum,
5 ne noceat. ¶ *Pœna.*] Cuius emolumentum pertinebit ad eum, quicunque ex populo (sunt enim
hæ actiones populares) cœpit primus agere; adeò vt qui in hoc iudicio litem contestatus est, huius
6 pœnæ creditor dicatur [b]. ¶ *Actio datur.*] Hæc in factum actio ex bono & æquo datur, quasi hîc
damnum patrimonio illatum sit: vt non ineatur æstimatio liberæ personæ, quæ est inæstimabilis,
7 sed habeatur ratio damni, nempe impendiorum curationis, operarumque amissarum. ¶ *Iudex
enim.*] Inquit Caius [c]; Cùm liberi hominis corpus, ex eo quod deiectum effusúmve quid erit, læ-
sum fuerit; Iudex computat mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione
8 facta sunt; præterea operarum, quibus caruit, aut cariturus est, ob id quòd inutilis factus est. Cica-
tricum autem aut deformitatis nulla fit æstimatio: quia liberum corpus nullam recipit æstima-
tionem. Iustinianus horum postremorum verborum hîc non meminit, quæ tamen non sunt
negligenda, & opus habent aliqua interpretatione. Nam scire debemus; deformitatis aut cicatri-
cum nullam fieri æstimationem, quia nec fieri vlla possit: cùm eiusmodi liberi corporis incom-
modum superet omnem æstimationem. Cæterùm eius habebit rationem iudex, vt ex circun-
stantijs rerum & personarum aliquid arbitretur, & præstari iubeat, quo pensari sarcirique hoc ma-
lum vtcunque videbitur. Sicque etiam accipiendum est, quod idem Caius, loquens de actione ob
pauperiem à quadrupede factam, ait [d]; Ex hac lege iam non dubitatur etiam liberarum persona-
rum nomine agi posse, fortè si patremfa. aut filiumfa. vulnerauerit quadrupes; scilicet vt non de-
9 formitatis ratio habeatur, cùm liberum opus æstimationem non recipiat, sed impensarum in cu-
ratione factarum, & operarum amissarum, quasque amissurus quis esset, inutilis factus. Intelligi-
mus enim sic non haberi rationem deformitatis, vt vlla certa iustaque possit statui eius æstimatio.
10 at non propterea quòd incōmodum sit inæstimabile, nullam prorsus eius rationem habebimus.
Quid enim esset absurdius? Imò verò iudicis arbitrio hoc relinquimus, vt statuat quod videbitur
alicuius pensationis loco dandum. Porrò cùm hîc dicimus haberi rationem impendiorum cura-
tionis, & operarum, quæ amittuntur, addendum est, quod respondit Vlpianus [e] de quodam filio-
fa. præceptoris nimia sæuitia exoculato, patrem actione legis Aquiliæ consecuturum, quod minus
ex operis filij sui propter vitiatum oculum sit habiturus: & impendia, quæ pro eius curatione fece-
11 rit. Sed & lex Mosaica, Exodi capit. 21. iubet percussorem, ei, qui vulneratus fuerit, præstare impen-
sas in medicos, & omnes operas: quod apud Hebræos propriè dicitur, damnum cessationis.
¶ *Aut cariturus est.*] Harum futuri temporis operarum difficilis videtur præsens æstimatio,
12 propter incertum vitæ terminum. Verùm ea commodè iniri poterit, si sequamur eam calculi ra-
tionem, quam Vlpianus ostendit [f], cùm ageretur de quadrante per legem Falcidiam, detrahendo
13 legatis alimentorum. ¶ *Iuliano placuit.*] Non puto extare hoc Iuliani responsum, sed non est dissi-
mile illud Vlpiani [g]: Si filiusfa. cœnaculum conductum habuit, & inde deiectum effusúmve quid
sit: de peculio in patrem non datur actio: quia non ex contractu venit. in ipsum itaque filium hæc
actio competit. ¶ *Quod & in filiofa.*] Inquit Vlpianus [h], Si filiusfa. iudex litem suam faciat, in tan-
tam quantitatem tenetur, quæ tunc in peculio fuit, cùm sententiam dicebat.
¶ *Exercitor nauis.*] Docet postea Iustinianus, exercitorem eum appellari, ad quem quotidia-
14 nus nauis quæstus pertinet. ¶ *De dolo aut furto.*] Hoc est, de aliquo damno ipsis rebus dato. Cæte-
15 rùm si qua iniuria inferatur personæ ipsius hospitis recepti: non tenebitur exercitor, qui non po-
tuit eiusmodi occurrere periculo. idem & si quid damno fatali contigisset [i]. Itaque nominatim Iu-
stinianus hîc egit de dolo aut furto, quo damnum datum est, cuique potuit occurri.
16 ¶ *Quod in naui aut caupona.*] Inquit Vlpianus [k]; Debet exercitor omnium nautarum suorum,
siue liberi, siue serui, factum præstare: nec immeritò factum eorum præstat, cùm ipse eos suo peri-
17 culo adhibuerit. Sed non aliàs præstat, quàm si in ipsa naui damnum datum sit. Cæterùm si extra
nauim, licet à nautis: non præstabit. Sanè tamen si exercitor semel res receperit: etiam si in littore
perierint, tenebitur [l]. ¶ *Teneri videtur.*] Vt sarciat præstetque damnum datum. Quòd si quæratur
de quantitate vel qualitate rerum, quæ fortassis inclusæ obsignatæq; erant: posteaquam apparue-
rit teneri exercitorem, taxatione à Iudice facta, stabitur sacramento eius, qui damnū passus est [m],
si res aliter probari nequeat. Cuius difficultatis incommodo prudenter occurrebat Lex illa, quam
18 laudat Plutarchus, quæ permittebat portitoribus aliena vasa scrutari. Præstat autem exercitor in
duplum propter suam culpam damnum datum [n]. ¶ *Sed alienum eorum.*] Discrimen tamen vel eo-
rum, quorum opera vtitur exercitor. Nam (inquit Vlpianus [o]) seruorum suorum nomine, noxali
duntaxat tenetur: nempe cùm alienos adhibet, explorare eum oportet, cuius fidei, cuius innocen
19 tiæ sint: in suis venia dignus est, si qualescunque ad instruendam nauim adhibuerit. Id quod idem
Vlpianus alio loco pluribus probat [p], & addit; exercitorem non præstare factum ipsorum vecto-
rum, quos non potest deligere: sed inhabitatorum factum præstare. ¶ *Aliquatenus culpa reus est.*]
Inquit Vlpianus [a]; Hac actione exercitor suo nomine tenetur, culpæ scilicet suæ imputaturus, qui
20 tales adhibuit. Certè culpa non caret, qui aperiens publicum Pandocheum, & quasi pollicitus pu-
blica fide securum omnibus viatoribus domicilium, non deligit famulos certæ & exploratæ fidei:
nec satagit, vt omnia domi suæ sint in tuto; parum memor veteris illius, nec sine causa laudati car-

a dic. l. si verò plures. §. prætor ait.
b L. si cui ex empto. de verb. sign.
c L. vlt. de his qui deiec.
d L. ex hac lege. D. si quad. paup. fec. dic.
e L. qua actione. D. ad leg. Aquil.
f L. hereditatum. D. ad leg. Falc.
g L. 1. §. si filiusfa. de his qui deiec. vel effud.
h L. si filiusfa. de iud.
i L. 3. §. ad hoc. D. naut. caup. stabular.
k L. vlt. D. nau. caup. stabula.
l dic. l. 3. §. 1.
m L. si quando. C. vnde vi.
n dic. l. vlt. §. hac actio. l. vna. D. furti aduer. naut.
o dic. l. vlt. §. seruorum autem.
p dic. l. vna. §. serui.
a dic. l. vlt. §. hac autem.

minis Homerici; ἐν τοῖς μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται. Profectò & Colonus, qui negligens fuit in eligendis ministerijs, tenetur, si quod damnum seruorum culpa datum [a] sit.

¶ *In his casibus.*] Omnibus superioribus, de quibus hoc titulo actum est. Quod ad proximum casum attinet (inquit Vlpianus [b]) hæc iudicia, quamuis Honoraria sint, tamen perpetua sunt. In hæredem tamen non dabuntur. ¶ *Hæredi quidem datur.*] Pertinet enim magis ad rem familiarem quàm ad vindictam. Sed quia pœnalis est ex parte ipsius rei: non datur in hæredem, nisi quatenus is esset locupletior ex facto defuncti. Sanè iniuriarum actionem, de qua superiori titulo diximus, nec hæredi dari constat [c], quia solam vltionem continet. 21

a L. si seruus. § si forte icarius. D. ad leg. Aquil.
b d. l. vlt. § hæc iudicia.
c L. cum emancipatus § emancipatus de collat. bon.

DE ACTIONIBVS

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

1 Dominium & obligatio sunt summa Iuris C. capita.
2 Horum effectus sunt Actiones.
3.4 Iudiciorum vsum Christiani non damnant.
5 Legitimus iudiciorum vsus quis?
6 Lites forenses vnde oriantur?
7 Non nisi inuiti & coacti litigabant olim Athenienses.
8 Iurgia forensia à Iurisconsultis alenda non sunt.
9 Seruius Sulp. maluit semper litium controuersias tollere, quàm actiones constituere.
10 Eadem mens fuit Papiniano & Vlpiano.
11 Ambitiosa ingenia delectantur pugnis forensibus.
12 Studiorum iuris Ciuilis scopus.
13 Studiosi iuris veterem fori consuetudinem scire debent.
14 Ad exemplum edicti perpetui compositas esse Pandectas.
15 De Legis actionibus.
16 De veteribus Vindicijs.
17 Alia olim iudicia fuisse libera, alia legitima.
18 Quomodo ius dandorum iudiciorum Collegio Pontificum sit ademptum, & ad Prætorem translatum; & de tota iudiciorum ratione.
19 De veteri formularum conceptione abrogata.
20 Quòd iudicia omnia sint iam extraordinaria.
21 Criminalium publicorumque iudiciorum alia est ratio quàm priuatorum & Ciuilium.
22 Actiones de quibus rebus dicantur; & notata iuris diuisio Iustiniani; eademque defensa num. 23.
24 Saluius Iulianus quo fine collegerit edictum perpetuum?
25 Primum edicti perpetui caput quod?
26 Vt causa, lis, iudicium, sic & verbum agendi tam ad rem criminalem quàm ciuilem pertinet.
27 Crimen agere, pro accusare.
28 Accusatio est vbi criminaliter agitur.
29.30 Actionis verbo plerunque vtimur, cum de re ciuili & pecuniaria quæstio est.



DICTVM hactenus de tota ratione Dominiorum & Obligationum: quæ 1
duo summa sunt Iuris Ciuilis capita. Superest, vt vim & effectum explice- 2
mus, nempe Actiones, quæ tuentur rerum dominia, & facilè ostendunt non esse vanum aut nihili vinculum obligationis. Ne quis autem iudiciorum v- 3
sum temerè damnet, aut nefas esse ducat exerceri inter Christianos: initio admonendi sumus, Magistratus, qui iudicijs præsunt, à Domino institui & probari, vt sint terrori malis, bonis subsidio. Eorum manu & autoritate vult Deus Respublicas conseruari, & ciuiles controuersias dirimi atque componi. Itaque legitima esse 4
iudicia, nemo qui sanus sit iudicij, dubitare potest. Sed quis legitimus sit eorũ vsus, iustius quæritur. Respondemus simpliciter; eum esse qui magis tuetur, quàm conuellit, Christianam charitatem, & 5
rempub. conseruat. Si hos limites perrumpimus, impurus est abusus. Nec opus est longiori disputatione. Nota est hac de re sententia Pauli Apostoli ad Corinth. or. Certè agnoscit forenses lites sæ- 6
pius à malo proficisci, quod appellat ἥττημα, significans aliquem esse victum & superatum vel odio, vel auaritia, vel alio simili corrupto & vitioso affectu, qui nos agit præcipites. Quòd si mores nostrorum temporum & fori turbas intueamur; vix vllam fortassis actionem aut litem, quæ non sit impura parumque Christiana, hodie comperiemus. Non inuehar aut declamabo in hoc malum: sed vtinam retineremus eam saltem moderationem, qua Ethnici suas actiones intenderunt, & iudicia exercuerunt; & cùm exemplis eorum moueremur, tum verò honestissimas sententias & admonitiones audiremus. Isocrates in suo Areopagitico laudat priscos Athenienses, quòd forum fugerint, nec eò de- 7
scenderint vnquam nisi coactè, & magno pudore adeò erubescebant videri litigiosi. Certè apud Thucydidem legati Athenensium sollicitè reijciunt notam φιλοδικεῖν. [litigiosorum.] quasi admodum probrosam & infamem. & Causidicus ipse Demosthenes, δεῖ (inquit) ἐλαττοῦσθαί τι καὶ συγχωρεῖν, ὥστε μὴ δοκεῖν φιλοδικεῖν [oportet non nihil cedere ac remittere, ne videantur cupidi litium esse.] Tullius quoque in Officijs, vult virum bonum non esse in exigendo acerbum, sed æquum & facilem; multa multis de iure suo cedentem; à litibus, quantum licet, & paulò plus etiam quàm liceat abhorrentem. Idem damnat gentem Siculorum, quòd esset natura controuersa. Marcellinus quoque vituperat Ægyptiorum genus (vt ait) controuersum, & assuetudine perplexius litigandi lætissimum. Martialis iudicat miserum esse & dementem quendam Gargilianum, qui diutius litigaret, cùm posset cedere & vinci. Apud eundem, lis nulla, toga rara, mens quieta, Res esse dicuntur, quæ vitam faciant

beatiorem.

*beatiorem. Vt iam amplius mirari non debeamus Basilium, τὰς τῶν δικαστηρίων συμπλοκὰς [iuditiorum
commercia] referre inter τὰς τῆς ψυχῆς ἐπισκοτήσεις. [animi humani tenebras.] Hæc, quæ nunc obiter
occurrunt, eò diligentius congero, quò magis velim, modum aliquem esse nostris forensibus iurgijs,
8 quibus & Respublicæ concutiuntur, & familiæ pessum eunt, & mores corrumpuntur. Absit autem,
vt Iurisconsulti alant, quæ debent extinguere, dissidia: aut sanctissimam æqui & boni artem professi,
doceant sordidam quandam artem litigandi. M. Cicero laudat Seruium Sulpitium non tam ob ad-
9 mirabilem & penè diuinam iuris scientiam, quàm quòd semper maluerit litium controuersias tolle-
10 re, quàm actiones constituere. Nec alia mens fuit nostro Papiniano [a], qui indicauit pietatis officio
functos esse fratres, qui arbitro, quem acceperant, relicto, spontanea transactione inter sese domi diui-
serunt communem hæreditatem. Noster quoque Vlpianus [b] laudat verecundam lites execrantis cogi-
tationem. Hos initio Iurisconsultos proponere hîc volui, vt nostris semper oculis obuersentur: inte-
rim dum explicandis Actionibus occupati erimus: ne adeò capiamur agendarum causarum gloria, et
11 illa luce fori, cuius splendor facilè incendit ambitiosa ingenia, vt etiam admodum delectemur pugnis
ciuilium concertationum, & puluere forensi, cùm potius deplorare debeamus hæc dissidia. Interim
12 verò par est, generosos animos omni studio vires colligere, & rationes omnes meditari, quibus cùm
in hanc arenam descenderint, turbas componant, tueantur afflictam innocentiam, patrocinentur ve-
ritati, fraudes & iniurias propulsent, in accusationem improbitatis incumbant summa contentione,
ac toneut etiam fulminentque suo eloquio. Nunc autem, vt quod magis instat agamus, initio admo-
13 uendi sumus eos, qui Ius Ciuile legesque Rom. tractant, imprimis rem Iudiciariam, totamque illam ve-
terem fori & consuetudinem & disputationem tenere debere. Nam & ipsum Edictum perpetuum,
14 ad cuius etiam exemplum compositas esse Pandectas Iustinianus profitetur, eò imprimis referеba-
tur. Sed de actionibus Iudicijsque Rom. non ineptè dicere, difficile est, nisi si totam illam antiquita-
tis memoriam, totiesque mutatos mores repetamus. Ea verò res cùm longiorem commentationem
requirat, & multorum etiam seculorum historiam complectatur, non potest in has Institutiones in-
cludi. Sed quod hîc præstare non possum, operam dabo, vt alio aliquando libro concludam. Certè pri-
15 mùm dicendum esset de vetustissimis illis atque adeò primis actionibus, quæ legis actiones diceban-
tur: quanquam de ijs aliquid iam à nobis dictum sit in commentarijs ad duodecim Tabulas, cap. tri-
16 gesimonono, atque etiam de veteribus vindicijs: de quibus iam dictum quoque aliquid à nobis est ad
duodecim Tabulas, capite quinquagesimoquarto. Porrò vt ex Cicerone & Quintiliano didicimus, a-
17 lia olim apud Romanos fuisse iudicia libera, veluti Populi aut Senatus, alia verò legitima, quæ cer-
ta nempe lege astringebantur: sic cùm de actionibus, quæ dabantur à Prætore, dicendum esset, multa
huius generis discrimina essent notanda. Ac primùm quidem, quo modo ius dandorum iudiciorum
18 Collegio Pontificum ademptum & ad Prætorem translatum sit: tum quæ huius fuerit potestas, qui
mos, quæ consuetudo in iudicibus actionibusque dandis & iure dicundo. Quæ fuerit ratio vocandi in
Ius: quid cùm in ius ventum erat, fieret: quid deinde cùm ad iudicium. Quæ fuerint impetrationes
actionum, quæ earum formulæ. Quæ Centumuirales causæ. Quæ datorum iudicum, vel pedaneorum
potestas. Quæ actiones directæ, quæ vtiles. Quæ iudicia bonæ fidei, quæ stricti iuris dicerentur, &
cur ita dicerentur, & quæ vis huius discriminis esset. Quæ rursus arbitrariæ actiones, & quàm
variè ita appellarentur. Quæ denique præiudiciales. Quod quidem Iustinianus in hoc tractatu atti-
git: sed strictim & obiter, & veluti canis è Nilo bibens ac fugiens. Porrò quæ actiones vtiles, quæ di-
rectæ dicerentur, quæ ordinariæ, quæ extraordinariæ: & denique quæ extraordinariæ cognitiones,
& quomodo abs cognitionibus differrent actiones. Rursus quod esset discrimen, quæ forma restitu-
tionum in integrum, quæ actiones rescissoriæ, quæ restitutoriæ appellarentur. Hæc (inquam) omnia
atque huius generis complura, quorum vestigia supersunt in libris Iuris Ciuilis, ex omni antiquitatis
memoria vndique colligenda sunt, & (quantum fieri potest) repetenda, vt si minus expressam pos-
simus intueri effigiem & integram formam veterum Iudiciorum actionumque: at obscuram saltem
aliquam & adumbratam delineationem animo concipiamus.
19 Iam verò quid factum sit, cùm in vsu esse desijt vetus conceptio formularum, (quam Paulus
iam suo seculo non fuisse amplius obseruatam significat [c]) quid deinde temporibus posteriorum Cæ-
sarum, cùm & vetus ordo dandorum iudiciorum, & actionum impetratio, & tota illa formula-
20 rum ratio sublata est: quid postremò cùm facta sunt (vt Iustinianus ipse fatetur) omnia iudicia ex-
21 traordinaria: latius dicendum esset. Et hæc quidem tamen omnia solùm pertinent ad iudicia pri-
uata & ciuilia pecuniariáve. Nam criminalium publicorumque rursus alia est ratio, alia forma,
alius ordo, alia denique (vt ita loquar) historia. Et gaudeo equidem studijsque adolescentum gra-
tulor, multa iam ab eruditis hominibus de veteri forma & ordine iudiciorum, scripta hoc tempore
esse: vt & iampridem ab alijs plurima diligenter de materia iudiciorum collecta erant. Nam &
vix vllus est harum Institutionum titulus, qui plures habeat interpretum vberioresque com-*

[a] L. vlt. D. fam. erciss.

[b] L. item si res. §. potest. de alie. iud. mu. cau. fac.

[c] L. actio. de neg. gest.

*mentarios,quàm hîc de actionibus. Quæ res etiam fecit,vt meos nunc esse breuiores atque etiam ieiu-
niores,vbi minus necessarij videbantur,æquo animo feram: præsertim cùm ea,quæ huc præterea re-
ferre potuissem,aliàs commodius atque liberius colligi & in vulgus dari posse videantur: & interea
fortasse de ijs tacere,quàm pauca nunc dicere,præstet. Cæterùm vt Iustiniano tamen vtcunque sa-
tisfiat,non inuitus patior quod ad hunc titulum iam antea annotauimus, iterum publicum fieri,do-
nec per ocium meliora edere possim. Ac illud quidem initio hîc dissimulandum non est;abs eruditis
quibusdam & ingeniosis hominibus Iustinianum ipsum notari, quòd veterem diuisionem illam Iu-
ris,quam initio huius tituli sese ordinis causa sequi profitetur, non satis intellexerit. Nam cùm Ca-
ius Ius omne diuidi ait in personas, res, & actiones, existimant actiones tunc dici de ijs, quæ nos agi- 22
mus facimúsve, siue inter viuos contrahendo, siue etiam testamentum faciendo, siue denique delin-
quendo: sicuti & generaliter Aristoteles συναλλάγματα [commercia siue contractus] vocat, ex quibus
obligatio aliqua descendit. vt intelligamus; ius omne constitui aut de nobis, aut de rebus nostris, aut
de ijs quæ facimus aut dicimus. Ac quidem de rebus quæstionem esse, cùm de earum dominio,posses-
sione,iuribus aut causis quæritur. De actionibus verò,cùm quæritur de eo,quod actum, dictum,fa-
ctúmve est,& ex quo obligatio nascitur. Sic enim interdum actiones dicuntur actus hominum. Ve-
rùm vt concedamus hæc non ineptè dici, minimè tamen ineptus ordo est, quem hîc Iustinianus se- 23
quitur: Quanquam in Pandectis alia sit alterius ordinis ratio. Sunt enim compositæ ad exemplum
Edicti perpetui. Hoc verò Edictum cùm Iulianus colligeret atque componeret, illud præcipuè age-
bat, vt rem Iudiciariam constitueret atque componeret. quanquam fieri id non posset, nisi si etiam 24
materia iudiciorum non minus quàm forma explicaretur. Prius tamen de iudicijs constituendis,
eorumque ordine egit. Primum enim illius Edicti perpetui caput fuisse de Iurisdictione accepimus, 25
deque ijs,quæ ad eam pertinent. Sed ad Pandectas hæc reijciamus: & interea Iustiniano, eius-
que actionibus contenti simus. Ad quem nunc accedemus, si pauca, vt moris est, de significatione ti-
tuli adiecerimus. Quemadmodum Causa, Lis, Iudicium, tam ad rem criminalem, quàm ciuilem per- 26
tinent: ita & verbum agendi, sua vi & generali significatione potest etiam complecti accusationem
criminalem. Sic Papinianus actionem stellionatus[a] dixit: Et Tullius pro Milone, actionem per-
duellionis. Fit & in iure nostro mentio criminalis[b] actionis. Dixitque Martianus[c], crimen agere, pro 27
accusare. Et Vlpianus in vno eodem responso[d], tam criminaliter, quàm ciuiliter agi dixit. Verùm
cùm soleat genus ad suas species alioqui innominatas contrahi: factum est, vt cùm altera species actio- 28
nis, nempe accusatio, proprium nomen haberet; actionis verbum contractum sit ad significandum al- 29
teram speciem, vt eo magis vteremur, cùm de re ciuili & pecuniaria quæreretur. Sic cùm dicitur a-
ctio sepulchri violati, intelligimus eam pertinere ad rem pecuniariam[e]: quanquam alioqui hoc iudi-
cium non tam ad rem familiarem pertinere, quàm vltionem continere intelligatur[f]. Idem de iudicijs
Residuæ pecuniæ, Termini moti, Albi corrupti. appellantur enim propriè actiones, cùm illis agitur
de re pecuniaria. Porrò apud Latinos extra iudicium latissimè patere agendi verbum, nemo ignorat. 30
Nam & apud Græcos plurimus est vsus verborum ἄγω καὶ ἄγομαι. Vtque Latini actionem dicunt, ita &
Græci ἀγωγὴν, sæpe etiam δίκην. Iustinianus in Nouella sua Constitutione 108. appellat πρᾶγμα in
rem, actionem realem, apud eundem in Nouella Constitutione 45. dicitur ὁ ἐνάγων καὶ ὁ ἐναγόμενος, pro
actore & reo.*

a L. 1. de cri. stell.
b L. pen. D. si ex nox. cau. & tit. Cod. Quã. ciui. vel crimi. act.
c L. Diuus. de cri. expi hered.
d L. vlt. de furt.
e L. qui sepulchra. C. de sep. viol.
f L. 3. l. de sepulchro. de sep. viol.

De Actionibus. Titulus VI.



SVperest, vt de Actionibus loquamur. Actio autẽ nihil aliud est, quàm ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur.

Omnium autem actionum, quibus inter aliquos apud iudices arbitrósve de quacunque re quæritur, summa diuisio in duo genera diducitur. aut enim in rem sunt, aut in personam. Nanque agit vnusquisque, aut cum eo, qui ei obligatus est, vel ex contractu, vel ex maleficio. quo casu proditæ sunt actiones in personam, per quas intendit aduersarium ei dare aut facere oportere, & alijs quibusdam modis. Aut cum eo agit, qui nullo iure ei obligatus est, mouet tamen alicui de aliqua re controuersiam. quo casu proditæ actiones in rem sunt: veluti si rem corporalem possideat quis, quam Titius suam esse affirmet, possessor autem dominum eius se esse dicat. nam si Titius suam esse intendat, in rem actio est.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Hæc definitio actionis an ad actiones in rem etiam referri possit?*
2 *Actio quomodo ius esse dicatur?*
3 *Persecutionis verbum generaliter hic accipiendum.*
4.5 *Quid, vbi actio data non esset, sed ex officio iudicis res penderet?*
6 *Nemo potest autoritate priuata persequi debitum.*
7 *In iudicio fieri quid Romani olim dixerint?*
8 *Non omnia ad veterem iudiciorum Roman. formam sunt reuocanda.*
9 *Agi posse, vt alius cogatur agere.*
10 *Exemplum, vbi actio sit occupantis.*
11.13 *Verbum debendi quomodo accipiendum?*
12 *Actio, in personam dicitur: petitio, in rem,*
14 *Omnia apud Romanos iudicia ciuilia exercebantur aut apud Iudices à Prætore delectos, aut apud Arbitros.*
15 *Arbitrorum nostrorum sententias quid tueatur?*
16 *Actionum genera esse duo:* Vindicationem, & Condictionem.
17 *Actiones mixtæ comprehenduntur sub simplicibus.*
18 *Differentia inter actiones reales & personales.*
19 *Condictiones cohærent tam ipsius actoris quàm rei obligati personæ.*
20 *Vendens alieno nomine, & euictionem præstare promittens, solus ex ea caussa conuenitur; & contrà.*
21 *Actionibus personalibus non nisi is ipse qui obligatus est conuenitur.*
22 *Casus, vbi condictio sequitur rem ipsam.*
23 *Hæredes personalibus actionibus conueniuntur pro hæreditarijs portionibus.*
24 *Certa contractus species nominatim exprimi debet in actione personali.*
25 *Cur etiam in vindicatione sit consultum, vnam specialiter agendi causam exprimere?*
26 *Non esse vnam solamq́; actionis personalis formulã.*
27 *In reali actione reum nullo iure obligari quomodo accipiendum?*
28 *Actio in rem quid sit?*
29 *Incorporalia quatenus vindicari possint?*
30 *Petitorio iudicio qui vti vult, requirat primùm an reus possessor sit.*
31 *Rem etiam alteri restituendam vindicare possumus.*
32 *Quid, si quis ante sententiam dominus esse desierit?*
33 *An sit necesse, reum cõtrà cõtendere, se esse dominũ?*

1 A*Ctio autem.*]Hæc definitio actionis sumpta est ex Celso.[a] & quamuis propriè pertinere videatur ad actiones, tantùm in personam, quibus persequimur quod nobis debetur, tamen si gene
raliter verba accipiantur, & ad actiones in rem referri poterit. ¶ *Est im.*]Caius [b]facultatem agen
2 di vocat, Vlpianus [c] facultatem conueniendi in iudicio. Cùm autem ea non nisi à Prætore conce-
deretur, qui actiones dabat, & iudicia constituebat: videtur hic propriè definiri actio, quæ iam e-
rat à Prætore data. Tum enim demum erat propriè ius agendi. Sed si quis generaliter mâlit ius ex
contractu vel dominio intelligere, cuius exercendi explicandique causa & Prætorem adeamus &
Iudicem: minimè repugnabo. vt hic magis significetur causa & vis agendi, quàm aut mos iudicio-
rum, aut actionis formula. ¶ *Persequendi.*]Papinianus ait [d], persecutionem dici in rem vel in per-
sonam rei persequendæ gratia. Vlpianus [e] persecutionis verbo docet contineri extraordinarias
3 persecutiones. Sed hoc loco persecutionis verbum generaliter accipiemus, sicuti idem Vlpianus [f]
docet, actionis verbo generali dici omnes petitiones, siue in personam siue in rem sint. Porrò vbi
4 actio data non erat: sed ex officio iudicis res pendet: non videtur esse ius persequendi, quia nulla
tum subest obligatio. & quæ non sunt in obligatione, sed officio iudicis præstantur, peti non pos-
5 sunt, veluti vsuræ precij post moram soluti, vt inquit Hermogenianus [g]. Quia tamen officium iu-
dicis deesse non solet, vbi æquum est: sic accipitur atque si certa quædam actio data esset: nam & di
citur ingrati actio [h]: cùm tamen ingratus libertus officio iudicis in seruitutem reuocetur [i].
¶ *In iudicio.*]Apud Celsum simpliciter est, IVDICIO. Initio autem hic obseruemus, neminè posse
6 sibi ipsi ius dicere, aut priuata sua autoritate persequi quod sibi debetur. Extat [k] grauissimũ Marci
Imp. edictum; vim esse, quoties quis id, quod deberi sibi putat, nõ reposcit per iudicem. Optimum
7 verò esse, vt qui habere se putat aliquas petitiones, actionib. experiatur. Porrò in iudicio fieri pro-
priè dicebant Romani, quod apud iudicem à Prætore datum fiebat, vt & alij copiosè docuerunt.
8 Sed videndum ne dum ad veterem iudiciorum Rom. morem omnia reuocamus. nimis strictè ac-
cipiamus quod generaliter dicitur. ¶ *Quod sibi.*] Etiam si id fortasse alteri statim restituere de-
9 beat. neque enim ideo minus actio exercebitur. Quinimo interdum agere possumus, vt alius co-
gatur agere, & quod sua fuerit actione consecutus, nobis restituat. exemplũ extat in quodam La-
beonis responso [l]. ¶ *Debetur.*]Vel saltem statim atque iudicium acceptum erit, debebitur. Sic e-
nim interdum agi potest. Pomponius, Si Titius (inquit) & Seius separatim ita stipulati essent,
10 *FVNDVM ILLVM SI ILLI NON DEDERIS, MIHI DARE SPONDES?* finem dandi alteri fore,
quoad iudicium acciperetur: & ideo occupantis fore actionem. De eo quod in diem vel sub con-
11 ditione debetur, suo loco aptius tractatur. Porrò debendi verbum si hic propriè & specialiter acci-
piatur, non nisi ad actionem in personam hæc definitio pertinebit: sicuti sanè & actio in perso-
12 nam propriè dicitur, petitio verò in rem. Sed cùm Vlpianus fateatur generalius accipi, vt vtrumq;
13 iudicij genus significet, verbumque debendi omnem omnino actionem comprehendere: facilè
patior omnem hic causam intelligi ex qua agi potest, siue in rem, siue in personam: vt genera-
liter proposita actionis definitio huic tractatui respondeat. ¶ *Apud iudices arbitrósve de quacunque re quæritur.*] Quæcunque apud Romanos ciuilia iudicia erant, apud eos exerceri solebant,
qui à Prætore delegebantur. Appellabantur autem aut Iudices, qui ab ipso Prætore delecti
erant,

a L. nihil aliud. de oblig. & act.
b L. 1. de eo quod cert. loc.
c L. item si. §. vlti. de neg. gest.
d L. actio. in personã. de oblig. & act.
e L. pecuniæ. §. actionum. de verb. sign.
f dict. §. actionum. & l. actionis verbo. de oblig. & act.
g L. qui per collusionẽ. §. precij. de act. empt.
h L. liberti. C. de libert. & eo. lib.
i L. 1. C. eo. tit.
k L. extat. quod metus cau.
l L. cum in plures. § semessem. locati et cõd.

erant.& ab eo certam iuris formulam præſcriptamq; iudicandi rationem: aut Arbitri, qui liberiori
cum poteſtate iudicabant ex conſenſu & compromiſſo litigatorum; quales erant apud Athenien-
ſes αἱρετοὶ διαιτηταί [delecti iudices cognitorésve ſeu arbitri.] Sed horũ ſententias, quo magis tranſ-
irent in rem iudicatam, Athenis ſubſignabant οἱ Ἄρχοντες. [magiſtratus qui iudicibus ibi præerant,
vt Romæ Prætor.] Noſtrorum arbitrorum ſententias magis tuebatur pœnæ adiectæ metus, eiuſq; 15
dependendæ periculum, ſi arbitrio non pareretur, quàm publica autoritas. ¶ *Summa diuiſio.*] Hoc
eſt, prima ac præcipua: quia nec vlla ſit ſuperior, nec altius poſsit repeti. Sicq; Vlpianus ait [a]; actio- 16
num genera eſſe duo: in rem, quæ dicitur Vindicatio: & in perſonam, quæ Condictio appellatur.
¶ *In duo genera.*] Quibus ſanè comprehenduntur & actiones, quæ mixtam cauſam habere vidẽtur; 17
vt familiæ erciſcundæ, communi diuidundo, finium regundorum: de quibus nos agemus poſtea
cum ipſo Iuſtiniano. ¶ *Aut in rem ſunt, aut in perſonam.*] Nec leue eſt hoc diſcrimen. Illę, quæ in rem 18
ſunt, nituntur & conſtant dominio actoris, & poſſeſsione rei: at hæ quæ in perſonam ſunt, oriun-
tur ex obligatione aliqua dandi vel faciendi: Illæ intenduntur in quemcunque rei poſſeſſorem: hę
verò in ſolum debitorem obligatum, vel eius hæredem. Illis petimus, quod noſtrum eſt: his, quod
eſt nobis ex aliqua obligatione debitum. ¶ *Aut cum eo, qui ei obligatus eſt.*] Indicat hic Iuſtin. actio-
nes in perſonam, omnino cohærere perſonæ, tam ipſius actoris, quàm rei obligati, hoc eſt, debito- 19
ris & creditoris. Quod & Scæuola in eleganti ſpecie oſtendit [b]. Vnde &, ſi quis vendat fundum a- 20
lieno nomine, & euictionem præſtare promiſeris, is ſolus ex ea cauſa poterit conueniri [c]. Etſi quis
alieno nomine emens, curaſſet caueri de euictione: non poſſet dominus, cui res empta eſt, ea eui-
cta agere, niſi is qui contraxit, actionem ei cedat [d]. Sanè actionibus perſonalibus non niſi eum
ipſum, qui obligatus eſt, teneri aut conueniri ſenſit etiam Seneca, qui libro quinto de Benefic. in- 21
quit; Pecunia ab eo petitur, cui credita eſt, quamuis ad me illa aliquo modo peruenerit. Quod eti-
am diſertè traditum eſt, quodam reſcripto Diocletiani [e]. Eſt tamen caſus, in quo actio in perſo-
nam, ſequatur rem ipſam: nempe cùm agimus commodati aduerſus eum ſolum hæredem, qui rei 22
reſtituendæ facultatem habet [f]. neque enim tum bona fides patitur vt aduerſus alium agatur. &
vbi debetur quidem quantitas, ſed occaſione certæ rei, is ſolus hæres, penes quem res eſt, conueni-
tur [g]. alioqui tamẽ hæredes perſonalibus actionibus conueniuntur pro hæreditarijs portionibus: 23
vtpore pro quibus tantùm referant perſonam defuncti. ¶ *Vel ex contractu.*] Cuius quidem certa
ſpecies in actione perſonali nominatim exprimi debet, vt ſciat reus ex qua cauſa conueniatur, & 24
poſsit cõmodè deliberare, vtrum cedere an contendere debeat [h]. Sic reſcripſerunt Seuerus & An-
toninus [i], non cogi reum ſuſcipere iudicium, prius quàm cognouerit actionis editæ ſpeciem. Sed
in actione in rem, non videtur adeò neceſſaria certa editio ſpecialis cauſæ, ex qua agitur: cùm res 15
noſtra eſſe non poſsit ex pluribus cauſis [k]. Quanquam & hìc conſultius fuerit, vnam aliquam ſpe-
cialem agendi cauſam exprimere; ne alioqui videamur omnes cauſas vna generali actione con-
ſumpſiſſe [l]. ¶ *Et alijs quibuſdam modis.*] Intendit ſcilicet quis & agit. Vt intelligas, non eſſe vna ma- 26
liquam ſolamque perſonalis actionis formulam: quia nec ſemper agimus aduerſus eum, qui nõ no-
bis obligatus eſt dare vel facere: ſed plerunque longè aliud petimus. Veluti cùm ago, vt tu cogaris
ipſe aduerſus alium agere, mihique reſtituere, quod fueris ab eo cõſecutus [m]. Rurſus cùm peto, ad-
uerſarium qui me infamat & vanis minis territat, cogi, vt vel taceat, vel agat, ſi quid habeat quod
in nos intendat [n]. ¶ *Nullo iure obligatus.*] Hoc eſt, ex nullo contractu vel maleficio, vel ſimili cau- 27
ſa, ex qua quis ſolet obligari: ſed tantùm quia rem poſsidet. ſic vt liberetur prorſus, ſi rem, cuius v-
nius poſſeſſæ nomine cõueniri poſſet, ſine dolo poſsidere deſierit [o]. At vbi aliqua vera ſubeſſet ob-
ligatio, non ita facilè contingeret liberatio: nec prodeſſet excidiſſe poſſeſsione illius rei, cuius gra-
tia primùm ea inita eſt [p]. ¶ *Actiones in rem.*] Inquit Vlpia. [a]; In rẽ actio eſt, per quã rem noſtram, quę 28
ab alio poſsidetur, petimus: & ſemper aduerſus eũ eſt, qui rẽ poſsidet. ¶ *Rem.*] Vel ſingularẽ, vel e-
tiã vniuerſalẽ; veluti gregẽ, qui dicitur continere quandã vniuerſitatẽ rerũ corporaliũ. Illud, vt res
vindicari poſsit, exigimus; eã non eſſe exemptã cõmercijs hominũ. Nam hominẽ liberũ vindicari
non poſſe cõſtat. ¶ *Corporalẽ.*] Neq; enim vindicãtur incorporalia, niſi quæ fortè cohærerẽt rebus 29
corporalibus, earumq; eſſent acceſsiones, & veluti appẽdices, vt nõ poſſent nõ ſimul venire. Nã &
è diuerſo actio, qua incorporale ius ſeruitutis aſſerimus, in cõſequentiam trahit, & cõplecti poteſt
res quaſdã corporales, veluti fructus, & cõmoda, quæ potuerunt percipi ex ſeruitute [b]. ¶ *Poßideat.*]
Quòd ſi reus non poſsideat: nihil ei erit hoc iudiciũ [c]. Itaq; admonet Caius [d] eũ, qui petitorio iudicio 30
vult vti, ne fruſtra experiatur, vt prius requirat, an is, cum quo inſtituit actionem, poſſeſſor ſit. Et
in hanc quidem rem prodita eſt actio. Ad exhibendum: ac ne vnico verbo inficiationis, liberum
eſſet, dominum ludificarier, addita eſt pœna improbè negantis ſe poſsidere. nam mendacij con-
uictus ſpoliatur poſſeſsione; quam ſtatim cogitur in actorem transferre [e]. Sed etſi quis dolo deſi-
nat poſsidere, non poterit ſua fraude iudicium eludere. nihilominus enim habebitur pro poſſeſ-
ſore [f], & tenebitur in rem actione [g]. Sanè & qui ſine dolo deſijt poſsidere: ſi quidem prima eius
poſſeſsio fuit vitioſa, adhuc tenebitur [h]. Et qui ſe liti offert: etiamſi non poſsideat, condemnari po-
teſt, ſaltem vt præſtet rei æſtimationem: eamque dominus conſecutus non impedietur, à vero poſ-
ſeſſore vindicare rem ſuam [i]. Porrò quod de poſſeſſore hìc dicitur, pertinet etiam ad eum, qui tan-
tùm detinet, habetque facultatem reſtituendi [k]. ¶ *Suam.*] Quocunque tandem iure dominij [l],
vel etiam [m] ceſsi. Sed illud tantùm vindicatur, quod noſtrum eſt: nec iure videtur noſtrum eſſe,
quod à nobis non poteſt vindicari [n]. Interim tamen non omnino hìc exigimus perpetuum quod-
dam certumque dominium. Nam & rem, quam alteri reſtituere debemus, vindicare poſſumus [o]. 31

Poſtremò

a L. actionum. de act. & oblig.
b L. vlt. ad fi. de contrah. empt.
c L. procurator qui pro euictione. de procura.
d L. poſſeſsio quoq. §. & ſi poſſeſsio. de acq. poſſ.
e L. pen. C. de act. & oblig.
f L. 3. §. hæres. D. commod.
g L. communi diuidundo. D. com. diuid.
h L. 1 de edendo.
i L. 1. C. de litis conteſt.
k L. 3. §. ex pluribus. de acq. poſſeſſ.
l L. et an eadẽ §. actiones. l. ſi mater. §. eandem. de excep. rei iud.
m L. cum in plures. §. meſſem. D locati.
n L. diffamari. C. de ingenu. manumiſſ.
o L. vlt. de rei vind.
p L. vlt. §. vlt. de contrah. empt. l. 2. C. de hær. vel act. vend.
a L. actionum. de oblig. & act.
b L. loci corpus. §. in confeſſoria. D. ſi ſer. vind.
c L. vnica. C. de alie. iud. mu. cau. fac.
d L. qui petitorio. de rei vind.
e L. vlti. de rei vind.
f L. qui dolo. de reg. iur.
g L. fin antẽ. §. ſed & n. de rei vind.
h L. ſi tu me vi deiecer is. de vi & vi arm.
i L. n qui ſe obtulit. de rei vind.
k L. officium ad fi. de rei vind.
l L. 1. §. perpetuum. D. ſi ager vect. pet. l. 1. §. ſi quid autem. de ſuperf.
m L. vlt. C. de hæred. vel act. vend.
n L. Q. Mutius. libro ſecũdo. §. argento. de aur. & arg. lega.
o L. non ideo minus. de rei vind.

Postremò prætereundus hic non est casus ille singularis, in quo quis rem non propriè suam vindicat: & licet eam vindicet, tamen oblata æstimatione potest repelli. Nam si ex pecunia dotali maritus rem sibi emerit: constante matrimonio, omnino eius dominus esse dicitur [a]: sed si fiat non soluendo, in subsidium permittitur mulieri eam à tertio aliquo possessore vindicare: nō tamen adeò præfractè, quin mulieri satis sit æstimatio rei, quæ fuit, cùm emeretur. ¶ *Esse.*] Hoc verbum significat præsens quoddam dominium. Sed & si ab initio non fuerit dominus, qui vindicat: poterit causam suam iuuare & tueri ex nouo dominij iure, quod interim accesit, saltem si principio
32 nullam certam ac specialem agendi causam expresserit. Quòd si quis ante sententiam dominus esse desierit: si quidem id euenerit facto aduersarij, nihil oberit. ¶ *Possessor autem dominum eius se es-*
33 *se dicat.*] Non est hoc necesse, vt scilicet reus contrà contendat se esse dominum: quia semper actore non probante absoluitur [b]. Sed videtur hic Iustinianus reliquisse quædam vestigia priscarum huius iudicij formularum. Olim enim reus, à quo res vindicabatur, contra eam vindicabat. Alias huius iudicij ambages commemorat Au. Gellius lib. 7. cap. vlt.

a L. ex pecunia. C. de iur. dot.

b L. qui accusare. C. de eodem.

§ Acquè si agat.

1 *Confessoria actio datur ei qui seruitutes sibi competere contendit; Negatoria domino neganti.*
2 *Interrogatoriam etiam actionem dici nonnunquam confessoriam.*
3 *Creditori etiā, qui fundum habet pignori, datur confessoria.*
4 *Sed quid de fructuario fundi?*
5 *Directa actio confessoria datur tantū domino fundi.*
6 *Agi potest confessoria, & cum eo cuius fundus seruitutem debet, & cum omnibus qui vti seruitute nos impediunt.*
7 *In possessorijs interdictis non ius versatur sed factum.*
8 *Interdicto aliquo possessionem suam tueri, paratius est, quàm agere confessoria.*
9 *Si fundus, cui debetur iter, plurium sit, vnicuiq; in solidum competit confessoria.*
10 *Quid, si agatur de iure tantùm debito, necdū nostro?*
11.12 *Altius ædificandi seruitus qualis?*
13 *Actio in rem negatoria quomodo constituatur?*
14 *Negatoriam quoque esse, cùm iure seruitutis contendimus.*
15 *In rebus incorporalibus etiam eum qui possidet agere aliquando posse.*
16 *In rebus corporalibus negatiuam actionem non esse.*
17 19 *Diuersa lectio in fine huius §.*
18.20 *Eiusdem diuersa lectionis diuersa expositio.*

Aequè si agat quis, ius sibi esse fundo fortè vel ædibus vtendi fruendi, vel per fundū vicini eundi agendi, vel ex fundo vicini aquam ducendi: in rem actio est. Eiusdem generis est actio de iure prædiorum vrbanorum: veluti si quis agat ius sibi esse altius ædes suas tollendi, prospiciendive, vel proijciendi aliquid, vel immittendi tignum in vicini ædes. Contrà quoque de vsufructu, & de seruitutibus prædiorum rusticorum, item prædiorum vrbanorum, inuicem quoque proditæ sunt actiones: vt si quis intendat ius non esse aduersario vtendi fruendi, eundi agendi, aquámve ducendi, item altius tollendi, prospiciendive, vel proijciendi immittendive: istæ quoque actiones in rem sunt, sed negatiuæ. quod genus actionis in controuersijs rerum corporalium proditum nō est. Nam in his is agit, qui non possidet. ei verò, qui possidet, non est actio prodita, per quam neget rem actoris esse. Sanè vno casu, qui possidet, nihilominus is actoris partes obtinet, sicut in latioribus Digestorū libris opportunius apparebit.

1 ¶ *Aequè.*] Inquit Vlpianus [c]; De seruitutibus in rem actiones competunt, tam confessoria, quàm negatoria. Confessoria ei, qui seruitutes sibi competere contendit: negatoria domino, qui negat. Idem Vlpianus [d] alio loco apertius docet; actione confessoria conueniri posse generaliter eos omnes, qui nos nostra seruitute vti non patiuntur. Alia est autem personalis actio, quæ seruitutis constituendæ nomine competit ex testamento fortè vel contractu, nec nisi aduersus eum
2 ipsum intenditur qui obligatus est, vel eius hæredem. Illud quoque obiter notandum est; ab Vlpiano vocatam quoque esse actionem confessoriam, quæ interrogatoria vocari solet, nempe quæ ex eius, qui interrogatus est, responsione siue confessione dabatur [e]. ¶ *Si quis agat.*] Qui videlicet seruitutis debitæ, vel eius rei, cui seruitus debetur, dominus est, saltem vtilis [f]. Sed & credi-
3 tor, qui pignori fundum habet, agere potest, vt respondit Caius [g]. Interpretatur autem Iulianus [h], ei dari vtilem petitionem seruitutis. Quod attinet ad fructuarium fundi, cui seruitus debetur, vi-
4 sum est contentum eum esse debere illa actione confessoria, quam sui vsusfru nomine habet [i]. Tribuimus autem ei possessorium iudicium seruitutis nomine [k], in quo nō de iure, sed de facto quæritur. Sed & vbi ageretur de conseruando iure seruitutum, quarum custodia illi concredita intelligitur [l]: poterit quasi procurator domini, proprietaris eius nomine intēdere directam actionē con-
5 fessoriam [m]: at non suo nomine [n]. Verè enim directa actio confessoria datur soli veroque domino fundi, cui seruitus debetur [o]. Diximus quis agat confessoria. Nunc videamus contra quem agatur.
6 Et rectè quidem docet Vlpianus [p]; agi hac actione posse, non tantùm cum eo, cuius fundus seruitutem debet, verumetiam cum omnibus, qui impediūt nos vti nostra seruitute. quoquo tandem modo id fiat. Nam si quis mihi itineris aut viæ controuersiā nō faciat, sed reficere, vel sternere non patiatur

c L. 2. si seruit. vind.
d L. si quis diuturno. §. ag. autem. D. si ser. vind.
e L. 23. §. vlt & l. 25. §. 1. ad leg. Aqui. l. vl. de interrogat.
f L. in prouinciali. §. pen. de ope. no. nunc. l. 1. §. 1 de superfic.
g L. creditori. de ope. no. nunc.
h L. ei qui. de seruit.
i L. 1. D. si vsusfr. peta
k L. 2. §. Pomponius. D. si ser. vind.
l L. 1. in fi. D. vsusfr. quemad. cau.
m L. vna. §. item lua haec. de remiss.
n L. vsu frui. §. vtrū. de vsufr.
o L. 2 D. si ser. vind.
p L. si quis diuturno. § agi. D. si ser. vind.

patiatur: Pomponius [a] scribit, confessoria actione mihi vtendum. ¶ *Ius sibi esse.*] At in interdictis
possessorijs, quæ etiam harum seruitutum nomine competunt, non ius versatur, sed factum. Velu- 7
tiin interdicto de itinere actuq; priuato, solùm quæritur, ieris, an non ieris: non etiam, iure, an
iniuria [b]. Ac proinde priusquam aliquis confessoria agat, dispiciat num possit aliquo interdicto
tueri suam possessionem. Id enim longè leuius est & paratius, multisq; modis commodius. ¶ *Si-* 8
bi.] Siue id habeat sibi vni proprium, siue cum altero cõmune. Nam & si fundus, cui debetur iter,
plurium sit: vnicuique in solidum competit actio confessoria [c]. Sed & vnius, qui in solidum ege- 9
rit, victoria proderit alijs [d]. Sicuti & obesset condemnatio: saltem vbi nihil posset imputari ei, qui
egit. nam certè alioqui verum est, quod respondit Martianus [e]; Si quis de cõmuni seruitute agens,
aliquo modo litem perdiderit sua culpa; non esse æquum, cæteris id obesse. ¶ *Esse.*] Rursus hoc
verbum significat ius præsens, & iam constitutũ. Quòd si ageretur de iure tantùm debito, necdum 10
nostro, veluti de constituenda seruitute, quæ promissa est vel legata: personalibus actionibus expe
riri oporteret. Itaque vt in rebus corporalibus, sic etiam & in incorporalibus multùm interest, v-
trum ius nostrum sit an nobis debitum [f]. ¶ *In rem actio est.*] Qua scilicet agitur etiam aduersus
eum, qui nullo iure obligatus est. quęque omnino sequitur rem ipsam. Nam & si fundus seruiens,
vel is cui seruitus debetur, publicaretur: vtroque casu durabunt seruitutes, necnon & prædia ipsa
sequentur [g]. ¶ *Eiusdem generis.*] Hoc est, Eiusdem conditionis, nempe in rem. ¶ *Ius sibi esse altius*
ædes suas tollendi.] Altius tollendi ædificij facultas, quæ iure naturali solet omnibus tribui [h], aliquan 11
do nititur solo iure seruitutis. Finge me tibi debuisse seruitutem altius non tollendi: teque postea,
non quidem simpliciter mihi remisisse hanc seruitutem, sed tuis ædibus imposuisse seruitutem, vt
pati deberent, me meas ædes altius tollere: sic vt iam tuæ ædes mihi seruiant, & quisquis eas inha-
bitârit, prohibere nequeat, quo minus meas ædes meo arbitratu tollam altius. hæc (inquam) quæ
mihi competit facultas altius tollendi, nititur solo iure illius seruitutis mihi debitæ, constitutæq;.
Iam si quis eas ædes, quæ hanc mihi seruitutem debent, inhabitans prohibeat, vel impediat me al-
tius tollere: agam aduersus eum confessoria, vt tuear, asseramque illam mihi debitam seruitutem
vicinarum ædium, quæ pati debent me altius tollere: & vt hoc meum ius altius tollendi propu-
gnem. Si quis malit hunc locum intelligere de confessoria, quæ non seruitutem, sed libertatem po 12
tius naturalem, ex qua nobis ius est altius tollere, asserat & tueatur: non satis conueniet cum reli-
quis speciebus & exemplis confessorij iudicij. sed tamen aliquando fieri posse, vt talis confessoria
instituatur, non nego. ¶ *Si quis intendat ius non esse.*] Nempe, quia id. si quod aliquando fuit, iam
sit amissum. Hic enim intelligimus, non simpliciter negari ius seruitutis, sed id nunc aduersario 13
non esse, quod fortaßis aliquando fuit. Ita enim vera erit hæc actio, & probationem desiderabit.
Veluti si quis per meum fundum ire, agere velit iure seruitutis constitutæ, & ego contendam per-
emptam esse hanc, si qua fuit, seruitutem. Cæterùm si intendã, ius non esse aduersario eundi, quia
nullam probet seruitutem, & res nostra naturaliter præsumatur esse libera [i]: nullas actoris partes
sustinere videbor. ¶ *Item altius tollendi.*] Non videtur hoc exemplum cum superioribus conueni-
re. Sed ostendit; Negatoriam quoq; actionem esse, cùm iure seruitutis contendimus, Ne quis fa- 14
ciat, quod alioqui naturaliter facere poterat. Vt hæc actio competat, non modò vbi conuellimus
& impugnamus ius seruitutis, quod aduersarius se habere contendit: sed etiam vbi tuemur & pro-
pugnamus ius seruitutis, quod nos habere contendimus, ne vicinus faciat, quod faceret, nisi tene-
retur hac seruitute. Sicuti actionem confessoriam intendimus, vt propter seruitutem cogatur pa-
ti, quod alioqui nõ teneretur, veluti me per eius fundum ire agere. ¶ *Quod genus.*] Negatoriæ nem
pe actionis. ¶ *Nam in his agit is, qui non poßidet.*] Intelligit hîc Iustinianus, & tacitè subindicat; in re-
bus incorporalibus, etiam eum, qui possidet, agere aliquando posse, nempe actione negatoria. 15
¶ *Ei verò qui poßidet.*] Pressus est hic locus, & propterea obscurus: tametsi satis manifestum sit, quid
Iustinianus probare & efficere velit; nempe, non esse in rebus corporalibus, vt in seruitutibus, ne-
gatiuã actionẽ, quæ possessori detur, vt intendat, alterius non possidentis rem non esse. Sed absur 16
dum videtur quibusdam, quod hic legitur, *PER QVAM NEGET REM ACTORIS ESSE.* Sunt qui in 17
multis exemplaribus negent esse hoc verbum, *ACTORIS.* Sunt qui eius loco potius legi contendãt,
ALTERIVS, Noster verò Hotomanus existimat commodius totum hunc locum ita posse legi, *EI VE*
RO QVI NON POSSIDET, NON EST ACTIO PRODITA PER QVAM NEGET REM POSSESSO-
RIS ESSE. Quasi illud contendat hîc Iustinianus; Negatoriam in rebus corporalibus ideo nõ com- 18
petere, quoniam ea possidenti detur. At in rebus corporalibus eum demum agere, qui non possi-
det. Eum verò qui non possidet, sed agit, non habere actionẽ, qua neget rem possessoris esse. Suam
enim esse probare debet. ¶ *Sanè vno casu.*] Quia hic etiam locus obscurus est, variè legitur. Sunt
qui legant, *SANE IN HOC CASV*, quasi hoc velit Iustinianus; in rebus quidem corporalibus non 19
dari actionem possidenti, qua neget &c. Sed in seruitutibus vno hoc, de quo dictum est, casu pos- 20
sessorem actoris partes obtinere. Sunt qui negatiuè legant: *SANE NON VNO CASV.* Nam & sæpe
qui possidet, vltro subit actoris partes, vt cùm rem cõtrà vindicat. & se dominum esse dicit, vt pau-
lo antè annotaui, olim fieri solere. Quod etiam dici posset, etsi, vt vulgò legitur, legamus. *SANE V-*
NO CASV, vt hunc ipsum vnum esse casum, vbi reus contrà vindicat, intelligamus. Nisi si fortè ille
magis placeat, qui ab alijs adfertur, & in Pandectis magis expressus est, quo dominus qui & ani-
mo adhuc possessor est, rem vindicat. & agit aduersus eum. qui corporaliter detinet, neque propriè
possidet, quia non possidet animo domini. Quem casum Vlpianus in Pandectis tractat [k].

§. *Sed*

a L. loci corpus. §. si quis mihi itineris. D. si ser. vind.
b L. 1. de iti. act. pri. l. 2. §. Pomponius. D. si ser. vind.
c L. loci corpus. § si fundus. D. si ser. vin. l. sed et si forte. § si ædes D. illo tit.
d dict. § si fundus.
e L. si de communi. D. si ser. vind.
f L. si partem. D. quẽad. ser. ami. l. vlti. de act. empt. l. fundũ cuius vsusf. §. 1. de evict.
g L. vlt. §. si fundus. de ser. rust. præd.
h L. altius C. de seru. & aqua. l. cum eo §. imperatores. de seru. vrba. prædior.
i L. altius. C. de serui. & aqua.
k L. 9. de rei vind.

§. *Sed ista.*

1 Vtilis rei vindicatio aduersus eum qui dolo possidere desiit, Pratoria est.
2 Secunda actionum diuisio; quod sint aut Ciuiles aut Honoraria.
3 Ciuiles perpetua sunt, honoraria temporales.
4 Honoraria sunt quas Prator de nouo introduxit.
5 Pratoriarũ actionũ nulla in rẽ simul est et personam.
6 Actio in rem Pratoria ciuilibus in rem actionibus deficientibus succenturiatur.
7 Publiciana actio qua? & qua eius sit vis? num. 9.
8 Particula QVASI quid significet?
10 Quasi dominus quis dicatur?
11 Lectionis verioris hic restitutio.
12 Etiam is qui à furioso vel Minore ignorans emit Publiciana vti potest.
13 Iusta causa qua accipienda hoc loco?
14 Seruitutum etiam nomine Publiciana competit.
15 In seruitutibus patientia loco traditionis habetur.
16 Sine possessione vsucapio ne inchoari quidem potest.
17 Hac actio transmittitur in successorem.
18 Qui dominus iã effectus est, ei opus nõ est Publiciana.
19 Traditio hic intelligitur qua proficiscitur à non domino, siue voluntate veri domini.
20 Si res furto surrepta aut vi erepta sit, cõpetit prater Publicianam furti etiam pœnalis, vel bonorũ raptorum actio.
21 Durũ, aquè iustũ possessorẽ vexari alteri⁹ Publiciana.
22 Neq; datur contra verum dominum, qui rei sua possessionem recuperauit. fallit num. 23.
24 Publicianum iudicium petitorium est, non possessorium; nõ igitur tam possessio quàm iusta eius causa probanda est.
25 De actione rescissoria; item restitutoria.
26 Nõ omnis absentia meretur in integrũ restitutionẽ.
27 Qui Resp. causa abest, aduersus pariter absentem restitui potest.
28 Si is qui vsucepit rem alienauerit, restitutio faciẽda est.
29 Quando incipiat currere annus auxilij pratorij?
30 Non negligentibus sed necessitate rerum impeditis subueniendum est.

Sed istæ quidem actiones, quarum mentionem habuimus, & si quæ sunt similes, ex legitimis & ciuilibus causis descendunt. Aliæ autem sunt, quas Prætor ex sua iurisdictione comparatas habet tam in rem, quàm in personam, quas & ipsas necessarium est exemplis ostendere. vt ecce, plerunq; ita permittit Prætor in rem agere, vt vel actor dicat se quasi vsucepisse, quod non vsuceperit: vel ex diuerso possessorem aduersarium suum nõ vsucepisse, quod vsuceperit. Namq; si cui ex iusta causa res aliqua tradita fuerit (veluti ex causa emptionis aut donationis, aut dotis, aut legatorum) & necdum eius rei dominus effectus est: si eius rei possessionem casu amiserit, nullam habet in rem directam actionem ad eam persequendam: quippe ita proditę sunt Iure Ciuili actiones, vt quis dominium suum vindicet. sed quia sanè durum erat, eo casu deficere actionem: inuenta est à Prætore actio, in qua dicit is, qui possessionem amisit, eam rem se vsucepisse, quam vsu non cepit, & ita vindicat suam esse. quæ actio Publiciana appellatur, quoniam primùm à Publicio Prætore in edicto proposita est. Rursus ex diuerso, si quis cùm Reipublicæ causa abesset, vel in hostium potestate esset, rem eius qui in ciuitate esset, vsuceperit, permittitur domino, si possessor Reipublicæ causa abesse desierit, tunc intra annum rescissa vsucapione eam petere, id est, ita petere, vt dicat possessorem vsu non cępisse, & ob id suam rem esse. Quod genus actionis & alijs quibusdam simili æquitate motus Prætor accõmodat, sicut ex latiore Digestorum, seu Pandectarum volumine intelligere licet.

1 ¶ *Sed ista actiones, quarum mentionem habuimus.*] Nempe Reales, saltem directæ. Nam vtilem rei
vindicationem, quæ datur aduersus eum, qui dolo desijt possidere, verius est esse Prætoriam [a]. Ve- *a L. electio. §. 1 l. si plurimum. de nox. act.*
rè enim Prætoris inuentum est & beneficium. Neq; tamen ideo erit hęc actio annalis: sed cùm ad-
dita sit ad exemplum ciuilis actionis, sequetur eius naturam, maximè cùm non tam nitatur dolo
aduersarij, quàm actoris dominio. ¶ *Alia autem sunt.*] Hanc secundam actionum diuisionem bre-
2 uius tradit Vlpianus [b] his verbis; Actiones sunt aut Ciuiles, aut Honorariæ. Discrimen autem præ- *b L. actionum §. vlt. de act. & oblig.*
3 cipuum est; quòd illæ sint perpetuæ: hæ temporales, & ferè annales: illæ ordinariæ, & ipso iure com
petentes: hæ veluti extraordinariæ, nec nisi in subsidium. ¶ *Ex sua iurisdictione comparatas.*] Hoc est,
4 Ex suis edictis proditas, cùm alia lege proditæ non essent. ¶ *Tam in rem, quàm in personam.*] Hoc
est, vtriuslibet generis. Sunt enim actiones Prætoriæ quædam in rem, quædam in personam. Cæ-
5 terùm nulla est, quæ simul tam in rem, quàm personam sit. quanquam fortasis quædam Ciuiles
actiones sint eiusmodi: de quibus & nos postea loquemur. ¶ *Vt ecce plerunque ita permittit Prator.*]
6 Post Ciuiles in rem actiones, eo ordine qui in ipsis quoque Pandectis obseruatus est; subijcit actio-
nem in rem Prætoriam; quæ illis deficientibus veluti succẽturiatur, & ad eorum exemplum est in-
7 troducta; illam nempe, quam proposuit Publicius Prætor: appellaturque ideo Publiciana: & lo-
cum habet, cùm quis ex iusta causa, bonaq; fide rem mobilem à non domino accepit: & cùm iam
ferè vsucepisset, alius interceperit. Nam qui prius possedit (cuius esse debet melior condirio) perse-
quetur rem non secus atq; suam, & quasi verus esset dominus. ¶ *Dicat se quasi vsucepisse, quod non vsuceperit.*] Hoc est, Vt actor quasi vsuceperit, quod tamen non vsucepit, dicat suũ esse. Significat au-
8 tem (quod rectè meus Hotomanus vidit) hæc vocula, QVASI, idem quod TANQVAM. Theophilus
9 vertit ὡσανεὶ. Sentitque hic Iustinianus; actorem tam posse sibi rem vindicare, quàm si vsucepisset,

Dd &domi-

&dominns esset. Datur enim hæc vtilis rei vindicatio, quam Publicianam dicimus, quasi domi-
no, non qui fermè dominus est, sed qui perinde habetur atque si dominus esset, eodemque iure v- 10
citur: & omnia facit, tanquam si dominus esset. Itaq; ridicula sunt, quæ nugantur interpretes, hic
allegari pro dominio imperfectam vsucapionem, aut permitti mendacium. ¶ *Vel ex diuerso pos-
sessorem aduersarium.*] Ita hûc locum esse legendum probat veterum exemplariorum fides, & ipsius 11
sensus ratio. Atque hæc est ipsa species. quæ paulò pòst explicatur, nempe cùm agitur aduersus pos-
sessorem, qui Reipub causa abfuit, quasi interim rem non vsuceperit. ¶ *Ex iusta causa.*] Vel sanè
iusto errore credita. Nam & qui à furioso, vel minore ignotans emit, vtitur hac actione [a]. Causam 12
autem hic accipere debemus eiusmodi, quæ si à veto domino proficisceretur, dominium transfer- 13
ret in accipientem. Iraque Caius [b] vocat iustas causas acquitendarum rerum. Sed nihil hic interest,
sitne causa lucratiua, an onerosa [c]: ex contractu, an ex vltima voluntate. Idque etiam satis indicat
subiectorum exemplorum varietas. ¶ *Res aliqua.*] Etiam incorporalis. Nam & seruitutum nomi
ne competit actio Publiciana [d], sicuti Confessoria, quæ Ciuilis est. Proponit autem Vlpianus hu- 14
ius rei exempla duplicia. Primum quidem seruitutis constitutæ à non domino per traditionem,
quæ iustum habet titulum. Alterum eius seruituris, quæ proficiscitur à domino, non qnidem eam
constituente aut tradente (nam tum confessoria competeret) sed simpliciter patience ab alio eam 15
vsurpari: sic vt iustus quidem titulus hic desit, sed qui non sit omnino ad vsucapionem seruitutum
necessarius. ¶ *Tradita fuerit.*] Saltem imaginariè. Omnino autē necesse est, nos aliquo modo ac-
cepisse possessionem. nam nec sine ea posset inchoati vsucapio [e]. Sed ad tei vindicationem non est 16
id necessarium. potest enim dominium transferri sine possessione [f]. Sanè si quis non ex suo capite
intēdat Publicianam, sed ex capite sui autoris, à quo ius habet, & cui successit: sufficiet autoris pos-
sessio. Nam hæc actio in rem transmittitur in successorem [g]. 17

a L. sed & si res. 7. §. Marcellus. & §. si à minore. de Public. in rem act.
b L. quæcunque. D. illo tit.
c L. si ego §. 1. D. illo ti. d dict. l. sed & si res. §. sed & si quis.
e L. sine possessione. de reg. iur.
f L. 1. §. sed & per eū. de acq. poss. l. si fundū. de fun. dot.
g L. cùm sponsus §. 1. de Public. in rem act.

¶ *Necdum eius rei dominus effectus est.*] Nam si dominus effectus esset, non haberet opus Publicia- 18
na [h]. In his itaque verbis Iustiniani latet significatio necessarij vsus actionis Publicianæ. simul &
traditionis, de qua hic agitur; nempe eius, quæ à nō domino proficiscitur, sine volūtate veri domi- 19
ni: qui quidem dominus vt fortasse apertè refragatus posset impedire dominij translationem, nō
tamen potest impedite possessionem transferri. Vt mirari non debeamus quod scripsit Papinia-
nus [i]; Prætorem tueri eum emptorem, qui rem, quā consentiente domino emerat, eo inuito à Pro-
curatore traditam accepit: vt scilicet possit vti Publiciana.

h L. 1. § merito. de Publ. in rem act.
i L. Papinianus. D. illo tit.

¶ *Casu.*] Hoc est, aliquo modo. Theophilus vertit κατά τινα τύχην. Sanè si res furto surrepta es-
set, aut vi erepta, competeret etiam eo nomine pœnalis furti, vel bonorum raptorum actio, quæ 20
concurrere posset cum Publiciana, tanquam rei persecutoria [k]. ¶ *Durum erat.*] Saltem vbi is, qui
rem nactus est, pari causa, iure, vel æquitate non nititur vt quia nec titulum nec bonam fidem ha-
bet. Alioqui sanè iudicamus, in pari causa meliorem esse conditionem posidentis: & durum esset, 21
hunc æquè iustum possessorem vexari alterius Publiciana [l]. Nam æquitas, quæ alioqui Publicia-
nam daret, nunc eandem impedit. Vnde satis apparet, multo minus eam competere aduersus ve- 22
rum dominum [m], qui rei suæ possessionem recuperauit. nisi sanè propter peculiarem aliquam ra-
tionem adhuc videretur durum & iniquum non dari hanc aduersus eum actionem. Vt si bona fi- 23
de emero à Titio rem Sempronij, & aliquo casu redierit possessio ad Titium, qui interim eius rei
factus sit dominus. hic certè non potest non esse æquissimum, vt mihi detur aduersus eum Publi-
ciana: quam si repellat exceptione sui dominij, replicabo de dolo, cùm habeam ab eo causam pos-
sidendi: & si quod ei accesserit ius dominij, mihi prodesse debeat magis quàm obesse [n]. Sed & si bo
næ fidei emptor, quia à vero domino conuentus, absolutus est, quia scilicet actor non satis probās-
set se dominum, postea ceciderit possessione sua: poterit agere Publiciana etiam aduersus ipsum
verum dominum. Tanta vis est rei iudicatæ [o].

k L. si pro fure. §. 1. de cond. furt.
l L. sine act. §. si duobus. de Public. in rem act.
m L. pen. & l. vlt. D. illo tit.
n L. si à Titio. de rei vind. l. apud Celsum. §. si à Titio. de doli ma excep.
o L. si quis rem. de excep. rei iud.

¶ *Et ita vindicat suam esse.*] Ergo Publicianum iudicium petitorium est, nō possessorium. vt pa- 24
tum sit, possessionem probare, nisi & iustam eius causam probes. Vlpianus [p] ait, Publicianā actio-
nem ad instar proprietatis, non ad instar possessionis respicere. ¶ *A Publicio Prætore in edicto propo-
sita est.*] Huius Publiciani edicti verba hæc fuisse accepimus: *SI QVIS ID, QVOD TRADITVR EX
IVSTA CAVSA NON A DOMINO, ET NONDVM VSVCAPTVM, PETET, IVDICIVM DABO.*

p L. nam & si res. §. Publiciana actio. de Pub. in rem act.

¶ *Rursus ex diuerso.*] Superiori themate Prætor adiuuat vsucapionem, & non impletam habet
pro impleta quodam modo. Hic verò è diuerso vsucapionem verè completam rescindit. Nam sub- 25
lata eius vi, eos, quos alioqui summo iure durius læserat, alterius interim vsucapientis absencia, in
integrum restituit, vt possint suis actionibus vti, perinde atq; si nihil esset vsucaptum. Sicut enim
Prætor, vt absentibus succurrit, ne capiantur: ita etiā prouidet, ne alios capiant [a]. Obseruemus au-
tem primùm hic agi, vt rescindatur vsucapio: deinde vt ea rescissa, res nostra nobis restituatur: hoc-
que ordine rectè coniungi & cumulari posse hæc duo iudicia. ¶ *Cùm Reipub. causa abesset.*] Multo
magis, si qui vsucepit, ex alia minus iusta causa abfuerit, restituetur is, qui in ciuitate mansit, cui
non debet esse fraudi vlla alterius absentia. Sed si è diuerso ageretur de restituendo in integrum
absente aduersus præsentem, siue eum, qui in ciuitate manserat: iam distinguemus, iusta an iniusta
fuerit absentiæ causa. Nec enim omnis absentia, etiam si fortè sit Reip. causa, meretur in integrum
restitutionem. Vt si fuerit affectata. Deinde ij soli iuuantur restitutione, qui sine dolo malo ab-
sunt. Dolum autem malum eò pertinere tradit Callistratus [b], vt qui reuerti posset, neque reuerte-
retur, in eo, quod per id tempus aduersus eum factum est, non adiuuetur. Veluti si alterius gran-
dis commodi captandi gratia id egerit, vt Reipub. causa abesset, & qui data opera etiam sine lucro
id affe-

a L. item ait Prætor. §. 1. D. ex qui. cau. ma.
b L. ic[illegible]ij D. ex quib. cau. maior.

id affectauit, inquit Vlpianus [a]. ¶ *Abesset.*] Maximè si nullum domi reliquerit procuratorem, aut *a L. & qui data. D. ex quib. cau. maio.*
legitimum defensorem, cum quo potuisset iudicium peragi. quanquam & si neminem reliquerit,
nihilominus ex noua Iustiniani Constitutione [b] integrum iam esset, vsucapionem absentis inter- *b L. vt perfectius. C. de anna. excep.*
rumpere, adito iudice, & apud eum contestata domini diligentia. ¶ *Vel in hostium potestate esset.*]
Hi planè (inquit Vlpianus [c]) qui fuerunt in potestate captiui, vsu rem acquirere possunt ex re pe- *c L. ait Prætor. §. hi planè. D. ex quib. cau. maior.*
culiari: & æquum erit, ex clausula æquitatis præsentibus subueniri. ¶ *Qui in ciuitate esset.*] Idem &
si absens absentis rem vsuceperit. Nam & in vniuersum respondit Martianus [d]; eum, qui Reipub.
causa abfuerit, etiam aduersus eum, qui pariter Reipub. causa abfuerit, restituendum esse, si de ali- *d L. vlt. D. illo tit.*
27 quo damno iustè queratur. ¶ *Vsuceperit.*] Hoc est, vsucapionem, quam præsens inchoauerat, ab-
sens compleuerit, vel sanè statim à reditu: quia & id tempus ascribitur absentiæ [e]. Porrò & si hic, *e L. ab hostibus. §. vl. D. illo tit.*
28 qui vsuceperit, rem alienauerit, restitutio facienda est, inquit Paulus [f]. ¶ *Tunc.*] Hæc vox signifi- *f L. cùm miles. §. 3. D. illo tit.*
29 cat quandam extremitatem temporis [g], & indicat momentum illud, quo hic incipiet currere an- *g L. 4. de cōd. et dem.*
nus auxilij Prætorij, quo hæc rescinditur vsucapio; nempe statim atque is, qui vsuceperit, abesse
desierit, & alteri fuerit integrum rebus suis prouidere. Sanè si post reditum eius, qui absens vsuce-
pit, negligas ius tuum persequi: id tempus, quo cessas, coniungetur prioribus vsucapionis tempo-
ribus vtiliter ante absentiam lapsis: quemadmodum & illud tempus, quo post impetratum ius re-
scindendæ vsucapionis ociosè differres rem tuam vindicare. Et si hæc tempora iuncta complerent
vsucapionem, nulla spes esset nouæ restitutionis. Neque enim negligētibus subuenitur, sed neces-
30 sitate rerum impeditis, inquit Paulus [h]. ¶ *Intra annum.*] Paulus docet [i], hanc actionem quæ re- *h L. non enim. D. ex quib. cau. maio.*
scissa vsucapione redditur, anno finiri, quia contra ius Ciuile datur. ¶ *Rescissa vsucapione.*] Sum- *i L. in honorarijs. §. pen. de obli. & act.*
mota per replicationem æquitate Prætoris concessam exceptione vsucapionis, quæ summo alio-
qui Iure Ciuili hic potuisset domino agenti obijci. ¶ *Eam petere.*] Simul & eius fructus [k]. omnino *k L. nec non. §. vlt. D. illo tit.*
enim restituitur in pristinum statum actio [l]. Nec modò rem petere licet à possidente, sed multo *l L. quod si minor. §. restitutio. de minor.*
magis petentem exceptione summouere, si fortè rei possesionem iam nactus sis [m]. quinimo si ea *m d. l. nec non. §. pen.*
postea excideris, perpetuam habebis actionem, qua eam consequaris [n]. ¶ *Quibusdam & alijs.*] Ve- *n L. si is cum. D. ex quib. cau. maior.*
luti casu conuerso, quando res absentis à præsente est vsucapta. Succurritur enim absenti, saltem v-
bi Reipub. causa abfuit; vel studiorum nomine; aut simili iusta causa. Sunt porrò & aliæ multæ re-
stitutionis causæ, sed quæ Prætoris arbitrio & æquitati fuerunt relictæ, vt ipse æstimaret, si qua ei iu-
sta causa videretur.

§. *Item si quis in fraudem.*

1 Continuatio huius §. cum praecedentibus.
2 De actionib. quibus persequimur res nobis obligatas.
3 In Pauliana Prætor quid agat?
4 Pauliana refertur inter actiones in rem.
5 In actione hac nō quaritur an persona sit obligata, sed an rem possideat?
6.7 Quomodo actiones hæ quibus persequimur quod in fraudem alienatum est, aliquādo in personam esse dicantur? sed personales tamen non sint?
8 Quod transeunt ad heredes cōmune habent cum personalibus iudicijs.
9.30 32 Paulianæ æquitas & vsus.
10 Alienatio in fraudem facta quia summo iure valet, opus erat creditoribus hac actione reuocatoria.
11 Fraus duplex est, consilij & euentus, quam vtramq; hic interuenire necesse est.
12 Si is qui accepit ignorauit in fraudem creditorū fieri, cessant verba edicti.
13 Edictum hoc propriè loqui de alienatione accipienti non lucratiua, sed onerosa.
14 Quid, si alienatio sit accipienti lucratiua?
15.33 In patroni fraudē quicquid gestum est reuocatur.
16 Emtor tamen bonæ fidei à patrono precium recipit.
17 Si quid alienauerint debitores ciuitatū, & soluendo non fuerint; ij qui res possident conueniuntur.
18.21 Creditores qui intelligendi?
19 Debito pendente à conditione, ab eiusdē euentu pendebit & alienationis fraudulenta vis.
20 Quid, si debitor versuram faciat, & priores creditores pecunia posteriorum dimissi probentur?
22 Actione hac non tantùm res fraudulenter traditæ, sed & remissæ reuocantur.
23 Quid, si in fraudē creditorū libertas seruis data sit?
24 Quid, si debitor hoc tantùm agat, ne acquirat?
25 Quid, si creditores ipsius hæredis bona magis elegerint?
26.27 Excussio bonorū debitoris præcedit reuocationē.
28 Creditores missi in possessionem colonum, cui rē debitor locauit, expellere nequeunt.
29 Pauliana actio annalis est.
31 An post bonorū possessionē vnus aliquis creditorū suā tantùm hic rem agere, cæterisq; præferri possit.
34.35 An fructus etiam in restitutionem veniant? (tur.
36 Cōuentus Pauliana ius habet offerēdi illud quod debe

Item si quis in fraudem creditorum rem suam alicui tradiderit: bonis eiùs à creditoribus possessis, ex sentia Præsidis permittitur ipsis creditoribus, rescissa traditione, eā rem petere, id est, dicere eam rem traditam non esse, & ob id in bonis debitoris mansisse.

1 ¶ *Item.*] Dictum est de actionibus in rem, per quas vindicamus rem, quæ vel nostra est, vel
perinde habetur, quasi nostra esset. Nunc de ijs agitur, per quas persequimur res nobis obligatas.
2 Harum prima est, quam Paulianam dicimus. in qua, vt ait Paulus [o], Prætor id agit, vt perinde sint *o L. videamus. 2. de vsur.*
3 omnia, atque si nihil alienatum esset. Vtq; superiori themate rescindit vsucapionem completam:
ita hic ex æquo & bono rescindit alienationem summo alioqui iure validam. Hanc autem actio-

 nem Pau-

nem Paulianam referri inter actiones in rem, mirum non est. Nam & si obligatio eius causa sit: 4
non tamen personæ obligatio est, sed ipsius rei. nec hîc quærimus, an persona sit obligata, sed an 5
rem possideat. Quia verò hæ actiones, quibus persequimur, quod in fraudem alienatum est: non 6
in rem concipiuntur, sed in personam possessoris: neque enim dicimus has res nostras esse, sed pos
sessorem conuenimus, vt eas restituat: dicuntur aliquando esse in personam [a]. sed non inde sequi- 7
tur, esse personales. Habent tamen hoc cõmune cum personalibus iudicijs, quòd transeant ad hæ- 8
redes, & tam hæredi, quàm in hæredem dantur [b]. Magna est autem huius Honorariæ actionis,
quam ab autore Paulianam vocamus, æquitas, & vtilis vsus; cùm nulla res sit, quæ magis Rempu- 9
blicam contineat quàm fides. sed ea (inquit Tullius) nulla esse potest, nisi sit necessaria rerum cre-
ditarum solutio. Nec sanè magistratus pati debet, ingratum debitorem sua fraude ludificarier ho-
nestum ius creditoris. nam & quædam hæc esse videtur furti species Quia tamen alienatio in frau
dem facta summo iure valet, transfertque dominium in accipientem etiam fraudis conscium [c]: o- 10
pus fuit creditoribus actione, qua rescinderent hanc alienationem. Vnde Vlpianus ait [d]; necessa-
riò Prætorem hoc edictum proposuisse, quò creditoribus consuleret. Meminit autem & Tullius
huius actionis. Nam libro 1. ad Attic. Agere (inquit) cœpit cum eius fratre Caninio Satyro de ijs
rebus, quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret.

a L. pen. D. si quid in fraud. patro.
b L. ait prætor. §. hæc actio. de his quæ in fraud. cred.
c L. si sciens emam. de contrah. empt.
d L. 1. §. 1. de ijs quæ in fraud. cred.

¶ *In fraudem.*] Alio loco [e] docui duplicem esse fraudem, nempe consilij, & euentus. Vtramq; 11
autem hîc interuenire necesse est. Ea enim rescinditur alienatio, quæ dolo facta est à debitore non
soluendo: vt & fraudare voluerit, & euentum fraus habuerit, inquit Vlpianus [f]. Neq; verò hîc satis
est, debitorem, qui alienat, fuisse in dolo, nisi etiam eius fuerit conscius, qui rem accipit [g]. Vnde Vl
pianus [h], Hoc edictum (inquit) eum coërcet, qui sciẽs, eum in fraudẽ creditorum hoc facere, susce-
pit quod in fraudem creditorum hic faciebat. Quare si quid in fraudem creditorum factũ sit: si ta- 12
men is qui accepit, ignorauit: cessare videntur verba edicti. Verùm hîc meminerimus, edictum 13
propriè loqui de alienatione, quæ non fit accipienti lucratiua, nempe de venditione. Vbi autem 14
esset lucratiua, vt est donatio: sufficeret dolus tradentis, nec tueretur accipientem bona fides: quia
æquius sit damno fraudatorum creditorum consulere, quàm huius lucro. Rectè itaque idem Vl-
pianus adiecit [i]; In hos tamen, qui ignorantes ab eo, qui soluendo non sit, liberalitatem accepe-
runt: eatenus actio erit danda, quatenus locupletiores facti sunt. Sed hac distinctione non vtimur 15
in causa patroni: in cuius fraudem, quicquid gestum est, reuocatur, nec alterius quàm eius, qui a-
lienauit, dolum intuemur [k]. Verùm emptor bonæ fidei non perdit suum precium. recipit enim à 16
patrono [l]. At creditores, qui rescindunt alienationem, nihil præstant. Porrò etsi quid alienauerint
debitores ciuitatum, siue donando, siue vendendo, si non fuerint soluendo, eos, qui res possident, 17
pro rata conueniri posse in vniuersum statuit Constantinus [m].

e §. in fraudẽ quib. ex cau. ma. non lic.
f L. ait prætor. §. 1. de his quæ in fraud. cred.
g L. ait præt. §. quod ait prætor. D. illo tit.
h L. quod autẽ §. hoc edictum. D. illo tit.
i d. l. quod autem. §. in hos tamen.
k L. 1. §. dolum. D. si quid in fraud. patro.
l d. l. 1. si quis in fraudem.
m L. 2. C. de deb. ciui.

¶ *Creditorum.*] Creditores accipimus omnes, quibus ex quacunque causa debetur [n]. Et si pen- 18
deat à conditione debitum: etiam ab eius euentu pendebit vis alienationis in fraudem factæ [o]. 19
Porrò & si qui primùm post alienationem creditores facti sint: fraudati quoque videbuntur, & a-
gere poterunt, siquidem appareat initum fuisse consilium eorum fraudandorum. Veluti si sta-
tim post alienationem improbus debitor callidè contrahat æs alienum, & ignarum fallat credi-
torem. Verùm si non appareat debitorem in alienatione meditatum esse vllam fraudem: cessa-
bit reuocatio. Vt si debitor bona fide ijs satisfecerit, quorum fraudandorum causa alienârat: & de-
inde alios simpliciter creditores sortitus sit [p]. neque enim temerè iudicabitur in eos aliquid prius
machinatus: & propterea de priori alienatione queri non poterunt. addit tamen hanc exceptio- 20
nem Paulus [a]; nisi priores pecunia posteriorum dimissi probentur. Itaque versuram faciente de-
bitore, illud saltem posterioribus creditoribus tribuemus, vt in ius & locum priorum succedant [b].
Quod autem attinet ad creditores hypothecarios, credemus eos quoque hîc comprehendi appel- 21
latione creditorum [c], vt etiam ijs competat actio Pauliana, quæ potest esse vtilior hypothecaria.

n L. si cum fideicõmissaria §. creditores. D. qui & à quib. manu.
l. creditorum l. creditores de verb. sig.
o d. l. si cum fideicommissaria §. pen.
p L. ait prætor. §. ita demũ. l. si quis cũ hæres. de ijs quæ in fraud. cred.
a L. nisi. D. illo tit.
b L. si ventri. §. vlt. de priuile. cred.
c L. 1. vnd si. C. qui manu. non poss.

¶ *Rem suam tradiderit.*] Vel sibi debitam remiserit. Nam (inquit Vlpianus [d]) hac in factum 22
actione non solùm dominia reuocantur, verùm etiam actiones instaurantur. Et rursus alio lo-
co [e], Omnes (inquit) debitores, qui in fraudem creditorum liberantur, per hanc actionem reuo-
cantur in pristinam obligationem. Quod autem attinet ad libertatem in fraudem datam, multa 23
singularia iure ciuili statuta sunt. de quibus copiosè dictum est libro primo.

d L. [illegible] in factum de his quæ in fraud. cred.
e L. omnes. D. illo tit.

¶ *Tradiderit.*] Vel alienando, vel vltro pignori dando [f]. Sed & si nemini tradiderit, verùm pro
derelicto habuerit, vt quis eam suam faceret: erit huic edicto locus [g]. Quòd si tantùm egerit, ne ac- 24
quireret: cessat edictum [h]. ¶ *Bonis eius.*] Nempe debitoris, qui in fraudẽ alienauit. Quòd si credito-
res magis elegerint bona ipsius hæredis: periculum est, ne postea non possint ea reuocare, quæ fue- 25
runt in fraudem à defuncto alienata. Nam si appareat creditores hæredis fidem secutos esse, eius-
que facultates quasi abundè locupletes vltro delegisse: non poterunt postea mutare consilium Et
intelligentur quidem hoc animo esse, vbi diu patiuntur hæredem in possessione rerum hæredita-
riarum, nec vlla fraudis defuncti mentione facta, nec petita bonorum separatione: quod votum
esse potuisset argumentum diffidentiæ. Item si vltro ab hærede acceperint vsuras nominum suo-
rum. Quæ omnia tradita sunt à Labeone [i]. ¶ *Possessu.*] Et distractis [k], excussisque [l]: vt constet, an 26
reuera fraudari sint creditores: quibus alioqui integrum non est, nec prius permittitur, alienatio-
nem rescindere. Nam nec possunt creditores hypothecarij conuenire possessorem rei obligatæ,
priusquam excusserint principalem debitorem: & is inueniatur non soluendo, quemadmodum 27
statuit Iustinianus Nouella sua Constitutione quarta. Porrò creditores hîc missi in possessionem

f L. quod autẽ §. apud Labeonem. D. illo tit.
g L. sed etsi. D. illo tit.
h d. l. quod autem.
i L. ait prætor. §. [illegible] D. illo tit.
k L. penul. C. de reuo. quæ in fraud. cred.
l L. 1. C. illo tit.

rerum

rerum debitoris, non poterunt expellere colonum, cui rem locauit debitor: nisi id quoq; factum appareat io fraudem [a]. quaoquam alioqui singularis successor non temerè cogator agnoscere co-
29 lonum [b]. ¶ *Permittitur.*]Scilicet intra annum vtilem: qui computabitur ex die discußionis, venditionisq; bonorum [c]. Post anoū (inquit Vlpianus) de eo, quod ad eum peruenit, aduersus quem agetur, iudicium comperit. Iniquum enim putauit Prætor, in lucro manere eum, qui sensit lucrū ex fraude [d]. Sanè tamē si ageretur de reuocanda actione in fraudem remissa: consideramus id tempus, quod supererat obligationi: non vtiq; annum [e]. ¶ *Ex sententia Præsidis.*] Qua scilicet iam condemnatus erat debitor personali iudicio cōuentus, & creditores pro executione rei iudicatæ missi
30 in possesionem bonorum debitoris. Sic enim Prætor subuenit, vt si ea, quæ à debitore poßideban tur, non fuerint satis, ea quoq; haoc in rem auferátur, quæ alij poßident. ¶ *Ipsis creditoribus.*]Atq;
31 adeò singulis: quanquam post ipsam booorum possesionem non poßit vnus aliquis, nisi priuilegio singulari nitatur, suam tantùm rem agere, aut alijs præferri [f]. ¶ *Rescissa traditione.*]Sic, vt cum
32 sua causa totoq; iure possesio aliorum, qui res à debitore in fraudem acceperunt, interuertatur, & creditoribus reddatur, quò magis ea quoq; bona ex causa iudicati poßideant & distrahant. Neq; verò possessor cùm eius possesio rescindetur, petere à creditoribus potest restitutionem precij: nisi
33 id fortè adhuc in bonis debitoris extet [g]. At vbi res in fraudem patroni distracta est, defertur conditio emptori, vtrum malit rem emptá habere iusto precio, an verò à re discedere precio recepto [h].
34 ¶ *Eam rem.*]Cum sua causa, & fructibus omnibus, non modò perceptis, sed & ijs, qui percipi potuerunt [i]. Venuleius [k] scribit, fructus, qui oec tempore alienationis cohærebát terræ, oec post inchoatum iudiciom percepti sunt, sed medio tempore: non venire in restitutionem. Item partum ancillæ per fraudem alienatæ, medio tempore editum, non venire in restitutionem: quia in bonis non
35 fuerit. Si tamen prægnans fuerit ancilla, cùm alienaretur, venire. Sed & in Fauianam & Caluisianam actionem, per quam quæ io fraudem patroni à liberto alienata sunt, reuocantur, Vlpianus ait, etiam fructus venire [l]. ¶ *Petere.*]Saltem pro modo & rata parte debiti, pro qua etiam tantùm
36 nouo iore fit misio in possesionem bonorum. Porrò si is, à quo res petitur, paratus sit creditoribus satisfacere: poterit rem retinere oblata pecunia, quæ debetur. nam & id tributum est pignori habentibus rem, quæ prius alijs pignori fuit obligata [m].

a L. in venditione. §. 1. de reb. aut. iud. poß.
b L. emptorē. C. locati.
c L. ait prætor. §. annus. de his quæ in fraud. cred.
d dict. l. ait Prætor. §. post annum.
e dict. l. ait Prætor. §. si conditionalis.
f L. quod autem. §. sciendum est. D. illo tit.
g L. si debitor. cum seq. D illo tit.
h L. 1. §. si quis in fraudem. D. quid in fraud. pat.
i L. ait Prætor. §. per hanc. de his quæ in fraud. cred.
k L. vlt. § non solum. D illo tit.
l L. 1. D. si quid in fraud. patro.
m L. Paulus. §. qui pignoris. D. quib. modis pig. vel hyp. sol. l. 1. de prior. C. Qui. pot. in pig.

§. *Item Seruiana.*

1.2 *Seruiana actio, & interdictum Saluianū quid differant?*
3 *Actionis huius beneficium in rebus ab inquilino inuectis & fructibus prædij rustici apparet.*
4 *Actionis huius formulam quis primum composuerit?*
5 *Seruianam cur Iustinianus ex ipsius Prætoris iurisdictione substantiam capere dicat?*
6.7 *Coloni res tacitè pro pensione sunt obligatæ.*
8.13 *Rerum coloni & inquilini discrimen antea non deprehensum.*
9 *Ad res coloni obligandas pacto conuento opus est, cùm in vrbanis prædijs res inquilini ipso iure obligentur, quasi conuenerit.*
10 *Fructus nati in prædio rustico, fundi domino tacitè obligantur.*
11 *Non minor vis hypotheca tacita quàm expressæ.*
12 *Tacita hyp. ius ad secundi quoq; inquilini bona illata pertinet.*
14 *Si inquilinus secundus à priore habitationē gratuitam nactus est, non obligantur quæ intulit.*
15 *Quid, si inquilinus habitationē deteriorem fecerit?*
16 *Creditores hîc intelliguntur hypothecarij.*
17 *Hypothecaria actio indiuidua est.*
18 *Qualis possessor actionem hypothecariam summouere poßit?*
19 *In pignore persequendo satis est probare, rem pignori datā esse, licet debitor excipiat, eius se dominum non esse.*
20 *Quid, si non aduersus poßidentem debitorē, sed contra alium rei obligatæ possessorem agamus?*
21 *Inter Pigneratitiam & Hypothecariam actionem quid intersit?*
22 *De pignore, iure honorario, nascitur ex pacto actio.*
23 *Magis hîc voluntatem contrahentium, quàm conceptionem verborum inspici.*
24 *Verba illa:* fide & periculo rerum ad me pertinentium; *quid contineant?*
25 *Quid si cōuenerit, vt nō soluta ad diē præstitutū pecunia, liceat aliquid ex bonis debitoris vendere?*
26 *Pacta commissoria in pignoribus improbantur.*
27 *Inter pignus & hypothecam olim tantùm nominis sonus differebat.*
28 *Hypotheca Græcis quid? et quid hodie à pignore differat? num. 29.*

Item Seruiana & quasi Seruiana (quę etiam Hypothecaria vocatur) ex ipsius Prętoris iurisdictione substantiam capiunt. Seruiana autem experitur quis de rebus coloni, quę pignoris iure pro mercedibus fundi ei tenentur. Quasi Seruiana autem est, qua creditores pignora, hypothecásve persequuntur. Inter pignus autem & hypothecam (quantum ad actionem hypothecariam attinet) nihil interest, nam de qua re inter creditorem & debitorem conuenerit, vt sit pro debito obligata: vtraque hac appellatione continetur, sed in alijs differentia est. Nam pignoris appellatione eam propriè rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maximè si mobilis sit. At ea, quæ sine traditione nuda conuentione tenetur, propriè hypothecæ appellatione contineri dicimus.

¶ *Item Seruiana.*] Est quoddam iudicium possessorium ex interdicto Saluiano, quo adipisci- 1
mur possessionem rerum coloni vel inquilini, nobis obligatarum, de quo nos suo postea loco age
mus. Sed iudicium Seruianum, de quo nunc dicere paramus, magis petitorium est: & confirmato
pignoris nexu tribuit maius quoddam ius posidēdi: quod vidilicet nemo queat eripere, nisi per-
soluta pensione debita Deinde cùm Saluianum interdictum propriè reddatur inter dominum & 2
conductorem tantùm: actio Seruiana datur aduersus alios possessores rerum coloni vel inquilini,
quas nobis esse obligatas constat. Huius autem actionis beneficium præcipuè apparet in rebus 3
inuectis ab inquilino, & fructib. prædij rustici, propter ius tacitæ hypothecæ. Sunt qui huius actio-
nis formulam primam compositam esse credant abs Seruio Sulpitio Iurisconf. proptereaque ap- 4
pellari Seruianam. Quod & si fateamur, nihilominus verum erit ex alicuius Prætoris edicto ius
hoc descendere sicuti & Paulus ait, ex pacto iure Honorario dari actionem de pignore [a]. Nam a-
ctiones in rem ciuiles & directæ, erant vindicationes, quæ ex dominio descendebant. ac propter-
ea Iustinianus actionem Seruianam siue hypothecariam ait ex ipsius Prætoris iurisdictione sub- 5
stantiam capere. ¶ *Experitur de rebus.*] Vt earum possessionem auocet, inquit Papinianus [b], si eam
alioqui non habet: vt sæpe rerum illatarum, & pignori nobis traditarum possessione excidimus.

a L. si tibi. §. de pigno. de pact.
b L. si cum venditor. de euict.

¶ *Coloni.*] Multo magis inquilini, qui est conductor vrbani prædij. Eius enim res inuectæ & 6
illatæ, ipso iure tacitè obligantur locatori, etiam si non conuenerit [c]. Sed in prædijs rusticis ex de- 7
mum obliganrur, quæ sunt inuecta & illata post expressam de pignore cōuentionem. Et hoc qui-
dem discrimen rerum coloni & inquilini (quod mirum est vulgo non fuisse deprehensum) apertè 8
tradit Neratius his verbis [d]; Eo iure vtimur, vt quæ in prædia vrbana inducta, illata sunt: pignori
esse credanrur, quasi id tacitè conuenerit. In rusticis prædijs contrà obseruatur. Cęterùm cùm hunc
quoque locum, vt & quicquid ad pignora & hypothecas pertinet. peculiari tractatu & libro latè
explicare instituerimus, nec ea res aut hic breuiter perstringi posit, aut actionibus inseri debeat,
nunc omitto.

c L. hoc iure. in quib. pig. tac. l. item quia. de pact.
d L. eo iure. D. in qui. cau pig. vel hyp. tac. contrah.

¶ *Quæ pignoris iure ei tenentur.*] Hoc est, vt alio postea loco ait Iustinianus [e], quas colonus pro 9
mercedibus fundi pignori futuras pepigisset. Et Theophilus ipse hic disertè meminit pacti cōuen
ti, rectè sentiens id esse necessarium ad obligandas res coloni. Cæterùm in vrbanis prædijs nulla o-
pus esse conuentione iam dictum est: quia omnia illata ipso iure tacitè obligantur quasi conuene- 10
rit [f]. Quod & specialiter traditum est de fructibus natis in prædio rustico: vt scilicet tacitè intelli-
gantur pignori esse domino fundi, etiam si nominatim id non conuenerit, inquit Pomponius [g].
Sciendum est autem, non minorem esse vim tacitæ quàm expressæ hypothecæ. semper enim ęquè 11
rē transire cum suo onere [h]. Ac pertinet sanè ius tacitę hypothecę, de qua hic agimus, ad ipsius quo- 12
que secundi inquilini, qui à primo conduxit, bona illata [i]. At si colonus alteri locasset fundum, res
posterioris conductoris domino non obligarentur [k]: nempe quòd nulla hic sit tacita hypotheca, 13
nec sit alia, quàm de qua nominatim conuenerit. Obligantur tamen semper fructus perinde atq;
si eos primus colonus percepisset. Sanè vbi secundus inquilinus à priori gratuitam habitationem 14
nactus esset: non obligabuntur quæ intulit [l], cùm nec ipse quicquam debere posit. ¶ *Pro merce-
dibus.*] Ait Pomponius [m]; Non solum pro pensionibus, sed & si deteriorem habitationem fecerit 15
culpa sua inquilinus, inuecta & illata pignori esse obligata. ¶ *Creditores.*] Nempe hypothecarij
quilibet, modò nitantur certo alicuius veri pignoris iure. ¶ *Pignora.*] Sic, vt à multis pignoribus 16
eodem nomine obligatis posint quodlibet in solidum persequi. Est enim hypothecaria actio in-
diuidua, nec scinditur pro hæreditarijs portionibus, vt personalis. Vnde & si pars rei obligatæ alie- 17
naretur, non nisi cum solido transferretur onere. Neque enim est in arbitrio debitoris & potesta-
te, distrahere aut diuidere ius hypothecæ.

e §. interdictum quoq; inf. de interd. &
f L. itē quia. de pact. l. eo iure. D. in qui. cau. pig. taci contrah.
g L. in prædijs. D. in quib. cau. pig. taci.
h L. debitorem C. de pig. l. si debitor. C. de distrah pignor.
i L. solutum. §. solutū. de pigne. act.
k L. sim lege. §. si colonus. D locati.
l L. Pōponius scribit. D in quib cau. pign. taci contrah.
m L. 2. D. illo tit.
n L. 1. & 2 C. si vnus ex plu. hæred.

¶ *Persequuntur.*] Apud quemcunque tandem sit res, quæ vel expressè vel tacitè obligata est [o],
aut etiam si quis dolo eam posidere desijt [p]. Nec alius possessor potest summouere hanc hypothe- 18
cariam actionem, quàm qui rem emit, non ab ipso debitore, sed aliquo priori creditore, eam iu-
re sui pignoris vendente [a]: vel ab hærede, qui beneficio inuentarij vsus est [b]. Porrò cùm pignus per-
sequimur, si quidem agamus aduersus posidentem debitorem, vel eius hæredem, satis est probare 19
rem pignori fuisse datam: nec audietur debitor excipiens se non fuisse dominum. nam de dolo re-
plicaretur, quòd rem alienam dedisset pignori [c]. Vbi tamen generalis esset hypotheca bonorum,
rectè dicere [d] potest, rem, de qua specialiter quæritur, non fuisse comprehensam, vtpote alienam.
Porrò si agatur aduersus alium rei obligatæ possessorem, præter conuentionem pignoris, probare 20
oportebit rem fuisse in bonis debitoris, qui pignori dedit, si id neget possessor. Verùm vbi semel id
probatum fuerit, possessor deinde non poterit rem retinere iure antiquioris hypothecæ, quam ha
bet ab eo debitore, quem negauit dominum. Sed ante omnia cogetur rem autori reddere: deinde
si volet agat. Nam propter mendaciū cōmodo possessionis mul[c]tur, vt est apud Iustin Nou C on
stit. 18. ¶ *Inter pignus & hypothecam*] Inter pigneratitiā autem & hypothecariā actionem multum 21
interest. Propè enim pigneratitia dicitur quæ post solutionem datur vel debitori, vt pignus reci
piat: vel creditori, si quid in pignus impēderit. At hypothecaria est, qua creditor pignus persequi-
tur, vt id teneat donec ei fuerit persolutum. Illa nascitur ex obligatione, quæ re contrahitur [e]: hæc
ex conuentione. Illa est bonæ fidei: hæc stricti iuris. Illa est personalis: hæc realis. Illa semper durat
annis triginta: hæc varium tempus habet [f]. ¶ *De qua re.*] Quacunque, modò non sit ex ijs, quæ pro-
hibentur pignori obligari, vt sunt hæ res, quarum commercium non est [g]. ¶ *Conuenerit.*] Inquit 22
Paulus [h]; De pignore iure Honorario nascitur ex pacto actio.

o L. si debitor C. de distrah. pig l. qui debitorem. C de pignor.
p L. si fundus § in vindicatione. de pignor.
a L. 1. C. si antiq. cred. pign. vend.
b L. vl. C de iur delib.
c L. rem alienam. de pigne. act.
d L. 2. C. vbi in rem act.
e §. vlt. sup quib. mo. re contrah. oblig.
f L. 1. C si adu. cred l. in elligere. C. de luit. pign.
g L. 1. §. eā rē. D quæ res pign. oblig. l. sem. l. qui filios. C. illo tit
h L. si tibi decem §. de pignore. de pact.

¶ *Vt sit*

23 ¶ *Vt sit pro debito obligata.*] Vel alia simili formula conuentionis. hîc enim magis voluntatem
24 contrahentium, quàm verborum conceptionem inspici statuit Iustinianus. Itaque si dictum sit; fide & periculo rerum ad me pertinentium: intelligentur pignori obligatæ omnes meæ res, &
25 quæ postea meæ factæ fuerint [a]. Est & alia magis tacita pignoris constituendi conuentio. Nam si conuenerit, vt non soluta ad diem præstitutum pecunia, liceat creditori aliquid ex bonis debitoris vendere: Papinianus existimauit [b] eiusmodi pacto pignus intelligi contractum. Porrò illud semper in pignoris conuentione obseruandum est, vt tantùm agatur de obliganda re. Nam à principio pacisci non licet, vt si pecunia ad diem non soluatur, res pro debito nostra sit. eiusmodi
26 enim pactum commissorium in pignoribus improbatur [c]. ¶ *In alijs est differentia.*] Scribit Martia-
27 nus [d]; Inter pignus & hypothecam, tantùm nominis sonum differre. nempe quòd altera vox Latina sit; altera verò Græca; à verbo, ὑποτίθεσθαι, quod propriè est debitoris pignori opponentis, ὑποδανειζομένου, [æs alienum contrahentis.] sicut è diuerso ὑποτιθεὶς, est creditoris δανείζοντος. [mu-
28 tuo dantis,] & accipientis pignori datum. Ac Græci quidem ὑποθήκης voce promiscuè vtuntur, tam de re soli, quàm mobili. Sed differentiam, quam Iustinianus hîc tradit, postea vsus inuexit, & Vlpianus eam probat, inquiens [e] propriè pignus esse, quod creditori traditur, à pugno ita appellatum: ideoque consistere in rebus mobilibus. Itaque factum est vt ad alteram speciem contractum sit generale verbum hypothecæ. Idem Vlpianus alio loco ait [f]; propriè pignus dici, quod ad
29 creditorem transit: hypothecam autem, cùm non transit possessio ad creditorem. Cæterùm cùm de pignoribus & hypothecis integrum tractatum aliquando conficere atque in vulgus dare instituam, vti in scholis viua voce docui, plura nunc hac de re non dicam, sed lectorem rogabo, vt quod in hoc genere requirit, ab ea nostra commentatione expectet.

a L. vlti. C. quæ res pig.
b L. creditor. §. post diuisionem. D. qui pot. in pig.
c L. vlti. C. de pact. pig. & lêg. commi. in pig. rescind.
d L. res hypotheca. §. vlt. de pignorib.
e L. plebs. §. pignus. de verb. signif.
f L. si rem alienam. §. propriè. de pignor. act.

§. *In personam quoque.*

1 *Receptitia actio quæ fuerit? & vnde dicta? num. 2.*
3 *Actio hæc est antiquata, & in actionem constitutæ pecuniæ transfusa.*

In personam quoque actiones ex sua iurisdictione propositas habet Prætor: veluti de pecunia constituta. cui similis videbatur receptitia, sed ex nostra Constitutione (cùm & si quid plenius habebat, hoc in actione pecuniæ constitutæ transfusum est) & ea quasi superuacua iussa est cum sua autoritate à nostris Legibus recedere. Item Prętor proposuit actionem de peculio seruorum filiorumq́; familiarum: & eam, ex qua quæritur, an actor iurauerit, & alias complures.

1 ¶ *Receptitia.*] Non satis liquet, quæ fuerit hæc actio, & cur ita appellata. Theophilus indicat eam dari solitam contra Argentarios, constitutæ pecuniæ & promissæ reos, quam vt receptam in
2 rationes retulerant. Sed Iustinianus tradit latius patuisse hanc actionem. & sanè potuit ita vocari
3 à verbo recipiendi: quod sæpe significat promittere. ¶ *Ex nostra Constitutione.*] Extat hæc Iustiniani [g] Constitutio, quæ ait; Omnia, quę de receptitia in diuersis libris posita sunt, aboleri, vt constitutæ pecuniæ actio omnes casus complectatur, qui & per stipulationem possunt explicari. ¶ *Alias complures.*] Vt sunt eæ, quas postea explicat, nempe Tributoria, De in rem verso, Quod iussu.

g L. pen. C. de const. pec.

§. *De constituta.*

1 *Actio de constituta pecunia locum vbi habeat?*
2 *Pecuniæ nomine omnes res significari: seruum quoq; num. 3.*
4 *Pecunia à pecoribus appellata est.*
5 *Mulieres pro alijs constituere cur non possint?*
6 *Qui per alios contrahentes obligantur, ijdem & per alios constituentes obligantur.*
7 *Prætor hoc edicto fauet æquitati naturali.*
8 *Quid, si de certo tempore non conuenerit?*
9 *Constituta pecuniæ reus Græcis dicitur ἀντιφωνητής.*
10 *Constituti effectus quis?*
11 *Vt si per errorem soluenti datur condictio, sic & per errorem promittenti datur exceptio.*
12 *Potest quis constituere, sed quod alius debet, solutorum.*
13 *Nullam prioris obligationis nouationem habet hoc constitutum.*
14 *Constitutum cum fideiussione multa habet communia.*
15 *Constitutum præsupppont debitum.*
16 *Etiam si ex solo iureiurando mihi actio competat, constitui ea potest.*
17 *Potest aliud etiam quàm quod debetur constitui.*
18 *Constitutum impersonale, non obligat.*
19.20 *De coniunctiua & disiunctiua constituti formula.*
21 *In constituto animum constituendi interuenire necesse est.*
22 *De verbis constituendi obseruandis: idq́; inculcatum exemplis, num. 23. 24. 25. 26.*
27 *Vbi interponitur stipulatio, non elucescit Prætoris beneficium.*
28 *Constitutum iniri posse consensu, verbis quibuscunque expresso.*

De constituta autem pecunia cum omnibus agitur, quicunque vel pro se, vel

pro alio soluturos se constituerint: nulla scilicet stipulatione interposita. nam alioqui, si stipulanti promiserint, Iure Ciuili tenentur.

¶ *De constituta autem.*] Hæc actio locum habet, cùm quis sine stipulatione promittit se solu- 1
turum, quod prius debebatur: vt hic intelligas iteratam quandam esse promissionem. Nec fuisse
olim Atheniensibus ignotum huius constituti vsum, apparet ex oratione Demosthenis κατὰ Θεο-
κρίνου: dicebatque etiam κατατίθεσθαι, quod nos, pecuniam constituere. Iustinianus in Nouella sua
Constit. 115. obligationes constitutæ pecuniæ appellat modò ἀντιφωνήσεις, modò ὑποχέσεις.
¶ *Pecunia.*] Admonet alibi Iustinianus [a]; ne miremur, omnes res pecuniæ verbo hic compre-
hendi; quia & veteres definiát, pecuniæ appellatione omnes res significari. Et sanè extant ea de re 2
multa Iurisconsultorum responsa [b]. Paulus [c] etiam pecuniam oblatam dixit, cùm ageretur de
oblato seruo Sticho. Et appellata est à pecoribus pecunia, in quibus olim omnia veterum bona 3
consistebant. Apud Græcos quoque χρημάτων appellatio latissimè patet. Sic enim Aristoteles lib. 4
4. Ethic. ait, χρήματα λέγομεν πάντα, ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται. [pecuniam appellamus omnia,
quorum precium numo æstimatur, seu quicquid æstimatione & precio definitur.] Et Socrates
apud Xenophontem lib. 1. Oecon. coniungit χρήματα καὶ κτήματα. significans ea omnia, quæ ad vi-
tam tuendam conducunt, & quibus probè vti possumus. Nam & id χρῆσθαι significat.
¶ *Cum omnibus.*] Qui scilicet constituere potuerunt. ne miremur non agi cum pupillo, qui si-
ne tutore constituit. nam id facere non poterat [d]. Sed nec mulieres, si pro alijs constituerint, tene- 5
ri aut obligari possunt. est enim hæc species quædam intercessionis, à qua per Senatuscon. Vel-
leianum mulieres repelluntur. Sed vbi nulla esset intercessionis species, veluti si mulieres pro se
constituant: valebit coustitutum, & ex eo mulieres obligabuntur [e]. Porrò hîc notandum est; eos, 6
qui per alios contrahentes obligantur, obligari etiam per alios constituentes: vt pater per filium-
fam. [f] Sanè pater ipse, si filij debitum constituat, si quidem id agat pro illa sua obligatione qua
tenebatur, non nisi peculio tenus cõuenietur ex constituto: at si pro filij obligatione, in solidum [g].
¶ *Agetur.*] Vlpianus loquens de pecunia constituta. Hoc edicto (inquit [h]) Prætor fauet na- 7
turali æquitati, qui constituta ex consensu facta custodit: quoniam graue est fidem fallere. Porrò 8
& si de tempore certo non conuénit, non poterit statim agi, sed modicum tempus, nempe decem
dierum interponitur, priusquam exactio celebretur, inquit Paulus [i]. Certè ex Nouella Iustiniani
Constit. 4. non nisi excusso principali debitore, agi potest aduersus ἀντιφωνητὴν, quem nos consti-
tutæ pecuniæ reum dicimus. ¶ *Prose.*] Nec est inutile hoc constitutum. adijcit enim nouam a- 9
ctionem, quæ & valida erit & perpetua, etiam si prior obligatio infirmior erat [k], & temporalis [l]. & 10
vbi vetus illa esset sublata, hæc noua remaneret: sicuti e diuerso, si de constituta pecunia aduersa-
rius iurauerit, nihilominus ex priori adhuc obligatione tenetur [m]. ¶ *Pro alio.*] Et tanquam pro
alio. Nam si per errorem pro se & tanquam à se debitum constituat, quod alius debet, non teneri
eum respondit Scæuola [n]. Et sanè si per errorem soluenti quod alius debet, datur condictio [o]: 11
multo magis per errorem promittenti dabitur exceptio [p]. Sed vbi quis nominatim & sciens 12
prudensque constituit se pro alio soluturum, valet constitutum: magnaque est eius vis, hîc enim
creditor duos debitores nanciscitur. & priusquam solidum sit persolutum, vterque est obligatus [a].
Nullam itaque prioris obligationis nouationem habet hoc constitutum. nam & magis adijcitur 13
eius confirmandæ causa, velut quædam fideiussio: habetque ideò multa cum fideiussione com- 14
munia [b]: veluti beneficium diuisionis, & excusionis. ¶ *Soluturos.*] Nempe id, quod prius aliquo 15
modo debebatur [c]. nam alioqui non constat constitutum: etiam si ab eo ineatur, qui non ignorat
nihil deberi. Satis enim apparet eum ludere & nihil agere, qui promittit debitum alienum, quod
scit nullum esse. Vbi autem aliquid qualitercunque debetur: rectè constituitur. Nam etsi ex solo 16
iureiurando mihi competat actio, poterit ea constitui [d]. Item & si quid ex delicto debeatur [e].
Quòd si quis constituerit se soluturum sortem debitam, simul etiam vsuras: si prius vsuræ non de-
bebantur, non nisi nomine sortis valebit constitutum: nec aliter vsuræ peti poterunt, quàm si fue-
rint stipulanti promissæ [f]. Porrò autem vbi aliquod debitum simpliciter constituitur: idem o-
mnino eademque conditione debebitur ex constituto [g]. Potest tamen aliud constitui, quàm 17
quod debetur. Vt si cùm centum aurei deberentur: constituerit quis frumentum eiusdem precij
soluere [h]. Quod si quis simpliciter constituat se satisfacturum: liberabitur datis pignoribus vel fi-
deiussoribus [i].
¶ *Se.*] Sed etsi constituas alium pro te soluturum, non erit inutile constitutum: quanquam
ille alius non teneatur ex constituto. Sicuti & vbi constitueres alium pro te fideiussurum [k]. Sed si
constituas alium pro te soluturum, non teneris [l]. tunc enim tantùm videris reddere quoddam
testimonium eius fidei & facultatis. Quod si quis ἀπροσώπως. [impersonaliter] dixerit, Satis tibi 18
fiet: nec eo nomine obligatur; vt statuit Iustinianus in Nou. Constitut. 115. vbi explicat & alias 19
quasdam constituti formulas. Vt si quis dixerit, Fiet tibi satis & à me & ab illo: alium non consen- 20
tientem non obligat, sed se tantùm, & pro rata solùm parte. at si disiunctiuè promiseris, Aut à me,
aut ab illo: in solidum solus tenebetis ex constituto. ¶ *Constituerint.*] Interueniente scilicet ani 21
mo constituendi: quem etiam in vtroque contrahente desideramus. Nam respondit Vlpianus [m];
Eum, qui inutiliter stipulatus est, cum stipulari voluerit, non constitui sibi; de constituta experiri
non posse: quoniam non animo constituentis, sed promittentis factum sit. Porrò diligenter hîc 22
discernere debemus verba constituendi, & ea quæ tantùm pertinent ad fidem alicuius rei, confes-
sionemque

a dic. l. pen. §. & nemine.
b L. pecuniæ appellatione. l. pecuniæ verbum. l. pecuniæ nomine de verb. signif.
c L. interdum. §. vlt. de verb. oblig.
d L. 1. §. de pupillo. de constit. pecu.
e dic. l. 1. §. 1.
f dic. l. 1. §. sed & si filiusfa.
g dic. l. 1. ad fi. cum le. seq.
h dic. l. 1.
i L. promissor Stichi. §. 1. D. illo tit.
k L. 1. §. debitum autem. D. illo tit.
l L. item illa. §. quod adijcitur. D. illo tit.
m L. si actor. de iureiur.
n L. vlt. de const. pec.
o L. si pœna. §. 1. de condict. inde.
p L. cui damus. de reg. iur.
a L. vbi quis. de consti. pec. l. si filiusfa. de in rem ver.
b L. vlt. C. de consti. pec.
c L. 1. §. debitum autem. l. eũ qui. §. quod exigimus. de constit. pec.
d L. illud. §. si iureiurando. D. illo tit.
e L. qui iniuriarum. D. illo tit.
f L. hæsitum §. vlt. l. Titio Seio. de consti. pec.
g L. id quod. de const. pec.
h L. 1. §. an pot. D. illo tit.
i L. promissor Stichi. §. vlt. de constit. pec.
k L. quis autem. § 1. de constit. pec.
l L. eum qui. §. Iulianus. D. illo tit.
m L. 1. §. eum qui. D. illo tit.

sionemque & agnitionem: ne temerè ex his, sicuti ex illis, aliquam nouam confingamus obliga-
tionem. Cuius rei satis admonemur eleganti Scæuolæ responso. quod extat his verbis [a]; L. Titius *a L. vlt. de instit. act.*
23 mensæ nummulariæ, quam exercebat, habuit libertum præpositum. Is Caio Seio cauit in hæc ver-
ba; Octauius Terminalis rem agens Octauij Felicis, Domitio Felici salutem; Habes penes men-
sam patroni mei denarios mille: quos vobis numerare debebo pridie Caleudas Maias. Quæsitum
est, L. Titio defuncto sine hærede, bonis eius venditis: an ex hac epistola iure conueniri Termi-
nalis possit. Respondi, Nec iure his verbis obligatum, nec æquitatem conueniendi eum, superes-
se: cùm id ex institoris officio ad fidem mensæ præstandam scripsisset. Hactenus Scæuola: qui iudi-
cat institorem Terminalem solùm agnouisse sua epistola rationem officij quod gerebat, & cuius
nomine rectè poterat conueniri. Sed iam vbi desijt esse inst tor, amplius conueniri non posse:
24 quia non constituerit se soluturum, sed tantùm significarit rationem illius sui officij. Alia autẽ spe-
cies est in responso Marcelli; vbi is, qui iam desierat esse tutor, promisit se soluturum, quod apud
eum remanserat reliquum, alteri debitum. Obligatur enim ex constituto: quia cùm iam desijsset
esse tutor redditis rationibus, si promittit illud reliquum, non potest videri tantùm significâsse
fidem officij tutelaris. Verba Marcelli sunt hæc [b]: Titius Seio epistolã misit in hæc verba: Reman- *b L. Titius Seio. de*
serunt apud me quinquaginta ex credito tuo, ex contractu pupillorum meorum: quos tibi red- *constit. pec.*
dere debebo Idibus Maij probos. quòd si tibi ad diem suprà scriptum non dedero, tunc debebo
dare vsuras tot. Quæro, an L. Titius in locum pupillorum ad cautionem reus successerit. Marcel-
25 lus respondit; Si intercessisset stipulatio, successisse. Item quæro, si non successisset, an de constituta
teneatur. Marcellus respondit; In sortem teneri. est enim humanior, & vtilior ista interpretatio.
Hæc Marcellus. Rationem autem huius interpretationis iam diximus, quòd hic L. Titius iam de-
sijsset esse tutor. promittit enim id, quod apud eum remansit, redditis scilicet iam rationibus. Ita-
que nõ potest intelligi tantùm id scripsisse nomine tutorio, vt ille Terminalis institor in respon-
26 so Scæuolæ. Rursus memorabile est, quod apud eundem Scæuolam, tertius aliquis agnoscendo se
à debitore habere, quod creditori soluit: intelligatur sese obligare. quanquam si id ab ipso debito-
re diceretur, veluti; Quod tibi debeo, penes me habes: magis intelligerentur esse verba debitum a-
gnoscentis, quàm nouam aliquam obligationem contrahentis. Verba Scæuolæ sunt hæc [c]: Qui- *c L. quidam. de con-*
dam ad creditorem literas huiusmodi fecit: Decem, quæ L. Titius ex arca tua mutuo acceperat *stit. pec.*
(salua ratione vsurarum) Domine penes me habet. Respondi secundũ ea, quæ proponerentur, a-
27 ctione de constituta pecunia eum teneri. ¶ *Nam alioqui.*] Quasi dicat Iustinianus: Vbi interponi-
tur stipulatio, non elucescit Prætoris beneficium, tuentis sustinentisq; constitutum. Itaq; vt pro-
poneretur pura puta forma constituti, quod tam pro se quàm alijs fieret: quodq; niteretur solo be-
neficio Prætoris, & vim suam exereret: rectè Iustinianus eam hic nudam proposuit. Sed interim
non negat, quin aliquando constitutum, saltem pro se, rectè contrahatur, interueniente etiam sti-
28 pulatione. Potest ergo constitutum initi consensu quibuslibet verbis expresso [d].

d L. qui autem. §. vl. de constit. pec.

§. *Actiones.*

1 Actio de peculio an sit distincta species actionis per se?
2 Tot numerari posse Actiones de peculio, quot sunt principales actiones quibus obligatur filiusfa. aut seruus.
3 Actio de peculio propriè quid? & cuius natura?
4 De profectitio tantum peculio hic agitur; non de Aduenticio; multo minus de Castrensi.
5 Patri hæc actio cur non detur?
6 Actiones hæ dantur aduersus patrem etiam prohibentem cum filio contrahi. fallit num. 7.
8 Quid, si quis serui dominus non sit, sed tantum bona fide alienum possideat?
9 An ex delicto in patrem detur Actio de peculio?
10 Filiofam. condemnato semper in patrem datur iudicati actio de peculio.
11.12 Filiorum & seruorum non vbiq; par causa est.
13 Quid, si non peculio tenus, sed vltro solidum fuerit solutum?
14 Si quid filiofamilias debeatur, in solidũ aget pater.
15 Ipsos filiosfamilias qui contraxerunt, in solidum teneri: sed sui iuris factos non nisi quatenus facere possunt.
16 Sola administratio peculij profectitij est filijfa. proprietas, & possessio patris est.

Actiones autem de peculio, ideò aduersus patrem dominúmve comparauit Prætor: quia licet ex contractu filiorum seruorúmve ipso iure non teneantur: æquum tamen est peculio tenus (quod veluti patrimonium est filiorum filiarumque, item seruorum) condemnari eos.

¶ *Actiones autem de peculio.*] Multitudinis numero hìc vtitur, quòd actio de peculio non sit v- *e L. cùm autem. §. si*
nius alicuius generis, sed varia: vtpote cùm non sit certa species actionis. verùm potius quædam *seruus. de ædil. edict.*
1 adiectitia qualitas aliarum actionũ: vt tot enumerari possint actiones de peculio, quot sunt prin- *f L. 3. §. cui congruit. de pecul.*
2 cipales actiones, quibus obligatur filiusfam. aut seruus. Sicque dicitur [e] Ædilitia actio de pecu- *g L. depositi de pec.*
lio: Et actio mandati de peculio [f]: & actio depositi de peculio [g]: & denique actio tutelæ de pecu- *h L. 1. C. quod cum eo qui in alie. pot. est.*
4 lio [h]. Ac quoniam hæc actio de peculio, non nisi quædam est qualitas, accessio, & veluti appendix: *i L. cum post D. quando actio de pecu. ann. est.*
sit eius naturæ & conditionis, cuius est principalis actio, cui adijcitur. Vt si ex causa redhibitionis
sit de peculio actio: non nisi sex mensibus ex ea poterit pater conueniri [i].

¶ *De peculio.*]

¶ *De peculio.*] Profectitio. De eo enim hîc agitur. & hoc solùm pertinet ad hanc actionem. 4
Peculium autem aduentitium, huius loci non est: & ex eo pater non nisi nomine filij, cuius est
proprietas, & tanquam legitimus administrator, conuenitur [a]. Multo minus castrense peculium
huc pertinet: cùm eius nomine filius ipse conueniatur [b], & in eo habeatur pro patrefam. [c] ¶ *Ad- 5*
uersus patrem.] Ipsi autem patri hæc actio non datur: quia nec ea opus habet: quum sine actione
possit suo iure, suaque autoritate de peculio deducere, quod ei filius debet [d]: adeò vt nec vllius cre-
ditoris priuilegio hic cedat [e]. ¶ *Patrem.*] Etiam si is prohibuisset cum filio contrahi [f], nihilomi- 6
nus enim tenetur tantisper dum permittit filio peculium. eo adempto (modò non faciat id im- 7
probè in fraudem alicuius [g]) potest effugere nexum obligationis, quam filius contraheret. Sed
creditores cum filio agere poterunt, inquit Paulus [h]. ¶ *Dominum.*] Vel dominam, etiam impu-
berem. non enim cum ipsis impuberibus hîc contrahitur, vt tutoris autoritatem morari debeas [i].
Quod si quis dominus non sit, sed alienum seruum bona fide possideat: electionem habebit cre- 8
ditor serui, an hic possessor conueniatur, an verus dominus: præterquam in vno casu à Papiniano
proposito [k]. ¶ *Licet ex contractu.*] Vel quasi ex contractu. multo minus ex delicto: ex quo ne de 9
peculio quidem actio in patrem datur [l], nisi quatenus inde locupletatum esset peculium. Sanè &
filiofa. condemnato, semper datur in patrē iudicati actio de peculio, etiā eius actionis nomine, ex 10
qua pater alioqui de peculio conueniri non potuisset. quia in iudicio contrahi videatur: ac proin-
de non originem iudicij spectandam, sed ipsam iudicati veluti obligationem, inquit Vlpia-
nus [m]. Sed & vbi delictum concluderetur actione ex contractu: poterit pater de peculio conue-
niri: veluti si in deposito vel tutela filiusfam. dolo versatus sit [n].

¶ *Filiorum seruorúmve.*] Horum solet esse par causa, at non perpetuò, ne in hac quidem de pe- 11
culio actione. Nam si filiusfa. iudiciū subierit, & condemnatus sit: conuenitur pater de peculio [o].
non autem dominus, si cum seruo actum esset. Vnde & Vlpianus [p], Si filiusfam. (inquit) iuiu-
randum detulerit, & iuratum sit: de peculio danda est actio, quasi contractum sit. Sed in seruo di-
uersum est. Rursus econtrariò est, vbi dominus magis obligatur, quàm pater. Nam si seruus acce- 12
perit mutuum: conuenitur dominus de peculio. at non etiam pater, vbi filiofam. datum esset mu-
tuum: quia obstat Senatusconsultum Macedonianum.

¶ *Peculio tenus.*] Si tamen vltro solidum fuerit solutum, non repetitur [a]: & creditores à patre
conuenti, solidum debitum poterunt compensare [b]. Sanè si quid filiofa. debeatur: in solidum aget 13
pater [c]: quanquam is filij nomine non nisi peculio tenus conueniri soleat: præterquam actioni- 14
bus Institoria, Quod iussu, De in rem verso. De quibus iudicijs nos alio postea loco agemus.

¶ *Condemnari eos.*] Ipsi autem filijfa. qui contraxerunt, in solidum tenentur & condemnan-
tur [d]: saltem tantisper dum sunt filijfam. & in patria potestate. Nam sui iuris facti non nisi quate- 15
nus facere possunt. condemnantur ex contractu tunc inito, cùm essent filijfa. [e]

¶ *Veluti patrimonium.*] Reuera autem non est: cùm hoc iure sola peculij profectitij, de quo hîc
agitur, administratio esset filijfam. proprietas autem atque adeò possessio, ipsius patris [f]. quan-
quam bonis patris publicatis separetur hoc peculium, & filiofam. tribuatur [g].

a L. non solùm. C. de bon. quæ libe.
b L. ex castrensi. §. vl. de pecul.
c L. 2. D. ad Senat. Maced.
d L. peculium autem deducto. de pecul.
e L. ex facto. de pec.
f L. si quis seruum, in fi. D. illo tit.
g L. summa. D. illo ti.
h L. & ideò. D. illo ti.
i L. 3. §. parui autem refert D. illo tit.
k L. eo tempore. § seruus alienus. D. illo tit.
l L. 3. § ex furtiua. D. illo tit. l. 1. §. cum seruum. de ijs qui deie. vel effud. l. ex pœnalibus. de reg. iur.
m dic. l. 3. §. idem scribit iudicati. de pecul.
n L. depositi. D. illo ti. l. 1. D. quod cum eo.
o L. 3. §. idem scribit iudicati de pecul.
p L. deposit. §. 1. de pecu.

a L. si n. de condict. indeb.
b L. si cum filiofa. de compens.
c dic. l. si cum filiofa. & l. nec seruum. de pecul.
d L. ex contractibus. de iud. l. filiusfa. 2. de act. & oblig.
e L. 2. D. quod cum eo qui in alie. pot.
f L. certum. C. fami. ercis. l. 3. §. saltus l. peregrè. §. quæsitum. de acqui poss.
g L. 3. §. sed vtrum. da minor.

§. *Item si quis postulante.*

1 *Expediendarum litium iurisiurandi religio remedium est.*
2 *Iurisiurandi quanta semper autoritas fuerit?*
3 *Reus ex iureiurando suo in personalibus iudicijs solam sibi exceptionem parit.*
4 *Improbum est offerre suum iusiurandum.*
5 *Si reus Actori iusiurandum non deferat, Actor ipsi deferre potest: is q; iurare nolens, referre cogitur.*
6 *Ἀοῦναι ὅρκον, & dare iusiurandum, non sunt idem.*
7 *Procurator iuramentum deferens an audiendus?*
8 *De iureiurando quod Iudex defert supplendæ probationis causa hic non agitur.*
9 *Ea forma iurandum, qua delatum est iusiurandum.*
10 *Iusiurandum quædam pars diuini cultus est.*
11 *Qui delati iurisiurandi conditione vult vti, ne cunctetur.*
12 *Non minus ex remisso quam præstito iuramento agi potest.*
13 *Iusiurandum ei tantum qui detulit nocere debet.*
14 *Quibus ex iureiurando alieno competat actio?*
15 *Dato iureiurando remittitur quæstio, An debeatur? neque is audietur qui de periurio exciperet, numer. 16.*
17 *Pœnæ Periurij quæ? & num. 18. 19. 20.*
21 *Si quis ex iureiurando quòd præstitit me conueniat quibus exceptionibus vti possim?*
22 *Quid, si quis in fraudem creditorum iusiurandum detulerit debitori?*
23 *In iusto iureiurando quæ desiderentur?*

Item si quis postulante aduersario iurauerit, deberi sibi pecuniam, quam peteret, neque ei soluatur: iustissimè accommodat ei talem actionem, per quam non illud quæritur, an ei pecunia debeatur, sed an iurauerit.

¶ *Item si quis.*] Inquit Caius [h]; maximum remedium expediendarum litium esse iurisiurandi 1
religionem. Additque Paulus, maiorem eius esse autoritatem, quàm rei iudicatæ. Certè legimus 2
olim Numam Pompilium sanxisse apud Romanos, vt dubij contractus iureiurando terminarentur. Et Diodorus Siculus testatur magnum Iurisiurandi vsum fuisse apud Aegyptios. Notumque

h L. 1. de iureiur.

3 que est, quod Apostolus scribens ad Hebræos cap. 6. ait: πάσης ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν, ὁ ὅρκος.
[omnis controuersiæ finis ad confirmationem est iuramentum.] ¶ *Si quis.*]Actor. Nam de eo
propriè hic agimus. Reus autem ex suo iureiurando, quod delatum præstitit, solam, saltem in per-
sonalibus iudicijs, exceptionem sibi parit: de qua suo postea loco dicemus. Certè in realibus iudi-
cijs, siquidem iurârit rem, de qua quærebatur, verè suam esse: non modò habebit exceptionem,
qua suam possessionem tueatur: sed & actionem, si fortè res possideatur ab eo, qui iusiurandum
detulerat[a]. ¶ *Postulante.*] Hoc est, iusiurandum deferente. Neque id (inquit Vlpianus[b]) fru-
4 stra adijcimus: quia si quis iurarit nemine deferente, Prætor non tuetur hoc iusiurandum. Et est
5 sanè (inquit Fabius) improbum, offerre suum iusiurandum. Quòd si reus non deferat actori
iusiurandum, poterit actor ex iusta causa illi ipsi deferre. qui si nôlit iurare, nec habeat iustam
recusandi causam: cogetur referre deferenti. alioqui manifestæ turpitudinis argueretur[c]. Tractat
6 hunc locum Aristoteles lib. 1. Rhetor. apud quem δοῦναι ὅρκον est quod hîc dicimus deferre alteri ius-
iurandum. Apud Terentium verò in Adelph. dare iosiurandum significat iurare. & apud Vl-
pianum[d], datum dicitur iusiurandum, vbi iuratum est. ¶ *Aduersario.*] Vel eius procuratore,
qui aut vniuersorum bonorum administrationem sustinet, aut speciale mandatum habet, aut in
rem suam procurator est[e]. Aliàs autem procuratorem, qui deferret iusiurandum, non audiri con-
7 stat[f]. Porrò aliud est quoddam iurisiurandi genus, quod non aduersarius defert, sed iudex sup-
8 plendæ probationis causa[g], Sed de eo hîc non agitur. ¶ *Iurarit.*] Ea forma, qua delatum est ius-
9 iurandum. Nam (inquit Vlpianus[h]) iurare oportet, vt delatum est iusiurandum. Additque
Vlpianus, non esse ratum iusiurandum, si ego detuli, vt per Deum iurares, tu verò aliter iurâris.
Quod autem subijcit, omne omnino licitum iusiurandum, per quod voluit quis sibi iurari, ido-
neum esse: ita nos probamus, vt non aliam tamen putemus esse licitam piamque iurisiurandi ra-
10 tionem, quàm per Deum verum. Nam præcipit Dominus Deus noster iurari per nomen suum: &
iudicat hanc esse quandam partem diuini cultus interpretaturq; argumentũ esse defectionis, vbi
quis deierat per alienos deos. Extat quoque decretum Synodi Constantiopolitanæ in Trullo, τοὺς
ὀμνύοντας ὅρκους ἑλληνικοὺς, ὁ κανὼν ἐπιτιμίοις καθυποβάλλει, καὶ ἡμεῖς τούτοις τὸν ἀφορισμὸν ὁρίζομεν. [Iurantes iu-
ramenta Ethnica, canon pœnis subijcit, & nos eosdem excommunicandos decernimus. Canon,
94.] Illud porrò hîc adijciendum est, quod ait Vlpianus[i]; Si neq; iuratum est, neq; remissum ius-
iurandum: pro eo debet haberi, atque si res in iusiurandum admissa non esset. Proinde si postea
iurare paratus sit, nihil ei hoc iusiurandum proficiet: quia ex eo, quod delatum est, iuratum non
11 est. Ergo qui delati iurisiurandi conditione vult vti, nec cunctetur aut hæreat. Periculum enim
12 est, ne interea pœniteat aduersarium delationis, & rem reuocet ad iustas probationes. Quòd si ius-
iurandi semel receptum, ei qui iurare paratus erat, vltro remissum fuerit non minus ex remisso,
quàm præstito iureiurando actio competet[k]. ¶ *Deberi.*] Etiam si non addatur causa, ob quam
debeatur. Semper enim satis intelligitur ea ipsa causa, de qua quærebatur: & ad eam refertur ius-
iurandum[l], sicut iudicis sententia ad acta ipsius litis[m]. Quòd si fuerit reale iudicium, & iuraueri-
mus rem nostram esse: facilè intelligetur generalis causa dominij, competetque mihi ex hoc iure-
iurando vtilis rei vindicatio, sed non nisi aduersus eum, qui detulit iusiurandum, eiúsve hęredem.
13 Ei enim soli nocere debet iusiurandum, qui detulit, inquit Marcellus[n]: cui suffragantur Vlpia-
14 nus[o] & Paulus[p]. ¶ *Sibi.*] Sed & si iurârit tutor deberi pupillo, vel procurator domino: competet
etiã sine cessione, actio pupillo vel domino ex alieno iureiurando[a]. ¶ *Pecuniã*] Inquit Vlpianus[b]:
iusiurandum & ad pecunias, & ad omnes res locum habet. Idem[c], Quacunque (inquit) actione
quis conueniatur: si iurauerit, proficiet ei iusiurandum. ¶ *Accommodat et.*] Vel eius hæredi, vel
etiam singulari successori ipsius rei, de qua iuratum esset. Nam & è diuerso, si reus iurârit non de-
beri, tuebitur Prætor non eum modò, sed etiam eum, qui in locum eius succedit[d], etiam si in rem
15 successerit, inquit Paulus[e]. ¶ *Non illud quæritur.*] Inquit Vlpianus[f]; Dato iureiurando, non aliud
quæritur, quàm an iuratum sit, remissa quæstione an debeatur. quasi satis probatum sit iureiuran-
16 do. Ergo nec is audietur, qui de periurio exciperet: cùm nec eo probato vlla sit actio[g]. Nam (in-
17 quit Paulus[h]) sufficit periurij pœna. Cicero libro secundo de Legibus ait; periurij pœnã diuinam
esse, exitium: humanã, dedecus. Quanquam Iustinianus grauius puniri periurium voluerit, præ-
sertim si non modò cum mendacio, sed & cum blasphemia coniunctum sit. Neque sanè ipsi Iu-
18 risconsulti omnino impunitum esse voluerunt periurium. Nam & Modestinus ait[i]. de periurio;
Si sua pignora esse quis in instrumento iurauit, crimen stellionatus fieri: & ideo eum ad tempus
exulare. Et quàm seueri fuerint Honorius & Arcadius, aduersus eum qui pactionem iureiurando
19 sancitam infringit, notum est[k]. Sed & periurium in iudicijs admissum, voluerunt Iurisconsulti
20 extra ordinem coërceri. quanquam Paulus noluerit facilè de eis periurio quæri, qui iuris necessita-
te, in litem iurat[l]. Et Alexander Imp. temperâsse videtur seueritatem veterum Constitutionum,
quibus periurium paulo acerbius puniebatur[m]. Nam & meminisse nos voluit, eius quoque vlto-
21 rem fore Deum, quem nisi metuamus, nulla erit iurisiurandi religio. Porrò si quis ex iureiurando
quod præstitit, me conueniat: vti potero ijs exceptionibus, quæ iurisiurandi vim & religioné non
subuertunt. Vt si quis cùm iurâsset me vendidisse, rem petat: excipere potero, vt precium soluat
nisi de eo quoque soluto nominatim iuratum[n] sit. Illud postremò notandum est, quod respondit
Vlpianus[o]; Si quis in fraudem creditorum iusiurandum detulerit debitori: aduersus exceptio-
nem iurisiurandi, replicationem fraudis creditoribus dari. Hic itaque post iusiurandum quæri
poterit, an debeatur.

¶ Sed

a L. sed et si possessor. de iureiu.
b L. 3. §. 1. D. illo tit.
c L. manifestæ. de iureiu.
d L. 6. §. dato l. 9. nam postea. de iureiur.
e L. iusiurandũ quod ex conuentione. §. vl. D. illo tit.
f L. aliàs autem. D. illo tit.
g L. admonendi. D. illo tit. l. in bonæ fidei. C. de reb. cred.
h L. 3. §. vlt. de iureiur.
i L. non erit. §. vlti. de iureiur.
k L. remittit. D. eo tit. l. actori. C. de rebus cred.
l L. si actor. de iureiur.
m L. in summa. de iud.
n L. eum qui. §. si petenti. de Publicia. in rem act.
o L. nam & postea. §. vlt. de iureiur.
p L. qui a non debet. D. illo tit.
a dic. l. nam & postea. §. iusiurandũ defensoris.
b L. iusiurandum & ad pecunias. D. illo tit.
c L. 3. §. quacunq. D. illo tit.
d L. nã Prætor. 2. in fi. D. illo tit.
e L. etiam. D. illo tit.
f L. non erit §. dato. D. illo tit.
g L. quod si deferente. de dolo malo.
h L. nam si is sinit. de dolo malo.
i L. vlt. de crim. stellion.
k L. si quis maior. C. de transact.
l L. vlt. de in litem iuran.
m L. 2. C. de reb. cred.
n L. si duo patroni. §. si quis iurauerit. de iureiur.
o L. nam & postea. §. sed & si quis. D. illo tit.

¶ *Sed an iurauerit.*] Vel etiam an ritè iurârit, & ea forma, qua oportuit, & an in ea causa in qua 23
iurari poteſt. Denique & an is iurârit, qui iurare potuit: & an eo deferente, qui potuit deferre. Hæc enim omnia in iuſto iureiurando deſiderantur.

§. *Pœnales.*

1 Pœna quid? & actiones pœnales vnde dicantur? numer. 2.
3 Edicti Prætorij verba.
4 Eorum, qui ſoluendo non ſunt, corpus torquetur.
5.6 Qui edicta propoſita dolo malo corrumpunt, inq́; tabulis publicis aliquid delent, quibus pœnis plectantur?
7 An corrupiſſe temporaria Iudicum edicta impune ſit?
8 Album quid? inq́; eo publicè olim edicta Prætorum proponi conſueuiſſe. num. 9.
10 Quid, ſi quis per imperitiam vel caſu album corruperit?
11 Quid, ſi plures corruperint?
12.13.14 Prætor quomodo, a filio patri diem dici, ſine precatione venia, vetuerit?
15 Imperitia hoc caſu filium libertúmve non excuſat.
16 Patroni qui hoc loco ſint accipiendi? item parentes qui? num. 17.
18 Quid, ſi filius procuratorio nomine parentem in ius vocârit?
19 Quid, ſi filius libertúſve tutor ſit?
20 Conueniendi parentis veniam nominatim oportet impetrare.
21 Neminem hodie in iudicio exhibendum eſſe, niſi de cuius exhibitione Iudex pronunciârit.
22 In eum qui vi exemerit in factum iudicium quomodo detur?
23 Quid, ſi plures vi exemerint?
24 Quid, ſi ſeruus ſciente domino exemerit?
25 Quid, ſi dolo malo ſine vi quis prohibitus ſit ne in ius iret?
26 Eximere in ius vocatum Demoſthenes quomodo appellet?
27 An in ius vocatū, ſi ire nolit, vi rapere liceat, et nu. 28.
29 Quid, ſi per alium quis exemerit?
30 Edictum de eo per quem factum erit, quo minus quis in iudicio ſiſtat, vbi valeat?

Pœnales quoque actiones Prætor multas ex ſua iuriſdictione introduxit, veluti aduerſus eum, qui quid ex albo eius corrupiſſet: & in eum, qui patronum vel parentem in ius vocaſſet, cùm id non impetraſſet: item aduerſus eum, qui vi exemerit eum, qui in ius vocaretur, cuiúſve dolo alius exemerit, & alias innumerabiles.

a L. ſeruus. de ſer. export.
b L. ſi quis id quod. de iuriſd.

¶ *Pœnales quoque.*] Quicquid ex bonis noſtris non eſt, appellatur pœna [a]. Vnde actiones pœ- 1
nales dicuntur, quæ continent aliquid extra noſtrum patrimonium: & quibus pœnam perſequi- 2
mur, & ab eo, cui nihil adeſt, petimus. ¶ *Veluti aduerſus eum.*] Edicti Prætorij verba hæc ſunt [b]: 3
SI QVIS ID QVOD IVRISDICTIONIS PERPETVÆ CAVSA, NON QVOD, PROVT RES INCIDIT, IN ALBO, VEL IN CHARTA, VEL IN ALIA MATERIA PROPOSITVM ERIT, DOLO MALO CORRVPERIT: DATVR IN EVM QVINQVAGINTA AVREORVM IVDICIVM: QVOD POPVLARE EST. Porrò ne quis inopia ſua fretus contemnat hoc iudicium, addit Vlpianus; Eo-

c L. 1. §. generaliter. de pœnis. L. vlt. de in ius vocan.
d L. 3. D. ad leg. Corn. de falſ.
e L. qui tabulam. D. ad leg. Iul. pecul.
f L. ſi quis id quod. de iuriſdict.

rum, qui ſoluendo non ſunt, corpus torqueri. Nec id in iure noſtro infrequens eſt [c] Rurſus ne quis 4
ſuis diuitijs fretus, contempta pecuniaria pœna, habeat ludibrio Prætoris autoritatem: meminerimus quod ait Modeſtinus [d]; Eos qui edicta propoſita dolo malo corrumpunt, falſi pœna plecti: 5
quòdque reſpondit Venuleius [e]; Eum, qui quid in tabulis publicis deleuerit vel induxerit, teneri 6
Lege Iulia peculatus. ¶ *Quod*] Quod propoſitum erat ad vſum publicum & perpetuum. Cæterùm ſi quid fuiſſet temporarium & priuatum, veluti de aliquo in ius vocando, aut aliquid eiuſmodi, prout res incidit: non haberet locum hæc actio [f]. Nec tamen omnino fuerit impunè, corru- 7
piſſe temporaria Iudicum edicta, de re fortè incidenti propoſita. Nullus enim quamliber leuis contemptus Prætoris, impunitus eſſe debet. Itaque pœna ſtatui poterit extra ordinem pro qualitate perſonæ & delicti. ¶ *Ex albo.*] Album erat quædam tabula gypſata, quam Iulius Pollux ap- 8
pellat λεύκωμα. Suidas putauit fuiſſe parietē dealbatū: ſed eum falli vel hinc animaduertere poſſumus, quòd etiam traditum ſit eum teneri hac actione, qui album ſuſtulerit, quamuis non corruperit. Atqui murum vel parietem ita non poſſe tolli manifeſtum eſt. Porrò fuit moris olim, in al- 9
bo publicè proponere Prætorum edicta pro Roſtris, ſicut apud Athinienſes πρὸς τῶν ἐπωνύμων εἰκόνας [ad eiuſdem nominis ſtatuas] ¶ *Corrupiſſet.*] Vel ſuſtuliſſet: vel ſanè alterum horum fieri man-

g dic. l. ſi quis id quod. §. doli mali.

dâſſet. Fit autem doli mali mentio in ipſo edicto, quia (inquit Vlpianus [g]) ſi per imperitiam vel 10
ruſticitatem, vel caſu aliquis id fecerit, nō teneatur. Porrò addit idem Vlpianus; ſi plures corrupe- 11
rint: omnes in ſolidum teneri. Adeò, vt ſi plures ſerui album corruperint: dominus pro ſingulis in ſolidum teneatur: quia ſunt hic plura facta, & quiſque aliquid conferens ad album corrumpendum læſerit maieſtatem Prætoris. Sed ſi plures ſerui mandâſſent tantùm: quanquam plura ſint hîc delicta, tamen hoc commune multorum conſilium non niſi pro vno facto habetur. Itaq;

h L. ſi familia. de iuriſdict.
i L. in nulla. de iudi.

dominus præſtita ſemel pœna liberabitur. Atq; ita Paulus [h] temperat ſententiam Octaueni, qui ſine vlla diſtinctione putabat; ſemper domino ſuccurrendū, ne vnquā teneretur amplius quàm ſemel. ¶ *Et in eum.*] Videlicet libertum, vel filium emancipatum. Nam conſtat inter dominum & ſeruum nullum eſſe iudicium, ſicuti nec inter patrem & filiumfa. [i] Sed inter patronum & libertum ſæpe incidere poteſt controuerſia, ſicuti etiam inter parentem & filium emancipatum: nam & qui

& qui emancipat, videtur concedere facultaté contra sese experiendi [a]. Sed tamen interim vt ha-
12 beretur semper ratio pietatis & reuerétiæ, Prætor vetuit, à filio patri dié dici sine precatione veniæ.
Cuius edicti Prætorij verba sunt hæc [b]: Parentem, patronum, patronam, liberos, parentes, patro-
13 ni, patronæve, in ius sine permissu meo ne quis vocet. Et addit Vlpianus [c]; In eum, qui aduersus
ea fecerit, quinquaginta aureorũ iudicium dari. Et Iustinianus alio [d] postea loco exprimit hanc
pœnam, quam hic prætermiserat. Ac ne quis inopia sua fretus, hanc pœnam rideat, qui soluendo
14 non est: Modestinus respondit [e]; Libertum, qui hanc pœnam præstare non potest à Præfecto vrbi,
quasi inofficiosum litigatorem castigari. Sed nec hic, vt in superiore iudicio, speret factum suum
15 excusari posse prætextu rusticitatis [f]. Nam vel sola natura eos in officio continere debebat, cuius
arcano instinctu satis admonentur debitæ parentibus vel patronis reuerentiæ.
16 ¶ *Qui patronum.*] Inquit Vlpianus [g]; Patroni hic accipiendi sunt, qui ex seruitute manumise-
runt, vel qui collusionem detexerunt, vel si quis præiudicio pronuncietur libertus esse, aut si iura-
ui eum libertum meum esse. Addit deinde Paulus; Is quoque qui ex causa fideicommissi manu-
mittit, non debet in ius vocari: quamuis vt manumittat, in ius vocetur. Subijcit Vlpianus, Sed &
si hac lege emi, vt manumittam, & ex Constitutione Diui Marci peruenit ad libertatem: cùm sim
patronus, in ius vocari non potero.
17 ¶ *Vel parentem.*] Hoc est; Quemcunque ex ascendentibus in infinitum, iuxta Cassij senten-
tiam [h]. Nam (vt verbis Vlpiani vtar [i]) cùm Prætor generaliter parentes excepit, nec gradus paren-
tum enumerauit, in infinitum id eis præstabitur. Sed & parentes naturales tantùm, in ius vocare
sine venia non licebit. Vna est enim (inquit Paulus [k]) omnibus parentibus seruanda reuerentia.
Et notum est dictum Iustiniani in Nouella Constitutione duodecima: εἰ καὶ γὰρ τῶν νόμων παραβάτης
καὶ ἀσεβὴς ἐστιν, ὅμως πατὴρ καθέστηκε. [vt enim legum transgressor sit & impius, tamen pater est.]
18 ¶ *In ius vocasset.*] Etiam si procuratorio nomine id faceret. Semper enim est quod imputes
suscipienti hoc officium, quod est voluntarium [l]. Verùm cùm is, qui semel factus est tutor, non
19 possit subterfugere administrationem tutelæ; necessitas officij excusabit quod eo nomine factum
est [m]. Quod si patroni vel parentes conuenirentur nomine alieno, veluti tutores: in ius vocandi
non erunt sine venia [n].
¶ *Cum id non impetrasset.*] A Prætore videlicet, cuius permissu omnino hic opus [o] est; eoque
certo & speciali. Ne quis iam satis esse putet, quod generali iudicis autoritate, ab actuario libelli
20 citationum de more dentur. Nominatim enim oportet impetrare veniam conueniendi parentis.
Sed hîc meminerimus; veteri Rom. iure eos qui in ius vocabantur, ab ipso aduersario vocari soli-
21 tos. Qui mos postea mutatus est. Nam & Cæsarum rescripto [p] cautum est; neminem in iudicio ex-
22 hibendum esse, nisi de cuius exhibitione iudex pronunciârit. ¶ *Item aduersus eum.*] Inquit Vl-
pianus [a]; In eum, qui vi exemerit, in factum iudicium datur: quo non id continetur, quod in ve-
23 ritate est, sed quanti ea res est ab actore æstimata, de qua controuersia est. Et si plures vi exemerint:
24 in singulos in solidum datur: & nihilominus manet, qui exemptus est, obligatus. Et si seruus ex-
emerit, sciente & patiente domino: dominus in solidum omnino tenebitur. nec poterit noxæ de-
25 dere. ¶ *Vt.*] Quòd si dolo malo sine vi aliquis prohibitus sit, ne iret in ius: hoc factum pertine-
bit ad edictum; De eo per quem factum erit, quo minus quis in iudicio sistat.
26 ¶ *Exemerit.*] Sic videlicet, vt per hanc exemptionem omnino factum sit, quo minus iudicio
sese sisteret, qui in ius vocatus erat [b]. Porrò quod in iure nostro dicitur; Eximere in ius vocatum, a-
pud Demosthenem ex Plebiscito Aristocratis est; ἐάν τις τὸν ἀγόμενον ἀφέληται. [Si quis in ius voca-
tum exemerit.] Apud Platonem lib. 12. de Legib. ἐάν τις τινὰ δίκην ... κωλύῃ βίᾳ. [Si quis alte-
rum in iudicio comparere vi prohibuerit.) Paulus [c] addit magis propriũ verbum eripiendi, quod
significat de manibus auferre per raptum. hîc autẽ meminerimus, licuisse aduersario eum quem
27 in ius vocâret, si non iret, inuitum ducere & quasi vi rapere. Vnde illud apud Horatium, Rapit in
ius: quanquam ex domo sua nemo inuitus extrahi potuerit, & qui satis dederat iudicio sistendi
28 causa, duci non poterat. ¶ *In ius vocaretur.*] Ritè scilicet & ad iudicem competentem. Alioqui E-
dictum hoc cessat [d]. Quòd si quis eum, qui per calumniam vocabatur, exemerit: tenebitur hoc e-
dicto [e]. Nam ille nihilominus ritè vocatus erat: & ad iudicem pertinet cognoscere de calumnia.
29 ¶ *Neúve dolo.*] Prætor [f] ait, NEVE DOLO MALO FACIAT, QVO MAGIS EXIMATVR. Et
30 addit Vlpianus. Si per alium quis exemerit: hac clausula tenetur; siue præsens siue absens. Porrò
aliud est Edictum, De eo, per quem factum erit, quo minus iudicio sistat. Propriè autem locum
habet, cùm iam cautiones iudicio sistendi causa præstitæ sunt. Et non minus ipsi reo impetito,
quàm actori, qui in ius vocarat, succurrit [g]: sufficitque in eo dolus, etiam si nulla vis accesserit.

a L. filio. D. vt lega. no. caueat.
b L. 4. §. 1. de in ius vocand.
c L. pen. de in ius vocand.
d §. vlt. infr. de pœna teme. litigant.
e L. vlt. de in ius vocand.
f L. venia. C. de in ius vocand.
g L. adoptiuum. §. 1. de in ius vocand.
h L. 4. §. 2. de in ius voc.
i L. 1. §. 1. de leg. præstan. cont. tab. bo. poss. pet.
k L. parentes. de in ius vocand.
l L. filiusfa. §. inuitus de procurat.
m L. quæsitum. de in ius vocan. l. tutorem. de his quæ vt indig.
n L. sed & si hac leg. §. vlt. de in ius voc.
o dic. l. sed & si hac lege. §. Prætor ait.
p L. vlt. C. de exhiben.
a L. pen. §. 1. D ne quis eum qui in ius voca.
b L. pen. §. docere nutem. D. ne quis eũ qui in ius voc. est.
c L. 4. ne quis eum qui in ius.
d L. quod si quis. §. 1. D illo tit.
e L. sed & eximendi. §. item si quis. D. illo tit.
f dic. l. sed eximendi. §. vlt.
g L. 1. §. si reus. in fi. l. vlt. §. sed si stipulator. de eo per quem fact. er.

§. Præiudiciales.

1.2 *Præiudicium quid? & quæ præiudicia hic sint intelligenda?*
3 *Præiudiciales actiones quomodo in rem esse videantur?*
4 *Causa, quæ quæritur, vtrum quis liber sit an seruus, liberalis appellatur?*
5 *Quid, si cui libertas ex fideicommisso deberi dicatur?*
6 *Quid, si directa ex testamento relicta sit?*
7.8 *Præiudicium quando detur? & num. 9.*
10 *Præiudicio de partu agnoscendo quomodo agatur? & num. 11. 12. 13. 14.*

15 *Quid, si parens neget filium, ideoq; alere se non debere contendat?*

16 *Et si pronunciatum sit, ali oportere; hoc tamen veritati non facit præiudicium.*

17 *Si cui vt filio decreta sint alimenta, an tamen huic petenti patris hereditatem obijci possit, Filium non esse?*

18 *Cum filius est impubes, ex S. Carboniano ad pubertatem quæstio differtur.*

19 *Quomodo probare quis debeat, se alicuius esse filium?*

Præiudiciales actiones in rem esse videntur: quales sunt per quas quæritur, an aliquis liber, an libertus sit, vel seruus, vel de partu agnoscendo. Ex quibus ferè vna illa legitimam causam habet, per quam quæritur, an aliquis liber sit: cæteræ ex ipsius Prætoris iurisdictione substantiam capiunt.

¶ *Præiudiciales.*] Præiudicium (vt docet Fabius libro quinto cap. 2.) aliquando significat de- 1
fensionem, non modò ex sententia prius data, sed & in futurum danda: vt cùm petentem patris
hæreditatem, nego esse filium. Sicque hoc loco præiudicia possumus accipere pro causis, de qui- 2
bus prius iudicandum est, quòd earum definitio vel finem allatura sit negorio, vel certam datura
formam. Nec refert, agendóne an accipiendo tale quid incidat, quod prudens Iudex animaduer-
terit prius definiendum esse, nec cum alia causæ cognitione miscendum.

In rem esse videntur.] Re vera autem non sunt, sed quia proximè accedunt ad naturam realium
actionum, in rem quoque esse meritò videntur. Nam hic petimus rem, quæ nostra est, nostram 3
pronunciari. Et vt actiones in rem habere solent prius quoddam iudicium possessorium, ex cu-
ius euentu appareat, quis reus esse debeat[a]: sic etiam hic nõ statim itur ad petitoriam quęstionem;
Sitne aliquis seruus an liber: sed prius iudicatur quæstio possessionis: vt lite principali pendente,
maneat seruus aut liber in eo statu, in cuius possessione inuentus est.

a *L. si qui destinauit. de rei vindic. §. commodũ. inst. de interd.*

¶ *An aliquis liber.*] Hæc appellatur causa liberalis, qua quæritur an quis liber sit, an seruus: & 4
asseritur defenditurq; præsens possessio alterius conditionis. Aliud autem est iudicium persona- 5
le, in quo libertas ex fideicommissi causa deberi dicitur[b]: & quo potest qui seruus est, cum domi-
no agere, vt ab eo manumittatur[c]. Quòd si cui directa libertas testamento relicta esset: cùm ea 6
ipso iure competat, statim propugnari poterit liberali iudicio[d].

b *L. nõ distinguemus. §. de liberali. de recept. arbit.*
c *L. in certu. de iudic.*
d *L. si tibi testamento directa libert. C. de libe. cau.*

¶ *An libertus.*] Cùm scilicet quæritur an quis ingenuus sit, an libertus. vel (si constet eum li- 7
bertinæ conditionis esse) an Titij, an alterius libertus sit. Quam rem totam Vlpianus eleganter
explicat his verbis[e]: Quoties de hoc contenditur, an quis libertus sit, siue operæ petantur, siue
obsequium desideretur; siue etiam famosa actio intendatur: siue in ius vocetur, qui se patronum
dicit; siue nulla causa interueniat: redditur præiudicium. Sed & quoties quis libertinum quidem 8
se confitetur, libertum autem Caij Seij se negat: idem præiudicium datur. Redditur autem alter- 9
utro desiderante: sed actoris partibus semper, qui se patronum dicit, fungitur, probareque liber-
tum suum esse necesse habet: aut si non probet, vincitur.

e *L. vlt. D. si liber. ingen. esse dicat.*

¶ *De partu agnoscendo.*] Indicat quodam loco Vlpianus[f]; agi præiudicio de partu agnoscendo, 10
sed non sans explicat vsum: cùm tamen eum latè patere constet. Nam vel agitur de agnoscendo 11
partu, qui post diuortium editus est. Idque propriè pertinet ad Senatusconsultum Plautianum,
quo fuit cautum; vt si marito post diuortium intra dies triginta denunciatum sit, mulierem esse
prægnantem, neq; contrà denunciârit, ex se prægnantem non esse: omnino cogatur editum par-
tum agnoscere[g]. vel agitur de partu agnoscendo, qui constante matrimonio fuit natus: & tum lo- 12
cus est alteri Senatusconsulto, quod Diui Adriani[h] temporibus factum est. Addit deinde alios ca-
sus Vlpianus; Quid ergo (inquit) si quis post mortem patris nascatur auo superstite, in cuius po- 13
testatem recasurus est? & si ex filio eius susceptus probetur: videndum est quid dici debeat. Et certè
probandum est, cum auo, præiudicio de partu agnoscendo similiter agendum. Et quid si, an v- 14
xor fuerit, disceptetur? Et Iulianus respondit, locum esse præiudicio. Porrò quod attinet ad hęc iu-
dicia de partu agnoscendo, scribit idem Vlpianus[i]; Si vel parens neget filiũ, idcircoq; alere se non 15
debere contendat: vel filius neget parentem: summatim iudices oportet super ea recognoscere: &
si constiterit filium vel parentem esse, tunc ali iubebunt. Cæterùm si non constiterit: nec decernent
alimenta. Meminisse autem oportet; & si pronunciauerint ali oportere: attamen eam rem præiu- 16
dicium non facere veritati. Postea idem Vlpianus addit. Solent Iudices cognoscere & inter patro-
nos vel libertos, si de alendis his agatur. Itaque si negent se esse libertos: cognoscere eos oportebit.
quòd si libertos esse constiterit, tunc demum decernere, vt alant nec tamen alimentorum decre-
tum tollet liberto facultatem, quo minus præiudicio certare possit, si libertũ se neget. Hæc Vlpia-
nus. In cuius responso illud præcipuè notabimus; summarium (vt ita loquar) præiudicium de ali-
mentis redditum, non tollere plenam negotij discusionem: vt si cui tanquam filio decreta sint 17
alimenta: petenti hęreditatẽ patris, obijci potest filium non esse. Et hęc præiudicialis quæstio dici
potest, quã definiri oportebit ante omnia. Sanè cùm filius est impubes, differetur ex Senatuscon- 18
sulto Carboniano omnis quæstio vsque ad pubertatem: & is nihilominus interim tam alimenta
quàm bonorum possessionem consequetur. Porrò cùm quis probare debet se alicuius esse filium, 19
sufficient iustæ coniecturæ: veluti quòd ex vxore legitima, vicinis scientibus, natus sit matrimo-
nio constante, & intra tempora legitima[k]. Aliter enim non possumus certum probare aut de-
monstrare parentem[l]. quòd si de matre ageretur, facilior esset probatio. mater enim semper est
certa & nota[m].

f *L. 3. §. 1. de lib. agno.*
g *L. 1. §. pœna autem. de libe. agnosc.*
h *dic. l. 3. §. 1. de libe. agnosc.*
i *L. si quis à liberis §. si vel parens. D. illo ti.*
k *L. filium. de his qui sui sunt vel alie. iu. l. si vicinis. C. de nupt.*
l *L. Lucius. de cond. & demonstrat.*
m *L. quia semper. de in ius voc.*

Sic

§. Sic itaque.

1 *Quod propriũ alicuius est, amplius eius fieri nõ potest.*
2 *Dominium non posse nisi ex vna causa contingere.*
3.5 *Dominum rem suam posse à fure & condicere & vindicare.*
4 *Ei quoq; qui vi dominum de fundo deiecit, posse fundum condici.*
6 *Vbi res furtiua extincta est, necessarius est condictionis vsus.*
7 *Condicere propriè quid? & vnde in personam actiones appellatæ sint* condictiones? *num. 8.*
9 *Apud humaniores manet ciuilitas illa prius admonendi debitoris, quàm in forum procedatur.*
10 *Qui præcipiti insolentia debitorem in ius trahit, an non litis sumptibus sit multandus? & num. 11.*

Sic itaque discretis actionibus: certum est non posse actorem suam rem ita ab aliquo petere, si appatet eum dare oportere. Nec enim quod actoris est, id ei dari oportet: scilicet quia dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, vt eius fiat. Nec res, quæ iam actoris est, magis eius fieri potest. Planè odio furum, quo magis pluribus actionibus teneantur, effectum est, vt extra pœnam dupli aut quadrupli, rei recipiendæ nomine fures etiam hac actione teneantur, si appareat eos dare oportere: quanuis sit aduersus eos etiam hæc in rem actio, per quam rem suam quis esse petit. Appellamus autem in rem quidem actiones, Vindicationes: in personam verò actiones, quibus dare aut facere oportere intenditur, Condictiones. Condicere enim est denuntiare, prisca lingua: nunc verò abusiuè dicimus condictionem, actionem in personam esse, qua actor intendit dari sibi oportere. Nulla enim hoc tempore eo nomine denunciatio fit.

1 ¶ *Sic discretis actionibus.*] Nempe in eas, quæ in rem sunt, & quæ in personam. ¶ *Nec res.*] Do-
cuit suprà Iustinianus [a]: Quod proprium est alicuius, amplius eius fieri non posse. Nosque hanc
2 regulam eo loco pluribus explicuimus. Nunc illud solum adijciemus, quod ait Paulus [b]; do-
3 minium non posse nisi ex vna causa contingere. ¶ *Plane odio furum.*] Admonuit antea Iustini-
anus [c]; Dominum rem suam furto ablatam posse à fure condicere, sicuti & vindicare. idque singu-
lari iure receptum esse testatur Vlpianus [d], inquiens; Proditum est, neminem rem suam nisi à fure
condicere posse. Idem alio loco agens de condictione Triticaria; Rem (inquit) suã per hanc actio-
nem nemo petet, nisi ex causis, ex quibus potest: veluti ex causa furtiua, vel in re mobili vi abre-
4 pta. Deinde addit; Sed & ei, qui vi aliquem de fundo deiecit, posse fundum condici, Sabinus scri-
5 bit: & ita Celsus. Sed ita si dominus sit, qui deiectus condicat. ¶ *Quo magis pluribus actionibus tene-
antur.*] Et nequando deficiat actio, qua teneantur. Nam & in subsidium præcipuè prodita vide-
tur hæc condictio furtiua, qua vtamur, alijs actionibus destituti. Id quod eleganter Pomponius
explicat [e] his verbis; Qui furtum committit, vel re commodata vel deposita vtendo: condictione
quoque ex furtiua causa obstringitur: quæ differt ab actione commodati in hoc, quòd etiamsi
sine dolo malo vel culpa eius res interierit, condictione tamen tenetur: cùm in commodati actio-
6 ne non facilè vltra culpam, & in depositi vltra dolum malum teneatur is, cum quo agetur. Ergo
vbi res furtiua extincta peremptaque est, quæ amplius vindicari non posset, magnus erit, & est
necessarius condictionis vsus. Posse tamen & rem extantem condici, quo magis possessoris dolus
7 & turpitudo furtumq; patefiat, eleganter docet hoc loco meus Hotomanus. ¶ *Condicere enim.*]
Condicere propriè est duorum aut plurium inuicem denunciantium aliquid. Moris autem fuit
olim, cùm aliquis ex obligatione conueniendus erat, coram eo, qui attestaretur, condici, qua die
8 in iudicio sistendum esset. Vnde postea condictiones appellatæ sunt, in personam actiones. Fre-
quens est autem in iure mentio generalis condictionis, qua quid nobis ex aliqua causa dari [f] in-
tendimus: quam omnium personalium actionum vice fungi, satis indicat Paulus [g]. ¶ *Nulla
enim.*] Hic latet ratio, cur hodie videamur abuti condictionis nomine. ¶ *Eo nomine.*] Denunci-
9 andi scilicet, quo die ageretur. Sed interim apud eos, qui humanitatem colunt, manet hæc sem-
per ciuilitas, vt priusquam agatur, admoneant & interpellent debitorem: nec nisi omnibus ten-
tatis in forum descendant: nec opprimant ex improuiso debitorem securum. Ac nescio an non
10 mereatur sumptibus litis mulctari durus & inciuilis creditor, qui statim præcipiti quadam inso-
lentia in ius trahit debitorem, quem prius nunquam admonere dignatus est: & nunc prima sta-
tim conuentione repetit paratum. Certè Iustinianus in Nouell sua Constit. 18. tum demum iubet
reum, qui primùm inficiatus, postea confessus est, præstare litis expensas, cùm diu protraxit & dis-
tulit suam illam confessionem, & pertinaciori inficiatione diutius actorem fatigauit, & sum-
11 ptibus exhausit. Quasi nolit eum quicquam præstare, qui statim bonam fidem agnouit, nullaque
tergiuersatione ludificatus est creditorem.

a §. sed in rem inst. de lega.
b L. 3. § ex plurib. de acquir possess.
c §. vlt. sup. de oblig. quæ ex del. nasc.
d L. vlt. §. vlt. D. vt infr. quemad. cauens.
e L. qui furtum. de cond. furti.
f L. certi condictio. D si certi pet. cond. est.
g L. in duobus reu. §. exceptio. de iureiur.

§. Sequens.

1 *Continuatio §. huius cum præcedentibus.*
2 *Diuisio actionum I. ex causa efficiente; II. ex causa materiali; III. ex causa formali sumpta est.*
3 *Discrimen inter actiones pœnales, & Rei persecutorias.*
4.5 *Si pœna debeatur ex conuentione, vtrum detur actio rei persecutoria, an pœnalis? & num. 7.*
6 *Mistæ actiones quæ?*

8 Vnde fit, quòd in rē actiones aliquādo pœnā cōtineāt.
9 Rem, qua in tumultus siue incendij causa deposita est, inficiantis crimen grauissimum est.
10 Inficiatio depositi præter miserabiles illas deponendi causas non habet pœnam dupli.
11 Inficiatio defuncti non pertinet ad pœnam hæredis.

Sequens illa diuisio est, quòd quædam actiones rei persequendæ gratia comparatæ sunt, quædam pœnæ persequendæ, quædam mistæ sunt. Rei persequendæ causa comparatę sunt omnes in rem actiones. Earum verò actionū, quæ in personam sunt, eæ quidem, quæ ex cōtractu nascuntur, ferè omnes rei persequendæ causa cōparatæ videntur: veluti quibus mutuam pecuniam, vel in stipulatum deductam petit actor, item commodati, depositi, mandati, pro socio, ex empto, vendito, locato, conducto. Planè si depositi agatur eo nomine, quòd tumultus, incendij, ruinæ, naufragij causa depositum sit: in duplum actionem Prætor reddit: si modò cum ipso, apud quem depositum sit, aut cum hærede eius, de dolo ipsius agitur: quo casu mista est actio.

¶ *Sequens illa diuisio.*] Dictum est de efficienti causa actionum, deque earum autoribus: vnde 1
sumpta est diuisio actionum in Prætorias & Ciuiles. Ex materia petita est alia diuisio, quòd sint 2
quædam in rem, quædam in personam. Nunc ex causa (vt ita loquar) formali, quæ ostendit quid
& quomodo petatur, tertia proponitur diuisio, quòd aliæ sint pœnales, aliæ rei persecutoriæ. Est 3
autem magni momenti hoc discrimen. Illis pœnam persequimur ex maleficijs, vel quasi ex maleficijs: his verò rem nostram, aut nobis debitam, aut quam habere nostra interest. Illæ hæredibus 4
dantur, non autem in hæredes: nisi quatenus ad eos peruēnit, aut nisi lis fuerit cum defuncto contestata: hæ verò & hæredibus & in hæredes æquè dantur perpetuò. In illis, vnius solutio alios eiusdem pœnæ reos non liberat [a]: in his contrà [b]. In illis, corpore luitur, quod inopia præstari non potest: in his liberamur bonorum cessione. ¶ *Pœnæ persequendæ.*] Legalis scilicet, aut Prætoriæ vel iudicialis. Cæterùm si pœna debeatur ex conuentione: licet exigatur, etiam si non interfit [c], 4
magis tamen dicetur actio rei persecutoria, quàm pœnalis. Nam potius inspicimus primam cau- 5
sam agendi, quàm rem de qua agitur. ¶ *Quædam mistæ.*] Quibus scilicet rem simul & pœnam per- 6
sequimur ex quibusdam maleficijs. ex conuentione autem si qua pœna deberetur, non temerè 7
posset cum re ipsa simul peti [d]: nisi nominatim promissa esset, rato nihilominus manente pacto [e]:
vel nisi cum pœna fuerit promissioni adiecta iurisiurandi religio [f]. *Omnes in rem actiones.*] Quæ 8
quidem si quando pœnam contineant, id non est ex earum natura, sed accidit ex iudicis officio, propter aduersarij pertinaciam.

¶ *Quod tumultus, incendij, &c.*] Huius actionis & pœnæ iustissima est (inquit Vlpianus [g]) seue- 9
ritas. Continent enim hæ causæ fortuitam necessitatem depositionis: vt non possit non esse grauissimum perfidiæ crimen inficiantis depositum in tam miserabili causa deponentis. Deinde publica vtilitas coërcendo vindicanda [h] est. Extat elegans Isocratis oratio pro Nicia aduersus quendam Eurynum, improbè negantem depositum, quod tumultus causa eius fidei concreditum erat sine testibus, vti fieri solet vrgente aliqua præsenti necessitate. ¶ *Si modò cum ipso.*] Qui scilicet infi-
ciatur depositum. Nam nec iudicium suscipietur, nisi reo negante. Vbi enim bonam fidem agno- 10
scit, statim iubetur restituere [i]. Sanè præter has miserabiles & necessarias deponendi causas, non habet inficiatio depositi pœnam dupli: sed mēdacij conuictum comitatur infamia [k]. ¶ *De dolo ipsius.*] Hæredis scilicet, qui inficiaretur quoque hoc depositum, cuius tam iusta & fauorabilis causa est. Nam de hoc dolo hæredis hic agitur. Improba autē & dolosa inficiatio defuncti, nō pertinet ad pœnam hæredis, cùm ipse non deliquerit. Itaq; liberatur, si rem quā habet, bona fide restituat.

a L. item Mela. §. sed si seruum plures. D. ad leg. Aquil.
b L. 4. in fi. de duob. rei.
c §. alteri, supr. de inutil. stip.
d L. rescriptum § si pacto. de pact. L. si pater dotem. § si mulier. de pact. dotal. L. si quis rē. de recep. arbi.
e L. pen. de transac.
f L. si quis maior. C. de transact.
g L. 1. §. 1. de incen. rui. naufrag.
h L. 1. §. hæc autem. D. deposi.
i L. pen. C. deposi.
k L. 1. de his qui not. infa. L. qui depositum C. deposi.

§. Ex maleficijs.

1 Quæ hîc subijciuntur de pœna furti &c; ex superius traditis repetenda sunt.
2 Agi hîc de inficiatione fraudulenta & dolosa.
3 Hac L. Aquilia actio aduersus confitentem datur in simplum, contra negantem in duplū. fallit nu. 5.
4 Si minor inficietur, quomodo ei succurratur?
6 Vt ex inficiatione agatur ad duplum, facti eam, id est, damni dati, esse oportet.
7 Quid si quis factum confessus de iure controuersiam moueat?
8 Actio legis huius quomodo pœnalis sit? in quę hæredem non transeat? num. 9.

Ex maleficijs verò proditæ actiones, aliæ tantùm pœnæ persequendæ causa comparatæ sunt: aliæ tam pœnæ, quàm rei persequendæ: & ob id mistæ sunt. Pœnam tantùm persequitur quis actione furti. siue enim manifesti agatur, quadrupli: siue non manifesti, dupli: de sola pœna agitur. nam ipsam rem propria actione persequitur quis, id est, suam esse petens: siue fur ipse eam rem possideat: siue alius quilibet. Eo amplius aduersus furem etiam condictio est rei. Vi autem bonorum raptorum actio, mista est: quia in quadruplo rei persecutio continetur: pœna autem tripli est. Sed & Legis Aquiliæ actio de damno iniuria dato, mista est: non solùm si aduersus inficiantem, in duplum agatur, sed interdū & si in

si in simplum quisque agat: veluti si quis hominem claudum, aut luscum occiderit, qui in eo anno integer & magni pretij fuerit. tanti enim damnatur, quanti is homo eo in anno plurimi fuerit, secundum iam traditam diuisionem.

1 ¶ *Pœnam tantùm persequitur quis.*] Quæ hic subijciuntur de pœna furti, de Vi bonorum raptorum, & actione legis Aquiliæ, suis suprà locis explicata sunt: vnde repeti poterunt, quæ hic desiderantur. Nobis aliò properantibus, non est integrum immorari molestis repetitionibus. Nam nec vllum fuerit huius moræ precium; & iniuria fit lectori, de cuius memoria & ingenio semper diffidit interpres. ¶ *Non solùm si aduersus inficiantem.*] Inficiantem (inquam) dolo. nam hic agitur de
2 punienda fraude, & improbitate mendacij. Iustinianus in Nou. sua Const. 18. de Lege Aquilia sic loquitur; καὶ ὅτι ἐξ ἀρνήσεως διπλαῖς ὑπέβαλλε ταῖς εἰσπράξεσι τοὺς ἀγνωμονοῦντας καὶ ἀρνεῖσθαι πειρωμένους. [Secundũ quã pro abnegatione duplicibus subdebat exactionib. male volentes & abnegare tentantes.] Simplicius Vlpianus [a], Hæc actio (inquit) aduersus confitentẽ competit in simplum, aduersus ne- *a L. vnde Neratius. § hæc actio. D. ad leg. Aquil.*
3 gantem in duplum. Sic & Impp. Diocletianus & Maximianus rescripserunt [b]; Contra negantem ex lege Aquilia, si damnum per iniuriam dedisse probetur, dupli procedere condemnationem. *b L. contra negantẽ. C. ad leg. Aqui.*
4 Sed nec in omnibus duplo multatur inficiatio dolo ementita. Nam inficianti minori succurritur
5 vt pro confesso habeatur, & euitet pœnam [c]. Iis quoque parcitur, qui suam inficiationem tempestiuè reuocârunt, hoc est, ante litem contestatam [d]: aut qui sua inficiatione non onerant actorem, quia scilicet ei deferant iusiurandum. Sic enim Paulus [e] refert Pedium respondisse, Eum, qui iurauit, ex ea actione quæ inficiando crescit, aliquid sibi deberi: simpli, non dupli acquirere sibi persecutionem. abundè enim sufficere, exonerare petitorem probandi necessitate. Sanè & Iustinianus Nouella sua Constitut. 18. liberat reum pœna dupli, si delato ei iureiurando ab actore, vltro *c L. si ex causa. § nũc videndum de mino.* *d L. electio § neque. de noxalib. act.* *e L. eum qui. de iureiur.*
6 bonam fidem agnoscat, & debitum confiteatur. Porrò vt ex inficiatione agatur ad duplum, opor-
7 tet inficiationem esse facti, hoc est, damni dati. Cæterùm si quis factum confessus, moueat de iure controuersiam, nulla erit pœna. ¶ *Secundum iam traditam diuisionem.*] Tradita certe est ea superius [f], *f § his verbis. supr. ad leg. Aquil.*
8 cùm explicarentur hæc verba legis Aquiliæ, QVANTI ID EO IN ANNO PLVRIMI FVERIT: quo etiam loco Iustinianus aliud addit, quod hoc omnino pertinet; pœnalem nempe esse huius legis actionem: quia non solùm tanti quisque obligatur, quantum damni dederit: sed aliquando lon-
9 gè pluris. Ideoque in hæredem eam actionem non transire: quę transitura fuisset, si vltra damnum nunquam lis æstimaretur.

§. *Item mista est actio.*

1 Actio ex testamento pro ijs quæ sunt Ecclesiis relicta consequendis, aduersus quem competat?
2 Voluntatem defuncti tum maximè par est habere exitum, cum accedit fauor piæ caussæ. & nu. 4.
3 Diuersa hic lectio.
5 Iustiniani sententia super legatis ad pias causas quæ?
6 In aliorum legatorum causa post annalem procrastinationem pœna quæ?

Item mista est actio contra eos, qui relicta sacrosanctis ecclesiis, vel aliis venerabilibus locis legati vel fideicommissi nomine, dare distulerint: vsque adeò vt etiam in iudicium vocarentur. tunc enim & ipsam rem vel pecuniam, quæ relicta est, dare compelluntur, & aliud tantùm pro pœna: & ideo in duplum eius fit condemnatio.

1 ¶ *Mista actio contra eos.*] Vel hæredes, vel curatores testamenti, vel etiam Legatarios, si ab ijs relictum sit: sicuti relinqui potest [g]. ¶ *Sacrosanctis Ecclesiis.*] Quibus certè legari hoc iure potuit. *g L. ab eo. C. de fideic. comm.*
Sic enim Imp. Constantinus edixit [h]; Habeat vnusquisque licentiam, sanctissimo, catholico, *h L. 1. C. de sacro eccles.*
2 venerabilique Concilio decedens, bonorum quod optauerit, relinquere. Et sanè cùm semper intersit Reip. voluntatem defuncti habere exitum [i]: tum maximè interesse videtur, cùm *i L. vel negare. D. quemad. testa. aper.*
3 accedit iustus pię causæ fauor. ¶ *Vsque adeò vt.*] Alij legunt, VSQVE EO, VT: quòd hoc verbum, VSQVE EO, subsequi soleat, VT: sicuti vox, VSQVE ADEO, post se accipit DONEC. ¶ *Tunc enim.*] Multis locis Iustinianus seuerissimè tuetur legata relicta pijs causis. Sed non satis perspicua est semper eius sententia. Nos omnibus collatis existimamus hanc esse: Hæres, qui legatũ ad pias causas relictum, intra sex menses vltro non præstat: sine dubio pendit & fructus & vsuras, & omnem legitimam accessionem à tempore mortis testatoris, vt est in Nouella Constit. 131. Quòd si nihilominus adhuc moretur, vt sit necesse eum iudicio conuenire: tum actio crescit ad duplum, vt docet hoc loco Iustinianus. Si semel atque iterum à Magistratu admonitus, nihil dum præstiterit: propter hanc improbam moram, & peruicacem procrastinationem, multatur omni emolumento successionis, vt est in Nouella 131. quæ quidem pœna in aliorum legatorum causa tum demum infligitur, vbi per integrum anni spaciũ moratus est hæres, & contempsit admonitionem Magistratus, neglexitque soluere, quod iussus est: vt apparet in Nouella prima.

§. *Quædam.*

1 De actionib. quæ & dominiũ & obligationẽ continẽt.
2 Petitio hæreditatis an & ipsa mixtã causã obtineat.

ho 3 *3 Fami-*

3 *Familiæ erciſcundæ actio quid cum actionibus in rem habeat commune?*
4 *Ex lege XII. tabularum proficiſcitur.*
5 *XVI. illorum ex Tuberonis familia virorum concordia notabilis.*
6 *Erciſcere, item Familia quid?*
7 *Hæc actio quibus competat? & num. 8. 9. 10.*
11 *Eſt & actio, vbi indiuiſa hæreditas adiudicatur nobis pro parte poſsidenda.*
12 *Hæreditas hic pro ipſa rerum vniuerſitate accipienda eſt.*
12 *Quid, ſi extra iudicium hæreditas fuerit diuiſa & poſtea reperiatur aliquid non diuiſum?*
14 *Quid, ſi poſt diuiſionem, reperiatur quid dolo occultatum?*
15 *Communi diuidundo actio quæ?*
16 *Per communi diuid. iudicium corporalium rerum fit diuiſio, non etiam hæreditatis. fallit num. 17.*
18 *In actione hac non refert, ex qua cauſa res ſit communis.*
19 *Iudicium Pro ſocio, & Communi diuidundo, alterum altero tollitur.*
20 *Horum iudiciorum diſcrimen quod?*
21. 22 *Rem communem quam hic intelligamus?*
23. 24 *Finium regundorum actio quæ?*
25 *Confines agri qui?*

Quædam actiones mistam cauſam obtinere videntur, tam in rem, quàm in perſonam: qualis eſt familiæ erciſcundæ actio, quæ competit cohæredibus de diuidunda hæreditate. Item communi diuidundo, quæ inter eos redditur, inter quos aliquid commune eſt vt id diuidatur. Item finium regundorum actio, qua inter eos agitur, qui confines agros habent. In quibus tribus iudicijs permittitur iudici, rem alicui ex litigatoribus ex bono & æquo adiudicare: & ſi vnius pars prægrauari videbitur, cum inuicem certa pecunia alteri condemnare.

Quædam actiones mixtam cauſam obtinere videntur.] Hîc Iuſtinianus dicere parat de actionibus, 1
quæ & dominium & obligationem continent, & in quibus vix diſcernas, quis actor, quis reus ſit.
Sunt autem & aliæ, quæ mixtam cauſam obtinere videntur, ſed non omnino. Eiuſmodi eſt hære-
ditatis petitio. Hæc enim (inquit Vlpianus [a]) & ſi in rē actio eſt, habet tamen præſtationes quaſ- 2
dam perſonales, vt puta eorum, quæ à debitoribus exacta ſunt, item preciorum. ¶ *Qualis eſt.*] Hæc 3
actio cum actionibus in rem primùm id habet commune, quòd per eam petat quilibet hæres ſuam partem hæreditatis. Sed illud eſt diuerſum, quòd ſint hîc etiam quædam perſonales præſtationes, propter rationem fructuum & impenſarum. Itaque quod attinet ad diuiſionem ipſius hæreditatis, reale eſt hoc iudicium, naſciturque ex intentione cohæredum, qui ſuas portiones petunt.
Quod verò pertinet ad perſonales præſtationes, magis videtur perſonale, & oritur quaſi ex contra-
ctu [b]. Porrò autem hæc actio (inquit Caius [c]) proficiſcitur ex lege duodecim Tabularum. namque 4
cohæredibus volentibus à communione diſcedere, neceſſarium videbatur aliquam actionem in-
ſtitui, qua inter eos res hæreditariæ diſtribuerentur. Plutarchus in Æmilio, laudat illos ſedecim ex 5
Tuberonis familia viros, quibus non fuerit opus hoc iudicio, magna concordia cum vxoribus & liberis degentibus in eadem domo, & vno communi agello. Exclamatque Plutarchus in ſui temporis mores, quo nulla familiæ erciſcundæ iudicia ſatis erant: vixque fluminibus ac montibus diremptí cohæredes etiam fratres poſſent quieſcere. Quid verò nunc diceret, ſi noſtri temporis mores intueretur?

¶ *Familia erciſcundæ.*] Erciſcere verbum eſt vetus, pro diuidere. alij Græcum eſſe putant ἑρκίζειν. 6
Familiam autem pro hæreditarijs rebus accipi, notum eſt.

¶ *Quæ cōpetit.*] Cohæredibus quibuslibet, etiā Honorarijs ſucceſſoribus [d]. Imò & filio arrogato, 7
ſaltē vtilis cōpetit, ſui quadrantis, quem ex conſtitutione Diui Pij habet, nomine: licet alioqui ne- 8
que hæres ſit, neque ſucceſſor [e]. Et filia, licet bonorum poſſeſsionem non petierit, per arbitrium fa- 9
miliæ erciſcundæ compelli poteſt ad collationem dotis [f]. Sed & ſi vni ex hæredibus aliquid fuerit 10
prælegatum: hoc ei deberi officio iudicis familiæ erciſcundæ, reſpondit Vlpianus [g]. ¶ *De diuidun-* 11
da.] Alia quædam eſt actio, qua pars hæreditatis petitur: quæque ſolùm eò pertinet, vt indiuiſa hæreditas adiudicetur nobis, pro parte poſsidenda. vtque recipiamur inter cohęredes. ¶ *Hæreditate.*] 12
Hoc eſt, ipſa rerum vniuerſitate: non etiam ſingulorum corporum, quæ in hæreditate ſunt. Debet enim hæc actio ex vtraque parte eſſe vniuerſalis, hoc eſt, vt is qui agit, petat partem hæreditatis: & qui conuenitur, poſsideat etiam eiuſmodi aliquam vniuerſitatem. Cæterùm in petitione hæreditatis, non niſi ex parte actoris hoc exigitur. Nam ea competit etiam aduerſus eum, qui quamli-
bet rem hæreditariam, vel minimam poſsidet [h]. Sanè ſi extra iudicium hæreditas communi con- 13
ſenſu fuerit diuiſa, & deinde reperiatur aliqua res non diuiſa: licebit eius nomine agere familiæ
erciſcundæ, vel communi diuidundo [i]. Sed & ſi per iudicem ſemel diuiſa fuerit hæreditas, ſi qua 14
tamen deinde res inueniatur dolo occultata, poterit eius ſolius nomine repeti hoc vniuerſale iudicium familiæ erciſcundæ [k].

¶ *Item communi diuidundo.*] Hæc actio habet hoc commune cum actionibus in rem, quòd per 15
eam res diuidantur, quarum habemus dominium [l], & quòd ea ſequatur quemlibet rei poſſeſſorem etiam ſi titulo ſingulari poſsideat: veluti eum, qui partem rei communis emerit, & traditam acceperit [m], ſi tamen ei nondum eſſet tradita, conueniretur venditor, qui adhuc poſsidet [n].

¶ *Aliquid.*]

a L. ſed & ſi. §. petitio. De petit. hæred.
b §. item ſi inter ſup. de oblig. quæ quaſi ex contr.
c L. 1. D. fami. erciſcun.
d L. ſed & eius. §. vlt. D. fam. erciſcūd.
e L. per familiæ. §. ſi quarta. D. illo tit.
f L. 1. de col. dot.
g L. qui filiabus. §. vl. de lega. 1.
h L. regulariter in fi. cū le. ſeq. de peti. hær.
i L. 4. C. fam. erciſc.
k L. aduerſus. D. fam. erciſc.
l L. 4. Comm. diuid.
m L. 1. C. comm. diui.
n L. Iulianus. §. idē Celſus. D. comm. diui.

16 ¶ *Aliquid.*]Hoc est,vna aliqua res particularis,& corporalis.Nam(inquit Vlpianus [a])per hoc
iudicium,corporalium rerum fit diuisio,non etiam hæreditatis. Nequis tamen prorsus hinc sem-
17 per summoueri putet res incorporales:meminerimus aliquando vsusfru.nomine,agi Communi
18 diuidundo [b]. ¶ *Commune est.*] Nec interest(inquit Caius) cum societate, an sine societate res sit
communis. Et si interuenerit societas, poterunt hic concurrere duo iudicia, nempe Pro socio,&
19 Communi diuidundo.Sed alterum altero tollitur,quatenus idem esset vtriusq; finis [c].Cùm enim
vtrunque sit rei persecutorium,bona fides nõ patitur idem bis exigi [d]. Horum autem iudiciorum
20 potissimùm discrimen est,quòd Communi diuidundo nunquam ferè agatur,nisi ad diuisionem:
Iudicio verò Pro socio,sæpe res reuocetur ad cõmunionem [e].Porrò cùm hic loquimur de re cõmu-
21 ni,non exigimus omnino ius dominij & proprietatis.Nam & qui Publiciana vti potest,hoc quo-
que iudicio Communi diuidundo,vtetur.Imò & qui solum habet ius pignoris [f]. ¶ *Vt id diuida-*
22 *tur.*]Agitur etiam hoc iudicio,vt ex re communi, fructus ab altero percepti communicentur [g]: &
vt impendia in rem communem facta pro parte restituantur, vel damnũ in eam ab altero datum
sarciatur [h],quo nomine hæc actio causam personalis iudicij etiam obtinere dicitur. ¶ *Item finium*
23 *regundorum actio.*]Inquit Paulus [i];Finium regundorum actio in personam est,licet pro vindicatio-
nem rei sit:Nempe hic actor consequitur interdum id,quod suum est,interdum quod est alterius.
Et quanquam oriatur hæc actio,quasi ex contractu(quod proprium est actionibus in personam)
24 tamen multa habet communia cum vindicatione. Est autem huius iudicij iusta & grauis causa,
magnusque vsus in Rep. Nam terminorum rectè constitutorum ratio, tollit occasionem multo-
rum ciuilium dissidiorum. Vnde Ouidius ad Terminum: *Omnis erit sine te litigiosus ager.* Et Virgil.
Limes(inquit)*agro positus,litem vt discerneret aruis.* Frequentes autem sunt in foro de terminis lites:
adeò vt Fabius hoc solo nomine putârit Geometriæ cognitionem esse necessariam oratori.
25 ¶ *Confines agros.*]Non intercedente scilicet via publica,vel flumine [k],sed tamen diuisos.Nam
inter eos,qui communes & indiuisos fundos possident, non potest agi hoc iudicio: cùm nec vlli
sint fines,sed possideant singuli singulas partes communiter. Sed & si communi fundo confinis
sit fundus alteri proprius:non poterit eius nomine agi hoc iudicio [l]. ¶ *In quibus tribus.*]Huius loci
meminit posteà Iustinianus,eumque latins explicat [m].

a L.4.D.comm.diui.
b L.communi diuidun-do.§.cum de vsufru.D.illo tit.
c L.pro socio arbiter.§.si actum.D.pro soc.
d L.bona fides.de reg.iur.
e L.si quis societatẽ cõtraxit D.pro soc.
f L.cõmuni diuidundo.§.qui in rem.§.si duo.D.commu.diui.
g L.si quis putant.§.1.D.illo tit.
h L.3.l. etsi nõ omnes.§.venit.D.cõm.diui.
i L.1.D.fini.regund.
k L.4.§.vl.D fini.reg.
l L.sed & loci.§.si cõmunem.D.illo tit.
m §.vlt.infr.de offic.iud.

§.*Omnes.*

1 Vltra pœnam quadrupli non extenditur actio.fallit num.2.3.
4 Pluribus ex eodẽ facto actionibus vltra quadruplum consequi possumus;idq;declaratũ exemplis.n.5.6.
7 Ex accusatiõe pœna supra quadruplũ excedere potest.
8 Comites magistratuum qui vltra quàm lege definitũ est quid acceperint,vt plectantur?
9 Quã multarũ quantitatẽ veteres Romani seruârint?
10 Quam Arcadius & Honorius constituerint?
11 Atrociorum criminum atrocior est pœna.
12 Actionem serui corrupti cur Prætores inuenerint?
13 Verba edicti Prætorij.
14 In duplo actionis huius etiam res continetur.fallit numer.15.
16.17 De filio filiáfam.corrupti quæ detur actio?
18 In actione hac tenetur quisque ex consilio etiam & persuasione. & numer.21.
19 Quid,si quis seruum communem? vel solius proprietatis dominus seruũ fructuario corruperit? nu.20.
22 Seruus qui fiat deterior,aut corrũpatur? & nu.23.
24 Rerum etiam quas seruus secum abstulit æstimatio in hanc actionem venit:neque actio vna consumit alteram.num.25.
26.27 Postea tamen furta facta in æstimationem non veniunt.
28 Actio tripli,si quis fraudulenter plus debito exigat.
29.34 Sportula quæ? & varia earum quantitas,num.30.31.
32.33 Apparitorũ alij in ius vocant,alij causas instruũt,& sententias mandato iudicis exequuntur.
35 Iudices debent puras habere manus.
36 Galliæ Regum constitutiones de salarijs iudicum.

Omnes autem actiones vel in simplum conceptæ sunt,vel in duplum, vel in triplũ, vel in quadruplum:vlterius autem nulla actio extenditur.In simplum agitur,veluti ex stipulatione,ex mutui datione, ex empto, vendito, locato,conducto,mandato,& deniq; ex alijs quàm plurimis causis.In duplum agimus:veluti furti nec manifesti,damni iniuriæ,ex lege Aquilia,depositi ex quibusdam causis.Item serui corrupti: quæ competit in eum, cuius hortatu consilióve seruus alienus fugerit, aut cõtumax aduersus dominum factus est, aut luxuriosè viuere cœperit,aut denique quolibet modo deterior factus sit. In qua actione earum etiam rerum, quas fugiendo seruus abstulerit, æstimatio deducitur. Item ex legato,quod venerabilibus locis relictum est,secundum ea,quæ suprà diximus. Tripli verò agimus, cùm quidam maiorem vera æstimatione quantitatem in libello conuentionis inserunt,vt ex hac causa viatores,id est,executores litium,ampliorem summam sportularum nomine exigerent. tunc enim, quod propter eorum causam damnum passus fuerit reus,in triplum ab actore consequetur: vt in hoc triplo etiam simplum, in quo damnum passus est,connumeretur.Quod nostra Constitutio introduxit,quæ in nostro Codice fulget,quam proculdubio certum est ex Lege condictitia emanare.

¶ *Vlterius autem.*] Hoc est, vltra pœnam quadrupli: quæ quidem vera sit pœna, nempe ex ipsi- 1
us quoque actoris parte. Cæterùm ex parte solius rei, posset ea sæpius esse maior quadruplo. Vt si
quis clauum aliquem è naui sustulerit, dederitque causam naufragij [a]: aut improbè vendiderit 2
morbosum pecus, cuius contagione grex totus perierit [b]. Sanè Cicero inuehitur in Verrem, quòd 3
aliquando proposuisset in octuplum aduersus Decumanos. sed magis, quòd hac pœna non tam
curaret punire delinquentes, quàm rem suam priuatam augere. ¶ *Nulla.*) Quæ scilicet sola sit.
Cæterùm pluribus actionibus ex eodem facto sæpe possumus consequi plus quadruplo. vt si Ti- 4
tio calumniatori decem dederim, ne mihi negotium facesseret: & is tantundem ab alio acceperit, 5
vt mihi per calumniam litem moueret: ego consequar quadruplum eius, quod dedi: deinde etiã
quadruplum eius, quod alius dedit [c]: sed diuersis actionibus. Rursus si non vni, sed pluribus pœna 6
pendatur: facilè poterit tota excedere quadruplum. vt qui ausus est præsente Principe alienum
seruum manumittere, primum [d] iubetur domino restituere mancipium, duosque alios similes
seruos pœnæ nomine, deinde fisco tres. ¶ *Actio.*] Ex accusatione autem pœna supra quadruplum 7
facilè potest excrescere. Iustinianus in Nouel. sua Constit. 8. comites magistratuum, qui aliquid ac 8
ceperint vltra ea, quæ sunt lege definita, iubet primùm pœnam quadrupli pendere ijs, quibus in-
iuriam fecerunt; deinde multari omnibus bonis, quæ fisco vindicabuntur. Quod attinet ad quan
titatem mulctarum: certè non solebant veteres Romani in ijs excedere triginta boues, duásque 9
oues, hoc est, trecentas & duas drachmas, quę æstimari possunt aureis coronaris triginta. Similis-
que est Constitutio Arcadij & Honorij [e]. qua magistratibus, qui non habent dignitatem Procon-
sularem, prohibetur infligere mulctam tribus auri vncijs maiorem. Sed hæc intelligenda sunt, vbi 10
agitur de coërcione leuiorum delictorum. quorum pœna est arbitraria. Nam atrociorum crimi-
num pœnam potuisse omnia etiam bona damnatorum exhaurire, nemo dubitat. Legimus ali- 11
quando Pręfectum Prętorio indixisse mulctam quinquaginta librarum auri. Quod quidem fa-
ctum est, non tam vi supremæ dignitatis, quàm propter atrocitatem delicti. Olim quoque apud
Athenienses sæpe graues fuerunt mulctę pecuniarię, vt apparet ex oratione Demosthenis ὑπὲρ
κορδύλου. Ipséque Demosthenes id aliquando satis expertus est. Nam propter illam suam ἀργυράγ-
χην [argẽtanginam, cùm pecunia Milesiorũ corruptus, ea quorũ Reip. Athen. intererat reticeret.]
multatus fuit talẽtis quiquaginta. ¶ *Ex lege Aquilia.*] Nempe contra inficiantẽ, vt paulò antè dictũ
est. Sicuti etiã contra inficiantẽ, in duplũ agitur Depositi, propter incẽdij, ruinę, vel naufragij cau-
sam. ¶ *Serui corrupti.*] Fuit etiã olim apud Gręcos δίκη δουλαπατίας, cuius meminit Arist. lib. 5. Ethic.
Et Plutarch. testatur Demosthenẽ aliquãdo accusasse, & morte mulctasse Theodorida fatidicã fœ-
minã, quòd seruos ad fallendũ instrueret. Certè improbũ est, ac perniciosum genus hominũ, alie- 12
nos seruos corrumpentiũ: quod tolerari nõ potest sine magno ipsius quoq; Reip. malo periclitan
tur enim priuatæ familiæ. Nam quis non videt esse verissimum, quod Xenophon scribit, vix vl-
lam domum posse diu consistere, si mali sint serui? Sapienter itaque Romani Prætores iudicarunt
huic malo eundum obuiam: proposueruntque aduersus corruptorem pœnam dupli, quam de-
penderet domino serui corrupti. Verba edicti Prętorij hæc fuisse testatur Vlpianus [f]; QVI SER- 13
VVM SERVAMVE, ALIENVM, ALIENAMVE RECEPISSE, PERSVASISSEVE QVID EI DICETVR
DOLO MALO, QVO EVM EAMVE DETERIOREM FACERET: IN EVM, QVANTI EA RES
ERIT, IN DVPLVM IVDICIVM DABO. Admonet autem Paulus [g]; hoc duplo rem contineri. Id 14
enim, quod damni datum est duplari. Excipiendus est vnus casus, quo non nisi in simplum hæc 15
actio datur, nempe cùm maritus contra vxorem agit [h]. Porrò scribit idem Paulus [i]; de filio filiáve 16
familias corruptis, huic edicto locum non esse: quia serui corrupti constituta hæc actio sit, qui in
patrimonio nostro esset. Vtilem tamen competere, officio iudicis æstimãdam. quoniam (inquit) 17
interest nostra, animum liberorum nostrorum non corrumpi. Nec quicquam sanè bono parenti
acerbius esse potest, corruptione filij. Mâllet mortuum audire, quàm eiusmodi moribus & studijs
imbutum, vt morte dignus sit. Ac profectò multum interest Reip. non corrumpi ingenuam ado-
lescentiam, in qua vna tota spes est futuræ Reip. ¶ *Cuius hortatu.*] Etiamsi currenti tantùm cal- 18
car addiderit. Nam & si malum hortatus est, vt delinqueret, & perpetraret, quod etiam alioqui
facturus erat: tenebitur improbus mali propositi laudator. non enim oportet laudando augeri
malitiam, inquit Vlpianus [k]. ¶ *Seruus alienus.*] Sed & si quis seruum communẽ corruperit, tene- 19
bitur vel pro socio vel Communi diuidundo [l]. Etsi proprietatis solius dominus corruperit ser- 20
uum: vtiliter aduersus eum aget fructuarius [m]. ¶ *Fugeret.*] Noua Iustiniani constitutio (cuius su-
perius [n] pluribus meminimus) vult ipsum quoque solicitatorem teneri iudicio serui corrupti, etiã 21
si reuera non corruperit. Sceleratum enim fuisse consilium. & si conatus non habuerit effectum,
id tribuendum est virtuti, ac probitati ipsius serui. ¶ *Aut contumax.*] Eum qui contumacem vel
luxuriosum fecit, deteriorem facere, inquit Paulus [o]. Hucque pertinet quod ait Caius [p]; Corrum- 22
pi animum serui, & si persuadetur ei. vt dominum contemnat. Nec prætereundum est, quod re-
spondit Vlpianus [a]; In eum cuius instinctu ad infamandum dominum, seruus ad statuam con-
fugisse compertus erit, præter corrupti serui actionem, quæ ex edicto perpetuò competit, seuerè
animaduerti. ¶ *Quolibet modo deterior factus sit.*] Inquit Vlpianus [b], is quoque deteriorem facit, 23
qui seruo persuadet, vt iniuriam faceret, vel furtum, vel fugeret, vel vt alienum seruum solicitaret,
vel vt peculium intricaret, aut amator existeret, vel erro, vel malis artibus esset deditus. vel in spe-
ctaculis nimius, vel seditiosus: vel si actori suasit, siue verbis, siue precio. vt rationes dominicas in-
tercideret, vel adulteraret, vel etiã vt rationes sibi cõmissas turbaret. Sed & aduersus eum qui men

dicitatis

a L. 3. § senatusconsultum. de incen. ruin. naufr.
b L. Iulianus. de act. empt.
c L. & generaliter. §. vlt. de calumnia.
d L. vlt. C. de his qui à non domin.
e L. vlt. C. de modo mul.
f L. 1. de seruo corrup.
g L. vbi tantum. §. in hac. D. illo tit.
h L. vlt. D. illo tit.
i d. l. vt tantum. §. 1.
k L. 1. §. sed vtrum. de seruo corrup.
l L. si quis seruum. D. illo tit.
m d. l. si quis seruum. §. si in seruo.
n §. vnde illud quæsitum. sup. de obli. quæ ex delicti
o L. 2. de ser. corrupt.
p L. corrumpitur. D. illo tit.
a L. in eum. de extraord. crim.
b L. 1. §. vlti. de seruo corrup.

dicitatis subeundæ consilium seruo dederit, domino dari actionem voluit Valentinianus [a] Imp. a L. vna. C. de in dit. vali.
24 ¶ *In qua actione.*] Inquit Paulus [b]; In hoc iudicium etiam rerum æstimatio venit, quas secum seruus b L. in hoc iudiciû. D. illo tit.
abstulit: quia omne damnum duplatur. Hicque meminisse debemus, furti quoq; actionem com-
26 petere rerum subtractarum nomine: nec vnam actionem, aliam consumere [c]. ¶ *Fugiendo.*] Nera- c L. Neratius §. quanuis. D. illo tit.
25 tius ait; Postea furta facta in æstimationem non venire. quam sententiam probat Vlpianus [d]. Et d d. l. Neratius.
addit; Si seruo persuaserim, vt chirographa debitorum corrumpat teneri me. Sed si consuetudine
27 peccandi postea rationes, cæteraq; similia instrumenta subtraxerit, vel interleuerit, vel deleuerit:
corruptorem, horum nomine non teneri. ¶ *Cum quidam maiorem.*] Iustinianus paulò pôst repetés
28 hunc locum [e], nô meminit causæ, propter quam plus petitum sit: quasi sufficiat plus dolo petitum e §. sed hæc quidē antea. infr. eodem.
esse, siue vt viator exigeret maiores sportulas, siue vt alio damno reus afficeretur. ¶ *Sportularum no-*
mine exigerent.] Quomodo autem puniantur ipsi viatores, qui plus exegerunt, addit paulò pôst Iu-
29 stinianus sanè sportulas, quæ dabantur viatorib. in ius vocantibus, Græci propriè appellant *πρό-*
30 *κλησις*. Et apud Athenienses quidem definita fuit certa earum summa, quæ drachmam non excede
bat. Sed apud Romanos varia fuit earum quantitas, pro ratione quantitatis petitæ: vt etiam variæ
31 erant illæ sportulę, quę iudicibus dabantur: quanquam sæpius continerent decimam litis partem,
quá depōdebat temerarius litigator, vti nos alio postea loco dicemus. Græci eas appellabant *πρυ-*
τανεῖα. Apud Andocidem oratorem in oratione *περὶ τῶν μυστηρίων*, legimus: *οὔτε πρυτανεῖα, οὔτε παρακα-*
ταβολὴ τίθεται τῶν εἰσαγγελιῶν. [neq; pecunia ab vtroq; litigantium in Prytaneo deponenda, neq;
merces vlla apparitorum ponitur.] ¶ *Viatores, id est, executores litium.*] Videtur Iustinianus hâc in-
32 terpretationem addidisse, vt intelligeremus non tam hîc agi de apparitoribus, qui in ius vocant,
quàm de ijs, qui causas instruunt, & sententias exequuntur mandato iudicis. Certè Vlpia. [f] scribit; f L. vlt. de iudic.
33 nonnunquam solitos fuisse magistratus Po. Rom. viatoré nominatim vice arbitri dare; sed admo
dum rarò id esse faciundum, nec nisi re vrgente. ¶ *Quæ in nostro codice fulget.*] Fulsit certè aliquan-
do, sed nunc intercidit. Et existimo eam fuisse Græcam Constitutionem, cuius vacua lacuna visi-
tur in Codice, titulo de Sportulis. Quæ sanè si extaret: multa quæ hodie sunt obscura in ratione
Sportularum, illustrarentur. Harmenopulus lib. 1. Iuris *ὀνομαστ.* tit. 4. refert quandam nouellá Cæ-
34 saris Constantini, (qui fuit inter postremos Imperatores Græcos) Constitutionem *περὶ τῶν ἐκταγια-*
τικῶν, quorum nomine intelligo sportulas. Cuius côstitutionis verba, vt aliquo modo minuamus
desiderium & sarciamus iacturam Constitutionis Iustinianeæ, lubenter ascribam, *διορίζομεν μηδέ-*
να τῶν πολιτικῶν δικαστῶν, μὴ ὑπὲρ ὑπογραφῆς ἢ ἑτέρας ἀφορμῆς τι λαμβάνειν, ἀλλὰ καθαρὰς ἔχειν τὰς χεῖρας, καὶ πάντας χρυ-
35 *σίου ὑπερορᾶν. Κελεύομεν τοὺς δημοσίους κριτὰς, ἐφ' ἑκάστῳ τῷ χρυσίου λίτρᾳ. μὴ περαιτέρω τούτων. ιι. λαμβάνειν.*
ἐκ παντὸς ἐπὶ τῶν διαφερόντων, ὑπὲρ τῶν ... καὶ τῷ ... αὐτοῖς, καὶ μηδὲν ἕτερον. Μὴ ὑπερβαινέτω ...
τοῖς τῶν ἐνταγιατικῶν τὰ. ρμ. ... τυγχάνειν, ... τυγχάνειν, καὶ τῶ
ἑκατέρω, εἰ μὴ ... ὑπὲρ τροφῆς καὶ ὁ ... ἀναγκαῖον. Sanè Reges Galliarum
36 multas ediderunt Constitutiones de salarijs iudicum, & apparitorum iudicialium. Extatq; Con-
stitutio Francisci Regis, edita anno 1539. de salarijs forensium viatorum.

§. *Quadrupli.*

1 *In eum qui pecunia corruptus alteri negotium facess-sit qua & quando detur actio?*
2 *Ex edicto Prætoris calumniatores non modò quadrupli multantur, sed notātur infamia, nisi pater sit vel patronus. num. 3.*
4 *Quadruplū furti manifesti & calūnia quid differāt?*
5 *Actio hæc quatenus concurrat cum condictione ob turpem causam?*
6 *Etiam si nulla calumnia secuta sit, modò quis pecuniam acceperit, hæc actio competit.*
7. 8 *Negocium facere quid?*
9 *Pœna eorum, qui sportularum nomine nimium exegerint, quæ?*
10 *Vocabulum omnino, quomodo hic accipiendum?*

Quadrupli autem agitur, veluti furti manifesti, item de eo, quod metus causa factum sit, deq; ea pecunia, quæ in hoc data sit, vt is cui datur, calumniæ causa, negotium alicui faceret, vel non faceret. Item ex lege condictitia nostra Constitutio oritur, in quadruplum condemnationem imponens ijs executoribus litium, qui contra nostræ Constitutionis normam à reis quicquam exegerint. Sed furti quidem nec manifesti actio, & serui corrupti à cæteris, de quibus simul locuti sumus, eo differunt, quòd hæ actiones omnimodo dupli sunt. at illę, id est, damni iniuriæ, ex Lege Aquilia, & interdum depositi, inficiatione duplicantur: in confitentem autem in simplum dantur. Sed illa, quæ de ijs côpetit, quę relicta venerabilibus locis sunt. non solùm inficiatione duplicatur, sed etiam si distulerit relicti solutionem vsque quo iussu magistratuum nostrorum conueniatur. In confitentem verò & antè quàm iussu magistratuum conueniatur, soluentem simpli redditur.

g L. 1. de calumniat.
h L. lex Iulia. D. ad leg. Iul repetund.
i L. 2. de concuss.
k L. 1. D. ad leg. Cor. de falsis.
l L. 1. §. 1. D. ad Senatus. Turpil.

1 ¶ *Deq; ea pecunia.*] Inquit Vlpianus [g]; In eum, qui vt calumniæ causa negociú faceret, vel non
faceret, pecuniam accepisse dicetur: intra annum in quadruplum eius pecuniæ. quá accepisse dice-
tur: post annum, simpli in factum actio competit. Addit; Si id fiat in publicis iudicijs, locú esse legi
Iuliæ repetundarú. quod & Marcellus respondit [h]. Adijcere possumus & iudiciú concusionis [i], &
2 legis Corneliæ de falsis [k], & legis Rhemiæ [l], quæ calumniatorib. pœná irrogat. Illud certum est; ex
edicto

a L. 1. de his qui not. inf.
b L. parens. de obse. à lib.

edicto Prætoris, non modò calumniatores quadruplo mulctari, sed & infamia notari [a]. Parcitur
tamen hic patrono vel parenti, vt non teneantur hac famosa actione [b]. Porrò autem licet Iustinia 3
nus hic simpliciter conferat quadruplum furti manifesti, & calumniæ, tamen meminerimus esse
discrimen: quia cùm quis à calumniatore pecuniam reperit, quadruplo res ipsa inest, vt non nisi 4
triplum sit pœna. Vnde & quod ad simplum attinet, hæc actio cōcurrit cum condictione ob tur- 5
pem causam: & eatenus altera alteram consumit [c]. Sanè si non dederim ipse pecuniam: vera pœ-
na erit quadruplum, quod consequar. nam qui misericordiæ causa vltrò pecuniam dedit, ne mihi
fieret negocium, eandem ipse repetit [d]. Hæc ergo actio primùm competit ei, contra quem data est
pecunia: deinde datur quoque repetitio ei, qui honestè dedit: veluti vt non fieret alteri nego-
cium. Quòd si quis dederit pecuniam, vt negocium quis pateretur: non habebit repetitionem.
turpiter enim fecit. Sed illi dabitur repetitio, propter quem datum est vt calumnia ei fiat. Quare
si quis à re pecuniam acceperit, vt mihi negocium faceret, & à me, ne mihi faceret: mihi duobus
iudicijs tenebitur [e]. ¶ *Pecunia*] Idem generaliter & de alio quolibet emolumento siue compen-
dio [f]. ¶ *In hoc data sit.*] Satis est in hoc datam esse pecuniam, vt sit locus huic edicto, etiam si alio- 6
qui nulla fuerit calumnia secuta. Si igitur (inquit Vlpianus [g]) accepit, vt negocium faceret: siue
fecerit, siue non fecerit, tenetur. Non tamen notatur infamia, nisi & calumniatus sit, & calumniæ
causa damnatus [h]. ¶ *Negocium faceret.*] Negocium facere, est aliquem calumnioso iudicio diue- 7
xare. Vt apud Fabium lib. 5. cap. 12. Negotium innocenti facit. Apud Vlpianum quodam loco [i], 8
negotium facere est accusare.

c L. in heredē. §. sed etiam de calumnia.
d L. si quis ab alio. D. illo tit.
e L. at generaliter. D. illo tit.
f L. 3. D. illo tit.
g L. D. l. 3. §. 1.
h L. athletas. §. calumniator. de his qui not. infa.
i L. qui iudicio. de accus.

¶ *Nostra Constitutio oritur.*] Desideratur hæc quoque Constitutio: sed eius loco ascribam aliam
eiusdem Iustiniani, quæ non minus eleganter explicat totum hunc locum. Eius verba ex Nouella
Consti. 124. sunt hæc; Καὶ τοῦτο κελεύομεν παρὰ πάντων τῶν δικαστῶν ἐν παντὶ τόπῳ τῆς ἡμετέρας πολιτείας παρα-
φυλάττεσθαι, ἵνα μηδὲ τοῖς μαγιστριανοῖς, μηδὲ τοῖς ἐπαρχικοῖς, μηδὲ ἄλλῳ οἱῳδήποτε ἐκβιβαστῇ, συγχωρῶσι πλέον τι
παρ' οἱουδήποτε προσώπου σπορτούλων ὀνόματι λαμβάνειν, τῶν τοῖς ἡμετέροις διαγορευομένων νόμοις, οὐδὲ εἰ θείου
τοῦ ἡμετέρου κράτους προφέροιεν κέλευσιν. ἀλλ' εἴ τινα εὕροιεν πλέον τι ἀπαιτοῦντα, ἄδειαν ἐχέτωσαν καὶ συνέχειν, καὶ ἐγ- 9
κλείειν τοῦτον, καὶ τὸ τετραπλάσιον ἀπαιτεῖν, ὅπερ πλέον λάβοι, ἵνα τὸ μὲν ἁπλοῦν τῷ τὴν ζημίαν ὑπομείναντι δίδοται·
τὸ δὲ τριπλοῦν, τῷ φίσκῳ εἰσφέρηται. [Et hoc iubemus vbicunq; locorum nostræ Reip. ab omnibus iu-
dicibus obseruari, vt neque magisterianis, neque præfectianis, neque cuiquam alij executori con-
cedant, quo magis ab vlla persona amplius aliquid sportularum nomine accipiant, quàm nostris
promulgatum est legibus, neque si sacram potentiæ nostræ iussionem proferant. Quin si quem
deprehenderint, qui amplius aliquid exigat, licentiam habēto, & comprehendere eum, & carceri
includere, & quadruplum eius quod amplius acceperit, exigere, vt simplum quidem ei qui dam-
num sustinuit reddatur, triplum verò inferatur fisco.] ¶ *Omnino dupli sunt.*] Hoc est siue reus fa- 10
teatur, siue inficietur. at nō contra omnes omnino personas. Nam serui corrupti actio, saltem ad-
uersus coniugem constante matrimonio non nisi simpli est [k]. ¶ *Inficiatione duplicantur.*] ab initio
autem duplum non continent: sed id aliunde accedit & accidit. Ergo fideiussor damni dati, non
præstabit duplum, cùm id non sit ex prima natura, & conditione obligationis, sed ex nouo rei
conuenti delicto. Aequum autem non est, fideiussores in pœnam vel mulctam, quam non spo-
ponderunt, conueniri, inquit Paulus [l].

k L. vl. de seru. corru.
l L. fideiussores magistratum. de fideiuss.

§. *Item actio.*

1, 2 Actio quod metus causa, à cæteris actionibus quadruplaribus quid differat?
3 In pœna hic quadrupli res inest. & num. 4.
5 Quid, si adhuc intra tempora quæ iudicatis indulgentur res vi extorta perierit? & num. 6.
7 Quid, si ante priorem sententiam iudicis, rem restitui iubentis, res interierit?

Item actio de eo quod metus causa factum sit, à cæteris, de quibus simul locuti su-
mus, eo differt, quod eius natura tacitè continetur, vt qui iudicis iussu ipsam rem actori re
stituat, absoluatur. quod in cæteris casibus non est ita: sed omnimodo quisque in quadru-
plum condemnatur: quod est & in furti manifesti actione.

m L. si cū exceptiōe. §. 1. de eo quod me. cau.
n dict. l. si cum exceptione. § quatenus.

¶ *Quod eius natura tacitè continetur.*] Hunc locum eleganter explicat Vlpianus, his verbis [m]: Si
quis non restituat, in quadruplum iudicium in eum pollicetur Prætor. Quadruplabitur autem
omne, quodcunque restitui oportuit. Satis enim clementer cum reo Prætor egit, vt daret ei resti- 1
tuendi facultatem, si vult pœnam euitare. Rursus paulò pòst idem Vlpianus; Hæc (inquit) actio
cùm arbitraria sit, habet reus licentiam ab arbitrio dato, vsque ad sententiam ab arbitro datam, 2
restitutionem, secundum quod suprà diximus, rei facere. Quod si non fecerit: iure meritoque qua-
drupli condemnationem patietur. Porrò idem Vlpianus [n] tradit, huic quadruplo rem inesse, vt 3
non nisi triplum pœna contineat. Et simul docet, quando interitus ipsius rei condemnationem
redigat ad solum triplum: sed quia confusè id facit, conabimur eius sententiam explicatè propo-
ponere: In condemnatione quadrupli aduersus contumaces, & arbitrio iudicis rem restitui iuben 4
tis non obtemperantes, continetur res ipsa, quæ restitui debuerat. Idq; siue ea adhuc extet, siue in-
terierit. Nihilominus enim semper & æquè præstatur quadruplum. Quòd si post condemnatio- 5
nem quidem, sed adhuc intra tempora, quæ iudicatis indulgentur, res perierit, sine dolo aut cul-
pa eius

pa eius, qni vim vel metum intulit: nihil eius nomine præstabitur; quia scillcet aliunde magna superesse videatur pœna tripli, quæ non sine fœnore actori larcit damnum simpli, & rei motam satis
6 superque multat. Quòd si res non omnino interierit, sed effugerit tantum condemnati possessionem, vt si seruus fugerit: hic reus solam eius nomine cautionem dabit, se persecuturum, & restiturum. si fuerit assecutus, & si dominus hunc seruum suum potuerit consequi, soluitur cautio, &
7 reus qui triplum præstitit, omniuo liberatur. Porrò autem si ante priorem sententiam & arbitrium judicis rem testitui iubenris, res interierit: omnino tenebitur eius nomine reus, etiam si non fuerit in dolo vel culpa: quia videlicet nulla hic fit tripli pœna, quæ sarciat aut penset damnum actoris: quem tamen æquum est, saltem iustam rei suæ æstimationem consequi.

§. *Actionum autem.*

1 Pretor olim quomodo iudiciũ dederit?
2.4.5 Iudicia bona fidei quæ? item fiducia & rei vxoria qua? num. 3.
6 Tantundem valet in actionib. bona fidei officium iudicis, quantum in stipulatione nominatim eius rei facta interrogatio.
7.8.9 Inter actiones stricti iudicij & bona fidei quid interfsit?
10 Contractuum bona fidei descriptio, & num. 11.
12 In bona fidei cõtractib. ex mora vsura etiã debentur.
13.14 Contractus depositi & commodati quales?
15 De bona fidei tã cõtrariis quã directis actionibus VI.
16.17.18 Actio æstimatoria præscriptis verbis quæ?
19 Ex nudo permutationis placito, statim ab altero re præstita, nascitur actio præscriptis verbis. (stio?
20 Quid, si permutationis contractui accesserit stipula
21.23 Hæreditatis petitio bona fidei iudicijs connumeratur, siue tota hæreditas siue pars tantũ petatur.
22 Non tantum ciuilis, sed & possessoria & fideicommissoria hæreditatis petitiones bona fidei sunt.

Actionum autem quædam bonæ fidei sunt. quædam stricti iuris. Bonæ fidei sunt hæc: ex empto, vendito, locato, conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, tutelæ, commodati, pigneratitia, familiæ erciscundæ, communi diuidundo, præscriptis verbis, quæ de æstimato proponitur, & ea quæ ex permutatione competit, & hæreditatis petitio. Quanuis enim vsque adhuc incertum erat, inter bonæ fidei iudicia connumeranda hæreditatis petitio esset, an non: nostra tamen Constitutio apertè eam esse bonæ fidei disposuit.

1 ¶ *Actionum autem quædam bona fidei, &c.*] Olim cùm Prætor iudiciũ dabat, iudicibus à se datis, qui
de controuersia cognoscerent, ius dicebat, quod sequerẽtur in iudicando, & veluti formulam præ-
scribebat, à qua re. edere non possent. Quòd si talis erat causa, in qua ex ipsius rei circunstantiis iu-
dicandum magis esset, quàm certum aliquid prius præscribi posset: Prætor non tam strictam for-
mulam dabat, sed latiorem paulò, atque ita iudicium concipiebat. *SI PARET TITIVM EX VENDI-*
VO CENTVM SEIO DARE OPORTERE, CAIVS IVDEX EX BONA FIDE CONDEMNATO. Dicta sunt i-
2 taque iudicia bonę fidei, in quibus Prætor adderet illud, *EX FIDE BONA.* sicut in iudicio fiduciæ ad-
3 debat, *VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, ET SINE FRAVDATIONE.* In rei vxoriæ, *QVOD ME-*
LIVS AEQVIVS. Tullius in Topicis, In omnibus (inquit) iis iudiciis, in quibus, *EX FIDE BONA,* est
4 additum, plurimus causarum vsus est. id est, vt Boëtius interpretatur, in iis iudices ita dantur, vt nõ
strictas inter litigantes stipulationes, sed bonam fidem quærant. Sic etiam Q Scæuola Pont. Max.
vt refert idem Tullius Offic. lib. 3. summam vim esse dicebat in omnibus iis arbitriis, in quibus ad-
5 deretur, *EX FIDE BONA:* fideique bonæ nomen existimabat manare latissimè: idque versari in tu-
telis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis: quibus vitæ socie-
tas contineretur. In his magni esse iudicis, statuere (præsertim cùm in plerisque essent iudicia cõ-
traria) quid quemque cuique præstare oporteret. Hæc Tullius. Sic noster Paulus ait[a]; Tantundem *a L. quia tantundem.*
6 in bonæ fidei iudiciis officium iudicis valere, quãtum in stipulatione nominatim eius rei facta in- *de neg. gest.*
terrogatio. Et Vlpianus[b] inquit; Ea quæ sunt moris & consuetudinis, in bonæ fidei iudiciis debere *b L. quod si nolit. §.*
venire. Sed nos postea copiosius & aptius cum ipso Iustiniano excutiemus vim actionum bonę fi- *quia assidua. de ædil.*
dei. *edict.*
¶ *Quædam stricti iuris*] Martianus[c] vocat actiones stricti iudicij. Adeò autem hic iu- *c L. in actionibus. de*
7 dex constringebatur intra cancellos formulæ Prætoriæ, vt ne latum quidem vnguem ab ea dis- *in litem iuran.*
cederet, quantumuis æquum alioqui videretur. Quinimo si putum & sine conditione iudicium
dedisset Prætor, veluti, *SI PARET TITIVM SEIO CENTVM MVTVA DARE OPORTERE, IVDEX CAIVS*
CONDEMNATO: nõ potuisset Caius iudex aliter iudicare, tametsi pactum sibi factum à Seio. ne ea
8 pecunia mutua peteretur, Titius allegaret. Sed in iudicijs bonæ fidei. satis erat à Prætore illud esse
additum, *EX FIDE BONA.* ¶ *Sunt hæ.*] Sed cur hę potius? Quòd propriè fuerint *συναλλάγματα.* [res
& negocia quæ in congregatione ciuili contrahuntur,] de quibus hic agitur; & vltro citroq. obli-
9 gatio esse soleat, de qua ex æquo & bono, & ex rerum circumstantijs esset iudicãdum atq; statuen-
dum, eoq; etiá magis. quòd hi sint contractus, quibus vitæ societas potissimùm contineatur, vt ait
Cicero. Iustinia. superiori libro[d] loquens de emptionibus, cõductionibus, societatibus, mandatis, *d §. vlt. supr. de oblig.*
10 ait; His contractib. alterũ alteri obligari, quod alterũ alteri ex bono & ęquo præstare oporteat quę *quæ ex consen.*
quidẽ descriptio est cõtractuum bonæ fidei. Idem Iustin. superius docuit[e]; id quod in lege condu- *e § pen. supr. de loca.*
11 ctionis prætermissum fuerit, ex æquo & bono suppleri. quę nota est cõtractus bonę fidei. Et apertè *& cond.*

rescriptum

rescriptum est [a]; ex locato & conducto actionem, quia sit bonæ fidei, admittere post moram legi- 12
timas vsuras. Quod ad depositum attinet, Vlpianus ait [b]; non esse dubitandum, eius actionem es- 13
se bonæ fidei. Porrò fit & nominatim mentio contractus commodati. Nam de eo loquens Vlpia- 14
nus [c]; In hac (inquit) actione, sicut in cæteris bonæ fidei iudicijs, in litem iurabitur: & rei iudican-
dæ tempus, quanti res sit, obseruatur. ¶ *Negociorum gestorum, mandati, &c.*] Sex actiones, quæ hic 15
subijciuntur, intelligi possunt non modò directæ, sed & contrariæ, vt etiam bonæ fidei habeantur,
si agat negociorum gestorum, mandatarius, depositarius, tutor, commodatarius, creditor [d].
¶ *Tutela.*] Vel etiam pro tutelæ [e]. ¶ *Quæ de æstimato proponitur.*] Hęc actio æstimatoria propriè 16
nascitur, cùm res certo precio æstimata alicui traditur vendenda, vt vel dictum precium referat,
vel rem ipsam. Et quoties (inquit Vlpianus [f]) de nomine alicuius contractus ambigitur, conuenit
tamen aliquam actionem dati, datur æstimatoria actio præscriptis verbis. Addit deinde Vlpia- 17
nus, quod huc propriè pertinet; Negocium ciuile hic geri, & quidem bona fide. Ideoq; omnia hic 18
locum habere, quæ in bonæ fidei iudicijs dicuntur. ¶ *Quæ ex permutatione.*] Ex nuda permutatio-
nis conuentione & placito, statim atque res ab altero præstita est [g], oritur hæc actio præscriptis ver- 19
bis: vt scilicet alter quod debet, præstet, vel id quod accepit, restituat. Cæterùm si contractui per- 20
mutationis accesserit stipulatio, ageretur actione ex stipulatu [h], quæ stricti iuris est, ¶ *Hæreditatis*
petitio.] Etiamsi ea intendatur aduersus possessorem rei vnius alicuius, modò ea sit hæreditaria. 21
Neque enim id mutat conditionem huius petitionis. Nam nec tam inspicimus conditionem rei,
quàm ius actoris [i]. Neque verò tantùm ciuilem hæreditatis petitionē iudicare debemus esse bonæ 22
fidei: sed & possessoriam & fideicommissoriam hæreditatis petitionem; cùm hæc iudicia omnino
similia sint [k]. ¶ *Nostra tamen Constitutio.*] Extat Iustiniani Constitutio [l], de iure legatariorum vel
creditorum quandiu pendet hæreditatis petitio: cui sub finem adijciuntur hæc verba; Illo (ne in
posterum dubitetur) obseruando, vt & ipsa hæreditatis petitio omnimodo bonę fidei iudicijs con
numeretur.

a L. præses C. de loca.
b L. 1 § hanc autem. D. deposi.
c L. 3 § in hac. D. cōm.
d L. ex maleficijs. § 1. de oblig. & actio. l. in rebus. § item l pen. Commod. l. si seruum. de pign. act.
e L. 1. §. in pro tutela. l. pen. de eo qui pro tu. neg. gest.
f L. 1. de æstimat.
g L. ex placito. C. de rer. per.
h L. cum precibus. C. de rer. per.
i L. 1. § 1. D. si pars hære. peta.
k L. 2. de possess. hær. per. l. 2. de fid. hær. petit.
l L. vl. C. de peti. hær.

§. *Fuerat.*

1 Arbitrij rei vxoriæ formula olim quæ?
2.3.18 Dotis causa præcipua vbique est & semper priuilegiata.
4 Ius antiquum hac in re moribus iam est mutatum.
5.6 Doarium Gallorum quale?
7 De doario quod ex partium conuentione proficiscitur.
8.23 Donorum nuptialium causa posterioribus etiam tacitis hypothecis postponitur.
9 Etsi nulla interuenerit de restituenda dote stipulatio, tamen fingitur interuenisse.
10 Quid, si omnino dos non sit; vt non iusto matrimonio.
11 De promissa dotis exactione, quæ marito competit.
12 Si stipulatio siue promissio dotis hic nulla interuenerit, nulla etiam fingi potest.
13 Si quis dotem simpliciter dederit, cur non credatur stipulatus, eam sibi reddi?
14 Stipulationi de dote quomodo beneficium bonæ fidei & natura rei vxoriæ accommodata sit?
15 Subrogatum sapit naturam eius in cuius locum est surrogatum.
16 In actione ex stipulatu dotis causa, tam viro contra mulierem, quàm mulieri contra virum tacita hypotheca competit.
17 Tacita hypotheca ius cum ipsa actione ad vxoris heredem, etiam extraneum, qui transeat?
19 Mulier an secundum tantummodo creditorem ab hypotheca rep. llat. & num. 20. 21.
22 Priuilegium dotis an ad heredem transeat?

Fuerat antea & rei vxoriæ actio vna ex bonæ fidei iudicijs: sed cùm pleniorem esse ex stipulatu actionem inuenientes, omne ius, quod res vxoria antea habebat, cum multis diuisionibus in actionem ex stipulatu, quæ de dotibus exigendis proponitur, transtulerimus: meritò rei vxoriæ actione sublata, ex stipulatu actio; quæ pro ea introducta est, naturam bonæ fidei iudicij tantùm in exactione dotis meruit, vt bonæ fidei sit. Sed & tacitam ei dedimus hypothecam. Præferri autem alijs creditoribus in hypothecis tūc censuimus, cùm ipsa mulier de dote sua experiatur, cuius solius prouidentia hoc induximus.

¶ *Fuerat antea & rei vxoria actio.*] Tullius in Officijs scribit, formulam arbitrij rei vxoriæ fuis- 1
se; QVOD AEQVIVS MELIVS: Eius quoque meminit Iabolenus [m], & Proculus [n]. Sanè scribit Pom- 2
ponius [o]; dotis causam semper & vbique præcipuam fuisse, quia & Reipub interfit, mulieribus do
tes conseruari. Et videmus in hanc rem multa Iure Ciuili priuilegia concessa esse, quæ passim refe- 3
runtur à nostris Iurisconsultis. Sed & apud Athenienses Solon, cùm statuisset dotem soluto matri-
monio mulieri reddi: ne cessaretur, etiam voluit à tempore moræ pendi vsuram sesquidrachmalem, siue sesquicentesimam. Romanæ tamen leges marito aliquid temporis indulserunt ad dotem restituendam. Quod & Cicero libro 16. ad Attic. significat, inquiens; Sese vltro de iure suo decessisse, & magnam iuris fecisse iacturam, quòd mulieri, quam repudiauerat, dotis partem ante
diem restituisset. Hodie moribus Galliæ omnia hac in re mutata sunt. Neq; enim propriè dos am- 4
plius restituitur, si non conuenerit. Sed præter emolumentum coniugalis societatis siue communionis tribuitur vxori superstiti, vsusfructus certæ portionis bonorū mariti, quod *Doariū* dicimus. 5
Sicut & Iustinianus in Nouella sua Constit. centesimadecima septima voluit, mulierem superstitem con-

m L. in his rebus. §. vlt. de solut. mat.
n L. si cùm Cornelius. de solutionib.
o L. 1. D. solut. mat.

tem consequi vsumfru. quartæ partis bonorum mariti, si non essent plures quàm tres filij hære-
6 des: & vbi plures essent, tantæ portionis, quanta vni filiorum competeret. Verùm hodie sub-
lata dotis restitutione longè iustior est nostri doarij causa. Ideoque nos ei, quasi dotis loco substi-
tutum sit, tribuimus priuilegia dotis. quanquam aliud sit de illo, vt ita loquar, doario, quod
7 non lege aut consuetudine defertur, sed ex partium conuentione proficiscitur. Hucque refer-
ri potest, quòd Iustinianus[a]. vbi tuetur ius tacitæ hypothecæ, quæ doti tribuitur, eamque
præfert omnibus aliis tacitis hypothecis, etiam antiquioribus, si modò pari priuilegio non
8 nitantur, nominatim id ademit donis nuptialibus, quorum causam postponit etiam posterio-
ribus tacitis hypothecis. ¶ *Pleniorem ex stipulatu actionem.*] Etiam quoque certiorem, nec temerè
vnquam deficientem, cùm Iustinianus statuerit[b]; vt, si nulla interuenerit de restituenda dote sti-
9 pulatio, nihilominus fingatur interuenisse: vt non posit actio deesse, cùm apparet dotem esse da-
tam. Sanè etiam olim Q. Mutius Saturninus respondit[c]; Maritum, qui iurauit dotem sibi datam,
vxori eo nomine teneri vtili actione de dote restituenda.
¶ *De dotibus.*] Vel quasi dotibus, veluti si quid seruo dotali sit legatum cõtemplatione mulieris[d].
10 Quid autem, si omnino dos non sit, vt quia non sit iustum matrimonium[e]? Certè si mulier igno-
tans dotem dederit: eam repetet condictione ob causam[f]. Et vtetur priuilegio prælationis[g].
¶ *De dotibus exigendis.*] Hoc est, Soluto matrimonio repetendis vel recipiendis. Theophilus ver-
11 tit, περὶ ἀνάληψιν τῆς προικός, [ad receptionem dotis.] Cæterùm quod attinet ad promissæ dotis ex-
actionem, quæ marito competit, sufficit nudum pactum[h], simplexque promissio: adeò vt nec eli-
di posit exceptione Senatusconsulti Velleiani[i]: & nisi detur dos promissa. iure posit maritus
denegare vxori alimenta & hospitium[k]. non enim tum cogitur habere indotatam[l]. Est autem &
ea actio bonæ fidei, qua maritus dotem exigit: sicutetiam ea habet tacitam hypothecam. Sed in
12 hanc rem non fingitur vlla stipulatio, cùm sufficiat pactum nudum, si interuenerit: & si non in-
teruenerit, nulla fingatur promissio. nam alioqui nullum esset absque dote matrimonium: quod
13 tamen esse posse Lex ait[m]. Sed & si quis dotem simpliciter dederit, nõ credetur stipulatus eam sibi
reddi. Nam id esset damnosum mulieri, cuius vnius fauore fingitur stipulatio.
¶ *Transtulerimus.*] Extat Iustiniani Constitutio[n], qua multis verbis explicatur tota hæc transla-
tio, & prolixè refertur, quid singulis actionibus proprium fuerit, quid vtrique commune, quid
denique ex stipulatu actio acceperit ab actione rei vxoriæ.
¶ *Merito.*] Iustinianus in illa sua Constitutione hunc locum tractat his verbis[o]; Sed & si non i-
gnoramus ex stipulatu actionem stricto iure esse vallatam, & non ex bona fide descendere: ta-
14 men quia nouam naturam, de dote stipulatio sibi inuênit, accommodetur ei natura rei vxoriæ. &
bonæ fidei beneficium. Et omnes quidem euentus, quos dos ex stipulatu hábet, maneat pro sua
15 natura exercens. Huc quoque pertinet quod vulgò traditum est; subrogatum referre naturam e-
ius, cui subrogatum est. Ac ne longius abeam; ipsa stipulatio subrogata loco actionis initiatum,
accipit eius conditionem, vt non transeat ad hæredes[p]. ¶ *Sed & tacitam dedimus hypothecam.*] Con-
stitutione Iustiniani verba, quæ huc pertinent, sunt hæc[a]; Et vt plenius dotibus subueniatur: quê-
admodum in administratione pupillarium rerum, & in aliis multis iuris articulis, tacitas hypo-
thecas inesse accipimus: ita & in huiusmodi actione damus ex vtroque latere hypothecam. Ex qui-
16 bus verbis intelligimus; tam viro contra mulierem, quàm mulieri contra virum competere taci-
tam hypothecam: quæ ipsi doti magis, quàm mulieri videtur tribui.
17 ¶ *Si dedimus.*] Nempe actioni ex stipulatu, dotis causa. Vt intelligas hoc ius tacitæ hypothecæ,
ipsi actioni competere, & cum ea transire ad vxoris hæredem[b], etiam extraneum.
¶ *Præferri autem.*] Hæc aduersatiua vocula, AVTEM, indicat ius prælationis non actio-
ni, sed ipsi soli mulieri tribui singulari iure, quod & verum est[c]. Vnde rescriptum est, Priuile-
gium dotis, quo mulieres vtuntur in actione de dote, ad hæredem non transire. Intelligi-
tur enim hoc prælationis priuilegium. Nam aliud dici de beneficio tacitæ hypothecæ iam di-
ctum est.
¶ *Præferri aliis creditoribus in hypothecis.*] Apertiora sunt verba ipsius Constitutionis[d] Iustiniani;
Sancimus, ex stipulatu actionem; quam mulieribus iam pro dote restituenda dedimus, cuique
18 etiam tacitam donauimus inesse hypothecam; potiora iura contra omnes habere mariti credito-
res, licet anterioris sint temporis priuilegio vallati. Rursus idem Iustinianus in Nouella Consti-
tut. 97. προνόμιον (inquit) δεδώκαμεν ταῖς προιξὶν, ὥστε κατὰ τῶν πρεσβυτέρων ὑποθηκῶν ἔχειν πρωτεῖα δί-
καια. [priuilegium dedimus dotibus vt contra antiquiores hypothecas habeant potiora iura.] Et
addit eo loco, mulierem quoque præferri personali priuilegio posterioris creditoris; veluti cuius
pecunia res sit empta, aut domus refecta. Sed excipit ius illius, quem ex instrumento constat ma-
rito nummum dedisse emendæ militiæ causa, & nominatim conuenisse; creditum sibi in tuto fore.
Porrò autem Iustinianus in illa sua priori Constitutione Latina excepit priuilegium alterius prio-
19 ris hypothecæ: cui debeat cedere posterior mulieris tacita hypotheca. Nam & alibi ait[e]; Mulierem
solùm repellere ab hypotheca secundum creditorem. Vnde credimus: mulierem non præferri
prioribus, saltem expressis, aliorum creditorum hypothecis: sicut nec iis præfertur fiscus[f]. Nam &
iniquum esset, iuri meo, expressaque causa mihi quæsito, esse fraudi indulgentiorem fauorem se-
quentis matrimonij, & securos eludi creditores. Præferetur tamen mulier tacitis aliorum, quan-
quam etiam prioribus hypothecis, si non pari nitantur priuilegio[g]. Cùm autem fiscus & anti-
quiori, & expressæ aliorum hypothecæ, in rebus post contractum debitum acquisitis[h] præfera-
Ff tur:

a L. assiduis §. hæc autem. C. qui pot. in pig.
b L. vnica. in princ. C. de rei vxor. act.
c L. si duo patroni. §. Marcellus de iureiur.
d L. 3 de fund. dot.
e L. 3. de iur. dot.
f L. 1. C. de condict. ob caus.
g L. si sponsa. de iu. dot. l. 2. § pen. de priuil. cred.
h L. ad exactionẽ. C. de dot promiss.
i L. vlt. C. ad Velleia.
k L. vl. C. de neg. gest.
l L. si donaturus § 1. de cond. ob cau. dat.
m L. quod si nulla. de relig. & sumpt. fu.
n L. vnica. C. de rei vxor. act.
o Dict. l. vnica §. sed & si.
p L. si eũ. §. Iulianus autem. de iniur.
a Dict. l. vnica §. & vt plenius.
b Dict. l. vnica. §. illo proculdubio.
c L. 4. de priuil. credi.
d L. assiduis. §. ad hæc. C. qui pot. in pig.
e L. vbi adhuc. C. de iure dot.
f L. 8. qui. pot. in pig.
g L. 2. C. de priuil. fisc.
h L. fin. qui. de in pig.

tur: meritò dicemus idem tribui mulieri: vt omnino omnibus præferatur in rebus marito ac- 20
quisitis post datam aut promissam dotem, nam ab eo tempore competit ei ius tacitæ hypothecæ:
quanquam non nisi soluto matrimonio agatur[a].

¶ *In hypothecis.*] In personalibus autem actionibus, etiam veteri iure prælatam fuisse mulierem omnibus creditoribus, constat[b]: eoque exemplo Iustinianus addidit hoc suum nonum beneficium prælationis in omnibus hypothecis saltem tacitis, vel posterioribus expresis. 21

¶ *Ipsa mulier.*] Vel eius filii[c], si hæc mortua sit. ad alios autem non transit hoc dotis priuilegium.
22 Nam & nota est vetus regula; Priuilegium dotis quo mulieres vtuntur in actione de dote, ad hæredem non transire[d]. ¶ *De dote.*] Inquit in sua Constitutione Iustinianus[e]: hæc autem tantùm ad dotem sancimus, non ad ante nuptias donationem, quam suo tempori seruire disponimus, & habere inter creditores sui temporis ordinem non enim pro lucro fouemus mulieres: sed ne dam- 23
num patiantur, suisque rebus defraudentur, curamus.

a Dist. l. vnica. §. & vt plenius.
b L. o §. vlt. cũ le. seq. de priuil. cred.
c Dist. l. assiduis. §. & ideo.
d L. vnica. C. de priu. dot.
e Dist. l. assiduis. §. hæc autem.

§. *In bonæ fidei.*

1 *Explicatur vis actionum bonæ fidei.*
2 *Bonæ fidei contractibus alter alteri obligatur, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet.*
3 *In iudiciis strictis non potest transilire iudex conuentionis septa, nec formulæ Prætoriæ cancellos.*
4 *Pacta contractus adminicula sunt, eiq; legem tribuunt.*
5 *Pacta bonæ fidei contractibus tributa.*
6 *Quid, si rem, quam ex contractu bonæ fidei debes, reddas vlla parte deteriorem?*
7 *Si quid in die debeatur, an interim peti cautio possit?*
8 *Debiti alieni compensatio non admittitur; nisi creditor nomen suum reo cedat.*
9 *Sola obligatio naturalis licet non agendi, tamen compensandi, vt & excipiendi, ius tribuit.*
10 *Compensationem locum habere, etsi ex stipulatu agatur.*
11 *Quod quis compensare petens soluerit, condicere potest quasi indebito soluto.*
12 *Depositi restitutio non potest vlla denunciatione impediri.*
13 *Casus singulares in quibus non admittitur compensatio.*

In bonæ fidei iudiciis libera potestas permitti videtur iudici ex bono & æquo æstimandi, quantum actori restitui debeat. In quo & illud continetur, vt si quid inuicem præstare actorem oporteat: eo compensato, in reliquum is, cum quo actum est, debeat condemnari. Sed & in stricti iuris iudiciis ex rescripto diui Marci, opposita doli mali exceptione, compensatio inducebatur. Sed nostra Constitutio easdem compensationes, quæ iure aperto nituntur, latius introduxit, vt actiones ipso iure minuant, siue in rem, siue in personam, siue alias quascunque, excepta sola depositi actione, cui aliquid compensationis nomine opponi, sanè iniquum esse credimus: ne sub prætextu compensationis, depositarum rerum quis exactione defraudetur.

¶ *In bonæ fidei iudiciis.* Nunc Iustinianus explicat vim actionum bonæ fidei: quã quidẽ latissimè 1
manare dixit Scæuola, & in iis magni esse iudicis statuere, quid quemq; cuique præstare oporteat, vt suprà ex Tullio retulimus. Iulianus, cuius etiam verba retulit alio superius loco Iustinianus[f], lo-
quens de cõtractibus bonæ fidei. inquit[g]; iis alterum alteri obligari, quod alterũ alteri ex bono & 2
æquo præstare oportet. Vlpianus autem ait[h]; ea, quæ sunt moris & consuetudinis, venire in iudiciis bonæ fidei. Rectè itaque Paulus ait[i]; Tantundem in bonæ fidei iudiciis valere officium iudi-
cis, quantũ in stipulatione nominatim eius rei facta interrogatio. Cæterùm in iudiciis strictis nõ 3
tã libera est iudicis potestas, cùm non temerè possit transilire ipsius cõuentionis septa, nec formulæ Prætoriæ cancellos. Vnde & cùm quæreretur de stipulatione, quæ est stricti iuris, respondit Celsus[k]; Quicquid astringẽdæ obligationis causa esset, id nisi palàm verbis exprimeretur, omissum intelligi. Atque vt magis videamus, quàm latè pateat discrimen bonæ fidei & stricti iuris: pacta, quæ
adminicula sunt cõtractus, eique legẽ tribuunt: si incontinenti adiecta sint contractui bonæ fidei, 4
formãt actionẽ[l]: sic vt ipsa ex contractu bonæ fidei actio protendatur ad id, quod est pacto cõprehensum[m]. Et vt pactum incontinenti adiectum censeatur inesse ex ipsius quoque actoris parte, a-
ctionẽque informet, solis bonæ fidei contractibus tribuitur[n]. Sic cõuentio vsurarũ incõtinẽti ad- 5
iecta contractui bonæ fidei, actionem informat[o]. Non etiam, si adiiciatur cõtractui stricti iuris[p].
Quod ad vim cõtractæ obligationis attinet: Si rem, quam ex cõtractu bonæ fidei debes, tradas vl- 6
la parte deteriorẽ, aut vllo modo imminutam: manes obligatus[a]. Atqui eo nomine agi non posset pristina stricti iuris actione: sed de dolo aut in factum ageretur[b]: nisi fortè desideraretur maius aliquod ius, veluti seruitutis[c]. Rursus: Si quid in diẽ debeatur ex cõtractu bonæ fidei: interim saltẽ pe- 7
ti poterit cautio[d]; non peteretur autẽ, si sit obligatio stricti iuris[e]. In iudiciis bonæ fidei statim à tẽpore moræ veniunt fructus & vsuræ[f]. At in iudiciis stricti iuris non nisi à litis contestatione & iudicio cœpto[g]. Huc etiam pertinet, quòd qui stipulatur fundum, non consequatur simul fructus pendentes, nisi eorum quoque nominatim meminerit[h]. Atqui emit fundum, fructus pendentes simul consequitur[i]. Et si pecuniam dederim, vt mihi redderet: habebo ex eodem contractu actionem

f §. vlt. sup. de oblig. quæ ex consen.
g L. consensu. de act. & oblig.
h L. quod si nolit. §. quia assidua. de ædil. edict.
i L. quia tantundem. de neg. gest.
k L. quicquid astringendæ. de ver. oblig.
l L. iurisgentiũ. § quinimo de pact.
m L. in bonæ fidei. de eo quod cer. loco.
n l. bonæ fidei. C. de pact.
o L. cum quidam. §. ex locato D. loc.
p L. quamuis. C. de vsur.
a L. 1. § si res deposita. D. depos. l. 3 § si reddita. D. commod.
b L. exhibitionis. C. ad exhib. l. & eleganter. § non solum de dolo ma.
c L. etiã. de sola. l. Iulianus. §. qui fundum. de verb. oblig.
d L. in omnibus. De iud.
e L. dedi tibi. de condict. cau. data. cau. non sec.
f L. prætor. C. loca. l. 1. §. hãc autẽ. D depos.
g L. 1a fideicõmissis. § ea bis. l. videamus. 2. §. si actionẽ. de vsur.
h L. si filiũ fu. §. 1. de verb oblig l. 3. §. 1. de act empt.
i L. Iulianus. §. si fructibus, de act. empt.

actionem simul & condictionem ob turpem causam. at si debeatur tantùm ex contractu stricti
8 iuris, non nisi condictio datæ pecuniæ erit[a]. ¶ *Inuicem præstare.*] Ipsi reo: nam alieni debiti nulla admittitur compensatio[b]: etiam si is consentiat, cui debetur[c], admittitur tamen, si is suum nomen cedat reo. Deinde ad compensationem necesse est, vt inuicem debeatur illis ipsis nominibus & causis, quibus actum est. Vnde si tutor petat, quod pupillorum nomine debetur: non posse compensationem obiici pecuniæ, quam ipse tutor suo nomine aduersario debet, respondit Paulus[d]. Hic quæsitum est, an si is cui actio cessa est in solutum & non in fraudem, agat, obiici possit compensatio eius, quod is debuit, qui cessit. Certè non admitti hanc obiectionem verius est. Sic enim Caius respondit[e]; Si quis in rem suam procuratorio nomine agat, veluti emptor hæreditatis; an debeat inuicem venditorem defendere. Et placet, si bona fide, & non in fraudem eorum, qui inuicem agere vellent, gestum sit negotium: non oportere inuicem eum defendere.

a L. vlt. de condict. ob turp. cau.
b L. eius. C. de cõpens. l. pen. D. hoc tit.
c L. in rem. 2. §. de compensat.
d Dict. l. pen.
e L. si quis in rẽ suam. de procurat.

9 ¶ *Oporteat.*] Etiam si sola obligatione naturali, nam ea licet non tribuat ius agendi: tribuit tamen compensandi[f], vt etiam excipiendi. Oportet autem semper obligationem esse præsentem, simul & actionem, si qua sit. Nam quod in diem debetur, non potest compensari, antequam dies veniat: quanquam dari oporteat, inquit Vlpianus[g]. Et quæcunque per exceptionem perimi possunt, in compensatione non veniunt ait Iabolenus[h]. ¶ *Eo compensato.*] Sed quid si iudex non cõpensarit? Respondet Vlpianus[i]; Si rationem compensationis iudex non habuerit, salua manet petitio. Nec enim rei iudicatæ exceptio obiici potest. Aliud dicam, si reprobauerit compensationem, quasi non existente debito. Tunc enim rei iudicatæ nocebit exceptio.

f L. etiã. de compens.
g L. quod in diem. D. illo tit.
h L. quæcũq. D. illo tit.
i L. quod in diem. D. illo tit.

¶ *In reliquum.*] Si quid amplius sit, & debeatur post compensationem[k]. Cæterùm si nihil sit reliquum, nulla erit condemnatio. nam si tantundem inuicem debeatur quantum petitum est: non dubium est totum compensari[l]. Quòd si plus deberetur, certè iudex, quod post compensationem reliquum est, non condemnabit actorem reo præstare: quia nec id petierit reus: magisque pertineat ad reconuentionem, quàm ad compensationem. ¶ *Debeat condemnari*] Hic propriè agi videtur de compensatione, quàm reus obiecit ante condemnationem vel sententiam. Sed tamen meminerimus etiam post condemnationem obiici posse, nempe ipsi executioni, & cùm agitur ex iudicati causa[m]. Nam nec sententiam conuellit hæc exceptio. Imò verò qui compensat, soluere videtur[n]: atque ideo sententiæ & condemnationi parêre. ¶ *Ex rescripto Diui Marci.*] Non arbitror hoc rescriptum extare, nec satis constat an id primus statuerit diuus Marcus. Certè Vlpianus[o] re-
10 fatur Iulianum scripsisse; compensationem locum habere, etsi ex stipulatu agatur. ¶ *Nostra constitutio*] Extat hæc Iustiniani Constitutio libro quarto Codicis[p].

k L. inuicẽ. C. illo tit.
l L. si tutores. C. illo tit.
m L. fieum militi. §. 1. D. illo tit. l. 2. C. illo tit.
n L. si debitor. D. qui pot. in pig.
o L. si ambo. §. vlt. de compensat.
p L. vlt. C. de cõpẽsat.

¶ *Quæ iure aperto nituntur.*] Iustinianus in sua Constitutione ait; Ita tamen compensationes obiici iubemus, si causa, ex qua compensatur, liquida sit, & non multis ambagibus innodata, sed possit iudici facilem exitum sui præstare. Deinde paulò pòst addit; Hoc itaque iudices obseruent, & non procliuiores ad admittendas compensationes existant: nec molli animo eas suscipiant: sed iure stricto vtentes, si inuenerint eas maiorem & ampliorem exposcere indaginem, eas quidem alij iudicio reseruent: litem autem pristinam iam penè expeditam, sententiam terminali compo-
11 nant. ¶ *Ipso iure minuant.*] Sic, inquit Vlpianus[a], vt si quis compensare potens soluerit, condicere possit, quasi indebito soluto. Idem Vlpianus alibi probat sententiam Marcelli, qui respondit[b]; condici posse id, quod pro impensis necessariis compensari solet, si dos tota vltro soluta sit non habita impensarum ratione. Porrò autem quanquam ita minuatur ipso iure debitum propter compensationem: eam tamen nominatim opponendam esse, & à reo disertè obiiciendam, alibi admonet Iustinianus[c]. Nam nec aliter posset iudex ariolari locum esse compensationi. Sic dicitur Lex Falcidia ipso iure minuere legata[d]; & tamen constat eam esse proponendam[e]. Et Iustinianus paulò pòst docet, dotem ipso iure necessariis sumptibus minui. atqui certum est, id, nisi petatur, non fieri.

a L. si ambo de cõpẽs.
b L. quod dicitur. l §. si dos tota. de impẽsat. in rebus dot.
c L. vlt. de cõpẽsat. §. cõpẽsationes inf. eod.
d L. linea. Margaritã. D. ad leg. Falcid.
e L. patrem. de in quæ in fran. cred.

¶ *Excepta depositi actione.*] Huius exceptionis meminit quoque Iustinianus in sua Constitutione, quam de compensationibus edidit. Quinimo hoc nomine aliam edidit peculiarem Constitutionem[f], qua vetat, depositi repetitioni vllam compensationem, vel deductionem, vel doli exceptionem opponi. Additque idem esse obseruandum, vbi ex vtraque parte aliquid fuisset deposi-
12 tum. Atque vt magis ostendat libertatem depositi, adiicit; eius restitutionem non posse vlla denunciatione impediri. Et in Nouella sua Constitutione 88. grauem statuit pœnam huiusce inhibitionis siue denunciationis.

f L. pen. C. deposi.

¶ *Sola depositi actione.*] Hæc reuera sola est actio, quæ singulari beneficio in vniuersum eximitur
13 à compensationis lege. Sed interea sunt alij plerique casus singulares, in quibus etiam non admittitur compensatio, vel ratione personarum, vel rerum. Primùm, iis, qui occupatunt possessionem alienam, non dari compensationem scribit Iustinianus[g]. Rursus fauore Reip. rescripsit Imperator Alexander[h]; non esse compensationi locum, si quid ei debeatur ex calendatio aut vectigalibus, aut frumenti oleiue publici pecunia, aut tributis, aut alimentis, aut fideicommisso; aut si is agat, qui statutis sumptibus seruit. Hucque pertinet, quod respondit Papinianus[i]; Ob negotium copiarum expeditionis tempore mandatum, curatorem condemnatum, pecuniam iure compensationis retinere non posse: quoniam ea non compensetur.

g L. vlt. in fi. C. de compensat.
h L. 3. C. illo tit.
i L. ob negotium. D. illo tit.

¶ *Aliquid compensationis nomine.*] Retentionis verò nomine aliquid obiici posse, nempe sumptus in rem depositam factos, receptum est. nam nec propter hanc retentionem aliquis omnino defraudatur exactione depositi: sed tantùm ea differtur, donec impendia soluta sint. Certè

a L. actione de deposi. respondit Marcellus[a]; actione depositi conuentũ, apud eũdem Iudicem vtiliter experiri cibariorũ nomine, quæ dedit seruo apud sese cõstituto. ¶ *Ne sub prætextu.*] Diligẽter notãda est hęc ratio, quæ ostendit hîc propriè agi de actione depositi directa, & qua res ipsa deposita petitur & exigitur. Cæterùm si quis agat contraria, veluti si depositarius repetat sumptus, quos in rem depositam fecit: erit compensationi locus. agitur enim solùm de calculo: & nulla est ratio, quæ impediat compensationem.

§. *Præterea.*

1. *Continuatio huius §. ad præcedentem.*
2. *In stricti etiam iuris actionibus arbitrio suo iudex reũ condemnare an possit?*
3. *Arbitrium quid significet? & quid dicatur? num. 5.*
4. *Non semper in iudicio de dolo, arbitrium iudicis dandum est.*
6. *De actione arbitraria, qua id quod certo loco promissum est petitur. & num. 7. 8. 10.*
9. *An in hac actione arbitrium dandum ante sententiam.*
11. *Arbitrarias actiones ab actionibus bonæ fidei parum differre, fallit num. 12.*
13. *Exoleta illa iudiciorum Romanorum formula plus habent molestiæ quàm vtilitatis.*
14. *Omnia propè iudicia hodie sunt arbitraria.*

Præterea quasdam actiones arbitrarias, id est, ex officio iudicis pendentes, appellamus: in quibus, nisi arbitrio iudicis is, cum quo agitur, actori satisfaciat: veluti rem restituat, vel exhibeat, vel soluat, vel ex noxali causa seruum dedat; condemnari debeat. Sed istæ actiones, tam in rem, quàm in personam inueniuntur. In rem: veluti Publiciana, Seruiana de rebus coloni, quasi Seruiana, quæ etiam Hypothecaria vocatur. In personam: veluti quibus de eo agitur, quod vi aut metus caussa, aut dolo malo factum est. Itẽ, cùm id quod certo loco promissum est, petitur. Ad exhibendum quoque actio ex arbitrio iudicis pendet. In his enim actionibus & cæteris similibus permittitur iudici, ex bono & æquo secundum cuiusque rei de qua actum est, naturam æstimare, quemadmodum actori satisfieri oporteat.

¶ *Præterea quasdam actiones arbitrarias.*] Dictum est, actiones aut esse bonæ fidei, aut stricti iuris. Et 1
quidem in his quàm stricta Prætoris formula sit, quamque ea constringatur iudex datus, nihil vt
eius libero arbitrio atque æstimationi relinquatur, sæpe dictum est. Sed id non esse perpetuum,
nunc docet Iustinianus. Sæpe enim accidit, vt ex causa iusta Iudex possit suo arbitrio reum condé- 2
nare, non secus atque in Iudiciis bonæ fidei: in eumque casum Prætor liberiorem concipiat & la-
xiorem Iudicij formulam, vt possit iudex condemnare, vt illi æquum esse videbitur. Arbitrij si- 3
gnificatio communis nota est pro libero iudicio atque æstimatione. Sed est alia quoque in iure
Ciuili notatio huius verbi: vt significet quandam Iudicis veluti interlocutionem, aliquid dari aut
b L. arbitrio. de dolo l. item si eum. §. hæc autem actio. de eo quod me. cau. fieri iubentis[b]. Vtramque significationem hîc Iustinianus vsurpare videtur, cum ait; Arbitrarias
esse actiones, quæ ex arbitrio iudicis pendent, vt nisi reus arbitrio Iudicis satisfaciat actori, Iudex
æstimare possit, quemadmodum condemnare eum debeat. Et quidem in plerisque & propè o-
mnibus iudiciis arbitrariis, vtrumque arbitrij genus versari videtur. Vt in actione de Dolo, &
Quod vi metúsve causa, Prætor sic formulam dabat, vt rescisso contractu iudex iuberet rem resti-
tui: quòd si huic eius arbitrio atque iussui contumax reus non parẽret, tum verò eum condemna-
ret, vt æquum esse arbitraretur. At inquiet aliquis; Certa & à lege præscripta tum erat condemna-
tionis quantitas, nempe in quadruplum. Respondeo; priusquam in hoc quadruplum condem-
naretur reus, aut certum esse posset, cuius esset quantitatis quadruplum, Iudicem æstimãsse, quan
ti actoris interesset, propptereaque illi iusiurandum in litem detulisse: & vbi iuratum esset, suo de-
inde arbitrio æstimabat, quid sequi deberet. Non erat tamen illud perpetuum in omnibus arbi-
trariis iudiciis, neque semper præcedebat talis aliquis iussus iudicis rem restitui aut solui arbitran-
c Dig. l. arbitrio. §. 1. tis. Non enim semper in iudicio de dolo (inquit Paulus[c]) arbitrium iudicis dandum est. Quid 4
enim si manifestum sit rem restitui non posse? Ideoque protinus condemnari debeat reus, in id
quod intersit actoris? Dicebatur tamen arbitrium nihilominus iudicium, quia iudex liberam 5
habebat potestatem condemnandi prout arbitraretur, & æquum esse putaret. Sed præcipuè quæ-
ri solet de actione, qua id quod certo loco promissum est, petitur, cuius Iustinianus hic meminit, 6
d L. 2. de eo quod cer. lo. l. si duo §. 1. de const. pecu. & quæ à Iurisconsultis disertè appellatur arbitraria[d]: quanquam Theophilus hoc loco eam præ-
tereat. Certè maximè eam arbitrariam esse facilè intelligemus, si meminerimus, quàm minimè
e L. 2. de eo quod cer. loc. aut stricta fuerit, aut certis finibus conclusa eius formula. Vlpianus ait[e]; arbitrariam hanc actio- 7
nem tam actoris, quàm rei vtilitatem continere: vt vel minoris vel maioris pecuniæ condemna-
tio fiat, prout æquum hîc esse iudex arbitrabitur. Hîc enim iubetur imprimis æquitatem ante
f L. 4. §. vlt. de eo quod cer. loc. oculos habere, vt loquitur idem Vlpianus[f]: qui etiam addit; Iudicem interdum, qui de hac a-
g L. vna C. vbi conu. cer. loc. ctione cognoscit, quia arbitraria est, reum absoluere posse: vt si reus pecuniam vbi promiserat,
actori obtulisset. Sanè Imp. Alexander[g], cùm de hoc iudicio ageret, rescripsit simpliciter, eum, 8
qui

qui certo loco sese soluturum pecuniam obligat: si solutioni satis non fecerit, arbitraria actionè
& in alio loco posse conueniri: in qua veniet æstimatio, quòd alterutrius interfuit; suo loco po-
9 tius, quàm in eo, in quo petitur, solui. Neque tamen nunquam in hac actione arbitrium dabatur
ante sententiam: interdum enim id etiam in ea iudex interponere poterat: vt tanto magis reus
propter suam, non modò moram, sed etiam contumaciam condemnaretur in id quod actoris in-
10 terest. Certè cùm aliud ei proprium nomen non esset. Iurisconsulti (quod alijs alioqui erat com-
mune) specialiter arbitrariam appellarunt. Magis quidem hæc appellatio ad qualitatem actio-
nis quàm definitionem pertinet, cùm scilicet quæritur, non quidem quæ sit, sed qualis sit actio.
Verùm eùm aliud nomen non suppeteret, vsus obtinuit, vt ita appellaretur actio de eo quod certo
11 loco. Illud in vniuersum præterea sciendum est; arbitrarias actiones vix differre ab actionibus
bonæ fidei, si vim & effectum spectes. Nam & in illis, vt in his, libera potestas iudicis iisdem propè
verbis describitur. Et quidem vt in bonæ fidei iudicijs Iudex potestatem habebat æstimādæ co-
gnoscendæque exceptionis, sic & in arbitrarijs[a]. Vnum tamen singulare discrimen notandum
12 est. Constat in iudicijs bonæ fidei; veluti depositi aut commodati; si aduersus reum cuius dolo
res absit, in litem iuretur, condemnato, & hanc litis æstimationem soluenti succurri, vt actor do-
minus suas illi actiones cedat[b]. At in alijs iudicijs non item hoc expeditum est[c]. Certè cauet
reo de euictione is, qui in ijs litis æstimationem accepit[d]. Plura de arbitrarijs actionibus dici
13 possent. Sed hi veteres mores, atque exoletæ formulæ iudiciorum Romanorum. vnde prima hu-
ius rei cognitio dependet, plus habent molestiæ atque tædij, quàm vtilitatis aut voluptatis. Sed
neque eum nunc vsum habent, vt sit in ijs dignum vllum longioris moræ precium. Certè si mo-
14 res nostrorum hodie iudiciorum spectes, & iudicum potestatem; omnia propè iudicia arbitraria
esse videntur: si quidem arbitraria dicamus, in quibus iudici permissum est æstimare, quantum
reus actori præstare debeat.

a L. 3. §. ibidē. ad exhi.
b L. in deposit. de re iud.
c L. nec vllam. § fi. de petit. hered.
d L. ex diuerso § petitor. de rei vind. l. si cùm dos. l. ideoq; Rer. amo.

§. Curare.

1 Continuatio §. huius ad præcedentem.
2 Iudex certam sententiam ferre debet. & num. 9.
3 Res quando iudicata dicatur?
4 Claudij Cæsaris in iudicando varietas.
5.6 Sententia incerta nullam parit iudicati actionem.
7 Iudex cogitur aliquando sequi litis conditionem.
8 Certam pecuniam hic quam intelligamus?

Curare autem debet iudex, vt omnino, quantum possibile ei sit, certæ pecuniæ vel
rei sententiam ferat: etiam si de incerta quantitate apud eum actum est.

1 ¶ *Curare autem.*] Dictum est paulò antè, liberam admodum esse Iudicis potestatem in iudi-
ciis bonæ fidei, & actionibus arbitrariis: ne tamen ea temerè abutatur, meminerit certam esse de-
2 bere sententiam: quæ scilicet perspicuè litem componat, & incertam dirimat cōtrouersiam. Tum
3 enim demum res iudicata dicitur, vbi finem controuersia, pronunciatione Iudicis accepit[e]. Et
Vlpianus indicat[f]; Iudicis partes suscipere, nihil aliud esse, quàm polliceri finem se sententia sua
controuersiis impositurum. Cæterùm finem litibus non imponit: imò verò nouas lites serit, qui
vel obscuram, vel incertam fert sententiam. Scribit Suetonius, Claudium Cæsarem, qui in iudi-
4 cando & decernendo mira fuit animi varietate, de quodam negotio ita ex tabella pronunciasse;
Secundum eos se sentire, qui vera proposuissent; ac propter eiusmodi ridicula pronunciata adeò
euiluisse, vt passim ac propalam contemptui esset. Vtinam hodie Iudices magis inscitia, quàm
malitia hac in re peccent. Nam eos plerunque studio ferre obscuras & ambiguas sententias, ni-
mis notum est.
5 ¶ *Debet.*] Nempe si velit suam sententiam vllius esse momenti. Nam sententia prorsus in-
certa nullam parit iudicati actionem[g]. ¶ *Iudex.*] Sicut & arbiter. nam qui recipit arbitrium, Iu-
dicis partes suscipit, finemque se sententia sua controuersijs impositurum pollicetur[h]. Rectè ita-
que Pomponius ait; Inutiliter arbitrum incertam sententiam dicere, veluti; Quantum ei debes,
6 redde[i]. ¶ *Quantum possibile ei sit.*] Hæc est æquissima moderatio, quæ rationem habet necessita-
7 tis. & permittit Iudicem aliquando sequi litis conditionem. Vt si fuerit obligatio generalis, aut
disiunctiua, Iudex etiam ferat generalem aut disiunctiuam sententiam. Porro autem vbi de causa
Iudici non liquet. ac propterea non potest certam ferre sententiam: pronunciabit sibi de causa
non liquere: sed vt spacium ei ad cognoscendum & pronunciandum detur[k]. Ita non tam feret
sententiam, quàm differet, donec ei certum sit, quid debeat pronunciare.
8 ¶ *Certa pecunia vel rei.*] Hoc est, quantitatis vel speciei. Sed certam intelligimus, si vel aliqua
parte actorum sit certò definita[l]. Sicut & Vlpianus ait[m]; valere sententiam, & si in ea non sit sum-
ma adiecta, si tamen is, qui petit, summam expressent, & Iudex dixerit; Solue quod petitum est.
Idem & si referatur sententia ad aliud scriptum. Vt si Iudex aliquem condemnet, vt quod habet
ex testamento vel codicillis Mæuij, restituat Titio: Sic enim (inquit Vlpianus[n]) accipiendum
est, quasi quantitatem nominauerit, quæ testamēto, vel codicillis relicta est. Hæcque etiam[o] obti-
nent in testamentis, & contractibus.
9 ¶ *Sententiam ferat.*] Fertur autem sententia, condemnando vel absoluendo[p]: non sanè, quòd

e L. 1. de re iudic.
f L. Pōponius ait. §. recepisse. de recep. arbi.
g L. 3. C. de sent. quæ sine cer. quan.
h L. Pōponius ait § recepisse de recep. arbi.
i L. quid tamen §. Pomponius ait. de recep. arbi.
k L. Pomponius ait §. vlt. de recep arbi.
l Dict. l. 3.
m L. an sententiis. de re iudic.
n L. ait Prætor. § 1. de re iudic.
o L. asse toto. de her. instit. l. hac venditio. § pē. de cōtrah. empt.
p Dict. l. 3. & l. 1. de re iudic.

iudicem astringamus nominatim vti verbis condemnationis vel absolutionis (potest enim aliis verbis[a] vti) sed quòd desideremus eum sua pronunciatione finem controuersiis imponere. Quare nec sub conditione ferenda est sententia[b], sed purè.

a L. in sentētiis. de re iudic. l. quid tamen. §. 1. de recept. arbi.
b L. 1 §. biduum. D. quan. appellan sit.
c L. vt fundus. D. cō-mun. diuid.
d L. vlt. C. de fidei-com. libert.

¶ *Etiam si de incerta quantitate actum est.*] Vt interdum agi potest propter naturam obligationis, & poterit quidem prima petitio esse incerta, sed quæ postea ex actis facta sit certior & clarior, sic vt Iudex nihil causari possit, cur non certam ferat sententiam. Verum quidem est; Iudicem non debere excedere id, quod in iudicium deductum est[c]: & stultus iudicatur, qui aliter facit[d]: Sed non est diuersa sententia, quæ nec in re, nec in causa variat: & suam certam definitionem hausit ex ipsis actis. Denique cùm arbitraria actio intendebatur, iudicis erat incertam petitionem certa aliqua sententia definire.

§. *Si quis agens.*

1.2 Qualiter olim caussa quis cadebat ob plus petitionem?
3 Iudicium & arbitrium differunt.
4.6 Minoribus consultum est innumeris autoritatibus.
5 Quod fato contingit, cuiuis contingere potest.

Si quis agens, intentione sua plus complexus fuerit, quàm ad eum pertineat: à causa cadebat, id est, rem amittebat. nec facilè in integrū restituebatur à Prætore, nisi minor erat vigintiquinque annis. Huic enim, sicut in aliis causis causa cognita succurrebatur, si lapsus iuuentute fuerat: ita & in hac causa succurri solitum erat. Sanè si tam magna causa iusti erroris interueniebat, vt etiam constantissimus quisque labi posset: etiam maiori vigintiquinque annis succurrebatur. veluti si quis totum legatum petierit, pòst deinde prolati fuerint codicilli, quibus aut pars legati adempta sit, aut quibusdā aliis legata data sint, quæ efficiebant, vt plus petiisse videretur petitor, quàm dodrantem: atque ideo Lege Falcidia legata minuebantur.

e L. temporales in fi. inf. de excep.

¶ *A causa cadebat, id est, rem amittebat.*] Iustinianus alio postea loco[e] addit pleniorem interpreta-
tionem, ostendens qua ratione rem amittebat, qui plus tempore petebat: nempe, quòd priori iu- 1
dicio nihil consequeretur propter exceptionem dilatoriam: & postea suo tempore volens rursus
agere, summouebatur peremptoria exceptione, quòd rem semel in iudicium deduxisset. Sic ita-
que rem ipso statim iure non amittebat, nec statim cùm primùm ageret: sed cùm semel exceptio-
ne dilatoria summotus, postea rursus agere vellet: nam tum reus petebat, vt Iudex pronunciaret a-
ctorem causa cecidisse propter temeritatem prioris iudicij. Id quod etiam Tullius libro primo de
Oratore non obscurè indicat. & nos eius locum postea referemus. Nunc nobis satis est addere,
quod idem Tullius in Oratione pro Quinto Roscio scribit; eum demum, qui in iudicio plus pe-
teret, causam perdidisse, non etiam si coram arbitris. Verba Ciceronis sunt hæc; Pecunia tibi debe- 2
batur certa, quæ nunc petitur per Iudicem, in qua legitimæ partis sponsio facta est. Hic tu si am-
plius HS. numo petisti, quàm tibi debitum est, causam perdidisti: propterea quòd aliud est iudi- 3
cium, aliud arbitrium. Iudicium est, pecuniæ certæ: arbitrium, incertæ. ad iudicium hoc modo ve-
nimus, vt totam litem aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, vt ne-
que nihil, neque tantum, quantum postulauimus, consequamur. Eius rei ipsa verba formulæ te-
stimonio sunt. Quid est in iudicio? directum, asperū, simplex. Si peteret HS ICↃↃ dari: hîc, ni-
si planum facit HS ICↃↃ ad libellam sibi deberi, causam perdit. Quid est in arbitrio? mite, mo-
deratum, quantum æquius & melius sit dari. Ille tamen confitetur, plus se petere, quàm debeatur:
sed satis superque habere dicit, quod sibi ab arbitro tribuatur. Itaque alter causæ confidit, alter dif-
fidit.

f L. 1. de minorib.
g L. pen. C. de in integ. restit.

¶ *Sicuti in aliis causis causa cognita succurrebatur.*] Notum est Prætoris æquissimum edictum, quo
minoribus vigintiquinque annis succurritur. Vlpianus id commendat his verbis[f]; Hoc edictum
Prætor naturalem æquitatem secutus, proposuit, quo tutelam minorum suscepit. Nam cùm inter
omnes cōstet, fragile esse & infirmum huiusmodi ætatum consilium, & multis captionibus sup-
positum, multorumque insidiis expositum: auxilium eis Prętor hoc edicto pollicitus est, & aduersus
captiones opitulationem. Et sanè huius ætatis tantus est in iure nostro fauor, vt rescriptum sit[g];
Minoribus, in his quæ prætermiserunt, vel ignorârunt, innumeris esse autoritatibus consultum. 4

h L. verū. §. sciēdum. de minor.
i L. ait Prætor. § sed et in iudiciis. de mino.

¶ *Si lapsus iuuentute.*] Hoc est, iuuenilis ætatis inconsulta temeritate. Hic enim Iustinianus obiter
& paucis indicat, quod plenius tradit Vlpianus[h], cùm respondit; non passim minoribus subueni-
ri, sed causa cognita, si capti esse proponantur: nec restitui eum, qui sobriè rem suam administrans,
occasione damni non inconsultè accidentis, sed fato, velit restitui. Nec enim euentum damni in-
dulgere restitutionem, sed inconsultam facilitatem. Vnde cùm locupleti hæres extitisset minor, &
postea casu fortuito res hæreditariæ periissent, negâsse Marcellum esse restitutioni locum: quia non
fuerit captus ætatis lubrico; & quod fato contingit, cuiuis patrisfa. quamuis diligentissimo potuis- 5
set contingere. ¶ *Ita & in hac causa.*] Nam & in vniuersum respondit Vlpianus[i]; Minoribus in 6
iudiciis subueniri, siue dum agunt siue conueniantur, capti sint. Quinimo & si minor, vt cōtumax

condemnatus

cōdemnatus sit, iuuabitur in integrum restitutione[a]. ¶*Atque ideo.*] Apertius fuisset, IDEO QVOD. Nam hîc redditur ratio, cur propter adiecta alia legata, plus videatur petitum: nempe ideo quòd Lex Falcidia ipso iure minuat legata, quatenus excedunt dodrantem hæreditatis: & portio Legis Falcidiæ apud hæredem ipso iure remaneat, vt inquit Vlpianus[b]: adeò vt hoc nomine statim hæredi ius vindicationis competat[c].

a L. minor etiam. D illo tit.

b L. 1. § si quis ex mort. is causa. D. vt legat. nom.

c L. lineam margaritarū. D. ad leg. Falcid.

§. *Plus autem.*

1 *Qui ante conditionem petebat, caussa cadebat; sed ius non amittebat; num. 2.*
3 *Conditionali obligationi rectè hic coniungi obligationem in diem.*
4 *Ratiocinatio ab oppositis siue contrariis in iure frequens est.*
5 *Solidum non magis quantitate solui quàm die.*
9 *Ratio habenda rei, qui temerè conuenitur vt alibi soluat.*
9 *In arbitrarium iudicium hæc actio cur referatur?*
8 *Non eadem vbique vsurarum ratio est.*
9 *Vsura apud Romanos & Græcos centesima quæ?*
10 *Vsura Athenienſium in rei vxoriæ iudicio sesquicentesima.*
11 *Romani vsuram nauticam dupla centesima grauiorē non tolerarunt.*
12 *De eo qui caussa plus petit; & quantum absit ab eo qui re plus petit?*
13 *Quid, si ex duabus rebus disiunctiuè promissis altera perierit?*
14 *Quid, si de loco disiunctiuè conuenisset? quid si de tempore? num. 15.*
16 *Vbi sola est personarum alternatio, plus caussa peti non potest.*
17 *In obligatione generis nemo præsumitur hærere in consideratione vnius alicuius speciei.*
18 *Quid, si debitor vltro per errorem soluerit quod plus petitum est?*

Plus autem quatuor modis petitur: re, tempore, loco, & causâ. Re, veluti si quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti petierit: aut si is, cuius ex parte res est, totam eam, vel maiorem partem suam esse intenderit. Tempore, veluti si quis ante diem vel ante conditionem petierit. Qua enim ratione qui tardius soluit, quàm soluere deberet, minus soluere intelligitur: eadem ratione qui præmaturè petit, plus petere videtur. Loco plus petitur: veluti cùm quis id quod certo loco sibi dari stipulatus est, alio loco petit, sine commemoratione illius loci, in quo sibi dari stipulatus est. verbi gratia, si is, qui ita stipulatus fuerit, EPHESI DARE SPONDES? Romæ purè intendat sibi dari oportere. Ideo autē plus petere intelligitur, quia vtilitatē, quā haberet promissor, si Ephesi solueret, adimit ei pura intentionē. Propter quam causam alio loco petenti arbitraria actio proponitur: in qua scilicet ratio habetur vtilitatis, quæ promissori competitura fuisset, si illo loco solueret, quo se soluturum spopondit. Quę vtilitas plerunque in mercibus maxima inuenitur: veluti vino, oleo, frumēto: quæ per singulas regiones diuersa habēt pretia. Sed & pecuniæ numeratę non in omnibus regionibus, sub eisdē vsuris fœnerārur. Si quis tamen Ephesi petat, id est, eo loco petat, quo vt sibi detur, stipulatus est: puta actione rectè agit. Idque etiā Prætor mōstrat: scilicet quia vtilitas soluēdi salua est promissori. Huic autē, qui loco plus petere intelligitur, proximus est is, qui causâ plus petit. vt ecce, si quis ita à te stipuletur, HOMINEM STICHVM, AVT DECEM AVREOS DARE SPONDES? deinde alterū petat, veluti hominē tantùm, aut decē aureos tantùm. Ideo autē plus petere intelligitur, quia in eo genere stipulationis, promissoris est electio, vtrùm pecuniā, an hominē soluere malit. Qui igitur pecuniā tantum, vel hominē tantùm sibi dari oportere intendit, eripit electionem aduersario: & eo modo suā quidē cōditionē meliorē facit: aduersarij verò suā deteriorē. Qua de caussa talis in ea re prodita est actio, vt quis intēdat hominē Stichū, aut aureos decē sibi dati oportere, id est, vt eodē modo peteret, quo stipulatus est. Præterea si quis generaliter hominē stipulat' sit, & specialiter Stichū petat: aut generaliter vinū stipulatus sit, & specialiter Campanum petat: aut generaliter purpuram stipulatus sit, deinde specialiter Tyriam petat: plus petere intelligitur: quia electionem aduersario tollit, cui stipulationis iure liberum fuit, aliud soluere, quàm quod peteretur. Quinetiam licet vilissimum sit, quod quis petat: nihilominus plus petere intelligitur: quia sæpe accidit, vt promissori facilius sit illud soluere, quod maioris pretij est.

¶ *Ante diem vel conditionem.*] Quanuis hoc loco Iustinianus hæc confundat, multum tamen olim
1 interea fuit discriminis. Nam qui ante conditionem petebat, causâ quidem cadebat, sed ius suum non amittebat: quia eueniente postea conditione, nihilominus poterat rursus agere, vt tradit Paulus[d]: nempe quòd priori iudicio nihil potuit consumere, cùm nihil adhuc deberetur[e]: nec summoueri posset rei prius iudicatæ exceptione, cùm nouo prorsus iure nitatur, nouaque causâ, quæ prius non competebat[f]. Vnde & cùm creditor, cui conditionalis debiti nomine data erat hypotheca, in iudicio succubuisset, perperam ante conditionem agens: nihilominus responsum

d L. bouem. § si sub conditione. de ædil. edict.

e L. cedere diem. de verb. signific.

f L. mater § eād. de except. rei iudic.

est[a]; eum posse expleta conditione vtiliter agere. Sanè cùm hæres damnatus esset, à Titio non pe-
tere: si ab eo adhuc viuo tetitârit petere. perdit actionem: vt nec postea posit ab eius bærede pete-
re[b]. Sed illud ita statutum est; quòd eo casu dies incertus non sit par conditioni: & actio iam nata
erat ex præcedenti causa, solumque ad tempus dilara videbatur petitio. Cæterùm vbi est condi- 2
tionalis obligatio: cùm ante conditionem nihil omnino debeatur, ante conditionem petendo
nihil consumi potuit aut amitri. Sed tamen Iustiniatius hic rectè cotiunxit conditionali obliga- 3
tioni obligationem in diem: quia æquè habeat locum in vtraque noua pœna Constitutionis Ze-
nonianæ. Nam si vetus amissionis pœna olim non infligebatur illi, qui ante conditionem pete-
bat. iti causa fuit, quòd non poterat amitti id, quod nondum erat. Sed pœna Zenonianæ Legis re-
ctè conuenit etiam ei, qui ante conditionem petit: cùm tantùm agatur de suspendenda & longio-
ri tempore differenda petitione.

¶ *Qua enim ratione.*] Ratiocinatur Iustinianus ab oppositis siue contrariis duplicibus. quæ spe- 4
cies argumentatiotiis frequens est in iure Ciuili[c]. Porrò supetioti quoque libro tradidir[d], non so-
lùm in quantitate, sed etiam in tempore minus aut plus intelligi: & plus esse, statim aliquid dare:
minus esse, post tempus dare. Sicque etiam Callistratus respondit[e]: Nam solui solidum, non mi- 5
nus quâtitate, quàm die. Et Vlpianus ait[f]; Eum minus soluere, qui tardius soluit: quòd etiam tem
pore minus soluatur, ¶ *Sine commemoratione illius loci.*] Hoc est, quod postea ait, purè: nulla scilicet
oblata conditione soluendi eo, quo promissum est, loco, vel cõpensandi æstimandique eius, quod
interest promissoris alio loco soluere. Vlpianus quoque ait[g]; Eum, qui Ephesi decem stipulatus
est, vel Capuæ hominem, non debere detracto loco experiri. ne auferat loci vtilitatem reo.

¶ *Ratio habetur vtil tatis, quæ promissori, &c.*] De arbitraria actione, in qua ratio habetur vtilitatis,
quæ competitura erat creditori, si loco conuento & suo tempore fuisset solutum. paulo antè di-
ctum est hic verò cùm agatur de actore, qui plus petit. ratio habetur ipsius rei, qui cùm in mora 6
nondum esset, temerè conuentus est, vt alio loco solueret. Vlpianus agens de officio Iudicis in
hac actione arbitraria, vtriusque rationem haberi ostendit[h].

¶ *Quæ vtilitas plerunque.*] Videtur hic locus desumptus ex responso Caij, cuius verba sunt hæc[i], I- 7
deo in arbitrium Iudicis refertur hæc actio, quia scimus quàm varia sint precia rerum per singulas
ciuitates regionesque: maximè vini, olei, frumenti. Pecuniarum quoque licet videatur vna eadé-
que potestas vbique esse, tamen aliis locis facilius & leuioribus vsuris inueniuntur; aliis difficilius,
& grauioribus vsuris. Sed & Paulus[k], Nonnullam (inquit) precij varietatem loca, temporaque ad-
ferunt. Nec enim tantidem Romæ, vt in Hispania, oleum æstimabitur: nec continuis sterilitati-
bus tantidem, quanti secundis fructibus. Porrò autem non eandem vbique fuisse rationem vsu- 8
rarum indicar Papinianus, dum ait[l]; Arbitrio Iudicis vsurarum modum ex more regionis, vbi
contractum est, constituendum, cùm iudicio bonæ fidei disceptatur. Sanè apud Romanos & Græ- 9
cos vsitatissima fuit vsura centesima, quæ videlicet centesimo mense sortem æquabat, & ex cente-
tiario sortis numo, duodenarium quotannis pariebat fœnoris. Vsi sunt Athenienses in rei vxoriæ 10
iudicio grauiori quadam vsura, nempe sesquicentesima. Sed apud Romanos terrestris vsura ma-
xima & grauissima fuit centesima, vt etiam testantur nostri Iurisconsulti[m]. Apud Græcos liberum
fuit, quamlibet vsuram pro traiectitia pecunia stipulari. Ar Romani nunquam passi sunt vsuram 11
nauticam grauiorem esse dupla centesima. ¶ *Huic, qui loco plus petere intelligitur.*] Ei autem, qui 12
plus repetit, non adeò proximus est, qui plus causa petit. Nam eo nomine differt, quòd qui plus re
petit, petat aliquid omnino indebitum: sed qui nititur obligatione generis, vel disiunctiua, etiam
si certam speciem, vel alteram solùm rem nominatim petat: nihil petit; quòd sit omnino indebi-
rum: (nam & vtraque res promissa continetur obligatione disiunctiua[n], sicut quælibet species ob-
ligatione generis[o]) Sed hic petit plus causa. Neque enim quod simpliciter petit. simpliciter debe-
tur: sed potest debitor aliam rem eligere, quam præstet. Sanè si ex duabus rebus disiunctiuè pro- 13
missis, altera periisset: creditor rectè petet simpliciter alteram, quæ sola superest[p]. Et si pares non
fuerint quantitates disiunctiuè promissæ: poterit creditor nominarim & purè petere minorem:
quasi ea sola sit in obligatione, quam verisimile est debitorem electurum[a].

¶ *In eo genere obligationis.*] In quo videlicet quantitas vel res disiunctiua promissa est.
Cæterùm vbi tantùm de loco disiunctiuè conuenisset: creditori tribueretur electio: ne alioqui is, 14
qui promisit, si in eius arbitrio esset, vbi ab eo petatur, conueniri non posit, alium semper eligens
locum[b], vt hac desultoria leuitate creditorem ludificetur. Sed nec obligatio, in qua non nisi 15
de tempore disiunctiuè conuênit, huc pertinet. Nam ex ea plus causa peti non potest, sed
plus tempore tantùm. Postremò & vbi sola est personarum altertiatio, plus causa peti non 17
posse apparet: siue petat alter duorum reorum credendi (nam sulus in solidum suo iure potest re-
ctè agere[c]) siue solus principalis creditor perat, nulla menrione eius, qui solutioni fortè adiectus
est. Nam & si potuerit debitor huic adiecto rectè aliquando soluere[d]: tollitur tamen hæc facultas
statim atque lis cum principali creditore contestata est[e].

¶ *Si quis generaliter hominem stipulatus.*] Quanuis hic generis creditor non posit purè
ac simpliciter vnam aliquam speciem petere: si tamen paciscatur de vna aliqua certa spe-
cie non petenda, seruabitur pactum, & erit vtile, vt nulla conditione posit peti ea spe-
cies: non tamen perimit aliarum petitionem generalem. Sed disiunctiuè promisso Sticho
aut Pamphilo, si quis paciscatur Stichum non petere, totam perimit obligationem, vt nec
Pamphilum petere posit. Quod discrimen disertè tradit Paulus[f]: sed nullam addit discriminis
rationem,

a L. grego. §. si sub cõditione. de pignor.
b L. non solam debitorem. §. tale legatum de libe. lega.
c L. vlt. §. vlt. de leg. 3. l. 3. D. ad leg. Falci. l. & si contra tabulas. de valg. & pup.
d §. fideiussores. an fi. sup. de fideiuss.
e L. solidum. de solut.
f L. sicut §. vlt. de verb. signif.
g L. 2. §. vlt. de eo quod cer. loc.
h L. 3. §. nũc de officio. de eo quod cer. loco.
i L. 4. de eo. quod cer. loc.
k L. precia rerum. §. vlt. D. ad leg. Falcid.
l L. 1. de vsur.
m L. qui sine vsuris. de nego. gest. l. tutor qui. de adm. tut.
n L. illud, aut illud. de constit. pecu.
o L. Maxim. §. duobus de lega. 2.
p L. 2. §. Scæuola. de eo quod cert. loco.
a L. si quis stipulatus fuerit decem aut quindecim. de verb. oblig.
b Dict. l. 2 §. Scæuola.
c §. ex huiusmodi, sup. de duobus reis.
d §. planè. sup. de inutil stip.
e L. si stipulatus fuero decem in melle. de verb. obligat.
f L. si vnus. §. sed si stipulatus. de pact.

rationem, cùm tamen non soleat esse diuersa conditio harum obligationum [a]. Videtur autem *a L.2.§.1.de ver.obl.*
hæc fuisse discriminis ratio, quòd in obligatione disiunctiua, cùm de paucioribus speciebus, iis-
que nominatim expresis agatur, facilè intelligatur maior erga eas fuisse contrahentium affectio,
quàm in obligatione generis, in qua de infinitis agitur speciebus: & ideo si de vna non petenda
conueniant, videntur eam solam in obligatione disiunctiua considerâsse. Certè si dominus Pam-
phili stipuletur sibi Stichũ aut Pãphilum: in Pam philo vtilis non est stipulatio (vtpote in re pro- *b L.si duo.ad fi.de*
pria) adeò vt etiam si postea fuerit alienatus, non posit tamen solui [b]. Sed aliud est. si hic do- *verb. obligat.*
17 minus generaliter homioem fuisset stipulatus [c], nempe quod in illa obligatione disiunctiua, *c L. qui dec.§. Stich.*
cùm inutilis esset Pampbili stipulatio, videatur quis purè stipulatus Srichum sibi dari: at in ob- *de solut.*
ligatione generis, non ita intelligatur hæsisse in consideratione vnius alicuius speciei, nec ma-
gis videtur de vno seruo sensisse, quàm de alio: sic vt ei fiat satis, si detur homo, cuius oon est inu-
tilis solutio.

¶ *Specialiter Campanum.*] Inter vina Italica maximo semper in precio fuit Campanum. Meminit *d L. stipulation.§ quo-*
quodam loco noster Paulus [d] vini Campani optimi: & Vlpianus [e], vini Campani boni. Sed & si *dã certæ de ver obl.*
quis commune vinum petiisset simpliciter: plus quoque causa videbitur petere: quia pura sua in- *e L. ubi autem. de*
tentione æquè conatur adimere debitori ius & libertatem electionis. *verb. obligat.*

¶ *Tyriam petat.*] Longè omnium laudatisima semper habita fuit Tyria purpura, vt etiam Stra-
bo testatur lib.16. Et Plinius meminit dibaphæ Tyriæ, quæ in libras, denariis mille non poterat e-
mi. Fuit autem quondã Tyrus insula, quæ deinde Alexandri Magni operibus iuncta est cõtinenti.

Plus petere intelligitur.] Et si per errorem debitor vltro soluerit, quod petitur: poterit condice-
18 re, quasi indebitum: & aliam speciem, quam volet, dare. Sic enim Iulianus respondit [f]: Qui ho- *f L. cum is §. vlti. de*
minem in genere promisit, similis est ei, qui hominem aut decem debet: adeoque si cùm existi- *cond. indeb.*
maret se Stichum promisisse, eum dederit, condicet. Alium autem quemlibet dando, liberari
poterit. Sanè tamen hæres, à quo generaliter homo legatus est, si cùm existimaret Stichum lega-
tum esse, eum dederit, non condicet [g]. Notum est autem discrimen inter contractus & vltimas *g L. si is cui. de lega.*
voluntates.

§. *Sed hæc quidem.*

1 Anteriores etiam Principes aliquando ex æquo & bono restituisse actiones iis qui plus petendo formula excidissent.
2 Pœna actoris qui dolo pluris litem æstimauit.
3 De Zenonis Constitutione; item Constantini, iubentis etiam instas fisci actiones tremari; num. 4.
5 Iudex actori non potest plus tribuere quam petierit.
6 Facultas augendæ petitionis, vt eodem iudicio in reliquum aduersarius condemnetur, ex Constitutione Zenoniana est.
7 Rei maior est libertas vel defensionis suæ errorem mutandi, vel nouam defensionem adiungendi.
8 Iudex errorem, quem actor non corriget, nec ipse vltro corrigere, sed reum absoluere debet.
9 A præsenti sæpe reus petitione, nullo interim alterius petitionis quã habet actor præiudicio, absoluitur.

Sed hæc quidem antea in vsu fuerant: postea verò Lex Zenoniana. & nostra, rem co-
artauit. Et si quidem tempore plus fuerit petitum: quid statui oporteat, Zenonis diuæ
memoriæ loquitur Constitutio. Sin autem quantitate, vel alio modo plus fuerit petitũ:
in omne, si quod fortè damnum ex hac causa acciderit ei, contra quem plus petitum fue-
rit, commissa tripli condemnatione (sicut suprà diximus) puniatur. Si minus intentione
sua complexus fuerit actor, quàm ad eum pertineat: veluti si cùm ei decem aurei deberẽ-
tur, quinque sibi dari oportere intenderit: aut si cùm totus fundus eius esset, partem di-
midiam suam esse petierit: sine periculo agit. in reliquum enim nihilominus iudex ad-
uersarium eodem iudicio ei condemnat, ex Constitutione diuæ memoriæ Zenonis. Si
quis aliud pro alio intenderit: nihil eum periclitari placet, sed in eodem iudicio, cognita
veritate, errorem suum corrigere ei permittitur: veluti si is, qui hominem Stichum pe-
tere deberet, Erotem petierit: aut si quis ex testamento dari sibi oportere intenderit,
quod ex stipulatu debetur.

¶ *Sed hæc quidem.*] Quæ scilicet dicta sunt de pœna eorum, qui plus petebant: ideoque actione ca-
derent, & rem amitterent, quanquam hæc seueritas non semper placuerit omnibus anterioribus
1 Principibus. Nam refert Suetonius Claudium Cæsarem ex æquo & bono iis restituisse actiones,
qui plus petendo formula excidissent. ¶ *Lex Zenoniana & nostra.*] Desideratur vtraque Consti-
tutio. Extat quidem Iustiniani quædam Constitutio de plus petitionibus [h]: sed hoc solùm statuit, *h L. multa C. de plus*
vt si quis dolo extorserit maioris pecuniæ, quàm deberetur, cautionem, ex eaque debitorem in ius *petit.*
vocârit, & calumniosa lite fatigârit: huius fraudis conuictus perdat totum debitum. & in Nou.
2 sua Constitut. 15. non nisi litis sumptibus punit actorem, qui dolo pluris litem æstimauit, vt
effugeret cognitionem Defensoris ciuitatis, qui non nisi de aureis triginta iudicabat: & reum po-
3 tius attereret apud Præsidem. Quod autem attinet ad Zenonis Constitutionem, leuius ferimus *i §. hodie autem. inst.*
eius iacturam, quòd alio postea loco Iustinianus perspicuè referat summam eius sententiam [i], *de except.*

Constitutio-

a L.iustas.C.de iure fisci.
b §.tripli verò, supr. eo.tit.
c L. vt fundus.D. cōmu.diuid.l.vlt.C.de fideicom.libert.
d L.nemo de except.
e L.Bebius,in fi.de pact.dot.

Constitutionem Constantini[a],iubentis, etiam iustas Fisci actiones cremari ob hoc solùm, quòd 4
suis temporibus prolatæ non sunt: vt iam calumniæ priuatorum eo saltem arceantur exemplo,
quo iustæ Fisci lites silent:huc non tefero,quia non constat an de actionibus ante diem,an verò se-
rius quàm oportuit,prolatis: neque quid verbo CREMARI sibi velit. & nos in nostro Constantino
aptius ea de re disputabimus. ¶ *Sicut suprà diximus.*]Certè cùm id suprà diceret Iustinianus[b],no-
minatim egit de eo,qui plus petebat,vt maiores sportulas viatores exigetent,ad quem modum si
accipiamus hunc locum, primùm erit necessarius dolus:sed is sufficiet ad tripli condemnationē,
si plus fuerit dolo petitum in fraudem rei debitoris. Verùm cùm desideretur hac de te Constitutio
Iustiniani,multa hic nobis incerta relinquuntur. ¶ *In reliquum enim nihilominus.*] Saltem si ide-
riam postea petierit: vt facilè potest intentionem suam augere. Alioqui certè vix poterit Iudex 5
plus actori tribuere,quàm petierit[c].& hoc iure vtimur. Estque fortasis hæc facultas augendæ pe-
titionis acceptò ferenda Constitutioni Zenonianæ,cuius hîc fit mentio. Certè totum eius benefi- 6
cium in eo est,quòd eodem iudicio in reliquum aduersarius condemnatur. Nam reliquum,cuius
priori iudicio nullam feci mentionem, alio me posse iudicio persequi sine vllo periculo exceptio-
nis rei iudicatæ,cùm non agatur de eadem re:manifestisimi semper iuris fuit.

¶ *Aliud pro alio intenderit.*]Errore scilicet:cuius postea fit mentio. Nam debet aliqua esse iusta cau-
sa,quæ admittat mutationem intentionis. Porrò quod hîc actori tribuitur, multo magis reo ex-
cipienti est tribuendum: cuius maior est libertas: vt vel defensionis suę errorem mutet,vel nouam 7
adiungat defensionem[d].

¶ *Corrigere ei permittitur.*] Quòd si errorem suum non correxerit:quanuis fortasis ex actis Iudi- 8
ci manifestus is sit.Iudex tamen eum vltro non corriget: sed ab hoc iudicio absoluet reum. Verùm
integrum erit,aliam actionem,quæ verè comperit,intendere. Quo & nos iure vtimur. Nec in iure 9
nostro nouum est;teum à præsenti petitione absolui,nullo interim præiudicio alterius petitionis,
quam habet actor,vt est apud Tryphonium[e].

¶ *Veluti si.*] Subiiciuntur hîc duo exempla, in priori error est in ipsa te: in posteriori, er-
ratur in causa. Quòd si in vno iudicio erraretur vtroque modo: etiam admittemus tempestiuam
correctionem.

§. *Sunt præterea.*

1 Actioni de peculio conuenit verbum persequimur.
2 Differentia inter actionem de peculio; & actionem de dote & pro socio, & eiusdem effectus, num. 3. 5.
4 Aucto peculio rursum pater conueniri potest reliqui eius nomine quod nondum est persolutum.
6 Pater non est obligatus supra vires peculij.

Sunt præterea quædam actiones,quibus non semper solidum,quod nobis debetur, persequimur: sed modò solidum persequimur, modò minus. vt ecce, si in peculium filij.seruíve agamus. Nam si non minus in peculio sit, quàm persequimur: in solidum dominus patérve condemnatur. si verò minus inueniatur: eatenus condemnat iudex, quatenus in peculio sit. Quemadmodum autem peculium intelligi debeat, suo ordine proponemus.

f L.vnica.§.cum autem.C.de rei vxor. act.l.verum.§.item videdū est an cautio. D.pro soc.
g L.quoties. §.qui semel.de pecul.
h L.nam & maritus. de cond.ind.
i L.si quis reū.§. idem Iulianus.de libe.lega.
k L.in bonæ fidei. in fi. l.in summa. de pecul.

¶ *Persequimur.*]Huic verbo propriè conuenit subiectum exemplum actionis de peculio: qua v- 1
na propriè non possumus semper persequi solidum,quia nec obligatio excedat vires peculij. Aliis
actionibus, veluti Pro socio,vel Dotis, persequi solidum bene possumus: quanquam non semper 2
consequamur solidum. nec est nihili hoc discrimen. Nam in his posterioribus actionibus, sal- 3
tem præstatur cautio eius aliquando præstandi,quod solido deest, si melior fortuna teo quando-
que obtigerit[f]. At eiusmodi cautionem non præstat pater de peculio conuentus: quanquam
aucto postea peculio rursus conueniri posit eius reliqui nomine,quod nondum est persolutum[g]. 4
Rursus qui verè debent solidum, quod persequimur: si vltro solidum soluerint, nihil postea 5
reperent inopiæ prætextu[h]. At pater, vel dominus, si quid per errorem soluerit supra vires pe-
culij, id condicet, quasi verè indebitum. neque enim obligatur supra vires peculij. Atque
hoc quidem discrimen, quod parum expenderat Iulianus, rectè tradidisse Marcellum refert Vl- 6
pianus[i].

¶ *Si minus inueniatur.*]Nulla scilicet fraude patris vel domini interueniente. Nam si dolo peculium imminuissent in fraudem creditorum: præstarent solidum[k].

§. *Item si de dote.*

1 Maritus tenetur ad dotē quæ in quātitate cōsistit restituendā, quatenus facere potest. fallit num. 7. 8 9.
2 Dotem non in quantitate, sed in certa specie consistentem maritus an integram reddere non debeat?
3.4.10 Beneficium hoc personæ magis quàm caussæ est.
5 Quæ viro hîc tribuuntur, eadem & in persona mulieris seruanda sunt.
6 Quid, si ex delicto conueniatur maritus?
11 Conuentione sua subsidium beneficij huius maritus, quatenus facere posit, *adimere sibi nō potest.*

12 Filij

12 *Filij etiam mulieris, qui patri hæredes extiterunt, non nisi in id quod facere possunt, condemnantur.*
13 *Parentis locum socer obtinet.*
14.15 *Quid, si maritus de sua egestate nihil exceperit?*
16 *Non quod habet totum extorquendum est.*
17 *Quod commodè possumus id tandem posse intelligimur.*
18 *Quid, si mulier ipsa egeat?*
19 *Varia erant olim retentionis genera.*
20 *Mulier quæ primam diuortij caussam dedit, an dotem repetere possit?*
21 *Eæ demum impensæ dotem minuunt, quæ in dotem factæ sunt.*
22 *Si quid in vxorem ipsam impensum fuerit, ad iudicium negociorum gestorum pertinet.*
23 *Si quid ad præsentis modò temporis fructum impensum sit, cum fructibus compensatur. & num. 24.*
25 *Vir suo sumptu res dotales tueri debet.*
26 *Compensationes quæ ad pecuniariam caussam respiciunt marito prosunt.*
27 *Quid, si maritus parum legitimus fit?*
28 *Quasi retentio quæ?*
29 *Impensæ necessariæ & vtiles quæ? & num. 32.33. 34.*
30 *Si dos tota vltro reddita sit, condici potest quod pro impensis necessariis compensari solet.*
31 *Vtilibus impensis mulier oneranda non est.*
35 *Quid, si voluptariæ sint impensæ?*
36 *An desinat dotalis esse fundus, si in eum tantum fuerit impensum quanti est?*
37 *Idem filio; item fratri, tribuendum, quod parentibus tribuitur.*
38 *Socius bonorum, quodam tantum iure fraternitatis idem habet priuilegium.*
39 *Nemo omnino vltra quàm facere potest onerandus est.*
40 *Ex societate alio plerunque quàm societatis iudicio agimus.*
41 *Quatenus facere donator posse intelligendus sit? & num. 42.43.*

Item si de dote in iudicio mulier agat: placet eatenus maritum condemnari debere, quatenus facere possit, id est, quatenus facultates eius patiuntur. Itaque si dotis quantitati concurrant facultates eius: in solidum damnatur. si minus: in tantum, quantum facere potest. Propter retentionem quoque dotis repetitio minuitur. Nam ob impensas in res dotales factas, marito quasi retentio concessa est: quia ipso iure necessariis sumptibus dos minuitur, sicut ex latioribus Digestorum libris cognoscere licet. Sed & si quis cum parente suo patronóve agat: item si socius cum socio, iudicio societatis agat: non plus actor consequitur, quàm aduersarius eius facere potest. Idem est, si quis ex donatione sua conueniatur.

1 ¶ *De dote.*]Saltem ea, quæ in quantitate consistat. nam si in certa specie, quæ adhuc extet: ne-
2 scio an maritus posit non integram reddere. Porrò & si ex alia causa mulier agat: idem marito
3 tribuet. nam beneficium de quo hic agitur, magis est personæ, quàm causæ: semperque tribui debet
reuerentiæ maritali, vt ait Iustinianus[a]. Rectè itaque Modestinus[b]; Non tantùm (inquit) dotis
4 nomine maritus, in quantum facere potest, condemnatur: sed ex aliis quoque contractibus ab v- *a L. vnica. §. cùm autē. C. de rei. vxor. act.*
xore iudicio conuentus, in quantum facere potest, condemnandus est ex Constitutione Diui Pij. *b L. nō tātū. de re iud.*
5 quod & in persona mulieris æqua lance seruari, æquitatis suggerit ratio. Obserua autem, eum di-
6 sertè meminisse contractuum. Nam si ex delicto conueniatur maritus, veluti iudicio rerum amotarum: in solidum condemnabitur[c]: quemadmodum & socius ex doli clausula obligatus[d]. Porrò
huc pertinet Scæuolæ responsum[e], quo traditur; maritum, qui diuortio facto negocia vxoris ges- *c L. si rerū. de re iudic.*
sit, cogi posse ad dotis restitutionem, non modò dotis actione, sed & negotiorum gestorum. Et *d L. sed hoc ita. §. vlt. de re iudic.*
7 tum demum in solidum: vbi non statim cùm administrare cœpit, desiit esse soluendo: vt iure pos-
sit ei imputari, cur tempestiuè solidum à sese non exegerit. alioqui sanè habetur eius ratio, vt non *e L. diuortio. de neg. gest.*
conueniatur vltrà, quàm facere posit.
¶ *Mulier.*]Vel alius à muliere ius habens agendi; veluti ex bonorum publicatione fiscus[f]: vel qui *f L. si maritus qui minus facere. D. solu. ma.*
8 à muliere actionem habet ex cessione aut delegatione[g]. Cæterùm si is agat, qui dotem dedit, eam-
que sibi restitui stipulatus erat: cùm hæc actio de dote nunquam ad mulierem pertinuerit, & qui *g L. si prior. D. solut. mat.*
agit, suo proprio iure agat: non cogetur aliquid tribuere viro, cum quo nihil ei intercedit necessi-
9 tudinis. Verum quidem est: extraneum, qui dotem promisit, non coueniri vltrà quàm facere pos-
sit[h]. Sed hoc beneficium non est ex dotis, sed donationis causa. Ideoque nec ei tribueretur, qui ali- *h L. si extraneus. de iure dot.*
ter obligatus esset dotem dare. ¶ *Agat.*]Ergo hoc beneficium tātùm tribuitur marito, qui à mu-
10 liere conuenitur. Nam si in solidum vltro soluerit, ipse agere non potest, nec quicquam repetere[i]. *i L. nam & maritus. de condic. indebi.*
¶ *Placet eatenus.*]Id alio loco Iustinianus ait[k], æquissimum esse, & reuerētiæ debitum maritali, si
non dolo malo versatus sit maritus. Et sanè inhumanū foret ac turpe, infœlicem maritū odiosius *k L. vnica. §. cùm autē. C. de rei. vxor. act.*
conueniri ab vxore: quam nulla ratio admittit acerbius ad viuum omnia resecare. Nam & maxi-
mi & optimi plerunque viri, non sunt pares restitutioni solidæ dotis. Quod olim accidit clarissi-
mo viro Paulo Æmilio, qui (vt in eius vita scribit Plutarchus) φερνῆς ὀφειλομένης τῇ γυναικὶ, μετὰ τὸν
θάνατον αὐτοῦ γλίσχρως ἐξήρκεσε, [dotis debitæ nomine vxori post obitum suū satisfacere vix potuit.]
Deinde publica honestas & ratio reuerētiæ maritalis, omnino exigit, haberi necessitatis rationē. ad
11 eò vt nec sua cōuētione subsidiū huius beneficij sibi posit adimere marit[9]. Si enim pact[9] fuerit, ne
in id, quod facere posit, condemnetur, sed in solidū: Pomponius Sabinū secutus, negauit hoc pa-
ctum seruandum: quod & Vlpiano[l] visum est. Nanque (inquit) contra bonos mores id pactū esse: *l L. alia causa §. vlt. D. solut. mat.*
quippe

quippe cùm id esse appareat contra receptam reuerentiam, quæ maritis exhibenda est. ¶ *Mari-* 12
tum.] Sed & filios mulieris, qui patri hæredes extiterunt, non nisi in id quod facere possunt, con-
demnandos Labeo ait[a]. Socero quoque cum quo nutus de dote agir, idem tribuitur[b]: quia pa-
rentis locum socoro obtineat. ¶ *Condemnari.*] Quòd si maritus de sua egestate nihil exceperit: post 13
condemnationem in solidum, adhuc poterit suam inopiam opponere ipsi executioni. Er si cùm 14
eius exceptionem proposuisset, iudex ignorantia iuris lapsus, nihilominus eum condemnarit in 15
solidum. Neratius & Sabinus doli exceptione eum vti oportere aiunt: eaque tutum fore mari-
tum[c].

¶ *Quatenus facere possit.*] Ipso videlicet rei iudicatæ tempore. nam hoc tempus hic spectatur[d].

¶ *Id est, quatenus facultates eius patiuntur.*] Neque tamen totum quod habet, extorquendum est: 16
sed habetur ratio, ne egeat[e]. Nam nec amplius facere posse intelligitur, quàm id quod commodè 17
potest. Quòd si mulier ipsa egeret: fortasis ad viuum magis omnia resecabit, vt nō nisi de eo, quod 18
superest, cogatur esse liberalis[f]. ¶ *Nam ob impensas.*] Explicat retentionis genus, quam hic tractat. 19
Fuit autem alia olim retentio ob liberos; item ob res amoras; atque etiam ob mores, quam Iusti-
nianus sustulit[g]. Certè mulierem, quæ primam diuortij causam dedisset, non potuisse totam re- 20
petere dotem: sed liberis communibus, qui patrem sequebantur, debuisse partem relinquere, in-
dicat Cicero in Topicis. Adulteram quoque perdidisse totam dotem constat. Quinimo Theodo-
sius in vniuersum aliquando voluit[h]; virum lucrati dotem, si quam probâsset iustam diuortij cau-
sam. ¶ *In res dotales factas.*] Inquit Vlpianus[i]; In necessariis impēsis hoc sciendum est; eas demum 21
impensas dotem minuere, quæ in dotem factæ sunt. Cæterùm si in dotem factæ non sint: non ha-
bent in se reputationem. Et sanè si quid in vxorem ipsam impensum fuerit, non pertinet ad retē- 22
tionem dotis: sed ad iudicium negociorum gestorum[k]. Sed nec satis est, in rem dotalem esse im-
pensum, nisi sit in perpetuos illius vsus impensum. nam si quid ad præsentis modò temporis fru- 23
ctum impensum sit, cum fructibus compensari docet Vlpianus[l]: sicuti etiam id, quod fructuum
percipiendorum causa impenditur[m]. Est etiam vbi nihil imputet maritus, licet fundum dotalem 24
in posterum quoque reddiderit fortè fructuosiorem: veluti, si ex eo marmor exciderit, neque e-
nim recuperat impēsam eo nomine factam[n]. Eam enim magis sibi fecit: eamque reputare debet,
abundè esse pensatam emolumento excisi marmoris: etiam si non reputet, quòd eo exciso, dota-
lem fundum iam veluti exossatum, reddiderit in perpetuum fertiliorem. Nam nec vllum certum
paratumque fructum reliquit vxori, quem illa percipiat sine sua cultura & cura. Postremò admo-
net Neratius[o], quod dicitur; impensas, quæ in res dotales necessatias factæ sunt, dotem minuere;
ita interpretandum esse, vt si quid extra tutelam necessariam, in res dotales impensum sit, id de-
mum in ea causa sit. Nam virum suo sumptu tueri debere res dotales. 25

¶ *Marito.*] Eiúsve hæredi. qui licet in solidum condemnetur: compensationes tamen, quæ ad
pecuniariam causam respiciunt, ei prosunt, vt hoc minus sit obligatus: veluti ob res donatas, & a- 26
motas, & impensas, inquit Paulus[p]. Porrò cùm hic de marito loquimur, intelligi debet maritus
verus, & legitimus. Cæterùm si quis tantùm sit putatiuus, contracto fortè per errorem matrimo- 27
nio parum legitimo: primùm cum fructibus compensare & conferre debebit, quod impendit.
Nam respondit Papinianus[a]; Sumptus necessatios in prædia, quæ dotalia videbantur, factos, non
nisi compensatis fructibus perceptis ad finem superflui seruari.

¶ *Quasi retentio.*] Quæ scilicet non tam dotem retinet, quàm minuit. aliud est enim (inquit Mar- 28
cellus[b]) minorem esse factam dotem: quod per impensas necessarias accidit: aliud pignoris no-
mine retineri ob ea, quæ innicem mulierem præstare æquum est. Rectè itaque Iustinianus tradi-
dit[c]; non satis idoneam esse retenrionem dotis ob impensas; cùm necessariæ quidem impensæ, e-
ius quantiratem minuant ipso iure: ob vtiles verò competat actio mandati, vel negociorum ge- 29
storum. Porrò si dos tota vltro reddita sit, nihilominus condici poterit quod pro impensis neces- 30
sariis compensari solet[d].

¶ *Necessariis sumptibus.*] Vtiliū autem impēsarū nomine non debere sic onerari mulierem igno- 31
rantem vel inuitam, vt cogatur dote carere, tradit Paulus[e]. Sed quid de iis statuendum sit, id cla-
rius alio loco explicat[f]; docens; vtilium impensarum nomine ita fieri deductionem, si voluntate 32
mulieris factæ sint, eaque sit aliunde soluēdo. Vnde quod ait Iustinianus[g]; marito cōpetere nego-
tiorū gestorū actionē, si ignoráte muliere, aliquid vtiliter in rem eius impenderit; accipiendū est,
cùm mulier probè soluendo est, nec cogitur propterea dote carere, sed aliunde satis habet, quo re-
pendat vtilē hunc sumptū. Vtiles autē impensas dicimus, quæ meliorē dotem faciát, non deterio- 33
rem esse, non sinant. Sic enim legendum esse Pauli responsum[h], ostēdit ex Pandectis Florentinis
Ant. Augustinus libro emendat. 1. cap. 2. vt intelligamus; non satis esse, illis impensis dotem dete- 34
riorem esse non sinere, sed meliorem dotem facere oportere: alioqui necessarias diceremus, sine
quibus deterior fieret. Porrò quòd attinet ad voluptuarias impensas, etiamsi voluntate mulieris 35
factæ sint, & alioqui soleat hic consensus actionem tribuere[i], nullam tamen habent exactio-
nem[k]. sed si eam reijciat mulier, pati debebit auferri, quod recipit separationem[l], & marito pot est
esse vsui. ¶ *Dos.*] Hoc est, vt ait alio loco Iustinianus[m], dotis quantitas. vt hic intelligas, dotalia
corpora non minui, saltem si non æstimata in dotem data sint. quod post longam disputationem
Vlpianus Pomponium secutus[n] tradidit. Itaque videtur non fuisse receptum, quod dixit aliquan- 36
do Scæuola: Desinere dotalem esse fundum, si in eum tantū fuerit impensum, quanti est nisi mu-
lier sponte marito intra annū eas impensas obtulerit[o]. ¶ *Ex lat eribus Digestorum libris.*] Tractatur

hæc res

---

a L. etiā. D. solu ma.
b L. rei iudicatæ. D. illo tit.
c L. ex diuerso. §. vlt. D. illo. tit.
d L. rei iudicatæ.
e L. in condemnatione. de reg. iu. l. inter eos. §. 1. de re iudic.
f L. si quis à liberis. §. de alimentis. de libe. agno.
g L. vnica. §. taceat. C. de rei vxor. act.
h L. consensu. §. virū. C. de repud.
i L. 1. §. 1. de impen. in reb. dot.
k L. quod in vxorē. C. de nego. gest.
l L. 3. de imp. in reb. dot.
m L. diuortio. §. impedit. D. solu. mat.
n L. fructus. §. si vir in fundo. D. solu. matri.
o L. quod dicitur. 2. de impen. in reb. dot.
p L. rei iudicatæ. §. 1. D solu. matri.
a L. in insulā. §. fructus. D. solu. matri.
b L. dote prælegata. de dot. præleg.
c L. vnica. §. sed nec ab impensis. C. de rei vxor. act.
d L. quod dicitur. 1. de impen. in reb. dot.
e L. impensæ. de verb. sign.
f L. vtilium. de impen. in reb. dot.
g Dict. l. vnica. §. sed nec ob impensas.
h L. impēsæ. de verb. sign.
i L. 3. §. sed si mutua. de in rem ver.
k L. in voluptuariis. de impen. in reb. dot.
l L. et pro voluptuariis. D. illo tit.
m Dict. §. sed nec ob impensas.
n L. quod dicitur. 1. de impen. reb. dot.
o L. si is qui Stichū. §. quod dicitur. D. iure dot.

hæc res præcipuè libro vicesimoquinto Digestorum, eo titulo, quo agitur de impensis in rebus do-
talibus factis. ¶ *Cum parente.*] Hoc est, cum aliquo ex ascendenribus. nam propter fauorem na-
turalis pietatis, qua de hic agitur, accipimus parétes in infinitum: sicuri & in aliis multis iuris par-
37 tibus, vbi de parentum honore agitur[a]. Sed & è diuerso suadet eadem æquitatis & humanitatis ra- *a L. quique. §. paréo: tes. de in ius voc.*
tio, idem esse tribuendum filio. Idem existimo & de fratre. Nam cùm idem hic tribuatur patroni
filiis, quod ipsi patrono[b]: non video cur non idem tribui debeat filiis nostri parentis, hoc est, fra- *b L. patronus. de rè iud.*
38 tribus, quos & alioqui egentes alere pietas nos cogit. Et si socius bonorum tantum conuenitur, in
quantum facere potest, non alia ratione. quàm quòd societas, ius quoddam fraternitatis in se ha-
beat[c]: cur non idem tribuemus germanæ fraternitati? Quid multis moror? Si quid omnino Chri- *c L. verum. D. pro soc.*
39 stianæ pietatis in nobis superest, id omnibus omnino Christianis vltro tribuemus, qui socij sunt
religionis, & eundem nobiscum habent patrem. atq; adeò omnibus hominibus, quos vltra quàm
facere possint, onerari, nulla patitur humanitas. ¶ *Si socius.*] Non vniuersorum modò bonorum,
sed & vnius alicuius negociationis. saltem vbi ageretur de ea ipsa negociatione. Sic enim accipien- *d L. verum. D. pro so.*
dū est dictum Sabini, quod probat Vlpianus[d]. Cæterùm vt in quolibet prorsus iudicio, quod inter
socios exercetur, aliquis non conueniatur, vltrà quàm facere possit; oporter esse socium omnium
bonorum vt alio loco respondit idem Vlpianus[e]. Res tamen eodem recidit: vt huic beneficio sit lo- *e L. sunt qui in id. de re iudic.*
cus in iudicio societatis: & eò latius pateat, quò societas ipsa est amplior.
¶ *Cum socio.*] Veleius defensoribus[f]. Hæredibus verò aut successoribus idem non tribuitur. *f d l. verum. §. videndum.*
¶ *Iudicio societatis agat.*] Hoc est, aliqua nomine societatis actione, qualis qualis tandem ea fue-
40 rit. nam plerunque ex societate, alio quàm societatis iudicio agimus[g]. Sed in iudiciis, quæ nihil *g L. sociũ qui in eo §. socium. D. pro soc.*
habenr cum societate commune, nihil indulgebitur socio. ¶ *Idem est.*] Imò verò hic aliquid am
41 plius est. Nam cùm quæritur, quatenus facere potest donator, non modò habetur ratio, ne egear,
sed & æs alienum deducitur. id quod aliis non temerè tribuitur. & addit Paulus[h] discriminis ra- *h L. et exhæredatum. §. vlt. de re iudic.*
42 tionem: quòd pinguius donatori succurrendum sit, quàm ei, qui verum debitum persoluere cogi-
tur: & ne quis ex liberalitate sua inops fieri periclitetur, vt ait Tryphoninus. Fortassis marito, pa-
renti. vel socero, magis est simile militis exemplum, qui similiter non nisi quatenus facere potest,
conuenitur: & hac in re confertur[i] cum parente, patrono, & socio. *i L. item miles. de re iu.*
¶ *Ex donatione.*] Hoc est, ex liberali promissione donandi, Promissionem dico: nam re semel præ
stita, cessat hoc beneficium: adeò vt etiam si fortè postea res ad donatorem rediisset, non sit ei lo-
cus, sed condemnetur donator in solidum, nempe vt quiuis alius rei alienæ possessor[k]. Dico etiam *k L. Nesennius. §. fundum. de re iud.*
liberalem esse debere promissionem: quia hoc beneficium tribui videatur liberalitati[l]: hæcque *l L. ne ex liberalitate. de re iudic.*
demum vera sit donatio, vt intelligas non idem temerè tribui ei. qui conueniretur ex causa remu-
nerationis promissæ: quia nec ea verè donatio dicenda sit[m], sed potius quædam permutatio[n]. Por- *m L. 1. l. hoc iure. §. ls & §. vlt. de donat.*
rò autem satis est, donationem esse primam agendi causam, etiam si fortè non omnino ex ea aga- *n L. sed & si lege. § cõsuluit de petit. hær.*
tur. Nam & qui id, quod donare promisit, cõstituit se soluturum: iudicio constitutæ pecuniæ con-
uentus. non nisi in quantum facere potest, condemnabitur. Causam enim (inquit Hermogenia-
nus[o]; & originem constitutæ pecuniæ præualere. Itaque etiam subiicit; Eum. qui in solidum con- *o L. qui id quod. de don.*
demnatus est, cùm iudicati actione conuenietur, rectè petere posse, ne præster vltra id quod face-
re potest. Quam sententiam & Paulus probat[p]. *p L. Nesennius. §. vl. de re iud.*
43 ¶ *Sua*] Hæres autem donatoris, qui non ex sua. sed defuncti liberalitate conuenitur, in solidum
condemnatur. Idque in vniuersum traditum est de hæredibus earum personarum, quæ non, nisi *a L. verum §. videndum. D pro soc.*
in quantum facere possunt, conueniuntur[a]. Idem & de fideiussoribus statuendum[b], si modò suo *b L. & si fideiussor. de re iudic.*
nomine condemnentur, non vt aliorum defensores tantum[c]. ¶ *Conueniatur.*] Ab ipso scilicet *c dict. §. videndum.*
donatario, vel eius hærede. Sed si eius fortè creditor ex delegatione ageret, aliud dicendum est[d]. *d L. pen. de donat.*

§. Compensationes. cum §. seq. fin.

1 Exceptio compensationis quomodo minuat debitum petitum?
2 Is qui bonis cessit, si quid postea acquisierit, in quantum facere potest conuenitur.
3 Nemo cogendus ad cessionem.
4 Beneficia omnia potestatis sunt non necessitatis.
5 In cessionibus hodie multa esse mutata.
6 Cessionis subsidium hodie impetrandum à Principe.
7 Si quid misericordia causa, siue alimentorum nomine, fuerit relictum, ob id bona debitoris iterato venundari non oportet.
8 Hodie qui bonis cesserunt non possunt contrahere.

Compensationes quoque oppositæ plerunque efficiunt vt minus quisque consequatur, quàm ei debeatur. Nam ex bono & æquo habita ratione eius, quod inuicem actorem ex eadem causa præstare oportet, in reliquum eum cum quo actum est, condemnat, sicuti iam dictum est.

¶ *Compensationes quoque opposita.*] Paulò antè docuit Iustinianus; compensationes ipso iure mi-
5 nuere actiones. nunc addit, eas tamen esse opponendas: quia nec alioqui Prætor aut iudex possit
ariolari. quid è diuerso actor reo præstare debeat. ¶ *Plerunque.*] Suprà enumerauimus aliquot ca-
sus, in quibus non est compensationi locus. Inde repeti possunt, quæ hic desiderantur.

Cum eo quoq; qui creditoribus suis bonis cessit, si postea aliquid adquisierit, quod

idoneum emolumentum habeat: ex integro in id quod facere potest, creditores experiuntur. inhumanum enim erat, spoliatum fortunis suis, in solidum damnari.

a L. 4. de cess. bon.

¶ *Cum eo quoque.*] Hic locus desumptus videtur ex responso Vlpiani, cuius verba sunt hæc [a]; Is
qui bonis cessit, si quid postea acquisierit, in quantum facere potest, conuenitur. ¶ *Creditoribus*
suis bonis cessit.] Cessionis miserum quidem est subsidium (cuius conditionem Iustinianus in Nou. 2

b L. vl. C. qui bo. ced. poss.
c L. 1. C. qui bon. ced. poss.

Constitutione 3. dicit πασῶν ἀθλιωτάτην. [præ ceteris miserabilem.] & alibi [b] miserabile vocat auxi-
lium) magnum tamen videtur esse beneficium: præsertim cùm etiam efficiat ne iudicati, si soluendo non sint, detrahantur in carcerem [c], cùm alioqui olim crudeliter necterentur, vt dixi ad 12. cap.
46. Neminem autem esse cogendum ad cessionem cauit Iustinianus Nouella Constit. 136. ὥςτε
μὴ ἀναγκάζεσθαί τινας ἐκστασίῳ χρῆσθαι. [Ne quis cogatur bonis cedere.] Nempe omnium beneficio- 3
rum ea est natura, vt sit potestas, non necessitas. Porrò hoc iure in omni cessione sufficiebat sola

d L. in omni. C. qui bo nis ced. poss.
e L. vlt. de cess. bon.

professio voluntatis [d], vel per nuncium, aut epistolam [e]. Sed ante omnia oportebat æs alienum a- 4
gnouisse vel eius nomine condemnatum reum esse. Hodie multa in cessione mutata sunt Con-
stitutionibus posteriorum Principum, & vsu moribus recepto. Nam nec omnibus omnino patet 5
cessionis liberum subsidium, sed impetrati debet à principe. nec nisi magna cautione & multis 6
conditionibus tribuitur. Qua de re extat Imp. Caroli V. Constitutio edita anno 1541. & apud Gal-
los Regis Ludouici duodecimi.

f L. si debitoris. de cess. bon.
g L. 3. C. de bonis au. to. iud. poss.
h L. qui bonis. de cess. bon.

¶ *Quod idoneum emolumentum habeat.*] Apud Modestinum est [f]; Si tales facultates acquisitæ sint
debitori, quibus Prætor moueri possit. Apud Gordianum quoque est [g]; Cùm tantum postea quæ-
siuit debitor. quod præsidem moueat. Sanè (inquit Vlpianus [h]) is, qui bonis suis cessit, si modicum
aliquid post bona sua vendita acquisiuit, iterum eius bona non væneunt. Additque modum hu-
ius rei æstimati ex æquitate eius, quod quæsitum est: sed tamen si quid misericordiæ causa fuerit 7
relictum, puta menstruum vel annuum. alimentorum nomine: non oportere propter hoc bona
eius iteratò vænundari: quia non sit fraudandus alimentis quotidianis. Idemque esse, & si vsusfr.
ei sit concessus, vel legatus: ex quo tantum percipitur, quantum ei alimentorum nomine satis est.

i L. 1. C. qui bo. ce. poss.
k L. 3. C. de bonis aut. iud. possid.

¶ *Creditores.*] Nempe ij, qui erant ante cessionem, & à quorum obligatione non omnino fuit per
cessionem liberatus debitor [i]. Quòd si sint alij creditores, qui post cessionem contraxerint: ad eos
quidē non pertinet prioris cessionis ratio [k]: sed non ideo antecedunt priores creditores. Hodie ni- 8
hili faceremus ius eorum, cùm receptum sit; eos, qui bonis cesserunt, non posse contrahere. ¶ *Ex-*

l d. l. 3. C. de bon. aut. iud. poss.

periuntur.] Nec iam amplius exceptione cessionis repelli poterunt. Tum enim demum ea munitur debitor, cùm nihil dum acquisiuit, quod Prætorem mouere possit [l].

QVOD CVM EO, QVI IN ALIENA POTESTA-te est, negotium gestum esse dicitur, Tit. VII.



QVia autem superius mentionem habuimus de actione, qua in peculium filiorumfam. seruorumque agitur: opus est, vt de hac actione, & de cæteris, quæ eorundem nomine in parentes dominósve dari solent, diligentius admoneamus. Et quia siue cum seruis negotium gestum sit, siue cum ijs, qui in potestate parentum sunt, eadem ferè iura seruantur: ne verbosa fiat disputatio, dirigamus sermonem in personam serui dominique, idem intellecturi de liberis quoque & parentibus, quorum in potestate sunt. Nam si quid in his propriè seruetur, separatim ostendemus. Si igitur iussu domini cum seruo negotium gestum erit: in solidum Prætor aduersus dominum actionem pollicetur: scilicet quia is, qui ita contrahit, fidem domini sequi videtur. 1

Eadem ratione Prætor duas alias in solidum actiones pollicetur: quarum altera Exercitoria, altera Institoria appellatur. Exercitoria tunc habet locum, cùm quis seruum suum magistrum naui præposuerit. & quid cum eo eius rei gratia, cui præpositus erit, contractum fuerit. Ideo autē Exercitoria vocatur, quia exercitor is appellatur, ad quem quotidianus nauis quæstus pertinet. Institoria tunc locum habet, cùm quis tabernæ fortè, aut cuilibet negotiationi seruum suum præposuerit, & quid cum eo eius rei causa, cui propositus erit, contractum fuerit. Ideo autem Institoria appellatur, quia qui negotiationibus præponuntur, Institores vocantur. Istas tamen duas actiones Prætor reddit, & si liberum quis hominem, aut alienum seruum naui, aut tabernæ, aut cuilibet negotiationi præposuerit: scilicet quia eadem æquitatis ratio etiam eo casu interueniat.

Introduxit & aliam actionem Prætor, quæ Tributoria vocatur. Nanque si seruus in peculiari merce, sciente domino negotietur, & quid cum eo eius rei causa contractum erit: ita Prætor ius dicit, vt quicquid in his mercibus erit, quodque inde receptum erit, id inter dominum, si quid ei debebitur, & cæteros creditores, pro rata portione distribua-

tur. &

tur. & ideo Tributoria vocatur, quia ipsi domino distributionem Prætor permittit. Nam si quis ex creditoribus queratur, quasi minus ei tributum sit, quàm oportuerit: hanc ei actionem accommodat, quæ Tributoria appellatur.

Præterea introducta est actio De peculio, deq; eo quod in rem domini versum erit: vt quamuis sine voluntate domini negotium gestum erit, tamē siue quid in rem eius versum fuerit, id totum præstare debeat: siue quid non sit in rem eius versum, id eatenus præstare debeat, quatenus peculium patitur.

In rem autem domini versum intelligitur, quicquid necessariò in rem eius impenderit seruus: veluti si mutuatus pecuniam, creditoribus eius soluerit, aut ædificia ruentia fulserit, aut familiæ frumentum emerit, vel etiam fundum, aut quamlibet aliam rem necessariam mercatus erit. Itaq; si ex decem puta aureis, quos seruus tuus à Titio mutuo accepit, creditori tuo quinq; aureos soluerit, reliquos verò quinq; quolibet modo consumpserit: pro quinq; quidem in solidum damnari debes: pro cæteris verò quinque, eatenus, quatenus in peculio sit. Ex quo scilicet apparet, si toti decem aurei in rem tuam versi fuerint: totos decem aureos Titium consequi posse. Licet enim vna est actio, qua de peculio, deq; eo, quod in rem domini versum sit, agitur: tamen duas habet condemnationes. Itaque iudex, apud quem de ea actione agitur, antè dispicere solet, an in rem domini versum sit: nec aliter ad peculij æstimationem transit, quàm aut nihil in rem domini versum intelligatur, aut non totum.

Cùm autem quæritur, quantum in peculio sit: antè deducitur, quidquid seruus domino, siue, qui in eius potestate sit, debet: & quod superest, id solum peculiū intelligitur. Aliquando tamen id, quod ei debet seruus, qui in potestate domini sit, non deducitur ex peculio: veluti si is in ipsius peculio sit. quod eò pertinet, vt si quid vicario suo seruus debeat: id ex peculio eius non deducatur. Cæterùm dubium non est, quin is quoq; qui iussu domini cōtraxerit, cuique Institoria vel Exercitoria actio competit, de peculio, deque eo quod in rem domini versum est, agere possit. Sed erit stultissimus, si omissa actione, qua facillimè solidum ex contractu consequi possit, se ad difficultatem perducat probandi in rem domini versum esse, vel habere seruum peculium, & tantum habere, vt solidum sibi solui possit.

Is quoque, cui Tributoria actio competit, æquè de peculio, & de in rem verso agere potest. Sed sanè huic modò Tributoria expedit agere, modò de peculio, & de in rem verso. Tributoria ideo expedit agere, quia in ea domini conditio præcipua nō est, id est, quod domino debetur, non deducitur: sed eiusdem iuris est dominus, cuius & cæteri creditores. At in actione de peculio antè deducitur, quod domino debetur: & in id, quod reliquū est, creditori dominus condemnatur. Rursùs de peculio ideo expedit agere, quòd in hac actione totius peculij ratio habetur: at in Tributoria, eius tantū, quo negotiatur. Et potest quisq; tertia fortè parte peculij, aut quarta, vel etiam minima negotiari: maiorem autem partem in prædijs, vel mancipijs, aut fœnebri pecunia habere. Prout ergo expedit, ita quisque vel hanc actionem, vel illam eligere debet. Certè qui potest probare in rem domini versum esse: de in rem verso agere debet. Quæ diximus de seruo & domino, eadem intelligimus & de filio & filia, & nepote, & nepte, & patre auóve, cuius in potestate sunt.

Illud propriè seruatur in eorum persona, quod Senatusconsultum Macedonianum prohibuit, mutuas pecunias dari eis, qui in potestate parentis sunt: & ei qui crediderit, denegatur actio tam aduersus ipsum filium filiámve, nepotem neptémve (siue adhuc in potestate sint, siue morte parentis, vel emancipatione, suæ potestatis esse cœperint) quàm aduersus patrem auúmve: siue eos habeat adhuc in potestate, siue emancipauerit. Quæ ideo Senatus prospexit, quia sæpe onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriem consumebant, vitæ parentum insidiabantur. Illud in summa admonendi sumus, id, quod iussu patris dominive contractum fuerit: quodque in rem eius versum erit: directò quoque posse à patre dominóve condici, tanquam si principaliter cum ipso negotium gestum esset.

Ei quoque, qui exercitoria vel institoria actione tenetur, directò posse condici placet: quia huius quoque iussu contractum intelligitur.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Si cum ſeruo contrahi dominus iuſſerit, obligatur in ſolidum.*
2 *Iuſſu factum quid dicatur?*
3 *Mandatum quendam iuſſum complectitur.*
4 *Actio Quod iuſſu aduerſus quos detur? & nu. 8.*
5 *Si iuſſu tuo contraxerim cum ſeruo alieno, conuenire te non potero actione Quod iuſſu.*
6 *Actio ab initio inutilis non confirmatur ex euentu.*
7 *Tutor habetur loco domini.*
9 *Actio quod iuſſu ad omnes contractus pertinet.*
10 *Contractus eſt ipſum principale negotium ex quo obligatio naſcitur.*
11.16 *Non minus iuſſus quàm mandati fines diligenter ſeruandi ſunt.*
12 *Qui cum institore vel præpoſito naui contrahit, fidem domini ſequitur.*
13 *Magiſter nauis quis?*
14 *Nauis item Synedria quid?*
15 *Omnia facta magiſtri præſtare debet, q. eũ præpoſuit.*
17 *Quid, ſi magiſter vel inſtitor pecuniam mutuã ſumſerit ad neceſſariam nauis vel taberna refectionẽ?*
18 *Ex delicto magiſtri an teneatur exercitor?*
19 *Exercitor, item exercere quid? num. 21.*
20 *Per auerſionem conducere quis dicatur?*
22 *Inſtitor quis?*
23 *Quid, ſi cum villico alicuius contractum ſit?*
24 *Quid, ſi quis mutuis accipiendis pecunijs procuratorem præpoſuerit?*
25 *Status mutatione an mutetur cauſa præpoſitionis?*
26 *Conditio præpoſitionis ſeruanda eſt; eaq; tacito conſenſu domini augeri poteſt. num. 27.*
28 *Exercitoria & Inſtitoria quid ab Actione Quod iuſſu differant?*
29 *Cuius conditionis vel ætatis aut ſexus magiſtrum quis præponat nihil intereſt.*
30 *Si liber homo præponitur, ipſe quoque conueniri poteſt.*

SI *igitur.*]Hic locus deſumptus videtur ex Vlpiano, cuius verba ſunt hæc [a]; Meritò ex iuſſu domi 1
ni, in ſolidum aduerſus eum iudicium datur. nam quodammodo cum eo contrahitur, qui iu-
bet. ¶ *Iuſſu.*]Inquit Vlpianus [b]; Iuſſum accipiendum eſſe, ſiue teſtatò quis, ſiue per epiſtolam, ſi-
ue verbis, aut per nuntium, ſiue ſpecialiter in vno contractu, iuſſerit, ſiue generaliter. addit etiam; 2
eum, qui mandauit, videri iuſsiſſe. & ſi ſic conteſtatus ſit dominus; Quod voles, cum Sticho ſeruo
meo, negocium gere: videri quoque iuſsiſſe. ac fortaſsis tum duplex naſcitur actio, nempe manda-
ti, & hæc Quod iuſſu. Reuera enim mandatum, etiamſi ad alium dirigatur, quendam iuſſum com 3
plectitur, quod attinet ad ipſum ſeruum cum quo dominus iubet vel mandat cõtrahi. Porrò idem
Vlpianus adijcit, & aduerſus eum, qui ratum habuerit, dari Quod iuſſu actionem: item & in eum, 4
qui ſubſcripſerit. Sed eum, qui fideiuſſerit, non teneri hoc iudicio: quia quaſi extraneus interuene-
rit. Sanè tamen ſi filiusfam. pro patre fideiuſſerit. & pater ſciens, id paſſus ſit: dabitur hoc nomine
in eum actio Quod iuſſu [c]. ¶ *Domini.*]Qui ſcilicet verè dominus eſt iam tum, cùm geritur nego-
cium. nam ſi iuſſu tuo contraxerim cum alieno ſeruo: etiamſi poſtea eum redemeris, non potero 5
te conuenire actione Quod iuſſu: ne actio, quæ ab initio inutilis fuerat, ex euentu confirmetur, vt 6
inquit Paulus [d]. Deinde hic oportet dominum eſſe eius conditionis, qui poſsit ex ſuo iuſſu obliga-
ri. Nam ſi pupillus dominus iuſſerit ſine tutore: non tenebitur [e]. Sufficit autem tutoris vel curato-
ris iuſſus. nec nouum eſt, tutorem haberi loco domini [f]. nam & ſeruus qui tutori obſecutus pecca- 7
uit, excuſatur non ſecus atque ſi domino hac in re paruiſſet [g]. Sed & ſi verus procurator iuſſerit: da- 8
bitur Quod iuſſu actio [h]. Et ſi præpoſitus adminiſtrationi rerum ciuitatis iuſſerit cum ſeruo ciui-
tatis negocium contrahi: cum eo agi poterit Quod iuſſu [i]. Præterea ſi iuſſu fructuarij cum ſeruo
contractum ſit, vel eius, cui bona fide ſeruierit Quod iuſſu actio [k]. Sanè ſi ex pluribus dominis v-
nus tantùm iuſſerit: is ſolus tenebitur [l].

¶ *Negocium.*]Hoc eſt, aliquis contractus. Nam ad omnes contractus hoc iudicium Quod iuſ- 9
ſu, referri inquit Vlpianus [m]. Contractum autem intelligo ipſum principale negocium, ex quo 10
naſcitur obligatio. Nam ſi iuſſus tantùm pertinuerit ad ſolam ipſius cõtractus executionem: non
erit Quod iuſſu actio. Vt ſi dominus pecuniam mutuam accepturus iuſſerit eam ſeruo numerari [n].
neq; enim ex numeratione oritur actio, ſed ex contractu [o]. Vnde & filiusfa. qui mutuam pecuniã
ex contractu patris accepit iuſſu eius: ſi non ſit patris hæres, nullo modo conueniri poterit [p]: cùm
alioqui conueniretur, ſaltem in quantum facere poſsit. ſi ipſe contraxiſſet. ¶ *Geſtum erit.*] Nem-
pe ſicut iuſſum eſt. Vt enim diligenter ſeruandi ſunt mandati fines [a], ita & iuſſus. Nam dominum 11
hactenus tantum teneri, quatenus iuſsit, reſpondit Vlpianus [b], cùm traderet eum, qui iuſsit ſer-
uum ſemiſsibus vſuris pecuniam mutuam accipere, amplius non teneri. nec pignoris obligatio-
nem locum habere in ijs prædijs, quæ ſeruus non ex voluntate domini obligauit.

¶ *Eadem ratione.*]Nempe quòd is etiam, qui cum inſtitore, vel eo, qui naui præpoſitus eſt, con- 12
trahit, fidem domini ſequatur; & eius iuſſu contrahere videatur, vt ait Iuſtinianus ſub finem hu-
ius tituli. ¶ *Seruum ſuum.*] Iuſtinianus paulò pòſt addit; idem eſſe de alieno ſeruo, atque etiam
homine libero. ¶ *Magiſtrum.*] Inquit Vlpianus [c]; Magiſtrum nauis accipere debemus eum, cui 13
totius nauis cura mandata eſt. ¶ *Naui.*] Nauem (inquit Vlpianus) accipere debemus mari-
nam, ſiue fluuiatilem, ſiue in aliquo ſtagno nauiget, ſiue ſynedria ſit. Erat autem ſynedria, nauis 14
genus, quæ ſpaciandi cauſa paratetur, & in qua eſſent ſedilia. ¶ *Cum eo.*] Vel eo, quem hic ſi-
bi conſtituit. omnia enim facta magiſtri debet præſtare qui eum præpoſuit. alioqui con- 15
trahentes

a L. 1. D. Quod iuſſu.
b dict. l. 1. §. 1.
c L. ſi dubitet creditor §. vlt. de fideiuß.
d L. 2 §. vlt. D. Quod iuſſu.
e d. l. 1. §. ſi pupillus.
f L. qui fundũ. § ſi tutor. D. pro empt. l. interdum fur. § qui tutelam. de fur. l. tutor qui tutelã. de admin. tut.
g L. is qui in puteum. § ſi tutoris. D. quod vi aut clam.
h dict. l. 1. §. vlt.
i L. pen. D. quod iuſſu.
k dict. l. 1. §. vlt.
l L. vlt. §. vlt. D. quod iuſſu.
m L. ſi dubitet. §. vlt. de fideiuſſ.
n dict. l. vlt.
o L. ſi ita fuero ſtipulatus. §. cum autem mutuam pecuniam. de nonat.
p L. ſi ex contractu. C. quod cum eo.
a L. diligenter. D. mandat.
b L. dominũ. D. quod iuſſu.
c L. 1. §. magiſtrum nauis. de exercit.

trahentes decipientur, vt inquit Vlpianus [a]. Idq́ue obtinet propter vtilitatem nauigantium, eti-
amsi magister nominatim ita esset præpositus, ne liceret ei alium præponere, vt subijcit idē Vlpia-
nus. Quòd si cum aliquo nauta sit contractum: non dabitur actio in exercitorem [b]. ¶ *Eius rei gra-
tia præpositus erit.*] Inquit Vlpianus [c]; Non ex omni causa Prætor dat in exercitorem actionem: sed
eius rei nomine, cuius ibi præpositus fuerit, hoc est, in eam rem, cui præpositus fuit. Deinde subij-
cit, Igitur præpositio certam legem dat cōtrahentibus. Quare si eum præposuit naui ad hoc solùm,
vt vecturas exigat, non vt locet, quia fortè ipse locauerat: non tenebitur exercitor, si magister loca-
uerit. vel si ad locandum tantùm, non ad exigendum: idem erit dicendum. aut si ad hoc, vt vecto-
ribus locet, non vt mercibus nauem præstet, vel contrà modū egressus non obligabit exercitorem.
Ex his Vlpiani verbis apparet; diligenter seruandos esse præpositionis fines, vt & mandati, & ius-
16 sus, nec non etiam institoriæ præpositionis [d]. Sed omnia quæ omnino pertinent ad causam præpo
sitionis, semper intelliguntur mandata. Itaque si magister vel institor pecuniam mutuam sum-
17 pserit ad necessariam nauis vel tabernæ refectionem: dominus obligabitur, modò probet creditor
necessariam fuisse refectionem, & se bona fide versatum [e], eaq́ue lege dedisse. Si tamē nominatim
mandatum esset pecuniam mutuam accipere: non tenetur creditor probare hanc mutui causam,
sed satis esset eum probare mandatum, & mutuum datum [f].
18 ¶ *Contractum.*] Ex delicto autem magistri non tenetur exercitor, quasi mandârit. nullum e-
nim quantumuis generale mandatum intelligitur eò pertinere, vt quid improbè fiat [g]. Sed quasi
ex delicto tenetur, quòd opera hominis improbi vsus sit [h]. Quo nomine non minus tenebitur ex
delicto nautæ cuiuslibet. quàm ipsius magistri [i].
¶ *Exercitoris appellatur.*] Inquit Vlpianus [k]; Exercitorem eum dicimus, ad quem obuentiones
& reditus omnes perueniunt: siue is dominus nauis sit, siue à domino nauem per auersionem con
duxit, vel ad tempus, vel in perpetuum. Et parui refert, qui exercet, masculus sit, an mulier: pater-
fam. an filiusfam. an seruus. Sed si pupillus nauem exerceat: exigemus tutoris authoritatem. hæc
20 Vlpianus. Notandum autem est; per auersionem eum conducere, qui totam conduxit in vniuer-
sum constituta aliqua mercede: sic vt maioris vel minoris quæstus aleam subeat, & periculū à do-
minio auertat, quod in se recipiat. Paulus [l] quoque meminit nauis auersione conductæ Et Africa-
nus [m] insulæ auersione locatæ. Sed hæc vetus loquendi formula illustrior esset, si veteres contra-
21 ctuum formulæ & titus etiam extarent. Porrò autem apud Latinos frequens est, vt exercere signi-
ficet, quæstum facere. Itaque dicetur, nauem exercere, qui ex ea quæstū facit. Et appellabitur ideo
hæc actio Exercitoria ab eo, cuius iussu contrahi videtur: at Institoria dicitur ab eo, cum quo con-
22 trahitur. ¶ *Tabernæ, aut cuilibet negociationi.*] Inquit Paulus [n]; Institor is est, qui tabernæ locóve ad
emendum vendendúmve præponitur: quiq́ue sine loco ad eundem actum præponitur. Et Vlpia-
nus scribit [o]; Parum interesse, an sit præpositus tabernæ, an cuilibet alij negociationi: ac subijcit;
Non referre, cui negocio præponatur: sed intelligemus id negocium esse debere, quod tantùm ex-
23 erceatur ad quæstum. Nam si cum villico alicuius contractum sit, non dabitur in dominum actio
institoria: quia (inquit Paulus [p]) villicus propter fructus percipiendos, nō propter quæstum, præ-
ponatur. Quòd si villicum distrahendis quoque mercibus præpositum habuero: nō esse iniquum,
exemplo institoriæ, actionem in me competere. Sed & in eum, qui mutuis accipiendis pecunijs
24 procuratorem præposuit, vtilem ad exemplum institoriæ dari actionem, respondit Papinianus [a]:
& assentiuntur Diocletianus & Maximianus [b]. Non datur autem directa institoria, quia propriè
non sit pecunia in quæstu, aut negociatione. ¶ *Præposuit.*] Semel autem præpositus durat, donec
remoueatur: etiam post mortem eius, qui præposuit. Quinimo si pupillus hæres ei extiterit, qui
præposuerat: obligabitur, quandiu pręposirus manet. Remouendus enim fuit à tutoribus, si nollet
opera eius vti, inquit Vlpian. [c] & hoc esse receptum propter vtilitatem promiscui vsus, testatur Pau-
25 lus [d]. Sed nec sola mutatione status, mutabitur causa præpositionis: vt si seruus institor à domino
manumittatur [e]. ¶ *Eius rei gratia, cui præpositus erit.*] Scribit Vlpianus [f]; Conditionem præpositio-
26 nis seruandam esse. Quid enim si certa lege, vel interuentu cuiusdam personæ. vel sub pignore vo-
luit cum eo contrahi. vel ad certam rem? æquissimum erit id seruari. in quod præpositus est. Idem
Vlpianus alio loco [g]; Non omne (inquit) quod cum institore geritur, obligat eum, qui præposuit:
sed ita, si eius rei gratia. cui præpositus fuerat, contractum est. Verùm hîc meminerimus; conditio-
27 nem præpositionis facilè posse augeri, tacito domini consensu: vt si sciens prudensq; patiatur in-
stitorem in aliqua re negociari, videatur quoque in eam rem eum præponere. Vnde cùm quidam
Titianus præposuisset seruum mutuis pecunijs dandis, & seruus etiam soleret hordeum emere à
negociatoribus: & postquam fugisset seruus, is, cui obligatus fuerat dare precium hordei, conue-
niret dominum nomine institoris: dominus autem negaret eo nomine se conueniri posse, quia
non in rem præpositus fuisset: tamen cùm & alia quædam gessisse, & horrea conduxisse, & multis
soluisse, idem seruus probaretur: Præfectus annonæ contra dominum dedit sententiam, quam
confirmauit Imperator: quia videbatur in omnibus eum suo nomine substituisse, vti refert Pau-
lus [h].
28 ¶ *Istas tamen duas.*] Hic Iustinianus indicat harum actionum discrimen ab actione Quod ius-
sit: quæ non nisi tum potest dari, cùm seruus iussus est contrahere. Vlpianus agens de magistro na-
uis, qui ab exercitore præponitur, inquit [i]; Cuius conditionis sit magister iste, nihil interest, vtrum
29 liber, an seruus sit: & vtrum exercitoris, an alienus. Sed nec cuius ætatis sit, intererit: sibi imputa-
turo, qui præposuit. Idem agens de institore [k], Parui (inquit) refert, quis sit institor, masculus an

 fœmina,

a d. l. 1. §. magistrum autem.
b d. l. 1. §. magistrum nauis.
c d. l. 1. §. non autem.
d L. quicunq. §. nō tamen. de instit. act.
e L. vlt. de exercit.
f L. si mutuā. C. de instit. & exerc. act.
g L. creditor. §. Lucius. D mand.
h §. pen. sup. de oblig. quæ quasi ex delict.
i L. 1. §. magistrū nauis. de exerc. act.
k d. l. 1. §. exercitorem de exercit.
l L. vlt. ad leg. Rhod.
m L. & hæc. loc.
n L. institor is est. de instit act.
o L. 3. D. illo tit.
p L. si cum villico. D. illo tit.
a L. in eū qui mutuis. D. illo tit.
b L. si mutuam. C. illo tit.
c L. sed & si pupillus. de instit. act.
d L. si quis mancipijs. §. si impubes. D. illo tit.
e L. in eū qui mutuis. §. 1. D illo tit.
f L. sed et si pupillus. §. conditio. D. illo tit.
g L. quicunque. §. non tamen. D. illo tit.
h L. vlt D. quod cum qui in alie.
i L. 1. §. cuius autem. de exercit.
k L. sed & si quis. §. 1. de instit. act.

fœmina, liber an seruus, proprins an alienus. Et pupillus institor obligat eũ, à quo præpositus est: imputetque sibi, qui eum præposuit. Notandum est autem discrimen inter seruum & liberum hominem præpositum: quòd si liber homo præponatur, ipse quoque posit conueniri. hoc enim edi- 30
cto non transferri actionem [a], sed adijci. Et tribuitur quidem ijs, qui contraxerunt, electio, vtrum exercitorem an magistrum conuenire velint [b].

a L. siue qui in mea potestate. de exercit. act.
b L. 1. §. est autem. de exercit. act.

§. *Introduxit.*

1 *Edicti Tributorij ratio & vsus. num. 4.*
2 *Pater vel dominus cõuenti de peculio sua debita præcipiunt.*
3 *Scire hic quomodo accipiendum? fallit num. 3.*
6 *Tributio fit pro rata eius quod cuiq; debetur.*
7 *Domino licet peculio vel mercibus cedere.*
8 *Tributoria quando propriè locus sit?*
9 *Quando minus tributum dicatur?*

c L. 1. de tribu. act.

¶ *Introduxit & aliam actionem Prætor.*]Cuius quidem rationem, & vsum Vlpianus explicat his 1
verbis [c]; Huius edicti non minima vtilitas est: vt dominus, qui alioqui in serui contractibus priui-
legium habet. (quippe cùm de peculio duntaxat teneatur: cuius peculij æstimatio, deducto eo, 2
quod domino debetur, fit) tamẽ si scierit seruum in peculiari merce negociari: velut extraneus cre- 3
ditor ex hoc edicto in tributum vocetur. ¶ *Peculiari merce.*] Hæc duo, vt hîc coniuncta sunt, ita
necessaria videntur ad actionem Tributoriam. Primùm, necesse est, mercem esse, vt sit negociatio. 4
Nam non nisi eius peculij fit contributio, in quo seruus est negociatus. Et oportet quidem mercem esse peculiarem. Nam si propriè domini esset: magis competeret actio institoria.
¶ *Sciente.*]Et patiente, hoc est, non contradicente. Sic enim scientiam hîc accipi docet Vlpia- 5
nus [d]. *Domino.*]Vel eius tutore [e], aut procuratore [f].
¶ *Eius rei causa.*] Hoc est, Eius ipsius mercis, eiusque negociationis, cuius, & ex qua petitur contributio. Nam si seruus plures exercuerit negociationes, pluribusque locis ac tabernis: nõ confundentur omnium creditorum iura, sed singuli separatim in tributũ vocantur eius mercis & negociationis nomine, in qua contraxerunt. Vnusquisque enim eorum merci magis, quàm ipsi seruo credidit [g]. ¶ *Contractum erit.*]Simpliciter videlicet. Cæterùm si accesserit pignus: melior esset cõditio eius creditoris, cui merces essent pignoratæ. neq; enim tũ, cum alijs in tributũ vocabitur [h]. Imò etiam domino præfereturiure pignoris [i]. ¶ *Si quid ei debebitur.*]Ex qualibet etiam causa, inquit Labeo: & siue ante mercem, siue postea ei debere quid cœperit seruus. sufficere enim, priuilegium deductionis perdidisse [k]. Sed hoc nomine melior adhuc est domini conditio, quàm reliquorum creditorum, qui non supputant, nisi quod ijs debetur ex causa mercis peculiaris.
¶ *Pro rata portione.*] Inquit Vlpianus [l]; Tributio fit pro rata eius, quod cuique debetur. Et si v- 6
nus creditor veniat desiderans tribui integram portionem: id consequitur. sed cauere debet pro rata se refusurum, si fortè alij emerserint creditores. ¶ *Quia ipsi domino distributionem Prætor permittit.*]
Quòd si dominus tribuere nolit, nec hanc molestiam suscipere, sed peculio vel mercibus cedere 7
paratus sit, audietur: & arbitrum dabit Prætor, cuius interuentu fiat contributio [m]. ¶ *Quasi minus*
ei tributum sit.] Indicat hic quoque locus tum propriè locum esse actioni Tributoriæ, cùm iam dis- 8
tributio facta est à domino, sed non satis æquis partibus. Et ad hunc modum Caius respondit; Tributoria actione tunc demum agi posse, cùm dominus in distribuendo precio mercis, edicto Prætoris non satisfecit: id est. cùm maiorem partem debiti sui deduxit, quàm creditoribus tribuit.
Porrò autem minus tributum videtur, etiamsi nihil tributum sit. Vnde post distributionem si qui 9
veniant creditores, quibus nihil fuerit tributum, agent Tributoria, etiamsi dominus negauerit quicquam eis deberi [n]. neque enim ad summouendam Tributoriam satis esse debet domino, negare aliquem esse creditorem.

d L. 1. §. vlt. de tribu. act.
e L. 3. §. vlt. de tribu. act.
f L. procuratoris. D. illo tit.
g dict. l. procuratoris. § si plures.
h dict. l. procuratoris. §. planè.
i dict. l. procuratoris. §. quid tamen.
k dict. l. procuratoris. § sed est quæsitum.
l dict. l. procuratoris. §. vlt.
m L. illud quoque. §. 1. de Tribut.
n L. illud quoque. §. pen. D. hoc tit.

§. *Præterea. cum seq.*

1 *Actio de in rem verso non voluntate nititur, sed vtilitate domini.*
2 *Est tamen vbi voluntas domini actionem hanc adiuuat.*
3 *An, si quid emerit domino volenti seruus ad delicias, id quoq; in rem domini versum esse dicatur, & et nu. 7.*
4 *Actio de in rem verso principali tantùm datur, non fideiussori.*
5 Versum *quomodo accipiendum?*
6 *Curiosus esse debet creditor quò vertatur. & nu. 16.*
8 *Quid, si seruus mutuatus pecuniam alij eam crediderit?*
9 *Quid, si res non sit necessaria?*
10 *De peculio & De in rem verso non tam actiones ipsæ sunt, quàm aliarum actionum quadam adiectitiæ qualitates.*
11 *Si pars versa sit, de parte erit actio.*
12 *§. illum; Cùm autem quæritur; hodie nullius ferè vsus esse.*
13 *Creditores an ex causa furtiua aduersus dominum de peculio agere possint?*
14 *Quæ vicarius debet ordinario seruo cur dominus non deducat?*
15 *Vicarius cum suo peculio est in peculio ordinarij.*
17 *Facilior est probatio in Exercitoria & Institoria actionibus, quàm in actione De in rem verso.*

18 *Aliquando agentibus expedit potius de peculio agere, quàm Tributoria. & num. 19.*
20 *Comparatur hic actio Tributoria cum actione De in rem verso.*
21 *Est, vbi seruus non obligat dominum, cum filiusfam. obligaret patrem; & contra.*
22 *Statutum Atheniensium olim & Romanorum; Ne filiosfa. pecunia crederetur.*
23 *Lex Quina Vicenaria apud Plautum quæ?*
24 *Senatuscons. Macedonianum quando sic latum?*
25 *CL. Cæsaris Lex; Ne in mortem parentum pecunia filijsfa. fœnori darentur.*
26 *Macedoniano an à filijsfa. renunciari possit?*
27.28.32.33 *Senatusconsultum quis offendat? & vbi locus ei sit?*
29.35 *Iusta mutui causa nonnunquam cedit S.C.*
31 *Dare, pro numerare.*
34 *Ad filias quoq; pertinere hoc S.C.*
35 *Qui in potestate parentis est, ita etiam se gerere debet.*
36 *In filiosfa. nihil dignitas facit, quominus S. C. Macedon. locum habeat.*
37 *Præcipua Senatusconsulti vis quæ?*
38 *Si pupilli aut filijsfa. pecunias crediderint, cur S.C. cesset?*
39 *Aduersus quos actio hæc denegetur?*
40 *Iustissima Senatusconsulti huius ratio.*
41 *Pactum de hereditate alterius adhuc superstitis cur sit improbatum?*
42.43 *Directo agere hic quid?*

¶ *In rem domini.*] Sed & si in rem alterius, quàm domini, versum fuerit, vel ab alieno seruo,
vel a b homine libero: tenebitur is, in cuius rem versum est, ei qui pecuniam dedit [a]. ¶ *Quamuis* *a L. ei qui. §. vlti. C. quod cum eo qui in alie.*
sine voluntate.] Hic latet discrimen à superioribus actionibus, quæ sine domini voluntate non ori-
5 untur. At hæc De in rem verso actio non nititur domini voluntate, sed vtilitate. Quòd si etiam ac-
cesserit domini voluntas, erit quoque Quod iussu. actio: sed hæc competit propter solum iussum,
etiamsi alioqui nihil in rem domini versum esset. Cæterùm datur hæc, quam hîc tractamus, ex eo,
2 quod versum est, etiamsi alioqui nulla domini voluntas interuenerit. Satis enim est in rem eius
esse versum, vt etiam cum eo contractum [b] videatur. Sanè est, vbi domini voluntas adiuuat, & *b L. 1. de in rem verso.*
quasi gignit hanc actionem: nempe cùm efficit, vt in rem versum videatur, quod alioqui non vi-
3 deretur. Nam illud quoque in rem domini versum esse Labeo ait [c], quod seruus domino volenti *c L. quod si seruus. §. nec non illud. de in rē ver.*
emit ad luxuriæ materiam vel delicias. ¶ *In totum præstare debeat.*] Ei scilicet, cum quo principa-
4 liter seruus contraxit, quique idipsum credit, quod in rem domini versum est. Nam ei soli hæc a-
ctio tribuitur, non autem ipsi fideiussori, vt respondit Neratius [d]. *d L. quamuis. D. illo tit.*
5 ¶ *In rem autem domini versum intelligitur.*] Hunc locum Vlpianus copiosius explicat, & pluri-
bus exemplis illustrat [e]. Illud verò generale est, quod tradit [f]; versum sic accipiendum esse, vt du- *e L. 3. l. si ret domino. l. & ideo. l. si pro patre. D. illo tit.*
ret versum, saltem vt solidæ alicuius & perpetuæ vtilitatis ratio inita sit: quam si casus aliquis for-
tuitus interturbârit, nihil est quod cuiquam imputetur, quin De in rem verso, dominus teneatur. *f dic. l. si pro patre. §. versum autem.*
Vnde si frumentum comparauit seruus ad alendam domini familiam, & in horreo dominico
reposuit, hocque arserit vel corruptum fuerit: nihilominus De in rem verso, dominus tenebitur.
Semel enim verè fuit in rem eius versum, & in vsus perpetuos, si non interuenisset casus fortuitus.
Cæterùm nō satis esset hac mente mutuā pecuniā dari, vt in rem domini vertatur, aut hoc animo
accipi, nisi etiā omnino vertatur: ne vel credulitas creditoris domino obsit, vel calliditas serui no-
6 ceat. Ergo curiosus esse debet creditor, quò vertatur, inquit Vlpianus [g]. Et hæc quidem colligi *g L. 3. §. vnde rectè; insi D. hoc tit.*
possunt ex verbis ipsius Iustiniani. Loquitur enim de seruo, non qui mutuatus est pecuniam, vt
7 emeret: sed qui mutuatus emerit. ¶ *Quicquid necessariò.*] Vel vtiliter. Voluptuarias autem im-
pensas non præstat dominus, nisi eius voluntate aut mandato fiant. Ergò (inquit Vlpianus [h]) si *h dic. l. 3. §. proinde.*
seruus mutua pecunia accepta domum dominicam exornauit tectorijs, & quibusdam alijs, quæ
magis ad voluptatem pertinent quàm vtilitatem, non videtur in rem versum: nec procurator hęc
imputaret, nisi fortè mandatum domini aut voluntatem habuerit: nec enim eo esse onerandum
dominum, quod ipse facturus non esset. Sed pati debet dominus creditorem hæc auferre, sine do-
mus suæ videlicet iniuria: ne cogatur dominus vendere domum, vt quanto preciosior facta sit, id
8 præstet. ¶ *Creditoribus eius soluerit.*] Sed etsi seruus mutuatus pecuniam, alij eam crediderit: La-
beo credidit; De in rem verso dominum teneri: quia nomen ei acquisitum est. Sed hanc senten-
tiam ita Pomponius probat, si non peculiare nomen fecit, sed quasi dominicæ rationis. Nec ta-
men amplius dominum ex hac causa obligari, quàm vt creditori cedat suis actionibus, si non pu-
tat sibi expedire nomen debitoris habere, vti est apud Vlpianum [i]. Porrò si per errorem seruus ei *i dic. l. 3. §. idem Labeo.*
soluerit, quem putabat creditorem esse dominicum, De in rem verso tenebitur dominus, quate-
nus habet indebiti condictionem [k]. ¶ *Aut quamlibet aliam rem necessariam.*] Vel vtilem, inquit *k dic. l. 3. §. 1.*
9 Vlpianus [l]. Sed indicat illud interesse; quòd si res non sit necessaria, non amplius in rem versum *l L. si res. § quod seruus. D. illo tit.*
intelligatur, quàm est verum ipsius rei precium. At si necessaria fuisset, in solidum dominus tene-
retur, quanti ea vænisset. Ergo de fundo non necessario, sed vtili, debet intelligi, quod ait Caius [m], *m L. si fundum de in rem verso.*
Non amplius in rem versum videri, quàm fundus dignus est, si minoris sit, quā emptus est: quan-
quam si pluris sit, non amplius videatur in rem versum, quàm emptus est. ¶ *Vna est actio.*] Hoc
est, vna est vtriusque causa, nempe ex serui contractu: sed pro re nata modò De peculio, modo De
10 in rem verso. Et neutra quidem propriè est actio, sed potius vtraque aliarum actionum quædam
veluti adiectitia qualitas. Itaque etiam Paulus [n], De in rem verso non tam actionem vocat, quàm *n L. filiusfa. §. vlt. de in rem verso.*
11 adiectionem. Et nos de peculio idem suo loco diximus. ¶ *Aut non totum.*] Quòd si pars versa sit,
de parte erit actio, inquit Vlpianus [o]. Vt quatenus in rem versum est, De in rem verso, dominus *o L. si pro patre. §. in rem autem. D. hoc tit.*
teneatur. Quod certè clarius est, quàm vt fuerit à Iustiniano tot verbis inculcandum.

 ¶ Cum

a L. sed si damnum §. peculium autem. vsque ad fi. de pecul.
b dic. l. sed si damnũ. §. siue autem.
¶ *Cum autem quaritur.*] Totus hic locus copiose ab Vlpiano explicatur[a]. Sed res est hodie
nullius ferè vsus. ¶ *Quicquid.*] Et ex quacunque tandem causa Nam (inqnit Vlpianus[b]) siue ex
contractu qnid domino debeatur, siue ex rationum reliquis: deducet dominus. Sed etsi ex deli-
cto ea debeatur, puta ob furtum: æquè deducetur, nempe ipsa sola furti æstimatio, non etiam pœ-
na. Atque hic quidem domini melior est conditio, quàm reliquorum creditorum: qui ex furtiua 13
causa non possunt aduersus dominum de peculio agere, nisi quatenus dominus ex furto locuple-
c L. 3 §. ex furtiua. de pecul.
d dic. l. sed si damnũ. §. præterea.
tior factus est, vt docet idem Vlpianus[c]. ¶ *In potestate.*] Non modò herili vel patria, sed & tuto-
ria. Nam id etiam deducitur (inquit idem Vlpianus[d]) quod ijs personis debetur, quæ sunt in tu-
tela vel cura domini. Si enim semper præuenire dominus & agere videtur; cur non dicatur etiam
hoc nomine eum secum egisse, quo nomine tutelæ tenebitur? Nam & ideò hoc minus in peculio
est, quod domino debetur, quoniam non est verisimile, dominum id concedere seruo in peculi-
um habere, quod sibi debetur. ¶ *Veluti si is.*] Cur id quod vicarius debet ordinario seruo, non 14
posit dominus deducere, addit rationem Theophilus: nempe quòd vicarius ipse augeat peculi-
um ordinarij: ideoque non posit illud minuere. Et sanè nihil dominus profecerit, si adimat pe-
culio ordinarij, quod vicario debetur. Nam quod vna manu adimeret, altera reponeret. Dum
enim deducit ex peculio ordinarij, & addit peculio vicarij: hoc ipsum videtur reddere peculio or- 15
dinarij. Nam vicarius ipse cum toto suo peculio, est in peculio ordinarij. ¶ *Ad difficultatem pro-* 16
bandi.] Creditores qui aliquando De in rem verso agere volunt, curiosi esse debent, vt seruus quod
e L. quòd si seruus. §. sed si sic accipit. D. in rem verso.
accipit, in rem domini vertat[e]. quia probare debeat in rem domini versum. Sed aliud est in actio- 17
ne exercitoria, vel institoria. Satis enim est, bona fide pecuniam credidisse, cum res opus habe-
ret refectione: nec cogitur creditor probare pecuniam in eos esse vsus impensam[f]. ¶ *Et tantum*
f L. vlt. de exercit.
habere.] Sed si domini id negantis mendacium conuicerit, adimet ei beneficium, quod erat alio-
qui habiturus. hæc enim pœna est improbæ inficiationis.
¶ *Sed sanè huic.*] Hic locus videtur descriptus ex responso Caij, quod in Pandectis extat 18
g L. penul. de tribut.
his verbis[g]; Aliquando etiam agentibus expedit potius de peculio agere, quàm Tributoria. Nam
in hac actione, de qua loquimur, hoc solùm in diuisionem venit, quod in mercibus est, quibus
negociatur, quodque eo nomine receptum est. At in actione de peculio, totius peculij quantitas
spectatur, in quo & merces continentur. Et fieri potest, vt dimidia fortè parte peculij, aut tertia,
vel etiam minore negocietur. Fieri præterea potest, vt patri dominóve nihil debeatur. ¶ *Eligere* 19
h L. quod in hærede. §. eligere. de Tribut.
debet.] Inquit Vlpianus[h]; Eligere quis debet, qua actione experiatur: vtrùm de peculio an Tribu-
toria: cùm sciat sibi regressum ad aliam non futurum. Planè si quis velit ex alia causa agere Tribu-
toria, ex alia causa de peculio, audiendus erit. ¶ *De in rem verso agere debet.*] Potius quàm Tribu-
toria, vt interpretatur Theophilus, qui rectè hîc intellexit; comparari actionem Tributoriam,
cum actione De in rem verso. ¶ *In eorum persona.*] Filiorumfa. Econtrariò autem illud propriè 20
i L. 3. §. si filiusfam. vel seruus. de pecul.
seruatur in seruorum persona; quòd si fideiusserint, non obligetur dominus de peculio[i]. Ita est, vbi
seruus non obligat dominum, cùm filiusfa. obligaret patrem. sicut è diuerso in mutuo filiusfa. 21
non obligat patrem, vbi seruus obligaret dominum.
¶ *Senatusconsultum Macedonianum.*] Vt olim apud Athenienses Solon, sic apud Romanos Se- 22
natus aliquando statuit; ne filiofa. pecunia crederetur. Apud Terentium, cuius omnes Comœdiæ
suam habent scenam Athenis, in Phormione, seruus patri causanti, debuisse filium suum magis
mutuam pecuniam vel fœnore accipere, quàm egestate coactum in honestas nuptias contrahere,
respondet: Hui dixti pulchrè, siquidem quisquam crederet te viuo: satis indicans neminem tum
viuo patre mutuam pecuniam filiofa. credidisse. Sed & Plautus in Pseudolo commemorat quan-
dam legem Quinam Vicenariam; quæ mutuam pecuniam minorib. 25. annis dari prohibebat. 23
Sic enim apud eum loquitur adolescens; Perij, an non tum lex me perdidit Quina Vicenaria?
Metuunt credere omnes. Nam & vbi cessaret Macedonianum Senatusconsultum, minor, qui ac-
k L. 1. C. de filiofa. mil.
cipiendo mutuum captus est, in integrum restitui posset[k]. Hanc legem, quæ filijsfa. prohibet mu- 24
tuum dari, cùm in desuetudinem abijsset, restituit Vespasianus: cuius temporibus factum videtur
Senatusconsultum Macedonianum, de quo hîc agitur. Certè Suetonius scribit, Vespasianum au-
torem Senatui fuisse decernendi, Ne filiorumfa. fœneratoribus exigendi crediti ius vnquam es-
set, hoc est, ne post patrum quidem mortem. Verba huius Senatusconsulti scribit Alexander
Neap. lib. Genial. 1. cap. 7. sese reperisse in quibusdam vetustis legum fragmentis naufragio eiectis:
l L. 1. D. ad Sen. Maced.
sed opus non est ea tam longè petere, cùm extet locus Vlpiani[l], qui ea plenius refert, addita etiam
causa & ratione huiusce Senatusconsulti. Sed & Cor. Tacitus lib. 11. scribit Claudium Cęsarem qui 25
ante Vespasianum imperauit, lege lata sæuitiam creditorum coercuisse, ne in mortem parentum
pecunias filijsfa. fœnori darent. ¶ *Prohibuit.*] Sic vt non liceat renunciare huic prohibitioni. om- 26
nino enim interest, eam ratam manere, præsertim cùm etiam lata sit in fauorem ipsorum paren-
tum, ne filijfam ære alieno grauati, eorum vitæ insidientur. Sed si paterfam. factus agnoscat de-
m L. item si filiusfa. §. vlt. D. ad Maced. l. 2. C. illo tit.
n L. si filiusfa. §. 1. D. illo tit.
bitum, cessat hoc Senatusconsultum[m]. ¶ *Mutuas pecunias*] Inquit[n] Iulianus; Is solus Senatus- 27
consultum offendit, qui mutuam pecuniam filiofa. dedit, non qui alias contraxit, puta vendidit,
locauit, nisi hoc fiat in fraudem Senatusconsulti: vt qui credere non potuit, magis ei venderet, vt
ille rei precium haberet in mutui vicem. Sanè & quanquam Senatusconsultum non nisi mutuæ 28
pecuniæ meminerit: tamen si fraus adhibeatur, frumento, vel vino, vel oleo mutuo dato, vt his
o dic. l. item si filiusfam. §. mutui.
distractis fructibus filiusfa. vteretur pecunia: locus erit Senatusconsulto[o]. Cæterùm posset tam
iusta esse mutui causa, vt ei cederet Senatusconsultũ: veluti si pecunia bona fide credita sit filiofa.

studio-

ſtudiorum vel legationis cauſa ad neceſſarios ſumptus, quos patris pietas non recuſaret, vti eſt in
reſcripto Alexandri [a]. Sicque etiam reſpondit Vlpianus [b]; In eo qui ſtudiorum cauſa mutuum ac-
ceperit, ceſſare Senatuſconſultum; ſaltem ſi probabilem modum mutuando non exceſſit, videli-
30 cet ad eam quantitatem, quam pater ſolebat ſubminiſtrare. Nam & quodammodo in rem patris
verſum videtur, quod ita impenſum eſt. Sed mutuo, quod in rem patris verſum fuerit, non obſta-
re Senatuſconſultum, conſtat [c]. Deinde videtur quodammodo pater aſſentiri. at ſi eius iuſſu da-
tum eſſet mutuum: non debet ſolicitus eſſe creditor in quos vſus pecunia vertatur. habet enim
ſemper actionem [d].

31 ¶ *Dare.*] Hoc eſt, numerare. Nam (inquit Scæuola [e]) quod dicitur, filiofa. credi nō licere, non
32 ad verba, ſed ad numerationem referendum eſt. Itaque ſi à filiofa. ſtipulatus ſim, & patrifa. facto
crediderim ſiue numerârim, ceſſat Senatuſconſultum: quia mutua pecunia iam patrifa. data eſt,
inquit Iulianus [f]. Et è diuerſo; ſi à patrefa. ſtipulatus credam poſtea filiofa. facto; Senatuſconſulti
poteſtatem exercendam eſſe, quia expleta ſit numeratione ſubſtantia obligationis, reſpondit
33 Scæuola [g]. Rurſus mentio numeratæ pecuniæ eò pertinet, vt non intelligatur habere locum Sena-
tuſconſultum, ſi nihil numeretur, ſed quod debitum eſt à filiofa. ex alia cauſa, ei relinquatur [h], li-
34 cet tum incipiat eſſe mutuum. ¶ *Eu qui.*] Quæve. Nam & ad filias pertinet hoc Senatuſconſul-
tum, etiam ſi conſtet eas ornamenta comparâſſe ex mutua pecunia, vel adhuc in peculio extent
35 numi [i]. ¶ *In poteſtate parentū ſunt.*] Et ita ſe gerunt. Cæterùm ſi pro patrefa. ſe geſſerint, & ita ple-
riſque videbatur. excuſabitur creditor, qui bona fide mutuum dedit, exiſtimans eſſe patremfa. [k]
36 Porrò ſola dignitas in filiofa. nihil facit, quo minus ſit locus Senatuſconſulto [l]. ¶ *Et ei, qui credi-*
37 *derit, denegatur actio.*] Hic Iuſtinianus explicat præcipuam vim Senatuſconſulti; quòd ſcilicet ſua
prohibitione tollat efficacem actionem. Cæterùm non impedit, quin aliqua obligatio contraha-
tur ſummo iure. Nam ſaltem hic ſubeſt quædam naturalis obligatio [m]. ideoque non repetitur
quod ex hac cauſa ſolutum eſt. Sed ſi non oppoſita exceptione, condemnati ſunt, nondum autem
ſoluerunt. poterunt adhuc ſe tueri aduerſus actionem iudicati [n].

38 ¶ *Et qui crediderit.*] Nihil intereſt (inquit Martianus [o]) quis filiofa. crediderit, vtrùm priuatus,
an ciuitas. Sed excipimus pupillos & filiosfa. qui ſi crediderint pecuniam, ceſſat Senatuſconſul-
tum [p]: quia non ſit mutua pecunia: neque enim mutuo ij dare poſſunt. Quòd ſi puberes ſint, ſui-
que iuris, minores tamen vigintiquinque annis; cauſa cognita ijs ſuccurretur, ne obſit Senatus-
conſultum [a]. Et ſi quidem filiusfa. qui accepit, maior annis erat: omnino reſtituetur, qui dedit, &
magis ætatis quàm Senatuſconſulti ratio habebitur. Sed ſi minor erat: minor aduerſus minorem
non aliter reſtituetur, quàm ſi is, qui accepit, ipſe captus non ſit. Cæterùm ſi pecuniam perdiderit
vel dilapidârit: potior erit eius conditio [b].

39 ¶ *Quam aduerſus patrem.*] Vel etiam hæredem, ſi qui accepit, deceſſerit iam paterfa. factus [c].
addo & fideiuſſorem, & mandatorem. nam & aduerſus eos denegatur actio, qui ſcilicet alioqui
regreſſum haberent contra ipſum filium [d]. Sed ſi filiusfa ipſe in cauſa mutui pro alio fideiuſſerit:
40 ceſſat Senatuſconſultum [e]. ¶ *Quæ ideò.*] Iuſtiſſima certè hęc eſt Senatuſconſulti ratio. Verè enim
adoleſcens æris alieni mole prægrauatus, ſi creditoribus reſpondere cogatur, totus erit in captan-
da ſucceſſione parentis. Hæcque præcipua eſt cauſa, cur *Filius ante diem patrios inquirat in annos.* Cer-
tè & Cicero pro Roſcio inter cauſas ad patricidium impellentes, commemorat magnitudinem
æris alieni. Sed eſt tollenda omnis occaſio captandæ mortis alienæ. Vnde improbatum eſt pa-
41 ctum de hæreditate alterius adhuc ſuperſtitis [f]. Et Iulianus [g] improbum eum iudicat, qui ſolicitus
ſit de hæreditate viuentis.

¶ *Ei quoque.*] Patri vel domino. Nam hic locus intelligitur de filiofa. vel ſeruo inſtitore aut
naui præfecto. quod etiam nominatim apud Paulum exprimitur [h]. Et ſanè ſi liber homo præfi-
ciatur tabernæ, aut naui: ex eius contractu, dominus tabernæ vel exercitor directò non obligabi-
42 tur [i]: ſicuti nec ei quæritur directa obligatio, nec aliter acquiri poteſt vlla, quàm ex eius ceſſione [k].
43 niſi mâlis hic interpretari, directò quidem agi, non tamen omnino actione directa, ſed potius
vtili, cùm ex interpretatione deſcendat, & fictione quadam. & directò agi dictum iri ceſſe, quia
agatur perinde atque ſi cum patre vel domino contractum eſſet.

De noxalibus actionibus, Tit. VIII.



X maleficijs ſeruorum: veluti ſi furtum fecerint, aut bona rapuerint, aut damnum dederint, aut iniuriam cōmiſerint; noxales actiones proditæ ſunt, quibus domino damnato permittitur, aut litis æſtimationem ſufferre, aut ipſum hominem noxæ dedere. Noxa autem eſt ipſum corpus quod nocuit, id eſt, ſeruus: noxia, ipſum maleficium, veluti furtum, damnum, rapina, iniuria. Summa autem ratione permiſſum eſt noxæ deditione fungi. Namque erat iniquum, nequitiam eorum vltra ipſorum corpora dominis damnoſam eſſe. Dominus noxali iudicio ſerui ſui nomine conuentus, ſeruū actori noxæ dedendo liberatur: nec minus in perpetuū eius ſerui dominiū à domino transfertur. Sin autem damnū ei, cui deditus eſt ſeruus, reſarcierit quæſita pecunia: auxilio Prætoris inuito domino manumittetur. Sunt autē conſtitutę noxales

a L. Macedoniani. C. illo tit.
b dic. l. item ſi filiusfa. §. quod dicitur.
c dic. l. item ſi filiusfa. § proind.
d dic. l. Macedoniani.
e L. quia. D. hoc tit.
f L. 4. §. vlt. D. hoc ti.
g L. contra. D. hoc tit.
h dic. l. 4. §. 1.
i L. ſed & ſi paterfa. §. hoc Senatuſconſultum. D. hoc tit.
k L. 3. l. pen. D hoc ti.
l L. 1. §. vlt. D. hoc ti.
m L. quia naturalis D. hoc tit.
n L. tamen. D. hoc ti.
o L. nihil intereſt. D. hoc tit.
p L. 3. l. ſeq. D. hoc tit.
a dic. l. 3.
b L. verum. §. vlt de mino.
c L. item ſi filiusfa. §. quanquam. D. ad Senat. Maced
d L. ſed & ſi paterfa. §. non ſolum D. hoc ti.
e dic. l. item ſi filiusfa.
f L. vlt. C. de pact.
g L. 2. § interdum. de vulg & pupill.
h L. ſi inſtitorem. D. ſi cer. pet. condic.
i L. Iulianus. § ſi procurator rem vendide rit. de act. empt. l. liberto de nego geſt.
k L. poſſeſſio quoque. §. & ſi poſſeſſio. de acqui. poſſeſſ. l. 1. C. per quas perſo. nob. oblig. acquir.

noxales actiones, aut legibus, aut edicto Prætoris. Legibus, veluti furti ex lege duodecim Tabularum: damni iniuriæ, ex lege Aquilia. Edicto Prætoris, veluti iniuriarum, & vi bonorum raptorum.

Omnis autem noxalis actio caput sequitur. Nam si seruus tuus noxam commiserit: quandiu in tua potestate sit, tecum est actio. Si autem in alterius potestatem peruenerit: cum illo incipit actio esse. At si manumissus fuerit: directò ipse tenetur, & extinguitur noxæ deditio. Ex diuerso quoque directa actio noxalis esse incipit. Nam si liber homo noxiam commiserit, & is seruus tuus esse cœperit (quod quibusdam casibus effici primo libro tradidimus) incipit tecum esse noxalis actio, quæ antè directa fuisset. Si seruus domino noxiam commiserit: actio nulla nascitur. Nanque inter dominum, & eum qui in potestate eius est, nulla obligatio nasci potest. Ideoque & si in alienam potestatem seruus peruenerit, aut manumissus fuerit: neque cum ipso, neque cum eo, cuius nunc in potestate sit, agi potest. Vnde si alienus seruus noxiam tibi cōmiserit, & is postea in potestate tua esse cœperit, interdicitur actio: quia in eum casum deducta sit, in quo consistere non potuit. ideoque licet exierit de tua potestate, agere non potes: quemadmodum si dominus in seruum suum aliquid commiserit: nec si manumissus aut alienatus fuerit seruus, vllam actionem contra dominum habere potest.

Sed veteres quidem hoc in filijsfamiliarum masculis & fœminis admisêre: noua autem hominum conuersatio huiusmodi asperitatem rectè respuendam esse existimauit, & ab vsu communi hoc penitus recessit. Quis enim patiatur filium suum, & maximè filiam, in noxam alij dari, vt penè per filij corpus pater magis, quàm filius periclitetur? cùm in filiabus, etiam pudicitiæ fauor hoc bene excludat. Et ideò placuit in seruos tantummodo noxales actiones esse proponendas: cùm apud veteres Legum commentarores inuenerimus sæpius dictum, ipsos filiosfamiliarum pro suis delictis posse conueniri.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1.3.4 Noxa non ad publica sed ad priuata delicta pertinet.

2 Criminis publici accusatio non contra dominum, sed contra seruum qui facinus cōmisit instituenda est.

5 Quasi ex maleficijs seruorum quæ actiones competant?

6 Tandiu quis habet noxæ dedendi facultatem, quandiu iudicati non conuenitur.

7 Noxa dicitur à nocendo; & pro ipsa nonnunquam culpa accipitur. num. 9.

8 Noxia ipsum maleficium significat.

10 Duplex intellectus versic. Nec minus.

11 Theophili extensio ad hunc locum reiecta.

12 Noxales actiones sunt tantum adiectitiæ qualitates principalium actionū; earumq; naturam & tempora sequuntur.

13 Noxalis actio quamuis sit personalis, tamen ipsi rei inhæret.

14 Ex contractu seruus liber factus non tenetur.

15 Status commutatio nec eximit à pœna, nec pœnæ genus commutat.

16 Inter dominos & seruos nulla nec ciuilis obligatio nec actio constat.

17 Filius est quædam pars corporis paterni.

18 In se quis an in liberis suis terreatur sit perinde est.

19 App. Claudius quomodo pudicitiæ virginis Virginiæ sit insidiatus?

20 L. Papyrij nequitia.

21 Senatus cur censuerit; ne cuiusquā corpus obnoxium esset creditoribus?

22 An ob delictum filij & contra patrem fiat executio?

E*X maleficijs.*] Priuatis scilicet. Est enim actio noxalis, non etiam accusatio. & seruus ipse ex pu- 1
blicis delictis accusationem sustinet[a]. Itaque à Diocletiano & Maximiano [b] rescriptum est;
Criminis publici accusationem, non contra dominum, sed contra eum seruum, qui facinus com- 2
miserit, instituendam esse. Et sanè noxæ appellatio non pertinet ad publica delicta. Vnde & qui 3
stipulatur seruum noxis solutum, queri non poterit de criminibus publicis [c]. Et Vlpianus quo- 4
dam loco [d] nominatim discernit capitales causas à noxalibus. Porrò quasi ex maleficijs seruo- 5
rum, aduersus dominum non competunt noxales actiones: sed de peculio [e]. Et vbi principaliter non agitur ipsius maleficij nomine, sed ex aliquo contractu: licet delictum quoque versetur, veluti si in re deposita dolus sit commissus: de peculio actio datur, non noxalis, inquit Paulus [f].

¶ *Seruorum.*] Qui scilicet iustam seruitutem verè seruiunt. Nam si liber homo bona fide per errorem nobis seruiat, non dabitur aduersum nos ex eius delicto noxale iudicium: etiam si in iure interrogati responderimus, eum nostrum seruum esse [g]. ¶ *Aut bona rapuerint.*] Ex edicto quoque Prætoris hoc nomine agitur, vt paulò pòst ait Iustinianus: nempe ad quadruplum. vt intelligas priuatum & pecuniarium esse iudicium propter ipsum damnū. Cæterùm si intenderetur propter vim illatam accusatio publica: ea nō pertineret ad dominum, sed ad seruum ipsum, qui vim commisit [h]. ¶ *Domino.*] Quo scilicet ignorante, vel inuito, cùm prohibere non posset, delictum commissum

a L. 2. C. de accus. l. hos accusare. §. omnibus. D. illo tit.
b L. penul. §. vlti. C. de noxal. act.
c L. hæc stipulatio. noxis. de verb. oblig. l. quæ sit fugitiuus. §. quod aiunt. de ædil. edict.
d L. pen. D. si ex nox. cau. agat.
e L. si seruus nauem. de furt.
f L. ex contractibus. de act. & obligat.
g L. confessionibus. §. vlti. & le. seq. §. 1. de interrog. act.
h L. pen. C. de noxal. act. l. si criminis. C. ad legem Iul. de vi.

6 missum est. alioqui in solidum tenebitur, quasi commiserit ipse delictum [a]. ¶ *Damnato.*] Nec dum
tamen actione iudicati conuento. Tandiu (inquit Vlpianus [b]) quis habet noxæ dedendi faculta-
tem, quandiu iudicati non conueniatur. post susceptum autem iudicium, non potest noxæ de-
dendo se liberare. Sanè optionis arbitrium, & facultas soluendi speciem vel pecuniam, tandiu
non durat: sed prima statim litis contestatione tollitur [c]. ¶ *Noxa est ipsum corpus, quod nocuit.*] Hanc
interpretationem in sua Græcia commentus videtur Tribonianus. Nam Latinis inaudita est: &
rei, de qua nunc agitur, parum conuenit. nam si noxa corpus est, quomodo noxa deditur noxæ?
Fortasis Tribonianus cùm legit deditionem noxæ, existimauit NOXÆ, genitiuum esse, non da-
tiuum. Sed vtvt sit, verius est, noxam hic accipi pro ipsa pœna vel damno. Dicitur autem à nocen-
7 do. Sic apud Ouidium lib. 15. Metamor. legimus, *Sine noxa luce bibuntur.* Apud Suetonium refer-
8 tur, Cæsarem irrisisse Spurinam, quòd Idus Martiæ adessent sine vlla sua noxa. ¶ *Noxia, ipsum ma-
leficium.*] Sic Plautus in Mercatore; Vacuum esse isthac ætate his te decebat noxijs. Et Terent. in
Phorm. Hic in noxia est, ille ad defendendam causam adest. Et Cæsar lib. 5. de bello Gall. Suppli-
cia eorum; qui in furto aut latrocinio. aut alia noxia sint comprehensi, gratiora Dijs immortali-
9 bus esse arbitrantur. Et Cicero lib. 3. de Leg. Noxiæ pœna par esto. Accipitur aliquando & in ea-
dem significatione Noxa. vt apud Plautum in Casina; Manifestè teneo in noxa inimicos meos.
Et apud Terent. in Eunucho; Noxam hanc vnam omitte: si aliam admisero vnquam, occidito. Et
apud Liuium lib. 3. Alia omnis penes milites noxa erat. & lib. 5. Reum haud dubium eius noxæ,
approbantibus cunctis, de saxo deiecit.

a L. 2. de noxal. act. l. pen. C. illoris.
b L. item veniunt §. idem rectè aut. de pet. hæred
c L. si quis stipulatus fuerit decē in melle. de verb. oblig.

10 ¶ *Nec minus in perpetuum.*] Id si referas ad superiora, intelligendum erit. quasi dictum sit, noxæ
deditionem, quamuis fiat solius damni ratione, nihilominus respectu domini dantis circunferre
perpetuam alienationem: quia non sit ei postea integrum, alia damni compensatione seruum re-
cipere. Quòd si coniungas cum sequentibus, sicut videtur legisse Theophilus: intelligitur hic lo-
cus, quasi dixerit Iustinianus; non ideò minus perpetuū dediti serui dominium à domino transi-
re, quòd posit postea seruus sese redimere sarciendo damnum datum: quia hæc redemptio nihil
11 pertineat ad priorem dominum, sed ad seruum liberandum. ¶ *Quæsita pecunia.*] Addit Theophi-
lus idem esse, si operis suis atque ministerio, delicti æstimationem videatur præstitisse. Sed vereor
ne id probari queat Iure Ciuili. Nam vel solus bonæ fidei possessor fructus suos facit. Fructus au-
tem serui, sunt operæ atque ministeria.

12 ¶ *Sunt autem constitutæ.*] Et vt non sunt nisi quædam adiectitiæ qualitates aliarum principa-
lium actionum: ita etiam sequuntur earum naturam & tempora. Vnde noxalis actio Vi bono-
rum raptorum, non nisi anno vno, quadrupli est: post annum, simpli [d]. Porrò quod hic Iustinia-
nus ait noxalem actionem furti constitutam esse lege 12. Tab. latius explicui in postremis nostris
commentarijs ad postremum caput 12. Tabularum.

d L. pen. C. de nom. act.

13 ¶ *Noxalis actio caput sequitur.*] Sic Iustinianus reddidit, quod dici solet, Noxa caput sequitur [e]:
& ostendit, noxalem actionem. quamuis sit personalis, vtpote proficiscens ex obligatione ex deli-
cto, tamen ipsi rei inhærere. Noxalem autem actionem disertè dicimus: ne quis idem generaliter
statuat de alia actione ex serui delicto. Nam condictio furtiua non sequitur manumissum [f]. Dein-
de notandum est: debere ab initio damni dati, ex noxa esse natam actionem noxalem, vt caput
sequatur. Nam si à principio nulla sit. vt quia seruus domino nocuerit: nulla deinde hoc nomine
14 actio sequetur alienatum, vt paulò pòst etiam docet Iustinianus. ¶ *Directo ipse tenetur.*] Ex deli-
cto suo, actione pœnali [g]. Cæterùm ex contractu, quem tempore seruitutis inijsset, liber factus
non teneretur [h]: etiam si eius delictum versetur: vt si in re deposita dolum commiserit, cùm aga-
15 tur ex deposito, non poterit eo nomine conueniri manumissus [i]. Porrò vt status commutatio non
eximit à pœna eum, qui deliquit: ita nec ipsius pœnæ genus commutat. Nam (inquit Vlpianus [k])
quoties de delicto quæritur, placuit non eam pœnam subire, quam conditio eius admittit eo tem-
pore, quo sententia de eo fertur: sed eam causam sustinere, quam sustineret, si eo tempore esset sen-
tentiam passus, cùm deliquisset. Proinde si seruus crimen commiserit, deinde libertatem consecu-
tus sit, eam pœnam sustinebit, quam sustineret. si tunc sententiam passus fuisset, cùm deliquisset.
Quæ quidem Vlpiani verba videntur intelligenda de pœna ordinaria, certoque definita, cui sese
obstrinxerit seruus delinquēdo. Cæterùm si fuerit Iudicis arbitrio pœna relicta: eam arbitrari de-
bet, quæ conueniat præsenti conditioni: & aliter seruum, aliter liberum iam factum punire [l].

e L. vlt. D. hoc tit. l. 1. C. hoc tit. l. licet. C. an ser. ex suo fact.
f L. quod ab alio. de condict. furt.
g d. l. quod ab alio. & d. l. licet.
h L. 1. & 2. C. an ser. ex suo facto.
i L. 1. §. si apud. D. depos.
k L. 1. de pœnis.
l L. pen. D. si ex nox. cau. agat.

¶ *Si seruus Domino.*] Iustiniani Constitutio indicat [m]; debere hic verum esse seruum: quia si li-
ber homo sit, qui pro seruo bona fide possideatur; ipse quandocunque liber apparuerit, conueniri
possit suæ noxiæ nomine. Sed non oportere quoque verum hic esse dominum. quia idem sit & de
16 bonæ fidei possessore. ¶ *Actio nulla nascitur.*] Diocletianus & Maximianus [n] dum hunc locum tra-
ctant, inquiunt; inter dominos & seruos nullum constare posse iudicium: sed à dominis seruos
domi conueniendos, nempè verberibus. ¶ *Agi potest.*] Ex anteriori videlicet noxia. Cæterùm si
post manumissionem aut alienationem iterum rem contrectârint: agi poterit, quasi ex nouo fur-
to [o]. Quanquam alioqui, vbi semel nata est furti actio, non intelligatur sæpius admitti furtum ex
iterata contrectatione [p].
¶ *Vnde si alienus.*] Hic locus descriptus videtur ex Tryphonini responso, quod in Pandectis
extat his verbis [a]: Si alienus seruus furtum mihi fecerit, qui postea in meum dominiū peruenerit:
extinguitur furti actio, quæ mihi cōpetierat, nondum in iudiciū deducta: nec si postea alienauero
eum, quem ante litem cōtestatam emerā, furti actio restaurabitur. quòd si post litem contestatam
eum rede-

m L. apud antiquos. C. de furt.
n L. vlt. C. an ser. ex suo facto.
o L. 1. in fi. C. de nox. act.
p L. ei qui. de furt.
a L. si alienus. de nox. act.

eum redemero, condemnandus erit venditor. Addit Vlpianus, Quemadmodum si alij vendidisset. parui enim referre, cui vendiderit, aduersario, an alij. suaque culpa litis æstimationem subiturum, qui vendendo noxæ deditionem sibi ademit. ¶ *Pater magis periclitetur.*] Leges nostræ ma- 17
gnifaciunt στοργὰς illas φυσικὰς, quibus parens filio coniungitur: & agnoscunt, filiũ, propter cognationem, esse quandam partem corporis paterni [a]: parentesque pro affectu magis in liberis suis
terreri, vt nihil referat ad edictum Quod metus causa, an in se quis territus sit, an in liberis suis [b]. 18
Veteres historiæ proponunt multa huius intimæ dilectionis exempla, multosque patres, qui pro filijs non dubitárunt vicariam mortem subire; aut mortuos spontanea morte sequi. Referam vnum exemplum Mezentij tyranni, qui cùm pro se filium sub manibus Æneæ reliquisset, ita exclamat apud Maronem:

a L. cùm scimus. § vl. C. de agric. & censi.
b L. isti quidem § vl. de eo quod met. caus.

Tantáne me tenuit viuendi, nate, voluptas:
Vt pro me hostili paterer succedere dextra,
Quem genui? tuane hæc genitor per vulnera seruor,
Morte tua viuens? heu nunc misero mihi demum
Exilium infelix: nunc altè vulnus adactum est.

¶ *Item pudicitia fauor.*] Ea autem admodum periclitatur, quæ dominum habet, cui quod li-
beat, liceat. Notus est Appius ille Claudius, qui non alia via insidiatus est pudicitiæ virginis Virgi- 19
giniæ, quàm asserendo eam in suam seruitutem, existimans facilè se reliqua effecturum, si id effecisset. Idque pater intelligens, maluit filiam occidere, quàm huius domini potestati relinquere.
Notus quoque est L. Papyrius, qui ingenuum adolescentem C. Publium, qui se ob æs alienum pa- 20
ternum, huic nexum dederat, nefanda libidine constuprare tentauit, sua potestate turpiter abu-
sus: adeò, vt Senatus censuerit; ne in posterum cuiusquam corpus obnoxium esset creditoribus. 21
¶ *Ipsos filiosfa. conueniri.*] Vbi autem ipsi conuenti sunt & condemnati: possunt parentes iudi- 22
cati actione conueniri de peculio, vt inquit Vlpianus [c]: qui & alio quodam loco [d] generaliter tradit, iudicari patrem de peculio actione teneri, etiam eius actionis nomine, ex qua non potuit pater de peculio actionem pati. Nam sicut stipulatione contrahitur cum filio, ita iudicio contrahi: proinde non originem iudicij spectandam, sed ipsam iudicati, velut obligationem.

c L. & si condemnatus. de noxalib. act.
d L. 3. § idem scribit. de pecul.

Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, Tit. IX.



NIMALIVM nomine, quæ ratione carent, si qua lascivia, aut pauore, aut feritate pauperiem fecerint: noxalis actio lege duodecim Tabularum prodita est. Quæ animalia si noxæ dedantur, proficiunt reo ad liberationem: quia ita lex duodecim Tabularum scripta est: vt puta, SI EQVVS CALCITROSVS CALCE PERCVSSERIT, AVT BOS CORNV PETERE SOLITVS, CORNV PETIERIT. Hæc autem actio in ijs, quæ contra naturam mouentur, locum habet. Cæterùm si generalis * sit feritas: cessat actio. Denique si vrsus fugerit à domino, & sic nocuerit: non potest quondam dominus esse, quia desijt dominus esse, vbi fera euasit. Pauperies autem est damnum sine iniuria facientis datum. Nec enim potest animal iniuriam fecisse dici, quod sensu caret. Hæc quidem ad noxalem pertinent actionem.

** al. genitalis.*

Cæterùm sciendum est, Aedilitio edicto prohiberi nos canem, verrem, aprum, vrsum, leonem ibi habere, quà vulgo iter sit: & si aduersus ea factum erit, & nocitum libero homini esse dicatur: quod bonum & æquum iudici videtur, tanti dominus condemnetur. cæterarum verò rerum, quanti damnum datum sit, dupli. Præter has autem Aedilitias actiones, & de pauperie locum habebit. Nunquam enim actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Variarum actionum gradus pro varia delinquentium ratione obseruandi sunt.
2 Actio de pauperie quadrupedis quare introducta, & quid ea consequamur? num. 3. 4. 5.
6 Si res nostra inanimata damnum forte dederint, earum nomine non tenemur. & num. 7. 8.
9. 10 Discriminis huius ratio quæ?
11 θηριότης quid?
12 Notatus hic Tribonianus. & num. 13. 19.
14 Contra naturam quid?
15 Generalis naturæ consuetudo quæ?
16 Quid si in tuo tua quadrupedes secundum naturam suam mihi damnum dederint?
17 Quis illius contra naturam commotionis autor sit, spectandum est.
18 Vbi cesset hæc actio?
20 Pauperiem Iustinianus [illegible] appellat.
21 Lege Mosaica brutum cur morte puniebatur, si quid morte dignum commisisset?
22 Athenienses ex Lege Draconis inanimata quoque morte quomodo multauerint. & num. 24.
23 Niconis Thasii pugilis statua in mare cur demersa?
25 Vnde sit argumentum illud Demosthenis? Inanimata atque bruta indicta causa damnari nefas est;

Multo

Multo minus igitur homines indicta causa damnari oportet.
26 *Verba edicti adilitij, cuius hic mentio fit.*
27 *Aediles non modò macellum sed & vias publicas curabant.*
28 *Praefectorum olim rerum vrbanarum officium erat etiam collabentes ædes sartas tectas seruare, viasque perficere.*
29 *Prius quàm fuerit nocitum edicto huic locus non est.*
30.31 *Dua actiones pœnales de re eadem concurrentes an inuicem consumantur?*

1 INitio debemus obseruare gradus vatiarum actionum, pro varia delinquentium ratione. Si à
2 nobis ipsis detur damnum: locus est legi Aquiliæ. Si à nostris seruis: competit noxale iudicium.
Si à nostris quadrupedibus: idem iudicium datur, sed proprium nomen habet. Nam in hanc rem
nominatim lege duodecim Tabularum prodita fuit actio de pauperie quadrupedis: vt vel detur
quod nocuit, nempe ipsum animal, quod noxiam commisit: aut æstimatio noxiæ. Olim quoque
apud Athenienses erat huius rei nomine certum iudicinm. Nam Solon prodiderat actionem,
3 quæ dicebatut βλάβης δίκη τῶν τετραπόδων, [Iudicium damni dati à Quadrupedibus.] & statuerat,
4 vt canis, qui damnum dedisset, capistro quatuor pednm alligatus, dederetur. De boue, qui cornu
5 petit, multa sunt in lege Mosaica sancita Exod. 21. Nos hodie moribus nostris illud addidimus,
vt dominus qnadrupedis, quæ pauperiem fecit, certam mulctam pecuniariam pendat ei, qui eius
loci iurisdictionem habet. ¶ *Animalium.*] Quorumcunque, etiam non quadrupedum. Nam &
6 si bipes animal pauperiem fecerit: competit hæc actio, saltem vtilis [a]. Rerum autem nostrarum *a L. pen. D. si quad. paupe fec. dica.*
inanimatarum, si ex fortè damnum dederint, nomine, non tenemur. Vnde si nauis maiore qua-
7 dam vi impulsa, obruerit aliam sine vlla gubernatoris culpa: nulla erit actio [b]. Et si ædes sua ruina *b L. quemadmodū. §. si nauis. D. ad leg. Aquil.*
8 damnum dederint: nulla dabitur actio, nisi dominus prius cauisset damni infecti nomine. Sic
enim Caius ait [c]: Euenit nonnunquam, vt damno dato nulla nobis competat actio, non inter- *c L. euenit. de dam. infect.*
posita antea cautione: veluti si vicini ædes ruinosę in meas ædes ceciderint. adeò, vt plerisque pla-
cuerit, ne cogi quidem eum posse, vt rudera tollat, si modò omnia quæ iaceant, pro derelicto ha-
9 beat. Vlpianus copiosius explicat rationem discriminis, & cur huius damni dati nomine, non
detur actio. Agens enim de damno infecto; Hoc edictum (inquit [d]) prospicit damno nondum *d L. Prætor ait. §. hoc edictum. de dam. infect.*
facto: cùm cæteræ actiones, ad damna, quæ contigerunt, sarcienda pertineant: vt in legis Aqui-
10 liæ actione & alijs. de damno verò facto nihil hoc edicto cauetur. Cùm enim animalia, quæ noxi-
am commiserunt, non vltra nos soleant onerare, quàm vt noxæ ea dedamus: multo magis ea, quę
anima carent, vltrà nos non debent onerare: præsertim cùm res quidem animales, quæ damnum
dederint, ipsæ extent: ædes autem, si sua ruina damnum dederunt, desierint extare. ¶ *Aut pauore.*]
Vetusta quædam exemplaria legunt, feruore. atque ita legisse videtur Theophilus, vertit enim
θερμότητα, [feruorem siue calorem, quo commouentur animantes ex præsentia fœmellæ.]
11 ¶ *Quia ita lex 12. Tab.*] De hac lege dixi ad 12. Tab. cap. 15. eoque nunc Lectorem reijcio. Sed
12 quod ad præsenrem locum attinet: verba quæ ex hac lege repetit & proponit Iustinianus, non sa-
tis videntur conuenire rei propositæ, si non alia subijcias. Certè magis conueniunt & seruiunr se-
quenti loco de animalibus, quæ contra naturam mouentur, sicut etiam in hunc finem ab Vlpia-
no [e] proposita sunt. Cæterùm qnod attinet ad rationem deditionis: aptius erat proponere volun- *e L. 1. §. 1. D. si quadru. paup. fec. dic.*
tatem legis duodecim Tabularum, statuentis, aut dari id quod nocuit, id est, id animal quod no-
13 xiam commisit, aut æstimationem noxiæ offerri. sicuti & ab eodem Vlpiano factum est. Et mi-
rum est, eius methodum & verba interturbâsse, & confudisse Tribonianum: nisi locus hic sit mu-
tilus & corruptus. Certè mihi nonnihil suspectus est.
14 ¶ *Contra naturam.*] Hoc est, contra naturalem consuetudinem omnium eius generis anima-
lium. Vlpianus testatur; Seruium scripsisse, tunc hanc actionem locum habere, cùm commota fe-
ritate, nocuit quadrupes: vt si equus calcitrosus calce percusserit: aut bos cornu petere solitus, cor-
15 nu petierit: aut mula, propter nimiam ferociam. Cæterùm si ex generali naturæ consuetudine
quadrupes damnum dederit: vt si bos depascatur obuia gramina, aut porcus glandes, ant canis
16 carnes: nulla eo nomine prodita est actio, nisi sit, quod iure ipsi domino imputes. Tum enim ipse
meritò ex suo facto teneretur. Et si quidem in tuo tuæ quadrupedes secundū suam naturam mihi
damnum dederint: vt quia glandes ex arbore mea in tuum fundum deciderant, & tu ante tridu-
um, quod mihi datur ad meas glandes colligendas [f], dolo immiseris tuas quadrupedes, vt glan- *f L. 1. de glan. legen.*
dem meam depascerentur: dabitur mihi aduersum te vtilis actio ex lege Aquilia [g]. at si aliter, & si- *g L. vl. C. ad leg. Aquil.*
ne tuo facto immissæ, id fecerint: solùm teneberis, qnatenus es ex eo pastu locupletior [h]. Quòd si *h L. qui seruandarum §. vl. de præscri. verb.*
in meo damnum mihi dederint tuæ quadrupedes, non quidem contra naturam, sed tua, vel tui
pastoris culpa immissæ: prodita est actio de pastu pecoris: in qua certè locus non erit deditioni no-
xæ: quia magis agatur ex delicto domini, quàm ipsius quadrupedis.
17 ¶ *Mouentur.*] Cuius noui motus quæ sit prima causa, multum interest. Si notus fuerit autor
eius, ipse tenebitur, & hæc cessabit actio. Nam si quis equum concitauerit, & is concitatus, calce
petierit: excusabitur equus, & qui eum concitauit, de damno tenebitur. Et si alia quadrupes aliam
concitauerit: eius, quæ concitauit, nomine, agendum est. aut si in commissione arietes, alter alte-
rum occiderit: si quidem is perierit, qui aggressus est: cessat actio. sed si is, qui non prouocauerat:
competit actio noxalis de pauperie. Quæ quidem omnia eleganter ab Vlpiano tradita sunt.
18 ¶ *Denique, si vrsus.*] Hic Iustinianus addit alium casum, quo cessat hæc actio; nempe si quadru-
pes deposuerit quidem naturalem suam feritatem, in alicuius domini potestatem redacta; sed

iam dominum sua fuga reiecerit, & in naturalem suam libertatem sese receperit. Itaque hic Iusti- 19
nianus rectè intelligetur primùm egisse de feris bestijs, deinde de ijs, quæ sunt quidem mansue-
factæ, sed iam dominum amplius non habent, qui conueniatur. Et hoc sensu aptè videbitur Iusti-
nianus hoc loco vsus vocula, DENIQVE. Certè in responso Vlpiani (vnde petitus hic locus est)
non est hęc nota distiuctionis. ait enim [a]; In bestijs propter naturalem feritatem, hęc actio locum
non habet. & ideò si vrsus fugit, & sic nocuit, non potest quondam dominus conueniri: quia de-
finit dominus esse, vbi fera euasit. & ideò si eum vrsum occidero, meum corpus est. ¶ *Pauperies
est.*] Hic quoq; locus descriptus est ex Vlpiano [b]. Videtur autem Iustinianus in legibus suis Geor-
gicis pauperiem appellare *τραῦμα*, voce noua, &, vt opinor, parum vteribus nota. 20

a L. 1. §. in bestijs. D. si quadrup. paup. fec.
b dic. l. 1. §. 1.

¶ *Nec potest animal iniuriam fecisse dici.*] Lege tamen Mosaica etiam morte puniebatur ani- 21
mal brutum, si quid morte dignum commisisset: nempe ad maiorem ipsius facti detestationem,
& ne superesset autor, qui tristem delicti memoriam refricaret. Apud Athenienses ex lege Draco- 22
nis, non animalia modò, sed & inanimata dabant pœnas cædis perpetratæ. Vnde est illud iudi- 23
cium, quod refert Suidas, de statua Niconis Thasij celebris pugilis. Cùm enim eius defuncti
statuam inimicus odio indulgens vehementer cæderet fustibus, eaque collapsa oppresisset cæ-
dentem: cædis rea fuit, & à iudicibus condemnata, inque mare demersa. Atque vt intelligamus
hæc imaginaria iudicia fuisse alijs simillima: dabatur ipsi rei inanimatæ, quæ cædis accusabatur, 24
patronus: nec causa indicta damnabatur. Vnde est illud graue admodum & elegans dictum De-
mosthenis aduersus Aristocratem: *εἰ τῶν ἀψύχων καὶ μὴ μετεχόντων τοῦ φρονεῖν, ὑπερορίζω ὅσα τοιαύτην ἔχει* 25
αἰτίαν ἐὰν ἐμπεσόντα του τινὰ ἀδικοῦντα μηδ' ἂν τύχῃ, δήπου δ' ἀδικοῦντα, ἀλλ' ἀνθρωποκτόνα ὄντα καὶ μεταλαβόντα
τῇ τύχῃ τῆς αὐτοῖς ὁμοίας φύσεως, ἀνόσιον καὶ δεινὸν ἄνευ λόγου καὶ ψήφου ποιεῖν ἐκδότους ἐπ' αἰτίᾳ τοιαύτῃ.

Genes. 9.
Leuit. 20.
Exod. 21.

¶ *Aedilitio edicto.*] Cuius quidem edicti refert Vlpianus [c] hæc fuisse verba; Ne quis canem, 26
verrem, vel minorem aprum, lupum, vrsum, pantheram, leonem, quà vulgò iter fiet, ita habuisse
velit, vt cuiquā nocere damnúmve dare posit. Si aduersus ea factum erit, & homo liber ex ea re
perierit, solidis ducentis: si nocitum homini libero esse dicetur, quanti bonum & æquum Iudici
videbitur, condemnetur: Cæterarum rerum, quantum damnum datum factúmve sit, dupli. Hic
autem meminisse debemus; Aediles non modò macellum curasse, sed & vias publicas, vt eæ secu- 27
ræ essent, & mundæ, nullisque impedimentis obstructæ: vti perfectius cognoscere est ex quodam
Græco Papiniani responso, quod, quia nunc extat in Pandectis [d], non referam. Sed addam simi-
lem Aristotelis locum de officio Ædilium, qui apud eum extat libro sexto Politicorum cap. 8.
ἑτέρα δ' ἐπιμέλεια ταύτης ἐχομένη καὶ σύνεγγυς, ἡ τῶν περὶ τὸ ἄστυ δημοσίων καὶ ἰδίων, ὅπως εὐκοσμία ᾖ, καὶ τῶν πιπτόν- 28
των οἰκοδομημάτων, καὶ ὁδῶν σωτηρία καὶ διόρθωσις. Huc etiam pertinet, quod in iure nostro legimus [e];
Ædilem aliquando, lectos, quòd in via publica essent, conscidisse. Scilicet (inquit Vlpianus [f]) pu-
blicè vtile est, sine metu & periculo per itinera commeari. Quo etiā nomine proposita fuere multa
Prætorum edicta.

c L. hi enim. l. qua vul. de ædil. edic.
d L. 3. de via pub.
e L. lectos. de peric. & commo. rei vendit.
f L. 1. § summa. de his qui deie. vel effud.

¶ *Canem, verrem, aprum, &c.*] Et generaliter (inquit Paulus [g]) aliud animal, quod noceret: &
siue solutum sit, siue alligatum, aut contineri vinculis, quo minus damnum inferat, non posit.

g L. & generaliter aliud. de ædil. edic.

¶ *Et nocitum.*] Prius autem quàm fuerit nocitum, huic Ædilitio edicto non erit locus. aliud 29
est autem Prætoris edictum, de eo, qui quà vulgò iter fieri solet, suspensum aliquid habet, cuius ca-
sus nocere posit. nam & si nondum nocuerit: tamen est edicto locus, quemadmodum etiam su-
prà dictum est.

¶ *Nunquam enim actiones.*] Hæc regula ab Vlpiano tradita est, duobusque locis repetita in Pan 30
dectis [h]: & ab eodem alibi satis significatur quo modo vna actio aliam nō consumat: nempe quòd
vna non impediat alteram otiri, sed vtraque posit competere. altera tamen solùm agi posse, &
nos altera contentos esse debere [i]. Id quod dilucidius explicat Modestinus [k] his verbis: Plu-
ra delicta in vna re plures admittunt actiones: sed non posse omnibus vti probatum est. nam si ex
vna obligatione plures actiones nascantur: vna tantummodo, non omnibus vtendum est. Sanè 31
tamen hic quod vni deest, adijci poterit ex alia, vt semper quod amplius est, consequamur [l].

h L. nunquam actiones de act. & oblig. l. nunquam actiones. de reg. iur.
i L. licet. § possumus. D. nau. caupo. stabula.
k L. plura delicta. de act. & oblig.
l L. qui seruum. de act. & oblig.

De ijs, per quos agere possumus, Tit. X.



NVnc admonendi sumus agere posse quemlibet hominem, aut suo nomine, aut alieno. Alieno, veluti procuratorio, tutorio, curatorio: cùm olim in vsu fuisset, alterius nomine agere non posse, nisi pro Populo, pro libertate, pro tutela. Præterea lege Hostilia permissum erat furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent, aut reipublicæ caussâ abessent, quíve in eorum cuius tutela essent. Sed quia hoc non minimam incommoditatem habebat, quòd alieno nomine, neque agere, neque excipere actionem licebat: cœperunt homines per Procuratores litigare. Nam & morbus, & ætas, & necessaria peregrinatio, itemque aliæ multæ causæ sæpe hominibus impedimento sunt, quo minus rem suam ipsi exequi posint.

Procura-

Procurator neque certis verbis, neque præsente semper aduersario, imò plerunque eo ignorante, constituitur. Cuicunque enim permiseris rem tuam agere, aut defendere: is tuus Procurator intelligitur. Tutores & curatores quemadmodum constituantur, primo libro expositum est.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *In criminalibus causis frustra Procurator interuenit.*
2 *An ad omnes ciuiles causas sit idoneus semper Procurator? & num. 3.*
4 *Interdum quis cogitur per Procuratorem agere.*
5 *Assertor quis? & num. 6.*
7 *Pupillares causas tutor procurat quasi proprias.*
8 *Notata interpretatio Theophili.*
9 *Procuratoris vsus maximè necessarius.*
10 *Certis verbis, id est, Præscriptis & solennibus verbis.*
11 *Procuratores varijs constituuntur formulis.*
12 *Et absens Procurator dari potest.*
13 *Semel constitutus non potest aduersario ignorante reuocari.*
14 *Propriè agi hic de iudiciorum & fori Procuratoribus.*
15 *Tutor nomine suo Procuratorem dare non potest.*
16 *Procurator post litem contestatam cur alium sibi possit substituere?*
17 *Litis Procuratori non rectè soluitur.*

1 AGere posse.] Non etiam accusare. Nam (inquit Papinianus [a]) ad crimen publici iudicij perse- *a L.pen.§.1.de publ.*
quendum, frustra procurator interuenit, multoque magis ad defendendum. Sed excusatio- *indic.*
nes absentium ex Senatusconsulto iudicibus allegantur: & si iustam rationem habeât, sententiam
2 differunt. Sed nec ad omnes Ciuiles causas semper idoneus est procurator. quid enim si iudex ex
causa desideret præsentiâ actoris vel rei? Certè qui vult sese ex seruitute in libertatem asserere, ipse
suam causam agere debet [b]. Item masculus, qui vult allegare veniam ætatis, quam à Principe im- *b L.1.C.de asser. tol-*
3 petrauit [c]. Eiusmodi quoque olim erat causa in integrum restitutionis. Sed Imp. Alexander post- *lend.*
4 ea constituit, eam per procuratorem agi posse [d]. Porrò est, vbi quis non modò potest, sed om- *c L.3.C.de his qui ve.*
nino cogitur per procuratorê agere, nempe propter dignitatem. Nam illustres viros vult Iustinia- *æta.impetra.*
nus Nouell. sua Constit. 71. omnimodo per procuratores causas agere. Hodie moribus fori, nullæ *d L.vnica. C. etiam*
5 ferè causæ agi possunt sine ministerio Forensium procuratorum. ¶ *Pro libertate.*] Pro quâ asse- *per procur.caus.in in-*
renda, non modò poterat, sed omnino debebat alius interuenire, qui dicebatur Assertor. nam in- *teg.rest.agi posse.*
6 ter seruum & dominum non constabat iudicium. Sed totam hanc assertionem sustulit postea
Iustinianus [e]: statuitque, vt si quis ex libertate ad seruitutem vocetur; vel per se vel per alium; cau- *e L.1.C.de asser. tol-*
sam suam agere posit. Sin ex seruitute ad libertatem proclamet; omnimodo ipse causam suam *lend.*
7 liberalem agat, nec procuratorem dare posit. ¶ *Pro tutela.*] Pupillares causæ, quas tutor agit, ve-
8 rè alienæ sunt: sed tutor ex officio suo quasi proprias procurare debet. Theophilus interpretatur
hunc locum de duobus, qui de tutela decertârunt: quasi is, qui succubuerit, videatur alieno egisse
nomine. Sed ea interpretatio coactior videtur. quanquam sanè, qui agit, vt suspectus tutor remo-
ueatur, verè dicatur pupilli causam agere [f], non suam. ¶ *Qui vel eorum cuius tutela essent.*] Hoc est, *f L.1 §.vlt.D.quan-*
eorum quoque pupillorum nomine agi potuisse, quorum tutores vel Reip. causa absentes erant, *do appellan.sit.*
vel capti ab hostibus. Nam captiuitas tutoris magis suspendebat, quàm finiebat tutelâ, vt suo lo-
9 co dictum est. ¶ *Sed quia hoc.*] Inquit Vlpianus [g]; Vsus procuratoris perquam necessarius est, vt *g L.1.de procurat.*
qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, saltem per alios posint vel agere, vel con-
ueniri. ¶ *Morbus & ætas.*] Autor Rhetoricorum ad Herennium lib. 2. scribit; ex bono & æquo
fuisse constitutum, & ad vtilitatem communem, vt maior annis sexaginta, & cui morbus causa
est, cognitorem det.

10 ¶ *Certis verbis.*] Hoc est, præscriptis & solennibus. Sed vt varia est potestas procuratorum, ita
11 varijs tribuitur verborum formulis. Interdum causa requirit speciale mandatum, veluti causa re-
stitutionis in integrum. Interdum & singulare, in quo exactius singulæ ipsius negocij circun-
stantiæ explicantur: vt in causa nuptiarum contrahendarum: veluti si mandauero, vt filiæ meę
maritum quæras tali ingenio, his facultatibus. Nam si generaliter solùm mandauero, vt generum
mihi quæras; non poteris matrimonium etiam conficere [h]. ¶ *Neque præsente semper aduersario.*] *h L.generali.de ritu*
12 Imò nec præsente semper ipso procuratore. nam & absens procurator dari potest [i]. sed tum de- *nup.*
mum verè procurator erit, cùm ratum habuerit, & mandatum susceperit. ¶ *Eo ignorante constitui-* *i L.1.§. vlt.de procu-*
13 *tur.*] Semel tamen constitutus, non potest aduersario ignorante reuocari [k]. nam id captiosum es- *rat.*
set. ¶ *Cuicunque.*] Qui alioqui non prohibetur esse procurator. Multi autem varijs ex causis non *k L.vna.C.de satis-*
possunt esse procuratores. sed quicunque non prohibentur, admitti possunt [l]. ¶ *Permiseris.*] Hoc *dan.*
14 est, cômiseris atque mandâris. Ne quis qualemcunque patientiam satis hic esse putet. ¶ *Rem.*] *l L.mutus.§.1.de pro-*
Hoc est, causam aut litem. hic enim propriè agitur de procuratoribus iudiciorum & fori. Tamen *cur.*
15 & qui ad negocia datus est procurator, causas agere poterit. ¶ *Tuam.*] Debet enim à domino *m L.1.de procur.*
16 procurator dari [m]: adeò vt tutor suo nomine id non posit [n]. Sed cum procurator, post litem con- *n L.neque tutores.C. de procurat.*
testatam dicatur litis dominus: tunc alium sibi poterit substituere [o]. *o d.l.neque tutores. §.vlt.l.quod quis.C. de procurat.*

¶ *Agere.*] Qui autem procuratorem dat ad agendum, intelligitur permittere, vt etiam litem

a L. qui procuratorē. de procurat. peragat, inquit Vlpianus [a], atque etiam vt appellet [b]. Sed præterea nihil agit: nec prouocationis 17 causam persequitur. Sed nec quod iudicio euicerit, recipere potest. Litis enim procuratori (inquit Paulus [c]) non rectè soluitur, quia nec iudicati actionem habeat.

b L. 1. §. si aduersus. D. quando app. sit. L. inuitus. C. de procur.

c L. hoc iure. C. de solut.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Continuatio tituli ad præcedentes.*
2.3 *De Satisdationibus non tam pertinentibus ad rem iudicatam quàm ad iudicandam.*
4 *Si quis fideiussorem dare non potest, accipitur iuratoria cautio.*
5.6 *Cautiones de reprimenda actorum calumnia.*
7 *Quæ cautiones rem iudicatam tueantur?*
8 *Istarum cautionum hodie vsum negligi.*



DICTVM est de Actionibus, & ijs per quos agere possumus, sed nihili erunt actio- 1 nes & iudicia, nisi certis muniantur cautionibus: maximè si per alios exerceantur. Itaque hoc titulo Iustinianus tractat potissimùm de satisdationibus eorum, per quos agere possumus. Interim obiter meminit & aliarum Satisdationum, quæ non tam pertinent ad rem iudicatam, quàm ad iudicandam. Quarum tractatio, quia hîc breuius perstringitur, paulò exactius à nobis repetenda est. Primùm, in ius vocati, aut statim ire de- 2 bent, aut satisdare iudicio sisti [d]. Ex qua satisdatione competit Ciuilis quædam actio aduersus reum, vel fideiussorem, qui promiserat iudicio sisti [e]. Et si quidem certa pecuniæ quantitas, quasi pœna, promissioni adiecta sit: ea petetur certi condictione ex stipulatu. Sin autem simpliciter fuerit promissum iudicio sisti: agendum est incerti condictione ad id, quod interest [f]. Porrò vbi qui in ius 3 vocati sunt, stati fuerint: nouæ cautionis veluti repagulo constringuntur, ne quando eludere possint cœptam causæ cognitionem, & tam iudicem quàm aduersarium fuga sua ludificarier. Itaque nisi bona immobilia possideant, quæ omnem fugæ suspicionem & periculum tollant, iubentur satisdare, sese in iudicio permansuros, dato locuplete fideiussore. Cuiusmodi satisdationem Iustinianus in Nouella sua Constitutione 53. appellat προσωπικὴν ἐγγύην, [personalem sponsionem seu satisdationem.] Quòd si quis fideiussorem omnino dare non possit: accipitur iuratoria cautio. Hæ fuerunt Pruden- 4 tum consilia, ad coërcendas reorum ludificationes. Quorum exempla secuti deinde Principes, introduxerunt etiam cautiones, quibus reprimeretur calumnia, & improbitas ipsorum actorum. Pri- 5 mùm itaque, ne reos suspensos diutius fatigarent calumniosa motæ litis protrastinatione, iussi sunt, priusquam eos in ius vocarent, cauere, sese intra duos ad summum menses litem contestaturos: vel omne damnum ijs, qui conuenti essent, in duplum restituturos [g]. Præterea statutum fuit, vt satis- 6 darent, sese bona fide iudicium cœptum peracturos. Qua de re extat Nouella Iustiniani Constitutio centesima duodecima. Atque hæ quidem omnes cautiones propriè tuentur iudicia ad sententiam 7 vsque. Sunt aliæ quæ tuentur rem iudicatam, veluti; Iudicatum solui; & rem ratam haberi; de quibus potissimùm hoc titulo agemus. Certè harum omnium cautionum, quo maior fuit æquitas & vtilitas, eo magis dolendum est, hodie negligi in nostris iudicijs vsum. Nam hodie litigator, nec iudi- 8 cium peragi, nec iudicatum solui, satisdat. Illud solùm in vsu est, vt, si aduenæ litigent, deligant in ipsius fori territorio certum domicilium, in quo requirantur, quoties opus sit.

d L. toto titu. in ius voca. vt eant vel satisd.

e L. 2. §. vlti. D. qui satisd. cog.

f L. vl. de Prætor. stipul. l. vlt. D. si quis in ius voca. non ier.

g Nou. Constit. 96. de execut. §. 1.

DE SATISDATIONIBVS, TITVLVS XI.



SATISDATIONVM modus alius Antiquitati placuit, alium Nouitas per vsum amplexa est. Olim enim si in rem agebatur, satisdare possessor cõpellebatur: vt si victus esset, nec rem ipsam restitueret, nec litis æstimationem: potestas esset petitori, aut cum eo agendi, aut cum fideiussoribus eius. quæ Satisdatio appellatur, IVDICATVM SOLVI. Vnde autem sic appelletur, facile est intelligere. Nanque stipulabatur quis, vt solueretur sibi, quod fuisset iudicatum. Multo magis is, qui in rem actione conueniebatur, satisdare cogebatur, si alieno nomine iudicium accipiebat. Ipse autem, qui in rem agebat, si suo nomine petebat, satisdare non cogebatur. Procurator verò si in rem agebat, satisdare iubebatur, Rem ratam dominũ habiturum. Periculum enim erat, ne iterum dominus de eadem re experiretur. Tutores verò & curatores

tores eodem modo, quo & procuratores satisdare debere, verba edicti faciebant: sed aliquando his agentibus satisdatio remittebatur. Hæc ita erant, si in rem agebatur. Si verò in personam, ab actoris quidem parte eadem obtinebant, quæ diximus in actione, qua in rem agitur: ab eius verò parte, cum quo agitur, si quidem alieno nomine aliquis interueniret, omnimodo satisdaret: quia nemo defensor in aliena re sine satisdatione idoneus esse creditur. Quòd si proprio nomine aliquis iudicium accipiebat in personam: IVDICATVM SOLVI satisdare cogebatur.* Sed hodie hæc aliter obseruantur. Siue enim quis in rem actione conuenitur, siue personali suo nomine: nullam satisdationem pro litis æstimatione dare compellitur: sed pro sua tantùm persona, quòd in iudicio permaneat vsque ad terminum litis: vel committitur suę promissioni cum iureiurando (quam Iuratoriam cautionem vocant) vel nudam promissionem, vel satisdationem pro qualitate personæ suæ dare compellitur. * aliàs, nō cogebatur.

Sin autem per procuratorem lis vel infertur, vel suscipitur: in actoris quidem persona, si non mandatum actis insinuatum est, vel præsens dominus litis in iudicio procuratoris sui personam confirmauerit, Ratam rem dominum habiturum, satisdationem procurator dare compellitur, eodem obseruando, & si tutor, vel curator, vel aliæ tales personæ, quæ alienarum rerum gubernationem receperunt, litem quibusdam per alium inferunt. Si verò aliquis conuenitur: si quidem præsens procuratorem dare paratus est: potest vel ipse in iudicium venire, & sui procuratoris personam per IVDICATVM SOLVI satisdationem solenni stipulatione firmare: vel extra iudicium satisdationem exponere, per quam ipse sui procuratoris fideiussor existat omnibus IVDICATVM SOLVI satisdationis clausulis. vbi & de hypotheca suarum rerum conuenire compellitur: siue in iudicio promiserit, siue extra iudicium cauerit: vt tam ipse quàm hæredes eius obligentur. Alia insuper cautela, vel satisdatione propter personam ipsius exponenda, quòd tempore sententiæ recitandæ in iudicium veniet: vel si non venerit, omnia dabit fideiussor, quæ in condemnatione continentur, nisi fuerit prouocatum.

Si verò reus præstò ex quacunque causa non fuerit, & alius velit defensionem eius subire: nulla differentia inter actiones in rem, vel personales introducenda, potest hoc facere: ita tamen, vt satisdationem IVDICATVM SOLVI pro litis æstimatione præstet. Nemo enim secundum veterem regulam (vt iam dictum est) alienæ rei sine satisdatione defensor idoneus intelligitur.

Quæ omnia apertius & perfectius quotidiano iudiciorum vsu in ipsis rerum documentis apparent. Quam formam non solùm in hac Regia Vrbe, sed etiam in omnibus nostris prouincijs (& si propter imperitiam fortè aliter celebratur) obtinere censemus: quum necesse sit omnes prouincias, Caput omnium nostrarum ciuitatum, id est, hanc Regiam Vrbem, eiusque obseruantiam sequi.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 *Iure veteri conuentus in rem actione satisdabat iudicatum solui.*

2 *In iudicio personali necessariam non esse satisdationem si reus ipse defendat.*

3 *Vocabuli potestas hic quæ sit?*

4 *Persecutio iudicati rem petitam quomodo extorqueat?*

5 *Eandem esse fideiussorum & reorum iudicatorũ conditionem Iustinianus voluit.*

6 *Iudicatum Græci appellant τὸ γεγονόμενον.*

7 *Satisdatio, Iudicatum solui, tres clausulas continet; de re iudicata, de re defendenda, & de dolo malo.*

8 *Fideiussor id tantùm præstat, quod iudicatum est ex causa principali.*

9 *Tutores olim & curatores satisdabant vt Procuratores.*

10 *Satisdandi necessitas vbi Procuratori remittatur?*

11 *Nemo alienæ rei expromissor idoneus censetur nisi cum satisdatione.*

12 *Si proprio quis nomine iudicium in personam accipiebat, cur* Iudicatum solui *satisdare non cogebatur?*

1 OLim enim.] Non est omnino antiquissima hæc distinctio, vtpote quæ reperiatur tradita ab ipso Vlpiano. Nam extat eius [a] responsum, vbi satisdatur à reo cùm in rem ageretur: & committitur hæc satisdatio Iudicatum solui, etiam ob rem non defensam: vel iudicium non acceptum. Certè Tullius in Oratione pro Quintia, ait; Vbi sit iudicium de re, aut vtrunque aut neutrum satisdare debere. Alterum extat Vlpiani responsum [b], quod agit de iudicio personali, in quo ait non esse
2 necessariam satisdationem, si ipse reus defendat, sed si alius.

3 ¶ *Potestas esset.*] Hoc verbum tollit necessitatem, & significat libertatem quæ actori tribui-

a *L. si eum hominem. de fideiuss.*

b *L. hæc autem. §. vl. D. Quib. ex caus. in poss. eat.*

tur, cui integrum est hanc ex satisdatione & stipulatu actionem contemnere, ne post victoriam
redeat labor actus in orbem, si malit actione in factum vrgere ipsius rei iudicatæ executionem.
Quia alioqui graue esset, partam paratamque ex causa iudicati persecutionem, per satisdationem 4
redigi ad initium alterius petitionis [a]: præcipuè cùm persecutio iudicati omnino rem petitam extorqueat, vel manu militari, si opus sit [b]: nec vlla litis æstimatione oblata posit eludi. Omnino
enim parendum est mero excutionis imperio. ¶ *Agendi.*] Nempe actione iudicati, quæ pertinet ad executionem sententiæ.

¶ *Cum fideiussoribus.*] Et olim quidem cum ijs citius agi poterat. his enim non indulgebantur 5
tempora, quæ reis condemnatis dabantur. Sed Iustinianus [c] voluit eandem esse fideiussorum &
reorum iudicatorum conditionem. Verùm semper est integrum, saltem cum fideiussoribus tum
iudicati agere, cùm reus eo nomine côueniri posset. Interim meminerimus, aduersus fideiussores
non tam esse ipsius sententiæ, quàm principalis promissionis executionem.

a L. minor annis 25. cui fideicom. de minor.
b L. qui restituere. de rei vind.
c L. vlti. §. vlti. C. de vsur. rei iud.

¶ *Iudicatum solui.*] Quod in hac satisdatione Latini dixerunt iudicatum, Græci propriè ap- 9
pallârunt τὸ γιγνόμενον. [iustam partem, quam nimirum ius poposcerit, æquitasque suaserit.] Et si- 7
gnificatur nô id modò, quod verborum proprietas complecti potest: sed & hæc cautio quippiam
aliud continebat, quod scilicet impedir, ne iudicetur: nempe clausulam de reo defendendo, & de
dolo malo [d]. Adeò vt existimatum sit; hîc contineri satisdationem iudicio sisti: quia non videatur
quis rectè defendi, qui absens est, saltem vbi eius præsentia opus est. Alioqui fatendum est; aliquem defendi & ab alio quocunque [e]. Porrò hic admonendi sumus; hanc stipulationem, si ex vna
causa sit commissa, amplius ex alia non committi [f]: vt semel tantùm ex ea aduersus eundem agi 8
posit [g]. ¶ *Quod fuisset iudicatum.*] Saltem ex causa principali. Cæterùm si quid præter rem accessisset ex contumacia, vel inficiatione rei: id non pertinebat ad hanc satisdationem: & iniquum foret id præstare fideiussorem [h].

¶ *Rem ratam dominum habiturum.*] Hoc est; Comprobaturum ea, quæ procurator eius nomine
fecerit. quod caueri oportet & in ijs stipulationibus, quas procurator interponi desiderat. veluti
in stipulatione duplæ damni infecti, & similibus [i]. Sed & frequentata fuit hæc satisdatio in contractibus, quò tutiori esset loco, qui cum alterius procuratore contrahit [k].

¶ *Sed aliquando his agentibus satisdatio remittebatur.*] Rectè id interprætatur Theophilus, ἡνίκα 9
ὡμολογημένον ἦν αὐτῶν κατάστασις. [quando constabat quod tutores curatoresve constituti essent.] vt in- 10
telligamus tum ijs remissam fuisse Satisdationem, cùm omnino constaret eos tutores esse, vel curatores [l]. Sicut & in iure Ciuili apertè proditum est; remitti omnem satisdandi necessitatem procuratori, de cuius constat mandato, vel constiutione apud iudicem facta [m]. ¶ *Siquidem alieno nomine.*] Hæc distinctio apertè traditur ab Vlpiano [n]: vt parum constet, quod olim Alphenus absentis Quintij procurator, cùm postulatum esset, vt iudicatum solui satisdaret, negauit, æquum
esse, procuratorem satisdare, quòd reus satisdare non deberet si ipse adesset; vti relatum est in Oratione Ciceronis pro Quintio.

¶ *Quia nemo defensor.*] Traditur hæc regula à Caio his verbis [o]: Qui alium defendit, satisdare
cogitur. Nemo enim alienę litis idoneus defensor, sine satisdatione intelligitur. Vnde Vlpianus [p],
Non videtur (inquit) defendere, nisi qui satisdare fuerit paratus. Paulus autem ait [q]; Neminem 11
alienæ rei expromissorem idoneum censeri, nisi cû satisdatione. Iustinianus in Nouella sua Constitutione. 88. τῶν ἡμετέρων (inquit) νόμων μηδεμίαν δεφενσίονα παντελῶς ἀξιόλογον εἶναι τιθέντων, εἰ μὴ μετ' ἐγγυητοῦ γένοιτο, [nostris legibus nullam defensionem omnino ratam esse ponentibus, nisi cum fideiussione fiat.] ¶ *Non cogebatur.*] Nempe quod hîc magis notus erat reus actori, qui eius fidem secutus, cum eo etiam sine fideiussione contraxerat. Erat quoque certior, quia nominatim eius
persona erat obligata, nec pendebat iudicium ab vllius rei possessione.

d L. iudicatum solui. D. iudica. solui.
e L. hæc autem. §. vl. D. quib. ex cau. in poss. ea.
f L. iam tamen fideiussore. D. iudicata. solui.
g L. cùm quærebatur. D. iudica. solui.
h L. vlt. C. de fideiuss.
i L. non solum. D. rem rat. hab.
k L. quo enim. D. rem rat. hab.
l L. vulgo. de administ. tuto.
m L. si procuratorem. de procur. l. fin à quo. §. si procurator. D. vt in poss. legat. l. 1. C. de satisda.
n L. hæc autem. §. vl. D. quibus ex caus. in poss.
o L. qui proprio. §. qui alium. De procur.
p L. non videtur. De procurat.
q L. in eo quod. §. 1. De reg. iur.

§. Sed hodie.

1 Receptus hodie mos satisdandi.
2 Cautio iudicio sisti an afficiat hæredes?
3 In ius vocatus primum satisdat. iudicio sisti; *vbi statvs est, cauet sese iudicium accepturum.*
4 De fideiussoribus post litem iam contestatam acceptis & de fideiussoribus iudicio sistendi caussa; num. 5. 6. 7.
8. 9. 10 Iuratoria cautio locum vbi habeat?
11 Adiuratoria cautio Græcis est. διωμοσία.
12 Nuda promissio quando recipiatur; & quæ dicatur? num. 13.
14 De liberiore cautionis specie.
15 Fideiussores ab ijs exigendi non sunt quos honorare debemus.

¶ *Hæc aliter obseruantur.*] Nam & remissæ sunt cautiones olim necessariæ, & nouæ introductæ 1
sunt, vbi nullæ erant. Nam qui suo nomine agebat, nullo modo satisdare compellebatur. At hodie cauere debet iudicium peragi. ¶ *Pro sua tantùm persona.*] Sic videlicet, vt vis huius satisdatio- 2
nis non complectatur personas hæredum, licet ad eos pertineat transeatque inceptæ litis instantia [b]. Quo nomine ipsi de nouo satisdare coguntur. Prior enim fideiussuor liberatus est morte rei [c].
¶ *Quod in iudicio permaneat.*] Qui in ius vocatus est, primùm satisdare debet, iudicio sisti: & vbi
status est, cauere debet sese iudicium accepturum, ne cœptam causæ cognitionem posit eludere. 3
¶ *Vsque ad terminum litis.*] Teophilus vertit μέχρι τέλους, hoc est, vsque ad finem. Et ita vulgò
huuc

b L. si eum hominem De fideiuss. L. iam ex contractu. de iudicijs.
c L. si decesserit. D. qui satisd. cog.

hunc locum accipiunt. Verùm si agatur dé obligatione fideiussorum, non potest id commodè re-
4 ferri ad alios fideiussores, quàm eos qui accepti sunt post litem iam contestatam : ante cuius finem
liberari non possunt, quia sunt omnino accepti in eam rem [a]. Cæterùm quòd attinet ad alios fide- *a L. Gracè. §. & post*
5 iussores iudicio sistendi causa eorum obligatio & periculum non videtur durare vltra primum li- *litem de fideiuss.*
tis terminum, hoc est, contestationem & initium iudicij accepti. Idque Prætorem sensisse indicat
Vlpianus [b]; & addit rationem huius satisdationis ab eo introductæ; ne scilicet fiat deterius ius a- *b L. 1. D. si ex noxa*
ctoris experiri volentis. Sed nullum potest esse eius periculum post litem contestatam, cùm iam *caus.*
res eò perducta est, vt etiam si fugiet reus, obtineri posit sententia. Certè hanc sententiam apertè
probat Tullius libro decimosexto ad Atticum, Epistola octaua, inquiens; Lite contestata nō sum
6 nescius sponsores liberari. Huc q; pertinet; Etiam liberari fideiussores iudicio sisti, si per duos men-
7 ses actor negligat reum in ius vocare [c]. ¶ *Vel committitur.*] Vbi scilicet fideiussores inuenire non *c L. pen. C. de fideiuss.*
8 potest, fortasis propter inopiam: nec tamen par est eius fides religioni sacramenti. Sed & vbi qui
9 posident immobilia, quæ periculum fugæ tollunt: non coguntur satisdare [d]: sed substantiæ suæ *d L. sciendum. D. qui*
creduntur, & iuratoriæ cautioni. Sed & quoties viri illustres conueniuntur, non coguntur satisda- *satisd. cog.*
10 re, sed suæ fidei & iuratoriæ cautioni committuntur [e]. Cōmittitur & iuratoriæ cautioni Magistra- *e L. quoties. C. de di-*
11 tus, qui post finitum officium à suis conuenitur [f]. Hanc iuratotiam, vel vt alibi vocatur, adiurato- *gni. l. 12. in sacrn. C.*
riam cautionem, Iustinianus in Nouellis appellat *διωμοσίαν*. [iusiurādum de calumnia.] Et in No- *de proxi sacr. scrin l.*
uella 53. iubet, reum qui post iuratotiam cautionem fugerit, comprehendi vt periurum : & si ante *multis. C. de princi-*
litem contestatam fugerit, nec prehendi queat, sancit; iudicem debere actorem mittere in posses- *pib. agent in reb.*
sionem bonorum rei, si qua ille habeat. *f L. 1. C. vt oēs iudic.*

12 ¶ *Vel nudam promissionem.*] Vt si alicuius fidei ac virtuti non minus tribuendum videatur, atq;
iuri iurando. quod fortasse honestè tribuas publicæ alicuius dignitati: quæ nec ignominiosè cogi-
tur in iudicio satisdare [g] (est enim quædam satisdationis ignominia [h]) nec, quasi de eius fide, quam *g L. quoties. C. de di-*
Princeps probauit, dubitetur, temerè compelli debet ad religionem iurisiurandi. Porrò autem ap- *gnit.*
13 pellatur hîc nuda promissio, quæ nec iusiurandum habet, nec satisdationem. *h L. testamēto datur. de testa. tute.*

¶ *Vel satisdationem pro quantitate personæ suæ dare.*] Videtur hîc significari quarta quædam spe-
14 cies cautionis iudicio sisti: nempe laxior illa & liberior, quæ pro qualitate personæ aliquando ad-
mittitur. Nam personis parentum, patronorum, vxorum, nuruum, illud tribuit Prætor, vt si in ius
vocentur, qualiscunque fideiussor sit idoneus, hoc est, etiam non locuples [i]. Nec sanè hîc patitur *i L. 2. §. Prætor ait. D. qui satisd. cog.*
naturalis honestatis ratio morosam inter cōiunctos altercationem de personis fideiussorum: cùm
15 erubescere etiam debeamus, vllos fideiussores ab ijs exigere, quos vereri & honorare debemus, *k L. testamēto datur.*
non autem cogere satisdationis ignominiam subire, vt verbo Vlpiani vtar [k]. *de testa. tute.*

§. *Sin autem cum seq.*

1 *Discrimen inter eum qui suo & eum qui alieno nomine agit; item inter agentem & defendentem.*
2 *Cicero discrimen illud confundit, foro seruiens.*
3 *Alienæ rei defensor, licet nullum habeat mandatum, an audiendus?*
4 *In extraiudicialibus negocijs an cautione rati suppleri posit mandatum dubium?*
5 *Quid, si quis procurator sit in rem suam.*
6.7 *Vbi cogatur procurator actoris cauere, vbi non?*
8 *Procurator potest & per absentem constitui.*
9 *Cautio,* Rem ratam haberi *quid contineat?*
10 *Satisdatio & cautio nonnunquam promiscuè vsurpantur.*
11 *Procurator rei conuenti omnimodo satisdare debet.*
12 *Fideiussor hîc impropriè Expromissor dicitur.*
13 *Stipulatio* Iudicatum solui *tres habet clausulas; earundemq; differentia. num. 14.*
15 *Si tutor ipse constituat procuratorem, obligabuntur res pupillares, & de eodem. num. 24.*
16 *Appellatio rei principalis fideiussorem liberat.*
17 *Quid si ipse fideiussor prouocet?*
18 *Si post reum absolutum prouocet actor, an liberetur & fideiussor?*
19.20 *De absentis rei defensore qui vltro se ingerit.*
21 *Quatenus tam in actionibus in rem, quàm in personam admittatur defensor?*
22.23.25 *Nemo aliena litis defensor admittitur sine cautione iudicatum solui.*
26 *Roma olim caput orbis.*
27 *Rerum veritas gestorum erroribus non vitiatur.*

1 ¶ *Sin autem.*] Hîc Iustinianus ostendit discrimen, quod etiam olim fuit, inter eum, qui suo, &
eum, qui alieno agit nomine. Itemque inter eum qui agit, & eum qui defendit. Tullius pro Quin-
tio videtur vtrunque discrimen confudisse. Nam & contendit Alphenum Quintij procuratorem
satisdare non debere, vbi reus, si præstò esset, non satisdaret. aut idem ius statui debere inter vtrius-
2 que partis procuratores. Sed Cicero non tam id iure facit, quàm seruiens foro & suæ causæ.
¶ *Per Procuratorem.*] Qui scilicet prætexit aliquod domini mandatum, eoque nititur. Nam a-
lioqui sanè reijceretur, qui vellet nomine alieno litem inferre, vbi constaret nullum eum habere
mandatum [l]. etiam si cautionem Rem ratam haberi, offerret: nisi fortè coniuncta esset persona [m]. *l L. si pupilli. §. videamus. de nego. gest.*
3 In defensore tamen aliud est. quia auditur quicunque alienæ rei defensor, etiam quem cōstat nul- *m L. sed & hæc. l. Pomponius §. vl. de pro.*
lum habere mandatum, modò satisdet.
4 ¶ *Lis.*] In alijs negotijs extraiudicialibus; veluti exactione debiti; non æquè videtur suppleri *l. exigēdi. C. de pro.*
posse cautione rati, dubium mandatum. Maius enim hîc est soluentis debitoris periculum.

¶ *Infertur vel suscipitur.*] Alieno scilicet nomine[a] & periculo. Cæterùm si quis esset procura- 5
tor in rem suam: mandatum ius illud, quo nititur, nomenq; cessum probare cogeretur. Rem enim
suam agit[b]. ¶ *Si non mandatum.*] Ergo vbi constat de mandato: non cogitur procurator actoris 6
cauere Rem ratam haberi. Quorsum enim caueret, cùm id ipsum contineat mandatum, quo niti-
tur? diuersum est in procuratore rei neque enim mandatum eum liberat à satisdatione Iudicatum 7
solui[c]. Nam quid si non defenderet, aut condemnatus reus non solueret? Hæc pericula non tollit
mandatum. ¶ *Vel præsens dominus.*] Idem est, & si absens literis suis confirmet eum. Vnde elegan-
ter Modestinus[d], Si (inquit) procuratorem absentem dominus satisdatione releuare velit: literas 8
suas ad aduersarium dirigere debebit, quibus significet, quem aduersus eum procuratorem, & in
qua causa fecerit, ratumque se habiturum, quod cum eo actum sit. Hoc enim casu literis eius appro
batis, velut præsentis procuratorem interuenire intelligendum est.

¶ *Ratam rem dominum habiturum.*] Sententia est Vlpiani[e]; Qui alieno nomine agit quacunque 9
actione: id ratum habiturum eum, ad quem ea res pertinet, cauere debet. Committitur autem
hæc stipulatio, si dominus quocunque modo aliquid tentârit contra id, quod actum est. Adeò, vt
huius secundæ litis omnes sumptus ex hac cautione præstari debeant: nec prosit vel ipsius manda-
ti exhibitio, quo poterat dominus repelli. Satis enim est, re ipsa ratum non habuisse. Nam hic fa-
ctum inspicimus, non autem ius, vel iniuriam[f]. ¶ *Satisdationem.*] Alio loco hæc cautio dicitur[g], 10
sed generali appellatione: vt etiam posit pertinere ad fideiussoris dationem: quanquam propriè
& specialiter non soleat eam complecti[h].

¶ *Per alium.*] Non quidem procuratorem (neque enim is potest à tutore constitui ante litem
contestatam[i]) sed actorem aliquem, aut gestorem alieni negocij, quocunque tandem eum nomi-
ne appelles, vti rectè scribit hîc Theophilus. Quòd si per sese tutor litem inferat; diximus ei remis-
sam esse satisdationem: nempe quando constet eum esse tutorem. Nam & procuratori remittitur
cautio rati, vbi constat de eius mandato. Quòd si cõueniatur ipse tutor: iam habet plus quàm pro-
curator: quia non satisdat Iudicatum solui[k]. Nec temerè videtur se liti obtulisse, cùm eò adigere-
tur necessitate officij. Ideoque nec iudicati tenetur[l].

¶ *Si verò aliquis conuenitur.*] Etiam si à procuratore actoris. Nam & is à procuratore rei conuen- 11
ti potest exigere satisdationem Iudicatum solui[m]. Et ex his stipulationibus Prætorijs acquiritur
domino per procuratorem actio, etiam sine cessione[n]. ¶ *Ipse sui procuratoris fideiussor.*] Possunt &
alij hic esse procuratoris fideiussores: & possunt esse quilibet, modò sint locupletes & idonei. Fide- 12
iussor autem hîc impropriè dicitur, cùm sit potius expromissor. Nam ipse procurator non est obli-
gatus, nec quicquam promittit. ¶ *Pro omnibus Iudicatum solui satisdationis clausulis.*] Sunt autem
tres: nempe Dolum malum abesse, Reum defendi, Et quod fuerit iudicatum, præstari. hocque po- 13
stremum, est ex proprietate verborum. Vnde & ex hac parte, æquè parata est executio aduersus i-
psum quoque fideiussorem, vt aduersus reum[o] principalem. Sed in duabus prioribus clausulis. o- 14
pus est noua lite. Et ex quidem committi possunt etiam ante sententiam: at hæc tertia non potest,
antequam iudicatum sit. ¶ *De hypotheca suarum rerum.*] Quòd si tutor ipse constituat procurato-
rem: obligabuntur res pupillares. hoc enim efficit iudiciorum ratio, vt recipiatur, quod fortasis a- 15
lioqui non ita facilè admitteretur[p]. ¶ *Exponenda.*] Per ipsum videlicet procuratorem. ¶ *Veniet.*]
Ipse nempe reus principalis. ¶ *Nisi fuerit prouocatum.*] Ab ipso scilicet reo principali. Ea enim ap-
pellatio (qualis qualis tandem sit eius euentus) liberat fideiussorem: quem liberaret vel sola mu- 16
tatio instantiæ[a], vel actionis[b], vel iudicis[c]. Cæterùm si ipse fideiussor prouocet (vt omnes appel-
lare possunt, quorum interest) nequaquam eo nomine liberabitur. Quinimo intelligetur etiam 17
sese subijcere periculo nouæ litis, suamque extẽdisse obligationem, vt teneatur præstare, quod fue-
rit iudicatum in causa appellationis. Sanè si cùm reus absolutus esset, prouocauit actor: liberatur 18
quoque fideiussor: nec ad eum pertinet, si iudex appellationis reum condemnet[d].

¶ *Si verò rem.*] Suprà dictum est de procuratore actoris, qui aliquod prætexit mandatum:
nunc agit Iustinianus de absentis rei defensore, qui vltro se ingerit.

¶ *Præsto non fuerit.*] Cæterùm præsentem qui vellet defendere sine mandato, non audiretur. 19
Quemadmodum & procuratorem actoris, qui non habet aut probat mandatum, nihil iuuerit of-
ferre cautionem rati, siquidem dominus præsens est: cuius tum est dicere sese ratum habiturum.

¶ *Alius.*] Quicunque tandem is sit modò cum eo congredi grauius non sit actori: cui persona
defensoris nihil noui incommodi adferre debet. Vnde & si plures sese offerant defensores: compel
lentur per vnum litigare, desiderante scilicet hoc actore, ne defensio per plures personas scissa, ali-
quo incommodo eum adficiat[e]. ¶ *Velit.*] Voluntarius enim hic esse dicitur & spontaneus de- 20
fensor, qui non cogitur, cùm nullum susceperit mandatum, sed vltro sese ingerit, & offert liti. Vn-
de & in eum datur iudicati actio[f]. ¶ *Nulla differentia inter actiones in rem, vel in personam.*] Non est
quidem inter eas vlla differentia, quin pariter in vtrisque admittatur idoneus defensor. Sed in
actionibus in rem non satis videtur idoneus defensor, nisi caueat non modò Iudicatum solui, sed 21
& damnum actoris sarcire, si fortasis iudicatum aduersus reum non fuerit. Alioqui enim parum
videbitur actori consultum in rem agenti. Quid enim si quis bona fide & sine doli consilio, sese li-
ti obtulerit, qui non possideat? Hic periclitabitur actor, ne frustra excutiat bonæ fidei defensorem,
qui in dolo non est: & post eum excussum, ne rursus frustra tentet in rem experiri aduersus eum,
qui defensus semel fuit, & si nouum cogatur subire iudicium, damnosa ei esset defensio. teneretur
enim bonæ fidei possessori; Negociorum gestorum actione[g].

¶ Nemo

a L. nõ solũ. §. qui alieno nomine. de procur.
b L. qui stipendia. C. de procur.
c L. vnic. de satisd.
d L. si procuratorem. de procurat.
e L. non solum §. qui alieno. de procurat.
f L. sine iudicio. §. cũ Prætor de rẽ rat. hab.
g L. 1. C. de procurat.
h L. sancimus. C. de verb. signif.
i L. neque tutor. C. de procurat.
k L. sancimus 2. §. defensionẽ. C. de admi. tut.
l L. 4. de re iudi. l. 2. de admin. tut.
m L. si quis apud aliquem. § stipulationẽ. D. iudica solui.
n L. Quoties. de prat. stip.
o L. vlt. §. vl. C. de vsur. rei iudica.
p L. de die. §. 1. D. qui satisd. cog.
a L. 2. D. iudic. sol.
b L. cùm quærebatur. D. iudic. sol.
c L. 3. D. illotie.
d L. cum apud. D. iud. sol.
e L. iam tamen. §. si tamen D. iudica. sol.
f L. 4. de re ind. l. Plautius. C. de procu. l. eum qui. de minor.
g L. liberto. §. vlti. de neg. gest.

22 ¶ *Nona.*]Etiam si sit filius aut pater [a]. Et vt hic non prodest necessitudo, ita nec mandatum [b].
Sed nec mul[?] possessio bonorum immobilium [c]. *Secundum veterem regulam.*] Vnde hæc regula
sit desumpta, suprà ostendimus. sed eius interpretationem in hunc locum reiecimus, quo Iusti-
23 nianus hanc probat regulam. ¶ *Aliena.*]Hoc est, prorsus extraneę, & cuius ne administratio qui-
dem ad eum pertinet Alioqui sanè non satisdaretur. Vnde tutor defensurus pupillum, non satis-
24 dat Iudicatum solui [d]. Nam nec vltro se ingerit, sed eò adigitur necessitate officij, si modò iusta vi-
deatur causa pupilli [e]. Et dum sedulò suo incumbit officio, pro domino habetur [f]. Nec tamen in
eum, sed in pupillum datur iudicati actio [g]. Neque enim cuiquam damnosum esse debet suum of-
ficium [h]. ¶ *Rei.*]Hoc est. ipsius litis. Cæterùm si ageretur de defensione vnius alicuius partis non
25 statim eò pertineret satisdatio. Quid enim si veniam propositurus iustam absentis excusationem,
qui non potest sese iudicio sistere?

¶ *Sine satisdatione.*]Nempe Iudicatum solui. Cæterùm satisdationem Rem ratam haberi, non præstat defensor [i]: nisi fortè vbi iudicium non pertinet ad dandum vel faciendum: veluti si sit status controuersia: in qua esset inepta satisdatio Iudicatum solui [k]. ¶ *Idoneus intelligitur.*]Vbi scilicet petitor eum reijceret. Alioqui sanè iudicium cum eo bene constare potest sine satisdatione.

¶ *Cum necesse sit.*] Iustinianus in præfatione Pandectatum refert, Iulianum rectè respondisse;
26 sequendam esse consuetudinē vrbis Romæ, quæ caput est orbis. Et extat hoc Iuliani responsum [l],
quo tradit, debere nos ius, quo vrbs Roma vtitur, sequi, vbi aliam scriptam legem non habemus,
nec aliud, quod ex nostra consuetudine sequamur. Quod probandum existimo, vbi nihil habet
vitij exemplum Vrbis. Alioqui meminerimus, non tam spectandum, quid Romæ fiat, quàm quid
Romæ fieri debeat [m]. Porrò quæ de Roma propriè dicta sunt, hic Iustinianus transfert ad Constan
tinopolin, quæ fuit noua, & altera Roma. ¶ *Etsi propter imperitiam.*] Ergo veritas rerum, errori-
27 bus gestorum vitiari non debet [n]. Nec temerè conniuendum est ad corruptos fori mores, & imperitorum improbam consuetudinem. ¶ *Caput omnium nostrarum ciuitatum.*] Intelligit Constantinopolim: in quam fuere translata omnia Romani Imperij insignia & decora. Olim primùm dicta est Roma caput orbis, & verè fuit. Idq; portenderat caput humanum, repertum à iacientibus fundamenta Capitolij. Quæ visa species (inquit Liuius) haud per ambages arcem eam imperij, caputque rerum fore portendebat.

a L. filiusfa. D. qui satisd. cog.
b L. si ad defendendum. D. iud. solui.
c L. minor. l. in fi. cum seq. de procura.
d L. vl. §. defensionē. C de admin tuto.
e L. quoties. §. idcirco de admin tut.
f L. qui fundū. §. si tutor. D. pro empto.
g L. 4 de rei iudi. l. 2. de admin. tut.
h L. cū quedā mulier. C. de admin. tut. l si quis ex signatoribus. § 1 D quemad. testa. aper.
i L. non cogendum. §. vlt. de procurat.
k L. non solum. §. si status. de procurat.
l L de quibus. de legibus.
m L. sed licet ii. de offic. præsi.
n L. illicitas. §. veritas. de offic. præsid.

DE PERPETVIS ET TEMPORALIBVS ACTIOnibus, & quæ ad hæredes, & in hæredes transeunt, Tit. XII.

HOc loco admonendi sumus, eas quidem actiones, quæ ex Lege, Senatúsve consulto, siue ex sacris Constitutionibus proficiscuntur, perpetuò solere antiquitus competere, donec sacræ Constitutiones, tam in rem, quàm in personam actionibus certos fines dederunt. eas verò, quæ ex propria Prætoris iurisdictione pendent, plerunque intra annum viuere. nam & ipsius Prætoris intra annum erat imperium. Aliquando tamen & in perpetuum extenduntur, id est, vsque ad finem ex Constitutionibus introductum. quales sunt eæ, quas bonorum possessori, cæterisque qui hæredis loco sunt, adcommodat. Furti quoque manifesti actio, quamuis ex ipsius Prætoris iurisdictione proficiscatur: tamen perpetuò datur. Absurdum enim esse existimauit, anno eam terminari.

Non autem omnes actiones quæ in aliquem aut Ipso Iure competunt, aut à Prætore dantur: & in hæredem æquè competunt, aut dari solent. Est enim certissima iuris regula, ex maleficijs pœnales actiones in hęredem rei non competere: veluti furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, damni iniuriæ. Sed hæredibus huiusmodi actiones cōpetunt, nec denegantur, excepta iniuriarum actione, & si qua alia similis inueniatur.

Aliquando tamen etiam ex contractu actio contra hæredem non competit: veluti cùm testator dolosè versatus sit, & ad hæredem eius nihil ex eo dolo peruenit.

Pœnales autem actiones, quas suprà diximus, si ab ipsis principalibus personis fuerint contestatæ & hæredibus dantur, & contra hæredes transeunt.

Superest, vt admoneamus, quòd si ante rem iudicatam is, cum quo actum est, satisfaciat actori: officio iudicis conuenit eum absoluere: licet in ea causa fuisset iudicij accipiendi tempore, vt damnari deberet, & hoc est, quod antea vulgò dicebatur, omnia iudicia absolutoria esse.

IN SV-

IN SVPERIOREM TITVLVM.
ANNOTATIONES.

1 *Continuatio tituli.*
2 *Preparamenta iudiciorum.*
3 *An haredi cum reo sit actio.*
4 *Qua in causa cuiusque exordio statim incidant quastiones?*
5 *Appellatione legis tum Lex XII. Tab. tum & Plebiscita intelliguntur.*
6 *Post fines temporis prastituti reus est securus.*
7 *Actiones ciuiles etiamsi à Pratore adiuuentur, conditionem tamen suam retinent.*
8 *De temporibus petenda in integrum restitutionis.*
9 *De Annalibus actionibus; & de Honorarijs qua non vltra VI. menses viuebant. num. 10.*
11 *Imperium Promagistratus; & edicta Pratorũ fuisse annua. num. 12.*
13 *Pratoria actiones perpetua qua? & num. 16.*
14 *De possessoria bonorum; & de fideicommissaria hareditatis petitionibus. num. 15.*
17. 18 *Furti manifesti actio quomodo Pratoria esse dicatur?*

H*Oc loco admonendi sumus.*]Optimè constat ratio huius ordinis, & cõuenit cum ipso iudiciorum 1
ordine. Primùm Iustinianus omnes actiones explicuit: deinde quod proximè quæri solet,
addidit; an quis posit per alium agere, & per quos agere posit. Postea egit de Satisdatione procu-
ratorum, qui nomine alieno versantur in iudicio. Atque hæc quidem sunt omnia iudiciorum, vt 2
vocant, præparamenta, quæ fiunt ante litem contestatam [a]. Succedit proxima, & superioribus af-
finis quæstio, sed magis pertinẽs ad naturam ipsius actionis propositæ: nempe; an hæredi cum reo 3
sit actio; & an hoc tempore agere liceat? Nam & id ante litem contestatam quæritur. Vnde Fa-
bius libro tertio cap. 8. testatur, in exordio cuiusque causæ statim incidere quæstiones has; An huic, 4
An cum hoc, An hac lege, An hoc tempore liceat agere. ¶ *Ex lege.*]Hic quidem propria intelligi-
tur Lex duodecim Tabularum. Sed tamen & huc referre possumus Plebiscita, ex quibus oriuntur 5
actiones. Nam & ea plerunq; Legis nomen habent. Eiusmodi est actio Legis Aquiliæ. ¶ *Tam in
rem, quàm in personam actionibus.*] Olim perpetuis. Cæterùm quæ olim certos habuere fines: non fue-
runt prorogatæ per sacras Constitutiones ad 30. vel 40. annos [b]. Vnde & in actionibus in rem,
quas olim citius perimebat vsucapio, nihil innouârunt aut addiderunt.

¶ *Certos fines dederunt.*] Vltra quos tamen fateri videntur ipso iure actiones protendi, sed in-
efficaces [c]: quia videlicet obstet præscriptio temporis: quam sanè si reus non allegaret, deberet ex
suo officio iudex supplere, vt satisfaciat legibus, quæ iubent, post fines temporis præstituti, securis- 6
simum esse reum [d]: non secus atque si vltrà non duret vllo modo actio [e]. Reuera enim debet hic ha-
beri obligatio pro extincta [f]. ¶ *Ex propria iurisdictione Pratoris pendent.*] Hoc est; quæ primùm sunt
proditæ & inuentæ à Prætore. Cæterùm si quæ sint proditæ primùm à Iure Ciuili, etiam si postea 7
adiutæ fuerint à Prætore, retinent priorem suam vim & conditionem. Eiusmodi est rei vindica-
tio, quam Prætor extendit aduersus eum, qui dolo posidere desijt. Fortasis hic quidam requirẽt,
vt explicemus tempora petẽdæ in integrum restitutionis. Sed id aliò pertinet. & nota est hac de re 8
Iustin. Constitutio. Apud Gallos extat Francisci Regis Constitutio edita anno 1539. qua tribuitur
decennium post minorem ætatem, quo petatur restitutio. ¶ *Plerunque.*]Nempe cùm sunt pœna-
les: vel rei quidem persecutoriæ, sed aliquid rescindentes, quod erat summo Iure Ciuili ratum: vt
sunt pleræque omnes actiones Prætoriæ. Alioqui sunt perpetuæ æquè vt ciuiles. quod diligenter
Paulus explicat [g]. ¶ *Intra annum viuere.*]Hoc est, annales esse. Erat autem hic annus vtilis [h]. In quo 9
solùm ij dies numerantur, quibus licuit agere [i]. Fuerunt autem etiam quædam actiones Honora-
riæ, quæ non viuebant vltra sex menses, veluti redhibitoria [k]. 10

¶ *Annuum erat imperium.*] Hoc est, annuus magistratus. ita enim persæpe in nostro iure impe- 11
rium generaliter accipitur: vt cùm dicimus, debere ius dici salua maiestate imperij [l]: & amittere
imperium dixit Papinianus [m], sicut Vlpianus, deponere imperium [n], quod Pomponius dixit ab-
dicare se magistratu [o]. De imperio Prætoris pluribus alio loco egimus, vbi etiam admonuimus; 12
fuisse quoq; olim eorũ edicta annua. Postea tamen ius dixisse ex edictis perpetuis: quamuis id non
profuerit eorum actionibus. ¶ *Aliquando tamen & in perpetuum.*] Nempe quoties rei persecutoriæ
sunt, non rescindentes aliquid, quod ratum erat summo Iure Ciuili Sed hæ rariores sunt. 13

¶ *Quas bonorum possessori.*]Intelligit hic Iustinianus possessoriam bonorum petitionem, qua qui 14
bonorum possessor factus est, persequitur res hæreditarias, tantundemque consequitur, quantum
Ciuilibus actionibus hæres [p]. Sic enim æquum fuit, Prætorem consulere ijs, quos ipse velut hære-
des facit [a]. ¶ *Caterũ.*] Veluti fideicommissarijs: quibus postquam est restituta ex Senatuscon.
Trebelliano hæreditas: datur fideicommissaria hæreditatis petitio ad persequenda bona hæredi- 15
taria [b]. Quæ actio, Prætoria est: sed eadem recipit, quæ hæreditatis petitio Ciuilis [c]: hæredique & in
hæredem competit [d]. Hic ergo duas actiones Prætorias Iustinianus attingit, quæ annales nõ sunt, 16
quia sint rei persecutoriæ. Ne autem hæreamus in exemplis, iam in vniuersum admonuimus; Ho-
norarias actiones, quæ rei persecutionem continent, post annum durare [e]. ¶ *Quamuis ex ipsius Pra-
toris iurisdictione proficiscatur.*]Mirum est, cur hic dicat Iustinianus, actionẽ furti manifesti, cuius pœ 17
na est quadruplũ esse Prætoriam: cùm superius tradiderit furti actionem constitutam esse ex Lege
duodecim Tabularum. Itaque conijcere cogimur hic agi, vel de Prætoria actione furti non exhi-
biti, vel ea, quæ aduersus raptorem datur, tanquam furem manifestum, vt est apud Papinianum [f]. 18

Nam

a L. ita demum. C. de procur. l. Pomponius. §. ratihabitionis. de procur.
b L. sicut. §. hic autem actiones. C. de præscr. xxx. vel xl. ann.
c L. 1. C. si aduersus cred.
d L. omnes. C. de præscrip. xxx. vel xl. ann.
e L. 3. C. illo tit.
f L. item illo. § quod adijcitur. de constit. pecun.
g L. in honorarijs. de act. & oblig.
h L. 1. §. quod autẽ ait Prætor. de vi & vi armata.
i L. 1. de diuers. temp. præscript.
k L. sciendum. §. vlt. l. cum sex. de ædil. ed.
l L. pen. de iust. et iur.
m L. pen de off. præs.
n L. vl de off. procõs.
o L. 2. §. cum & placuisset de orig. iur.
p L. 2. de poss. hær. pet.
a L. 1. D. illo tit.
b L. 1. de fideicõ. hær. petit.
c L. 2 D. illo tit.
d L. vlt. §. vlt. D. illo tit.
e L. in honorarijs. de act. & oblig.
f L. si vendidero. §. cũ ruptor. de furt.

Nam ea post annum saltem in simplum datur. aliàs autem & raptorem, furti nec manifesti teneri in duplum, respondit Paulus [a].

§. *Non autem. cum seq. fin.*

- 1 *Actio quomodo à Pretore dari hic dicatur?*
- 2 *Ex maleficijs pœnales actiones in heredē rei non competunt. fallit num. 3. & 4. & 5.*
- 6 *Heredi aufertur quod ex facto decessoris ad eum peruenit.*
- 7 *Pecuniaria delictorū pœna quæ ipso iure infliguntur, et ab heredibus etiā exigi possunt semel commissa.*
- 8 *De accusationibus, & iudiciorum publicorum admissis.*
- 9 *Ex delictis priuatis pœna incipere ab herede potest, si viuo reo accusatio mota est.*
- 10 *De exceptionibus ex maleficijs.*
- 11 *Ex maleficijs pœnales actiones heredibus quomodo competant?*
- 12.13 *Iniuriarum actio cur nec heredibus nec in heredes detur?*
- 14 *Actio illa in factum, contra eum qui parentem temerè in ius vocauit, non datur heredibus.*
- 15 *Actiones ex contractibus tum heredibus, tum in heredes dantur fallit in actione de dolo. nu. 16.*
- 17 *Theophili lapsus.*
- 18 *Iudicia pœnalia semel accepta in heredes transmittuntur. & num 19.*
- 20 *Iudicis officium quod sit, vbi reus exceptionibus nullis vtitur?*
- 21.22 *Confessum in iudicio haberi pro iudicato.*
- 23 *Absoluere hic quid?*
- 24 *Iudicia omnia absolutoria esse; quomodo intelligendum?*

¶ *Aut à Pretore dantur.*] Hoc est, ex eius iure nascuntur. Cæterùm constat; Prætorem alio modo dedisse omnes actiones. hoc est, iudicia constituisse; quod iam vel pueris notum est. Sed notandus est locus hic singularis, vbi alio sensu & strictius actio à Prætore dari dicitur, quę ex eius edicto
1 & iurisdictione descendit, Prætoriaque est, non Ciuilis. ¶ *Aut dari solet.*] Hæredi scilicet. Hic enim agitur de actionibus, quæ dari possunt hæredibus, aut in hæredes.
2 ¶ *Est enim certissima iuris regula.*] Estque ideo relata in Pandectis inter cæteras Iuris regulas [b]. Sunt autem aliæ duæ regulæ, quæ huius exceptiones proponunt. Priorem paulò pòst ipse quoque
3 Iustinianus tradit. & relatā videmus inter regulas Iuris [c]: Nempe; actionęs pœnales lite semel con-
4 testata transmitti in hæredes. Altera est: Saltem hic hæredem teneri, in quantum ad eum peruenerit ex delicto defuncti [d]. Nam turpia lucra hæredibus extorquenda [e] sunt. Et sufficit aliquid semel peruenisse, vt eius nomine totus deinde successorum ordo teneatur [f]. ¶ *Ex maleficijs pœnales.*] Vtrunque simul hęc regula desiderat: neque alterum fuerit satis. Vnde si ageretur de pœna, non qui-
5 dem ex maleficio, sed ex conuentione: etiam hæres teneretur. Idem & vbi conuentus ex maleficio, promisisset pendere pœnam aliquam pecuniariam. Rectè enim conueniretur hęres ex promissione, vt ex alia qualiber principali sponsione. Fateor tamen id non dici in accessoria pœnæ promissione [g]. Rursus, si esset ex maleficio actio, sed non pœnalis, verùm rei persecutoria: daretur & in hæredem. Eiusmodi est condictio furtiua [h], & actio rerum amotarum [i]: & ea, quæ datur eius quod interest, nomine, aduersus Iudicem, qui in causa damni infecti non exegit cautionem [k]. Nam hæc actio succedit in locum eius, quæ competijsset ex cautione damni infecti, si in tempore fuisset interposita. Excipienda est actio ex edicto de alienatione mutandi iudicij causa facta, quæ pœnalis non est, sed rei persecutionem continet, propterea que hæredi datur: at non etiam in hæredem [l].
6 Quanquam semper verum sit; hæredi auferri, quod ex facto decessoris ad eum peruenisset [m].
7 ¶ *Actiones.*] Aliud est de pecuniarijs pœnis delictorum, quæ ipso iure infliguntur. Nam & ab hæredibus exigi possunt semel commissæ [n]. Quòd attinet ad accusationes, Modestinus respon-
8 dit [o]: Ex iudiciorum publicorum admissis non aliàs transire aduersus hæredes pœnas bonorum ademptionis, quàm si lis contestata, & condemnatio fuerit secuta: excepto Repetundarum & Ma-
9 iestatis iudicio. Ex cæteris verò delictis, nempe priuatis, ita demum posse pœnam incipere ab hærede, si viuo reo accusatio mota est: licet non fuerit condemnatio secuta. Porrò si quæras de exce-
10 ptionibus ex maleficijs: eæ proculdubio possunt opponi hæredibus agentibus. vt si adulteræ mulieris hæres dotem petat: obijcere potest maritus adulterium, quo dotem mulier perdidit [p].
¶ *Hæredibus competunt.*] Non modò vt damnum persequantur, sed & pœnam coniunctam. Sic
11 Vlpianus [a] ait; Si annus patiatur, hæredem posse in quadruplum experiri actione Quod metus causa: eamque ideo dari successoribus, quoniam & rei persecutionem habeat. ¶ *Excepta iniuria-*
12 *rum actione.*] Quæ nec hæredibus, nec in hæredes datur [b]. Quia enim hæc iniuriarum actio nullo modo pertinet ad rem familiarem, sed ex mera vindicta descendit: in bonis nostris esse non dicitur, saltem ante litem contestatam [c]. Ideo nec conferri debet [d]. Et sanè cùm hæc actio contineat
13 semper priuatam quandam vltionem: facilè patientur eam intercidere Christiani. quos magis decet *ἐπιείκεια*. ¶ *Si qua alia similis.*] Similis esse videtur illa actio in factum, quæ datur aduersus liber-
14 tum vel filium, propter parentes vel patronos temerè, & sine venia in ius vocatos. Nam quæ eo nomine competit actio quinquaginta aureorum, non datur hæredibus [e]: quia scilicet non agatur de vlla patrimonij diminutione.
¶ *Aliquando tamen.*] Initio docuit Iustinianus, non omnes actiones dari in hæredes: & exempli loco, proposuit solas pœnales ex maleficijs: satis indicans aliam esse naturam actionum ex contractu.

a L. 2. D. vi bon. rapt.

b L. pupillum. §. in heredes. l. sicuti pœna. de reg. iur.

c L. pœnalia de re. iu.

d d. l. sicuti. & l. toties in heredem. de regu. iur. l. 1. de vi et vi arma. l. Sabinus. de do. [illegible]

e L. in heredem. de calum.

f L. videamus. de eo quod met. cau.

g L. si eum. §. qui iniuriarū. D. si quis caut. l. 1. §. si quis sub conditione. D. vt lega. nomine ca.

h L. si pro fure. §. vltim. de cond. furt.

i L. si mulier § hæc actio. D. rer. amot.

k L. 4. §. vlt. de damn. infect.

l L. 4. §. vlt. de alien. mut. iud.

m L. 1. de eo per quem factum erit quo mi.

n L. commissa. de publ. & vectig. l. Caius. De. ad Silla.

o L. ex iudiciorum. de accu.

p L. vlt. C. ad leg. Iul. de adult.

a L. si cū exceptione post annum in pr. ac eo quod met. cau.

b L. iniuriarum actio. de iniur.

c L. iniuriā. § de inofficiosi. [illegible]

d L. cum emancipat. §. emācipatus. de collatio.

e L. vl. de in ius voc.

contractu. Verùm ne quid huic tacitæ regulæ obijceretur, occurrit per antipophoram, proponitque quandam eius exceptionem. ¶ *Ex contractu actio.*] Hoc est, actio nata occasione contractus: vt si testator dolo ad contrahendum, aliquem pellexerit, nihil tale parantem aut meditantem: hic quidem nulla est actio ex contractu, quia is nullus est, cui dolus causam dedit [a]. sed occasione eiusmodi contractus competit actio de dolo: quæ in hæredem non datur, nisi quatenus ad eum perue- 16
nerit ex dolo defuncti [b]. Negare tamen non possum, etiam hunc contractum ratum manere, si ita velit is, qui circunscriptus est: & tum agere posse ex contractu, vt damnum sarciatur [c]. Ac fortasis tum quoque aduersus hæredes aget, qui omnino teneri solent actionibus ex contractu, licet delictum quoque versetur [d]. Vellem itaque vt nobis hunc locum apertius exposuisset Iustinianus, manifestiusque exolicuisset, de quo tandem testatoris dolo sentiret. Certè hîc Theophilus dum te-
merè exemplum accommodat ad depositum, manifestè lapsus est. Constat enim depositi actio- 17
nem in solidum dari aduersus hæredes propter dolum defuncti [e]. ¶ *Ex eo dolo.*] Defuncti. Cæterùm ex suo dolo hæres proculdubio in solidum conueniri [f] potest.

¶ *Pœnales autem.*] Regula est à Paulo [g] tradita: Pœnalia iudicia semel accepta, in hæredes 18
transmitti. Vlpianus [h] quoque, Omnes (inquit) pœnales actiones, post litem inchoatam, etiam ad hæredes transeunt. Generalius autem Caius [i], Omnes (ait) actiones, quæ morte & tempore pereunt, semel inclusæ iudicio, saluæ permanent. Imperatores verò Diocletianus & Maximianus hanc regulam cum superiori coniunxerunt, & vtranque eodem responso tradiderunt, his verbis [k]; Post litis contestationem, eo, qui vim fecit, vel concusionem intulit, vel aliquid deliquit, defuncto, successores eius in solidum; alioqui in quantum ad eos peruenit; conueniri, iuris absolutissimi est, ne alieno scelere ditentur. Sed nec prætereundum est Pauli responsum [l], quod in Pandectis Florentinis legitur hunc in modum; Constitutionibus, quibus ostenditur, hæredes pœna non teneri, placuit, si viuus conuentus fuerat, etiam pœnæ persecutionem transmissam videri, quasi lite contestata eo mortuo. Significantque hæc postrema verba simpliciter reum principalem mortuum post litem contestatam.

¶ *Hæredibus dantur.*] Non modò, vt possint peragere cœptam & contestatam litem: sed & eius 19
instantia perempta, rursus eandem actionem quasi perpetuatam mouere [m].

¶ *Superest.*] Hæc coronis non tam pertinet ad hunc titulum, quàm ad protheoriam sequentis tituli de Exceptionibus: vt sciamus, quodnam sit iudicis officium, vbi nullis exceptionibus v- 20
titur reus.

¶ *Is cum quo actum est.*] Lite scilicet iam contestata. alioqui hîc reus non moraretur absolutionem iudicis, cùm nec iudicium subire cogatur [n], si statim paratus sit satisfacere. Quo etiam casu aliquando diximus, eum nullos sumptus præstare debere actori, si modò is inhumanius statim litem mouerit, nec ante iudicium reum admonuerit.

¶ *Satisfaciat actori.*] Quòd si solùm confiteatur, nec tamen satisfaciat: officio iudicis conuenit, non tam eum condemnare, quàm ad satisfactionem compellere. Solemus enim dicere; Confessum in iudicio haberi pro iudicato [o]: quia dubium non sit, statim secuturam iudicis condemna- 21
tionem, quæ confessionis necessaria accessio est: & quam requirimus non tam ad cōdemnandum reum, qui se suo ore condemnauit, quàm ad ordinem iudiciorum, formamque. Quia tamen in sententia ferunda nulla est difficultas; dicimus post cōfessionem nihil aliud superesse, quàm vt iubeatur reus, id quòd confessus est, dare faceréve [p]. Sic dixit Vlpianus [a]; Post rem iudicatam vel confessionem in iure factam, nihil amplius quæri. Itaque iudicis partes esse videntur, vt, si opus sit, æ- 22
stimet rem, quam reum dare iubeat [b].

¶ *Absoluere.*] In vniuersum scilicet; vt non modò Iudex absoluat reum ab instantia, sed etiam 23
ab actione & actoris iure. ¶ *Omnia iudicia esse absolutoria.*] Alciatus lib. 7. Parer. cap. 12. admonet hoc vulgò dictum fuisse prouerbialiter, eoque posse trahi, vt significemus; pœnitenti esse parcen- 24
dum, etiam si res non sit omnino integra.

a L. & eleganter. de dol. ma. l. 3. §. vlti. D. pro socio.
b L. si plures. §. 1. l. in hæredem. de dolo.
c L. Iulianus. §. si venditor dolo. de act. empt. l. si dolo. C. de rescind. vend.
d L. ex contractibus. de act. & oblig.
e L. si hominem. §. datur. D. deposi. l. ex deposit. l. ex contractib. de act. & oblig.
f L. sottes in hæredē. de regu. iur. §. sequens illa diuisio. sup. de act.
g L. pœnalia. de regu. iur.
h L. omnes pœnales. de act. & oblig.
i L. omnes actiones. D. reg. iur.
k L. vna. C. ex delict. defun. hær. in quam. conueni.
l L. constitutionib. de act. & oblig.
m L. vl. C. de præscri. xxx. vel xl. ann.
n L. si reus paratus. de procura.
o L. 1. de confessis.
p L. 1. C. de confess.
a L. post rē. de re iud.
b L. proinde. §. fin. D. ad leg. Aquil.

IN SEQVENTEM TITVLVM
ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

- 1 *Omnis controuersia constat ex Actoris intentione & rei depulsione.*
- 2 *Conflictu actoris & rei exprimitur causæ veritas.*
- 3 *Athenienses olim non modò pares, sed plures reo clepsydras infundebant.*
- 4 *Ecquis innocens esse poterit, si accusare sufficiat?*
- 5 *Causæ μονομερὴς quæ?*
- 6 *Exceptiones olim à Prætore solebant impetrari.*
- 7 *Purū iudicium quod? & sub conditione quod? nu. 8.*
- 9 *In iudicijs bonæ fidei, satis erat addi à Prætore,* Ex fide bona,
- 10 *Exceptionem esse conditionē, quomodo intelligendū?*
- 11 *Generale hic esse exceptionis nomen. & nu. 16.*
- 12. 13. 14. 15 *Præscriptiones et Rhetorū trāslationes quæ?*
- 17 *Præiudicium species quædam est generalis exceptionis; est duplex. num. 18. & 19.*

*Radunt Rhetores, omnem controuersiam constare ex Actoris intentione, & Rei de-* 5
pulsione. Hincque oriri totius causæ statum, hoc est, illud quod vocant, τὸ κρινόμενον. Huius naturalis ordinis memor Iustinianus, postea quàm Actoris intentionem instruxit, transit ad ipsius Rei partes, quem etiā instruit, qua sese ratione tueri possit, & excipere propulsa-

2 *propulsareq́; impetus aduersarij. Cuiusmodi colluctatione & conflictu exprimitur causæ veritas: de*
qua nemo rectè iudicare potest, nisi vtraque parte audita. Ac proinde olim Athenienses non modò
3 *pares, sed plures reo clepsydras infundebant. Narrat Ammianus Marcellinus; olim Cephidium, cùm*
apud Iulianum Imperatorem accusâsset quendam Numerium, vt furem, nec posset inficiantem con-
4 *uincere, exclamasse; Ecquis ô Cæsar nocens esse poterit, si negare sufficiat? Sed dignũ à Principe re-*
sponsum retulisse; Ecquis ô Cephidi, innocens esse poterit, si accusare sufficiat? Sic & hoc loco licet di-
cere; Ecquis tandẽ securus in Rep. esse poterit, si satis sit agere vel petere, nec liceat excipere. Porrò
5 *autem sciendum est, quasdam esse causas, quas noster Vlpianus* [a] *Græcos Rhetores secutus appellat* a L. si duo. §. idem Iu-lianus. de iureiur.
μονομερεῖς, *quæ scilicet constant ex altera tantùm & sola parte actoris; quòd aduersus eum nihil habet*
reus, quod excipiat. Cuius exemplum addit Vlpianus: Qui iurauit se furtum non fecisse, aduersus
actionẽ furti & condictionem tutus est: nisi, inquit, conueniatur tanquam furis hæres: Quo casu ait
actionẽ esse μονομερῆ, *quæ videlicet ex parte rei nullã habeat exceptionem: quia huc nõ pertinet vis il-*
lius iurisiurandi. Cæterùm vbi aduersus actionem locus est exceptionis, eã appellamus διμερῆ ἀγωγὴν,
6 *quasi dicas bimembrẽ: et eadẽ ratione* τριμερῆ, *quæ habet replicationẽ. Sed vt magis intelligamus, quo-*
modo Romani vsi olim sint exceptionibus, sciendum est; eas quoq; impetrari solitas à Prætore, qui iu
dicium dabat, & reo postulante in formulam iudicij additas. Ac si quidem iudicium esset stricti iuris,
nominatim & disertis verbis erant adijciendæ; quia iudex datus alioqui de ijs non cognosceret, si iu-
7 *dicium purùm datum esset, & non sub conditionẽ. Purum iudicium erat, cùm ita iudicium à Præto-*
re dabatur, SI PARET TITIVM SEMPRONIO EX CAVSA MVTVI CENTVM
DARE OPORTERE, CAIVS IVDEX CONDEMNATO. *Sub cõditione verò; cùm reus*
8 *apud Prætorem in accipiendo iudicio non inficiabatur data esse mutuo centum, sed exceptionẽ pacti*
conuenti, vt non peterentur, allegabat, & eo postulante Prætor ita iudiciũ dabat; SI PARET TI-
TIVM SEMPRONIO EX CAVSA MVTVI CENTVM DARE OPORTERE, CA-
IVS IVDEX CONDEMNATO, SI NON PACTVM CONVENTVM FVERIT,
NE EA PECVNIA MVTVA PETERETVR. *Cicero lib. 2. de Inuent. Postulat (inquit) is,*
cum quo agitur, à Prætore exceptionem. Hic reus, cùm actor iudicium purum postularet, contende-
9 *bat exceptionẽ addi oportere. Cæterùm in iudicijs bonæ fidei, vt de exceptionibus cognosceret iudex,*
satis esse illud à Prætore addi, EX FIDE BONA, *suprà quoque diximus. Hîc ergo verum est,*
quod Vlpianus in actione ad exhibendum respondit [b]*; iudicem de exceptionibus disceptare debere, &* b L. 3. §. ibidẽ. ad ex-hib.
eas æstimare, veluti pacti conuenti, doli mali, iurisiurandi, rei iudicatæ. Ex his autem iam satis intel-
10 *ligimus, cur, quod vulgò non intelligitur, Paulus* [c] *dixerit, exceptionem esse conditionem; quia nem-* c L. exceptio est. de except.
pe sub conditione concipiebatur. Qua ratione & fideicommissum conditionale et addictionem in diem
11 *Cæsares etiam appellant conditionem* [d]*. Postremò admonẽdi sumus, generale esse exceptionis nomen,* d L. 1. C. de pact. l. 1. C. de vendit. rer. ciuil.
12 *& conueniri cuilibet defensioni aut depulsioni actionis* [e]*. Præscriptionem verò propriè eam tantùm* e L. antepen. C. de excep.
dici putant, quæ directò intentioni actoris non aduersatur, nec eam prorsus negat: sed contendit, ne
13 *admittatur eo, quo agitur modo. Eiusmodi esse videntur Rhetorũ translationes, quibus veteres scri-*
bunt actionem tantùm transferri, non autem perimi. Et qui ijs non vtebatur, sed recta via pedem cũ
actore conferebat, actionemque ipsam plena recusatione propulsabat: propriè apud Græcos dicebatur
14 εὐθυδικεῖν *[causæ firmamentis veluti signis collatis confligere, & rectà caput petere.] Præscriptiones*
autem appellantur, quia non minus præscriptis verbis et formulis, quàm actiones concipiendæ erant,
& impetrandæ ab ipso Prætore, cuius erat iudicia constituere. Vnde fiebat, vt in iudicijs Romanis ita
semel constitutis, raro inciderent translationes: quia de ijs apud Prætorem disceptabatur ante consti-
15 *tutionem iudicij. Quod indicat autor Rhetoricorum ad Herennium libro secundo. Ergo præscriptio*
siue translatio esse videtur dilatoria quædam exceptio: & est species exceptionis, si generaliter exce-
16 *ptionem accipias, sicuti fit in hoc titulo. Alioqui exceptio propriè ea dicitur, quæ peremptoria est. quò*
pertinet quod scribit Vlpianus [f]*; Exceptionem dictam quasi quandam exclusionem: quæ interponi-* f L. 2. de except.
tur ad excludendum id, quod in intentionem deductum est. Idque conuenit titulo Pandectarum, qui
inscribitur; De exceptionibus, seu præscriptionibus, & præiudicijs. Quòd autem attinet ad præiudi-
17 *cia, sciendum est, quod scribit Fabius lib. 5. ca. 2. Præiudicium esse defensionem, ex sententia prius di-*
cta, vel in futurum danda. Est itaq; præiudicium species quædam generalis exceptionis. Idque dupli-
18 *cis est generis. Prioris est, cùm obijcimus rem iudicatam. Quæ exceptio tum demum firma est, cùm*
proponitur iudicatum in ea ipsa causa, de qua rursus agitur. Nam præiudicatum in alia pari vel si-
mili causa (quod exemplum vocat Fabius) non obesset. quia exemplis iudicandum non est [g]*. Alterius* g L. nemo. C. de sent. & interloc.
19 *generis præiudicium est, ex quo & præiudiciales actiones propriè dici alio loco admonuimus, cùm ob-*
ijcimus rem prius iudicandam. Vt si petentem hæreditatem patris, negem esse filium.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 *Actio summo iure ciuili Exceptio sola æquitate iuris Prætorij nititur.*
2.3 *De exceptionib. Doli & Metus; & quid vna ab altera differat; num. 6.7.8.9*
4 *Exceptio erroris declaratur.*
5 *Quid, si promissor tantum in materia rei promissæ errarit?*

1 EOrum gratia, cum quibus agitur.] Hoc est, reorum. Sic enim ipse Vlpianus hæc verba interpreta-
tur [a]. Nec refert, agaturne cum principalibus reis debendi, an verò cum eorum fideiussoribus.
Porrò actorũ defendendorũ gratia aduersus exceptiones proditæ sunt replicationes, de quib. titu-
lo sequenti agemus. ¶ *Iusta sit.*] Et efficax, vt paulò pòst addit Iustin. quòd scilicet nitatur solo iure
Ciuili. Cæterũ exceptioni, aduersus quã locus est replicationi, tantum tribuere nõ videtur Iustinia
nus. Non enim ait eam esse iustam: sed tãtùm prima facie iustam videri [b]. Nempe quòd actio nita-
tur summo Iure Ciuili: Sed exceptio sola æquitate Iuris Prætorii: quæ nulla esse potest, si iusta obsit
replicatio. ¶ *Dolo.*] Ipsius videlicet Titii actoris. quanquam non referat à quo metus inferatur.
nam & si ab alio, quàm actore: nihilominus comperit exceptio, vt paulò post larius dicemus.
2 ¶ *Inductus.*] Hic obseruandum est agi de contractu stricti iuris, hoc est, stipulatione, quam nul-
lus dolus ita vitiare potest, quin summo Iure Ciuili subsistat; quamuis aliud esse videatur in con-
tractibus bonæ fidei [d]. Ergo de stipulatione Diocletianus & Maximianus rescripserunt in hæc ver
3 ba [e]; Dolo vel metu adhibito, actio quidem nascitur, si subdita stipulatio sit: per doli tamẽ vel me-
tus exceptionem petitio submoueri debet. & Vlpianus de stipulatione loquens, Si quis (inquit [f])
cùm aliter conuenisset eum obligari, aliter per machinationem obligatus est: erit quidem subti-
litate iuris obstrictus: sed doli exceptione vti potest. Ei enim, qui per dolum obligatus est, compe-
tit exceptio. Idem est & si nullus dolus intercesserit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habet. Cùm
enim quis petat ex ea stipulatione, hoc ipso dolo facit, quod perit. ¶ *Errore lapsus.*] Hoc est, aliqua
4 imprudentia. Exempla proponit Vlpianus [g] his verbis; Iulianus ait; Si pecuniam, quam me tibi
debere existimabam, iussu tuo spoponderim, cui donare volebas: exceptione doli mali potero me
tueri. Idem Iulianus ait; Si ei, quem creditorem tuum esse putabas, iussu tuo pecuniam, quam mẽ
tibi debere existimabam, promisero: petentem doli mali exceptione summoueri debere, &c. Cæ-
terùm si promissor tantùm erraret in materia rei promissæ; nihilominus rata & firma esset stipu-
5 latio. cui non nocet error in materia siue qualitate substantiali, modò in corpore consensum
sit [h]: quanquam aliud sit in contractibus bonæ fidei [i]. ¶ *Quod metus causa.*] Metus causa exce-
6 ptionem Cassius non proposuerat, contentus doli exceptione, quæ est generalis: sed scribit Vlpia-
nus [k], vtilius visum esse, etiam de metu opponere exceptionem. Etenim, ait, distat aliquid à doli
exceptione quod exceptio doli personã complectitur eius. qui dolo fecit. Enimuero metus causa
exceptio in rem scripta est, & si in ea re nihil metus causa factum est: vt non inspiciamus, an is, qui
agit, metus causa fecerit aliquid: sed an omnino metus causa factum est in hac re à quocũque: non
tantùm ab eo, qui agit. Et quamuis de dolo autoris exceptio doli non obijciatur: hoc tamen iure
vtimur, vt de metu non tantùm ab autore, verùm à quocunq; adhibito, exceptio obijci posit. Ha-
7 ctenus Vlpianus. Porrò autem, vt huius exceptionis æquitas magis appareat; Sciendum est, inter
causas, quarum nomine singulis subuenit Prætor, primo loco relatum esse metum [l]. Nempe quòd
nulli prodesse debeat, non iure terruisse: nec mihi meus iustus metus obesse [m]. Sanè olim Agesilaus
Rex, obijcienti turpis alicuius rei promissionem, quam metu fecerat: respondit; Dixi, non promi-
si: quasi nihili habendum sit verbum metu extortum; nec rata sit promissio, quam quis ab inuito
expresserit. ¶ *Aut doli mali.*] Exceptionis doli, duæ potissimùm esse videntur species. Prior est, quę
principaliter ex ipso contractu datur: veluti quia dolo me induxeris, vt promitterem. Hæcque con
demnato inurit infamiam. & quia odiosior est. si quis debitor ea tutus exceptione, vltro soluat, nõ
8 repetit [n]. Altera est, quæ non ab initio nascitur ex ipso contractu, sed magis ex quodam facto po-
stea subsecuto: veluti si pactus non petere ante Calendas, nihilominus ante eum diẽ petas. Et hæc
quidem exceptio cõuenit cum exceptionibus in factum: nec vllam iuris [o] cõtinet infamiam: est-
que fauorabilior: vt si quis cùm ea tutus esset, per errorem vltro soluerit, posit condicere [p]. Super-
est vt hic obiter annotemus, quod Vlpianus in hac doli exceptione adnotandum putat [a]. Primùm
exceptionem doli, quod attinet ad personam actoris, esse personalem: nec posse contra alium op-
9 poni, quàm eum, qui dolum commisit, vel eius hæredem, cui alioqui dolus alterius esset lucrosus,
cùm tamen magis debeat obesse dolus autoris [b]. Quòd verò attinet ad personam rei excipienris,
hæc exceptio in rem est. Nam quilibet reus, etiamsi ipse dolum passus non sit, ea vtitur aduersus a-
ctorem, qui dolum commisit. quanuis enim aduersus alium commiserit, satis est tamen eum com
misisse, eumque agere de ea re, in qua dolum commisit. Hanc distinctionem vt melius intelliga-
mus, adijciam vtriusq; capitis exempla. Prioris sit hoc [c], Qui mihi verè debebat, dolo induxit quen
dam Titium, vt id ipse debitum sese soluturum mihi promitteret constitueretq;, aduersus quem, si
ego bona fide ago, & excipiat sese dolo circumuentum, replicare potero nihil hoc ad me pertinere,
qui nihil dolo fecerim. Posterioris sit hoc exemplum: Dolo induxi Titium vt mihi suum equum
promitteret. Hic deinde equus alijs à Titio venditus est, & per multas iuit manus. hic si eius nomi-
ne contra possessorem agam, poterit me doli exceptione summouere.

a L. 3. de iureiur.
b §. 1. infr. de replic.
c L. qui æquitate. de doli except.
d L. & eleganter. in prin. de dolo. l. 3. §. vl. D pro soc.
e L. dolo. C. de inutil. stip.
f L. si quis cum aliter. de verb. oblig.
g L. Iulianus ait. de doli excep.
h L. si id quod aurum. de verb oblig.
i L. si steril. §. quanuis. de act. empt.
k L. apud Celsum. §. metus causa. de dol. mal. & met except.
l L. 1. de rest in integ.
m L. item § si cũ exceptione & §. aliquando. de eo quod met. cau.
n L. qui exceptionẽ. de condic. inde.
o L. 2. §. itẽ quærit ur. de doli excep.
p L. si non sortem. §. indebitũ. de cõd. inde.
a L. 2. de dol. mal. & met excep.
b L. si cum hæres. de diuers. & tempora. præscrip. l. si rẽ legatam. de except.
c L. apud Celsum. §. si quis autem de dol. mal. & met. excep.

§. *Idem iuris.*

1 *Verbailla,* Credendi causa stipulatus, *quomodo accipienda sint?*
2 *In Exceptione non numeratæ pecuniæ nihil refert, interueneritne stipulatio, an non.*
3 *Biennium exceptioni huic opponendæ præstitutum.*

¶ *Credendi causa.*] Hoc est, mutuum dandi. Nam in mutuo propriè locū habet exceptio, quam 1
hic Iustin. tractat. Porrò autem hæc verba, CREDENDI CAVSA STIPVLATVS, accipienda sunt, ac si
dicerētur quis stipulatus sibi reddi pecuniam, quasi creditam, mutuo datam, & numeratam. Cæterùm si quis stipuletur sibi credi vel mutuo dari pecuniam: potest non accipiendo non obligari [a], & creditor potest non numerare saltem si præstet, quod interest [b]. ¶ *Pecuniam.*] Vel aliam rem, quæ mutuo dari soleat [c]. ¶ *A te stipulatus fuerit.*] Differt verborum obligatio, à literarum obligatione. nec debent hæc confundi [d]. Sed quòd attinet ad exceptionem non numeratæ pecuniæ, ni- 2
hil refert, interueneritne stipulatio, an non. Satis enim est, spe numerationis lactatum esse reum. qua de re suo loco plura dicta sunt. ¶ *Te defendi.*] Tuósve fideiussores [e] vel hæredes [f]: si modò ali- 3
quid superfit ex eo biennio, quod præstitutum est opponendæ huic exceptioni.

a L. qui pecuniā. D. si cert. pet. condict.
b L. si pœnam. de ver. oblig.
c L. in cōtractibus. C. de non nu pec.
d § 1. de literarū obli.
e L. tam mandatori. C. non num.
f L. frustra. C. illo tit.

§. *Præterea debitor.*

1 *Per solum pactum de non petendo an tollatur præcedens obligatio?*
2 *Nuda pactio, quæ causam qua subsistat non habet, licet non obligationem tamen, exceptionem parit.*

¶ *Debitor*] Si verò eius procurator paciscatur non peti: ex hoc pacto competet debitori exceptio doli aduersus creditorem petentem [g]. ¶ *Nihilominus obligatus manet.*] Sic paulò pòst ait; Reo absoluto durare nihilominus obligationem. ¶ *Quia pacto conuento obligationes non omnino tolluntur.*] Solo pacto naturalis tantum obligatio ipso iure tollitur, quia (inquit Papinianus [h]) vinculum æquitatis quo solo sustinebatur, conuentionis æquitate dissoluitur. Sed si obligatio fuerit quoq; ci- 1
uilis, habens ius agendi, ipso iure non tollitur solo pacto de non petendo; ideoque est posterius pactum de petendo ad actionem tuendam efficax, vt non possit non rectè ex prima obligatione agere creditor, quia replicatione posterioris pacti, possit prioris exceptionem elidere [i], eaque ratione vim suæ obligationis tueri & exerere. ¶ *Iniquum est contra pactionem eum condemnari.*] Demosthenes ἐν τῷ παραγραφῇ πρὸς πανταίνετον totum hunc locum eleganter explicat referens exceptionem liberationis, & eius æquitaté. Ita enim orationem suam auspicatur, δεδωκότων τῶν νόμων παραγράφεσθαι περὶ ὧν ἄν τις ἀφεὶς, καὶ ἀπαλλάξας δικάζηται, &c. Deinde paulò pòst addit: ἀκούετε ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, τοῦ νόμου λέγοντος ἄντικρυς, ὧν ἂν ἀφῇ καὶ ἀπαλλάξῃ τις, μὴ εἶναι τὰς δίκας. ἁπάντων μὲν τοίνυν τῶν ἐν τοῖς νόμοις ἀπειρημένων, οὐ προσήκει δικάζεσθαι. οὐχ ἥκιστα δὲ τούτων· ἃ μὲν γὰρ οἱ πρόσθεν, ἔχει τις ἂν εἰπεῖν ὡς ἀδίκως, ἢ οὐ προσήκοντα οἱ ἄρχοντες, καὶ περὶ ὧν ἔγνω τὸ δικαστήριον, ἔστιν εἰπεῖν, ὡς ἐξαπατηθὲν τοῦτ' ἐποίησε, καὶ περὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐν τῷ νόμῳ κειμένων καθ' ἕκαστον γένοιτ' ἄν τις εἰκότως λόγος. ἀλλ' αὐτὸς ἐπειδὰν καὶ ἀφῆκεν, οὐκ ἔνι δήπουθεν εἰπεῖν ὡς οὐ δικαίως αὐτὸς ταῦτ' ἐποίησε. ¶ *Per exceptionem pacti conuenti.*] Nuda pactio, quæ nec in pro- 2
prium nomen contractus transijt, nec causam habet, qua subsistat, obligationem, quæ sufficiat ad actionem, non parit, sed exceptionem tantùm [k].

g L. rescriptum. §. vl de pac.
h L. Stichum §. naturalis. de solu.
i L. si vnus §. pactus ne peteret de pactis. l. pacta nouissima. C. de pact.
k L. iurisgentiū. §. sed cum nulla. de pact.

§. *Aequè si debitor.*

1 *Iusiurandum Procuratoris vel defensoris rei, domino prodest.*
2 *Procurator quomodo iusiurandum deferre possit?*
3 *Iuramentum voluntarium nullam habet vim.*
4 *Iuramenti remissi eadem vis est quæ præstiti.*
5 *Iuramentum an & fideiussori prosit?*
6 *Replicatio doli aduersus exceptionem iurisiurādi non admittitur.*
7 *Quid si non creditor sed iudex iuramentum detulerit?*
8 *Iuramentum prodest, quacunq; actione conueniatur.*
9 *Iusiurandum affirmatiuum quomodo maiorem vim habet, quàm negatiuum?*
10 *Iuramentum iuranti & eiusdem successori prodest.*

¶ *Si debitor.*] Vel sanè eius procurator defensórve, qui vltro se liti obtulit. Nam iusiurandum 1
defensoris vel procuratoris rei, ab aduersario delatum, prodesse, exceptionemque domino parere Iulianus scribit: & ex eo colligit Vlpianus [l]; idem fore dicendum, & si datus ad petendum procurator, reo deferente, iurauerit dari mihi oportere, vt mihi pariat actionem. ¶ *Creditore.*] Vel 2
eius procuratore: si modò vniuersorum bonorum administrationem sustinet; aut si id ipsum ei nominatim mandatum sit; vel si sit procurator in rem suam [m]. Aliàs autem procuratorem deferentem iusiurandum non esse audiendum Iulianus [n] scribit. ¶ *Deferente.*] Ait Prætor: Si is, cum quo agetur, conditione delata, iurauerit. Et admonet Vlpianus [o] non frustra adiici, CONDITIONE DELATA. Nam (inquit) si reus iurauerit nemine ei iusiurandum deferente; 3
Prætor

l L. nā postea. §. iusiurandum. de iureiur.
m L. iusiurandū quod ex conuentione §. vl. de iureiur.
n L. alias. de iureiur.
o L. 3. de iureiur.

Prætor id iusiurandum non tuebitur, sibi enim iurauit. Alioqui facillimè quisque ad iusiurandum
decurrens, nemine sibi deferente iusiurandum, oneribus actionum se liberabit. Rectè itaque Fa-
bius libro quinto, capite sexto, Offerre (inquit) iusiurandum suum sine illa conditione, vt vel ad-
uersarius iuret, ferè improbum est. ¶ *Iurauerit.*] Idem & si iurare parato remissum sit iusiuran-
dum [a]. Eadem enim vis est iurisiurandi remissi atque præstiti. ¶ *Nihil se dare oportere.*] Hęc for-
4 mula iurisiurandi proderit & fideiussori. Sicuti & eiusmodi fideiussoris iusiurandum prodesset
5 reo [b]. ¶ *Adhuc obligatus permanet.*] Naturalem tamen obligationem tantùm, & quæ Ciuilis quo-
que non sit, iureiurando ipso iure tolli respondit Papinianus [c], & Pomponius [d] qui & inde colli-
git; solutam pecuniam repeti posse.

¶ *Iniquum est de periurio quæri.*] Quod sanè fieret, si liberè & efficaciter posset eadem actio repe-
ti & intendi. Hic ergo solum quæri potest, an iuratum sit: adeò, vt nec replicatio doli admittatur
6 aduersus exceptionem iurisiurandi: quia (inquit Iulianus [e]) Prætor id agit, ne de iureiurando cu-
iusquam quæratur. Rectè itaque Vlpianus [f], Dato (inquit) iureiurando, non aliud quęritur, quàm
an iuratum sit, remissa quæstione, an debeatur. Sanè tamen si non detulisset creditor iusiurãdum,
sed iudex permittitur etiam post iusiurandum ex integro causam agere; si quis noua instrumenta
7 se inuenisse dicat, quibus nunc solùm vsurus sit [g]. ¶ *De periurio*] Quòd si qua sit exceptio, quæ nõ
pertineat ad detegendum periurium, sed cum ipso iureiurando stare possit: nihil oberit, quin ob-
iiciatur [h]. ¶ *Defenditur.*] Non modò ab ea ipsa actione, ad quam retundendam iurauit; sed ab o-
8 mni alia, qua idem peteretur [i]. ¶ *In iis quoque actionibus.*] Quacunque (inquit Vlpianus [k]) actione
quis conueniatur; si iurauerit, proficiet ei iusiurandum: siue in personam, siue in rem, siue in factũ,
siue pœnali actione agatur, siue de interdicto. Sed etsi de conditione personæ fuerit iuratũ: Prætor
iusiurandum tuebitur. ¶ *Eam rem esse suam.*] Hanc iurisiurandi formulã affirmatiuè conceptam,
potiorem esse, quàm negatiuam, rem petitoris non esse; eleganter docet Vlpianus [l]; quia hac e-
9 tiam quæratur noua actio, si fortè exciderimus rei possessione; non etiam altera. ¶ *Possessorem.*]
Nõ modò illum, qui iurauit, sed & alium quemlibet, qui ei successit, etiam si titulo singulari [m]. Ita
10 prodest aliis iusiurandũ, quod præstiterimus: quanquam aliis nõ noceat, quod ipsi detulerimus [n].

a L. nam postea. §. 1. de iureiur.
b L. vlt. de iureiur.
c L. Stichum. §. naturalis. de solut.
d L. vlt. de iureiur.
e L. aduersus. de exce.
f L. non erit. §. dato. de iureiur.
g L. admonendi. de iureiur.
h L. eum qui §. si mulier. & §. vlt. & l. si duo patroni §. si quis iurauerit. & §. Marcel. de iureiur.
i L. duobus. §. exceptio iurisiurãdi & §. colonus. de iureiur.
k L. 3. §. quacunque. de iureiur.
l L. sed etsi possessori. de iureiur.
m L. ait Prætor. in fi. cũ l. seq. de iureiur.
n L. nam & postea. §. sed si quis. l. sed & si possessorem. in fi. de iureiur.

§. *Item si in iudicio.*

1 Rem iudicatam cum exceptione iurisiurandi cõferri.
2 Verba illa in textu, actum fuerit; cum emphasi intelligenda. & num. 3.
4 Actiones in personam ab actionibus in rem quid differant? & num. 5. 6. 7.
8 Generali & temerè effusæ ab actore petitioni quandoq; succurri; declaratur exemploq; nu. 9.
10 Exceptio rei iudicatæ vbi locum habeat?
11. 14. 20 Vbi res videatur esse eadẽ? ac idem corpus quod dicatur. num. 12.
13 Quid, si propter accessionem noua qualitatis forma vel materia reluceat alia?
15 In toto & pars continetur.
16 De re eadem agere quis videatur? & nu. 17.
18 Vt rei iudicatæ exceptio obstet, eadem petitionis causa esse debet.
19 Alia realis actionis causa est, alia personalis.
21. 22. 25 Res inter alios iudicatas ad alios non pertinere, idq; declaratum exemplis. numer. 23. sed fallit num. 26.
24 Inter heredes tam creditoris quàm debitoris ipso iure diuiduntur obligationes hereditariæ.
27 Vitiosa in responso Marcelli scriptura emendata.
28 Sententiam latam contra creditorem hypothecariũ de proprietate pignoris non nocere debitori, vero eius rei domino. & num. 29. 30.
31 Sententia lata de proprietate pignoris contra debitorem, nocet et creditori qui rem pignori accepit. fallit num. 32. 34.
33 Non qui dominium vsucepit, idem & alterius hypothecam eadem vsucapione peremit.
35 An sententia lata contra heredem de iure testamenti litigantem, noceat & legatariis? & nu. 36. 37.
38 Quid, si res litigiosa vel actio legata sit?
39 An, quod de vno reo credendi vel debendi pronunciatum est, ad alterum pertineat?

1 ¶ *Item si in iudicio.*] Pomponius exceptionem iurisiurandi conferre videtur rei iudicatæ [o]. Re-
ctè itaque Iustinianus hic vtranque cõiungit. Et quod attinet ad rationem huius exceptionis: scri-
bit Paulus [p]; Singulis controuersiis singulas actiones, vnumque iudicati finem sufficere, probabi-
li ratione placuisse: ne aliter modus litium multiplicatus summam atq; inexplicabilem faciat dif-
ficultatem: maximè si diuersa pronunciarentur.

¶ *Tecum.*] Vel cum tuo tutore, curatore, vel etiam defensore, qui se vltro ingessit modò tu ra-
tum habueris. Sed & si quis hominem à filiofa. petierit, deinde eũdem à patre petat: locum habet
exceptio [q]. ¶ *Actum fuerit.*] Et iudicatum fuerit secundum te: vt etiam ex aliqua perpetua causa
fueris absolutus. Nam si quis in iudicio reali absolutus esset tantùm, quia nõ possidebat, nec dolo
desierat possidere: si postea possideat, rursus poterit conueniri. nec obstabit exceptio rei iudicatæ:
2 vtpote cuius nunc causa cesset. Quòd autem hic actum dicitur: eam vim & emphasim habere po-
test, quòd exceptio rei iudicatæ non nisi ad ea pertineat, de quibus actum est: vt licet prima peti-
tio generalis fuerit, atque etiam sententia: tamen tantùm intelligatur ad ea pertinere, de quibus
3 fuerit nominatim & specialiter actum. vt si intenderim generalem tutelæ actionem, sed deinde
non nisi de vna aliqua re aut specie egerim: quanquam generali quadam sentẽtia tutor absolutus
fuerit: tamen si postea velim agere de alia re aut specie, de qua priori iudicio verè actum aut tracta-

o L. vlt. §. vlt. de iureiur.
p L. singulis. de exceptio. rei iudic.
q L. si mater. §. si quis hominem. de except. rei iudic.

tum non est; aduersus exceptionem rei iudicatæ potero vti replicatione doli, vt rescripserũt Impp.
Seuerus & Antoninus [a]. Sed boc propriè pertinet ad actiones personales, quatum possunt plures
esse causæ, vti etiam mox planius dicemus. ¶ *Siue in rem siue in personam.*] Constat quidem satis
hæc comparatio in genere, qnia ex vtroque iudicio detur exceptio. Sed multum est discriminis in
speciali conditione vtriusque. quod docet Paulus his verbis [b]; Actiones in personam ab actioni- 4
bus in rem hoc differunt; quòd cùm eadem res a beodem mihi debeatur, singulas obligationes sin
gulæ causæ sequuntur: nec vlla earum alterius petitione vitiatur. At cùm in rem ago non expressa
causa, ex qua rem meam esse dico: omnes causæ vna petitione apprehenduntur. Neque enim am-
plius quàm semel mea esse potest. Hactenus Paulus. Sed desiderat eius distinctio pleniorem inter-
pretationem. Nam discrimen quod tradit, non videtur omnino esse natura ipsarum actionum: 5
sed magis ex varia diuersaque agendi formula. Nam & generalis petitio in iudicio personali vel
reali, posset omnes complecti causas: quibus etiam omnibus obstaret generalis sententia [c]. Et tur-
sus si in rem ageretur, expressa vna aliqua causa, non obstaret exceptio ex alia postea causa petẽti [d].
Itaque verius esse mihi videtur discrimen inter has actiones, quòd in iudicio personali, si fuerit 6
quidem petitio generalis, sed postea ad vnam aliquam causam restricta, quam solam deinde pro-
secutus sit actor: non obstet exceptio, ex alia postea causa agenti: non modò vbi sententia ipsa re-
stricta quoque fuisset ad vnam illam causam in iudicium deductam [e]: sed & vbi fuisset generalis,
vt & ipsa prima petitio. quamuis enim tum summo iure videatur obesse exceptio: potest tamen ea
elidi replicatione doli. Sed in iudicijs realibus, si fuerit semel edita petitio generalis, actori prodes- 7
se non potest, vnam deinde tantùm causam in iudicium deduxisse. Nam aut reuera actor fuit do-
minus ex ea ipsa causa, quam specialiter prosecutus est: & tum proculdubio post condemnatio-
nem frustra ex alia causa rursus parat agere, cùm ex alia esse dominus nequeat. Aut sanè ex ea cau-
sa dominus non erat; & tum iure ei poterit imputari. qui proposita generali petitione, veram cau-
sam non fuerit prosecutus. Perinde itaque saltem habetur, atque si specialiter nihil expressisset.
Nam & tum intelligetur secutus veram causam, & omne ius quod eo tempore habuit, vti elegan-
ter scribit Vlpianus [f]. Qui tamen addit; quandoque ex causa succurri, ne adeò noceat generalis, & 8
temerè effusa petitio. Veluti in exemplo, quod ipse proponit [g]. Cuius facti species hæc fuisse vide-
tur: Titios hæredes instituerat, filium suum impuberem, & Sempronium: eumque Sempronium 9
filio substituerat pupillaribus tabulis, sed parum ritè. Ex testamento Sempronius adiuit hæredi-
tatem pro parte sua. Et quia filius impubes postea decessit, eius quoque bona nactus est, prætextu
illius qualis qualis substitutionis. Aduersus hunc Sempronium mater impuberis defuncti, generali
ter egit, vt bona filij cõsequeretur, tanquã legitima eius hæres: ac postmodũ fortè iactauit ruptum
esse testamentum quo nitebatur Sempronius: sed id non probauit. Factum est tandem, vt in hoc
iudicio succubuerit. Postea fortè apertæ sunt tabulæ pupillares (quæ pars erat testamenti primi) &
compertum est, iustam non fuisse substitutionem Sempronij. Quo nomine mater rursus iudi-
cium repetit, vt à Sempronio bona filij sui consequatur. hic certè respondit Neratius; Exceptio-
nem rei semel iudicatæ obstare. Idque fassus est Vlpianus: sed addidit, ex æquo & bono matri sub-
ueniri posse per In integrum restitutionem ex iusta causa, vt possit luctuosam filij impuberis de-
functi hæreditatem consequi, & præferri ei, qui reuera in eam nullum ius habuit.

¶ *De eadem re.*] Tum demum potest obijci exceptio rei iudicatæ, vbi eadem quæstio eadem de
re inter easdem personas rursus proponitur [h]: nec aliquo nouo iure actor nititur, quod prius dee- 10
rat, nunc verò accesserit. alioqui sanè non obstaret [i]. Certè Paulus tum demum rem eandem vi-
deri scribit, vbi idem corpus est, & eadem causa petendi, eademque personarum conditio [k]. Ac 11
idem corpus in hac exceptione docet, pinguius pro communi vtilitate accipi, vt non seruetur o-
mnis pristina qualitas vel quantitas. Vnde qui petijt fundum xx. iugerum, si postea rursus eun-
dem petat, sed imminutum: nihilominus obstabit exceptio. Et qui lancem petijt, nec obtinuit:
non audietur postea petens scyphum ex ea conflatum. quamuis enim qualitas mutata sit, manet
tamen idem corpus. Fateor tamen aliud respondendum esse, vbi propter accessionem nouæ qua- 13
litatis, alia iam reluceret forma, vel materia. Veluti si ex vuis expressum sit vinum. Hic cùm idem
corpus non maneat: poterit qui vuas frustra petijt, postea vinum petere: nec obstabit exceptio. Po-
stremò eadem res accipitur, & si pars petatur eius, quod totum petitum est. Nec interest, vtrum in 14
corpore hoc quæratur, an in quantitate, vel in iure. Semper enim obstabit exceptio rei iudicatæ. 15
Nam pars in toto est. quod eleganter docet quodam responso Vlpianus [l].

¶ *Agi potest.*] Etsi agatur eadem de re, etiam si alia fortassis actione, sed tamen ex eadem cau-
sa: obstabit exceptio [m]. Nam (inquit Vlpianus) de eadem re agere videtur, & qui non eadem actio- 16
ne agit, qua ab initio agebat: sed etiam si alia experiatur, de eadem tamen re. vtputa, si quis man-
dati acturus, cùm ei aduersarius sistendi causa promisisset: propter eandem rem agat Negociorum
gestorum, vel condicat: de eadem re agit. Addit Vlpianus; Rectè ita definiri, eum demum de ea- 17
dem re non agere, qui prorsus rem ipsam non persequitur. Sed meminerimus semper debere quo- 18
que esse eandem petitionis causam, vt obstet exceptio [n]. Sanè ei qui in rem egisset, nec obtinuisset,
postea condicenti non obstare exceptionem rei iudicatæ, Paulus respondit [o], nempe quòd alia sit 19
causa realis, alia personalis actionis. Porrò Paulus ait, vt locum habeat exceptio rei iudicatæ:
rem eandem tum demum videri, vbi non modò idem corpus est, eademque causa petendi, sed & 20
eadem personarum conditio. Huc autem pertinet regula Iuris; Res inter alios iudicatas, ad alios
non

a L. 2. C. de iudic.
b L. & an eadem. §. actiones. de excep. rei iudic.
c L. vl. C. de anna. except.
d L. si mater. §. si quis actio. de except. rei iud.
e L. age. C. de trãsact.
f L. si mater §. eadẽ. de excep. rei iud.
g dict. l. si mater.
h L. 3. de excep. rei iu.
i L. si mater. §. eandẽ. de excep. rei iud. l. Modestinus respondit. de excep.
k L. & an eadem. de excep. rei iud.
l L. si quis cũ. de excep. rei iudic.
m L. de eadem. de rei vind.
n L. & an eadem. de excep. rei iud.
o L. vlt. D. illo tit.

non pertinere. quam quidem cùm diligentissimè Marcellus excusserit, operæpretium fuerit, eius — a L. sæpe. de re iudic.
hac de re nobile responsum [a] hic subijcere, præsertim cùm interpretis etiam operam desideret, &
disputationē contineat valde vtilem, & de qua sæpe quæsitum esse ait. De exceptione doli metúsve
causa, ex qua etiam causa actio dari potest: de exceptione ex pacto de non petendo: de exceptione
Iurisiurandi, sicuti & eius actione: multa subtiliter dici possunt. Sed ea nunc Iuris capita breuiter
perstringi patior. Exceptionem verò rei iudicatæ, sicuti & posteà iudicati actionem latius fortas-
sè explicabimus, priusquam rem iudiciariam omnino missam faciamus, diligentius excutien-
dam esse sentio. Vt igitur quod de ea dicendū superest, quodque etiam ad actionem iudicati per-
tinet, complectamur, Marcellum audiamus. Initio generalem veluti thesin & regulam propo-
nit; Res inter alios iudicatas alijs non præiudicare, quam multis constitutionibus confirmatam — b L. 1. de excep. l. Claudius. ad fin. qui pot. in
22 esse ait: sicuti sanè & multis locis inculcari meminimus [b]. Deinde ad hypotheses veluti descendēs — pig. l. quia non debet.
propius ostendit; an perpetuò id verum sit; præsertim quòd ad alios scientes & patientes attinet, — de iureiuran. l. 2. C. de
de quibus magis dubitabatur; neque nudam distinctionem adhibet, sed exemplis suam senten- — excep. & tot. tit. Cod.
23 tiam illustrat. Ac primo quidem loco proponit exempla eorum, quibus etiam scientibus non no- — Quib. res iud. Itē, Res
cet res inter alios iudicata: vt si aduersus vnum ex hæredibus siue creditoris, siue debitoris, pro- — inter alios act.
nunciatum fuerit: id alijs cohæredibus omnimodo non præiudicat. Ac fatetur quidem Marcellus
quodammodo contra eos quoq; iudicatum videri; quia similis eorum causa sit: sicuti & propter-
ea appellare ijs permittitur, quasi eorum intersit: licet alioqui & sine appellatione defendi pos- — c L. à sententia. de appellat.
sint [c]. Verùm etsi ex condemnatione cohæredis mei aliquod nasci videatur contra me præiudi-
cium, quia iudex tali exemplo propensior futurus sit ad me quoque condemnandum: tamen
non exemplis, sed legibus iudicandum est, & nihilominus reuera integra sit mea mihi defensio:
rectè Marcellus existimat, sententiam contra vnum hæredem latam, cohæredi quantumuis scien
ti non præiudicare: nempe quod vnus ab alio ius non habeat, & inter hæredes tam creditoris,
24 quàm debitoris ipso iure diuidantur obligationes hæreditariæ, vt singuli separatim pro sua tan-
tùm portione vel agant vel conueniantur, sicuti latius dixi in commentarijs ad 12. Tabulas cap.
38. Poterat Marcellus & aliud exemplum hic proponere de legatarijs. Nam si vnus ex testamen-
to legatum petens, victus sit, sententiam alteri legatario non præiudicare traditum est [d]. Quod & — d L. 1. de except.
de creditoribus hypothecarijs rectè dici potest [e]. Atque hæc tria exempla pertinent ad amplifica- — e L. Claudius. qui pot. in pign.
25 tionem superioris regulæ, vt intelligamus; res inter alios iudicatas alijs non præiudicare, etiamsi
similis eorum causa sit. & scientes passi sint ita iudicari, neque prouocarint, cùm tamen appellare
26 potuissent. Cæterùm Marcellus altero suæ distinctionis membro, hanc regulam veluti restringit,
& illustria proponit exempla tria, in quibus ea locum non habet. Ac posteriora quidem duo ni-
hil habent difficultatis; nempe; cùm maritus socerum, qui dotem dedit, sciens patitur in quæstio
ne de proprietate rei dotalis vinci, vel emptor similiter venditorem, cùm de proprietate rei vendi-
tæ quæreretur: vt intelligamus sententiam in hoc genere latam contra socerum præiudicare ma-
rito, qui ab eo habuit, quicquid tandem habuit iuris: & simili rationi nocere emptori, sententiam
contra venditorem. Licetè diuerso non idem diceretur: tametsi propter euictionis causam dici
posit, venditori, saltem tempestiuè admonito, nocere sententiam contra emptorem latam. Cęte
rùm tertio exemplo, quod Marcellus hic proponit, magnam difficultatem, magnasque tenebras
iniecit corrupta atque vitiosa vulgarium exemplarium scriptura, in quibus legitur, *SI CREDITO-
REM EXPERIRI DEBITOR PASSVS SIT*, &c. Quod certè neque sententiæ Marcelli conuenit, ne-
27 que firma aliqua ratione iuris defendi potest. Verùm errorem facilè tollemus, si vera lectio huius
loci restituatur, *SI CREDITOR EXPERIRI DEBITOREM PASSVS SIT*, &c. Sic enim legēdum osten
dit Florentinum exemplar, & alij vetusti, meliorisque notæ codices: idque congruit & orationi,
& disputationi, & sententiæ Marcelli, & cum alijs perpetui iuris regulis conuenit. Sententiam la
28 tam contra creditorem hypothecarium de proprietate pignoris, non nocere debitori, eius rei ve-
ro domino, intelligi etiam idem potest, quod eodem tractatu de re iudicata, traditum est de sen-
tentia executoris [f]. Neque obscura est ratio. Debitor enim ius sui dominij non habet à creditore, — f L. à diuo Pio. §. sed sciendum. de re iudic.
sicuti creditor ius sui pignoris habet à debitore. Et licet creditor agens hypothecaria, imprimis
29 probare iubeatur dominum esse eum, à quo rem pignori accepit [g]: tamen si id probare non — g L. ante omnia. de probat.
posit, sibi tantùm nocet, non domino debitori. Nam neque principaliter ad creditorem
pertinet hæc quæstio alieni dominij, neque huius probationibus satis instructus esse
solet. Si vinceret, & suæ petitionis probationem impleuerit, fateor prodesse debitori, de
cuius etiam iure & dominio pronunciatum videtur: vt exceptione huius rei iudicatæ repellere
posit eum, qui victus est, si rem nihilominus vindicare velit [h]. Sed si creditoris victoria hic de- — h L. ex sextante. §. 1. de except. re. iud.
30 bitori prosit, non sequitur victi offensionem etiam nocere. Neque eadem ratio est vtriusque. Ita-
que in hac sententia maneo; rem iudicatam, quæ sustulit hypothecam creditoris, non propterea
statim & debitoris dominium tollere: nullamque esse causam, cur quod contra illum iudicatum
31 est, huic noceat. Cæterùm è diuerso iustissima causa est, cur sententia lata de proprietate pignoris
contra debitorem, qui rem pignori dederat, per consequens noceat & creditori, qui pignori acce
pit, præsertim scienti atque patienti debitorem autoremq; suum condemnari, neq; appellare vo-
lenti, & vbi sine collusione condemnatus est debitor, causáque cognita superatus, cùm pronun-
tiatum est, eum dominum non esse, neque iam tum, cùm rem pignori daret, fuisse. Alioqui ve-
32 rò sententiam creditori hypothecario non obfuturam, facilè equidem concedam Nam & tradi-
tum [i] est; ei non obesse, si debitor in eius fraudem per collusionem vinci se passus est; vel etiam — i L. præses. C. de pign.

si non tam causa cognita, quàm præscriptione temporis repulsus fuerit. Separata enim est pigno-
ris quæstio ab intentione dominij, vt Papinianus ait, neque qui dominium vsucepit, propterea & 33
alterius hypothecam eadem vsucapione peremit[a]. Denique & si causa cognita pronuntiatum sit; 34
debitorem non fuisse dominum; tamen creditori hypothecario, si admonitus non sit, id nõ noce-
re Papinianus quoque ait[b]: præsertim cùm conuentio pignoris sententiam præcesit[c]. Non dis-
similis quæstio est; an sententia lata contra hæredem de iure & vi testamenti litigantem, per con- 35
sequens noceat legatarijs. Nam & hanc cum superiori Papinianus coniungere videtur, licet lega-
tarios in hoc genere non omnino rectè comparari cum creditoribus dicat[d]. Ac quidem Vlpianus 36
apertè respondit[e]; Si de causa inofficiosi testamenti cognouerit Iudex, & pronuntiauerit cõtra te-
stamentum, nec fuerit prouocatum, legata non deberi. Idem[f] tamen alio loco docet; si hic hæres 37
non tam causa cognita condemnatus sit, quia testamentum non valuerit, quàm victus, quia non
defenderetur: talem sententiam non nocere legatarijs. Sanè si res litigiosa vel actio legata sit, sicu- 38
ti rectè legari potest: olim quidem eius æstimatio dabatur legatario, & hæres suo periculo iudiciũ
peragebat[g]. Sed ex noua Iustiniani Constitut. 112. hæres iudicium exequitur periculo legatarij, vt
si rem litigiosam euincere non potuerit, nihil legatario debeatur. Porrò & de duobus reis vel cre-
dendi vel debendi magna quæstio est[h]; an quod de vno pronuntiatum est[i], ad alterum pertineat.
Sed quia Marcellus eam hoc loco non attigit, & nos aliò properamus, neque omnia congerere in- 39
stituimus, neque finis vllus esset, reijciatur hæc in alium locum disputatio.

a L. 1. § cùm prædium. de pignorã
b L. inst. §. non mutat. de vsucap.
c L. indicata. §. vlti. de except. rei ind.
d L. 3. de pignor.
e dic. l. 5.
f L. Papin. §. si ex causa. de inoffic.
g L. si prolusorio. §. quoties de appellat.
h L. 3. de litig.
i L. 2. de duob. reis. l. in duobus. de iureiur. l. si duo. de arbi. L. si vnus. §. 1. de pact.

§. *Hæc exempli. cum §§. seq.*

1 Quæ sint ea, quæ legis vim obtineant?
2 Exceptionum aliæ sunt perpetuæ & peremptoriæ; aliæ temporales & dilatoriæ; & num. 7. 8.
3 Non de tempore & vita exceptionum, sed de vi & effectu hic agitur.
4 Exceptio, ne quis conueniatur vltra quam facere possit; itẽ exceptio excussionis, quales sint? num. 5.
6 Exceptio diuisionis perpetua & peremptoria est.
9 Peremptoriæ quandiu proponi possint?
10. 11 Temporales & dilatoriæ qualiter agentibus obstent?
12 Non satis est cõpetere exceptionẽ, nisi & obijciatur.
13 De antiquitate à qua hodie recessum.
14 De veteris illius iuris ignorantia verba Ciceronis.
15 Nonnunquam inferre litem ante tempus licet.
16 Induciarum vocabulum à castris ad forum translatum.
17 Ante tempus agenti tempus vt duplicetur?
18 Quid, si quis improbè litem pluris æstimauerit?
19. 20 De Translationibus.
21 Dilatoriæ exceptiones non modò ex actoris seu procuratoris sed etiã ex iudicis persona conceduntur.
22 Fori præscriptio, siue exceptio declinatoria, quando proponenda?
23 Exceptiões procuratoriæ sunt duplices. & nũ. 24. 25.
25 Mulieres cur à muneribus ciuilibus arceantur?
27 Pro patre infirmo procuratorium munus subire mulier potest & se ipsa. num. 32.
28 Milites procuratores esse non possunt. fallit num. 29. 31.
30 Propria videntur caussa, quæ nobis cum alijs sunt communes.
33 Hodie adhuc obstat Postulantibus infamia; sed procuratorum munus esse vilius, num. 34.
35 Canones pontificij nullam ferunt in procuratore notam infamiæ.
36 Athenienses à foro arcebant olim infames.

¶ *Quæ legis vicem obtinet.*] Veluti ex Senatusconsultis: cuiusmodi sunt exceptiones Velleiani 1
aut Macedoniani: vel ex Principum placitis: qualis est exceptio diuisionis inter plures fideiussores
ex Constitutione Adriani: & inter plures reos debendi ex Nouell. Constit. Iustiniani. ¶ *Ex ipsius
prætoris iurisdictione.*] Eiusmodi esse videtur exceptio doli. cuius licet sit naturalis ratio: vim tamen
habere videtur ex Prætoris edictis. Certè olim Iure Ciuili nulla doli apud Iudicẽ ratio habebatur,
nisi in bonæ fidei iudicijs, aut nisi minor quispiam circunscriptus esset. Sed postea Gallus Aquili-
us de dolo formulas edidit, quas Prætores in iudicijs constituendis secuti sunt, vt semper de dolo
vel agere vel excipere liceret. Id quod pluribus locis Tullius non obscurè indicat. ¶ *Aliæ perpetuæ* 2
& peremptoriæ, aliæ temporales & dilatoriæ.] Hic proponitur diuisio, quæ constat membris duplicibus,
sic vt posterius verbum vim & conditionem prioris explicet: vt intelligamus, hic agi non quidem
de tempore & vita exceptionum, sed de vi & effectu, vt sint perpetuæ, quæ peremptoriæ sunt, to- 3
tamque perimunt actionem: Aliæ temporales, quæ dilatoriæ, nec nisi ad tempus agere volentibus
obstant. Itaq; huius generis erit exceptio; ne quis conueniatur vltrà quàm facere possit, quia non
perimit obligationem, sed tantùm solidam exactionẽ differt ad tempus melioris fortunæ, quam 4
quisque sperare potest, quandiu spirat[i]. Idem censendum est & de exceptione excusionis. Exce- 5
ptio tamen diuisionis magis videtur esse perpetua & peremptoria. pertinet enim ad diuidendum, 6
iudicium, vt pro parte omnino liberetur vnus ex reis debendi. Porrò autem totus hic locus de-
sumptus est ex responso Caij: qui tamen hanc diuisionem alijs verbis explicat. Perpetuæ (inquit) 7
atque peremptoriæ sunt, quæ semper locum habent, nec euitari possunt. qualis est doli mali, rei
iudicatæ, & si quid contra Leges, Senatúsve consultum, factum esse dicetur. Item pacti conuenti
perpetui, hoc est, ne omnino pecunia petatur. Temporales atque dilatoriæ sunt, quæ non semper
locum habent, sed euitari possunt: qualis est pacti cõuenti temporalis, hoc est, ne fortè intra quin-
quennium agatur. Hæc Caius.

¶ *Quæ*

¶ *Quæ semper agentibus obsunt, & semper rē, de qua agitur, perimunt.*]Non sunt hæc ociosè repetita, re-
spodent enim appellationibus perpetuarum & peremptoriarum. Et ita coniuncta excludunt
veterem exceptionis temporalis conditionem, quæ ante Zenonianam Constit. omnino quidem
perimebat rem, de qua agebatur, si semel esset opposita. At non semper, neque perpetuò agere vo-
lentibus oberat. vt si creditor primùm agere cœpisset tempore conuento, vel aliter præstituto.
¶ *Semper agentibus obsunt.*] Iustinianus hìc significat initium & finem hatum proponenda-
9 rum exceptionum, nempe à lite contestata, vsque ad rem iudicatam. Cæterùm post sententiam
non solent admitti [a].

a L. peremptori. as. C. sententiam rescindi nō posse. L. 1. C. de iur. & facti ignor.

10 ¶ *Ad tempus nocent, & temporis dilationem tribuunt.*] Hìc Iustinianus intelligit tempus conuen-
tum & præstitutum: ante quod non potuit agere creditor. & si egisset, opposita exceptio non mo-
dò ad tempus ei nocuisset, sed in perpetuum: quia non temporalem, sed perpetuam liberationem
debitori tribuebat veteri iure, quod erat ante Zenonis Constit.
11 ¶ *Agere volentibus.*] Tacitè hìc significatur natura actionis dilatoriæ quæ obijcitur ante litem
contestatam & iudicium susceptum, cùm quis adhuc magis agere velle, quàm agere dicitur [b]. Nec
potest sanè post litem contestatam reus suæ defensionis negligentior, inuito actore dilatorias suas
proponere exceptiones [c]: saltem vt imminentem, præsentis iudicij condemnationem effugiat.
Potest tamen etiam post litem contestatam eas opponere: sed nihilominus condemnabitur. sal-
tem vt soluat, cùm tempus venerit.

b L. amplius. D. rem ratam hab.
c L. vlt. C. de excep. L. ita demum. C. de procur. L. sancimus. in fi. C. de iud.

¶ *Aut alia similis.*]Cuiusmodi sunt exceptiones earum conuentionum, quæ quidem purè ini-
tæ sunt, sed habent tacitam dilationem ex natura rei promissæ, vel ex loco adiecti [d]. ¶ *Obiectáque*
12 *sit.*] Sicut omnino deber obijci. Nam alioqui iudicium sustinetur, quia ipso iure nata est, etiam
ante diem, actio, præterquam si vsusfr. petatur [e].
¶ *Neque eo iudicio quicquam consequebatur.*] Sicuti nec hodie adhuc quicquam consequitur, hìc
enim nihil immutatum est per Zenonis Constitutionem. Dicimus autem eo iudicio nihil con-
sequi agentem, quia redigitur ad necessitatem nouæ litis suo tempore instruendæ: quod paulò
13 pòst docet Iustinianus. ¶ *Neque post tempus olim agere licebat.*]Addit Iustinianus hoc loco hanc vo-
culam OLIM, vt magis significaret antiquitatem, à qua hodie recessum sit. Quomodo autem hìc
agere olim non licebat, mox dicam.

d L. interdum L. cōtinuus §. cum ita de verb. obl. 1 3. § si ita quis stipuletur. de eo quod cert. lo.
e L. 1. in fi. D. quando dies vsusfr. leg. ce.

¶ *Rem amittebant.*]Scripsit antea Iustinianus [f]: Si quis agens, in intentione sua plus comple-
xus fuerit, quàm ad eum pertineat, à causa cadebat, id est, rem amittebat. Quo loco obiter ad-
monuimus; Creditorem, qui ante diem egisset, ex lege 12. Tab. causa quidem cecidisse, sed non
omnino statim cùm primùm agere cœpisset. Primùm enim reus, qui sciret à se ant. diem peti, po-
stulabat à Prætore exceptionem dilatoriam, CVIVS PECVNIÆ DIES NON FVISSET. Postea cùm
venisset dies petendæ pecuniæ, rursus creditor agere poterat: sed tum peremptoria exceptione su-
mouebatur ex lege 12. Tab. quòd semel plus tempore, nempe ante diem petijsset. Quo nomine
petebat reus pronunciari; Creditorem causa cecidisse. Hìc itaque bis agebatur: & priorem actio-
nem reus dilatoria exceptione summouebat ad tempus soluendæ pecuniæ. Et vbi hoc tempus ve-
nisset, alteram actionem perimebat exceptione prioris iudicij. Indicat id Tull. lib. 1. de Oratore,
vbi ostendit quàm pudendi lapsus in magnis Oratoribus occasionem dederit huius veteris Iuris
ignorantia. ait enim de quodam Hypseo, qui stultè & imperitè contendebat, vt ei, quem defen-
debat, causa cadere liceret. Item de Octauio, qui eodem errore pugnabat, ne aduersarius causa ca-
14 deret. Verba Ciceronis sunt hæc: Inquit Antonius; Ego istos non modò Oratoris nomine, sed ne
foro quidem dignos putarem Atqui (respondet Crassus) non defuit illis patronis eloquentia, ne-
que dicendi ratio aut copia, sed Iuris Ciuilis prudentia: quòd alter plus lege agendo petebat,
quàm quantum lex in 12. Tab. permiserat. quod cùm impetrâsset, causa caderet. Alter iniquum
putabat, plus secum agi, quàm quod esset in actione. neque intelligebat, si ita esset actum, litem
aduersarium perditurum. Quid his paucis diebus? nónne nobis in tribunali Q. Pompeij Prætoris
vrbani familiaris nostri sedentibus, homo ex numero disertorum postulabat, vt illi, vnde petere-
tur, vetus atque vsitata exceptio daretur, CVIVS PECVNIÆ DIES FVISSET? quod petitoris causa
comparatum esse non intelligebat. Vt si ille inficiator probâsset iudici antè petitam pecuniam es-
se, quàm esset cœpta deberi: petitor rursus cum peteret, exceptione excluderetur, quod ea res in
iudicium antea non venisset. Hæc Tullius.

f §. si quis agens. sup. de act.

15 ¶ *Litem inferre ausus est.*] Etiam si vim eius, & executionem non recuset differri in situm tem-
pus. Satis enim est ante tempus quacunq; cōditione litem intulisse. si tamē debitor sua dilapidet,
& vereatur creditor, ne sit suo tempore inanis actio aduersus inopem: licebit cautionem petere.
Sic enim ait Papinianus [g]: In omnibus bonæ fidei iudicijs, cùm nondum dies præstandæ pecuniæ
venit: si agat aliquis ad interponendam cautionem ex iusta causa, condemnatio fit. Idque in iure
nostro sæpe traditum est [h]. ¶ *Zenoniana Constitutioni.*] Meminit & huius Constitutionis antea Iu-
stinianus: nusquam tamen eam extare arbitror. Sanè videtur hìc Zeno secutus humanitatem illā
Claudij Cæsaris, quem ait Suetonius, sæpe restituisse actiones iis, qui plus petendo exciderant in-
te agendi.

g L. in omnibus de iudic.
h L. inter omnes. D. Qui satisdat. cog. L. quod si in diem. §. de petit. hered. L. 2. de eutil. L. pro socio. D. pro socio.

16 ¶ *Inducias.*] Scribit quodam loco Fabius, verba castrensia siue militaria eleganter ad fo-
rum transferri. Sic pactum induciatum, quod propriè est, vt in diem certum non pugnetur,
& (vt ait Paulus [i]) ne interim hostes sese lacessant; tractum hìc est ad tempus, quo ne agatur, con-
uenit.

i L. postliminium §. induciæ. De cap. & postlim. reuers.

¶ Qua

¶ *Quæ sponte actor ipse indulserit, vel quas natura actionis continet.*] Rectè hæc discernit Theophi-
lus, vt prius referatur ad tempus pactionis, quod vltro post contractam obligationem huma-
niter indulsit creditor: Alterum, ad tempus ipsius obligationis, de quo scilicet dum iniretur obli-
gario, conuenit. Sed vtvt sit, hic semper locus intelligendus est de inducijs, quæ differunt ipsam
actionem. Alioqui si tantùm differant ipsam exactionem: non duplicabuntur induciæ. Veluti
mariro post solutum matrimonium tribuitur annus ad restitutionem mobilium dotalium. Id

a L. vna. §. exactio. C. de rei vx. act.

non differt actionem, sed exactionem [a]. non admodum itaque nocuerit, antè egisse. ¶ *In du- 17
plum.*] Eius nempe temporis, quod supererat, quodq; contempsit creditor. Veluti conuenit non
petere ante quinquennium: post biennium peto. Solum triennium eo nomine duplicabitur,
quod solum contemptum est, non etiam ipsum biennium iam elapsum, in quo nihil peccatum
est. Quam sententiam omnibus probari putamus ex æquitate naturali, & probar hîc Theophilus

b L. aut damnum. §. quisquis. de pœnis.

atque adeò ipse Vlpianus in simili specie, dum ait [b]: Quisquis in opus publicum damnatus, refu-
git, duplicato tempore damnari solet. sed duplicare eum id tempus oportet, quod ei supetest, cùm
refugit; scilicet ne illud duplicetur, quo apprehensus in carcere fuerit. ¶ *Nisi omnes expensas litis.*] 18
Certè & Iustinianus in Nou. Constit. 15. iubet eum, qui improbè litem æstimauir pluris, quò a-
pud ipsius loci Præsidé, non apud Ciuitatis defensorem, qui de pecuniarijs causis vsque ad 30. au-
reòs solùm iudicabat, atterat: omni damno litis subijci, quanquam eo nomine causa non cadat.

¶ *Præterea etiam.*] Hîc propriè Iustinianus agere videtur de translationibus, quarum antea 19
meminimus. Certè autor Rhetoricorum ad Hetennium lib. 1. scribir; Ex translarione controuer-
siam nasci, quum aur tempus differendum, accusatorem mutandum, aut iudices mutandos reus
dicit. Meminit & Fabius libi. 3. cap. 6. exceptionis huius, VT NON VIDEATVR IVRE ACTIO 20
INTENDI: quam vocat iuris adiutorium elabendi ex crimine, quod nec negari nec defendi po-
test. Qui tamen ea exceptione vult vti, ante omnia eam proponete debet. Galli confusè vo-
cant fines recipiendi, & fines non recipiendi: quibus eriam vtuntur in exceptionibus per-
emptorijs. Sicuri & olim Athenienses hac exceptione, μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι τὴν δίκην. [non esse con-
trouersiam, contra cuius exordium præscriptio obijci non posit.] vt indicat Demosthenes ἐν τῇ
παραγραφῇ πρὸς Πανταίνετον. ¶ *Ex persona.*] Non modò ipsius actoris procuratorisve, sed & iudicis, 21

c L. si quis ex aliena. de iurisd.
d L. actor ordinem. C. de iurisd.
e L. 3. de iudic.

quem causamur non esse competentem. quod facere statim debemus iudicio stati [c]: vt actor si
agere velit, sequatur forum nostrum [d]. Hæcque est præscriprio fori, quam vulgus declinaroriam 22
vocat. Proponi autem debet in limine iudicij, priusquam aliquid facias, quod significaret te iudi-
cis, ad quem vocatus es, iurisdictionem approbâsse vel prorogâsse: id enim certè facere potes [e].

¶ *Sunt dilatoriæ exceptiones.*] Quæ scilicet differunt & remorantur ipsum iudicium, non qui-
dem ad vllum certum tempus, sed donec actor mutârit incommodum, quod ei obijcitur. Porrò

f L. 3. §. vl. de except.
g L. 2. §. vlt. de except.

autem hic locus desumptus videtur ex responso Caij, qui air [f]: Procuratoriæ quoque exceptiones
dilatoriæ sunt: quæ interdum locum habent, sed interdum euitari possunt. Et Vlpianus [g]; Procu-
ratoria exceptio (inquit) dilatoria est. Nam qui dicit; Non licere procuratorio nomine agi, non
prorsus litem inficiarur, sed personam euitat.

¶ *Quales sunt procuratoriæ.*] Hæ sunt duplices. Prioris generis sunt eæ, de quibus hic agitur: cùm 23
dicimus aliquem non posse esse procuratotem: aut, quòd non licuerit aduersario dare procurato- 24

h L. in exceptionibus. §. 1. de probat.
i L. si fideiussor. §. quædam tamē. D. manda.
k L. neque tutores. C. de procurat.
l L. 3. de procurat.
m L. penult. §. ad crimen. de publ. iud.
n L. seruum. §. eam. de procurat.
o L. inter quos. §. alieno. de dam. infect.
p L. ita demum. C. de proc.

rem [h]. Existimat autem Vlpianus [i] hanc exceptionem procuratoriam, esse de apicibus iuris: adeò
vt excuset fideiussorem, qui eam omisit. Oritur autem hæc exceptio potissimum ex quatuor cau-
sis. Prima est, cuius hîc tantùm meminir Iustinianus, ex capite & persona eius, qui datus est procu-
rator: velnti si detur miles, infans, furiosus, aut mulier. Secunda est, ex persona eius, qui dedit. Vt si
pupillus sine tutote procuratotem constituisset. id enim prohibetur [k]. Tertia est, ex conditione
& natura litis, quæ non admittit procuratorem: vt si sit pnpulare [l] iudicium, vel criminale [m]: vel si
sit causa status [n]. Quarta est ex modo & forma constituendi: vt si solùm mandato generali nitere-
tur procurator, cùm opus esset speciali. Alterius generis exceptiones procurarotiæ sunt; Cùm o- 25
mnino dicimus aliquem procuratorem non esse, vt quia mandatum à domino non habet. cuius
exceptionis procuratoriæ meminit Pomponius [o]. differt autem à superioribus, quæ proponi de-
bent ante litem contestatam [p]: cùm hæc perpetuò posit opponi: quia si quis non sit procurator,
non potest vllum cum eo constare iudicium.

a L. filiusfa. §. Veteranus. de procurat.
b L. 2 de reg. iur.
c L. fœmina. l. neque fœmina. de procurat.
d L. alienam. C. de procu.
e L. maritus. C. de procu.
f L. 1. §. secundo loco. de postul.
g L. militem. l. qui stipendia. C. de procur.
h L. alienam. C. de procu. l. fœmina. D. illo tit.

¶ *Per militem.*] Qui scilicet in Castris merer. Veteranum autem militia missum, procutato-
rem dari posse constat [a]. Sic Tullius pro Quintio contendit; Equitem Rom. dari potuisse procu-
ratorem. ¶ *Aut mulierem.*] Ab omni munere iudiciali mulier arcetur [b], & præcipuè à procurato- 26
rio [c]. Alienam enim defensionem suscipere, virile munus est [d]. ne prætextu litis, mulier impuden-
ter & contra sexus verecundiam irruata in cœtus virotum [e]. Sicuti olim fecisse dicitur illa Afra-
nia, cuius meminit Valerius lib. 8. cap. 3. & quæ in causa fuit, cur mulieres prohibitæ fuerint pro
alijs postulare [f].

¶ *Nam militibus.*] Hic locus desumptus videtur ex duobus rescriptis Alexandri Imper. [g] Pri-
mùm enim Macrino tescripsit; militem nec pro patre, vel matre, vel etiam vxore, nec ex sacro re-
scripto, procuratorio nomine experiri oportere. Deinde Aufidio scripsit; Eos qui stipendia me-
rent, posse suis negotijs supetesse inoffensa disciplina.

¶ *Nec pro patre.* Pro quo tamē saltem in firmo, potest pia mulier procuratoriū munus subire [h]; 27
quanquam id non posset pro filio, quòd ei aliter posit succurrere, nempe si ei petat tutorem vel
curatotem.

¶ *Vel matre*

28 ¶ *Vel matre vel vxore.*] Vel etiam filio. Quia (inquit Paulus[a]) disciplina militaris antiquior
fuit parentibus Romanis, charitate liberorum. Vt itaque pater filium militiæ subtrahere non po
29 test[b]: (nam nec minus Reip. natus est, quàm parentibus) ita nec filij patrem. Nisi sanè esset causa
status: quæ digna visa est, cur miles signa desereret opitulaturus suis necessarijs, quorũ in hac re pe-
riculum ipsum quoque militem tangit[c]. Iniquum esset itaque absentem de liberis dimicare, in-
quit Liuius, referens memorabile exemplum Virginij, qui cùm honestum ordinem in Algido
milès duceret, celeriter impetrato commeatu accurrit Romam, vt filiam suam de statu periclitan-
tem iudicio defenderet, eriperetque libidini Appij.

¶ *Procuratorio nomine experiri.*] Sicuti nec aliena negotia extra Iudicium procurare[d]. ¶ *Suis
30 verò negotijs.*] Vel communibus sui numeri causis. Ijs enim miles interesse[e] potest. Nam & propriæ
31 causæ videntur, quæ nobis cum alijs communes sunt[f]. ¶ *Suis negotijs superesse.*] Potest ergo miles
32 procurator esse in rem suam[g]. Sicuti & mulier potest. Nec refert vetúsne sit negotium an nunc
primum ei cessum. Legimus Amesiam quandã Prætoris sententia ream, olim maximo Pop. Rom.
concursu, L. Titio prętore iudicium cogente, egisse vicisseque. Et Hortensiam filiam Q. Hortensij,
communem matronarum causam à viris desertam fœliciter egisse apud Triumuiros, impetrasse-
que, vt maior pars imperatæ matronis pecuniæ remitteretur. Testis est Valer. lib. 8. cap. 3.

33 ¶ *Olim procuratoribus.*] Hodie adhuc infamia obstat postulantibus: quoniam Prætor remouet
à postulando personas turpitudine notabiles[h]: vt tueatur dignitatem ordinis togatorum, quibus
multum tribuunt nostræ leges. dicuntur enim pro Republ militare[i]. At procuratorum vilius est
34 munus. Videntur tamen canones Pontificij rursus rem reuocare velle ad pristinam illam Iudicio-
35 rum seueritatem, cùm nec vllam ferant procuratore notam infamię. Certè olim apud Atheniẽses,
36 infames, qui dicebantur ἄτιμοι, arcebantur à foro penitus, nec quicquam tractare apud Iudices
aut populum poterant; vt legere est in oratione Demosthenis aduersus Aristogitonem.

¶ *Vel dantis, vel ipsius procuratoris.*] Hanc rem pluribus hîc explicat Theophilus: sed nescio an
quæ tradit, conueniant moribus Romanorum.

¶ *Ne dum de his.*] Non est hæc præcipua causa, cur infames admittantur, quasi ea cessante repel-
lerentur: sed est & alia, nempe desuetudinis. vt etiamsi certa sit infamia, & de qua nemo possit al-
tercari, non tamen arceat procuratorem.

a L. postliminium. §. filius quoque. De capt. & postli. reuer.
b L. qui cum. §. qui filium. De re milit.
c L. 3. §. milites. De lib. ber. caus.
d L. similitem C. de cond. ob causam dat.
e L. filiusfa. §. Veteranis. De procurat.
f L. 2. § penul. D. quãdo appel. sit.
g L. quia absentes, C. de procurat.
h L. 1. §. secundo loco. De postul.
i L. aduocati. C. de aduo. diuer. iud.

De Replicationibus, *Tit.* XIIII.

Interdum euenit, vt exceptio, quæ prima facie iusta videtur, tamen iniquè noceat. quod cùm accidit, alia allegatione opus est, adiuuandi actoris gratia: quæ Replicatio vocatur: quia per eam replicatur atque resoluitur ius exceptionis: veluti cùm pactus est aliquis cum debitore suo, ne ab eo pecuniam petat: deinde postea in contrarium pacti sunt, id est, vt creditori petere liceat: si creditor agat, & excipiat debitor, vt ita demum condemnetur, si non conuenerit, ne eam pecuniam creditor petat: nocet ei exceptio. conuenit enim ita. nanq; nihilominus hoc verum manet, licet postea in contrarium pacti sint. sed quia iniquum est creditorem excludi: replicatio ei dabitur ex posteriore pacto conuento. Rursus interdum euenit, vt replicatio, quæ prima facie iusta est, iniquè noceat. quod cùm accidit, alia allegatione opus est, adiuuandi rei gratia, quæ Duplicatio vocatur. Et si rursus ea prima facie iusta videatur, sed propter aliquam causam actori iniquè noceat: rursus alia allegatione opus est, qua actor adiuuetur, quæ dicitur Triplicatio. Quarum omnium exceptionum vsum interdum vlterius quàm diximus, varietas negotiorum introducit: quas omnes apertius ex Digestorum latiore volumine facile est cognoscere.

Exceptiones autem, quibus debitor defenditur, plerunque accommodari solent etiam fideiussoribus eius: & rectè, quia quod ab ijs petitur, id ab ipso debitore peti videtur: quia mandati iudicio redditurus est eis, quod ij pro eo soluerint. Qua ratione, & si de non petenda pecunia pactus quis cum reo fuerit: placuit perinde succurrendum esse per exceptionem pacti conuenti illis quoque, qui pro eo obligati sunt, ac si etiam cum ipsis pactus esset, ne ab eis ea pecunia peteretur. Sanè quædam exceptiones non solent his accõmodari. Ecce enim debitor, si bonis suis cesserit, & cum eo creditor experiatur: defenditur per exceptionem, si bonis cesserit. Sed hæc exceptio fideiussoribus non datur: ideò scilicet, quia qui alios pro debitore obligat, hoc maximè prospicit, vt cùm facultatibus lapsus fuerit debitor, possit ab ijs, quos pro eo obligauit, suum consequi.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1.2 Replicationum vsus, & diuersæ appellationes.
3 Replicationis exempla.
4 Pactum prius eliditur per posterius.
5 De Duplicatione, Triplicatione, Quadruplicatione.
6 Non posse hodie progredi litigatores vltra duplicationem.

a L.1.§.2. de except. A*Lia allegatione opus est.*] Vlpianus [a] ait necessarias esse replicationes vt exceptiones excludant. 1
Quæ replicatio vocatur.] Sicut & Græci ἀντιδιαστέλλειν dicunt, quod replicare hic dicimus.
appellãt ἀντιπαρεγχείρησιν, quam Latini replicationẽ. Rhetores vocare interdum id videntur firma-
mentum, & continens, sicut Græci συνέχον, quòd ius actoris contineat, firmet, ac tueatur. ¶ *Ad-* 2
iuuandi actoris gratia.] Hoc est, vt sustineatur actio labefactata: quæ si per exceptionem omnino
b L. sub prætextu. C. de transact. perempta fuisset & funditus euersa, non nisi noua actione posset hic actor adiuuari [b]. ¶ *Veluti* 3
c L.3. C. de except. *cum.*] Aliud non dissimile proponitur exemplum in rescripto Imp. Antonini [c] his verbis: Aduer-
sus fratrem tuum quondam tutorem legitimum, tutelæ iudicio si expertus non es, proposita
actione consiste. nec timueris exceptionem pacti, si in eo fraudem dolumque admissum probare
potes. Nam replicatio doli opposita, bonæ fidei iudicium facit, & commentum fraudis repellit.

¶ *Cum pactum est aliquis.*] Nuda scilicet conuentione. Alioqui si hic fuisset acceptilatio, prima
obligatio prorsus esset sublata, nec posset deinde restitui, aut redintegrari. Nam posterius pactum
d L. si vnus. §. pactus ne peteret. de pact. ad actionem reparandã esset inefficax [d]. ¶ *Deinde postea.*] Quandocunq; scilicet: adeò, vt etiam
post 30. annos id pactum prosit. Neque enim tempus hic vllum præbet obstaculum. Nam & id
tollit & amolitur noua pacto de petendo. ¶ *Id est, vt creditori petere liceat.*] Hæc interpretatio
adiecta est, vt hic intelligeremus posterius pactum omnino respondere priori obligationi, cuius
impedimentum amolitur, non etiam quicquam ei adijcit. alioqui enim non valeret. Quanquam
e L. sed & si citerioris. de const. pecu. aliud sit in constituto [e]: cùm etiam ex eo agi possit. Nam ex eo oritur Prætoria obligatio, quæ
tametsi nihil nisi nuda conuentio sit, actionem tamen producit. ¶ *Replicatio ei dabitur.*] Paulus 4
f dic. § pactus ne peteret. ait; prius pactum per posterius elidi, non ipso iure, sed quia replicatio exceptionem elidat [f]. Sic
g L. pacta nouiss. C. de pact. enim posteriora semper pacta seruanda sunt [g]. ¶ *Rursus interdum.*] Vlpianus hunc locum breui-
h L.2. § pen. de except. us explicat, inquiens [h]: Contra replicationem solet dari duplicatio: & contra duplicationem tri- 5
plicatio: & contra triplicationem rursus quadruplicatio: & ita deinceps multiplicantur nomina,
dum aut reus aut actor obijcit. Sed sciendum est; moribus hodie nostris forensibus non posse pro- 6
gredi litigatores vltra duplicationem.

§. *Exceptiones autem.*

1 Hunc §. pertinere ad titulum de Exceptionibus.
2 Mora sua debitor si amiserit exceptionis subsidium, fideiussori quoque nocet.
3 Declinatoria exceptio quæ debitori competit, non datur & fideiussori.
4 Quid, si fideiussoris intersit, à reo non peti.
5 Fideiussorum hic appellatione qui accipiendi sint?
6 Fideiussor cur exceptione debitoris, etiam inuito ipso, possit vti?
7 Exceptione qui submoueri potest verè creditor nõ est.
8 Cum alio facta conuentio alij quomodo prosit?
9 Vbi nulla est fideiussori mandati actio, nulla rei exceptio ei prodesset.
10 Iniquũ est, fideiussorẽ conueniri, reo prorsus liberato.
11 Pactum in rem fideiussori omnino prodest.
12 Exceptiones personæ cohærentes quæ?
13 Fideiussor omnem fere vtilitatem exceptionum etiam personalium ad sese hodie trahere quomodo possit?

¶ *Exceptiones autem.*] Hæc coronis non tam pertinet ad hunc titulum, quàm ad superiorem 1
totum tractatum de exceptionibus. Idque frequenter fieri, in hisce Institutionibus alibi admo-
nuimus. ¶ *Quibus debitor defenditur.*] Aut saltem quibus sese defendere poterat, si non sponte
contrario pacto præsidium exceptionis sibi ademisset. Nam id fideiussori non oberit. Nec enim
i L. vlt. de pact. semel ei quæsitam exceptionem potest debitor suo pacto tollere, aut inuito extorquere [i]. Quan-
k L.3. §. pe. D. quod quisque iur. quam fortasse suo delicto [k] possit. Nam & si debitor sua mora, exceptionis subsidium amiserit, 2
l L. mora. de verb. oblig. damnum quoque est fideiussoris [l]. Quanquam sanè eam exceptionem, quam sibi suo facto pepe-
m dic. l. mora. rit fideiussor, nec ex persona debitoris habet, non perdat vllo vel pacto vel delicto debitoris [m].

¶ *Defenditur.*] Nempe aduersus id, quod ab eo petitur, ne id soluat aut faciat. Cæterùm si tan- 3
tùm exceptio pertineat ad declinandum iudicium: hæc fori præscriptio, quæ debitori competit,
n L. si rem. de iudic. l. creditor D. mand. non competet etiam fideiussori [n]. Adeò vt nec debitor quidem hic possit fideiussorem defendere,
o L. venditor. de indic. l.1. C. vbi in rem act. allegando illam suam exceptionem [o].

¶ *Plerunque accommodari solent etiam fideiussoribus.*] Contrà autem Paulus respondit [p]; fideius-
soris conuentionẽ nihil prodesse reo: sed addit rationem, quæ huic loco omnino respondet: Quia
p L. fideiussoris. de pact. nihil eius interest, à debitore pecuniam nõ peti. Sic & Vlpianus [a]: Si cum fideiussore compromisi,
a L. aduersus. de arbit. à quo arbiter peti vetuit, & à reo petam: nisi intersit fideiussoris, pœna nõ committetur. Vnde ap- 4
paret; vbi fideiussoris interesset, à reo non peti: competere reo pacti exceptionem: non secus atque
fideiussori

fideiussori competit, vbi debitoris interest. Certè à fideiussore exactum iusiurandum de ipsa re, e-
tiam reo prodesse Cassius & Iulianus responderunt. Id enim solutionis loco esse[a].
5 ¶ *Etiam fideiussoribus.*] Generaliter hic accipiendi sunt fideiussores: vt etiam contineantur
sponsores, & mandatores[b]: & quicunque alterius obligationi accedunt: non tamen ij, qui in de-
bitoris locum succednnt & substituuntur, veluti expromissores[c].
¶ *Quia quod ab iu petitur.*] Hæc ratio eò propriè pertinet, cur fideiussor Rei exceptione posit v-
6 ti Sed cur posit etiam inuito debitore: alia ratio quærenda est: Nempe, quòd magis expediat fi-
deiussori non soluere, quàm solutum reperere mandati iudicio[d]. Et æquius est, vt hic periclitetur
creditor, potius quàm fideiussor[e]: cùm nec hic verè creditor sit, qui potest exceptione submoueri[f].
7 Porrò ex ratione huius loci licet colligere, quod generaliter Paulus ait[g]: Cum alio factam conuē-
8 tionem alij prodesse, cùm per eum, cui exceptio datur, principaliter ei, qui pactus est, proficiat.
Vnde idem Paulus ait; debitoris cōuentionem fideiussoribus prodesse[h]. Et addit postea[i] rationem:
nempe propter rei personam, ne mandati postea conueniatur à fideiussore. Itaque vbi nulla esset
9 mandati actio; vt si quis fortè animo donandi fideiusserit: dicendum videtur; nullam rei exceptio-
nem prodesse fideiussori. Certè Vlpianus ait[k]; Veteres solitos dicere, pacti exceptionem fideiusso-
ri dandam, quæ reo competit. Cuius exemplo refert Iuliaoum scripsisse; Si quis reum habeat & fi-
deiussorem; legata reo liberatione, fideiussorem quoque liberare. ne alioqui alia ratione reus con-
ueniri posit à fideiussore. qui tamen si donationis causa interuenisset, nec aduersus reum habeat
regressum: non liberabitur, nisi alia fuerit legantis mens. Hæc Vlpianus. Quòd autem alibi ait[l]; v-
bi hoc actum est, vt duntaxat à reo non petatur, non vti fideiussorem exceptione: accipiendum
videtur, quando fideiussor visus est tali pacto & personali liberationi consensisse; iusque suum re-
10 misisse. Alioqui aut inutile pactum erit reo, si à fideiussore mandari iudicio posit conueniri; aut
ipse quoque debet liberari fideiussor: quem iniquum esset conueniri, reo prorsus liberato. Salrem
enim posset hoc iure à creditore agente exigere cesionem suæ actionis, quam si iam reo creditor
remiserit, iure poterit à fideiussore repelli[m], si minus ipsius pacti, saltem doli exceptione.
11 ¶ *De non petenda pecunia pactus quis cum reo.*] Obseruandum hic est; in rem esse pactum: quod o-
mnino fideiussori prodest[n]. Nam pactus quidem est cum reo creditor non petere: sed pactus non
est tantùm à reo non petere. Cæterùm si addita esset persona, veluti de non petenda pecunia à reo
siue debitore: non prodesset huius pacti exceptio fideiussori[o]. Cui tamen alia ratione succurten-
dum esse suprà diximus.
12 ¶ *Quædam exceptiones.*] Nempe eæ, quæ personæ cohærent[p]. Cohærent autem personæ,
quæ non respiciunt ipsam obligationem. Verùm non debet nos admodum hodie torquere
13 hoc discrimen. Nam fideiussor per exceptionem excusionis nouo illi iure tributam, potest
omnem ferè vtilitatem exceptionum etiam personalium ad sese trahere. Potest enim coge-
re creditorem, vt prius excutiat debirorem: à quo si exceptione repellatur, meritò poterit
& à fideiussore repelli. Deinde etiam posset fideiussor petere cedi sibi actionem: quam si non
habeat creditor, aut habeat inutilem, sua saltem culpa: non debet fideiussori esse molestus, sed
sibi imputare.

¶ *Ecce enim.*] Aptisimum est, quod subiicit, exemplum, vbi nulla ratione potest elabi fideiussor.

a L. duobus. § 1. de iurein.
b L. tam mandatori. C. de non nu. pecu.
c L. frustra. C. de non nu pec. l. qui Libertinos duos in fi. de oper. libe.
d L. si stipulatus. de fideiuss.
e L. fideiussori. de donat.
f L. creditor & l. creditores. de ver signif.
g L. fideiussoris. de pact.
h L. & heredi. §. vlt. de pact.
i L. quòd dict. illo tit.
k L. si quis reum. de liber. lega.
l L. nisi hoc actum. de pact.
m L. Stichum. §. pen. de solutio.
n L. exceptione. 2. §. 1. de except.
o L. nisi hoc actum. de pact.
p Dic. l. exceptiones. 2.

De interdictis, Titulus XV.



Equitur, vt dispiciamus de Interdictis, seu actionibus, quæ pro his exercentur. Erant autem interdicta formæ atque conceptiones verborum, quibus Prætor aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat. quod tunc maximè fiebat, cum de possessione, aut quasi possessione inter aliquos contendebatur.

Summa autem diuisio interdictorum hæc est, quòd aut prohibitoria sunt, aut restitutoria, aut exhibitoria. Prohibitoria sunt, quibus Prætor vetat aliquid fieri, veluti vim sine vitio possidenti, vel mortuum inferenti, quò ei ius erat inferendi: vel in sacro loco ædificari, vel in flumine publico ripáve eius aliquid fieri, quo peius nauigetur. Restitutoria sunt, quibus restitui aliquid iubet: veluti bonorum possessori possessionem eorum, quæ quis pro hærede, aut pro possessore possidet ex ea hæreditate: aut cùm iubet ei, qui vi de possessione deiectus sit, restitui possessionem. Exhibitoria sunt, per quæ iubet exhiberi: veluti eum, cuius de libertate agitur: aut libertum, cui patronus operas indicere velit: aut parenti liberos, qui in potestate eius sunt. Sunt tamen, qui putent, propriè interdicta ea vocari, quæ prohibitoria sunt, quia interdicere sit denuntiare & prohibere: restitutoria autem & exhibitoria, propriè Decreta vocari. Sed tamen obtinuit, omnia interdicta appellari, quia inter duos dicuntur.

Sequens diuisio interdictorum hæc est, quòd quędam adipiscendę possessionis causa compatata sunt, quædam retinendæ, quædam recuperandæ. Adipiscendæ possessionis causa interdictum adcommodatur bonorum possessori, quod appellatur QVORVM BONORVM: eiusque vis & potestas hæc est: vt quod ex iis bonis quisque, quorum possessio alicui data est, pro hærede, aut pro possessore possideat: id ei, cui bonorum possessio data est, restituere debeat. Pro hærede autem possidere videtur, qui putat se hæredem esse. Pro possessore is possidet, qui nullo iure rem hæreditariam, vel etiam totam hæreditatem, sciens ad se non pertinere, possidet. Ideo autem adipiscendæ possessionis vocatur interdictum: quia ei tantùm vtile est, qui nunc primùm conatur adipisci rei possessionem. Itaque si quis adeptus possessionem amiserit eam: hoc interdictum ei inutile est. Interdictum quoque, quod appellatur Saluianum, adipiscendæ possessionis causa comparatum est: eoque vtitur dominus fundi de rebus coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigisset. Retinendæ possessionis causa comparata sunt interdicta VTI POSSIDETIS, & VTRVBI: cùm ab vtraque parte de proprietate alicuius rei controuersia fit: & antè quæratur, vter ex litigatoribus possidere, & vter petere debeat. Nanque nisi antè exploratum fuerit, vtrius eorum possessio sit, non potest petitoria actio institui: quia & ciuilis, & naturalis ratio facit, vt alius possideat, & alius à possidente petat. Et quia longè commodius est & potius possidere, quàm petere: ideo plerunque & ferè semper ingens existit contentio de ipsa possessione. Commodum autem possidendi in eo est, quòd etiam si eius res non sit, qui possidet: si modò actor non potuerit suam esse probare: tamanet in suo loco possessio. propter quam causam cùm obscura sunt vtriusque iura: contra petitorem iudicari solet.

Sed interdicto quidem VTI POSSIDETIS, de fundi vel ædium possessione contenditur: VTRVBI verò interdicto, de rerum mobilium possessione. Quorum vis ac potestas plurimam inter se differentiam apud veteres habebat. Nam VTI POSSIDETIS interdicto is vincebat qui interdicti tempore possidebat: si modò nec vi, nec clàm, nec precariò nactus fuerat ab aduersario possessionem: etiam si alium vi expulerat, aut clàm arripuerat alienam possessionem, aut precariò rogauerat aliquem, vt possidere sibi liceret. VTRVBI verò interdicto is vincebat, qui maiore parte eius anni, nec vi, nec clàm, nec precariò ab aduersario possidebat. Hodie tamen aliter obseruatur. Nam vtriusque interdicti potestas (quantum ad possessionem pertinet) exæquata est: vti ille vincat, & in re soli, & in re mobili, qui possessionem nec vi, nec clàm, nec precariò ab aduersario litis contestatæ tempore detinet.

Possidere autem videtur quisque, non solùm si ipse possideat, sed & si eius nomine aliquis in possessione sit, licet is eius iuri subiectus non sit, qualis est colonus & inquilinus. Per eos quoque, apud quos deposuerit quis, aut quibus commodauerit, ipse possidere videtur. Et hoc est, quod dicitur, retinere possessionem posse aliquem per quemlibet, qui eius nomine sit in possessione. Quinetiam animo quoque solo retineri possessionem placet: id est, vt quamuis neque ipse sit in possessione, neque eius nomine alius: tamen si non relinquendæ possessionis animo, sed postea reuersurus, inde discesserit, retinere possessionem videatur. Adipisci verò possessionem per quos aliquis potest, secundo libro exposuimus. Nec vlla dubitatio est, quin animo solo adipisci possessionem nemo possit.

Recuperandæ possessionis causa solet interdici, si quis ex possessione fundi vel ædium vi deiectus fuerit. Nam ei proponitur interdictum VNDE VI, per quod is, qui deiecit, cogitur ei restituere possessionem: licet is ab eo, qui vi deiecit, vi vel clàm, vel precariò possideat. sed ex Constitutionibus sacris (vt suprà diximus) si quis rem per vim occupauerit, si quidem in bonis eius est, dominio eius priuatur. si aliena: post eius restitutionem, etiam æstimationem rei dare vim passo compellitur. Qui autem aliquem de possessione per vim deiecerit: tenetur Lege Iulia de vi priuata, aut de vi publica. sed de vi priuata, si sine armis vim fecerit. sin autem armis eum de possessione vi expulerit: de vi publica tenetur. Armorum autem appellatione non solùm scuta, & gladios, & galeas, sed & fustes, & lapides significari intelligimus.

Tertia diuisio interdictorum est, quòd aut simplicia sunt, aut duplicia. Simplicia sunt, veluti in quibus alter actor, alter reus est: qualia sunt omnia restitutoria, aut exhibitoria. Nam actor is est, qui desiderat aut exhiberi, aut restitui. reus autem is est, à quo desideratur, vt restituat, aut exhibeat. Prohibitoriorum autem interdictorum alia simplicia sunt:

plicia ſunt: alia duplicia. Simplicia ſunt, veluti cùm Prætor prohibet in loco ſacro, vel in flumine publico, ripáve eius aliquid fieri. Nam actor eſt, qui deſiderat, ne quid fiat: reus eſt, qui aliquid facere conatur. Duplicia ſunt, veluti VTI POSSIDETIS interdictum, & VTRVBI. ideo autem duplicia vocantur, quia par vtriuſque litigatoris in his conditio eſt: nec quiſquam præcipuè reus vel actor intelligitur: ſed vnuſquiſque tam rei quàm actoris partes ſuſtinet. De ordine & vetere exitu interdictorum ſuperuacuum eſt hodie dicere. Nam quoties extra ordinem ius dicitur, (qualia ſunt hodie omnia iudicia) non eſt neceſſe reddi interdictum: ſed perinde iudicatur ſine interdictis, ac ſi vtilis actio ex cauſa interdicti reddita fuiſſet.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Prætoris erat interdicere.*
2.3.4 *Interdictorum alia proprietatis, alia quaſi proprietatis, alia mixtam cauſſam habent poſſeſſionis & proprietatis.*

DE *interdictis ſeu actionibus, quæ pro his exercentur.*] Primus titulus libri quadrageſimitertij Pandectarum, inſcribitur, De interdictis, ſeu extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt.

¶ *Forma & conceptione verborum.*] De ordine veteri & forma iudiciorum ſub finem huius tituli aliquid dicemus. Sed formulas & conceptiones verborum, quarum hîc meminit Iuſtinianus, attingit & Cicero in Oratione pro Cæcinna.

¶ *Quibus Prætor.*] Propriè Prætoris erat interdicere. aliquando tamen ſignificat ex interdicto
1 petere, & ad ipſos litigatores pertinet. Vt apud Fabium libro tertio, capite octauo. Non debuiſti interdicere, ſed petere. ¶ *Maximè fiebat.*] Interdum autem & cùm alia de re contendebatur.
2 Nam quædam interdicta pertinent ad cauſam proprietatis[a]. Eius generis eſt interdictum de ar- *a L.2.§.quædam interdicta. de interd. l.*
boribus cædendis: item de aqua ducenda ex riuo, quò mihi ius eſt[b]. Quædam interdicta habent *1. de mor. infer.*
3 cauſam quaſi proprietatis: vt quæ dantur de liberis noſtris exhibendis. Quædam mixtam cauſam *b L.1 §. vlt. de aqua*
4 habent poſſeſsionis & proprietatis, vt interdictum De itinere actuque priuato: quo nempe ágitur *quot. & eſti.*
vt iter vel actum liceat reficere[c]. *c L.3 §. ait Prætor. de itin. actuq. pri.*

§. *Summa diuiſio.*

1 *Omnia omnino interdicta aut* prohibitoria *ſunt, aut* reſtitutoria, *aut* exhibitoria.
2.3 *Iuſtè & ſine vitio quis poſsideat?*
4 *Si quis miſſus in poſſeſsionem non admittatur, quod præter interdictum is habeat remedium?*
5 *Interdictis prohibitoriis de mortuo inferendo hodie nobis non eſt opus.*
6 *Quid, ſi quis in alienum locum intulerit?*
7 *In loco ſacro non ſolùm facere vetamur, ſed & factum reſtituere iubemur.*
8 *Interdictum, ne quid in loco publico fiat, merè prohibitorium eſt, non etiam reſtitutorium.*
9 *De cloacis & prohibitorium & reſtitutorium eſt.*
10 *De duobus Interdictis reſtitutoriis, Adipiſcendæ poſſeſsionis & recuperandæ.*
11 *Reſtitutorium propriè quod; & quid reſtituere? num. 12.*
13 *De interdicto libertatis tuendæ cauſſa propoſito.*
14 *Interdictum de liberis exhibendis; item de liberis ducendis.*
15 *Alciati emendatio hîc qualis?*

1 ¶ *Summa diuiſio.*] Quæ ſcilicet concludit omnia omnino interdicta, ſiue publica, ſiue priuata, ſiue cauſam poſſeſsionis contineant, ſiue proprietatis. videtur autem hæc generalis diuiſio ſumpta ex reſponſo Vlpiani[d], qui ait interdictorum tres eſſe ſpecies. Exhibitoria, prohibitoria, re- *d L.1. §. interdictorũ.*
ſtitutoria. Addit præterea quædam eſſe mixta, nempe quæ prohibitoria ſunt & exhibito- *de interdict.*
ria.

2 ¶ *Sine vitio poſsidenti.*] Hoc eſt, ei, qui nec vi, nec clàm, nec precariò poſsidet. Vt intelligas hîc agi de interdicto retinendæ poſſeſsionis, quo tuetur & propugnat Prætor iuſtam poſſeſsionem. Eſt aliud interdictum, quod quidem non ad poſſeſſorem, ſed ad eum, qui in poſſeſsionem miſſus
3 eſt (differt autem is à poſſeſſore[e]) pertinet. Iuſtè enim & ſine vitio poſsidet, qui autore Præto- *e L. ſi quis ante. §. ſed lõge. de acqu. poſſeſ.*
re poſsidet[f]. Et quia fruſtra erat in poſſeſsionem mittere, niſi & miſſos tueretur Prætor: ideo dixit[g], *SI QVIS DOLO MALO FECERIT, QVOMINVS QVIS PERMISSV MEO, EIVSVE, CVIVS* *f L. iuſta. de acq. poſſ.*
IVRISDICTIO DE EA RE FVERIT, IN POSSESSIONE BONORVM SIT: IN EVM IN FACTVM *g L.1. D. ne vis ei fiat qui in poſ. miſ. eſt.*
IVDICIVM, QVANTI EA RES ERIT, OB QVAM MISSVS ERIT IN POSSESSIONEM, DABO. Eſt autem interdictum generale. & pertinet ad omnes, qui in poſſeſsionem à Prætore miſsi ſunt: ſiue rei ſeruandæ cauſa, ſiue Legatorum, ſiue ventris, vel damni infecti nomine. Erat autem

id necessarium: quia interdictum *VTI POSSIDETIS*, propriè ad eos non pertinet[a]. Sanè si quis 4
missus in possessionem non admittatur: præter interdictum, habet aliud paratius remedium: vt
videlicet petat à Prætoribus, vt ipsi iure potestatis suæ exequantur decretum suum, etiam per
manum militarem, si opus sit[b]. Olim huius interdicti loco apud Athenienses erat ἐξούλης δίκη: de
qua paulò pòst plura dicemus.

¶ *Vel mortuum inferenti.*] Prætor ait; *QVO QVA'VE ILLI MORTVVM INFERRE, INVITO
TE, EI IVS EST: QVO MINVS ILLI EO EA'VE MORTVVM INFERRE, ET IBI SEPELIRE LI-
CEAT, VIM FIERI VETO.* Addit Vlpianus, palàm esse, hoc interdictum esse prohibitoriũ, quo
vtitur dominus proprietatis, cui liberum est locum suum illatione mortui religiosum facere, vel
sepelire in familiaribus suis loculis & domesticis sepulchris. Liberum autem ei est, qui prohibetur
mortuum inferre, aut statim interdicto vti, quo prohibetur ei vis fieri: aut aliò inferre, & postea
in factum agere: per quam actionem consequetur actor, quanti eius interfuit prohibitum non
esse[c]. Nos hodie his iudiciis opus non habemus, nisi fortè aduersus auaritiam sacerdotum, qui 5
prohibent nisi pecuniam certam pendas, mortuum sepeliri in publico & sacro loco, qui destina-
tus erat communibus omnium sepulturarum vsibus. Porrò extat & aliud Prætoris interdictum
prohibitorium, *NE VIS FIAT AEDIFICANTI SEPVLCHRVM, QVO ILLI IVS EST MORTVVM
INFERRE.*

¶ *Quo ei ius erat inferendi.*] Quòd si quis in alienum locum intulerit: aut id tollere, quod intu- 6
lit, aut loci precium præstare cogetur per actionem in factum[d].

¶ *Vel in loco sacro ædificari.*] Prætor ait[e]: *IN LOCO SACRO FACERE, IN'VE EVM IMMITTE-
RE QVID, VETO.* Et est id quoque prohibitorium. Quòd si quis iam fecerit, vel immiserit, hoc
interdictũ erit restitutorium: vt quod temerè factũ est, auferatur. Sic enim scribit Vlpianus[f]: Lo- 7
corum sacrorum diuersa est causa: in loco enim sacro, non solùm facere vetamur, sed & factum re-
stituere iubemur. hoc propter religionem. Cæterùm interdictum, ne quid in loco publico fiat, 8
merè prohibitorium est, non autem restitutorium. Vnde si quis nemine probibente in publico
ædificauerit, non cogetur tollere: saltem si non obstat publico vsui. Sed ei imponetur solarium, si-
ue vectigal, quod pro solo penditur.

¶ *Vel in flumine publico ripàve.*] Ait Prætor[g]: *NE QVID IN FLVMINE PVBLICO, RIPA'VE EIVS
FACIAS: NE QVID IN FLVMINE PVBLICO, NE'VE IN RIPA EIVS IMMITTAS, QVO STATIO
ITE'RVE NAVIGIO DETERIVS SIT, FIAT.* Deinde: *QVOD IN FLVMINE PVBLICO, RIPA'VE
EIVS FIAT, SIVE QVID IN ID FLVMEN, RIPA'MVE EIVS FACTVM, VEL IMMISSVM HA-
BEAS, QVO STATIO ITE'RVE NAVIGIO DETERIVS SIT, FIAT, RESTITVAS.* Superius interdi-
ctum (inquit Vlpianus) prohibitorium est, hoc restitutorium. Extant & interdicta prohibito-
ria de riuis & fonte. De cloacis autem, & prohibitorium & restitutorium est[h]. 9

¶ *Restitutoria sunt.*] Proponuntur hic duo interdicta restitutoria: quorum prius postea dici-
tur esse Adipiscendæ possessionis: Alterum Recuperandæ. Illud hìc admonendi sumus, ne quis 10
miretur idem interdictum restitutorium esse, & Adipiscendæ possessionis: propriè restitutorium 11
esse, quod attinet ad personam rei restituentis. Sed & hìc potest actor petere possessionem sibi re-
stitui: vt verbum restituendi simpliciter ac generaliter accipiamus pro verbo dandi, sicut & ple- 12
runque verbum reddendi accipitur[i].

¶ *Veluti enim, de cuius libertate agitur.*] Ait Prætor; *QVEM LIBERVM HOMINEM DOLO MA-
LO RETINES EXHIBEAS.* Et hoc interdictum, ait Vlpianus[k], proponitur tuendæ libertatis cau- 13
sa, videlicet ne liberi homines retineantur à quoquam: & omnibus competit. Nemo enim pro-
hibendus est libertati fauere[l]. Fuisse autem hoc generale interdictum necessarium, eleganter ex-
plicat Caius[m], his verbis; Si liber homo detineri ab aliquo dicatur, interdictum aduersus eum, qui
detinere dicitur, de exhibendo eo, potest quis habere. Nam ad exhibendum actio, in eam rem vi-
detur inutilis: quia hæc actio ei creditur competere, cuius peculiariter interest.

¶ *De cuius libertate agitur.*] Hoc est, de quo in pristinam libertatem asserendo, agitur: Si qui-
dem certò constet eum liberum esse. Tum demum enim hoc interdictum locum habet. Cæterùm
si quæratur de eius statu: non oportet præiudicium fieri alienæ cognitioni, inquit Vlpia-
nus[n].

¶ *Aut libertum.*] Hìc adiicit Iustinianus alterum exemplum eiusdem interdicti de libero
homine exhibendo: vt declaret duplicem illius vsum: quia primùm proponitur in vniuersum ad
tuendam libertatem: & specialiter ei, cuius peculiariter interest. datur. Veluti si quis meum liber-
tum, tanquam seruum detineat, & ego petam eum exhiberi, ne faciam iacturam operarum, quas
ille mihi præstare debet. Atque hìc, si agere velit patronus, præferetur alteri extraneo. Cùm enim
plures sunt, qui experiri volunt hoc interdicto, is eligitur ad quem res maximè pertinet[o]. Id
quod etiam traditum est & de iudiciis popularibus.

¶ *Aut parenti liberos.*] Hìc propriè Iustinianus significat interdictum de liberis exhibendis.
Aliud autem est interdictum de liberis deducendis: quod ex iisdem causis competit[p]. Porrò inter- 14
dictum de liberis exhibendis, vehementius est quàm superius illud de libero homine exhiben-
do: quia Prætor hìc non admittit causam, cur apud eum sit is, qui exhiberi debet[q], quemadmo-
dum in superiori: sed omnino restituendum putauit, si in potestate est: nisi quòd hìc mater ali-
quando excipere possit: apud quam ex iusta causa potius, quàm apud patrem morari debet fi-
lius.

a L.3.§.creditores.D. uti possid.
b L.si quis missus.D. ne vis fi.ei. &c.
c L.liberum. de relig. & sumpt.fu.
d L.si quis intulit. de relig. & sumpt.fu.
e L.1.D.ne quid in loco sacro
f L.2 §.locorũ.D ne quid in loc.vel iter.pu.
g L.1.de fluminibus.
h L.1.de cloac.
i L.verbum reddẽdi. de ver sig.l.cũ quidã. de lega.2.
k L.1.de libe. hom. exhib.
l L.3.§.hoc interdictum.D. illo tit.
m L.si liber homo. D. ad exhib.
n L.3.§.si qui nescit. de lib.hom exhib.
o Dict.l.3.§.si tamen plures.
p L.3.§.1.de lib. hom. exhi vel deduc.
q L 1.§.in hoc.de libe. hom.exh.

lius. Sed & si quis filiam suam, quæ mihi nupta sit, velit abducere, vel exhiberi sibi desideret: respondit Vlpianus, exceptionem dandam: ne bene concordantia matrimonia iure patriæ potestatis turbentur. Et addit Venuleius[a]; Imò magis de vxore exhibenda ac deducenda. Pater etiam, qui filiam in potestate habeat, à marito rectè conuenitur. Idque apertè continetur rescripto Impp. Diocletiani & Maximiani[b].

a L. 2. D. illo tit.

b L. si inuita. C. de nupt.

¶ *Liberos.*] Quos scilicet inuitos alius detinet: aduersus quem hoc interdicto agitur. Sed si filius sua sponte apud aliquem est: inutile hoc interdictum erit[c]. & aduersus ipsum filium cessat, si is fortè neget se esse in potestate. Verùm hic succedere poterit notio Prætoris, apud quem disceptabitur, vtrùm quis sit in potestate, an non[d]. Si tamen hæc controuersia inter parentes & liberos inciderit occasione bonorum, de quibus principaliter quæritur: locus erit huic interdicto[e].

c L. vlt. de lib. exhib.

d L. 3. §. hoc autem interdictum compeci. de lib. exhib.

e L. pen D. illo tit. L. 1. C. eo tit.

15 ¶ *Quia inter duos dicuntur.*] Ita etiam hunc locum legisse videtur Theophilus. Alciatus tamen aliter legit, & pro his verbis, INTER DVOS substituit, INTERIM. Et testatur in quibusdam veteribus exéplaribus ita legi. Nec sanè videtur omnino repudianda hęc lectio. Reuera enim hic edicitur interim dum pleniori iudicio de iure proprietatis quęreretur. Sic dicitur interlocurio, sententia Iudicis lata interim dum adhuc quæritur de principali controuersia[f]. Verùm hæc lectio propriè tantùm pertineret, ad sequentia interdicta de possessionibus, quæ litem principalem non finiunt.

f L. post sententiam. C. de sent. & interlo.

§. Sequens.

1 De priuatis hic agi interdictis in quibus de possessione quæritur.

2 Quod bonorum possessori tributum est, communicatur & hæredi.

3 Apud Athenienses quoque olim vt non licuerit bonorum possessionem, quam scriptus hæres peteret, remorari.

4 De interdicto, quorum bonorum.

5 De interdicto, quod legatorum.

6 Interdictum quorum bonorum, quatenus ad vniuersitatem pertinere dicatur?

7 Hoc corporum solummodo possessores teneri.

8 Hæreditatis petitio earum quoque rerum nomine competit, quas defunctus simpliciter detinebat.

9 Aduersus alium possessorem, quàm qui pro hærede aut pro possessore possideat, specialis in rem actio datur.

10 Interdictum quorum bonorum & petitio hæreditatis quid differant? idq; declaratum exemplis, num. 11 12.

13 Debitores hæreditarij cur petitorio non autem possessorio iudicio conueniendi sint?

14.16 Pro hærede possidere quis dicatur?

15 An is, qui scit se hæredem non esse, pro hærede possideat?

17 Vsucapio pro hærede vbi locum habeat?

18.19 Pro possessore quis possideat?

20 Hic titulus pro possessore quomodo omnib. titulis adhæreat?

21 Possessio rei non censetur continuari, vel ipso iure transmitti in hæredes, fallit num. 22.

23 De interdicto Saluiano; & huic affini Seruiano. num. 24. 26.

25 Exceptio dominij an recipiatur in iudiciis possessoriis?

27.28 Saluiano vtitur dominus aduersus colonum directò, aduersus alium possessorem vtili.

29 Non minus iuris habet tacita hypotheca rerum inquilini, quàm expressa coloni.

30 Rerum rusticarum à colono inductarum, an tacita aliqua sit pro mercedibus hypotheca?

31 Mercedibus solutis competit interdictum de migrando.

¶ *Sequens diuisio interdictorum hæc est.*] Eorum scilicet priuatorum, in quibus de possessione quæritur. Nam de iis tantùm hic parat dicere Iustinianus: & ad ea pertinet hæc diuisio. Paulus[g], ex
1 cuius responso hæc diuisio sumpta est, satis significat, se agere de priuatis interdictis: quæ dicit spectare ad rem familiarem.

g L. 2. §. hæc autem. de interd.

¶ *Accommodatur bonorum possessori.*] Atque etiam hæredi[h], si minus directum, saltem vtile: Vt
2 quod bonorum possessori tributum est, communicemus hæredi Iure Ciuili succedenti, cuius non inferior est causa. Sicuti petitionem hæreditatis, quæ est petitorij iudicij, communicamus bonorum possessori, cui datur possessoria hæreditatis petitio. Sanè si quis ex testamento hæres sit: poterit quoque hoc interdicto vti, agnita bonorum possessione secundum tabulas. Est aliud affine remedium ex noua Iustiniani Constitut.[i] qua scriptus hæres, qui ostendit integrum testamentum, quo nititur, statim in bonorum possessionem mitti iubetur. Quòd si eorum possessor refragetur: causa possessionis obiter cognita, iudicatur secundum eum, cuius iustior est possidendi causa. Alia autem exceptione aut contestatione non licet remorari possessionem scripti hæredis,
3 tametsi etiam testamentum falsum esse dicatur[k]. Sanè nec olim apud Athenienses temerè licuisse, bonorum possessionem, quam scriptus hęres peteret, vlla contestatione remorari, aut litem mouere, satis indicat Isæus Orator, qui περὶ φιλοκτήμονος κλήρου, ita ait, καίτοι εἰ μὲν διέθετο Φιλοκτήμων, μὴ ἐξὸν αὐτῷ, οὔτ' αὐτὸ ἐχρῆν διαμαρτυρεῖν, ὡς οὐ κύριος ἦν τοῦ ποιήσασθαι, εἰ δ' ἐξῆν μὲν διαθέσθαι, ἀμφισβητεῖ δὲ ὡς οὐ διέθετο, οὐδὲ διαθεμένου μὴ διαμαρτυρία κωλύειν, ἀλλ' εὐθυδικίᾳ εἰσιέναι. Quem locum ita interpretatur Budæus; Atqui si Philoctemon testatus est, cùm testamenti factionem non haberet: hoc

h L. 1. C. quorũ bono.

i L. vlt. C. de edict. diui Adr. tol.

k L. 2. C. de edict. diui Adr. tol.

contractu. Verùm ne quid huic tacitæ regulæ obijceretur, occurrit per antipophoram, proponitque quandam eius exceptionem. ¶ *Ex contractu actio.*] Hoc est, actio nata occasione contractus: vt si testator dolo ad contrahendum, aliquem pellexerit, nihil tale parantem aut meditantem: hic quidem nulla est actio ex contractu, quia is nullus est, cui dolus causam dedit [a]. sed occasione eius-
modi contractus competit actio de dolo: quæ in hæredem non datur, nisi quatenus ad eum perue- 16
nerit ex dolo defuncti [b]. Negare tamen non possum, etiam hunc contractum ratum manere, si ita velit is, qui circunscriptus est: & tum agere posse ex contractu, vt damnum sarciatur [c]. Ac fortasis tum quoque aduersus hæredes aget, qui omnino teneri solent actionibus ex contractu, licet delictum quoque versetur [d]. Vellem itaque vt nobis hunc locum apertius exposuisset Iustinianus, manifestiusque exolicuisset, de quo tandem testatoris dolo sentiret. Certè hic Theophilus dum te-
merè exemplum accommodat ad depositum, manifestè lapsus est. Constat enim depositi actio- 17
nem in solidum dari aduersus hæredes proprer dolum defuncti [e]. ¶ *Ex eo dolo.*] Defuncti. Cæterùm ex suo dolo hæres proculdubio in solidum conueniri [f] potest.

¶ *Pœnales autem.*] Regula est à Paulo [g] tradita: Pœnalia iudicia semel accepta, in hæredes 18
transmitti. Vlpianus [h] quoque, Omnes (inquit) pœnales actiones, post litem inchoatam, etiam ad hæredes transeunt. Generalius autem Caius [i], Omnes (ait) actiones, quæ morte & tempore pereunt, semel inclusæ iudicio, saluæ permanent. Imperatores verò Diocletianus & Maximianus hanc regulam cum superiori coniunxerunt, & vtranque eodem responso tradiderunt, his verbis [k]; Post litis contestationem, eo, qui vim fecit, vel concusionem intulit, vel aliquid deliquit, defuncto, successores eius in solidum; alioqui in quantum ad eos peruenit; conueniri, iuris absolutissimi est, ne alieno scelere ditentur. Sed nec prætereundum est Pauli responsum [l], quod in Pandectis Florentinis legitur hunc in modum; Constitutionibus, quibus ostenditur, hæredes pœna non teneri, placuit, si viuus conuentus fuerat, etiam pœnæ persecutionem transmissam videri, quasi lite contestata eo mortuo. Significantque hæc postrema verba simpliciter reum principalem mortuum post litem contestatam.

¶ *Hæredibus dantur.*] Non modò, vt possint peragere cœptam & contestatam litem: sed & eius 19
instantia perempta, rursus eandem actionem quasi perpetuatam mouere [m].

¶ *Superest.*] Hæc coronis non tam pertinet ad hunc titulum, quàm ad protheoriam sequentis tituli de Exceptionibus: vt sciamus, quodnam sit iudicis officium, vbi nullis exceptionibus v- 20
titur reus.

¶ *Is cum quo actum est.*] Lite scilicet iam contestata. alioqui hic reus non motaretur absolutionem iudicis, cùm nec iudicium subire cogatur [n], si statim paratus sit satisfacere. Quo etiam casu aliquando diximus, eum nullos sumptus præstare debere actori, si modò is inhumanius statim litem mouerit, nec ante iudicium reum admonuerit.

¶ *Satisfaciat actori.*] Quòd si solùm confiteatur, nec tamen satisfaciat: officio iudicis conuenit, non tam eum condemnare, quàm ad satisfactionem compellere. Solemus enim dicere; Confes-
sum in iudicio haberi pro iudicato [o]: quia dubium non sit, statim secuturam iudicis condemna- 21
tionem, quæ confessionis necessaria accessio est: & quam requirimus non tam ad cōdemnandum reum, qui se suo ore condemnauit, quàm ad ordinem iudiciorum, formamque. Quia tamen in sententia ferunda nulla est difficultas; dicimus post cōfessionem nihil aliud superesse, quàm vt iubeatur reus, id quòd confessus est, dare faceréve [p]. Sic dixit Vlpianus [a]; Post rem iudicatam vel con-
fessionem in iure factam, nihil amplius quæri. Itaque iudicis partes esse videntur, vt, si opus sit, æ- 22
stimet rem, quam reum dare iubeat [b].

¶ *Absoluere.*] In vniuersum scilicet; vt non modò Iudex absoluat reum ab instantia, sed etiam 23
ab actione & actoris iure. ¶ *Omnia iudicia esse absolutoria.*] Alciatus lib. 7. Paret. cap. 12. admonet
hoc vulgò dictum fuisse prouerbialiter, eoque posse trahi, vt significemus; pœnitenti esse parcen- 24
dum, etiam si res non sit omnino integra.

a L. & eleganter. de dol. ma. l. 3. §. vlti. D. pro socio.
b L. si plures. §. 1. l. in hæredem. de dolo.
c L. Iulianus. §. si venditor dolo. de act. empt. l. si dolo. C. de rescind. vend.
d L. ex contractibus. de act. & oblig.
e L. si hominem. §. datur. D. deposi. l. ex depositi. l. ex contractib. de act. & oblig.
f L. toties in hæredē. de regu iur. §. sequens illa diuisio. sup. de act.
g L. pœnalia. de regu. iur.
h L. omnes pœnales. de act. & oblig.
i L. omnes actiones. D. reg. iur.
k L. vna. C. ex delict. defun. hær. in quam. conueni.
l L. constitutionib. de act. & oblig.
m L. vl. C. de præscri. xxx. vel xl. ann.
n L. si reus paratus. de procura.
o L. 1. de confessis.
p L. 1. C. de confess.
a L. post rē. de re iud.
b L. proinde. §. fin. D. ad leg. Aquil.

IN SEQVENTEM TITVLVM

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

1 *Omnis controuersia constat ex Actoris intentione & rei depulsione.*
2 *Conflictu actoris & rei exprimitur causa veritas.*
3 *Athenienses olim non modò pares, sed plures reo clepsydras infundebant.*
4 *Ecquis innocens esse poterit, si accusare sufficiat?*
5 *Causa μονομερὴς quæ?*
6 *Exceptiones olim à Prætore solebant impetrari.*
7 *Purū iudicium quod? & sub conditione quod? nu. 8.*
9 *In iudicijs bonæ fidei, satis erat addi à Prætore,* Ex fide bona,
10 *Exceptionem esse conditionē, quomodo intelligendū?*
11 *Generale hîc esse exceptionis nomen. & nu. 16.*
12. 13. 14. 15 *Præscriptiones et Rhetorū trāslationes q̄?*
17 *Præiudicium species quædam est generalis exceptionis; est duplex. num. 18. & 19.*

*Radunt Rhetores, omnem controuersiam constare ex Actoris intentione, & Rei de-* 5
pulsione. Hincq; oriri totius causæ statum, hoc est, illud quod vocant, τὸ κρινόμενον. *Huius naturalis ordinis memor Iustinianus, postea quàm Actoris intentionem instruxit, transit ad ipsius Rei partes, quem etiā instruit, qua sese ratione tueri possit, & excipere propulsa-*

2 *propulsareq́, impetus aduersarij. Cuiusmodi colluctatione & conflictu exprimitur causæ veritas: de*
qua nemo rectè iudicare potest, nisi vtraque parte audita. Ac proinde olim Athenienses non modò
3 *pares, sed plures reo clepsydras infundebant. Narrat Ammianus Marcellinus; olim Cephidium, cùm*
apud Iulianum Imperatorem accusâsset quendam Numerium, vt furem, nec posset inficiantem con-
4 *uincere, exclamasse; Ecquis ô Cæsar nocens esse poterit, si negare sufficiat? Sed dignũ à Principe re-*
sponsum retulisse; Ecquis ô Cephidi, innocens esse poterit, si accusare sufficiat? Sic & hoc loco licet di-
cere; Ecquis tandẽ securus in Rep. esse poterit, si satis sit agere vel petere, nec liceat excipere. Porrò
5 *autem sciendum est, quasdam esse causas, quas noster Vlpianus* [a] *Græcos Rhetores secutus appellat* a L. si duo. §. idem Iu-
μονομερῆ, *quæ scilicet constant ex altera tantùm & sola parte actoris; quòd aduersus eum nihil habet* lianus. de iureiur.
reus, quod excipiat. Cuius exemplum addit Vlpianus: Qui iurauit se furtum non fecisse, aduersus
actionẽ furti & condictionem tutus est: nisi, inquit, conueniatur tanquam furis hæres: Quo casu ait
actionẽ esse μονομερῆ, *quæ videlicet ex parte rei nullã habeat exceptionem: quia huc nõ pertinet vis il-*
lius iurisiurandi. Cæterùm vbi aduersus actionem locus est exceptionis, eã appellamus διμερῆ ἀγωγὴν,
6 *quasi dicas bimembrẽ: et eadẽ ratione* τριμερῆ, *quæ habet replicationẽ. Sed vt magis intelligamus, quo-*
modo Romani vsi olim sint exceptionibus; sciendum est; eas quoq́, impetrari solitas à Prætore, qui iu
dicium dabat, & reo postulante in formulam iudicij additas. Ac si quidem iudicium esset stricti iuris,
nominatim & disertis verbis erant adijciendæ; quia iudex datus alioqui de ijs non cognosceret, si iu-
7 *dicium purum datum esset, & non sub conditione. Purum iudicium erat, cùm ita iudicium à Præto-*
re dabatur, SI PARET TITIVM SEMPRONIO EX CAVSA MVTVI CENTVM
DARE OPORTERE, CAIVS IVDEX CONDEMNATO. *Sub cõditione verò; cùm reus*
8 *apud Prætorem in accipiendo iuditio non inficiabatur data esse mutuo centum, sed exceptionẽ pacti*
conuenti, vt non peterentur, allegabat, & eo postulante Prætor ita iudiciũ dabat; SI PARET TI-
TIVM SEMPRONIO EX CAVSA MVTVI CENTVM DARE OPORTERE, CA-
IVS IVDEX CONDEMNATO, SI NON PACTVM CONVENTVM FVERIT,
NE EA PECVNIA MVTVA PETERETVR. *Cicero lib. 2. de Inuent. Postulat (inquit) is,*
cum quo agitur, à Prætore exceptionem. Hic reus, cùm actor iudicium purum postularet, contende-
9 *bat exceptionẽ addi oportere. Cæterùm in iudicijs bonæ fidei, vt de exceptionibus cognosceret iudex,*
satis esse illud à Prætore addi, EX FIDE BONA, *suprà quoque diximus. Hîc ergo verum est,*
quod Vlpianus in actione ad exhibendum respondit [b]*; iudicem de exceptionibus disceptare debere, &* b L. 3. §. ibidẽ. ad ex-
eas æstimare, veluti pacti conuenti, doli mali, iurisiurandi, rei iudicatæ. Ex his autem iam satis intel- hib.
10 *ligimus, cur, quod vulgò non intelligitur, Paulus* [c] *dixerit, exceptionem esse conditionem; quia nem-* c L. exceptio est. de
pe sub conditione concipiebatur. Qua ratione & fideicommissum conditionale et addictionem in diem except.
11 *Cæsares etiam appellant conditionem* [d]*. Postremò admonẽdi sumus, generale esse exceptionis nomen,* d L. 1. C. de pact. l. 1. C. de vendit. rer. simul.
12 *& conuenire cuilibet defensioni aut depulsioni actionis* [e]*. Præscriptionem verò propriè eam tantùm* e L. antepen. C. de
dicipiunt, quæ directò intentioni actoris non aduersatur, nec eam prorsus negat: sed contendit, ne excep.
13 *admittatur eo, quo agitur modo. Eiusmodi esse videntur Rhetorũ translationes, quibus veteres scri-*
bunt actionem tantùm transferri, non autem perimi. Et qui ijs non vtebatur, sed recta via pedem cũ
actore conferebat, actionemque ipsam plena recusatione propulsabat: propriè apud Græcos dicebatur
14 [illegible] *[causæ firmamentis veluti signis collatis confligere, & rectà caput petere.] Præscriptiones*
autem appellantur, quia non minus præscriptis verbis et formulis, quàm actiones concipiendæ erant,
& impetrandæ ab ipso Prætore, cuius erat iudicia constituere. Vnde fiebat, vt in iudicijs Romanis ita
semel constitutis, rarò inciderent translationes: quia de ijs apud Prætorem disceptabatur ante consti-
15 *tutionem iudicij. Quod indicat autor Rhetoricorum ad Herennium libro secundo. Ergo præscriptio*
siue translatio esse videtur dilatoria quædam exceptio: & est species exceptionis, si generaliter exce-
16 *ptionem accipias, sicuti fit in hoc titulo. Alioqui exceptio propriè ea dicitur, quæ peremptoria est. quò*
pertinet quod scribit Vlpianus [f]*; Exceptionem dictam quasi quandam exclusionem: quæ interponi-* f L. 2. de except.
tur ad excludendum id, quod in intentionem deductum est. Idq́ue conuenit titulo Pandectarum, qui
inscribitur; De exceptionibus, seu præscriptionibus, & præiudicijs. Quòd autem attinet ad præiudi-
17 *cia, sciendum est, quod scribit Fabius lib. 5. ca. 2. Præiudicium esse defensionem, ex sententia prius di-*
cta, vel in futurum danda. Est itaq́, præiudicium species quædam generalis exceptionis. Idq́ue dupli-
18 *cis est generis. Prioris est, cùm obijcimus rem iudicatam. Quæ exceptio tum demum firma est, cùm*
proponitur iudicatum in ea ipsa causa, de qua rursus agitur. Nam præiudicatum in alia pari vel si-
mili causa (quod exemplum vocat Fabius) non obesset. quia exemplis iudicandum non est [g]*. Alterius* g L. nemo. C. de sent.
19 *generis præiudicium est, ex quo & præiudiciales actiones propriè dici alio loco admonuimus, cùm ob-* & interloc.
ijcimus rem prius iudicandam. Vt si petentem hæreditatem patris, negem esse filium.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Actio summo iure ciuili Exceptio sola æquitate iuris Prætorij nititur.
2.3 De exceptionib. Doli & Metus; & quid vna ab altera differat; num. 6.7.8.9
4 Exceptio erroris declaratur.
5 Quid, si promissor tantum in materia rei promissæ erraril?

1 E*Orum gratia, cum quibus agitur.*] Hoc est, reorum. Sic enim ipse Vlpianus hæc verba interpreta-
tur [a]. Nec refert, agatúrne cum principalibus reis debendi, an verò cum eorum fideiussoribus. *a L. 3. de in rem.*
Porrò actorú defendendorú gratia aduersus exceptiones proditæ sunt replicationes, de quib. titu-
lo sequenti agemus. ¶ *Iusta sit.*] Et efficax, vt paulò pòst addit Iustin. quòd scilicet nitatur solo iure
Ciuili. Cæterú exceptioni, aduersus quá locus est replicationi, tantum tribuere nó videtur Iustinia
nus. Non enim ait eam esse iustam: sed tátùm prima facie iustam videri [b]. Nempe quòd actio nita- *b §. 1. infr. de replic.*
tur summo Iure Ciuili: Sed exceptio sola æquitate Iuris Prætorii: quæ nulla esse potest, si iusta obsit *c L. qui æquitate. de*
replicatio. ¶ *Dolo.*] Ipsius videlicet Titii actoris. quanquam non referat à quo metus inferatur. *doli except.*
nam & si ab alio, quàm actore: nihilominus competit exceptio, vt paulò post latius dicemus.
2 ¶ *Inductus.*] Hîc obseruandum est agi de contractu stricti iuris, hoc est, stipulatione. quam nul-
lus dolus ita vitiare potest, quin summo Iure Ciuili subsistat; quamuis aliud esse videatur in con-
tractibus bonæ fidei [d]. Ergo de stipulatione Diocletianus & Maximianus rescripserunt in hæc ver *d L. & eleganter. in*
3 ba [e]; Dolo vel metu adhibito, actio quidem nascitur, si subdita stipulatio sit: per doli tamé vel me- *prin. de dolo. l. 3. §. vl.*
tus exceptionem petitio submoueri debet. & Vlpianus de stipulatione loquens, Si quis (inquit [f]) *D pro soc.*
cùm aliter conuenisset eum obligari, aliter per machinationem obligatus est: erit quidem subti- *e L. dolo. C. de inutil.*
litate iuris obstrictus: sed doli exceptione vti potest. Ei enim, qui per dolum obligatus est, compe- *stip.*
tit exceptio. Idem est & si nullus dolus intercesserit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habet. Cùm *f L. si quis cum aliter.*
enim quis petat ex ea stipulatione, hoc ipso dolo facit, quod petit. ¶ *Errore lapsus.*] Hoc est, aliqua *de verb. oblig.*
4 imprudentia. Exempla proponit Vlpianus [g] his verbis; Iulianus ait; Si pecuniam, quam me tibi
debere existimabam, iussu tuo spoponderim, cui donare volebas: exceptione doli mali potero me *g L. Iulianus ait. de*
tueri. Idem Iulianus ait; Si ei, quem creditorem tuum esse putabas, iussu tuo pecuniam, quam mé *doli excep.*
tibi debere existimabam, promisero: petentem doli mali exceptione summoueri debere, &c. Cæ-
terùm si promissor tantùm erraret in materia rei promissæ; nihilominus rata & firma esset stipu-
5 latio, cui non nocet error in materia siue qualitate substantiali, modò in corpore consensum
sit [h]: quanquam aliud fit in contractibus bonæ fidei [i]. ¶ *Quod metus causa.*] Metus causa exce- *h L. si id quod aurum. de verb oblig.*
6 ptionem Cassius non proposuerat, contentus doli exceptione, quæ est generalis: sed scribit Vlpia- *i L. si sterilis. §. quanto. de act. empt.*
nus [k], vtilius visum esse, etiam de metu opponere exceptionem. Etenim, ait, distat aliquid à doli
exceptione quod exceptio doli personá complectitur eius. qui dolo fecit. Enimuero metus causa *k L. apud Celsum. §. metus causa. de doli*
exceptio in rem scripta est, & si in ea re nihil metus causa factum est: vt non inspiciamus, an is, qui *mal. & met except.*
agit, metus causa fecerit aliquid: sed an omnino metus causa factum est in hac re à quocúque: non
tantùm ab eo, qui agit. Et quamuis de dolo autoris exceptio doli non obijciatur: hoc tamen iure
vtimur, vt de metu non tantùm ab autore, verùm à quocunq; adhibito, exceptio obijci possit. Ha-
7 ctenus Vlpianus. Porrò autem, vt huius exceptionis æquitas magis appareat; Sciendum est, inter *l L. 1. de rest in integ.*
causas, quarum nomine singulis subuenit Prætor, primo loco relatum esse metum [l]. Nempe quòd *m L. item §. si cũ exceptione & §. aliquando. de eo quod met. cau.*
nulli prodesse debeat, non iure terruisse: nec mihi meus iustus metus obesse [m]. Sanè olim Agesilaus
Rex, obijcienti turpis alicuius rei promissionem, quam metu fecerat: respondit; Dixi, non promi-
si: quasi nihili habendum sit verbum metu extortum; nec rata sit promissio, quam quis ab inuito
expresserit. ¶ *Aut doli mali.*] Exceptionis doli, duæ potissimùm esse videntur species. Prior est, quę
principaliter ex ipso contractu datur: veluti quia dolo me induxeris, vt promitterem. Hæcque con
demnato inurit infamiam. & quia odiosior est. si quis debitor ea tutus exceptione, vltro soluat, nó *n L. qui exceptioné. de condic. inde.*
8 repetit [n]. Altera est, quæ non ab initio nascitur ex ipso contractu, sed magis ex quodam facto po-
stea subsecuto: veluti si pactus non petere ante Calendas, nihilominus ante eum dié petas. Et hæc *o L. 3. §. ité quæritur. de doli except.*
quidem exceptio cõuenit cum exceptionibus in factum: nec vllam iuris [o] cõtinet infamiam: est-
que fauorabilior: vt si quis cùm ea tutus esset, per errorem vltro soluerit, possit condicere [p]. Super- *p L. si non sortem. §. indebitũ. de cõd. inde.*
est vt hic obiter annotemus, quod Vlpianus in hac doli exceptione adnotandum putat [a]. Primùm *a L. 2. de dol. mal. & met except.*
exceptionem doli, quod attinet ad personam actoris, esse personalem: nec posse contra alium op-
9 poni, quàm eum, qui dolum commisit, vel eius hæredem, cui alioqui dolus alterius esset lucrosus. *b L. si cum heres. de*
cùm tamen magis debeat obesse dolus autoris [b]. Quòd verò attinet ad personam rei excipientis, *diuers. & tempora.*
hæc exceptio in rem est. Nam quilibet reus, etiamsi ipse dolum passus non sit, ea vtitur aduersus a- *præscrip. l. si rẽ legatam. de except.*
ctorem, qui dolum commisit. quamuis enim aduersus alium commiserit, satis est tamen eum com
misisse, eumque agere de ea re, in qua dolum commisit. Hanc distinctionem vt melius intelliga-
mus, adijciam vtriusq; capitis exempla. Prioris sit hoc [c], Qui mihi verè debebar, dolo induxit quen *c L. apud Celsum. §. si*
dam Titium, vt id ipse debitum sese soluturum mihi promitteret constitueretq;, aduersus quem, si *quis autem. de dol.*
ego bona fide ago, & excipiat sese dolo circunuentum, replicare potero nihil hoc ad me pertinere, *mal. & met. excep.*
qui nihil dolo fecerim. Posterioris sit hoc exemplum: Dolo induxi Titium vt mihi suum equum
promitteret. Hic deinde equus alijs à Titio venditus est, & per multas iuit manus. hîc si eius nomi-
ne contra possessorem agam, poterit me doli exceptione summouere.

§. *Idem iuris.*

1 Verba illa, Credendi causa stipulatus, *quomodo accipienda sint?*
2 In Exceptione non numerata pecunia nihil refert, interueneritne stipulatio, an non.
3 Biennium exceptioni huic opponenda praestitutum.

¶ *Credendi causa.*]Hoc est, mutuum dandi. Nam in mutuo propriè locũ habet exceptio, quam hic Iustin. tractat. Porrò autem hæc verba, CREDENDI CAVSA STIPVLATVS, accipienda sunt, ac si diceretur quis stipulatus sibi reddi pecuniam, quasi creditam, mutuo datam, & numeratam. Cæterùm si quis stipuletur sibi credi vel mutuo dari pecuniam: potest non accipiendo non obligari [a], & creditor potest non numerare saltem si præstet, quod interest [b]. ¶ *Pecuniam.*] Vel aliam rem, quæ mutuo dari soleat [c]. ¶ *A te stipulatus fuerit.*]Differt verborum obligatio, à literarum obligatione. nec debent hæc confundi [d]. Sed quòd attinet ad exceptionem non numeratæ pecuniæ, nihil refert, interueneritne stipulatio, an non. Satis enim est, spe numerationis lactatum esse reum. qua de re suo loco plura dicta sunt. ¶ *Te defendi.*]Tuósve fideiussores [e] vel hæredes [f]: si modò aliquid superfit ex eo biennio, quod præstitutum est opponendæ huic exceptioni.

a L. qui pecuniã. D. si cert. pet. condict.
b L. si pecuniam. de ver. oblig.
c L. in cõtractibus. C. de non nu. pec.
d § 1. de literarũ obli.
e L. tam mandatori. C. non num.
f L. penultima. C. illo tit.

§. *Praeterea debitor.*

1 Per solum pactum de non petendo an tollatur praecedens obligatio?
2 Nuda pactio, qua causam qua subsistat non habet, licet non obligationem tamen, exceptionem parit.

¶ *Debitor*]Si verò eius procurator paciscatur non peti: ex hoc pacto competet debitori exceptio doli aduersus creditorem petentem [g]. ¶ *Nihilominus obligatus manet.*] Sic paulò pòst ait; Reo absoluto durare nihilominus obligationem. ¶ *Quia pacto conuento obligationes non omnino tolluntur.*] Solo pacto naturalis tantum obligatio ipso iure tollitur, quia (inquit Papinianus [h]) vinculum æquitatis quo solo sustinebatur, conuentionis æquitate dissoluitur. Sed si obligatio fuerit quoq; ciuilis, habens ius agendi, ipso iure non tollitur solo pacto de non petendo: ideoque est posterius pactum de petendo ad actionem tuendam efficax, vt non possit non rectè ex prima obligatione agere creditor, quia replicatione posterioris pacti, possit prioris exceptionem elidere [i], eaque ratione vim suæ obligationis tueri & exerere. ¶ *Iniquum est contra pactionem eum condemnari.*]Demosthenes ἐν τῇ παραγραφῇ πρὸς Πανταίνετον totum hunc locum eleganter explicat referens exceptionem liberationis, & eius æquitatẽ. Ita enim orationem suam auspicatur, δέδωκε τῶν νόμων παραγράψασθαι περὶ ὧν ἄν τις ἀφεὶς, καὶ ἀπαλλάξας δικάζηται, &c. Deinde paulò pòst addit: ἀκούετε ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, τοῦ νόμου λέγοντος ἄντικρυς, ὧν ἂν ἀφῇ καὶ ἀπαλλάξῃ τις, μὴ εἶναι τὰς δίκας. ἁπάντων μὲν τοίνυν τῶν ἐν τοῖς νόμοις ἀπηγορευμένων, οὐ προσήκει δικάζεσθαι, οὐχ ἥκιστα δὲ τούτων. ἃ μὲν γὰρ εἰ προσέξων, ἔχοι τις ἂν εἰπεῖν ὡς ἀδίκως, ἢ οὐ προσήκοντα τίθεσθαι, καὶ περὶ ὧν γνῶναι τὸ δικαστήριον, ἔστιν εἰπεῖν, ὡς οὐ κατὰ τὰ δίκαια ταῦτ' ἐποίησε, καὶ περὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐν τοῖς νόμοις κειμένων καθ' ἑκάστου γένοιτ' ἂν τις εἰκότως λόγος. ἀλλ' ὅν τις ἐπείσθη καὶ ἀφῆκεν, οὐκ ἔνι δήπου δεῖν εἰπεῖν οὐδ' αὐτῷ αἰτιᾶσθαι, ὡς οὐ δικαίως ταῦτ' ἐποίησεν. ¶ *Per exceptionem pacti conuenti.*] Nuda pactio, quæ nec in proprium nomen contractus transijt, nec causam habet, qua subsistat, obligationem, quæ sufficiat ad actionem, non parit, sed exceptionem tantùm [k].

g L. rescriptum. § vl. de pac.
h L. Stichum § naturalis. de solu.
i L. si vnus. § pactus ne peteret de pactis. l. pacta nouissima. C. de pact.
k L. iurisgentiũ. §. sed cum nulla. de pact.

§. *Aequè si debitor.*

1 Iusiurandum Procuratoris vel defensoris rei, domino prodest.
2 Procurator quomodo iusiurandum deferre possit?
3 Iuramentum voluntarium nullam habet vim.
4 Iuramenti remissi eadem vis est qua praestiti.
5 Iuramentum an & fideiussori prosit?
6 Replicatio doli aduersus exceptionem iurisiurãdi non admittitur.
7 Quid si non creditor sed iudex iuramentum detulerit?
8 Iuramentum prodest, quacunq; actione conueniatur.
9 Iusiurandum affirmatiuum quomodo maiorem vim habet, quàm negatiuum?
10 Iuramentum iuranti & eiusdem successori prodest.

¶ *Si debitor.*] Vel sanè eius procurator defensórve, qui vltro se liti obtulit. Nam iusiurandum defensoris vel procuratoris rei, ab aduersario delatum, prodesse, exceptionemque domino parere Iulianus scribit: & ex eo colligit Vlpianus [l]; idem fore dicendum, & si datus ad petendum procurator, reo deferente, iurauerit dari mihi oportere, vt mihi pariat actionem. ¶ *Creditore.*] Vel eius procuratore: si modò vniuersorum bonorum administrationem sustinet; aut si id ipsum ei nominatim mandatum sit; vel si sit procurator in rem suam [m]. Aliàs autem procuratorem deferentem iusiurandum non esse audiendum Iulianus [n] scribit. ¶ *Deferente.*] Ait Prætor: Si is, cum quo agetur, conditione delata, iurauerit. Et admonet Vlpianus [o] non frustra adijci, CONDITIONE DELATA. Nam (inquit) si reus iurauerit nemine ei iusiurandum deferente; Prætor

l L. nã postea. § iusiurandum. de iureiur.
m L. iusiurandũ quod ex conuentione § vl. de iureiur.
n L. aliàs. de iureiur.
o L. 3. de iureiur.

Prætor id iusiurandum non tuebitur, sibi enim iurauit Alioqui facillimè quisque ad iusiurandum decurrens, nemine sibi deferente iusiurandum, oneribus actionum se liberabit. Rectè itaque Fabius libro quinto, capite sexto, Offerre (inquit) iusiurandum suum sine illa conditione, vt vel aduersarius iuret, ferè improbum est. ¶ *Iurauerit.*] Idem & si iurare parato remissum sit iusiurandum [a]. Eadem enim vis est iurisiurandi remissi atque præstiti. ¶ *Nihil se dare oportere.*] Hęc for-
4 mula iurisiurandi proderit & fideiussori. Sicuti & eiusmodi fideiussoris iusiurandum prodesset
5 reo [b]. ¶ *Adhuc obligatus permanet.*] Naturalem tamen obligationem tantùm, & quæ Ciuilis quoque non sit, iureiurando ipso iure tolli respondit Papinianus [c], & Pomponius [d] qui & inde colligit; solutam pecuniam repeti posse.

¶ *Iniquum est de periurio quæri.*] Quod sanè fieret, si liberè & efficaciter posset eadem actio repeti & intendi. Hic ergo solum quæri potest, an iuratum sit: adeò, vt nec replicatio doli admittatur
6 aduersus exceptionem iurisiurandi: quia (inquit Iulianus [e]) Prætor id agit, ne de iureiurando cuiusquam quæratur. Rectè itaque Vlpianus [f], Dato (inquit) iureiurando, non aliud quęritur, quàm an iuratum sit, remissa quæstione, an debeatur. Sanè tamen si non detulisset creditor iusiurādum, sed iudex, permittitur etiam post iusiurandum ex integro causam agere; si quis noua instrumenta
7 se inuenisse dicat, quibus nunc solùm vsurus sit [g]. ¶ *De periurio*] Quòd si qua sit exceptio, quæ nō pertineat ad detegendum periurium, sed cum ipso iureiurando stare possit: nihil obest, quin obijciatur [h]. ¶ *Defenditur.*] Non modò ab ea ipsa actione, ad quam retundendam iurauit; sed ab o-
8 mni alia, qua idem peteretur [i]. ¶ *In ijs quoque actionibus.*] Quacunque (inquit Vlpianus [k]) actione quis conueniatur; si iurauerit, proficiet ei iusiurandum: siue in personam, siue in rem, siue in factū, siue pœnali actione agatur, siue de interdicto. Sed etsi de conditione personæ fuerit iuratū: Prætor iusiurandum tuebitur. ¶ *Eam rem esse suam.*] Hanc iurisiurandi formulā affirmatiuè conceptam,
9 potiorem esse, quàm negatiuam, rem petitoris non esse; eleganter docet Vlpianus [l]; quia hac etiam quæratur noua actio, si fortè exciderimus rei possessione; non etiam altera. ¶ *Possessorem.*]
10 Nō modò illum, qui iurauit, sed & alium quemlibet, qui ei succesit, etiam si titulo singulari [m]. Ita prodest alijs iusiurandū, quod præstiterimus: quanquam alijs nō noceat, quod ipsi detulerimus [n].

a L. nam postea. §. 1. de iureiur.
b L. vlt. de iureiur.
c L. Stichum. §. naturalis. de solut.
d L. vlt. de iureiur.
e L. aduersus. de exce.
f L. non erit. §. dato. de iureiur.
g L. admonendi. de iureiur.
h L. eum qui §. si mulier. & §. vlti. & l. si duo patroni §. si quis iurauerit. & §. Marcel. de iureiur
i L. duobus. §. exceptio iurisiurādi & §. colonus. de iureiur.
k L. 3. §. quacūque. de iureiur.
l L. sed etsi possessori. de iureiur.
m L. ait Prætor. in fi. cū l seq de iureiur.
n L. nam & postea. §. sed si quis. l. sed & si possessorem. in fi. de iureiur.

§. Item si in iudicio.

1 *Rem iudicatam cum exceptione iurisiurandi cōferri.*
3 *Verba illa in textu, actum fuerit; cum emphasi intelligenda. & num. 3.*
4 *Actiones in personam ab actionibus in rem quid differant? & num. 5. 6. 7.*
8 *Generali & temerè effusæ ab actore petitioni quandoq; succurri: declaratur exemploq; nu. 9.*
10 *Exceptio rei iudicatæ vbi locum habeat?*
11. 14. 20 *Vbi res videatur esse eadē? ac idem corpus quod dicatur, num. 12.*
13 *Quid, si propter accessionem noua qualitatis forma vel materia reluceat alia?*
15 *In toto & pars continetur.*
16 *De re eadem agere quis videatur? & nu. 17.*
18 *Vt rei iudicatæ exceptio obstet, eadem petitionis causa esse debet.*
19 *Alia realis actionis causa est, alia personalis.*
21. 22. 25 *Res inter alios iudicatas ad alios non pertinere, idq; declaratum exemplis. numer. 23. sed fallit num. 26.*
24 *Inter heredes tam creditoris quàm debitoris ipso iure diuiduntur obligationes hereditariæ.*
27 *Vitiosa in responso Marcelli scriptura emendata.*
28 *Sententiam latam contra creditorem hypothecariū de proprietate pignoris non nocere debitori, vero eius rei domino. & num. 29. 30.*
31 *Sententia lata de proprietate pignoris contra debitorem, nocet et creditori qui rem pignori accepit. fallit num. 32. 34.*
33 *Non qui dominium vsucepit, idem & alterius hypothecam eadem vsucapione peremit.*
35 *An sententia lata contra heredem de iure testamenti litigantem, noceat & legatarijs? & nu. 36. 37.*
38 *Quid, si res litigiosa vel actio legata sit?*
39 *An, quod de vno reo credendi vel debendi pronunciatum est, ad alterum pertineat?*

1 ¶ *Item si in iudicio.*] Pomponius exceptionem iurisiurandi conferre videtur rei iudicatæ [o]. Rectè itaque Iustinianus hic vtranque cōiungit. Et quod attinet ad rationem huius exceptionis: scribit Paulus [p]; Singulis controuersijs singulas actiones, vnumque iudicati finem sufficere, probabili ratione placuisse: ne aliter modus litium multiplicatus summam atq; inexplicabilem faciat difficultatem: maximè si diuersa pronunciarentur.

¶ *Tecum.*] Vel cum tuo tutore, curatore, vel etiam defensore, qui se vltro ingessit modò tu ratum habueris. Sed & si quis hominem à filiofa. petierit, deinde eūdem à patre petat: locum habet exceptio [q]. ¶ *Actum fuerit.*] Et iudicatum fuerit secundum te: vt etiam ex aliqua perpetua causa fueris absolutus. Nam si quis in iudicio reali absolutus esset tantùm, quia nō posidebat, nec dolo desierat posidere: si postea posideat, rursus poterit conueniri. nec obstabit exceptio rei iudicatæ:
2 vtpote cuius nunc causa cesset. Quòd autem hic actum dicitur: eam vim & emphasim habere potest, quòd exceptio rei iudicatæ non nisi ad ea pertineat, de quibus actum est: vt licet prima petitio generalis fuerit, atque etiam sententia: tamen tantùm intelligatur ad ea pertinere, de quibus
3 fuerit nominatim & specialiter actum. vt si intenderim generalem tutelæ actionem, sed deinde non nisi de vna aliqua re aut specie egerim: quanquam generali quadam sentētia tutor absolutus fuerit: tamen si postea velim agere de alia re aut specie, de qua priori iudicio verè actum aut tracta-

o L. vlt. §. vlti. de iureiur.
p L. singulis. de exceptio. rei iudic.
q L. si mater. §. si quis hominem. de except. rei iudic.

tum non est; aduersus exceptionem rei iudicatæ potero vti replicatione doli, vt rescripserũt Impp.
Seuerus & Antoninus [a]. Sed hoc propriè pertinet ad actiones personales, quarum possunt plures
a L.2.C.de iudic.
esse causæ, vti etiam mox planius dicemus. ¶ *Siue in rem siue in personam.*] Constat quidem satis
hæc comparatio in genere, quia ex vtroque iudicio detur exceptio. Sed multum est discriminis in
b L. & an eadem. §. actiones. de excep. rei iudic.
speciali conditione vtriusque. quod docet Paulus his verbis [b]; Actiones in personam ab actioni- 4
bus in rem hoc differunt; quòd cùm eadem res ab eodem mihi debeatur, singulas obligationes sin-
gulæ causæ sequuntur: nec vlla earum alterius petitione vitiatur. At cùm in rem ago non expressa
causa, ex qua rem meam esse dico: omnes causæ vna petitione apprehenduntur. Neque enim am-
plius quàm semel mea esse potest. Hactenus Paulus. Sed desiderat eius distinctio pleniorem inter-
pretationem. Nam discrimen quod tradit, non videtur omnino esse natura ipsarum actionum: 5
sed magis ex varia diuersaque agendi formula. Nam & generalis petitio in iudicio personali vel
c L. vl. C. de anna. except.
reali, posset omnes complecti causas: quibus etiam omnibus obstaret generalis sententia [c]. Et rur-
d L. si mater. §. si quis aût. de except. rei iud.
sus si in rem ageretur, expressa vna aliqua causa, non obstaret exceptio ex alia postea causa petẽti [d].
Itaque verius esse mihi videtur discrimen inter has actiones, quòd in iudicio personali, si fuerit 6
quidem petitio generalis, sed postea ad vnam aliquam causam restricta, quam solam deinde pro-
secutus sit actor: non obstet exceptio, ex alia postea causa agenti: non modò vbi sententia ipsa re-
e L. age. C. de trãsact.
stricta quoque fuisset ad vnam illam causam in iudicium deductam [e]: sed & vbi fuisset generalis,
vt & ipsa prima petitio. quamuis enim tum summo iure videatur obesse exceptio: potest tamen ea
elidi replicatione doli. Sed in iudicijs realibus, si fuerit semel edita petitio generalis, actori prodes- 7
se non potest, vnam deinde tantùm causam in iudicium deduxisse. Nam aut reuera actor fuit do-
minus ex ea ipsa causa, quam specialiter prosecutus est: & tum proculdubio post condemnatio-
nem frustra ex alia causa rursus parat agere, cùm ex alia esse dominus nequeat. Aut sanè ex ea cau-
sa dominus non erat; & tum iure ei poterit imputari, qui proposita generali petitione, veram cau-
sam non fuerit prosecutus. Perinde itaque saltem habetur, atque si specialiter nihil expressisset.
Nam & tum intelligetur secutus veram causam, & omne ius quod eo tempore habuit. vti elegan-
f L. si mater §. eandẽ. de excep. rei iud.
ter scribit Vlpianus [f]. Qui tamen addit; quandoque ex causa succurri, ne adeò noceat generalis, & 8
g dict. l. si mater.
temerè effusa petitio. Veluti in exemplo, quod ipse proponit [g]. Cuius facti species hæc fuisse vide-
tur: Titius hæredes instituerat, filium suum impuberem, & Sempronium: eumque Sempronium 9
filio substituerat pupillaribus tabulis, sed parum ritè. Ex testamento Sempronius adiuit hæredi-
tatem pro parte sua. Et quia filius impubes postea decessit, eius quoque bona nactus est, prætextu
illius qualis qualis substitutionis. Aduersus hunc Semproniũ mater impuberis defuncti, generali
ter egit, vt bona filij cõsequeretur, tanquã legitima eius hæres: ac postmodũ fortè iactauit ruptum
esse testamentum quo nitebatur Sempronius: sed id non probauit. Factum est tandem, vt in hoc
iudicio succubuerit. Postea fortè apertæ sunt tabulæ pupillares (quæ pars erat testamenti primi) &
compertum est, iustam non fuisse substitutionem Sempronij. Quo nomine mater rursus iudi-
cium repetit, vt à Sempronio bona filij sui consequatur. hîc certè respondit Neratius; Exceptio-
nem rei semel iudicatæ obstare. Idque fassus est Vlpianus: sed addidit, ex æquo & bono matri sub-
ueniri posse per in integrum restitutionem ex iusta causa, vt posit luctuosam filij impuberis de-
functi hæreditatem consequi, & præferri ei, qui reuera in eam nullum ius habuit.
¶ *De eadem re.*] Tum demum potest obijci exceptio rei iudicatæ, vbi eadem quæstio eadem de
h L.3. de excep rei iu.
re inter easdem personas rursus proponitur [h]: nec aliquo nouo iure actor nititur, quod prius dee- 10
i L. si mater. §. eandẽ. de excep. rei iud. l. Modestinus respondit. de excep.
rat, nunc verò accesserit. alioqui sanè non obstaret [i]. Certè Paulus tum demum rem eandem vi-
deri scribit, vbi idem corpus est, & eadem causa petendi, eademque personarum conditio [k]. Ae 11
k L. & an eadem. de excep. rei iud.
idem corpus in hac exceptione docet, pinguius pro communi vtilitate accipi, vt non seruetur o-
mnis pristina qualitas vel quantitas. Vnde qui petijt fundum xx. iugerum, si postea rursus eun-
dem petat, sed imminutum: nihilominus obstabit exceptio. Et qui lancem petijt, nec obtinuit:
non audietur postea petens scyphum ex ea conflatum. quamuis enim qualitas mutata sit, manet
tamen idem corpus. Fateor tamen aliud respondendum esse, vbi propter accessionem nouæ qua- 13
litatis, alia iam reluceret forma, vel materia. Veluti si ex vuis expressum sit vinum. Hîc cùm idem
corpus non maneat: poterit qui vuas frustra petijt, postea vinum petere: nec obstabit exceptio. Po-
stremò eadem res accipitur, & si pars petatur eius, quod totum petitum est. Nec interest, vtrum in 14
corpore hoc quæratur, an in quantitate, vel in iure. Semper enim obstabit exceptio rei iudicatæ. 15
l L. si quis cũ. de excep. rei iudic.
Nam pars in toto est. quod eleganter docet quodam responso Vlpianus [l].
¶ *Agi potest.*] Et si agatur eadem de re, etiam si alia fortassis actione, sed tamen ex eadem cau-
m L. de eadem. de rei iud.
sa: obstabit exceptio [m]. Nam (inquit Vlpianus) de eadem re agere videtur, & qui non eadem actio- 16
ne agit, qua ab initio agebat: sed etiam si alia experiatur, de eadem tamen re. vtputa, si q[illegible] man-
dati acturus, cùm ei aduersarius sistendi causa promisisset: propter eandem rem agat Negociorum
gestorum, vel condicat: de eadem re agit. Addit Vlpianus; Rectè ita definiri, eum demum de ea- 17
dem re non agere, qui prorsus rem ipsam non persequitur. Sed meminerimus semper debere quo- 18
n L. & an eadem. de excep. rei iud.
que esse eandem petitionis causam, vt obstet exceptio [n]. Sanè ei qui in rem egisset, nec obtinuisset,
o L. vlt. D. illo tit.
postea condicenti non obstare exceptionem rei iudicatæ, Paulus respondit [o], nempe quòd alia sit 19
causa realis, alia personalis actionis. Porrò Paulus ait, vt locum habeat exceptio rei iudicatæ:
rem eandem tum demum videri, vbi non modò idem corpus est, eademque causa petendi, sed & 20
eadem personarum conditio. Huc autem pertinet regula Iuris; Res inter alios iudicatas, ad alios
non

non pertinere. quam quidem cùm diligentissimè Marcellus excusserit, operæpretium fuerit, eius *a L. sæpe. de re iudic.*
hac de re nobile responsum [a] hîc subijcere, præsertim cùm interpretis etiam operam desideret, &
disputationẽ contineat valde vtilem, & de qua sępe quęsitum esse ait. De exceptione doli metúsve
causa, ex qua etiam causa actio dari potest: de exceptione ex pacto de non petendo: de exceptione
Iurisiurandi, sicuti & eius actione: multa subtiliter dici possunt. Sed ea nunc Iuris capita breuiter
perstringi patior. Exceptionem verò rei iudicatæ, sicuti & posteà iudicati actionem latius fortas-
sè explicabimus, priusquam rem iudiciariam omnino missam faciamus, diligentius excutien-
dam esse sentio. Vt igitur quod de ea dicendũ superest, quodque etiam ad actionem iudicati per-
tinet, complectamur, Marcellum audiamus. Initio generalem veluti thesin & regulam propo-
nit; Res inter alios iudicatas alijs non pręiudicare; quam multis constitutionibus confirmatam *b L. 1. de excep. l. Claudius. ad fin. qui pot. in pig. l. quia non debet. de iureiuran. l. 2. C. de excep. & tot. tit. Cod. Quib. res iud. Itẽ, Res inter alios act.*
22 esse ait: sicuti sanè & multis locis inculcari meminimus [b]. Deinde ad hypotheses veluti descendẽs
propius ostendit; an perperuò id verum sit; præsertim quòd ad alios scientes & patientes attinet;
de quibus magis dubitabatur; neque nudam distinctionem adhibet, sed exemplis suam senten-
23 tiam illustrat. Ac primo quidem loco proponit exempla eorum, quibus etiam scientibus non no
cet res inter alios iudicata: vt si aduersus vnum ex hæredibus siue creditoris, siue debitoris, pro-
nunciatum fuerit: id alijs cohæredibus omnimodo non præiudicat. Ac fatetur quidem Marcellus
quodammodo contra eos quoq; iudicatum videri; quia similis eorum causa sit: sicuti & propter-
ea appellare ijs permittitur, quasi eorum intersit: licet alioqui & sine appellatione defendi pos- *c L. à sententia. de appellat.*
sint [c]. Verùm etsi ex condemnatione cohęredis mei aliquod nasci videatur contra me præiudi-
cium, quia iudex tali exemplo propensior futurus sit ad me quoque condemnandum: tamen
non exemplis, sed legibus iudicandum est, & nihilominus reuera integra sit mea mihi defensio:
rectè Marcellus existimat, sententiam contra vnum hæredem latam, cohæredi quanrumuis scien
ti non pręiudicare: nempe quod vnus ab alio ius non habeat, & inter hæredes tam creditoris,
24 quàm debitoris ipso iure diuidantur obligationes hæreditariæ; vt singuli separatim pro sua tan-
tùm portione vel agant vel conueniantur, sicuti latius dixi in commentarijs ad 12. Tabulas cap.
38. Poterat Marcellus & aliud exemplum hîc proponere de legatarijs. Nam si vnus ex testamen-
to legatum petens, victus sit, sententiam alteri legatario non præiudicare traditum est [d]. Quod & *d L. 1. de except.*
de creditoribus hypothecarijs rectè dici potest [e]. Atque hæc tria exempla pertinent ad amplifica- *e L. Claudius. qui pot. in pign.*
25 tionem superioris regulæ, vt intelligamus; res inter alios iudicatas alijs non præiudicare, etiamsi
similis eorum causa sit, & scientes passi sint ita iudicari, neque prouocarint, cùm tamen appellare
26 potuissent. Cęterùm Marcellus altero suæ distinctionis membro, hanc regulam veluti restringit,
& illustria proponit exempla tria, in quibus ea locum non habet. Ac posteriora quidem duo ni-
hil habent difficultatis; nempe; cùm maritus socerum, qui dotem dedit, sciens patitur in quæstio
ne de proprietate rei dotalis vinci, vel emptor similiter venditorem, cùm de proprietate rei vendi-
tæ quæreretur: vt intelligamus sententiam in hoc genere latam contra socerum præiudicare ma-
rito, qui ab eo habuit, quicquid tandem habuit iuris: & simili ratione nocere emptori, sententiam
contra venditorem. Licet è diuerso non idem diceretur: tametsi propter euictionis causam dici
posit, venditori, saltem tempestiuè admonito, nocere sententiam contra emptorem latam. Cęte
rùm tertio exemplo. quod Marcellus hîc proponit, magnam difficultatem, magnasque tenebras
iniecit corrupta atque vitiosa vulgarium exemplarium scriptura, in quibus legitur, *SI CREDITO-
REM EXPERIRI DEBITOR PASSVS SIT*, &c. Quod certè neque sententiæ Marcelli conuenit, ne-
27 que firma aliqua ratione iuris defendi potest. Verùm errorem facilè tollemus, si vera lectio huius
loci restituatur, *SI CREDITOR EXPERIRI DEBITOREM PASSVS SIT*, &c. Sic enim legẽdum osten
dit Florentinum exemplar, & alij vetusti, meliorisque notæ codices: idque congruit & orationi,
& disputationi, & sententiæ Marcelli, & cum alijs perpetui iuris regulis conuenit. Sententiam la
28 tam contra creditorem hypothecarium de proprietate pignoris, non nocere debitori, eius rei ve-
ro domino, intelligi etiam idem potest, quod eodem tractatu de re iudicata, traditum est de sen-
tentia executoris [f]. Neque obscura est ratio. Debitor enim ius sui dominij non habet à creditore, *f L. à diuo Pio. §. sed sciendum. de re iudic.*
sicuti creditor ius sui pignoris habet à debitore. Et licet creditor agens hypothecaria, imprimis
29 probare iubeatur dominum esse eum, à quo rem pignori accepit [g]: tamen si id probare non *g L. ante omnia. de probat.*
posit, sibi tantùm nocet, non domino debitori. Nam neque principaliter ad creditorem
pertinet hæc quæstio alieni dominij, neque huius probationibus satis instructus esse
solet. Si vinceret, & suæ petitionis probationem impleuerit, fateor prodesse debitori, de
cuius etiam iure & dominio pronunciatum videtur: vt exceptione huius rei iudicatæ repellere
posit eum, qui victus est, si rem nihilominus vindicare velit [h]. Sed si creditoris victoria hîc de- *h L. ex sextante. §. 1. de except. re. iud.*
30 bitori prosit, non sequitur victi offensionem etiam nocere. Neque eadem ratio est vtriusque. Ita-
que in hac sententia maneo; rem iudicatam, quæ sustulit hypothecam creditoris, non propterea
statim & debitoris dominium tollere: nullamque esse causam, cur quod contra illum iudicatum
31 est, huic noceat. Cæterùm è diuerso iustissima causa est, cur sententia lata de proprietate pignoris
contra debitorem, qui rem pignori dederat, per consequens noceat & creditori, qui pignori acce
pit, præsertim scienti atque patienti debitorem autoremq; suum condemnari, neq; appellare vo-
lenti, & vbi sine collusione condemnatus est debitor, causaque cognita superatus, cùm pronun-
tiatum est, eum dominum non esse, neque iam tum, cùm rem pignori daret, fuisse. Alioqui ve-
32 rò sententiam creditori hypothecario non obfuturam, facilè equidem concedam. Nam & tradi-
tum [i] est; ei non obesse, si debitor in eius fraudem per collusionem vinci se passus est; vel etiam *i L. præses. C. de pign.*

 si non

ſi non tam cauſa cognita, quàm præſcriptione temporis repulſus fuerit. Separata enim eſt pigno-
ris quæſtio ab intentione dominij, vt Papinianus ait, neque qui dominium vſucepit, propterea & 33
alterius hypothecam eadem vſucapione peremit [a]. Denique & ſi cauſa cognita pronuntiatum ſit; 34
debitorem non fuiſſe domiuum; tamen creditori hypothecario, ſi admonitus non ſit, id nõ noce-
re Papinianus quoque ait [b]: præſertim cùm conuentio pignoris ſententiam præceſsit [c]. Non diſ-
ſimilis quæſtio eſt; an ſententia lata contra hæredem de iure & vi teſtamenti litigantem, per con- 35
ſequens noceat legatarijs. Nam & hanc cum ſuperiori Papinianus coniungere videtur. licet lega-
tarios in hoc genere non omnino rectè comparari cum creditoribns dicat [d]. Ac quidem Vlpianus 36
apertè reſpondit [e]; Si de cauſa inofficioſi teſtamenti cognouerit Iudex, & pronuntiauerit cõtra te-
ſtamentum, nec fuerit prouocatum, legata non deberi. Idem [f] tamen alio loco docet; ſi hic hæres 37
non tam cauſa cognita condemnatus ſit, quia teſtamentum non valuerit, quàm victus, quia non
defenderetur: talem ſententiam non nocere legatarijs. Sanè ſi res litigioſa vel actio legata ſit, ſicu- 38
ti rectè legari poteſt: olim quidem eius æſtimatio dabatur legatario, & hæres ſuo periculo iudiciũ
peragebat [g]. Sed ex noua Iuſtiniani Conſtitut. 112. hæres iudicium exequitur periculo legatarij, vt
ſi rem litigioſam euincere non potuerit, nihil legatario debeatur. Porrò & de duobus reis vel cre-
dendi vel debendi magna quæſtio eſt [h]; an quod de vno pronuntiatum eſt [i], ad alterum pertineat.
Sed quia Marcellus eam hoc loco non attigit, & nos aliò properamus, neque omnia congerere in- 39
ſtituimus, neque finis vllus eſſet, reijciatur hæc in alium locum diſputatio.

a L. 1. §. cùm prædium. de pignorã
b L. iuſt. §. non mutat. de vſucap.
c L. iudicatæ. §. vlti. de except. rei iud.
d L. 3. de pignor.
e dic. l. 3.
f L. Papin. §. ſi ex cauſa. de inoffic.
g L. ſi proluſorio. §. quoties de appellat.
h L. 3. de litig.
i L. 2. de duob. reis. l. in duobus. de iureiur. l. ſi duo. de arbi. L. ſeruum. §. 1. de pact.

§. *Hac exempli. cum §§. ſeq.*

1 Quæ ſint ea, quæ legis vim obtinent?
2 Exceptionum aliæ ſunt perpetuæ & peremptoriæ; aliæ temporales & dilatoriæ; & num. 7. 8.
3 Non de tempore & vita exceptionum, ſed de vi & effectu hîc agitur.
4 Exceptio, ne quis conueniatur vltra quam facere poßit; itẽ exceptio excußionis, quales ſint? num. 5.
6 Exceptio diuiſionis perpetua & peremptoria eſt.
9 Peremptoriæ quandiu proponi poßint?
10. 11 Temporales & dilatoriæ qualiter agentibus obſtent?
12 Non ſatis eſt cõpetere exceptionẽ, niſi & obijciatur.
13 De antiquitate à qua hodie receſſum.
14 De veteris illius iuris ignorantia verba Ciceronis.
15 Nonnunquam inferre litem ante tempus licet.
16 Induciarum vocabulum à caſtris ad forum translatum.
17 Ante tempus agenti tempus vt duplicetur?
18 Quid, ſi quis improbè litem pluris æſtimauerit?
19. 20 De Translationibus.
21 Dilatoriæ exceptiones non modò ex actoris ſeu procuratoris ſed etiã ex iudicis perſona conceduntur.
22 Fori præſcriptio, ſiue exceptio declinatoria, quando proponenda?
23 Exceptioes procuratoriæ ſunt duplices. & nũ. 24. 25.
25 Mulieres cur à muneribus ciuilibus arceantur?
27 Pro patre infirmo procuratorium munus ſubire mulier poteſt & ſe ipſa. num. 32.
28 Milites procuratores eſſe non poſſunt. fallit num. 29. 31.
30 Propria videntur cauſſæ, quæ nobis cum alijs ſunt communes.
33 Hodie adhuc obſtat Poſtulantibus infamia; ſed procuratorum munus eſſe vilius, num. 34.
35 Canones pontificij nullam ferunt in procuratore notam infamiæ.
36 Athenienſes à foro arcebant olim infames.

¶ *Quæ legis vicem obtinet.*] Veluti ex Senatuſconſultis: cuiuſmodi ſunt exceptiones Velleiani 1
aut Macedoniani: vel ex Principum placitis: qualis eſt exceptio diuiſionis inter plures fideiuſſores
ex Conſtitutione Adriani: & inter plures reos debendi ex Nouell. Conſtit. Iuſtiniani. ¶ *Ex ipſius
prætoris iuriſdictione.*] Eiuſmodi eſſe videtur exceptio doli. cuius licet ſit naturalis ratio: vim tamen
habere videtur ex Prætoris edictis. Certè olim Iure Ciuili nulla doli apud Iudicẽ ratio habebatur,
niſi in bonæ fidei iudicijs, aut niſi minor quiſpiam circunſcriptus eſſet. Sed poſtea Gallus Aquili-
us de dolo formulas edidit, quas Prætores in iudicijs conſtituendis ſecuti ſunt, vt ſemper de dolo
vel agere vel excipere liceret. Id quod pluribus locis Tullius non obſcurè indicat. ¶ *Aliæ perpetuæ* 2
& peremptoriæ, aliæ temporales & dilatoriæ.] Hîc proponitur diuiſio, quæ conſtat membris duplicibus,
ſic vt poſterius verbum vim & conditionem prioris explicet: vt intelligamus, hîc agi non quidem
de tempore & vita exceptionum, ſed de vi & effectu, vt ſint perpetuæ, quæ peremptoriæ ſunt, to- 3
tamque perimunt actionem: Aliæ temporales, quæ dilatoriæ, nec niſi ad tempus agere volentibus
obſtant. Itaq; huius generis erit exceptio; ne quis conueniatur vltrà quàm facere poſsit, quia non
perimit obligationem, ſed tantùm ſolidam exactionẽ differt ad tempus melioris fortunæ, quam 4
quiſque ſperare poteſt, quandiu ſpirat [i]. Idem cenſendum eſt & de exceptione excuſsionis. Exce- 5
ptio tamen diuiſionis magis videtur eſſe perpetua & peremptoria. pertinet enim ad diuidendum, 6
iudicium, vt pro parte omnino liberetur vnus ex reis debendi. Porrò autem totus hic locus de-
ſumptus eſt ex reſponſo Caij: qui tamen hanc diuiſionem alijs verbis explicat. Perpetuæ (inquit) 7
atque peremptoriæ ſunt, quæ ſemper locum habent, nec euitari poſſunt. qualis eſt doli mali, rei
iudicatæ, & ſi quid contra Leges, Senatúſve conſultum, factum eſſe dicetur. Item pacti conuenti
perpetui, hoc eſt, ne omnino pecunia petatur. Temporales atque dilatoriæ ſunt, quæ non ſemper
locum habent, ſed euitari poſſunt: qualis eſt pacti cõuenti temporalis, hoc eſt, ne fortè vltra quin-
quennium agatur. Hæc Caius.

¶ Quæ

¶ *Quæ semper agentibus obsunt, & semper rē, de qua agitur, perimunt.*] Non sunt hæc ociosè repetita, respondent enim appellationibus perpetuarum & peremptoriarum. Etita coniuncta excludunt veterem exceptionis temporalis conditionem, quæ ante Zenonianam Constit. omnino quidem perimebat rem, de qua agebatur, si semel esset opposita. At non semper, neque perpetuò agere volentibus oberat. vt si creditor primùm agere cœpisset tempore conuento, vel aliter præstituto.

9 ¶ *Semper agentibus obsunt.*] Iustinianus hic significat initium & finem harum proponendarum exceptionum, nempe à lite contestata, vsque ad rem iudicatam. Cæterùm post sententiam non solent admitti [a].

10 ¶ *Ad tempus nocent, & temporis dilationem tribuunt.*] Hic Iustinianus intelligit tempus conuentum & præstitutum: ante quod non potuit agere creditor. & si egisset, opposita exceptio non modò ad tempus ei nocuisset, sed in perpetuum: quia non temporalem, sed perpetuam liberationem debitori tribuebat veteri iure, quod erat ante Zenonis Constit.

11 ¶ *Agere volentibus.*] Tacitè hic significatur natura actionis dilatoriæ quæ obijcitur ante litem contestatam & iudicium susceptum, cùm quis adhuc magis agere velle, quàm agere dicitur [b]. Nec potest sanè post litem contestatam reus suæ defensionis negligentior, inuito actore dilatorias suas proponere exceptiones [c]: saltem vt imminentem, præsentis iudicij condemnationem effugiat. Potest tamen etiam post litem contestatam eas opponere: sed nihilominus condemnabitur. saltem vt soluat, cùm tempus venerit.

¶ *Aut alia similia.*] Cuiusmodi sunt exceptiones earum conuentionum, quæ quidem purè initæ sunt, sed habent tacitam dilationem ex natura rei promissæ, vel ex loco adiecti [d]. ¶ *Obiectáque*

12 *sit.*] Sicut omnino debet obijci. Nam alioqui iudicium sustinetur, quia ipso iure nata est, etiam ante diem, actio, præterquam si vsusfr. petatur [e].

¶ *Neque eo iudicio quicquam consequebatur.*] Sicuti nec hodie adhuc quicquam consequitur. hic enim nihil immutatum est per Zenonis Constitutionem. Dicimus autem eo iudicio nihil consequi agentem, quia redigitur ad necessitatem nouæ litis suo tempore instruendæ: quod paulò

13 pòst docet Iustinianus. ¶ *Neque post tempus olim agere licebat.*] Addit Iustinianus hoc loco hanc voculam OLIM, vt magis significaret antiquitatem, à qua hodie recessum sit. Quomodo autem hic agere olim non licebat, mox dicam.

¶ *Rem amittebat.*] Scripsit antea Iustinianus [f]: Si quis agens, in intentione sua plus complexus fuerit, quàm ad eum pertineat, à causa cadebat, id est, rem amittebat. Quo loco obiter admonuimus; Creditorem, qui ante diem egisset, ex lege 12. Tab. causa quidem cecidisse, sed non omnino statim cùm primùm agere cœpisset. Primùm enim reus, qui sciret à se ant. diem peti, postulabat à Prætore exceptionem dilatoriam, CVIVS PECVNIÆ DIES NON FVISSET. Postea cùm venisset dies petendæ pecuniæ, rursus creditor agere poterat: sed tum peremptoria exceptione summouebatur ex lege 12. Tab. quòd semel plus tempore, nempe ante diem petijsset. Quo nomine petebat reus pronuntiari; Creditorem causa cecidisse. Hic itaque bis agebatur: & priorem actionem reus dilatoria exceptione summouebat ad tempus soluendæ pecuniæ. Et vbi hoc tempus venisset, alteram actionem perimebat exceptione prioris iudicij. Indicat id Tull. lib. 1. de Oratore, vbi ostendit quàm pudendi lapsus in magnis Oratoribus occasionem dederit huius veteris iuris ignorantia. ait enim de quodam Hypsæo, qui stultè & imperitè contendebat, vt ei, quem defendebat, causa cadere liceret. Item de Octauio, qui eodem errore pugnabat, ne aduersarius causa ca-

14 deret. Verba Ciceronis sunt hæc: Inquit Antonius; Ego istos non modò Oratoris nomine, sed ne foro quidem dignos putarem Atqui (respondet Crassus) non defuit illis patronis eloquentia, neque dicendi ratio aut copia, sed Iuris Ciuilis prudentia: quòd alter plus lege agendo petebat, quàm quantum lex in 12. Tab. permiserat. quod cùm impetrâsset, causa caderet. Alter iniquum putabat, plus secum agi, quàm quod esset in actione. neque intelligebat, si ita esset actum, litem aduersarium perditurum. Quid his paucis diebus? nónne nobis in tribunali Q. Pompeij Prætoris vrbani familiaris nostri sedentibus, homo ex numero disertorum postulabat, vt illi, vnde peteretur, vetus atque vsitata exceptio daretur, CVIVS PECVNIÆ DIES FVISSET? quod petitoris causa comparatum esse non intelligebat. Vt si ille inficiator probâsset iudici antè petitam pecuniam esse, quàm esset cœpta deberi: petitor rursus cum peteret, exceptione excluderetur, quod ea res in iudicium antea non venisset. Hæc Tullius.

15 ¶ *Litem inferre ausus est.*] Etiam si vim eius, & executionem non recuset differri in suum tempus. Satis enim est ante tempus quacunq; cōditione litem intulisse. si tamē debitor sua dilapidet, & vereatur creditor, ne sit suo tempore inanis actio aduersus inopem: licebit cautionem petere. Sic enim ait Papinianus [g]: In omnibus bonæ fidei iudicijs, cùm nondum dies præstandæ pecuniæ venit, si agat aliquis ad interponendam cautionem ex iusta causa, condemnatio fit. Idque in iure nostro sæpe traditum est [h]. ¶ *Zenoniana Constitutio.*] Meminit & huius Constitutionis antea Iustinianus: nusquam tamen eam extare arbitror. Sanè videtur hic Zeno secutus humanitatem illā Claudij Cæsaris, quem ait Suetonius, sæpe restituisse actiones iis, qui pluspetendo exciderant iure agendi.

16 ¶ *Inducias.*] Scribit quodam loco Fabius, verba castrensia siue militaria eleganter ad forum transferri. Sic pactum induciarum, quod propriè est, vt in diem certum non pugnetur, & (vt ait Paulus [i]) ne interim hostes sese lacessant; tractum hic est ad tempus, quo ne agatur, conuenit.

a L. peremptori. u. C. sententiam rescindi nō posse. L. 1. C. de iur. & facti ignor.

b L. amplius. D. rem ratam hab.

c L. vlt. C. de excep. L. ita demum. C. de procur. L. sancimus. in fi. C. de iud.

d L. interdum L. cōtinuus §. cum ita dē verb. obl. 1 3. § si ita quis stipuletur. de eo quod cert. lo.

e L. 1. in fi. D. quando dies vsusfr. leg. ce.

f §. si quis agens. sup. dealt.

g L. in omnibus de iudic.

h L. inter omnes. D Qui satisdat. cog. L. quod si in diem. 6. 1 de petit. hered. L. 2. de euict. L. pro socio. D. pro socio.

i L. postliminium §. induciæ. De cap. & postlim. reuer.

28 ¶ *Vel matre vel vxore.*] Vel etiam filio. Quia (inquit Paulus [a]) disciplina militaris antiquior
fuit parentibus Romanis, charitate liberorum. Vt itaque pater filium militiæ subtrahere non po
29 test [b]: (nam nec minus Reip. natus est, quàm parentibus) ita nec filij patrem. Nisi sanè esset causa
status: quæ digna visa est, cur miles signa desereret opitulaturus suis necessarijs, quorũ in hac re periculum ipsum quoque militem tangit [c]. Iniquum esset itaque absentem de liberis dimicare, inquit Liuius, referens memorabile exemplum Virginij, qui cùm honestum ordinem in Algido milès duceret, celeriter impetrato commeatu accurrit Romam, vt filiam suam de statu periclitantem iudicio defenderet, eriperetque libidini Appij.

a L. postliminium. §. filius quoque. De capt. & postli. reuer.
b L. qui cum. §. qui filium. De re milit.
c L. 3. §. miles. De lib. causs.

¶ *Procuratorio nomine experiri.*] Sicuti nec aliena negotia extra Iudicium procurare [d]. ¶ *Suis*
30 *verò negotijs.*] Vel communibus sui numeri causis. Ijs enim miles interesse [e] potest. Nam & propriæ
31 causæ videntur, quæ nobis cum alijs communes sunt [f]. ¶ *Suis negotijs superesse.*] Potest ergo miles
32 procurator esse in rem suam [g]. Sicuti & mulier potest. Nec refert vetúsne sit negotium an nunc
primum ei cessum. Legimus Amesiam quandã Prætoris sententia ream, olim maximo Pop. Rom. concursu, L. Titio prętore iudicium cogente, egisse vicisseque. Et Hortensiam filiam Q. Hortensij, communem matronarum causam à viris desertam fœliciter egisse apud Triumuiros, impetrasseque, vt maior pars imperatæ matronis pecuniæ remitteretur. Testis est Valer. lib. 8. cap. 3.

d L. similitem C. de cond. ob causam dat.
e L. filiusfa. §. Veterani. De procurat.
f L. 2. § penul. D. quãdo appel. sit.
g L. quia absentes, C: de procurãt.

33 ¶ *Olim procuratoribus.*] Hodie adhuc infamia obstat postulantibus: quoniam Prætor remouet
à postulando personas turpitudine notabiles [h]: vt tueatur dignitatem ordinis togatorum, quibus
multum tribuunt nostræ leges. dicuntur enim pro Republ militare [i]. At procuratorum vilius est
34 munus. Videntur tamen canones Pontificij iurius rem reuocare velle ad pristinam illam Iudicio-
35 rum seueritatem, cùm nec vllam ferant procuratore notam infamię. Certè olim apud Atheniẽses,
36 infames, qui dicebantur ἄτιμοι, arcebantur à foro penitus, nec quicquam tractare apud Iudices
aut populum poterant; vt legere est in oratione Demosthenis aduersus Aristogitonem.

h L. 1. §. secũdo loco: De postul.
i L. aduocati. C. de aduo. diuer. iud.

¶ *Vel dantis, vel ipsius procuratoris.*] Hanc rem pluribus hîc explicat Theophilus: sed nescio an quæ tradit, conueniant moribus Romanorum.

¶ *Ne dum de his.*] Non est hæc præcipua causa, cur Infames admittantur, quasi ea cessante repellerentur: sed est & alia, nempe desuetudinis. vt etiamsi certa sit infamia, & de qua nemo possit altercari, non tamen arceat procuratorem.

De Replicationibus, Tit. XIIII.

INterdum euenit, vt exceptio, quæ prima facie iusta videtur, tamen iniquè noceat. quod cùm accidit, alia allegatione opus est, adiuuandi actoris gratia: quæ Replicatio vocatur: quia per eam replicatur atque resoluitur ius exceptionis: veluti cùm pactus est aliquis cum debitore suo, ne ab eo pecuniam petat: deinde postea in contrarium pacti sunt, id est, vt creditori petere liceat: si creditor agat, & excipiat debitor, vt ita demum condemnetur, si non conuenerit, ne eam pecuniam creditor petat: nocet ei exceptio. conuenit enim ita. nanque nihilominus hoc verum manet, licet postea in contrarium pacti sint. sed quia iniquum est creditorem excludi: replicatio ei dabitur ex posteriore pacto conuento. Rursus interdum euenit, vt replicatio, quæ prima facie iusta est, iniquè noceat. quod cùm accidit, alia allegatione opus est, adiuuandi rei gratia, quæ Duplicatio vocatur. Et si rursus ea prima facie iusta videatur, sed propter aliquam causam actori iniquè noceat: rursus alia allegatione opus est, qua actor adiuuetur, quæ dicitur Triplicatio. Quarum omnium exceptionum vsum interdum vlterius quàm diximus, varietas negotiorum introducit: quas omnes apertius ex Digestorum latiore volumine facile est cognoscere.

Exceptiones autem, quibus debitor defenditur, plerunque accommodari solent etiam fideiussoribus eius: & rectè, quia quod ab ijs petitur, id ab ipso debitore peti videtur: quia mandati iudicio redditurus est eis, quod ij pro eo soluerint. Qua ratione, & si de non petenda pecunia pactus quis cum reo fuerit: placuit perinde succurrendum esse per exceptionem pacti conuenti illis quoque, qui pro eo obligati sunt, ac si etiam cum ipsis pactus esset, ne ab eis ea pecunia peteretur. Sanè quædam exceptiones non solent his accõmodari. Ecce enim debitor, si bonis suis cesserit, & cum eo creditor experiatur: defenditur per exceptionem, si bonis cesserit. Sed hæc exceptio fideiussoribus non datur: ideò scilicet, quia qui alios pro debitore obligat, hoc maximè prospicit, vt cùm facultatibus lapsus fuerit debitor, possit ab ijs, quos pro eo obligauit, suum consequi.

IN SV-

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1.2 Replicationum vsus; & diuersa appellationes.
3 Replicationu exempla.
4 Pactum prius eliditur per posterius.
5 De Duplicatione, Triplicatione, Quadruplicatione.
6 Non posse hodie progredi litigatores vltra duplicationem.

a L.1.§.2. de except.
b L. sub prætextu. C. de transact.
c L.3. C. de except.

A*Lia allegatione opus est.*] Vlpianus [a] ait necessarias esse replicationes vt exceptiones excludant. 1
Quæ replicatio vocatur.] Sicut & Græci ἀντιδιαστολὴν dicunt, quod replicare hîc dicimus.
appellãt ἀντιπαραγραφὴν, quam Latini replicationẽ. Rhetores vocare interdum id videntur firma-
mentum, & continens. sicut Græci συνέχον, quòd ius actoris contineat, firmet, ac tueatur. ¶ *Ad-* 2
iuuandi actoris gratia.] Hoc est, vt sustineatur actio labefactata: quæ si per exceptionem omnino
perempta fuisset & funditus euersa, non nisi noua actione posset hic actor adiuuari [b]. ¶ *Veluti* 3
cum.] Aliud non dissimile proponitur exemplum in rescripto Imp. Antonini [c] his verbis: Aduer-
sus fratrem tuum quondam tutorem legitimum, tutelæ iudicio si expertus non es, proposita
actione consiste. nec timueris exceptionem pacti, si in eo fraudem dolumque admissum probare
potes. Nam replicatio doli opposita, bonæ fidei iudicium facit, & commentum fraudis repellit.

d L. si vnus. §. pactus ne peteret. de pact.
e L. sed & si citerior. de const. pecu.
f dic. § pactus ne peteret.
g L. pacta nouiss. C. de pact.
h L.2. § pen. de except.

¶ *Cum pactus est aliquis.*] Nuda scilicet conuentione. Alioqui si hic fuisset acceptilatio, prima
obligatio prorsus esset sublata, nec posset deinde restitui, aut redintegrari. Nam posterius pactum
ad actionem reparandã esset inefficax [d]. ¶ *Deinde postea.*] Quandocunq; scilicet: adeò, vt etiam
post 30. annos id pactum prosit. Neque enim tempus hic vllum præbet obstaculum. Nam & id
tollit & amolitur noua pacto de petendo. ¶ *Id est, vt creditori petere liceat.*] Hæc interpretatio
adiecta est, vt hic intelligeremus posterius pactum omnino respondere priori obligationi, cuius
impedimentum amolitur, non etiam quicquam ei adijcit. alioqui enim non valeret. Quanquam
aliud sit in constituto [e]: cùm etiam ex eo agi possit. Nam ex eo oritur Prætoria obligatio, quæ
tametsi nihil nisi nuda conuentio sit, actionem tamen producit. ¶ *Replicatio ei dabitur.*] Paulus 4
ait; prius pactum per posterius elidi, non ipso iure, sed quia replicatio exceptionem elidat [f]. Sic
enim posteriora semper pacta seruanda sunt [g]. ¶ *Rursus interdum.*] Vlpianus hunc locum breui-
us explicat, inquiens [h]: Contra replicationem solet dari duplicatio: & contra duplicationem tri- 5
plicatio: & contra triplicationem rursus quadruplicatio: & ita deinceps multiplicantur nomina,
dum aut reus aut actor obijcit. Sed sciendum est; moribus hodie nostris forensibus non posse pro- 6
gredi litigatores vltra duplicationem.

§. *Exceptiones autem.*

1 Hunc §. pertinere ad titulum de Exceptionibus.
2 Mora sua debitor si amiserit exceptionu subsidium, fideiussori quoque nocet.
3 Declinatoria exceptio quæ debitori competit, non datur & fideiussori.
4 Quid, si fideiussoris intersit, à reo non peti.
5 Fideiussorum hic appellatione qui accipiendi sint?
6 Fideiussor cur exceptione debitoris, etiam inuito ipso, possit vti?
7 Exceptione qui submoueri potest verè creditor nõ est.
8 Cum alio facta conuentio alij quomodo prosit?
9 Vbi nulla est fideiussori mandati actio, nulla rei exceptio ei prodesset.
10 Iniquũ est, fideiussorẽ conueniri, reo prorsus liberato.
11 Pactum in rem fideiussori omnino prodest.
12 Exceptiones personæ cohærentes quæ?
13 Fideiussor omnem fere vtilitatem exceptionum etiam personalium ad sese hodie trahere quomodo possit?

i L. vlt. de pact.
k L.3. §. pe. D. quòd quisque iur.
l L. mora. de verb. oblig.
m dic. l. mora.

¶ *Exceptiones autem.*] Hæc coronis non tam pertinet ad hunc titulum, quàm ad superiorem 1
totum tractatum de exceptionibus. Idque frequenter fieri, in hisce Institutionibus alibi admo-
nuimus. ¶ *Quibus debitor defenditur.*] Aut saltem quibus sese defendere poterat, si non sponte
contrario pacto præsidium exceptionis sibi ademisset. Nam id fideiussori non oberit. Nec enim
semel ei quæsitam exceptionem potest debitor suo pacto tollere, aut inuito extorquere [i]. Quan-
quam fortasse suo delicto [k] possit. Nam & si debitor sua mora, exceptionis subsidium amiserit, 2
damnum quoque est fideiussoris [l]. Quanquam sanè eam exceptionem, quam sibi suo facto pepe-
rit fideiussor, nec ex persona debitoris habet, non perdat vllo vel pacto vel delicto debitoris [m].

n L. si reus. de iudic. l. creditor. D. mand.
o L. venditor. de iudic. l.1. C. vbi in rem act.
p L. fideiussoru. de pact.
q L. aduersus. de arbit.

¶ *Defenditur.*] Nempe aduersus id, quod ab eo petitur, ne id soluat aut faciat. Cæterùm si tan- 3
tùm exceptio pertineat ad declinandum iudicium: hæc fori præscriptio, quæ debitori competit,
non competet etiam fideiussori [n]. Adeò vt nec debitor quidem hîc possit fideiussorem defendere,
allegando illam suam exceptionem [o].

¶ *Plerunque accommodari solent etiam fideiussoribus.*] Contrà autem Paulus respondit [p]; fideius-
soris conuentione nihil prodesse reo: sed addit rationem, quæ huic loco omnino respondet: Quia
nihil eius interest, à debitore pecuniam nõ peti. Sic & Vlpianus [q]: Si cum fideiussore compromisi,
à quo arbiter peti vetuit, & à reo petam: nisi intersit fideiussoris, pœna nõ committetur. Vnde ap- 4
paret; vbi fideiussoris interesset, à reo non peti: competere reo pacti exceptionem: non secus atque
fideiussori

fideiussori competit, vbi debitoris interest. Certè à fideiussore exactum iusiurandum de ipsa re, etiam reo prodesse Cassius & Iulianus responderunt. Id enim solutionis loco esse[a].

5 ¶ *Etiam fideiussoribus.*] Generaliter hîc accipiendi sunt fideiussores: vt etiam contineantur
sponsores, & mandatores[b]: & quicunque alterius obligationi accedunt: non tamen ij, qui in debitoris locum succedunt & substituuntur, veluti expromissores[c].

¶ *Quia quod ab iis petitur.*] Hæc ratio eò propriè pertinet, cur fideiussor Rei exceptione posit v-
6 ti. Sed cur posit etiam inuito debitore: alia ratio quærenda est: Nempe, quòd magis expediat fideiussori non soluere, quàm solutum repetere mandati iudicio[d]. Et æquius est, vt hîc periclitetur creditor, potius quàm fideiussor[e]: cùm nec hîc verè creditor sit, qui potest exceptione submoueri[f].
7 Porrò ex ratione huius loci licet colligere, quod generaliter Paulus ait[g]: Cum alio factam conuen-
8 tionem alij prodesse, cùm per eum, cui exceptio datur, principaliter ei, qui pactus est, proficiat. Vnde idem Paulus ait; debitoris cõuentionem fideiussoribus prodesse[h]. Et addit postea[i] rationem: nempe propter rei personam, ne mandati postea conueniatur à fideiussore. Itaque vbi nulla esset
9 mandati actio; vt si quis fortè animo donandi fideiusserit: dicendum videtur; nullam rei exceptionem prodesse fideiussori. Certè Vlpianus ait[k]; Veteres solitos dicere, pacti exceptionem fideiussori dandam, quæ reo competit. Cuius exemplo refert Iulianum scripsisse; Si quis reum habeat & fideiussorem; legata reo liberatione, fideiussorem quoque liberare. ne alioqui alia ratione reus conueniri posit à fideiussore. qui tamen si donationis causa interuenisset, nec aduersus reum habeat regressum: non liberabitur, nisi alia fuerit legantis mens. Hæc Vlpianus. Quòd autem alibi ait[l]; vbi hoc actum est, vt duntaxat à reo non petatur, non vti fideiussorem exceptione: accipiendum videtur, quando fideiussor visus est tali pacto & personali liberationi consensisse; iusque suum re-
10 misisse. Alioqui aut inutile pactum erit reo, si à fideiussore mandati iudicio posit conueniri; aut ipse quoque debet liberari fideiussor: quem iniquum esset conueniri, reo prorsus liberato. Salrem enim posset hoc iure à creditore agente exigere cessionem suæ actionis, quam si iam reo creditor remiserit, iure poterit à fideiussore repelli[m], si minus ipsius pacti, saltem doli exceptione.

11 ¶ *De non petenda pecunia pactus quis cum reo.*] Obseruandum hic est; in rem esse pactum: quod omnino fideiussori prodest[n]. Nam pactus quidem est cum reo creditor non petere: sed pactus non est tantùm à reo non petere. Cæterùm si addita esset persona, veluti de non petenda pecunia à reo siue debitore: non prodesset huius pacti exceptio fideiussori[o]. Cui tamen alia ratione succurrendum esse suprà diximus.

12 ¶ *Quædam exceptiones.*] Nempe eæ, quæ personæ cohærent[p]. Cohærent autem personæ, quæ non respiciunt ipsam obligationem. Verùm non debet nos admodum hodie torquere
13 hoc discrimen. Nam fideiussor per exceptionem excusionis nouo illi iure tributam, potest omnem ferè vtilitatem exceptionum etiam personalium ad sese trahere. Potest enim cogere creditorem, vt prius excutiat debitorem: à quo si exceptione repellatur, meritò poterit & à fideiussore repelli. Deinde etiam posset fideiussor petere cedi sibi actionem: quam si non habeat creditor, aut habeat inutilem, sua saltem culpa: non debet fideiussori esse molestus, sed sibi imputare.

¶ *Ecce enim.*] Aptissimum est, quod subiicit, exemplum, vbi nulla ratione potest elabi fideiussor.

a L. duobus. §. 1. de iureiu.
b L. tum mandatori. C. de non nu. pecu.
c L. frustra. C. de non nu pec. l. qui Libertinos duos in fi. de oper. libe.
d L. si stipulatus. de fideiuss.
e L. fideiussori. de donat.
f L. creditor & l. creditores. de ver signif.
g L. fideiussoris. de pact.
h L. & heredi. §. vlt. de pact.
i L. quòd dictũ illo cit.
k L. si quis reum. de liber. lega.
l L. nisi hoc actum. de pact.
m L. Stichum. §. pen. de solutio.
n L. exceptione. 2. §. 1. de except.
o L. nisi hoc actum. de pact.
p D. d. exceptiones. 8.

De interdictis, Titulus XV.



Equitur, vt dispiciamus de Interdictis, seu actionibus, quæ pro his exercentur. Erant autem interdicta formæ atque conceptiones verborum, quibus Prætor aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat. quod tunc maximè fiebat, cum de possessione, aut quasi possessione inter aliquos contendebatur.

Summa autem diuisio interdictorum hæc est, quòd aut prohibitoria sunt, aut restitutoria, aut exhibitoria. Prohibitoria sunt, quibus Prætor vetat aliquid fieri, veluti vim sine vitio possidenti, vel mortuum inferenti, quò ei ius erat inferendi: vel in sacro loco ædificari, vel in flumine publico ripáve eius aliquid fieri, quo peius nauigetur. Restitutoria sunt, quibus restitui aliquid iubet: veluti bonorum possessori possessionem eorum, quæ quis pro hærede, aut pro possessore possidet ex ea hæreditate: aut cùm iubet ei, qui vi de possessione deiectus sit, restitui possessionem. Exhibitoria sunt, per quæ iubet exhiberi: veluti eum, cuius de libertate agitur: aut libertum, cui patronus operas indicere velit: aut parenti liberos, qui in potestate eius sunt. Sunt tamen, qui putent, propriè interdicta ea vocari, quæ prohibitoria sunt, quia interdicere sit denuntiare & prohibere: restitutoria autem & exhibitoria, propriè Decreta vocari. Sed tamen obtinuit, omnia interdicta appellari, quia inter duos dicuntur.

Sequens diuisio interdictorum hæc est, quòd quędam adipiscendę possessionis causa comparata sunt, quædam retinendæ, quædam recuperandæ. Adipiscendæ possessionis causa interdictum adcommodatur bonorum possessori, quod appellatur QVORVM BONORVM: eiusque vis & potestas hæc est: vt quod ex iis bonis quisque, quorum possessio alicui data est, pro hærede, aut pro possessore possideat: id ei, cui bonorum possessio data est, restituere debeat. Pro hærede autem possidere videtur, qui putat se hæredem esse. Pro possessore is possidet, qui nullo iure rem hæreditariam, vel etiam totam hæreditatem, sciens ad se non pertinere, possidet. Ideo autem adipiscendæ possessionis vocatur interdictum: quia ei tantùm vtile est, qui nunc primùm conatur adipisci rei possessionem. Itaque si quis adeptus possessionem amiserit eam: hoc interdictum ei inutile est. Interdictum quoque, quod appellatur Saluianum, adipiscendæ possessionis causa comparatum est: eoque vtitur dominus fundi de rebus coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigisset. Retinendæ possessionis causa comparata sunt interdicta VTI POSSIDETIS, & VTRVBI: cùm ab vtraque parte de proprietate alicuius rei controuersia fit: & antè quæratur, vter ex litigatoribus possidere, & vter petere debeat. Nanque nisi antè exploratum fuerit, vtrius eorum possessio sit, non potest petitoria actio institui: quia & ciuilis, & naturalis ratio facit, vt alius possideat, & alius à possidente petat. Et quia longè commodius est & potius possidere, quàm petere: ideo plerunque & ferè semper ingens existit contentio de ipsa possessione. Commodum autem possidendi in eo est, quòd etiam si eius res non sit, qui possidet: si modò actor non potuerit suam esse probare: remanet in suo loco possessio. propter quam causam cùm obscura sunt vtriusque iura: contra petitorem iudicari solet.

Sed interdicto quidem VTI POSSIDETIS, de fundi vel ædium possessione contenditur: VTRVBI verò interdicto, de rerum mobilium possessione. Quorum vis ac potestas plurimam inter se differentiam apud veteres habebat. Nam VTI POSSIDETIS interdicto is vincebat qui interdicti tempore possidebat: si modò nec vi, nec clàm, nec precariò nactus fuerat ab aduersario possessionem: etiam si alium vi expulerat, aut clàm arripuerat alienam possessionem, aut precariò rogauerat aliquem, vt possidere sibi liceret. VTRVBI verò interdicto is vincebat, qui maiore parte eius anni, nec vi, nec clàm, nec precariò ab aduersario possidebat. Hodie tamen aliter obseruatur. Nam vtriusque interdicti potestas (quantum ad possessionem pertinet) exæquata est: vti ille vincat, & in re soli, & in re mobili, qui possessionem nec vi, nec clàm, nec precariò ab aduersario litis contestatæ tempore detinet.

Possidere autem videtur quisque, non solùm si ipse possideat, sed & si eius nomine aliquis in possessione sit, licet is eius iuri subiectus non sit, qualis est colonus & inquilinus. Per eos quoque, apud quos deposuerit quis, aut quibus commodauerit, ipse possidere videtur. Et hoc est, quod dicitur, retinere possessionem posse aliquem per quemlibet, qui eius nomine sit in possessione. Quinetiam animo quoque solo retineri possessionem placet: id est, vt quanuis neque ipse sit in possessione, neque eius nomine alius: tamen si non relinquendæ possessionis animo, sed postea reuersurus, inde discesserit, retinere possessionem videatur. Adipisci verò possessionem per quos aliquis potest, secundo libro exposuimus. Nec vlla dubitatio est, quin animo solo adipisci possessionem nemo possit.

Recuperandæ possessionis causa solet interdici, si quis ex possessione fundi vel ædium vi deiectus fuerit. Nam ei proponitur interdictum VNDE VI, per quod is, qui deiecit, cogitur ei restituere possessionem: licet is ab eo, qui vi deiecit, vi vel clàm, vel precariò possideat. sed ex Constitutionibus sacris (vt suprà diximus) si quis rem per vim occupauerit, si quidem in bonis eius est, dominio eius priuatur. si aliena: post eius restitutionem, etiam æstimationem rei dare vim passo compellitur. Qui autem aliquem de possessione per vim deiecerit: tenetur Lege Iulia de vi priuata, aut de vi publica. sed de vi priuata, si sine armis vim fecerit. sin autem armis eum de possessione vi expulerit: de vi publica tenetur. Armorum autem appellatione non solùm scuta, & gladios, & galeas, sed & fustes, & lapides significari intelligimus.

Tertia diuisio interdictorum est, quòd aut simplicia sunt, aut duplicia. Simplicia sunt, veluti in quibus alter actor, alter reus est: qualia sunt omnia restitutoria, aut exhibitoria. Nam actor is est, qui desiderat aut exhiberi, aut restitui. reus autem is est, à quo desideratur, vt restituat, aut exhibeat. Prohibitoriorum autem interdictorum alia simplicia sunt:

plicia sunt: alia duplicia. Simplicia sunt, veluti cùm Prætor prohibet in loco sacro, vel in flumine publico, ripáve eius aliquid fieri. Nam actor est, qui desiderat, ne quid fiat: reus est, qui aliquid facere conatur. Duplicia sunt, veluti VTI POSSIDETIS interdictum, & VTRVBI. ideo autem duplicia vocantur, quia par vtriusque litigatoris in his conditio est: nec quisquam præcipuè reus vel actor intelligitur: sed vnusquisque tam rei quàm actoris partes sustinet. De ordine & vetere exitu interdictorum superuacuum est hodie dicere. Nam quoties extra ordinem ius dicitur (qualia sunt hodie omnia iudicia) non est necesse reddi interdictum: sed perinde iudicatur sine interdictis, ac si vtilis actio ex caussa interdicti reddita fuisset.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 Prætoris erat interdicere.
2.3.4 Interdictorum alia proprietatis, alia quasi proprietatis, alia mixtam caussam habent possessionis & proprietatis.

D*E interdictis seu actionibus, quæ pro his exercentur.*] Primus titulus libri quadragesimitertij Pandectarum, inscribitur, De interdictis, seu extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt.

¶ *Forma & conceptiones verborum.*] De ordine veteri & forma iudiciorum sub finem huius tituli aliquid dicemus. Sed formulas & conceptiones verborum, quarum hîc meminit Iustinianus, attingit & Cicero in Oratione pro Cæcinna.

¶ *Quibus Prætor.*] Propriè Prætoris erat interdicere. aliquando tamen significat ex interdicto
1 petere, & ad ipsos litigatores pertinet. Vt apud Fabium libro tertio, capite octauo. Non debuisti interdicere, sed petere. ¶ *Maximè fiebat.*] Interdum autem & cùm alia de re contendebatur.
2 Nam quædam interdicta pertinent ad causam proprietatis[a]. Eius generis est interdictum de arboribus cædendis: item de aqua ducenda ex riuo, quò mihi ius est[b]. Quædam interdicta habent
3 causam quasi proprietatis: vt quæ dantur de liberis nostris exhibendis. Quædam mixtam causam
4 habent possessionis & proprietatis, vt interdictum De itinere actuque priuato: quo nempe agitur vt iter vel actum liceat reficere[c].

a L.2. §. quædam interdicta. de interd. l. 1. de mor. infer
b L.1 §. vlt. de aqua quot. & æst.
c L.3 §. ait Prætor. de iti. actuq. pri.

§. *Summa diuisio.*

1 Omnia omnino interdicta aut prohibitoria *sunt, aut* restitutoria, *aut* exhibitoria.
2.3 Iustè & sine vitio quis possideat?
4 Si quis missus in possessionem non admittatur, quod præter interdictum is habeat remedium?
5 Interdictis prohibitoriis de mortuo inferendo hodie nobis non est opus.
6 Quid, si quis in alienum locum intulerit?
7 In loco sacro non solùm facere vetamur, sed & factum restituere iubemur.
8 Interdictum, ne quid in loco publico fiat, merè prohibitorium est, non etiam restitutorium.
9 De cloacis & prohibitorium & restitutorium est.
10 De duobus interdictis restitutoriis, Adipiscendæ possessionis & recuperandæ.
11 Restitutorium propriè quod; & quid restituere? num. 12.
13 De interdicto libertatis tuendæ caussa proposito.
14 Interdictum de liberis exhibendis; item de liberis ducendis.
15 Alciati emendatio hic qualis?

1 ¶ *Summa diuisio.*] Quæ scilicet concludit omnia omnino interdicta, siue publica, siuè priuata, siue causam possessionis contineant, siue proprietaris. videtur autem hæc generalis diuisio sumpta ex responso Vlpiani[d], qui ait interdictorum tres esse species. Exhibitoria, prohibitoria, restitutoria. Addit præterea quædam esse mixta, nempe quæ prohibitoria sunt & exhibitoria.

d L.1. §. interdictorũ. de interdict.

2 ¶ *Sine vitio possidenti.*] Hoc est, ei, qui nec vi, nec clàm, nec precariò possidet. Vt intelligas hîc agi de interdicto retinendæ possessionis, quo tuetur & propugnat Prætor iustam possessionem. Est aliud interdictum, quod quidem non ad possessorem, sed ad eum, qui in possessionem missus
3 est (differt autem is à possessore[e]) pertinet. Iustè enim & sine vitio possidet, qui autore Prætore possidet[f]. Et quia frustra erat in possessionem mittere, nisi & missos tueretur Prætor: ideo dixit[g], SI QVIS DOLO MALO FECERIT, QVOMINVS QVIS PERMISSV MEO, EIVSVE, CVIVS IVRISDICTIO DE EA RE FVERIT, IN POSSESSIONE BONORVM SIT: IN EVM IN FACTVM IVDICIVM, QVANTI EA RES ERIT, OB QVAM MISSVS ERIT IN POSSESSIONEM, DABO. Est autem interdictum generale. & pertinet ad omnes, qui in possessionem à Prætore missi sunt: siue rei seruandæ causa, siue Legatorum, siue ventris, vel damni infecti nomine. Erat autem

e L. si quis ante §. sed lõge. de acqu. possess.
f L. iusta. de acq. poss.
g L.1. D. ne vis fi. ei. qui in poss. miss. est.

a L.3.§.creditores.D. uti poßid.

b L. si quis missus.D. ne vis fi.ei. &c.

id necessarium: quia interdictum *VTI POSSIDETIS*, propriè ad eos non pertinet[a]. Sanè si quis 4
missus in possessionem non admittatur: præter interdictum, habet aliud paratius remedium: vt
videlicet petat à Prætoribus, vt ipsi iure potestatis suæ exequantur decretum suum, etiam per
manum militarem, si opus sit[b]. Olim huius interdicti loco apud Athenienses erat ἐξούλης δίκη: de
qua paulò pòst plura dicemus.

¶ *Vel mortuum inferenti.*] Prætor ait; *QVO QVA'VE ILLI MORTVVM INFERRE, INVITO TE, EI IVS EST: QVO MINVS ILLI EO EA'VE MORTVVM INFERRE, ET IBI SEPELIRE LICEAT, VIM FIERI VETO.* Addit Vlpianus, palàm esse, hoc interdictum esse prohibitoriũ, quo
vtitur dominus proprietatis, cui libetum est locum suum illatione mortui religiosum facere, vel
sepelire in familiaribus suis loculis & domesticis sepulchris. Liberum autem ei est, qui prohibetur
mortuum inferre, aut statim interdicto vti, quo prohibetur ei vis fieri: aut aliò inferre, & postea
in factum agere: per quam actionem consequetur actor, quanti eius interfuit prohibitum non

c L. liberum. de relig. & sumpt. fu.

esse[c]. Nos hodie his iudiciis opus non habemus, nisi fortè aduersus auaritiam sacerdotum, qui 5
prohibent nisi pecuniam certam pendas, mortuum sepeliri in publico & sacro loco, qui destinatus erat communibus omnium sepulturarum vsibus. Porrò extat & aliud Prætoris interdictum
prohibitorium, *NE VIS FIAT AEDIFICANTI SEPVLCHRVM, QVO ILLI IVS EST MORTVVM INFERRE.*

d L. si quis intulit. de relig. & sumpt. fu.

¶ *Quo ei ius erat inferendi.*] Quòd si quis in alienum locum intulerit: aut id tollere, quod intu- 6
lit, aut loci precium præstare cogetur per actionem in factum[d].

e L. 1. D. ne quid in loco sacro

f L. 2 §. locorũ. D ne quid in loc. vel itin. fu.

¶ *Vel in loco sacro ædificari.*] Prætor ait[e]: *IN LOCO SACRO FACERE, IN'VE EVM IMMITTERE QVID, VETO.* Et est id quoque prohibitorium. Quòd si quis iam fecerit, vel immiserit, hoc
interdictũ erit restitutorium: vt quod temerè factũ est, auferatur. Sic enim scribit Vlpianus[f]: Lo- 7
corum sacrorum diuersa est causa: in loco enim sacro, non solum facere vetamur, sed & factum re-
stituere iubemur. hoc propter religionem. Cæterùm interdictum, ne quid in loco publico fiat, 8
merè prohibitorium est, non autem restitutorium. Vnde si quis nemine prohibente in publico
ædificauerit, non cogetur tollere: saltem si non obstat publico vsui. Sed ei imponetur solarium, si-
ue vectigal, quod pro solo penditur.

g L. 1. de fluminibus.

¶ *Vel in flumine publico ripáve.*] Ait Prætor[g]: *NE QVID IN FLVMINE PVBLICO, RIPA'VE EIVS FACIAS: NE QVID IN FLVMINE PVBLICO, NE'VE IN RIPA EIVS IMMITTAS, QVO STATIO ITER'VE NAVIGIO DETERIVS SIT, FIAT.* Deinde: *QVOD IN FLVMINE PVBLICO, RIPA'VE EIVS FIAT, SIVE QVID IN ID FLVMEN, RIPA'MVE EIVS FACTVM, VEL IMMISSVM HABEAS, QVO STATIO ITER'VE NAVIGIO DETERIVS SIT, FIAT, RESTITVAS.* Superius interdi-
ctum (inquit Vlpianus) prohibitorium est, hoc restitutorium. Extant & interdicta prohibito-
ria de riuis & fonte. De cloacis autem, & prohibitorium & restitutorium est[h]. 9

h L. 1. de cloac.

¶ *Restitutoria sunt.*] Proponuntur hic duo interdicta restitutoria: quorum prius postea dici-
tur esse Adipiscendæ possessionis: Alterum Recuperandæ. Illud hic admonendi sumus, ne quis 10
miretur idem interdictum restitutorium esse, & Adipiscendæ possessionis: propriè restiturorium 11
esse, quod attinet ad personam rei restituentis. Sed & hic potest actor petere possessionem sibi re-
stitui: vt verbum restituendi simpliciter ac generaliter accipiamus pro verbo dandi, sicut & ple- 12
runque verbum reddendi accipitur[i].

i L. verbum reddẽdi. de ver sig. l. cũ quidã. de lega. 2.

k L. 1. de libe. hom. exhib.

l L. 3. §. hoc interdictum. D. illo tit.

m L. si liber homo. D. ad exhib.

¶ *Veluti eum, de cuius libertate agitur.*] Ait Prætor; *QVEM LIBERVM HOMINEM DOLO MALO RETINES EXHIBEAS.* Et hoc interdictum, ait Vlpianus[k], proponitur tuendæ libertatis cau- 13
sa, videlicet ne liberi homines retineantur à quoquam: & omnibus competit. Nemo enim pro-
hibendus est libertati fauere[l]. Fuisse autem hoc generale interdictum necessarium, eleganter ex-
plicat Caius[m], his verbis; Si liber hõmo detineri ab aliquo dicatur, interdictum aduersus eum, qui
detinere dicitur, de exhibendo eo, potest quis habere. Nam ad exhibendum actio, in eam rem vi-
detur inutilis: quia hæc actio ei creditur competere, cuius peculiariter interest.

¶ *De cuius libertate agitur.*] Hoc est, de quo in pristinam libertatem asserendo, agitur: Si qui-
dem certò constet eum liberum esse. Tum demum enim hoc interdictum locum habet. Cæterùm
si quæratur de eius statu: non oportet præiudicium fieri alienæ cognitioni, inquit Vlpia-
nus[n].

n L. 3. §. si quis nescit. de lib. hom exhib.

¶ *Aut libertum.*] Hic adiicit Iustinianus alterum exemplum eiusdem interdicti de libero
homine exhibendo: vt declaret duplicem illius vsum: quia primùm proponitur in vniuersum ad
tuendam libertatem: & specialiter ei, cuius peculiariter interest, datur. Veluti si quis meum liber-
tum, tanquam seruum detineat, & ego petam eum exhiberi, ne faciam iacturam operarum, quas
ille mihi præstare debet. Atque hîc, si agere velit patronus, præferetur alteri extraneo. Cùm enim
plures sunt, qui experiri volunt hoc interdicto, is eligitur ad quem res maximè pertinet[o]. Id
quod etiam traditum est & de iudiciis popularibus.

o Dict. l. 3. §. si tamen plures.

¶ *Aut parenti liberos.*] Hic propriè Iustinianus significat interdictum de liberis exhibendis.
Aliud autem est interdictum de liberis deducendis: quod ex iisdem causis competit[p]. Porrò inter- 14
dictum de liberis exhibendis, vehementius est quàm superius illud de libero homine exhiben-
do: quia Prætor hîc non admittit causam, cur apud eum sit is, qui exhiberi debet[q], quemadmo-
dum in superiori: sed omnino restituendum putauit, si in potestate est: nisi quòd hîc mater ali-
quando excipere possit: apud quam ex iusta causa potius, quàm apud patrem morari debet fi-
lius.

p L. 3. §. 1. de lib. hom. exhi vel deduc.

q L. 1. §. in hoc. de libe. hom. exh.

lius. Sed & si quis filiam suam, quæ mihi nupta sit, velit abducere, vel exhiberi sibi desideret: respõdit Vlpianus, exceptionem dandam: ne bene concordantia matrimonia iure patriæ potestatis turbentur. Et addit Venuleius[a]; Imò magis de vxore exhibenda ac deducenda. Paret etiam, qui filiam in potestate habeat, à marito rectè conuenitur. Idque apertè continetur rescripto Impp. Diocletiani & Maximiani[b].

¶ *Liberos.*] Quos scilicet inuitos alius detinet: aduersus quem hoc interdicto agitur. Sed si filius sua sponte apud aliquem est: inutile hoc interdictum erit[c]. & aduersus ipsum filium cessat, si is fortè neget se esse in potestate. Verùm hîc succedere poterit notio Prætoris, apud quem disceptabitur, vtrùm quis sit in potestate, an non[d]. Si tamen hæc controuersia inter parentes & liberos incideret occasione bonorum, de quibus principaliter quæritur: locus erit huic interdicto[e].

15 ¶ *Quia inter duos dicuntur.*] Ita etiam hunc locum legisse videtur Theophilus. Alciatus tamen aliter legit, & pro his verbis, INTER DVOS substituit, INTERIM. Et restatur in quibusdam veteribus exẽplaribus ita legi. Nec sanè videtur omnino repudianda hęc lectio. Reuera enim hic edicitur interim dum pleniori iudicio de iure proprietatis quęreretur. Sic dicitur interlocutio, sententia Iudicis lata interim dum adhuc quæritur de principali controuersia[f]. Verùm hæc lectio propriè tantùm pertineret, ad sequentia interdicta de possesionibus, quæ litem principalem non finiunt.

a *L. 2. D. illo tit.*
b *L. si inuita. C. de nupt.*
c *L. vlt. de lib. exhib.*
d *L. 3. §. hoc autem interdictum compet. de lib. exhib.*
e *L. pen. D. illo tit. L. vlt. C. eo tit.*
f *L. post sententiam. C. de sent. & interlo.*

§. Sequens.

1 *De priuatis hîc agi interdictis in quibus de possessione quæritur.*
2 *Quod bonorum possessori tributum est, communicatur & heredi.*
3 *Apud Athenienses quoque olim vt non licuerit bonorum possessionem, quam scriptus heres peteret, remorari.*
4 *De interdicto, quorum bonorum.*
5 *De interdicto, quod legatorum.*
6 *Interdictum quorum bonorum, quatenus ad vniuersitatem pertinere dicatur?*
7 *Hoc corporum solummodo possessores teneri.*
8 *Hæreditatis petitio earum quoque rerum nomine competit, quas defunctus simpliciter detinebat.*
9 *Aduersus alium possessorem, quàm qui pro herede aut pro possessore possideat, specialis in rem actio datur.*
10 *Interdictum quorum bonorum & petitio hereditatis quid differant? idq; declaratum exemplis, num. 11. 12.*
13 *Debitores hereditarij cur petitorio non autem possessorio iudicio conueniendi sint?*
14. 16 *Pro herede possidere quis dicatur?*
15 *An is, qui scit se heredem non esse, pro herede possideat?*
17 *Vsucapio pro herede vbi locum habeat?*
18. 19 *Pro possessore quis possideat?*
20 *Hic titulus pro possessore quomodo omnib. titulis adhereat?*
21 *Possessio rei non censetur continuari, vel ipso iure transmitti in heredes, fallit num. 22.*
23 *De interdicto Saluiano; & huic affini Seruiano. num. 24. 26.*
25 *Exceptio dominij an recipiatur in iudiciis possessoriis?*
27. 28 *Saluiano vtitur dominus aduersus colonum directò, aduersus alium possessorem vtili.*
29 *Non minus iuris habet tacita hypotheca rerum inquilini, quàm expressa coloni.*
30 *Rerum rusticarum à colono inductarum, an tacita aliqua sit pro mercedibus hypotheca?*
31 *Mercedibus solutis competit interdictum de migrando.*

¶ *Sequens diuisio interdictorum hæc est.*] Eorum scilicet priuatorum, in quibus de possessione quæritur. Nam de iis tantùm hîc parat dicere Iustinianus: & ad ea pertinet hæc diuisio. Paulus[g], ex cuius responso hæc diuisio sumpta est, satis significat, se agere de priuatis interdictis: quæ dicit spectare ad rem familiarem.

g *L. 2. §. hæc autem. de interd.*

1 ¶ *Accommodatur bonorum possessori.*] Atque etiam hæredi[h], si minus directum, saltem vtile: Vt
2 quod bonorum possessori tributum est, communicemus hæredi Iure Ciuili succedenti, cuius non inferior est causa. Sicuti petitionem hæreditatis, quæ est petitorij iudicij, communicamus bonorum possessori, cui datur possessoria hæreditatis petitio. Sanè si quis ex testamento hæres sit: poterit quoque hoc interdicto vti, agnita bonorum possessione secundum tabulas. Est aliud affine remedium ex noua Iustiniani Constitut.[i] qua scriptus hæres, qui ostendit integrum testamentum, quo nititur, statim in bonorum possessionem mitti iubetur. Quòd si eorum possessor refragetur: causa possessionis obiter cognita, iudicatur secundum eum, cuius iustior est possidendi causa. Alia autem exceptione aut contestatione non licet remorari possessionem scripti hæredis,
3 tametsi etiam testamentum falsum esse dicatur[k]. Sanè nec olim apud Athenienses temerè licuisse, bonorum possessionem, quam scriptus hęres petierat, vlla contestatione remorari, aut summouere, satis indicat Isæus Orator, qui περὶ φιλοκτήμονος κλήρου, ita ait, καίτοι εἰ μὲν διέθετο φιλοκτήμων, μὴ ἐξὸν αὐτῷ, τοῦτ' αὐτὸ ἐχρῆν διαμαρτυρεῖν, ὡς οὐ κύριος ἦν τῶνδε ποιήσασθαι, εἰ δ' ἐξεῖναι μὲν διαθέσθαι, ἀμφισβητεῖ δὲ ὡς οὐ δόντος οὐδὲ διαθεμένου, μὴ διαμαρτυρίᾳ κωλύειν, ἀλλ' εὐθυδικίᾳ εἰσιέναι. Quem locum ita interpretatur Budæus; Atqui si Philoctemon testatus est, cùm testamenti factionem non haberet: hoc

h *L. 1. C. quorũ bono.*
i *L. vlt. C. de edict. diui Adr. tol.*
k *L. 2. C. de edict. diui Adr. tol.*

ipsum oportuit contestatione obiectum, quòd testandi compos non esset. Sin nihil est, quod testamenti factionem ei ademerit, iste autem de hæreditate ambigit, & controuertit, tanquam ad se delata: quando nec donatione causa mortis defunctus, nec vltimo elogio quicquam de eo statuit: profectò lege ille agere recta, iudicioque legitimo experiri debuit, nō etiam iudicium remorati contestatione. Idem Orator, cùm Chærestratus tanquam testamento adoptatus, iure bonorum possessionem peteret, fatetur quidem licuisse cuilibet aduersus eum de hæreditate certare: at non impedire vlla contestatione ipsam bonorum possessionem ac missionem. quod facere volebat quidam Androcles causatus legitimum naturalemque testatoris filium superesse. λαχόντος (inquit) τοῦ Χαιρεστράτου κατὰ τὸν νόμον τοῦ κλήρου, ἐξῆν ἀμφισβητῆσαι τῷ Ἀθηναίων τῷ βουλομένῳ. ὁ δὲ Ἀνδροκλῆς διαμαρτυρεῖ μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον, ἀποστερῶν οὕτως τοὺς ἀμφισβητοῦντας.

¶ *Quod appellatur quorum bonorum.*] Hæc appellatio sumpta est ex primis verbis ipsius edicti 4
a L. 1. D. quorum. bon. Prætorij. Ait enim Prætor[a], QVORVM BONORVM EX EDICTO MEO, ILLI POSSESSIO DATA
EST: QVOD DE HIS BONIS PRO HÆREDE, AVT PRO POSSESSORE POSSIDES, POSSIDERESVE,
SI NIHIL VSVCAPTVM ESSET, QVOD QVIDEM DOLO MALO FECISTI, VTI DESINERES POS-
SIDERE: ID ILLI RESTITVAS. Sic etiam dicitur interdictum, QVOD LEGATORVM: quia edi- 5
xit Prætor, QVOD LEGATORVM NOMINE, NON EX VOLVNTATE EIVS, AD QVEM EA RES
PERTINET, OCCVPAVIT QVIS, AVT DOLO DESIIT POSSIDERE: ID ILLI RESTITVAT. Idque
etiam restitutorium est, & adipiscendæ possessionis. Datur enim hæredi aduersus eum, qui occupauit, & possidet rem hæreditariam pro legato. Item aduersus eum, qui Legatorum seruandorum causa missus est in possessionem à Iudice, cùm illi eo nomine ab hærede satisdatum iam sit, nec tamen velit possessione cedere[b].
b L. 1. D. quod legato.
c Dict. l. 1.

¶ *Quod ex iis bonis.*] Hoc interdictum dicitur pertinere ad vniuersitatem bonorum [c], quod 6
attinet ad ipsum agentem. Nemo enim eo experiri potest, nisi hæres sit ex aliqua bonorum vniuersitate, veluti Asse, aut Semisse. Datur tamen & aduersus eum, qui vnam aliquam rem hæreditariam possidet. Sic petitio hæreditatis dicitur iudicium vniuersale, etiam si instituatur aduersus eum, qui possidet rem vnam hæreditariam, licet minimam[d].
d L. licet minimam. de pet. hæred.

¶ *Quorum possessio alicui data est.*] Edicto scilicet vel decreto Prætoris: vt hic præterius, nihil intelligas, & nihilominus opus sit corporali rerum possessione, quam hoc interdicto persequimur. 7
e L. vlt. D. quorū bon. Vnde eo solùm tenentur corporum possessores[e]. Porrò præter id quod dicitur de bonis, quorum possessio alicui data est: adiici debet; quæ defunctus tempore mortis habuit, saltem possidendo
f L. 2. C. quorū. bon. pro suis[f]. Sic ex Constitutione Iustiniani[g], scriptus hæres mittitur in possessionem earum re-
g L. vlt. C. de edict. diui Adr. toll. rum, quæ mortis tempore testatoris fuerunt. Certè hæreditatis petitio competit etiam earum 8
rerum nomine, quas defunctus simpliciter detinebat: veluti depositas, commodatas, aut pigno-
h L. & non tantum. de petit. hæred. ri datas, quarum periculum ad hæredem pertinet[h].

¶ *Pro hærede, aut pro possessore.*] Nullo scilicet alio iure, aut titulo. Alioqui contra titulo possidentem, non daretur hoc interdictum possessorium: cùm nec ipsa petitio hæreditatis detur aduer-
i L. regulariter. de pet. hæred. l. hæreditatem C. illo tit. sus alium, quàm eum qui possidet pro hærede vel possessore[i], aduersus alium possessorem, speciali 9
in rem actione experiundum est.

k L. vlt. D. quorū bon. ¶ *Possideat.*] Non meminit Iustinianus quasi possessionis rerum incorporalium, quia nec eo
l. vlt. C. illo tit. nomine competit hoc interdictum[k]: quanquam aliud sit in petitione hæreditatis[l]. Discriminis 10
l L. regulariter. l. etiā. §. vlt. de pet. hæred. ratio est: quia hoc interdictum non competat, nisi earum rerum ab alio possessarum nomine, quas
m L. 2. C. quorū. bon. defunctus habuit[m]. Quibus verbis excludimus iura tum realia, tum personalia. Primùm Iuris
Realis, quod defunctus habuit, quasi possessionem nemo simpliciter intercipere potest in fraudem hæredis. Finge defunctum quasi possedisse ius alicuius realis seruitutis. Id quominus ad 11
hæredem eius transeat, nemo temerè faciet. Nam si quis contendat per eundum fundum ius eundi ad suum fundum: id ad hæredem non pertinet, qui nihilominus integro suo iure vtetur. Quòd si quis idem ius eundi ad fundum hæreditarium, cui seruitus debetur, sibi arroget: nihil agit, nisi eum ipsum fundum possideat. Quòd si possideat: iam rectè competet hoc interdictum eius corporalis possessionis nomine. Et fundo restituto, simul intelligetur restitutum ius seruitutis, quod
ei debetur, & ei cohæret. Porrò si agatur de iure personali: id hæreditarium esse non potest. Finge 12
defunctum stipulatum sibi hæredique suo vti frui licere: Vsusfructus defuncti cum eo extingui-
n L. stipulatio ista. §. vsusfruct. de ver. sign. tur, & alius est vsusfructus qui hæredi competit[n]. quem si quis, tanquam hæres cùm hæres non sit, vsurpet, nihil intercipit earum rerum, quas defunctus habuit. Ideoque non potest teneri hoc interdicto. Quod ad debitores hæreditarios pertinet: illi nihil possunt restituere, nisi quod debent.
o L. vlt. D. quor. bon. Ideo petitorio iudicio conueniendi sunt: non autem hoc possessorio[o]. 13

¶ *Pro hærede autem.*] Addit Iustinianus interpretationem ex ipso Vlpiano; qui cùm docuisset petitionem hæreditatis dari aduersus eum demum, qui pro hærede vel possessore possidet, sub-
p L. pro hærede. de pet. hæred. iunxit[p]: Pro hærede possidet, qui putat se hæredem esse. Sed an is, qui scit se hæredem non esse, pro 14
hærede possideat, quæritur. & Arrianus libro secundo de Interdictis, putat teneri. Quo iure nos vti 15
Proculus scribit. Sed enim & bonorum possessor pro hærede videtur possidere. Quibus verbis docemur. Nihil hic interesse, vtrùm quis se putet Iure Ciuili hæredem, an Iure Honorario bonorum 16
possessorem.

¶ *Qui putat se hæredem esse.*] Cùm tamen re vera hæres non sit. Cæterùm vt locum habeat vsucapio

17 capio pro hærede non dicetur pro hærede possedisse, nisi qui reuera hæres erat, quamuis iniustus.
Neque hîc sola suffecerit opinio [a]. a L. 1 & 3. C. de vsu-
18 ¶ *Pro possessore is possidet.*]Inquit Vlpianus[b]; Pro possessore possidet prædo, qui interrogatus, cap. pro hære. l. Celsus
cur possideat responsurus sit, quia possideo: nec contendit se hæredem, vel per mendacium: nec de vsucap.
19 vllam aliam causam possessionis potest dicere. Alibi idem Vlpianus[c], Prædones hîc accipi docet b L. pro hærede. §.
eos: qui cùm scirent ad se non pertinere hæreditatem, inuaserunt bona. Sed & si ab initio quidem vlt. cum ll. seq. de pe
iustam causam habuerint adipiscendæ possessionis: postea verò conscij fuerint, hæreditatem ad se tit. hær.
20 non pertinere: prædonis modo versari videntur. Addit autem idem Vlpianus, hunc titulum pro c L. sed etsi lege §.
possessore, omnibus titulis adhærere: quia scilicet omnibus conueniat, qui nullam iustam ex bo- quod autem. de petit.
na fide causam possessionis habent. Iis autem non prodest prætexere vanos titulos pro emptore, hæredi.
pro donato, pro dote, si appareat de mala fide.
21 ¶ *Conatur adipisci rei possessionem.*] Quæ scilicet non censetur continuari, vel ipso iure transmit- d L. cùm hæredes. de
ti in hæredes: ne in suos quidem[d], quanquam aliud sit de dominio, vt alio loco dictum est. Hodie acq. poss.
22 generali consuetudine moribus vtentium recepta, non minus possessio, quàm dominium trans-
mitti in hæredes intelligitur. Ideoque ij non temerè solent vti interdictis adipiscendæ possessio-
nis, sed si quid iis intercipiatur, statim intendunt interdictum retinendæ aut recuperandæ posses-
sionis.
¶ *Hoc interdictum ei inutile est.*] Vt scilicet eam recuperet possessionem, qua semel excidit. Cæ-
terùm si de alia re agatur adipiscédæ, vtile erit hoc interdictum. Nec oberit, semel eo nos vsos fuis-
se ad consequendam alterius alicuius rei possessionem.
23 ¶ *Appellatur Saluianum*]Ab autore Saluio ac fortasis fuit is Saluius Iulianus, summus ille iu- e L. inter antiquam.
24 ris scientiæ autor, vt ait Iustinianus[e]. Affine est ac simile iudicium Seruianum: quo quis persequi- C. de vsufr.
tur res coloni, quæ pignoris iure pro mercedibus ei tenentur, vt suo loco dictum est. Sed quia illud
iudicium magis videretur peritorium, & maiorib[us] probationum difficultatibus esset inuolutum:
vt melius consuleretur locatoribus, visum fuit, paratius illis remedium proponere, nempe huius
Saluiani interdicti: quod nunquam exigeret aliam probationem, quàm simplicis possessionis i-
25 psius coloni: nec posset eludi exceptione dominij, vt pote quam (si modò lógiorem desideret co-
26 gnitionem) non recipimus in iudiciis possessoriis [f]. Atqui actione Seruiana experitur, saltem f L. vlt. C. quorum
aduersus tertium aliquem possessorem: probare debet, colonum rem non modò possedisse, sed & bonorum.
in bonis suis habuisse [g]. Nam hoc iudicium Seruianum continet causam proprietatis. Tribuit g L. 1. §. cum prædium
enim ius posidendi, quod nemo queat eripere ante solutam pensionem, cuius nomine firmo pi- l. & quæ nondum. §.
gnoris nexu res obstricta est. Itaque qui succubuit in iudicio Seruiano, non poterit se iure sui 1. de pignor.
dominij & proprietatis iuuare, nisi dissoluto nexu pignoris per solutionem pensionis. Nam, vt
res illius verè sit, non tamen ideo rescinditur nexus pignoris, quem semel firmauit Seruianum
iudicium, in quo de iure pignoris quæsitum fuit. Cæterùm si quis in hoc nostro Saluiano inter-
dicto succubuerit: nihilominus poterit rem vindicare, si suam esse doceat: nec mouebitur nexum
pignoris, de cuius iure nihil probatum est.
27 ¶ *Eoque vtitur dominus.*] Directo scilicet aduersus ipsum colonum[h]: vtili verò aduersus alium h L. 1. de precario &
possessorem[i]. Et sanè tota vtilitas huius interdicti est, cùm vtiliter quis eo experitur. Nam si dire- Salui. interd.
ctò aduersus ipsum colonum fuerit agendum: potius est Seruianum iudicium, quod ius pignoris i L. 1. de Sal. interd.
firmat, nec duriores habet probationes: quia ipse colonus conuentus non posit mouere quæstio-
nem dominij.
¶ *De rebus coloni.*] Alio loco dicitur, CONTRA COLONVM[k]. Atque ad hunc modum vertit k L. 1. C. de prec. &
28 hîc Theophilus. Sed meminisse tamus etiam aduersus alios possessores dari hoc interdictum saltem Sal. interd.
vtile.
¶ *Coloni.*]Idem & de rebus Inquilini, qui conductor est vrbani prædij. Sed quia locator sæpè
possessionem rerum inductarum concludendo adipiscitur: non semper opus habet hoc interdi- l Dict. l. 1. C. de pre.
cto. Atque ideo fortasis solius coloni hîc meminit Iustinianus. Interim tamen fatendum est; per- m L. si debitor. C. de
29 tinere ad res cuiuslibet conductoris[l], nec minus iuris habet tacita hypotheca rerũ inquilini, quàm distr. pign. l. qui debi-
expressa Coloni. Semper enim æquè res transit cum suo onere[m]. torem. C. de pign.
¶ *Pignori futuras pepigisset.*] Vbicunque in iure nostro fit mentio hypothecæ rerum inducta- n L. 1. de Sal. interd. l.
rum in prædia rustica, significatur ita nominatim fuisse conuentum [n]: siue ita voluisse dominos[o]. si debitor de pigno l.
30 Et sanè rerum rusticarum à Colono inductarum, nulla est tacita pro mercedibus hypotheca: quá- in prædia D. in quib.
quam pro iis fructus tacitè obligentur [p]. Cæterùm res inquilini ipso iure tacitè obligantur loca- cau. pig. vel tac. contra. l.
tori [a]. Huius discriminis rationem alio loco pluribus explicuimus, nempe quòd tacita hypotheca si non inducta C. in
oriatur ex tacito consensu, qui quidem in vrbanis intelligitur, non autem in rusticis[b]. quib. cau. pign. tac. contrah.
31 ¶ *Pro mercedibus fundi.*] Quibus solutis aut non debitis, competit interdictum de mi- o L. certi iuris. C. lo-
grando: vt liberè posit inquilinus migrare & sua auferre. Colono tamen id directò tri- cati.
butum non est: sed ei extra ordinem subueniri scripsit Vlpianus[c]. Huius interdicti nulla p Dict. l. in prædia. D. in quib. caus. pig.
hîc facta est mentio, fortè quòd sit eius infrequentior vsus, vt ipse quoque Vlpianus testa- tac. contr.
tur. a L. [illegible] quia de pact.
b L. eo iure. D. in quib. caus. pig. tac. contrah.
c L. 2. de migrand.

§. *Retinenda.*

¶ *Interdicta, Vti possidetis, & Vtrubi.*] Cùm adepti sumus possessionem, proximum est vt eam
tueamur: in eaque defendamur aduersus iniquas infestationes. Itaque edixit Prætor; Vt possideat 1
vnusquisque sicut possedit, donec iure conuincatur. Et interim vim possidenti fieri vetuit, vt præ-
sentem tueretur possessionem, quam quis ab aduersario non est adeptus vi, clàm, aut precariò. Ita
enim necesse fuit alterum certò cōstituere & tueri possessorem, vt via iudicio petitorio aperiretur.
Nec id commodius fieri potuit, quàm interdictione facta, ne quid interim temerè moueretur. Id
quod olim naturalem rationem secuti prudenter cauerant in suis pactis & fœderibus Athenien-
ses, & Lacedæmonij, ne ex controuersiis ad arma veniretur. Sic enim eleganter apud Thucydi-
dem lib. 1. Pericles in concione Atheniensium ait; εἰρημένον. δίκας μὲν διαφόρων ἀλλήλοις διδόναι, καὶ δέχε-
σθαι, ἔχειν δὲ ἑκατέρους, ἃ ἔχομεν. Et huc pertinet quod Aristoteles in Proble. ait, ἐὰν ὁ μὲν τύχῃ ἔχων,
ὁ δὲ ἀμφισβητῇ τῶν ὄντων, ἐὰν δ' αὐτοὺς οἰόμεθα δεῖν ἀποδοῦναι τῷ ἐγκαλοῦντι, ἀλλὰ τίμασθαι τὸν κεκτημένον, ἕως ἂν
κριθῇ. Fuitque hæc res antiquissimis quoque temporibus Romanorum vsitata in litibus Vindi-
ciarum. Nam quòd aliquando Brutus primus Consul Vindicio seruo dedit vindicias secundum
libertatem, interuersa dominorum possessione: fecit id singulari fauore libertatis, & Reip. Nec lex 2
deinde ab Appio Claudio lata, de Vindiciis dandis secundum libertatem, aliud cōtinebat, quàm
liberum hominem, qui status controuersiam patitur, interim retinere debere possessionem suæ li-
bertatis. Quòd meritò fuit ipsi Claudio obiectum, qui volebat Virginiam puellam deturbari pos-
sessione libertatis, & esse in seruitute, interim dum quæreretur de eius statu. Hanc obiectionem
conatus est subtili calumnia eludere Appius, ne proderet obscœnam cupiditatem explendæ suæ li-
bidinis. Causatus est enim, ita demum in sua Lege, libertatis firmum fore præsidium, si nec causis, 3
nec personis variaret. In iis enim, qui in libertatem asserantur: quia quiuis lege agere possit: in ea,
quæ in patris manu sit, neminem esse alium, cui dominus possessione cedat. Quasi vbi pater præ- 4
sens libertatis assertor, & dominus seruitutis, contenderent: cederet dominus patri, vt interim
suam retineret possessionem. Nunc cùm ille absit, æquum esse dominum esse potiorem. quia & i-
psa puella Virginia, suam libertatem (secundum quam Vindicias petebat) interim possidere non
possit, cùm ipsa possideatur ab alio, in cuius est potestate. Vt ad rem redeam; dicimus, olim dari de 5
buisse Vindicias secundum libertatem, vbi quis è libertate in seruitutem vocabatur. Et contra da-
ri debuisse secundum seruitutem, si quis è seruitute in libertatem assereretur.

¶ *Vti possidetis & Vtrubi.*] Hæc verba accipienda sunt ἰσμαῖς. Sunt enim sumpta ex ipsis edictis 6
a L. 1. D. uti possi. / b Dict. l. 1. — Prætoris[a]. Primùm enim edixit Prætor[b], *VTI EAS AEDES, DE QVIBVS AGITVR, NEC VI, NEC
CLAM, NEC PRECARIO ALTER AB ALTERO POSSIDETIS: QVO MINVS ITA POSSIDEATIS, VIM
FIERI VETO. DE CLOACIS HOC INTERDICTVM NON DABO: NEQVE PLVRIS QVAM QVAN-
TI EA RES ERIT INTRA ANNVM, QVO PRIMVM EXPERIVNDI POTESTAS FVERIT, AGERE
PERMITTAM.* Negat autem Prætor hoc interdictum pertinere ad Cloacas, quia de iis peculiariter
c L. vnica. D. vtrubi — edixit. Deinde Prætor ait[c]; *VTRVBI HIC HOMO, QVO DE AGITVR, MAIORE PARTE HVIVS* 7
ANNI FVIT: QVO MINVS IS EVM DVCAT, VIM FIERI VETO.

¶ *Cùm ab vtraque parte.*] Olim non erat iudicium rei vindicationis, nisi ab vtraque parte res
vindicaretur. Quòd si reus contrà non vindicabat: cedere dicebatur, vti etiam alio loco diximus. 8
Atque ad hanc antiquitatis obseruationem pertinet exemplum, quod hic proponit Theophilus.
Cùm quis dicit rem esse suam, & aduersario obiicit; Eam si tibi velis conuincere, proba tuam esse.
Contrà aduersarius vindicat, & totidem verbis respondet.

¶ *De proprietate.*] Prima causa huius interdicti proponendi, fuit, vt seruiret iudicio petitorio.
Aliquando tamen eo vtimur, vbi nemo meditatur litem proprietatis. Nam & aduersus eum in- 9

tendi potest,qui ue cogitat quidem se dominum,sed mihi molestus est,ne liberè re mea vtar. Scri-
bit enim Vlpianus[a];Hoc interdictum datur ei,qui ædificare in suo prohibetur,etenim videris mi- a L.3.§ 1.D.vti possi.
10 hi possessionis controuersiam facere,qui prohibes me vti mea possessione. Et si inquilinus domi-
num ædes reficere volentem prohibeat:æquè competere interdictum Vti possidetis,placuit.
11 ¶ *Ante quæratur.*] Sicut antè quæri necesse est. Omnino enim de possessione prius quæren- b L.nulli.C.de iudic.
dum est,quàm de proprietate[b]. Et exitus controuersiæ possessionis hic est,inquit Vlpianus[c]; vt l ordinarij. C.de rei
prius pronuntietur vter possideat. ita enim fiet, vt is qui victus est de possessione, petitoris par- vind.l incerta.C. de
tibus fungatur: & tunc de dominio quæratur ab eodem iudice. idque obseruamus in omnibus inter.l si de vi.C.de
iudic.
12 iudiciis possessoriis,quibus temerè accumulanda non sunt petitoria, propter confusionem: sed c L.exitus.de acqui.
discernenda,& suo ordine tractanda.Sanè interdicto retinendæ possessionis vix commisceri po- poss.
test petitorium iudicium,in quo fatemur aduersarium possidere: ne idem actor aiat & neget. Ni-
si fortè alia esset possessio,quam vult retinere,& alia,quam in aduersario agnoscit[d]. Alijs interdi- d L.naturaliter.§. ii
de acqu. poss.
ctis possessoriis opus non habet,qui statim paratus est molem petitorij iudicij subire, contempto e L.si qui destinauit.
Iurisperitorum consilio, qui tradiderunt[e]; non temerè eò difficultatis descendendum esse: sed D.rei vindi.
13 prius eum,qui in rem agere destinauit,circumspicere debere,an aliquo interdicto prius possit nā-
cisci possessionem:quia longè commodius est possidere, & aduersarium ad onera petitoris com-
pellere,quàm alio possidente petere. Si quis tamen vel serò sapuerit post inchoatum petitorium f L. dū fundū §. vlt
14 iudicium:poterit eo suspenso vti interdicto possessorio[f]. Non tamen vbi iam succubuisset in pe- de vi & vi arm.
titorio:saltem si aduersarius non simpliciter esset absolutus:sed quia vltro probâsset ius suum, fue-
rit pronuntiatum de eius dominio. Debet enim iudex tueri possessionem, cuius causam proba-
uit[g].Illud non potest non semper iuuare possessoria iudicia,si quis præter possessionis suæ causam, g L.3.§.missum de
Carbo.edic.
15 vltro aliquid adiiciat de iure proprietatis. Quod sensit etiam olim Quintilianus,cuius lib.7.verba
sunt hæc:Quoties poterimus,efficiendum est, vt de re quoque bene sentiat iudex. Sic enim iuri
nostro libentius indulgebit,vt in sponsionibus,quæ ex interdictis fiunt, etiam si non proprietatis
est quæstio,tamen non tantùm possedisse nos,sed rem nostram possedisse dicere oportebit.Hæc il-
16 le. Certè Tullius in Oratione pro Cæcinna, id eleganter facit, cùm de possessione contenderet
apud Recuperatores.
17 ¶ *Quæratur vter ex litigatoribus.*]Sed quid si nemo id quærat:verùm vterque iudicio abstineat,
& pertinacia certet:ac periculum sit ne ad arma veniatur?Sanè ad iudicem pertinebit,vltro inter-
uenire: & si vnius possessionem iustiorem inueniat:alteri interdicere, propositaque pœna prohi-
bere,ne quid tentet.Quòd si parem videat vtriusque causam: nominabit sequestrum , qui possi-
debit interea, dum quæstio de possessione vel proprietate fuerit definita. ¶ *Nam nisi.*] Sic Pau-
lus[h],Inter litigantes,ait,non aliter lis expediri potest,quàm si alter petitor, alter possessor sit. Esse h L. inter litigantes.
De iud.
enim debet,qui onera petitoris sustineat,& qui commodo possessoris fungatur. Et Vlpianus[i] ad- i L.1.§.1.D. vti possi.
18 monet:separatam esse debere possessionem à proprietate: eamque ait fuisse causam proponendi
huius interdicti Vti possidetis.
¶ *Non potest petitoria actio institui.*] Cui sanè (cùm ea instituetur finito de possessione iudicio)
19 non oberit sententia lata in iudicio possessorio.id quod eleganter Paulus[k] tradidit his verbis ; Si k L.eo nō eadē §.vlt.
de except. rei iud.
quis interdicto egerit de possessione, postea in rem agens non repellitur per exceptionem: quo-
niam in interdicto possessio,in hac actione proprietas vertitur. Et nihil commune habet proprie- l L.naturaliter.§.ii.de
20 tas cum possessione,inquit Vlpianus[l]. Contrà tamen,sententiam latam in petitorio,posse aliquā- acqui. poss.
do obesse possessorio,iam diximus.
21 ¶ *Et quia longè commodius est.*]Sic Caius[m] consulens,vt qui destinauit rem petere,prius animad- m L.si qui destinauit.
uertat,an non possit aliquo interdicto rem nancisci; addit hanc rationem, quòd longè commo- de rei vind.
dius sit,ipsum possidere,& aduersarium ad onera petitoris compellere, quàm alio possidente pe- n Dict.l.inter litigan-
tere.Commodum possessionis vocat etiam Paulus[n],quo mulctatur mendax, qui negauit se pos- tes.
sidere, translata in aduersarium possessione[o]. ¶ *Commodum possidendi in eo est.*] Cōmemorat Iusti- o L.vlt.de rei vind.
nianus illud possessionis commodum,quod huc pertinet.Sunt autē & alia cōmoda non minoris
22 momēti:sed quæ huc propriè nō pertinent: veluti quòd sine possessione nulla est certa acquisitio,
adeò vt qui in ea adipiscēda prior est,potior sit in iure dominij, etsi posterior sit causa eius acquisi-
23 tionis[p]. ¶ *Si modo actor non potuerit suā esse probare.*]Qui accusare volūt(inquit Imper.Antoninus[a]) p L. quoties.C.de rei
vind.
probationes habere debent:cùm neque iuris,neque æquitatis ratio permittat, vt alienorū instru- a L. qui accusare.C.
de eden.
mentorum inspiciendorum potestas fieri debeat.Actore enim non probāte:qui conuenitur, etiā
si nihil ipse præstat,obtinebit.Idem rescripsit[b];Non incumbere possessori necessitatē probandi.Et b L. 2 C.de proba.
24 Impp.Diocletianus & Maximianus,inquiunt[c]:Res alienas possidens,licet iustam tuendi causam c L. vlt C.de rei vin.
25 nullam habeat,non nisi suam intentionem implenti restituere cogitur.Iidem rescripserunt[d];non d L. frustra.C. de
probat.
esse verendum, ne probatio petatur ab eo. qui lite pulsatur. Est tamen vbi iuris præsumptio o- e L. siue possidetis. C.
26 nerat probationū difficultate ipsum reum possidentem, & actorem liberat[e]. Sed id temerè & sine de probatio.
grauibus iuris cōiecturis non fit. Sanè ab omnibus semper Iuriscōsultis parū probata fuit illa Gel-
lij religio,qui reum infamis vitæ noluit absoluere,cùm tamē actor ab eo pecuniā petens, nullam
adferret probationē:nihilque præter suā fidē & probitatem vitæ inculpatæ. Ac rectè vidētur ipsius
rei patroni clamitâsse;probari debere pecuniā debitam:alioqui reum dimitti oportere. Quodque
de vtriusque vita & factis diceretur,frustra id fieri atque dici Rem enim de petenda pecunia apud
27 iudicem priuatum agi,non apud Censorem de moribus.Illud certè negari non potest;si infirmior f L.admonendi.de
sit actoris probatio, posse ad eam supplendam, iudicem actori deferre iusiurandum[f]. Id quod iureiu.
quando-

quandoque recipi solet, cùm reus in dolo esse conuincitur, & perplexior est difficultas probationis[a]. ¶ *Remanet in suo loco possessione.*] Qualis scilicet prius fuit. Nam simplex absolutio nullam cõtinens adiudicationem, nihil ei adiicit: nec parit possidenti rursus postea conuento exceptionem rei iudicatæ, vt suo loco dictum est. In rescripto Antonini est[b]; Actore in probatione cessante, do- 28
minium apud reum remanere: quale quale scilicet prius habuit. ¶ *Propter quam causam.*] Quam sanè confirmat naturalis fauor reorum, in quos in pari causa sumus propensiores[c]. Et huc pertinet celebris illa quæstio Aristotelis, in Proble. sect. 29. διὰ τί ποτε ἐάν τις καὶ τῷ φεύγοντι, καὶ τῷ διώκοντι φαίνωνται ψῆφοι ἴσαι, ὁ φεύγων νικᾷ [quare vbi tum reo tum accusatori paria suffragia sunt, reus vincit,] quam eo loco tractat pluribus verbis. Sed maximè memorabilis & iuridica est hæc eius ratio: ἕκαστος ἡμῶν μᾶλλον ἂν προέλοιτο τὸν ἀδικοῦντα ἀποψηφίσασθαι ὡς οὐκ ἀδικεῖ, ἢ τὸν μὴ ἀδικοῦντα καταψηφίσασθαι ὡς ἀδικεῖ. Quam sententiam Vlpianus ex edicto Traiani reddidit ad hunc modum[d]; Satius esse 29
impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari.

a L. si quãdo. C. vnde vi. l. semper. §. in hoc interdicto. D. quod vi aut clam.
b Dic. l. 3. C. de probat.
c L. Arrianus. de act. & oblig. l. fauorabiliores. de regu. iur.
d L. absentem. §. 1. de pæn.

¶ *Contra petitorem iudicari solet.*] Id quidem expeditum est in iudiciis petitoriis & possessoriis, vbi apparet, quis actor sit, quis reus? Sed cùm hoc interdictum Retinendæ possessionis sit duplex: & ferè vterque litigator sit actor, & vterque reus: obscurum est admodum, secundum quem in re obscura iudicandum sit. Nec facilè poterit sese explicare iudex, nisi reperiat in probationibus aliquod discrimen, vt potioribus subscribat. Facile autem erit animaduertere aliquod discrimen, si diligenter omnia conferat: & ad summum progredi poterit ad titulos possessionum obiter excutiendos, vt quæ apparuerit iustior possessio, ea retineatur. 30

§. *Sed interdicto.*

1 Interdictum Vti possidetis pro rerum immobilium datur possessione retinenda.

2.3.4 Interdictum hoc quomodo ad tuẽdam quasi possessionem etiam rerum corporalium pertineat.

¶ *Fundi vel ædium.*] Prætor solùm de ædibus nominatim edixit. Sed nihilominus interdi-
ctum in omnibus possessionibus, quæ sunt soli, locum habere constat[e]: vt pro re nata iudex interdicat. Huc tamen non pertinent ea, de quibus certa nominatim edicta proposita sunt, veluti Cloacæ. 1

¶ *De fundi vel ædium possessione.*] Non meminit hîc Iustinianus, nisi rerum corporalium, quę verè possidentur. Pertinet tamen & hoc interdictum saltem vtiliter, ad tuendam quasi possessionem 2
iurium incorporalium, veluti annui reditus, quem aduersarius recusat soluere: vel earum seruitutum, pro quibus certa interdicta nominatim proposita non sunt, quas aduersarius pati recusat: vel etiam si quis libertatis nostræ possessionem inturbet, nouæ seruitutis ius sibi asserendo[f]. Vt quemadmodum seruitutum nomine competunt actiones in rem Confessoria & Negatoria[g]: ita 3
competant & iudicia possessoria ex interdictis retinendæ possessionis, si minus directò, saltem vtiliter. Certè Vlpianus[h], cùm de seruitutibus ageretur: simpliciter respondit; Interdictum Vti 4
possidetis locum habere, si quis prohibeatur, qualiter velit, suo vti.

e L. 1. §. hoc interdictũ in omnibus. D. vti possid.
f L. 3. §. si vicinus. D. vti possid.
g L. 2. si seruit. vindice.
h L. sicuti. §. Aristo. in si. D. si seruit. vindi.

§. *Quorum.*

1 Clausula illa; nec vi, nec clàm; omnia possessionum vitia complectitur.
2 De vi in bellis quæ iure gentium probatur.
3 Quomodo rem eandem possidere simul duo possint?
4 Clàm possidere qui dicatur? & num. 5.
6 Possidere, & in possessione esse, quid differant?
7 Qualiscunque possessor, hoc ipso quod possessor est, plus iuris habet, quàm qui non possidet.
8 Vt per alios possidere ita & deiici videmur.
9 Vti interdicta illa, Vti possidetis pro rebus immobilibus, Vtrubi pro mobilibus, olim darentur?
10 Maiore parte anni possedisse quis intelligatur?

¶ *Interdicti tempore.*] Hoc est, Eo tempore, quo Prætor ex officio interdicebat, nondum constituto iudicio, nec datis Recuperatoribus, qui de controuersia cognoscerẽt. Is mos cùm postea mutatus sit, proditis interdictorum loco actionibus in factum: pro tempore interdicti rectè voluit posteritas inspici tempus litis contestatæ, vti paulo pòst docet Iustinianus. ¶ *Si modo nec vi.*] In hac conditione nihil immutatum est: eaque est admodum antiqua: quæ tamen in interdicto VNDE
VI, recepta non omnino est, vt paulo pòst suo loco dicemus. His autem verbis solemus omnia vi- 1
tia possessionum complecti: vt etiam complexus est Terentius in Eunucho. Et inter hæc nihil odiosius vi. Vim autem hîc intelligimus, quæ iuri aduersatur. Est autem quædam vis, veluti in bel-
lis, quam iure gentium probari aiunt. Hícque mihi occurrit vetus & memorabile iudicium apud 2
Romanos disceptatores, inter populum Carthaginensem, & Regẽ Masanissam, de agro, quẽ ceperat à Carthaginensibus pater Masanissæ Gala: Galã inde expulerat Syphax. Postea in gratiã soceri sui Asdrubalis, Carthaginensibus eũ dono dederat. Carthaginẽses eo anno Masanissa armis expulerat. Carthaginenses pulsi, eum repetebant. Primùm quòd maiorũ fuisset, deinde à Syphace ad se peruenisset. Masanissa paterni regni agrum se & recepisse & habere iure gentium dicebat: seque causa &

causa & possessione superiorem esse. Hic, ait Liuius, Legatos Romanorum possessionis ius non
mutâsse, causamque integram Romam ad Senatum reiecisse. Interea autem visi sunt pendente iu-
dicio petitorio, probâsse possessionem, quæ vi quidem ab aduersariis extorta erat, sed vi bellica,
quam ius gentium probat. Alioqui sanè iniusta possessio cedere deberet iustiori possessioni domi-
3 ni. Nec hic mirari debemus; duos eandem rem dici possidere: quia potest vnus eam ipsam rem
4 possidere, cuius alter possessionem animo retineat.

¶ *Nec clàm.*] Inquit Vlpianus[a]; Clàm possidere eum dicimus, qui furtiuè ingressus est in pos- *a L. clam possidere. de*
sessionem, eo ignorante, quem sibi controuersiam facturum suspicabatur: & ne id faceret, time- *acq. poss.*
bat. ¶ *Nactus fuerat.*] Hoc verbo Iustinianus notat originem & primam causam possessionis,
quam solam inspicimus, nulla habita ratione vitij, si quod postea sequatur. Vnde Vlpianus[b], Is *b Dict. l. clà possidere.*
(inquit) qui cùm possideret non clàm, se celauerit: in ea causa est vt non videatur clam possidere.
Non enim ratio obtinendæ possessionis, sed origo nanciscendæ exquirenda est. Nec quenquam
5 clàm possidere incipere, qui sciente aut volente eo, ad quem ea res pertinet, aut aliqua ratione bo-
na fide possessionem nanciscitur.

¶ *Ab aduersario.*] Inquit Vlpianus[c]; Quod ait Prætor in interdicto, nec vi, nec clàm, nec preca- *c L. 2. §. vlt. D. vti.*
riò alter ab altero possidetis: hoc eò pertinet; vt si quis possidet vi, aut clàm, aut precariò; siquidem *poss.*
ab alio, prosit ei possessio: si verò ab aduersario suo, non debeat eum, propter hoc quòd ab eo possi-
6 det, vincere. Has enim possessiones non debere proficere palam est. ¶ *Possessionem.*] Necesse est,
eum omnino possidere, qui hoc interdicto agit. Nec sufficeret esse in possessione. id enim longè
aliud est[d]. Vnde creditores missi in possessionem rei seruandæ causa, hoc interdicto non vtuntur; *d L. si quis ante. de*
quia non possident[e]: quanuis esse dicantur in possessione[f]. *acq. poss.*

¶ *Etiam si.*] Vt nihil ad te pertinet, si meæ ædes alteri seruiant, quas, quod ad te attinet, liberas *e L. 3. §. creditores. D. vti poss.*
habeo[g]: ita nec tu mihi obiicere potes vim alteri factã. Satis est me possidere, etiamsi vitiose, modò *f Dict. l. si quis ante.*
non à te. Iusta enim an iniusta aduersus cæteros possessio sit, in hoc interdicto nihil refert. Qualis- *g L. loci corpus. §. cõpetit. D. si seruit. vind.*
7 cunque enim possessor, hoc ipso quòd possessor est, plus iuris habet, quàm ipse qui non possidet[h]. *h L. 2. D. vti possid.*

¶ *Alium.*] Qui scilicet non referat personã aduersarij: & quo deiecto, non videatur deiici aduer-
sarius. Alioqui aduersus nos nõ prodesset alteri vitiosa possessio, quæ videtur à nobis profecta. Nã
8 vt per alios quosdã possidere dicimur: ita & iis vi deiectis, nos deiici videmur[i]: & iis deiicientibus, *i L. 1. §. quòd seruus. de vi & vi arm.*
deiicere: vti est apud Tullium pro Cæcinna. ¶ *Vtrubi verò is vincebat.*] Hoc discrimen, quod pla-
9 cuit antiquitati, & postea sublatũ est, inde sumptum videtur; quòd cùm rerũ immobiliũ incertior
esset possessio, quæ ex variis actibus colligitur: magna quidẽ causa erat, cur de possessione præsenti,
quæ sæpe controuersa est, interdiceretur. At cùm vnica sit & certa semper possessio rei mobilis: non
videbatur opus interdicere de præsenti possessione, de qua non temerè vlla potuit esse quæstio: sed
eius loco interdicebatur de possessione præterita, ne fraudi esset temerè excidisse possessione (vt fa-
cilè excidimus in rebus mobilibus) & potior esset vnius fortè diei præsens possessio, quàm diutur-
na paulò antiquior. ¶ *Maiore parte eius anni.*] Hæc maior pars æstimanda est, non habita ratione
totius anni, sed expensa possessione aduersarij: quæ hic solùm conferenda est. Sic enim hæc verba
10 interpretatur ipse Licinius, inquiẽs[k]: Maiore parte anni possedisse quis intelligitur, etiã si duobus *k L. maiore de verb. signif.*
mensibus possederit: si modò aduersarius eius aut paucioribus diebus, aut nullis possederit.

§. *Possidere.*

1 Per quoslibet, qui nomine nostro in possessione sunt, possidere videmur.
2 Qui possident nomine alieno, non possident, sed dicuntur esse in possessione.
3 Quid, si qui in possessione erat eam dereliquerit?
4 Retinere animo possessionem possumus, adipisci non possumus. & num. 8. 9.
5 Moribus nostris possessio continuatur in heredes ipso iure.
6 In amittenda possessione, affectio eius qui possidet intuenda est. & num. 7.
10 Ad possessionem nanciscendam, partem fundi introire satis est.

l L. generaliter. de acq. poss.

1 ¶ *Si eius nomine aliquis.*] Inquit Caius[l]; Generaliter quisquis omnino nostro nomine nobis vo- *m L. quod meo D. illo tit.*
lentibus sit in possessione, veluti procurator, hospes, amicus: nos possidere videmur. Et Celsus, Is *n L. si quis ante. D. illo tit.*
(inquit[m]) possidet, cuius nomine possidetur. Et Tullius pro Cæcinna ait, dubium non esse, quin
Cesennia tum possideret, cùm erat eius colonus in fundo. *o L. 1. §. deiicitur. de vi & vi arm.*
2 ¶ *In possessione sit.*] Ergo propriè ipsi non possident, qui alieno nomine possident: sed dicun-
tur esse in possessione: quod longè diuersum est[n]. Vnde colono non dicuntur propriè competere *p Dict. l. 1. § quòd seruus.*
iudicia possessoria[o]: sed ei, cuius nomine possidebat[p]. Nisi sanè ipse sibi interuertisset[a] possessio- *a L. colonus. l. cũ fundũ de vi & vi arm.*
nem. Æquum est tamen semper illi succurri officio iudicis, vt possit defendere ac tueri ius suæ de-
3 tentionis. Portò si qui nostro nomine possidebat, desierit in possessione esse, eamque dereliquerit, *b L. cum quis. de dolo.*
nón propterea statim amittimus nostram possessionem[b]. Saltem si possessionem ita derelictam *l. vlt. C. de acqu. poss.*
nemo alius occuparit[c]. *c L. 1. § quod si seruus. l. si de eo. §. 1. l. per extre. §. vlt. de acqui. poss.*

¶ *Per eos quoque.*] Hic Iustinianus ostendit per quos dicimur propriè possidere res mobiles.
In re autem ipsa nihil interest, siue agatur de retinenda per alios possessione rerum mobilium, si- *d L. qui vniuersas. §. si ego. de acqui poss.*
ue immobiliũ. Vnde Paulus vtriusque causam coniungens ait[d]; Si ego tibi cõmodauero, tu Titio.

nihilominus

nihilominus ego id possideo. Et idem erit, si colonus meus fundum locauerit: aut is, apud quem
deposueram, apud alium rursus deposuerit.

¶ *Et hoc est, quod dicitur.*] Huic regulæ in contrarium respondet, quæ postea subiicitur: Quòd
animo solo non adipiscamur possessionem. Et ex his duabus regulis oritur responsum Panli, quod
extat his verbis[a]; Quod per colonum possideo, hæres meus, nisi ipse nactus sit possessionem, non
poterit possidere. Retinere enim animo possessionem possumus: adipisci non possumus. Vnde 4
parum videtur constare illa Tullij pro Cæcinna ratiocinatio: Dubium non est, quin si Cæcinna
tum possidebat, cùm erat colonus in fundo, post eius mortem hæres eodem iure possederit. Certè
quasi id non omnino sequeretur: adiecit ipse Tullins; quo modo ipse quoque Cæcinna suo facto
possessionem adeptus sit. inquit enim, Deinde possedit Cæcinna, cùm circumiret prædia; venit in
istum fundum; rationes à colono accepie. Moribus sanè nostris cùm ipso iure defuncti posses-
sio transferatur, & continuetur in hæredes: non coguntur ij aliter possessionem adipisci. 5

a L. qui vniuersit. §. qui per colonum. de acq. pos.

¶ *Si non relinquendæ possessionis animo.*] Hic certè animus sufficeret ad amittendam statim pos-
sessionem fundi, etiam antequam inde decesseris. Vnde Paulus [b]; In amittenda (inquit) pos- 6
sessione, affectio eius qui possidet, intuenda est. Itaque si in fundo sis, & tamen nolis eum possi-
dere: ptotinus amittes possessionem. Igitur vt retineri, ita amitti solo animo potest possessio:
quanuis acquiri non possit. Quinimo solus metus & suspicio amittendæ possessionis, quam alius 7
nobis absentibus inuasit, priuat nos possessione: quia non retinemus constantem animum pos-
sidendi, sed quasi desperantes, abiicimus[c]. Si quis tamen solùm metuit incommoda & pericula;
eo nomine non perdit possessionem, sicuti nec animum[d].

b L. 3. §. in amittenda. de acquir. poss.
c L. sed quod. §. vlt. de acquir. poss.
d L. licet. C. illo tit.

¶ *Nec vlla dubitatio est.*] Putauit tamen olim Labeo; nos quarundam rerum possessionem ani- 8
mo solo adipisci: sed exempla, quæ proponit, vltra animum possidendi aliquid habene, quod ap-
prehensionis corporalis vim habet & effectum[e].

e L. quarundam. de acqui. poss.

¶ *Animo solo.*] Corpore & animo nos acquirere debere possessionem, tradit Paulus. Quod tā- 9
men ait non ita accipiendum esse, vt qui fundum possidere velit, omnes glebas eius circumam-
bulet: sed sufficit (inquit) quamlibet partem eius fundi introire, dum mente & cogitatione hac 10
sit, vt totum fundum vsque ad terminum velit possidere[f].

f L. quarundam. de acqui. poss.

§. *Recuperandæ.*

- *1.2 Qui vi deiectus est, quicquid damni senserit recuperare debet.*
- *3 Interdictum recuperandæ poss. non competit nisi per vim aliquis eam amiserit; & qui, cum deiiceretur possidebat. num. 10. 14.*
- *4 Decretum Pontificis Innocentij III.*
- *5 Quæ vi nobis aliquando ablata sunt, recuperare possumus à quocunque possidente.*
- *6.7 Interdictum Vnde vi an liberis in parentes competat?*
- *8 An & vasallo detur vel clienti aduersus dominum feudalem?*
- *9 Controuersia de Ducatu Aleuconij, anno 1526.*
- *11 Controuersia Cecinnæ definita verbis Vlpiani.*
- *12 Ex possessione deiici quis dicatur?*
- *13 An & is qui non possederit, vti interdicto possit, si armata vis illata fuerit? & num. 15.*
- *16 Interdictum Vnde vi, ad res immobiles tantum pertinet.*
- *17 Vt varia sunt violentiæ species, ita & varia sunt iudicia de vi.*
- *18 Quid si possessor metu vis impendentis territus fugerit, & secuta sit occupatio fundi?*
- *19 Quid, si me vi quis deiecerit, meos autem non deiecerit?*
- *20. 21 Interdicta illa Quod vi aut clam, & vnde vi, quid differant?*
- *22 ἐξούλης δίκη Atheniensium qualis?*
- *23 Et si vnus seruus vi deiecerit, tamen familia deiecisse videtur.*
- *24 Vi deiectus videtur aliquis, etiam si fundus à nemine sit occupatus.*
- *25 Qui odiosam vim illam, interdicti vnde Vi, intulit, nullo exceptionis beneficio tueri se potest.*
- *26.27 De vi armata hîc dici.*
- *28 Sed, adiectionem hîc noui iuris, non veteris correctionem significat.*
- *29 Qui vi deiecit quomodo adhuc multetur?*
- *30 Cum armis deiicere, &, armis deiicere, quid differant?*
- *31 Arma quid? & num. 32. 33. 37.*
- *34 Tela quid? & num. 35. 36.*
- *38 Militum Romanorum olim hastatorum armatura qualis?*

¶ *Recuperandæ possessionis causa.*] Ac totius quoque damni recuperandi causa. Sic enim scribit
Vlpianus[g], Qui vi deiectus est, quicquid damni senserit ob hoc, quòd vi deiectus est, recuperare 1
debet. Pristina enim causa ei restitui debet, quam habiturus erat, si non fuisset vi deiectus. Panlus[h]
quoque ait; in hoc interdicto Vnde vi, venire id quod interest. Et hîc sanè ex die, quo quis deie- 2
ctus est, fructuum ratio habetur, quanuis in cæteris interdictis, ex quo edita sunt, non retro, com-
putentur[i]. Et fructuum quidem, non modò qui percepti sunt, sed & qui percipi potuerunt.

¶ *Solet interdici.*] Cuius interdicti fiducia qui vi deiectus est, videtur adhuc possidere[k]: quia
certus est de recuperanda possessione. sicut rem habere dicitur, qui actionem ad eam petendam
habet[l].

g L. 1. §. qui autem vi deiectus. de vi & vi arm.
h L. in interdicto. D. illo tit.
i Dict. l. 1. §. ex die.
k L. si quis vi. de acqui. poss.
l L. qui actionem. de regu. iur.

¶ *Si quis vi deiectus.*] Ergo non competit interdictum Recuperandæ possessionis, nisi quis per
vim eam amiserit. Sed huic incommodo prospexit Iustinianus. iubet enim statim restitui posses- 3
sionem,

sionem etiam si quis eam vacuam, absente domino, nec vi nec clàm occuparit [a]. Et cùm iure Ciui- a L. vlt. C. vnde vi.
li interdictum Vnde vi non competeret aduersus alium, quàm qui vim intulerat [b]: ne cui fraudi b l. cum à te. de vi & vi arm.
4 esset dolosa eius translatio, decreuit Pontifex Innocentius tertius, vt hoc interdicto experiremur
aduersus tertium possessorem: si modò is conscius esset vis illatæ. Rursus ne bona fides possessoris
5 nobis esset fraudi, edita alia generalis Constitutio; qua quod tibi fuerit aliquando vi ablatum,
6 posis statim recuperare, à quocunque tandem id possideatur. ¶ *Si quis.*] Quisquis tandem is sit,
& à quocunque fuerit deiectus. adeò vt ad eludendum hoc interdictum, non liceat exceptionem c L. autoritate. C. vnde vi. l. vlt. C. si per
parare ex rescripto Principis [c]. Sanè tamen parentibus & patronis hac in re parcere solemus, vt in- vim vel al. mod.
terdicto Vnde vi (quod licet iuris infamiam non irroget [d]. condemnatum tamen infamia onerat d L. neque. de vi & vi arm.
apud bonos viros) non conueniantur: sed actione in factum: saltem vbi ij non prorupetunt ad
7 vim armatam. Sic enim scribit Vlpianus [e]; Interdictum hoc, quia atrocitatem facinoris in se con- e L. 2. §. interdictum hoc. de vi & vi arm.
tinet, quæsitum est an liberto in patronum, vel liberis aduersus parentes competat. Et verius est,
nec liberto in patronum, nec in parentes liberis dandum esse: meliusque erit, in factum actionem
eis competere: aliter atque si vi armata visus sit, aduersus libertum, patronus, vel aduersus liberos
8 parens. Nam & hîc hoc interdictum competit. Quo exemplo receptum est, ne temerè cliens vel
vasallus iudicio Vnde vi dominum feudalem conueniat: si modò quod vi fecit, quasi dominus
fecerit. Sed nec alio interdicto possessorio: cùm honestiore via intercessionis vel prouocationis va-
sallus sibi consulere posit. Sed si dominus quasi quispiam priuatus, nec suo iure feudali vtens, pos-
sessionem sui clientis interturbaret: poterit interdicto conueniri. Vnde celebres sunt illæ in supre-
9 mo Parisiorum Senatu actiones habitæ anno millesimo quingentesimo vigesimosexto, cùm so-
rores & hæredes Alenconij Ducis Regē conuenirent possessorio interdicto Vti possidetis. Nam
hoc iudicio vti ijs permissum fuit, quod agerent aduersus Regem, non quasi dominum feudalem
sed vt alium extraneum, qui contendebat ad se pertinere Ducatum Alenconij, quia finitum esset
illud quod Galli vocant apanagium, nullo extante masculo hærede. ¶ *Ex possessione.*] Saltem ea, f L. 1. §. interdictum
quam animo tenebat. Ita enim hanc rem eleganter interpretatur Vlpianus [f], inquiens: interdi- autem. de vi & vi
10 ctum hoc nulli competit, nisi ei, qui tunc cùm deijceretur, possidebat: nec alius deijci visus est, armata.
quàm qui possidet. Siue autem animo, siue corpore possidens quis, deiectus est, palam est eum vi
deiectum videri. Idcircoque si quis de agro suo, vel de domo sua processisset, nemine suorum reli-
cto: mox reuertens prohibitus sit ingredi in suum prædium: vel si quis eum in medio itinere deti-
nuerit. & ipse possederit: vi deiectus videtur. ademit enim ei possessionem, quam animo retine-
bat, esi nō corpore. Ex his verbis Vlpiani apertè definita est tota illa controuersia Cæcinnæ, quam
11 tot verbis tuetur Cicero, contendens nihil in hoc interdicto interesse. siue à fundo, siue ex fundo
quis sit deiectus: cùm verbo communi vsus esset Prætor in interdicto, VNDE TV DEIECISTI quod
12 vtrumque declarat. & à quo loco, & ex quo loco. Verùm hac subtili defensione opus non est, cùm
etiam ex possessione deiectus dicatur; qui prohibitus est possessionem ingredi, quam animo reti-
nebat, hoc erat satis ad confutandum cauillum Ebutij, cùm iactaret, non deieci, quem prohibui
13 intrare. Addit Cicero, quod parum iure nostro videtur probatum; etiam eum, qui non possederit
vti interdicto, si armata vis illata fuerit. Verba Ciceronis hæc sunt; Eum qui non possideat, negas
deiici posse. Cur ergo aut in quotidianum illud interdictum, VNDE ILLE ME VI DEIECIT,
additur, CVM EGO POSSIDEREM, si deiici nemo potest, qui non possidet? aut in hoc interdicto,
De hominibus armatis, non additur, si oportet quæri, possederit nècne? Negas deiici, nisi quis
possideat: ostendo, si sine armatis coactisve hominibus, deiectus quisquam sit, eum qui fateatur
sese deiecisse. vincere sponsione, si ostendat eum non possedisse. Negas deijci nisi quis possideat?
ostendo ex hoc interdicto, De hominibus armatis, qui possit ostendere non possedisse eum, qui
deiectus sit, condemnari tamen sponsionis necesse esse, si fateatur esse deiectum. Verùm hoc dis-
14 crimen in interdicto Vnde vi non legimus probatum iure nostro Ciuili. Quinimo simpliciter di-
ctum est, hoc interdictum nulli competere, nisi ei, qui tunc cùm deijceretur, possidebat: nec alium g dic. l. 1. §. interdict.
15 deijci videri, quàm qui possidet [g]. Et eum, qui neque animo, neque corpore possidebat, ingredi autem hoc. de vi &
autem & incipere possidere prohibeatur, non videri vi deiectum [h]. ¶ *Fundi vel ædium.*] inquit vi arm.
16 Vlpianus [i]: Generaliter ad omnes pertinet hoc interdictum, qui de re solo cohærenti deijciuntur. h dic. l. 1. §. eum qui.
Illud vtique in dubium non venit, interdictum hoc ad res mobiles non pertinere, nisi quæ res sint i d. l. 1. §. generaliter.
in fundo vel ædibus, vnde quis vi deiectus est. Ergo alioqui non competit interdictum recupe-
randæ possessionis pro re mobili, licet competat Adipiscendę & Retinendæ. Vlpianus rationem
adijcit, quòd agi posit ex causa furti, vel Vi bonorum raptorum. Sed illa iudicia habent quæstio-
nem proprietatis. ¶ *Vi deiectus.*] Nihil iuri tam inimicum, quàm vis, inquit Tullius. Ac proin-
17 de varia sunt iudicia de vi: vt etiam variæ species vis. Vim, qua deijcimus vel expellimus, coërcet
hoc interdictum Vnde vi. Vis, qua turbamus aliquem, pertinet ad interdictum retinēdæ possessi
onis. Vis, quam vocant inquietatiuam, ad interdictum Quod vi aut clàm. Cæteræ species violen-
tiæ habent certas actiones. Nam vis (vt loquuntur) ablatiua pertinet ad actionem bonorum ra- k L. si rerum. de vi & vi arm.
ptorum. Vis compulsiua ad actionem Quod metus causa, non autem ad hoc interdictum [k], quod l L. 1. §. hoc interdict. D. illo tit.
ad solam vim atrocem pertinet [l], quæ videlicet inuitum deijcit possessorem. Sed tamen in inter-
dicto Quod vi aut clàm, vi factum intelligitur, si quis contrà quam prohiberetur, fecerit [m]. Sanè m L. 1. §. quid sit vi. D. quod vi aut clam.
& si possessor iusto metu vis impendentis territus fugerit, & secuta sit occupatio fundi: eum vi de-
iectum dicemus: quanquam aliud sit, si vis aliò tenderet. & fundus derelictus non fuerit occupa-
tus, in quo articulo Labeo reprehensus est à Pomponio. Sed & si quis retinens animo pristinam

possessionem, dum parat ingredi suum fundum, terrore vis intentatæ prohibitus sit, credemus vi
deiectum. Quod multis verbis probat Tullius in Oratione pro Cæcinna.
¶ *Deiectus fuerit.*] Sicut omnino possessione exciderit. Cæterùm si quis me vi deiecerit, meos
autem non deiecerit: non potero hoc interdicto experiri, quia per eos non retineo possessionem, 19
qui vi deiecti non sunt [a].

a l. 1 §. non alij aut. de vi & vi armata.

¶ *Interdictum vnde vi.*] Prætor ait; VNDE TV VI ILLVM DEIECISTI, AVT FAMILIA TVA
DEIECIT: DE EOQVE QVOD ILLE TVNC IBI HABVIT TANTVMMODO INTRA ANNVM:
POST ANNVM VERO, DE EO QVOD AD EVM, QVI VI DEIECERIT, PERVENERIT, IVDI-
CIVM DABO. Cicero pro Cæcinna videtur paulò aliter referre interdictum De vi. Est autem 20
aliud interdictum Quod vi aut clam, aduersus quemlibet possessorem operis facti vi aut clam. Et
videtur propriè pertinere ad ipsum delictum: cùm nostrum interdictum Vnde vi, magis coërceat 21
ipsius delinquentis personam. Sanè habuerunt Athenienses generale quoddam & latè patens
interdictum De vi, quod appellabant ἐξούλης δίκην [quasi violentiæ publicæ iudicium] compete- 22
batque etiam creditoribus in bonorum possessionem missis, si inde vi expellerentur. Vel si quis
damnatus cùm præstituto die non solueret, vi prohibuisset creditorem mitti in possessionem. ac
tum quidẽ simul irrogabatur certa mulcta, quæ fisco dependeretur. Sic enim scribit Demosthenes
contra Midiam: τί γὰρ δήποτε αὐτῆς ὄφλων δίκην μὴ ἐκτίνων, οὐκ ἐπελεύσεται ὁ νόμος τῆς ἐξούλης δίκην ἰδίαν, ἀλλὰ προσ-
τιμᾶν ἐπιτάξει τῷ δημοσίῳ. [Quánam enim de causa si quis debitor est ob rem iudicatam, & non sol-
uerit, lex iudicium de Vi non iam priuatum esse voluit, Sed in eum animaduertendum esse mul-
ta iussit in publicum cessura?] ¶ *Is qui deiecit.*] His verbis continetur & qui deijcere mandauit:
vel postquam id eius nomine factum esset, ratum habuit [b]. Adijcitur præterea in interdicto, SI
EIVS FAMILIA DEIECERIT, AVT PROCVRATOR. Et interpretatur Tullius Prætoris esse volun-
tatem, vt siue tu deieceris, siue tuorum quispiam, siue seruorum, siue amicorum: competat inter-
dictum. & probat quod posteà respondit Vlpianus; in hoc interdicto etiamsi vnus seruus vi deie- 23
cerit, familiam deiecisse videri. Sed & ex causa huius interdicti, in heredẽ eius, qui deiecit, & bono
rum possessorem, in factum actio competit in id, quod ad eos peruenit [c]. ¶ *Qui deiecit.*] Satis 24
est, deiecisse, etiam si is, qui deiecit, ipse non possideat. & vi deiectus aliquis videtur. etiamsi fun-
dus à nemine sit occupatus [d]. Idque est peculiare in hoc interdicto. ¶ *Licet is.*] Est & hoc propri-
um in hoc interdicto. Nam alijs interdictis non vtitur, qui vel clam, vel precariò ab aduersario
possidet. Quinimo & qui agit interdicto Quod vi aut clàm, repelli potest exceptione, si ipse prius
vi aut clàm fecerit [e]. Nempe odiosa magis est vis, de qua in interdicto Vnde vi agitur: quam certè
qui intulit, nullo exceptionis beneficio sese tueri potest: sed nec causari, eum qui deiectus est, à se vi 25
possedisse. Si tamen sequamur interpretem Ciceronem, tantùm ad vim armatá pertinebit. quod 26
hic dicitur. Is enim pro Cæcinna ait; In illa vi quotidiana non satis est se docere deiectum, cùm
possideret: nisi doceat ita se possedisse, vt nec vi, nec clàm, nec precariò possederit. Sed & noster 27
Pomponius nominatim ad vim armatam refert, quod hic Iustinianus dixit generaliter & confu-
se [f]. ¶ *Sed.*] Solet hæc vox esse nota cuiusdam correctionis. Verùm hoc loco magis significat ad- 28
iectionem noui iuris, quàm veteris abrogationem. Nam & adhuc tenetur interdicto Vnde vi, qui 29
vi deiecit: & præterea mulctatur omni [illegible] quod in rem habere potuit, iure. Ne quis contempto
solius possessionis restituendæ incommodo, facilè audeat vim inferre.

b L. 1. §. deiecisse autẽ. de vi & vi arma.

c dic. l. 1. §. vlt.

d L. non solum. §. si dominus. de vsucap.

e l. si alius. §. bellissimè. D quod vi aut clam.

f L. sed si vi. de vi & vi arm.

¶ *Vt suprà diximus.*] Dictum est suprà, in titulo Vi bonorum raptorum. Et nos eo loco totam
hanc rem pluribus explicuimus. Itaque cum Iustiniano admonemus lectorem inde repetere, si
quid hic desideret. Quorsum enim molesta repetitione & nos & alios fatigemus: ipsamque inter-
dictorum tractationem parum tempestiuè prolixis & alienis commentationibus interrumpa-
mus, magno lectoris tædio, & temporis nostri iactura? ¶ *Tenetur Lege Iulia.*] Quæ sit huius legis
pœna, quodque iudicium, suo postea loco dicemus [g], vbi tota hæc res repetitur.
Cum armis.] Hoc est, cùm arma haberet, etiam si fortè ijs vsus non sit. Sic enim multum inter- 30
est; Cum armis deijcere; & armis deijcere. quod obiter annoto, vt hîc acutè intelligamus compre-
hendi, quod apertius respondit Vlpianus [h]; Qui armati venerunt, etiamsi non armis vsi sint ad
deijciendum: si deiecerint, armata vis facta videtur. Sufficit enim terror armorum, vt videantur
armis deiecisse. ¶ *Armorum autem.*] Desumptus est hic locus ex responso Caij, cuius verba extát
in Pandectis [i]. additque Iusti. hanc interpretationem armorum exemplo Vlpiani, qui agens de
hoc nostro interdicto Vnde vi, ait [k]: Armis deiectum quomodo accipimus? Arma sunt omnia te- 31
la, hoc est, & fustes & lapides, non solùm gladij, hastæ, & frameæ. Tullius quoq; pro Cæcinna, hoc
interdictum explicans, inquit, Quid dicemus? Armatos, si Latinè loqui volumus, quos appellare 32
verè possumus? Opinor eos qui scutis telisque parati ornatique sunt. Quid igitur? si glebis aut sa-
xis aut fustibus aliquem de fundo præcipitem egeris: iussusque sis, quem hominibus armatis de-
ieceris, restituere restituisse te dices? Verba si valent: si causæ, non ratione, sed vocibus ponderan-
tur me autore dicito. Vinces profectò, non fuisse armatos eos, qui saxa iacerent, quæ de terra ipsi
tollerent: non esse arma, cespites, neque glebas: non fuisse armatos eos, qui prætereuntes ramum
defringerent arboris: arma esse suis nominibus, alia ad tegendum, alia ad nocendum: quæ qui
non habuerint, eos inermes fuisse vinces. Verùm si quidem erit armorum iudicium, tum
ista dicito: iuris iudicium cùm erit, & æquitatis, caue in ista tam frigida, tam ieiuna calum-
nia delitescas. Non enim reperies quenquam iudicem aut Recuperatorem, qui tanquam
si arma militis inspicienda sint, ita probet armatum. Sed perinde valebit, quasi armatissimi 33
fuerint

g §. item lex Iulia. de publ. iudic.

h L. 3. §. qui armati. de vi & vi arm.

i L. armorum. de verborum signific.

k L. idem est. §. arm. de vi & vi arma.

fuerint, si reperientur ita parati fuisse, vt vim vitæ aut corpori potuerint adferre. Hactenus Cicero.

34 De generali appellatione telorum paulo pòst cum Iustin. dicemus [a]. Certè ea latius patere potest & debet, quàm armorum: quorum propria significatio, ea tantùm videtur complecti, quæ ab armis nostris siue humeris dependent, magis parata ad defendendum & tegendum, quàm nocendum. Vnde Virgilius de Priamo, — a §. telum autem. inst. de publ. iud.

Arma diu senior desueta, trementibus æuo *Circundat nequicquam humeris.*

35 Et omnes ferè Latini autores arma disiungere solent à telis. Sed iidem non dubitant armorum appellatione latissimè vti, per translationem. Quò fit, vt in interdicto id notum videri non debeat. Liuius lib. 9. armare dixit saxis. Et Virgilius lib. 7. Æneid.

Hic (inquit) torre armatus adusto, *Stipitis hic grauidi nodis.*

36 Quæ verba huius loci interpretationem probant. Quidquod apud eundem Liuium lib. 4. est, armari igni: & apud eundem Virg. legimus, armatam facibus matrem. Cæterùm in Nouel. Iusti. Constit. ... quâ omnibus extra collegia Fabricensium, vetat arma parare: ea tantùm ar-

37 ma intelliguntur, quæ militantibus vsui esse possunt. Id quod ipse quoque Iusti. satis explicat sub finem eiusdem Constit. Et secundum hæc accipiendum etiam est illud rescriptum [b], quo omni- — b L. vnic. C. vt armorum vsus.

38 bus armorum vsus interdicitur. ¶ *Non solùm scuta, gladios & galeas.*] His verbis videtur significari tota vetus armatura militum Romanorum, saltem eorum qui appellabantur Hastati. Habebant enim galeam æneam, clypeum, & ensem Hispaniensem à dextro femore dependentem, vt pluribus verbis refert Polybius lib. sexto.

§. *Tertia diuisio. cum §. finali.*

1 *Tertia hac diuisione quæ interdicta comprehendatur.* 3 *Interdictorum & Edictorum olim differentia quæ?*
2 *Veteres formulæ & impetrationes iam sublatæ sunt.* 4. 5. 6 *In quibus interdictis extra ordinem ius dicatur?*

¶ *Tertia diuisio interdictorum.*] Omnium scilicet. Hac enim diuisione comprehenduntur & 1 publica & priuata interdicta, & quæ habent causam possessionis, & quæ proprietatis. Suprà quoque meminimus actionum quarundam mixtarum siue duplicium. Porrò autem hæc tertia diuisio interdictorum sumpta est ex responso Pauli [c]: qui tamen eam non ita dilucidè explicat. — c L. 2. de interd.

¶ *Duplicia sunt.*] Hoc est, esse possunt & solent. Vt cùm aduersarius ipse quoque sese possidere contendit: & contrario interdicto vtitur. Aliquando solùm intercedit, siue vt aiunt, sese opponit Imperio interdicti: & tum reus propriè videtur: & est hoc iudicium simplex.

2 ¶ *Superuacuum est hodie dicere.*] Quia scilicet veteres omnes formulæ & impetrationes iam sublatæ sint. Sed ne quid tamen antiquitatis ignoraretur, sine cuius cognitione vix possumus Romanas leges intelligere, nequaquam superuacuum fuisset ea explicari, quæ nunc latent in obscuro obsoletæ antiquitatis recessu. Olim Prætores edictis suis multa interdicta primùm proposuêre, ac ex iis quidem interdicebant, deinde iudicium dabant. & si opus esset, illud etiam, vt in iudiciis arbitrariis, adiiciebant, NI EA RES ARBITRIO TVO RESTITVATVR, VEL EXHIBEATVR, QVANTI EA RES ERIT, CAIVS IVDEX CONDEMNATO. Ac videntur sanè interdicta fuisse vnius tan-

3 tùm causæ, & personalia, & de eo quod iam factum erat, concepta: vt è diuerso edicta & generalia erant & in futurum non in præteritum concipiebantur. ¶ *Quoties extra ordinem ius dicitur.*] Extra

4 ordinem ius dicitur in omnibus interdictis, in quibus non obseruatur antiquus ille ordo, quo prius interdicebat Prætor; deinde, si quid esset controuersiæ, suo arbitrio dabat Recuperatores: sed recta via actionem intendimus coram iudice. atque ita accipiendum puto, quod rescripserũt Impp. Diocletianus [d] & Maximianus: Interdicta licet in extraordinariis iudiciis propriè locum non habent, tamẽ ad exemplũ eorum res agitur. ¶ *Qualia sunt hodie omnia iudicia.*] Ita & hunc locum legit Theophilus: & suprà Iustinianus ait [e]; posteritatem viam esse extraordinariis iudiciis. Et videtur Paulus [f] ipse interpretari extraordinaria iudicia, vbi conceptio formularum non ob- — d L. incerti. C. de interdict. — e §. 1. sup. de success. sub.

5 seruatur. Vnde sequeretur; Omnia hodie iudicia esse extraordinaria, cùm sublatus sit in vniuersum vsus veterum formularum [g]. ¶ *Non est necesse.*] Imò omnino ineptum esset reddi interdictum: cùm vtamur extraordinariis iudiciis, sublata veterum formularum solennitate, & prisci or- — f 2. ad tionem gestorum de nego. gest. — g L. 1. C. de form. subl.

6 dinis ambagibus. Sic vt nec interdicta propriè locum habere possint in iudiciis extraordinariis [h], in quibus non moramur officium Prætoris prius interdicentis, sed recta via simpliciter agimus. — h L. incerti. C. de interdict.

¶ *Ac si vtilis actio ex causa interdicti.*] Hoc est, Olim quidem dabatur etiam actio: sed ex causa interdicti. à Prætore scilicet, qui post interdictum constituebat iudicia, hodie quoque datur actio: sed simpliciter, & communi iure, non autem ex vlla causa interdicti prius redditi. quia nec hodie amplius redditur; sed in vniuersũ perinde agitur, atq; olim apud Romanos post causã interdicti.

De pœna temerè litigantium, Tit. XVI.



Vnc admonendi sumus, magnam curam egisse eos, qui iura sustinebant, ne facilè homines ad litigandum procederẽt. quod & nobis studio est. Idque eo maximè fieri potest, quòd temeritas tam agentium, quàm eorum, cum quibus agitur, modò pecuniaria pœnã, modò iurisiurandi religione, modò infamiæ metu coërcetur.

Ecce enim iusiurandum omnibus, qui conueniuntur, ex Consti-

tutione nostra defertur. Nam reus non aliter suis allegationibus vtitur, nisi prius iurauerit, quòd putans se bona instantia vti, ad contradicendum peruenit. At aduersus inficiantes, ex quibusdam causis dupli vel tripli actio constituitur: veluti si damni iniuriæ, aut legatorum locis venerabilibus relictorum nomine agatur. Statim autem ab initio pluris, quàm simpli est actio: veluti furti manifesti, quadrupli, nec manifesti, dupli. Nam ex his & alijs quibusdam causis (siue quis neget, siue fateatur) pluris, quàm simpli, est actio. Item actoris quoque calumnia coërcetur. Nam etiam actor pro calumnia iurare cogitur ex nostra Constitutione. Vtriusque etiam partis aduocati iusiurandum subeunt. quod alia nostra Constitutione comprehensum est.

Hæc autem omnia pro veteri calumniæ actione introducta sunt, quæ in desuetudinem abijt: quia in partem decimam litis actores mulctabat, quod nusquam factum esse inuenimus, sed pro his introductum est, & præfatum iusiurandum, & vt improbus litigator, & damnum, & impensas litis inferre aduersario suo cogatur.

Ex quibusdam iudicijs damnati, ignominiosi fiunt: veluti furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo, item tutelæ, mandati, depositi, directis, non contrarijs actionibus. Item pro socio, quæ ab vtraque parte directa est: & ob id quilibet ex socijs eo iudicio damnatus, ignominia notatur. Sed furti quidem, aut vi bonorum raptorum, aut iniuriarum, aut de dolo, non solùm damnati notantur ignominia, sed & pacti: & rectè. plurimum enim interest, vtrum ex delicto aliquis, an ex contractu debitor sit. Omnium autem actionum instituendarum principium, ab ea parte edicti proficiscitur, qua Prætor edicit de in ius vocando. Vtique enim in primis aduersarius in ius vocandus est: id est, ad eum vocandus, qui ius dicturus sit. Qua parte Prætor parentibus & patronis, item parentibus liberísque patronorum & patronarum hunc præstat honorem, vt non aliter liceat liberis libertísque eos in ius vocare, quàm si id ab ipso Prætore postulauerint, & impetrauerint. Et si quis aliter vocauerit: in eum pœnam solidorum quinquaginta constituit.

IN SVPERIOREM TITVLVM
ANNOTATIONES.

1 *Magistratui tũ Politico tũ Ecclesiastico, & tũ Iudicibus tũ Aduocatis cura esse debet ne temerè litigetur.*
2 *Vt actores sic & peruicaces Rei sæpe temerè litigant.*
3 *Caligula quadragesimam summa litigiosa exigebat vectigalis nomine.*
4 *Hodie non nisi appellantes, si causa cadunt, pecuniariam pœnam subeunt.*
5 *Sacramenti timore contentiosa litigantium instantia compescenda.*
6.7 *A patre conuento iusiurandum exigere filius non debet; nec à patrono libertus.*
8 *Tutores etiam curatoresq́; conuenti iurare debent.*
9 *Reus iurat; quod se bona instantia vti putans ad reluctandum peruenerit. & num. 12. 14.*
10 *In omnibus ferè noui litis partibus iuramentum calumniæ olim exigebatur.*
11 *Hodie idem iterari non potest.*
13.16 *Iusiurandum de calumnia credulitatis est non veritatis.*
15 *Instantia vocabulum à Græcis acceptum.*
17 *In noua appellationis instantia iusiurandum de calumnia debet repeti.*

M*Agnam curam egisse eos, &c.*] Et sanè omnibus Rerumpub. gubernatoribus debet hæc res inprimis esse cordi & curæ. Isocrates admonet Regem suum Nicoclem, eas vt leges ferat, quæ 1
vel nullius litis habeant seminarium, vel exortas controuersias statim dirimant. Atque vtinam hęc res nostris hodie iudicibus magis esset cordi; quibus inuitis nullá esse posse litem diuturnam testatur noster Iustinianus [a]. Eandem curam desidero in omnibus iurisperitis & aduocatis: saltem vt imitentur Seruiũ Sulpitiũ; qui maluit semper litiũ cõtrouersias tollere, quàm actiones cõstituere. Nec minus id curare par est ipsos ecclesiæ præfectos. Certè Iesaias Propheta grauiter inuehitur in mores litigatorũ. Paulus Apostolus acerbè suos Corinthios eòdem nomine obiurgat. D. Iacobus non minori seueritate suũ populum litigatorẽ increpat. Hæc si hodie esset cura principum leges ferentiũ, religio magistratuũ, moderatio & consilium iurisperitorum, concio & seueritas Episcoporum; non adeò forensibus iurgijs concuterentur nostræ Respub. ¶ *Tam agentium, quàm eorum cum quibus agitur.*] Peccant frequenter actores, qui temerè alios litibus vexant sed nõ rarò peccant quoq; ipsi rei improba peruicacia: qui bonam fidẽ vltro agnoscere nolunt. Certè Iustin. Nou. sua Constitut. 18. grauiter reprehendit & coërcet reos temerè inficiantes, multísque probationum difficultatibus & sumptibus actores implicantes sine causa. 2

a *L. properandum. C. iudici s.*

¶ *Modo pecuniaria pœna.*] Fit paulò post mentio cuiusdam mulctæ aduersus inficiantem reũm, & decimæ partis litis, qua olim temerarij actores mulctabantur. Sed fuit iniqua & malitiosa illa Constitutio Caligulæ, qui quadragesimam summæ, de qua litigabatur, vectigalis nomine exigebat. adeò, vt nec liceret impunè litem motam componere. Sic ille omnes litigatores mulctabat nullo discrimine; vtpote qui non Reipublicæ, sed fisco suo consulebat. Hodie non nisi appellan-

appellantes.qui causa cadunt, pœnam subeunt pecuniariam: vtinam ea solùm irrogetur temeri-
tati: nec affligat etiam iustissimis de causis appellantes. ¶ *Iurisiurandi Religione.*] Iustinianus alio
5 quodam loco ait [a]; Sacramenti timore contentiosam litigantium instantiam compesci. Totus
autem hic timor est propter Dei Maiestatem: quam certè maximè revereri debemus. Non potest
autẽ inhonorari grauius, quàm periurio. Aliter sanè si quis numina contemnat, non admodùm
reuerebitur iusiurandum, cùm eius violati nulla sit hic in terris ciuilis pœna. ¶ *Omnibus.*] Exci-
piendus est tamen parens & patronus. Nam nec à patre conuento filius, nec à patrono libertus,
6 debet calumniæ iusiurandum exigere. Certè in delatione iurisiurandi, id olim eis remissum [b] fuit,
sicuti & in exactione cautionis damni infecti nomine [c]. Item & si neget se Romę satisdare posse [d].
7 Quid multis? De calumnia patroni queri non potest libertus [e]. Et liberto filioque semper honesta
8 ac sancta persona patris & patroni debet videri [f]. ¶ *Qui conueniuntur.*] Vel suo vel alieno nomi-
ne. Nam & tutores curatoresque conuenti debent iurare [g]. ¶ *Ex Constitutione nostra.*] Huius Con
9 stitutionis verba, quæ huc pertinent, hæc sunt [h]; Reus non aliter suis allegationibus vtatur, nisi
prius & ipse iurauerit, quòd putans se bona instantia vti, ad reluctandum peruenerit. Porrò extat
10 alia Iustiniani Constitutio, quæ exigit iusiurandum, vbi petitur probatio [i]. Et certum est, olim
in omnibus ferè nouis litis partibus & assertionibus, exactum fuisse de calumnia iusiurandum [k],
11 tam ab actore, quàm reo. Sed id Iustinianus, Nou. Constitut. 50. sustulit; nolens in eadem lite sæ-
pius idem iusiurandum repeti: quia sufficit semel in genere iurâsse. Vt quantum fieri potest, non
reiteretur temerè hoc sacramentum: vel frequentiori vsu profanetur. Itaque in vniuersum semel
12 iurabant litigatores, nihil sese in tota lite calumniæ causa exacturos. ¶ *Defertur.*] Et omnino
præstari debet; nisi reus haberi velit pro confesso [l]. adeò vt id non possit aduersarius remittere [m].
Diximus tamen ex veteri iure id remissum esse parentibus & patronis: quanquam generaliter Iu-
stinianus id exigere videatur. ¶ *Quod putans se bona instantia.*] Iustinianus in Nouella sua Constit.
50. hunc locum ita effert: *ὡς ὄντως τὴν ἀντιλογίαν μετὰ τοῦ ἁρμόζοντος ποιοῦνται, ἀλλ' οὐχ ὕβρεως συκοφαντίας.*
13 Hicque notemus; hoc iusiurandum magis esse opinionis, quàm assertionis; alioqui lex esset im-
pia, quæ vtrumque litigatorẽ adigendo ad iusiurandum, adigeret alterum ad periurium, si iura-
14 rent non quod credunt, sed omnino bonam esse causam, qua nituntur. Porrò in Nouella Consti-
tutione 124. addit; vt etiam iuret litigator; nihil se se dedisse daturúmve corrumpendi iudicij cau
15 sa. ¶ *Instantia.*] Hoc verbum Latini acceperunt à Græcis: apud quos in eadem significatione est
16 *ἔνστασις*: & vtitur orator Æschines. ¶ *Putans.*] Hic ergo iuratur non de ipsius rei veritate, sed opi-
nione [n]: & id quidem, quod pertinet ad iustam causam contradicendi. Vnde licet sciat reus rem
esse vindicantis: potest tamen adhuc iurare, si bona fide ad tempus contradicat, & iudicium susti-
neat, vt sibi caueat de euictione: cuius fortè nomine actionem non haberet, si statim rem restituis-
set. ¶ *Bona instantia.*] Non pertinebit ergo hoc iusiurandum ad nouam appellationis instan-
17 tiam: sed in ea debet repeti: vt & nominatim statuit Iustinianus de iureiurando non corrupti lar-
gitionibus iudicij, in Nouella Constitutione 124.

a L. 1. C. de iureiurand. propter calũ. dan.
b L. si patronus. & L. iusiuran. & ad pecuniam. §. qui iusiurand. de iureiur.
c L. qui bona. § si alie. de damn. infect.
d L. de die §. iubetur. D. qui satisd. cog.
e L. licet, de obseq. à libert.
f L. liberto. D. illo tit.
g L. 2 §. quod obseruari. C. de iureiur. prop. cal. dan.
h dic. l. 2.
i L. 1. C. de iureiuran. propt. calumn. dan.
k L. qui bona. §. si als. de damn. infect. L. iusiurandum. & ad pecu. § qui iusiuran. de iureiur. l. de die §. iubetur. D. qui satisd. cog. l. si quis ex argentarijs. §. exigitur. de edendo.
l L. 2. §. quod si actor. C de iureiur. propter calumn. dand.
m dic. l. 2. §. sed quid.
n dict. l. 2. §. & lucet.

§. *At aduersus.*

1 De pœna pecuniaria Rei temerè litigantis, & quomodo ex pertinaci inficiatione crescat condemnatio.
2 De versic. Statim autem.

1 ¶ *Aduersus.*] Hic explicat pecuniariam pœnam rei temerè litigantis, & aduersus bonam fi-
dem inficiantis debitum. Quo modo autem crescat ex pertinaci inficiatione condemnatio: satis
superque dictum est in Tit. de Actionibus. ¶ *Aut legatorum.*] Hæres, qui in præstatione horum
legatorum moram committit, statim incidit in pœnam simpli. Et si præterea in ius vocatus, infi-
2 cietur: incidet in pœnam dupli. Ita triplo punietur. ¶ *Statim autem.*] Hæc appendix non est pro-
priè huius tituli, quia continet pœnam criminis temerariæ litis. Sed adiecta est ad discernendas
inficiationis pœnas: & interim admonet reum certæ pœnæ furti: ne temerè litem instituat, ex qua
nihil nisi condemnationem referre possit.

§. *Item actoris, cum §§. duobus sequentibus.*

1 Actor quoq; iurat de calumnia; & num. 2.
3 Non conuenit Oratori, iniusta scientem tueri.
4 De formula iuramenti Aduocatorum.
5 Apud Gallos hodie quomodo iuretur?
6 Pœna olim temerè litigantium quæ?
7 παρακαταβολὴ Athenensium; & Sponsio ac Sacramentum olim apud Romanos quæ? num. 8. 9.
10 Improbus litigator quis?
11 Victus in expensarum causa victori est condemnandus.
12 Improbi litigatoris heres autoris sui temeritatem luit.
13 Damnum propriè quid?
14 Sarcire victus debet quod victoris interest.
15 Eius interesse videtur qui damnum passurus est, non eius qui lucrum facturus.
16 Ad quas impensas temerè litigans teneatur?
17 In expensarum hodie condemnatione quomodo procedatur.
18 Taxatio quid?

¶ *Item actoris.*]Apud Athenienses quoque, nõ minus de calumnia iurabat actor, quàm reus. 1
Et actoris quidem iusiurandum propriè appellabatur διωμοσία: rei verò, ἀντωμοσία. Isocrates tamen περὶ τοῦ ζεύγους, etiam de actore dixit ἀντόμνυσθαι. [iuramentum calumniæ præstare.] Et Isæus orator de actore & reo vicissim iurantibus, ait; μελλόντων ὑμῶν ἀντόμνυσθαι. [cum ad iusiurãdum calumniæ peruentum esset.] ¶ *Pro calumnia iurare.*]Quòd scilicet calumniandi animo litem non 2
mouerit: sed existimet sese bonam causam habere [a]. Iustinianus in Nouella sua Constitutione 50. vult iurare actores; ὡς οὐ συκοφαντοῦντες ἐπάγουσι τὰς δίκας. [quod non per calumniam litem intendant.] Addere quoque debebit actor, sese nihil elargitum esse corrumpendi iudicij causa, vt est in Nouella Constitutione 124. ¶ *Cogitur.*]Quòd si noluerit: omnino iure suæ actionis excidet [b].

¶ *Aduocati iusiurandum subeunt.*] Sic olim Tullius pro Sylla dicturus, Vos (inquit) Dij Penates testor, me huc integro animo descendere. Certè nemo non verum esse intelligit quod scribit Fabius lib. 12. Non conuenire Oratori, iniusta tueri scientem. Vnde etiam eum admonet, ne pudor obstet, quo minus susceptam, cùm melior videretur, litem, cognita inter disceptandum iniquitare, dimittat, cùm prius litigatori dixerit verum. Nam & in hoc est maximum, si qui Indices 3
sumus, beneficium, vt non fallamus vana spe litigantem. ¶ *Alia nostra Constitutione.*] Extat hæc adhuc Iustiniani Constitutio [c]: quæ & iurisiurandi formulam complectitur; Quòd sedulò clientibus seruient, nec tamen vllam iniustam causam suscipient, & si quam procedente lite, iniustam cognouerint, dimittent. Meminit huius Constitutionis & alio loco Iustinianus [d]. Et in fine Nouellæ suæ Constitut. 90. omnium iudicialium sacramentorum rationem addit: ὅρκον ὑπέχειν καὶ τοὺς ἐνάγοντας, καὶ τοὺς ἐναγομένους, καὶ τοὺς συνηγόρους παρεκελευσάμεθα, πανταχοῦ τὸν θεὸν ἱδρύσαντες ταῖς τῶν δικαζομένων τε καὶ δικαζόντων, καὶ τῶν μαρτυρούντων ψυχαῖς, ἵνα διὰ πάντων τῇ τοῦ θεοῦ μνήμῃ τε καὶ παρουσίᾳ καθαραί τε αἱ δίκαι καὶ ἀνύποπτοι τοῖς δικαζομένοις γίνωνται. [iuramentum subire tam actores quàm reos & aduocatos iussimus, vbique litigantium & iudicantium, & testimonia perhibẽtium animis Deũm infigentes; vt per omnia lites, Dei memoria & præsentia, puras & litigãtibus à suspicione liberas reddamus.] Sanè hodie apud Gallos, vt nulli litigatores de calumnia iurant: sic tantùm semel solent aduoca- 5
ti iurare, cum ad postulandi officium recipiuntur. In supremo Senatu quotãnis iusiurandum præstant idibus Nouembris.

¶ *Hæc autem.*] Hic obiter indicat, qua olim pecuniaria pœna mulctabatur temerarius actor.

¶ *Pro veteris calumniæ actione.*]Qua qui iniuria fuerit vexatus, iudicio poterat à sycophantis & 6
calumniatoribus decimam litis temerè motæ partem exigere pœnæ nomine.

¶ *In partem decimam litis.*]Vt apud Athenieẽses in vsu fuit παρακαταβολή, hoc est, depositio quæ- 7
dam certæ pecuniæ, qua mulctabatur temerarius litigator: eratque fermè decima pars litis. Sic apud Romanos quondam frequentata est sponsio, interposita stipulatione certæ pecuniæ, quam 8
perderet, quem temerè litigasse apparebat: eratque fermè decima pars litis. Et nescio an id fuerit, quod Iudicibus dabatur. Porrò etiam olim in vsu fuit sacramentum: quod erat non absimile sponsioni. Deponebatur enim ab vtroque litigatore apud sacrum Pontificem (Sic enim apud Varro- 9
nem legi debet, non, PONTEM) certi asses; & qui iudicio vicerat, suum sacramentum à sacro auferebat; victi autem, ad ærarium redibat, vt inquit Varro: quæ pœna pecuniaria erat temerè litigantis. ¶ *Improbus Litigator.*] Cui scilicet ratio litigandi defuit, vt inquit Papinianus [e]. Quo nomine 10
etiam à Repub. litis sumptus sarciendos esse respondit. Et Vlpianus [f], Eum (inquit) quem temerè in iudicium aduersarium suum vocãsse constiterit, viatica litisque sumptus aduersario suo reddere oportebit. Sic accipiendum est, quod in vniuersum sanxit Iustinianus [g]; Victum in expensarum causa victori esse condemnandum. Certè in Nou. sua Constitutione 15. iussit ex causa victo- 11
rem litis sumptus præstare: qui videlicet improbè pluris litem æstimaret, vt apud ipsius loci Præsidem reum attereret. quo nomine non vult eum causa cadere: sed tamen iubet πέραν τῆς δίκης ὑποβάλλεσθαι ζημίᾳ. [totius litis subijci dispendio.] Et in Nouel. sua Constitutione 82. relinquit Iudicis religioni expendendam expensarum litis rationem, quarum compensationem (vt vulgari verbo vtar) fieri ex causa permittit. εἰ μέντοι (inquit) σαφὲς μὴ δοκοίη μᾶλλον περὶ τῶν μερῶν, τὸν τῶν δαπανημάτων ὑποβάλλειν λόγον διὰ τὸ τῆς ὑποθέσεως ἴσως ποικίλον, αὐτὸ τοῦτο διορίζεσθαι ψήφῳ. [si, propter controuersiç fortè varietatem, neutram illi partem rationi expensarum subdere visum sit; hoc ipsum sua determinet sententia.] ¶ *Litigator.*]Vel eius defuncti hæres: quum æquum sit eum autoris sui temerita- 12
tem luere, & damnum datum sarcire.

¶ *Et damnum.*]Non modò, si patrimonium fuerit diminutum (quod propriè damnũ dicitur [h])
sed & si alicuius lucri (cuius alioqui spes certa erat) occasio per hanc litem fuerit adempta. Ita e- 13
nim sarcire victus debet quod victoris interest, quando eius prærepti emolumenti ipse vnus in 14
causa est. Cæterùm si qua esset extra rem vtilitas longius petita, multis incertisque obnoxia casibus: eius non esset habenda ratio [i]. Hucque potest referri, quod ait Iabolenus [k]; Videri interesse e- 15
ius, qui damnum passurus est, non eius, qui lucrum facturus esset.

¶ *Impensas.*] Ab aduersario factas, vel in honorarijs aduocatorum, sportulis Iudicum, & 16
reliquis iustis litis sumptibus, vel etiam in viatico, & in esculentis poculentisque, dum quis peregrè agere cogitur litis causa. Cæterùm si quis vltro liberalius sine vrgenti causa impenderit: non debet id ab aduersario repetere [l]: cùm nec damnum reputare debeat, quod sua solius culpa vltro sibi accersiuit. Vt autem hæc rectè dijudicentur: hodie moribus forensibus, post sententiam, victor Iudici offert libellum, qui complectitur omnium sumptuum narrationem 17
& æstimationem. Sed id Iudex moderatur pro arbitrio, aut ex ipsius litis actis, aut aliquando ex solo

a L. 2. C. de iureiur. propter calum. dan.
b d. l. 2. §. quod si actor
c L. rem nõ nouam §. patroni. C. de iudicijs
d d. l. 2. C. de iure propter calum. dan.
e L. qui solidum §. etiam. de leg. 2.
f L. eum quem temerè. de iudic.
g L. properandũ. §. sin autem alterutra. C. de iudicijs.
h L. 3. de dam. infect.
i L. si sterilis. §. cũ per venditorem. de act. empt.
k L. si cui. §. vlt. de furt.
l L. debet autem. de edil. edict.

solo victoris iureiurando. Sanè Iustinianus in Nouella sua Constitu.28.sanxit, vt si iudex victori
18 iusiurandum de expensis deferat, ad quantitatem scilicet, quæ moderata illi videtur, quam Leges
Taxationem vocant: ne posit in minorem summam, quàm iuratum sit, condemnare.

¶ *Aduersario suo.*] Si quidem id petierit. Alioqui formidandum est, ne iure non impartiatur
Iudex suum officium non petenti [a]. ¶ *Cogatur*] Per Iudicem scilicet: qui si id negligat, voluit Iu-
stinianus id eum de suo sarcire [b]. Potest tamen & eo nomine prouocari, saltem vbi non appellarit
victus litigator. Nam tum opus non esset alia prouocatione: sed Iudex appellationis poterit con-
demnationem ferre omissorum in prima lite sumptuum [c].

a L.4.§.hoc autem.de damno infect.
b L.properandum.§.sin autẽ alteruter.C.de iudicijs.
c L.vlt.C.quãdo prouoc.non est necess.

§. *Ex quibusdam.cum sequentib.final.*

1 Quomodo quis propter condemnationem in actione famosa fiat infamis?
2 Prouocatio infamiam priorem extinguit.
3 Tria summa existimationis iudicia priuata; Fiducia, Tutelæ, Societatis. Item Mandati; num. 4.
5 Contraria actiones cur non infament? & num. 6.
7 Pactos de actione famosa quos hic accipiamus? & num. 8.
9 An etiam qui famosam actionem ex contractu redimit, reddatur infamis?
10 Iudicium à citatione incipit; & quomodo fiat? num. 13. 14. 16.
11.15. Gallorum mores forenses in hac iuris parte qui?
12 Speciale iudicii mandatũ hic Galli appellant Commissionem.
17 Ius; & in ius vocare, hoc loco quid?
18 Romanorum olim iure quisque ab aduersario suo in ius vocabatur.
19 Si quis vocatus non iret, trahebatur.
20 Quæ personæ in ius vocari nequeant?
21 Personæ magistratum gerentes eo deposito conueniri possunt.
22. Quid, si perpetui sint magistratus?
23 Qui pœnam temerariæ litigationis soluere non potest, castigatur.

¶ *Ex quibusdam.*] Hic proponit infamiæ pœnam, cuius metu homines coërceri suprà dixit, ne
temerè ad litigandum procedant, sed vltro bonam fidem agnoscant. ¶ *Damnati.*] Per senten-
1 tiam Iudicis, non etiam arbitri [d]: & ex proprio facto. Neque enim fit infamis, si condemnetur hæ-
res ex delicto defuncti, aut procurator nomine domini [e]. Sed & si per procuratorem litigarit do-
minus: ipse quoque infamiæ periculo eximitur [f]. Postremò hîc condemnationem eam accipere
2 debemus, quæ rata est, nec extincta per appellationem. Nam ea pendente nulla esset infamia ex
priori condemnatione [g], quam prouocatio extinxit [h]. Et licet appellatio pronuntiata sit iniusta:
ab eo primùm tempore fit infamis, non autem retro [i]. ¶ *Veluti furti.*] De publicis iudicijs, quæ
infamiam irrogant, postea suo loco agetur. Nunc solùm de priuatis. ¶ *Item Tutelæ, mandati, &c.*]
Cicero pro Cæcinna scribit; Turpe iudicium dari aduersus eum, qui per tutelam, aut societatem,
aut rem mandatam, aut fiduciæ rationem fraudasset aliquem. Rursus idem in oratione pro Quin.
3 Roscio Comœdo; Si qua (inquit) sunt priuata iudicia summæ existimationis, & penè capitis: tria
hæc sunt, Fiduciæ, Tutelæ, Societatis. Æquè enim perfidiosum est ac nefarium, fidem fallere, quæ
continet vitam: & pupillum fraudare, qui in tutelam peruênit: & socium fallere, qui se in negotio
coniunxit. Rursus idem pro Sex. Roscio Amerino, In priuatis (inquit) rebus, si quis rẽ mandatam,
nõ modò malitiosius gessisset, sui quæstus, aut cõmodi causa, verùm etiã negligentius: eum maio-
4 res summum dedecus admisisse existimabant. Itaq; mandati constitutum est iudicium, non mi-
nus turpe, quàm furti. ¶ *Directis non contrarijs actionibus.*] Inquit Vlpianus [k], Contrario iudicio
5 damnatus non erit infamis. Nec immeritò. Nam in contrarijs non de perfidia agitur, sed de calcu-
lo, hoc est, de supputatione impensarum, quæ contrario iudicio repetuntur à domino eius rei, in
6 quam factæ sunt. Sic alibi Sabinus rectè putat [l]; hæredem eius, qui dolum commiserat, conuen-
tum in id quo locupletior inde factus est, non fieri famosum: quòd calculi potius ratione, quàm
maleficij conueniatur. Et Vlpianus [m] inquit: Apud quem depositum esse dicetur, contrarium iudi
cium depositi datur, in quo iudicio meritò in litem non iuratur. Non enim de fide rupta agitur,
sed de indemnitate eius, qui depositum suscepit. ¶ *Sed & pacti.*] Pactos hîc accipimus eos de acti-
7 one famosa, qui pecuniam dant, ne cum ijs agatur. Nam videntur confiteri crimen, qui eius accu-
sationem tanto redimunt impendio. Cæterùm eum, qui gratuitò paciscitur, humanius esse non
8 notari, responsum est, quòd is non ita videatur conscientia maleficij pactus [n]. ¶ *Plurimum enim.*]
9 Hic reddit rationem; cur pactus de famosa actione ex maleficio, magis redditur infamis, quàm is
qui paciscitur, & redimit famosam actionem ex contractu. Ac videtur hic locus desumptus ex
responso Pauli, qui ait: In actionibus, quæ ex contractu proficiscuntur, licet famosæ sint, & dam-
nati notentur: tamen pactus non notatur. Meritò: quoniam ex his causis non tam turpis est pa-
ctio, quàm ex superioribus. ¶ *Omnium actionum instituendarum principium.*] Quòd quidem si præ-
10 termittatur: nullius erit momẽti iudiciũ. Sicuti nec olim valuit apud Græcos *ἀπρόσκλητος δίκη*, quæ
scilicet intendebatur in eum, qui in ius vocatus non erat. Ne quis itaq; statim in limine iudicij im
pingat: diligenter obseruare debet omnia, quæ huc pertinent: debetq; etiam bonus Legislator cu-
rare, ne quid hîc desit, aut extet non satis perspicuè proditum. Certè hanc iuris partem studiosè
olim persecuti fuerunt Prætores Romani. Plato quoque libro octauo de Legib. admonet; non
esse negligendas Leges, de in ius vocando. Putat tamen eam rem esse leuiorem, quàm vt grauem

d L.quid autẽ ergo.§.cum autem.de his qui not.infa.
e L.furti.§.qui alieno.& l.seruus.D.illo tit.
f dict.§.qui alieno.
g dict.l.furti.§.si.
h dict.§.qui alieno.
i dict.§.1.
k L.furti.§.vlt.de his qui not.infam.
l L.Sabinus.de dolo malo.
m L.5.Deposi.
n L.furti.§.pactus.de his qui not.infa.l.non damnatos.C.illo tit.
o L.in actionibus.D.illo tit.

Legumlatorem multùm occupare debeat. Fortasśis quòd mutetur pro varijs circumstantijs cu-
iusque fori & regionis. Platonis verba hæc sunt: *Μυρία ταῦτα ὄντα καὶ σμικρὰ νόμιμα, καθ' ἃ δεῖ τὰς πρυτα-
νείας γίγνεσθαι, λήξεις τε ἀεὶ δικῶν, καὶ προσκλήσεις, καὶ κλητῆρας, εἴτ' ἐπὶ δυοῖν, εἴτ' ἐφ' ὁπόσων δεῖ κλητεύειν, καὶ τὰ πάν-
τα ὅσα τοιαῦτά ἐστιν, οὔτ' ἀνομοθέτητα οἷόν τ' εἶναι, γέροντός τε οὐκ ἄξια νομοθετεῖν.* Quod attinet ad Gallo-
rum vsum, & mores foreńses in hac iuris parte: debemus in ius vocare per publicum apparitorem. 11
Sed id fit variè. Nam in quibusdam regionibus hoc tributum est apparitoribus, vt opus non ba-
beant speciali Iudicis mandato, Galli appellant Commisśionem. Aliquando fit citatio ex rescri- 12
pto Principis: quum scilicet concedit restitutionem in integrum, cuius cognitionem Iudici man
dat, simulque iubet eos citari, ad quos id pertinet. Postremò fit aliquando citatio ex Iudicis aut
Principis edicto, debiti solutionem indicente & imperante ijs, quos æri alieno esse obnoxios Au- 13
thentica scriptura testatur. Et tum quidem initium actionis est ipsa executio. Sed de ijs non agi-
mus. Communis & vulgaris citatio est ex mãdato Iudicis, qui aliquem iubet in ius vocari, diem- 14
que certum illi præstitui, quo se iudicio sistat. Est autem vtilis illa Francisci Regis Constitutio; vt
omnis citatio contineat libellum, hoc est, ius actoris, & causam petitionis: vt sciat reus statim, v- 15
trum contendere, an cedere debeat. Et vbi sese iudicio stiterit, statim posśit respondere: nullam-
que habeat rationem tergiuersandi, aut dilationum ambagibus diutius actorem ludificãdi. De-
bet autem Apparitor, qui in ius vocat, vel ipsum reum compellare, vel eius domicilio id denun- 16
ciare. quod etiam Iuri Ciuili consentaneum est [a].

¶ *Id est, ad eum vocandus.*] Paulus paulò aliter interpretatur [b], inquiens: In ius vocare, est iuris 17
experiundi causa vocare. Caius [c] dixit; Prouocare ad iudicium. Ac potest quidem ius intelligi, lo-
cus, in quo ius redditur, vt est apud Paulum [d]. ac olim Romanorum iure, quisque ab aduersario 18
suo in ius vocabatur, nõ à iudice vel publico apparitore. atque hoc quidem populi iussu sancitum
fuisse; vt in ius eas, cùm voceris, testis est autor Rhetoricorum ad Herennium. Plinius in Panegy-
rico ad Traianum: Dicitur actori atque etiam procuratori tuo; in ius veni, sequere ad Tribunal.
Porrò si quis vocatus non iret, potuisse vel inuitum duci, alio loco dictum est. atque hinc rectius 19
intelligemus, cur, quod mox Iustinianus docet, non licuerit sine venia patrem in ius vocare.

¶ *Qua parte Prætor.*] Hanc partem edicti Prætorij refert Vlpianus his verbis fuisse cõceptam [e]:
*PARENTEM, PATRONVM, PATRONAM, LIBEROS, PARENTES, PATRONI, PATRONAEVE, IN
IVS SINE PERMISSV MEO, NE QVIS VOCET.* Et suprà docuit Iustinianus [f]; Pœnalem actionem
Prætoriam in eum dari, qui Patronum vel Parentem in ius vocasset, cùm id non impetrasset. Qua
de re nos eo loco plura diximus. Nunc videamus an vt sunt personæ, quæ sine venia in ius vocari
non possunt, ita sint etiam quæ omnino in ius vocari nequeant. Et sunt sanè plurimæ. Primùm e- 20
nim scribit Vlpianus, In ius vocari nón oportere Magistratus, qui imperium habent [g], hoc est, Ma
iores Magistratus [h]. Idque etiam olim fuit obseruatum, cùm essent iudicia in populi arbitrio. Sed
tum, vt Magistratus in ius non posset vocari, non habebatur ratio imperij, sed tantùm quærebatur, an is haberet vocationem, prehensionémve. Vnde Tribunus p. qui nec vllam iurisdictionem,
nec imperium habebat, olim in ius vocare non poterat: vt est apud Gellium lib. 13. cap. 12. Porrò
quod dicimus, Maiores Magistratus non esse in ius vocandos, intelligendum est, quandiu magi- 21
stratus eorum durat. Nam eo deposito conueniri possunt [i], sicuti & alios conuenire. Qua de re ex-
tat Græcum quoddam rescriptum Imp. Adriani [k]. Vbi autem perpetui Magistratus essent: in ius 22
vocari poterunt, saltem vt parentes, nempe impetrata venia. Porrò addit Vlpianus [l], nec Pontifi-
cem esse vocandum in ius, dum sacra facit: nec eos, qui propter loci religionẽ inde se mouere non
possunt. cuiusmodi erant olim Anachoretæ. Sed nec equitem in publica equorum trãsuectione:
nec eum, qui vxorem ducit, aut eam, quæ nubit: nec Iudicem, dum de re cognoscit: nec eum, qui
apud Prætorem causam agit, neque funus ducentem familiare, iustáve mortuo facientem: quod
olim fiebat per nouem dies, quibus videtur durasse hæc prohibitio in ius vocandi. Idque etiam
scribit Iustinianus in Nouella Constitu. 115.* Pœnicales olim appellabantur funerales hæ nouem
dierum feriæ. Septem dies cadauer domi deploratum, octauo efferebatur, nono tumulabatur.

¶ *Pœnam solidorum quinquaginta.*] De æstimatione solidorum, alio loco diximus. Illud hic scien 23
dum est, si quis hanc mulctam propter inopiam dissoluere nequeat, esse à Præfecto Vrbis casti-
gandum, quasi inofficiosum litigatorem [m].

a L. si dîuus. de excus. tuto.
b L. 1. de in ius voc.
c L. in tribus. de iudi.
d L. pen. de iust. et iu.
e L. 4. §. 1. de in ius vo.
f §. Pœnales. supr. de act.
g L. 2. de in ius voc.
h L. nec magistratib. de iniurijs.
i d. l. nec magistratib.
k L. pars literarum. de iudic.
l d. l. 2. de in ius voc.
** al. Denicales*
m L. vl. de in ius vo.

De officio Iudicis, Titulus XVII.

Superest, vt de officio Iudicis dispiciamus. Et quidem in primis illud obseruare debet iudex, ne aliter iudicet quàm Legibus, aut Constitutionibus, aut moribus proditum sit. Ideoque si noxali iudicio aditus est: obseruare debet, vt si condemnandus videtur dominus, ita debeat condemnare, PVBLIVM MAEVIVM LVCIO TITIO IN DECEM AVREOS CONDEMNO, AVT NOXAE DEDERE.

Et si in rem actum sit coram iudice: siue contra petitorem iudicauerit, absoluere debet possessorem: siue contra possessorem, iubere ei debet. vt rem ipsam restituat cum fructibus.

fructibus. Sed si possessor neget in præsenti se restituere posse, & sine frustratione videbitur tempus restituendi causa petere: indulgendum est ei: vt tamen de litis æstimatione caueat cum fideiussore, si intra tempus, quod ei datum est, non restituerit. Etsi hæreditas petita sit: eadem circa fructus interueniunt, quę diximus interuenire de singularum rerum petitione. Illorum autem fructuum, quos culpa sua possessor non perceperit: siue illorum, quos perceperit: in vtraque actione eadem ratio penè habetur, si prædo fuerit. Si verò bonæ fidei possessor fuerit: non habetur ratio neque consumptorum, neque non perceptorum. Post inchoatam autem petitionem etiam illorum fructuū ratio habetur, qui culpa possessoris percepti non sunt, vel percepti consumpti sunt.

Si ad exhibendum actum fuerit: non sufficit, si exhibeat rem is, cum quo actum est: sed opus est, vt etiā rei causam debeat exhibere, id est, vt eam causam habeat actor, quam habiturus esset, si cùm primùm ad exhibendum egisset, exhibita res fuisset. Ideoque si inter moras exhibendi vsucapta sit res à possessore: nihilominus condemnabitur. Præterea fructuum medij temporis, id est, eius, quod post acceptum ad exhibendū iudicium, ante rem iudicatam intercesserit: rationem habere debet iudex. Quòd si neget reus, cumquo ad exhibendum actum est, in præsenti se exhibere posse, & tempus exhibendi causa petat, idque sine frustratione postulare videatur, dari ei debet: vt tamen caueat se restituturum. quòd si neque statim iussu iudicis rem exhibeat, neque postea exhibiturum se caueat: condemnandus sit in id, quod actoris interesat, si ab initio res exhibita esset.

Si familiæ erciscundæ iudicio actum sit: singulas res singulis hæredibus adiudicare debet, & si in alterius persona prægrauate videatur adiudicatio: debet hunc inuicem cohæredi certa pecunia (sicut iam dictum est) condemnare. Eo quoque nomine cohæredi quisque suo condemnandus est, quòd solus fructus hæreditarij fundi perceperit, aut rem hæreditariam corruperit, aut consumpserit. Quæ quidem similiter inter plures quoque, quàm duos cohæredes, subsequuntur. Eadem interueniunt, & si Communi diuidundo de pluribus rebus actum sit. Quòd si de vna, veluti de fundo: si quidem iste fundus cōmodè regionibus diuisionem recipiat: partes eius singulis adiudicare debet. & si vnius pars prægrauare videbitur: is inuicem certa pecunia alteri condemnandus est. Quòd si commodè diuidi non possit: veluti si homo fortè, aut mulus erit, de quo actum sit: tunc totus vni adiudicandus est: & is inuicem alteri certa pecunia condemnandus est.

Si finium regundorum actum fuerit: dispicere debet iudex, an necessaria sit adiudicatio. quæ sanè vno casu necessaria est, si euidentioribus finibus distingui agros commodius sit, quàm olim fuissent distincti. Nam tunc necesse est ex alterius agro partem aliquā alterius agri domino adiudicari. quo casu conueniens est, vt is alteri certa pecunia debeat condemnari. Eo quoque nomine condemnādus est quisque hoc iudicio, quòd fortè circa fines aliquid malitiosè commisit: verbi gratia, quia lapides finales furatus est, vel arbores finales excidit. Contumaciæ quoque nomine quisque eo iudicio condemnatur: veluti si quis iubente iudice metiri agros passus non fuerit. Quod autem istis iudicijs alicui adiudicatum fuerit: id statim eius fit, cui adiudicatum est.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Officium Iudicis quomodo hic accipiatur?*
2 *Iudicis officium in definiendis causis quod?*
3 *Iudicis perperam iudicantis pœna quæ? & nu. 4. 5.*
6 *Certis legibus regenda iudicia, non permittenda Magistratuum arbitrio. fallit nu. 7. 9. 10. 22.*
8 *Ars æqui & boni in quibus versetur?*
11 *Si de facto cōtrouersia est, locus est regula, veritatem rerum, erroribus gestorum nō vitiari. & nu. 15. 19.*
12 *Imagines Iudicum quales Aegyptiorum Rex sculpendas curarit.*
13 *Index conscientiam veluti mille testes, sequatur.*
14 *Quid, si res sit obscura? & num. 16.*
17 *Iudex probationibus prolatis quatenus sit alligatus?*
18 *Scelerati hominis est, dissimulare veritatem.*
20 *Veritas in iudicijs non semper à litigatorum actis exquirenda est.*
21 *Non omnia testium dicta pro oraculis habenda.*
23 *Sed tamen vel nocentes potius absoluendi, quàm iudicio non conuicti condemnandi.*
24 *Iudex an aduersus conscientiam reum absoluere possit? & num. 25. 26.*
27 *Noxæ dedendi facultas durat, quandiu quis ex causa iudicati conuenitur.*
28 *Emendata hic lectio.*

1 FRequens est in Pandectis mentio officij iudicis, cùm ea de re agitur, quæ stricto iure peti non potest, & cuius nomine nulla datur actio, sed tamen æquū sit reum cōdemnari [a]. Iustinianus verò generalius hic accipit officium iudicis, neç modò respicit veterem morem, quo à Prætore dabantur

a L. qui per collusionē. §. 1. de act. emp. l. quæro locati. l. plane. de rei ud. l. seruos. de ali. lega. l. Quintus de an. leg. l. de adil. & l. imperator. ad Se. Treb.

dabantur iudices singulis causis, homines alioqui priuati. Sed in vniuersum agit de iudicantis
officio, & quid in sententia ferenda obseruare debeat. De officio iudicis latius patent Philosopho-
rum disputationes, vt illæ apud Gellium libro 14. cap. 2. ¶ *In primis illud debet obseruare iudex.*] Ad
hunc modum & in Nouella 126. præcipit Iudicibus, νόμοις ἐγνωσμένην δεδόναι ψῆφον. [legibus cogni- 2
tam edere sententiam.] Et idem complectitur formula iurisiurandi, quod iussit ab ijs, qui officia
suscipiunt, præstari. Sed longè apertius est illud, quod olim præstabatur ab Atheniensium iudici-
bus. Vnde etiam Æschines contra Ctesiphontem, ὁ νομοθέτης (inquit) τοῦτο πρῶτον ἔταξεν ἐν τῷ τῶν δι-
καστῶν ὅρκῳ, ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους. Meminit & huius rei Demosth. & in Oratione contra Aristogi-
tonem grauiter & copiosè disserit; diligenter obseruanda Iudicibus esse Legum edicta: τοὺς νόμους
δεῖ τηρεῖν, καὶ τούτους ἰσχυροὺς ποιεῖν τοὺς ἀεὶ δικάζοντας ὑμῶν. Huc pertinet illa memorabilis sententia So-
cratis apud Platonem in sua Apologia: οὐ κάθηται ὁ δικαστὴς ἐπὶ τὸ χαρίζεσθαι τὰ δίκαια, ἀλλ' ἐπὶ τὸ κρίνειν
ταῦτα· καὶ ὀμώμοκεν οὐ χαριεῖσθαι οἷς ἂν δοκῇ αὐτῷ, ἀλλὰ δικάζειν κατὰ τοὺς νόμους. Quod si nec iuris, nec sacra-
menti religionem secutus sit Iudex: si quidem per imprudentiam; facit litem suam, præstabitque 3
a L. vlt. de extraord. cogni. §. 1. sup. de obli. quæ quasi ex cōtractu nascuntur.
parti læsæ, quod æquum videbitur religioni iudicantis [a]: Sin autem dolo malo, & sciens prudensque;
præstabit veram solidamque æstimationem litis, damnique dati [b]. Ac præterea criminaliter 4
b L. filiusfam. de iud.
c L. vl. C. de pœn. iud. qui mal. iud.
d L. neque leges. cum ll. seq. de legibus.
plectetur æstimationis suæ dispendio [c]. 5
¶ *Ne aliter iudicet.*] Disputauimus alio loco; melius esse, certas extare Leges, quibus regantur
iudicia, quàm ea permitti Magistratuum arbitrio. Sed quoniam non possunt omnia nominatim 6
Legibus comprehendi, multa relinquenda sunt prudentis Iudicis religioni [d], qui ex æquo & bo- 7
no probabilique naturalis rationis iudicio, & expensis rei, de qua agitur, circunstantijs, ius dicet. 8
vt primùm intueatur Legis scriptæ regulam, deinde eam accommodet præsenti negotio. atq; hic
quidem propriè versatur ars illa æqui & boni. Rectè itaque Tullius pro Fonteio. In rebus (ait) iu-
dicandis non minimam partem ad vnamquanque rem æstimandam, momentoque suo ponde- 9
randam, sapientia Iudicis tenet. Cæterùm si vnius alicuius Legis generale præceptum, passim, καὶ
κατὰ πόδας. [& vt quodque sese offert,] nullo rerum ac circumstantiarum discrimine sequi deberet
Iudex: non esset in Iudice vlla sapientia desideranda: neq; etiam alius alio Iudice melior existiman-
dus. Vnum erit enim & simplex aurium vel oculorum iudicium, & promiscuè stultis ac sapienti-
bus à natura datum; vt est apud eundem Tullium. Huc; pertinet, quod alio loco explicui, rescri-
e L. placuit. C. de iudicijs.
ptum Imp. Constantini [e]; In iudicijs potiorem esse rationem æquitatis, quàm scripti iuris. 10
¶ *Quàm Legibus aut Constitutionibus.*] Si Iustinianus veterem priuatorum iudiciorum religio-
nem apud Rom. etiam hic significare voluisset, adijcere potuerat; nō aliter iudicare debere, quàm
Prætoris formula contineatur, à quo datus est Iudex. ¶ *Moribus.*] Hoc est, legitima & iusta con-
suetudine Et hæc quidem eò pertinent, vbi de iure quæstio est. Sed si de facto controuersia est; sci-
f L. illicitas. §. veritas. de offi. Præsid.
endum est; Veritatem rerum, erroribus gestorum nō vitiari [f]. Vt eam ante omnia sequatur Iudex, 11
si quoquo modo potest certo deprehendere. Quia nihil illi antiquius esse debere constat. Vnde &
olim Symandius Ægyptiorum Rex proposuit sculptas imagines Iudicum, quibus ab ipso collo 12
dependebat veritatis effigies. Nequaquam itaque bonus Iudex patietur eam sibi extorqueri erro-
ribus & præstigijs falsarum probationum, quæ in diuersum niterentur. Nec hic dubitabit cōscien-
tiam suam sequi, quam quisque habet mille testium instar, quæ à nobis diuelli non potest, & qua 13
reclamante nihil à nobis rectè fieri potest. Cæterùm, si Iudex, veritatis, cui adeò addictus est, con-
scius non sit (vt etiam ferè solent nos latere aliorum facta) admonet Vlpianus, in re ita obscura 14
proximum esse, vt sequamur fidem probationum, quæ erroris & mendacij non conuincuntur.
Nullis verò alijs scripturis tantum tribuat, vt earum quoq; errorem sequatur, aut ijs veritatem vi- 15
tiari patiatur. Scio locum illum Vlpiani posse etiam aliter accipi, vt illud tantùm probet, quod an-
tea dixerat; Iudicem non ea, quæ per errorem vel metum fiunt, sequi debere, sed quæ verè esse in re
ex probationibus intelliget; sicuti &, semper plus valere quod agitur, quàm quod agi simulatur,
dictum est. Verùm etsi eo loco nunc non vtamur ad id probandum, quod iam probare contendi-
mus, ipse tamen etiam sensus communis dictat; Iudicem potius pronuntiare debere; Sibi non li-
quere; quàm vt eum condemnet, quem innocentem esse iudicat. Nam quod vulgò aiunt; iudicem 16
probationibus, quæ proferuntur, ita alligatum esse, vt reclamante etiam conscientia, sequi eas de- 17
beat; quid hoc aliud est, quàm docere, potius eum sequi debere in ferenda sententia falsum, quàm
verum? Atqui negari non potest, improbi & scelerati hominis esse, mentiri, & studio dissimulare, 18
quam certò tenet, veritatem: eaque neglecta vel innocentem condemnare, vel nocentem absol-
uere. Nec intelligere sanè possum, quo modo hic quisquam, salua iudicij religione, possit sequi
vana nescio quarum probationum & actorum commenta, quibus certò videt & intelligit, veri-
tatem subuerti: cùm magis curare debeat, ne eorum erroribus vitietur: Aut cur debeat in iudicijs 19
contemnere vocem, & certum testimonium probationemque suæ conscientiæ. Demosthenes
certè non putauit absurdum dicere; Aristogitonem, cuius nota erat omnibus improbitas, priua-
tim damnatum esse ab omnibus Iudicibus, etiam priusquam esset aliquid in iudicio gestum. Eos-
que propter hanc priuatam conscientiam non admodum desiderare accusare probationes: quan 20
quam alioqui soleat in iudicijs veritas à litigatorum actis exquiri. Idem proculdubio sensit &
Tullius in Oratione pro Fonteio, nolens, ne in re quidem obscura, Iudicem temerè & passim se-
qui cuiuslibet probationis fidem: nec statim credere; quæ à testibus dicuntur, ex aliquo veluti O- 21
raculo dici. Alioqui neminem tam stultum fore, qui non idoneus sit Iudex, modò surdus non sit. 22
Scio tamen hanc rem, qua de agimus, fuisse & olim à quibusdam agitatam & controuersam.

Nam

Nam apud Gelliom libro 14. capite 2. ait Phauorinos Philosophos: Omnium primum hoc de Iu-
dicis officio quæritur; Si fortè Iudex id sciat, super qua re apud ipsum litigatur, eaque res vni ei,
prius quàm agi cœpta, aut in iudicium deducta sit, ex alio quopiam negotio, casuque aliquo co-
gnita liquidò & comperta sit, neque id tamen in agenda causa probatur: oporteátne eum secun-
dum ea, quæ sciens venit, judicare, an secundum ea quæ aguntur? ac ipse quidem Phauorinus nil
præterea addit, vt hanc quæstionem definiat. Sed petenda est definitio ex ijs quæ dixi. Interea ta-
23 men nolim hanc licentiam tribui Iudici; vt suo arbitrio posit condemnare eum, qui judicio con-
uictus non est. Præstat enim hìc nocentem absolui, quàm multos innocentes arbitrio Magistra-
tus, & periculo condemnationis subijcere. Illud solum superiori disputatione spectaui, ne quem
24 Iudex aduersus conscientiam condemnet: etiam si fortasis aduersus conscientiam absoluere
posit, vbi manifesta non est condemnationis causa. Et ne temerè aduersus omnium iudicium
aliquid hìc pronunciare videar, addam non disimilem sententiam doctisimi viri Ioannis Ri-
uij: cuius libro secundo de Conscientia, verba sunt hæc: Quid si Iudex idipsum, quo de apud eum
agitur, casu fortè aliquo, prius quàm sit in iudicium deductum, cognitum compertumq; habeat,
25 nec id interim fuerit in agenda causa probatum, quid hìc tandem faciendum? secundúmne ea,
quæ sint ei comperta, an quæ aguntur, probanturque, iudicandum? Et ídne verum censendum,
quod re ipsa verum, an quod ex actis ita esse probatur, quum res aliter se habeat? Quanquam
scio præclaros quosdam, & præstantes ingenio doctrinaq; viros, ea in sententia esse; vt secundum
ea demum, quæ probantur, non quæ ipse fortè nouit, iudicandum putent; propterea quòd illud
Iudicis, hoc testis esse ducunt: quumque Iudex publico munere fungatur, ea illum sequi specta-
reque censent oportere, non quæ vt priuatus ipse nouit, sed quæ personæ, quam gerit atque susti-
26 net, iureiurando, tabulis, testibus, alijsque probationibus & documentis legitimis plana in iudi-
cio fiunt: ego tamen intimæ illi cordis approbationi, hoc est, conscientiæ, satis eum facere ma-
lim, quàm hac reclamante aut innocentem condemnare, aut absoluere nocentem. Quòd si alio
pacto honestè quomodo inde abeat, nescit; aut non liquere sibi fateatur, quod est sæpe à maiori-
bus in eiusmodi causis factitatum: aut rem apud alios, quò ipse iudicãdi onere leuetur, agendam
curet. Hæc Riuius.

¶ *Condemno.*] Pertinet hoc verbum non minus ad decem aureos, quàm ad deditionem no-
xæ. Nec tamen ideo incerta est sententia: quia condemnatus, non nisi in decem, actione iudicati
27 tenetur: facultatem autem noxæ dedendi ex lege accipit, inquit Modestinus [a]: quæ durat, quan- *a L. miles. §. decem.*
diu quis ex causa iudicati conuenitur [b]. ¶ *Noxæ dedere.*] Vulgata exemplaria habent, NOXAM *de re iudic.*
28 *DEDERE*: sed legendum potius esse, *NOXAE DEDERE*, & sermonis Latini ratio, & ipse Theophilus *b L. itẽ veniunt. §. idẽ*
hìc ostendit. hancque sinceram esse lectionem apparet ex responso Modestini [c], apud quem est, *recte ais. de pet. here.*
DECEM AVT NOXAE DEDERE CONDEMNATVS. *c L. miles. §. decẽ. de re iudic.*

§. *Et si in rem.*

1.2 Sententia, vbi petitor non probauit, nihil iuris tribuit possessori.
3 Sententia & executio differunt.
4 Quid si condemnatus restituere rem nolit?
5.6 Quorum fructuum restitutio ad officiũ Iudicis propriè pertineat? & num. 7. 8.
9 Restitutionis vox & fructus complectitur.
10 Causam rei restitui quid?
11 Casus, vbi fructus post litem cõtestatam percepti non iubentur restitui.
12 Iudicium reale in præsenti habet executionem; secus est in personali.
13 Iudicis est dispicere, quam dilationem reus mereatur.
14 In executione rei iudicatæ nulla exceptio admittitur.

¶ *Absoluere debet possessorem:*] Idque simpliciter: vbi absoluitur, quia petitor non probauit [d]. *d L. qui accusare. C. de edendo.*
1 Quæ sentẽtia nihil iuris tribuit possessori. potest enim res alicuius tertij esse. Ideoque si possessio-
ne cadat, non ideo impetet alium posidentem [e]. Quòd si hic reus vltro probasset rem suam esse: *e L. si mter me. in fin. de re ind. & l. sed et si possessor. de rei vend.*
non esset simpliciter absoluendus: sed præterea esset pronunciandum; rem illius esse. Ac tum
quidem possessor fiet dominus, & posset agere, si alius posideat. Hucque pertinere existimo, *f L. si quis rem. de re indic.*
2 quod ait Iulianus [f]; possessorem petente domino absolutum, si postea possesionem amiserit,
posse agere etiam aduersus dominum. Hic enim conijcimus, non simpliciter fuisse absolutum
possessorem: sed præterea pronunciatum esse dominum. ¶ *Iubere ei debet.*] Ne temerè confun-
damus sententiam cum executione, admonendi sumus, hæc in iure nostro separari. Primùm
3 enim iudex aut condemnare aut absoluere debet [g]. Post condemnationẽ sequitur executio, quæ *g L. 1. de re ind.*
fit iussu magistratus, modò eius qui sententiam tulit, si quidem propriam iurisdictionem ha-
4 beat, modò alterius, nempe delegantis mandantisque [h]. ¶ *Vt rem ipsam.*] Adeò vt nil profue- *h L. à diuo Pio. de re iudic.*
rit æstimationem offerre. quinimo res, si extat, & nolit restituere condemnatus, manu potius mi-
5 litari auferetur [i]. ¶ *Cum fructibus.*] Pertinet propriè ad officium iudicis eorum fructuum restitu- *i L. qui restituere. de rei vind.*
tio, qui post litem contestatam percepti sunt. Sic enim scribit Vlpianus [k]; Iudici, statim atq; Iudex *k L. ædiles §. idẽ sciendum de ædil. edict.*
6 factus est, omnium rerum officium incumbit, quæcunque in iudicio versantur. ea autẽ, quæ ante
judicium contingunt, non valde ad eum pertinent, nisi fuerint ei nominatim iniũcta. Vt autem
7 ante litẽ contestatã percepti fructus officio iudicis non continentur: sed nominatim peti debent

propria actione:ita & ij.qui percepti ſunt poſt rem iudicatam, non pertinent ad officium iudicis,
qui rem ipſam reſtituere iuſsit.Ideo cùm morá fecit in homine reddendo poſſeſſor, & homo mor-
tuus ſit;fructuum ratio non niſi ad rei iudicatæ tempus ſpectatur [a]. Vnde Papinianus [b] ſcribit; Iu-
dicem iudicij bonæ fidei non rectè iubere,interponi cautiones.vt ſi tardius ſentetiæ condemna-
tus paruerit, futuri temporis pendantur vſuræ. Quid enim, vt Paulus notat, ad officium iudicis 8
pertinet poſt condemnationẽ ſuturi temporis tractatus? Apparet itaq; ſolos pertinere ad officium
iudicis fructus,qui percepti ſunt à tempore litis conteſtatæ,vſq; ad ſententiã.Et quanquã reſtitu- 9
tionis verbum etiam ad fructus [c] pertineat: tamen cautius eſt, nominatim iubere fructus reſtitui
cum ipſa re.vt magis intelligamus non ſufficere,corpus ipſum petitum reſtitui, ſed opus eſſe, vt &
cauſa rei reſtituatur,id eſt,vt omne id habeat petitor,quod habiturus foret, ſi eo tempore, quo iu- 10
dicium accipiebatur,res illi reſtituta fuiſſet [d]. Sanè eſt,vbi officio iudicis non incumbit.iubere fru-
ctus poſt litem conteſtatam perceptos reſtitui. Nam ſi petitor lite conteſtata vſumfructum lega- 11
uerit:ex eo tempore, ex quo diſceſsit à proprietate, fructuum rationem non habendam eſſe Pau-
lus [e] ſcribit. Sed & ſi poſt litem de vſufructu conteſtatam fuerit finitus vſusfructus; Vlpianus re-
ſpondit [f];vlterius deſinere deberi fructus. Nam & ſi mortuus fuerit fructuarius,hæredi eius actio-
nem præteritorum duntaxat fructuum dandam. Sed non ideo fructus poſtea perceptos poſſeſſor
lucrabitur. Eos enim ei,ad quem pertinent,competenti actione conuentus reſtituere debebit.

¶ *In præſenti.*]Quemadmodum & in præſenti habet ſuam executionem iudicium reale.quan 12
quam in iudicio perſonali,aliquod tempus indulgeatur cõdemnato debitori [g]: quia difficilius ſit
æs alienum diſſoluere,quàm rem alienam reſtituere. *Indulgendum eſt ei.*] Hîc ergo ex cauſa audi-
tur,qui rei iudicatæ executionem nonnihil differre poſtulat. Et hoc tempus, quod tribui poteſt 13
condemnatis in iudicio in rem,relictum eſt arbitrio iudicis. vt pro rerum circunſtantijs diſpiciat,
quam dilationem mereatur reus. Alioqui autem poſt rem iudicatam nil amplius quæri poteſt [h].
Nec vlla exceptio aduerſus rem iudicatam admittitur in executione [i]; adeò vt ei contradicturus 14
non audiatur,etiamſi fideiuſſores dare velit [k].

> *a L. Iulianus. l. fructus non modo. de rei vind.*
> *b L. 1. §. 2. de vſur.*
> *c L. reſtituere autem. de verb ſig. l. videamus. 2. §. in Fauiana. de vſur. l. quod ſi minor. §. reſtitutio. de minori.*
> *d L. præterea. de rei vind.*
> *e L. ex diuerſo. §. 1. de rei vind.*
> *f L. vlt. §. ſi poſt. D. ſi vſusfruct. peta.*
> *g L. debitoribus. de re iud. & l. 2. in fi. C. de vſur. rei iudic.*
> *h L. poſt rẽ. de re ind. l. terminata. C. de fruct. et lit. expend.*
> *i L. ſi vt proponis C. de execut. rei iudic.*
> *k L. properandum. §. ſin autem reus. C. de iudic.*

§. *Et ſi hæreditas.*

1 *De rei vindicatione;& hæreditatis petitione; num. 2.*
3 *Fructus pars eſſe videntur hæreditatis.*
4 *Conſtitutio Gallica; de officio iudicis in ratione fructuum ineunda.*
5.6 Pene,*generaliter cur referat Theophilus ad iudiciorum diſcrimen?*
7 *Poſt litem conteſtatam omnes intelliguntur eſſe malæ fidei poſſeſſores.*

¶ *Eadem circa fructus interueniunt.*]Eſt tamen aliquod diſcrimen in eorum obligatione & exe- 1
cutione.Nam in rei vindicatione,fructus poſt litem conteſtatam perceptos, vulgo dicimus non
venire iure eiuſdem actionis,ſed officio iudicis: & ſi antè percepti ſunt. propria actione peti debe-
re:at in petitione hæreditatis,omnes fructus continentur eadem illa actione, qua petitur hæredi- 2
tas.Nam ipſi fructus hæreditatem augent, & videntur pars eius eſſe [l]. Vnde etiam iudicis ſenten- 3
tia hîc porrigetur ad fructus poſt rem iudicatam à poſſeſſore perceptos. Apud Gallos extat hæc
Franciſci Regis Conſtitutio,edita anno 1539. de officio iudicis,in ineunda ratione fructuum. 4

¶ *Pene.*]Generaliter refert hanc voculam Theophilus ad diſcrimen iudiciorum: fortè quòd 5
in altero veniunt fructus,iure actionis:in altero ſolùm officio iudicis. vt iam dictum eſt. Poſſet e-
tiam referri ad id,quòd malam fidem, propter quam debẽtur percipiendi fructus, videatur Iulia- 6
nus in ſingulari iudicio æſtimare ex ſolo initio poſſeſsionis [m]:cùm aliud apertè ſtatutum ſit in poſ-
ſeſsione hæreditatis [n]. Sed non videtur probata illa Iuliani opinio [o],nihil itaque erit hac in re diſ-
criminis inter poſſeſſorem hæreditatis,& rei ſingularis. ¶ *Si verò.*] Quomodo bonæ fidei poſſeſ-
ſor faciat fructus ſuos,ſatis ſuperque dictum lib. 2. Hinc repetendum eſt,ſi quid hîc deſideretur.

¶ *Poſt inchoatam petitionem.*] Poſt litem conteſtatam omnes intelliguntur eſſe malæ fidei poſ- 7
ſeſſores [p]. Ideoq; fructus ab eo tẽpore debentur,non modò percepti,ſed & qui percipi debuerunt [q].
Quomodo autem æſtimentur fructus percipiendi,alio loco diximus.

> *l L. item veniunt. §. fructus. l. hæres furioſi. de pet. hære. l. ſi poſt motã. §. fructibus. C. illo tit.*
> *m L. qui ſcit. §. bonæ fidei. de vſur.*
> *n L. ſed etſi lege. §. de eo autẽ. de peti. hære.*
> *o L. bonæ fidei. §. qui mihi bona. de acq. rer. dom.*
> *p L. ſed etſi lege. §. ſi ante litẽ. de peti. hær.*
> *q L. certum. C de rei vind. l. 1. C. de petit. hæred. l. litigator. C. de fruct. & lit. expen.*

§. *Si ad exhibendum.*

1 *Exhibere quid?*
2 *Quid, ſi res deterior facta ſit?*
3 *In actione ad exhibendum quæ ſint partes iudicis? & numero quarto.*
5 *Vtilitas actoris, non quanti res ſit, in æſtimationem venit.*

¶ *Si ad exhibendum.*]Hunc locum explicare videtur Vlpianus [b],his verbis: Exhibere,eſt in ea- 1
dem cauſa præſtare,in qua fuit,cùm iudicium acciperetur;vt quis copiam rei habens. poſsit actio-
nem exequi,quam deſtinauit;in nullo cauſa,quam intendit,læſa: quamuis nõ de reſtituendo, ſed
ad exhibendum agatur;proinde ſi poſt litem conteſtatam vſucaptum exhibeat,non videtur exhi-
buiſſe,cùm petitor intentionem ſuam perdiderit. Et ideo abſolui eum non oportet: niſi paratus ſit
repetita die intentionem ſuſcipere: ita vt fructus ſecundum legem æſtimentur. Quia tamen cauſa
petitori

> *b L. Iulianus. §. quanſum. D. ad exhiben.*

petitori in hac actione reſtituitur, Sabinus putauit, partum quoque reſtituendum: ſiue prægnans fuerit mulier, ſiue poſtea conceperit. quam ſententiam & Pomponius probat. Præterea vtilitates, ſi quæ amiſſæ ſunt, ob hoc quòd non exhiberetur, vel tardius quidem exhiberetur: æſtimandæ à iudice ſunt.

2 ¶ *Etiam rei cauſam.*] Quòd ſi res ſit deterior facta: ad exhibendum quidem agi non poterit. ſed dabitur in factum actio[a]. Vnde Vlpianus[b], Si quis (inquit) hominem debilitatum exhibeat, vel eluſcatum: ad exhibendum quidem actione abſolui debet (exhibuit enim, & nihil impedit dictam actionem talis exhibitio) poterit tamen agere actor ex lege Aquilia, de hoc damno.

a L. exhibitionis. C. ad exhiben.
b L. ſi quis hominem. D. illo tit.

¶ *Nihilominus condemnabitur.*] Neque enim iuuatur ſua illa neſcio qua vſucapione, cùm hic in-
3 ſpiciamus tempus iudicij accepti, quo nondum erat completa vſucapio: vt reſcindatur, quod
poſtea ſecutum eſt. Quòd ſi reus paratus ſit repetita die intentionem ſuſcipere, hoc eſt; non ſe tueri vſucapione, ſed, vt ab initio, de iure ipſo & cauſa contendere: euitabit præſentem condemnationem, vt dictum eſt.

¶ *Præterea fructuum medij temporis.*] Cùm ſcilicet res non modò exhiberi, ſed reſtitui debet: vt cùm reus non contendit eam retinere, aut vbi iuſſus eſt, eam reſtituere petitori.

¶ *Quod ſi neget reus.*] Inquit Paulus[c]: Si iuſta ex cauſa ſtatim exhiberi res non poſſit: iuſſu iudicis cauere debebit ſe illo die exhibiturum. ¶ *Caueat ſe reſtituturum.*] Hoc eſt, exhibiturum, vt paulò pòſt ait, & eſt apud Paulum.

c L. de eo §. ſi iuſta. D. illo tit.

4 ¶ *Quod actoris intererat.*] Ait Vlpianus[d]; Vtilitates, ſi quę amiſſę ſunt ob hoc, quòd non exhibe-
5 retur, vel tardius exhiberetur, æſtimandas eſſe à iudice. Et ideo Neratium dicere; Vtilitatem acto-
ris venire in æſtimationem, non quanti res ſit.

d L. Iulianus. §. vlt. D. illo tit.

§. *Si familiæ.*

1 *Iudicis officium in actione familiæ erciſcundæ quod? & num. 2. 3.*
4 *Portio hæreditatis incremento fructuum augetur.*
5 *Filia vbi dotem conferre debuit, ſi moram collationi fecit, & vſuras & fructus conferre cogitur? & num. 6.*
7 *In iudicium fam. erciſcundæ quæ veniant?*

¶ *Singulas res ſingulis hæredibus.*] Nempe vt fiat diuiſio non ſectione corporum, ſed numero.
1 Nam alioqui vel inuidia, vel moroſitate vnius hæredis, corrumperentur res hæreditariæ.

¶ *Sicut iam dictum eſt.*] Superius[e], cùm ageret de actione familiæ erciſcundæ. Communi diuidundo, & Finium regundorum. In his (inquit) tribus iudiciis permittitur iudici, rem alicui ex litigatoribus ex bono & æquo adiudicare: & ſi vnius pars prægrauare videbitur, eum inuicem certa pecunia alteri condemnare.

e §. quædam actiones. ſup. de act.

¶ *Eo quoque nomine.*] Hæreditatis inter duos pluréſve communis, fructus, omnibus acquiruntur pro portionibus hæreditariis. Et ſi vnus cohæredum ſolus ex rebus hæreditariis fructus
perceperit: eos non maiore ex parte ſuos faciet, quàm ex qua hæres eſt. pertinetque ad officium iu-
2 dicis cognoſcentis de iudicio famil. erciſc. vt omnia commoda cum cæteris communicet. Sic &
Caius ſcribit[f]; Iudicem prouidere debere, vt quod vnus ex hæredibus ex hæreditaria re percepit,
3 ſtipulatúſve eſt, non ad eius ſolius lucrum pertineat. Quæ ita ſcilicet conſequetur iudex, ſi aut re-
putationes fecerit, aut curauerit cautiones interponi, quibus inter eos commoda communi-
centur. Huc etiam pertinet, quod Imperator Gordianus reſcripſit[g]; Portionem hæreditatis in-
4 cremento fructuum augeri. Quodque Diocletianus & Maximianus reſcripſerunt[h]; Cohæredem
portionem ſuam cum reditibus percipere poſſe, iudicio familiæ erciſcundæ.

f L. item ex diuerſo. D. famil. erciſc.
g L. non eſt ambiguũ. C. famil. erciſc.
h L. cohæredibus. C. illo tit.

¶ *Hæreditarij fundi*] Etiam ſi nondum adita ſit ipſa hæreditas: modò hic ſciuerit hæreditarium eſſe fundum[i]. Nam ſi ignorauerit: vt quiuis alius bonæ fidei poſſeſſor, ſuos faceret fructus.

i L. inter §. fructus. D. famil. erciſc.

¶ *Perceperit.*] Poſt moram hic cohæres tenetur etiam de iis. quos non percepit, ſed percipere
5 debuit. præſtat & ex eo die vſuras[k]. Vnde Papinianus ait[l]; filiam; quæ ſoluto matrimonio, do-
tem conferre debuit, ſi moram collationi fecerit, boni viri arbitratu, cogi vſuras, & omnes fructus
6 dotis conferre. Nam & filius quoque emancipatus fructus confert. Nec iniquum debet arbitrari
filia, quòd poſt moram fructus cõferre cogitur. nam & ipſa fructus portionis ſuæ hæreditariæ percipit. Cæterùm fructus conſtante matrimonio, & ante moram perceptos conferre non cogitur. nec enim poteſt. cùm non ipſius, ſed mariti lucro cedant.

k L. hic conſequẽter. §. ſumptuum. D. illo tit.
l L. filiam. §. vlt. de collat. dot.

7 ¶ *Aut rem hæreditariam corruperit.*] Sententia eſt Vlpiani[m]; Omnia. quæ quis in hæreditate dolo aut culpa fecit. in iudicium familiæ erciſcundæ venire: ſi tamen, ſi quaſi hæres fecerit. Et ideo, ſi viuo teſtatore, vnus ex cohæredibus pecuniam ſuſtulerit; in familiæ erciſcundæ iudicium ea non venit: quia tunc nondum erat hæres. Vbi autem quaſi hæres fecerit; & ſi aliam præterea quis actionem habeat, tamen teneri eum famil. erciſc. iudicio Iulianus ſcribit. Idemque ait; ſi vnus ex hæredibus rationes hæreditarias deleuerit, teneri quidem lege Aquilia, quaſi corruperit: non minus autem & famil. erciſc. iudicio.

m L. ex puto. §. ſed eſt. D. famil. erciſc.

¶ *Inter plures quoque quàm duos.*] Imò & inter duos tantùm ex pluribus, vt tamen aliis non obſit[n].

n L. 2. §. dubitandum non eſt. D. famil. erciſ. l. cohæredibus. C. illo tit.

§. *Eadem interueniunt. cum §. sequenti fin.*

1 In Communi diuidundo actione, eadem interueniunt quæ in iudicio fam. ercisc.
2 Fructus ex confinio percepti communes sunt.
3 In iudicio Finium regundorum partes iudicis quæ sint? & num. 4.
5 Defossis carbonibus agrorum fines olim populi quidam distinguebant.
6.7 Ciuilis actio Termini moti criminalem accusationem cur tollat? & contrà.
8 Termini moti pœna varia.
9 In tribus istis superioribus, Familiæ ercisc. Communi diuidundo, & Finium regund. actionibus, iudex quid agat?

¶ *Eadem interueniunt.*] Non modò in adiudicationibus singulorum corporum, & sarciendo 1
damno dato: sed & in tatione fructuum: qui ex communi fundo percepti, debent communicari
iudicio Communi diuidundo [a]. Cæterùm fructus antè percepti, quàm res communis esset, in
Communi diuidundo iudicium non venire, Vlpianus scribit [b]. Idem sentiendum est & de fructi-
bus rerum ex societatis contractu communium [c]. ¶ *An necessaria sit adiudicatio.*] Quod ad fructus 2
attinet ex confinio perceptos: eos esse communes cōstat [d]. & siquidem is, qui percepit, confiteatur
se ex confinio percepisse, locus erit iudicio Communi diuidundo. Alioqui si contendat confinij
locum ad se vnum pertinere, agetur iudicio Finium regundorum. In quo etiam eius, quod inter- 3
est, habetur ratio [e]. Sicuti & fructuum post litem contestatam perceptorum, aut qui percipi de-
buerunt. Nam & culpa & dolus exinde præstantur.

¶ *Quæ sanè vno casu necessaria est.*] Scribit Vlpianus [f]; iudici Finium regundorum permitti, vt 4
vbi non posit dirimere fines, adiudicatione controuersiam dirimat. Et si fortè amouendæ veteris
obscuritatis gratia, per aliam regionem fines dirigere iudex velit: potest hoc facere per adiudica-
tionem & condemnationem. Addit Caius [g]; Quo casu opus est, vt ex alterutrius prædio, alij adiu-
dicatum sit. quo nomine is, cui adiudicarit, pro eo, quod ei adiudicatur, certa pecunia condem-
nandus est. Sed & loci vnius controuersia (inquit Paulus [h]) in partes scindi adiudicationibus po-
test, prout cuiusque dominium in eo loco iudex compererit.

¶ *Euidentioribus finibus.*] Admodum Reip. interest, certos & distinctos euidentissimis notis
esse agrorum fines. Rectè enim de Termino, quem primus sacrâsse dicitur Numa, cecinit Naso:
Omnis erit sine te litigiosus ager. Ideoque & olim veteres quidam populi, defossis carbonibus, agro- 5
rum fines distinguebant, propterea quòd res nulla durabilior, magisque perpetua sit, quàm car-
bones sub terra defossi. ¶ *Condemnandus est hoc iudicio.*] Agit hoc loco Iustinianus solùm de con-
demnatione Ciuili, in quantum actor in litem iurauerit. Et hic quidem notandum est; Ciuilem 6
actionem Termini moti, quia ipsa non ad rem familiarem, sed vltionem pertinet, tollere crimi-
nalem accusationē. Quia æquum non sit, idem admissum pluribus legibus puniri [i]. Sed si hîc actū 7
esset ad rem familiarem, vel actione furti, vel condictione, vel alia eiusmodi; non consumeretur 8
criminalis accusatio termini moti [k]. cuius quidem pœna varia est ex conditione personæ, & men-
te facientis, vt inquit Callistratus [l]: qui interim fatetur, pessimum esse factum eorum, qui termi-
nos finium causa positos, protulerint. Certè Plato in Re rustica hanc primam sanxit legem, *μὴ κι-
νείτω γῆς ὅρια μηδείς* [ne mouero agrorū terminos,] & addit; *νομίσας τ' ἀκίνητα κινεῖν ἀληθῶς,* [persuasum
habens reuera te non mouenda mouere.] Eodem quoque modo & ipse Iustinianus auspicatus est
suas leges Georgicas, quas aliquando puer interpretatus sum.

¶ *Quod autem istis iudiciis.*] Tribus videlicet superioribus, quod hîc apertè repetit Theophilus. 9
Et in his sanè hoc ipsum agit iudex & intendit, vt res fiat eius cuius antè non fuerat. Idem & in No-
xalibus iudiciis: & vbi ex caysa damni infecti vicino ædes adiudicat [m], vel creditori in solutum
pignora [n]. At in aliis iudiciis aliud est. ¶ *Statim eius fit.*] Non expectata alia traditione: qua certè
opus non est in prioribus duobus iudiciis familiæ Ercisc. & Communi diuidundo: quia in iis is,
cui facta est adiudicatio, potest suo iure & autoritate rem tollere & accipere [o]. Quod autem alicui
adiudicatum est iudicio Finium regundorum, videtur esse etiam traditum à iudice, dum is fines
distinxit.

Hîc ego ad horum commentariorum finem properās, quorum & alioqui molem nimiùm ex-
creuisse sentio, cupiebam missam facererem iudiciariam. Sed festinanti & veluti fugienti manum
iniecêre familiares quidam mei, nullamque me honestam missionem impetrare posse contende-
runt, nisi si pro cotonide & veluti auctario aliquid adiicerem de re iudicata; præsertim cùm eum
iuris Ciuilis tractatum in Scholis explicâssem, & præcipua etiam capita meis auditoribus dictâs-
sem. Ego verò, qui nihil vnquam antiquius habui, quàm studiis communibus prodesse, diutius
reclamare non potui, quin illud ipsum, quicquid tandem id est, quod Scholæ nostræ communi-
caueram, aliis quoque commune esse paterer.

a L. si quis putant. §. siue autem. l. in summa D. communi diuid.
b L. per hoc §. sicut. D. communi. diuid.
c L. qui scit. de vsur. l. pro socio. §. si tecum. D. pro socio.
d L. adeo. §. vlt. de acqui. rer. dom.
e L. 4. §. 1. D. finium regund.
f L. 2. §. 1. D. illo tit.
g L. 3. D. illo tit.
h L. 4. illo tit.
i L. Senatus. de custo. & exh. reo. l. sanctio legum. De pœnis.
k L. vna C. quando ciuilis act.
l L. 2. de termi. mot.
m L. ædiū. de peculio.
n L. à diuo Pio. §. pignora, de reiud.
o L. ex parte. de acq. hær. l. merito. D. pro soc.

DE RE IVDICATA.

1 In quæstionibus de re iudicaria, tam materia *quàm* forma iudiciorum *consideranda est,*

2. Materia

2 *Materia iudiciorum qua? & forma qua? num. 3.*
4 *Vbi ritè iudicatum non est, de re iudicata quæri non potest.*
5 *De rei iudicata executione quæstio vtilior est.*
6 *Quid iudicandum, cum res, qua petitur, post moram perijt? & num. 7. 8. 9. 11. 12.*
10 *Non solum quid non habeat actor, sed quid per reum habere non potuerit, inspiciendum est, & num. 25 26. 27*
13 *Cur in dubio si res apud eum pereat qui ex delicto cōuenitur, non æquè eam apud dominum perituram fuisse interpretemur?*
14 *Re post moram dolo pereunte, ad quam æstimationē reus teneatur? & num. 19.*
15 *Quid, si res post moram non dolo eius qui in mora erat, sed casu aliquo perierit? & ad quod interesse reus teneatur? num. 18.*
16 *Sed cuius hic temporis rationem habebit iudex? & num. 17.*
20 *Dolum in re amittenda quomodo intelligamus?*
21 *Propter dolum priorem quatenus non fiat condemnatio?*
22 *In bonæ fidei iudicijs, quamuis dolo aduersarij res absit, quomodo tamen condemnato succurratur?*
23 *In faciendi obligationibus, reus in pecuniam numeratam condemnatur, quanti interest stipulatoris.*
24 *Si res qua petitur præstari potest, in æstimationem eius non est reus condemnandus.*
28 *Ex qua causa id quod interest, & quatenus, in condemnationem veniat?*
29 *Si dolo malo v. ndam vel locem alienam vel vitiosam rem præstare cogor, quanti interest Conductoris v l Emptoris.*
30 *Quid, si sine dolo rem vitiosam locauero?*
31 *Quid, si vitium rei ignorauero? & num 34.*
32 *Quid, si alia res pro alia per ignorantiam vendita sit? quid item si aliena? num. 33. 35.*
36 *Quid, si agatur mandati propter aliquam culpam vel damnum inde acceptum?*
37 *Quid, si agatur ex stipulatione pecunia mutuo dandæ? & num. 39.*
38 *Vbi de pecunia agitur, non nisi vsura præstantur loco eius quod interest.*
40 *Quid, si agatur de rebus quæ pondere vel mensura constant?*
41 *De forma iudiciorum. & num. 42. 43. 44.*
45. 62 *Iudex post dictam sententiā, iudex esse desinebat.*
46 *Prætor quæ decreuit, an tollere possit? & num. 47. & 48.*
49 *Rerū ritè iudicatarū siue sententiarū effectus qui?*
50 *De actione iudicati, & num. 51. 53.*
52 *Eam esse perpetuam.*
54 *Priuilegium quod habet actio in iudicium primum deducta, sequitur actionem iudicati, & num. 55.*
56 *Antequam iudicati agatur, IIII. Menses iudicatis dandi sunt.*
57. 58 *Iudicati actio quibus competat? & in quos? num. 59.*
60. 61. 63. 64. 65. 66. 67. *Quantumuis ritè sit lata sententia, publica tamen autoritate magistratus opus est ad executionem.*
68 *Pignus Prætorium siue iudiciale quod?*
69 *Executor quo ordine procedat? & num. 70. 71. 72. 77. 79.*
73 *S.C. de rebus Minorum, sine decreto Iudicis non alienandis, huc non pertinere.*
74 *De addictione rerum in caussam iudicati captarum, & num. 75.*
66 *Cum res debitoris pecunia credita loco datur in solutum creditori, ex vero æstimanda est.*
78 *Et nomina pignori dari possunt.*
80 *Stipendia et alia quæ milites condemnato debentur, in hanc caussam capi possunt, item quæ Athletis victoribus de publico donabantur. & num. 81.*
82 *Ius vsusfructus non potest capi in caussam iudicati, sed perceptio fructuum potest. num. 83*
84 *Quid, si post capta & discussa omnia condemnati bona, satis in iis non fit, vnde rebus iudicatis satisfiat?*
85. 86 *Actio Pauliana ad adiuuandam etiam executionē rei iudicatæ pertinuit.*
87 *Quid si nihil prædictorum sufficiat?*
88 *Ex delicto condemnatus, si non habet in ære, luit in corpore.*
89. 90 *De iis personis à quibus non exigitur, nisi in quātum facere possunt, & num. 91. 92. 93. 94. 95.*

1 CVm de re iudiciaria quæritur, non iudiciorum modò formam, sed & materiam cōsiderare o-
2 portet. Materiam vt Iuris, sic etiam Iudiciorum appello, de qua & illud redditur, & hæc exer-
3 cētur, & in qua præcipue versantur: forma verò, qua ritè constitui, & ordine peragi dicūtur: pri-
mùm vt intelligamus qui dare iudices possint, & qui possint dari, & verò quomodo & quorsum
4 dentur. Neque enim de re iudicata eiusque vi quæritur, nisi vbi ritè iam est iudicatum. Sed
hæc pars formæ Iudiciariæ propriè pertinet ad tractatum Pandectarum de Iurisdictione, & de
Iudicijs. Et verò quia noua tandem constitutione planè sublatus fuit totus ille ordo mosque ve-
5 tus, multi iam eum minus requirunt. Cæterum post rem iudicatam cùm agitur de executione
eiusque ordine & forma, vtilior & necessaria magis quæstio esse creditur. Verum quia vbi consti-
tutum iudicium est, multa occurrere solent, de quibus in omni propè iudiciorum genere dispu-
tatur, & in quibus definiēdis iudices imprimis laborant: vt etiā ea sunt summa queq; & difficilli-
ma Iuris capita: hanc iudiciorum materiam obiter explicare, aut saltem attingere etiam solent,
qui de re iudicata tractant: vt tanto magis Iudices intelligant, quomodo & in ea versari & se ge-
rere debeant. & verò de illis præcipuè obscuris quæstionibus iudicare: sicuti profectò videmus
6 non modò cùm de officio iudicis, sed & cùm de re iudicata trāctatur, imprimis tradi, quid iudi-
candum sit, cùm res, quæ petitur, post moram perijt, & de eius æstimatione agitur, aut etiam de
accessionibus, itemque de eo quod interest: sicuti & de iureiurando in litem, quod eodem per-
7 tinet. Paulus cap. 8. De re iudic. ait; Si homo ex stipulatu petitus post litem contestatam decesserit,
absolutionem non esse faciendam. Id tribus alijs locis[a] repetit, & diligentius explicat: sed res ta-
men hæc planiorem etiamnum explicationem desiderat. Primùm autem illud constituendū est;
8 etsi aliter mora prius commissa non esset, tamen improbè litigando eam committi[b]. quanquam

a L. vtique de rei vin. l. si serum. Iud. sol. l. nō distinguemus §. ite non est. de arbit.
b L. 82 nemo rem suam vtiliter. §. 1. de verb. obligat.

Mm 2 non idem

non idẽ dicatur, si iusta litigãdi causa [a] sit. Vbi morã cõmissam esse apparet, & quęritur, an re deinde perempta reus nihilominus condemnandus sit: videndum etiam est, an per eam ipsam mo- 9
ram factum sit, vt rem non habeat actor, quam alioqui habere potuisset. Hucque referri posse existimo nobilem illam abs Papiniano traditam regulam [b], si, vt legendam esse iudico (nam corru-
ptam circunferri existimo) ita legamus, nempe; Inspiciendum hic esse non solùm quid non ha- 10
beat actor, sed quid per reum habere non potuit. Vnde consequitur; tum demum reum, post 11
cuius moram res perit siue alio eius dolo, condemnandum nihilominus esse, si res æquè peritura non erat apud actorem: quod vel ex ipsius interitus genere intelligi poterit. Qua quidem in re constat veteres Iurisconsultos Sabinianos & Proculianos dissensisse: huiusque dissensionis meminerunt in Pandectis Iurisconsulti, sic vt suam tamen sententiam interponant [c]: & alibi non obscurè probant & sequuntur distinctionem, quam dixi in hoc genere rectè adhiberi [d]. Secundum
quam rationem accipiendum erit, quod simpliciter Pomponius ait [e], rem post iudicium acceptũ 12
cum detrimento ipsius rei perire; sicuti & quod toties alibi legimus; rei interitum pertinere ad periculum debitoris possessorisve post moram [f]. Sed adhibetúrne eadem distinctio, et si quis ex delicto conueniatur, cùm iam plusquam frustrator sit & esse dicatur? Certè Vlpianus eandem adhibere videtur [g] Nos tamen in eo saltem fatebimur nonnihil interesse. quòd in odium eius qui vim
fecit, vt tanto magis teneatur, in dubio magis interpretemur, rem, quæ periit, non æquè fuisse a- 13
pud dominum perituram [h], nisi si omnino appareat, certumque planè sit æquè perituram fuisse.

Vbi & reus in mora est, & res ita periit, vt nihilominus condemnandus sit, ad æstimationem
teneri constat. Sed quænam hæc erit æstimatio? Vlpianus ait [i]; quanti actor in litem iurauerit. Sed 13
id tum demum rectè dicitur; vbi res etiam dolo eius, qui in mora erat, periit. quod paulo pòst la-
tius dicam. Quid igitur si res post moram periit aliquo casu? Reus in æstimationem rei communẽ 15
& vulgarem condemnandus est, vt communiter rerum precia sumuntur [k]. Sed cuius temporis ra- 16
tionem habebit hic Iudex? Nam & precia rerum temporibus variantur. Id tempus, quo res periit,
hic spectari significat Vlpianus [l]. Si tamen pluris erat tempore litis contestatæ, id potius sequemur. 17
Sed & à tempore moræ quanti plurimi res fuit, iudex æstimabit: quanquam olim formula Prætoria conclusus non ita posset de iis, quæ iudicium acceptum præcesserunt, cognoscere. Porrò non 18
solùm æstimationem rei, sed & quod præterea interest, propter moram deberi constat [m]. Quid au-
tem eo, quod interest, comprehendatur, mox dicam latius. Quòd si res dolo rei conuenti perierit, 19
vel reus dolo eam possidere desierit; in litem iurari, & tanti sequi condemnationem (qui summus veluti gradus in hoc genere est) ait Paulus cap. 41. § si dolo. De re iudic. Nam si quæratur propter quam causam iuretur in litem, etsi ex parte actoris dici possit; æquum esse, eum rei suæ quam per reum habere non potest, precium saltem consequi; quod definier, & quãti eam rem æstimauerit [n]: tamen principalis causa huiusce iurisiurandi est propter contumaciam eius, contra quem agitur,
nolentis rem restituere, vel propter dolum, per quem fecit, vt restituere iam non possit. Sic enim 20
hic dolum intelligimus in re amittenda. Nam alioqui, vt statim iuretur in litem, non satis esset;
me rem dolo nactum primum esse, si sine dolo possidere desierim. Etenim propter priorem do- 21
lum constat non fieri condemnationem, nisi in quantum actoris reuera interesse apparet [o]. Porrò autem huiusce iurisiurandi & delationem & taxationem & eius denique præstiti vim pendére ab Iudicis arbitrio, latius intelligi potest ex tit. de in litem iurando. Cæterùm in bonæ fidei iudiciis,
quamuis dolo aduersarij res absit, tamen condemnato succurri, vt rei actionibus suis dominus ce- 22
dat, posteaquam & in litem iurauit, & litis æstimationem consecutus est, Marcellus docet cap 12. De re iudic. In aliis tamen iudiciis non item reo sucurri, propter cuius dolum in litem iuratur, traditum est [p]. quanquam eum, qui culpa magis quàm fraude possessionem amiserit, quoniam ni-
hilominus rei æstimationem, saltem communem, præstet, audiendum esse à Iudice, si desideret vt 23
aduersarius actionem suam cedat, responsum sit [a]. Porrò Celsus cap. 13. De re iudic. docet; hoc euenire in omnibus faciendi obligationibus, vt in pecuniam numeratam reus, si non facit quod promisit, condemnetur, quanti interest stipulatoris. Si quod promissum est, fieri adhuc possit, & stipulator omnino petat vt fiat, idque vrgeat, atque mãlit, quàm pecuniam; nulla iusta causa esse vi-
detur, cur reus non condemnetur facere: & sicuti Iustinianus ait [b]; stultum fore iudicem, si cùm 24
res, quæ petitur, præstari potest, reum condemnet in eius æstimationem: ita stultum esse quibusdã videtur, reum hic non condemnari ad faciendum, si hoc malit actor [c]. Neque nouum est, vt qui opus facere debet, non audiatur, si eius loco pecuniam offerat [d]. Quod verò attinet ad id quod in-
terest, in quo Iudices valde laborare solent, imprimis obseruemus Paulum [e] id eleganter describe- 25
re. vt intelligamus; eo verbo contineri damnum datum, & lucrum prereptum; quantum (inquit) alicui abest, quantumque lucrari potuit. Sicuti vtriusque tam damni accepti, quàm lucri amissi rationem haberi in eo quod interesse dicitur, cùm alibi sæpe traditum est [f], tum verò abs Iustiniano in sua Constitutione de sententiis, quæ pro eo, quod interest, proferuntur, non obscurè signifi-
catum: sicuti & illud significat, quod secundo hic loco est obseruandum; tale vtrumque esse debe- 26
re, vt ei, contra quem agitur, omnino sit imputandum. Ac in damno quidem dato, quod certum
est, facilis est eius rei diiudicatio. In lucro, quod nobis præreptum per alium esse querimur, diffici- 27
lior: quia sit omnis spes futuri incerta. Sed pro certo tamen hic habebitur, quod alioqui omnino verisimile erat futurum, vt obueniret, & obuenire solebat [g]: neque multis aliis casibus erat obnoxium. quod si erat; non veniet in ęstimationẽ [h]. Sed neque vani timoris vllam hic esse ęstimationẽ, si quis, quòd satisdatum non sit, sua interesse queratur, quia reus, qui nunc locuples est, deinde pos-

sit fieri

a L. si quis solutionis. de vsur. l. qui sine dolo. de reg. iur.
b L. generaliter. de reg. iur.
c L. 40. illud. de petit. hæred. l. 14 si plures. §. vlt. deposi. l. item si verberatum §. vl. de rei vind. l. cum. res. §. vlt. de leg. 1.
d L. 5. § sed si. de cõd. cau. da. l. item si cum §. sed & si. de eo quod me cau. l. 56 si in qui. de iure dot.
e L. si in Asia. §. vlt. depos.
f L. si ex legati. de verb. obl l. quod te. Si cer. pet. l naturalis §. sed si scyphos. Praescri. ver.
g Dic l. item si cum. §. quod si homo & seq. de eo quod me. cau.
h L. pen. de vi & vi arm.
i L. 5. §. vlt de in lit.
k L. precia. ad leg. Fal.
l L. 3 de cond. Tritic. vel arbitrar.
m L. 114. si fundum. de verb. oblig.
n L. 8. de in lit. iur. l. si cum dos §. vlt. & le. seq. Rer. amot.
o L. arbitrio. §. 1. de dolo malo.
p L. 69 si qui dolo. de rei vind. l. 13. aut illã §. vl. de pet. hær. l. 8. l. ideoq; Rer. amot.
a L. 63. si culpa. de rei vind.
b L. vlt. C. de fideicõ.
c L. stipulatio. §. sine autẽ de oper. no. nũc.
d L. fideicommissa. §. vlt de leg. 3. l. antepen. de pollicit.
e L. si commissa. Rem rat. hab.
f L. 2. §. vlt. de eo quod cer. lo. L. 36 si fundus. §. vlt locati. l. quicquid. C. arbi. tut. l. apud Iulianum. ad Trebell.
g L. 2. §. vlt. de eo quod cer. lo.
h L. quemadmodum. §. plane. ad leg. Aqu.

ſit fieri non ſoluẽdo: docet idem Celſus cap. 13. De re iudic. Supereſt, vt teneamus; ex qua cauſa id,
28 quod intereſt, in condemnarionem veniat, & quarenus veniat. Ex delicto vel quaſi ex delicto in
condemnationem venire: & tunc quidem venire, quantumcunque illud eſſe probabitur: dubium
non eſt. Sed ſi de aliqua ex contractu obligatione agatur, & cum re principali etiam id quod inter
eſt, tanquam acceſsio quædam petatur proprer aliquam vel culpam vel moram factam: res lon-
29 giori diſtinctione opus habet. Si dolo malo vendam, aut locem vel alienam vel virioſam rem cõ-
ſtat teneri me, vt omnino præſtem, qoanri intereſt conductoris vel emptoris. Sed & ſi ſine dolo
30 vendam aut locem rem viribſam: cętetùm affirmauero non eſſe vitioſam, aut eam artem profitear,
vt id tacitè etiam polliceri videar: totum huius generis periculum ſuſcepiſſe videor, vt in ſolidum *a L. tenetur. §. ſed ſi vas. de act. empti. l. ſed addes §. 1. loc.*
31 præſtem quod emptoris locatoriſve intererit [a]. Quòd ſi & vitium rei ignorauero, & non affirmâ-
rim expreſsim; aut tacitè non ſim pollicitus, rem eſſe integram; certè nullo modo tenebor ad id *b L. Iulianus. de act. empt.*
quod intereſt, ſed quanto minoris res eſt tantùm [b]. Atque vt fortaſſe veteres non ira apertè diſtin-
guant qualitatem & circunſtantias perſonarum, quæ vendunt aut locant; tamen diſtinctionem
hanc æquam eſſe credo. Quòd ſi vendita non ſit aut locata res vitioſa, ſed alia res pro alia per igno-
32 rantiam; erſi emptio ſit inutilis, tamen condemnarionem fieri, quanti emptoris intereſt, deceptũ
33 non eſſe: reſponſum olim eſt [c]: non tamen vltra duplum, ex Iuſtiniani conſtitutione. Sed & ſi per *c L. ſi ſterilis. §. quanuis. de act. empt.*
ignoranriam vendidero vel locauero rem alienam: ea euicta teneri me ad id quod emptoris inter
eſt, ſaltem vſque ad duplum, hoc eſt, vt precium reſtituam, & eius quod intereſt nomine, ad ſum-
mam tantundem, veteres etiam Iuriſconſulti reſponderunt. Nam & ſi cùm quis rẽ virioſam igno-
34 rans vendit, non ea culpa eſſe videatur, quæ mereatur condemnationem iu id quod intereſt: ta-
35 men cùm alienam rem ignorans aliquis vendit, quia magis ſcire & debuit & potuir, an ſua ſit,
36 quàm an ſit vitioſa, tenetur. Porrò ſi agatur mandari ſiue contraria ſiue directa actione propter a-
liquam culpam & damnum inde acceptum, in vniuerſum fieri condemnationem in id quod in-
tereſt, reſponſum eſt [d]. Denique & ſi agatur ex ſtipulatione pecuniæ mutuo dandæ aduerſus eum, *d L. ſi ſeruum communis de furt. l. ſi procuratorem §. mandati. Manda.*
37 qni non dedit, cùm dare promiſiſſet peti poſſe id quod intereſt, traditum eſt [e]. Sed tum rectè di-
ſtinctionem adhibemus, vt ſi promiſſor neque dolo fidem fefellerit, neque ita promiſerit certo die
locóve dare, vt facilè præuidere potuerit periculum & incommodum, quod alioqui ſtipulanri im- *e L. 58. ſi pœna. de verb. oblig.*
minebat: non condemnetur eius quod intereſt nomine, ſupra legitimum modum vſuratum. Nã
38 vbi de pecunia agitut, non niſi vſuras præſtari ſolere loco eius quod inrereſt, accepimus [f]. Sed ſi *f L. vlt. de peric. & comm. rei vend.*
39 promiſſor vel dolo malo dare recuſat, vel ab initio ita dare promiſit certo loco & die, vt propterea
videatur periculum ſtipulatoris & præuidiſſe & ſuſcepiſſe: iudex poterit reum iure condemnare
non modò in vſuras, ſed etiam in id quod præterea intereſt ſtipularoris [g]. Similiter & vbi agitur de *g L. 2. §. vlt. de eo quod cer. loco l. 3. de in lit. iuran.*
40 rebus quæ pondere vel menſura conſtant, loco eius quod intereſt, ſolet tantùm præſtari illa quæ
appellatur æſtimatio quanti plurimi proprer moram aut culpam ſimplicẽm. Nam vt pecunia ſub
fœnore, ſic res tales vbique comparari poſſunt, ſaltem eo precio, quo venæunt. Sed ſi quis fidem
fallat in eo articulo temporis, vt creditori integrum non ſir ſibi in hoc genere conſulere: non du-
bitabit iudex etiam in id quod creditoris intereſt, debirorem condemnare. Hæc breuiter ad in-
ſtruendum iudicem, quomodo ſententiam in hiſce quæſtionibus ferat, rectè dici poſſe videntur,
quæ ab Iuſtiniano non ſatis explicata videntur cùm ſuam ferret conſtitutionem de ſententiis, quę
pro eo quod intereſt, proferuntur.

41 Porrò vt ad formam Iudiciorum (quod noſtri nunc magis inſtituti eſt) veniamus, Iuriſcon-
ſulti cap. 53. & cap. ſeq. De re iudic, diligenter docent, quomodo coërceatur contumacia eorum li-
tigatorum, qui vel abſunt, vel ſe iudicio non ſiſtunt, vel ius dicenri non obtemperant: ſed id alio
loco rectius tractatur. Illud nunc tantùm obſeruemus, vt cùm ſentenria fertur, iubentur abeſſe o-
42 mnes litigatores & quoſcunque cauſa contingit, cap. 47. De re iud. ſic & omnes iudices, qui dari
43 ſunt, cap. 37. & 39. De re iudic. Ac ſi quidem in ſententia ferenda diſſentiant, ſentenriam plurium
obtinere, cap. 36. hoc tit. Sicuti & in quadam M. Cælij ad M. Ciceronem epiſtola legimus, veterem
Romæ Legem fuiſſe; vt id ratum eſſet, quod maior pars iudicum iudicâſſet. Et quidem Larinè ſua
44 decreta interponere iudices iubentut cap. 48. Hoc tit. Sed cùm ex Latio in Orienrem translata
Imperij ſedes eſſet, & linguæ propterea Larinæ dignitas euiluiſſet, & vſus imminurus eſſet, Cæſa-
res Conſtantinopolitani non minus Græca quàm Latina lingua ſententias iudicum poſſe conci- *h L. iudices. C de ſentent. & interloc.*
pi edixerunr [h].

45 Poſteaquam iudex datus ſententiam dixiſſet, Iudex eſſe deſinebat, vtpote iam perfunctus
eo munere, quod ei à Prætore mandatum erat: proptereaque nullam ipſe habebat reliquam pote-
ſtarem ſententiæ ſuæ vel mutandæ vel corrigendæ, vel denique exequendæ. quanquam interlo-
cutionem; quæ finem principali controuerſiæ non imponit reuocare, cùm adhuc eſſet iudex, poſ-
ſit, ſicuti & de arbitrio reſponſum eſt [i]. Quod ad decreta ipſius Prætoris attinet, Celſus cap. 14. De *i L. qualem autem. §. vlti. de arbi.*
46 re iudic. ait; Qnod iuſſit vetultve, contrario imperio tollere & remittere eum poſſe: ſed de ſenten-
tiis contrà. Decreta, quæ in dando erant vel addicendo, cùm cauſa cognita redderentur & ex iure
iam conſtituto, & verò aliquid iam certi veluti iutis alicui tribuerent, quas hîc Sententias appel-
47 lari accepimus, non temerè mutari aut contrario imperio tolli potuiſſe conſtat. Itaque & Cicero
Verrem accuſar, quòd ſua huiuſce generis decreta ſæpe reſcinderet. Cæterùm vt interlocutiones,
48 ſic & leuiora illa decreta, quæ dicere Prætor dicebatur, non tam cauſa cognita aliquid certò defi- *k L. ſi opus. de oper. no. nunc. l pen. de Præt ſtip. l. iudicium ſolui. de iudic.*
niens, quàm aliò interea ſpectans, aliudque veluti agens, mutari potuêre: neque deſunt in Pande-
ctis [k] exempla huiuſce generis.

Rerum ritè iudicatarum sententiarúmve effectus est, aut actio iudicati, vbi reus est condem- 49
natus: aut, si sit absolutus, exceptio rei iudicatæ. Actio iudicati ad executionem rei iudicatæ perti- 50
net, neque aliud in ea quæritur, quàm an iudicatum sit: vt non immeritò minor tanquam cir-
cumuentus restituatur, si partam ex causa iudicati persecutionem nouo contractu redigat ad ini-
tium nouæ litis[a]. Ac quidem docet Vlpianus[b]; sicut stipulatione contrahitur obligatio, ita & iudi- 51
cio contrahi, ac inde nasci actionem tanquam ex contractu: nec originem iudicij spectandam es-
se, sed ipsam iudicati veluti obligationem. Itaque & si temporalis fuerit actio, quæ in iudicium de-
ducta est, & quæ alioqui neque hæredi neque in hæredé data fuisset, veluti pœnalis ex maleficio:
tamen ipsam iudicati actionem esse perpetuam, & ad hæredes transire, & rei persecutionem con- 52
tinere, traditum est capite sexto, §. vltim. De re iudicata. Scinditur tamen in personas eorum qui
damnati sunt, vt si plures vna sententia sint condemnati, non nisi in viriles conueniantur actio- 53
ne iudicati, quod non modò Paulus docet capite quadragesimo tertio, De re iudicata, sed & aliis
sæpe locis[c] alij quoque Iurisconsulti & Cæsares: atque id etiam rectè dici significant, etsi prima a-
lioqui obligatio ea esset, ex qua singuli in solidum conuenire potuissent[d]. Sed nihil tamen prohi-
bet; quin quod noua iudicati actione ab vno consequi non possumus, prima actione saltem in
subsidium consequamur. Nam & priuilegium, quod habet actio in iudicium primò deducta, se-
quitur actionem iudicati. Sic enim Paulus respondit[e]; aliam esse causam nouationis voluntariæ, 54
aliam iudicij accepti. Perire enim priuilegium dotis aut tutelæ, si post diuortium aut pubertatem
actio nouata sit. At neminem id dicere posse lite contestata. Neque enim nos deteriorem causam
nostram facere actionem exercentes, sed potius meliorem, vt solet dici in iis actionibus, quæ tem-
pore vel morte alioqui finirentur. Atque hinc intelligi potest, quomodo sit accipiendum, quod
Iustinianus ait[f]; iudicati actione nouari priorem contractum: nempe in rem actoris potius quàm 55
rei condemnati[g].

Antequam iudicati agatur; saltem si magis de quantitate soluenda, quàm de re restituenda 56
quæstio sit; quatuor menses, qui iudicatis dantur, expectandi sunt. Sed de hoc tempore satis su-
perque dixi ad 12. Tab. cap. 46. Agit autem is, qui sententiam obtinuit, eiúsve hæres, non etiam 57
procurator; nisi si aut in rem suam fuerit procurator, aut ad hoc nominatim constitutus, vt iudi-
cati agat. Nam & alioqui tametsi procurator satis acceperit Iudicatum solui: tamen non tam ipse
quàm dominus ex ea stipulatione aget[h]. Sed neque tutori, qui litem peregerit: imò verò pupillo 58
competit actio iudicati[i]. Quod ad eos attinet, contra quos datur hæc actio: similiter dicimus ne-
que in tutorem dari, neque in procuratorem, nisi si aut sese liti obtulerit, aut in rem suam procura-
tor fuerit. quod quidem Vlpianus tradit cap. 4. De re iudicata, & aliis quoque locis traditum est[k].
sed neque prætermissa est descriptio procuratoris in rem suam[l].

Dari autem hanc actionem non modò in reum damnatum, sed & eius hæredem, dubium non 59
est. Sed & si pupillus tanquam patris sui hæres ritè condemnatus sit ex contractu paterno, deinde
beneficio restitutionis abstineat hæreditate: siue hæc accrescat alteri cohæredi, siue ad substitutum
deferatur: in eum, qui pupilli locum ita tenet. iudicati agi posse Scæuola affirmat capite quadrage-
simo quarto, De re iudicata. Postremò & post hæreditatem restitutam si hæres accepto prius iudi-
cio, damnetur, iudicati ipse conuenietur: sed eo nomine sibi cauere potest ab eo cui hæreditatem
restituit[m]. Reliqua, quæ huc referri possent, dixi cùm antea explicarem Marcelli[n] nobilissimum
responsum de hac iuris regula: Res inter alios iudicatas ad alios non pertinere. Sup. in tit. de ex-
cept.

Porrò vt vim huiusce actionis iudicati explicemus, simul & ordinem executionis rerum iu-
dicatarum. Et si sententia iam ritè lata sit (quod imprimis hic necesse est) opus tamen adhuc est 60
publica autoritate magistratus ad executionem. Nam si quis hanc tentaret sua priuatim autori-
tate: talem audaciam non fore impunitam Vlpianus ostendit cap. 6. §. pen. De re iud. Cùm igitur
quærimus, cuius autoritate fiat executio rei iudicatæ: imprimis meminisse oportet, quod Vlpia-
nus. cap. 15. De re iudic. narrat esse à D. Pio rescriptum; Magistratus, qui iudices dant vel arbitros, 61
eorum etiam sententias exequi debere. Nempe ipsi qui dati sunt iudices, desinunt esse iudices post 62
sententiam dictam. Sed neque vllam habere dicebantur iurisdictionem, neque mixtum vllum
imperium. quod ei cohæret, & cuius vi exequi iudicatum possent. Si is iudicâsset, cui mandata iu-
risdictio est: certè cùm sit loco eius qui mandauit, suam sententiam exequi posset. Saltem enim
mixtum habebat imperium, quod cum mandata iurisdictione transire dicitur. vnde & ab iudice
dato appellabatur ad eum qui dedit. Ab eo verò cui mandata est Iurisdictio, non ad eum qui man-
dauit, sed ad superiorem aliquem magistratum aut principem erat appellandum[o].

Is ad quem pertinebat potestas sententiæ exequendæ, executores in eam rem dabat, tan-
quam iudices: qui cognoscebant non quidem an iure iudicatum esset, sed an esset iudicatum[p]: vt 63
iudicato omnimodo reum parêre cogerent. Non enim poterant aliquid pronuntiare contra id
quod iudicatum erat[a], cùm eius tantum exequendi munus suscepissent. Dabantur autem hi exe- 64
cutores reo rursus in ius vocato. Nam & iudicij accepti in actione iudicati meminit Vlpianus[b].
Officium executoris, vbi cognouerat iudicatum esse, erat; vt omnino cogeret reum sententiæ pa-
rêre. Itaque si quis damnatus esset rem restituere, manu etiam militari per vim auferri res poterat 65
autoritate iudicis[c]. Si damnatus quis esset pecuniam soluere: ipsum Prætoris edictum de re iudi-
cata iubebat; vt pignoribus captis atque distractis soluere compelleretur, neque si satisdationem
reus offerat, auditur[c], vt tradit Vlpianus cap. 4. De re iudic. Nam & cum De pignore liberando a-
gitur,

a L. 40. minor 25. annu, cui fideicom. de minor.
b L. 3. §. idem scribit. pec.
c L. si quis separatim. §. quoties. de appell. l. si mandato Titij. §. Paulus Mand. & toto tit. Cod. si plures vna sent.
d L. 1. C. si plures vna sent.
e L. aliam. de noua.
f L. vlt. §. & ideo. C. de vsur. rei iud.
g L. euidenter. de except.
h L. 28. si procurator. de procur.
i L. 2. de admi. tut.
k L. Plautius. de procur. l. eum qui de minor.
l L. 5. ad Vel. l. 1. §. tutores quâ app. sit.
m L. 36. l. 78. Lucius. §. rogatus. ad Treb.
n L. sæpe. de re iudic.
o L. 1. qui & à quo appell.
p L. 1. quæ sent. sine app. l. si Prætor. de iudic.
a L. si vt proponis. C. de execut. rei iud.
b L. item veniunt. §. idem rectè ait. de pet. hæred.
c L. qui restituere. de rei vind.
d L. item liberatur. §. qui paratus. Quib. mo. pig. vel hyp. sol.

66 gitur, non sufficere satisdationem, si solutionẽ creditor desideret, responsum est. Si tamen actio iudicati nouata sit, impediri executionem dubium non est. Sed hęc nouatio non temerè in re dubia præsumitur. Itaque & si post rem iudicatam fideiussorem & pignora creditor accipiat abs reo, non inhibetur iudicati executio, nisi si appareat nouandi animo id factum esse, cap. 4. §. si ex conuen-
67 tione. De re iudic. Compensationem tamen admitti, cùm iudicati agitur, constat [a].

Executor in causam iudicati, bona eius, qui condemnatus est, pignori capit, vocarique etiã
68 hoc pignus Prætorium potest, quod vulgò Iudiciale appellant, multaque habet communia cum pignore conuentionali: quædam esse dissimilia. Ac melior sanè conditio etiam est eius creditoris, qui in hoc pignore prior est, tametsi sit in condemnando reo posterior [b].

69 Executor primùm bona mobilia, deinde immobilia, postremò iura & nomina capere iubetur. Sicuti & cùm aliàs de distrahendis bonis alicuius agitur, humaniter hic ordo seruatur, vt primùm mobilia vendantur, vt quam minimo domini incommodo fieri potest, alteri satisfiat [c]. Atque hìc quidem etiam excipimus instrumenta rustica, quæ ad agriculturam necessaria sunt, & propterea neque pignori obligari, neque ab executoribus capi, etsi de pecunia fiscali agatur, possunt [d].

70 Antequam autem executor quicquam distrahat, audiet intercessiones eorum, qui distractionem iure impedire volunt: vt quia rerum se dominos esse contendant, non eum, qui condemnatus sit. Sed hanc inter eos & creditorem ex causa iudicati pigneratorem, controuersiam definiens executor, si fortè intercedentibus, tanquam dominis, rem relinquat, reo, cuius condemnati nomine capta erat, non præiudicat. Quod tradit Vlpianus cap. 15. §. sed sciendum est. De re iudicata.
71 Audiet quoque executor intercessiones creditorum hypothecariorum, qui rem sibi prius obligatam esse cõtendunt, non sanè vt impediatur distractio, sed vt iis imprimis ex precio satisfiat, cap.
72 15. §. & quamuis. De re iud. Eodem capite Executor cùm distrahit res in causam iudicati captas, iubetur præsenti pecunia vendere, neque fidem de precio habere: & bona quidem fide vendere quãti res vendi potest. alioqui ipse tenetur [e], sicuti & creditor, qui pignus ex conuentione, vendit [f]. Cęterùm emptori neutrum de euictione teneri, sed potius agi contra eum, cuius nomine res vendita fuit, & cui solutio precij profuit, constat [g]. Sanè Senatusconsultum de rebus minorum sine decre-
72 to Prętoris non alienandis, non pertinere ad rescindendam distractionem ex causa iudicati factã, dubiũ non est [h]. Sed & si minor 25. annis facilè restituatur vel aduersus venditionẽ pignoris cõuẽtionalis, vel aduersus sententiã: nõ restituitur tamen aduersus distractionẽ ab executore factã, nisi
74 aliquando & ex magna & singulari causa [i]. Atque hæc quidem de addictione reũ in causam iudicati captarum, & solenniter illi qui pluris eas licitatus est, addictarũ: quomodo & ipsi creditori, qui iudicati agit & executionẽ persequitur, vendi atq; addici possunt, si vt alius quiuis emere velit, &
75 iustum precium offerat [k]. Est autem & alia quædam alterius generis & veluti subsidiaria (nõ enim locum habet quandiu alteri priori locus est [l]) addictio, quæ non tã venditionẽ veram, quàm dationem in solutum continet: vt cùm nullus idoneus emptor inuenitur, rem in causam iudicati captã executor in solutum dat creditori, qui sententiam obtinuit: sicuti & creditor hypothecarius impetrat ius dominij, cùm pignoris emptorem nullum inuenire potest [m]. At tum quidem res ex vero æstimanda est, vt si pluris sit quàm id quod debetur, reliquum reddatur: sin minoris, eius, quod deest, nomine, integra supersit creditori actio. Sicuti & Iustinianus Nou. Const. 4. statuit; cùm res
76 debitoris, pecuniæ creditæ loco datur in solutum creditori, ex vero æstimãdam esse. Quod & si Iurisconsulti non satis expresserint, cùm de datione in solutum, quæ fit per addictionem in causa iudicati, loquuntur, sed confusè potius id inuoluant [n]: tamen æquissimam esse distinctionem, & tam debitori condemnato, quam creditori vtilem esse constat.

77 Si neque bona mobilia, neque immobilia reperiantur, quæ in causam iudicati capi possint, vel sanè si omnino soluendo non sint: tertio loco capi iura & nomina traditum est cap. 15. §. in venditione, & §. si pignora. De re iudic. Sicuti & responsum est [o], cùm ciuitates condẽnatæ sunt, nec quicquam corporale est Reip. quod possideatur, per actiones debitorũ Ciuitatis agẽtibus satisfieri. Sa-
78 nè nomina posse pignori dari dubium non est: vt iure huius pignoris competant vtiles actiones ad exigendum, saltem quatenus hic pignerator sibi deberi probat, & alterum debere [p], cui tempe-
79 stiuè etiam denuntiare iubetur, ne priori suo creditori soluat. Sic itaque & executor, qui nomen capit in causam iudicati, vtetur simili denuntiatione, & nomẽ exiget aut vendet. Sed & stipendia,
80 quæ militi condemnato alioqui debentur, similiter in hanc causam capi possunt [a]: sicuti & quæ Athletis victoribus de publico donabantur. Sic enim Papinianus capite 40. De re iudicata ait: commodis præmiorum, quæ propter coronas sacras præstantur, interdici condemnatos: eamque pecuniam iure pignoris in causam iudicati capi. Coronarum, quibus ornabantur victores Athletæ, fit & aliis in locis Iuris Ciuilis mentio [b], sicuti & præmiorum & commodorum, quæ propterea etiam ex publico percipiebant. Erant autem anniuersariæ quædam pensiones. Nam Vitruuius
81 lib. 9. Athletas ait constitutis publicè vectigalibus, quandiu viuerent, frui solitos. Quæ quidem etsi priuata pactione non potuerint obstringi pignori [c]: tamẽ propter causam iudicati & autoritatem
82 potuère. Quod & ad illas militias ciuiles trahi potest, quarũ frequẽs est mẽtio in Iure Ciuili. Quod ad vsumfr. attinet, dicemus, ipsum quidem ius vsusfr. vt neque pignori obligari, neque vendi,
83 neque alteri quàm proprietaris domino cedi potest: sic etiam non posse capi in causam iudicati. Cæterùm emolumentum & perceptionem fructuum posse [d]. Sed prædiorum seruitutes, quia prædiis cohærent, quibus debentur, neque ab iis separari possunt, non poterunt etiam sepa-

a L. si cum militi. §. 1. de cõpẽs. l. 2. C. eod.
b L. si ex iure. qui pot. in pig.
c L. si quis sepulchrum § vlt de relig. l. 1. § de minutio autem. de vent. in poss. mitt. l. vlt. §. sin autem. C. de bon. quæ lib.
d L. executores. l. pignorum. C. quæ res pig. oblig. poss.
e L. 3. §. si executor de nego. gest. l. si pignora de euict.
f L. debitor. §. 1. de distr. pig.
g L. si ob causam. C de euict. l. si plus vel minus. §. 1. de euict. l. rescriptum. de distr. pig.
h L. 1. C. de pred. min. l. 3. de reb. eo. qui sub tut. sunt.
i L. si ex causa de mi.
k L. 2. C. si in cau. iud. pig. cap. sit.
l L. vlt. C. in cau. iud. pig.
m L. vlt. C. de iure domi. imp.
n L. à diuo Pio § si pignora. de re iud.
o L. 8. quod cuius. vniu. nom.
p L. nomen. C. quæ res. pig. oblig.
a L. 4. C. de exec. rei iudic.
b L. 1. C. de Athle. l. 1. spem. C. quæ res pig. obl. poss.
c Dict. l. spem.
d L. arboribus § vsufructuarius. de vsuf. l. si vsusf. de iure dot.

ratim pignori obstringi[a]. Porrò post capta & discussa omnia condemnati bona mobilia, immobi-
lia, iura, & nomina: si satis in iis non sit, vnde rebus iudicatis satisfiat: postremò videndum est, an 84
antea nihil alienatum fuerit in fraudem creditorum. Id enim ab alio etiam possessum capi poterit
in causam iudicati, perinde atque si alienatum non fuisset, sed in debitoris condemnati dominio
semper mansisset. Sic enim propriè actio Pauliana, ex edicto De reuocandis iis, quæ in fraudem 85
creditorum alienata sunt, exercebatur, postquam debitor ex alia causa cōdēnatus, soluendo alio-
qui non erat: vt intelligamus etiam pertinuisse ad adiuuandam executionem rei adiudicatæ[b]. Re- 86
uocabantur autem hac ratione non modò res in fraudem translatæ in alium, sed & actiones re-
missæ. Sed alienationem voluntariam fuisse oportebat. Nam si debitor coactus fuisset rem suam
tradere veluti ex causa iudicati, autore Prætore: talis alienatio necessaria non rescindebatur ex e-
dicto[c].

Si ex omnes quas hactenus persecuti sumus, rationes non sufficiant, vt rei iudicatæ satisfiat:
certè condemnatus, nisi si bonis cedat, in carcerem coniici poterit[d]. nam & cap. 34. De re iud. car- 87
ceris & vinculorum in hoc genere firmentio. Sed vltrà non progredimur. Nam nexus & dissectio
vetus, quæ acerba Lege 12. Tab. introducta erat, posteritati displicuit. Qua de re dixi in commen-
tariis ad 12. Tabulas, cap. 46. ex delicto tamen condemnatus, si mulctam exoluere non possit pro- 88
pter inopiam, corporis pœnam luit[e].

Porrò ad hunc tractatum de executione rei iudicatæ referri etiam posset ius illud singulare,
quod eam aliquo modo infringit; nempe quod ad eas personas attinet, à quibus non exigitur ni- 89
si in quantum facere possunt. Sic enim earum habetur ratio non modò in condemnatione[f], sed
etiam in executione; si fortè in solidum facta condemnatio esset[g]. Itaque & multis capitibus in
tit. De re iudic. res hæc tota explicatur. Sed cùm Iustinianus eam tractauerit, cùm de actionibus a-
geret, molesta hic esset & superflua repetitio. Illud tantùm moneo, cùm ad condemnationem tē- 90
perādam, eiúsve executionem moderandam quæritur, quantum aliquis facere potest: inspici tē- 91
pus rei iudicatę[h]. Sed cùm ad actionē instituēdā quæritur, quatenus aliquis locupletior factus est,
inspici tempus quo agitur, & iudicium suscipitur[i]. Est & illa distinctio hîc memorabilis; hoc bene- 92
ficium vxori tribui, ne exigatur nisi in quantum facere potest; non modò si de dote agatur, sed & si
ex alio contractu cap. 20 De re iudic. Sed contractum initum esse debere matrimonio constante. 93
Nam si ex ea causa agatur, quæ post matrimonium solutum, nata primùm sit; in solidum fit exa-
ctio[k]. In socero est etiam aliqua distinctione opus: quem quidem si abs sua nutu conueniatur de 94
dote restituenda, hoc beneficio vti dubium non est[l]: Sed si abs genero de dote promissa: respon-
sum[m] simpliciter quodam loco est; iustum esse idem ei tribui: sed alio traditum est[n]; hoc tamen ius 95
receptum non esse: præsertim si soluta affinitate conueniatur, neque hoc meritus esse videatur[o].

Alter rei iudicatæ effectus est in exceptione rei iudicatæ, cùm secundum reum iudicatum est.
Sed quia tum de executione nulla quæstio est, & nos antea cùm de exceptinibus ageretur, quæ ad
hanc exceptionem pertinent, persecuti sumus, nihil superest, quod nos hic remoretur.

a L. pignori. l. si is qui bono. §. vlt. de pigno.
b L. pen. C. de reuoc. iis. quæ in fron.
c L. qui autem cum possit. §. apud Labeonem. de iis, quæ in fran. cred.
d L. 1. C. qui bonis ced. pos.
e L. 1. §. vlt. de pœnis. l. vlt. de in ius voc. l. si quis id quod. de iuris. l. vlt. C. de sepul. viol.
f L. in condemnatione. de reg. iur.
g L. ex diuerso. §. vlt. Sol. mat. l. qui id quod de donat. l. Nesennius §. vlt. de re iudic.
h L. rei. Solu. mat.
i L. item. de nego. gest. l. pupillo de solut. l. quod autē. de donat. inter vir. & vxo.
k L. diuortio. de nego. gest.
l L. rei. §. vlt. Solu. mat.
m L. ex diuerso. Solu. mat.
n L. sicut. de re indic.
o L. penul. de iure dot.

DE PVBLICIS IVDICIIS

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

1.2 Aliter priuatas, aliter capitales caussas tractari.
3 Publicorum iudiciorum leges glossematum sordibus inquinata.
4 De singulis propè iudiciorum publicorum speciebus extare Orationes Ciceronis.
5 Iudicia aut distrahendarum controuersiarum, aut puniendorum maleficiorum caussa comparata sunt.
6 Id est; aut ciuilia sunt; aut criminalia.
7 Criminalium denique alia priuata sunt, & extraordinaria; alia publica & ordinaria.
8 Vetus iudiciorum publicorum ordo vnà cum pœnis legitimis iam exoleuit.
9 Hodie criminalia tam publica quàm priuata sunt extraordinaria.
10 Criminum alia publica sunt, alia priuata.
11 Resp. interest, omnia maleficia puniri; sed magis publica, num. 12.
13.14 Leges & Accusationes publica vnde dicta sint?
15 In criminalibus iudiciis, primus locus est de accusatore.
16 An nocens non nisi accusatus damnari possit?
17 De mandatis, quibus Magistratus ipsi inquirere iubentur, deque Irenarchis; Stationariis militibus; priuatis iudicibus.
18 In publicis olim quæstionibus lege cautum, vt primùm de accusatore fieret iudicium, & quibus obiectionibus accusator repelli potuerit? num. 19.
20 Vt deinde tractandus reus, si accusatorem nihil impediat? & quid reatus? & num. 30.
21 An cum accusatore liceat transigere? & quid de calumniatoribus, vel prauaricatoribus?
22 Tertio loco de iudicibus rerum capitalium quærendum.
23 Sententia iudicum & animaduersiones censorum differunt.
24 Quid si (quarto loco) reus obiectum crimen confiteatur? & num. 25. 26.
27 Lex Porcia quæ? & eam sublatam esse.
28 Lex apud Plinium de non coniungendis sententiis.
29 Quid denique, si damnatus sit reus?
31.32.33 Damnatum non nisi beneficio Principis dimitti posse.
34 De Lege Carnificis, & de damnatorum sepultura.

Marcus

1 *Marcus Tullius in quadam sua ad Papirium Pætum epistola, Iudicia (in-*
quit) non solemus omnia tractare vno modo. Priuatas causas, & eas tenues,
agimus subtilius: capitis aut famæ, scilicet ornatius. Id ego nunquam lego
2 *quin splendorem, dignitatem, amplitudinem causarum capitalium, cum sub*
3 *tili disputatione priuatarum actionum committere atque coniungere valde*
cupiam: vt Leges publicorum iudiciorum, nescio quorum glossematum sordi-
bus inquinatas & veluti cœno oblitas, noua commentatio veluti detergat, &
si minus ornare satis possit, saltem illustret repetita totius antiquitatis memo-
ria, & iis sententiarum atque exemplorum veluti luminibus, quæ ex antiquitatis & historiarum
monumentis repeti possunt; præsertim cùm iis etiam in hoc genere veteres Iurisconsulti vsi sint, non
vt inanibus exemplis, sed potius vt legibus. Cæterùm vt hisce commentariorum tanquam angustiis
concludere me non posse quod de actionibus dicere vellem, antea professus sum: sic iam iterum profi-
teor, de publicis iudiciis iustam & integram commentationem seponere me, & in alium locum reii-
cere: præsertim cùm Iustinianus vix patiatur, quod hîc de illis obiter attigit, fusius explicari. Sed il-
lud tamen interea moneo; vel ex vno Cicerone repeti posse quicquid ad illustrādam atque ornandam
hanc iuris Ciuilis partem, pertinet: vt extant de singulis propè speciebus publicorum Iudiciorum cri-
4 *minumq́ grauissimæ atque ornatissimæ illius Orationes.*
5 *Sanè in Oratione pro Cæcinna, ait; omnia Iudicia aut distrahendarum controuersiarum aut*
puniendorum maleficiorum causa comparata esse. Hanc primam summamque Iudiciorum diuisio-
6 *nem, alia nempe ciuilia, alia criminalia esse, sæpe quoque nostri Iurisconsulti tradunt: sed propius*
7 *rem excutiunt, & criminalia rursus esse duplicia intelligunt: alia enim esse priuata, alia publica: at-*
que hæc quidem ordinaria, illa extraordinaria etiam dicebantur. Sed cum vetus iudiciorum publico-
8 *rum ordo legibus constitutus in vsu esse desiit, & pœnæ quoque legitimæ sensim exoleuerunt, magi-*
9 *stratuumque arbitrio relictæ sunt: non minus publica quàm priuata criminalia, & esse & dici cæ-*
perunt extraordinaria[a]*. Cur autem ex delictis alia publica, alia priuata nascantur, aperta causa est:*
10 *quòd crimina etiam alia publica sint, quæ nempe non tam singulos ciues, quàm vniuersam Remp. &*
ciuitatem lædere videntur: alia verò priuata, quæ minus atrocia sunt, minusq́ue humanam societatē
perturbare videntur. Ac responsum quidem est; Reipub. semper interesse, omnia maleficia puniri[b]*.*
11 *Sed multo tamen magis interest, ea quæ magis lædunt, imprimis coërceri: quò magis intelligamus*
12 *non temerè & de iis certas Leges, quæ publicæ etiam dicerentur*[c]*, latas esse, & eorum quoque*
13 *publicas esse (vt etiam appellantur*[d]*) accusationes. quanquam & alia ratione hæc iudicia dici po-*
14 *tuerint publica, quòd scilicet in potestate populi essent, & ab eo mandarentur.*

a L. ordo. de pub. iud. l. 1. §. vlt. l. hodie. de pœn. l. Lex Iulia. §. vlt. ad leg. Iul. rep. l. in Senatuscons. §. an ad eos. ad Sen. Turpil.
b L. ita vulneratus. ad leg. Aquil.
c L. 1. §. 1. ad leg. Cor. de sicar. l. vlt. de coll. illic.
d L. 3. de pub. Iud. l. 1. de accus.

Formam & ordinem veterum publicorum Iudiciorum non possumus cuiusmodè hoc loco pluri-
15 *bus verbis persequi: sed illud tamen semper verum est, & omnibus Iudiciis criminalibus commune;*
primum locum esse de accusatore. Dixit olim Cicero pro Roscio Amerino, nocentem, nisi accusatus
16 *fuerit, damnari non posse. Non idem tamen omnino vel sensisse vel dixisse nostros Iurisconsultos con-*
17 *stat. Itaque & hîc dicendum esset de mandatis, quibus magistratus ipsi iubentur inquirere*[e]*: & de*
Irenarchis, & stationariis militibus quos in eum vsum habebant: postremò & de priuatis iudicibus.
Atque vt summa nunc veluti capita delibem, de quibus copiose aliàs dicere institui, in libris Rhe-
18 *toricorum ad Herennium legimus, in publicis Quæstionibus olim etiam Lege cautum fuisse, vt an-*
tè, si reo commodum sit, iudicium de accusatore fiat, vtrum illi liceat accusare, nécne. Id quod impri-
mis quæritur abs Iurisconsultis & Cæsaribus, cùm de publicis iudiciis agunt. Sed magna iis lux acce-
det, magnumq́ etiam ornamentum, si adiungantur quæ Cicero in sua Diuinat. & pro Muræna, &
19 *pro Roscio, & pro Deiotaro, & pro Cluentio, & in libris Offic. de accusatoribus dixit. Sed & quæ*
præscriptiones accusatori obiici poterant ex persona ipsius rei, vel absentia, vel morte, vel tempore,
vel pactione transactionéve, dicendum erit.

e L. 4. ad leg. Iul. rep. l. congruit. de offi. Præs.

Vbi nihil est, quod accusationem impediat, videndum est, quomodo accusator recipiatur inter
20 *reos: & quis tunc sit huius status, quem reatum appellamus, quæ rei custodia, quæ ratio & vis carce-*
ris, & an interea vel testamentum facere, vel inter viuos de bonis suis statuere aut contractum ali-
21 *quem inire rectè possit reus. Denique an cum accusatore transigere liceat, & quid vel de calumniato-*
re vel præuaricatorē statuendum sit.
Posteaquam de accusatoribus & reis dictum erit, tertius sese offeret locus de ipsis Iudicibus re-
22 *rum capitalium. Ac distinguendi quidem sunt abs Quæstoribus, atque etiam abs Censoribus, sicuti*
& Cicero pro Cluentio eleganter ostendit multùm interfuisse inter sententias Iudicum, & animad-
23 *uersiones Censorum. Ac de priuatis quidem illis & domesticis animaduersionibus, quarum ius erat*
patri in filiumfa. & marito in vxorem, dictum est ad Leges Romuli. Sed & de capitali quæstione,
quæ olim

quæ olim non nisi in Centuriatis comitiis Pop. Rom. peragebatur, dixi in commentariis ad 12. Tab. cap. 47. Sed multa supersunt tamen præterea dicenda de iurisdictione rerum criminalium, itemq́; de mero imperio totoq́; eius iure: vt & toties mutata iactataq́; apud Romanos hæc potestas, longã velut historiam habet.

Constituto partibus suis omnibus iudicio criminali, videndum quid, si reus confiteatur obie- 24
ctum crimen, statuendum sit, & quæ sit vis eius confeßionis. Si verò, vt sæpius fit, planè inficietur:
qua ratione conuinci rectè poßit considerandum, vt & de testibus & de tabulis, & coniecturis, & ve-
rò de quæstionibus siue tormentis etiam agamus, neque modò Iurisconsultorum, sed & Rhetorum,
atque adeò omnium veterum iudicia in hoc genere requiramus. Interdum reus sic fatetur factum, 25
vt tamen contendat se iure fecisse; vt status causæ sit non coniecturalis, sed Iuridicialis. Hîc certè nõ
accusator, sed reus quod obtendit, probare debet[a]. Interea verò quid iure factum hîc rectè dici poßit,
& quæ etiam circunstantiæ crimen vel augeãt vel minuant, non modò ex Iurisconsultis, sed & ex
Rhetoribus Latinis & Græcis (nam vtrisque hic locus communis est) repetendum erit, atque etiam
hæc tota res nobilißimis veterum exemplis illustranda. Tum verò, quia pœnæ iam propè arbitrariæ
esse videntur (cùm & ex ipsius facti circunstãtiæ cognitioni Iudicis & æstimationi relictæ pendeãt.) 26
admonendus iudex, quem in iis modum seruare debeat, & quid sequi in sententia criminali concipiẽ-
da; præsertim cùm sublata iam sit vetus Lex Porcia; quæ ciuem Romanum vix patiebatur mortis 27
capitisve pœnam subire; & potius more Maiorum (vt veteres loquebantur) rei puniantur. Sed non
omittenda tamen Lex illa, cuius meminit Plinius in epistolis; quæ sententias coniungi non patieba- 28
tur, & in pari numero, eam quæ pro reo esset, præualere iubebat.

a L. 1. C. ad leg. Corn. de sicar.

Vbi damnatus est reus, statim fit seruus pœnæ, amittitq́; protinus & ciuitatem & libertatem[b], 29
vt etiam testamentum facere prohibeatur[c]: quanquam Cicero aliter iudicârit. Est itaque hic dam- 30
nati status durior reatu. Damnatum verò non posse liberari deinde aut dimitti, nisi singulari bene
ficio Principis, constat. Nam & deprecatio, quam vulgò interceßionem vocant, apud tribunalia in- 31
anis est. Nam indulgere, condonare, remittere pœnam (quod non tam æquitatis esset Legem inter-
pretantis quàm clementiæ liberaliter veniam dantis) non est eorum, quibus Iudicia mandata sunt, 32
sed qui summam liberamq́; habent potestatem statuendi in Rep. quod volunt. Vt non temerè Cicero
Verrem & Antonium grauiter accuset, quòd damnatos restituerint atque liberârint. Porrò ex eius- 33
dem clarißimi oratoris Accusatione Verrina, plurima repeti poßunt; de ipsius etiam carnificis Lege 34
agentis iure; deq́; sepultura damnatorum. Sed hæc & id genus plurima, quæ communia sunt omnibus
propè criminalibus iudiciis, & ad eorum (vt ita loquar) formam & ordinem in vniuersum perti-
nent, longiorem, vt dixi, commentationem desiderant: vt certè imprimis explicanda videntur, sicuti
& generalis olim quædam fuit Lex Iulia publicorum Iudiciorum, quæ multa huius generis comple-
ctebatur.

b L. qui vltimo. de pœnis.
c L. si quis filio. §. sed & si quis. de iniusto rup.

1 *De singulis speciebus Publicorum iudiciorum, quodnam sit crimen, quid in eius iudicio singulare, & quæ denique pœna eius legitima?*
2.3 *Lex Iulia Maiestatis, cõplexa etiam est Maiestatis legem Corneliam & Variam: & qui auctores illius? num. 4. 5.*
6 *Primùm* Maiestatis *siue* perduellionis *crimen quale?*
7 *Quid, vbi leuiores sunt caussæ maiestatis?*
8 *In crimine perduellionis singularia quæ?*
9 *Pœna denique perduellionis quæ?*
10 *Lex Iulia de* adulteriis, *lata ab Augusto, num. 11.*
12 *De stupro in virginem, aut viduam honestè viuentem, deq́; discrimine concubinarum liberta & ingenua, num. 13. 14. 15.*
16.17 *In iudicio criminis adulterij singularia quæ? & num. 18. 19. 20.*
21 *Pœna denique adulterij quæ? & num. 22.*
23 *Lex Iulia* de Vi, *lata à Iulio Cæsare, eaq́; tum ad publicam tum ad priuatam vim pertinuit, num. 24.*
25 *Violentia publica & priuata discrimen, tum in iudicio criminali, tum in interdicto possessorio.*
26 *Lex* Cornelia *de* Sicariis, *lata à Cornelio Sylla.*
27 *Prima Romuli Lex, parricidas omnes capitu esse reos.*
28 *Numa Pompilius parricidas quos dixerit.*
29 *Hoc de cæde iudicium, ad seruos quoque pertinere.*
30 *Quid, si casu fortuito cædes facta sit?*
31 *Quid, si per imprudentiam, sed tamen aliqua culpa?*
32 *Quid, si quodam impetu & calore?*
33 *Quid, si quis sui defendendi caussa?*
34 *Lex* Pompeia *de* parricidis *singularia quæ habeat?*
35.36.37 *Lex* Cornelia *de* Falsis, *non modò Testamẽtaria, sed & Numaria dicta fuit, ne videlicet priuatus quis pecuniam faceret.*
38 *Falsa siue adulterina moneta quæ?*
39 *Ipsam materiam numorum appellari speciem.*
40 *Ex tribus tantùm metallis conflari posse numos.*
41 *Metalla ista certa commixtionis proportione diluenda.*
42 *Quæ de iudicio hoc & vbi singulariter dicantur?*
43 *Lex hæc Cornelia cur & Testamentaria dicta sit? & num. 44.*

45 *Falsum*

1 *Porrò cum deinde descendemus ad singulas species publicorum Iudiciorum, quærendum ma-*
ximè in singulis erit, quodnam sic crimen, quid in eius iudicio singulare, & quæ postremò eius pœna
2 *legitima. Prima publici iudicij species est Maiestatis ex Lege Iulia. Fuit & vetustior Lex*[a] *quæ-*
3 *dam 12. Tab. de qua diximus in commentariis ad 12. Tab. cap. 48. Fuit deinde maiestatis Lex Cor-*
nelia & Varia (nam vtriusque Cicero meminit) Sed Iulia fuit nobilissima, multis capitibus comple-
4 *ctens & veteres illas. Cicero Philip. 1. testis est; eius autorem fuisse Iulium Cæsarem: auctam autem*
5 *deinde & longius etiam productam per posteriores Cæsares fuisse, autor est Cornelius Tacitus. Pri-*
6 *mum summumq́ maiestatis crimen illud est; quod & perduellionis dicitur; cùm quis hostili animo*
aduersus Rempub. vel principem aliquid molitus est[b]*. Sunt & leuiores aliæ quædam causæ maiesta-*
7 *tis, quales multas Iurisconsulti cõmemorãt. Sed ad eas alioqui propriè non statim etiã pertinet, quod*
singulariter statuitur de crimine maiestatis. Singularia in hoc iudicio illa sunt; quòd hîc & accusare
8 *sit necesse; & accusare possint, qui alioqui ab accusationibus repellũtur*[c]*; & torqueãtur, qui alioqui ad*
quæstionẽ abripi nõ possunt[d]*. Itẽ quòd sine alia distinctione, ex quo quis hoc crimen contraxit, prohi-*
beatur alienare quicquam[e]*. Sed neque rectè ei soluatur. Fuit & olim illud hîc singulare, quod Cicero*
Philip. 1. scribit, ex hac Lege damnatis, prouocationem permissam non fuisse. Postremò, quòd non
modò corpora damnatorum huius criminis, vix sepulturæ mandari possint[f]*: sed & mortuo quoque*
reo hoc iudicium institui & peragi possit[g]*.*
9 *Cùm autẽ tertio loco de pœna quæritur, solet imprimis proponi acerbissima quædam constitutio*[h]
Arcadij & Honorij. Cuius certè valde singularis, & propè inhumana est asperitas, quod ad filios a-
lioqui innocentes attinet, quos tamen propter crimen paternum non modò paternis bonis mulctari
vult, & infamia notari, sed etiam vetat ex aliorum testamento quicquam capere, atque etiam matri
vel auo ab intestato succedere. Quo magis adducor, vt facilè credam; posteritati hanc Legis partem
displicuisse, atque adeò ipsis quoque suis aliquando autoribus, cùm quidem duobus pòst annis edixe-
rint[i]*, vt pœna criminis paterni ad filios non protenderetur, idque nouo veluti præconio Iudicibus o-*
mnibus inculcari voluerint. Certè in Codice Theodosiano non extat illa de qua loquor, constitutio:
quam tamen verisimile non est potuisse prætermitti, si abrogata atque sublata non fuisset. Verùm
hæc res longiorem rursus disputationem, quam hic locus non capit, desideraret.
10 *Secunda Iudicij publici species est ex Lege Iulia de adulteriis. Vetustiorem illam Romuli*
Legem, quæ marito & cognatis iudicium adulteræ mulieris permittebat; explicui in meis ad Leges
11 *Romuli commentariis, capite decimo quinto. Sed cùm publica esset huius generis quæstio; Augustus,*
qui dissolutos mores componere voluit, tulit hanc Legem Iuliam, quæ multis capitibus latè com-
plexa etiam est quicquid ad hoc iudicium pertinuit. Nam & septimi capitis meminit Vl-
12 *pianus*[k]*. Primùm crimen, quod huc pertinet, est stuprum in virginem, aut viduam ho-*
nestè viuentem. Sanè & cùm de concubinis agitur, quarum consuetudine interdictum non
13 *est hoc iure, magnum discrimen est inter mulieres ingenuas honesteq́ue viuentes, & liber-*
tas aut alias vilioris conditionis. Illud verò præterea obseruemus, quod non modò repetitur ex
singulari quodam Papiniani responso[l]*, sed illud etiam inter ea, quod valde alioqui obscurum est, illu-*
14 *strat; inter concubinam libertam & ingenuam hoc interfuisse, quòd illa quæ se suo patrono in concu-*
binatum dabat, non propterea amitteret nomen honestæ matronæ[m]*: & propè vt vxor habebatur;*

a L. 3. ad leg. Iul. Maiest.
b L. vlti. ad leg. Iul. Maiest.
c L. liberti. l. famosi. ad leg. Iul. ma. l. vlt. C. qui accus. non poss.
d L. 4. l. pen. ad leg. Iul. ma.
e L. ex iudiciorum. de accus. l. vlt. C. ad leg. Iul. ma.
f L. 1. §. 2. de cada. punit.
g Dict. l. ex Iudiciorũ & l. pen. & vlt. C. hoc tit.
h L. quisquis. C. ad leg. Iul. Maiest.
i L. sancimus, C. de pœnis.
k L. si maritus sit. §. 1. ad leg. Iul. de adult.
l L. cum in secundis. §. vlt. de his, quæ vt indig.
m L. si vxor. ad leg. Iul. de adult.

saltem vt

saltem vt ab inuito patrono discedere non posset: & si alius cum ea rem haberet, stuprum committi
diceretur. At ingenua mulier alicuius concubina, vt vulgaris & prostituta habebatur. 15
Quod ad adulteria, illud singulare est; quòd hæc Lex Iulia ita appellabat, quæ cum alterius vxore
committebantur. Vt si mulier nupta cum alio rem haberet, adultera esset, & ille alius adulter. At ma 16
ritus, qui cum alia, quæ alioqui nupta non est, consuetudinem habere, non adulterium, sed stuprum 17
tantùm committere dicebatur, perinde atque si maritus non fuisset. Quod discrimen & cùm de accu-
a L.1.C.ad leg.Iul. de adult.
satione agebatur, seruatum est Lege Iulia[a]*: cùm & antea non dissimile moribus Romanis rece-*
ptum fuisse appareat ex Oratione Catonis apud Gellium, & querela Syræ mulieris apud Plautum
in Mercat. In hoc præterea iudicio illud singulare est; quòd Lex Iulia specialiter vetuerit minorem 18
b L.si maritus sit.§. lex Iulia.ad leg.Iul.de adult.
25. annis instituere adulterij accusationem, nisi si sui coniugij iniuriam persequatur[b]*. Deinde quòd*
cùm præscriptione viginti annorum opus sit ad summouendam aliorum criminum accusationem[c], 19
c L.querela.C.ad Leg.Corn. de fals.
quinquennium hîc sufficiat[d]*. Denique, quòd, cum in aliis criminibus, quorum pœna mors est, liceat*
d L.ita nobis.C.ad Leg.Iul. de adult.
cum accusatore transigere; hîc tamen non licet[e]. 20
e L.transigere.C.de transl de crimine. C.ad Leg. Iul. de adult.
Quod ad adulterij pœnam attinet, certò dicere non possum, quænam primùm fuerit ex Lege 21
Iulia: quanquam satis constet; non omnino fuisse capitalem. Sed postea tamen mortis supplicium 22
irrogatum fuisse, dubium non est. Nam & Constantinus, vt accusationem non omnino publicam
hîc esse passus est, sed ad eos restrinxit, quibus iniuria facta videtur; sic & pœnam au-
xit.

Tertia in Pandectis proponitur species Iudicij publici de vi ex Lege Iulia, cuius autorem
fuisse Iulium Cæsarem testis est Cicero Philip.1. Quod quidem iudicium latissimè patere, & ad mul- 23
ta etiam crimina pertinere, quæ & aliis publicorum iudiciorum Legibus veluti Maiestatis, de adul-
teriis, de sicariis, coërcentur, dubium non est. Sed nos, cùm multa hoc loco prætermittere cogamur, il-
lud saltem obseruabimus; hanc legem pertinuisse ad vim publicam, & priuatam. Vim publicam pro- 24
priè appellamus, quæ & armata appellari alioqui solet. Vim verò priuatã, quæ sine armis infertur.
Magnũ autem inter hanc & illam discrimen est; non modò in Iudicio criminali, sed & in interdicto 25
possessorio: quod colligendum est partim ex Iurisconsultis, partim ex Cicerone pro Cæcinna. Nam &
quod in illis hac in re desideratur, ex hoc repeti: & quod in hoc acutè magis quàm verè disputatur, ex
illis diiudicari rectè potest. Sed non possum hoc loco, quicquid illud tandem est, explicare. Hîc enim
nimis constringor. Sed quod iam non licet, licebit liberiori alio loco. Itaque nec pluribus nunc excu-
tiam singulas species criminum, quas Iurisconsulti ad vim referunt: nec de pœna, quæ multiplex est,
plura nunc dicam.

Proximum verò huic adiungitur Iudicium publicum de sicariis ex Lege Cornelia, cuius au- 26
tor fuit Cornelius Sylla. quod quidem & generaliter iudicium de vi olim appellabatur. Dixi ad Le- 27
ges Romuli, cap. 11. vetustissima atque adeò Romæ prima Romuli lege; parricidas omnes capitis esse 28
reos; & Numam Pompilium edita etiam Lege interpretatum esse; parricidas dici, quicunque dolo
malo hominem occiderent. Nunc illud tantùm adiicio; hoc iudicium de cæde (homicidium semel di- 29
xit etiam Cicero) ad serui quoque cædem pertinere[f]*. Sed ita oportere dolo malo commissam esse cæ-*
f L.1.ad Leg. Corne. de sicar. l. inde Neratius.§.vlt.ad Leg. Aqui.l.qui seruidarum.§.1. de præscrip. verb.
dem, vt tamen in dubio præsumatur ita commissa: & qui allegat nullum se alterius occidendi animũ
habuisse, probare id debeat[g]*. Ac si quidem casu fortuito appareat cædem esse factam: neque ad publi-* 30
cum Iudicium huius legis Corneliæ, neque ad priuatum & ciuile legis Aquiliæ de damno, pertinere
constat. Si verò per imprudentiam, sed culpa tamen aliqua: cessat quidem Lex Cornelia: sed ex lege 31
g L.1.C. ad Leg. Cor. de sicar.
Aquilia agi potest. Quòd si non quidem planè per imprudentiam, sed nec etiam omnino certo proposi-
to dolóve malo, verùm quodam impetu & calore: criminaliter quoque id vindicatur; sed mitius ta- 32
men quàm ex Lege Cornelia[h]*. Quòd si neque casu, neque imprudentia, neque impetu, sed iure tamen*
h L.si adulterium.§. Impp.ad Leg. Iul.de adult.
magis quàm iniuria cædes commissa sit: certè neque ad legem Corneliam Aquiliámve pertinet, ne-
que vllo iudicio punitur: vt si quis sui defendendi causa alium occiderit. Quod Cicero eleganter tra- 33
ctat pro Milone; & nos in tit. de Lege Aqui. diximus ad simile responsum Florentini[i].
i L.3.de iustit.et iure.
De iudicio ex Lege Pompeia de parricidis, cuius accusatio hoc habet singulare, quòd semper 34
k L.vlt.ad Leg. Põp.
permittatur[k]*; & contra ad conscios quoque protendatur, qui non accusauerint; vt & pœna valde sin-*
gularis est; multa quoque Cicero grauiter scribit pro Roscio Amerino; & nos in nostris ad has Insti-
tutiones commentariis pleraque annotauimus. Facilè itaque patior reliqua in alium locum reii-
ci.

Cæterùm sexta illa iudicij publici species, ex Lege Cornelia de falsis, tam latè patet, tamq́ multa 35
capita complectitur, vt non ita facilè possit breuiter hîc concludi. Cicero in Verrem significat; hanc
Legem non modò testamentariam, sed & Numariam dictam fuisse. Et Asconius Pedianus erudi- 36
tus interpres, & fidelis testis antiquitatis, adiicit, ita appellatam esse, quòd vetaret, ne quis priuatus 37
pecuniam faceret. Cæterùm pertinuisse ad totum crimen falsæ aut adulterinæ monetæ, dubium

non

non est[a]. Falsam autem aut adulterinam dicere possumus, nisi si tria illa adsint, quæ Constanti-
38 *nus quadam Constitutione complexus[b] est; nempe, vt sit species proba, & debitum pondus, & ea for-*
39 *ma excusa, quæ legitima. Cæterùm præcipuè falluntur homines specie. Sic enim appellare videtur*
40 *Constantinus ipsam materiam, ex qua numi conflantur: qui ex tribus demum metallis probè con-*
flari possunt, ære, argento, auro. Nam & numi stannei atque plumbei reprobantur hac Lege Cor-
41 *nelia[c]. Diluuntur autem illa, quæ dixi, metalla certa commixtionis proportione: quæ si seruata non*
fit, iam iterum falsa est moneta: sicuti & Scæuola[d] commemorat damnatam esse pecuniam æro-
42 *sam, quæ nempe plus habebat admixti æris, quàm oportebat. Quæ autem de iudicio propter falsam*
monetam, & eius pœna singulariter nunc dici possent, repetantur ex Constitutionibus Constanti-
ni[e]; donec integrum mihi sit & liberum latius hanc rem excutere. Porrò hanc legem Corneliam
43 *de falsis non temerè quoque appellatam esse Testamentariam, facilè intelliget, qui ex eius verbis[f]*
repetet quàm & diligenter & seuerè omnem falsi spetiem in testamentis commissam vindicauerit.
44 *Sed & si in ijs reuera nihil falsi admissum sit, tamen falsi crimen locum habere potest; vt si alieni*
testamenti scriptor legatum sibi ascribat. Quo nomine etiam indignus est legato sicuti & qui te-
45 *stamentum falsò & temerè falsi accusat. Sed hac de re copiosè aliàs dixi, suprà ad titulum de adi-*
men. lega. Falsum, quod in contractibus committitur, multiplex quoque est, neque satis explicari
46 *potest; nisi si & proximum crimen stellionatus simul explicetur. quod hic commodè fieri non po-*
47 *test. Sicuti & quod dici posset de falsi nominis asseueratione, quæ falsi species[g] est: nisi si dolo malo ca-*
reat, neque in alicuius fraudem fiat[h]. Certè fuit olim Romæ triplex nominis immutatio & solennis
& legitima: nempe propter adoptionem, libertatem, per manumissionem, & ciuitatis adoptionem.
48 *Postremò & crimen suppositi partus inter præcipuas falsi species refertur: & habet profectò multa*
49 *singularia: & modò plus, modò minus, quàm reliquæ falsi species. Primum enim accusatio suppositi*
partus nulla temporis præscriptione repellitur[i]: sed non omnibus permittitur. Soli enim accusant
parentes, aut ij, quorum interest[k]. Cæterùm publicè interesse partus non subijci, vt ordinum fa-
miliarumque dignitas salua sit, dixit Vlpianus[l], cùm explicaret Prætoris edictum de inspiciendo
ventre custodiendoque partu. & propterea mulier accusari etiam poterit, licet illa seruata omnia
fuerint, quæ Prætor illo edicto complexus est. Complectitur autem omnes, quæ adhiberi possunt,
cautiones, ne partus supponi possint. Sed aliàs & diligentius & copiosius quæcunque ad crimen falsi
& iudicium pertinent, persequemur. Nunc enim summa tantùm quædam & præcipua capita obiter
per transennam & veluti digito ostendo.

50 *Lex Iulia repetundarum septimum in Pandectis locum obtinet inter iudicia publica. Fuisse*
autem hanc primam perpetuam quæstionem, quæ Romæ perpetua constituta sit, Lege L. Calphurnij
51 *Pisonis, qui Frugi dictus est, Cicero in Bruto & lib. 2. Offic. testis est. Idem in Verrem, sæpe com-*
memorat, legem de pecunijs repetundis primùm latam esse sociorum causa. Idem in oratione pro Ra-
52 *birio Posthumo, repetundarum reo; hanc legem Iuliam omnium fuisse seuerissimam ait: sed Senato-*
res tamen solos ea propriè teneri scribit, & multa quæ ad hanc totam rem pertinent, adfert. Cæte-
53 *rùm nostri Iurisconsulti generaliter crimen repetundarum cõtrahi existimarunt; si quis à quoquam*
quicquam acceperit, vt officium etiam suum faciat: vel si Præses non eo nomine accipiat, sed xenio-
54 *rum tamen modum excedat. Ac quidem quod cõtra legem repetundarum donatum fuerit, adeò non*
valet, vt ne ab alio quidem vsucapi possit, eiusque sit ea conditio, quæ est rerum furtiuarum vel vi e-
reptarum. Porrò autem & de pœna eius, qui pecuniam accipit ob rem iudicandam, dixi ad quinqua-
55 *gesimum primum caput 12. Tabul. Vt repetundarum iudicio tenetur Magistratus, qui abs priuatis*
56 *pecuniam non iure accipit: sic è diuerso, qui cùm priuatus esset, pecuniam publicam surripit, coërce-*
tur lege Iulia peculatus: quæ octaua dici potest species iudicij publici. eique proximum est crimen pe-
57 *cuniæ residuæ; cùm quis pecuniam publicam, quam rectè accepit, iniustè retinet, aut auertit, neque in*
58 *eos vsus, in quos debet, impendit. Vtriusque criminis exemplum illustre Cicero etiam in Verre pro-*
ponit, quem & depeculatorem ærarij vocat, & pecuniæ publicæ auersorem. Cæterùm cùm vtrumque
59 *hoc crimen, &, quod ei proximum est, sacrilegij, lõgiorem orationem desideret, quam hæc breuis pro-*
theoria non capit; reijcienda in alium locum aliudque tempus hæc commentatio est.

60 *Porrò ad magistratus quoque coërcendos pertinet publicum iudicium de ambitu. Cuius inter-*
pretationem copiosam, si breuiter dixero esse repetendam ex duabus Ciceronis orationibus, nempè
61 *pro Murena, & pro Plancio: satis nũc fortasse dixisse videbor. Certè inde satis apparet, hoc ambitus*
crimen fuisse, cùm largitione suffragia populi redimebantur. Itaque vbi magistratuũ Rom. creatio
reuocata est ad curam Principis. & populo adempta (quod factum tandem est temporibus Tiberij)
62 *Romæ hoc iudicium cessauit, vt noster Modestinus fatetur. Nam neque ambitus propriè esse pote-*
rat, vbi nulla amplius erant populi aut comitia aut suffragia, nullæque propterea largitiones candi-
63 *datorum, nulla deniq; pecunia aut diuisio in populũ, aut pronunciatio. Cæterùm cùm magistratuum*

a L. 8. & 9. ad le. Cor. de fals.
b L. vnica. C. de vet. nu potest.
c L. lege Cornelia cauetur §. eadem. ad le. Corn. de fals.
d L. creditor. de solu.
e L. 1. et 2. C. de fals. mon.
f L. 2. ad leg. Corn. de fals.
g L. fals. ad leg. Corn. de fals
h L. vna. de muta. no.
i L. qui falsam §. 1. ad leg. Corn. de fals.
k L. lege. §. 1 hoc tit.
l L. 1. §. sed & si. de ven. inspic.

municipalium creatio populo relicta esset, rectè quoque dixit Modestinus, in municipijs legem de
ambitu locum habere posse. Sanè etsi priuatim populo largiri aliquid aut polliceri non possit, qui ma
gistratum petit; Reip. tamen hoc nomine rectè donat aut pollicetur. daturq́ etiam tum actio ex sim- 64
plici pollicitatione, vt in Pandectis explicatum satis est. Sed & si à Principe impetrandus honos sit
aut magistratus, permissum est hoc nomine suffragatoribus aulicis aliquid largiri: & vt hi propter- 65
ea non tenentur iudicio repetundarum: sic nec de ambitu tenentur, qui ijs dant ex hac causa. Imò ve-
a L. vna. C. de suffragio. *rò si quid honestè huius suffragationis gratia promissum sit, datur actio*[a]*. quanquam, si suffragato-* 66
res fidem datam non seruauerint, sed (vt veteres loquebantur) fumos vendiderint; digni sint, qui 67
iudicio falsi vel repetundarum castigentur. Dicendum hîc quoque esset de ambitu sacerdotiorum:
sed, vt iam sæpe dixi, non institui hoc loco, neque possum iustam & integram publicorum iudiciorum
tractationem proponere.

Lex Iulia de annona, etsi pecuniariam tantùm condemnationem continuisse videtur, grauissi- 68
mum tamen publici iudicij crimen persequitur: quod quidem etiam tam latè patet, tamq́ multas spe-
cies complectitur, vt non possit hoc loco satis exponi. Nam quicquid pertinet ad causam (vt Cicero
appellat) frumentariam, & rerum quoque ipsarum, quæ ad victum necessariæ sunt, æstimationem, 69
(quam & Annonam appellamus) huc certè pertinere videtur. De plagiarijs, quæ postrema apud
Iurisconsultos est iudicij publici species, breuior est commentatio. Sed dicendum quoque de ijs erit, 70
qui libros alienos sibi ascribunt, & sæpius quàm liberos surripiunt. Nam & Vitruuius lib. 7. nar- 71
rat; olim Ptolemæum Philadelphum Regem Alexandrinum, criminale huius generis iudicium in- 72
stituisse; sicuti è diuerso publico falsi iudicio castigandi sunt, qui libros recens confictos veteribus a- 73
scribunt, & adulterinis ementitisq́ titulis nihil non miscent: quod imposturæ genus eiusdem Ptole-
mæi tempore inualuisse scribit Galenus. Cæterùm nihil actum videbitur, nisi pro corone de publicum 74
b L. 4. C. de heret. & Manich. *quoque iudicium hæreseos, siue religionis læsæ, (publicum enim esse hoc crimen statuit Theodosius*[b]*;*
c L. vl. C. de pagan. *Sicuti & Leo edixit paganismi crimen esse publicum*[c]*) latè aliquando explicemus. Quid enim ho-*
die magis necessarium est? quid est, in quo magis hodie peccetur? Ac si quidem Iurisprudentiam, 75
quod esse dicitur, verè etiam esse optamus, diuinarum atque humanarum rerum scientiam: si eam
esse volumus non impiam, aut profanam aut fanaticam, sed Christianam, vt certè & imprimis vo-
lumus & vehementer optamus: nulla iuris pars est dignior, quæ & religiosè & diligenter explice- 76
tur. Verùm quia iam satis superque horum commentariorum moles excreuit: nouis nunc accessioni-
bus magis atque magis eam cumulari multi fortassè molestè ferrēt, & huic sanè operi finis aliquan-
do est imponendus. Itaque contentus iam ijs, quas ad hunc titulum iam pridem scripsi & in vulgus
dedi, annotationibus, facilè passus sum, hanc veluti nouam maioris de publicis iudicijs alterius com-
mentationis pollicitationem solā adiungi, interea dum & plus ocij, et cum ocio maior [illegible] detur.

De publicis Iudicijs, Titulus XVIII.



PVblica iudicia neque per actiones ordinantur, neque omnino quicquam simile habent cum cæteris iudicijs, de quibus loquuti sumus: magnaq́; diuersitas eorum est, & in instituendo, & in exercendo. Publica autem dicta sunt, quòd cuiuis ex populo executio eorum plerunq́; datur. Publicorum iudiciorum quædam capitalia sunt, quædam non capitalia. Capitalia dicimus, quæ vltimo supplicio afficiūt homines, vel etiam aquę & ignis interdictione, vel deportatione, vel metallo. Cætera, si quam infamiam irrogant cum damno pecuniario: hęc publica quidē sunt, non tamen capitalia. Publica autē iudicia hæc sunt: Lex Iulia Maiestatis, quæ in eos, qui contra Imperatorem vel Rempub. aliquid moliti sunt, suum vigorem extendit. Cuius pœna animæ amissionem sustinet, & memoria rei etiā post mortem damnatur. Item Lex Iulia de adulterijs coërcendis, quæ non solùm temeratores alienarum nuptiarū gladio punit: sed & eos, qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent. Sed eadem lege Iulia etiā stupri flagitium punitur, cùm quis sine vi vel virginem, vel viduā honestè viuentem, stuprauerit. Pœnam autē eadem Lex irrogat stupratoribus: si honesti sunt, publicationē partis dimidiæ bonorum: si humiles, corporis coërcitionē cum relegatione.

Itē Lex Cornelia de sicarijs, quæ homicidas vltore ferro persequitur, vel eos, qui hominis occidendi causa cum telo ambulant. Telum autem (vt Caius noster ex interpretatione legum 12. Tabularum scriptum reliquit) vulgò quidem id appellatur, quod arcu mittitur: sed nūc omne significat, quod manu cuiusque iacitur. sequitur ergo, vt lignum, & lapis,

& lapis, & ferrum hoc nomine contineantur, dictum ab eo quòd in longinquum mittitur, à Græca voce τηλοῦ figuratum. Et sic hanc significationē inuenire possumus & in Græco nomine. nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant. Admonent nos epigrammata in Xerolopho verbis cautisimè scripta.

Sicarij autem appellantur à fica, quod significat ferreum cultrum. Eadem lege & venefici capite damnantur, qui artibus odiosis, tam venenis, quàm susurris magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publicè vendiderint.

Alia deinde lex asperrimum crimen noua pœna persequitur, quæ Pompeia de parricidijs vocatur: qua cauetur, vt si quis parentis, aut filij, aut omnino adfinitatis eius quæ nuncupatione parētum continetur, fata præparauerit (siue clàm, siue palàm id ausus fuerit) nec non is, cuius dolo malo id factum est, vel conscius criminis existit, licet extraneus sit, pœna parricidij puniatur: & neque gladio, neque ignibus, neque vlli alij solenni pœnæ subijciatur: sed insutus culeo cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, & inter eas ferales angustias cōprehensus (secundum quod regionis qualitas tulerit) vel in vicinum mare, vel amnem proijciatur, vt omnium elemētorum vsu viuus carere incipiat, & ei cælum superstiti, & terra mortuo auferatur. Si quis autem alias cognatione vel adfinitate personas coniunctas necauerit: pœnam legis Corneliæ de sicarijs sustinebit. Item lex Cornelia de falsis, quæ etiam Testamentaria vocatur, pœnam irrogat ei, qui testamentum vel aliud instrumentum falsum scripserit, signauerit, recitauerit, subiecerit, vel signum adulterinum fecerit, sculpserit, expresserit, sciēs, dolo malo. Eiúsque legis pœna in seruos, vltimum supplicium est (quod etiam in lege de sicarijs & veneficis seruatur) in liberos verò deportatio.

Item lex Iulia de vi publica seu priuata, aduersus eos exoritur, qui vim vel armatam vel sine armis commiserint. Sed si quidē armata vis arguatur, deportatio ei ex lege Iulia de vi publica irrogatur. si verò sine armis: in tertiam partem bonorum suorum publicatio imponitur. Sin autē per vim raptus virginis, vel viduæ, vel sanctimonialis, vel alterius fuerit perpetratus: tunc & raptores, & ij, qui opem huic flagitio dederunt, capite puniuntur, secundum nostræ Constitutionis definitionem, ex qua hoc apertius posibile est scire. Item lex Iulia peculatus eos punit, qui publicam pecuniam, vel rem sacram, vel religiosam furati fuerint. Sed si quidē ipsi iudices tempore administrationis publicas pecunias subtraxerint, capitali animaduersione puniuntur: & non solùm hi, sed etiam qui ministerium eis ad hoc exhibuerint, vel qui subtractas ab his sciētes susceperint. Alij verò, qui in hanc legem inciderint: pœnæ deportationis subiugentur. Est & inter publica iudicia Lex Fauia de plagiarijs, quæ interdum capitis pœnam ex sacris Constitutionibus irrogat, interdum leuiorē. Sunt præterea publica iudicia, lex Iulia de ambitu, lex Iulia repetundarū, & lex Iulia de annona, & lex Iulia de residuis, quæ de certis capitulis loquūtur: & animæ quidem amisionem non irrogant: alijs autem pœnis eos subijciunt, qui præcepta earum neglexerint. Sed de publicis iudicijs hæc exposuimus, vt vobis posibile sit summo digito, & quasi per indicem ea tetigisse. alioqui diligentior eorum scientia vobis ex latioribus Digestorum, seu Pandectarum libris Deo propitio aduentura est.

IN SVPERIOREM TITVLVM ANNOTATIONES.

1 *Publica iudicia cur sic dicta?*
2 *Reip. interest; plures habere maleficiorum accusatores.*
3 *Apud Gallos hodie solus Regius Procurator crimina publica persequitur.*
4 *Apud Venetos magistratus Aduocatorius criminibus deferendu praest; & quare; num. 5.*
6 *Quid, si plures sint, qui eundem iudicijs publicis accusare velint? & num. 7. 8.*
9 *Diuinatio appellabatur, cum ita quæreretur de deligendo accusatore.*
10 *Executio tum accusationē tum vltionem significat.*
11. *Quid, si quis solum indicet delictum, & index tum litem peragat?*
12 *Cur nō omnibus omniū criminū accusatio permissa.*
13 *Famosi libelli iudicium quale?*
14 *De particula hic* plærunque.
15 *Iudicium partus suppositi, solis parētibus conceditur.*

1 P*Vblica dicta sunt.*] Ad hunc quoq; modū rescriptum[a] est; iudicium adulterij publicū esse. quòd
eius delatio sit omnibus communis. Sed paulo antea admonui, alias quoq; rationes esse, cur
hæc iudicia dicerentur publica. ¶ *Cuiuis ex populo.*] Vt Reipublicæ interest plures habere defen-
2 sores [b]: ita etiam plures maleficiorum accusatores. quemadmodum ait Tullius pro Roscio Ame-
3 rino. Hodie tamen apud Gallos sublata est hæc libertas accusationum. Solus enim Regius Procu-
4 rator crimen persequi potest, si non de re familiari agatur, sed publica vindicta; sicuti & apud Ve-

a L. qui adulterij. C. ad leg. Iul. de adul.
b L. 4. de ope. no. nūc.

netos ad Aduocatorium magistratum id pertinet. Et iudicat Contarenus hoc rectius statutum
esse, ad retinendam ciuium concordiam. Nam (inquit) nullus priuatus ciuis potest accusatoris 5
personam sibi sumere absque maxima inuidia & odio eius, cui diem dixerit. ex qua re facilè sedi-
tiones oriuntur inter ciues. Quod incommodum præclarè vitatum est, vniuerso hoc accusandi
munere demandato publicæ alicui personæ. nec tamen interim Resp. destituitur indicibus, qui
deferant crimina, etiam si alij sint vindices. ¶ *Cuius.*] Vbi autem plures sunt, (inquit Vlpia- 6
a L. si plures. de accus.
nus[a]) qui eundem publicis iudicijs accusare volunt: iudex eligere debet eum qui accuset: æstima-
b L. 2. §. vl. D. ad leg. Iul. de adul.
tis scilicet accusatorum personis, vel de dignitate, vel ex eo quod interest, vel ætate, vel moribus,
vel alia iusta de causa. Idem Vlpianus[b], vult parenti præferri maritum in accusatione mulieris 7
adulteræ: nam (inquit) & propensiore iure & maiore dolore executurum eum accusationem cre-
dendum est. Deinde subijcit: Sed & quoties alij qui post maritum & patrem accusare possunt, ad 8
accusandum prosilierint; lege expressum est; vt is, cuius de ea re notio est, de iusto accusatore con-
stituat. Appellârunt autem Romani Diuinationem, cùm ita quæreretur de accusatore deligendo. 9
Cuius generis est prima illa Ciceronis Verrina. ¶ *Executio.*] Hoc est, Criminalis accusatio. ita enim 10
c L. his tamen omnes. de accusat.
vtimur executionis verbo[c]: nec rarò executio apud Latinos significat vltionē. Certè in publicis iu
dicijs accusator non modò vltionem persequitur, sed tantùm non exequitur. Nam is est, qui litem
peragit, & cui acceptam ferre debeamus delicti vindictam. Nam & sine accusatore, periculum est,
ne multa lateant impunita scelera. Cæterùm si quis tantùm indicârit delictum commissum: cùm 11
iudex ipse tum litem peragat, rectius ei potius quàm indici tribuetur executionis gratia.
¶ *Eorum.*] Publicorum nempe delictorum: non etiam priuatorum, veluti iniuriarum aut
furti. Nam ex his nemo agere potest, nisi ad quem res propriè omninoque pertineat. Quanquam
d L. ita vulneratus. D. ad leg. Aquil.
enim intersit Reip. omnia delicta puniri[d]: non tamen visa sunt Romanis adeò esse atrocia hæc pri
uata delicta, quæ magis priuatis ac singulis omnibus, quàm Reipub. nocēt: nec adeò ciuilis socie-
tatis publicam tranquillitatem perturbare, vt totus aduersus ea populus insurgere debuerit. quan
quam de iudicio iniuriarum saltem ob verbera, Athenienses aliter iudicârunt. Sic enim scribit Iso
crates κατὰ τοῦ Λοχίτου. τῶν μὲν ἄλλων ἐγκλημάτων αὐτῷ μόνῳ τῷ παθόντι κακῶς ὁ δράσας ὑπόδικός ἐστι: περὶ δὲ τῆς
ὕβρεως, ὡς κοινοῦ τοῦ πράγματος ὄντος, ἔξεστι τῷ βουλομένῳ τῶν πολιτῶν γραψαμένῳ πρὸς τοὺς θεσμοθέτας εἰσελθεῖν.
[cæterorum quidem criminum reus, ab eo tantùm accusatur, qui ipse maleficio affectus est; de in-
iuria verò corpori illata, vtpote de damno siue perturbatione communi, permissum est cuiuis ci-
uium volenti, coram Legumlatoribus queri.] Cùm itaque non omnes omnium maleficiorum
coërcitiones æquè principaliter ad Remp. pertinere viderentur: non fuit omnibus omnium accu- 12
satio permissa. Sanè famosi libelli priuatum quidem est iudicium: eius tamen denunciatio & in- 13
e L. lex Cornelia. §. vlt. de iniur.
dicium, non autem etiam accusatio vel executio, cuiuis patet.[e] ¶ *Plerunque.*] Theophilus id ad-
iectum esse putat; quòd multi sint, quibus non patet publicorum criminum accusatio; nempe ij 14
omnes, qui accusare prohibentur. Deinde est iudiciū suppositi partus. cuius accusatio solis paren- 15
f L. lege Cornelia. 2. §. 1. D ad legem Corn. de fal.
tib. conceditur, aut his ad quos ea res pertinet; nō aūt cuilibet ex populo, vt respōdit Modestinus[f].

§. *Publicorum.*

1 Vltimum supplicium quid?
2 Gradus pœnarum capitalium.
3 Infamia notatur qui iudicio publico est condemnatus.

g L. vltimū de pœnis.
h L. capitalium. de pœnis.
¶ *Vltimo supplicio.*] Vltimum supplicium (inquit Celsus[g]) mortem solam interpretamur. 1
Callistratus[h] constituit quosdam gradus capitalium pœnarum. Summum supplicium esse ait, ad
furcam damnationem; item viui cremationem; item capitis amputationem. Proximam deinde 2
morti pœnam esse metalli coërcitionem: deinde in insulam deportationem. ¶ *Cætera.*] Inquit
Callistratus: Cæteræ pœnæ ad existimationem, non ad capitis periculum pertinent. ¶ *Si quam infa* 3
i L. 2. de ijs, qui not. infam.
miam irrogant.] In prætoris edicto legimus[i]; eum infamia notati, qui iudicio publico condemna
tus est. Id verò quo modo sit accipiendum, dixi aliàs pluribus verbis.

§. *Publica autem*

1 De crimine læsæ Maiestatis accusare qui possint? & num. 2.
3 Iudicium læsæ Maiestatis inuidiosum est; & post mortem quoq; instaurari & inchoari; num. 19. 20.
4 Seneca Neroni documenta quæ tradiderit?
5 Clemētiæ regiæ exēpla, et nu. 6. 7. 8. 9. 10. et contra. 16.
11 Faciens & consentiens eadem pœna sunt digni. 12. 13.
12 Maiestas læditur vbi Respub. læsa est; solaq; machinatio punitur. num. 17.
18 Quid, si quis Principi maledixerit?

¶ *Lex Iulia Maiestatis.*] Hoc adeò publicū est iudicium, vt etiam audiantur, qui alioqui neque 1
k L. famosi. D. ad leg. Iul. Maiest.
accusare, neq; testimoniū reddere possunt. Inquit enim Modestinus[k]: Famosi, qui ius accusandi
non habent, sine vlla dubitatione admittuntur ad hanc accusationem. Sed & milites, qui causas
alias defendere non possunt. Nam qui pro pace excubant, magis ad hanc accusationem admittē-
l L. in quæstionibus. illorū.
di sunt. Serui quoque deferentes audiuntur, & quidem dominos suos, & liberti patronos. De- 2
inde subijcit Papinianus[l]; In quæstionibus læsæ Maiestatis etiam mulieres audiuntur. Nam &
coniuratio-

coniurationem Catilinæ Fuluia mulier detexit, & M. Tullium Consulem indicio suo instruxit. Et sanè vt tueamur vel Reip. tranquillitatem, vel boni Principis salutem atque Maiestatem, necessaria iustaque est hæc animaduersio. Sed quia plerunque Principes paulò acerbius ob leuissimas causas de sua Maiestate ius dixerunt, semper inuidiosum fuit hoc iudicium: adeò, vt ipsos aliquando Monarchas eius puduerit. Nam & crudelissimus Nero huius generis delationes audire
4 sæpius erubuit. Certè aliquando eum docuerat Seneca; dignam magno Principe clementiam esse; si manifestè læsus animum in potestate habeat, & pœnam, si tutò possit, donet; si minus, temperet; longeque sit in suis, quàm in alienis exorabilior iniurijs. Magnum animum esse; non qui de alieno liberalis est, sed qui, quod alteri donat, sibi detrahit. Magni animi esse, iniurias summa potentia pati; nec quicquam gloriosius esse, Principe impunè læso. Addit idem Seneca; & mul-
5 tis verbis prædicat, magnum huius clementiæ exemplum in Augusto. Sed & Traianum suum
6 laudat Plinius, quod huius iudicij metum sustulerit contentus sua magnitudine. Adrianus quo-
7 que Imp. dicitur nunquam admisisse hoc Maiestatis crimen. Certè Alexander Macedo apud Cur
8 tium gloriatur sese pœnam eius, quæ grauior erat, minuisse. Nec minus laudabile est, quod de no-
9 stro Iustiniano in simili causa refert Procopius. Sed & Tullius cùm defenderet Rabinum perdu-
10 ellionis reum, optat posse hoc totum iudicium tollere. Id enim magnum laudis suæ testimonium fore, quasi sublato vestigio crudelitatis regiæ. Illud saltem vtinam expenderetur religiosè, quod noster Modestinus respondit [a]; Hoc crimen à Iudicibus non in occasione ob Principalis maiesta-
11 tis venerationem habendum esse, sed in veritate. ¶ *In eos.*] Eorúmve socios, aut meditati huius sceleris conscios [b]. Nam qui perniciosam coniurationem non produnt, eodem scelere sese obstringunt. Nota est illa apud Isocratem Regis Nicoclis ad suum populum sententia: *μὴ κατασιωπᾶτε ἐάν τινας ὁρᾶτε περὶ τὴν ἀρχὴν τὴν ἐμὴν πονηροὺς ὄντας, ἀλλ' ἐξελέγχετε, καὶ νομίζετε τῆς αὐτῆς εἶναι ζημίας ἀξίους τοὺς συγκρύπτοντας τοῖς ἐξαμαρτάνουσι.* [nolite silentio præterire si quos videritis magistratui meo infestos esse; sed coercere eos, & existimate eodem loco habendos tum delinquentes tum silendo consen-
12 tientes.] Et legimus olim fuisse lapidibus obrutum quendam Philotam, quòd coniurationem quorundam non reuelâsset Alexandro Macedoni. Nec filio hîc profuerit allegare nescio quam
13 erga parentem pietatem. Impietas enim est, si in perniciem Reipub. impia celet patris consilia. Rectè itaque Tullius in Officijs, Si (inquit) tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater, silebitne filius? Imò verò obsecrabit patrem, ne id faciat. Si nihil proficiet, accusabit, minabitur etiam, ad postremum si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet patris salu ti. Sed & ad liberos prorsus insontes, & ignaros, paterni criminis pœnam grassari paulo pòst dice-
14 mus. ¶ *Contra Imperatorem vel Remp.*] Hæc si coniungamus, nempe, vt tum imperatoris Maiestatem læsam interpretemur, cùm etiam Resp. simul læsa est, non poterit non esse iustissima legis Iuliæ pœna. Et sanè non potest offendi bonus Princeps, quin simul offendatur Resp. estque semper coniuncta vtriusque salus & maiestas. Itaque ab Homero Ilia quinto, laudatur Antilochus hoc nomine: *ἀεὶ γὰρ δειμαίνεσκε λαῶν, μή τι πάθοι.* [valdè enim timebat pastori populorum, ne quid patere-
15 tur.] Quanquam nec tyrannum, quem Reip. interesset sublatum esse, fas sit homini priuato lædere. Qualis qualis enim est, à Deo habet imperium, cui nos parêre debeamus, quandiu nihil præcipit, quod Deus prohibuerit. Laudant quidem Rhetores & Philosophi Thyrannicidas. Sed nos dicimus, non ita esse priuata temeritate, seditiosè transiliendos nostræ stationis vocationisque fines, vt sine publico mandato id moliamur. ¶ *Aliquid.*] In Pandectis subijciuntur multa exempla, quibus enumerandis occupantur quatuor Iurisconsultorum responsa. Eoq; tandem res euadit, vt nihil non ferè Maiestatis lege contineatur. Nam & qui quippiam molitus est aduersus statuas Principis: Maiestatis reus est. Est quidem ea seditiosorum hominum insolentia coërcenda: sed ne-
16 scio an statim lege Maiestatis vindicari debeat. Olim cùm Antiochiæ quidam Theodosij statuas subuertissent; voluit iratus Theodosius totam ciuitatem funditus perdere: sed placatus fuit à Flauiano Episcopo, traditis ad supplicium ijs, qui hoc perpetrârant. Certè Chrysostomus agnouit qui
17 dem factam esse Principi iniuriam; sed iudicauit non esse tanto furore dignã. *Mobti sunt.*] Etiam
18 si nihil obfuerit conatus; Nam & hîc sola machinatio punitur [c]. Quod etiam scribit Theon Sophista, dum aduersus proditorem declamat. Quòd si quis nihil vel fecerit vel facere molitus sit, sed tãtùm dixerit conuicium Principi: respondit Modestinus [d]; lubricum linguæ non esse ad pœnam facilè trahendum. Quanquam enim temerarij digni pœna sint; tamen vt insanis illis parcendum esse. Ergo si quis ex petulantia fortè Imperatori temerè maledixerit, nõ protinus expiabitur morte conuicium [e]. ¶ *Cuius pœna.*] Longè grauior pœna est, quæ continetur Constitutione [f] Arcadij & Honorij. Mirum autem est, qua seueritate insontes liberos simul puniant; ac filias quidem patiuntur Falcidiam ex bonis maternis accipere: filios verò paterno supplicio dignos iudicant, quòd in ijs paterni criminis exempla magis metuantur. Sic tamen eos viuere patiuntur, vt sit ijs mors solatium, & vita supplicium. Volunt enim eos infames & pauperes viuere. Hæc fortaßis bonis Principibus indigna videbitur acerbitas: ea tamen Lex scripta est. Et Cicero de Catilinarijs loquens in quadam ad Brutum epistola, Non me fugit (inquit) quàm sit acerbum; parentum scelera, filiorum pœnis lui. Sed tamen iudicat, hoc præclarè Legibus comparatum esse, vt charitas liberorum, amiciores parentes Reip. redderet. Cuiusmodi rationem adfert etiam Plutarchus in libello *περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων*, dum vult probare; Deos plerunque rectè punire liberos ob delicta parentum. Sed ea in re non satis constat tota illa Plutarchi de Deo disputatio.

¶ *Et memoria rei.*] Superius dictũ [g] est, quo modo damnetur memoria eius, qui perduellionis

a L. famosi. D. ad leg. Iul. Maiest.

b L. quisquis. §. id quod. C. ad legem Iul. Maiest.

c L. quisquis. C. ad le. Iul. Maiest.

d L. famosi. D. ad leg. Iul. Maiest.

e L. vnica C. si quis Imp. maled.

f L. C. quisquis ad legem Iul. Maiest.

g§ per contrarium, supra de hæred. quæ ab intest.

nis reus est. Hic adijcimus; non modò eius memoriam damnari, sed & liberos, & totam posteri-
tatem. ¶ *Etiam post mortem.*] Extant in Iustiniani codice duo Iurisconsultorum responsa [a]. Priori 19
Paulus ait; etiam post mortem rei, hoc crimen instaurari solere, postea quàm D. Marcus, Druncia-
ni, qui Cassiani furoris socius fuerat, bona post mortem fisco vindicari iussit. Altero inquit Mar-
tianus; post D Marci Constitutionẽ hoc iure vti cœptũ esse, vt etiã post mortẽ nocentiũ, hoc crimẽ 20
inchoari possit: & vt conuicto mortuo, memoria eius dãnetur, & bona eius successori eripiantur.

a L. pen. & vlt. C. ad leg. Iul. Maiest.

§. *Item Lex Iulia de adul.*

1 Ab Augusto latam esse hanc legem.
2 Iulij Cæsaris seueritas in puniendis adulterijs.
3 Lex Romuli de Adulterijs.
4 Qui quo ordine ad accusationem in hoc iudicio admittantur?
5 In sponsa quoque vindicari adulterium.
6 Pœna olim adulterij non semper apud Romanos fuit eadem; & hoc declaratum exemplis; nũ. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.
16 Prædicationis crimen; eiusq́, pœna. 17. 18.
19. 20. 21 Trebonius miles Marianus; & Diocles puer; Pausanias adolescens; pudoris exempla.
22 Hac lege tenentur & qui pueros appellare non erubuerunt.
23 Romani crimini huic nimiùm sæpe indulserunt.
24 Stuprum & Adulterium quid differant?
25 Quid, si vis accesserit? & num. 26.
27 Quid, si virgines nondũ viripotentes corruptæ sint?
28 Maritus in vxore sua, etiam vulgari, potest vindicare adulterium; & vulgaris quæ dicatur? num. 29.
30 Fœminæ olim impudicæ cur vltro notam famosi alicuius iudicij subierint?
31 Ab ijs tantum pudicitiæ ratio requiritur, quæ matrisfamilias nomen retinent. & num. 32. 33.
34. 36. 37 Lupanaria Romani, Athenienses & Corinthij tolerarunt; non item Moses.
35 Lupanarium autor Diabolus; secundũ Lactantium.
38 Primos fuisse Lenones qui de sterilitate Christianorum conquesti sint, gloriatur Tertullianus.
39. Tolerant leges concubinatum, non probant.
40 Fornicationem omnium Apostoli non minus quàm homicidium damnarunt.
41 Nicena Synodus contra subintroductas mulieres Sacerdotum.
42 Lex Attica; aut ducat aut dotet stuprator stupratã.
43 Lex Mosaica; & ducat & dotet.
44 Stupratoribus capitalem quoq́, pœnam extraordinariè nunquam irrogari.
45 Quid, si flagitium perfectum non sit?
46 Solicitatores alienarum nuptiarum, & matrimoniorum interpellatores etiam extra ordinem puniuntur.
47 Peccãdi verbũ stupratoribus apud Latinos cõuenit.

¶ *Lex Iulia de adulterijs.*] Hanc legem scribit Vlpianus [b] latam esse à Diuo Augusto. Et testatur 1
quoque Suetonius eum de adulterijs legem edidisse. fortassis secutus est hac in re illam Iulij Cæsa- 2
ris seueritatem; qui libertum quendam suum capitali pœna affecit, ob adulterium cum vxore
cuiusdam Equitis commissum. Dionysius Halicarn. scribit, ab initio Vrbis conditæ statim ab ipso
Romulo fuisse latam de adulterijs legem. Nos de ea diximus in nostris ad leges Romuli commen 3
tarijs, cap. 15. Porrò autem quomodo sit hoc publicum iudicium, & qui quóve ordine ad accusa- 4
tionem admittantur, docet Vlpianus [c]. Sed plenior est ea de re Constantini Constitutio [d].
¶ *Alienarum nuptiarum.*] Atque adeò sponsalium. Nam Diui Seuerus & Antoninus rescripse- 5
runt [e]; etiam in sponsa vindicari adulterium. quia nec matrimonium qualecunque, nec spem ma
trimonij violare permittatur. ¶ *Gladio punit.*] Non semper eadem fuit adulterij apud Romanos 6
pœna. Legimus olim Q. Fabium Gurgitem aliquot matronas adulterij damnatas pecunia mul- 7
ctasse: & Ædiles Apulium & Fundanum, quasdam eo nomine accusasse, quæ in exilium missæ fue 8
rint Iulius Cæsar quendam suum libertum adulterũ affecit capitali pœna, vt paulò antè dictum
est. Augustus quoque morte mulctauit quendam suum libertum Proculum eandem ob causam. 9
Sed nescio an omnia semper adulteria eadem seueritate punierit. Certè Flaccus Augustũ laudat,
quòd hoc malum grauiter coërcuerit. Nam ad eum scribens,

Nullis (inquit) *polluitur casta domus stupris;*
Mos & Lex maculosum edomuit nefas:
Laudantur simili prole puerpera:
Culpam pœna premit comes.

Post Augustum Tiberius Cæsar grauiorem legis Iuliæ pœnam deprecatus, suasisse dicitur, vt ex- 10
emplo Maiorum, adulteræ vltra ducentesimum lapidem relegarentur: adultero Italia atque Afri
ca interdiceretur. Et Tacitus, dum refert hoc tempore Senatum grauibus decretis fœminarum li- 11
bidinem coërcuisse, commemorat quandam Vistiliam adulterij conuictam, in Insulam Seri-
phon relegatam fuisse. Sensim autem adulterij pœna in desuetudinem ibat: vt exclamare cogere-
tur Iuuenalis; *Vbi nunc lex Iulia dormis?* Sed Domitianus obsolescentem eius seueritatem reuo-
cauit. non tamen effecit, vt semper valeret. Nam & Traianus Centurionem adulterij conuictum, 12
non nisi relegatione puniuit exautoratum. idque secutus est in suo quodam responso Vlpianus [f].
Postea autem sensim cœpit paulò esse acerbior adulterij pœna. Nam extat quoddam Imp. Alexan 13
dri Seueri rescriptum [g]; quo significat adulterij damnatum non temerè euasisse pœnam capita-
lem. Extat & Diocletiani & Maximiani Constitutio [h], quæ satis indicat, adulterii crimen capita-
le esse, & sanguinis pœnam irrogare. Legimus quoque Opilium Macrinum Imp. adulterij reos, 14
semper viuos simul incendisse iunctis corporibus. Item Aurelianum Imperat. ita punijsse mili-
tem quendã, qui adulteriũ cum hospitis vxore commiserat, vt duarũ arborum capita inflecteret,
easq́; ad pedes militis alligatas subitò dimisisse, vt scissus ille vtrinq; pẽderet. Sed hæc exẽpla facile
contem-

b L. 1. D. Ad leg. Iul. de adult.
c L. 2. §. si simul. D. ad leg. Iul. de adulr.
d L. quamuis adulterij. C. illo tit.
e L. si vxor. §. Diui. D. illo tit.
f L. 2. §. miles. de his qui not. infam.
g L. castrati. C. ad legem Iul. de adult.
h L. transigere. C. de transact.

15 contemnebantur. Itaque Constantinus coactus est edere nouam Constitutionem [a], qua sanxit; *a L. quãuis adulterij. §. vl. C. ad leg. Iul. de adulter.*
Sacrilegos nuptiarum, gladio esse puniendos. Non commemorabo aliarum Gentium iudicia de
adulterijs. Nam & ea satis nota sunt, nec nobis vacarijs congerendis immorari. Et quorsum tandem pluribus ea commemorarentur, cùm hodie ludibrio habeantur, & sua collatione nil, nisi degeneres & perditos nostrorum temporum mores, ingerant, vt sæpius & maiori cum animi dolo-
16 re cogamur cum illo Satyrico ingemiscere; *Vbi nunc lex Iulia dormis?* ¶ *Sed & eos.*] In prædicatores prius lata erat lex Scantinia, & post legem Iuliam Constantius & Constans ediderunt in
17 eosdem aliam suam Constitutionem [b], qua iubent hic leges insurgere, armari iura gladio vltore, vt exquisitis pœnis subdantur. Extat quoque Iustiniani Nouella Constit. 141. *περὶ τῶν ἀσελγαινόντων.* [de his qui luxuriantur contra naturam.] quo loco proponit horrendum illum Sodomorum *b L. cùm vir nubit. C. ad leg. Iul. de adulter.*
18 interitum propter hoc malum: & admonet nos sententiæ Pauli Apostoli, qui ad Romanos scribens, huius infandæ turpitudinis grauissimam condemnationem edit. Vtinam & eius fulmen audiant & Romani, & quorquot huius vitij suspicione sunt infames. Saltem qui Christiani dici
19 volunt, hic referant Ethnicorum pudorem. Trebonius ille miles Marianus, Centurionem suum
20 ex Marij sorore natum, in suos amplexus ruentem gladio repellit. Puer Dimocles ne à Demetrio
21 hanc vim patiatur, in feruentis aquæ lacum insilijt. Pausanias adolescens ab Attalo Cleopatræ auunculo per vim constupratus, Philippum Macedonum Regem, à quo dum vindictam exposceret, repulsus erat, eo die, quo is Cleopatram vxorem ducebat, fortiter occidit. ¶ *Exercere audent.*]
22 Vel etiam exercere parant. Nam & hac lege tenentur, qui pueros ad stuprum appellare non erubuerunt. Qua in re nimis aliquando molles & indulgentes mihi fuisse videntur Romani. Cur
23 enim grauius non puniunt illum L. Papyrium, qui C. Publij ingenui pueri apud se nexi, pudicitiam tam turpiter attentare est ausus? Cur nõ nisi pecuniarijs mulctis coërcet Capitolinum illum Marcelli collegam, qui Marcelli filium conatus est constuprare? Non potuit (inquies) inficiatus satis conuinci. Sed ingenui pueri ruborem & lacrymas vidit Senatus ad conuincendum reum.
24 ¶ *Etiam stupri flagitium.*] Papinianus [c] scribit; legem Iuliam promiscuè stuprum & adulterium appellare. Sed propriè adulterium in nuptam committi: stuprum verò in virginem viduámve. *c L. inter liberos. §. lex. D. ad legẽ Iul. de adult.*
quod Græci *φθορὰν* appellant probat; etiam Modestinus hoc discrimen [d]. ¶ *Sine vi.*] Nam si vis *d L. stuprũ. D. illo tit.*
25 accesserit, hoc crimen propriè pertinebit ad legem Iuliam de vi publica, & punietur pœna capitali. Quod & lege Mosaica & Attica fuit cautum. Cæterùm quæ vim patitur (inquit Vlpianus [e]) non *e L. si vxor. §. si quis plane. D illo tit.*
26 est in ea causa, vt adulterij vel stupri damnetur. Et Papinianus respondit [f]; Vim passam mulierem in legem Iuliam de adulterijs non commisisse: licet iniuriam suam, protegendæ pudicitiæ causa, confestim marito renuntiari prohibuit. Nota est Lucretia Romana. ¶ *Virginem.*] Nempe viri *f L. vim passam. D. illo tit.*
27 potentem. Alioqui hoc crimen aliò pertineret. Certè Paulus respondit [g]; Eos, qui nõdum viripotentes virgines corrumpunt, humiliores in metallum damnari, honestiores in insulam relegari. *g L. si quis aliquid ex metallo §. qui nondũ. de pœnn.*
¶ *Viduam honeste viuentem.*] Cum vxore verò alterius, quantumuis ea in honestè viuat, si ta-
28 men adhuc retinebat nomen matrisfamilias, nemo impunè rem habuerit. Respondit enim Vlpianus [h]; Et in ea vxore posse maritum adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit: quamuis si vi- *h L. si vxor. § sed & in ea D. ad legem Iul. de adult.*
29 dua esset, impunè in eam stuprum committeretur. Vulgarem autem vocat mulierem, vilioris vitæ & prostitutæ pudicitiæ, sed nondum ita publica notatam infamia, vt matrisfamilias nomen ami-
30 serit. Certè Suetonius in Tyberio indicat, olim fœminas impudicas notam alicuius iudicij famosi vltrò subijsse, vt iure & dignitate matronali, exolnerêtur ad vitandas Legum pœnas. Extat quo-
31 que Imp. Constantini Constitutio [i], quæ fatetur; ab ijs tantùm fœminis pudicitiæ rationem requiri, quæ matrisfamilias nomen obtinent. Et ideo adulterium cum domina cauponæ commis- *i L. quæ adulterium. C illo tit.*
32 sum puniri. at cum ancillis rẽ habuisse, sit impunè. Sed & Impp. Diocletianus & Maximianus [k]; *k L. si ea, quæ stupro. C. illo tit.*
33 omnibus veluti prostituunt eam, quæ passim venalem formam exhibuit, ac prostitutam mere-
34 tricio more, vulgo se præbuit. Tolerârunt ergo Romani, vt Athenienses, lupanaria, & fornices meretricum. Sed hanc publicam scholam turpitudinis non tulit lex Mosaica. Mirum autem est cur hodie Christiani hac in re mâlint vel Romanos, vel Solonem imitari, quàm Mosen. quanquam sint hodie quædam bene constitutæ Respublicæ, quæ hoc malũ publicè non ferant. Certè Lactan-
35 tius lib. 6. ca. 23. scribit; Diabolum, ne quis pœnarum metu abstineret ab alieno, fuisse autorem instituendorum lupanarium: eaque ratione pudorem infœlicium mulierum publicâsse, vt ludibrio
36 haberet, tam eos, qui faciunt, quàm quas pati necesse est. Olim apud Corinthios in magno erant precio meretrices, adeò vt in solennibus precibus adderetur; Dij augeant meretricum numerum: etiam si plusquam mille puellæ quotidie in Veneris templo prostarent, vt scribit Strabo lib. 8. Sed quam Corinthum hodie hac in re non vincunt nostræ Ciuitates? Vtinam saltem audiremus Pauli Apostoli sententiam aduersus hanc Corinthiam turpitudinem. Sed fortassis (quæ nostrorum
37 temporum est fracta mollities & effusa libido) lubentius audiremus Hellogabalum impura sua
38 concione meretrices excitantem. Gloriatur in suo Apologetico Tertullianus; primos esse Lenones qui de sterilitate Christianorum meritò conquerantur, quòd ex ijs nullũ sentiant lucrum. At hodie quis hanc lenonum querelam audit? An non enã ijs ludibrio est sanctissima illa nostri Iustiniani Nouel. Constit. decimaquarta *περὶ τοῦ μὴ εἶναι πορνοβοσκοὺς ἐν μηδενὶ τόπῳ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας.* [ne quo in loco per imperium Romanum lenones sint.] Saltem (inquies) non minus
39 Israelitæ, quàm Romanæ leges, tolerant concubinatum. Tolerârunt certè, sed vt libellum repudij, probasse autem nego. Deinde magis sobolis, quàm libidinis causa habebatur concubina, & erat veluti vxor secundaria, quæ citra dotem & sponsalia ducebatur, consentiente prima &

iusta coninge. Postea tamen sublatus est totus concubinatus. Et quia Ethnici non satis eum abo- 40
minabantur, Apostoli in primo illo suo Concilio disertè damnârunt omnem Fornicationem,
non minus quàm homicidium: voluerúntque damnari in omnibus populis, qui Christianam
religionem profiterentur. Sed & Nicena Synodus grauiter prohibuit; ne ministri Ecclesiarum in
conuictu haberent συνεισάκτους, [externam siue introductam mulierem. Can. 3.] atqui eius longè 41
tolerabilius erat quàm concubinæ commercium. Qua de re consulatur insignis illa Chrysostomi
Oratio περὶ τοὺς ἔχοντας συνεισάκτους. [Ad habentes introductas.] ¶ *Pœnam autem eadem lex irrogat.*]
Lex Attica aliam pœnam irrogabat, nempe; vt stuprator aut duceret, aut dotaret puellam. Lex au- 42
tem Mosaica, vt & duceret & dotaret. Porrò autem quamuis lex Iulia stupratoribus pœnam ca- 43
pitalem non irroget; ea tamen ijs aliquando extra ordinem irrogatur. Nam inquit Paulus[a]; Qui 44
mulierem puellámve interpellauerit, quidve impudicitiæ gratia fecerit; perfecto flagitio, puni-
tur capite: imperfecto, in insulam deportatur. Nec prætermittendum est, quod idem Paulus ait; 45
Solicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores, etsi effectu scele- 46
ris potiri non possunt, propter voluntatem perniciosæ libidinis, extra ordinem puniri. ¶ *Stu-
pratoribus.*] Alij hîc legunt (peccatoribus.) Nam & Theophilus vertit: τοῖς τοιαῦτα πλημμελήσασι. Est- 47
que peccandi verbum stupratoribus aptum apud Latinos.

a L. 1. de extraor. cri.

§. *Item Lex Cornelia.*

1 Cornelius Sylla quæstiones publicas de sicarijs consti-tuit.
2 Agi hîc de homicidis, qui dolo hominem occiderint.
3 Homicidij primum pœna quæ? & quæ postea? nu. 4. 5. quæ item apud Athenienses? num. 6.
7 In duabus tantùm causis, homicidijs indulgetur.
8 Horatius cùm victor sororem interfecisset quomodo accusatus?
9 Hominem occidere; et hominis cædendi causa cum te-lo esse, paria sunt.
10 In maleficijs voluntas spectatur, non exitus.
11 Cum telo ambulare quomodo liceat? et n. 12. 13. 14. 15.
16 Furti etiam faciendi causa cum telo ambulare quis dicitur.
17. 19. 24 Telorum appellatione quæ accipiantur? item quæ armorum?
18 Restituta huius loci lectio. & num. 25.
20 Xerolophus quid? & num. 21. 23.
22 Epigrãmata à Iustiniano hîc allegata quæ fuerint?
26. 27. 28 Sicarij qui? et quid sica? quid item dolon?
29 De veneficijs Romæ primùm est quæsitum anno ab vrbe condita 423.
30 Veneficarum scelera olim prodigij loco habita, hodie secus.
31 Venenorum vsum veteres Romani improbarunt.
32 Aquilius, mistis veneno hostium fontibus, infamem Romanis peperit victoriam.
33 Adgandestrius, Cattorum princeps, venenum à Romanis petit tollendi Harminij causa.
34 Plus est veneno extinguere, quã extinguere gladio.
35 Qui præterea puniantur lege Cornelia. et nn. 36. 37.
38 Persæ veneficarũ capita inter duo saxa cõminuebãt.
39 Magos veneficis Plato etiam coniungit.
40 Magiam morte dignam esse. & num. 41.
42 Augustinus laudat Romanos, quòd magiam semper resecerint.
43 Senatusconsultũ de mathematicis Italia pellendis.
44 Valdenses magici criminis temerè accusati, & ab eodem liberati. num. 45.
46 L. Cornelia pœna tenetur et qui mala medicamenta vendit; & qui abortionis poculum dedit. num. 47 48.
49 Quid, si quis ad conceptionem medicamentum dederit, & quæ acceperat inde decesserit?

¶ *Item Lex Cornelia de sicariis.*] Scribit Pomponius in tractatu de origine iuris; Cornelium 1
Syllam quæstiones publicas constituisse de Sicariis. ¶ *Homicidas.*] Qui scilicet dolo hominem 2
occiderint. Nam nec lasciuia[b], nec culpa[c] huc pertinet. Cæterùm ad homicidam pertinet, proba-
re sese non occidendi animo occidisse. vt est in rescripto Imp. Antonini[d].

¶ *Vltore ferro persequitur.*] Non videtur tamen ab initio hæc pœna per Legẽ Corneliã sancita, 3
sed postea vsu recepta. Nam inquit Martianus[e]; Legis Corneliæ de Sicariis pœna, insulæ deporta-
tio est, & omnium bonorum ademptio: sed solent hodie capite puniri: nisi honestiore loco positi 4
fuerint, quàm vt pœnam Legis sustineant. Humiliores enim solent bestiis subiici: altiores verò de-
portantur in insulam. Sic etiam Modestinus[f], Qui (inquit) cædem admiserunt sponte dolóve 5
malo, in honore aliquo positi, deportari solent: qui secundo gradu sunt, capite puniuntur. Quæ
fuerit autem apud Athenienses homicidarum pœna, ostendit Demosthenes in Oratione contra 6
Aristocratem. Et Theon Sophista, dum aduersus homicidam declamat, probat hoc esse crimen
atrocissimum; atque ipso etiam sacrilegio grauius. deinde meminit τῶν νόμων φονικῶν [legum de cæ-
dibus latarum] Et sanè adeò leges omnes hoc malum auersantur, vt nõ nisi duabus ad summum 7
causis indulgeant, vt quis citra legitimum iudicium hominem impunè occidat. Nempe in vlci-
scendo vxoris aut filiæ adulterio. id quod insuperabili dolori vix tributum est. Deinde in vi depel
lenda; at ita, si demonstres, te aliter mortem effugere non potuisse, nisi mortem intulisses. Et vt
quis iustam huius sui facti rationem reddiderit, ita dimittitur. vt magis venia quàm laude dignus
iudicetur. Certè quàm fuerint Romanis homicidæ execrabiles, vel illa vetus victoris Horatij ac- 8
cusatio testis esse potest, qui cùm sororem suam, quòd patriæ & Reipublicæ inimica videretur, in
triumpho suo occidisset, in discrimen capitis venit. legatur hæc historia apud Dionysium Hali-
carnassæum libro tertio, qui etiam testatur, in eo iudicio prolatas fuisse veteres Rom. leges, quæ

b L. lege Cornelia. §. c. ad leg. Corn. de sica.
c L. in lege Cor. de illo tit.
d L. 1. C. illo tit.
e L. eiusdẽ. §. legis. D. ad leg. Corn. de sica.
f L. pen. D. illo tit.

alique m

aliquem indemnatum occidi non patiuntur; hoc est; quod ait; *οὐκ ἐῶντες ἄκριτον ἀποκτείνειν οὐδένα.*
¶*Qui hominis occidendi causa cum telo ambulant.*]Ad hunc quoque modum rescripserunt Diocle-
tianus & Maximianus [a]: Is, qui cum telo ambulauerit hominis necandi causa; sicut is, qui homi- *a L. is qui. C. ad legem*
9 nem occiderit, legis Corneliæ de sicarijs pœna coërcetur. Meminit & Tullius in oratione pro Mi- *Corn. de sica.*
lone. Et rursus in Oratione pro Rabirio ait; nihil interesse inter eum qui hominé occidit, & eum
10 qui hominis occidendi causa cum telo fuit. Hucque pertinet quod Callistratus in tractatu legis
Corneliæ de sicarijs refert, Adrianum rescripsisse; in maleficijs voluntatem spectari, non exitum.
Quod intelligendum est de atrocioribus maleficijs, veluti Homicidij, Raptus, & Maiestatis.
11 ¶*Hominis occidendi causa.*] Ex alia autem causa licet cum telo ambulare. Nam & Tullius pro
Milone ait; licere nobis habere gladios, & ijs vti, non quidem mali inferendi causa, sed propulsan-
di. Deinde addit: Persapienter & quodammodo tacitè dat ipsa lex potestatem defendendi, quæ
non modò hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat: vt cùm causa, non
telum quæreretur: qui sui defendendi causa, telo esset vsus, non hominis occidendi causa habuisse
12 telum iudicaretur. Hæc ille. Et noster Paulus [b], Qui (inquit) telum tutandæ salutis suæ causa gerût, *b L. pen. D. ad leg. Iul.*
non videntur hominis occidendi causa portare. Ergo non fuit hoc iure ademptus priuatis homi- *de vi pub.*
13 nibus telorum armorumque vsus. Sed postea edita est Constitutio [c] Imp. Diocletiani & Maxi- *c L. vna. C. vt ar. v-*
miani; Nulli prorsus, inconsulto Principe, potestatem esse quorumlibet armorum mouẽdorum. *sus insc. prin. interdi-*
Plin. quoque lib. 34. cap. 14. tradit; Pompeium in tertio suo Consulatu, edixisse, in tumultu necis *fit.*
14 Clodianæ, ne vllum telum esset in Vrbe. Certè Thucydides lib. 1. scribit; barbarum morẽ esse, cum
telo vel armis ambulare; quo Græcia vsa sit, antequam munitas haberet ciuitates, ad propulsanda
15 latrocinia *πᾶσα* (inquit) *ἡ Ἑλλὰς ἐσιδηροφόρει διὰ τὰς ἀφράκτους οἰκήσεις.* Addit deinde hunc morem pri-
mos deposuisse Athenienses, ciuili & mansuetiori vitæ assuetos; sed nihilominus multos Græciæ
16 populos eum retinuisse; veluti Locros, Acarnanas, & Ætolos. ¶*Hominis occidendi.*]Addit Martia-
nus [d]. Furti ve faciendi causa. ¶*Vt Caius scriptum reliquit.*]Extat adhuc in Pandectis hoc Caij scri-
17 ptum [e]. Sed & Paulus, Telorum (inquit [f]) appellatione omnia, ex quibus singuli homines noce- *d L. 1. D. ad leg. Corn.*
re possunt, accipiũtur. Porrò de armorum appellatione, qua etiam contineri fustes & lapides non *de sica.*
minus, quàm telorum, scripsit idem Caius [g], alio superius loco satis multa diximus. *e L. si calumnietur. §.*
18 ¶*Sed nunc omne.*] Ita legendum esse hunc locum ostendit responsum Caij, ex quo hic locus *telum. de verb. signi.*
descriptus est. Significat autem nunc, hoc est, in hoc tractatu Legis Corneliæ de Sicarijs, teli ap- *f L. pen. §. 1. D. ad leg.*
19 pellationem ita latè patêre. ¶*Lignum, lapis & ferrum.*] Idem probat & quodam loco Vlpianus [h]. *Iul. de vi publ.*
Ouid. quoque lib. 2. Metamorph ait: *Alter tius telum, lapis est.* Idem lib. 5. *Cui lata bipennis, telũ erat.* *g L. armorũ. de verb.*
Virgilius telum vocat, quicquid ad hostem propulsandum vel lædendũ pertinet. vt lib. 2. Æneid. *signif.*
Dardanidæ contra turres, ac tecta domorum; *Extrema iam in morte parant defendere telis.* *h L. idẽ est. §. armis*
Culmina conuellunt. his se, quando vltima cernunt, *de vi & vi arm.*
A Græca voce ΤΗΛΟΥ.]Alij legunt *τηλόθεν.* vtraque autem vox significat longè. ¶*Illi* ΒΕΛΟΣ
appellant.]Addit in suo responso Caius *ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι*; et id quod arcu mittitur, apud Græcos proprio
nomine *τόξευμα* vocari.
29 ¶*Epigrammata in Xerolopho.*]*Ξηρόλοφος* significat tumulũ aridum & siccum, ex congestis nem
pe lapidibus. Qualem fuisse Byzantij constat, vbi erat erecta columna, & tripodes, quibus multa
epigrammata erant inscripta. Dicunturq; adhuc eius rei non obscura superesse vestigia. Socrates
autor Ecclesiasticæ histo. lib. 7. ca. 5. sicuti & Nicephor. lib. 14. ca. 13. significat celebrem Constanti-
nopoleos locum fuisse, quem Xerolophon appellabant, vbi & forũ Arcadij erat. Meminit & Sui-
21 das. Sed optimus testis est Priscianus, qui nostri etiam Iustiniani temporibus vixit. Is lib. 1. & 6. de
octo part. orat. allegat epigrammata Xerolophi, vt hoc loco Iustinianus. Ostendunt (inquit) epi-
grammata vetustissima, quæ & literis vetustissimis scripta in multis tripodibus legi, & maximè
in tripode Apollinis, qui est Constantinopoli, in loco, quem Xerolophon vocant. Certè scimus
antiquum veteribus morem fuisse insculpendorum sacris tripodibus Epigrammatum. Sic Gel-
lius ait; Homerum & Hesiodum eodem tempore vixisse, probari argumento quorundam Epi-
22 grammatum in Tripode scriptorum. Quæ fuerint autem epigrammata, quæ Iustinianus allegat,
ignoramus. Sed reperiri poterunt, sicut & alia quædam ad illustrandum hunc Iustiniani locum,
vbi editi erunt libri Procopij de ædificijs vrbis Constantinopolitanę, quos Haloander aliquando
23 Venetijs vidit. Fecit autem huius rei iactura, vt multi hic Xenophontem potius, quàm Xerolo-
phum à Iustiniano allegari crediderint. Et testatur Antonius Augustinus ita etiam legi in libris
Florentinis. Certè apud Xenophontem libro quinto *ἀναβάσεως Κύρου*, extat locus, qui rei, de qua
nunc agitur, admodum conuenit. Loquens enim de quadam instructissima acie, inquit: *καὶ τὰ βέ-*
24 *λη ὁμοῦ ἐφέρετο, λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δ' ἐκ τῶν χειρῶν λίθοι· ἦσαν δὲ καὶ οἳ πῦρ προσέφερον. ὑπὸ δὲ πλή-*
θους τῶν βελῶν ἔλιπον οἱ πολέμιοι τά τε σταυρώματα καὶ τοὺς πύργους. [& tela impetu eodem emittebantur; lan
ceæ, spicula, fundæ, è manibus quã plurimi lapides; erant & qui accensas faces inferrent. Prę mul-
titudine verò telorũ deseruerũt hostes propugnacula & turres] ¶*Verbis cautissimè.*] Ita scriptum
reperi in quodã vetusto Institutionũ exẽplari, Moguntiæ excuso ante annos 70. Videturq; verior
25 hæc lectio, quã vulgata, VRBIS FAVSTISSIMÆ, aut, LAVTISSIMÆ. ¶*Sicarij autẽ.*]Sic & Quintilia-
26 nus ait; Sicarios eos etiam appellari, qui cædem telo quocunque admiserunt. ¶*A sica, quæ signi-*
ficat ferreum cultrum.] Sica propriè erat breuior gladius. Cicero pro Milone; Extorta est (inquit)
27 confitenti sica de manibus. Erat itaque latronibus apta, ac fortassis doloni non dissimilis. *i L. si ex plagis. §. ta-*
28 Vocârũt enim Romani dolonem (cuius etiam meminit noster Alphenus [i]) genus breuioris ferri *berna rius. D. ad leg.*
acuta *Aquil.*

acuta cuspide,qua præcipuè grassatores vtebantur. Nam & Plutarchus in Tyberio, dolona esse
ait ξιφίδιον λῃστικόν. [gladiolum siue pugionem prædatoriũ.]Iosephus lib. 20. antiquit. Iudaic.de
Sicarijs verba facturus,ait;à Romanis sicas vocari gladiolos instar acinacis Persici incuruos.

¶ *Eadem Lege & venefici.*]De veneficijs primùm Romæ quæsitum fuit anno ab Vrbe condita 29
423.cùm primores ciuitatis similibus morbis eodemque fermè omnes euentu morerentur. De-
prehensum autem est,matronas Rom.insano quodam consilio venenata medicamenta coxisse,
damnatæque sunt centum & septuaginta. Duæ,nempe Cornelia ac Sergia,patriciæ vtraqoe gen-
tis,cùm medicamenta,quæ in earum manibus deprehensa erant,cõtenderent esse salubria, ideo-
que ab indice vrgerentur, vt biberent, biberunt, & statim mortuæ sunt, vt refert Liuius Deca. 1.
libro 8.additque,hoc veneficarum mulierum scelus, prodigij loco habitum fuisse. Verùm hodie 30
(ô malum)vulgariora sunt & frequenriora venena,quæ Romæ impunè grassantur,quàm vt pro-
digij loco esse possint.ac vide,quanrum à suis maioribus degenerarit scelesta posteritas. Veteres
Romani venenorũ vsum ne aduersus hostes quidem probarũt.Damnatus enim est Aquilius ille, 31
qui belli Asiatici reliquias confecit,mistis veneno fontibus ad deditionem quarundam vrbium: 33
Hæc res(inquit Florus)maturam quidem, sed infamem fecit victoriam : quippe cùm contra fas
Deûm,moresque maiorum,medicaminibus impuris sacrosancta in id tempus Romanorũ arma
violârit.Refert quoque Tacitus lib.2.temporibus Tyberij Cæsaris,lectas fuisse in Senatu Adgan- 33
destrij Principis Cattorum,literas,quibus mortem Arminij(qui totam Germaniam ad defectio
nem incenderat,& Romanos multis iniurijs cladibosque affecerat)promittebat,si patrandæ ne-
ci venenum mitteretur:Responsumque esse,non fraude neque occultis insidijs, sed palàm & ar-
matum Populum Rom.hostes suos vlcisci.Hacque gloria Tyberium sese æquâsse priscis Impera-
toribus,qui venenum in Regem Pyrrhum vetuerant.prodiderantq;.Sed vt quod instat,agamus,
meritò in lege Cornelia,venefici eodem loco habentur,quo sicarij,cùm rescripsetit Antoninus [a], 34
plus esse,hominem extinguere veneno,quàm occidere gladio.

a L. 1. C. de malefic. et mathem.

¶ *Et venefici.*]Necnon & ij Magistratus,qui operam dederunt, quò quis falsum indiciũ pro- 35
fiteretur,vt quis innocens condemnaretur, aut qui falsum testimonium dixerunt, quo quis pu- 36
blico iudicio rei capitalis damnaretur. Item qui incendium fecerit, aut hominem libidinis vel 37
commercij causa castrauerit.Nam hi omnes lege Cornelia puniuntur. Iudæis tamen permittitur
circuncidere filios suos [b] ¶ *Capite damnantur.*] Olim apud Persas veneficorum capita inter duo
saxa contundebantur,atque confringebantur,vt refert Plutarchus in vita Artaxerxis: & comme- 38
morat eiusmodi iudicium cuiusdam veneficæ Giges, quã hac pœna plecti iussit Rex Artaxerxes.

b L. circuncidere. D. ad leg. Corn. de sicar.

¶ *Susurru magicū.*]Cõiungit magos veneficis,sicut & ipse Plato in suis Legibus. Nam vbi de-
finiuit pœnam veneficorum,subijcit: ἐὰν καταδέσεσιν ἢ ἐπαγωγαῖς ἢ τισιν ἐπῳδαῖς, ἢ τῶν τοιούτων φαρμακει- 40
ῶν ὡντινῶν, δόξῃ ὅμοιος εἶναι βλάπτοντι,&c. Magiam autem hic intelligimus,quæ alio nomine vel κα-
κουργία [subdolum maleficium] vel γοητεία [fallaces præstigiæ]dicitur, siue incantatio; quã morte
dignam esse,præcipuè si alij mortem intulerit,nemo dubitat. Extat Constanrij & Iuliani Consti-
tutio his verbis [c]:Multi magicis artibus vsi,elementa turbare,vitas insontium labefactare nõ du-
bitant:& manes accitos audent ventilare , vt quisque suos conficiat malis artibus inimicos: hos
(quoniam naturæ peregrini sunt)feralis pestis absumat. Sed & si nemini nocuerint artes Magicę,
non tamen minus puniuntur,vt ostendunt leges Cæsarum de maleficis & mathematicis. Certè 41
laudat D. Augustinus Romanos, quòd licet multa impia sacra amplexi sint.semper tamen reiece 42
rint Magiam,& omnes Chaldæorum præstigias & incantationes. Et notũ est Senatusconsultum 43
de Mathematicis Italia pellendis;cùm Libo Scribonius per Firmium Carum Senatorem delatus
esset,quòd Magos cõsuleret super imperio,& vmbras infernas carminib.elicere tentaret Sed quò
grauius & ab hominis ingenio magis alienum est hoc malum,eò maior adhibenda est cautio, ne
quis eius prætextu ab aduersarijs temerè obruatur. Facilè enim hic quiduis confingere potest in-
geniosa simultas, vt & multitudinem credulam statim commoueat, & attonitos iudices irritet
aduersus eum, quem cum dæmonibus rem habere mentietur. Ante annos sexaginta sensit infœ-
lix nostra patria magno suo malo, huiusce generis calumnias. Magna erat Valdensium mentio, 44
quos aduersarij iactabant nescio quid commercij habere cum immundis spiritibus. Huius crimi
nis prætextu,optimi quique statim opprimebantur.Sed tandem Senatus Parisiensis,causa cogni
ta, vidit meras esse sycophantias: infœlices reos liberauit:improbos sycophantas cum iniquis iu- 45
dicibus damnauit. Extatq; adhuc eius memorabile hac de re Arestum,editum vicesimo die men-
sis Maij,anno 1491. ¶ *Vel mala medicamenta publicè vendiderit.*]Inquit Martianus [d]: Einsdem legis
pœna afficitur , qui in publicum mala medicamenta vendiderit, vel hominis necandi causa ha- 46
buerit. Addit Senatusconsulto quoq; effectum esse, vt huius etiam legis pœna tenerẽtur pigmen-
tarij,si cui temerè dederint cicutã, aconitũ, cãtharidas, & similia pharmaca. Sed & qui abortionis
poculũ dederit, & ex eo aliquis perierit:summo supplicio afficitur, inquit Paulus [e]. Extatq; simile 47
decretum Concilij Constantinopolitani in Trullo: τὰς τὰ ἀμβλωθρίδια διδούσας φάρμακα, καὶ τὰς δεχο-
μένας τὰ ἐμβρυοκτόνα δηλητήρια, τῷ τοῦ φονέως ἐπιτιμίῳ ὑποβάλλομεν. [quæ pharmaca procurãt abortus fa- 48
cientia, & quæ venena suscipiunt partus perimentia, occisoris pœna accusentur. Canon. 91.] Sed
& ex Senatusconsulto, relegari iussa est ea, quæ nõ quidem malo animo, sed malo exemplo me- 49
dicamentum ad conceptionem dedit,ex quo ea,quæ acceperat,decessit,vt refert Martianus [f]. .

c L. multi. C. de malefi. & mathem.

d L. 3. §. 1. D. ad legem Corn. de sica.

e L. si quis aliquid ex metallo. §. qui abortionis. de pœnis.

f L. 3. §. sed ex Senatusc. D. ad leg. Cor. de sica.

§. Alia deinde

§. *Alia deinde lex.*

1.5 In parricidas pœnam veteres nullã cur cõstituerint?
2.3 Parricidarum vetustiorum exempla. & nũ. 4.6.32.
7.8 Parricidij nouam pœnam Cicero vocat singulare supplicium.
9 Idem eiusdem pœnæ genus alijs quoq; delictis puniendis olim adhibitum fuisse. & num. 11.
10 Parentum ac Deorum violatio pari vindicta expianda est.
12 L. Pompeia de parricidijs à quo lata? & num. 13. 14.
15 L. Pompeia parricidij an ad seruos quoq; pertineat?
16 Patria potestas in pietate consistit, nõ in atrocitate.
17 De lectione hic dubitatur. & num. 18.
19 Præparandi *verbum hic quid notet?*
20 Conatus etiam, licet res exitum non habuerit, nocet; idq; declaratur exemplis; num. 21. 22.
23 De verbo Properandi.
24 Vltra citraq; constitutos nobis terminos nulla neq; vita neq; mors.
25 Quid, si fine dolo, vt per furorem, committatur parricidium.
26 Conscij, etiam extranei, pœna eadem sunt afficiendi. fallit num. 27. 28.
29 Grauius puniri qui affuerit parricidio, quàm qui ipse perpetrarit
30 Culeus quid? & cur canis parricidæ adiunctus? num. 31. cur item vipera & simia & gallus gallinaceus? num. 33. 34. 35.
36 Si deerat flumen, bestijs obijciebatur parricida.
37 Mare omnia expiat.

¶ *Asperrimum crimen.*] Solon nullam de parricidio legem tulisse dicitur διὰ τὸ ἀνέλπιστον. [quòd
1 nõ speraret fore vt quis tam immane facinus auderet.] Neque enim putabat vllum vnquam fore
2 parricidã. fortassis non audierat, vel fabulosum putabat, quod proditũ est de conspiratione filiorum Artaxerxis Persarum regis, de interficiendo parente. Necdum euenerat, quod ab Antipatro
3 postea factũ legimus, qui matrem suam Thessalonicen, per materna sua vbera vitam deprecan-
4 tem, crudeliter occidit. Certè obscura erat fama Hecates mulieris sanguinariæ, quæ aconitum prima reperit, quo parentem suum Persam sustulit. Sed nec Romulus peculiarem aliquam de parri-
5 cidio legem tulit. Nam & omne homicidium, iudicauit esse parricidium: vixque futurum credebat, vt quis vllum hominem, nedum parentem, occideret. Et sanè multis annis Romæ nulla fuit
6 huius sceleris mentio. Primus enim L. Ostius patrem necâsse dicitur. annis post Vrbem conditam sexcentis: primus Malleolus matrem, post Cimbrica tempora. ¶ *Noua pœna.*] Cicero pro Roscio
7 Amerino, vocat singulare supplicium: Maiores (inquit) nostri, cùm intelligerent nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitauerunt; vt quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ij magnitudine pœnæ maleficio sum-
8 mouerentur. insui voluerunt in culeum viuos, atque in flumen deijci. Sed nec in alijs delictis pu-
9 niendis videtur priscis fuisse temporibus omnino incognitũ huius pœnæ genus. Legimus enim M. Attilium Duumuirum, quia librum sacrorum Petronio Sabino transscribendum dederat, ius-
10 su Tarquinij regis culeo insutum, & in mare proiectum esse. Idque supplicij genus (inquit Valerius Maximus) non multò pòst parricidis lege irrogatum est: quia pari vindicta parentum ac Deo-
11 rum violatio expianda est. Sed & Plutarchus refert; Tyberio Graccho interfecto, eius familiarem C. Villium, tanquam seditiosum ciuem, culeo cum anguibus insutum mortem obijsse
12 ¶ *Quæ Pompeia de parricidijs.*] Valerius Maximus refert, paulò post tempora Tarquinij Regis, latam esse legem, quæ iubebat parricidas culeo insutos, in mare abijci. Et Tullius in Oratione
13 pro Roscio, commemorat quandam huius generis legẽ Corneliam, quam ait à maioribus latam esse. vt eius autor videri non possit Cornelius Sylla, qui tum adhuc viuebat. Noster tamen Pom-
14 ponius scribit Cornelium Syllam, quæstiones publicas constituisse de parricidio. Et certè Marcellus in tractatu de parricidijs meminit cuiusdam legis Corneliæ. sed vtvt sit, Pompeius totam hanc rem rectius tandem composuit, & certam de parricidis legem tulit. ¶ *Vt si quis parentis.*] Totus hic locus descriptus est ex rescripto Imp. Constantini [a]. ¶ *Parentis.*] Etiam naturalis tantùm, nec legitimi. neque enim minor ei debetur reuerentia & pietas. Itaque nec eum sine venia in ius voca-
15 re licet [b]. Certe Venuleius [c] fatetur, legem Pompeiam parricidij ad seruos non pertinere: quoniam primum eius caput eos apprehendit, qui parentes cognatósve, aut patronos occiderint. quæ in seruos (quantum ad verba attinet) non cadunt. Sed (inquit) cùm natura sit communis, similiter & in eos animaduertetur. ¶ *Aut filij.*] Fuit olim parentibus in filios non minus quàm in ser-
16 uos, ius vitæ & necis [d]. Sed quia patria potestas in pietate debet, non in atrocitate consistere, vt ait Martianus [e], sublatum est ius illud summum. Cuiusmodi autem ius castigandi filij sit relictum patri, alio loco pluribus diximus. ¶ *Adfinitatis eius, quæ nuncupatione parentum continetur.*] In rescri-
17 pto Constantini est *(aut omnino adfectionis eius, qui nuncupatione parricidij continetur.)* atque ita hic le-
18 gisse videtur Theophilus. ¶ *Fata præparauerit.*] Alij legunt, *properauerit*; quidã, *perpetrauerit.* Theo-
19 philus simpliciter vertit ἀνελεῖν. Præparãdi verbũ indicat grauissimũ esse hoc scelus. quod nec impu-
20 nè quis moliatur. Certè & eum, qui emit venenũ, vt patri daret, quamuis non potuerit dare, teneri
21 lege Põpeia de parricidijs scribit Martianus [f]. Extatq; Quintil. declamatio, qua pater accusat filiũ
22 parricidij, quia dicebatur patri præparâsse venenũ. Et notus est Roman. ille Tarius, qui filiũ deprehendit in præparatione parricidij: & tamen paruit clementiæ Cæsaris Augusti, nõ culeum, non serpẽtes decernẽtis, sed solã relegationẽ, & admonẽtis ea pœna cõtentũ esse debere patrẽ in filio adolescẽtulo, impulso in id scelus, in quo (quod proximũ erat ab innocẽtia) timidè se gessisset, vt refert
23 Seneca. Quòd si quis hic properãdi verbũ malit: nõ admodũ sum refragaturus. Nam & ea voce ad

hunc

a L. vnic. C. de his, qui par. vel lib. occid.
b L. parẽtes. de in ius voc.
c L. hos accusare. §. itẽ nec lex. de accus.
d L. in suis. in fin. de lib. & posth.
e L. Diuus. D. ad leg. Pompe. de parricid.
f L. 1 §. vlt D. ad leg. Pomp. de parricid.

hunc modum sæpe vtuntur Latini. sicut contrà dixit Maro; Depositi proferre fata parentis. Sed
meminerimus ita nos loqui, habita tantùm ratione inferiorum causarum: nam quod attinet ad
superiorẽ illam Dei prouidentiã: scimus certos esse vitę nostræ fines & terminos, quos vltra citraq; 24
nulla sit hîc vel mors, vel vita. ¶ *Siue clam siue palam.*] Modò tamen semper dolo malo id fiat. Sanè 25
a L. diuus. §. vlt. D. ad leg. Pomp. de parricid. (inquit Modestin. [a]) si per furorem aliquis parentem occiderit, impunitus est. Nam sufficere furo-
re ipso eum puniri: diligentiusque custodiendum esse, aut etiam vinculis coërcendum.
b L. vtrum. D. illo tit. ¶ *Vel conscius criminis existit.*] Id adiectum hîc videtur ex quodam responso Vlpiani [b], cuius
verba sunt hęc; Vtrum qui occiderint parentes, an etiam conscij, pœna parricidij afficiantur, quęri
potest. Et ait Mecianus; etiam conscios eadem pœna afficiendos: non solùm parricidas. Proinde
conscij, etiam extranei, eadem pœna afficiendi sunt. Hæc ille. Videtur tamen hîc aliquod discri- 26
c L. 2. D. illo tit. men esse inter coniunctos & extraneos. Nam filium, qui cognouerat tantum, nec patri indicaue- 27
rat, relegatione punitum esse apud Scæuolam legimus [c]. at cùm de extraneis agitur, non modò
eos sciuisse, sed & aliquid opis contulisse. proponitur: veluti de creditore, qui sciẽs pecuniam sub- 28
d L. si scietis. D. illo tit. ministrârit ad hoc scelus committendum [d]. ¶ *Vel extraneus.*] Ergo grauius punietur qui parri- 29
cidio adfuerit, quàm si id ipse perpetrasset. Neque enim homicidij solùm, sed parricidij pœna tene
tur. Et sanè grauius est filium impellere & adiuuare ad hoc scelus committendum, quàm si extra-
neus ipse id committat. ¶ *Insutus culeo.*] Prius autem virgis sanguineis: siue, vt alij legunt, sangui-
e L. pen. D. illo tit. neis verberatur, vt ait Modestinus [e]. Erat autem culeus capacissimum cuiusdã vasis genus, quod 30
f L. vl. de pig. act. l. 3. de trit. vin. & ol. leg. ait Columella capere vrnas quadraginta. Fit eius sæpe mentio in Iure Ciuili [f]. ¶ *Cum cane.*] Scri-
bit in Proble. Plutarchus; Canem, quòd pugnax esset animal, atque imprimis ferox simul & im-
mundum, fuisse ab omnibus olim templis prohibitum, ipsiq; sacerdoti, qui purissimum Deum
coleret, abominabilem. Rectè autẽ adiunctus est impio & impuro crudelique parricidæ qui pa- 31
rentem, quem veluti Deum quendam colere debebat, violauit, & hoc veluti sanctissimum tem-
plum immani scelere profanauit. Olim Bactriani dicuntur decrepitos parẽtes suos obiecisse cani- 32
bus sepulchralibus deuorandos. At hi barbari parricidæ merebantur à canibus rabidis dilaniari.
¶ *Et vipera & simia.*] Iuuenalis de Nerone parricida & matricida loquens, ait:

Cuius supplicio non debuit vna parari
Simia, nec serpens vnus, nec culeus vnus. Idem alio loco:
Et deducendum corio bouis in mare: cum quo
Clauditur aduersis innoxia simia fatis.

Quintilianus quoque in Declamationibus loquens de parricidio, Culeo (inquit) & serpentibus
Plin. lib. 8. c. 51. & 54. expianda feritas. Sanè viperam inimicam esse parenti constat. Simiam quidem legimus fœtus 33
suos strangulare, sed nimio quodam amore. Sues verò quadam feritate deuorare suos suculos. Sed 34
fortassis addita est Simia parricidæ, quòd is præter humanam formam nihil hominis habeat. Si-
cut olim Socrates Simias vocabat homines sine ratione. Est autem additus Gallus gallinaceus,
quòd is sit præcipuè infestus viperæ; vt ijs pugnantibus grauius affligatur parricida. ¶ *Vt omnium* 35
elementorum vsu.] Hunc locum elegantissime Tullius explicat in Oratione pro Roscio Amerino.
Cùm enim retulisset; Maiores sapiẽter cõstituisse, vt parricidæ culeo insuti, deijcerẽtur viui in ma-
re, vel flumen: O singularem (inquit) sapientiam. Nónne videntur hunc hominem ex rerum na-
tura sustulisse & eripuisse, cui repente cœlum, aquam, terramque ademerunt? vt qui eum necasset,
vnde ipse natus esset, careret ijs rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur. Noluerunt
feris corpus obijcere; ne bestijs quoque, quæ tantum scelus attigissent, immanioribus vteremur;
non sic nudos in flumen deijcere, ne cùm delati essent in mare, ipsum polluerent. quo cætera, quæ
violata sunt, expiari putantur denique nihil tam vile, neque tam vulgare est, cuius partem vllam
reliquerint. Etenim quid est tam commune, quàm spiritus viuis? terra mortuis? mare fluctuanti-
bus? littus eiectis? Ita viuunt, dum possunt, vt ducere animam de cælo non queant. Ita moriuntur,
vt eorum ossa terra non tangat. Ita iactantur fluctibus, vt nunquam abluantur. Ita postremò
g L. pen. D. ad legem Pomp. de parricid. eijciuntur, vt ne ad saxa quidem mortui conquiescant. Hæc Tullius. Quod autem ait; noluisse Ro
manos parricidam bestijs obijcere, non videtur semper itidem valuisse. Nam refert Modestinus [g];
Si desit profundum, in quod deijciatur parricida, Adrianum constituisse, vt bestijs obijciatur. 36
Rursus notandum est, quod ait Cicero; mare expiare, quæ violata sunt, hoc est, polluta aliquo ne- 37
fario scelere. Certè apud Euripidem in Tauris Iphigenia Orestem pollutum cæde materna, aqua
marina lustrare atque expiare vult, addit q; hanc sententiã; θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.
[mare eluit omnium hominum mala.]

§. *Item Lex Cornelia de falsis*

1 *De L. Cornelia de falsis, & S.C. Libouiano.*
2 *Eadem cur & Lex Testamentaria dicatur?*
3 *Testamenti furtum vel occultatio publici est iudicij; cæterorum instrumentorum non item.*
4 *Pœna falsi quomodo pro varijs circunstantijs variet?*
5 *Stellionatus crimen huc non pertinet.*
6 *Quid, si quis alienum instrumentum apud se depositum, aduersario prodiderit? aut viui testamentum aperuerit? num. 7.*
8. 9 *De signis & nummis adulterinis.*
10. *Falsum non nisi dolo committitur.*

¶ *Lex Cornelia de falsis*] Scribit noster Pomponius in tractatu de origine iuris; Cornelium Syl
lam quæstiones publicas constituisse de falso. Postea editum est Senatusconsultum Libonianum, 1
quo statutum est; Eos qui falsi aliquid alterius testamentis ascribunt, lege Cornelia teneri.
¶ *Quæ etiam Testamentaria vocatur.*] Nempe quòd maximè soleat falsum in testamentis com- 2
mitti.

mitti. Sic Modestinus [a] Legem Corneliam Testamentariam vocat. ¶ *Testamentum vel aliud instru-* a L. Cor. testam. D. ad
3 *mentum.*] Interest tamen, si non de falso, sed de subrepto agatur. Nam Paulus [b] respondit; instru- leg. Cor. de falsis.
mentorum subreptorum crimen non esse publici iudicij; nisi testamentum alicuius subreptum b L. Paulus. D. illo tit.
arguatur. Sic etiam rescripserũt Impp. Diocletianus & Maximianus [c]; Eum, qui relauit, vel amo- c L. eum qui. C. illo tit.
uit testamentũ, committere crimen falsi. ¶ *Vel aliud instrumentum.*] Non modò publicum, sed &
4 priuatũ: vt si quis priuatas alicuius rationes vel epistolas falso nomine imitetur [d]. Maiori tamen d L. pen. C. hoc tit. L.
seueritate punitur, qui falso Principis rescripto vteretur, quàm si alio instrumento [e]. Porrò admo- quid sit. D. hoc tit.
nendi sumus, latius patêre legem Corneliam de falsis, quàm vt concludi aut posit aut debeat pau- e L. 4. C. hoc tit.
cis exemplis, quæ hîc subijciuntur. Nec tamẽ omne delictum, quod habet speciẽ falsi, statim refe-
5 rendum erit ad publicum iudicium legis Corneliæ. Nam crimen stellionatus, quod interdum
6 habere videtur quoddam falsi genus, veluti si quis merces supposuerit, huc non pertinet, sed extra
ordinem punitur. ¶ *Recitauerit.*] Hoc est, allegârit, vel eo vsus sit. Sed & qui non falsum, sed alie- f L. 1. §. is qui deposi-
num instrumentum apud se depositum, aduersario prodit, falsi tenetur [f]. Et qui viui testamentum ta. D. hoc tit.
7 aperuerit, recitauerit, resignauerit, pœna legis Corneliæ tenetur, inquit Paulus [g]. Sed nec mortuo- g L. si quis aliquid ex
8 rum testamenta aperiri potuerunt, sine decreto prætoris [h]. ¶ *Vel signum adulterinum.*] Sic Modesti- metallo. §. qui viui de pœnis.
nus [i]. Lege (inquit) Cornelia testamentaria obligatur, qui signum adulterinum fecerit, sculpserit, h L. 2. § si dubitetur.
9 Signum autem vocat sigillum. Theophilus vertit σφραγῖδα. Sed & huc pertinet crimẽ eorum, qui D. quemad. test. ape.
non modò adulterinos numos conflant, vel falsam monetam cudunt, sed & adulterinum & fal- i L. Cor. testa. ad leg.
sum signum numis imprimunt, cùm id ad solum Principẽ vel Remp. pertineat. Qua de re extant [k] Cor. de fals.
responsa Iurisconsultorum, & duæ Constitutiones Constantini. Sed quis non eos quoque Prin- k L. quicunque. cum
cipes falsi teneri dicat, qui subæratam parumq; sinceram monetá edunt, & sparsis numis adulte- leg. seq. l. qui falsam.
rinis, populum suum habent quęstui & ludibrio? Plin. lib 33. ca. 9. refert; Liuium Drusum Tribu- D. hoc tit. l. 1. & 2. C. de fal. mo.
numplebis, argento miscuisse octauam æris partem. erat enim penes Tribunos sp. signandi cuden-
diq; numi æris potestas. Sed hoc tolerari potuit, cùm ex causa publica fieret consulto & consen-
tiente populo. Quis verò cum eodem Plinio non accuset & damnet M. illum Antonium Trium
10 uirum, qui adulterinis suis mixturis corrupit omnia? ¶ *Sciens, dolo malo.*] Non, nisi dolo falsum l L. nec exemplum. C.
committentes, crimini subiugari, rescripserunt [l] Dioclet. & Maxim. Et Paulus [m] respondit; impu- ad leg. Cor. de fals.
berem in hanc legem non incidere: quoniam falsi crimine non posit teneri, cùm dolus malus in m L. impub. D. illo tit.
eam ætatem non cadat. Sanè cùm olim quæreretur de testamẽto falso, & quidam dolo peccâssent,
quidam errore: dicitur Augustus iudicibus dedisse tertiam quandam tabulam, qua ignoscerent
ijs, qui errore inducti erant, vt temerè subsignarent falsum testamentum. Et cùm ageretur de ijs,
qui apud iudices protulerant instrumenta, quæ vera probari non poterant; scribit noster Callistra- n L. Diuus Pius. D.
tus [n], Diuum Marcum cum fratre suo pro sua humanitate hanc rem temperâsse, vt si (quod plerun- hoc tit.
que euenit) per errorem huiusmodi instrumenta proferantur; ignoscatur ijs qui tale quid protu- o L. 4. C. hoc tit.
lerint. Similem humanitatem reperias & in quodam Alexandri rescripto [o]. ¶ *Deportatio.*] Mar- p L. 1. §. vlt. D. hoc tit.
tianus [p], ex cuius responso hic locus descriptus est, addit, ET BONORVM PVBLICATIO.

§. *Item lex Iulia de vi publica.*

1 Vis priuata quid? eadẽq; à Ci. Quotidiana appellatur.
2 Homicidium huc non pertinet.
3 Vis priuata pœna quæ?
4 Lex Iulia vim tantum punit, non id quod vi commissum est.
5 Raptus pœna qualis. & num. 6. 7.
8. 9 Vt maritus punitur vxori adulteræ conniuens; sic parentes deportantur, si postea raptori cõsentiãt.
10 De sacris virginibus; & Romæ olim Vestalib. nũ. 11.
12 Quod si nupta & alterius vxor rapta sit? quid si sua sponsa? num. 13.

1 ¶ *Seu priuata.*] Hoc est, vt subijcit, Sine armis. Cic. pro Cæcinna hanc vim appellat quotidia-
2 nam, cùm scilicet arma nulla adhibita sunt, nec homines coacti. ¶ *Commiserint.*] Nec tamen ho-
minem occiderint. Nam homicidium ad hanc legem non pertinet. ¶ *Bonorum suorum publicatio.*]
3 Iustin. hîc omittit, quod vnum reddit publicum & criminale hoc iudicium, fuitq; per Senatuscõ-
sultum additum, nempe infamiam; quæ ex sententia iudicis irrogatur ei, qui de vi condemnatus
4 est [a]. ¶ *Sin autem.*] Lex Iulia solùm quidem vim punit: nec pertinet ad id, quod per vim commis- a L. 1. D. ad legem Iul. de vi pri.
5 sum est. Attamen & id quoq; suam pœnã habet. Etenim publico iudicio raptus punitur. Sic itaq;
& Martianus [b] in tractatu Legis Iuliæ de vi publica, Qui (inquit) vacantem mulierem rapuit, vlti- b L. qui cœtu. §. vlt. D. ad leg. Iul. de vi
6 mo supplicio punitur. Et si pater iniuriam suam precibus exoratus remiserit: tamen extraneus si- pub.
7 ne quinquennij præscriptione reum postulare poterit: cùm raptus crimen Legis Iuliæ de adulte-
8 rijs excedat. Hæc ille. Certè tantum abest vt raptorem excuset, si postea parentes consenserint, vt
9 etiam parentes ipsi propter hunc suum perniciosum consensum deportatione puniantur [c]. Nam c L. vna. §. pen. C. de
& maritus punitur, qui adulterium vxoris suæ dissimulando tolerat ac probat. ¶ *Raptus virginis.*] rap. virg.
Iustin. in sua Constit. addit, Honestæ. Quasi plus liceat in meretricem prostitutam. ¶ *Vel sanctimo-*
10 *nialis.*] Refert historia Ecclesiastica; Iouinianum Imp. olim tulisse Legem (cuius adhuc potior pars d L. si quis non dicam
extat in Codice [d]) vt capitaliter etiam plecteretur, qui sacram virginem impudico aspectu esset in- rapere. C. de Episc. &
tuitus. Acerba sanè Lex, & quæ durior sit, quàm ciuilis hæc vita ferat. Olim Romani suas Vestales cler.
11 stupri conuictas defodiebant viuas ad portam Collinam: Stupratorem verò in comitio cædebãt
12 vsque ad necem. ¶ *Vel alterius.*] Et si quidem nupta sit ea, & alterius vxor, erit adulterium cum
13 raptu: tantoq; grauior pœna. Sed & si quis rapuerit sponsam suam; iudicat Iustin. [e] raptorem esse. e L. vna. C. de rapt. virg.

Sed Pontifices postea iudicarunt non esse puniendum hunc raptum. ¶ *Nostra Constitutionis.*]
Extat hæc Iusti. Constitutio in Codice duobus locis [a].eiusq; meminit in Nou.143.&150. ¶ *Pos-*
sibile est scire.] Græcanica est hæc phrasis. Theophilus Latinè & simpliciter videtur legisse, *est scire.*

a d.l. vna. & l. rapto. C. de episc. & cler.

§. *Item L. Iulia peculatus.*

1 Peculatus quid? & quid à sacrilegio & furto differt? num.2.3.4.5.6.7.

8 De furto per lancem & licium.

9 De ijs qui prætextu religionis pecuniam colligunt.

¶ *Item Lex Iulia peculatus.*] Cicero accusauit Verrem; vt depopulatorem ærarij, & delubrorum 1
sanctissimis religionibus dedicatorum. Sic enim describit peculatum. Labeo autem eum definit
esse pecuniæ publicæ aut sacræ furtum, non ab eo factum, cuius periculo fuit. ¶ *Vel rem sacram.*]
Quæ si ex sacro quoq; loco subripiatur: propriè sacrilegium erit, Quòd si locus sacer sit, res verò pri- 2
uata vel profana: furti erit iudicium, non sacrilegij [b]. Sin res quidem fuerit sacra, sed profanus lo- 3
cus: hoc iure magis erit peculatus, quàm sacrilegium. Cicero tamen aliter definite videtur. nam 4
lib.2. de Legib. inquit: Sacrilego pœna esto: neque ei soli. qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui
sacro commendatum. Et Quintilianus lib.7.cap.4. ostendit variam olim fuisse definitionem sa-
crilegij. Sanè Paulus Apostolus cap.2. ad Roman. Idololatriæ opponit sacrilegium, tanquam rem 5
eiusdem generis. Nam sacrilegium vocari potest, omnis profanatio rei sacræ, & contemptus Dei.
Sic Ouidius lib.3. Metam. sacrilegum appellat Lycurgum, ob cõtempta Bacchi sacra. Et in Fastis,
sacrilegas vocat manus, quæ numen Veneris violârant. Sed cùm gentes Deorum suorum maie-
statem idolis affigerent, vocârunt specialiter sacrilegium, si quis subripuisset quod templis dica- 6
tum erat, in quibus putabant sitam esse totam religionẽ. Porrò de iusto & legitimo vsu opũ Eccle-
siasticarum, itemq; de impio abusu, quem rectè possumus appellare sacrilegium, ex alijs scripto- 7
ribus multa repeti possent. Sed ita nunc omnia inuaduntur, diripiuntur, dilapidantur, vt non ad-
modum lubeat plura de his dicere. Porrò sacrilegio proximum est furtum per lancem & licium, 8
cuius superius quoque meminimus. Quòd si de hisce improbis furibus, qui prætextu simulatæ re- 9
ligionis pecuniam colligunt; quã deinde in malos vsus profundunt, dicerentur, quæ dici possent,
nullum nostra finẽ habitura esset oratio. Et fortasis prudẽtes mâlunt hoc in tacito sinu malũ de-
fleri. ¶ *Sed si quidẽ.*] Quæ hic subijciũtur, descripta sunt ex quodã Honorij & Theodosij rescripto [c].

b L. diui. D. ad l. Iul. pec.

c L. vna. C. de cri. pe.

§. *Est & inter publica.*

1 In Vlpiani responso, vbi enumerat iudicia publica, temerè expunctam esse hanc de plagiarijs *legem.*

2 Plagiarij qui dicantur? & quæ in eos pœna statuta? num.3.

¶ *Est & inter publica iudicia Lex Fauia de plagiarijs.*] Plagij publicũ esse iudicium rescripserunt [d] 1
Impp. Diocle. & Maxim. Et refertur hoc crimen in Pandectis inter titulos publicorũ iudiciorum.
Itaque quidam suspicantur, in illo Vlpia. responso [e], quo enumerantur omnia publica iudicia,
addendam esse hanc Legem de plagiarijs; quam verisimilius est, librariorum incuria temerè ex- 2
punctam esse, quàm ab Vlpiano prætermissam. Porrò autem plagiarium appellamus eum, qui
vel aliena mancipia subtrahit supprimitq;, vel liberũ hominẽ seruituti & seruilibus plagis subijci,
dolo malo curauit. ¶ *Ex sacris Constitutionibus.*] Extat hac de re Constitutio [f] Constantini. Scribit
autem noster Hermogenianus [g]; aliquando pœnam in plagiarios pecuniariam tantùm statutam
fuisse per Legem Fauiam: sed eam postea desuetudine sublatam esse: & in hoc crimine detectos
plerunque in metallum damnari. Certè & Lex Mosaica plagiarios capite puniebat. Deute.ca.24.

d L. plagij. 1. C. ad l. Fau. de plag.

e L. 1. de pub. ind.

f L. vlt. C. ad leg. Fa. de plag.

g L. vlt. D. illo tit.

§. *Sunt præterea.*

1 Ambitionem coerceri quomodo intersit? & num.2.

3 Alexander Seuerus, & Iustinianus, honores publicos non vendiderunt.

4 Legem repetundarum L. Calphurnius Piso tulit; eandemq; postea auxit I. Cæsar; num.5.6.

7 L. Iulia de Annona qui teneantur? & Annona quid? num.8.

9 De annonæ præfectis & num.10.11.

12 Ius non esse ordini cuiusq; ciuitatis; precium grani quod inuehitur statuere.

13 Quid? si locupletiores æquis pretijs fructus suos vẽdere nolint.

14 Leges sumptuaria contra heluones.

15 L. Iulia de residuis qui teneantur? & num.16.

17 Eiusdem pœna quæ?

18 Hoc iudicium etsi publicum, tamen pecuniarium magis est quàm criminale.

19 Quæ hic Residua, *aliàs dicuntur* Reliqua.

20 De Iudicio Hæreseos; *quod & ipsum omnibus patere Reip. interest. & num.27.*

21.22.23 Ex leuibus suspicionibus nemo hæreseos damnandus; neq; hoc crimen in occasione, sed in veritate habendum est. num.24.

25.26 Iustiniani mandatum contra Personatos Religionis vindices.

28.29.30 Prima cura est Magistratus, tueri purum Dei cultum.

31.32 Ecclesia olim summa in hæreticos mansuetudine vsa est.

33. Erro-

33 *Ercteres non homines tollendi sunt, & num. 34.35. 36.37.*
38 *Quæ in hoc genere primùm leges Constantini, quæ item Iustiniani, quæ Theodosij fuerint; num. 39. 40.41*
42 *Libri heretici cur comburendi? & num. 43.44.*
45 *De iudicio hæreseos quales leges post Iustinianum edita sint?*
46.47 *In caussis religionis religiosè consulendam scripturam sanctam.*

¶ *Lex Iulia de ambitu.*]Si verum est, quod ait Plato; vix quenquam gerendo imperio idoneum esse, nisi qui inuitus & quasi coactus suscipit hoc munus; aut, quod noster Vlpianus[a] scribit; Eum, *a L. quæ omnia. §. nec*
qui se ingerit, hoc ipso suspectum esse: admodum Reipub. interest coërceri ambitionem: eoque di- *ferendus. de procur.*
1 ligentius, quò magis est ad ambitionem procliue humanum ingenium. Sed vt tolerari posit simplex ambitio, quæ præter nudam & ingenuam sui commendationem nihil habebat: saltem cùm
2 tributim pecuniæ per diuisores distribuebantur, passim redimebantur suffragia, & largitionibus corrumpebatur tota ratio & iudicium Comitiorum; non fuit tanto Reip. malo indulgendum. Ergo Romani, quantumuis ipsi supra modum essent ambitiosi, multis legibus voluerunt ambitum tollere. Certè Polybius lib. 6. veterem Carthaginensium Remp. damnat: Rom. verò laudat: quòd in illa nemo nō impunè mercaretur officia publica; in hac verò huius nūdinationis pœna esset capitalis. *Παρὰ Καρχηδονίοις* (inquit) *δῶρα φανερῶς διδόντες λαμβάνουσι τὰς ἀρχάς. παρὰ δὲ Ῥωμαίοις, θάνατός ἐστι περὶ τοῦτο πρόστιμον.* Cæterùm sub Cæsaribus omnia degenerârunt, nihilque non patuit am-
3 bitioni. Vnus laudatur Alexander Seuerus; quòd honores publicos vendi passus non sit. Quo nomine laudare possumus & nostrum Iustinianum, si quid credimus eius Nou. Constitutioni octauæ. Sed ô Leges inanes! Hodie nisi ambis, nisi ores, nisi dones: nihil agis. *non emitur sola virtute potestas.*

4 ¶ *Lex Iulia repetundarum.*]Legem de pecuniis repetundis, qua Senatores tantùm tenebantur, primus tulit L. Calphurnius Piso Tribunus pl. vt autor est Cicero in Bruto. Postremò à C. Iulio Cæ-
5 sare, primo eius Consulatu, lata lex est de pecuniis repetundis, in qua multa fuerunt, quàm in superioribus, acerbius scripta. Vnde & Tullius pro Rabirio Posthumo, Iubet (inquit) Lex Iulia persequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, peruenerit. Si est hoc nouum
6 in Lege Iulia, sicuti multa sunt seuerius scripta, quàm in antiquis Legib[a], & sanctius iudicata, &c.

7 ¶ *Lex Iulia de annona.*]Hac Lege tenetur, qui aliquid fecit, quo carior esset annona[b]. Sed & qui *b L. 2. D. ad leg. Iul. de anno*
8 annonam onerant adulterinis stateris, tenentur quoque Lege Cornelia[c] de falsis. Porrò annonā vocamus id, quod ad vitam tuendam pertinet. Eius autem magnam curam gesserunt Romani. Id *c L. pen. D. ad leg. Cor. de fals.*
9 ostendunt eorum Præfecti annonæ, Ædiles Cereales, & Episcopi illi, qui, vt ait noster Arcadius[d], *d L. vlt. §. item Episcopi. de mune. & hono.*
præerant pani, & cæteris venalibus rebus, quæ ciuitatum populis quotidianum victum suggerūt.
10 Sicut Iustinianus in Nouel. Constit. 17. & 24. ad Præsidis curam pertinere scribit, vt sit in ciuitatibus copia rerum ad victum necessariarum, quam appellat *εὐθηνίαν τῶν ἐπιτηδείων*. Sed & curam car-
11 nis omnis, vt iusto precio præbeatur, ad Præfectum vrbis pertinuisse responsum est[e]: sicut & Epi- *e L. 1. §. cura carnis. de offic. præf. vrb.*
scopis Christianis aliquando Principum rescriptis mandatum fuit, vt habita pauperum ratione prouiderent, ne commodum mercādi negotiatores excedant[f]. Sed nihil hic temerè statuendum *f L. 1. C. de Episc. audien.*
12 est, nec nisi habita iusti precij ratione. Idque mouit Impp. Seuerū & Antoninum, vt rescriberent[g]; *g L. vlt. §. 1. D. ad leg. Iul. de anno.*
ius non esse ordini cuiusque ciuitatis, precium grani, quod inuehitur, statuere. Notum est, quid olim acciderit Antiochiæ, quòd Iulianus Imperator minus iusta rebus venalibus precia statuisset.
13 Interim locupletiores, qui fructus suos æquis preciis vendere nolunt, dum minus vberes prouentus expectant, dicuntur[h] annonam onerare, & crimen extraordinarium committere. Quid verò *h L. annonam. de extraord. criminib.*
14 dicemus de profusis quibusdam helluonibus, quorum ventres non minus onerantur annona, quàm annonam onerant? Certè aduersus eos latæ sunt olim Leges Sumptuariæ.

15 ¶ *Lex Iulia de residuis.*]Hac lege tenetur, qui publicam pecuniam delegatam in vsum aliquem retinuit, neque in eum vsum consumpsit, vt ait Paulus[i], addit Marcellus[k], eadem lege teneri eum, *i L. 2. D. ad le. Iul. pec.*
16 apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione ex pecunia, quam acceperit, aliáve ex *k L. lege Iulia. §. lege Iulia. D. illo tit.*
causa pecunia publica resedit. Hac autem lege damnatus, amplius tertia parte quàm debeat, puni-
17 tur. Vnde hoc iudicium quantumuis publicum sit, magis tamen pecuniarium est, quàm crimina-
18 le. Nam & residuæ pecuniæ appellatur[l] actio, non autem accusatio. Sanè quę hic dicuntur residua, *l L. cum eo autem. D. illo tit.*
alibi in iure Ciuili appellari videntur, reliqua[m]. *m L. Lucius. de admini. tut. l. creditor de solut. l. rescripto. § ad eos. de mu. & hono.*

19 Enumerauit hactenus Iustinianus duodecim publica iudicia. Superest, vt pro coronide ad-
20 iiciamus iudicium Hæreseos. Nam & Iure Ciuili[n] apertè constitutum est, hoc quoque publicum esse crimen: & Reip. Christianæ interest, ne hoc malum vel ignotum vel impunitum latius grassetur, eius accusationem omnibus patere; modò graues & idonei sint accusatores, qui & rem tātam *n L. 4. C. de hæret. & Manich.*
intelligant, & integro animo eò descendant: coërceantur autem præpostera illa parum sanæ mul-
21 titudinis iudicia, futiles calumniæ, & leues suspiciones, cùm nec ex iis quenquam damnari debere, leges nostræ profiteantur. Alioqui statim optimi quique hoc prætextu facilè opprimentur. Est enim semper hoc paratum, nec minus ad commouendos vulgi animos idoneum crimen, quod
22 improbi quidam Corycei intendant egregiis & virtute aut sapientia vulgò præstantibus viris, qui sese non demittunt ad omnes stulti populi superstitiones. Non commemorabo quid Prophetis & Apostolis olim obiectū fuerit: profanæ quoque historiæ, illustria huiusce rei testimonia nobis suppeditant, dum proponunt, vel Socratis condemnationem, vel iudicium non minus sancti Philosophi Demonactis, vel Alcibiadis condemnationem, quam in absentem intenderūt Athenienses

Sycophantæ, εἰδότες τὴν πόλιν τῶν περὶ τοὺς θεοὺς μάλιστ' ἂν ὀργισθεῖσαν, εἴ τις εἰς τὰ μυστήρια φαίνοιτο ἐξαμαρτάνων, [scientes populum maximè commoueri, si quis in religionem siue in sacra mysteria deliquisse
dicatur, vt prudenter scribit Isocrates in Oratione περὶ τοῦ ζεύγους. Sed & Plato in Euthyphrone &
verè & grauiter loquens de Socrate ait, εὐδιάβολα τὰ τοιαῦτα εἶναι πρὸς τοὺς πολλούς, [inuidiæ & calū-
niæ obnoxia hæc esse coram multis.] Verùm Thucydides libro 6. & Plutarchus satis describunt, 23
quàm acriter hoc prætextu inflammatus Populus statim exarserit in Alcibiadem, præstantissi-
mum alioqui suum ducem. Primum ergo curare debent sapientes Reip. gubernatores, vt hîc va-
leat, quod de crimine Maiestatis grauiter respondit noster Modestinus[a]; Hoc crimen non in occa- 24
sione, sed in veritate habendum esse. Certè quàm sit hæc cura in Repub. necessaria, sensit etiam no-
ster Iustinianus: cuius temporibus quidam personati vindices religionis hoc specioso prætextu ita 25
grassabantur in vitas & facultates omnium bonorum virorum, vt hic Princeps, cuius alioqui sim-
plicitate & stupore facilè abutebantur, coactus sit, Præsidibus Prouinciarum mandare, vt hæc tes
illis esset curæ. Cuiusmodi sapientiss. & omni memoria præcipuè dignum mandatum extat in e-
ius Nouella Constitutione 17. his verbis; καὶ μὴν οὐδὲ προφάσει θρησκείας ἢ αἱρέσεως ζητήσεως συγχωρήσεις 26
περὶ τὴν ἐπαρχίαν κινεῖν, ἢ ἄλλως τινὰ τοιαύτην πρόσταξιν ἐγχειρισθῆναι ἐπὶ τῆς χώρας, ἧς ἄρχεις· αὐτὸς δὲ προνο-
ήσεις μετὰ τοῦ προσήκοντος καὶ τοῦ συμφέροντος τοῖς δημοσίοις, καὶ τὰ τοιαῦτα ἀνερευνᾶν, καὶ μὴ συγχωρεῖν τι παρὰ τὰς
ἡμετέρας γίνεσθαι προστάξεις προφάσει θρησκείας. [neque occasione religionis & quæstionis hæresi per-
mittes alicui, prouinciam commouere, aut aliter quandam præceptionem iniungi prouinciæ
cui præsides, ipse verò prouidebis, cùm competenti vtilitate fiscalibus, & quæ alia sunt huiusmo-
di perscrutari; & non permittere aliquid contra nostras fieri præceptiones occasione religionis.]
Interea autem diligenter coërcendum esse crimen hæreseos & violatæ religionis, quod & perni-
ciosum virus spargit, & Ecclesiam non minus dissipat, quàm politiam, nemo, qui sani sit iudicij, 27
dubitare potest. Nam & dominus olim pseudoprophetam de medio tolli iussit; & notum est,
quid eius mandato de Sacerdotibus Baal statuerint pij Heroës. Nec ignorare debent Magistratus; 28
primam ac potissimam sui muneris partem esse, vt tueantur purum Dei cultum, & sinceram reli-
gionem. Si profanus Iurisconsultus Paulus[b] probat iudicium Marci Imp. qui in insula relegauit
eum, qui aliquid fecisset, quo leues hominum animi superstitione Numinis terrerentur: quid
iudicare debent Christiani Magistratus de iis, qui impias inuehunt superstitiones, & blasphe- 29
mias, non minus aduersus numinis maiestatem, quàm populi salutem? Constat olim quoque a-
pud Græcos, sicuti & apud Romanos, capitale fuisse crimen τῆς ἀσεβείας [impietatis,] & quàm
essent veteres seueri vindices læsæ suæ religionis, ex eorum etiam legibus intelligi potest: & plera-
que huius generis annotaui ad Leges Romuli, capite septimo. Sed constat etiam, & ex eorum er-
roribus intelligi quoque potest, quàm sit necesse, vt præcedat doctrina & cognitio certa religionis 30
veræ. Certè vtraque valde necessaria est animaduersio, cùm nihil non moliatur ille cùm erroris &
mendacij parens, tum veritatis infestissimus hostis Satan, vt mundum profanis & impiis opinio-
nibus effascinet. Irenæus, Epiphanius & Augustinus laborant in recensendis, quas à tempore
Christi excitauit & sparsit huius generis pestibus; ac horrendum est, quot & qualia portenta enu-
merent. Sed tamen nescio qua mansuetudine & humanitate vsa semper est Ecclesia Christi ad- 31
uersus hæc monstra. Nam & Tertullianus scribit Marcioni damnato & eiecto, vltro reddita fuisse
ducenta, quæ in Ecclesiam contulerat, sestertia. Sed & cùm suos Magistratus & vim gladij impe- 32
riique ius Christiani habere cœperunt; nulla, quæ grauior esset, vsi sunt acerbitate. Imò D. Chryso-
stomus iudicauit; errores, non homines esse tollendos: quod certè, si commodè fieri posset, nemo 33
est, opinor, qui non facilè probaturus sit. Non dissimilis est illa Augustini sententia libro primo,
contra Petil. capite vigesimo nono: Diligite homines, interficite errores. Ac sanè in ea fuit aliquan- 34
do sententia, vt crederet; cum Hæreticis solo Dei verbo, nulla verò vnquam vi esse agendum. Sed 35
fatetur in sua quadam ad Vincentium Epistola quadragesimaoctaua, multis se deinde rationi-
bus & exemplis victum mutasse sententiam. Interim tamen non videtur probasse sanguinariam
vllam acerbitatem. Nam scribens ad Bonifacium Præfectum Numidiæ, laudat humanissimam
illam Theodosij Legem aduersus Donatistas latam; quòd pro Christiana mansuetudine, iis sup-
plicium capitis non irrogaret, sed pecuniariis tantùm mulctis, nempe decem librarum auri, casti- 36
garet. Hoc etiam plurimis aliis locis, præsertim in epistolis suis, agit Augustinus tractans causam
Donatistarū. Quin imo lib. 3. cōtra Cresconiū, cap. 50. profitetur; nullis bonis hoc placere in catho- 37
lica Ecclesia, si vsq; ad mortē, in quēquā, licet Hæreticū, sæuiatur. Sed hoc dictū nō oportet ad viuū
te secare. Multæ enim circūstātiæ incidere possunt & causæ, quæ nos aliter sentire cogant. Quæ fue- 38
rint in hoc genere primùm Leges Cōstātini, latius dicā in meo Cōstātino. Quæ sint Iustiniani no- 39
stri Cōstitutiones, annotaui ad eius Nou. Const. 42. Sed neque Theodosius in eadē semper sentētia 40
fuit. Nā extat quædā eius Cōstitutio[c], qua Donatistas & Manichæos bonis omnibus & facultatib⁹
mulctat, arcetq; ab omnib⁹ cōmerciis & successionibus. Edidit deinde aliā Cōstitutionē[d], qua o-
mnes Hæreticos, cuiusmodi multos enumerat, vsquā in Romanū locū cōueniēdi orādiq; faculta-
tē habere grauiter vetat. Iubetque Manichæos etiā de ciuitate pelli, atque adeò vltimo supplicio
tradi. Extat & tertia quædā eius Cōstitutio[e]; ne quis vel legat vel describat impios Nestorij libros,
sed vt ij publicè cōburantur. Sanè Iustinianus in Nouella sua Constit. 42. statuit. vt Hæretici veluti 41
inclusi desideāt in aliqua solitudine, sic vt seruentur, si resipiscere velint, & tamen aliis interim cō-
tagione non possint obesse. Cęterùm iubet cōburi eorum libros, qui falsum & impiū dogma spar- 42
gere possent. quemadmodū & in Actis Apostolicis legimus igni traditos fuisse libros magicæ cu-
riositatis.

a L. famosi. D. ad legem Iul. Ma.

b L. si quis aliquid. de pœnis.

c L. 4 C. de heret. & Manich.

d L. Arriani. C. illo tit.

e L. dānato. C. illo tit.

43 riositatis. Et noster Vlpianus[a] respondit; corrumpendos esse libros improbatæ lectionis. scimusq; a L. cætera. §. [illegible]
44 olim Athenis iussu Magistratuum conflagrâsse profanos illos impij Protagoræ libros. Certè piæ dem. D. fami. ercisc.
sunt, & pijs omnibus viris gratissimæ hæ flammæ & fauillæ, quibus abolentur impia & perniciosa
monumenta: non minus quàm impij sunt & omnibus bonis viris inuisi illi ignes & cineres, qui-
45 bus Antiochus absumere voluit Sacrosanctam Scripturam, vel impius ille rex Iehuda sanctissi-
mum librum Prophetæ Ieremiæ. Quæ autem post nostrum Iustinianum leges editæ sint de iudi-
cio hæreseos, non admodum lubet referre, nec omnino vel huius loci est, vel nostræ professionis.
Et quorsum tandem commemorarem Bonifacianas sanctiones de hæreticis? Sed priusquam fi-
nem faciam: adijciendum aliquid videtur de certa aliqua lege, qua dignoscatur hęresis, quę dam-
nationem mereatur. Et sanè cùm tanta sit humani iudicij caligo, & tot erroribus obnoxia cęcitas,
46 vt non temerè in tantis tenebris verum à falso rectè discernat, nisi melior aliqua lux aliunde illi
affulgeat: sententia est omnium de rebus rectè iudicantium; in causis religionis religiose consulē-
dam esse Scripturam sanctam. Sunt enim ea veluti à Deo consignatæ Tabulæ, quarum oraculis
definiantur huius generis controuersiæ. Atq; hac quidem de re apud Theodoritum lib. I. historiæ
Ecclesiasticæ, extat sanctissima & omnium seculorum memoria præcipua digna religiosi Princi-
pis Constantini Lex, quam in Niceno Concilio assentientibus omnibus Christianis Episcopis
edidit, & quam omnes boni & prudentes semper iudicârunt dignissimam esse, quæ insignibus
literis inscriberetur omnibus omniū iudiciorum Ecclesiasticorū parietibus. Eius verba sunt hæc:
ΕΥΑΓΓΕΛΙΚΑῚ ΒΊΒΛΟΙ ΚΑῚ ἈΠΟΣΤΟΛΙΚΑῚ, ΚΑῚ ΤῶΝ ΠΑΛΑΙῶΝ ΠΡΟΦΗΤῶΝ ΤᾺ ΘΕΣΠΊΣΜΑΤΑ, ΣΑΦῶΣ ἩΜᾶΣ, Ἃ ΧΡῊ ΠΕΡῚ ΤΟΥ͂ ΘΕΊΟΥ ΦΡΟΝΕΙ͂Ν ἘΚΠΑΙΔΕΎΟΥΣΙ. ΤῊΝ ΠΟΛΈΜΙΟΝ ΟΥ̓͂Ν ἈΠΕΛΆΣΑΝΤΕΣ ἜΡΙΝ, ἘΚ ΤῶΝ ΘΕΟΠΝΕΎΣΤΩΝ ΛΌΓΩΝ ΛΆΒΩΜΕΝ ΤῶΝ ΖΗΤΟΥΜΈΝΩΝ ΤῊΝ ΛΎΣΙΝ. [*EVANGELICI ET APOSTOLICI LIBRI, NEC NON ANTIQVORVM PROPHETARVM ORACVLA PLANE INSTRVVNT NOS SENSV NVMINIS. PROINDE HOSTILI POSITA DISCORDIA, SVMAMVS EX DICTIS DIVINI SPIRITVS EXPICATIONES QVAESTIONVM*]

FRAN. BALDVINI IVRISCONS. COMMENTARIORVM IN LIB. IIII. INSTSTVTIONVM IVSTSNIANI IMP. FINIS.

INDEX RERVM AC VERBORVM, QVAE IN HIS FRANCISCI BALDVINI COMMENTARIIS CONTINENTVR, COPIOSISSIMVS: IN

quo autorum tam veterum quàm recentiorum loci explicati annotantur; & definitiones & etymologiæ vocabulorum describuntur; & iuris Quæstiones breuibus pronunciatis digeruntur.

P, principium paginæ; m, medium; f, finem designat.

A.

 adolescens

animalia

B.

C.

 de cogna-

enpi-

E

F

furtum

G

H

I

iter

labeo

L

legato-

littus

O.

in Opt-

præiudic-

Q.

R.

Q q 5 succeßio-

T.

Thulita

V.

valetudo

vsuras

FRAN. BALDVINI, I.C. CL.

IN

LEGES ROMVLI

ET

LEGES XII. TABVL.

LIBRI DVO:

Quibus fontes Iuris Ciuilis explicantur:

Illuſtrati SVMMARIIS, Græcorumque interpretatione locupletati, ſtudio & opera

HENRICI PETREI
Herdeſiani.

Cum rerum & verborum inſignium INDICE.

ET



LVGDVNI,
APVD CAROLVM PESNOT.
M. D. LXXXIII.

NOBILIBVS ET STRENVIS CONRADO ET GEBHARDO, ANDREAE FILIIS, A Meiendorff, in Vmmendorff; fratribus Germanis:

S. P. D.

Henricus Petreus Herdesianus.



VM recognitos à me in Imperiales Institutiones Francisci Balduini I. C. CL. commentarios denuo Typographi essent elaboraturi; istas ab eodem explicatas cum Romuli tum Decemuirorum Leges (fontes Iuris ciuilis & riuos) existimârunt illis adiungendas. Caeterum, quo expeditior earum foret grataque pluribus lectio, me rogârunt, vt easdem recenserem, & tū Graeca, à Balduino citata solum nec Latina facta, interpretando, tum in singula capita praemittendo summaria si quas animaduerterem mendas corrigerem. Equidem, vt non tantum esset abs re mea ocij mihi, aliena vt curarem; morem gessi tamen illis, iure, iudicio meo, tenui, illorum opinione vtili. Neq; enim hîc tantum requiri laboris putaui, vt precibus magnopere videretur exorandum. Forte autem in ipsa tractatione tum Iuris tum Imperij Romani cunabula, tantae olim molis fundamenta, intentius intuebar; atque illae etiam de exequiarum iustis XII. Tabularum Leges erant in manibus; iamque maestissimum nobilis & praeclari Iuuenis Hermanni Kotzij, consobrini vestri p. m funus animo & tantumnon oculis meis obuersabatur; cum litterae mihi redduntur Iohannis Himselij, V. CL. ex quibus incolumitatem quidem vestram, sed & grauem ex obitu patris vestri carissimi conceptam aegritudinem cognoui. Equidem ipse rerum mearum satagebam, meumque ipse patrem virum honestum & integrum Heisonem Petreum lugebam; sed tamen vestro quoque dolore me affici, scribendo vobis declarare constitueram. Tabellarios vero vt expecto, aestas elapsa est; vestramque, vti spero, aegritudinem cum sacrarum litterarum consolationes mitigârunt interim, tum dies minuit. Porro cum & illae interea Romuli atque Decemuirorum Leges iam quasi renatae prodirent; ad vos haec, fratres germani, visum fuit praefari, quos aequo id animo laturos esse confiderem. Etsi enim à multis hodie vestri ordinis hominibus liberales disciplinae contemnuntur, vestra tamen iudicia de litterarum vsu & cultu longè alia perspecta mihi sunt. Nimirum & pater, quem dixi, vester ANDREAS A MEIENDORF. *p. m. non ipse modò doctrinarum studijs excellebat, sed singulari eadem benignitate fouebat; in quorum scilicet conseruatione sitam esse videret Reip. salutem. Dederat ipsi Deus, praeter eminentioris tum generis tum staturae dignitatem, ingenium egregium, & fortunas amplissimas; sed parum id esse putabat, nisi & virtute pariter & litteris eloquentiaque praestaret. Itaque eius in arduis saepe & intricatis Reip. negocijs discernendis iudicium, inque ijsdem explicandis industriam, multi sunt admirati. Imprimis vero artium opt. studia quanti faceret, ea re ostendit, quod non puerilem tantum indolem vestram magistris eruditis in disciplinam traderet, verum aetate etiam prouectioribus eos vobis praeficeret, à quibus ad omne officij genus instructi non solum viuo ipsi sed morienti etiam solatia praeberetis. Etenim vbi animam, seruatoris Christi meritis fidentem, Patri caelesti commendâsset, in vestra potissimum commoditate, quod terrena attinet, acquiescens obdormijt; non annis iam melioribus fraudatus, nec tristiora senectutis fastidia expertus. Cum igitur, quorum patres aut maiores aliqua gloria praestiterunt, ij (quod ait Cicero) studeant plerumque in eodem genere laudis excellere; non esse opinor quod verear ne hanc interpellationem improbetis, aut libri huius, à me summarijs illustrati Graecorumque interpretatione locupletati, patrocinium grauate suscipiatis. Valete, & consobrinis vestris Aluenslebijs salutem dicite verbis meis plurimam. Data 9. Calend. Septemb. Anno M. D. LXXXIII.*

PRINCIPI NOBILISSIMÆ MARGARITÆ FRANCÆ, DVCI BITVRIGVM, Franciscus Balduinus S. P. D.



SI CVM suis Legibus renasceretur Romulus, ijs vt maioris aliquid vel dignitatis conciliaret, vel autoritatis, faceret profectò, quod fecêre sapientissimi, qui secuti eum sunt, Legumlatores, vt non tam autorem se, quàm maius aliquod Sapientiæ Numen profiteretur. Neque verò inuideret aut Numæ suam Aegeriam, aut suam Soloni Mineruam. Vellet autem, si posset, adire te, quam vtriusq; & sapientiam & virtutem, non referre modò, verùm etiam superâsse audiret. Sed in istam tamen tuam pietatis iudicijque præstantiam semel intuitus, tam esset, opinor, religiosus, vt ad te referre non auderet, quæ neque tam sacrosancta esse intelligeret, neque tam augusta, te vt autore digna videri possint. Nos eò minimè sanè audaciores esse conuenit: tantò etiam timidiores, quantò fuit maior Rex tantus. Sed quid ille tamen ante tot annos de rebus summis iudicârit, si quæras (quanquam minimè id nescias, quæ tanto maximarum rerum studio teneris) tribues tu quidem Antiquitati, quod ei debetur, vt qualis qualis est, digna sit, quæ consideretur: efficies autem, vt has, tenues licet & exiles, eius reliquias, & offerri tibi, & tuo etiam augustissimo in nomine apparere non recusem: tantoq; id recusem minus, quòd eas nobilissimæ Reginæ Nauar. amitæ tuæ placuisse meminerim: & hæredi tibi, quod iam illi nomen debebam, exoluendum esse cogitem: tantoq; etiam magis, quòd in illius tu locum ita successisti, vt non amisisse, sed maioris etiam spei Margaritam veluti reflorescentem tempora hæc nostra recepisse videantur. Edent alij aliam suæ propterea lætitiæ significationem: tua certè hæc Schola neque muta erit, neq; otiosa, neque ingrata. Ex cuius interea literis, quas in ea profitemur, si quid ad te verecundè referre voluerim: neque maius tamen quippiam, aut à tua persona minus alienum dare potuerim: Tu pro tua singulari benignitate, hominis tibi addicti studio facilè ignosces: qui est eius erga te obseruantiæ, suam vt tenuem atque exiguam facultatem tibi notam esse, quàm voluntatem prorsam ignotam mâlit.

Ex tua Academia Biturigum, Calendis Iunij,
M. D. L.

FRAN.

FRANCISCI BALDVINI IVRISCONSVLTI LIBER PRIMVS AD LEGES

Romuli Regis Rom.

1.32. Iuris Ciuilis origo studiosè perquirenda est; & inde vsq; à Romulo repetenda.
2. Marlianus de memoria Ro antiquitatũ opt. meritus.
3. Lingua temporibus Romuli in Latio quæ?
4. Seruius Tullius suas fœderum leges Latinas conscripsit veterum Græcorum literis.
5. Græcorum olim literæ fuerunt eadem penè quæ postea latinæ.
6. In Italia feri olim homines, vsq; ad tempora Saturni.
7. Saturnum secuti sunt ex Græcia Oenotry, Aborigines, & Pelasgi; & tandem etiam Arcades.
8. Itali quo iure ciuili sub Latinorũ regno vsi sint ignoratur.
9. Reip. Rom. initia Iustinianus refert ad Aeneam; progressus ad Romulum & Numam; perfectionem ad Cæsarem & Augustum.
10. Romuli leges ante quot iam annos editæ?
11. Lycurgi, Zaleuci, & Solonis tempora.
12. Pŭrę xι Lycurgi, Aφoρες Solonis.
13. Antiquitati pauca breuesq; leges satis erant.
14. Dionysius Halicarn rerũ Rom. grauissimus scriptor.
15. Romuli in Deum pietas quæ?
16. Ratione humana de Deo quatũ thesis tũ hypothesis?
17. Superstitio. nisi stirpitus euellatur, tolli non potest.
18. Romuli temporibus regnabat Achas.
19. Vbi de Religione quæritur, nihil neq; Romulo neq; Numæ tribuendum.
20. 21. In rebus politicis constituendis hominum ratio & iudicium quid valeat, exemplo nobis est Romulus.
22. Iurisprudentia quasi frenũ inycit hominũ audaciæ.
23. Ex malis morib. bonæ leges natæ sunt.
24. De contractibus priuatisq; rerum dominijs legem Romulus nullam tulit.
25. Numa contractuum & priuatorum dominiorum causa numen Fidei & Termini conseruauit.
26. Romam Tullus armis, Ancus muro, Priscus maiore senatu locupletauit; Seruius tandem populosiorem pluribus legibus coërcuit.
27. Numum primus signauit idem Seruius.
28. XII. demum Tabulæ Iuris Romani corpus constituebant.
29. XII. Tabularum autores Decemuiri ius priuatum, à Romulo minus quam ius publicum explicatum, diligentius complexi sunt.
30. XII. Tabulæ ad Prætorum edicta, ad prudentum responsa, atq; ad rescripta Principum collata vix tenuia videntur esse iuris Ciuilis principia.
31. Cum Imperio populoq; Romano ipsa quoq; moles Iuris accreuit.
33. 34. Veteris Romæ rudera; & pastoralis casa Romuli.
35. Aenea veteris Lupæ effigies adhuc Romæ.
36. Romuli leges quam effigiem contueri iucundius est.
37. Romulus anno ætatis 18. Vrbem condidit; annis 37. regnauit.



Ogitanti mihi persæpe de origine Iuris, veteremque Rom.
Remp. & eius, quam posteritati reliquit, Ciuilis prudentię Le-
ges consideranti; & turpe, & indignum his studijs esse visum
1 est, primos eius veluti fontes non modò non tenere, sed nec
perquirere studiosè. Cumque ab Romulo primo Rom. Rege,
& Vrbis ipsius conditore id repetendum esse iudicarem; &
quod de eo literis proditum est, diu multumque mecum reputarem; cœpi equidem eius admiratione captus, earũ quoq; quas edidisse feruntur, Legũ tabulas, si in aliquo fortè recessu Antiquitatis delitescerent, vehemẽter expetere; quarumq; reliquias in veterũ scriptorũ monumentis sparsas, disiectasq; superesse videbam, magna & diligentia, & religione peruestigare. Id cùm facio, cōmodè incidi in eam, quæ harum legum capita continebat, antiquissimam ta-
2 bellã, multis olim annis (vt à Marliano, viro doctissimo, & de memoria Rom. antiquitatum optimè merito, accepi) adseruatam. Et quanquam verba nō tam esse videantur antiquitatis obsoletæ, vt Romuli referant ætatẽ: sententiã tamẽ ipsam & eius esse, & à veteribus Romanis perscriptam, vix quenquam esse arbitror, qui
3 negare ausit. Linguam, qua Romulo regnante vtebantur in Latio, vix, opinor, intellexissent, qui postea & Romanè, & Latinè loqui optimè dicuntur. Certè Ser-
4 uius Tullius Rex, suas fœderum leges, quibus cum suis Romanis Latinos coniunxerat, conciliaratq;, literis, quibus veteres Græci vtebantur, cōscripsit: ac ipsa quidem ænea columna, in qua erant inscriptæ, adhuc tempore Augusti Romæ extabat in Dianæ templo. Sed non ideo existimemus linguam Romanorum, Græcam aliquando fuisse. Pompeius Festus commemorat verba quarundã Legum Numæ Pompilij: quæ planè Latina sunt. Meminerimus etiã Plinium li. 7. cap. 58 scripsisse,
5 veteres Græcas literas, easdẽ penè fuisse, quæ postea Latinę. Sed missam hanc facio de genere sermonis, literarumq; forma coniecturam. Rem potius ipsam videamus. Primi in Italia homines feri, queis neq; mos, neque cultus erat, habitârunt,
6 vsq; ad tempora Saturni;

Is genus indocile, & dispersum montibus altis,
Composuit, legesque dedit:
Aureaque (vt perhibent) illo sub Rege fuêre
Secula: sic placida populos in pace regebat:

Vt est apud Poëtam. Sed quales fuerint hæ tantorum bonorum autores Satur-
ni leges, ignoramus. Secuti sunt ex Græcia Oenotrij, Aborigines, & Pelasgi. Tan-
dem etiam Arcades, qui & literarum Græcarum vsum inuexerunt, & cum artibus 7
multas humanioris vitæ leges. Sed earum quoque iampridem memoria omnis
interijt: quanquam Augusti adhuc tempore sacra illa, quæ Arcades instituerant,
Romæ seruata sint. Sed neque quo iure ciuili vsi sint Italiæ incolæ toto illo Lati-
norum regno, scimus. Iustinianus noster in Nou. Const. 47. principia Rom. Reip. 8
ad ipsum Aeneam refert: quem initia quædam honestæ Reip. dedisse ait, & veluti 9
prima fundamenta iecisse. Secundo loco, Romulum, & Numam habet, sicuti ter-
tio Cæsarem, & Augustum. Sed antiquissimæ, quæ quidem certò commemoran-
tur, Romuli leges sunt, ante annos tercentum supra bis mille editæ: quo tempore 10
vix mortuus erat Lycurgus, nondum natus Zaleucus, qui annis plus centū: non 11
dum Solon, qui ferè ducentis annis posteriores sunt: quanquam & earum, quas hi
ediderunt, legum vix tenues quædam, & sparsæ reliquiæ super sint. Et quicquid
tamen id est, quod reliquum est, vel Lycurgi ΤΩΝ ΡΗΤΡΩΝ apud Xenophontem, 12
& Plutarchum: vel apud Plutarchum, & Demosth. Solonis ΤΩΝ ΑΞΟΝΩΝ, vel Za-
leuci apud Diodorum Siculum, & Stobæum, quis non propter antiquitatem co-
lit, & tanquam oracula penè adorat? Quò magis non ingrata multis fore confi-
do, qualiacunque supersunt Curiata Romuli scita, tanti & principis, & talis, tan-
tæque Reip. autoris, Cumque Antiquitatis illius, qui iam paucæ, breuesque le- 13
ges fuêre satis, simplicitatem magna cum voluptate considerabunt; illa etiam
fortassis promissa olim tempora expetent;

Aspera cùm positis mitescent secula bellis:
Cana Fides & Vesta, Remo cum fratre Quirinus,
Iura dabunt.

Certè Dionysius Halicarnassæus, rerum Rom. grauissimus scriptor, (cuius te-
stimonio, si quid de Romulo dicendum sit, tam libenter vtor, quàm in historia 14
fidem, ac diligentiam scriptoris optimi vehementer probo) magno studio disse-
rit, quantum sit his Romuli Legibus tribuendum, quantum Reip. quam insti-
tuit; tantoque etiam magis, quòd religionem tanta etiam cura constituerit. Ac 15
laudanda quidem est hæc, quæ à sacris aliena non sit, voluntas: sed eius tenebras
& errores vel vanitatem potius videmus in ea re. Esse quidem videtur & pia & 16
sana hominum aliqua veluti thesis de Deo: sed cùm ad ipsam descendunt hypo-
thesim, homines se planè esse ostendunt. Deum esse colendum rectè iudicat
Romulus: sed quis verè Deus sit, & qua ratione colendus, non vidit: nec potuit
homo profanus, & doctrinæ cœlestis ignarus. Ea est tamen in illa ignoratione
hominum audacia vel temeritas potius infinita, vt nihil non citius confingant,
quàm hac in re nihil definiant: nam & in hisce suis speciosis figmentis vehe-
menter sibi placent. Diceres Romulum & Numam crassiores quasdam vulgi
superstitiones tollere voluisse: sed cùm stirpes non exciderint, fieri non potuit,
quin magis etiam repullularent. Fœcunda est enim, quæ stirpitus euulsa non est, 17
superstitio, & in immensum serpit. Sed quid à Romulo requiras? cuius tempore
tristissima erat religionis veræ penes eos ipsos, qui custodes eius esse debuerant,
confusio obliuioque, vel contemptus potius, cùm regnaret impius ille Achas, 18
qui altare Domini disiecit, suum vt Damascenum erigeret: & tandem ipsum
quoque templum obstruxit, in quo erat colendus Deus. Verùm neque Ro- 19
muli superstitioni, neque Numæ delirijs, cùm de religione quæstio erit, quis-
quam sanus quicquam tribuet. Ac si mihi aliquod fuerit otium, de Iurispru-
dentia Christiana, quod institui, perscribere: efficiam, spero, vt omnes intelli-
gant, repudiandam esse tunc Iurisprudentiam vel profanam vel Fanaticam: reli-
giosam verò consectandam esse. Cæterùm in rebus politicis constituendis quan-
to sit hominum & ratio & vis iudicij maior, meliorque, vel idem nobis Romu- 20
lus testis

Ius testis esse potest:cui inter pastores & in caulis ouiū educato, ad Reip. optimæ
formam instituendam, & ad regendam multitudinem, suarumq; clientelarū ho-
nestissimo vinculo continendam, ciuilis prudentiæ tantum fuit, quantum in vllo
veterum Vrbiū conditore, vel sapientissimo eruditoq; homine esse potest. Certè
fundamēta iecit eius ciuitatis, cui & aliæ postea omnes cessêre, & tantùm tribuē-
re, sola vt ad imperium & Leges orbi terrarum dandas condita videretur. Sparsit
21 Legum semina, ex quibus ea deinde Iurisprudentia enata est, qualem nullus vn-
quam alius habuit populus, & quam solam esse omnes fatentur, quæ ad regendas
Respublicas sit satis. Equidem quoties ab Romulo ad nostrum vsq; Iustinianum,
temporum memoriam, annorū ferè mille & trecentorum, mecū repeto, & quæ,
qualesq; Legum moles ex tam exiguis initijs natæ sint, considero; videre mihi vi-
22 deor cum hominum degeneri audacia magis atq; magis pugnātem Iurispruden-
tiam: & quid intersit inter illam Antiquitatis ingenuam simplicitatē, & astutam
posteritatis malitiam, sæpe cogito. Fœlix illa, ætate Romuli, vitæ facilitas, quę tot
vinculis coërcenda non fuit. Sed morbis tamen grassantibus remedia prudenter
23 esse quæsita, & ex malis moribus bonas esse natas leges, aliquod est in malis sola-
tium: & habenda Romanis gratia, qui ad huius vitæ turbas cōponendas tantum
24 nobis reliquêre & consilij, & iudicij, & æquissimæ rationis. Nullā de contractibus
aut priuatis rerum dominijs legem tulit Romulus. Nam & vilia vix erāt commer-
25 cia, & de finibus lis nulla. Legis vtraq; de re loco Numa Fidei Terminique numen
26 consecrauit. Tandem Seruius cùm totam vrbem, quam Tullus bellator militari
disciplina armârat, Ancus ædificator muro cinxerat, Priscus maiori senatu ornâ-
rat, iam populosiorem ordinasset descriptione classium atq; census, Latinorum-
27 que populorum societate auxisset, & numum primus signasset, cuius necessariū
in commercijs vsum esse vidit: de nundinis, de cōtractibus, & iniurijs leges quin-
quaginta edidit: quibus & ciuilem permutationum æqualitatem tueretur, & no-
28 uas populi, qui iam astutus euaserat, fraudes coërceret. Sed iuris Romani publici
priuatiq; quoddam veluti corpus tum demum & compositum fuisse videtur, &
absolutum, cùm duodecim Tabularū leges editæ sunt. Acius quidem publicum
29 de sacris & magistratibus diligenter constituisse Romulus visus est: priuatū verò
minus explicâsse: quod quidē XII. Tabularum autores Decemuiri tanto studio,
tantaque cura sunt complexi, vt minima quæque persecuti etiam sint. Quantula
tamen ea sunt, quàm tenuia principia, si cū illis, quæ deinde consecuta sunt, tam-
30 que latè diffusa, vel Prætorum edictis, vel Prudētum responsis, vel rescriptis Prin-
31 cipum conferantur? Nempe, cum Imperio, cumque Pop. Rom. sensim accreuit
32 ipsa moles iuris Ciuilis. Sed hoc incrementum à primis initijs cōsiderandum est.
Certè quò maiora flumina sunt, tantò solent admirationi magis esse eorum fon-
tes non magni. Neque vereor ne multis rudia & inculta videantur, quæ à Romu-
lo iacta sunt fundamenta, si quàm exigua & rudis tum eius esset ciuitatula, consi-
33 deremus. Sed & rudera quoque veteris Romæ quis non contuetur libenter? Au-
gusti adhuc tempore pastoralis casa Romuli, qualis primùm ab eo fixa fuerat,
magna religione Romæ seruabatur, ea in regione Vrbis, qua ex Palatio ad Cir-
34 cum diuertebatur: gratiusque Romanis & admirabilius erat hoc ligneum arun-
dineumque tuguriolum, omnibus omnium principum virorum marmoreis
35 substructionibus. Et quem vel hodie Romæ propter antiquitatis memoriam
non iuuat spectare æneam veteris Lupæ effigiem,

— — geminos atque (vt ait Poëta) vbera circum,
Ludere pendentes natos, & lambere matrem
Impauidos: illam tereti ceruice reflexa
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua?

36 Quanto magis Romuli grauissima iudicia de Repub. primamque Legum de-
scriptionem, & veluti effigiem considerare, suaue est? Narrant Romulum non
37 nisi decem & octo annos natum fuisse, cùm Vrbem suam conderet. Sed senilis
sapientia eius fuit, qua eam, septem & triginta, quibus regnauit, annis, rexit atque
gubernauit.

LEGES

LEGES ROMVLI.

I.

NE QVID INAVGVRATO FACIVNTO.

II.

PATRES SACRA, MAGISTRATVSQVE SOLI PERAGVNTO INEVNTOQVE.

III.

SACRORVM OMNIVM POTESTAS SVB REGIBVS ESTO. SACRA PATRES CVSTODIVNTO.

IIII.

PLEBEI AGROS COLVNTO.

V.

POPVLVS MAGISTRATVS CREANTO, LEGES SCISCVNTO, BELLA DECERNVNTO.

VI.

DEORVM FABVLAS NE CREDVNTO.

VII.

DEOS PEREGRINOS, PRÆTER FAVNVM, NE COLVNTO.

VIII.

NOCTVRNAS IN TEMPLO VIGILIAS NE HABENTO.

IX.

NE QVIS PRÆSENTIBVS FOEMINIS OBSCOENA VERBA FACITO.

X.

QVISQVE DEMISSAM AD TALOS TOGAM IN VRBE HABETO.

XI.

PARRICIDAS OMNES CAPITE PVNIVNTO.

XII.

NE QVIS, NISI PER PORTAS, VRBEM INGREDITOR, NEVE EGREDITOR. MOENIA SACROSANCTA SVNTO.

XIII.

MVLIER VIRO LEGITIME CONIVNCTA, FORTVNARVM ET SACRORVM SOCIA ILLI ESTO. VTQVE DOMVS ILLE DOMINVS, ITA HÆC DOMINA.

XIIII.

FILIA VTI PATRI, ITA DEFVNCTO VIRO HÆRES ESTO.

XV.

ADVLTERII CONVICTAM VIR ET COGNATI, VTI VOLENT, NECANTO.

XVI.

SI VINVM BIBERIT, DOMI VT ADVLTERAM PVNIVNTO.

XVII.

PARENTVM LIBEROS OMNE IVS ESTO RELEGANDI, VENDENDI, ET OCCIDENDI.

XVIII.

MONSTROSOS PARTVS SINE FRAVDE CÆDVNTO.

ANNOTATIONES.

IN I.

NE QVID INAVGVRATO FACIVNTO.

1. *Romulus augur auspicato vrbem condidit, augurioq; fratri prælatus regnum adeptus est.*
2. *Lacedæmoniorum quoque exemplo fieri potuit, vt tantum Romulus augurijs tribuerit.*
3. *Lacedæmonij Regibus suis Augurem assidere, & Senibus eundem interesse voluerunt.*
4. *Athenienses publicis consilijs suos vates siue sortilegos adhibebant.*
5. *Romuli auguratus, secundum Ciceronem, qualis?*
6. *Antiquitatis gentilis religio quæ?*
7. *Romuli exemplo cæteri quoque Reges auguribus vsi sunt.*
8. *Tarquinio Prisco Næuij Auguris nouacula religionem iniecit.*
9. *Romuli hasta terra infixa frondes emisit.*
10. *Auguratorium vbi Romæ ædificatum?*
11. *Augurum autoritas prodigijs confirmata.*
12.13. *Ciceronis de Augurum autoritate testimonia.*
14. *Posteriorum Cæsarum leges Aruspices igne, & consulentes eos exilio multant.*
15. *Q. Mutius Scæuola I.C. augur fuit; Sed Tubero I.C. auguribus fuit iniquior.*
16. *Pythagoras & Plato augures coluerunt.*
17. *Iudæus Mysomanus in exercitu Alexandri.*



MArens Cicero in libris de Diuinatione scribit; Vrbis Romanæ 1
parentem Romulum nõ solùm auspicatò Vrbem condidisse,
sed etiam optimũ Augurem fuisse. Certè augurio & fratri prælatus est, & regnũ adeptus; vt nõn temerè augurijs multũ tribuisse videatur. & fortassis exemplo quoq; Lacedæmoniorum 2
mouebatur, qui & Regibus suis Augurẽ assessorem dederunt, 3
& Senibus interesse voluerunt: sicuti & Athenienses omnibus publicis consilijs 4
suos MANTEAΣ, (vates) adhibuerunt. Ac fatetur quidem Cicero, Romuli augura- 5
tum pastoralem, non vrbanum fuisse: nec fictum ad opiniones imperitorum, sed à certis acceptum, & posteris traditum: nec in Romulo hãc calliditatem esse potuisse, nec in pastoribus illis, quibus præfuit, vt ad errorem multitudinis simulachra religionis fingerẽt; sed erràsse multis in rebus Antiquitatem, quæ postea vel 6
vsu, vel doctrina, vel vetustate immutata sit: retineri tamen, & ad opinionẽ vulgi, & ad magnas vtilitates Reip. morem, religionem, disciplinam, ius Augurũ, collegij autoritatẽ. Certè idem testis est, exemplo Romuli reliquos Reges Romanos 7
Auguribus vsos esse, & exactis Regibus nihil publicè sine auspicijs, nec domi nec militiæ, ac ne priuatim quidẽ gestũ esse. Vnus ex Regibus Tarquinius Priscus & hãc Romuli legem, & auguria irrisisse videtur. Sed Næuij Auguris nouacula, quæ 8
cotem dissecuisse dicitur, religionem illi iniecit. Cuius generis & illud fuit, quòd Romuli hasta, quã captato augurio ex Auentino monte in Palatiũ misit, fereba- 9
tur terræ infixa frondes emisisse, & in arborem, iuxta quã Auguratorium postea 10
ædificàrunt, creuisse: vt de Romuli fabuloso lituo nihil nunc dicã. Illis prodigijs, quæ homines vel astuti, vel superstitiosi cõfinxerunt, atque in vulgus sparserunt, & aucta est auguriorũ religio, & confirmata lex Romuli, ne quid inauguratò fie- 11
ret: & maximum habitum est præstantissimumq; in Rep. & cum autoritate coniunctum ius Augurum. Sic enim M. Tullius scribit in libris de Legibus, idq; ele- 12
gantissimè his verbis exponit; Quid maius est, si de Iure quærimus; quàm posse à summis imperijs, & summis potestatibus, comitiatus & concilia, vel instituta dimittere, vel habita rescindere? Quid grauius, quàm rem susceptam dirimi, si vnus Augur ALIVM dixerit? Quid magnificẽtius, quàm posse decernere, vt magistratu se abdicent Consules? Quid religiosius, quàm cũ populo, cũ plebe agendi ius aut dare, aut nõ dare? Quid, leges nõ iure rogatas tollere? nihil domi, nihil militiæ per magistratus gestũ sine eorũ autoritate posse cuiquã probari? His verbis nõ obscurè ostendit Cicero, quantum Romani huic de Augurijs legi tribuerint. Certè & cùm leges ipse confingit; vt Romulum imitari videatur, hæc edit capita; 13

QVÆQVE AVGVR INIVSTA, NEFASTA, VITIOSA, DIRA DEFIXERIT, IRRITA, INFECTAQVE SVNTO.
QVIQVE NON PARVERIT, CAPITALE ESTO.
QVI AGENT, AVSPICIA SERVANTO.
AVGVRI PARENTO.

Sed longè aliæ postea fuerunt Romanorum Cæsarum leges: quæ quidem ex-
14 tant in Codice nostri Iustiniani. Nam Constantinus Imperator statuit, Aruspi-
ces esse concremandos, & in insulam deportandũ, qui eos consuluerit. Constan-
tius quoq; & Iulianus grauissimè vetant Augures consuli. Quid verò de Pruden-
15 tibus nostris dicam? Augur fuit Q. Mutius Scæuola Iurisconsf. cuius domus & ha-
bebatur, & erat totius Vrbis oraculum. Sed Iuriſconsultus Tubero tantũ Augu-
ribus nõ tribuit, quin adnerſus Africani auunculi sui testimonium indicârit, va-
16 cationem ijs, quo minus iudiciijs operam darent, non esse dandam. Pythagoram
mirarer eos tãtopere coluisse, nisi & grauissimus philosophus Plato auguria pro-
bâsset, Nam & in Phędro vocat τὴν γε τῶν ἐμφρόνων ζήτησιν τοῦ μέλλοντος διά τε ὀρνίθων, &c. (Sa-
pientum inuestigationem futuri per auguria) Sed nos qui melioribus magistris,
Christo, eiusq; & Prophetis & Apostolis, operam nomenq; dedimus, vanas ina-
nium auguriorum imposturas aspernati, nihil quidem temerè, aut inconsulto
Deo aggrediemur; sed eum in suo Verbo consulemus. Hęc nobis sacrosancta au-
guria, hæc oracula sunto. Atque vtinam sit hæc aliquando hominum religio, ni-
hil vt instituant, aut moliantur inconsulto Verbo Domini. Certè Iesaias tempo-
ribus Romuli & id vnum esse consulendum, quod sequamur, religiosè docebat;
& hominum vanitatem atque dementiam, qui Aruspices nescio quos, audirent,
grauiter accusabat. Sed lepidum est, quod Eusebius narrat de Mysoulano quodã
17 Iudæo, qui in exercitu Alexandri Macedonis, cùm profanos homines auguria
captare videret, volãtem auem, in quam suspensi intuebantur, iaculo transfixit.
Sic enim irridere voluit, quam à Prophetis damnari audierat, Aruspicum stulti-
tiam. Ridiculum est enim existimare, auem res hominum futuras prędicere, quę
emissam in se sagittam non videt.

IN II.

SACRA PATRES, MAGISTRATVSQVE SOLI PERAGVNTO, INEVNTOQVE.

1. *Ex Romuli & Numa institutis, VIII. ordines Roma Sacris operabantur.*
2. *Et Magistratus & Sacerdotes ijdem olim fuerunt tam apud Gracos quàm apud Romanos.*
3. 4. 5. *Magistratum simul & Sacerdotium si quis Roma gerebat, potior erat caussa religionis.*
6. 7. *Patres solos Romulus sacra peragere & magistratus gerere voluit; Athenienses non item.*
8. *Ex plebe creari cœperũt Tribuni Anno ab Vrbe cõdita*
9. *Plebi cõmunicatus cõsulatus Anno ab V.C. 229. (160.*
10. *Ex Plebe Pontifices quoque & Augures creari cœpére Anno Vrbis 453.*

SCribit M. Tullius lib. 3. de Nat. Deorum; Romulum auspicijs, Numam
sacris cõstitutis fundamenta iecisse Romanæ ciuitatis. Sed vt hic plu-
1 res sacrorum ministros instituerit; illi tamen & sacra curæ fuisse, vel
ex hac lege palàm est. Vtriusque certè institutis factum est, vt ordines
octo fuerint eorum, qui Romæ sacris operarentur. Atque hi quidem
non ex fece plebis, sed ex ipsa potius Patriciorũ nobilitate creabantur. Sic enim
Dionysius lib. 2. ait statuisse Romulum, quod hac lege continetur, τοὺς ἱερατεύσοντας
2 ἱερᾶσθαι. Neque verò apud Romanos modò idem fuit & Magistratus, & Sacerdos:
sed etiam apud Græcos Prytanæa sacra peragebantur ab his, qui maximam in vr-
3 bibus potestatem habebant. Illud semel admonendi sumus; quoties Romę eue-
niret, vt quis Magistratum simul & Sacerdotium gereret, & alteri dãda esset ope-
ra; potiorem fuisse sacrorum & religionis causam. Certè cùm Valerio Flacco, &
4 P. Crasso, Coss. bellum gerendum esset, Licinius Pontifex Flacco, qui & Consul
erat, & Flamen Martialis, mulctam dixit, si à sacris discessisset. quam quidem Po-
pulus ei remisit, sed Flaminem, quamuis Consulem, Pontifici parêre iussit. Sed &
5 Paulus Iurisconsultus [a] fatetur; sacerdotio obueniente posse causarum ciuilium
arbitrium reijci: id enim non tantùm honori personarum, sed & maiestati Dei
6 indulgeri: cuius sacris sacerdotes vacare oporteat. Quid autem Romulum mo-
uerit, vt solos Patres voluerit & sacra peragere, & magistratus gerere, minimè est
7 obscurum. Sed quod ad Ciuilia munera attinet, aliter iudicârunt Athenienses.
rectène, an minus, consulendus est in eorum Rep. Xenophon. Sanè ex lege Ro-

[a] *L. nõ distinguemus cap. 32. §. Sacerdotio. De arbi.*

muli penes Patricios Romæ fuiſſe multis annis & ſacra & magiſtratus, nemo, qui rerum Romanarum planè rudis nõ ſit, ignorare poteſt. Poſt annos ab Vrbe con- 8
dita centum & ſexaginta, primùm creati ſunt ex Plebe Tribuni. Annos deinde 9
229. numeramus, priusquàm Plebi communicatus fuerit Conſulatus: cuius lo- 10
co Patricijs Prætura data eſt, & Curulis AEdilitas. Annis verò ab Vrbe condita 453. primùm ex Plebe creati ſunt Pontifices & Augures.

IN III.

SACRORVM OMNIVM POTESTAS SVB REGIBVS ESTO. SACRA PATRES CVSTODIVNTO.

1. *Religionis imprimis cura Principibus eſt commiſſa.*
2. *Regia ſacrorum poteſtas quæ?*
3. *Numa ſacrorum poteſtatem à Regibus ad Pontificem Max. tranſtulit.*
4. *Rex Sacrificulus exactis Regibus Romæ cur creatus?*
5. *Papirius primum creatus rex ſacrificulus.*
6. *Athenienſium Rex ſacrorum.*

MAgnam ſacrorum curam geſſiſſe videtur Romulus, quòd ijs præcipuè ſuam ciuitatem cõtineri exiſtimaret; nec temerè aut leuiter metuiſſe, ne quando aut eorum vileſceret dignitas, aut ijs certè neglectis populus veluti profaneſceret. Ac fortaſſe piè iudicabat; principibus 1
primam eſſe debere religionis curam: ijſque à Deo imprimis commendatum eſſe hoc munus. Sed quæ fuerit regia ſacrorũ poteſtas, cuius hoc in capite mentio 2
fit, Dionyſius breuiter oſtendit, cùm ea, quæ Regi Romulus tribuit, cõmemorat. Πρῶτον μὲν (inquit) ἱερῶν καὶ θυσιῶν ἡγεμονίαν ἔχειν, καὶ πάντα δι' ἐκείνου πράττεσθαι τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ὅσια (primum ſacra curare atque ſacrificia; per eumque geri quicquid ad placandos Deos attineret.)

Cæterùm hanc poſtea curam & poteſtatem Regibus ademiſſe Numa vide- 3
tur, cùm Pontificem Maximum inſtituit, cuius eſſet ius ſummũ in Sacris. Exactis Regibus, propter ſacra quædam, quæ nõ niſi per Regem celebrari poterant, crea- 4
tus eſt quoque Rex Sacrificulus: primuſque is fuit noſter Papirius. Sed is tamen 5
Pontifice Max. minor erat. Sic & Athenienſes habuêre ſuum βασιλέα, qui ſacris 6
præerat, præcipuè Eleuſinijs, Lenæis, & ijs, quæ ad lampada fiebant.

IN IIII.

PLEBEI AGROS COLVNTO.

1. *Plebs artibus quæſtuarijs operam dare debet.*
2. *Agriculturam inuiderunt Plebi Patricij.*
3. *Q. Cincinnatus dum eſſet Arator fit Dictator.*
4. *Curius cæterique Senes ex villa in Senatum acceſſiti.*
5. *Viatores qui?*

DIonyſius libro 2. Romanarum Antiquitatum cùm retuliſſet Romulum ſtatuiſſe, quod ſecundo capite dictum eſt, adijcit, quod huc pertinet; voluiſſe, vt Plebs grauioribus illis, publicisq; curis libera, quibus nec par eſſe poſſet eùm propter rerum imperitiam, tùm verò & 1
inopiam, daret operam agriculturæ, rei pecuariæ, & alijs artibus quæſtuarijs. Sed agriculturæ honeſtiſſimas voluptates Plebi poſtea inuidiſſe Patricij Romani vi- 2
dentur: quorum optimi quique relicta vrbe ruſs conceſſerunt, vt ex agris vel prudentiſſimi Senatores, vel fortiſſimi Duces, ſi quærerentur, vocandi eſſent. Quintio Cincinnato in agro aranti nuntiatum eſt, eum Dictatorem eſſe factum. A vil- 3
la in Senatum accerſebatur Curius & cæteri Senes: ex quo, qui eos acceſſebant, 4
Viatores nominati ſunt, vti apud M. Tullium ait Cato. 5

IN V.

POPVLVS MAGISTRATVS CREANTO, LEGES SCISCVNTO, BELLA DECERNVNTO.

1. *Romana reſp. ex Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia olim compoſita.*
2. 11. 14. 15. 16. *Romulus quam Regi poteſtatem reſeruârit; quam Senatui, quam Populo reliquerit?*
3. *Non Magiſtratus modò ſed Sacerdotes quoque Populus eligebat.*
4. *LL. Licinia & Domitia de Sacerdotijs apud Ciceronem.*

5. Scipionem

5. *Scipionem Africanũ minorem inuitis Patribus creauit consulem Populus,ex Lege hac Romuli.*
6. *Iulius Cæsar Populo ius hoc eripere cœpit.*
7. *Augustum Mecœnas hortatur, vt hoc ipsum ius totum Populo adimat,quod deinceps fecit Tiberius.*
8.12. *Magistratuum creandorum vt Principi concessa potestas?*
9. *Caligula,Tiberij successor Comitia reuocare, populoq́; suffragiorum ius reddere voluit.*
10. *Lex de ambitu cur in vrbe cessârit.*
13. *Augustus annis 700 post Romulum Populo bellorum decernendorum ius ademit.*

Dionysius & ante Dionysium grauissimus autor Polybius indicant;
1 Romanam Remp. ex Monarchia, Aristocratia, & Democratia compositam fuisse, ac temperatam; proptereaq́; fuisse & optimè ab initio constitutam, & multis deinde annis conseruatam. Sed hac quidem de re extat longa Polybij grauissimaq́; disputatio. Dionysius cùm refert, quã
2 sibi potestatem Romulus retinuerit, quam Senatui, quã Populo reliquerit, scribit tria hæc, quæ continentur hoc capite, Populo eum tribuisse.
Τῷ δημοτικῷ πλήθει τρία ταῦτα ἐπέτρεψεν, ἀρχαιρεσιάζειν τε, καὶ νόμους ἐπικυροῦν, καὶ περὶ πολέμου διαγινώσκειν, ὅταν ὁ βασιλεὺς ἐφῇ. (Plebi tria hæc cõmisit; Migistratus creare, Leges sancire, De bello, referente Rege, decernere.)

Hæcque multis post Romulum annis Populo relicta, seruataq́; fuisse, Polybius ostẽdit, cùm describit, qd suo tẽpore Populus Romanus haberet potestatis: Καὶ μὴν τὰς ἀρχὰς ὁ δῆμος δίδωσι τοῖς ἀξίοις, ὅπερ ἐστὶ κάλλιστον ἆθλον ἐν πολιτείᾳ καλοκἀγαθίας. ἔχει δὲ τὴν κυρίαν καὶ περὶ τῆς τῶν νόμων δοκιμασίας, καὶ τὸ μέγιστον, ὑπὲρ εἰρήνης οὗτος βουλεύεται καὶ πολέμου. (Honores siue magistratus gerendos Populus committit ijs qui digni sunt; quod quidem est longè pulcerrimum in Republica virtutis præmium. Etenim & penes eum est legum ferendarum censura, & quod maximum est, ad voluntatem eiusdem rum ineundæ pacis tum gerendorum bellorum consilia suscipiuntur.)

Hæc Dionysij, Polybijq́; verba tanto etiam lubentius adscribo, quòd, si conferantur, eleganter explicent sententiam huiusce legis Romuli. Et qui meliores
3 tandem interpretes reperiri possent? Quod ad primum caput attinet: nõ magistratus modò, sed & sacerdotes, sacrorumq́; ministros, ex instituto Romuli, Po-
4 pulus per suas Curias diuisus eligebat. Nec dissimiles postea Romæ fuerunt leges Licinia & Domitia de Sacerdotijs: quarum frequens est apud Ciceronem mentio in Oratione contra Rullum. vbi etiam multa legimus de iure popularlũ suf-
5 fragiorum, sed & cùm aliquando Populus Consulem creasset Scipionem Africanum minorem, aduersus Leges annales: reclamantibus Patribus obiecit; sese ex
6 Lege Romuli esse principem comitiorum, & legũ, quæ in ijs ferrentur. Cæterùm Iulius Cæsar cœpit hoc illi ius eripere: saltem enim Comitia cum Populo parti-
7 tus est, vt scribit Suetonius. Successit Augustus, quem Mecœnas apud Dionem valde hortatur, vt quicquid illud est, totũ populo planè adimat. Quod certè paulò pòst fecit Tiberius: quo imperãte primùm è campo Comitia ad Patres trans-
8 lata esse scribit Cor. Tacitus. Tandem ad vnius Principis arbitriũ reuocata etiam
9 est tota hæc potestas creandorum Magistratuum. Ac scribit quidem Suetonius, Caligulam, qui Tiberio successit, tentasse, Comitiorũ more reuocato, suffragio-
10 rum ius populo reddere: sed minimè tamen factum id est. Itaque noster Modestinus ait; Legem Iuliam de ambitu in vrbe cessâsse; quia iam ad curã Principis,
11 Magistratuum creatio pertinet, non ad populi fauorem. Porrò Leges sciscere, ab initio fuisse Populi, vel inde palàm est, quòd Romulus ipse nullas leges tulerit, nisi Curiatas, hoc est, suffragijs Populi per Curias accersiti cõprobatas. Postea fuerunt & Plebiscita, quibus etiam Patres tenerentur, vt aliàs latius dictum est. Neq; sanè Cæsares statim ius Legis ferendæ Populo eripere potuerunt. Dion saltem narrat Augustum Leges non tulisse sine Populi cõsensu. nam & Lege Regia, qua
12 Cæsaribus creatis dicitur Populus suam potestatem & Imperium contulisse, magis Populus illis communicare voluisse videtur, quàm planè amittere.

Quod ad tertiũ attinet, hac lege Romuli cõcessum & relictũ Populo fuit bel-
13 li decernendi, pacisue ineundæ potestas: quæ quidem Populo primùm adempta videtur Augusto Imperante, qui annis post Romulũ septingentis Romæ regnauit. Nam & Strabo li.17. testatur, consensu Populi in eum esse translatũ ius omne belli, & pacis. Certè noster Martianus[a] respõdit; Lege Iulia Malestatis teneri, qui [a] L.3.§.1.Ad Leg. Iul.Ma.

iniussu Principis, bellum gesserit, delectum habuerit, exercitúmve comparârit. Publicā conuentionem pacis, quæ per Principem fit, ratā esse, non obscurè etiam significat Vlpianus.[b] Sed ante Cæsares, quod sine Populi iussu vel consensu actū 14 de bello vel pace fuisset, ratū non fuisset. Apud Liuiū lib. 9. Sp. Posthumius Cōsul, agens de illo turpi fœdere, quod cū Samnitibus ad Furcas Caudinas pepigerat, illudq; ipsum in Senatu improbans, Neq; ego (inquit) inficias eo P.C. tam sponsiones, quàm fœdera sancta esse apud eos homines, apud quos iuxta diuinas religiones fides humana colitur, Sed iniussu Populi nego quicquam sanciri posse, quod 15 Populū teneat. Sic & cùm quæreretur de pace facta inter Iugurthā & Aulum Ducē Rom. Senatus (inquit Salustius) ita vti par fuerat, decreuit, suo atq; populi iniussu, nullū potuisse fœdus fieri. Apud Platonē quoq; li. 12. de Legib. extat grauissima lex, quæ nō patitur sine Populi cōsensu, aut bellum indicere, aut pacem cōficere: sed capitalē pœnā infligit ei, qui iniussu Populi quippiā tale molitus fuerit: 16 ΕΑΝ ΤΙΣ ΙΔΙΑ ΠΟΙΗΤΑΙ ΠΡΟΣ ΤΙΝΑΣ ΕΙΡΗΝΗΝ Η ΠΟΛΕΜΟΝ ΑΝΕΥ ΤΟΥ ΚΟΙΝΟΥ, ΘΑΝΑΤΟΣ ΕΣΤΩ ΖΗΜΙΑ (Si quis autoritate propria cum quopiam vel pacem inierit vel bellum gerendum susceperit, sine autoritate publica morte multator.) Certè & cùm olim Rex Persarum per Legatos suos pacem peteret ab Agesilao, Lacedæmoniorum Duce, Legatos à se reiecit Lacedæmonem, dixitque; Ciuitatem ius habere pacis dandæ: Τὴν εἰρήνην (ἔφη) τὴν πόλιν εἶναι κυρίαν.

[b] l. 5. De pact.

IN VI.

DEORVM FABVLAS NE CREDVNTO.

1. *Superstitione tollenda non statim religio quoque tollitur.*
2. 3. *Polybius homo profanus; Dionysius modestior.*
4. *De Deo optimè tum sentire tum loqui debemus.*
5. 6. *Rationis humanæ vanitas, vbi de Religione pronunciandum est.*
7. *Romuli σύγχρονοι siue contemporanei fuerunt Isaias propheta, & Ezechias Rex Hierosolymorum.*
8. *Atheniensibus quam religionem obseruarent, Apollinē Pythiū consulentibus quale oraculū redditū?*
9. *Romanæ sapientia insania populum in religione falli iudicauit expedire.*

Si qua fuit vnquam lex Romana de religione, quam & coli, & memoria conseruari, inq; vulgus spargi, Reip. interesset; hanc esse, & dicere & planè affirmare ausim. Nec verò (inquit M. Tullius) superstitione tol- 1 lenda, religio tollitur. Sed vt religio propaganda etiam est, sic superstitionis stirpes omnes eijciendæ. Id quidem præstare non potuit Romulus, qui religionem veram à superstitione fabulosa discernere nō poterat. Omitto Polybium: cuius nimis est profanum de religionibus iudicium. Superstitione, quam 2 vocat δεισιδαιμονίαν (deorū formidinem siue religionem.) præcipuè sustentatam esse Romanā Remp. rectè quidem ait, sed illi omnis perinde religio, deq; Deo omnis opinio, & fabula est, & superstitio. Religiosior atq; modestior videtur Dionysius: qui Romulum laudat, quòd (vt quidem existimat) veterū superstitionū 3 ineptias, & à Græcis in vulgus sparsas de Dijs fabulas profligârit; & ea religione suos imbui optârit, vt assuescerent de Dijs optimè & sentire, & loqui: nec quic 4 quam passus sit affingi, quod ijs indignū esse videretur. Verba Dionysij sunt hæc: Τοὺς παραδεδομένους περὶ αὐτῶν μύθους, ἐν οἷς βλασφημίαι τινές εἰσι κατ' αὐτῶν ἢ κατηγορίαι, πονηροὺς καὶ ἀνωφελεῖς καὶ ἀσχήμονας ὑπολαβὼν εἶναι, καὶ οὐχ ὅτι θεῶν, ἀλλ' οὐδ' ἀνθρώπων ἀγαθῶν ἀξίους, ἅπαντας ἐξέβαλε, καὶ παρεσκεύασε τοὺς ἀνθρώπους τὰ κράτιστα περὶ θεῶν λέγειν τε καὶ φρονεῖν, μηδὲν αὐτοῖς προσάπτοντας ἀνάξιον ἐπιτήδευμα τῆς μακαρίας φύσεως (fabulas à maioribus de dijs traditas, probra eorū continentes & crimina, turpes censuit & inutiles, ac ne probis quidem viris dignas, nedum dijs superis: repudiatisq; his omnibus, ad bene ac præclarè de immortalibus sentiendum loquendumque ciues suos induxit, nihil ijs affingi passus beatæ illi naturæ parum consentaneum.

Audimus Romuli consiliū minimè profanum: sed humani iudicij, cui Ver- 5 bum Dei non affulget, infœlicem & cæcitatem, & vanitatem, cùm de religione pronunciandum est, facilè etiam intuemur. Grauiter ille quidem iudicabat, perniciosam illam esse Græcorum profanam impiamque prudentiam, qui fabulosis superstitionibus populum terrendum, & continendum existimabant. Sed quid 6 earum loco, prçter alias fabulas ingerere potest, qui nihil de religione solidi, nihil habet veri? Consuluisset Romulus Prophetam Iesaiam, qui eo tempore viuebat?

7 imitatus fuisset Ezechiæ Regis Hierosolymorum eius temporis pietatem: facilè non inanes modò fabulas profligare, sed etiam de Deo veras, sanasq; opiniones recipere, suisq; ad credendum proponere potuisset. Nunc cùm suum iudicium, suos affectus in religione constituenda consulit: religiones fabulosas, & peregrinas superstitiones verbo damnare potest; reverò ipsa aut retinet, aut earum loco
8 non meliores substituit. Olim cùm consulerent Athenienses Apollinem Pythiũ, quas potissimũ religiones tenerent: oraculum editum est; Eas, quæ essent in more Maiorum. Quò cùm iterum venissent, Maiorumq; morem dixissent sæpe esse mutatum, quæsissentq;, quem morem potissimùm sequerentur è varijs: Respondit, Optimum. Potuit idem oraculum edere Romulus. Sed quid tandem esset
9 illud optimum, de quo quæritur, aut edicere, aut definiri non potest. Et sanè ea etiam tandem fuit Romanæ Sapientiæ insania, vt indicârit expedire Reip. populum in religione falli. Vide Augustinum lib. 4. & 6. de Ciuitate Dei, vbi loquitur de libris antiquitatum M. Varronis & Scæuolæ. Nos aliàs, vbi de Christiana Iurisprudentia scribere liberum erit, dicemus etiam de hac veterum Rom. impietate.

IN VII.
DEOS PEREGRINOS PRAETER FAVNVM, NE COLVNTO.

1. Romulus quos Deos coluerit?
2. 3. Nemini licuit Romæ priuata vel Sacella extruere, vel sacrificia instituere.
4. Patria, nõ externa, Religio in Ciuitate exercẽda est.
5. Religionem non suo sibi quisq; arbitrio fingat.
6. Mecœnatis de ἐθελοθρησκείᾳ ista ad Augustum oratio apud Dionem.
7. 8. Nouas & peregrinas ceremonias Augustum & Tiberium contempsisse, refert Suetonius.
9. 22. Christus vt inter Deos referretur, ad Senatum retulisse Tiberium.
10. Sacra Romana diligenter curâsse Adrianum scribit Spartianus.
11. Christo templa fieri voluerunt tum Adrianus tum Alexander Seuerus.
12. Romuli de non colendis dijs alienis legem Romani sæpe contempserunt.
13. 14. Romam orbis compendiũ vocat Athenæus; & eandem superstitionis epitomen vocârũt Christiani.
15. Aesculapium Epidauro accersiuerunt Romani.
16. Cybeles simulacrum Pessinunte aduexerunt.
17. Romuli legem istã annis 500. Romani seruârunt.
18. 19. Senatusconsulto, Anno Vrbis 657, cautum, ne sanguine humano litaretur.
20. 21. Vera in religione repudianda constantes Romani.
23. 25. 26. Athenienses quoq; patria tantũ sacra coluerũt.
24. Socratem Athenienses cur morte multârint.
27. Anacharsis à Scythis interẽtus, ob cultos deos alienos.
28. νόμῳ πόλεως colendum esse Deũ, respondit oraculũ.
29. 30. Faunus quis? & vt Romani eum coluerint?
31. Fauni soror vxorq;, Fatua Fauna, Romanis Bona Dea dicta est.

1 Romulus coluisse videtur Deos, quos Troia aduectos Albani primùm, mox Laurentes trecentis iam annis coluerãt. Sed qualescunq; tandem hi fuerint patrij, & Indigenæ Rom. Dij, prudenter vetitum est, alios priuata cuiusque superstitione vel confingi, vel aliunde ac-
2 ciri. Certè Plato lib. 10. de Legibus multis verbis contendit; Neminem domi, aut sacella priuatim sibi extruere debere, aut sacrificia instituere. neque id ferendum esse. Sicuti nec Censores Romæ patiebantur cuiusquam in domo priuata esse sacella; Liuiusq; scribit, M. AEmylium Lepidum, & M. Fuluium Nobiliorem Censores, complura sacella, publicaq; sacra occupata à priuatis, vt paterent, essentq;
3 Populo, curâsse. Sed &, quod huius magis est loci, apud eundem Liuium, Sp. Posthumius Consul, cùm de abolendis Bacchanalibus verba faceret, ait; Sæpe negotiũ magistratibus datum esse, vt sacra externa fieri vetarent: omnemq; disciplinam
4 sacrificandi, præterquam more Romano, abolerent. Nihil enim æquè dissoluendæ religionis esse, quàm vbi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur. Grauiter quoque veteres Romanos iudicasse scribit M. Tullius, confusionem esse religionũ, aut nouos, aut alienos Deos coli. Sed audiamus, quas Ipse hac de re tanquam à veteribus acceptas edidit Leges.

SEPARATIM NEMO HABESSIT DEOS.
NEVE NOVOS, SED NEC ADVENAS NISI PVBLICE ADCITOS, PRIVATIM COLVNTO.
DIVOS ET EOS, QVI COELESTES SEMPER HABITI SVNT, COLVNTO.

Non dicam veteres illos intellexisse, quod iam Prophetæ docuerant, nõ esse
cuiusuis arbitrio cõfingendas religiones; & illas (vt Apostolus vocat) ἐθελοθρησκείας,
(spõtaneas cuiusq; religiones) esse coërcendas. Certè nullum superstitionis mo-
dũ esse sciebant; infinitam verò leuitatem; quã etiam alit augetq́; speciosa quę-
dã κακοζηλία (praua æmulatio) nisi lege aliqua publica reprimatur. Sed Romuli Le-
gem nihil tã valde explicat, & Romanorum in hoc genere rationem cõsiliumq́; 6
nihil patefacit magis, quàm illa Mecœnatis hac de re ad Augustũ oratio, quæ ex-
tat apud Dionẽ li.52. Sed & Suetonius Augustũ laudat, quòd sicut veteres & rece 7
ptas ceremonias coluerit; sic cõtẽpserit nouas atq; peregrinas; vt nec in pera-
granda Aegypto paululũ deflectere ad visendũ Apin voluerit. Laudat & Tiberiũ, 8
quòd externas ceremonias nõ coluerit, & Aegyptios, Iudaicosq́; ritus cõpescue- 9
rit. Dicitur tamen ad Senatũ retulisse, vt Christus inter Deos referretur: sed Sena-
tui aliter visum fuisse. Laudatur & à Spartiano Adrianus, quòd sacra Romana di- 10
ligenter curârit, peregrina cõtempserit. Atq; is tamen & Christo tẽpla fieri, sicuti 11
& Alexander Seuerus, voluit: sed nescio à quibus est prohibitus. An Romuli Le-
gẽ veriti sint, dicere nõ possum: sæpe tamen Romanos eã contempsisse scio; qui 12
iam multis antè annis in Vrbem suã quicquid vsquã erat impiorum sacrorũ im-
portarãnt; ex eramq́; illam vel barbaræ, vel peregrinę superstitionis colluuiẽ rece-
perãt; & qualia demens Aegyptus portenta colit. Certè vt Romã Athenęus olim vocauit 13
ἐπιτομὴν τῆς οἰκουμένης (cõpendium siue breuiarium orbis terrarũ.) sic antea quidam 14
ex Christianis scriptoribus appellârat ἐπιτομὴν τῆς δεισιδαιμονίας. Et Tertullianus in
libro de Spectac. Romam notans, Vrbem vocat, in qua dæmoniorum conuentus
cõsedit. Et in Apologetico Capitoliũ vocat Curiã Deorum, id est, idolorũ. Quo
etiam ioco Romanos accusat, qui maiorum suorũ leges de religione cõtempse-
rint. Et quid tandem iam tũ sibi voluêre Romani, cùm ad Aesculapiũ Epidauro 15
accersendũ decem Legatos principe Q. Volumnio miserunt? Quid, cùm simula-
chrũ Cybeles à Pessinunte aduexerũt, & Corybantũ furores imitati sunt? Audio 16
ad eam colendam adhibuisse Phrygios sacerdotes, ne se peregrinis illis & insanis
Orgijs contaminarent. Sed ad Cybelen tamen excipiendã, quem ex suis ciuibus
optimum iudicârunt, Nasicam adhibuerunt. Factum est id quidem post Romulũ
annis plusquã quingentis: quibus hãc eius legem veriti Romani patrios tantùm 17
suos coluêre Deos. Sed quid nõ postea ausi sunt? cùm etiam aduersus Numæ le-
gem, atq; adeò omnem humanitatem, barbararum Gentiũ cruenta sacra sequu-
ti, mactandis hominibus Deos colere voluerint; vixq́; tandẽ Senatusconsulto re- 18
primi potuerint, anno ab vrbe cõdita 657. Quo quidem S.C. Cn. Cornelio Lentu-
lo, & Pub. Licinio Crasso COSS. cautum fuit, ne aut nouam inuehere religio- 19
nem, aut hominem immolare, humanóue sanguine litare liceret. In sola religio-
ne vera repudianda, quam vel olim à Iudęis, vel postea abs Christianis discere po- 20
tuissent, inq́; vnius veri Dei cultu reijciendo, perpetua fuit Romanorum siue ob-
stinatio siue pertinacia. Augustinus lib. 1. de Consen. Euang. cap. 18. disputat, cur
olim Romani cùm omnium Gentium sacra reciperent, solum Hebræorũ Deum 21
non reciperent, neq; colerent. Hanc autem fuisse causam putat, quòd audirent,
Deum hunc impatientem esse consortis, sed solum colendum esse, non autem
cum alijs posse. Tiberius Christum Deum recipi volebat, sed Senatui Romano nõ 22
placuit: neque sine huius consensu id Romæ fieri posse videbatur. O infœlicem
vanitatis humanæ cæcitatem. Verùm hæc nunc omitto. Sanè vt Romulus, & qui
ex Romanis secuti eum sunt, patria sua sacra coli, peregrina repudiari voluêre; sic
& Athenienses. Nam & suos Ephebos publico & solenni iureiurando ad hanc re- 23
ligionem adigebant, & Socratem, quòd non eosdem cum ijs Deos coleret, morte 24
multârunt; quanquam Θεοὺς ξενικοὺς tandem receperint, & ijs etiã altaria erexerint:
Sanè Isocrates in Areopagitico veteres Athenienses laudat, quòd neq; patria sa- 25
cra à maioribus accepta dereliquerint, neq; ijs quicquã adiecerint: sed neq; pere-
grina vlla receperint. ἐκεῖνο μόνον (inquit) ἐτήρουν, ὅπως μηδὲν μήτε τῶν πατρίων καταλύσουσι, μήτ'
ἔξω τῶν νομιζομένων προσθήσουσιν. οὐ γὰρ ἐν ταῖς πολυτελείαις ἐνόμιζον εἶναι τὴν εὐσέβειαν, ἀλλ' ἐν τῷ μηδὲν
κινεῖν, ὧν αὐτοῖς οἱ πρόγονοι παρέδοσαν. Denique Iosephus libro 2. contra Apionem testis
est, Athenienses quandam etiam mulierem Sacerdotem aliquando interfecisse,
quòd

26 quòd peregrinos coluisset Deos: capitisq; supplicium decreuisse, si qui peregri-
27 num aliquem Deum introducerent. Addit & Scythas ipsosmet Anacharsim philosophum præstantissimũ, ex Græcia reuersum interemisse, quòd Græcorum Deos colere videretur. Multos denique & apud Persas ob similem peregrinæ religionis causam, supplicijs acerbissimis affectos esse. Et Eusebius initio libri sui quarti de Præpar. Euãg. capitales huius generis leges cõmemorat. Vsqueadeo sęua semper est, & supra modũ pertinax, sulsq; sacris addicta, cuiusq; gentis super-
28 stitio. Vt finem faciã, Xenophon lib 4. Ἀπομνημ. narrat; cùm aliquãdo cõsuleretur, quánã ratione Deus colendus esset, oraculum editum esse; νόμῳ πόλεως (Ex cuiusq; Reipublicæ moribus veterumque institutis.) Sed & Isocrates, τίμα (inquit) τὸ δαιμόνιον ἀεὶ μὲν, μάλιστα δὲ μετὰ τῆς πόλεως. (Honore prosequere diuinitatem rerum omnium moderatricem, idque maximè ritu Ciuitatis.) Quid multis? Cicero de Siculis loquens, Verr. 6. Omnes (inquit) religione mouentur, & Deos patrios, quos à maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos esse arbitrantur.

PRÆTER FAVNVM.

29 Hunc ante Vrbem conditam colebat Romulus cum Latinis; quorum aliquando Rex Faunus fuerat. Et habuit quidem Romæ post Romulũ duo templa: vnum in monte Cœlio circulari forma, multis in ambitu columnis adornatum; Alterum in insula Tiberina, in qua & Iouis, & AEsculapij ædes erant. Scribit autẽ Liuius, Domitium AEnobarbum, & Cn. Scriboniũ AEdiles, cùm multos pecuarios ad Populi iudicium adduxissent, ex eorũ, qui condemnati fuerunt, multaricia pecunia, hãc Fauno ędẽ cõstituisse in prora insulę Tiberinæ. Vnde & Ouidius:

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic vbi desectas insula rumpit aquas.

30 Fiebat antẽ res diuina Fauno Nonis Decembris de hœdo & vino, vt indicat Horatius lib. 3. Carm. Vocabanturq; hæc sacra Faunalia. Sic igitur quod ad Faunũ attinet, religiose Romani Romulo multis annis paruerunt. Lactantius lib. 1. cap. 22. scribit; Faunum reliquisse posteris non parum erroris; sed quem prudentes quique facilè perspicerent. Apud Ciceronem lib. 2. de Nat. Deorũ, Balbus, vt probaret aliquos esse Faunos, ait, sæpe Faunorũ voces exauditas esse. Sed Cotta, qui paulò videtur prudentior, respondet: Fauni vocem equidem nunquam audiui: tibi, si audisse te dicis, credam: etsi Faunus omnino quid sit, nescio. Porrò nõ Fau-
31 num modò coluerunt Romani, sed & eius sororem vxoremq; Fatuam Faunam, quam Bonam Deam vocarunt: eique in Auentino monte templum erexerunt.

IN VIII.

NOCTVRNAS IN TEMPLO VIGILIAS NE HABENTO.

1. 4. *Romulus castè adiri Deos voluit, neq; in templis quæri libidinum latebras.*
2. *In Isidis atque Aesculapij templis frequentes erant vigiliæ.*
3. *De Adonidis templo dictum illud; ἱερὸν λέγειν.*
5. *Bona Dea sacra contaminata à Clodio.*
6. *Bacchanalia anno ab vrbe cõdita 568. S. C. sublata.*
7. *M. Tullius C. legibus Romuli astipulatur.*
8. *Nocturna sacra stupris olim obnoxia fuisse testantur Poëtæ.*
9. *De nocturnis Romanorum quoq; tandem sacris Macrobius meminit.*
10. *Christianorum templis vigiliæ an semper castæ?*
11. *Hieronymus in Vigilantium fulminat.*
12. *Tertulliani temporibus nocturni Christianorum cõgressus prof.mis erant suspecti.*
13. *Eos Constantinus Imp. valde probauit.*
14. *Elibertinum concilium cur mulieribus in cœmeterijs peruigilationes vetuerit?*
15. *Constantij constitutio super abolendis sacrificijs nocturnis.*
16. *Græcis olim sacrorũ suorũ castitas magna cura fuit.*
17. *Socrates aras & templa cur in locis eminentioribus extruenda iudicàrit?*
18. *Solonis legibus impudici repellebantur ab omni publico munere.*



1 NVllam esse tam castam religionem, quam hominum libido, atque impudicitia non contaminet, si & adsint latebræ, & absit pudor, prudenter Romulus vidit. Cùm itaque suos ciues sæpe conuenire vellet religionis causa, & hos tamen cœtus, congressusque virorum atque mulierum castos esse optaret, (sicuti & castè alia deinde lex iussit adire ad Deos) noluit in templis locum esse latendi: ne tandem ea essent lustra, aut lupanaria magis quàm templa. In templis Isidis, atque AEsculapij frequentes fuisse dicuntur no-

tur nocturnæ vigiliæ: sed propter quas dici de illis potuisset, quod de Adonidis 3
templo aliquando dictum est; οὐδὲν ἱερόν. (nihil sanctum) Quo magis laudandus 4
est Romulus, qui sustulit nocturnas virorum atque mulierum in templis peruigilationes: nec religionis honesta specie, turpes, secretasque libidines tegi passus est. Imò etiam arcanas Bacchi initiationes summouit. Sic enim Dionysius scribit grauiter eum damnâsse Διεκώλυσε παννυχισμοὺς ἐν ἱεροῖς ἀνδρῶν σὺν γυναιξὶν, καὶ τὰς βακχείας, καὶ θιάσους ἀπορρήτους. (peruigilationes in templis virorum cum fœminis, & bacchanalia, & cœtus clancularios occultáue mysteria.)

Hanc si Romani legem, quà oportebat & diligentia, & seueritatè, perpetuò seruâssent, non contaminâsset sua libidine sacra Bonæ Deæ Clodius: nõ irrepsis- 5
sent in Vrbem nocturna illa nefandaque Bacchanalia, quæ vix tandem ab Vrbe
condita annis 568. sublata sunt, grauissimo S.C. referente sapientissimo Consule 6
Sp. Posthumio Albino. Neque verò id Tullius suis in legibus omisit. Vidit enim,
quàm Reip. interesset, diligenter seruari, quod Romulus ab initio sanxerat. Sic 7
itaque & ipse statuit:

NOCTVRNA MVLIERVM SACRIFICIA NE SVNTO, PRÆTER ILLA, QVÆ PRO POPVLO RITE FIANT. NEVE QVEM INITIANTO, NISI, VT ASSOLET, CERERI, GRÆCO SACRO.

Sed audiamus & eius & Attici hac de re, quam subiecit, disputationem, atq; iudicium. Extat enim apud eum lib. 2. De Legibus his verbis: M. At verò quod sequitur, quomodo aut tu assentiare, aut ego reprehendam, sanè quæro Tite. A. Quid tandem id est? M. De nocturnis sacrificijs mulierum. A. Ego verò assentior, excepto præsertim in ipsa lege solenni sacrificio ac publico. M. Quid ergo aget Iacchus Eumolpidæque vestri, & augusta illa mysteria, si quidem sacra nocturna tollimus? non enim P.R. sed omnibus bonis firmisque populis Leges damus. A. Excipis credo illa, quibus ipsi initiati sumus. M. Ego verò excipiã. nam mihi cùm multa eximia diuinaque videntur Athenæ tuæ peperisse, atque in vitam hominum attulisse: tum nihil melius illis mysterijs, quibus ex agresti immaniq́ue vita exculti ad humanitatem, & mitigati sumus: Initiaque, vt appellantur, ita reuera principia vitæ cognouimus. Neque solum cum lætitia viuendi rationem accepimus: sed etiam cum meliore spe moriendi. Quid autem mihi displiceat in nocturnis, Poëtæ indicant Comici. Qua licentia Romæ data, quidnam egisset ille, qui in sacrificium cogitatam libidinem intulit, quò ne imprudentiam quidem oculorum adijci fas fuit? A. Tu verò istam Romæ legem rogato: nobis nostras ne ademeris. M. Ad nostra igitur reuertor, quibus profectò diligẽtissimè sanciendum est, vt mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat: initienturq́; eo ritu Cereri, quo Romæ initiantur. Quo in genere seueritatem maiorum Senatus vetus autoritas de Bacchanalibus, & Consulum exercitu adhibito, quæstio, animaduersioque declarat. Atq; omnia nocturna (ne nos duriores fortè videamur) in media Græcia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit. Nouos verò Deos, & in his colendis nocturnas peruigilationes sic Aristophanes facetissimus poëta veteris comœdiæ vexat, vt apud eum Sabazius, & quidam alij Dij de peregrinis iudicati, è ciuitate eiiciantur. Hæc ille.

Sanè cùm ait indicare Poëtas Comicos, quid illi in nocturnis displiceat sa- 8
cris, intelligit stupra & libidines. Vt apud Plautum in Aulularia, Lyconides adolescens dicitur filiam Euclionis vitiasse in Cereris vigilijs. Sed & apud Euripidem in Bacchis Pentheus, cùm audiret orgia sacra noctu celebrari, grauiter exclamat, id & vitiosum esse, & mulieribus periculosum: Τοῦτ' εἰς γυναῖκας δόλιόν ἐστι καὶ σαθρόν.

Quare & Eupolis vetus Poëta Comicus in suis Baptis, nocturna illa Atheniensiũ sacra, quæ Cotyttia dicebantur, quo minus damnaret, ne mortis quidẽ periculo adduci potuit. Olim quoque apud Myonæam Vrbem, τῶν θεῶν μειλιχίων, (placidorũ deorũ) nocturna sacra fuisse accepim⁹. Sed suaues illi Dij, cur noctẽ quàm
diẽ maluerint, quis nõ videt? Fuisse deniq; & apud Romanos posteriorib⁹ tẽpo- 9
rib⁹ nõ minus nocturna, quàm diurna sacra, testis est Macrobius li. 1. Satur. c. 3. Ne-
que verò apud Ethnicos modò, sed aliquãdo & Christianos vigiliæ in templis nõ 10
fuerunt

11 fuerunt semper castæ: mouentúrq; hæc fortasse pericula Vigilantium, aduersus 12 quem Hieronymus fulminat. Sed tempore Tertulliani, planè iniuria, cœtus omnes Christianorum hoc nomine suspecti, & infames vulgo erant, dum profani homines sanctissimos piorū congressus, tantùm non pro Bacchanalibus habent. Sed & Constantinum nocturnas Christianorum, sacris precibus Deū inuocan-
13 tiū in templis, vigilias valde probâsse, testis est Euseb. li. 4. de vita Cōstantini. Nō
14 enim minus erāt castæ, quàm piæ. neq; sanè alioqui eas tolerâsset. Elibertinū verò concilium in Hispania grauiter vetat nocturnas mulierū peruigilationes in cœmeterijs: sed caussam iustissimā addit; quòd eo prætexta multa impudicè & tur-
15 piter clàm cōmitterentur. Omitto Cōstitutionem Cōstantij, quæ extat lib. 16. in-tegri Theodosiani Codicis, vt aboleātur nocturna sacrificia, Magnentio autore
16 permissa. Sed & cōnstat veteres quoq; Græcos magnā in sacris castitatē; nullā ve-
17 rò libidinis latebrā esse voluisse. Certè Socrates hoc nomine templa atq; aras in loco eminentissimo extrui debere iudicabat, vt testis est Xenophon lib. 3. Απομνημ.
18 Et Demosthenes in orat. contra Androtionem, quantū castitatis in Sacerdotib. Atheniensium requireretur, eleganter ostendit, explicans illam Solonis legem, qua repellebatur ab omni publico munere, qui pudicitiam suam prostituisset.

IN IX.

NE QVIS PRAESENTIBVS FOEMINIS OBSCOENA VERBA FACITO.

1. 5. Romulus magnam verecundiæ muliebris curā gessit.
2. Castitatis mulierū seuerissimi sæpe vindices Rōani.
3. Metellus Celer Cn. Sergio diem ad pop. cur dixerit.
4. Cato Censor maritum, præsente filia vxorem suauiari vetuit.
6. Turpibus verbis vtens iniuriarum iudicio conueniri potest.
7. Chremetis in Heautontim. Terentiana verecundia.
8. Ciceronis de verecundia retinenda præceptiones.
9. Persarum lex, de sermonis verecundia.
10. Lacedemonij libros Archilochi propter obscœnitatem verborum exilio multârunt.
11. Seculi nostri lascivia.
12. Elephantidis olim, & Milesiaci Aristidis, Sybariticiq; Hemitheonis sermones turpissimi.
13. Pauli apostoli lex de vitanda sermonis obscœnitate.
14. Clemens Alexandrinus de Turpiloquio.
15. Obscœnum ab Oscis siue Obscis dictum esse.
16. Obscœnum Varroni quid significet?
17. Obscœna volucres Harpyiæ.

1 MAgnam gessisse curam videtur Romulus & verecundiæ & pudicitiæ muliebris: quā virtutum omniū esse custodem sciebat. eumq; secuti
2 sæpe multi Romani Magistratus suēte seuerissimi itidem vindices vel
3 leuiter tentatæ, vel etiam offensæ mulierū castitatis. Certè Metellus Celer, cuidam Cn. Sergio diem ad Populū dixit, quòd matrifamilias nummos promisisset: & alius in libertum quendā suū, quem alioqui gratissimum
4 habebat, grauissimè animaduertit, quòd filiæ osculum dedisset. Quid de Catone Censore dicam, nō ferente maritū, præsente filia, vxorem suā dissuauiantem? Sed vt ad Romulum redeamus, scribit Plutarchus, eius instituto tales tantósq; Romę
5 fœminis habitos esse honores, vt & ijs de via viri cederent: & qui corā ijs obscœni quippiam dixisset, vel pudendum aliquid, quod obtegi debet, earū oculis nudum ingessisset, non secus atque homicida puniretur. obscœnitatis enim huius, non minus acerbum quàm cædis fuisse iudicium. Plutarchi verba sunt hæc:

πολλὰ ταῖς γυναιξὶν εἰς τιμὴν ἀπένειμεν, ὥστε καὶ ταῦτα ἐξίστασθαι μὲν ὁδοῦ βαδιζούσαις, αἰσχρὸν δὲ μηδένα μηδὲν εἰπεῖν παρούσης γυναικὸς, μηδ' ὀφθῆναι γυμνὸν, ἢ δίκην φεύγειν παρὰ τοῖς ἐπὶ τῶν φονικῶν καθεστῶσι.

Certè Vlpianus [a] noster, cùm respōdisset; eum, qui fœminæ pudicitiam aduersus bonos mores attentâtit blanda oratione, iniuriarū iudicio conueniri posse: ad- *a L. 15. §. qui turpib. De iniur.*
6 iecit, & eum, qui verbis turpibus vtitur, quamuis nō tentet pudicitiam, iniuriarū
7 tamen teneri. Sed & apud Terentium in Heautontim. Chremes de amoribus filij nolens corā vxore verba facere, Pudet, inquit, dicere hac præsente verbum turpe. Neq; verò corā fœminis tātùm, sed & in tota vita hāc verecundiā ab omni obscœ-
8 nitate abhorrentē retinendā esse, præcipit M. Tullius in Officiorū libris; & vt nō modò tegamus eas corporis partes, quas Natura occultauit, & quas remouent ab oculis, quicunq; sana mente sunt; sed ne eas quidē, earúmve vsus nominibus suis

appellemus;

appellemus: Nam & quod facere turpe non esset, modò occultè, id esse obscœ-
num dicere: itaque nec aperta actionem rerum illarum petulantia vacare, nec
orationis obscœnitatem: Neque verò audiendos esse Cynicos, aut si qui fuerint
Stoici penè Cynici, qui reprehendunt & irrident, quòd ea, quæ turpia non sunt,
verbis flagitiosa dicamus: Nos naturam potius sequi debere, vt ab omni, quod
abhorret ab ipsa oculorum, auriumq; approbatione, fugiamus. Idem tamẽ Tul-
lius in quadam ad Papirium Pætum epistola iocosè tuetur Stoicorum senten-
tiam; qui nihil esse obscœnũ, nihil turpe dictu, quod facere turpe non esset, dis-
serebant, & suo quamq; rem nomine contendebant appellari debere. Sed postea
tamen laudat, quam seruare se velle ait, Platonis & Academicorũ verecundiam.
Sanè scribit Herodotus hanc quoque apud Persas Legem honestissimam fuisse;
ὁκόσα ποιέειν οὐκ ἔξεστι, ταῦτα οὐδὲ λέγειν ἔξεστι. (Quæ facere non licet, ea nec dicere licet.) Por- 9
rò qui Lacedæmoniorum castissimam seueritatem fuisse sciunt, minus mirabun- 10
tur aliquando libros Archilochi Poëtæ eos iussisse è ciuitate sua exportari, quo-
rum lectionem & verecundiæ & pudicitiæ propter verborum obscœnitatem no-
cere iudicabãt. Sed quid nunc ij dicerent? Quid Romulus? cùm & pueri & fœmi- 11
næ quicquid vsquam est obscœnitatis passim audiunt, vident, discũt: nec id voce
modò, sed & libris editis impunè diuulgatur tã impudicis, vix vt existimem olim
fuisse turpiores, qui dicũtur Elephantidis libelli, vel Milesiaci Aristidis, vel Sybari- 12
tici Hemitheonis sermones: aut si q tales fuerint prodigiosarũ & arcanarũ libidi-
nũ obscœni magistri. Quid verò Paulus Apostolus diceret? à quo lex hæc edita est: 13
ΠΑΣ ΛΟΓΟΣ ΣΑΠΡΟΣ ΕΚ ΤΟΥ ΣΤΟΜΑΤΟΣ ΥΜΩΝ ΜΗ ΕΚΠΟΡΕΥΕΣΘΩ.
(omnis sermo malus ex ore vestro ne procedat; Ephes. 4.) Sed veteris Ecclesię prę-
cepta in hoc genere, repeti possunt ex Clementis Alexandrini pædagogo, lib. 2. c. 14
5. περὶ αἰσχρολογίας. (De verborum obscœnitate) illud postremo loco prætereundum
non est, quod scripsit Festus lib. 13. de Verborum veterum proprietate, obscœnũ 15
dici ab Oscis, qui olim Opsci dicebantur; apud quos frequens fuit libidinũ spur-
carum vsus. Idem tamen Festus eodem paulò pòst libro, nõ probat Varronis sen-
tentiam existimantis, obscœnum dici stuprum inconcessæ libidinis, ab eius gen- 16
tis consuetudine. Nam & apud antiquos obscœna dicta esse, quę mali ominis ha-
berentur. vt Vergilius Harpyias vocat obscœnas volucres, & obscœnam famem. 17

IN X.

QVISQVE DEMISSAM AD TALOS TOGAM IN VRBE HABETO.

1. *Vestitus verecundia seruanda est.*
2. *Romulus ipse togatus incessit.*
3. *Togæ vsus Romæ fuit multiplex.*
4. *Rei vestiariæ sæpe Romæ mutata est.*
5. *Lacernæ penulæve, togis super imposita.*
6.7.10. *Toga Romanorum erat propria, Græcorum Palliũ.*
8. *Toga est deportatis adempta.*
9. *Valerius Licinius exilio multatus græcum pallium induit.*
11. *Mithridatis in Asia metu Romani mutarũt vestitũ.*
12. *Rutilius I.C. mutata veste in Asia, euasit.*
13. *Adriani edictum; vt Senatores Equitesque Romani semper in publico togati essent.*
14. *Numa muliebri vesti legem dedit, vt Romulus virili.*
15. *Mulieres Romanorum quoque olim, vt Spartanorũ, φαινομηρίδες.*
16. *Demissitia tunica Plauto quæ?*
17. *Togæ Romanorum quadratæ fuerunt.*
18. *De habitu C. Theodos. lib. 14.*
19. *Inter virilia & muliebria vestimenta Iurisconsulti diligenter distinguunt.*
20. *Muliebribus vestibus viri non vtantur.*
21. *Christianæ olim Synodi leges de vestitu sanxerunt.*
22. *Christiani qui fierent pallium induebant.*
23. *A toga ad pallium.*


T lingua aut impudica, aut dissoluta coërcenda est, sic & verecundia 1
quædã & modestia in cultu corporis, vestituque laudari debet, ac do-
ceri: vt in tota vita, omnibusque eius partibus teneamus aliquod de-
corum. Iubet ergo Romulus suos esse togatos: nam & ipse tunica pur- 2
purea, togaque prætexta vsus est, vt scribit Plutarchus. Fuit autem Romæ multi-
plex, variusq; togæ vsus. Erat toga prætexta puerilis; deinde toga virilis, quæ anno 3
decimoseptimo sumebatur; tum toga pura, quæ nullo purpuræ prætextu distin-
cta erat: & à nouis Oratoribus, primo tyrocinij sui forensis die, sumi solebat. Po-
stremò

4 ftremò erat toga picta summorum Magistratuum. Sæpe autem Romæ mutata est
res vestiaria. Sed fatetur Gellius lib. 7. antiquitus Romanos sine tunicis, sola toga
fuisse amictos. postea verò substrictas & breues tunicas circa humerum desinen-
5 tes habuisse. habuerunt & lacernas, penulásue; quas togæ superimponebant ad
6 arcenda frigora. Cæterùm togam semper Romanorum propriam fuisse, vt erat
Græcorũ pallium, vel inde palam est, quòd iure ciuitatis Romanæ qui donaren-
7 tur, togati esse inciperent. Sic enim & noster Martianus[a] scribit, eos, qui vt ciues a L. 32. De Iure fisci.
8 Romani agere volebant, vsum togæ accepisse. Deportatis verò, & quibus aqua &
igni interdictum erat, togam fuisse ademptã, animaduerti ex quodam Plinij lo-
9 co. Is enim lib. 4. Epistolarum scribens ad Cornelium Minutianum, refert; Vale-
rium Licinium, qui inter summos causarum actores habitus fuerat, ob incesti cri-
men exulem, cùm in Sicilia literas profiteretur, Græco pallio amictum fuisse. Ca-
10 rent enim (inquit) togæ iure, quibus aqua & igni interdictum est. Certè vix po-
tuisse ciues Romanos sine crimine, etiam in barbaris regionibus, togam, abijce-
re, vt peregrina veste vterẽtur, testis est oratio Ciceronis pro Rabirio Posthumo,
qui accusatus fuerat hoc nomine. Certè cùm Mithridates aliquando iussisset,
11 omnes in Asia Romanos occidi (cognoscebantur autem ex toga) multis neces-
saria fuit mutatio vestitus, vt mortem effugerent. Hacque etiam ratione Rutiliũ
12 Iurisconsultũ effugisse narrat in eadem oratione Cicero. Sanè & Adrianus Imp. Ro-
13 mulum secutus aliquando edixit; vt Senatores saltem & Equites Romani, sem-
per in publico togati essent, nisi si à cœna reuerterentur; vt refert Spartianus. Por-
14 rò scribit Plutarchus, Numam de muliebri veste legem edidisse, sicuti Romulus
de virili. quanquam Romanarum mulierum impudicus aliquando fuisse vesti-
15 tus videatur, si quod aiunt, verum sit; tunicarum muliebrium alas nõ fuisse con-
sutas. Tum enim fuissent, vt olim erant mulieres Spartanæ, φαινομηρίδες (coxas in-
16 cessu retegentes.) Plautus in Pœnulo genus mulierosum vocat tunicis demissi-
tijs, hoc est, quod hîc dicimus, demissis vsque ad talos. Illud quoque annotatum
17 est; togas ciuiũ Romanorum fuisse quadratas. Nam & Festus meminit vestimen-
ti quadrati, & Athenæus lib. 5. togas appellat τετράγωνα ἱμάτια. Reliqua de re vestia-
18 ria omitto, quæ vulgaria sunt. Extat lib. 14. magni illius Theodosiani Codicis, ti-
tulus de habitu, quo oportet vti intra Vrbem; si quis posteriorum Principum Le-
ges in hoc genere fortè requirat. Ad nostros quod attinet, diligenter quoque di-
19 stinguunt[b] inter virilia & muliebria vestimenta. ac inter virilia quidem imprimis b L. 24. vel
togas referunt; sicuti inter muliebria, stolas. & addunt, quod ad decorum in ve 5. De auro &c.
20 stitu conseruandum pertinet; Muliebribus viros non facilè vti posse sine vitupe- lega.
21 ratione. Sed & Christianas olim Synodos huius quoque generis legibus ferendis
occupatas fuisse scimus. Sed illud memorabile est, veteres olim Christianos pal-
22 lio magis, quod erat simplex & frugale, quàm toga vti. Imò verò, qui antea togati
erant, cum religioni Christi nomen darent, toga relicta, pallium induebant. Inde
23 natum illud dicterium, A toga ad pallium. Vide Tertullianum de Pallio.

IN XI.

PARRICIDAS OMNES CAPITE PVNIVNTO.

1. *Romuli legis de Parricidis interpres est Numa Pompilius.*
2,13. *Parricida Romulo est qui qualemcunq; indemnatum hominem occidit.*
3. *Solõ & Romulus nõ putârũt fore aliquos Parricidas.*
4. *L. Ostius primus Romæ parricida, anno vrbis 600.*
5. *Parricidarum antiquiß. & singulare supplicium Romæ quod?*
6. *Homicidas Romani non semper morte multârunt.*
7. *Sicarios quomodo multârint Athenienses.*
8. *Homicidium pœnâ capitali præcipuè dignum est iudicatum ante Mosis quoque tempora.*
9. *Lex horrendi criminis apud Liuium quæ?*
10. *Horatius à Tullo Hostilio secundum quam legem iudicari iussus?*
11.12. *De puniendis maleficijs leges tum Romæ tum Athenis fuerunt omnium antiquißimæ.*
14. *Quæstores Parricidij qui?*
15. *Parricidium quosdam dicere, quasi paris id est hominis cædem.*

1 
Vius legis Romuli interpres fuit Numa Pompilius, quem Festus lib.
14. ait, legem composuisse, edidisseque his verbis:
SI QVIS HOMINEM LIBERVM SCIENS MOR-
TI DVIT, PARRICIDA ESTO.

Atque inde probat parricidam non modò eum fuisse, qui parentem occi 1
derit, sed & qui qualemcũque hominem indemnatum. Sed & Plutarchus scribit;
Romulum homicidium omne vocâsse parricidium: neq; de eo, qui patrem oc-
cidisset, aliam tulisse legem: quòd illud impium & nefarium, hoc impossibile iu-
dicaret. Ac Romulum quidem imitatus videtur Solon, qui nullam de ijs, qui pa- 3
rentes necâssent, legem tulit, nullum in eos supplicium constituit: rogatusque,
respondit; Non putare se aliquem fore parricidam. Sed fuêre tamen apud Græ-
cos, quàm Romanos, frequentiora parricidia. Sexcenti ab Vrbe cõdita effluxerũt 4
anni ante L. Ostium, qui primus Romæ patrem necâsse dicitur. Fuisse autem ni- 5
hilominus videtur Romæ & antiquissimũ & singulare in parricidas supplicium,
vt culeo insuti in mare abijcerentur. Reliquos homicidas nõ semper morte mul 6
târunt. Nam & lex Cornelia de Sicarijs, nõ nisi deportationis, bonorumq; adem-
ptionis pœnam sæpè inflixit; capitis interdum. Sicuti & Atheniensiũ leges, sica- 7
rios plecti voluerunt (vt Demosthenes refert) θανάτῳ ἢ ἀειφυγίᾳ καὶ δημεύσει τῶν ὑπαρχόντων
(morte, aut perpetuo exilio publicationeque siue direptione facultatum.) Sed
melior, iustiorque fuit Romuli seueritas, & cùm omnibus ciuitatibus, tum verò 8
nouæ nascentique Reip. vtilior. Certè aut nullũ crimen est, aut est homicidium
capitali animaduersione dignum; vt cuius nefaria manu alterius sanguis fusus
sit, fundatur publico gladio eius quoque cruor. Sic enim & multis ante Mosem
annis, statim nempe post diluuium, diuinitus sancitũ est. Sed si requirimus, quàm
Romanis placuerit Romuli Lex, & seueritas, infinita exẽpla testimonio esse po-
terunt. Nunc mihi sit satis retulisse Legem horrendi carminis (vt eam appellat Li- 9
uius) quam etsi abs Romulo ipso latã esse dicere non ausim, ad eius tamen exem-
plum fuisse ab aliquo Rege Rom. non multò pòst editã in homicidas, dubium nõ
est. certè Tullus Hostilius Rex, secundum eam Horatium illum, qui sororem oc- 10
ciderat, iudicari iussit; quanquam is absolutus sit, quia iure occidisset. Huius au-
tem legis hæc verba fuerunt:

DVVMVIRI PERDVELLIONEM IVDICENT. SI A DV-
VMVIRIS PROVOCARIT, PROVOCATIONE CERTA-
TO. SI VINCENT, CAPVT OBNVBITO: INFOELICI
ARBORI RESTE SVSPENDITO: VERBERATO VEL IN-
TRA POMOERIVM, VEL EXTRA POMOERIVM.

Cicero in Orat. pro Rabir. ait; non Romuli aut Numæ Pompilij, sed Tarqui-
nij superbissimi Regis ista esse cruciatus carmina:

CAPVT OBNVBITO, INFOELICI ARBORI SVSPENDITO:
eaque verba iampridem in Reip. Rom. dicit nõ solùm tenebris vetustatis, verùm
etiam luce libertatis oppressa esse. Antiquissimæ itaq; fuerunt, quamuis nõ mul-
tæ fuerint, Leges apud Romanos de puniendis maleficijs: sicuti & Iosephus lib. 11
1. de contra Apionem narrat, publicarum apud Athenienses literarum vetustissi-
mas fuisse Leges Draconis de supplicijs. Illud prætereundum non est; Romuli 12
exemplum, verbumq; secutos veteres Romanos, parricidium quoque vocasse o- 13
mne homicidium, vt hoc scelus atrocius videretur. Nam & eos, qui capitalibus
quæstionibus præerãt, vocârunt Quæstores parricidij: quorum etiam meminis- 14
se legem duodecim Tabularum noster Pomponius testis est. Et sunt qui parici-
dam vocari propriè tradant, qui parem, hoc est, hominem occiderit. 15

IN XII.

NE QVIS NISI PER PORTAS VRBEM INGREDI-
TOR, NEVE EGREDITOR. MOENIA SACROSAN-
CTA SVNTO.

1. *Ciues aliâ quàm per portas egredi, non licet.*
2. *Vallum transcendens, aut per murum castra ingrediens, capite punitur.*
3. *Muri à Pontificibus sancti habebantur.*
4. *Ligneisne an luteis muris Romulus vrbem cinxerit?*
5. *Ancus Martius nouo lapideoque muro vrbem munijt.*
6. *Inter muros & priuatorum ædes cur pomœria?*

Pomponius

POmponius noster, a cuius extant verba in Pandectis, inquit: Si quis violârit muros, capite puniarur: sicuti, si quis transcenderit scalis ad- a L. vlti. De rerũ diui.
moris, vel alia qualiber ratione. Nam ciues Romanos aliâ quàm per
1 portas egredi, non licet: cùm illud hostile, & abominandum sit. Nam
& frater Romuli Remus occisus traditur ob id, quòd muros transcendere vo-
luerit. Hæc ille. Plutarchus in Problematibus Varronem secutus eadem scribit,
dum causam reddit, propter quam mœnia sacrosancta habeantur: τὸ μὲν τεῖχος ἱερὸν
δεῖ νομίζειν, ὅπως ὑπὲρ αὐτοῦ μάχωνται προθύμως, καὶ ἀποθνήσκωσιν, οὕτω γὰρ δοκεῖ Ῥωμύλος ἀποκτεῖναι τὸν
ἀδελφὸν, ὡς ἄβατον καὶ ἱερὸν τόπον ἐπιχειροῦντα διαπηδᾶν, καὶ ποιεῖν ὑπερβατὸν καὶ βέβηλον.
2 Sed & qui vallum transcenderit, aut per murum castra ingressus sit, capite
puniri; Modestinus b respondit. Neque sanè vel in ciuitatibus, vel in castris secu- b L. 3. §. in bello. De re mili.
rus quispiam esse possit, si muros transcendere cuiuis liberum sit; & hæc vel petu-
lantia, vel contumacia maneat impunita. Rectè ergo & Tullius lib. II. de Nat.
3 Deor. muros à Pontificibus habitos esse sanctos ait. Sanctos autem vocamus,
4 quos impunè violare non licet. Quibus autem mœnibus Romam suam Romu-
5 lus primùm cinxerit, ligneis, an luteis, dicere nõ possum. Sed Ancus Martius Rex,
dicitur primus nouo, lapideoque muro vrbem muniisse. Numa tamen ante eum
6 nescio quid tale molitus erat. Certè inter muros, & priuatorum ædes certa fuê-
re pomœria, vt magis tuta essent ipsa mœnia. Ac primum quidem pomœrium
Romulus certis regionibus descripsit: sed aucta deinde ciuitate, sæpe prolа-
tum est.

IN XIII.

MVLIER VIRO LEGITIME CONIVNCTA, FORTVNARVM ET SACRORVM SOCIA ILLI ESTO. VTQVE DOMVS ILLE DOMINVS, ITA HAEC DOMINA.

1. *Nuptiarum legitima coniunctio Romulo quæ?*
2. *Farcibus antiquiss. & sacrosanctus.*
3. *Nuptijs aquam & ignem Romani adhibuerunt.*
4. *Nuptias societatem esse Romulus voluit bonorum omnium atq; sacrorum.*
5. *Vxoris in domum viri ductæ verba solennia quæ?*
6. *Modestinus nuptias definiendo assentitur Romulo.*
7. *Gordianus Imp. quoque idem rescripsit.*
8. *Vxorem fieri quasi dominam rerum mariti, iudicârunt Nerua & Cassius; reprobantibus id Sabino & Proculo.*
9. *Sabiniani à Romulo probatam illam inter coniuges fortunarum omnium societatem reiecerunt.*
10. *Non aliter iam societas illa inter coniuges initur, quam si ita conuenerit.*
11. *Vxoris bona pro marito debitore distrahi non possunt.*
12. *Inter coniuges vetus illa societas, moribus Galliæ in vsum reuocata est.*
13. *Christiana mulier potius impium maritũ relinquet, quàm superstitioni eius accedet.*
14. *Vxorem non modo sacrorũ sociam, sed eiusdem quoq; domus, ciuitatis atque fori esse, voluerunt Romani.*

15.16. *Mulieri relicto vsu ædium, cum marito eas inhabitare potest. & num 17.*

18. *Honor dignitasq; mariti communis vxori est.*

1 VOcabat Romulus legitimam nuptiarum coniunctionem, quæ farris
2 communione inita erat, cibi nempe & antiquissimi, & sacrosancti,
nam & eo in sacrificijs vtebantur. Aquam & ignem nuptijs postea
3 Romanos adhibuisse, Scæuola a noster ostendit. Et Dionysius ipse a L. 66. De dona. inter vir. & vxo.
commemorans illa raptarum virginum Sabinarũ cum Romanis Iuuenibus con-
nubia, Romulo autore contracta, ait: ἐπὶ κοινωνίᾳ πυρὸς καὶ ὕδατος ἐγγυῶν τὰς γάμους, ὡς καὶ
μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς ἐπιτελοῦνται χρόνων (ignis & aquæ societatem inter cõiuges pactus, qui
4 mos durat vsque ad nostra tempora.) Legitimas ergo nuptias voluit Romulus
societatem esse, & communionem bonorum inter coniuges omnium atque sa-
crorum. Hancq; sanè Legem plurimùm cõmendat Dionysius, & his verbis edit:
γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ, κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν (mulie-
rem nuptam, quæ iuxta sacratas leges conuenisset cũ viro, participem omnium
esse facultatum & sacrorum.) Deinde adijcit, quod vxorem quoque dominam
fuisse testatur: σωφρονοῦσα καὶ πάντα τῷ γεγαμηκότι πειθομένη γυνὴ, κυρία τοῦ οἴκου τὸν αὐτὸν τρόπον ἦν, ὅνπερ
καὶ ἀνήρ (Vxor enim pudica & marito semper obsequens æque ac ille domus erat
domina.) Sed & cùm nuptiæ contrahebantur coëmptione, idem iuris habebat
vxor. Itaque cùm in domum viri ducebatur, hæc eius erant solennia verba: Vbi

ru Caius? Ego Caia. Et vt vlt dicebatur paterfa. sic vxor materfa. Ac in posterio-
ribus quidem Romanorum legibus nonnulla superesse videntur veteris socie-
tatis vestigia; quanquam seruata non sit illa, quam Romulus instituerat, inter
coniuges rerum omnium communio. Modestinus b noster tradit; nuptias esse 6
consortium omnis vitæ, diuini atque humani iuris communicationem. In quo-
dam Gordiani c Imp. rescripto, vxor dicitur socia rei humanæ atque diuinæ do- 7
mus. Ac Paulus d quidem scribit, Neruam & Cassium existimâsse, propter hanc 8
summam vitæ societatem, fieri vxorem quasi dominam rerum mariti: sed Sabi- 9
num & Proculum id non probâsse. Sic itaque Sabiniani reiecerunt, quam Ro-
mulus probârat, inter coniuges fortunarum omnium societatem: & eorum sen-
tentiã reliqui Iurisconsulti secuti sunt. Meminit quidem Scæuola cuiusdam ma-
riti, qui societatem omniũ bonorũ suorum cũ vxore sua per annos amplius qua-
draginta habuit. e Sed illud ipsum testimonio esse potest, non aliter inter coniu- 10
ges hanc societatem iuiri, quàm si inter eos ita conuenerit. Quid? Vxoris bona 11
ne pro marito quidem debitore capi aut distrahi possunt. f Hodie tamen mori- 12
bus Galliæ aliqua ex parte iterum est in vsum vetus societas reuocata. Nam &
mobilium, & eorum omnium, quæ maritus ipse acquirit, castrensium & quasi ca-
strensium, vxor est socia. De priuatis familiarum sacris, quæ olim apud Romanos
fuêre, dictum est à nobis alio loco: nunc illud solum adijciam; Apostolum Pau-
lum minimè velle vxorem tam esse sociam sacrorum mariti, vt ea etiam, quæ pia
non sint, aut verè sacra, colat. Imò verò Christianam mulierem, potius relinque- 13
re debere maritum impium, quàm aut eius superstitioni accedat, aut suam dese-
rat religionem. Neque verò sacrorum modò mariti sociam mulierem esse Ro- 14
mani voluerunt; sed & eiusdem domicilij, ciuitatis, atque fori g esse. Quid mul-
tis? Vlpianus ait; viri vxorísque vnam esse domum. h Et si stipulatus fuero, per te
non fieri quo minus mihi vti domo liceat: & prohibueris vxorem meam vti, cõ-
mittetur stipulatio. vel etiam ediuerso, si vxor mea ita stipulata sit, & tu me pro-
hibueris. i Ergo & si mulieri vsus ædium relictus sit, poterit & cum marito habita- 15
re, ne ei matrimonio suo carendum foret, cum vti vult domo, ait k Vlpianus. Sed 16
& si vsus ædium relictus esset vxori hac conditione, Si à viro diuertisset; posse ni-
hilominus & cum marito habitare, idem respondit. l Quid multis? Non videri in 17
hoc genere præstitum esse vxori, quod marito non præstatur, eique commune
non est, ait m Papinianus. Postremò & honorem dignitatemque mariti esse vxori
commûnem, responsum n est. & reuerentiam quam libertus patrono debet, de- 18
bere & eius o vxori. sicuti & ediuerso, libertum vxoris, non posse maritum eius,
sine venia, in ius vocare, constat. Quanquam non idem dicatur de operis, quas
libertus alteri coniugi debet. p Hæc satis explicant, quatenus posterioribus Ro-
manorum legibus recepta sit, quamque latè manârit illa inter coniuges commu-
nio, quam Romulus instituerat.

b L. 1. De ritu nupt.
c L. Aduersus. C. de cri. expil. hered.
d L. 1. De act. rer. amo.
e L. 16. alimenta. §. vlti. De alimẽ. & cib. leg.
f L. vxorem. C. de Decu. L. 1. C. ad leg. Iul. de vi. & tit. C. ne vxor pro mar.
g L. exigere. De Iudi. L. vl. § item rescripserunt. Ad municip. L. cum quidam. De Iurisd.
h L. 1. § si vir aut vxo. Ad sen. Silla.
i L. si stipulatus fuero, per te non fieri. De verb. obli.
k L. 4. § mulieri. De vsu & hab.
l L. sed neque. § 1. De vsu & habi.
m L. pater filiæ. De seruit. le.
n L. fœminæ. De Senat.
o L. 1. C. de in ius voc.
p L. liberti. C. de oper. liber.

IN XIIII.

FILIA VTI PATRI, ITA DEFVNCTO VIRO HAERES ESTO.

1. *Vxorem quatenus mariti intestati heredem esse voluerit Romulus?*
2. *Posteriores Legislatores ius illud pro vxoribus à Romulo introductum, sustulerunt.*
3. *Bonorum possessionem* Vnde Vir & Vxor *Prætores coniugibus reddiderunt.*
4. *De coniugum inuicem successione Iustinianus quid statuerit?*

HOc caput ex superiori dependit, & cum eo potest coniungi. Interpre- 1
tationem ex Dionysio adijciam, qui ait; Romulum voluisse vxorem
in solidum esse hæredem mariti intestati, sine liberis defuncti: sin is
liberos superstites reliquerit, vxori tantum dari, quantum liberis.
Τελευτήσαντος τοῦ ἀνδρὸς γυνὴ κληρονόμος ἐγίνετο τῶν χρημάτων, ὡς θυγάτηρ πατρός. εἰ μὲν ἄπαις τε καὶ μη-
δὲν διαθέμενος ἀποθάνοι, πάντων οὖσα κυρία τῶν ἀπολειφθέντων. εἰ δὲ γενεὰν ἔχοι, τοῖς παισὶν ἰσόμοιρος γινο-
μένη (In defuncti mariti bona vxor succedebat hæres, sicut parentis filia; ex asse
quidẽ, si is liberis carens ac intestatus decederet; quod si prolem haberet ex æquo
cum libe-

scum liberis.) Qui post Romulum Romæ leges ediderunt, Ius hoc totum successionis coniugibus ademerunt. Sed Prætores deinde id coniugibus saltem tribuerunt reddideruntque, vt fisco summoto post agnatos omnes & cognatos, inui-
3 cem succedere possent. Hæcque appellata est Bonorum possessio VNDE VIR ET VXOR: cuius fit mentio lib. 38. Pandectarum: eamq; Iustinianus lib. 3. In-
4 stitutionum profitetur tueri se velle. Sed propius deinde accessit ad hãc Romuli legem. Ac in sua quidem Nou. Const. 53. statuerat, vt superstes coniunx, si inops sit, cum liberis possit succedere, & quadrantem consequatur, si modò is non excedat centum auri libras. Postea verò edidit Const. Nou. 117. vt non maritus vxori, sed vxor marito cum liberis succedat, & parem cum ijs habeat portionem: cuius tamen proprietatem ijs seruet, Ipsaq; sola vtatur fruatur.

IN XV.

ADVLTERII CONVICTAM VIR, ET COGNATI, VTI VOLENT, NECANTO.

1. 3. *De adulterijs legem Lycurgus cur nullam ediderit?*
2. *Adulteria legibus coërcenda putauit Romulus.*
4. *Adulteriorum non acerbi vindices fuerunt Romani ante legem Iuliam.*
5. *Tiberius adulterijs fuit remissior.*
6. *Domitianus legem Iuliam reuiuiscere iussit.*
7. *Numæ Pompilij lex in pellices.*
8. *Pellex propriè quæ?*
9. *Apud veteres Germanos adulterarum pœna viris permissa fuit.*
10. *Apud Romanos vir & cognati de capite mulieris domi iudicabant.*
11. *Pomponia Græcina Plautij mariti iudicio permissa & insons pronunciata.*
12. *Posthumia Posthumiũ Albinum Cos. & Licinia CL. Asellum, maritos veneno tollẽtes strãgulatæ sunt.*
13. *Mulieres quæ incestis Bacchanalium sacris interfuerant, quomodo condemnatæ sint?*
14. *Legis Romuli de adulteris in vsum reuocandæ autor fuit Tiberius.*
15. *Posteriores Romanorum leges in adulteras quæ?*
16. *Filiam cum adultero deprehensam confodere patri permittit lex Iulia.*
17. *In publica mulieris adulteræ accusatione patri præfertur maritus.*
18. *Romuli lex in adulteras apud Plutarchum.*
19. *Partus suppositio apud Romanos Capitalis.*
20. *Rerũ amotarũ non furti agendum aduersus vxorem.*

1 NVllam de adulterijs legem Lycurgus edidit, quòd nullũ Spartæ adulterium fore putaret. Sed tam casta certè non erant ea tempora, vt id
2 facilè crediderit Romulus. Imò verò prudenter iudicauit nullam in
3 Rep. magis necessariam esse legem. Aptius fortassis Lycurgus respondisset, eam se prætermisisse, quòd vix speraret eum seueritate sua mansuram. Quid enim non audet, quid non perrumpit hominum libido atque impudicitia? Nulla certè lex vnquam vel sæpius repetita editaque est, vel audacius magisve impunè contempta. An mortuo Romulo Romæ multa statim fuerint adulteria, dice-
4 re non possum. Sed ante Legem Iuliam non admodum acerbi adulteriorum vindices Romani fuisse videntur. Quæ enim hoc in genere capitalia eorum iudicia
5 commemorare possumus? Sed & post legem Iuliam Tiberius dicitur aliquando in Senatu grauiorem adulterij pœnam deprecatus, suasisse, vt more & exemplo Maiorum adulteræ non nisi vltra ducentesimum ab Vrbe lapidem relegarentur, quanquam & satis veteris legis acerbitas vltro alioqui remitteretur: nec modò, vt ait Iuuenalis, dormiebat, sed veluti mortua iacebat legis Iuliæ seueritas. Quid enim? *Lusus erat sacræ connubia fallere tedæ.* Domitianus impurus alioqui tyrannus
6 iussit eam renasci, atque reuiuiscere, Quid effecerit, nemo non videt. Hic postremò prætermittere non possum quandam Legem Numæ Pompilij, nimium licet mol-
7 lem, paulo post Romulum editam:

PELLEX ARAM IVNONIS NE TANGITO: SI TANGET, IVNONI CRINIBVS DIMISSIS, AGNAM FOEMINAM CÆDITO.

Hãc Numæ Legẽ refert Festus li. 14. de Verborũ veterũ significatione, docens,
8 antiquos propriè pellicẽ nominâsse, quæ vxorẽ habenti nubebat. Ait Romulus:

VIR ET COGNATI NECANTO.

Sic & Dionysius: *ἁμαρτάνουσα δέ τι γυνὴ δικαστὴν τὸν ἀδικούμενον ἐλάμβανε, καὶ τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον. ταῦτα δὲ οἱ συγγενεῖς μετὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐδίκαζον, ἐν οἷς ἦν φθορὰ σώματος.* (Si aliquid peccâsset,

pœnam luebat ex mariti læsi arbitrio: de huiusmodi verò criminibus cognati
cum ipso cognoscebant in quibus erat violata pudicitia,)
Hancq; Romuli legem secuti videntur veteres Germani, apud quos scribit 9
Tacitus adulterarum pœnam præsentem fuisse, & maritis permissam. Neq; verò
hoc in genere modò vir & cognati de capite mulieris apud Romanos domi iudi- 10
cabant, sed & alijs in criminibus. Nam & idē Tacitus refert, Pomponiā Græcinam 11
Plautio nuptam, cùm superstitionis externæ rea esset, mariti iudicio fuisse per-
missam: eumque prisco instituto cum propinquis de capite, famaq; coniugis co-
gnouisse, & insontem pronunciâsse. Posthumia, quæ Posthumium Albinum Cō- 12
sulem; Licinia, quæ Claudium Asellum, viros suos veneno necauerant, priuato
propinquorum decreto strangulatæ sunt. Atque hoc quoque Posthumio Con-
sule, cùm de ijs mulieribus inquireretur, quæ incestis illis sacris Bacchanalium in 13
terfuerant, damnatas ait Liuius, cognatisque & quorum in manu essent, traditas
esse; vt ipsi in priuato animaduerterent in eas Sed & tempore Cæsarum, hæc Lex
Romuli aliqua ex parte in vsum reuocata fuisse videtur. Nam scribit Suetonius 14
Tiberium aliquando autorem fuisse, vt matronas prostratæ pudicitiæ, quibus ac-
cusator publicus deesset, propinqui, Maiorum more, de cōmuni sententia coër-
cerent. Posteriores tamen Romanorum leges aliæ fuerunt. Nam nec omnino
permiserunt marito interimere vxorem in adulterio deprehensam: quanquam 15
si id fecerit impetu tactus doloris: scribit Papinianus[a] pœna legis Corneliæ de si-
carijs non teneri. idque rescriptum esse à M. Antonino & Commodo. Sed & Di-
uum Pium rescripsisse, huic marito remittendum esse vltimum supplicium: quia
difficillimum sit iustum dolorem temperare: & magis, quia plus fecerit, quàm,
quia vindicare se non debuerit, puniendus sit. Patri tamen, cuius in potestate fi 16
lia nupta erat, permisit Lex Iulia filiam cum adultero deprehensam confodere,
Quod autem attinet ad publicam adulteræ mulieris accusationem,[b] Vlpianus 17
respondit maritum patri præferri: quia (inquit) propensiori iure, & maiori dolo-
re sit executurus accusationem. Vt ad Romulum reuertar, Plutarchus inter eius
Leges hanc numerat; Vxori à viro diuertere non licere: maritum, abijcere & re-
linquere eam posse, quæ vel adultera esset, vel venefica, vel partum aut claues sup- 18
posuisset. Hanc alibi Romuli legem non legi. Et quidem existimo ob tales tamq;
iustas causas non modò ab vxore diuertere, sed & eam occidere maritum, Ro-
muli lege potuisse, cùm quidem & propter causam leuiorem potuerit, vt ex capi-
te sequenti intelligi potest. Et partus suppositionem non minus quàm venefi 19
cium capitali pœna vindicari, aliæ quoque Romanæ Leges tradunt. Si tamen 20
clauibus suppositis furtum fecisset vxor, leuiori iudicio eam castigârunt, cùm re-
rum amotarum potius quàm furti agi aduersus eam voluerint.

a L. 38. §. Imperatores. Ad Leg. Iul. de adult.

b L. 2. §. vlti. Ad leg. Iul. de adult.

IN XVI.
SI VINVM BIBERIT, DOMI VT ADVLTERAM PVNIVNTO.

1. *Abstemiæ mulieres in Latio ante conditam quoque vrbem.*
2. *Fatua Fauna, Fauni soror vxorque, virgis cur cæsa?*
3. *Abstemias esse mulieres Lycurgus cur noluerit?*
4. *Romæ non mulieres solum, sed & serui & adolescentes vinum non bibebant.*
5. *Massiliensiū & Milesiorū vxores aquam bibebant.*
6. *Locri non nisi iubente medico vinum bibebant.*
7. *Egnatius Mecennium vxorem occidens à Romulo absoluitur.*
8. *Cn. Domitius vinū bibētem mulierē dote multauit.*
9. 10. *Cato Censor instituit, vt cognatis osculum ferrent mulieres.*
11. *Ebrietas iam excusat.*



Anc legem non iam primus tulit Romulus, quàm retinuit cōfirma-
uitque. Nam & ante Romam conditam mulieres in Latio abstemias 1
fuisse accepimus; & Fatuam Faunam Fauni sororem vxoremque, 2
quia contra morem decusq; regium ollam vini ebibisset, & ebria
facta esset, virgis myrteis à viro vsque ad mortem cæsam esse. Neque verò in Italia
modò, sed in Græcia fuisse hanc legem, Xenophon non obscurè testatur, cùm de
Rep. Lacedæmoniorum verba facit; quanquam Lycurgo non admodum eam 3
placuisse significat, existimanti ieiunarum abstemiarumq; mulierum partus fore
imbecil-

4 imbecilliores. Athenæus lib. 10. cap. 9. scribit apud Romanos non mulieres mo-
5 dò, sed & seruos & adolescentes triginta annis minores non bibisse vinum. Sed
6 & Massilienses & Milesios voluisse mulieres aquam bibere. Zaleucum verò apud suos Locros, eum, qui merum bibisset, non iubente medico, capitali etiam pœna punijsse. Verba Athenæi sunt hæc: παρὰ Λοκροῖς τοῖς ἐπιζεφυρίοις εἴ τις ἄκρατον ἔπιε μὴ προστάξαντος ἰατροῦ θεραπείας ἕνεκα, θάνατος ἦν ἡ ζημία, ζαλεύκου τὸν νόμον θέντος. παρὰ δὲ μασσαλιώταις ἄλλος νόμος, τὰς γυναῖκας ὑδροποτεῖν. ἐν δὲ μιλήτῳ ἔτι καὶ νῦν φησὶ θεόφραστος τοῦτ' εἶναι τὸ νόμιμον. παρὰ δὲ ῥωμαίοις οὔτε οἰκέτης οἶνον ἔπινεν, οὔτε γυνὴ ἐλευθέρα, οὔτε τῶν ἐλευθέρων οἱ ἔφηβοι μέχρι τριάκοντα ἐτῶν. (Apud eos Locros qui magis vergunt ad Zephyrum, si quis merum sine medici imperio medicamenti gratia biberit, capitis damnatur; quam legem tulit Zaleucus. Apud Massilienses autem lex alia fœminas aquam bibere iubet. In Mileto ad hæc vsque tempora scribit Theophrastus hoc ipsum ex lege obseruari. Apud Romanos neq; domesticus bibebat vinum, neq; fœmina libera, neque ex liberis iuuenes qui trigesimum annum non attigissent.)

Certè & Romulum ipsum ferunt ferè abstemium fuisse: & quendam Egna-
7 tium Mecennium, qui vxorem, quòd bibisset vinum è dolio, interfecerat, Romuli sententia absolutum. Plinius quoque lib. 14. refert, matronam quandam, quod loculos, in quibus erant claues cellæ vinariæ, resignauisset, à suis inedia mori co-
8 actam esse. Mitior fuit Cn. Domitius, qui non nisi dote multauit mulierem, quæ inscio viro plus vini bibisset, quàm valetudinis causa. Extant & ex quadam M. Catonis Oratione de dote hæc verba: Vir cùm diuortium fecit, mulieri iudex pro Censore est. Imperium, quod videtur, habet. Si quid peruersè tetreq; factum est à muliere, multatur: si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit. Atque
9 iste quidem est Cato qui cùm Censor esset, instituit, vt cognatis osculum mulieres ferrent deprehendendi causa, an vinum bibissent. Sed & ex Ciceronis lib. 3. de Rep. citat Nonius hæc verba: Ita magnam habet vim disciplina verecundiæ: carent temeto omnes mulieres. Item ex lib. 4. hæc: Atque etiam si qua esset famosa, ei cognatio osculum non ferebat. Denique & Arnobius lib. 2. Disputat.
10 contra Gentes, loquens de Romanis matronis, inquit: Potionibus abstinent vini: affinibus & propinquis osculari eas ius est, vt sobrias comprobent atque abstemias se esse. Tertullianus in Apolog. conqueritur Maiorum instituta, quę modestiæ fœminarum patrocinabantur, cecidisse. Narrat illud ipsum quod de Mecennio dixi, & quod ex Plinio retuli. addit, & oscula propinquis offerre, necessitatem mulieribus fuisse, vt spiritu iudicarentur. At nunc (inquit) præ vino nullum liberum est osculum. Sanè tamen videtur retentus multis annis in optimis Italiæ familijs hic mos, vt nesciente viro vxor non auderet vinum gustare. Nam & Blondus, qui vixit ante annos centum, scribit, legisse se dotale quoddam instrumentum, quod ante annos plus minus trecentos conscriptum fuerat, quo patri puellæ sponsus permittebat, quoties illa peperisset, vinum ei octo primis diebus, quantum deceret, bibendum dare: & de consilio medici, quandiu ægrotâsset. Præterea omni festo solenni die, potu illam vnico oblectare. Sed non omnes semper Romanas mulieres tam fuisse abstemias, nimis quàm notum est. Cur autem Romulus vini vsum ijs adimere voluerit, minimè est obscurum. Valerius ait non fuisse id permissum, ne in aliquod scelus prolaberētur: quia proximus à libero Patre intemperantię gradus ad inecōcessam Venerem esse consueuit. Dionysius scribit; Gręcis quidē leue visum esse aut viriū ebrietatis, aut periculū in mulieribus; sed prudentiorem fuisse Romulū, qui iudicârit esse hoc initiū adulterij; adulteriū autem extremæ insaniæ atq; dementiæ, vt non temerè vtrunq; grauiter coërceri voluerit: ταῦτα δὲ οἱ συγγενεῖς μετὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐδίκαζον, ἐν οἷς ἦν φθορὰ σώματος, καὶ ὃ πάντων ἐλάχιστον ἁμαρτημάτων ἕλλησι δόξειεν ἂν ὑπάρχειν, εἴ τις οἶνον εὑρεθείη πιοῦσα γυνή. ἀμφότερα γὰρ ταῦτα ζημιοῦν ἐπέλευσεν ὁ ῥωμύλος, ὡς ἁμαρτημάτων γυναικείων ἔσχατα, φθορὰν μὲν, ἀπονοίας ἀρχὴν νομίσας, μέθην δὲ φθορᾶς. (De ijs criminibus cognati cum marito cognoscebant, in quibus erat violata pudicitia; & quod apud Græcos videretur leuissimum, si deprehensa esset vinum bibisse mulier. nam vtrunque damnauit Romulus, vt erratorum muliebrium maximum: ratus è stupro nasci insolentiam, stuprum è vinolentia.

Huiusce legis nulla in iuris Pandectis supersunt vestigia. Imò verò in ijs a traditum est militibus per vinum lapsis capitalem pœnam remitti.
11 a L. 6. §. pen. De re milit.

IN XVII.

PARENTVM LIBEROS OMNE IVS ESTO RELEGANDI, VENDENDI, OCCIDENDI.

1. *Oeconomia rectè constituta nerui sunt Rerump.*
2. *In familijs bene institutis reperiuntur exempla opt. Rerump.*
3. *Persæ liberis suis vt seruis vtuntur.*
4. *Apud veteres Gallos viro in vxorem fuit ius vitæ & necis.*
5. *Aegyptij patrem occidentem filium morte non multarunt.*
6. *Græci potestatem patriam non voluerunt esse diuturnam.*
7. *Abdicatio siue Exhæredatio summa patris in filiũ pœna apud Græcos.*
8. *Romulus & perpetuam & summam patri dedit in liberos potestatem.*
9. *Cassius & Manlius Torquatus hoc Romuli iure vsi sunt.*
10. *Patria potestas non fuit Romæ semper eadem.*
11. *Abdicationem Fabius vocat vltimum patriæ potestatis fulmen.*
12.13.16. *Parentum in castigandis liberis asperitatem leges posteriores non tolerant.*
14. *Pater malètractans filium, emancipare eundem cogitur?*
15. *Arxo, Eques Romanus, ob immoderatè cæsum filium quomodo mulctatus?*
17. *Horatius Tergeminus sororem occidens à patre excusatur, reclamante rege Seruio Tullio.*
18. *Pater accusator potius filij quàm iudex.*
19.20. *Si quis pater filium, ne alius eum accuset, iudici offert, filio supplicium extremum remittitur.*
21.23. *De patria potestate vendendi filium.*
22. *Tres illæ in emancipandis liberis imaginariæ venditiones, & manumissiones, vnde ortæ?*
24. *Numa voluit filium, cui pater vxorem dedisset, vendi non posse.*
25. *Filiam nuptam abducere pater cur non possit?*
26. *Ancillam, alterius contubernalem, vindicare dominus potest.*
27. *Patri an ius vendendi filijfa. temporibus nostrorum Iurisconsultorum planè sit ademp tum?*
28. *Nulla est liberi hominis venditio, nulla oppigneratio.*
29. *Cæsarum posteriorum rescriptis vendendi filijfa. ius patri est ademptum.*
30. *Parentes inopes de publico liberis alimenta petere debent.*



Ix Respnblica vlla constitui potest, quin res œconomica rectè con- 1
stituta sit. Nam & in hac illius quædam species est, ac forma. Sed non
cuiusuis est hominis, familiarum iura prudenter & describere, & de-
finire. Aristoteles lib.8. Politic. grauiter scribit; in familijs bene insti-
tutis reperiri similitudines, & quasi exempla optimarũ Rerump. Nam ius, qnod 2
patri datur in liberos, obtinere formam regiæ potestatis, patri enim curæ esse li-
beros. Sed in tyrannidem conuersam esse patriam potestatem apud Persas, qui 3
liberis suis non aliter vtuntur, atque seruis. Porrò marito cum vxore ius id rectè
intercedere, quod est in Aristocratia. Nam pro dignitate virum ijs in rebus im-
perare, quæ dignæ sunt viro; quæ autem fœminam decent, eas ei tribui. Quòd si
in omnibus præsit vir ac dominetur: fieri potestatem illam popularem, quam
ὀλιγαρχίαν vocant. Retinuit hanc moderationem Romulus, cùm viri & vxoris so-
cietatem descripsit. neque sanè omnino illi in hanc ius vitæ & necis, quale apud
veteres Gallos fuisse scribit Cæsar, dedit. Sed in patria potestate, cui plurimum 4
tribuit, describenda, Persas magis secutus esse videtur, quàm vel AEgyptios,
(quorum Leges etsi morte patrem, qui filium occidisset, non afficiebant, im- 5
punitum tamen esse non sinebant, vt scribit Diodorus libro secundo) vel Græ-
cos: qui ne diuturnam quidem esse voluerunt patriam potestatem. finiri enim 6
vel tertio post pubertatem filij anno, vel si is ad publica munera vocaretur: sed
nec acerbioris aliquid iuris in filium obtinere: summam verò, quam infligē- 7
ret, pœnam esse, Abdicationem, vel Exhæredationem. Romulus cùm eas non
satis graues pœnas esse iudicaret, quarum metu coërceretur iuuenum contuma-
cia, & parenti suus honos conseruaretur; voluit non perpetuam modò, sed 8
& summam esse patris in liberos potestatem: vt etiam occidere, si vellet &
æquum iudicaret, posset. Quo iure vsi dicuntur Cassius, & Manlius Torqua- 9
tus. Atque huius quidem legis rationem pluribus explicat Dionysius, & fa-
cilè illud verum esse probat, quod abs Iustiniano postea dictum est; nullos es-
se alios homines, qui talem habeant in filios potestatem. Non fuit tamen ea
semper, qualem Romulus instituit. M. Brutus in quadã sua ad Atticum epistola, 10

Dominum

Domlnum (inquit) ne parentem quidem Maiores nostri voluetunt esse. Fabius
11 abdicaiionem vocat vltimum patriæ potestatis fulmen. Sed & in pietate magis
12 quàm atrocitate consistere debere pattiam potestatem, iudicauit Adrianus imp.
a & remperatissimam eam esse oportere Seneca pronunciauit. Sanè ius olim pa- a L. 5. Ad Leg. Pomp. de par.
tri fuisse vitæ, & necis in filium, Constantinus b ait: & Panlus c noster fatetur, non b L. vlt. C. de patr. potest.
minns liculsse occidere, quàm exhæredare filiumfamiliâs. Sed licuisse magis ali-
quando, quàm licere, non obscutè significant. Nam & abdicationem, d qua Græ- c L. 11. De lib. & posthu.
13 ci vtebantur, sustulerunr: & ne maiorem quidem vliam parenrum aspetitatem in
14 castigandis filijs Leges Romanæ toletârunt. Certè Traianus e volnit, vr pater co- d L. abdicatio. C. de pa. pot.
geretur emancipate filinm, quem contra pietatem malè tractabat; & ex consilio
Neratij Prisci, atque Aristonis, tam inhumano patri denegauit bonorum posses- e L. vlt. Si quis à paren. manum.
15 sionem, quæ manumissori datur. Sed & memotiæ prodirum est; Auxonem Equi-
tem Romanū, quòd fillum suū virgis immoderatius cecidisset, sic Romę pubiicè
à parentibus omnibus, & filijsfam. nihii Eqnestrem dignitatē reueritis obsessum
esse, vt suis eum stylis confoderent: & Augustus vix potuerit confossum libetare.
16 Certè resctipra Cæsarum non patiuntur emendationem propinquotum (vt vo-
cant) in immensum extendi: & si quod sit filijfamiliâs delictum grauiori allquo
snpplicio dignum, dedi volūt Magistratuū iudicio. Sed & cùm adhue vigeret Ro-
muii lex, ideoq; pater Horatij illius Tergemini, qni, quòd sororē occiderat, ho-
17 micidij accensabatur, cōtendetet iudicem se esse debere; reclamauit Rex Seruius
Tullius, Populoq; Rom. ludicium relinqui voluit. Testis est Dionysius lib. 3. Ergo
18 nunc parens sit potins accusator, qnàm iudex. Durus fortasse videbitur & crude-
lis pater, qui filium capitis faciat reum. Sed ô singnlarem Legum Romanatū hu-
19 manitatem. Si quis pius clemensq; parens infœlicem fillū, ne alius eum accuset,
cogatnr offerre iudicum misericordiæ; volnnt fiiio remitti extremū snppliciū;
ne contra pietatem, atq; humanitatem pater filio vitam, quā dedit, sua delatione
eripere videatur. sic enim dicltur f D. Pius desertorem, qui à patte suo fuerat ob-
20 latus, ln duriorem tantùm militiam dari iussisse; ne videretur pater ad suppliciū f L. 13. §. vlt. De re milit.
filium obtulisse. Sed vt ad Romulum redeamus, & de ea, qnā patri dedlr, venden-
21 di filij potestate aliqnid dicamus; Dionysius talem, tantamque fuisse ostendlt, vt
etiam ter filiū vendere pater posset, si fortè à primo, & secundo emptore fuisset
manumissus; qnanquam domino in seruum iuris rantum non esset. Hinc tres il-
22 læ in emancipandis liberis imaginariæ venditiones, & manumissiones, quarū fit
in Inre Ciuili mentio. Sic enlm demum extincto patris iure, filij ius magis in tuto
23 veteres fore iudicabant. Atq; hanc quidem Romuli Legem ram placuisse Roma-
nis, ait Dionysius, vt etiā relata sit inter duodecim Tabulas, & multis annis seue-
24 rissimè seruata. Numa tamen ab inltio eam nonnihil mitigauit. volnit enim fiiiū,
cui pater vxorem dedisset, vendi non posse. Sicuti & Vlpianus g ait, non posse pa- g L. 1. §. vlt. De lib. exhib.
25 trem, filiam nuptā abducere; ne bene concordantia matrimonia iure patriæ po
26 testatis turbentur. tametsi dominus ancillam suam alterins contubernalem vin-
27 dicare possit. h Cæterum ius alloqui vendendi filijfam. patri planè ademptū fuis- h L. 3. C. de dolo.
se tempore nostrorum Iurisconsultorum, certò adfirmare non possum: quanuis
28 eornm respōsa nullam esse tradanr liberl hominis venditionem: & creditorem
tradant relegādum esse, qui sciens à patente pignori acceperit filiumfam. i & pa- i L. vlt. Quæ res pig. oblig. poss.
trem euictionis nomine obligari, qui filium suum tanquā seruum ignoranti em-
29 ptori vendidisset. Sed postetiorum Cæsarum rescrlptis planè sublatam fuisse hāc
venditionis speciem satis constat. Extat Diocletiani, atque Maximiani k rescri- k L. 1. C. de patr. qui fil. distrax.
ptū, liberos à parentibus neque venditlonis neq; donationis titulo, neq; pigno
ris iure, aut alio quolibet modo, nec sub prætextu ignorantlæ accipientis, in aliū
transferri posse. Constantinus l tamen postea singularem vnum (vt vocat) casum l L. 2. C. illo tit.
excepit. volnit enim, vt inops pater, non habens vnde se alat, possit filium vende-
re sanguinolentum, hoc est, recēs natum, & adhuc à matre rubentem. qui tamen
in suam iterum ingenuitatem asseri possit, restituto emptori precio, aut alio ob-
lato mancipio. Sed humaniores sunt illæ aliæ duæ eius Constantini constitutio-
nes, quæ extant, lib. 11. integri Codicis Theodosiani. de Alimentis quæ inopes pa-
30 rentes de publico petere debent, si domi non habent quo suam sobolem alant.

IN

IN XVIII.

MONSTROSOS PARTVS SINE FRAVDE CAEDVNTO.

1\. 6. *Liberos non monstrosos, & triennio minores, neque occidi neq; exponi passus est Romulus.*
2\. *De infantibus expositis Principum rescripta.*
3\. *Monstrosi liberi qui essent, iudicabant quinq; vicini homines.*
4\. *Lucanus, Poëta, mōstrosos partus quomodo definiat?*
5\. *Partus monstrosi non sunt, qui Officia membrorum ampliauerunt.*
7\. *Serpentes Romæ partu humano editi.*
8\. *Puella biceps, quadripes &c. nata Romæ.*
9\. *Puer quadrupes Romæ natus.*
10\. *Puer dentatus, barbatus, &c. natus ad Daphnen Antiochiæ.*
11\. *Semimares & Androgynos quoq; non patiebantur viuere Aruspices.*
12\. *Iurisconsulti nostri benigniores fuêre Hermaphroditis.*
13\. *Androgyni olim in prodigiis, Plinij temporibus in delicijs habiti sunt.*
14\. 15. *Liberi non sunt, qui contra formam humani generis conuerso more procreantur.*
16\. *Conditiones illæ;* Si liberos pepererit; *&,* Si pepererit; *quid differant?*
17\. 18. *Pauli & Vlpiani responsa conciliata.*
19\. *De Pueris deformibus & insignitis Leges XII. Tabul.*
20\. *Insignes aut insigniti partus qui?*
21\. *Romuli Leges non scriptæ quæ?*
22\. *Asylum Romulus constituit ad imitationem Cadmi Thebarum conditoris.*
23\. 24. *Asylii ius tum posterioribus Romanis, tum succedentibus Christianis nimium placuit.*
25\. *Iustinianus ædes sacras sceleratos homines protegere vetuit.*
26\. 33. *Clientelæ à Romulo instituta diu durârunt; & quæ earum fuerit ratio?*
27\. *Clientelarum frequens in Pandectis mentio.*
28\. *Domestica suorum furta paterfa. domi castigabat.*
29\. *Clientes Proculo qui?*
30\. *Gordianus Imp. rescripsit, Patronos à Clientibus nō solitos exigere quod deberent.*
31\. 32. *Leonis Imp. temporibus clientelarum ratio quomodo degenerauerit?*
34\. *Clientelarum ius non personale erat sed gentilitiū.*
35\. 36. 37. *Applicationis ius; cum quis peregrinus alicui sese quasi in clientelam dabat.*
38\. *Feuda an cum clientelis Romuli sint conferenda?*
39\. *Feudorum originem ad Alexandrum Seuerum Imp. esse referendam.*
40\. *De legibus, quas præter Romulum cæteros Reges tulisse dicit Pomponius.*
41\. *Tullij Hostilij lex de Tergeminis ex publico alendis vsq; ad pubertatem, quando lata?*
42\. *Dionysius historiographus vixit anno Vrbis 650.*
43\. *Tergeminorū ius Romæ posterioribus seculis auctū.*
44\. *Seruij Tullij leges 50. desiderantur.*
45\. *Columna ænea, in quam leges συναλλακτικαὶ Seruij Tullij inscriptæ erant, temporibus adhuc Augusti extabat.*
46\. *Papirij I.C. codex legum Regiarum Pomponij adhuc tempore superstes erat.*
47\. 48. *Lex Regia, siue lex imperij, quæ?*
49\. *Per legem imperij Princeps siue Imperator iuris solennibus absolutus est.*
50\. *Legis Regiæ pars Romæ nuper inuenta.*
51\. *Lex regia; ne prægnans mortua humetur antequam partus ei excidatur.*
52\. *Cæsares & Imperatores posteriores Reges aliquando dictos esse.*
53\. *Roma Vrbs regia appellata.*
54\. *Constitutiones Principum dici posse Leges Regias.*

HOc caput & eleganter & copiosè Dionysius li. 2. explicat, eoq; interprete vti visum est, & eius verba potius adscribere, quàm mea ingerere:
Εἰς ἀνάγκην κατέστησε τοὺς οἰκήτορας αὐτῆς ἅπασαν ἄρρενα γενεὰν ἐκτρέφειν, καὶ θυγατέρων τὰς πρωτογόνους. ἀποκτιννύναι δὲ μηδὲν τῶν γεννωμένων νεώτερον τριετοῦς, πλὴν εἴ τι γένοιτο παιδίον ἀνάπηρον, ἢ τέρας εὐθὺς ἀπὸ γονῆς. ταῦτα δ' οὐκ ἐκώλυσεν ἐκτιθέναι τοὺς γειναμένους, ἐπιδείξαντας πρότερον πέντε ἀνδράσι τοῖς ἔγγιστα οἰκοῦσιν, ἐὰν κἀκείνοις συνδοκῇ (necessitatē colonis imposuit educandi quicqd esset masculū, & è filiabus primogenitas nullā autem prolē necari permisit minorē triennio, nisi si quid mutilū aut alioqui prodigiosum in ipso partu esset editū, tales enim fœtus exponi à parētib⁹ nō vetuit, sed indicatos prius quinque viris vicinis proximis, si illis quoq; exponendos esse visum fuerit.)

Ergo saltē liberos non monstrosos & triennio minores omnino ali voluit Ro- 1
mul⁹: nec modò nō occidi passus est, sed nec exponi. Quod & posteriores Princi-
pes secuti sunt, quorum de infantibus expositis extant rescripta. Sed neq; patris 2
arbitrio reliquit, qui nā mōstrosi liberi iudicandi essent. Imò verò eius rei iudiciū 3
detulit quinq; hominibus vicinis, priusquā pater quicquā tentare posset. Luca-
nus definiri videtur monstrosos hominū partus, numeroq; modoq; membrorum. Sed 4
meminerimus quod noster [a] Paulus ait; partus nō statim esse mōstrosos, qui hu- 5
manorū membrorū officia ampliauerunt: & ideo inter liberos cōnumerari. neq;
sanè vlla vel humanitas, vel ratio patitur, eos hoc prætextu necari. Neq; alios im-
punè cædi posse Romulus voluit, quàm qui monstrosi ita essent, vt verè homines 6
dici nō possent, quales sæpe Roma vidit. Initio belli Marsici peperit ancilla serpē- 7
tem, vt testis est Plinius li. 7. Et alter Plinius refert L. Scipione & Norbano Coss. in
Hetruria Clusij matrē fa. viuū serpentē peperisse: & eū iussu Aruspicū in profluen-
tē deiectū, aduersa aqua natâsse. C. Lælio & L. Domitio Coss. puella biceps, quadri- 8
pes, quadrimana, gemina fœminea natura, nata est; & aliquot antè annis, L. Fu-

[a] L. 14. De stat. homi.

rio &

9 tio & Satrano Coss. puer ex ancilla natus quatuor pedibus, manibus, oculis, auribus, & duplici obsceno. An tam tristia monstra aluissent Romani? quale & illud fuit, quod Ammianus Marcellinus lib. 19. refert, ad Daphnen Antiochiæ na-
10 tum esse, dentatum, barbatum, ore gemino, quatuor oculis. Certè Aruspices hanc Romuli Legem secuti, non patiebantur talia monstra viuere. Nam & M. Messala
11 & C. Liuio Coss. in Vmbria semimarem natum necari iusserunt. Sed & Androgynos in mare abijci curabant. quod etiam factum est L. Metello, & Q. Fabio Maximo Coss. & rursus Cneo Domitio & Fannio Coss. & paulò pòst L. Aurelio, &
12 Cæcilio Coss. Nostri tamen Iurisconsulti b beniguiores fuêre Androgynis siue
13 hermaphroditis: quos non modò viuere passi sunt; sed & eo sexu censeri, qui in
14 ijs præualeret. Certè Plinius fatetur, eos olim in prodigijs habitos, sed suo tem-
15 pore in delicijs. Ergo partus verè monstrosos, pro liberis impunè nō agnosci statuit Romulus. Sicuti & Paulus c noster scripsit; non esse liberos, qui contra formam humani generis conuerso more procreantur: propterea; & tales partus præteritionis nomine non rumpere patris testamentum, Iustinianus statuit. Et
16 verius est, si mulieri hæc conditio adscribatur, SI LIBEROS PEPERERIT:
17 nato portento conditionem defecisse. quanquam, si simpliciter ita sit concepta conditio, SI PEPERERIT, aut, SI GENVERIT, locū habere possit, quod Vlpianus d ait; matri, quia enixa sit, prodesse etiam partū portentosum vel mon-
18 strosum, nisi, si simpliciter interpretari malimus, singulari illo casu, quo quæritur de muliere quæ ter pepererit, benigniore interpretatione receptum esse, vt monstrosi etiam partus numerentur, & matri prosint: & vt in Iure Ciuili sæpe per speciem generi derogatur; sic generali Pauli responso speciale Vlpiani responsum
19 derogare credamus. Porro in XII. Tabulis scriptum aliquid fuisse, de pueris deformibus & insignitis significat Cicero lib. 3. de Legib. sed quid illud fuerit, ne
20 coniectura quidem cōsequi possumus. Insignes autem, aut insignitos partus vocatos fuisse, distortos & deformes, significat etiam Plautus in suo Milite; vbi etiā enumerat species huius insignis deformitatis. Ea (inquit) mihi insignitos pueros pariat, aut Varum, aut Valgum, aut compernem, aut petum, aut bronchum.

Hæc hactenus habui, quæ de Curiatis Romuli Legibus quàm breuissimè pos-
21 sem, dicerem. Tulisse eum & alias nō scriptas, quæ vsu moribusq; Populi receptæ, confirmatæque sint, testis est Dionysius: sed quæ tandem eæ fuerint, non scribit.
22 Ego suspicor de iure Asyli, deque Clientelis nonnullas ex ijs fuisse. Nota est historia, vt Romulus acer asylum constituit, imitatus, vt videtur, Cadmum suas The-
23 bas condentem. Placuit & posterioribus Romanis Ius Asyli: & placuit quidem tam valde, vt eo etiam multos abuti paterentur. Annis post Romulum plus quàm DCCLX. vir clarissimus C. Cestius habita in Senatu oratione, tempore Tiberij, conatus est rem temperare, contendens; neminem in Capitolium, vel alterius vrbis templum perfugere debere, vt eo subsidio ad flagitia vteretur. Po-
24 stea cùm religio Christiana inualuisset: superstitio nescio quæ, certè nimium indulgens, multorum Reipublicæ gubernatorum animos occupauit, vt sceleratis
25 quoque hominibus protegendis ædes sacras seruire paterentur. Id non ferens Iustinianus, ad suos Præsides Prouinciarum scripsit, quod extat in eius Nouella Constitutione decimaseptima. τὴν ἐκ τῶν ἱερῶν ἀσφάλειαν οὐ τοῖς ἀδικοῦσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀδικουμένοις δοθῆναι (templorum securitatem non inferentibus sed ferentibus iniuriam concedi.) Huc pertinet quicquid iure Ciuili proditum est de ijs, qui ad statuas, vel ædes sacras confugiunt. sed erit de ijs alter dicendi locus. De Clientelis, quas Ro-
26 mulus instituit, honestissimo certè coniungendorū ciuium, continendæq; Reip. vinculo, dicendū nunc est aliquid. Eas diutissimè retinuisse, ac religiosè etiā co-
27 luisse Romanos, dubium non est. Nam & in Pandectis frequens earū est mentio, soleniq; iurisconsulti, cùm libertorum mentionem faciūt, clientum etiā meminisse. Cùm Vlpianus e tradidisset, posse eū qui vsum dom⁹ habet, recipere libertos suos, subiecit Paulus f Et cliētes. Ipse Vlpianus alio loco, Quod (inquit) diximus VSVS SVI CAVSA PARATVM, accipiendum erit, & amicorum eius & clientiū, & vniuersorum, quos circa se habuit. Idem Vlpianus ait; g Si quis gratuitas habitationes dederit libertis, vel clientibus, vel suis vel vxoris: eorū nomine teneri,

b L.10. De statu homi.
c 14. De statu homi.
d 135. De verb. signif.
e L.2. §. vlt. De vsu & habit.
f L.3. §. sed quod. De penu leg.
g L.6. §. 1. De his qui deiecerint vel effud.

b L. si libertus. De fur.

teneri, si quid deiecerint, vel effuderint. Paulus b verò respōdit; si libertus patrono, vel cliens, furtū fecerit, furti actionem non nasci. Nempe domestica suorum 28 furta illa leuiora paterfa. domi castigabat. Sed huius maximè loci est Proculi re-

i L. non dubito. §. 1 De cap. & postli. reuer.

„ sponsum, quod in Pandectis extat i his verbis; Clientes nostros intelligimus libe- 29
„ ros esse, etiam si neque autoritate, neq; dignitate, neque viribus nobis pares sunt:
„ sicuti liber est Populus, in cuius fœdere comprehensum est, vt alterius Populi, ve-
„ luti Rom. maiestatem comiter conseruaret. Ne in Pandectis hæreamus; Gordia-

k L. 3. C. de nouat.

nus k quoque Imp. clientiū meminit: & significat, patronos ab ijs nō solitos exigere quod deberent. Nam cùm diceret, delegatione ritè facta, nouationis causa, 30 aliquem omnino liberari, adiecit: Frustra vereris, ne ideo, quòd quasi à cliente non faciat exactionem creditor, ad te periculum redundet. Sanè lib. 11. Codicis extat quædam Leonis Imp. constitutio; Vt nemo ad suum patrociniū suscipiat 31 rusticanos vel vicos eorum; vbi clientelæ quoque mentio fit. Sed eo tempore clientelarum ratio degenerârat. Tum enim patroni à clientibus aliquid exigebāt 32
„ potius, quàm ijs quicquam darent. Tales clientelas in fraudem Reip. vel tributo-
„ rum contractas hic Leo non patitur. Si quis (inquit) posthac in fraudem publicæ fun-
„ ctionis ad patrocinium cuiuscunque conditionis confugerit; id quod huius rei
„ gratia geritur, sub prætextu donationis vel venditionis seu conductionis, nullam habeat firmitatem. & qui contra publicam vtilitatem in clientelam suam suscepisse collatores detecti fuerint; nobiliores quidem centum librarum auri condemnationem subeant; mediocris fortunæ homines facultatum suarum amissione plectantur. Quo exemplo Romulus clientelas instituerit, quæ fuerit earum 33 conditio, quæ lex, quis vsus, & copiosè, & eleganter scripsit Dionysius. Patroni suis clientibus non abutebantur vt seruis, sed vt patres filijs prospiciebant. Eos tuebantur, in iudicijs defendebant, ijs explicabant vsum commerciorum, & Iuris, legumque sententiam. Contrà, suis patronis clientes obsequebantur; communicabant etiam suas opes, si aut pauperes patroni essent ab hostibus redimendi, aut ij suas elocare filias nuptuiue tradere vellent. Contra patronos testimonij dictio clientibus non erat. Sed nec contra eos instituere accusationem poterant. Alioqui Dijs Inferis deuouebantur, & proditionis erant rei. Porrò ius clien- 34 telarum non personale (vt ita loquar) fuisse, sed gentilitium, & in agnatos gentilésue transcribi solitum, ex orationibus Ciceronis pro Planco, & Roscio Amerino, & contra Verrem licet colligere. Possemus & huc referre Ius & vsum applica- 35 tionis, cùm quis peregrinus sese alicui veluti in clientelam dabat. Cicero lib. 1. de Orat. narrat; cùm quis Romam in exilium venisset, & se ad aliquem quasi patro- 36 num applicuisset, intestatoque esset mortuus, ius applicationis, quod antea obscurum & ignotum erat, patefactum in iudicio Centumuirali & illustratum esse à patrono. Nam & apud Athenienses non dissimilis mos fuit applicationis & 37 clientelæ. Iubebantur enim qui ciues non erant, aliquem προστάτην (patronum) deligere, in cuius veluti clientela essent, & sine cuius autoritate ne iudicium quidem subire possent. Quod & Aristoteles lib. 3. Politic. attingit. Huc que pertinet & illud Terentij; Applicat ad Chrysidis patrem se. Quod & alio loco me olim annotâsse memini. Porrò & ad Romuli clientelas quidam eruditi hoc saeculo viri 38 retulerunt ea, quę nunc vocantur Feuda. Et sanè si personas conferas, multa similia sunt, Sed in rebus multa dissimilia. Ad Alexandrum Seuerum Imp. eorum ori- 39 ginem aptius aliquis referret; quem Lampridius scribit prædia, quæ de hostibus capta essent, donauisse limitaneis ducibus & militibus, vt hæredum quoque ita essent, si & ipsi militarent.

Non Romulum modò Leges tulisse, sed & sequentes Reges ait Pompo 40 nius noster. Ac Numa quidem multas tulit de suis sacris, suaque religione. Sed eas non moramur. Tulit & alias nōnullas de rebus ciuilibus, Sed eas sparsim iam superius commemorauimus. Quas eius successor Tullus Hostilius tulerit, dicere 41 vix possum: nisi si eam commemorem, quam sui regni anno quinto, qui fuit ab Vrbe condita octogesimus tertius, propter illos Horatios Tergeminos tulit, vt quibus tres essent liberi, patria daretur potestas sine sumptu vel onere educationis: saltem enim liberis vsq; ad pubertatem alimenta ex publico dabantur. Hanc

legem

41 legem commemorat Dionyſius lib. 3. & ſuo quoque tempore, hoc eſt, annis pluſ-
quam ſexcentis & quinquaginta poſtquam ædita fuit, obſeruatam fuiſſe teſta-
tur. Loquens enim de pugna victoriaque illa Tergeminorũ, ἔτι (inquit) καὶ νόμος
δι' ἐκεῖνο κυρωθεὶς τὸ πάθος, ᾧ καὶ εἰς ἐμὲ χρῶνται, ὁ κελεύων, οἷς ἂν γένωνται τρίδυμοι παῖδες, ἐκ τοῦ δημοσίου τὰς
43 τροφὰς τῶν παίδων χορηγεῖσθαι μέχρι ἥβης. Poſterioribus deinde ſeculis ius hoc triũ libero-
rum apud Romanos magis etiam auctum eſt: adeò vt Plinius ad Traianum ſeri-
bat; exprimere ſe non poſſe quantum ſibi gaudium attulerit, quòd eo dignus vi-
ſus eſſet. Seruij Tullij Leges quinquaginta de fœderibus, de contractibus, & in-
44 iurijs deſideramus. Dionyſius appellat Νόμους συναλλακτικοὺς, καὶ τοὺς περὶ τῶν συμβολαίων,
καὶ ἀδικημάτων. Cornelius Tacitus lib. 3. ait, quaſdam Leges à Tullo & Anco re-
pertas eſſe. ſed Seruium Tullium, præcipuum fuiſſe Legum ſanctorem, quîs etiam
45 Reges obtemperarent. Nos verò eas deſideramus. Vtinam ſaltem ænea illa co-
lumna, quæ adhuc tempore Auguſti extabat in templo Dianæ in monte Auen-
46 tino, in quam Leges illæ συναλλακτικοὶ (contractuum) inſculptæ erant, reperiri ali-
quando poſſit. Imò verò in lucem aliquando redeat ille Papirij vetuſtiſſimi Iu-
riſconſulti liber atque codex, qui leges omnes Regias continebat, & Vrbe à Gal-
lis incenſa mirabiliter conſeruatus, Pomponij adhuc noſtri tempore ſuperſtes
erat. Haſce veluti Pandectas Legum Regiarum, ſiue Codicem Conſtitutionum,
vtinam nanciſci aliquando poſſimus. Certè ſtudioſè perquirere nõ deſinemus.
47 Legis Regiæ, quæ de Principis imperio ferebatur, & qua Populus in eum omnem
ſuam poteſtatẽ conferebat, meminit Vlpianus [l] itemque Iuſtinianus [m] qui & alio
loco [n] antiquam eam legem fuiſſe ait. atque eam ipſam videtur Legem imperij
48 appellare [o] Alexander Seuerus Imp. qua ſolennibus Iuris Imperatorem eſſe ſolu-
49 tum ait: quod etiam intelligi poteſt ex fragmento cuiuſdam æneę tabulæ nuper
Romæ in Cælio inuentæ, cui inſcripta eſt pars Legis Regiæ de imperio Veſpaſia-
50 ni. Sed & Marcellus [p] meminit cuiuſdam Legis Regiæ, quæ vetabat; mulierem,
51 ſi prægnans eſſet mortua, humari, antequam partus ei excidatur: & eum, qui con-
trà feciſſet, videri ſpem animantis cum grauida peremiſſe. Fuit quidem poſt Re-
52 ges exactos valde odioſum Romæ nomen Regis; Reges tamen aliquando etiam
53 dicti ſunt poſteriores Cæſares & Imperatores: ſicuti & Roma ipſa Vrbs
54 Regia dicta eſt. Itaque & conſtitutiones Principum
appellari poſſunt Leges Regiæ.

[l] L. 1. de conſtit. Princip.
[m] §. quod Princip. Inſtit. de iu. Nat. Gen. & Ciu.
[n] L. 1. §. ſed & hoc. C. de vet. iur. enuc.
[o] L. 3. C. De teſta.
[p] L. 2. De mort. inſer.



MICH. HOSPITALIO SENATORI CANCELLARIOQVE, ET FRAN. DE LAVBESPINIO PRAEfecto Biturigum, Iuriscoss. Franciscus Balduinus SAL.



Decemuiros ego Romanos, optimarum Legum autores eorumq; XII. Tabulas cum studiose perquirerem, duos esse vos viros statim (vt ingenue loquar) cogitaui, eorum qui prudentiam reddere nobis, & in constituenda Rep. exemplum expressum referre possitis. Cur enim Decemuiros Duumuiri assequi non possint? Sed illorũ tamen de Iure Ciuili iudicia mittere ad vos omnia si potuissem, minimè dubito, quin studium in eo genere meum vobis vehementer gratum fuisset. Id omnino præstare cùm hoc tempore, vt vellem, non possim; aliquam saltem eius meæ voluntatis significationem vt ederem, multæ me graueśq; causæ commouerunt; multo etiam magis, vobis vt inscriberem. nam & ignorare vos nolim, meminisse nos, nostra hæc Iuris Ciuilis studia, quibus tam fauetis liberaliter, esse vobis, vt sunt, & cordi & curæ. Esse autem tam valde, & illius Antiquitatis memoriam tam esse vobis gratam, certus sum, vt has duodecim Tabularum qualescunque reliquias, laceras etiam, & à nobis nondum aut dedolatas satis, aut perpolitas, vobis nunc offerre non dubitârim. Nam & ex naufragio superstites veluti tabulas, & tanquam ex parietinis fragmenta, studiosè colligere me, videtis; & ego non meæ modò in hoc genere voluntatis, sed & obseruantiæ erga vos meæ, deq; vestro in Remp. & Iuris prudentiam fauore atque iudicio, existimationis testimonium aliquod extare non recuso: neq; dissimulo esse cur gratuler cùm huic nostræ academiæ, tum verò vniuersæ Biturigum Reip. quæ non modò qualem & optabat, & hæc tempora requirebant, nobilissimam Principem, Margaritam alteram, recepit; sed & (quod imprimis optandum erat) eius vos consilijs optimis adiunctos esse videat; apud eam tantum vt possitis quantũ posse vos, & illius de vestra virtute perpetuum iudicium voluit, & sapientia fideśq; vestra promeretur; & iuris prudentia ipsa, quæ suis erga vos, & vestris erga se meritis atque officijs iampridem vobis coniunctissima est, desiderare videbatur. Ex Schola Biturigum, Idibus Iunij. 1550.

FRANCISCI BALDVINI IVRISCONSVLTI LIBER SECVNDVS IN LEGES XII. TAB.

1. *Regibus exactis regiæ leges exoleuerunt.*
2. *Brutus libertatis R. vindex legem ad populum tulit de abolendis Regijs legibus.*
3. *Romuli leges cur sublatæ non sint?*
4. *Numæ leges de Religione populus R. retinebat.*
5. *Seruij Tullij leges de contractibus, à Superbo abolitas, restituit populus.*
6. *Crescente vrbe creuerunt Leges.*
7. *Sub Patriciorũ imperio populus iactatus annis LX.*
8. *C. Terentius trib. pleb. primus consulare imperium certis legibus circumscribere tentat.*
9. *VIII. anni super ineunda legum ferendarum ratione absumpti.*
10. *T. Romulius Consul, à Populo cur multatus?*
11. *Consulibus olim solis, ius erat multam indicere.*
12. *Multa in contumaces, 2. bouium, 30. ouium.*
13. *Lex Aterina siue Tarpeia, quanti tum oues tum boues æstimauerit?*

14. 19. *Multæ veteris multa supersunt adhuc vestigia.*
15. *Multa dicendæ ius quibus detur?*
16. *Multarum modus Principum rescriptis definitus, & num. 21.*
17. *Semissis æris LX. coronati sunt.*
18. *Vnciæ tres æris XXX. coronati sunt.*
20. *Multa grauioribus criminibus non competunt.*
22. *Appij Cæci filia 25. millibus æris, id est, 250. bobus cur multata?*
23. *De legibus in commune scribendis Consules ad Senatum referunt.*

24. 55. *T. Romulius, primus fuit, qui legum petendarum caussa legatos in Græciam mittendos censuit.*
25. *T. Romulio cum Patres tum plebs assentiuntur.*
26. *Athenas bello Persico deletas instaurauit Themistocles.*
27. *Solonis Tabulæ in publico Athenarum incendio conflagrata: earundem præstantia; num. 44. atq; ad eas præcipuè describendas missi Romanorum legati; num. 45.*
28. *Legati in Græciam petendarum Legum caussa missi qui?*
29. *Atheniensium Legati olim Romam missi qui?*
30. *In magnam Græciam quoq; Legum caussa missi legati.*
31. *Seruio Tullio regnante Romæ, Pythagoras floruit in magna Græcia.*
32. *Locri iura Zaleuci, Thurij Charondæ leges seruabant.*
33. *Tarentum à Lacedæmonijs conditum: ibi Archita floruit.*

34. 36. *Massilia Senatum habuit olim 600. virorum clariss.*
35. *Massiliensium olim leges, more Ionico, publicè proposita fuerunt.*
37. *Athenis, cum eò legati Romanorum legum caussa mitterentur, præfuit Pericles.*
38. *Athenæ bello Peloponnesiaco attritæ.*
39. *Themistocles quò turpitudinis prolapsus.*

40. 41. *Athenæ olim totius Græciæ veluti Schola quadam, & honestæ politiæ exemplar.*
42. *Achæorum Resp. qualis?*
43. *Areopagitarum autoritas, ex Ephialtis seditione cõcussa, Cimonis virtute est conseruata.*
46. *Ex Tabulis Solonis Romani in suas quid retulerint?*
47. *De Atheniensium Legibus iudicium Isocratis.*
48. *De ijsdem idem Romanorum iudicium.*
49. *Adrianus Atheniensibus Leges Atticas reddidit.*
50. *Triennium Romanorum legati in Græcia legum perquirendarum caussa insumpserunt.*
51. *Palæstinæ tum præfuit EZras & Nehemias.*
52. *EZras & Nehemias vna cum Themistocle versabantur in aula Artaxerxis Longimani.*

53. 54. *Appius Claudius Consul creandorum Decemuirorum autor fuit Romanis.*
56. *Decemvirorum primum creatorum nomina.*
57. *Decemviri legibus componendis annum insumunt.*
58. *Hermodorum Ephesium philosophum exulem, Pomponius autorem, Plinius interpretem vocat XII. Tabularum.*
59. *Leges XII. Tabularum quanto S.P.Q. Romani consensu receptæ sint.*

60. 61. 62. *Dionysij Liuijq; de præstantia XII. Tabularum testimonia.*
63. *Appius Claudius secundo quoque anno mansit Decemvir.*
64. *Q. Fabius Vibulanus, ter antea Consul, secundo anno cum Ap. Claudio Decemvir creatus est.*
65. *In XII. Tabularum duabus posterioribus caput præcipuum; ne plebei matrimonio cũ Patricijs iungerentur.*
66. *Decemuirorum apud Romanos olim non vnũ genus.*
67. *Vt Athenienses Leges Solonis appellârunt ἄξονας sic Romani suas vocârunt Tabulas.*
68. *Tabularum appellatione quid veniat?*
69. *XII. Tabulæ vtrum eboreæ an æreæ fuerint?*
70. *Æra Legum in Capitolio liquefacta sub coniurationem Catilin.*
71. *Tabula ænea Romæ ex æde Fidei turbine euulsa post cæsum Cæsarem.*
72. *Tabularum ærearum temporibus Vespasiani conflagrârunt 3000.*
73. *Mos in æs incidendarum legum diu durauit.*
74. *XII. Tabulæ primum pro Rostris propositæ fuerunt, & tandem in Capitolio asseruatæ sunt; num. 75.*
76. *Diodori Siculi, id est, Augusti temporibus, XII. Tabulæ pro Rostris perdurârunt.*
77. *Cypriani ætate nondum expunctæ XII. Tabulæ.*
78. *XII. Tabularum encomia & num. 80. 81 82.*
79. *Legis appellatione diu solæ XII. Tabulæ significabantur; vt Vrbis Roma.*

83. 84. *Pueri Romæ olim XII. Tabulas memoriæ mandabant.*
85. *Leges carminibus olim describebantur, atq; cantillabantur.*
86. *Leges vnde Νόμοι appellatæ?*

87. 88. *Leges XII. Tabularum an eæ sint, quas Cicero libris suis de LL. descripsit?*

89. Prætor Romæ creatus annis post XII. Tabulas plusquam 80.
90. XII. Tabularum interpretes quoque interciderunt.
91. M. Varro in libris de lingua Latina citat XII. Tabularum interpretes.
92. Sex Aelius antiquiss. XII. Tabularum interpres; vt & M. Porcius Cato.
93. Regula Catoniana vnde edita?
94. Catonis distinctio de stipulationibus facti diuidui, vel indiuidui vnde sumpta?
95. 96. 97. Seruius Sulpit. & Labeo, & Caius, XII. Tabul. interpretes.
98. Sexti Pompeij Festi libros de verborum veterum significatione dilacerauit Pont. Paul. II.
99. De antiquis veterum Legibus nihil temerè pronunciandum, eiusq; rei exemplum, num. 100. 101.
102. Caussæ coniectio quid?
103. Temporibus scriptarum XII. Tabularum ignotus fuit Romanis meridies. & num. 104.
105. 123. 124. 131. Balduinus vnde istas XII. Tabularum reliquias, & quomodo collegerit.
106. 108. Sine fontium Iuris Ciuilis cognitione nemo rectè iurisprudentiam Romanam tractare potest.
107. De XII. Tabularum obscuritate conqueritur apud Gellium Fauorinus.
109. Vetustissimi quoq; iurisconsulti fatentur nonnulla se tum XII. Tabularum, tum Edictorum verba non intelligere. & num. 110. 111.
112. 114. 115. Romanæ linguæ asperitas sensim perpolita.
113. Polybius quando vixerit?
116. Romanæ linguæ dialecti quatuor.
117. Prisca Romanorum lingua quæ? quæ item Media & Perfecta? num. 118. 119.
120. Pedem struit; Sarpuntur vineæ; Rupitias; portū, XII. Tabulæ quid appellent?
121. Volusius Metianus de valore Sestertij.
122. Sestertius pes quid?
125. Priuati quàm Publici iuris ratio diligentius perquirenda.
126. 127. 128. Quarum rerum in iure quæstiones sint difficiliores.
129. 130. Decemuiri cur de multis necessarijs & quotidianis caussis nihil statuerint.



Dictum est libro superiori de Romuli aliorumq; Regum Rom.
Legibus, ad patefaciendos, quos ferè vetustas obstruxerat, tenues illos quidem, sed primos tamen Iuris ciuilis fontes. Re- 1
gibus exactis regias Leges exoleuisse Lege Tribunitia. Pomponius noster ait. Nam Brutus Tribunus Celerum, Romanæ 2
libertatis vindex, Legem ad Populum tulisse dicitur de abolendis Regijs Legibus. Sed eas demum tolli atque aboleri voluit, quæ ad mores regios, & stabiliendum regnum atque tyrannidem pertinebant. Cæterùm Romuli Leges, quæ & Aristocraticæ magis erant quàm Regiæ, 3
& omnium Curiarum suffragijs confirmatæ receptæque fuerant, minimè sublatæ sunt. Numæ quoque Leges de religione, tantum abest exactis Regibus vt exo- 4
leuerint, vt etiam magis cultæ atque in vsum reuocatæ sint. Sed & Leges à Seruio 5
Tullio latas de contractibus, quas Superbus aboleuerat, Populus Rom. liber, restituit, rursúsque edidit, quòd & populares essent, & humanitatis æquitatisque plenissimæ. Sed populus iam numerosior erat, & Vrbs maior, priuatarumque re- 6
rum plures difficultates, quàm vt tam paucæ, tamque tenues Leges satis essent ad iudicia regenda, iusque suum cuique dicendum. Populus itaque sub Imperio Pa- 7
triciorum, incerto iure iactabatur, iactatusq; est annis plus quàm sexaginta. Tandem aliquando tamen Patriciorum, Ius pro suo arbitrio dicentium, tyrannidem non ferens, postulauit certā quandam & æquabilem iuris scripti formam: & quidem C. Terentillus Arsa Tribunus pleb. absentibus Consulibus rogationem fer- 8
re conatur, vt decem viri prudentissimi deligantur scribendis componendisque Legibus. Huic rogationi Consules & Patricij acriter repugnant, vix vt post octo 9
tandem annos, post longas grauissimasque contentiones eò ventum sit, vt communis quædam iniretur Legum ferendarum ratio, cùm quidem T. Romulius, 10
qui paulò antè Cōsul fuerat, propterea, quæ in Tribunos & Plebem inimico animo acerbè gesserat, damnatus grauiterq; multatus iudicio Populi fuisset: Consulesque & Patricij hoc exemplo territi, sibique metuentes, Plebi paulò obsequentiores fuêre: ac imprimis Legem ferunt de iure & modo multarum, si quis magistratui non obtemperaret. cumque prius solis Consulibus ius esset multam indi- 11
cere; permissum hac Lege fuit omnibus Magistratibus, multa coërcere contumaces, suamq; ea ratione dignitatem tueri. ac certus quidem multæ modus di- 12
ctus est, vt ad summum non nisi duo boues essent, & oues triginta. Commemorat, hanc Legem, & diu apud Romanos in vsu fuisse scribit Dionysius Halicarn. lib. 10. Apud Pompeium Festum & Gellium, duo boues, & oues triginta in hoc genere numerantur. Secunda est Lex Aterina, quam alij Tarpeiam vocant, quæ 13
oues sin-

oues ſingulas aſſibus decem, boues verò cẽtenis ęſtimaủit, quò certior eſſet mul-
14 tæ ratio. Superſunt antem veteris illius Legis de iure & modo muitarum, multa
adhuc veſtigia. Omitto quod Cicero lib. 3. de Legibus edicit in vniuerſnm; vt ma-
giſtratus uec obedientem & noxium ciuem, multa, vinclis, verberibus coërceat.
15 Noſter Vlpianus ᵃ ait; his dari multæ dicendæ ius, quibus publicum iudicium eſt; a L. 2. §. vlt. De iudic.
& non aliis, niſi hoc ſpecialiter eis permiſſum ſit. Paulus ᵇ quoque reſpondit; ſi
qnis in ins vocatns non ierit, ex cauſa, à compentente indice, muita, pro iuriſdicti- b L. 2. §. 1. Si quis in ius voc. non ierit.
16 one iudicis damnari. De modo verò multarũ, extant Principum reſcripta. Arca-
17 dius ᶜ enim & Honorius ſtatuerunt, vt Proconſules multam indicere poſsent vſ- c L. vlt. C. de modo mult.
18 que ad ſemiſſem auri: hoc eſt, circiter ſexaginta aureos coronatos: alij verò ſpe-
19 ctabiles indices vſq; ad tres anri vncias, ſiue triginta aureos coronatos: quod pro-
pè conuenit cum veteri multa triginta boum. poſtremò vt reliqui ordinarij ma-
20 giſtratus multam dicere poſſint vſq; ad duas vncias auri. Admonent autem; ad
hanc Legem uon pertinere grauiora crimina, quæ ſeuerius coërceri debent. Sic
21 Gratianns, Valentinianus, atque Theodoſius reſcripſerunt; poſſe Præfectos Prę-
torio vſque ad quinquaginta libras auri multare, cùm peccatum grauiſſimũ eſt.
22 Quid? quod etiam olim Romæ primo bello Punico Appij Cæci filia ob verbum
improbum muitata fuit 25. milibus æris, hoc eſt, ducẽtis & quinquaginta bobns?
23 Poſt editam illam, quam dixi, de iure & modo muitarum Legem, tandem
Conſules, quod Tribnni poſtulabant, ad Senatum referunt de Legibus in cõmu-
ne ſcribendis. Rogatus quid ſentiret T. Romulins, præter omnium opinionem,
ſententiam dixit; æqnum eſſe quod Plebs poſtulabat: primuſque cenſet Lega-
24 tos & Athenas & in alias Græcorum vrbes eo nomine mittendos eſſe, qni opti-
marum Legum exemplum peterent, qnò magis certa aliqua Iuris forma deſcribi
componique poſſet. Placuit hæc Romulij ſententia Patribus, fitque ſecundum
25 eam Senatuſconſultnm, quod Plebs quoque ipſa ſciuit probauitque. Audiebant
quidem Romani paulò antè, incenſam & deletam bello Perſico fuiſſe vrbem At-
26 ticam: ſed à Themiſtocle inſtauratam, ſtatim coaluiſſe Legum ſuarnm vinculo
& nexu, non ignorabant: & licet in illo publico ciuitatis incendio cõflagrâſſent
27 ligneæ Tabulæ Legum Solonis: non lntercidiſſe tamen Leges ipſas. Legati Rom.
28 tres fuernnt, viri & prudentia & iudicio ſingulari, Sp. Poſthumius Albus, A. Man-
lius, & Sernius Snlpitius Camerinus, qui Cõſul erat cùm primùm Tribuni Legem
rogationemque Terentilii perferre conati ſunt. Miſerunt aliqnando Athenien-
29 ſes Romam de re non magna legatos tres philoſophos, Carneadem Academicũ,
Diogenem Stoicum, & Critolaum Peripateticum. miratiq; ſunt Romani eorum
& ſapientiam & eloqnentiam. Sed Legatorum Rom. prudentiam & dignitatem
magis admirati ſunt Græci. Dionyſius ſcribit miſſos quoq; Legatos in eas Gręco-
30 rum ciuitates, quę in Italia erant: in ea nempe Italiæ parte, quæ quondam magna
31 Græcia dicta eſt, in qua, Seruio Tullio Romæ regnante. Pythagoras philoſopha-
batur. Nam & ea inſignes habebat & Reſpublicas, & ciuitates, & Legiſlatores. Lo-
32 cri ſeruabant ſui Zaleuci Leges. Thurij Iura ſni Charondæ, qui non multis ante
Decemuiros annis vixit. Sed & vt omittam Brundnſiũ & Crotonẽ: Tarentũ à La-
33 cedæmonijs conditum, eo tempore florebat: vbi & paulò pòſt audita eſt Archi-
tæ præclara illa grauiſſimaq; oratio; Nullam capitaliorem peſtem, quam corpo-
ris voluptatem, hominibus à natura datam. Hinc enim patriæ proditiones naſci,
hinc Rerumpub. euerſiones. & quid non maiorum: Neq; dubium eſt, tam huma-
niter eo tempore Tarenti exceptos eſſe Legatos Rom. qnàm perfidè poſtea & ne-
fariè violati aliquando fuiſſe dicuntur. Veliem, etiam Legati obiter Maſſiliam
nauigâſſent. Habębat ea Senatum ſexcentorum virorum clariſs. Leges ſuas habe-
34 bat Ionico more publicè propoſitas, quarnm gloria reliqnas ciuitates ſuperabat,
35 vt teſtis eſt Strabo lib. 4. Sed & Cicero ipſe in Oratione pro Flacco ait; Maſſi-
36 liam ſic optimatum conſilio gubernatam fuiſſe, vt eius inſtituta facilius laudare
omnes poſſent, quàm imitari: additque, eius ciuitatis diſciplinam atqne graui-
tatem non ſolùm Græciæ, ſed cunctis Gentibus anteponendam eſſe. Sed Athe-
nas præcipuè properabant Legati Rom. vt certè tum erat florentiſſima ciuitas
37 Athenienſium, & ſapientia virtuteque præſtantẽ gubernatorem habebat Periclẽ

 & panlò

& paulò ante duces habuerat non minus excellentes Themistoclē, Aristidē, Ci-
monē: neq; sanè magis opportunè Romani Athenas venire potuerūt: qui si serius
venissent, illum ciuitatis & Reip. florem, cuius imaginē Romā referrent, non vi-
dissent. Nā paulò pòst ciuitas bello Peloponnesiaco attrita tā valde est, atq; dissi- 38
pata, vt pristinū decus nunquā deinde receperit. Certè præter ruinas & veluti tri-
stes parietinas nihil vidissent. Neq; tamē dissimulo, iā tum, cùm Legati Rom. ve-
nerunt, Atticam ciuitatē multis vitijs laborâsse, cùm quidem belli Persici pericu-
lo liberata, diuitijsque affluens, delicijs indulgeret. Nam & scimus summū ipsum
ducem Themistoclem, cuius virtute victi repulsique Persæ fuerant, eò turpitudi- 39
nis delapsum esse, vt per medium forum tanquā Sardanapalus quispiam, in cur-
ru nudus traheretur à quatuor nudis puellis. Sed hæc quorundam ciuium disso-
luta mollities non effecerat, quin ipsum Reip. corpus firmis adhuc & honestis
institutis bene compactum floreret, dignissimis certè ijs, quæ imitarentur, qui-
cunque Remp. rectè constituere vellent. Quod quidem Pericles eleganter osten-
dit apud Thucydidem lib. 2. in ea Oratione, quæ inscribitur ἐπιτάφιος λόγος (funebris
oratio) ac disertè quidem ait; ciuitatem Atheniensem quandam veluti tum fuis- 40
se scholam, quæ Græciam vniuersam erudiret: cuius mores aliæ ciuitates imita-
rentur: quæ nata videretur ad Leges alijs populis dandas: breuiter, quæ omnis
honestæ politiæ viuum quoddam esset exemplar. quod & Isocrates in suo Pane- 41
gyrico testatur. Ea igitur tum erat Atheniensium Resp. qualem postea fuisse 42
Achæorū scribit Polybius lib. 2. Neque verò cum Pericle modò, sed & cum Areo-
pagitis, qui tum iudicijs grauissimis præerant, de Rep. de iure, de legibus colloqui
Rom. Legati potuêre. Fuerat quidem paulò antè dignitas Areopagitarum at- 43
tentata, & concussa autoritas, Plebem seditiosè commouente quodam Ephial-
te. Sed Cimonis virtute atque consilijs defensa conseruataque fuerat tota illa A-
reopagiticæ curiæ maiestas. Quid multis? Prostabant, ligneæ illæ quidem, sed re- 44
ligiosissimè cultæ atque conseruatæ Tabulę Legum Solonis, centum ferè & qua-
draginta iam annorum vsu comprobatæ: quibus vel honestiores vel æquiores
conscribi non posse, vel ad Remp. rectè constituendam meliores, prudentum o-
mnium & de rebus rectè iudicantium sententia erat: & ad eas quidem præcipuè 45
describendas missi erant Legati. Quid autem ex ijs in suas Tabulas Romani re- 46
tulerint, suo postea loco intelligemus. Sed operæ precium fuerit nunc audire iu- 47
dicium Isocratis de Atheniensium legibus: vt, quid Romanos ad eas expetendas
commouerit, omnes magis intelligant. Isocratis in suo Panathenaico in vniuer-
sum loquentis de Atticis Legibus verba sunt hæc:

ὀλίγους μὲν, ἱκανοὺς δὲ τοῖς χρῆσθαι μέλλουσι, καὶ ῥᾳδίους συνιδεῖν. ἔπειτα δικαίους καὶ συμφέροντας καὶ σφί-
σιν αὐτοῖς ὁμολογουμένους, καὶ μᾶλλον ἐσπουδασμένους τοὺς περὶ τῶν κοινῶν ἐπιτηδευμάτων, ἢ τοὺς περὶ τῶν ἰδίων
συμβολαίων, οἵους περ εἶναι χρὴ παρὰ τοῖς καλῶς πολιτευομένοις (Leges in tabulas quidem retule-
runt publiceque proposuerunt paucas, sed tales tamen quæ & satisfacerent &
cognitu faciles essent ijs qui vti vellent: deinde iustas & vtiles, & inter se con-
sentientes, & magis in hoc intentas, vt publica instituta præclara essent, quàm
vt priuata commercia sine fraude fierent; quales esse decet in Rep. bene consti-
tuta.)

Si Græcorum, sua in re, testimonio fidem non habemus, perpetuum Roma-
norum iudicium aliud non fuisse facilè probabo. Atque vt omittam Paulum 48
AEmilium, Græciæ statum atque Respublicas constituentē, ipse Adrianus prin-
ceps sapientissimus, multis pòst annis, Atheniensibus, apud quos frequens erat, 49
Leges aliquas certas petentibus, Atticas eorum Leges, vt optimas, ijs reddidit.
Narrat enim Eusebius in Chronicis, ijs iura composuisse ex Draconis, Solonis, re-
liquorumq; Græcorum Legislatorum libris. Sic Romani quod ab Atheniensibus
primùm sumpserant, ijs tandem reddiderunt.

Triennium in hac sua peregrinatione Rom. Legati consumpserunt. Itaque
diligenter omnia considerâsse, neque diu minus quàm diligenter, multasque et- 50
iam alias ciuitates perlustrâsse dubium non est. Quòd si in Palæstinam etiam tra-
ijcere voluissent, vidissent surgentē nouam Iudęorum ciuitatē, qui ex Persica ser-
uitute reuersi, magnis animis suam Remp. instaurabant; multaque fortassis quæ à

Græcis

51 Græcis non audierant, didicissent Rom. Legati à clarissimis illis Iudæorum ducibus Ezra & Nehemia, qui non religione modò & pietate, sed & ciuili prudentia
52 summa præditi erant: multis etiam annis versati in aula Regis Persarum Darij, Artaxerxis Longimani cum ipso Themistocle. Sed domum redire cupiebant properabantque Legati.

Cùm igitur reuersi cum Atticis Legibus essent, instant Tribuni, vt aliquando scribendarum initium fiat. Tandem res ad Senatum refertur. In Senatu Patricij in vtramque partem varias sententias dixêre; alijs Remp. patrijs tantùm suis
53 moribus, alijs scripto potius iure regendam esse contendentibus. Vicit Appij Claudij, qui Consul designatus erat, sententia, decem ex Senatoribus viros diligendos esse, qui & ex patrijs suis consuetudinibus, & Græcorum Legibus certam aliquã colligerent componerentque Iuris perpetui formam: quod vbi Senatus Populusque probâsset, omnes deinde Magistratus sequerentur in iudicando. Fit
54 in hanc sententiam Senatusconsultum. Centuriatis comitijs Decemuiri creati sunt Ap. Claudius & T. Genutius, Cõsules alioqui designati, P. Sestius alter Con-
55 sulum prioris anni, Ipsi tres Legati ex Græcia reuersi. His adiunguntur T. Romu-
56 lus, qui mittendorum in Græciam Legatorum autor fuerat. Accedunt & alij tres grauissimi Senatores, qui numerum implerent, L. Veturius, C. Iulius, & P. Curiatius, siue, vt apud Dionysium est, Horatius.

57 Hi Decemuiri toto anno Legibus componendis operam dant. Horum vno in Pandectis loco apud Paulum, mentio fit,[d] eùm de quadam XII. Tab. Lege quæreretur: ac Cicero quidem lib. 1. de Orato. ait; necesse esse, vt ij admodum prudentes fuerint: neque prudentiorem fuisse aut Solonem aut Lycurgum. Neque
58 tamen eos puduit in consilium etiam adhibere Hermodorum Ephesium philosophum, quem Ephesij ciuitate sua eiecerant, singularem eius virtutem non ferentes, coniuratione que facta, neminem virum bonum & frugi in sua se ciuitate toleraturos. Autor est Strabo lib. 14. Hunc Hermodorum Pomponius noster ait autorem fuisse XII. Tab. Plinius verò lib. 34. interpretem vocat earum Legum, quas Decemuiri ferebant.

[d] L. 64. de eo quod. De donat. inter vir. & vxo.

Dictum est, quales quantique viri adhibiti sint componendis hisce Legibus. Quo verò studio, qua cura, religione & fide compositæ eæ sint atque editæ, quo consensu Senatus Populique Rom. receptæ, suffragijsque etiam Pontificum at-
59 que Augurum confirmatæ; denique Centuriatis comitijs vt perlatæ fuerint, equidem malo Dionysij Liuijque verbis, quàm meis commemorare. Dionysius lib. 10. inquit:

60 οὗτοι οἱ δέκα ἄνδρες συγγράψαντες νόμους ἔκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων καὶ παρὰ τῶν σφίσιν αὐτοῖς ἀγράφων ἐθισμῶν, προὔθηκαν ἐν δέκα δέλτοις τῷ βουλομένῳ σκοπεῖν, πᾶσαν δεχόμενοι ἐπανόρθωσιν ἰδιωτῶν, καὶ πρὸς τὴν κοινὴν εὐαρέστησιν ἀπευθύνοντες τὰ γραφέντα. καὶ μέχρι πολλοῦ διετέλεσαν ἐν κοινῷ μετὰ τῶν ἀρίστων ἀνδρῶν συνεδρεύοντες, καὶ τὴν ἀκριβεστάτην ποιούμενοι τῆς νομοθεσίας ἐξέτασιν. ἐπειδὴ δὲ ἀποχρώντως αὐτοῖς ἐφαίνετο τὰ γραφέντα ἔχειν, πρῶτον μὲν τὴν βουλὴν συναγαγόντες, οὐδενὸς ἔτι μεμφομένου τοῖς νόμοις, προβούλευμα περὶ αὐτῶν ἐκύρωσαν. ἔπειτα τὸν δῆμον ἐκάλεσαν ἐπὶ τὴν λοχῖτιν ἐκκλησίαν, ἱεροφαντῶν τε καὶ οἰωνοσκόπων καὶ τῶν ἄλλων ἱερέων παρόντων, καὶ τὰ θεῖα, ὡς νόμος, ἐξηγησαμένων, ἀνέδωκαν τοῖς λόχοις τὰς ψήφους. ἐπικυρώσαντος δὲ καὶ τοῦ δήμου τοὺς νόμους, στήλαις χαλκαῖς ἐγχαράξαντες αὐτοὺς ἐφεξῆς ἔθεσαν ἐν ἀγορᾷ, τὸν ἐπιφανέστατον ἐκλεξάμενοι τόπον (Hi Decemuiri leges conscriptas tum ex Græcorum iure; tum è patrijs cõsuetudinibus proposuerunt in XII. Tabulis cognoscendas cuilibet; ferentes admoneri se à priuatis hominibus, & hoc agentes vt leges placerent omnibus: diuque consultauerunt cum Proceribus reuocantes ad exactissimum examen singulas. Vbi verò visæ sunt bene habere, primum Senatu coacto, nemine contradicente, Senatusconsultum de ijs fecerunt. deinde centuriatis Comitijs in præsentia Pontificum, augurum, aliorumque sacerdotum, à re diuina exorsi, calculos dederunt centurijs. tum plebiscito quoque confirmatas, & in æreas columnas incisas vna serie proposuerunt in loco fori maximè conspicuo.)

Liuius autem lib. 3. Ingenti (inquit) hominum expectatione propositis de- "
61 cem Tabulis, Populum ad concionem aduocauerunt: &, quod bonum, faustum, "
fœlixque Reip. ipsis, liberisque eorum esset, ire & legere Leges propositas iusse- "
re. Se, quantum decem hominum ingenijs prouideri potuerit, omnibus summis "
infimisque

,, infimisq; iura æquasse. Plus pollere multorum ingenia consiliaq;. Versarent in
,, animis secum vnamquanque rem, agitarent deinde sermonibus: atque in me-
,, dium, quid in quaque re plus minúsue esset, conferrent. Eas Leges habituram
,, Populum Rom. quas consensus omnium non iussisse latas magis, quàm tulisse vi-
,, deri posset. Cùm ad rumores hominum de vnoquoque Legum capite edito satis
,, correctæ viderentur, Centuriatis comitijs decem Tabularum Leges perlatę sunt:
,, qui nunc quoque in hoc immenso aliarum super alias aceruatarum Legum cu-
,, mulo, fons omnis publici priuatique est iuris. Vulgatur deinde rumor, duas dees- 62
,, se Tabulas, quibus adiectis absolui posset velut corpus omnis Romani Iuris. Ea
,, expectatio, cùm dies comitiorum appropinquaret, desiderium Decemuiros ite-
rum creandi fecit. Hæc Liuius. Creati ergo sunt secundo anno iterum Decemui-
ri. Ex prioribus mansit Ap. Claudius. alij obscuriores & partim etiam Plebei fuē 63
re, præter vnum Q. Fabium Vibulanum, qui ter Consul fuerat, virum singulari 64
virtute & prudentia. Ab his Leges reliquæ latæ sunt, duabusq; Tabulis conclusæ. 65
in quibus illud pręcipuè statutū fuisse ait Dionysius; ne matrimonio Plebei cum
Patricijs iungerentur, quod suo postea loco videbimus. Scio in Romanorum li-
teris frequenter mentionem fieri Decemuirorum, qui cum autoribus XII. Tabu- 66
larum nihil habent commune: neque tam ineptus sum, vt quicquid de illis oc-
currit, ad hos statim referam, nominis similitudine falsus. Quod verò de nostris
Decemuiris hactenus dixi, id eò feci, quò magis appareat qua tandem ratione cō-
positæ atque editæ duodecim Tabulæ sint. Tantæ molis erat Romanas condere Leges.

Tabulas vocârunt imitatione Atheniensium, qui Solonis leges ligneis ta 67
e L. 1. De poss. sec. tab. — bellis insculptas appellârunt ἄξονας. Cùm Vlpianus e ageret de bonorum possessio-
ne secundum tabulas, dixit; tabulas testamenti accipi omnem materiæ figuram: 68
tabulasque rectè dici siue ligneę sint, siue cuiuscunq; alterius materiæ: siue etiam
chartæ, siue membranæ sint, vel corium alicuius animalis. Nostras XII. Tabulas 69
Pōponius ait fuisse eboreas. sed ęreas rectius dixeris, vt Liuius in ęs incisas, & Dio-
nysius insculptas πίναξι χαλκοῖς. Diodorus quoque Siculus li. 12. eas æreas fuisse ait.
Plinius lib. 34. cap. 9. Vsus æris (inquit) ad perpetuitatem monumentorum iam-
pridē translatus est, tabulis æreis, in quibus publicæ Constitutiones inciduntur.
f L. qui tabulam. Ad Leg. Iul. pecul. — Noster Venuleius, f Qui tabulam (inquit) æream Legis refixerit, Lege Iulia pecu-
latus tenetur. Vtinam verò pœnam illam reformidâsset, quicunq; primus ausus
est XII. Tabulas, vt earum memoriam aboleret, refigere atq; reuellere. Paulò an-
te coniurationem Catilinariā ęra Legum in Capitolio liquefacta fuisse narrat Ci- 70
cero. Inter prodigia, quæ Romæ fuerunt tristissima paulò post Cæsaris interi- 71
tum, commemorantur tabulæ æneæ, ex æde Fidei, turbine euulsæ. Tempore Ve- 72
spasiani cum Capitolio cōflagrâsse tabulariū ęreatum, quibus vetera Senatuscon-
sulta continebantur, tria millia, deplorat Suetonius. sed an vllum vnquā fuit vel
maius damnū, vel tristius omen, quàm XII. Tabularū siue incendio, siue turbine,
siue alia tempestate nō modò disiectarū, sed etiā deperditarum? Verùm querelis
frustra indulgerem. Vetus ille mos incidendarū in æs Constitutionū atq; Legū, 73
g L. 2. C. de frum. vrb. Const. — durauit vsq; ad posteriorū Cæsarū tempora. Extant in Codice Iustiniani, g verba
Theodosij atq; Valentiniani, quibus iubent tabulis æneis incidi Legem quandā
suā de frumento vrbis Constantinopolitanæ. Extat quoq; lib. 11. integri Codicis
Theodosiani, cōstitutio Cōstantini de alimentis, quæ inopes parentes ex publi-
co petere debent: quā ille iubet per omnes Italiæ ciuitates proponi scriptā æreis
tabulis, vel cerussatis, vel linteis mappis. Sed & Iustinianus suam illam constitu-
tionem Nouellam octauam, vt Præsides prouinciæ absque vlla pecuniæ datione
ad officia mittantur: præcipit tabulis aut lapidibus insculptam pro foribus tem-
plorū edi, atq; proponi, omitto quod est apud Horatium; Leges incidere ligno.

Duodecim Tabulæ in æs incisæ primùm pro Rostris propositæ sunt illustri 74
loco in foro prope Curiam Hostiliam: in quo & Leges ferri solebant, & oratio-
nes ad Populum haberi, & Magistratus sedere, & obtruncatorum ciuium capita
suspendi. Atque id quoque factum fuisse videtur exemplo Atheniensium, qui
Leges suas proponebant πρὸ τῶν ἐπωνύμων. Erant eæ statuæ Herorū, à quib. appel-
lationē ducebant Atheniens. Tribus. Relictis Rostris postea Romæ in Capitolio 75

Legum

Legum Tabulas adseruatas fuisse ignotum non est. Certè & Iustinianus suam illam, quam dixi, cōstitutionem, postquam omnibus publicè proposita innotuerit, religiosè recondi vult in sacrarium maioris Templi; vt olim apud Iudæos as-
76 seruabantur Prophetarum conciones. Sanè Diodorus Siculus lib. 12. scribit, XII. Tabulas sua adhuc ætate (vixit autem Augusti temporibus) pro Rostris inculu-
77 mi sculptura propositas perdurâsse. Sed & Cyprianus, plusquam ducentis post eum annis, significat suo tempore nondum fuisse expunctas: quanquam deploret earum minas fuisse contemptas. Sic enim scribit ad Donatum, lib. 2. epist. 2. Incisæ sint licet leges XII. Tabulis, & publico ære præfixo Iura præscripta sint; Inter Leges ipsas delinquitur, inter Iura peccatur; innocentia nec illic, vbi defenditur, reseruatur. Item, Nullus de legibus metus est.

Diximus vnde profectæ sint, quo studio, & à quibus cōpositę, quo modo editæ sint XII. Tabulæ. Nō est mea autoritas tanta, quæ nulla est, meo vt testimonio valde commendari, meisq́; nunc verbis ornari, sicut merentur, possint. Antiquis-
78 simas esse constat. Caius[h] Vetus Ius XII. Tabularum vocat. Iustinianus in Nou. Constit. 22. ait eas esse primas Leges, quę aliquam Romanis Remp. constituerint. Fontes Legū appellat M. Tullius. Liuius fontem omnis priuati publiciq́; Iuris. Corn. Tacitus lib. 3. Finem æqui Iuris ait has 12. Tabulas, accitis, quæ vsquam egregia erant, compositas esse. Quid amplius dicam? Satis equidem dicere nō possem, quanti eas, sicuti debuit, fecerit omnis posteritas, antiquitas omnis, omnis ætas
79 hominum sapientum. Quid? quòd Legis simplici appellatione multis annis solæ 12. Tabularum Leges significabantur, sicuti Vrbs dicebatur Roma. Hinc & Legis
80 actiones, & legitima tutela hæreditásve. Sanè Diodorus li. 12. testis est, has XII. Tabulas nulla verborū superfluitate, sed admirabili potius breuitate cōpactas esse.
81 Apud Gellium lib. 20. Sex. Cæcilius Iurisconsult. ait; Eas inquisitis exploratisq́; multarum vrbium legibus, eleganti atque absoluta breuitate verborum scriptas fuisse. Neque id negat Phauorinus Philosophus. Imò verò profitetur, sese non minus illas legisse, quàm Platonis decem libros de Legibus. Illud etiam maius & præcla-
82 rum magis testimonium est, quod apud Marcum Tullium lib. 1. de Oratore, Crassus ait; totam ciuilem scientiam, descriptis omnibus ciuitatis vtilitatibus ac partibus, XII. Tabulis contineri. tum subijcit: Fremant omnes licet, dicā quod sentio. Bibliothecas mehercle omnium philosophorum vnus mihi videtur XII. Tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & autoritatis pondere, & vtilitatis vbertate superare. Quid maius? quid dici potest præclarius? Neq; verò vnius hominis hoc iudicium testimoniúmve est; sed vox vna omniū, qui Romæ
83 aliquando fuerunt (fuerunt autem propè infiniti) recte sentientiū. Ipsi etiā pueri malè instituti videbātur, nisi si à primis annis hasce Tabulas memoria tenuissent. Cicero[i] ipse ita puerum se doctum fuisse formatumq́; refert, vt eas statim imbiberet; & vir factus, multoq́; iam rerū vsu prudens, sibi eo nomine gratulatur, do-
84 letque alios ea in re esse negligentiores. Discebamus (inquit) pueri Duodecim, vt
85 carmen necessarium; quas iam nemo discit. Solebant leges olim carminibus de-
86 scribi, vt vulgò facilius ediscerentur, atq; etiam cantillarentur. Nam & propterea Νόμοι appellantur. At si vnquam vlla lex sacro carmine digna fuit, eæ certè fuerunt Leges XII. Tab. Vtinam verò nos eas nunc haberemus, quas religiosè perdiscere, fideliq́ue memoriæ commendare & pueri possent & viri. Nam quod multi valde creduli homines securè sibi persuadent creduntq;, nec credunt modò, sed
87 confidenter etiam palam; scribunt, eas ipsas esse, quas Cicero illis suis De Legibus libris est complexus; vtinam verum dicerent, & talem nobis talis tantiq́; thesauri custodem darent. Sed reclamat ipse Cicero, & inane illud ociosorum hominum somnium, quibus sunt pro thesauro carbones, & vanam persuasionem manifestè refellit, cùm nō obscurè passim significet, suas se Leges, Platonis exemplo & imitatione confinxisse; ac si quid ex XII. Tabulis descripserit, vt certè aliquot capita descripsit, palàm profiteatur. Vtque alia argumenta prætermittam; vt taceam, quàm multa etiamnū extent XII. Tabularū capita, de quibus apud Ci-
88 cerone verbū nullum; vel illud etiā vnum satis esse potest, quòd in illis suis Legibus magistratuū eorū meminerit, quos notū est multis post Decemuiros annis creatos

h L. 1. De petit. hered.

i Lib. 2. de Leg.

creatos esse. Meminit imprimis Prætoris: Qui iudicet(inquit)iudicarive iubeat,
Prætor esto. Atqui creatus primùm Romæ fuit Prætor, annis post XII. Tabulas 89
plus quàm octoginta. Facile est quidem secutis hominibus, quicquid vspiam ex
veteri aliquo iure vel legerint vel audierint, cuius autorem originémve igno-
rant, statim sine alia inquisitione referre ad XII. Tabulas. Sed tales(vt mollissimè
dicã)ineptias quis ferat? quis ferat augustum illud XII. Tabularũ nomen ita pro-
stitui, nulloq; pudore Decemuiros cieri autores eorũ, quæ ijs nunquam in men-
tem venerũt? Si quicquid hominibus vel impudentibus vel ineptis in hoc gene-
re libet, etiam licet: cedo. Amissarũ XII. Tabularum damnum grauius, quàm vt
sarciri vnquam possit, æquiori fortassis animo ferremus, nisi sicum ijs & earũ in-
terpretes, qui plurimi olim, nobilissimiq; fuêre, omnes intercidissent. M. Varro in 90
Libris de lingua Latina ad Ciceronem, cùm interpretatur quid sit ambitus, citat 91
laudatq; veteres interpretes XII. Tabularum. sed nihil præterea. Vtinã vnus sal-
tem superesset antiquissimus earum interpres Sex. AElius: cuius si Tripertita ex 92
tarent, nihil in hoc genere desideraremus. Sed & M. Porcius Cato Iuriscõs. ad illu-
strandas XII. Tabulas studiũ aliquando suũ contulisse videtur. Nam & regula Ca-
toniana; Legatũ, quod inutile foret, si statim post testamentũ decessisset testator, 93
quãdocũq; is decesserit, inutile manere; edita videtur ꝑpter caput illud XII. Tab.

VTI QVISQVE LEGASSIT REI SVÆ ITA IVS ESTO.

k L. 4 §. 1. De ver. oblig. Illa quoque tota eius distinctio nobilissima, quæ in Pandectis[k] extat; de stipula- 94
tionibus facti diuidui vel indiuidui, quibus pœna quoque fuit adiecta; deq; pœ-
na cõmissa ab hæredibus pro portione hæreditaria; pertinuit ad illam Legẽ XII.
Tab. de hæreditariæ obligationis diuisione inter hæredes pro portionibus hære-
ditarijs. Si Aeliũ nobis & Catonẽ inuidit antiquitas; saltem haberemus vel Ser- 95
uium Sulpitiũ, quem Sex. Pompeius Festus sæpe citere solet XII. Tabularũ inter- 96
pretem; vel Labeonis cõmentarios ad XII. Tabulas, quorũ meminit Gellius lib. 1.
cap. 12. nam & lib. 7. ca. 15. allegat librum Labeonis secundũ de 12. Tabulis. Saltem 97
Caium nobis nostrum superstitem reliquisset Iustinianus. Eius dico Libros 6.
l L. 1. De orig. iur. l. vlt. Fin. reg. l. vlt. De coll. & corp. l. 233. si cal-umtur cũ aliquot seq. De verb. signif. & alibi passim. ΔΩΔΕΚΑΔΕΛΤΟΥ. Extant eorum quædam in Pandectis[l] reliquiæ, vel fragmenta
potius, ex quibus facilè conijcere possumus, quàm copiosè nobis ij libri suppe-
ditâssent, quicquid de XII. Tabulis requirimus. Si vt omniũ nobis intercipeten-
tur Iurisconsultorũ in hoc genere cõmentarij, fatale fuit; saltẽ integros Sex. Pom- 98
peij Festi libros de Verborum veterum significatione nobis reliquisset Pont. Pau-
lus 2. qui dum eorũ epitomen nescio quã contrahere vult, & ad Carolum Franciç
Regẽ mittere, totos discerpsit dilacerauitq;, ante annos ferè nonaginta. Multas
ex ijs libris reliquias XII. Tabularum colligere potuissemus. Nunc, quando aliud
nõ licet, faciendum nobis est tamen, vt qualescunq; vsquã supersunt, in veterum
scriptorum monumentis sparsæ & disiectæ; addo etiam concisas & laceras, si qua
modò ex ijs sententia elici possit; studiosè colligamus, magnaq; religione & cu-
ra, tanquã ex naufragio superstites antiquitatis venerandæ tabulas adseruemus.
Nolim equidem, neq; fas esse puto, inter eas quicquam referre, quod earum esse
certo testimonio compertum nõ habeam. Maiorem ijs, maiorem antiquitati re-
ligionem deberi scio. tantiq; mihi cogitatio est hæc, vt superstitiosè etiam timi- 99
dus in hoc genere videri non recusem. Cùm in libris Rhetoricorum ad Heren-
nium locũ illum legerem: Pacta sunt, quæ Legibus obseruanda sunt, hoc modo,
REM VBI PAGVNT, ORATIONE PAGVNT. IN COMITIO 100
AVT IN FORO ANTE MERIDIEM CAVSAM CONIICITO,
non ignorabã, multos etiam eruditos homines non dubitare, id ex XII. Tabulis
descriptũ esse. sed cùm nullã, id ita esse, aut certam viderem probationem, vel cõ-
iecturã certè iustam, adduci non potui, vt quod mihi incertum erat, pro cõperto
alijs traderẽ. Nam neq; quid sibi verba illa velint, satis assequor. Audio equidem 101
eos, q acutiores habẽtur, coniicere hanc esse sententiã: Si verbis paciscuntur, qui
in comitio vel in foro rerũ venalium paciscuntur, eodẽ in loco statim, aut saltem
ante meridiẽ, litẽ, si qua de ijs rebus sit lis, breuiter diiudicari debere. Verùm & si
nõ ignorem, quid fuerit, appellareturq; causæ cõlectio; tamen talem aliquã fuisse ros-
vel iudicij formã, vel de ea legem XII. Tab. non ita mihi facilè persuaderi potest.

Quid

Quid multis? Cùm hic me locus angeret, commodè incidi in locum Plinij, qui & me non frustra dubitâsse, & alios, quod ignorabant, temerè affirmâsse docuit.
103 Tantum enim abest, vt tale aliquid fuerit scriptum in XII. Tabulis, vt etiam tum ignorus fuerit Romanis meridies. Plinius enim lib. 7. cap. 60. ait, serius Romæ cô-
104 gnitam fuisse horarum obseruationem. Duodecim Tabulis ortum tantùm & occasum nominari. Post aliquot annos adiectum esse & meridiem, Accenso Consulum id pronunciante, cùm Curio inter Rostra & Græcostasim prospexisset talem So-
105 lem. Cæterùm quicquid ex veterum scriptorum, qui quidem fide digni sunt, testimonio & literis certò comperi esse XII. Tabularum, quod ad Ius Ciuile pertinere vidi, operam dedi vt colligerem; & vbi in eum, quem & potui & optimum esse iudicaui, ordinem digessi, illustrare etiã & latius explicare conatus sum, quo magis huius Iuris, quod profiteor, abditos obstrusósque; adeò fontes patefacerem,
106 sine quorũ cognitione non existimo Romanam Iurisprudentiam tractari rectè posse. Conqueritur apud Gellium lib. 20. Phauorinus philosophus, multa in XII.
107 Tabulis obscura esse tam valde, vix vt quisquã interpretari possit. Sed apud eundem quoque Gellium lib. 16. ridetur quidam, vt vocari volebat, Iurisperitus, qui nec XII. Tabulas, earúmve verba prisca teneret, nec aut interpretari aut enarrare
108 posset. Equidem Iurisperitos nõ esse, nec esse posse, facilè assentior, sed ridiculos potius histriones videri, qui XII. Tabulas vel ignorant planè vel contemnunt. Quædam earum verba prisca & obsoleta si nec satis intelligere, nec interpretari possimus, tuebimur nos exemplo maiorum, & vetustissimorũ doctissimorumque;
109 etiam Iurisconsultorum, qui nonnulla eius generis ignorate se, confiteri nõ erubuerunt. Quid XII. Tabulæ Lessum appellarent, veteres earum interpretes Sex.
110 AElius & Luciliusnõ satis intelligere se dixerunt, inquit Cicero. In ipsis etiã Prætorum Edictis, quæ multis annis posteriota fuêre, verba nonnulla fuerũt, quæ vix
111 ipsi paulò pòst Romani intelligerent. Cuius generis illud est, quod Gellius lib. 11.
112 commemorat Edictũ de fluminibus retandis. Neque verò ignorare debemus; Ro-
113 manam sępe linguam mutatam esse, vel potius, quę rudis & aspera prius erat, sen-
114 sim excultam & perpolitam fuisse. Polybius lib. 3. testis est eam fuisse linguæ huius mutationem, vt iam suo tempore (viuebat autem cũ Scipione Africano) vix eruditissimi intelligerent maiorum suorum primum sermonem. Τηλικαῦτα (inquit) ἡ διάφορα γέγονε τῆς διαλέκτου παρὰ Ῥωμαίοις τῆς νῦν πρὸς τὴν ἀρχαίαν, ὥστε τοῦτο συνετώτατοι ἐνίους μόλις ἐξ ἐπι-
115 στάσεως διευκρινεῖν. Sed & Quintilianus lib. 9. Si antiquum (inquit) sermonem nostro comparemus, penè iam, quicquid loquimur, figura est. Narrant ex Varrone, qua-
116 tuor fuisse idiomatum genera in hac lingua. Aliud enim priscum fuisse; aliud Latinum; aliud Romanum; aliud Mixtum. Sed id diligentius persequi, vel curiosius
117 exentere, non est huius loci. Priscam linguam fuisse constat, vt in XII. Tabulis, sic & in illis sacris Saliorum carminibus, quæ posteri Sacerdotes ipsi non intelligebant, vt testis est Quintilianus. Secuta est Media quædam Liuij Andronici, Nę-
118 uij, Ennij. Tandem Ciceronis Cæsarísque; tempore, perfecta est, eratque optima &
119 suauissima. Commemorat Pompeius Festus multa XII. Tabularum verba, quæ,
120 nisi interpretaretur ipse, nunquã intelligeremus, veluti; PEDEM STRVIT, pro, fugit: SARPVNTVR VINEAE, pro, putantur: RVPITIAS, pro damnum dederis. PORTVM, pro domo. Ac sanè si integra illa capita extarent, nulla nos verborũ difficultás deterreret, quin sententiam peruestigaremus. Sed mutila fragmenta, ex quibus nullus sensus eligi posset, non visum est, esse operæprecium inter Leges XII. Tab. referre. Quod quidem si facere instituissem, non tam legum, quàm inaniũ verborum congeriem ostentâssem. Volusius Metianus
121 nobilis Iurisconf. in libello suo de asse, cùm dixisset sestertiũ valere duos asses & semissem, dictúmque esse quasi semitertium, sicuti Græci dicunt ἕβδομον ἡμιτάλαντον, cùm significare volunt sex talenta & semitalentum; adijcit, legem etiã XII. Tab.
122 argumento esse, in qua duo pedes & semi, sestertius pes vocatur. Multa huius generis ex veterum monumentis repetere possem de significatione verborũ antiquorũ, quibus vsæ sunt XII. Tabulæ; sed legum, non verborũ studiosi sumus. Cer-
123 tè in ijs, quæ supersunt integra, capitib. XII. Tab. & quæ nos sola nunc proponere instituimus, nõ est cur de verborum significatione valde laboremus. Sed quid rei

infit,

fit, illud potius videamus. Atque vt ad illa tandem aliquando veniamus, initio
sumus admonendi; quæ 12. Tabulis tradita erant de iure publico; de magistrati-
bus; de sacris ac sacerdotibus; certò proferri non posse: neque ea me res valde 124
solicitum habet. facilè enim ijs carere possumus. De iure priuato, quod ad sin-
gulos homines pertinet, & cuius nunc quoque magnus & frequens vsus est, quid 125
Decemuiri indicârint, studiosè perquiramus. At de hæreditatibus & successio- 126
nibus multa satis subtiliter non multis verbis prodiderunt. De contractibus &
obligationibus plura, quàm vellem, desiderantur. Neque ineptè mirari aliquis 127
posset, cùm de rebus ieiunsculis multa non magni alioqui momenti, diligentis-
simè perscenti sint, ea non attigisse, quæ & latissimè patent, & in vniuersum ad
omnes pertinent hominum conuentiones, ijsque ferè semper accedunt; veluti
pignora & hypothecas, euictiones, pœnales stipulationes, rationem eius quod 128
interest, & reliqua huius generis. Certè nulla de re in orbe Romano, aut frequen-
tiores, aut difficiliores quæstiones fuerunt. An existimabant Decemuiri, tam esse 129
suos ciues bonæ fidei, nulla vt cautione & formula hypothecaria ijs esset opus;
vt euictionis nullum esset periculum; vt eius quod interest, & æstimatio, & com-
pensatio nihil haberet controuersiæ? Vetus quidem illud est, INTER BO-
NOS BENE AGIER. Sed bonis tamen Legibus scriptis est opus. Ac vt
eæ ex malis moribus nasci soleant: non erant certè Romæ, Decemuirorum tem-
pore, tam compositi ciuium mores; neque tam valde colebatur Fides, cui tem-
plum dedicârat Numa; neque tanta erat vitæ simplicitas, quin haberent ipsi cō-
tractus suas fraudes, suas difficultates, multa etiam obscura, quæ sine Iuris Ciuilis
subsidio diiudicari vix possent. Verùm bene habet. Quæ in hoc genere possent
desiderari à Decemuiris, nostri Iurisconsulti sedulò pertractârunt, copioséque
præstiterunt. Si Decemuirorum iudicia omnia Legesque nancisci possemus, non 130
tam multa fortasse eos prætermisisse intelligeremus. sed temporum iniuria fe-
cit, vt in hoc genere multa nos ignorare sit necesse. Ne ignoraremus tamen 131
omnia, reliquias collegi, quas potui: & LXIIII. consarcinaui capita, non ijs-
dem fortasse verbis, quibus edita primùm fuerant (id enim præstare non possu-
mus) sed eadem tamen, quæ fuit Decemuirorum, sententia. Atque vtinam tan-
tum nunc mihi fuisset otij, ea etiam adfuisset ingenij veluti ascia, qua hæc
Tabularum fragmenta, penitus dedolare perpolireq; saltem
potuissem. Verùm vt possumus, quan-
do vt volumus non licet.

LEGES



LEGES. XII. TAB.

I.

PRIVILEGIA NISI CENTVRIATIS COMITIIS NE IRROGANTO.

II.

QVI SEPEM IN CONFINIO PONET, TERMINVM NE EXCEDITO: QVI MVRVM, PEDEM DERELINQVITO: QVI DOMVM, PEDES DVOS: QVI SEPVLCHRVM, FOVEAMVE, QVANTVM ID PROFVNDVM ERIT: QVI PVTEVM, PASSVM. QVI OLIVAM, FICVMVE, PEDES NOVEM: QVI DENIQVE ALIAS ARBORES PLANTABIT, QVINQVE PEDES AB ALIENO LOCO PONITO. IN CONTROVERSIA DE FINIBVS, QVINQVE PEDVM VSVCAPIO NVLLA ESTO.

III.

EIVS ARBORIS, QVÆ IN ALIENVM AGRVM IMPENDERET, CIRCVNCIDERE RAMOS QVINDECIM PEDES ALTIVS A TERRA IVS ESTO VICINO.

IIII.

VIÆ LATITVDO IN PORRECTVM, OCTO PEDVM ESTO: IN ANFRACTVM, SEDECIM.

V.

NE QVIS VNCIARIO FOENORE AMPLIVS EXERCETO.

VI.

SODALIBVS QVI EIVSDEM COLLEGII SVNT, ET IVS COEVNDI HABENT, POTESTAS ESTO FACTIONIS, QVAM VOLENT, INTER SE INEVNDÆ, DVM NE QVID EX PVBLICA LEGE CORRVMPANT.

VII.

QVVM NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE, VTI NVNCVPASSET, ITA IVS ESTO.

VIII.

VENDITÆ, ET TRADITÆ RES NON ALITER EMPTORI ACQVIRVNTOR, QVAM SI IS VENDITORI PRECIVM SOLVERIT, VEL ALIO MODO SATISFECERIT.

IX.

VSVS, ET AVTORITAS FVNDI, BIENNIVM ESTO: CAETERARVM RERVM VSVS, ANNVVS ESTO.

X.

ADVERSVS HOSTEM ÆTERNA AVTORITAS ESTO.

XI.

REI FVRTIVÆ ÆTERNA AVTORITAS ESTO.

XII.

TIGNVM IVNCTVM ÆDIBVS, VINEISVE, NE SOLVITO, SED DVPLVM QVI IVNXIT DATO.

XIII.

GLANDEM IN ALIENVM FVNDVM DECIDENTEM COLLIGERE, LIBERVM ESTO.

XIIII.

SI IN TVO ALIENVM PECVS PASCATVR, DE PASTV PECORIS ACTIO ESTO.

XV.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECERIT, EI, CVIVS INTERERIT, ADVERSVS EVM, QVI DOMINVS ERIT QVADRVPEDIS, ACTIO NOXALIS ESTO.

XVI.

PATRICII CVM PLEBEIS CONIVGIVM NE CONTRAHVNTO.

XVII.

IN DECEM MENSIBVS HOMINEM GIGNI.

XVIII.

PARENTIBVS LIBEROS TER VENDENDI IVS, ATQVE POTESTAS ESTO.

XIX.

STATVLIBEROS VÆNVNDARI POSSE.

XX.

VTI QVIS LEGASSIT, SVPER PECVNIA TVTELAVE SVÆ REI, ITA IVS ESTO.

XXI.

PARENTIBVS TVTORVM LIBERIS IN POTESTATE DANDORVM TESTAMENTO IVS ESTO.

XXII.

QVIBVS TESTAMENTO TVTOR DATVS NON EST, AGNATI TVTORES LEGITIMI SVNTO.

XXIII.

SI FVRIOSVS EST, AGNATORVM GENTILIVMQVE IN EO, PECVNIAVE EIVS, POTESTAS ESTO.

XXIIII.

PRODIGO BONIS INTERDICTVM ESTO, ISQVE IN CVRATIONE AGNATORVM ESTO.

XXV.

SVSPECTI TVTORIS IVDICIVM EXERCETO.

XXVI.

VTI QVIS LEGASSIT REI SVÆ, ITA IVS ESTO.

XXVII.

INTESTATORVM HÆREDITATES PRIMO SVORVM HÆREDVM, VELINT NOLINT, SVNTO: ET IN LOCVM FILIORVM, NEPOTES SVCCEDVNTO.

XXVIII.

SI INTESTATVS MORITVR, CVI SVVS HÆRES NEC EXTABIT, AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO.

XXIX.

INTESTATO LIBERTO MORTVO PRIMVM SVI SVCCEDVNTO: SI HI NON FVERINT, PATRONVS.

XXX.

SI PLVRIBVS HÆREDITAS IVRE DELATA SIT, ATQVE HI A COMMVNIONE DISCEDERE VOLENT, FAMILIÆ ERCISCVNDÆ IVDICIO INTER EOS RES HÆREDITARIÆ DIVIDVNTOR.

XXXI.

HOMINEM MORTVVM IN VRBE NE SEPELITO, NEVE VRITO.

ROGVM

XXXII.

ROGVM BVSTVMVE NOVVM PROPIVS SEXAGINTA PEDES NE ADIICITO ÆDES ALIENAS INVITO DOMINO.

XXXIII.

HOC PLVS NE FACITO: ROGVM ASCIA NE POLITO. VINO ROGVM NE RESPERGITO.

XXXIIII.

MVLIERES GENAS NE RADVNTO, NEVE LESSVM FVNERIS ERGO HABENTO.

XXXV.

HOMINI MORTVO NE OSSA LEGITO: QVO POST FVNVS FACIAT.

XXXVI.

QVI CORONAM PARIT IPSE PECVNIAVE EIVS, VIRTVTIS ERGO EI DVITOR. IPSI MORTVO PARENTIBVSQVE EIVS, DVM INTVS POSITVS ESSET FORISVE FERRETVR, SINE FRAVDE IMPOSITA ESTO.

XXXVII.

FORVM BVSTVMVE NE VSVCAPITO.

XXXVIII.

INTER HÆREDES PRO HÆREDITARIIS PORTIONIBVS OBLIGATIONES HÆREDITARIÆ IPSO IVRE DIVISÆ SVNTO.

XXXIX.

SI QVIS LEGE AGENDO PLVS PETIERIT, CAVSA CADITO.

XL.

SI QVIS IN IVS VOCATVR, SI MORBVS ÆVITASVE VITIVM ESSET, QVI IN IVS VOCABIT, IVMENTVM DATO: SI NOLIT, ARCERAM NE STERNITO.

XLI.

SI IVDEX, VEL ALTER EX LITIGATORIBVS MORBO SONTICO IMPEDIATVR, IVDICII DIES DIFFISSVS ESTO.

XLII.

SI STATVS DIES SIT CVM HOSTE, VENITO.

XLIII.

ASSIDVO VINDEX ASSIDVVS ESTO. PROLETARIO CIVI QVIVIS VOLET, VINDEX ESTO.

XLIIII.

SVPERSTITIBVS PRÆSENTIBVS VINDICIÆ SVMVNTOR AB IIS, INTER QVOS CONTROVERSIA EST.

XLV.

VINDICIÆ SECVNDVM LIBERTATEM DANTOR.

XLVI.

AERIS CONFESSIS, REISQVE IVRE IVDICATIS, XXX. DIES IVSTI SVNTO. POST DEINDE MANVS INIECTIO ESTO: IN IVS DVCITO. NI IVDICATVM FACIT, AVT QVI PSEVDO EO IN IVRE VIM DICIT, SECVM DVCITO AVT NERVO, AVT COMPEDIBVS XV. PONDO NE MINORE: AVT SI VOLET, MAIORE VINCITO. SI VOLET, SVO VIVITO: NI SVO VIVIT, QVI EVM VINCTVM HABEBIT, LIBRAS FARRIS IN DIES DATO: SI VOLET, PLVS DATO. TERTIIS NVNDINIS PARTEIS SECANTO. SI PLVS MINVSVE SECVERINT, SINE FRAVDE ESTO.

XLVII.

DE CAPITE CIVIS, NISI CENTVRIATIS COMITIIS NE ROGATO.

XLVIII.

QVI HOSTEM CONCITAVERIT QVIQVE CIVEM HOSTI TRADIDERIT, CAPITE PVNITOR.

XLIX.

SANATIBVS IDEM IVRIS ESTO QVOD FORTIBVS.

L.

SI QVIS IN VRBE COETVS NOCTVRNOS AGITET, CAPITE PVNITOR.

LI.

QVI FALSVM TESTIMONIVM DIXERIT, E SAXO TARPEIO DEIICITOR.

LII.

IVDEX, QVI OB REM DICENDAM PECVNIAM ACCEPISSE CONVICTVS EST, CAPITE PVNITOR.

LIII.

SI QVIS ACTITAVERIT SIVE CARMEN CONDIDERIT, QVOD INFAMIAM FLAGITIVMVE ALTERI PRECETVR, CAPITE PVNITOR.

LIIII.

QVI MALVM CARMEN INCANTARIT, FRVGESVE EXCANTARIT, COERCETOR.

LV.

QVI INIVRIA CECIDERIT ALIENAS ARBORES, LVITO IN SINGVLAS ÆRIS XXV.

LVI.

FRVGEM ARATRO QVÆSITAM FVRTIM NOCTV SI PAVERIT SECVERITVE PVBES, SVSPENSVS CERERI NECATOR. IMPVBES VERBERATOR, NOXIAMQVE DVPLIONEMVE PRÆSTATO.

LVII.

SI NOX FVRTVM FAXIT: ET IM ALIQVIS OCCISIT, IVRE CÆSVS ESTO.

LVIII.

FVR MANIFESTO FVRTO PREHENSVS INTERDIV, SI SE TELO DEFENDERET, ET IM ALIQVIS OCCISIT, IVRE CÆSVS ESTO. EX CÆTERIS MANIFESTIS FVRIBVS, LIBERI VERBERANTOR, ET EI CVI LVCI FACTVM FVRTVM ERIT, SI SE TELO NON DEFENDANT, ADDICVNTOR: SERVI VERBERIBVS AFFECTI, DE SAXO PRÆCIPITANTOR.

LIX.

FVRTA PER LANCEM LICIVMQVE CONCEPTA, SICVT MANIFESTA VINDICANTOR.

LX.

DE FVRTO PACISCI LICITVM ESTO:

LXI.

SI MEMBRVM RVPIT MEVM, E PACTO, TALIO ESTO.

LXII.

SI INIVRIAM ALTERI FAXIT, XXV. ÆRIS POENÆ SVNTO.

LXIII.

SI SERVVS FVRTVM FAXIT, NOXAMVE NOCVIT, SCIENTE ETIAM DOMINO, SERVI NOMINE ACTIO NOXALIS ESTO: DOMINVS SVO NOMINE NON TENETOR.

LXIIII.

SOLIS OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO.

ANNOTATIONES.

IN I.

PRIVILEGIA NISI CENTVRIATIS COMITIIS NE IRROGANTO.

1. 2. *Neq; priuilegium irrogari, neque de capite rogari permittebant XII. Tabulæ, nisi comitijs Centuriatis; & qua id ratione? num. 3. 4. 5. 7.*
6. 8. *Iura non in singulas personas, sed generaliter constitui oportet.*
9. *Ius singulare quod?*
10. *Lex nulla omnibus satis esse commoda potest.*
11. 12. 13. *Contra rationis tenorem, id est, contra cõmunes Iuris regulas, nihil temerè introducendum.*
14. *Quod Princeps in singulas personas priuilegium irrogat, quatenus ratum?*
15. *Priuilegia personam ne egrediantur.*
16. *Centuriatorum comitiorum descriptio apud Dionys. Halicarn.*
17. *Legibus quomodo quis temporibus Ciceronis solui potuerit?*



Dicturus de XII. Tabulis, hoc earũ caput, quod imprimis considerandum est, initio proponendum esse iudicaui. continet enim, quod in hoc genere quæri principio solet. Est autem descriptum ex M. Tullio, qui tribus locis eius meminit. In Ora-
1 tione pro domo sua ad Pontifices, Vetant (inquit) leges sacratæ, vetant XII. Tabulæ, leges priuatis hominibus irrogari: id enim est priuilegium. nemo vnquam tulit: nihil est crudelius, nihil perniciosius, nihil quod minus hæc ciuitas ferre possit. In Oratione pro P.
2 Sestio ait; XII. Tabulis sancitum esse, vt neque priuilegium irrogari liceret, neq; de capite, nisi Centuriatis comitijs, rogari. Idem lib. 3. de Legib. ait; Legem XII. Tabularum tollere priuilegia; ne de singulis hominibus ferri possent, nisi fortè
3 Centuriatis Comitijs, in quibus descriptus Populus censu, ordinibus, ætatibus, plus adhibere videbatur consilij, quàm fuse in Tribus conuocatus. Leges publicę ac communes ferri poterant Tributis Curiatísue Comitijs. In priuilegijs irrogandis maiorem quandam & curã & religionem & deliberationem adhibuerũt Ro-
4 mani. Præclarè id sanè ac sapienter. Priuilegijs vt nihil est quod sit Legibus magis cõtrarium, sic nihil erit in Rep. perniciosius, si aut temerè aut leuiter indulgeantur. Rursus autem nihil (quod ipse Cicero ait) esset iniustius, quàm omnia omni-
5 nò priuilegia tollere. Iudicio itaq; & consilio non vulgari ob graues, iustas atque singulares causas irrogari & possunt & debent. Legerant Romani Legati præcla-
6 ram illam Atheniensium Legem, quæ etiamnum extat in Oratione Demosthenis contra Aristocratem ΜΗ ΝΟΜΟΝ ΕΠ ΑΝΔΡΙ ΕΞΕΙΝΑΙ ΘΕΙΝΑΙ (Legem in singulas personas constitui nefas esse.) Placuit ea Decemuiris, placuit Populo Romano, non vt omnia in vniuersum priuilegia planè tollerentur, nullaque omninò ferri possent; sed ne qua, nisi maximo iudicio maturoq; consilio irrogaren-
7 tur. Vlpianus[a] rectè ait; Iura non in singulas personas, sed generaliter constitui. a L. 8. Ius singulare. De leg.
8 Rectè etiam eius collega Paulus[b] scribit, Ius esse quoddam singulare, quod cõtra
9 tenorem rationis, propter aliquam vtilitatem, autoritate constituentium introductum est. vterque quod dixit, testimonio XII. Tabularum confirmare potest. b L. 16. Ius singulare. De Legib.
10 Prudenter sanè apud Liuiũ Cato ait; nullam Legem satis commodam omnibus esse posse, quòd vel beneficium quoddã singulare, vel supplicium nouum, humanæ vitæ veritas exigat atque requirat. Sed vt singularia quædam Iura Romani habuerunt, sic eorũ iustas, & singulares grauesq; causas esse voluêre; & tanto etiam
11 magis, quòd contra tenorem rationis, vt Paulus ait, siue, vt loquimur, aduersus communes Iuris regulas, nihil temerè introducendum sit. Certè ipsi etiam posteriores Augusti Imperatores, irritum & nihil esse voluêre, & vt esset, palàm etiam
12 edixêre, si quod fortè priuilegiũ contra tenorem Iuris cõmunis Imprudentes irrogassent, temeréue tulissent. Extat Anastasij Imp. edictũ c, quo in vniuersum pręcipit, vt Magistratus ac Iudices modis omnibus generales Constitutiones obser- c L. vlt. C. si contra ius vel vtil. pub.
13 uent; reijciant verò Principũ singularia rescripta, si aut generali Iuri, aut vtilitati
14 publicæ aduersentur. Cæterùm quod sciens prudensq; Princeps certa iustaq; ex causa in singulas personas priuilegium irrogârit, tam erit ratum, quàm erat olim

Centuriatis Populi Rom. comitijs constitutum. Transtulit enim Populus suam in Principem potestatem. Sed illud saltem diligenter cautum est, vt suis finibus priuilegia contineantur, vt non egrediantur personam personales Constitutio- 15 nes d, vt cum suis causis desinant. Qua de re longiorem instituere commentationem non est huius vel temporis, vel loci. Sed & Centuriatorum comitiorum copiosam descriptionem si quis requirat, petat eam, licet, ex Dionys. Halicarn. lib. 7. 16 Illud prætermittere non possum, quòd Asconius Pædianus notat, C. Cornelium Tribunum pl. tempore Ciceronis legem tulisse, ne quis nisi per Populum, legi- 17 bus solueretur; idque etiam antiquo iure cautum fuisse. Itaque in omnibus Senatusconsultis, quibus tum aliquem legibus solui placebat, adijci solitum esse, vt ea de re ad Populum ferretur. quanquam enim id Senatus non ferret, Cornelius legem suam mitigârit, & ita ferre cœpit, ne quis in Senatu legibus solueretur, nisi ducenti adfuissent.

d. L. 1. De const. prin. & quod Prin cipi. Instit. De Iur. Natur. Gent.

IN II.

QVI SEPEM IN CONFINIO PONET, TERMINVM NE EXCEDITO: &c.

1. 5. *Leges de finibus in Rep. maximè sunt necessariæ.*
2. *Terminum Numa quomodo consecrârit?*
3. *Solonis Lex de Finibus.*
4. *Bustum nouum quàm prope ædes alienas adijci Decemuiri permiserint?*
6. *Parietis communis olim Romæ crassitudo quæ?*
7. 8. *Prope confinium arbor posita quomodo fiat communis? num. 9.*
10. *Vmbra tua arboris vicino prædio ne noceat.*
11. *In ramos vicino plus iuris esse voluerunt XII. Tabulæ quam in radices arboris.*
12. 13. *Puteum in fundo quisq; suo potest effodere.*
14. *In controuersia de Finib. V. Pedū vsucapio cur nulla sit.*
15. *Lex Manilia post Decemuiros lata, de V. Pedum controuersia, ab agrimensore dirimenda.*
16. 18. *Si de maiore spacio quærebatur, non de fine sed de loco lis erat; & num. 21.*
17. 19. 20. 22. *De controuersia finali Constantini apud Iul. Frontinum, & Theodosij Constitutiones, Anno 840. post XII. Tabulas.*
23. *Quod à Decemuiris erat prætermissum sarserunt Prudentes.*
24. *Finium documenta apud Vrbicum quæ?*
25. *Prætoris edictū in Mensorē qui falsum modū dixerit.*



NVlla est Lex in Rep. vel initio magis necessaria, vel maiori in vsu, 1 quàm de finibus. Consecrârat quidem Rex Numa Terminum, & qui- 2 dem, vt scribit Festus, statuerat eum, qui terminum exarâsset, & ipsum & boues sacros esse. Sed aliam præterea quandam legem hac in re Romæ desiderari, Decemuiri intelligebant. Caius a lib. 4. ad Leg. XII. Tab. refert Solonem Athenis tulisse hanc Legem: 3

a. L. vlt. Fin. regund.

ΕΑΝ ΤΙΣ ΑΙΜΑΣΙΑΝ ΠΑΡ ΑΛΛΟΤΡΙΩ ΧΩΡΙΩ ΟΡΥΓΗ, ΤΟΝ ΟΡΟΝ ΜΗ ΔΙΑΒΑΙΝΕΙΝ. ΕΑΝ ΤΕΙΧΙΟΝ, ΠΟΔΑ ΑΠΟΛΕΙΠΕΙΝ. ΕΑΝ ΔΕ ΟΙΚΗΜΑ, ΔΥΟ ΠΟΔΑΣ: ΕΑΝ ΔΕ ΤΑΦΟΝ Η ΒΟΘΡΟΝ ΟΡΥΤΤΗ, ΟΣΟΝ ΤΟ ΒΑΘΟΣ Η ΤΟΣΟΥΤΟΝ ΑΠΟΛΕΙΠΕΙΝ. ΕΑΝ ΔΕ ΦΡΕΑΡ, ΟΡΓΥΙΑΝ. ΕΛΑΙΑΝ ΔΕ Η ΣΥΚΗΝ, ΕΝΝΕΑ ΠΟΔΑΣ ΑΠΟ ΤΟΥ ΑΛΛΟΤΡΙΟΥ ΦΥΤΕΥΕΙΝ. ΤΑ ΔΕ ΑΛΛΑ ΔΕΝΔΡΑ, ΠΕΝΤΕ ΠΟΔΑΣ. (Si quis sepem ad alienum prædium fixerit infoderitque, terminum ne excedito: Si maceriam, pedem relinquito: Si verò domū, pedes duos: 3 si sepulcrum aut scrobem foderit, quantum profunditatis habuerint, tantū spacij relinquito: Si puteum, passus latitudinem. at verò oleam, aut ficum, ab alieno ad nouem pedes plantato; cæteras arbores ad pedes quinque.)

Hanc Solonis legem, vt potui, Latinè reddidi. Nam ad eius exemplum ita scriptum esse in XII. Tabulis Caius significat, idq; etiam obseruandum esse in iudicio finium regundorum. Quod tamen de sepulcro hîc ait Solon, meminerimus sic Decemuiris placuisse, vt alio tamen capite, quod suo postea proponemus 4 loco, vetuerint; rogum, bustúmue nouum, propius sexaginta pedes adijci ædes alienas inuito domino. Rectè quidem monet Cicero, in vicinitatibus & cōfinijs æquos & faciles nos esse debere, multa etiā de iure nostro remittentes: sed vt hæc esse possint philosophi de officijs scribentis præcepta, Legislatoris esse non possunt. Imò verò quo difficiliores in hoc genere homines sunt, tanto sunt etiam

Leges

5 Leges solicitæ magis, certa vt aliqua ratione tota hæc res cōponatur sine cuius-
quam fraude vel iniuria. Vitruuius lib.2.cap.8.& Plinius li.35.cap.14.narrant, Ro-
6 mæ publica Lege cautum fuisse, ne communis paries latior esset sesquipedali,
quis eius legis autor fuerit certo dicere non possum. Sed satis tamen apparet, ve-
teres Legumlatores imprimis id curâsse, vt nulla, vel minima inter vicinos alicu-
ius dissensionis in hoc genere materia relinqueretur.

7 Prope confinium arborem positam, si etiam in vicini fundum radices ege-
rit, communem fieri pro regione cuiusq; prædij, Iure Ciuili proditum est.[b] Sed *b. Pro regione De*
8 hoc dictum accipimus, si sit prope confinium ita posita, vt ipsa etiam prima sua *acqui. re. dom. §.*
origine atque insitione implantationéve contingat vtrunque vicinum prædi- *adeo. Insti. eo. tit.*
9 um. Si in alterius tantùm fundo arbor esse videatur, quia eius in eo solo sit origo;
eius erit solius, cuius est fundus. neque ius est vicino, in cuius fortè fundum ra-
dices porrexerit, eas recidere:[c] sed agi eo nomine potest, sicuti agitur propter *c. L. si plures. §. 1.*
immissum proiectum. Harum inter vicinos contentionum fontes, quantum *Arb. fur. cæs. L.*
possunt, præcidunt XII. Tabulæ. & vt radices vicino non obesse viderentur, ta- *quemadmodum.*
men multæ causæ sunt, cur Legis præscriptum in hoc genere seruandum sit. *§. 1. Ad leg. Aquil.*
10 Nam & ne vicino prædio arboris vmbra noceret, voluerunt XII. Tabulæ, eius ar-
11 boris, quæ in alienum agrum impendêret, ramos quindecim pedes altius à terra
circumcidere, ius esse vicino:[d] plusq́ue illi in ramos, quàm in radices, iuris etiam *d. L. 1. §. quod ait.*
tribuerunt: vt apparet ex cap. sequenti. quod & Prætores subsecutos esse testis *De arbo. cæd.*
est Vlpianus, qui eorum in hoc genere edictum refert. ad cuius exemplum & ca-
12 put illud sequens composuimus; Ius vnicuique esse in suo fundo effodere & ape-
rire puteum, etiam si ea fortè ratione vicini putei venæ præcidantur, & fons auer-
tatur, duobus locis ab Vlpiano[e] respōsum est: nec aliter id inhiberi potest, quàm *e. L. fluminum. §.*
si constituta fuerit seruitus, ius alicui non esse in fundo suo aquam quærere mi- *vlt. De dā. infect.*
nuendæ aquæ vicinæ gratia. Sed illud saltem ab initio & Athenienses, & eos se- *L. 1. §. denique.*
13 cuti Romani[f] voluêre, vt qui puteum in suo effoderet, fines vicini non attinge- *De aq. & aq. plu.*
ret: sed passum potius vnū interesse debere meminisset. Porrò cùm intelligerent *arc.*
etiam Decemuiri, vtile esse inter cōfines vicinorum agros, spatium aliquod me- *f. L. quoties nec*
dium relinqui, quod liberum semper esset & commune, vt eo ire, agere, & aratrū *prædiorū. De ser-*
etiam circumuertere, sine alterius incōmodo, vterque dominus posset: pruden- *uit.*
14 ter voluêre, spatium quinque pedum, quod eo nomine relinqueretur, vsucapi
non posse. Hanc ego legis partem ex Ciceronis libro primo de Legib. collegi. Ait
enim; in controuersia de finibus vsucapionem XII. Tabulas intra quinque pedes
esse noluisse. Deinde etiam subijcit, quod ad hunc modum legendum restituen-
15 dumq́; est: Nec Manilia lege singuli, sed nos tres arbitri fines regemus. Lex Mani-
lia post Decemuiros lata est, vt quoties de his quinq; pedibus controuersia esset,
16 eligeretur arbiter siue agrimensor, qui eos regeret, arteq́; sua constitueret. Si de
maiore spatio quærebatur; de loco, non de fine lis esse dicebatur; & vt loci cōtro-
uersia, quòd vsucapi posset, exemplo aliorum iudiciorum, apud magistratū pera-
gebatur. Quã etiam de re commemorat Iulius Frontinus Constantini legem his
17 verbis: Si finalis controuersia fuerit, tum demum arbiter non negetur, cùm intra
quinque pedes locum, de quo agitur apud Præsidem, esse cōstiterit. Cùm de ma-
18 iore spatio causa quædā nō finalis, sed proprietatis est, apud Præsidem debet ter-
19 minari. Extat apud eundem Frontinum integra quædam Theodosij constitutio,
qua videtur Alciato, duobus modis sublata quinq; pedum præscriptio. primùm
illa præscriptio, hoc est, præfinitio; vt iam agrimensor in finali iurgio non semper
eius rationē obseruet, sed ab ipso termino mensuram ordiri possit: deinde & al-
tera præscriptio, hoc est, vsucapio quinque pedum, quam & olim sustulerant XII.
Tabulæ. Iustinianus[g] tamen dum eam Constitutionem in suum Codicē retulit, *g. L. quinque pe-*
ita retulit, vt tantùm agere videatur de hac quinque pedum præscriptione siue *dū. C. de fin. reg.*
20 vsucapione summouenda. Et sanè Theodosius ipse edidit & aliā, quę apud Fron-
tinum, quam in Iustiniani Codice, plenior extat, Constitutionem, qua veterem
illam loci finisq́; differentiam, & quinque illorum pedum, qui nō vsucaperentur,
præfinitionem non modò probare, sed & antea probâsse videtur. Eius verba sunt
hæc; De spatio quinq; pedum, qui veteri Iure præscripti sunt, sine obseruatione

D 4 temporis

temporis arbitros iussimus indicare. Quòd si loca in controuersiam veniant, 21
b L. vlt. C. Fin. reg.
solenniter cognosce. scribit autem ad Rufum Præf. Præt. b In Iustiniani Codice
est: Decernimus in finali quæstione, non longi temporis, sed triginta tantùm annorum præscriptionem locum habere. De vsucapionis tota ratione ex XII. Tabulis plura postea dicemus. Illud nunc saltem obtinemus; earum caput de non vsucapiendo spatio quinque pedum confirmatum esse à Theodosio post annos
octingentos & quadraginta. Tot enim numerari possunt ab editis XII. Tabulis 22
vsque ad illam Theodosij constitutionem. Interea quod de arbitris finiũ regun-
dorum, deque agrimensoribus statuendum esset, & tamen à Decemuiris præter- 23
missum videbatur, prudentes Romani addiderunt: quale est quod Papinianus
i L. in finalib. Fin. reg.
i ait; arbitros ad regundos fines datos obseruare debere antiqui census autoritatem, veteraque monumenta; sicuti & flumina, & montes, & fossas, & vias, & arbo-
res antemissas, & aquarum diuergia, & terminos dominorum, & alia id genus do- 24
cumenta finium, quæ extant apud Vrbicum. Sed & quo magis agrimẽsores, quo-
rum regebantur arbitrio fines, officium bona fide suum facerent, Prætor edixit; 25
Si mensorijs, qui de finibus contendunt, qui de empturi aut vendituri agrũ sunt, falsum modũ dolo malo renunciâsset; sese in eum, quanti ea res esset, actionem daturum. Extat hoc edictum lib. 11. Pandect.

IN IIII.

VIAE LATITVDO IN PORRECTVM OCTO PEDVM ESTO: IN ANFRACTVM, SEDECIM.

1. *Viæ latitudo in anfractum quæ? & num. 3. 4.*
2. *Itineris & actus latitudo quæ?*
5. *Inter actum & viam differentia quæ?*
6. *Actus iter an contineat?*
7. *Iter actumq; tantundem prope continent, quantum via.*
8. *De via priuata hîc agi.*
9. *De seruitutibus prædiorum quæ statuerint Decemviri.*
10. 11. *De aquaductu, & puteis, Leges Solonis quæ?*
12. *ἱππικὸν Soloni IIII. stadia.*
13. *Romani Solonis leges de aquaductu cur non receperint.*
14. *Ex flumine publico non nauigabili quatenus cuique aquam ducere Romæ licuerit?*
15. *De aqua pluuia XII. Tabulæ quid statuerint certo non constat.*
16. *Verba XII. Tabularum,* Si aqua pluuia nocet, *interpretati sunt veteres,* Si nocere poterit.



Ommemorat hoc caput XII. Tabularum Caius lib. 7. ad Edictũ Pro- 1
a L. 8. via latitudo. De ser. rust.
uinciale, a & in anfractum, interpretatur vbi flexum est, Latitudinem
itineris fuisse duorũ pedum; actus, quatuor, accepimus. sed Iure ta- 2
men Ciuili non videtur certus modus præscriptus definitúsue. Ia-
b L. 13. Certò. §. latitudo. illo tit.
uolenus, b Latitudo (inquit) actus itinerisque ea est, quæ demonstra-
ta est, quòd si nihil dictum est, hoc ab arbitro statuendum est. In via aliud iuris est. 3
nam si dicta latitudo nõ est, legitima debetur. Significat ergo & illud Iauolenus; aliam viæ latitudinem, quàm quæ Lege præscripta est, pactionibus conuentionibúsue constitui posse. quod & manifestè Paulus tradidit; c Via (inquit) constitui
c L. 23. via. illo tit.
vel latior octo pedibus, vel angustior potest: vt tamen eam latitudinem habeat, 4
qua vehiculum ire poterit: alioqui iter erit, non via. Hîc adijciendum præterea
d L. 13. si tam angusti. De seruit.
est, quod Pomponius d scriptum reliquit: si tam angusti loci demonstratione facta, via concessa fuerit, vt neque vehiculum, neque iumentum ea inire possit; iter magis quàm via, aut actus acquisitus videbitur. Sed si iumentũ per eam duci po-
terit, non etiam vehiculum, actus videbitur acquisitus. Quæret aliquis; quid in- 5
e L. 1. De ser. rust.
ter actum & viam intersit? cùm actus e definiatur esse ius agendi iumentum vel vehiculum, dicaturque etiam iter continere, hoc est, ius eundi sine iumento. Certè ius præterea trahendi lapidem vel plaustrum, rectamque hastam deferendi, via
f L. 7. qui sella. De ser. rust.
continet: f & iter quidem actumq; in se cõtinet ex ipsa etiã vi & proprietate ver-
bi; cùm actus iter non contineat, nisi ex verisimili paciscentium voluntate. agere 6
enim alioqui non significat ire. sed & si re ipsa via plus etiã aliquid continere dici possit, quàm iter actusq;: tamẽ quantulũcunq; illud est, minimi est momenti, sic-
vti nec magna eius habetur ratio. Certè si mihi stipulãti viã, promittas iter & actũ: 7
duobus verbis cõplexus videberis, quod ego vnico. Et cui debetur via, si acceptũ

ferat

ferat iter, & actum, intelligitur viam totam remisisse, eiusque debitorem planè li-
8 beràsse. g Porrò cùm de via hîc agitur; meminerimus agi de via priuata, quę serui- g L. & per iusiurandum. §. 1. De
tutis rusticæ species sit. Alioqui quantùm ad Iuris pertinet largam significatio- accept.
nem, via dicitur, siue semita, siue iter sit, vt docet Aelius Gallus. h De seruitutibus h L. 157. quantū
9 prædiorum an aliquid præterea statuerint XII. Tabulæ, dicere certò non possum. ad iuris. De verb.
quanquam de aquæ ductu aliquid statuisse videantur. Nam & Paulus scripsit; i Si sig.
per publicum locum riuus aquæ ductus priuato nocebit; fore actionem priuato i L. 5. Ne quid in
10 ex Lege XII. Tab. vt de noxa domino caueatur. Illud scio, multos in hoc genere loco vel itin. pub.
mores, leges etiā nonnullas in Attica regione fuisse, quibus Romani vti nec vo-
11 luerint, nec debuerint. Viderat Solon Atticam esse siticulosam, rarisq; fontibus,
cumq; intelligeret graue tamen fore alieni aqua interdicere, statuit, vt vbicunq;
puteus esset, eo omnes communiter vterentur intra quatuor stadiorū spatium,
12 quod ἱππικὸν (spacium equestris cursus) vocabat. Si qui longius abessent, iussit, fo-
diendo vt tentarent, an in suo fontem elicere possent. Si effossa decem palmarum
profunditate aquam non inuenissent: permittebat, ab alterius puteo, qui proxi-
13 mus esset, bis singulis diebus haurire sex hydrias. Romani vt ea lege opus non ha-
bebant, præsertim cùm tam multis publicis aquæductibus abundarent, sic eam
temere recipere ad interturbandam priuatarum possessionū libertatem noluê-
re: neque aliter, quàm cōstituta legitimis rationibus seruitute, ius alicui esse vo-
14 luêre ex alieno fonte vel puteo aquam ducere hauriréue. Ex flumine publico non
nauigabili vnicuique licuit aquam ducere, si modò ea in vsu publico non esset.
k Si publica esset, siue ad vsus publicos comparata, vt illa quæ ad communem ci- k L. 2. De flumin.
uium vsum in Vrbem ducebatur canalibus, fistulis, tubulis: nihil ex ea priuatim
ducere licuit sine Principis permissu. l Porrò priusquam de aqua & aquæ iure di- l L. 1. §. permit-
15 cere desinam, adijciam fuisse XII. Tab. caput quoddam de aqua pluuia: sed quale titur. De aqua
omnino illud fuerit, certò dicere non possum. Non enim extat integrum. Pom- quot. & æst.
ponius enim tantùm in libris ad Plautium, & Labeonē refert verba XII. Tab. hæc
16 fuisse; SI AQVA PLVVIA NOCET: eaq; veteres sic esse interpretatos;
Si nocere poterit. m Sed præterea, quid ea lex sibi vellet, non adijcit. Bene tamen m L. Labeo. De
habet, de aqua pluuia arcenda, iustum saltem extare tractatum lib. 39. Pand. Ac sta. lib.
si quis existimet, Iuriscōsultorum in eo genere scripta, fuisse quosdam veluti com-
mentarios ad hanc Legem XII. Tab. minimè equidem repugnabo.

IN V.

NE QVIS VNCIARIO FOENORE AMPLIVS EXERCETO.

1. *Continuatio capitis huius cum precedentibus.*
2. *Rerum permutatio mutuaq; communicatio maximè necessaria in Rep. est.*
3. *Numi signati permutationum difficultates sustulerunt; & num. 9.*
4. *Numum Seruius excudit & signauit.*
5. *Numo æreo, à Seruio signato, cōtenti fuêre Decēviri.*
6. *Numo argenteo Romani sub initiū belli Punici primum, & post aureo quoq; vsi sunt.*
7. *Monetales Romæ Triumviri.*
8. *Pecunia ærosa reijci potest.*
10. *Numum æreum quoque fœneris quæstum parere voluerunt Decemviri.*
11. *Ex Cornelio Tacito hoc caput descriptum.*
12. *Vnciarium fœnus, siue Vncia vsura quæ?*
13. *Vnciarius hæres qui?*
14. *Fœneratorū negociationes, à Iudæis, Græcis, Decemuiris, prohibitæ: & num. 17. 18.*
15. *Marij & Manlij rogatio de vnciario fœnore.*
16. *Ex Vnciario fœnore factum semunciarium.*
19. *Quadruplatores Asconij tempore qui?*
20. *Gabinia lex contra Fœneratores.*
21. *Prohibitio & repreßio fœnoris sensim dissoluta est.*
22. 23. *Vsuram ac Interesse iustè quis petere potest.*

1 Diuisis rerum dominijs, eorumq; certis finibus constitutis, necessaria
Lex est de contractibus, neque enim Resp. consistere vlla potest, nulla
2 hominum societas, sine rerum permutatione mutuaque communi-
catione. Res, quæ singulorum sunt, sine iustis commercijs rectè com-
municari non possunt. permutationum difficultates tollere, & commerciorum
3 æqualitatem tueri solus potest numus signatus. a De huius ergo ratione & vsu a L. 1. De contr.
4 primùm videndum est. Seruius rex numum iam cuderat signarátque. Leges empt.
etiam de commercijs (Dionysius vocat νόμους συναλλακτικοὺς) ediderat, quas & ex-
5 actis Regibus Populus Rom. retinuit. Numo æreo, quem Seruius signârat, con-
tenti fuêre Decemuiri, & ad commercia ineunda sufficere iudicârunt. Argenteo

numo primùm vti cœperũt Romani sub initium belli Punici, & aliquot pòst an 6
nis aureo. neque aliud præterea vllum vnquã metallum receperunt ad pecuniam
cudendã. habueruntq; eo nomine suos Triumuiros monetales, æris, argenti, auri 7
b L. cum creditor. De solut. flatores, vt inquit noster Pomponius. Quinimo legimus apud Scæuolam; b fuisse 8
reiectam, reijciq; posse, pecuniam ærosam, quæ scilicet plus admixti æris haberet
& minus auri vel argenti, quàm vt pro temporis illius ratione probæ materiæ vi-
deri posset. Decemuiri ærosam pecuniam non reiecissent, cùm non alium quàm
æreum numũ nossent. Porrò omnem siue numi, siue pecuniæ, siue monetæ vsum
esse intelligebant, vt aliarum rerũ preciũ esset, vt difficultatibus permutationum 9
subueniret, vt earum æqualitatem tueretur. Sed alioqui etiam tã sterilem & infœ-
cundum esse numum suum æreũ non edixêre, vt omnino nullum fœnoris quæ- 10
stum pátere posset; tametsi & pertenuem, & (vt tanto minor esset commerciorũ
difficultas) leuissimũ minimumq; esse voluerint. Cor. Taciti, ex quo nos hoc ca-
put XII. Tab. descripsimus, verba, lib. 5. Annal. sunt hæc: Sanè vetus Vrbi fœnebre 11
malum, & seditionum discordiarumq; creberrima causa; eoq; cohibebatur anti-
quis quoque & minus corruptis moribus. Nam primò XII. Tabulis sanctum; ne
quis vnciario fœnore amplius exerceret: quum antea ex libidine locupletũ agi-
taretur. deinde Rogatione Tribunitia ad semuncias redactum. postremò vetita
versura, multisque plebiscitis obuiam itum fraudibus, quæ toties repressæ miras
per artes rursum oriebantur. Hæc ille. Priusquam autem rem hanc latius explice-
mus, admonendi sumus; vnciarium hîc fœnus appellari, sicuti Scæuola vnciam 12
c L. 47. Titiũ. §. Præfectus. De adm. tut. vsuram vocat; c nempe quæ duodecima pars est Centesimæ, & huius veluti assis
vncia vna. Vlpianus vnciarũ hæredem quendam appellat, qui ex vna tantùm vn-
cia hæres est. Ergo vnciarium fœnus, nõ nisi centesimo demũ anno sortem æqua- 13
bat. Sic enim Decemuiri fœneratorũ negotiationem, quam omnino tollere vix 14
poterãt, valde represserunt; sicuti & in Græcia audiebant valde à sapientibus ho-
minibus improbari, & inter Iudæos antiquissima lege lata penitus prohiberi. Cer-
tè quod scripsit Aristoteles aduersus hãc, vt appellat, ὀβολοστατικὴν (artem quam nu-
mularij quæstum ex fœnore sibi parant,) cum veterum sapientum iudicio cõsen-
tire, non obscurè significat. Neq; ignorabant Decemuiri, quod ab Cicerone po-
stea scriptũ est; non modò improbari quæstum fœneratorũ, sed etiam in odium
hominũ incurrere. Operam itaq; dederunt, tã exiguus vt esset, vt nullius vt esse vide-
retur. Sed difficile fuit, vt hic modus semper seruaretur, efficere. Nonaginta post
XII. Tabulas annis, Consules Marius & Manlius Rogationem pertulerunt de vn- 15
ciario (vt ait Liuius) fœnore. quam idem autor scribit cupidè sciuisse accepisseq;
Plebem, Patribus ægerrimè ferentibus. Hoc Plebiscitum confirmandæ ipsius le-
gis XII. Tabularũ, quæ tum fortasse obsolescebat, atque in vsum reuocandæ cau-
sa, perlatum fuisse videtur. Sed neq; id Populo, quem fœneratorũ auaritia semel
irritauerat, fuit satis. Itaq; decennio pòst, nempe consulibus Manlio Torquato & 16
C. Plautio, dicitur semunciarium ex vnciario fœnus factũ esse. Tandem etiam L.
Genutium Tribunum plebis, tulisse ad Populum; ne fœnerare liceret; à quibus-
dã scriptũ esse, testis est Liuius. Addit & plus aliquid M. Cato. Nam in libris de Re 17
rustica, Maiores (inquit) nostri sic habuêre, & ita in Legibus posuêre, vt quũ fures
quidem dupli pœnã luerẽt, fœneratores in quadruplum cõdemnarentur. Quan- 18
quam id ad Decemuiros nostros vel ad Legem XII. Tabularum referri non pos-
sit; nisi si fortè quadruplo eum punierint, qui maius vnciario fœnus exerceret. si-
cuti Asconius suo tempore vocatos fuisse quadruplatores ait, qui grauioribus v- 19
suris fœnerantes accusabant, & pœna lege constituta, in quadruplum damnari
curabant. Sanè lex Gabinia non modò supra eum, quem statuerat modum vsuras 20
etiam promissas peti non patiebatur; sed & qui eas stipulatus esset, ipsa quoque
sorte mulctabat. quod tamen posteritati nimis acerbũ esse, visum est: sicuti & ve-
tus non modò prohibitio, sed & repressio fœnoris sensim dissoluta laxataque est. 21
Certè Paulus noster respondit, ipsos etiam Præsidis prouinciæ officiales, qui per-
petui sunt, non modò pecuniam mutuam dare posse, sed & fœnebrem exercere.
d L. Præsidis. Si cer. peta. cond. d Ad vsuras quod attinet, quas creditor exigit cùm sua interest, vel sine eius 22
consensu debitor pecunia est vsus; quo iustior est earum petitio, tanto minus

credendum

credendum est, non passos esse Decemuiros maiores vnciarijs aliquando exigi. Meminit Scæuola cuiusdã testatoris, qui tutoribus, quos filijs testamento dabat, permisit, pecunia pupillari vti, si vncias vsuras inferrent. Sed quis hoc alioqui tutoribus tribuendum esse iudicabit, si testator pater singulari quadam liberalitate non tribuisset? Certè æquius tũc esset, centesimas eum vsuras, quàm vnciarias inferre. quanquam nescire nos fatẽdum est, quis vsurarum modus Decemuiris pla-
23 cuerit. neque valde id nos angere debet: cùm de iusto legitimarũ vsurarũ modo extet iustissima Iustiniani[a] cõstitutio, quæ tem hanc totã prudentissimè definijt. *a L. eos C. de vsur.*

IN VI.

SODALIBVS QVI EIVSDEM COLLEGII SVNT, &c.

1. 2. Sodalitia, & Sodalium pactiones, Decemuiri non penitus sustulerunt; & num. 11. 15.
3. συσσίτια Cretensia, & Sacerdotes apud Athenienses Orgiorum, repudiârunt Romani.
4. 6. 7. 9. Cœtus illiciti, sub specie soluendi voti sunt prohibiti.
5. Sodalitates rei diuinæ caussa constituta Ciceronis temporibus.
8. De Sodalitijs coërcendis Lex Licinia.
10. Sodalitij illiciti crimen coercetur vt vis armata.
12. Alexander Seuerus omnium artium Sodalitia instituit.
13. Sodalitia, collegia, corpora, militiæ, ὁμιλίαι, artificum, idem significant.
14. Nicomediæ incendium caussa visum fuit Plinio instituendi collegij Fabrorum.
16. Sodalibus siue collegis omnia sunt communia.
17. 18. 19. Lex XII. Tabularum Negociatorum propriè collegia & pactiones probabat.
20. 21. Negociatorum conspirationes, & artificum improbæ pactiones rescindendæ.
22. 23. Lex Iulia, & Zenonis Constitutio, contra exercentes monopolia.
24. Pœna cuius monopolij exilium, & publicatio bonorum.
25. Magistratus quoque si cõniueant ad monopolia grauiter multandi.
26. 27. Monopolia ne Tyranni quidem tolerârunt.
28. 29. Monopolia Temporibus Zenonis ipsi Cæsares exercebant.

1 VT fœneratorum tabernas nõ omnino disiecerunt dissiparúntve Decemuiri, quanuis arctissimo fræno cohibuerunt; sic & de necessarijs corporibus collegijsve negotiatorum, alijsq; eius generis sodalitatibus, & earum conuentionibus atque pactionibus prudentissimè iudicârunt, hac quoque in re secuti Legem Solonis. Decemuirorum verba cùm nõ extent, eorum sententiam verbis Caij nostri rectè proponere posse me existima-
2 ui. Is ad Legem duodecim Tabularum scribens, Sodalibus (inquit) qui eiusdem collegij sunt, potestatem facit Lex, pactionẽ, quam velint, sibi fore: dum ne quid ex publica lege corrumpant. Sed hæc Lex videtur ex Lege Solonis translata esse. Nam & illic ita est,

ΕΑΝ Ο ΔΗΜΟΣ Η ΦΡΑΤΟΡΕΣ, Η ΙΕΡΕΙΣ ΟΡΓΙΩΝ, Η ΝΑΥΤΑΙ, Η ΣΥΣΣΙΤΟΙ, Η ΟΜΟΤΑΦΟΙ, Η ΘΙΑΣΩΤΑΙ, Η ΕΠΙ ΛΕΙΑΝ ΟΙΧΟΜΕΝΟΙ, Η ΕΙΣ ΕΜΠΟΡΙΑΝ, Η ΟΤΙΟΥΝ ΤΟΥΤΩΝ, ΔΙΑΘΩΝΤΑΙ ΠΡΟΣ ΑΛΛΗΛΟΥΣ, ΚΥΡΙΟΝ ΕΙΝΑΙ, ΕΑΝ ΜΗ ΑΠΑΓΟΡΕΥΣΗ ΤΑ ΔΗΜΟΣΙΑ ΓΡΑΜΜΑΤΑ.

Initio, priusquam dicamus de sodalium pactionibus, admonendi sumus;
3 Romanis non omnia Græcorum placuisse sodalitia. Vt enim illa *συσσίτια* (conniuia publica) Cretensia, turpitudinis plena, execrati olim sunt omnes populi rectè instituti; sic quædam religiosa scilicet illa eorum sodalitia, qui in Lege Solonis dicuntur *ἱερεῖς ὀργίων ἢ θιασῶται* (Orgiorum siue Bacchanaliorum sacerdotes, qui sacrificiorum & cultus deorum prætextu quotannis coibant, vinoque & epulis indulgebant.) Decemuiri repudiârunt. Fatetur quidem Martianus,[a] nõ esse prohibitũ religionis causa coire: sed addit hanc exceptionem; Dum tamen per hoc non fiat contra Senatusconsultum, quo illicita collegia coërcentur: sicuti & Vl-
4 pianus ait;[b] sub prætextu religionis, vel sub specie soluendi voti, cœtus illicitos nec à veteranis tentari oportere. Neque tamen dissimulo, Romæ quoque fuisse sodales, qui rei diuinæ causa coibant; quales & Augustus ipse instituit, &
5 ante Augustum Cato maior recepit. nam & is apud Ciceronem, Sodalitates (inquit)

a L. 1. §. 1. De colleg. & corp.
b L. 2. De extr. ord. crimin.

(inquit) me Quæstore constitutæ sunt, sacris Idæis Magnæ Matris acceptis. epula-
bar igitur cum sodalibus omnino modicè, &c. Sed has tamen religiosas vel con- 6
uiuales potius φρατρίας (sodalitates) quæ in turpes atque immodicas comessatio-
nes, siue etiam Bacchanalia degenerârunt, damnare postea coacti Romani sunt.
Certè apud Gellium lib. 20. capite tertio, laudatur Taurus philosophus, volens 7
adolescentem quendam ab eiusmodi sodalitatibus & conuictu scenicorum ho-
minum abducere. Quid multis? In vniuersum & curæ & cordi Romanis veteri-
bus semper fuit, ne qua, aut turpia, aut illicita, aut Reipub. perniciosa sodalitia
coirent. Nam ex oratione Ciceronis pro Plancio manifestum est; latam esse Le-
gem Liciniam de Sodalitijs coërcendis. Quid multis moror? Martianus,c noster 8
ait, In summa, videri contra Senatusconsulta, & Mandata, & Constitutiones ce- 9
lebrari collegium, nisi ex Senatusconsulti autoritate vel Cæsaris, collegium, vel
quodcunque tale corpus, coierit. Addit autem Vlpianus; quisquis illicitum col-
legium vsurpauerit, ea pœna teneri, qua tenentur hi, qui hominibus armatis loca 10
publica vel templa occupâsse iudicati sunt. Crimen itaque illiciti sodalitij coër-
cetur vt vis armata: cuius pœnā fuisse aquæ & ignis interdictionem manifestum
est.d Cæterùm honesta & Reipub. vtilia collegia, corporaq; siue sodalitia, confir- 11
mata sunt non modò Lege XII. Tabularum, sed & posterioribus Romanorum
iudicijs. Lampridius scribit Alexandrum Seuerum corpora omnium artium in-
stituisse. Callistratus noster,e qui eo tempore vixit, addit; quibusdam etiam col- 12
legijs & corporibus, quibus est ius coëundi lege permissum, immunitatem tri-
bui: scilicet ijs collegijs vel corporibus, in quibus artificij sui causa vnusquisque
assumitur: vt fabrorum corpus est, & si qua eandem rationem originis habent.
hæcque idcirco instituta esse ait, vt necessariam operam publicis vtilitatibus ex-
hiberent. Sed & si quis hæc siue sodalitia, siue collegia, siue corpora, militias quo- 13
que dici velit, quarum est tam frequens in libris Iuris Ciuilis mentio, non erit dif-
ficile, multis id testimonijs veterum etiam inscriptionum comprobare, sicuti &
ἑταιρίας dici ipse Caius noster monet.f Et paulò ante Caij tempora, cùm Nicome-
diæ vastissimum Incendium fuisset, neque vllum ad incendia compescenda in- 14
strumentum esset: consuluit Traianum Plinius, his verbis: Tu Domine dispice,
an instituendum putes collegium Fabrorum, duntaxat hominum CL. Ego at-
tendam, ne quis nisi faber recipiatur, néve iure concesso in aliud vtatur: nec erit
difficile custodire tā paucos. Traianus verò in hæc verba rescripsit: Tibi quidem
secundum exempla complurium in mentem venit, posse collegium Fabrorum
apud Nicomedienses institui. Sed meminerimus, prouinciam istam, & præcipuè
eas ciuitates, ab eiusmodi factionibus esse vexatas. Quodcunque nomen ex qua-
cunque causa dederimus ijs qui in diem contracti fuerint: ἑταιρίαι (societates siue
sodalitates) graues fient, &c. Sed vt ad XII. Tab. propius accedamus, initio adij-
ciendum est, quod earum optimus interpres Caius,g scriptū reliquit in hæc verba:
Neq; societatem, neq; collegiū, neq; huiusmodi corpus, passim omnibus habere
cōceditur. Nā & Legibus & Senatusconsultis & Principalibus cōstitutionibus ea 15
res coërcetur. Paucis admodum in causis concessa sunt huiusmodi corpora: vt
ecce, vectigalium publicorum socijs permissum est corpus habere, vel aurifodi-
narum, vel argentifodinarum, & salinarum. Item collegia Romæ certa sunt, quo-
rum corpus senatusconsultis atque constitutionibus principalibus confirma-
tum est, veluti pistorū, & quorundam aliorum, & naui cularioru, qui & in pro-
uincijs sunt. Quibus autem permissum est corpus habere collegij, societatis siue 16
cuiuscunque alterius nomine, eorum proprium est, ad exemplum Reip. habere
res communes, arcam communem, & Actorem siue Syndicum: per quem, tan-
quam in Rep. quod communiter agi fierique oporteat, agatur & fiat. Hæc Caius.
Possem hîc ex moribus hodie nostris, & Vniuersitates collegiaque Professorum,
& gymnasia scholasticorum commemorare; quibus Leges proprias sibi consti-
tuere permissum est. Sed Lex XII. Tab. propriè egisse tantùm videtur de nego- 17
tiatoribus, qui coëunt ad coëmenda pecora, vel ad aliam communem negotia-
tionem exercendam, hoc est quod in Lege Solonis legimus, οἱ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι, ἢ εἰς 18
ἐμπορίαν. Iis liberum esse, quas volent inter se conuentiones inire, si legitimæ sint:
honestaq;

c L. 3. De colleg. & corp.

d L. qui dolo. De vi & vi arm.

e L. penul. §. quibusdam. De iure immunit.

f L. vlt. De colleg. & corp.

g L. 1. Quod cuiusque vniu. nomi.

honestasque eorum & publicè etiam vtiles pactiones ratas esse debere, pruden-
tissimè iudicârunt Decemuiri. Nam quæ tandem alioqui Resp. consistere poterit,
19 sine horum veluti minorum corporum subsidio? Hæc verò negotiatorum siue
corpora siue sodalitia, nisi suis proprijs Legibus tanquam neruis contineantur,
diuturna esse non possunt; multò verò minus, si ipsi se sodales inuicem fallere
possint, si eorum nihili sint inter sese initæ pactiones. Quid enim hoc aliud est,
quàm corpus ipsum non dissoluere modò, sed & discerpere atque dilacerare? Ce-
terùm quàm interest Reip. legitimas honestorum collegiorum pactiones ratas
20 esse, vt magis conseruentur commercia; sic & eadem planè ratione improbas ne-
gotiatorum conspirationes rescindi atque dissipari necesse est. Itaque & de illis
tuendis, & de his tollendis soliciti fuêre Decemuiri, vt esse debuerunt. quos qui-
21 dem plusquam nongentis pòst annis Zeno Imperator secutus videtur: cuius ex-
22 tat lib. 4. Cod. saluberrima constitutio de monopolijs, & conuentu negotiato-
rum illicito, vel artificum prohibitis pactionibus. Ac lege quidem Iulia de anno-
na puniri eum, qui societatē coierit, quo annona carior fieret, ait Vlpianus:[b] Sed b L.2. Ad leg. Iul.
23 Zenonis constitutio latius patet. Ea autem seuerissimè vetat, ne quienimscunq; de anno.
rei monopolium audeant exercere, aut illicitis conuentionibus coniurare vel
pacisci, vt species diuersorum corporum negotiationis, non minoris quàm inter
se statuerint, vænundentur. Item, ne artifices vel opifices pacta inter se compo-
24 nant, vt ne quis eorum, quod alteri commissum sit, opus impleat. Pœnam autem
monopolij initi esse vult perpetuum exilium, bonorumque publicationem. Sed
25 & grauissimam mulctam comminatur Magistratibus, si aut prohibita mono-
polia, aut illicitas horum corporum pactiones mollius puniant. Præclarè ille
sanè ac prudenter. Quæ enim maior in Republica tyrannis esse potest, vel pestis
potius, quàm Interturbatis cõmercijs, rerum necessariarum ad vitam tuendam
vsum pendêre à paucorum hominum arbitrio & auaritia? Aristoteles lib. 1. Poli-
tic. astutè fortasse, monet, μονοπωλίαν (sic enim vocat) & vberrimũ & paratissimum
esse quæstum; sed ne abs Tyrannis quidem in suis regnis tolerari significat. Nar-
26 rat, quendam Syracusis fuisse, qui solus emerit, quicquid in Sicilia ferri erat: sic vt
27 ab eo vno redimere cogerentur, qui ferro opus haberent. Quanuis autem is tan-
tum precij non exigeret, quantum fortasse potuisset; Dionysius tamen, vt perni-
ciosum ciuem Syracusis expulit. Porrò addit eodem loco Aristoteles, quasdam
honestas ciuitates, quæ pecunia opus habebant, hac aliquãdo ratione, Reip. no-
mine, magnum quæstum fecisse. μονοπωλίαν (Inquit) τὴν ὠνίων πώλησιν (sibi venditio-
28 nem rerum venalium reseruant.) Et sanè tempore ipsius quoque Zenonis Cæsa-
res Cõstantinopolitani, non modò monopolia ipsi exercebant, sed etiam neces-
sariam quandam rerum ad victum pertinentium, quas soli vendebant, emptio-
29 nem omnibus indicebant imperabantque. Extat lib. 10. Cod. Anastasij, qui Ze-
noni successit, constitutio; Vt nemini liceat in emptione specierum se excusare.

IN VII.

QVVM NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE, VTI NVNCVPASSET, ITA IVS ESTO.

1. *Iuris Gentium contractus Decemuiri expolièrunt.*
2. *Fidem fallere prohibuerunt Decemuiri.*
3. *Hoc VII. caput vnde descriptum?*
4. *Iurisconsulti XII. Tabulas partim mollièrunt, partim astrinxerunt, & num. 5. 6.*
7. 10. 11. 13. 16. 26. *Venditor si dicat; Seruum vel aleatorem vel furem non esse, oportet eum id præstare; secus si ciuiliter tantum laudet. & num. 8. 12. 15.*
14. *Venditor si qua temere forte dixerit, non statim ea sunt ad viuum resecanda.*
17. *Ex XII. Tabulis ea quæ lingua essent nuncupata à venditore præstabantur; postea I. C. & reticentiæ pœnã constituerunt. & nu. 20. 21. 22. 25. 28. 29.*
18. *Antipater philosophus, Venditorem vita rei venalis narrare stultum esse censuit.*
19. *Reticentia venditoru est pestis commerciorum.*
23. 24. *Aediles XII. Tabulas, Prudentes Aediles interpretantur.*
27. *Artis cuiusque professor tacitè polliceri intelligitur idoneas res venales.*
30. *In bonæ fidei cõtractibus Prætor quicquid æquum esset, præstari voluit.*
31. *In strictis iuris obligationibus magis obseruata est Lex XII. Tabularum. & num. 32.*
33. *Dolum malũ XII. Tabulæ nõ satis coercuerunt. (lit.*
34. 35. *Gallus Aquilius de dolo malo primus formulã pu-*
36. *De iureiurando caput XII. Tabularũ non extare.*
37. *De iureiurãdo Lex antiquissima apud Rom. quæ?*


Oc quoque caput ad commerciorum rationem, negotiationeſque
pertinet. Neq; verò dubium eſt, quin Decemuiri, Iuris gentium cō-
tractus, quibus nulla hominum ſocietas, ciuitas nulla, carere poteſt, 1
non receperint modò, comprobârintq;, ſed & expolierint, eorumq;
vſum & vim patefecerint. Certè minimè voluiſſe quem fidem datam 2
fallere; & cùm emptoribus, tum etiam venditoribus, ne vana pollicitatione cir-
cunuenirentur, conſuluiſſe, ex hoc capite manifeſtū eſt. Eſt autem id deſcriptum 3
ex Feſto. & Cicero in Officiorum libris ſcribit, XII. Tabulis cautum fuiſſe; ſaltem
vt ea omnino præſtarentur, quæ eſſent lingua nuncupata. Cuius quidem Legis
interpretes habemus optimos, noſtros Iuriſconſultos; qui eam partim molliē 4
runt laxaruntque, partim eam aſtrinxerunt, vt ex rerum longo vſu intelligebant,
a L. 9. ſciendum. De ædil. ed.
æquum eſſe atque neceſſarium. Vlpianus, a Sciendum eſt (inquit) venditorē quę- 5
dam etſi dixit, præſtare non debere: ſcilicet ea, quæ ad nudam laudem ſerui per-
tinent: veluti ſi dixerit; frugi, probum, dicto audientem. Multum enim intereſt; 6
commendandi ſerui cauſa quid dixit; an verò præſtaturum ſe promiſit, quod di-
xit. Planè ſi dixerit; aleatorem non eſſe, furem non eſſe: oportet eum id præſtare. 7
b L. quod venditor. De dolo malo.
Idem Vlpianus b reſpondit, quod venditor, vt commendet dicit, ſic habendum 8
c L. Iulianus. §. quod autem. De act. empt.
eſſe, quaſi neque dictum, neque promiſſum ſit. Si verò decipiendi emptoris cau-
ſa dictum eſt: de dolo actionem dari. Idem ait, c eum, qui aſſeuerauit bonæ frugi 9
& fidum eſſe ſeruum, vt carè venderet: ex empto teneri, etiam ſi ignorauerit. Ad 10
d L. Iul. in ne §. ſi venditor.
dit autem: d Si venditor dolo fecit, vt pluris venderet (vt puta de artificio menti- 11
tus, aut de peculio) empti eum iudicio teneri, vt præſtet emptori, quanto pluris
ſeruum emiſſet, ſi ita peculiatus eſſet, aut eo artificio inſtructus. Poſtremò & huc 12
e L. ea quæ. De cont. empt.
pertinet quod Florentinus, e ait; ea quæ cōmendandi cauſa in venditionibus di-
cuntur: ſi palam eſſe appareant, venditorem non obligare, veluti ſi dicat ſeruum 13
ſpecioſum. At ſi dixerit; hominem literatum vel artificem, præſtare debere: nam
hoc ipſo pluris vendidiſſe. Ex hiſce reſpōſis colligimus, prudenter intellexiſſe no-
ſtros Iuriſconſultos; non eſſe ſtatim omnia ad viuum reſecanda, ſi quid leuiter 14
aut temerè fortè dixerit venditor. Nā ſi neq; dolo, neq; decipiendi emptoris cau 15
ſa fecit, neque seriò aſſeuerauit: ſed magis, vt fit, de more ſolùm rem commendā-
rit, verbiſq; ciuiliter ornârit, vt laudare ſolet vænales, qui vult extrudere merces,
inquit Flaccus: nō eſt ſtatim cogendus, idipſum omnino præſtare. alioqui enim
magna eſſet venditorum captio, & cōmercia vix conſiſterent, neq; veriſimile eſt,
emptorem tam fuiſſe ſtultum ac credulum, rerumque imperitum, vt illa ina-
ni venditoris futilitate captus ſit. Talem ergo venditorum ludicram garruli-
tatem non referemus inter ea quæ lingua nuncupata ſunt, vt præſtari debeant.
Cæterùm vbi dolo malo aliquid nimis aſtutè fit, ad emptorem circunueniendū: 16
aut ſi ſeria aſſeueratio eſt promiſſioq; ad eum permouendum: & talis commen-
datio, vt eius cauſa maius precium detur: non eſt in emptoris fraudem vendito-
ri indulgendum, ſed quod ita dictum eſt, omnino præſtari debet. nam infœliciū
alioqui emptorum quàm grauis eſſet captio? Porrò ait Cicero; ex XII. Tabulis 17
nō niſi ea præſtari debuiſſe, quæ eſſent lingua nuncupata: poſtea verò à Iuriſcon-
ſultis reticentiæ pœnam eſſe conſtitutam. Opinor Decemuiros non exiſtimâſſe
tam improbos fore venditores, vt vitia rerum vænaliū dolo malo reticerent, pro-
ptereaq; de ijs nō eſſe locutos. Quis enim credat patrocinari voluiſſe malæ fidei,
& doloſam diſſimulationē, ſi de ea cogitâſſent, adiuuare? Et quanquam vnus ali- 18
quando inuentus ſit philoſophus Antipater, contendens; eum, qui ædes vendit
propter vitia, nō teneri ea dicere: ſtultumq; eſſe, venditorem, eius rei, quā vendit,
vitia narrare, aut id præſtare, quod dictū non eſt: hanc tamen philoſophiam pla-
cuiſſe Decemuiris vix mihi perſuaſerim. Certè poſterioribus Romanis minimè 19
placuit, quam & commerciorum peſtem, & omnis generis fraudum ſeminarium 20
eſſe videbant. Itaq; (inquit Cicero) de iure prædiorum ſanctum eſt iure Ciuili, vt
In ijs vendēdis vitia dicerētur, quę nota eſſent venditori, & quicquid eſſet in prę-
dio vitij, ſi venditor ſciret, niſi nominatim dictū eſſet, præſtari oportere. Ac Aedi-
litio quidem edicto, quod & in Pandectis extat, & nos aliquādo ſcholijs illuſtra- 21
uimus, cautum propriè id fuiſſe videtur. Cùm enim venditorum fraudes nō ſatis

reprimere;

reprimere,& cirennuentis emptoribus parum opitulari duodecim Tabulę vide-
22 rentur: edictum AEdiles proposuêre, vt magis occurreretur fallacijs vendētium,
& emptoribus, quicunque decepti à venditoribus fuerint, succurreretur, vt ait
Vlpianus.[f] Quod tamen is ait; sciendum esse, venditorem, etiamsi ignorauit ea, f.L.1.§.causa. De
quæ AEdiles præstari iubent, tamen teneri debere: sciendum est, id ex interpre- Aedil.edict.
23 tatione Prudentum magis descendere, quàm ex Edicto Aedilitio. Sic itaque cùm
Decemuiri expressim non castigarent coërceréntve venditorē, vitia etiam si for-
tè sciret, reticentem; AEdiles, vt eo nomine omnino teneretur, edixerunt. Cùm
24 autem hi de venditore sciente tantùm loquerentur; Iurisconsulti addiderūt; et-
iam ignorantem teneri debere: quanquam nō eodem planè modo. Nam Vlpia-
nus ait;[g] eum qui pecus morbosum aut tignū vitiosum vendidit, siquidē igno- g.L. Iulianus De
rans fecit, id tantùm actione ex empto præstare, quanto minoris erat vēditurus, act.emp.
si id ita scisset emptor. si verò sciens reticuit, & emptorem decepit; omnia detri-
25 menta, quæ ex ea emptione emptor contraxit, præstare. Addit deinde; etsi igno-
rauerit, si tamen adfirmauit idoneum esse, teneri quoque quanti emptoris inter-
26 est, non enim debuisse facilè quæ ignorabat, adseuerare. & vt ille qui scit, præmo-
nere debuit emptorē; sic qui ignorauit, non debuisse facilem esse ad temerariam
indicationem. Adeò quæ lingua nuncupata sunt, præstari debere, Prudentes iu-
dicârunt. Neque verò illud prætereundum est; etsi venditor neque scierit vitio-
sum esse tignum aut vas, neque expressim adfirmârit integrum esse: si tamen aut
27 faber erat tignarius, aut negotiator vascularius: quia ex artis professione intelli-
gitur tacitè polliceri idonea esse quæ vendit, & vitia ignorâsse non videtur: præ-
stare quoque debere, quanti emptoris intererit.[h] Postremò & illud sciendū est, h.L.sed addes.§.
quod Martianus ait;[i] debere venditorem præstare dolū malum à se abesse, eum- 1.Locati.L.tene-
28 que non modò in eo esse, si aliquid fallendi causa obscurè loquatur; sed etiam si tur.§.si vas. De
insidiosè obscureque dissimulet. Si venditor sciens vitium, consultò reticet dis- act.empti.
simulatque, & tamen quasi aut ignarus esset aut incertus, paciscitur, cauetque vt i.L.eaque.§.vlt.
si quid fortè vitij subesset, id non præstet; non proderit ei tam astuta cautio[k]. Il- De contrah.em-
lud porrò sciendum est, quod hîc prætermitti non debet; generaliter non obser- pti.
29 uâsse Romanos in contractibus bonæ fidei, vt vocantur, quod XII. Tabulæ sta- k.L.quæritur.§.
tuebant, ea tantùm præstari, quæ lingua nuncupata essent. Cùm enim ex eius si venditor. De
generis obligationibus actionem iudiciumque daret Prætor, addebat illud; Aedi.edic.L.quæ-
QVOD EX FIDE BONA PRÆSTARI OPORTET: ro.L.tenetur.§.
vt iudex condemnaret, iuberetque non modò ea præstari quę lingua nuncupata vlt.de act.empt.
30 essent; sed & quicquid alterum alteri præstare æquum esset, & bonæ fidei conue-
niens. Sic (inquit Paulus[l]) tantundem in bonæ fidei iudicijs officium iudicis va- l.L. quia tātund.
let, quantum in stipulatione nominatim eius rei facta interrogatio. Cæterum in Negoc.gest.
31 obligationibus stricti iuris, magis obseruata est Lex XII. Tab. nempe, vt ea tan-
tùm deberentur, de quibus expressim conuenisset: & iudex à verbis conuentio-
nis non recederet, vtpote stricta formula à Prætore conclusus, vt reum non con-
32 demnaret, nisi de eo quod nominatim cōuenerat. hucq; pertinet, quod respon-
sum est; Quicquid[m] astringendæ obligationis causa est, id, nisi palàm verbis ex-
primatur, omissum intelligi. Sed hac de re latius differemus proximo libro, quo m. L. quicquid.
33 de Prætorijs iudicijs bonæ fidei, & stricti iuris agemus. Illud hoc loco diligenter astringendæ. §§.
considerandum est; sic XII. Tabulas scriptas fuisse, vt in vniuersum nō satis coër- De ver.obl.
cere viderentur dolum malum; nam eum demum in tutela hac Lege vindicatum
34 fuisse ait Cicero: sine Lege verò, in Iudicijs tātùm, in quibus EX FIDE BONA,
addebatur: ac primum quidem Gallum Aquilium de dolo malo formulas protu-
lisse, secundum quas deinde Prætores edixerunt, sese de dolo iudicium daturos.
Cicero lib.3.de Nat.Deor. hoc fuisse ait, euerriculū malitiarum omnium: sed ve-
tustis antea temporibus defuisse nō obscurè significat. Nam & li.3.Offic. de Can-
nio emptore, quem dolo malo deceperat Pythius, callidus venditor, inani & ad
fallendum cōposita ostentatione fœcundæ piscationis, Stomachabatur (inquit)
35 Cannius: sed quid faceret? Nondum enim Aquilius collega & familiaris meus
protulerat de dolo malo formulas. Sed hanc rem pluribus explicauimus in Gallo
Aquilio: & Iudicium de dolo, in Prætoribus. Illud postremò dissimulare nō pos-

sum, valde esse dolendum, nõ extare caput XII. Tabularum de Iureiurando. Fuis- 36
se enim aliquod, quod huc pertineret, Cicero lib. 3. Offic. non obscurè significat, Nullum (inquit) vinculum ad astringendam fidem iureiurando Maiores arctius esse voluerunt. Id indicant Leges in XII. Tabulis: indicant Leges Sacratæ: indicant notationes animaduersionesque Censorum, qui nulla de re diligentius, quàm de
iureiurando iudicabant. At nulla Romana de iureiurando nunc antiquior lex 37
extat, quàm illa à Cicerone in libris de Legibus proposita: Periurij pœna diuina, exitium: humana, dedecus. Sed de iureiurando alibi copiosè disseremus. Nunc cùm dictum sit quid venditorem emptori præstare debere iudicârint Decemuiri, qui fidem promissionemque suam impunè aliquem fallere passi nõ sunt; videamus è diuerso; an emptorem passi sint nõ præstare promissum, vel ludificari venditorem, qui ea in re eius esset fortasse fidem secutus.

IN VIII.

VENDITAE ET TRADITAE RES NON ALITER EMPTORI ACQVIRVNTOR, QVAM SI IS VENDITORI PRECIVM SOLVERIT, VEL ALIO MODO SATISFECERIT.

1. *Hoc caput vnde descriptum?*
2.4. *Res à me vendita non desinunt esse mea, nisi mihi satisfiat.*
3. *Traditio domini volentis alienare transfert rei dominium.*
5. *Contrahentes decipi non debent.*
6. *Venditor emptori si fidem habeat, traditæ rei dominium transfertur.*
7. *Permutatio Emtioni simillima est.*
8. *Permutatio cur nullam nec obligationem nec actionem tribuere intelligatur, nisi causa subsit?*
9. *Permutationis & venditionis differentia quæ?*
10. *Tam traditione quàm stipulatione pactum sumit effectum.*
11. *Abalienationis species duæ tantum erant Romanis olim; per nexum, & in iure cessionem.*
12. 13. *Traditionibus & vsucapionibus dominia rerum transferuntur.*

a. §. vendita. De rer. diuis.

IVstinianus lib. 2. suorum institut. [a] id caueri lege XII. Tabularum non 1
minus quàm iure Gentiũ, testis est. Alium, qui huiusce capitis nominatim meminerit, arbitror esse neminem; quanquã rem eandem abs Iurisconsultis frequẽter repetitam esse meminerim. Vlpianus; [b] Res

b. L. procuratoris. §. sed si dedi. De trib. act.

c L. quod vendidi. De cõtrah. empt.

venditæ (inquit) non aliàs desinent esse meæ, quamuis vendidero, nisi ære soluto, 2
vel fideiussore dato, vel aliàs satisfacto. Sic & Pomponius; [c] Quod vendidi & tradidi, non aliter fit accipientis, quàm si aut precium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum, vel etiam fidem habuerimus emptori sine vlla satisdatione.

Intelligebant Decemuiri traditionibus transferri rerum dominia iure Na-
turali: sed intelligebant etiam, traditionem esse debere domini alienare volen- 3
tis. Ac venditor quidem rem tradens alienare vult, & in emptorem transferre: sed
ita demum, si sibi factum fuerit satis. Eius itaque traditio hanc tacitam habet 4
conditionem, ut emptor prius quàm paruerit, rei dominus non fiet. Quid mul-
tis? Cogitabant Decemuiri, quod postea Vlpianus [d] dixit; Contrahentes decipi 5
non debere. Si de precio fidem emptori venditor habeat: statim transferri ven- 6
ditæ traditæque rei dominium, dubium non est. Sed fidem emptoris tam valde secutus non intelligetur, nisi si liberalis huius fiduciæ atque voluntatis iusta magnaq; sit coniectura: veluti, si nominatim emptori indulgeat atq; largiatur certum solutionis diem. Si legem aut pactionem commissoriam addiderit, pura est venditio, fitque statim dominus emptor. Sed si eius pactionis conditio extiterit:
planè resoluitur venditio, perinde atque si nulla inita vnquã esset. Quod ad per- 7
mutationem attinet: esse quidem ea & haberi solet emptioni simillima. quia ta- 8
men inter innominatas conuentiones refertur, ideoque nullã habere obligationem, actionem nullam tribuere intelligatur: nisi causa subsit, reique traditæ do-
minium in alterum sit translatum: [e] non intelligetur eadem esse mens domini ex 9
causa permutationis, quæ ex emptionis causa tradentis. Permutans qui tradit, dominium transferre velle potius intelligitur, vt aduersus alium non tradentem acquirat, consequaturque actionem. At ex causa venditionis qui tradit, tradere ea condi-

d. L. sed & si pupillus §. item si cum plures. De Institor. act.

e. L. ex placito. L. rebus. C. de rer. permut.

ea conditione videtur, vt sibi prius fiat satis, quàm fiat emptor dominus. Non enim tradere intelligitur, vt actionem cõsequatur aduersus emptorem, cùm quidem eam ex ipso cõtractu consentioneq́; habeat: sic vt rem offerendo, pretiũ petere semper possit. Sanè ad hoc caput pertinere videtur, quod Caius lib. 4. ad XII. Tab.[f] In traditionibus rerum (inquit) quodcunque pactum sit, id fallere manife- f. L. 41. in tradi-
10 stissimum est. Sicuti & Hermogenianus ait; Non minus traditione quàm stipula- tionibus. De pact.
tione pactum summere effectum. alioqui ad actionem nulli prodesse.[g] Sed hanc de g. L. diuisionis.
pactis nudis disputationem huc ingerere nihil attinet. Reijcienda potius est ad De pact.
stationem Iurisconsultorum. Sed neque ingeram hoc loco quod M. Tullius in
11 Topicis ait; veteres Romanos nõ nisi duas propriè habuisse abalienationis species, per nexum, & in iure cessionem. Vtroque in genere inanes multas, quibus facilè caruissent, obseruatiunculas cumulârũt, quæ posteritati meritò displicuerunt. Illud solidius fuit, quod addiderunt Decemuiri; si, qui rem tradit, fortè do-
12 minus non esset, proptereaque in accipientem non transferat dominium; transferre tamen vsucapiendi conditionem. Dixit multis post Decemuiros annis Dio-
13 cletianus[h] Imp. Traditionibus & vsucapionibus dominia rerum transferri. V- h. L. traditionib.
trunque caput XII. Tabulæ complexæ sunt. C. de pact.

IN IX.

VSVS ET AVTORITAS FVNDI, BIENNIVM ESTO. CAETERARVM RERVM VSVS ANNVVS ESTO.

1. *Vsucapionibus quomodo rerũ dominia transferãtur.*
2. *Vsucapio appellatur Vsus atq; autoritas.*
3. *De fundo à XII. Tab. statuta, ad ædes quoq; pertinẽt.*
4. *Aedes immobilibus annumerantur.*
5. *Fundus quid?*
6. *Hoc ne caput XII. Tab. an ad seruitutes quoq; prædiorum pertineat?*
7. *L. Voconia siue Scribonia cur seruitutem biennio vsucapi vetuerit? Sed omissa, & biennio rursum vsurpata, recipitur. num. 10. 11.*
8. *Libertatis vsucapionem L. Voconia non sustulit.*
9. *Seruitutes non vtendo amittuntur. & num. 17.*
12. *Aquæ ductus cuius origo memoriam excedit constituti loco habetur.*
13. *Vsucapionibus Græci olim quomodo vsi sint?*
14. *Præscriptio apud Isocratem Archidamũ; item Platonis, quales? num. 15.*
15. *Vsucapio introducta est bono publico, & nu. 18. 21. 23.*
19. *Cyrus agricolas industrios laudabat, negligentes multabat: & eius exemplo Decẽviri quoq; nu. 20.*
22. *Aratus Sicyonius possessiones temere moueri cur noluerit?*
24. *Iustinianus, 1000. annis post Decemuiros, vsucapionẽ quomodo transformauerit? & num. 26. 27.*
25. *Mancipi res Italicæ cur dictæ?*
28. *Quid, si à Fisco rem alienam quis emat?*
29. *XII. Tabulæ quomodo dies tantum, non horas, numerauerint.*

1 TRaditione domini rem alienare volentis transferri rerum dominia Iure naturali, dictum est. Vsucapionibus quoque Iure ciuili transferri posse, vbi à non domino tradita res est, Decemuiri intellexerunt. & quia de vsucapionibus legem in Repub. necessariam esse videbant, nequaquam suis in Tabulis eam prætermiserunt. Eius, quod proposui, capitis Ciceronem testem habeo, qui in oratione pro Cæcina inquit: Lex iubet vsum & autoritatem fundi esse biennium. Idem in Topicis scribit; ex eadem Lege vsum & autoritatem fundi esse biennium: cæterarum rerum vsum esse annuum.
2 Vsucapionem appellari vsum, atque autoritatem, ignotum non est. Horatius lib. 2. Epist. 2.

Quædam, si credis Consultis, mancipat vsus.

Et noster Papinianus,[a] per vsum acquirere dixit. pro vsucapere, Ius autorita- a. L. denique. Ex
tis legimus apud Ciceronem de Arusp. respon. Porrò quod de fundo statuũt XII. quib. cau. ma.
3 Tabulæ, pertinere etiam ad ædes, quamuis earum non meminerint, probat Cice-
4 ro & in Top. & pro Cæcin. Quamuis (inquit) ædes in Lege non appellantur; tamen eodem iure in ædibus vtimur. nempe quòd eæ res soli sint, & immobilibus annumerentur. Fundum quidem plerunque locum sine villa accipi, inquit Vl-
5 pianus[b] tamen & agrum cum ædificio, fundũ dici Florentinus fatetur: sicuti & b. L. locus. De
Iabolenus[c] ait, fundum esse, quicquid solò tenetur. Ad seruitutes prædiorum an verb. sig.
6 itidem pertinuerit caput hoc XII. Tab. ex sententia Decemuirorum, equidem c. L. quæstio. De
certò verb. sig.

certò adfirmàre non possum. Sed constat Legem Voconiam, siue (vt alij appel 7
lant) Scriboniam, prohibuisse seruitutē biennio vsucapi subtili illa ratione, quòd
possideri non possit res Incorporalis: permisisse tamen, vt libertas vsucaperetur.
d. L. 4. §. vlt. De vsucap. Pauli In Pādectis verba sunt hæc: ᵈ Libertatem seruitutū vsucapi posse, verius est: 8
quia eam vsucapionem sustulit Lex Voconia, quæ seruitutē constituit; nō etiam,
quæ libertatem præstat, sublata seruitute. Itaque si cùm tibi seruitutem deberem,
ne mihi (pura) liceret altius ædificare, & per statutum tempus altius ædificatum
habuero, sublata erit seruitus. Apud eundem Paulum lib. 1. recept. Sent. tit. 17. le-
gimus; Viam, Iter, actum, aquæ ductum, qui biennio vsus non est, amisisse videtur. 9
nec eā vsucapi possunt, quæ non vtendo amittuntur. Subijcit tamen, seruitutem
hauriendæ aquæ vel deducendæ, biennio omissam, intercidere, & biennio vsur 10
patam recipi. Quod ex æquo & bono receptum fuisse videtur, ad recuperandas
saltem seruitutes amissas. Sed & ad nouas acquirendas atq; vindicādas vtilis sal- 11
tem actio data est, si quis ijs longo tempore legitimè esset vsus. sic enim Vlpianus
e. L. si quis diuturno. Si ser. vind. ᵉ scribit: Si quis diuturno vsu & longa quasi possessione ius aquæ ducendę nactus
sit; non ei necesse est docere de iure, quo aqua constituta est; sed vtilem habet a-
ctionem, vt ostendat per annos tot vsum se non vi, non clàm, non precarió. Idem
f. L. 1. §. vlt. De aq. plu. Vlpianus ᶠ alio loco ait; longa consuetudine velut iure impositam videri, si quis
vsus est seruitute, neq; vi, neq; clàm, neq; precarió. multo verò magis id dicendū
esse, si non modò longum tempus sit, sed hominum memoriam excedat. Idem si-
g. L. 3. §. ductus. De aqua quotid. gnificat, cùm ait; ᵍ ductum aquę, cuius origo memoriam excesserit, iure constitu- 12
ti loco haberi. Verùm vt res hæc tota semel componeretur, Iustinianus ʰ tandem
h. L. vlt. C. de præscriptione long. temp. L. vlt. C. de seruit. in vniuersum statuit; longo demum tempore tam acquiri, quàm amitti seruitu-
tes: sicuti & rerum corporalium, quæ quidem soli sunt, vsucapionem non bien-
nio, vt olim, sed longo tempore compleri voluit, vt paulò pòst latius dicam, vbi
de origine & iure & causis vsucapionum altius nonnulla repetierimus.

Vsucapionibus quomodo Græci vterentur Decemuirorum tempore, non
satis compertum habeo. Vsos tamen fuisse constat nec ad priuatas modò, sed & 13
publicas possessiones confirmandas: & longi temporis præscriptionem omnes
recepisse. Sic enim scribit Isocrates in Archidamo: ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἐκεῖνο ὑμᾶς λέληθεν, ὅτι 14
αἱ κτήσεις καὶ τὰς ἰδίας καὶ τὰς κοινὰς, ἢν ἐπιγένηται πολὺς χρόνος, κυρίας καὶ πατρῴας ἅπαντες εἶναι νομίζου-
σιν (neque verò vos latet, rerum tum priuatarum tum publicarum dominia, lon-
gi temporis pręscriptione, communi omnium sententia acquiri.) & eodem pau-
lò pòst loco significat maximum & maximè euidens dominij testimonium esse
τὸ πλῆθος τοῦ χρόνου (Præscriptionem longi temporis.) Certè Plato lib. 12. de Legib. nō
obscurè significat; nequaquam ijs ignotam vsucapionem fuisse. Si quis re aliqua 15
mobili, in vrbe, palàm & publicè anno integro vsus sit; eum eius dominum fieri,
statuit: si in vrbe, clàm & domi tantùm sit vsus; triennij vsum requirit: si in agris
palàm, quinquennium: si occultè, decennium: si verò in alia quapiam extera re-
gione aut prouincia, nullius temporis præscriptionem admittit: sic enim tum
ait, μηδεμίαν εἶναι προθεσμίαν τῆς ἐπιλήψεως (nullum esse pręscriptum tempus vindicatio-
nis) Hæc confixisse Platonem ad Imitationē Atheniensiū, facilè suspicor, sicuti &
complurium ab ijs legum suarū exemplum sumpsit: quanquā Solonis legem de
vsucapione vix aliquā certò proferre possim. Eam tamen in Rep. esse necessariam
i. L. 1. De vsucap. prudentes omnes facilè intelligunt. Caius noster, ⁱ bono publico introductā esse 16
ait, ne quarundam rerū diu & ferè semper incerta dominia essent: sufficereq; do-
minis ad inquirendas res suas, statuti temporis spatium. qui si tāto tempore ne- 17
k. L. alienationis. 28. De ver. signif. gligant, alienare etiam videri, Inquit Paulus. ᵏ Si nullo tempore satis certa sint re-
rū dominia, necesse est & commercia interturbari, & incultas iacère possessiones. 18
Quis enim agrum seriò colere velit, si tristis illa vox semper immineat; Veteres
migrate coloni? Audiebant Decemuiri; multis olim annis incultos & tantùm non
desertos Græciæ agros fuisse, quandiu potentiorum iniurijs obnoxia essent & in-
certa dominia. Sic enim Thucydides de priscis Græciæ incolis loquitur lib. 1. οὐδὲ
γῆν φυτεύοντες, ἄδηλον ὂν, ὁπότε τις ἐπελθὼν ἄλλος ἀφαιρήσεται (neq; agros arborib⁹ seminibusq;
cōserunt; cum incertū sit, annon aliquis alius superueniens auferat.) Audiebāt,
quod apud Xenophontē legimus, Cyrū regem, si quādo in regionē bene cultam 19
venisset,

veniſſet, eorum hominum induſtriam laudâſſe, pluresq́; etiam agros iis ad colen-
dum dediſſe. contrà verò, ſi neglectam & incultã offendiſſet, grauiter increpuiſſe,
20 atq; etiam multâſſe. Hoc exemplo Decemuiri tanto etiam magis ius vſucapionis
probârunt, quòd & ſocordem dominum multat, & diligentem poſſeſſorem tue-
tur. Atq;, vt externa non cõmemorem, ſcimus etiam olim Romæ, eum, qui agrũ
ſuum paſſus fuiſſet ſordeſcere, ſocordiaq́; ſterileſcere, infamia notatum eſſe à
Cenſoribus, & ęrariũ factum. aut ſi aliud antiquius, & domeſticum tamen, exem-
plum requirimus, quod Decemuiros permouere potuerit, Dyonyſius li. 2. oſten-
dit; Numam Regem hoc in genere & ſtudio, ipſum etiam Cyrum faciè ſuperâſſe.
21 Sed & alia fuit vſucapionis introducendæ grauiſſima cauſa. Quis enim tandẽ in
Rep. litium turbarumq́; finis futurus eſt, ſi nulla ſit autoritas, ius nullũ vſucapio-
nis? ſi rem per multorũ iam manus vel hæreditate, vel emptione peruagatã, ſem-
per vindicare, & poſſeſſori eripere liberum ſit? Laudatur prudẽtiſſimus Reip. gu-
22 bernator Aratus Sicyonius, qui paulò poſt tempora Decemuirorum vixit, quòd
cùm patriam ſuã tyrannide aliquot iam annis oppreſſam liberâſſet, exulesq́ue re-
duxiſſet; poſſeſſiones iuſtas temere mouere ideo iniquũ eſſe iudicârit, quia tàm
longo ſpatio (vt ait Cicero) multa hæreditatibus, multa emptionibus, multa do-
tibus tenebantur ſine iniuria. Sed ante eum id intellexerant noſtri Decẽuiri: neq;
modò ſine iniuria, ſed & ſine grauiſſimis turbis magnaq́; cõfuſione, poſſeſſiones
23 moueri non poſſe præuiderant. Ergo (inquit noſter Neratius[l]) vſucapio rerum *l. L. vlt. Pro ſu.*
conſtituta eſt, vt aliquis litium finis eſſet. Cicero quoq; pro Cæcin. vſucapionem
eſſe ait, finem ſollicitudinis ac periculi litium. Quid multis opus eſt? Quàm fuerit
Reip. neceſſaria Lex XII. Tab. de vſucapionis iure & autoritate, vel ipſe eius diu-
24 turnus paſſimq́; receptus vſus, teſtis eſſe poteſt. Iuſtinianus poſt Decẽuiros annis
ferè mille, primus in ea, pro temporum ſuorũ ratione immutandum aliquid eſſe
indicauit. Extat Cod. li. 7. eius conſtitutio de vſucapione transformanda, & ſub-
lata differentia rerũ mancipi & nec mancipi. Primùm hic Princeps vult, vſucapio-
nem locũ habere non minus in prouincialibus rebus ſoli, quàm in Italicis. Duo-
decim Tabulas non niſi in Italico ſolo vſucapionem admiſiſſe, mirũ non eſt: cùm
eo tempore Romani extra Italiam nihil poſſiderent, prouinciã nullam haberent.
Auctis poſtea propagatiſq́; Romani Imperij finibus, multiſq́; prouincijs ſubactis,
diſcrimen hoc locorum ac rerum introductum eſt. Res Italicæ, cùm ſingulorum
25 eſſent, mancipi & erant & dicebantur, quòd à dominis ſiue poſſeſſoribus liberè
abalienari poſſent, plenoq́; iure in alium transferri, hoc eſt, mancipari ſine man-
cipio dari. In iis itaq; facilius habuit locum vſucapio. At res prouinciales; cùm in
dominio Populi Romani magis eſſent quàm poſſeſſorum, (nam Populo Ro. tri-
buta eæ pendebant, inq́; poſſeſſorum vſu & fructu, & quodam quaſi dominio ſo-
lùm erant) vt non ita mancipari poterant, ſic nec facilè vſucapi. Iuſtinianũ, rebus
mutatis, totam hanc differentiam ſuſtuliſſe mirum non eſt. Sed quod adiecit, vt
26 fundi vſucapio amplius biennij non eſſet, ſed longi temporis, decem nempe an-
norum inter præſentes, viginti inter abſentes: res verò mobiles non niſi triennio
vſucaperentur: in eo, XII. Tabulas minimè eſt ſecutus. Nã vt anni vnius, bienniíve
ſpatium Decemuiris viſum ſit longũ ſatis, quo domini res ſuas perquirerẽt; cùm
quidem eo tempore res ciuium Romanorũ anguſtis finibus concluderentur; Iu-
ſtiniano, cuius tempore latiſſimè patebant per totũ ferè orbem ſparſæ, disiectæ,
diffuſæ, captioſum fore viſum eſt, tã arcto ſpatio dominos conſtringi. ac ꝑpterea *m. l. 3. & 4. Arb. De vſu cap. L. ſi*
in ſuis Pandectis cùm refert ſcripta Prudentum de tempore vſucapionis, noluit *ſer. ſi quis. L. ſi*
biennij mentionem fieri,[m] ſed ſimpliciter appellatur tempus Lege definitũ, ſta- *partem. Si ſerui.*
tutum, conſtitutũ. neq; tamen veteribus ignota fuit longi temporis præſcriptio, *vind.*
quæ ad excipiendum valebat. Sed voluit Iuſtinianus, vt eſſet quoq; longi tempo- *n. L. vna. C. de vſu*
ris vſucapio, qua dominiũ q̃reretur. Illud tamen mirari poſſumus, cùm Iuſtinia- *cap. transf.*
27 nus[n] nihil eſſe inhumanius dixiſſet, quàm aliquem, abſentẽ fortè & neſcientem, *o. L. bene à Zeno-*
tam anguſto tempore biẽnij cadere ſuo dominio: proptereaq́; voluerit decẽ aut *ne. C. de quad.*
viginti annorũ poſſeſſionẽ eſſe neceſſariam ad rei alienius immobilis vſucapio- *præſ.*
nem: probâſſe tamen eũ, & bene conſtitutũ dixiſſe, quod Zeno Imp.[o] non minus *p. §. vlt. Inſtit. De vſucap.*
28 inhumaniter hoc in genere edixit. Statuerat D. Marcus,[p] vt ſi à fiſco rem alienam *q. L. 2. C de quad.*
bona fide qs emiſſet, quinquennio vſucaperet. Zeno[q] ne eo quidẽ cõtentus, vo- *præſcri.*

 luit

luit emptorem statim securum esse, & dominum fieri: ei verò, cuius res erat, non nisi quadriennium dari, quo à fisco peteret rei æstimationem. Id an æquum sit, alij viderint. Sed sibi suoque fisco multa singularia indulsisse Principes, mirum non est, hacq; propositæ securitatis spe certa emptores allicere voluisse, qui non temere alioqui à fisco emerent, quòd is plerunque res vendat alienas. Sed vt ad XII.
Tabulas reuertar: cùm de vsucapionis tempore loquuntur, non nisi dies nume- 29
rant, neq; de horis vlla erat quæstio, qualis póstea fuit apud Iurisconsultos scrupulosius inquirentes momentum vsucapionis completæ. Nam neque tempore Decemuirorum vlla adhuc Romæ erat horarum vel distinctio vel obseruatio. Imò ne meridies quidem nominabatur, sed occasus tantùm & ortus, quod Plinius, XII. etiam Tabularum mentionem faciens, scribit libro 7. cap. 60.

IN X.

ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVTORITAS ESTO.

1. Vsucapioni multas addiderūt exceptiones Decēviri. 2.3. Autoritatis vox quid significet?

DEcemuiros in constituēda vsucapione prudenter multa circunspe- 1
xisse, vel illud testimonio est, quòd multas magno indicio exceptiones (vt ita loquar) addiderint. Excepisse quinq; illos pedes, qui inter confines agros relinquēdi erant, eosq; vsucapi prohibuisse, suprà dictum est. Vestibulum quoque sepulcri, sicuti & in vniuersum res furtiuas, liberâsse ab vsucapione, suo inferius loco dicemus. Caput, quod nunc propono, ex Cicerone descriptum est, cuius lib. 1. Offic. verba sunt hæc: Hostis apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant XII. Tabulæ: ADVERSVS HOSTEM ÆTERNA AVTORITAS ESTO. Noluerunt, opinor. Decemuiri, alios quàm ciues suos, possessores tueri, & vsucapionis iure donare. AEternū itaque tempus desiderârunt, priusquam vsucapionem peregrinus compleret. nisi malimus (quod eōdem recidit) autoritatem hîc 2
intelligere ius vindicationis; quod æternū contra possessores peregrinos ciuibus suis esse, & ab omni temporis præscriptione libetū. Decemuiri voluerint. De alijs
significationibus huius verbi, AVTORITAS, dixi ad Institut. tit. de autoritate 3
tut. & ex tractatu de euictionibus, alia etiam sumi, quæ singularis est, potest a.

a. L. vlt. De euict.

IN XI.

REI FVRTIVAE AETERNA AVTORITAS ESTO.

1. Vbi Lex inhibet vsucapionem, bona fides possidentis nihil prodest.
2. Rei surreptæ seu furtiuæ autoritas quousq; extendatur? & num. 12.
3. Rem furtiuam in eius potestatem cui surrepta est reuerti debere; quomodo intelligendum?
4. Furtiua res non intelligitur in domini potestatem redire.
5. Per vim recuperare sua nemini licet.
6. Furtiua rei vitio purgato an vsucapionis ius procedat?
7. Res vi vel metu vendita vel tradita vsucapi an possit?
8. Quod vi quis eripuit non potest vsucapi.
9. Expilatæ hæreditatis crimen non impedit rei vsucapionem.
10. Hæreditariæ rei furtum fieri non datur?
11. Donatum Proconsuli contra legem repetundarum, non potest vsucapi.

DVodecim Tabulas inhibuisse vsucapionem rerum furtiuarum, noster quoque Iustinianus[a] testis est. vnde intelligimus, Decemuiros
non modò non tueri mala fide possidentes, veluti fures: sed & in vni- 1
uersum vsucapionem rei furtiuæ, quātumuis bona possideatur fide, sustulisse. Vbi Lex inhibet vsucapionem, bona fides nihil prodest possidenti, inquit Pomponius[b]. Quod hoc capite XII. Tab. inhibitum erat, postea Lex Attilia siue Attinia repetijt, iterumque inhibuit. Eius hæc verba fuêre:

QVOD SVBREPTVM ERIT: EIVS REI ÆTERNA AVTORITAS ESTO.

Ac Gellius quidem lib. 17. cap. 7. disputat, an ea Lex ad præterita quoque, & ante eam legem facta furta pertinuerit. Sed cùm multis ante eam annis idē fuerit cautum XII. Tabulis: necessaria non esse videtur eius generis quæstio. Porrò autē nemo existimet, tam esse æternam rei subreptæ aut furtiuæ autoritatem, quin hîc

saltem

a. § furtiuæ. Inst. de vsucap.

b. L. 24. vbi Lex. De vsucap.

saltem meminerit, locum habere posse longissimi temporis præscriptionem,
quam Cæsares introduxerunt ad omnem omnino actionem foro summouen-
dam[c]. Nam & licet quinque pedum vsucapio inhibeatur; huius tamen longissimi *c.L.1.§.C. de an.*
temporis præscriptio obijci poterit eorum nomine agenti, eorumque possesso- *de an. except. L.*
rem tueri[d]. Paulus noster, addit & alterum legis Attiniæ caput, quod in 12. Tabu- *sicut. C. de præ-*
lis prætermissum, erat eiusmodi: *scrip. 30. vel 40. ann.*
FVRTIVA RES NON VSVCAPIATVR, NISI IN POTE- *d.L. vlt. C. fin.*
STATEM EIVS, CVI SVBREPTA EST, REVERTATVR. *regund.*
Id vt XII. Tabulis adiungeretur, quod erat necessarium, lata ideo fuisse videtur *e.L.4.§.quod au-*
3 Lex Attinia. Admonet autem Paulus, sic acceptum hoc esse, vt in domini pote- *tem. De vsucap.*
statē debeat res reuerti: non in eius vtique, cui subrepta est. Igitur (inquit Paulus)
etsi creditori subrepta est, aut ei, cui commodata est: in potestatē domini redire
debet. Addit idem Paulus; tunc dici in potestatem domini redijsse, cùm posses-
sionem eius nactus sit, vt iustè auelli non possit: sed tanquam rei suę. Nam si igno-
rans rem mihi subreptam, emam: nō videri in potestatem meam reuersam. Ante
4 Paulum Iulianus responderat[f]; furtiuam rem non intelligi in domini potestatē *f.L. qui fundum.*
redire, quamuis possideret: si modò ignorauerit subreptam sibi esse. & si ser- *§. vlt. Pro empt.*
uum, qui tibi subreptus fuerit, ignoranti tibi tuum esse, pignori dedero, & soluta
pecunia eum Titio vendidero: Titium vsucapere non posse. Huc quoque per-
tinet quod Caius ait[g], rem desinere abesse tunc videri, cùm sic redijt in potesta- *g.L. mulieris. 13.*
tem, ne amittere eius possessionem possimus ob hoc, quòd furto pridem sub- *§. desinere. De*
tracta est. Verum quidem est nullam repetitionem esse solere ab eo, qui suum re- *verb. signif.*
5 cepit[h]. Si tamen quis per vim rem suam recuperârit; posset ab eo possessio auelli. *h.L. repetitio. De*
non enim interdictū recuperandæ possessionis summoueret exceptio dominij[i]. *condict. indeb.*
Sed & si quis rem suam ignorans emerit, quasi venditoris esset, aut pignori acce- *i.L. si quis. C. ad*
perit: quia ab ignorante poterit auelli (non enim exceptione sui dominij igno- *Leg. Iul. de vi pri.*
rans vtetur) non videbitur in eius potestatem redisse. Hæc eò pertinent, vt intel-
ligamus, quando. (quod Iustinianus ait[k]) vitio rei furtiuæ purgato, procedat eius *k.§. aliquando et*
6 vsucapio. quod quidem & ad vsucapionem rerum vi possessarum pertinet; qua- *iam. De vsucap.*
rum alioqui vsucapionē inhibuerunt Lex Iulia & Plautia, exemplo XII. Tab. siue
7 legis Attiniæ. Aerem quidem vi vel metu venditam traditàmve, posse ab aliquo
bonæ fidei possessore longo tempore vsucapi, dubium non est[l]. Sed quod vi quis *l.L. 3. C. de his*
8 eripuit, vel alio deiecto inuasit, non magis quàm furtiuum vsucapi dicimus: nam *quæ vi met. cau.*
& atrocior hæc vis est. Venuleius ait[m]: Quod vi possessum raptúmve sit, antequā *m.L. vlt. Vi bon.*
in potestatem domini hæredísve eius perueniat, vsucapi Lex vetat. Mirabitur *rapt.*
fortasse aliquis, ecquid fuerit opus nouis hisce Legibus Iulia & Plautia. Cùm
enim vis, furtum improbum sit: XII. Tabulæ cùm furtiuarum rerum vsucapionē
inhiberent, vi possessarum satis inhibuisse videntur. Verùm animaduertere de-
bemus, existimâsse veteres, interpretatione non ita facilè Legis prohibitionem
aliò trahi posse. Crimen expilatæ hæreditatis, improbum quoque furtum esse di-
9 citur[n]. Quia tamen furtum propriè non est, non impedit rei vsucapionem. Fur- *n.L. si te. C. ex*
tum autem propriè esse non potest, quia nemo sit, cui furtum fiat. nam hęreditas *quib. cau. infa.*
adhuc iacens dominum nullum habet. Sic hæreditariæ rei furtum fieri rectè Iu- *irrog.*
10 lianus negauit[o]. Adiecit tamen Marcellus ex eius sententia exceptionem hanc, *o.L. hæreditariæ.*
nisi fortasse pignori rem dederat defunctus, aut commodauerat. his casibus hęre- *De furt.*
ditariarum rerum fieri posse furtum, & ideo vsucapionem impediri, Iulianus fa-
tetur[p]. Postremò & huc referendum est quod Paulus[q] ait; Quod contra Legem *p.L. his enim. De*
11 repetundarum Proconsuli vel Prætori donatum est, nō posse vsucapi. hac autem *furt.*
Lege impediri vsucapionem, priusquam in potestatem eius, à quo profecta res *q.L. pen. Ad leg.*
sit, hæredísve eius, veniat. Quæcunque tandem ea lex fuerit, lata fuisse videtur ad *Iul. repet.*
exemplum XII. Tabularum, Legisque Attiniæ, itemque Iuliæ & Plautiæ. Porrò
12 autem quantumuis æternam rei furtiuæ autoritatem, liberamque & perpetuam
eius vindicationem esse voluerint XII. Tabulæ: furtiuum tamen tignum ædibus
vineísve iunctum, sic vindicari, vt etiam euelleretur dissolueretúrque, nō permi-
serunt. Quam autem pœnam arborum furtim cæsarum esse voluerint, suo postea
loco dicam. Nunc de tigno iniuncto caput XII. Tab. subijciamus, & explicemus.

IN XII.

TIGNVM IVNCTVM AEDIBVS VINEISVE NE SOLVITO. SED DVPLVM QVI IVNXIT DATO.

1. *Tignum quid?*
2. *Concapu.vox corrupta apud Fest.Pompeium.*
3. *Tignum furtiuum ædibus vineave iunctum soluere non licet; sed dupli actio competit.& num.7.*
4. *Furtiuum plerunq; est, quod alienum est.*
5. *Tignum alienũ bona fide iunctum, furtiuum potest esse & non esse.& num.13.*

6.11.14. *An bona fide tignum iniungens duplum præstare teneatur?*

8.9.10. *Quid,si res domini volentis coniugantur in ædificium alterius,an tum quoq; detur in duplũ actio?*

12. *Quod mea voluntate factum est, in iudicium vocare non debeo.*
15. *Gemma auro inclusa vindicari an possit?*
16. *Decora facies ciuitatis Legumlatoribus curæ fuit.*
17. *Legari ea non possunt quæ ædibus iuncta sunt.*
18. *Roma incensa à Gallis quando?*
19. *Vinearum quoq; culturæ leges prospexerunt.*
20. *Vineis nonnulli Romanorum Principes non fauerunt.*
21. *Tignum suum Dominus vindicare quomodo possit ædificio diruto.& num.22.24.*
23. *Tignum iunctum non possidet qui ædes possidet.*
25. *Actum esse dicitur pro frustra egisse.*



POmpeius Festus lib.18.de Verb. vet. significat.cùm ait;tignum nõ so- 1
lum in ædificijs quo vtuntur,sed etiam in vineis appellari,subijcit:vt
est in 12.TIGNVM IVNCTVM ÆDIBVS VINEAVE ET
CONCAPV NE SOLVITO.
Quid vocet CONCAPV non interpretatur; ac omnino certè existimo locum 2
hunc,vt alios plerosque,apud eum esse corruptum.Sed qualiscunque tandem ea
fuerit vox, præcipua huius capitis sentẽtia integra extat. fitque huiusce legis fre-
a.L.1.De tig. iniunct. quens mentio in Pandectis.Vlpianus ait[a]:Lex XII.Tab.neque soluere permittit 3
tignum furtiuum ædibus vel vineis iunctum, neque vindicare. quod prudenter
b.L.qui res.suas. Lex effecit,ne vel ædificia sub hoc prætextu diruantur,vel vinearum cultura tur-
§.vlt.De solut. L. betur.Sed in eum,qui conuictus est iunxisse,in duplum dat actionẽ. Paulus qua-
de eo quod.De donat.inter vir. tuor locis in Pandectis meminit huius Legis[b].& quanquam non eodem semper
& vxor.L.gemma. modo loqui constanter videatur:si tamen singula prudenter & consideremus &
Ad exhib.L.in rẽ distinguamus,facilè omnia conuenient. illud initio hîc obseruemus, Legẽ XII.
actio.§.tignum. Tab.tigni alieni,non etiam furtiui,expressim meminisse. Sed quia ferè fit vt fur- 4
De rei vindicat. tiuum sit,quod alienum est(semel nempe cõtracto furti vitio) Vlpianus hoc ca-
put recitans,furtiui tigni meminit.Potest autem & furtiuum esse,& bona tamen 5
fide iunctum.Sed & furtiuum non esse potest:veluti quod à nemine vnquam ni-
si bona fide cõtactum sit. finge depositum apud aliquem fuisse:hæredemque ex-
istimantem id esse defuncti,suis ædibus iniunxisse. hoc tignum neque furtiuum,
neque mala fide iniunctum est.Quæsitum est,an tum quoque de tigno iniuncto 6
agi in duplum velint XII.Tabulæ.Certè durum esse videtur,bonę fidei hominem
duplum præstare.Sed Decemuiri tamen in vniuersum videntur actionem in du-
plum dari voluisse,ac fortâsse considerârunt,simplam rei æstimationem, iustam
satis non fore compensationem: quod tigni dominus saltem in eo sit deteriori
c.L.in rem actio. conditione, quòd rem suam vindicare & consequi nõ possit.Paulus[c] cùm tradi-
§.tignum.De rei vind. disset,tignum alienum ædibus iunctum vindicari nõ posse, neque eo nomine ad 7
exhibendum agi,propter Legem XII.Tab.nisi aduersus eum, qui sciens alienum
suis ędibus iunxit,subiecit:Sed est actio antiqua DE TIGNO IVNCTO,quę
in duplum ex lege XII.descendit. Quibus verbis non obscurè significat, in du-
plum actionem dari aduersus eum,qui nesciens,alienũ suis ædibus iunxit: sicuti
d.L.gemma.Ad exhib. & alio rursus loco. Sed & Iustinianus ipse[d],cùm dixisset, dominum tigni iuncti
vindicare non posse, aut ad exhibendum eã de re agere,adiecit;esse ex Lege XII.
Tab.actionẽ DE TIGNO IVNCTO in duplum. Illud vnum difficultatis
e.L.de eo quod. De donat.int.vir. & vxor. nonnihil habet,quod cùm dixisset Neratius[e];de eo, quod vxoris in ædificium vi- 8
ri ita coniunctum est,vt detractũ alicuius vsus esse possit,agi posse,quamuis nulla
actione ex Lege XII.Tab.quoniam non sit verisimile Decemuiros de his sensisse,
quorum voluntate res eorum in alienum ædificium cõiunctæ essent. Paulus no- 9
tãdo subiecit hæc verba:Sed in hoc solum agi potest,vt sola vindicatio, soluta re,

competat

competat mulieri, non in duplum eſt Lege XII. Tab, neq; enim furtiuũ eſt, quod
10 ſciente domino incluſum eſt. Vt huic loco reſpondeam, & quod ſentio, ingenuè
dicam; videtur Paulus ad denegandã in duplum actionem, eius, qui tigni domi-
11 nus eſt, conſenſum atq; voluntatem cõſiderare. Quod ad ipſum iniungentem, ſi-
ue ædificantẽ attinet, vt in eum detur vel denegetur in duplum actio, non diſtin-
guit, bona an mala fide, ſciens an ignorans, tignũ alienum iunxerit: ſed quod ad
eum, qui agere vult, diſtinguit, ſciuerítne & cõſenſerit, an verò ignorârit. Quod
12 mea voluntate factum eſt, in iudicium vocare nec poſſum, nec debeo. Et qua tan-
dem fronte pœnã inde peterem, quod vt fieret, ipſe cõſenſi? Neq; ſanè furtiua res
13 eſſe poteſt vllo modo, quæ nõ niſi domini voluntate attrectatur. Poteſt quidem
tignum eſſe furtiuum, & bona tamẽ fide iniunctum. Quod verò mala fide iniun-
gitur, non poteſt non eſſe furtiuum. Sed is malæ fidei eſſe non poteſt, cui domini
voluntas ſuffragatur. Quid igitur, vbi dominus ignorauit, nihílne intererit in-
14 ter eum, qui bona fide, & eum, qui mala iniunxit? Aduerſus eũ, qui malæ fidei eſt,
vindicatio quoq; datur, & ad exhibendũ actio: non quidem vt conueniatur qua-
ſi poſſidẽs, ſed ita quaſi dolo malo fecerit, quo minus poſſideret, vt ait Vlpianus[f].
Sic accipiemus quod Paulus ait[g]; Legẽ XII. Tab. ſeiſcere, tignũ ædibus iunctum
vindicari poſſe. Interim tamen id ſolũ prohibuiſſe: ſed preciũ eius dari voluiſſe.
Precium cùm dicit, duplã æſtimationem intelligere videtur. Alio quoq; loco ſi-
militer dixit Paulus[h] ad exhibendũ agi poſſe contra eum, qui ſciens iunxit. quod
Vlpianus interpretatus eſt. Cæterùm ſic agi non poſſe, vt tignum ipſum & diſſol-
uatur & exhibeatur, nulla dubitatio eſt. aliter atq; de gemma alieno auro inclu-
15 ſa. Propterea Paulus[i], Gemma (inquit) incluſa auro alieno, vindicari non poteſt:
Sed vt excludatur, ad exhibendum agi poteſt. aliter atq; in tigno iuncto ædibus,
de quo nec ad exhibendum agi poteſt: quia Lex XII. Tab. ſolui vetat, & actione
DE TIGNO IVNCTO ex eadem Lege in duplum agitur. Huius legis ra-
16 tionem fuiſſe & cauſam; ne ædificia diruantur reſcindantúrue; Vlpianus, Iuſti-
nianuſque tradiderunt[k]. Fuit igitur & Decemuiris curæ, decora ciuitatis facies:
17 nolueruntque ædificiorum ruinis deformari publicum aſpectum: quod poſte-
riores & Iuriſconſulti & Cæſares dixerunt[l]. Annis poſt XII. Tabulas 565. Impe-
rante Adriano. Auiola & Panſa Coſs. eandem ad cauſam factũ ſenatuſconſultũ
eſt, quod prohibuit ea legari, quę ædibus iuncta ſunt, ſicuti in [m] Pandectis ex Pau-
lo relatum eſt. & ſanè Spartianus quoque teſtis eſt; Adrianũ conſtituiſſe, ne qua
domus dirueretur, aliò transferendæ materiæ cauſa. quod latius dicemus, vbi ad
18 Adrianum ventum erit. Annis 60. poſt editas XII. Tab. Roma à Gallis capta in-
cenſaq; eſt, cum omnibus ſuis & tignis & ædificiis. Sed non propterea ſublata eſt
hæc tabula de tigno iniuncto. Imò verò ciuitati inſtaurandæ tam valde prodeſſe,
quàm ipſe Camillus potuit.
19 Neque tamen ædium tantùm conſeruandarum cauſa Lex hæc lata eſt, ſed &
vinearum: quarum cultura nõ turbetur, ait Vlpianus[n] prouidenter Legem XII.
Tab. effeciſſe, ne quod iis iunctum eſſet tignum, ſolueretur. Scio multos Rom.
20 Principes vineis ſæpe non fauiſſe. vt ille, qui vineta ſuccidi voluit: & qui edixit,
ne quis nouellaret. Sed viderint illi, quibus potuerunt rationibus ſua illa edicta
tueri. Certè Am. Marcellinus lib. 14. teſtis eſt, tempore Conſtantii Imp. Romæ
grauiſſimas fuiſſe ſeditiones propter inopiam vini. Porrò tigni appellatione in
hac lege contineri omnem materiam vineis neceſſariam, vel ex qua ædificium
conſtet, ſex locis traditum[o] eſt in Iure Ciuili.
21 Illud poſtremo loco prætereundum non eſt, diruto aliqua ex cauſa ædificio,
poſſe tigni dominũ, qui duplum nondum eſt conſecutus, tignũ ſuum vindicare.
tantiſper enim prohibetur, dum iunctũ eſt. Itaq; & Paulus cùm de iis agit, in qui-
22 bus ceſſat potiꝰ, quàm extincta eſt obligatio, tigni alienis ędibus iũcti meminit[p].
Ac diſſoluto quidem ædificio vindicanti ſuum tignum, nulla obiici poterit tem-
poris præſcriptio. Nam etſi furtiuum non eſſet, nulla tamen eius eſſe poſſet vſu-
23 capio, tũ quòd ea aduerſus eum, qui agere prohibetur, nulla ſit, tum etiam quòd
24 ſine poſſeſſione eſſe non poſſit. Non poſſediſſe autem tignum, qui ædes poſſedit,
conſtat[q]. Cæterùm qui iam duplũ eſſe conſecutus, tignum vindicare nõ poſſet[r].
Ait qui-

f L. 1. ad fin. De tig. iniun.
g L. qui res ſuas, §. vlt. De ſolut.
h L. in rem actio. §. tignum. De rei vind.
i L. gemma. Ad exhib.
k L. 1. De tig. iniunct. §. cum in ſuo. De re. diuiſ.
l L. 2. §. ne quis, L. vlt. Ne quid in loc. pub. L. 2. C. de æd. ſ. pri. L. præſcriptio. C. de oper. pub.
m L. cætera. De lega. 1.
n L. 1. De tig. iniunct.
o L. 1. De tig. iniunct. L. tigni. De verb. ſig. L. tign. Ad exhib. L. in rem actio. §. tignũ. De rei vind. L. adeò. §. appellatione. De acq. re. do. §. appellatione. Inſtit. De re. diuiſ.
p L. qui res. §. vlt. De ſolut.
q L. cũ qui ædes. De vſuca.
r L. adeò. §. illud. De acq. rer. dom.

f L. 2. De tig. iuncti.

Ait quidem Vlpianus f; Si de tigno iuncto actũ fuerit, adhuc rei vindicationem
competere. Sed de eo loquitur, qui frustra egit, nec est consecutus, quod perse-
quebatur. Quo modo in Pandectis sæpe actum esse dicitur. 25

IN XIII.

GLANDEM IN ALIENVM FVNDVM DECIDENTEM COLLIGERE, LIBERVM ESTO.

1. *Glandis appellatione quid contineatur?*
2. *ἀκρόδρυα Græcis quid?*
3. *Glans communis olim cibus erat tum pecoribus tum hominibus.*
4. *Prætor potestatem glandis legendæ in alieno quomodo restrinxerit? & num. 5.*
6. *Sua cuique domus tutum receptaculum.*
7. *Aucupes à prædijs alienis iure prohibentur.*
8. 9. *Vindemiæ pendentis emptor; & qui thesaurum in tuo fundo recondidit; ingredi fundũ tuũ potest.*
10. *Quid, si glans ex arbore tua in fundum meũ decidat, eamq; immisso pecore depascam.*



a L. qui venenũ. 236. §. vlti. De verb. sign.

Hoc nobis caput Plinius suppeditauit, qui lib. 16. ca. 13. scribit cautum
fuisse Lege XII. Tab. vt glandem in alienum fundum procidentem
liceret colligere. Scripsit autem Caius noster a Lib. 3. ad Leg. XII. Tab. 1
Glandis appellatione omnem fructum contineri: exemplo Græco-
rum, apud quos omnes arborum species ἀκρόδρυα (omnes arborei fructus; propriè 2
tamen quę in ambitu lignosum putamen habent; vt apud Latinos nuces quoq;.)
appellantur. Sed & ante inuentas à Cerere fruges, fuit olim communis pecori ci-
bus atque homini glans (vt ait Ausonius.) Quo magis eius appellatione, nõ mo- 3
dò aut quercus, aut fagi, aut ilicis; sed & omnium aliarũ arborum fructus omnes
contineri posse, placuit. Idque non modò Caius, sed & Vlpianus dixit ad Edictũ
Prætorium huius generis scribens b. Nam, ne quis existimet caput hoc XII. Tab.
rem esse leuiorem, quàm vt Decemuiros occupare debuerit; non grauatus est il-
lud ipsum Prętor repetere, proprioque edicto complecti, adijciens quandã etiam
veluti interpretationẽ, qua hæc potestas glandis in alieno colligendę constringi-
tur, ne semper interturbet alieni fundi libertatem. Nam non nisi tertio quoque 4
die, siue, singula die tertiam glandem in alieno legi voluit: præsertim cùm tanto
rarius in alienum fundum decidere videretur, quo magis cautum erat vt arbor in
confinem fundum inclinata coërceri posset. Si tamen accidisset, vt frequentius 5
in alienum agrum glans decidisset, quæ humi iacens facilè putresceret atque cor-
rumperetur: non existimo tam seuerum & difficilem fuisse Prætorem, quin sta-
tim pateretur eam colligi, & iusta ex causa temperaret præscriptũ sui Edicti. Edi-
cti verba sunt hæc:

b L. 1. De gland. leg.

GLANDEM, QVÆ EX ILLIVS AGRO IN TVVM CADIT, QVO MINVS ILLI TERTIO QVOQVE DIE LEGERE AVFERRE LICEAT, VIM FIERI VETO.

Extat hoc Edictum lib. 43. Pand. tit. 28. Debet quidem sua cuique domus & 6
tutum & liberum esse receptaculum c: neque aliorum curiositati patêre debent
secreta nostrarum possessionum. Itaque prohiberi quis potest agrum alienum
ingredi, inquit Vlpianus d. Et Diuus Pius rescripsit aucupibus; οὐκ ἔστιν εὔλογον ἀκόντων
τῶν δεσποτῶν ὑμᾶς ἐν ἀλλοτρίοις ἰξεύειν (non est consentaneum rationi, vt per aliena præ-
dia inuitis dominis aucupium faciatis.) Et Diocletianus rescripsit, f minimè lice-
re vicino, per agrum alienum, qui seruitutem non debet, ire aut agere. Cæterum 7
vt glandis meæ legendæ causa, ius mihi est alienum fundum ingredi; sic etiã pen- 8
dentis vindemiæ emptori, vt vuam legat, aut lectam calcet, mustumque euehat g. 9
Sed & si thesaurum aliquem meum pecuniàmve reconditam in tuo fundo esse
dicam, eiusque effodiendi causa fundum tuum ingredi velim: iuranti mihi non
calumniæ causa id postulare, ait Pomponius h, vel interdictum, vel iudicium ita
dari; vt, si per me nõ steterit, quo minus damni infecti tibi operis nomine caueа-
tur, ne vim facias mihi, quo minus eum thesaurum effodiam, tollam, exportem.
Vt autem ad legem de glande legenda redeam, adijciam quod ad eam illustran-
dam eiusque vim explicandã, eodem in tractatu ex eodem Pomponio refert i Vl- 10
pianus

c L. plerique. 18. De in ius vo.
d L. iniuriarum actio neque. §. si quem tamen. De iniur.
e L. Diuus. De seruit. rust.
f L. per agrum. C. de seruitut.
g L. qui pendente. De act. empti.
h L. thesaurus. Ad exhib.
i L. Iulianus. 9. §. 1. Ad exhib.

10 pianus his verbis: Glans ex arbore tua in fundum meum decidit. eam ego immis-
so pecore depasco. qua actione possum teneri? Pomponius scribit, competere
actionem ad exhibendum: si dolo pecus immisi, vt glandem comederet. Nam
& si glans extaret, nec patereris me tollere, ad exhibendum tenereris: quemad-
modum si materiam meam delatam in agrum suum quis auferre non pateretur.
Et placet nobis Pomponij sententia, siue glans extet, siue consumpta sit. Sed si
extet, etiã interdicto DE GLANDE LEGENDA vt mihi tertio quoque die
legendæ glandis facultas esset, vti potero, si damni infecti cauero.

IN XIIII.

SI IN TVO ALIENVM PECVS PASCATVR, DE PASTV PECORIS ACTIO ESTO.

1. De pastu pecoris actio vbi competat? & quotuplex sit? num. 4. 5. 10.
2. 3. Actio hac diuersa est ab actione de pauperie.
6. Quæ per iniuriam depasta sunt, de ijs datur vtilis actio ex L. Aquilia.
7. Romani tenuissimarum etiam rerum iura persecuti sunt.
8. Athenienses quondam, ex Lege Draconis olusculi etiam furtum seuerè puniebant.
9. Cimonis agri Athenis omnibus patebant.


X Vlpiano, descriptum est hoc caput, qui commemorat, fuisse Le- *a. L. qui seruandarum. §. vlt. de*
gem XII. Tab. de pastu pecoris; si in tuo alienum pecus pasceretur. *præscrip. verb.*
1 Atq; hæc quidem legitima de pastu pecoris actio tum propriè com-
petebat, cùm in meo tuæ pecudes meum aliquid depastæ essent, na-
2 turam suam secutæ: sicuti erat actio de pauperie quadrupedis, si animal contra
naturalem suam consuetudinem damnum dedisset. Scio Paulum in libris Re-
ceptarum sentent. videri confundere, aut saltem conferre atque comparare a-
3 ctionem de pastu pecoris, cum actione de pauperie. Sed actiones esse diuersas
4 & dissimiles, verius est. Ac duplex quidem esse potuit de pastu pecoris actio. Si
in meum fundũ tua pastorisue tui culpa immissæ essent tuæ pecudes, quæ meum
aliquid depastæ sunt: in solidum de damno dato ageretur: frustraque animal
noxæ dederetur. Magis enim propter hominis delictum, quàm pecudis factum
5 tunc agitur. Si sine culpa tua fundum meum ingressæ pecudes sint: de earum
pastu non teneberis, nisi quatenus ex eo locupletior factus es: sicuti & vbi in tuo
fundo meas glandes depastæ essent tuæ quadrupedes. quo quidem casu agi pro-
priè non posse fatetur Vlpianus, vel de pastu pecoris, vel de pauperie, vel damni *b. L. 4. §. vlt.*
iniuria dati: sed in factum tamen agi posse ait: nempe, quatenus inde locuple-
tior est dominus pecoris. Quòd si eùm glandes meæ in tuum fundum decidis-
6 sent, immiseris tuas quadrupedes, vt eas depascerentur, daretur vtilis actio ex Le-
ge Aquilia. Sic enim Diocletianus rescripsit; de ijs, quæ per iniuriam depasta *c. L. vlt. C. de*
sunt, ex sententia Legis Aquiliæ agi posse. Ne quis autem miretur, aut Decem- *leg. Aquil.*
uiros rideat, tam leuibus etiam rebus occupatos; meminerit, non temere Cice-
7 ronem veteres Romanos tantopere laudare, qui tanta diligentia prudentiaque
præditi fuerint, vt omnia omnium etiam tenuissimarum rerum iura persecuti
sint. videbant enim, quàm si è Rep. nullam planè cuiquam, ac ne minimam qui-
8 dem iniuriam fieri. Audiebantque etiam Decemuiri, Athenis ex lege Draconis
olusculi quoque furtum acerbissimè punitum esse. Viderant quidem tres illi
9 Legati, qui Athenas missi fuerant, Cimonis clariss. ducis agros, amotis ædificiis
vndiq; macerijs, omnibus patere egenis ciuibus hominibusq; peregrinis, vt quis-
que poma frugesque depascere posset. Sed vnius viri & locupletis & auram po-
pularem tali munificentia ambitiosè captantis singulare exemplum intellige-
bant Romani non esse, nec esse posse aut debere, Legem publicam ac commu-
10 nem. Quid? quòd frugem aratro quæsitã furtim noctu pauisse, non minus quàm
secuisse, capitale sanxerunt XII. Tabulæ, vt & Plinius lib. 18. cap. 3. testis est, & nos
suo postea loco dicemus copiosius.

IN XV.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECERIT, EI CVIVS INTERERIT, ADVERSVS EVM QVI DOMINVS ERIT QVADRVPEDIS, ACTIO NOXALIS ESTO.

1. *Actio ob pauperiem à quadrupede factam data Athenienſibus à Solone eſt.*
2. 3. *Actio hæc an ad feras quoq; beſtias pertinuerit? & an ad ſolas quadrupedes? num 8.*
4. *Actioni Aedilitiæ vbi locus fuerit?*
5. *Actio ob pauperiem noxalis eſt; cum nimirum ignoratur, quis animal concitauerit.*
6. *Quid, ſi quadrupes alia aliam concitauerit? & occiderit?*
7. *Quid, ſi equo meo equam tuā ſubieceris vt prægnantem haberes?*
9. *Pauperies in hac lege quid ſignificet?*
10. *Actio hæc datur etiam ei cuius intereſt.*

Dictum eſt proximo capite quid Decemuiri ſtatuerint, vbi animal ali- 1
quid depaſcendo ex naturali ſua conſuetudine damnum dedit. nunc videamus, quid iudicârint, vbi contra naturam, & aliunde commota quadrupes, pauperiem fecit. Audiebant Decemuiri Solonem apud Athenienſes iudicium eo nomine inſtituiſſe, & actionem dediſſe, quæ appellabatur βλάβης δίκη τῶν τετραπόδων (actio ob pauperiē à quadrupede factam) ſtatuiſſeq;, vt canis, qui damnum dediſſet, capiſtro quatuor pedum alligatus dederetur. Id imitari voluerunt, & ſuis tabulis caput vnum de pauperie quadrupedis aſcripſerunt. Iuſtinianus ſignificare videtur, a ſaltem Tribonianus exiſtimâſſe, in eo ita ſcriptum eſſe.

a. §.1 Inſtit. Si quad. paup. fec. dic.

SI EQVVS CALCITROSVS, CALCE PERCVSSERIT: AVT BOS CORNV PETERE SOLITVS, CORNV PETIERIT.

b. L. 1. §. 1. illo tit.

Sed Vlpianus indicat b verba hæc potius fuiſſe Seruij interpretis. Sententia in hoc genere quæ fuerit XII. Tab. ex eo, quod propoſui capite, obſcurum non eſt, additq; Paulus lib. 1. Sentent. cap. 15. idem etiam Lege Peſulania, de cane cautum fuiſſe. Ac 2
initio quidem obſeruandum eſt; hanc actionem de damno à quadrupede dato, propriè non pertinuiſſe ad feras beſtias, quæ genitali ſua naturalique feritate damnum dederunt; ſed ad eas quadrupedes, quę contra naturam cōmotæ & aliunde concitatæ fuerunt. quanquam Iuſtinianus c & de pauperie actionem cōcedat, 3
cùm quis, quà vulgo iter fit, habuit animal ferū, quod nocuit: & eam cum Aedilitia, quæ tum propriè dabatur, concurrere poſſe fateatur. Deinde & illud obſer- 4
uandum eſt, noxalem eſſe hanc actionem, & veluti in ſubſidium dari, cùm ignoratur quis animal concitauerit. Si conſtaret Titium concitâſſe alienum equum, 5
qui concitatus nocuerit, veluti calce percuſſerit: aduerſus Titium de damno dato ageretur, &, vt æquum eſt, excuſaretur liberareturque ipſius equi dominus. ſic-
uti & ſi propter culpam mulionis, quadrupes in aliquem onus euerterit: in eum de damno agetur d. Quinimo & ſi alia quadrupes aliam concitauerit, ſolus con- 6
citantis dominus ſaltem noxaliter tenebitur: & ſi altera alteram occiderit: eius, quæ aggreſſa eſt, occiſæ nomine ceſſat actio. alterius, quæ non prouocauerat, peremptæ cauſa datur actio noxalis e. Sane cùm agaſo in tabernam equum duceret, eoque mulam olfaciente, mula calcem reieciſſet, & crus agaſoni fregiſſet: reſponſum eſt f, agaſonem eum domino mulæ de pauperie agere poſſe. non enim equus propter amatorium illum ſuum olfactum, eam ad damnū dandum omnino concitâſſe videtur, vt propterea equi dominus teneri debeat. ſicuti & cùm quis equum permulſit vel palpatus eſt g, ſi equus eum calce percuſſerit, erit actioni locus. Hæc, atque id genus complura, tenuia quidem, ſed neceſſaria tamen, iuriſconſulti caput hoc XII. Tabularum explicantes excutere grauati non ſunt. In tenui labor, at tenuis non gloria, prudenter poſſe in rebus etiam leuiſſimis ius cuique ſuum reddere. Certè nec erubuit, nec grauatus aliquando Modeſtinus eſt, ex vltima etiam Dalmatia, Vlpianum conſulere h; quo modo teneretur, qui equo 7
meo equam ſuam ſubieciſſet, vt prægnantem haberet. Ab agaſonibus ipſis mulionibúſue conſuli non erubeſcebant noſtri prudentes: cùm & à caprarijs adiri conſulique ſe, nō recuſârit Antoninus Imp. i Et erant Romæ frequentiores huius

c. §. ceterum. ſi quad. paup. fec. dic.
d. L. 1. §. quòd ſi propter. Si quad. paup. fec. dic.
e. d. L. 1. §. cùm arietes.
f. L. vlti. illo tit.
g. d. L. 1. § at ſi cū.
h. L. ſi quis vxori. §. ſi quis aſinum. De furtis.
i. L. ſi quis domū. §. Imp. Locat.

generis

generis quæstiones, quàm vt contemni possent: sicuti nunc Lutetiæ alijsque in vrbibus populosis esse solent. Horatius lib. 2. epist. describens turbas platearum Rom. inquit;

Festinat calidus mulis gerulisque redemptor:
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum:
Tristia robustis luctantur funera plaustris:
Hàc rabiosa fugit canis, hàc lutulenta ruit sus.

In ea discursatione, Vrbisque confusione non poterant non infinitæ esse li-
tes de damno dato, deq; pauperie. Quales verò eæ turbas dedissent, nisi si viri gra-
ues & prudentes in ijs cõponendis toti fuissent? Ergo & Aediles suo edicto gra-
uiter prohibuerunt,[k] ne quis canem vel aliud nocens animal sine solutum, siue k. L. 40. 41. &
alligatum, haberet quà vulgo iter fit: quanquam domi alligatum habere licuisse 42. De Aedil. ed.
videatur. Dixi ea de re pluribus verbis ad Aedilitium. Illud nunc solum addam, § caterũ. Instit.
8 quod huius est loci; vtilem de pauperie actionem competere, & si non quadru- Si quad. paup.
9 pes, sed aliud animal pauperiem fecit:[l] Pauperiemq;[m] in hac lege, dici damnũ si- fec. dic.
ne iniuria facientis datum: neq; enim posse dici animal iniuriam fecisse,[n] quod l. L. hac actio. Si
10 sensu caret: Dari autem hanc actionem non solùm domino, sed etiã ei, cuius in- quad paup. fec. dic.
terest: veluti ei, cui commodata res est, item fulloni, ait Paulus.[o] Noxalem autem m. L. pen. illo tit.
esse: quia (inquit Vlpianus)[p] Lex XII. Tab. voluit, aut dari, quod nocuit, id est, id n. L. 1. § 1. illo tit.
animal, quod noxiam commisit: aut æstimationem noxiæ offerre. o. L. 2. illo tit.
p. L. 1. illo tit.

IN XVI.
PATRICII CVM PLEBEIS CONIVGIVM NE CONTRAHVNTO.

1. 2. *Appius Decemuir auctor Legis, Ne Patricij cum Plebeis coniugium contraherent; eademque paulo post sublata à C. Canuleio Tribuno plebis: num. 3.*
4. *Ciues Rom. esse oportuit coniuges; Item Athenienses; num. 6.*
5. *Periclis lex; non natos ex duobus Atheniensibus fore nothos.*
7. *Seruij Tullij filiæ, nuptæ suis auunculis, & num. 16.*
8. *Romani posteriores rationem contrahendarum nuptiarum religiosius descripserunt.*
9. *In nuptijs contrahendis quid potissimum spectari oporteat?*
10. *Cognata persona ob duas potissimum caussas à nuptijs inuicem prohibentur.*
11. *Inter consobrinos, patruelésue, nuptias leges Romanæ permittunt.*
12. *De gradibus cognationis duæ Regulæ Balduini.*
13. *Affinitatis collateralis nullam rationem habuerunt olim Romani.*
14. *Inter affines directo gradu superiores inferioresque, semper nuptiæ fuerunt prohibitæ.*
15. *Fratria cum leuiro; sororius cum glore, coniungi nõ possunt.*
17. 18. *An quis socer simul & gener; & aliqua priuigna simul & nouerca esse possit?*
19. *De trinoctio, quod à viro mulier abesset vsurpandi caussa. & num. 20. 21. 22.*
23. *De diuortijs atq; repudijs Lex XII. Tabularum.*

1 DIonysius Halicar. lib. 11. testis est; Inter posteriores duas Tabulas rela-
tum fuisse hoc caput, idq; Appium Decemuirum adiecisse, quòd, qui
diuulsam à Patribus esse Plebem cupiebat, vereretur, ne qua aut ne-
cessitudine aut affinitate Patres cum Plebe coniuncti facilè conueni-
2 rent, & in vnum veluti coalescerent. Sed vt hæc ab homine seditioso excogitata
Lex fuit, & necessariam in Rep. libertatem connubiorum interturbabat; sic etiam
3 facilè repudiata sublataq; est, quinto postquam edita fuerat anno, à C. Canuleio
Tribuno pl. perlata rogatione connubij promiscui Plebis cum Patricijs. Cæte-
rùm illud saltem semper obseruatum est, ciues Rom. esse debere coniuges, vt iustæ
4 essent nuptiæ, & Iure Quiritum probarentur iusq; patriæ potestatis in liberos es-
set. Audiebant Romani, Athenis legem esse latam à Pericle, nothos eos fore, qui
5 non nascerentur ex duobus Atheniensibus. Sed eam paulò pòst ipsi suo auctori
6 displicuisse, etiam audiebant. Illud tamen obtinuit, Athenienses esse debere con-
iuges, vt eorum nuptiæ iure Attico ornarentur. quod ostendit Demosthenes in
Orat. κατὰ Νεαίρ. Idq; Romani secuti sunt. Plura de nuptijs Decemuiri non addide-
runt, fortasse quòd existimarent, & iure Naturæ & Legibus Romuli, quod in eo
genere desiderari posset, satis esse constitutum: aut certè, exemplo Atheniensiũ,
magnam matrimonijs libertatem relinquebant. & audiebant, Romæ olim non
7 esse visas incestas nuptias filiarum Seruij Tullij Regis, suis auunculis nuptarum,

patris etiã consilio atq; consensu. Sed posteriores Romani ex Iure naturali publi- 8
caq; honestate & diligenter & religiosè descripserunt, quæ esset castissima cõtra-
hendarũ nuptiarũ ratio. nõ loquor de externis ritibus & ceremonijs. De ijs præ- 9
ceptis loquor, quæ naturalis ratio mutari nõ patitur, veluti de ætate legitima, de
cõsensu parentũ, de gradu cognationis. Ac priora quidem duo nihil habent dif-
ficultatis, vt intelligantur. De tertio vt rectè iudicemus, initio consideremus; cur
inter aliquos nuptiæ eo nomine prohibeantur, duas potissimùm esse causas. Aut 10
enim tam magna est sanguinis cõmunio, vt eum rursus misceri, pudor naturalis
nõ ferat: veluti inter fratrem & sororem. Aut verò parentes liberiq; sunt, vel esse
videntur; quos matrimonio iungi, contra pudorem quoq; naturæ est. Dixit Iu-
stinianus, inter eas personas, quæ parentum liberorúmue locũ inter se obtinent,
contrahi nuptias non posse. Quibus verbis continentur nõ modò parentes libe-
rique, sed & qui eorum loco sunt, nempe parentũ nostrorum fratres sororésue o-
mnes, & nostrorũ fratrum sororúmue omnes liberi. quibus si addas fratrem so-
rorémue, iam omnes personas enumerâris, à quarũ sit nuptijs abstinendum. Pri-
mũ nuptijs locũ esse posse iudicârunt Leges Rom. inter fratrũ liberos, hoc est, in- 11
ter consobrinos patruelésue; quia & tum diuersus longè iam abijt sanguis, & in-
ter eos nulla fit parentis filijue similitudo. Si consobrinã possim vxorem ducere;
multò magis eius filiam neptémue potero. Quid multis? Possum duabus, quibus
vti soleo, regulis non vulgaribus, rem hanc totã complecti. Vbicunq; duo cogna- 12
tionis gradus in ascendendo, & totidem in descendendo numerari possunt: nul-
la est nuptiarũ prohibitio. Vbi ij gradus nõ sunt: nec nuptiæ esse possunt. Ascen-
dentes voco gradus ad communem stirpem vel originem: descendentes, ad eam
quam volumus vxorẽ ducere. Quòd ad affinitatem attinet, nullã eius quæ (vt ita
loquar) collateralis esset, rationem habuisse, qua nuptiæ impedirentur, videntur 13
Rom. Leges vsq; ad tempora Theodosij Imp. In ordine verò directo superiorum
inferiorumque affinium, perpetua semper fuit prohibitio: veluti inter socerũ & 14
nurum, socrum & generũ, vitricũ & priuignam, nouercã & priuignũ. Sed fratriam 15
cum leuiro, aut sororium cum glore coniungi, primùm prohibuêre Valentianus,
Theodosius, Arcadius.[a] Ante Decemuiros fuerant cõtractæ Romæ nuptiæ, fune- 16
stæ illæ quidem, sed alioqui propter affinitatem non habitæ pro incestis, inter L.
Tarquinium, & Tulliam filiam Seruij regis, hoc est, inter leuirum fratriamque; &
rursus inter sororium atq; glorem. Nisi longius hîc euagari non auderem, nõ in-
uitus quærerem; an C. Iulio Cæsari, qui filiã suam Iuliã Pompeio elocârat, Pom- 17
peij ex alio matrimonio filiam vxorem petenti, sicuti eum petijsse testis est Sue-
tonius, aliqua Iuris Ciuilis ratio repugnârit. Nulla quidem propriè affinitas erât
inter Cæsarem & filiam Pompeij: sed eum, qui socer erat, fieri generum, & qui ge- 18
ner erat, fieri socerũ: rursus quæ priuigna erat, nouercam fieri, & quæ erat nouer-
ca, fieri priuignam: an Romanæ leges patiantur, non esset inepta quæstio. sed hu-
ius tamen propriè loci non est, esset autem multò magis Lex illa XII. Tab. cuius
meminit Gellius lib. 3. cap. 2. & Macrobius lib. 1. cap. 3. de trinoctio, quod abesse à 19
viro mulier deberet, vsurpandi causa. Sed quid ea sibi velit, ne coniectura quidem
consequi possumus; tantum abest, vt integram hanc Legem proferre liceat. Mo-
sellanus fatetur huius Legis ne vestigium quidem vllum superesse in Iurisconsul- 20
torum libris: sed conijcit tamẽ; morem fuisse ex XII. Tabulis, vt qui vxorem du-
ceret, trinoctium ab ea omni cõtactu abstineret. idq; emenso anno, & recurrente
nuptiarum die anniuersario, renouatum dimissa à se vxore per trinoctium. quod
quidem vsurpari dictum sit, tanquam hoc facto vsum vxoris in sequentem annũ
compararet, ita vt eo anno repudiare non velit. Non existimo hanc Mosellani con-
iecturam cuiquam facilè probari posse. Probabilior est Connani clariss. Iurisconsf. 21
Quoniam Lege XII. Tab. annuus esset rerum mobilium vsus; eâdem Lege cau-
tum fuisse, ne vxores veluti vsucaperentur, eas posse quotannis tribus noctibus
abesse à viro, vt vsucapionem interrumperent, atque vsurparent. Sunt qui planè
contrario modo, & vsurpandi verbum, & hanc Legem accipiunt: vt loqui intel- 22
ligatur de marito qui vxorem vsurpat, hoc est, planè suã facit, & sibi addicit: cùm
alioqui pater qui filiam elocaret, eam in potestate retineret, solumque eius vsum

marito

[a] L. fratris. De incest. nup.

marito daret. Sed in hisce tam obscuris vestigijs antiquitatis obsoletæ, quam quisque volet coniecturam sequatur. Ego, quod incertum esse video, certò affir-
23 mare non ausim. Porrò de diuortijs atque repudijs, Legem quoque aliquam fuisse in XII. Tabulis, ipse Cicero secunda sua Philippica, non obscurè significat. nam de Antonio loquens, Frugi (inquit) factus est. Mimam illam suam, suas res sibi habere iussit ex XII. Tabulis: causam addidit, exegit. Quædam tamen exemplaria non, CAVSAM ADDIDIT, sed CLAVES ADEMIT, habent. Idque hominibus eruditis magis placet.

IN XVII.
IN DECEM MENSIBVS HOMINEM GIGNI.

1. *De partus humani tempore magna semper fuit quæstio. & num. 15.*
2. *Iura ad ea adaptantur, quæ magis solent euenire.*
3. *Hippocratis, coætanei sui, sententiã secuti sunt Decemuiri. & cæteri deinceps Romani. num. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.*
11. *Mulier secũdo nubẽs ante tẽpus cur notetur infamia?*
12. *Quanto tempore maritos præmortuos elugere solitæ sint viduæ Romanæ?*
13. *Menses hic Lunares intelligi.*
14. *L. Papyrius Prætor, partui, tredecim mensibus post mortem nato, bonorum possess. dedit.*
16. *De pueris insignitis & deformibus an nihil in XII. Tabulis scriptum fuerit?*
17. *Non, quoties mentio Decemuirorum fit, autores statim XII. Tabularum intelligendi sunt.*

EX nuptijs soboles nascitur. sed vt ex nuptijs verè nasci, & mariti esse
cõstet, néue aut proles aliqua notha facilè supponi possit, aut impu-
dicis mulieribus liberũ sit, sua semper adulteria tegere obtentu ma-
trimonij: plurimũ Reip. interest de tempore humani partus aliquid
certi constitui: eoque etiam magis, quòd de eo magna semper fuerit quæstio at-
1 que controuersia. Existimat quidem Plinius lib. 7. cap. 5. nullum huic rei certum
tempus Naturam præstituisse; & hominem toto anno, incertoque gigni spatio.
Sed rem hanc incertam relinqui non posse sine magno Reip. malo, prudenter in-
telligentes Decemuiri, rectè iudicârunt; quod esse maximè solet humani partus
2 tempus, præstitutum esse videri, sequendumque id esse & inspiciendum: vt & Iu-
ra constitui atque aptari oportet ad ea, quæ magis euenire solent.[a] Scripserunt *a. L. 3. 4. 5. 6. De Iustit. & iur.*
ergo atque definiêrunt; in decem mensibus gigni hominem, non in vndecimo
mense, vt testis est Gellius. Viuebat eo tempore Hippocrates, quẽ huius esse sen-
3 tentiæ audiebant Decemuiri, cuiusq; in huius generis quæstionibus sententiam
& sequi debuerunt, & secuti semper Romani sunt. Nam & cùm quæreretur de al-
tero extremo huius temporis, hoc est, quando citissimè homo gigni rectè posset,
4 alium non profert autorem Vlpianus.[b] De eo (inquit) qui centesimo octogesi- *b. L. 3. § vlt. De suis & legit.*
mo secundo die natus est, Hippocrates scripsit, & Diuus Pius Pontificibus rescri-
5 psit; iusto tempore videri natum. Paulus quoque itidem respondit in hæc verba:
[c] Septimo mense nasci perfectum partum iam receptum est propter autoritatem *c. L. septimo. De stat. hom.*
doctissimi viri Hippocratis. Et ideo credendũ est, eum, qui ex iustis nuptijs septi-
mo mense natus est, iustum filium esse. Sanè tamen Paulus (vt nihil dissimulem)
Pythagoræos magis quàm Hippocratẽ secutus esse videtur, & locutus de septem
mensibus perfectis atque exactis, hoc est, de diebus decem & ducentis. Sic enim
ipse met lib. Sentent. 4. cap. 8. scribit; vbi & Pythagoræi numeri rationem allegat,
non autem Hippocratis. Quæ autem illa fuerit Pythagoræi numeri ratio, explicat
6 Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis. Sed Hippocratis melior est ratio, iudi-
cantis sex menses cõpletos & duos præterea dies esse satis, hoc est, centum & octo-
ginta duos dies cum particula tertij. Extat Hippocratis liber περὶ ἑπταμήνου. fuitque
etiam hæc sententia Polybij, vt refert Plutarchus lib. 5. de Dogmatib. philosoph.
7 Eam ergo & Romani secuti sunt, & Vlpianus noster disertè explicuit[d]. neq; du- *d. dic. 3. L. § vlt.*
8 bito placuisse & Decemuiris. Porrò idem Hippocrates in lib. περὶ τροφῆς, extremũ
alterum, summum nempe ac longissimũ pariendi tempus, decem mensibus exa-
ctis concludit. Ac fatetur quidem fieri posse, vt serius aliquando homo gignatur:
sed addit, si quando id fiat (fit enim perrarò) non multo serius fieri. idem in lib.
9 περὶ φύσιος παιδίου, non admittit partum vndecimi mensis. Hanc igitur eius senten-
tiam Decemuiri amplexi sunt, suisque Tabulis è Macedonia allatam inscripse-

 runt,

runt,& posteri,vt vt sæpe fuerit in controuersiam reuocata, confirmârunt com- 10
a. dic. L. 3. §. vlt. probâruntq;.Sic enim & Vlpianus noster a respondit; post decem menses mortis
mariti natū non admitti ad legitimā eius hæreditatem. Idem Vlpianus loquens 11
de Edicto Prætoris,infamia notantis mulierem, quę secundo nubit ante tempus,
f. L. Etherorum. §. 1. De his qui not. i. quo prior maritus elugeri solet,ait f id fieri propter turbationē sanguinis. g Fuis 12
se autem hoc luctus tempus tantùm decem mensium,scribit Ouid.lib. 1. Fast. vbi
de Romuli anno, qui decē mensium erat, loquitur, & hoc quoq; tempus esse ait,
g. L. 2. C. de secun. nupt. vtero matris dum prodeat infans. Vt autē id auxit duobus mensibus Theodosius, g sic
h L. Gallus. De lib. & posth. & Iustin. noluit iā pręcise decē mensibus partū cōcludi,quin & aliquid ei cōcesse-
rit ex vndecimo mēse:Sanè vulgaris olim fuit hęc instituēdi posthumi h formula:

QVI POST MORTEM MEAM IN DECEM MENSIBVS PROXIMIS NATVS ERIT.

Id enim frequentius solet accidere. Plautus quoque in Cistell. Tùm illa (inquit)
quam compresserat,decimo pòst mense exacto,hîc peperit filium.Sed quid plura
persequor? Aristoteles lib. 7. de Nat. ani.fatetur; sæpissime hoc accidere,vt deci-
mo mense mulier pariat.illud magis adjiciendum est; cùm decem menses hîc di 13
cimus,veteres illos Lunares intelligi qui triginta dierum singuli sunt. Sic decem
menses exacti efficiunt trecentos dies.Scribit quidem Plinius; L. Papyrium Præ- 14
torem bonorum possessionem dedisse partui tredecim mensibus post mortē ma-
rito.Sed viderit Prætor ille,qua ratione iudicium hoc suum tuebitur: viderit,ne in
suspicionem turpē veniat, cur tā liberaliter illi partui fauerit. Gellius ait,Adria 15
num Imp. aliquando decreuisse; in mense vndecimo edi partum posse. Sed hoc
decretum non fuisse receptum non obscurè significat: aitq; summū gignendi fi-
nem magis haberi decem menses exactos: & licet vndecimo mense hominē ali-
quando nasci scribat Aristoteles,veteres tamen Romanos huiusmodi quasi mō-
strosas raritates non recepisse. Ergo noster Iustin,in Nou.Cōstit 39.non dubitat,
vt certè dubitare minimè debuit; mulierē, quæ sub finem vndecimi mensis post
mortem mariti peperit,pronuntiare, ex eo marito prægnantem esse nō potuisse.
Κατὰ τὸν (inquit) ἑνδέκατον μῆνα ἀπηριθμημένον ἤδη τεκεῖν, ὥστε οὐκ εἶναι δυνατὸν εἰπεῖν, ὡς ἐκ τοῦ τελευτήσαντος
γένοιτο τὸ βρέφος. οὐ γὰρ εἰς τοσοῦτον ἡ κύησις ἐξετάθη χρόνον (sub finē vndecimi mensis peperit,
vt nequaquam ex defuncto fœtum susceptum queamus dicere, neq; enim fœtu-
ra ipsa in tam longum tempus protensa est.) Porrò libenter hîc adiecissem caput 16
XII. Tab. de pueris insignitis & distortis & deformibus,de quibus aliquid scriptū
in hisce Tabulis fuisse, obscurè indicat Cicero lib. 3. de Legib. Sed iam antea sum
professus, non posse me ne conijcere quale illud fuerit: & interea satis nobis esse
debet, quod de ijs dictum est ad vltimū caput Legum Romuli. Quod nunc pro-
posui caput de partu decem mensium,esse XII. Tabularum, ea imprimis conie-
cturaducor,quòd Gellius scribat decemuiros Rom.ita iudicasse. Neque verò ne-
scio Decemuiros sæpe Romæ creatos fuisse litibus iudicandis, neq; quoties De- 17
cemuirorum mentio fit,protinus autores XII. Tab. esse intelligendos: quod &
alio superius loco sum professus. Sed caput de partu decem mensium dignum vi-
sum mihi est quod hîc non prætermitteretur, & in re dubia potius ascriberetur
Decemuiris conditoribus XII. Tab, quàm ad alios referretur. Si tamen quis ali-
ter iudicat,per me illi integrum esto.

IN XVIII. & XIX.

PARENTIBVS LIBEROS TER VENDENDI IVS ATQVE POTESTAS ESTO. STATVLIBEROS VAENVNDARI POSSE.

1. De iure & statu Personarum cur pauca Decemuiri in suas Tabulas retulerint?
2. 3. Statuliberi vaenundari poterant: & dari hypothecæ: num. 4.

DE Iure & statu personarum, Decemuiri, Legibus Romuli hoc in ge 1
nere contenti, pauca in suas Tabulas retulerunt. Repetijsse autem
atque in eas retulisse quod Romulus statuerat de patria potestate fi 2
lijs a. ter vendendi, testis est Dionysius. Sed cùm totam hanc rem su-
periori libro copiosius exposuerim, non onerabo lectorem ociosa repetitione.
sicut nec illud pluribus hîc verbis exequiar,quod & cap. sequenti proponitur,& 3
Modestinus

Modestinus ait;[a] putauisse XII. Tab. statuliberos venundari posse. Certè eas secu- a.L.25.De statu-
tus videtur Martianus, cùm responderet;[b] posse statuliberum dari hypothecæ, li- lib.
4 cet conditione existente euanescat pignus. Huc que etiam pertinet, quod Vlpia- b.L.13.§.1. De pi-
nus ait;[c] statuliberum medio tempore seruum hæredis esse, & ideo noxæ dedi gnor.
posse. sed deditum sperare adhuc libertatem posse. nam deditionem non adime- c.L.9.De statu.
re illi spem libertatis. Quibus autem conditionibus statuliberi vendi possent,
multis etiam verbis Iurisconsulti tractant. Sed eos nunc non inuitus missos facio
atq; etiam manumitto, vt ad res grauiores atq; vtiliores pergamus.

IN XX.

VTI QVIS LEGASSIT SVPER PECVNIA TV-TELAVE SVAE REI, ITA IVS ESTO.

1.2. Testamento Tutores dati, L. XII. Tabul. confirmantur.

3. Pater filio exhæredato etiam dare Tutorem potest; mater non nisi instituto.

1 HOc caput reperi in veteri quodam fragmento scriptorum Vlpiani, qui
hisce verbis XII. Tabularum ait confirmari testamento tutores da-
tos. Sanè Paulus quoque scripsit;[a] quemuis, etiam extraneum, posse a.L.4. De confir.
tutorem testamento dare impuberi, si eum hæredem instituat, & pu- tut.
pillus extra ea nihil in bonis habeat. Certè æquum est, vnumquemque posse rei
2 suæ, quam relinquit alteri, nomine, tutorem dare. Modestinus,[b] Pater (inquit) b.L.4. De testam.
3 hæredi instituto filio vel exhæredato tutorem dare potest: mater autem non nisi tute.
instituto: quasi in rem potius, quàm in personam tutorem dare videatur.

IN XXI.

PARENTIBVS TVTORVM LIBERIS IN POTESTATE DANDORVM TESTA-MENTO, IVS ESTO.

1. Ὀρφανοφύλακες Atheniensium.

2. Decemuiri instituta Atheniensiũ diligẽter secuti sunt.

3.4. Lege XII. Tabul. permissum, liberis testamento Tutores dare: etiam posthumis. num. 5.

6. Iulius Cæsar, posthumo, si quis nasceretur, Tutores plures nominauit ex ijs qui eũ postea occiderunt.

7. Posthumi ferè pro iam natis habentur.

8. Paternus affectus maiore habendus quam externus.

9. Tutor Testamentarius satisdare non cogitur.

10. Voluntas patris rata est, quatenus pupillo vtilis est.

11. Pupilli vtilitatem non scripturam Testamenti prætor sequi debet.

QVo maior in Rep. rectè instituta, pupillorum cura habenda est, tanto
est etiam necesse magis, vt de eorũ tutoribus certa Lex exter. Audie-
bant Romani rem hanc valde fuisse & cordi & curæ Atheniensibus,
apud quos fuisse ὀρφανοφύλακας (orphanorum custodes) ipse quoq; Xe-
1 nophon in Poris testis est. Sed & Lysias clariss. orator Atheniensium meminit τῶν
νόμων, οἳ κεῖνται περὶ τῶν ὀρφανῶν (legum quæ de orphanis latæ sunt) Hoc itaque secuti
exemplum Decemuiri diligentissimè atque prudentissimè totam hanc rem pro-
2 curârunt, ac primùm patri hoc tribui voluerunt; vt testamento dare atque dili-
gere filio tutorem posset. Audiebant Ancum Martium Regem filijs suis tuto-
rem dedisse L. Tarquinium. Idem apud Græcos in vsu esse audiebant. Ergo Ca-
3 ius Lib. 4. ad Leg. XII. Tab. ait;[a] Lege XII. Tab. permissum esse parentibus, libe- a.L.1. De testa.
ris suis, siue masculini, siue fœminini sexus (si modò in potestate sunt) tutores tut.
4 testamento dare. Vlpianus scribit;[b] tutoris dationem neque imperij, neque b.L.muto. §.tu-
iurisdictionis esse; sed ei soli competere, cui nominatim hoc dedit vel Lex, vel torum. De tut.
Senatusconsultum, vel Princeps. vnde intelligimus dationem tutoris compete-
re etiam homini alioqui priuato, si Lex ita statuit: non competere vlli etiam Ma-
gistratui, nisi si id ei Lex nominatim tribuat. Addit autem Caius; scire nos impri-
5 mis hîc debere, etiam posthumis filijs posse tutores testamento dari. Et sanè Sue-
6 tonius scribit, Iulium Cæsarem testamentum facientem, plures ex ijs, qui eum
postea occiderunt, nominâsse tutores filij, si quis sibi nasceretur. Rationem au-
7 tem cur posthumis dari tutor possit, hanc adijcit Iustinianus;[c] quòd ij in com- c.§. cum autem.
pluribus alijs causis pro iam natis habeantur. Cùm idẽ Iustinianus traderet;[d] fu- Instit. De tute.
rioso filiofa. curatorem non esse dandum, quandiu in potestate patris est, qui cu- d.L.vlt.C.de cu-
8 ratoris ei loco futurus est, causam hanc adijcit: Quis enim talis affectus extraneus rat. fur.

inueniatur,vt vincat paternum? vel cui alij credendæ sunt res liberorum guber-
nandæ,parẽtibus derelictis? Hæc eadem ratio & causa esse videtur, cur tutoris te- 9
stamentarij à parente dati primus locus sit,tantumq; etiam ei tribuatur, vt satis-
date non cogatur; quia fides tutorum & diligentia ab ipso testatore approbata
e. §.1. De satisd. tutor. est,inquit Iustin.e Porrò autem quamuis XII. Tabulæ in hoc genere patri pluri-
mum tribuerint; Prætor tamen & ipse suam curam adiunxit, vt tum demum pa- 10
f. L.3. §. quamuis. De admi. tut. tris datio & voluntas rata esset, si pupillo esset vtilis. Vlpiani dictum est:f Quam-
uis ei potissimùm se tutelam commissurum Prætor dicat, cui testator delegauit;
attamen nonnunquam ab hoc recedetur: vtputa si pater minus perpenso consi-
lio hoc fecit;fortè minor XXV. annis;vel eo tempore fecit, quo iste tutor bonæ
vitæ & frugi videbatur,deinde postea idem cœpit malè conuersari,ignorante te-
statore:vel si contemplatione facultatum eius res ei commissa est, quibus postea
g. L.8. & 10. De confir. tut. exutus est. Tryphoninus quoque ait;g si morum antè celata vel ignorata emerse- 11
rit improbitas, Prætorem sequi debere vtilitatem pupillorum, non scripturam
testamenti. Reliqua de testamentaria tutela ex nostris in Institutiones commen-
tarijs repeti possunt.

IN XXII.

QVIBVS TESTAMENTO TVTOR DATVS NON EST, AGNATI TVTORES LEGITIMI SVNTO.

1. *Successionem in bonis pupilli sperantes, eadem ipsi tueantur. & num. 12.*
2. *Alcibiadis impuberis Tutores qui?*
3. *Charondæ lex agnatis tribuebat curam pupillarium bonorum; cognatis ipsius pupilli tutelam.*
4. *Educari pupillum Charondas noluit apud eos qui legitimi eius hæredes essent.*
5. *Plato tam cognatos quam agnatos esse vult Tutores.*
6. 7. *Legitima Tutela, tum ex XII. Tabulis, tum ex nouis postea legibus descendentis, differentia quæ?*
8. *Capitis diminutione legitimæ hæreditates quomodo pereant?*
9. *Decemuiri ciuile solummodo agnationis ius spectarunt in deferenda tutela legitima; posteriores leges naturalem cognationem.*
10. *De legitima Patronorum Tutela & num. 11.*
11. *De datiua Tutela nihil cauisse Decemuiros?*



a. L.1. De legit. tu. HVius capitis XII. Tab. testem habeo & Iustinianum & Vlpianum,a vt
alios omittam. additq; Vlpianus summam esse huius Legis proui-
dentiam,vt qui sperarent habere successionem,ijdem tuerentur bo- 1
na,ne dilapidarentur. Neq; verò dubium est hanc Legem ex Græcia
allatam esse. Certè mortuo Clinia Alcibiadis patre, Alcibiadis impuberis tutores 2
legitimi fuerunt Pericles & Ariphron,qui illi sanguine iuncti erant, sine vt loqui-
tur Plutarchus, προσήκοντες κατὰ γένος. & in quadam Lysiæ oratione non dissimile ex-
emplum legimus. Sanè Lex Charondæ apud Thurios, pauld ante Decemuiros la- 3
ta erat, quæ agnatis tribuebat bonorũ pupillarium curam, vtpote legitimis hęre-
dibus, maternis verò cognatis, ipsius pupilli educationẽ & tutelam. Noluit enim 4
pupillum apud eos educari, qui legitimi eius hæredes essent, sicuti eleganter nar-
rat Diodorus lib. XII. Plato legitimos in sua Rep. tutores esse vult tam maternos 5
cognatos, quàm agnatos, lib. XI. de Legib. Cæterùm diligenter admonendi su- 6
mus, legitimam tutelam ex XII. Tabulis descendentem, adeò dependisse ex quo-
dam agnationis iure, vt intercideret ciuili vel minima capitis diminutiõe, veluti
emancipatione, per quã agnatio perit. At legitima illa tutela, quæ ex nouis po- 7
stea legibus delata est pſonis naturaliter magis quàm ciuiliter designatis, eo mo-
b L. 7. tutelas. De cap. min. do non intercideret. Tradit hanc differentiam Paulus subtilissimè.b Tutelas (in-
quit) etiam non amittit capitis diminutio; exceptis his, quę in iure alieno positis
personis deferuntur. Igitur testamento dati, vel ex Lege, vel ex Senatusconsulto,
erunt nihilominus tutores; licet legitimę tutelę ex XII. Tabulis interuertãtur ea-
dem ratione, qua & hæreditates exinde legitimæ, quæ agnatis deferũtur, quia de-
sinunt esse, familia mutata. Ex nouis autem legibus & hæreditates & tutelæ ple-
runq; sic deferuntur, vt personæ naturaliter designentur; vt ecce deferunt hære-
ditatem Senatusconsulta matri & filio. hæc ille. Hæc autem eius esse videtur sen-
tẽtia. Tutela legitima, quã Lex XII. Tab. defert agnatis (quos & in iure alieno po-
nit statuitq;, hoc est, hæredes legitimos facit) quia defertur ciuili quadã ratione
agnationis,

agnationis,eaque hic spectatur magis, quàm naturalis alioqui cognatio; finito per emancipationem agnationis iure, & ipsa finitur, atque intercidit. at ex alijs legibus delatæ tutelæ, veluti quæ parentibus deferuntur, aut quæ à Magistratu dantur ex Lege Attilia, Iulia, aut Titia: quia in ijs non spectatur nec desideratur ciuilis illa ratio agnationis, sed naturali tantùm nomine deferuntur: sublata per emancipationem agnatione, nō pereunt. quod & de legitimis hæreditatibus di-
8 citur. Nam & Modestinus,[c] Capitis (inquit) diminutione pereunt legitimæ hære- *c. L. capitis. De*
ditates, quæ ex Lege XII. Tab. veniunt: quoniam desinit suus hæres, vel agnatus *suis & legiti.*
9 rectè dici. Quæ autem ex Legibus nouis, aut ex Senatusconsultis, non vtique. Obseruandum itaque est; Decemuiros in deferenda siue tutela, siue hæreditate legitima, solummodo spectâsse illud, quod subtiliter introduxerant, ciuile ius agnationis. Alias verò posteriores leges simpliciter considerâsse naturalem cognationem. quas & Iustinianus in hoc genere præcipuè probauit, vt apparet ex eius Nou. Constitut. C X V I I I. Porrò & tutela legitima patronis ex Lege XII. Tab. de-
10 fertur, non quidem (inquit Vlpianus)[d] specialiter vel nominatim; sed per conse- *d. L. 3. De legiti.*
quentias hæreditatum, quæ ex ipsa Lege patronis datæ sunt. quod etiam Iusti- *tut.*
nianus pluribus verbis explicat.[e] Et cui tandem in hoc genere cessisset, post po- *e. Instit. de legit.*
nesetúrve patronus? cùm nec agnatos habeat libertus, nec sit in potestate patris, *patr tut.*
à quo tutorem testamentarium accipiat. Vt autem legitima patronorum tutela
11 ex interpretatione XII. Tab. descendit: sic & eius exemplo, parentum quoque legitima tutela recepta est, vt si pater filium impuberem emancipauerit. Nam cùm ei ex edicto Prætoris eadem iura tribuuntur, quæ ex XII. Tabulis patrono dantur in bona defuncti liberti; consequens fuit, vt etiā tutela tribueretur. Nota est enim
12 iuris regula: Vbi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. De Legitimis tutelis plura dicta sunt suis locis. Earum originem & veluti fontes in XII. Tabulis aperuisse nunc sit satis. vnde apparet totam hanc Iuris Ciuilis partem, quæ latissimè patet, ad XII. Tabulas referendam esse. De tutore, quem Magistratus daret, si nec testamentarius, nec legitimus esset, nihil cauisse Decemuiri
13 nostri videntur: quanquam nec id Athenienses neglexerant: apud quos ei, qui dicebatur ἄρχων ἐπώνυμος, dandorum pupillis tutorum cura demandata est. Sed quod in hoc genere desiderabatur in XII. Tab. suppleuerunt, & prudenter cauerunt latæ postea Leges Attilia, Iulia, & Titia.

IN XXIII.

SI FVRIOSVS EST, AGNATORVM GENTILIVMQVE IN EO, PECVNIAVE EIVS POTESTAS ESTO.

1. *Furiosus & prodigus rerū suarū domini esse prohibētur.*
2. *Ad agnatos & gentiles quid?*
3. *Furor quid? & plus quam insania; num. 4.*
5. *Parentes, & filij præferuntur agnatis & Gentilibus in curatione furiosorum.*
6. *Sophocles à filijs suis in iudicium vocatus, vt furiosus.*
7. 8. *Prætor non nisi causa cognita agnatos ad curationem furiosi admittit.*
9. *Curator tam corpus quam patrimonium furiosi tueri debet.*
10. *Responsa prudentum de curatione furiosorum, quasi commentarij sunt ad XII. Tabulas.*

DEscripsi hoc caput ex Ciceronis libro secundo de Inuentione. Idem Cicero lib. 3. Tuscul. Quæst. ait XII. Tabulas vetare furiosum suarum
1 rerum esse dominum. Iustinianus quoque ait[a] furiosos & prodigos, *a. §. 3. Inst. De cu-*
maiores 25. annis, in curatione esse agnatorū, ex Lege XII. Tab. Atq; *rat.*
hinc natum est prouerbium illud, cùm veteres quem furere significabant, dice-
2 bant; ad agnatos & gentiles deducendum esse. Porrò Tullius, optimus interpres,
3 furorē hic dici ait, mentis ad omnia cæcitatē; & maius quippiā esse quàm insani-
4 am. proptereaque notat non fuisse scriptum in hac lege, SI INSANVS, sed, SI FVRIOSVS. Insaniam esse ait inconstantiam sanitate vacantē; sed quæ tamen possit tueri mediocritatem officiorum, & vitæ communem cultum atque vsita-
5 tum. Agnatos & gentiles cùm vocari dicimus ad curationem insanorum, paren-
tes tamen præferri ex constitutione Iustiniani meminerimus:[b] deinde & filios. *b. L. vlt. C. De*
Quamuis enim dubitatum olim fuerit, filióne sano & frugi daretur patris fu- *cur. fur.*
riosi

riosi curatio; dari tamen obtinuit.[c] idque etiam Græcis placuisse facilè mihi per-
c. L. hi qui in ea. De tute. & cur. da. ab his. L. 2. & 4. de cur. fur. suadeo. Vocatus est à suis filijs Sophocles in iudicium, vt tanquam furiosus & de- 6
sipiens à re familiari remoueretur, curatoremque acciperet; cùm propter studi-
um scribendarum tragœdiarum in summa senectute rem familiarem negligere
videretur. Absolutus tamen est, cùm carmen protulit, quod minimè desipientis
erat. Cæterùm verè furiosus si fuisset, non dubitâssent Græci illi Iudices, filios sa-
pientes curatores dare. Porrò quamuis Lex ipsa curationem furiosi agnatis de- 7
ferret, Prætor tamen suas interposuit, vt causa cognita iudicaret, & an verè furio-
sus alter esset, & an agnatus videretur idoneus curator; eum enim alioqui remo-
d. L. sæpe. 13. De cur. fur. uebat. Dictum a Pauli nostri est: Sæpe ad alium è Lege XII. Tabularum curatio fu- 8
riosi aut prodigi pertinet: alij Prætor administrationem dat: scilicet cùm ille le-
gitimus, inhabilis ad eam rem videatur. Curatori in furiosum eiusque bona po-
testatem dant XII. Tabulæ. Curatorem suo consilio & opera tueri debere non 9
e. L. consilio. De cur. fur. solùm patrimonium, sed & corpus & salutem furiosi, ait Caius.[e] Bona furiosi cu-
rator alienare potest & obligare, si ad vtilitatem furiosi id pertineat, negocio-
rumq; administrationem. Donare, dedicare, aut seruis libertatem præstare non
f. L. Iul. §. 1. cum duab. seq. L. vlt. De cur. fur. potest.[f] Sic diligenter Iurisconsulti definierunt, quænam illa esset potestas, quam
curatori furiosi, sua lege dari Decemuiri voluêre. Et sanè scripta responsaque Pru- 10
dentum in hoc genere, diceres commentarios esse ad XII. Tab.

IN XXIIII.

PRODIGO BONIS INTERDICTVM ESTO: ISQVE IN CVRATIONE AGNATORVM ESTO.

1. *Prodigo interdicitur bonorum administratione.*
2. *Decemviri in conscribendis XII. Tabulis colligere etiam iussi sunt quæ moribus recepta erant.*
3. *Lege aliaui & iure bonis interdici an idem sit?*
4. *Q. Fabio, Q. Fabij Maximi Allobrogici filio, bonis paternis interdictum à Q. Pompeio Prætore Vrbano.*
5. 6. 7. 8. *Bonorum cuiq; suorum libera relinquenda administratio.*
9. *Reip. interest, ne quis re sua male vtatur.*
10. *Inuiti etiam multi seruandi sunt.*
11. *Decoctorem Athenienses infamia notabant.*
12. *Areopagitarum in prodigos animaduersio.*
13. *Prouidendum magis ne quid fiat, quam vt factum puniatur.*
14. *Mulieri quoq; luxuriosæ bonis interdicitur.*
15. *Mulieres naturâ sunt auaræ.*
16. *Luxurioso, & perdituro, pecuniam nemo credere debet. & num. 17.*
18. *Bonis interdictum quibus est, nihil ad alium transferre possunt.*
19. *Prodigus tum pupillo tum furioso comparatur.*

IN veteribus quibusdam fragmentis scriptorum Vlpiani nuper editis
extant hæc verba: Lex XII. Tab. furiosum, itemque prodigum, cui
bonis interdictum est, in curatione iubet esse agnatorum. Idem Vl-
a. L. 1. De curat. fur. pianus in Pandectis ait;[a] Lege XII. Tab. prodigo interdici bonorum 1
suorum administratione, idque moribus ab initio introductum esse. Nam & De-
cemuiri, cùm suas XII. Tab. conscriberent, colligere quoque iussi sunt, quod 2
Romæ esset moribus iustaque consuetudine receptum. Sæpe in Pandectis oc-
b. L. is cui. De testa. L. mutum. 6. 1. De acq. hered. currunt hæc verba;[b] IS CVI LEGE BONIS INTERDICTVM
EST. Intelligi autem Legem XII. Tab. dubium non est. Neque verò aliquis 3
existimet, ipso propterea iure, prodigo bonis interdictum esse intelligi. Imò ve-
rò & iudicis sententia fuit opus, qui causa cognita interdiceret ex Legis autori-
c. L. Iulianus. De cur. fur. tate. Sic Iulianus ait;[c] eos quibus per Prætorem bonis interdictum est, nihil ad
alium transferre posse. & Paulus lib. 3. Sent. tit. 5. commemorat solennem verbo-
rum formulam, qua Prætor prodigo bonis interdicere solebat. Et Valerius Max.
lib. 3. cap. 5. scribit; Q. Pompeium Prætorem Vrbanum paternis bonis interdi- 4
xisse Q. Fabio clarissimi viri Q. Fabij Maximi Allobrogici filio, qui perditam lu-
xuria vitam agebat. Fabius Allobrogicus Consul cum Opimio fuerat annis post
XII. Tab. 330. Filius eius Fabius, cui bonis interdictum est, filium habuisse
videtur Fabium Maximum, qui Consul fuit cum C. Iulio Cæsare. Hoc exem-
plum pluribus verbis commemoró, & hominem describo, vt vsum & autori-
tatem huius capitis XII. Tab. magis intelligamus. Nunc eius autores Decem-
uiros quid permouerit, videamus. Passim quidem leges Rom. tradunt; vnicui-
d. L. 2. si à parentibus ma. fue. que liberam esse bonorum suorum administrationem relinquẽdam. Caius ait;[d] 5
iniquum

iniquum esse, ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienatio-
nem. Vlpianus adijcit;e Si quis re mea vti me non permittat, iniuriarum conue-
niri posse. Constantinus Imp.f profitetur suæ quenque rei & moderatorem esse
6 & arbitrum. Arcadius & Honorius,g Iustum est (inquiunt) sua cuique commit-
tere. Et sanè nihil esse tam naturale, quàm voluntatem domini rem suam in ali-
um transferre volentis ratam esse, ait Iustinianus.h idque si vsquam, Romæ sem-
7 per diligentissimè seruatum est. Hæc sunt (inquit Cicero pro Cæcinna) firmissi-
ma fundamenta [illegible] Ciuitatis sui quenque iuris & dimittendi & retinendi
esse dominum. Hæc non ignorabant Decemuiri. subuertere verò minimè omni-
um volebant: sed prudenter tamen iudicabant cauendum esse, ne hæc esset per-
niciosa libertas: eorumque habendam rationem intelligebant, quibus neque fi-
8 nis neque tempus expensarum neque modus vllus est. Vlpianus i sæpe significat,
9 latius vti re sua quem posse: imò & si bona fide sit re aliena liberalius abusus, ex-
cusari.k Sed videbant etiam Decemuiri Reip. interesse, ne quis re sua malè vta-
10 tur, & infinitis profusionibus frænum injiciendum. Intelligebant multos etiam
11 inuitos seruandos esse. Quid multis? Audiebant, ex Lege Solonis apud Atheni-
enses eum infamia notari, qui patrimonium decoxisset, atque adeò lege omni-
um Græcorū arceri eum foro & concionibus; sicuti apparet ex oratione AEschi-
nis contra Timarchum, Audiebant ipsos etiam Areopagitas, prodigum intem-
12 peranter viuentem, quem Asotum vocant, vtpote quem sibi ipsi relictum vix sa-
lus ipsa seruare posset, non aliter quàm criminis alicuius reum, & in ius vocare &
punire. Sic enim Athenæus lib. 4 ait: [illegible]
An his exemplis non mouerentur Decemuiri, qui & Remp. saluam esse, & sin-
gulos ciues seruare cupiebant? neque verò expectandum esse, vt quis patrimoni-
um omne suum profudisset; sed potius cauendum, omnino profundere ne quis
13 posset, prudenter viderunt. Prudentis enim Legislatoris est, dare potius operam
ne quid fiat, quàm vt factum puniatur. Tempestiuè itaque prodigo & bonis in-
14 terdici & curatorem dari voluerunt. Mulieri quoque luxuriosè viuenti bonis in-
terdici ait Paulus,l Rarum quidem est, vt mulieres prodigæ sint, quæ natura sunt
15 auaræ, vt est apud Vlpianum & Constantinum.m Vbi tamen vel impudicis amo-
ribus vel comessationibus sese dedunt, hoc est, luxuriosè viuere incipiunt; nullis
sumptibus parcunt, & modum adhibent nullum, & minus quidem quàm viri.
Quid? quod Vlpianus ait,n si adolescens luxuriosus mandet tibi, vt pro meretri-
ce fideiubeas; idque tu sciens mandatū susceperis; non habere te mandati actio-
16 nem: quia simile sit; quasi perdituro pecuniam sciens credideris. Ergo quamuis
nondum sit ei bonis interdictum; quia tamen luxuriose viuit; noluerunt Roma-
ni eius libidines atque profusiones adiuuari. Atque vt magis omnes deterreren-
tur, ne quid ei ad sumptum faciendum suppeditarent; responsum est;o non esse
17 bonæ fidei emptorem, neque vsucapturum, qui emit seruos à luxurioso, & qui
pecuniam protinus scorto daturus est. Adeò Leges Romanæ dissolutam huius
generis hominum vitam alere noluerunt. Superest vt videamus quæ vis sit; quæ
potestas adempta; quæ siti iuris ratio; vbi prodigo bonis interdictum est. Id verò
18 Iulianus,p non multis verbis explicat. Is (inquit) cui bonis interdictum est, stipu-
lando sibi acquirit; tradere verò, vel promittendo obligari non q potest. Idem Iu-
lianus alio loco ait eos, quibus per Prætorem bonis interdictum est; nihil ad aliū
transferre posse. Sed r nec testamentum facere possunt. Possunt s tamen hæredes
instituti adire hæreditatem. Cæterùm ex suo contractu obligari non possunt, ne-
que obligationem nouare, nisi meliorem faciant suam conditionem. Quid
multis? Prodigus t, cui bonis interdictum est, pupillo tutorem habenti comparа-
19 ri solet, quod ad acquirendum attinet: Quod v verò ad se obligandum, furioso:
adeò vt fideiussor pro prodigo promittere interueniens, ne naturaliter quidem
obligetur, non magis quàm si pro furioso interuenisset. Cæterùm x vbi ex re ipsa
actio veniret, sicvt obligari furiosus & prodigus possent ex negocio gesto; mirū
non est, fideiussorem obligari.

e. L. 13. in iniu. actio. §. 8. si quis me. De iniur.
f. L. in re mandata. C. mand.
g. L. nemo extraneus. C. De iudæ.
h. §. tradita. Instit. De rer. diuis.
i. t. sed & si lege. De petit. hæredit.
k. d. L. sed & si lege. §. consuluit.
l. L. & mulieri. De cur. fur.
m. L. si stipu. §. si vxor. De do. inter vir. & vxo. L. si à spon. §. quod si spon. C. de donat. ante nupt.
n. L. si verò. §. si adol. Mand.
o. L. si quis. Pro empt.
p. L. is cui bonis. De verb. oblig.
q. L. Iulia. De cur. fur.
r. L. is cui lege. De testam.
s. L. mutum. §. t. De acq. hæredit.
t. L. 3. De noua.
v. L. is cui bonis. De verb. oblig.
x. L. 25. Marcellus L. 80. si à reo. §. si à furioso. De fideiuss.

IN

IN XXV.

SVSPECTI TVTORIS IVDICIVM ESTO.

1. *Suspecti crimen ex L. XII. Tab. descendit.*
2. *Tutelæ iudicium inter summa refert Cicero.*
3. *Suspecti Tutoris iudicium quasi publicum est.*
4. *Tutor propter dolum nonnunquam à Prætore ad vrbis præfectum remittebatur puniendus.*
5. *Suspectus sine accusatione quoq; poterat repelli.*
6. *Suspecti iudicio pendente, postulato Tutori bonorum pupillarium administratione interdictum est ipso iure.*
7. *Creditori iam condemnato etiam rectè soluitur; secus in Tutore saltem postulato.*
8. *Cresphon pupillos suos Messene defraudat.*
9. *Cresphontis vox; Pecuniam summum esse bonum humani generis.*
10. *Cresphontis etiam exemplo commoti & Decemuiri, suspecti iudicium instituerunt.*
11. *Actio de rationibus distrahendis contra Tutorem quæ?*

a. L. 1. De susp. tu. §. 1. Insti. De susp. tut.



Lpianus Iustinianusque aiunt; a suspecti crimen ex Lege XII. Tab. 1
descendere. Cicero quoque lib. 3. Offic. scribit; dolum in tutela, fuisse
vindicatum Lege XII. Tab. Idem in oratione pro Cæcinna ait; turpe iudicium dari aduersus eum, qui per tutelam fraudâsset aliquem.
Et pro Roscio Comœdo, inter iudicia summæ æstimationis & penè 2
capitis, refert iudicium tutelæ: sicuti & Leges Ciuiles infamia notant tutorem
suspectum, qui propter dolum à tutela remotus est. Atque hoc quidem suspecti 3
tutoris iudicium, quasi publicum esse ait Iustinianus. Eius enim accusationem 4
omnibus patêre. Nempe, si Prætor iudicaret tutorem propter suum dolum grauiori, quàm sit infamia, pœna dignũ esse, remittebat ad Præfectum Vrbis, qui in
eum, tanquam criminis alicuius grauioris reum, animaduerteret. b Sed & sine accusatione poterat suspectus tutor repelli, si Prætori liqueret ex apertissimis re- 5
rum argumentis, suspectum eum esse. Idque fauore pupillorum recipi ait Vlpianus. c Illud quoque singulari eorum fauore receptum est, vt pendente suspecti iu- 6
dicio, intelligatur ipso iure tutori postulato interdictum bonorum pupillarium
administratione: adeò, vt si illi debitor pupillari sciens solueret, non liberaretur:
d cùm tamen alioqui rectè soluatur creditori non modò reo alicuius criminis, 7
sed iam etiam condemnato. e Plura singulari iure in hoc iudicio constituta ex
Pandectis licet colligere. nos præcipua capita obiter attigimus, vt ostẽderemus,
quid de hoc iudicio posteritas iudicârit, quod à Decemuiris institutum fuit. Atque hos quidem id instituisse, neminemque pati voluisse, suspectum tutorem impunè grassari, nemo, opinor, mirabitur, qui meminerit, quàm ijs fuerit, vt esse debuit, & cordi & curæ salus pupillorum. Sed & meminisse poterant, quales paulò
ante eorum tempora tragœdiæ huius generis in Græcia fuerant. Euripides narrat Cresphontem quendam improbum perfidumque tutorem pupillis suis Mes- 8
senem fraude eripuisse; hancque eius vocem fuisse; Pecuniam summum esse bo- 9
num humani generis; virtuti etiam & pietati anteferendam. Hanc vocem & turpem & sceleratam cùm Athenis in Theatro Populus audiret, iusta indignatione commotus & actorem & Poëtam explodere voluit. Sed prodiens in medium Euripides, orauit, finem vt fabulæ audirent. audituros enim, quàm graues pœnas dederit hic tutor, quamque tragicum vitæ exitũ sortitus sit. Actum id fuit Athe-
nis vix annis viginti ante Decemuiros. Recens itaque eius erat memoria: vt veri- 10
simile quoque sit eius exempli recordatione cõmotos eos fuisse. Ac periculum sanè erat, ne & ipsi cum suis Tabulis eijcerentur, si nullum suspecti tutoris iudicium, pœnam aut coërcitionem nullam, instituissent. Porrò præter iudicium su-
specti tutoris, prodita est iure Ciuili actio de rationibus distrahendis in duplum 11
aduersus eum, qui in tutela gerenda rem ex bonis pupilli abstulerit. Adde quod
Paulus ait; f ob fœnus pupillaris pecuniæ per contumaciam non exercitum, aut fundorum omissam comparationem, tutorem,
si non ad damnum resarciendum idoneus est,
extra ordinem coërceri.

b. L. 1. §. solent. De officio præf. vrb.
c. L. 3. §. præterea. De suspec. tut.
d. L. quod si fortè. §. 1. De solut.
e. L. reo. De solut.
f. L. 2. De tutel. & rat. distr. L. 49. ob fœnus. De adm. & peri. tuto.

IN

IN XXVI.

VTI QVIS LEGASSIT REI SVAE ITA IVS ESTO.

1. *Testamentis Romani etiam ante XII. Tabulas vsi sunt; & num. 40.*
2. *In legem de iure Testamentorum Græci omnes consenserunt.*
3. *Solonis lex de Testamentis.*
4. *Decemuirorum lex de Testamentis; & quæ solennia adhiberi solita sint? num. 41.*
5. *Legandi verbo generaliter vsi sunt Decemuiri.*
6. *λέγειν & λῆξις Græcis quid?*
7. *Testandi libertas posterioribus legibus quomodo imminuta sit? & num. 23. 24. 25. 27. 42.*
8. *Legibus XII. Tabul. iura adhuc vltimarum voluntatum accepta ferenda sunt. & num. 11. 12. 13. 14.*

9. 10. *Inter testamenta & agrorum delitia discernendũ.*

15. 16. *Decemuiri quomodo liberos exheredari permiserint; secus quàm Solon. & num. 19. 22.*

17. 18. *Epitadis apud Græcos lex, de potestate exheredidandorum liberorum, repudiata.*

20. 21. *Aristoteles cur filium exheredidari posse velit; & non contrà à filio patrem?*

26. *De Testamento inofficioso querela vnde extiterit?*

28. *Posthumum alienum quomodo Iustinianus affirmet vetusto iure ciuili heredem institui non potuisse?*

29. *In vtero quod est an animal sit?*

30. *Testamentum præterito filiofa. an ex XII. Tab. inutile fuerit?*

31. *Galli Aquilij formula de posthumis ritè instituendis; & de Lege Vellæa, num. 32. 33. & Fal. 35. 36.*

34. *Legandi libertas Romæ immmuta LL. Furia & Voconia & eadem restituta. num. 37. 38. 39.*

1 TEstamentis, iisque etiam scriptis, vsi Romani sunt ante XII. Tabulas. Nam & tempore Coriolani sua in procinctu testamenta habuêre, vt testis est Plutarchus. Sed testamentorum libertas maior, certiorque autoritas fuit editis XII. Tabulis. neque tamen Lex hæc sine exemplo aliarum quoque Gentium edita est. Audiebant Decemuiri Græcos, cùm quidem
2 de alijs Iuris partibus parum inter sese conuenirent, in hanc tamen vnam de iure testamentorum, tanquam naturalem Legem, omnes consentire. Sic enim Isocrates in Aeginetico scribit:

Σκέψασθε νόμον ταῖς διαθήκαις βοηθοῦντα, ὃς δοκεῖ τοῖς Ἕλλησι καλῶς κεῖσθαι. τεκμήριον δὲ μέγιστον. περὶ μὲν ἄλλων διαφέρονται, περὶ δὲ τούτου πάντες τ' αὐτὰ γνώσονται (cõsiderate legem, quę testamentis suffragatur, Græcis vehementer probatam. cuius rei maximũ illud argumentum est, quod cum alijs de rebus dissentiant, de hac statuunt idem omnes.)

Audiebant Solonem Athenis Legem huius generis tulisse; quæ, cùm sum-
3 mam testamenta facturis libertatem tribueret, ijs saltem qui sanæ mentis essent & orbi, eorumque supremam voluntatem tueretur, magno Populi Atheniensis applausu excepta fuerit, semperq́; religiosissimè obseruata, vt erat certè & æquissima & prudentissimè scripta. Quam quidem Solonis Legem testamentariam, ad cuius exemplum Romanæ postea leges compositæ sunt, totamq́; eius rationem & causam initio hîc proponere, operæpretium fuerit. Ergo Plutarchum audiamus de Solone loquentem:

Εὐδοκίμησε τῷ περὶ τῶν διαθηκῶν νόμῳ. πρότερον γὰρ οὐκ ἐξῆν, ἀλλ' ἐν τῷ γένει τοῦ τεθνηκότος ἔδει τὰ χρήματα καὶ τὸν οἶκον καταμένειν. ὁ δ' ᾧ βούλεταί τις ἐπιτρέψας, εἰ μὴ παῖδες εἶεν αὐτῷ, δοῦναι τὰ αὐτοῦ, φιλίαν τε συγγενείας ἐτίμησε μᾶλλον, καὶ χάριν ἀνάγκης, καὶ τὰ χρήματα κτήματα τῶν ἐχόντων ἐποίησεν, οὐ μὴν ἀνέδην γε πάλιν, οὐδ' ἁπλῶς τὰς δόσεις ἐφῆκεν, ἀλλ' εἰ μὴ νόσων ἕνεκεν ἢ φαρμάκων, ἢ δεσμῶν ἢ ἀνάγκῃ κατασχεθεὶς, ἢ γυναικὶ πειθόμενος. (Bene audijt laudemque consecutus est lata lege de Testamentis. antea enim (testari) non licebat, sed necesse erat pecuniam & domum in familia defuncti permanere. At Solon, permittens vt is, cui liberi non essent, sua quibus vellet legaret; amicitiam consanguinitate, gratiamque necessitate potiorem habuit; bonorumque & fortunarum integram possessionem dominis tribuit. Non tamen absque omni conditione testandi licentiam admisit, Sed eius modò ratum esse Testamentũ voluit, qui non morbis, non veneficio, non vinculis aliáue necessitate coactus, aut ab vxore persuasus id condidisset.)

4 Decemuiri primũ illud præcipuumque caput simpliciter amplexi sunt, suisq́; Tabulis adscripserunt his verbis:

VTI QVISQVE LEGASSIT SVÆ REI ITA IVS ESTO.

Quæ duobus locis commemorantur in Pandectis,[a] & à Iustiniano repetuntur tum in Institutionibus, tum etiam in Nouel. Constit. XII. quo quidem etiam loco cùm Legem hanc antiquissimam esse dixisset, ad eius exemplum sua lingua subijcit; *Ἔστω νομοθέτης ὁ διατιθέμενος* (Disponentis voluntas lex esto.) Initio quod ad
5 legandi verbum attinet, quo vsi Decemuiri sunt; sciendum est, eo generaliter eos

a. L. 120. verbi legis. De verb. signif. L. 1. Ad leg. Fal.

se vsos, sicuti posteritas verbo testandi vsa est. Et fortassis à Græcis hæc quoq; vox
sumpta est; apud quos λήγειν mori significat. nam & λῆξιν vocant defuncti hæredi- 6
tatem. Porrò summam illam testandi libertatem hac lege XII. Tab. concessam,
posterioribus legibus admodum imminutam fuisse constat & multis etiam a- 7
dempta est testamenti factio. multa testamentorum solennia introducta sunt. In
hæredibus ritè instituendis difficultas magna consecuta est. Sui hæredis præteri-
tio testamentum ipso iure rumpere cœpit, non minus quàm filij; interdumque
etiam fratris iniusta exhæredatio subuertere per querelam inofficiosi. Denique,
ad legata quod attinet, Lex Falcidia passa non est plusquam dodrantem bonorũ
legari, vt alia huius generis omittam. Sed præter hæc tamen, plurimum autorita-
tis semper vt tribueretur tabulis testamentisq; defunctorum, hæc Lex XII. Tab.
effecit; eique acceptum ferre debemus, quod de iure & vi testamentorum, & vl- 8
timæ voluntatis, passim occurrit in libris Iuris Ciuilis. Iudicat quidem Plato lib.
II. de Legibus, eos ineptè facere, qui tantum tribuant defunctorum voluntati- 9
bus, vt omnes etiam nutus morientium & tantùm non ægri somnia religiosè ob-
seruent, cùm quidem plerunque delirent, qui animam agunt. Verùm inter ægri
deliria, & testamenta hominis sanæ mentis prudenter discernunt legumlatores.
Ergo & Cõstantinus[b] Decemuiros nostros secutus, Ne sint (inquit) cassa morien- 10
tium iudicia. nihil enim est, quod hominibus magis debeatur, quàm vt supremæ 11
voluntatis liber sit stylus; & licitum, quod iterum non redit, arbitriũ. Certè Pau-
lus ait;[c] etiam publicè interesse, suprema hominum iudicia exitum habere. Qua-
re & Papinianus respondit[d], Principali Pontificalique autoritate compellendos
hæredes esse ad obsequium supremæ voluntatis. Quid multis? Iustinianus noster
in Non. Constit. 18. dixit; de testamentis plurima summo studio tradita esse ab
autoribus Iuris Ciuilis, iisque tantùm non plenos esse omnes legum codices. Sed
ea ferè omnia si dixero promanare ex XII. Tabulis, tanquam ex primo fonte, aut ex
huius saltem capitis causa prodiisse; nihil fortasse dixero quod verum non sit.
Principio de ijs, qui testamenta facere non possunt, illud saltem ex XII. Tabulis
descendit, quod Vlpianus ait;[e] eum, cui lege bonis interdictũ est, testamentum 13
facere non posse. Sed & XII. Tabulæ nominatim quosdam supplicij causa iusse-
runt intestabiles esse;[f] quos certum est ea ratione perdere ius testandi. Ius autem
hoc quàm latè patuerit, & quæ hac lege potestas tributa sit testatoribus, videa- 14
mus. Noster Pomponius ait,[g] verbis legis XII. Tab.

b. L. 1. C. de sacr. eccles.
c. L. vel negare. quemad. test. aper.
d. L. hereditas etiam. De peti. her.
e. L. is cui. De testamen.
f. dic. L. is cui. §. si quis. L. cum lege. De testamen.
g. L. [illegible] verbis legu. De verb. signif.

IS VTI LEGASSIT REI SVÆ ITA IVS ESTO
latissimam potestatem tributam videri, & hæredes instituendi; & libertates dan-
di; tutelas quoque constituendi. sed hoc ius coangustatum esse interpretatione
legum, vel autoritate iura constituentium. Initio mirari aliquis posset, Decemui- 15
ros liberam patribus dedisse potestatem filiorum exhæredandorum, aliorumq;
quos vellent hæredum instituendorum; cùm quidem Solon legem ferens testa- 16
mentariam, filiorum causam exceperit, quos bonis paternis iniuria fraudari ini-
quum esse iudicabat. quanquam & apud Græcos inuentus vnus Epitades sit, qui 17
edixerit in fraudem filiorum, vt cuique liberum esset, cuicunque tandem vellet,
patrimonium suum legare ac testamento relinquere: hoc interim agens & ca-
ptans, vt filium, quem oderat, immerentem etiam posset exhæredare. Ac primùm
quidem Populus non intellexit astuti hominis consilium: sed vbi patefactum id
est, iniusta lex hæc repudiata fuisse dicitur. Decemuiris tamen si placuit, placuisse 18
ea videtur propter patriam potestatem, quam apud Romanos summam maxi- 19
mamq; fuisse, ex Romuli Legibus didicimus. Et quid tandem mirũ est, si liceat ex-
hæredare, quos & occidere licebat? vt ait Paulus noster.[h] Ac ne omnino ab o-
mnium sapientum Græcorum iudicijs Decemuiri hac in re dissensisse videantur;
Aristoteles lib. 8. Ethic. scribit; iure concessum esse patri, vt pro suo arbitrio filiũ 20
exhæredet: non etiam, vt filius patrem. Patri enim obligatum esse filium, non fi-
lio patrem. Fatetur tamen eam esse Naturæ vim, vt non temerè quisquam imme- 21
ritum filium exhæredet. Atque hac quidem etiam ratione videntur Decemuiri
talem tantamq; parentibus, testamẽta facientibus, potestatem dedisse reliqui sa a
seque. Cæterùm, vbi posteritas vidit tam esse multorum parentum & barbarã &
inhumanam

h. L. in suis. De lib. & posth.

23 inhumanam malitiam, vt nulla apud eos vis sit naturalis pietatis, nulla τῶν γονικῶν
φιλτρῶν (paternæ matérnæue affectionis) rectè existimauit, tantũ ijs tribuendum
non esse.[i] Non fuit (inquit noster Maximus) consentiendum parentibus, qui in- *i. L. 4. inof. testa-*
24 iuriam aduersus liberos suos testamento indueunt. quod plerunque faciunt, ma- *men.*
lignè circa suum sanguinem iudicium inferentes, nouercalibus delinimentis ca-
25 stigationibusq; corrupti. neq; dissimile est Platonis in hoc genere iudicium, lib. 11.
de Legib. Ergo magna ratione introducta est de inofficioso testamento querela.
26 Quis eius autor primus fuerit, certò dicere non possum. Sed quisquis tandẽ fue-
rit, & quacunq; antiqui Iuris Ciuilis parte prodita ea sit; eadem de re, secundum
Ius Ciuile, Prætor Edictum proposuit, quod quidem pluribus verbis explicatur
lib. 5. Pand. & nos libro sequenti, Edicta Prætorum explicantes, non prætermitte-
mus. Ad præteritionem quod attinet, de ea, vt de exhæredatione, Decemuiri iu-
27 dicâsse videntur: atque ignorâsse multa in hoc genere, quæ posteritas subtiliter
cõmenta est. Sicuti & de posthumis nascituris suis; siue instituti hæredes essent,
siue præteriti, siue exhæredati; nullæ tempore Decemuirorum fuisse videntur cõ-
trouersiæ, quales postea Iurisconsulti tractârunt. Simpliciter enim ratum esse vo-
28 lebant Decemuiri, quod testator voluisset statuissetq;. Alienum posthumum ve-
tusto Iure Ciuili institui non potuisse hæredem Iustinianus ait.[k] Sed id ex inter- *k. §. 1. Instit. De*
pretatione Prudentum magis, quàm ex Lege XII. Tab. fuisse videtur. Videbant *bon. poss.*
illi; Decemuiros non nisi suos ad hæreditates nominatim vocare. Itaq; emanci-
patos filios, vel ex testamento, iure Ciuili hæredes esse posse vix fateri audebant.
Sed vt id tamen admitterent propter generale hoc caput XII. Tab. VTI QVIS
LEGASSIT &c. supererat alius scrupulus, quòd incertos adhuc, nec in rerum
natura existentes, veluti posthumos rectè institui posse absurdum videbatur. atq;
vt ea fortasse incertitudo suo proprioq; posthumo nõ obesset, quin institui pos-
set; extraneo certè & alieno, quem vix admittebãt iam natum, nondum nato ob-
esse crediderunt. Sanè inter opera Galeni extat liber vnus, in quo disputatur; an
29 animal sit id quod est in vtero, Eius verò libri autor, testis est Lycurgum & Solo-
nem lege lata statuisse, vt hæredes institui possent, qui sunt in vtero: atque inde
probat animatos esse. Hanc Legem placuisse Decemuiris, facilè quidem credide-
rim: quanquã paulò pòst secuti sint interpretes, qui subtilius nescio quid in hoc,
vt dixi, genere tradere & distinguere voluerint.

Sed nec ad XII. Tab. referendum est, imò verò ad mediam potius quandam
Iurisprudentiam, quod Iustinianus ait; filiofa. præterito inutile fuisse testamen-
30 tum: filiabus verò præteritis, vel alijs per virilem sexum descendentibus liberis,
veluti nepotibus. Antiquitatem dedisse ius saltem accrescẽdi ad certam portio-
nem; non etiam ius testamenti planè infirmandi rumpendiue. Cęterum vbi re-
ceptum postea fuit, præteritis suis hæredibus, filijs vel nepotibus, etiam posthu-
mis, testamenta rupta & inutilia intelligi; cautio quoque prodita est, qua cõmo-
dissimè institui hæredes possent. Ac primùm quidem quæsitum est de ijs nepoti-
bus posthumis, qui viuo auo cõcepti, post eius mortem primùm nascerentur sui
ex filio, qui post testamentũ, ante testatorem patrem suum, mortuus esset. Nam
hi præteriti rumpebant testamentum; & tamen vulgò non erat satis expedita ra-
tio, qua ritè institui possent. Vt igitur hisce periculis testamentorum occurrere-
31 tur, & vt vti quisq; legasset, ita ius esset, Gallus Aquilius cautionem quandam &
formulam composuit ediditque, qua posthumi illi nepotes, quos tempore testa-
menti filius præcedebat in iure sui hæredis, ritè instituerentur. Quod ad eos ne-
potes attinet, qui post testamentum, viuo adhuc testatore, nati essent sui, solici-
tus non fuit Gallus. nam & auo liberũ erat testamentum mutare, eosq; instituere
32 iam natos. Sed quacunque tandem ratione Gallus eos præterierit; Lex Vellæa,
cùm eorum quoq; præteritione testamenta rumpi consentiret, egit de ijs insti-
tuendis nondum quidem natis, sed qui nascerentur sui, viuo testatore auo. Sicu-
ti & quod attinet ad nepotes iam quidem tempore testamenti natos, sed quos
tum filius præcederet in iure suorũ; poterant & hi quidem olim institui: & prę-
33 teriti tamen testamentũ non rumpebant, quamuis viuo testatore sui facti essent
subducto filio. Cæterùm eadem Lex Vellæa sic per successionem in locũ filij vo-

luit fieri suos, & veluti agnasci, vt eodem loco haberentur, atque si sui nati essent, & ius quoque testamenti rumpendi haberent præteriti. Interea liberam reliquit veterem eorum instituendorum potestatem. Ac operæ pretium quidem est, duo hæc Legis Velleæ capita, vt cum Lege XII. Tab. conferantur, subscribere:

QVI TESTAMENTVM FACIET, IS OMNES VIRILIS SEXVS, QVI EI SVI HÆREDES FVTVRI ERVNT, HÆREDES INSTITVENDI VEL EXHÆREDANDI IVS HABETO. ID NISI FIAT, TESTAMENTVM EIVS RVPTVM ESTO.

QVI EX SVIS HÆREDIBVS SVVS ESSE DESIERIT, LIBERI EIVS, ET CÆTERI IN LOCVM SVORVM SVCCEDVNTO, QVI NISI INSTITVTI VEL EXHÆREDATI AD EXEMPLVM POSTHVMORVM ERVNT, TESTAMENTVM RVPTVM ESTO.

Sed tota hac de re, cùm ad Gallum ventum erit, latius diligentiusque cum Scæuola conferemus.

Porrò quod ad legata attinet, summa fuit testatoribus hoc Iure potestas eorum relinquendorũ, vt ijs etiam, si vellent, totam suam hæreditatẽ exhaurire possent. Sed multis postea sæpe legibus Romæ hæc legandi libertas imminuta est. Nã 34
Lex quædam Furia testamentaria legare vetabat vltra mille asses. Lex verò Voconia statuebat, ne plus haberet legatarius, quàm hæres. Cæterùm tempore Augusti annis post Decemuiros plusquã quadringentis, lata lex est Falcidia, cuius primo 35
capite Lex hæc XII. Tab. & legandi libertas restituta. Sic enim scriptũ in eo fuit,

QVI CIVES ROMANI SVNT, QVI EORVM POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTVM FACERE VOLET, VT EAM PECVNIAM EASQVE RES QVIBVSQVE DARE LEGARE VOLET, IVS EI POTESTASQVE ESTO.

Sed alio deinde capite hanc libertatem constringit, & modum quendam legatis imponit. Nam hic C. Falcidius Tribunus pl. suo Plebiscito effecit, vt nõ nisi 36
bessem bonorũ legare ius esset, quadrans omnino relinquendus esset scripto hæredi. neq; liberũ testatoribus fuit vim huius Legis Falcidiæ infringere, aut ei priuata aliqua sua cautione refragari, vt Papinianus ait.[l] Illud quidem singulari iure militibus tributum est, vt in eorum testamentis Lex Falcidia locum non haberet.[m] Sed iure communi qui testamenta faciebant, eius imperium effugere non poterant, quanquam ipsi Principi legata relinquerent.[n] mansitque vis hæc & autoritas huius Legis plusquam quingentis annis. Sed Iustinianus tandem Nouella sua Constit. prima, voluit ratam esse voluntatem testatoris, hæredem Falcidia vti nominatim vetãtis. Sic restituta tandẽ est & veluti in vsum reuocata Lex hęc XII. 37
Tab. quã explicamus, VTI QVISQVE LEGASSIT, &c. Et sanè in plerisq; Iuris Ciuilis partibus illud fuisse videtur Iustiniano & curæ & cordi, vt sublatis mediæ Iurisprudentiæ difficultatibus, posterioris q; impedimentis, Iuris ratio reuocaretur ad simplicitatem XII. Tab. Itaq; & Legem Fusiam Caniniam sustulit, 38
quæ libertatũ seruis legendarum testamentóue dandarum libertatem, XII. Tab. concessam, imminuerat, certumq; modum præscripserat; quamuis Lex hæc cum iudicio Augusti conueniret, & iusta illa ratione niti videretur, quam multis olim sapientibus viris Romæ placuisse eleganter & copiosè scribit Dionysius lib. 4. Sanè Lex Papia de caducis lata paulo ante tempora Augusti, & ab ipso Augusto recognita, multisq; etiam capitibus aucta, valde etiã obstitit, quominus ita ius esset vti esset legatũ. Iustinianus noua sua de caducis tollendis constitutione rem pro 39
pius reuocauit ad defunctorũ voluntatem, vt quod non capiebat is cui relictum erat, potius coniuncto accresceret, vel hæredi, à quo legatum erat, relinqueretur, quàm fisco addiceretur. De tutelis testamẽto dandis suo superius loco dictũ est. Illud hoc loco prætermittendũ non est, quo maiorẽ autoritatem, defunctorum testamentis detulêre Romani, tanto etiam maiori cautione confici voluêre, ne falsũ pro vero supponi posset. Et sanè si vlla in re, in testamentis subijciendis maxima est hominum & audacia & improbitas. Testis est Lex Cornelia de falsis, quæ hominibus testamentarijs huius generis coërcendis tam fuit occupata, vt Testamentaria dicta sit. Cùm igitur, quòd Iustinianus cupere se ait,[o] vehemẽter cupierint veteres

l. L. quod de bonis. §. 1. ad L. Falcid.
m. L. in testa. C. ad L. Fal.
n. L. 4. C. ad L. Falc.
o. L. iubemus. C. de testa.

rint veteres quoque Romani, vt falsum exularet è Rep. præcipuè quod ad testa-
menta attinet, solenniter ea confieri voluêre. De testamentis in procinctu nô lo-
40 quor. quorum vsum apud Romanos fuisse ante ipsas quoque XII. Tab. nô igno-
ro. Necessitas Legem non habet. De ijs nunc testamentis loquor, quæ in ocio, in
41 Vrbe pacata, fiebant. Quæ autem solennia adhiberi ijs voluerint Decemuiri, cer-
tò dicere non possum. Sed certũ est, antiquissimis illis temporibus, quasi Lex ali-
qua ferenda esset, sic testamenta cõuocato per Cornicinẽ Populo, calatis Comi-
tijs fieri solita testatoremq; palàm, vniuerso Populo præsente, & veluti teste, vlti-
mã suã plerumq; exposuisse voluntatẽ, eamq; Quiritibus cõmendâsse. Portò non
modò rem suã quis legare, testamentoq; relinquere potest, sed & alienã, p vt eius *p. L. cùm seruus.*
saltem æstimationẽ præstare cogatur hæres, si rem ipsam redimere non possit. An *§. vlt. De leg. 1. L.*
tantum itidem iuris testatoribus tribuerint Decemuiri, certò adfirmare nô pos- *cùm alienum. C.*
sum. Sed vt eorum Lex hac fortassis in relatius etiam propagata sit; multis certè *de legat. L. qui*
42 alijs modis constricta est, atque compressa. Nam vt recentiora omittam, vetu *concubinam. §.*
stissima est illa Catoniana regula, trecentis, opinor, annis post XII. Tab. edita, *vlt. De leg. 3. L. si*
Legatum, quod inutile foret, si statim post testamentum decessisset testator, *domus. §. qui cõ-*
quandocunque is decesserit, inutile manere. Neque verò dissimulandum est, ex *fiteur. De le-*
ipsa quoque Lege XII. Tab. multis ademptam fuisse testamenti factionem. Sed *gat. 1.*
si omnia persequerer, quæ ad hoc caput referri reuocarique possunt, vereor, vt
finem nostra non inueniat commentatio.

IN XXVII. & XXVIII.

INTESTATORVM HAEREDITATES, PRIMO SVORVM HAEREDVM, VELINT NOLINT, SVNTO, &c.

1. 2. Solonis legem, de deferenda primo loco liberis hereditate, secuti sunt Decemuiri.

3. Liberorum Suorum & Emancipatorum discrimen vt Decemuiri retinuerint, sic & agnatorum atque cognatorum.

4. 5. 6 Legitima hereditas quæ dicatur?

7. Intestati qui dicantur?

8. 9. Intestatis quo ordine quóue iure succedatur?

10. Inter liberos, Suos heredes, Decemuiri nullum fecerunt discrimen sexus. & num. 12. 13.

11. Vestales Virgines nulli successerunt ab intestato.

14. XII Tabul. æqualitatem laudat Iustinianus.

15. Legem hanc XII. Tabularum de æquali successione fœminarũ cum Masculis quomodo sint posteriores interpretati? & num. 16. 17. 18.

19. 20. Inter nepotes ex filia & filio differentiam, à XII. Tabularum interpretibus introductam, aboleuit Iustinianus. & num. 21.

22. 23. Repræsentationis ius ex XII. Tabulis descendit. & num. 28.

24. Nepotes in locum patris sui præmorientis succedũt. & num. 25.

26. Nepos ex filio emancipato, tum altero defuncti filio emancipato succedit.

27. Nepotibus in locum filiorum succedentibus diuiditur hereditas in stirpes non in capita.

29. Fratrum filij Patruo quomodo succedũt? & nu. 64.

30. 31. 32. Filij nepotésue nondum etiã nati, si tamen patre vel auo moriente in vtero erant, ad hereditatem vocantur.

33. Ventri in tempus nascendi iura omnia reseruantur integra.

34. De matribus fam. plures vno vtero enixis.

35. 36. Quoniam Tergeminus ex prægnante nasci possunt, quarta pars superstiti filio assignabatur.

37. Liberis deficientibus, ex L. XII. Tabularum agnati vocantur ad intestati successionem.

38. 39. Agnatorum & Cognatorum discrimen quod? & idem sublatum, num. 62.

40. In agnatis nullum sexus discrimen statuerunt Decemuiri.

41. Iustinianus æqualitatem XII. Tabularum renouauit.

42. Vnitatis numerus sæpe cõplectitur plures. & num. 43.

44. 45. Repræsentationis beneficium collateralibus non fuisse olim concessum; vsque ad Iustinianum; num. 46.

47. Agnatus proximus vbi heres non erat, bona erant vacantia. & num. 48.

49. Successorium edictum Prætores cur proposuerint?

50. Iuri accrescendi cedit edictum successorium.

51. Si quis Solus heres adierit, & deinde abstineat; bona, quasi vacantia, deferuntur ad fiscum.

52. Pater, qui filium emanciparat, intestato ei præ agnatis succedebat; non item mater; num. 53. 54. 60.

55. 56. Matris intestatæ hereditas ad liberos ex L. XII. Tab. non pertinuit. & hoc mutatum; num. 57. 59. 61.

58. Decemuiri commentum agnationis ciuilis prætulerunt æquitati naturali.

62. Suorum heredum filiofa. & emancipatorum discrimen à Iustiniano vbi sublatum?

63. Germani, ex vtroque parente iuncti hodie non modò præferuntur Vterino sed & Consanguineo.

65. Parentes Iustinianus cum fratribus defuncti ad hereditatem vocauit.

66. Ex Lege XII. Tabul. hereditatem habens, bonorum possessionem ex qua parte edicti petat?

DE legitimis ab intestato successionibus necesse est in Rep. certam ali-
quam Legem extare, quæ & ordinem describat, & ipsos cõstituat gra-
dus; ne tota statim cognatio irruat in bona defuncti, & quo iure quá-
ve iniuria misceat omnia. Apud Athenienses Solon, suã hac de re Le- 1
gem & naturæ & rationi bene conuenientem ediderat: quæ etiamnũ extat apud
Demosthenẽ in oratione ὑπὲρ Ἁγνίου κλήρου. Eam Romani Legati descripserunt, & in a 2
deferenda primo loco liberis hæreditate Decemuiri facilè secuti sunt. vt tamen
suum illud inter eos discrimen suorũ & emancipatorum retinuerunt: sic etiam 3
agnatorũ cognatorumque ex ordine transuerso ad successionem venientiũ diffe-
rentiã, quam cõmenti sunt, non omiserunt. Legitimam hæreditatem dici, quæ ex 4
Lege XII. Tab. defertur, scribit Vlpianus: a neq; eam modò ita vocare possumus,
quæ ab intestato, sed & quæ ex testamento defertur. Sic enim idem Vlpianus ait:
b Lege obuenire hæreditatem non impropriè quis dixerit, etiam eam, quæ ex te-
stamento defertur: quia ex Lege XII. Tab. testamentariæ hæreditates cõfirman-
tur. Fit tamen sæpius, vt specialiter legitima dicatur, quæ ab intestato obuenit. 5
Vt cùm ait Vlpianus, c legitimam hæreditatem tantùm proximo deferri. Et Pau-
lus, Legitimam (inquit) hæreditatem vindicare non prohibetur, qui cùm ignora-
bat vires testamenti, iudicium defuncti secutus est. d Sed & cùm ita esset coita so-
cietas, vt si qua iusta hæreditas alterutri obueniat, communis sit; & quæreretur, 6
quæ sit iusta hæreditas? vtrùm quæ iure legitimo obuenit, an etiam quæ testa-
mento? respondit Paulus; e probabilius esse, ad legitimam hæreditatem tantùm
hoc pertinere. Porrò intestatos hîc intelligi, non modò qui cùm possent testa- 7
mentum facere, testati non sunt; sed & qui testari non potuerunt; & qui testa-
mentum fecerunt, ex quo hæreditas adita non est; Vlpianus scripsit.

a. L. 11 § autem. De iure patr.
b. L. 130. Lege obuenire. De verb. signif.
c. L. 2. §. legitima. De suis & legitim.
d. L. 8. Legitimã. De petit. hæred.
e. L. 3. §. de illo Pro soc.

f Ad ordinem & gradus eorum, qui intestatis succedunt, veniamus. Intestato-
rum hæreditates primùm ad liberos suos & necessarios hæredes ex Lege XII. Tab. 8
pertinere, duobus Institutionum suarũ locis Iustinianus scripsit. g Ac sanè in hoc
genere primã causam esse debere liberorũ, Ius ipsum Naturæ dictat. eaq; in re faci-
lè Romani cõsenserunt cũ reliquis Gentibus: sicuti & cum Atheniensibus in eo
reliquos etiã barbaros populos olim cõuenisse scribit Demosthenes: vt hoc Ius
esse Gentiũ magnis, quàm Ciuile, & lex quędam naturę omnino videatur: de qua
iudicium testimoniumq; Demosthenis operę precium fuerit subscribere sic in ora-
tione ὑπὲρ Ἁγνίου κλήρου cùm de legitimis hæredibus loqueretur, pronunciantis;
Ἐγὼ μὲν ἡγοῦμαι τὸν υἱὸν καὶ τὴν θυγατέρα οἰκειότατον εἶναι ἑκάστῳ ἡμῶν μᾶλλον, ἢ τὸν ἀδελφιδοῦν. Καὶ οὐ
μόνον παρ' ἡμῖν τοῦτο νόμιμός ἐστιν, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἅπασι καὶ Ἕλλησι καὶ βαρβάροις. (Equidem exi-
stimo, filium atq; filiam cuiq; nostrum maximè esse coniunctos necessariosq; prę
nepotibus ex fratre vel sorore; ac non solummodo à nobis hanc quasi legem ob-
seruati, sed ab alijs quoque vniuersis tum Græcis tum Barbaris.)

f. L. 1. De suis & legit.
g. §. necessarij. De hered. qual. & dif. §. 1. De hæ. quæ ab intesta. def.

Si nostrorum Prudentum iudicia magis requirimus Papinianus ait; h Libe-
ros ad bona parentum admitti, naturæ simul, & parentum communi voto. Quid 9
Paulus? Ratio (inquit) naturalis, quasi Lex quædam tacita, liberis parentum hæ-
reditatẽ addicit, quasi ad debitam successionem eos vocando. Inter liberos suos 10
hæredes discrimen sexus nullum fecerunt Decemuiri. neque enim minus filias,
quàm filios, intestato patri succedere voluêre. Vestales virgines excipimus; quas 11
nulli intestato successisse, sicuti & ijs intestatis nemo succedebat, quia earum bo-
na in publicum redigerentur, scripsit Labeo in suis ad XII. Tabulas commenta-
rijs, vt testis est Gellius lib. 1. cap. 12. Sed alias puellas, non secus atque pueros, hæ- 12
redes fuisse constat. Intelligebant quidem, quod Iurisconsulti postea dixerunt,
i Reip. interesse; ordinum familiarumq; dignitatem conseruari; conseruari au-
tem per masculos, qui gentilitatis nomen Imaginesque retinent ac tuentur, non
etiam per fœminas, quæ nubendo in alienam transeunt familiam: neque nescie-
bant, plus prodesse Reip. masculos, qui bella gerunt, munera ciuilia obeunt, sa-
cra faciunt. Sed vt fortasse hoc nomine passi sint in multis alijs Iuris partibus de-
teriorem esse fœminarum, quàm marium conditionem, quod etiam à Iuriscon-
sultis dictum est: k cùm tamen de iusta legitimaque parentis intestati successione
ageretur, naturalis rationis communisq; sanguinis vim maiorem esse voluêre ad

h. L. scripto. §. 1. Si tab. test. nul. ext. 7. lib. L. vlt. De bon. dam.
i. L. 1. §. sed & si fer. De ven. insp.
k. L. in multis. De stat. hom.

conseruan-

conseruandam inter liberos æqualitatem, siue vt eo ditio filiorum exæquatetur, quemadmodū loquitur Vlpianus.¹ Cuius æqualitatis tam fuêre studiosi Roma- *l.L.12 si ita legatum. De cond. & dem.*
13 ni, vt non modò discrimen sexus nihili fecerint, sed & ius illud, & illam prærogatiuam primigeniorum, quam apud multas Gentes esse videbant, non receperint. Rescriptum est Philippi Imp.ᵐ Explorati iuris esse, inter filios & filias bona intestatorum parentum pro virilibus portionibus æquo iure diuidi oportere. Certè *m.L. inter C fa. mi. ercisc.*
14 Iustinianus noster, nusquam non plenis buccis & magno verborum strepitu laudat hoc nomine XII. Tabulas. Lege XII. Tab. (inquit) bene humano generi prospectum est, quæ vnam consonantiam, tàm in maribus, quàm in fœminis legitimis, & in eorum successionibus, nec non libertis, obseruandam esse existimauit, nullo discrimine in successionibus habito; cùm natura vtrunque corpus edidit, vt maneat suis vicibus immortale, & alterum alterius auxilio egeat, & vno semoto alterum corrumpatur, &c. Similia sunt ab eo rursus Græcè dicta in Nou. Constit. 17. Sed & in Non. Constit. 21. vehementer damnat, & abolere vult, quandam moribus Armeniæ receptam consuetudinem, qua, in successionibus, masculi fœminis præferebantur. Vt ad XII. Tabulas reuertar, Qui Decemuiros con-
15 secuti sunt, sic eorum, quam tractamus, legem sunt interpretati, vt inter suos quidem hæredes non considerarent sexus discrimen: ex eo tamen fieri posse, vt ex liberis, multi inter suos hæredes non haberentur; nempe qui ex filiabus descend.rent: proptereaque ij non admitterentur cū alijs omnino suis hæredibus: sed nec
16 cum agnatis. Hæc differētia, quamuis subtiliter magis excogitata, quàm ex æquo & bono prodita esse videretur, placuit posteris Romanis. eaq; multis annis sunt vsi. Tandē Valentinianus, Theodosius & Arcadius Imppp.ⁿ edita Mediolani con- *n.l. si defunctus. C de le. lib. & ex filia. nepotib. ab intest. venient.*
17 stitutione, annis post XII. Tabulas plusquam octingentis, moderationē aliquam adhibuerunt, vt saltem nepotes ex filia, eum alijs defunctis filijs filiabúsve, suis auunculis aut materteris, vel ex filio nepotibus, suis hæredibus, ad successionē intestati venirent, vno triente minus consecuturi, quàm si ex filio nepotes fuissent, hunc enim trientem præcipuum reliquerunt hæredibus verè suis: & portionem
18 descendentium ex fœmina, ea tenus imminui passi sunt. Videturq; sanè aliquando & hanc imminutionē probâsse Iustinianus.° Sed cùm lib. 3. Inst. tit. 1. tum verò *o L. illam. C. de collat.*
19 etiā apertius Nou. Consti. 18. planè sustulit, voluitq; nepotes ex filia, perinde atq; ex filio, si eum alijs auo suo succedant, integram matris suę portionem consequi: eodemque omnes nepotes inter vti. sicuti & quadrantem illum, quem agnatis ex transuerso venientibus dare Cæsares iubebant ex filia nepotes solos succedentes, sustulit: & sine illa diminutione eos auo succedere voluit.ᵖ neque minus to- *p. L. vlt. C. de suis & legit. & vlt. Instit. de heredit. quæ ab inte. def.*
20 tam illam inter nepotes ex filia & filio differentiam ab Interpretibus XII. Tabularum proditam aboleuit, quàm suorum hæredum emancipatorumque discrimen ab ipsa lege introductum tandem sustulit, per Nou. Constit. 118. & beneficium abstinendi, quod suis hæredibus dederant Prætores, vt necessarij amplius nō essent, confirmauit. Quod igitur Lex statuit nepotes ex filio admitti cum patruo,
21 locum habebit & in nepotibus ex filia successuris cum suo auunculo. Ne quis au-
22 tem dubitet, ius hoc (vt vulgò vocant) repræsentationis, ex XII. Tab. descendere, & nepotibus, saltem ex filio, Decemuiros id nominatim tribuisse; nus saltē Diocletianus disertè id tradit. Vt (inqt) intestatò defuncti filius ac nepos ex alio, qui mortis eius tempore in rebus humanis non cōuenitur, manentes in sacris pariter succedant, euidenter Lege duodecim Tab. cauetur.ᑫ Iustinianus li. 3. Inst. tit. 1. sa- *q. L. 3. C. de legit. liber.*
tis quidem ait Legem XII. Tab. filio mortuo nepotes vel neptes, pronepotes vel
23 pronepotes in locum sui patris ad successionē aui vocâsse. Sed cùm exprimit, quod hîc quærimus, filium & ex altero filio nepotem pariter ad hęreditatem aui vocari nec qui gradu proximior est, vlteriorem excludere; non allegat Legem hanc XII. Tab. sed hanc solam rationem adijcit, quòd æquum esse videatur, nepotes neptesque in locum patris sui succedere. Iurisconsulti in Pandectis nihilominus meminerunt huiusce Legis. Nam neq; ius illud, de quo hîc agimus, repręsentationis
24 (sic enim populariter appellatur) attingunt. Ac quidem cùm de lege Velłæa disputant, satis illud inculcant; nepotes in locum patris sui præmorientis succedere, vt tanquam sui hæredes rumpant testamentum aui, si sint præteriti. Sed illud,

quod hîc quoq; quæri posset,non explicant;an idem sit dicendum,si cum alio te- 25
statoris filio,suo hærede,cõcurrant?Finge me instituisse duos meos filiosfa. alte-
rum deinde eorum, me adhuc viuo, mori relictis liberis. An hi nepotes mei cum
altero meo filio concurrent, in locum sui patris succedentes,vt etiam si præteriti
sint,rumpant meum testamentũ?Digna certè quæstio, quæ à veteribus Iurifcon-
sultis prætermissa, saltem abs Iustiniano explicaretur. Est & altera non minus in-
signis.Posteaquam Diocletianus dixit,euidenter Lege XII. Tab. cautum esse, vt
defuncti filius ac nepos ex alio,si sint in potestate,pariter succedant:adiecit; Id &
honorarij iuris obseruationẽ securam esse.Intelligit,opinor, Iure Prætorio simi-
liter cautum fuisse,vt nepos ex filio emancipato,cum altero defuncti filio emãci- 26
cipato succedere possit.Sed an itidẽ nepos ex filio emancipato, sic patris sui per-
sonã referre possit,vt cum altero defuncti filio,qui erat in potestate & suus hæres,
succedere possit beneficio iuris Prætorij, explicandum etiam erat.Illud cõstat ex
Lege XII.Tab.cùm in locum filiorum nepotes succedunt,diuidi hæreditatem in
stirpes,non in capita.quam quidem etiam diuisionem fieri, cùm soli ex pluribus 27
filijs mortuis nepotes auo succedunt,non minus quàm si cum suo patruo succe-
r.l.2.§.de legit. hæred. dant,apertè traditum est abs Diocletiano r, & Iustiniano.s Adeò nepotes tanquã
sui ex hac Lege XII. Tab. hæredes primo loco non erant, nisi subirent primũ gra- 28
s.§.item si ex duobus.& §.vlt. Instit. de success.ab int. dum suorum parentum,eorumq; personã omnino referrent. Quod verò attinet
ad filios fratrum,patruo suo succedẽtes;veteres Iurisconsulti tradiderunt, In ca- 29
pita,non in stirpes succedere. Iustinianus autem Nou. Constit.18.ijs etiam ius ali-
quod repræsentationis concessit,vt cum suo patruo succedere possint, saltem in
stirpes,vtq; etiam ipsius defuncti patruum excludere possint. Sed hæc ad Institu-
tiones latius diximus.Porrò ex XII.Tab.nõ modò filij nepotésve iam nati primo
loco hæredes sunt,sed & qui sunt adhuc in vtero,si modò iam cõcepti erant mo- 30
riente eo,de cuius bonis agitur.Nam eos demum vocari ad hæreditatem per Le-
t l.Titius.De suis & leg. gem XII.Tab.Iulianus ait.t ac inde quidem etiam probat,nepotem post mortem
aui sui conceptum,legitimam eius hæreditatem,tanquam suum hæredem, acci-
pere non posse.Sed posthumos prius conceptos nepotes, sicuti & filios, admitti
v.L.4.C.de legit. fil. & ex fil. nepot. dubium non est.Extat Diocletiani rescriptum in hæc verba:v intestato defuncto,31
posthumum hæredem,quàm sororem,licet cõsanguineam,haberi potiorẽ,ordo
successionum Lege XII.Tab.factus,nimis euidenter demonstrat.x Sed Vlpiani te-
x.L.3.§.vtique. De suis & legit. stimonio potius vtamur. Vtiq;(inquit)& ex Lege XII.Tab.is,qui in vtero fuit,ad- 32
mittitur,si fuerit editus.Inde solet remorari insequẽtes sibi agnatos,quibus præ-
fertur,si fuerit editus.Inde & partem facit ijs,qui pari gradu sunt. Ac subijcit qui-
dem Vlpianus fuisse tractatũ, pro qua parte faciat:quia ex vno vtero plures nasci
possunt.Sed in ea quæstione,cóve tractatu quid sentiẽdum sit,non explicat. Re-
spondet;placuisse,eum,qui iam natus est, ex asse hæredẽ fore,si certum sit mulie-
rem,quæ se dicit prægnantẽ, non esse. Sed quid hoc ad propositam quæstionem?
Et sanè ꝙ ad eam definiendam responderet, vix quicquam certi habuisse videtur,
y.L.1.§.vlt.Si pars heredit. petat. cùm quidẽ alio loco dixerit;y incertæ partis hæreditatis petitionẽ indulgeri,si sit
vnius defuncti fratris iam natus filius,& aliorum fratrum defunctorũ vxores præ-
gnantes:quia incertũ sit, quot edantur. Sed in hoc genere Paulus certius aliquid
z.L.3.Si pars here.petat. respondit definijtq;.z Ait;veteres libero vẽtri ita prospexisse,vt in tẽpus nascendi 33
omnia ei iura integra reseruarẽt:Vbi autẽ eodẽ gradu alij sunt,quo & vẽter;quæ-
sijsse,quæ portio in suspẽso esse debeat.& quia nõ poterant scire, quot nasci pos-
sent,ideo multa de huiusmodi re iã varia & incredibilia tradidisse, vt fabulis ad-
numerentur.Nam esse traditũ;quatuor pariter puellas à matre sa.natas esse. Ali-
qui tradidisse non leues autores, quinquies quaternos enixam Peloponnesiam, 34
& multas AEgypti vno vtero septenos. Sed & tergeminos Senatores cinctos Ho-
ratios vidisse se ait Paulus. Lælium præterea scribere, se vidisse in palatio liberam
mulierem,quæ ab Alexandria perducta esset,vt Adriano ostenderetur cum quin-
que liberis:ex quibus quatuor eodem tempore enixa dicebatur, quintum post
quadragesimum diem. Tandem Paulus,vt rem hanc definiat,ait;prudentissimos
Iuris autores medietatem quandam secutos esse,vt quod fieri non rarò admodũ 35
posset,intuerẽtur:& quia fieri poterat,vt tergemini nascerẽtur quartã partem su-

perstiti

36 perstiti fillo assignan isse, ideoque & si vnum paritura sit, non ex parte dimidia, sed ex quarta interim hæredem esse. Et si pauciores fuerint nati, residuum ei pro rata accrescere: si plures quàm tres, decrescere de ea parte, ex qua hæres factus est. Neque verò hîc prætereundum est, quòd Vlpianus tractans hanc Legem XII. Tab. quæ ad legitimam hæreditatem eum quoque vocat qui in vtero est, admonet: post decem menses mortis natum, non admitti ad legitimam hæreditatem. Sed ea de re pluribus verbis superius dictum est ad cap. 17.

Ad agnatos nunc veniamus, qui deficientibus liberis ex eadem Lege XII. Tab,
37 ad intestati successionē vocantur, & ex ordine transuerso, siue (vt vulgò loquuntur) ex linea collaterali veniunt ad legitimam hæreditatem. Dictum est, in tutelis legitimis quanti fecerint Decemuiri ciuilem suam agnationem: naturalem verò cognationem eos non ita considerasse. In successionibus legitimis idem fuit eorum iudicium. idque eautum esse Lege XII. Tab. hac,

SI INTESTATVS MORITVR, CVI SVVS HÆRES NEC EXTABIT, AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO.

Legitimus in illis, quæ nuper Vlpiani titulo edita sunt, fragmentis Iuris Ciuilis: quāquam locus hic in illis corruptus vulgò circumferatur. Dictum autē est, NEC EXTABIT, pro, NON EXTABIT: sicuti & Festus notat passim in XII. Tab, dici NEC pro NON. Porrò extat & aliud huiusce legis de agnatorum successione testimonium, Si nemo suus hæres existat (inquit Iustinianus) tūc ex Lege XII. Tab. ad agnatum proximum pertinet hæreditas. Et interpretatur quidem; agna-
38 tum dici,ᵃ qui per virilem personā coniunctus est, vt est frater consanguineus, fratris filius, nepósve ex eo: itē patruus, & patrui filius, nepósve ex eo: at qui per fœ-
39 minini sexus personam coniungitur, non agnatum, sed naturaliter tantùm esse cognatum. Neq; verò in agnatis diserimen aliquod sexus esse voluēre Decemuiri.
40 neq; enim minus sororem consanguineam, quàm fratrē consanguineum, vel patrui filiam neptémve, quàm filium aut nepotem. Ac media quidē Iurisprudentia post XII. Tab. plus aliquid masculis, quàm fœminis agnatis tribui voluit. Sed ea
41 sublata, Iustinianus rem reuocauit ad veterem Legis XII. Tab. æqualitatē. Porrò
42 quamuis singulari numero vsa Lex XII. Tab. vocet proximum agnatum: tamen dubium non esse ait Iustinianus, quin si plures sint eiusdem gradus agnati, omnes
43 admittātur. Et sanè iudicium familiæ erciscundæ, quod introduxit Lex XII. Tab. nō posset ad agnatos pertinere, nisi si plures agnatos hæredes esse posse intelligeremus. Cæterùm si plures sint gradus agnatorum, addit Iustinianus; Legem duodecim Tab. apertè vocare proximum. Itaq; si sit defuncti frater, & alterius fratris
44 filius, aut patruus: fratrem potiorem haberi. Inde apparet, beneficium repræsentationis, (vt vulgò vocatur) ijs, qui ex transuerso ordine venirent, hoc lure concessum non fuisse. Audiebant quidem Decemuiri Legem Atheniensium;

ΕΑΝ ΑΔΕΛΦΟΙ ΩΣΙΝ ΟΜΟΠΑΤΟΡΕΣ, ΚΑΙ ΕΑΝ ΠΑΙΔΕΣ ΕΞ ΑΔΕΛΦΩΝ ΓΝΗΣΙΟΙ, ΤΗΝ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΜΟΙΡΑΝ ΛΑΓΧΑΝΕΙΝ (Si fratres fuerint eodē patre geniti, & liberi ex fratre legitimi, pariter hi cum illis succedant) sed tantum
45 filio fratris nō tribuerunt, vt cum suo patruo succederet, aut eam portionē consequeretur, quam supstes eius pater consequi potuisset. Hocq; sanè etiā iure semper vsi Romani sunt: Primus Iustinianus, annis plusq̄ mille post Decēuiros. Non.
46 quadam sua Constitutione, filios fratrū cum fratribus eius, de cuius bonis agitur, admitti voluit. quanq̄ in hoc rep̄sentationis in linea collaterali, (vt populariter loquar) latius patēre, aut alijs tribui noluerit. Sed & iure XII. Tab. in hoc genere percipiendarū hæreditatum non fuisse successionē, ait Iustin., hoc est, vt quamuis
47 proximus agnatus qui vocatur ad hæreditatē, eam spreuerit, aut anteq̄ adeat, decesserit, sequentes agnati non admittantur. Ergo vbi proximus agnatus hæres nō erat; siue q̄ esse nollet, siue q̄ non posset; bona vacantia videbantur: ijsq́; opinor Decemuiros suum ærarium locupletare voluisse. Verum quidem est, si quis testamento hæres scriptus sit, & antequam is adeat, moriatur agnatus qui proximus erat, deinde hæres scriptus decedat aut repudiet: ex Lege quoq; XII. Tab. sequentem agnatū admitti. satis enim est, proximum esse, cùm certū esse incipit nullum ex testamento hæredem fore, neque dici potest alteri agnato prius delata esse hæreditas. delata enim tum demū dicitur, cùm adiri potest.ᵇ neque antea repudiata dici potest.

a. §. 1. De legit. agn. tu. §. 1. De legit. agn. succes.

a. § placebat. Inst. De legit. agn. suc.

b L. si qui heres. De acq. her. L. delata. De verb. signif.

dici potest. Ergo cùm hîc admitti dicimus secundum agnatũ, in alterius prioris 48
agnati locum succedere nõ dicimus (hanc enim successionem Decemuiri nõ admiserunt) sed suo iure tanquam verè agnatum proximum vocari. Cæterùm cùm
Prætores iniquum esse iudicarent, quod XII. Tab. volebant, prioribus, quibus
delata est hæreditas, non succedentibus, alios suo ordine non succedere; succes 49
sorium edictum ipsi proposuêre: ciusq; beneficium tam latè patêre voluerunt, vt
successio esset & de persona in personam, & de gradu in gradum, & de capite in
caput, hoc est, vt filius non succedens ex capite VNDE LIBERI, posset succedere ex capite VNDE AGNATI. item, vt nullis liberis succedentibus, succe-
c.L.1.§.sed videndum. De success. edicto.
derent agnati. c vt proximo agnato nõ succedente, sequens admitteretur. Vbi ta- 50
men esset iuri accrescendi locus, cedit edictum successorium: vt cùm is, qui repudiat, aut antequam adeat, decedit, cohæredẽ habet, cui deficientis portio accres-
cat. Sed & si quis solus hæres sit, & adierit; deinde abstineat, fortè per restitutionẽ 51
d.L.vlt.De succes. edict.
in integrum; fatemur neq; successionem esse, neq; successorio edicto locũ fore d:
hoc est, sequentem agnatum non vocari, sed potius fiscum; ad quem bona, tanquam vacantia, deferuntur. Sed totam edicti successorij vim & vsum, sequenti libro, qui prætorum edictis destinatus est, pluribus verbis explicabimus. Illud nũc
admonendi sumus; veteri iure XII. Tab. patrem, qui contracta expressim fiducia 52
filium emancipârat, in successione filij intestati, ipsis agnatis prælatũ fuisse. Quod
verò ad matrem attinet, adeò cognatos, qui per eam coniungebãtur, repulsos esse 53
e.§.1.Inst.De Sen. Tertyll.
à successione, vt ipsa quoq; repelleretur. Iustinianus ait; e Legem XII. Tab. ita stricto iure vsam esse, & præposuisse masculorum progeniem; & eos, qui per fœminini sexus necessitudinem iunguntur, adeò expulisse, vt ne quidem inter matrem 54
& filium vltro citroq; hæreditatis capiendæ ius daret. Ac Theophilus quidem,
Græcus paraphrastes, his verbis VLTRO CITROQVE significari existimat; 55
hoc iure non modò matrem filio non successisse, sed nec filium matri. Sed id mihi suspectum fuit, donec in illis fragmentis, quæ nunc circunferuntur Vlpiano
inscripta, legi; Ad liberos matris intestatæ hæreditatem ex Lege XII. Tab. nõ per- 56
tinuisse: quia fœminæ suos hæredes non habent: sed postea Impp. Antonini &
Commodi oratione in Senatu recitata id actum esse, vt sine in manũ conuentio 57
ne, matrum legitimæ hæreditates ad filios pertineant, exclusis consanguineis &
reliquis agnatis. Certè si ante hoc Senatusconsultum, quod Orphitianũ dicitur,
nullus matri filius successit in Vrbe Rom. propter subtilem illã Legem XII. Tab.
nimis subtiles ac propè etiam duri fuerunt Decemuiri, qui suum illud subtile cõ- 58
mẽtum agnationis ciuilis, & hanc tenuem θεωρίαν (speculationem) pluris fecerint,
quàm naturalẽ illam æquitatem, quæ parentũ hæreditatẽ filijs addicit, vt Paulus
f.L.vlt.De bon. damn.
ait. f Æquiores verò postea fuerunt Romani. Nam & non solùm filios ad succes- 59
sionẽ matrum intestatarũ vocârunt, sed & si in matris adhuc potestate essent, hæc
tamen materna ijs bona cõseruârunt. Qua de re dixi li.3. Inst. ad Sena. Orphit. Mi-
rarer iidẽ, Decemuiros repulisse matrẽ à successione, pręsertim cùm audirent Pit- 60
taci Legem; ΝΕΜΕΣΘΑΙ ΠΑΤΕΡΑ ΚΑΙ ΜΗΤΕΡΑ ΤΗΝ ΙΣΗΝ (pariter patrem & matrẽ
ex æquo) Sed ciuilis ratio, quæ Decemuiros mouit, ignota nõ est. non habet mater filios in potestate, & vt non habet suos hæredes, sic nullam in eorũ hæreditate
g.L.pater qui castrense De castre. pec.
partem. Pater iure peculij occupat omnia bona filij sui. defuncti, g quẽ habebat in
potestate. Filio emancipato succedit iure fiduciæ expressim cõtractæ in emanci-
patione. At neq; ius peculij, neq; huius fiduciæ, matri conuenit. Quanquã poste-
ritas totã hanc Decemuirorum ratiocinationem, subtilem magis fortasse, quàm 61
naturalem repudiârit, & matri æquior fuerit. quod latius dicam li.7. vbi ad Sena-
tusconsultum Tertyllianum vẽtum erit. Illud postremò nunc hoc loco dixisse sit
satis; Iustinianum Nou. sua Consti. 118. in vniuersum sustulisse discrimen suorum 62
hæredum filiorum sc. & emancipatorum, agnatorũ item & cognatorum, cumq;
Lex XII. Tabularum præferret fratrem consanguineum vterino tantùm: & ex
vtroque parente coniunctum fratrem germanum, non præferret consanguineo 63
tantùm: Iustinianus & germanos ex vtroque parẽte iunctos, potiores esse voluit:
& si qui tantùm essent vna ex parte cõsanguinei, ex alia vterini; æquo eos iure suc 64
cedere. Fratrum quoque defunctorum filios cum suis patruis admisit, vt saltem

in stirpea

in ſtirpes cum ijs ſuccederent. Parentes quoque, patrem dico & matrem, cum
65 fratribus defuncti ad hæreditatem vocauit. Sic multis modis in hoc genere re-
ceſſum eſt à Lege XII. Tab. Illud poſtremò prætermittendum non eſt, quod VI-
66 pianus g ſcripſit; cùm ex Lege XII. Tabularum quis habet hæreditatem, non g. L. 1. vt ex leg. bon. poſſ.
petere bonorum poſſeſſionem ex illa parte Prætorij edicti,

VTI ME QVAQVE LEGE, SENATVSVE CONSVLTO BONORVM POSSESSIONEM DARE OPORTEBIT, ITA DABO: ſed inde; TVM QVEM EI HÆREDEM ESSE OPORTET.

Quod ad ſequens caput 29. attinet de ſucceſſione libertorum, copioſe totam eam rem expliceuimus lib. 3. Inſtit. neque digna res eſt, quam ſæpius inculcemus, aut eius ocioſa repetitione lectores obruamus. Quæ igitur vtiliora ſunt, perſequamur.

IN XXX.

SI PLVRIBVS HAEREDITAS IVRE DELATA SIT, &c.

1. *Communio rerum hæreditariarum perimi potius debet, quam difficultas communionis augeri.*
2. *Familiæ erciſcundæ actio ex L. XII. Tab. deſcendit: & quò pertineat? num. 5. 16. 17. 18.*
3. *In nominibus quæ ſunt, quomodo diuidantur. & num. 8. 9.*
4. *Hæreditaria corpora quomodo diuidantur?*
6. *Familiæ erciſcundæ actio, & hæreditatis petitio, quid differant? & 7. 10. 12.*
11. *Iudex debita nonnunquam, & credita, ſingulis pro ſolido, alia alijs attribuit. & num 13. 14.*

NEceſſarium eſſe inter hæredes diuiſionem rerum hæreditariarum, nemo eſt, qui non videat. Certè eius rationem adiuuari, & communionem perimi potius debere, quàm difficultatem communionis augeri, non temerè dixit Vlpianus. a nam & prudenter à Papiniano di- a. L. qui neque. §.
ctum eſt; b communionem plerunque magnas diſcordias excitare. Rectè itaque vlt. De reb. eor.
Decemuiri hæredibus dari voluerunt iudicium actionémve familiæ erciſcundæ, que ſub tu. ſunt.
2 hoc eſt, hæreditatis diuidundæ. Hanc autem actionem deſcendere atque pro- b. L. cùm pater. §.
ficiſci ex Lege XII. Tab. autor eſt Caius noſter. c & cauſam hanc addit; quòd co- pater dulciſſi-
hæredibus volentibus à communione diſcedere, neceſſarium videbatur ali- mis. De leg. 2.
quam actionem conſtitui, qua inter eos res hæreditariæ diſtribuerentur. Qui- c. L. 1. Fam. erciſc.
bus propriè verbis aut lex hæc concepta fuerit, aut vteretur iudex in familia er-
ciſcunda, certò dicere non poſſum: licet ex illis quædam apud Feſtum, & ex his
nonnihil apud Ciceronem legiſſe me meminerim. Sed de verbis minus ſoliciti,
rem ipſam videamus. Gordianus Imp. ait; d ea, quæ in nominibus ſunt, non re- d. L. ea quæ. C.
3 quirere arbitrum familiæ erciſcundæ. Ea enim ipſo iure diuidi pro portionibus Famil. erc.
hæreditarijs per Legem XII. Tab. Non idem dicitur de corporibus hæreditarijs.
4 Nam ea quidem ipſo iure diuiduntur inter hæredes, ſed tantùm pro partibus in-
diuiſis: ſic vt alia præterea diuiſione ſit opus, quæ certo conſilio iudicioque par-
tes cuique certas & diuiſas ſeparatasq; tribuat. Huc ergo pertinet actio familiæ
5 erciſcundæ, vt bonæ fidei iudicis arbitrio res hæreditariæ diuidantur inter hære-
des, aut per adiudicationem condemnationemque à communione recedatur,
& eorum, quæ cuique aberunt, præſtationes fiant. Petitio verò partis hæreditatis
6 eò tantùm pertinet, vt hæreditas, ſicuti iure delata eſt, pro parte indiuiſa adiudi-
cetur. Hoc diſcrimen eleganter tradit Iulianus his verbis: e Non poſſumus conſe- e. L. nō poſſumus.
qui per hæreditatis petitionē id quod familiæ erciſcundæ iudicio conſequimur, Si pars hæred.
vt à communione diſcedamus: cùm ad officium iudicis nihil amplius, pertineat, peta.
quàm vt partem hæreditatis pro indiuiſo reſtitui mihi iubeat. Ergo petitionem
hanc partis hæreditatis, rectè ſubſequitur actio familiæ erciſcundæ, vt hæredes pro
7 partibus indiuiſis diuiſas accipiant. Subtili ratione iuris, ſingulæ res hæreditariæ
cōmunes ſunt, & pro indiuiſis partibus ſunt cohæredū. Arbiter verò familiæ er-
ciſcundæ, partes vnicuiq; certas & diuiſas diſtinctasq; tribuit. ꝙ fieri certè nō po-
teſt, quin alteri addicat, ꝙ alterius erat pro parte indiuiſa. Iā verò ſi ꝙ alteri addixit,
plus minúſve ſit diuiſa alterius parte, vt cùm ſingulæ res ſingulis hæredibus adiu-
dicatæ eiuſdē æſtimationis nō ſunt; pecuniæ cōpenſatione tollet hanc inæquali-
tatē. Sic enim Iuſtinianus ait: f Si familiæ erciſcūdæ iudicio, actū ſit; ſingulas res ſin- f. §. ſi familiæ. In-
gulis hæredibus adiudicare debet. & ſi in alterius pſona prægrauare videatur ad- ſtit. De offic. Iud.
iudicatio;

iudicatio; debet hunc inuicem, cohæredi certa pecunia cōdemnare. Porrò quod
ex Gordiano diximus; ea, quæ in nominibus sunt, non habere opus arbitro fami- 8
liæ erciscundæ, satis enim ipso iure diuidi, per Legem XII. Tab. dictum quoq; id
g. L. 2. §. vlt. L. 4. Fam. erc. est ab Vlpiano. g In hoc iudicium (inquit) nomina non veniunt, Item, cæteræ res,
præter nomina, veniunt in hoc iudicium. addit tamen; si nomen vni ex hæredi-
bus legatum sit; id hæredem hoc iudicio consequi. Sed & huc pertinet quod A-
fricanus consulius, quid iuris esset; si seruus institor Calendario præpositus, hæ-
res deinde à domino sit pro parte institutus, & ego pro parte altera; cumque &
ipse ignoraret dominum mortuum, seque liberum & hæredem esse; idque etiam
debitores hæreditarij nescirent; ab his bona fide soluentibus pecuniam recepis-
h. L. pen. Si cer. pet. set: respondit h debitores rectè soluisse, esseque liberatos. Eius autem pecuniæ
nomine quæ ad illum peruenit, mihi cohæredi non competere aduersus eum a-
ctionem familiæ erciscundæ, sed negotiorum gestorum. Nempe subtiliter vidit
Africanus, nomen hæreditarium ipso statim iure per XII. Tabulas fuisse diuisum 9
inter hæredes, hoc est, me & Stichum. Itaque me hac ratione potius agere debere
pro mea parte aduersus debitorem hæreditarium. Sed quia is iam bona fide Sti-
cho exigenti soluit, æquius esse, vt ratam habens hanc exactionem, agam nego-
tiorum gestorum aduersus ipsum Stichum. Si pecunia fuisset exacta viuo adhuc 10
domino siue testatore, nec cùm is moreretur amplius in nominibus fuisset; certè
tum iudicio familiæ erciscundæ meam eius portionem consequerer, vt aliorum
i. L. 52. Mcnius. Fam. erc. corporum hæreditariorum. i Illud postremò adijciendum est atque obseruandū,
k. L. 3. eo. tit. quod Caius ait, k ad officium iudicis nonnunquam pertinere; vt debita & credi 11
ta singulis pro solido, alijs alia attribuat: quia sæpe & solutio & exactio partium
non minima incommoda habet. nec tamen hanc attributionem illud efficere, vt
quis totum solus debeat, vel totum alicui soli debeatur: sed vt siue agendum sit,
partim suo, partim procuratorio nomine agatur: siue contrà cum eo agatur, par-
tim suo partim procuratorio nomine conueniatur. nam licet libera potestas
maneat creditoribus cum singulis experiundi: tamen & his liberam potestatem
esse suo loco substituēdi eos, in quos onera actionis officio iudicis translata sunt.
Ex hoc Caij responso manifestum est; & quanta vis sit legis XII. Tab. ipso iure di- 12
uidentis singula nomina hæreditaria pro portionibus hæreditarijs: & quid tamē
efficiat alia eorum diuisio distributioque per arbitrum familiæ erciscundæ facta
in hoc iudicio, quod ex XII. Tabulis proficiscitur. Abusi autem eo Caij responso
sunt, qui inde probare voluerunt; pro parte rectè non solui inuito creditori, ne
in obligationibus quidem quantitatis dandæ, quæ tamen natura & omnimodo
diuiduæ sunt. Monet Caius, vni ex hæredibus in solidum attribui posse vnum ali-
quod nomen hæreditarium. non dicit etiam; illi cui attributum est, debitorem 13
non posse partem soluere, & pro parte liberari; aut si sit creditor, posse partis so-
lutionem reijcere. Et quod ait Caius; solutionem partium habere multa incom-
moda, consideratione debitoris dictum est, cui incommodum est pluribus par-
tem soluere: sicuti cōsideratione creditoris ait partium exactionem esse incom- 14
modam: sic consuli vult tam debitoribus, ne plures habeant eiusdem nominis
causa creditores, quàm creditoribus ipsis, ne distrahantur in plures debitores.
Cum vno enim siue creditore, siue debitore rem habere, quàm cum pluribus,
l. L. 22. item Labeo. §. pen. fam. ercis. commodius est. Vt redeam ad iudicium familiæ erciscundæ, Vlpianus ait, l ex
duobus constare, rebus atque præstationibus, quæ sunt personales actiones. Per- 15
sonales præstationes in hoc iudicium venire dicuntur ex quasi contractu deli-
ctóve, cùm alter cohæres alteri damnatur, quòd solus fructus fundi hæreditarij
perceperit, aut rem hæreditariam corruperit, aut consumpserit. Atque inde qui-
m. §. si familiæ. Instit. De offic. iud. dem proficisci vulgò receptum est, quod Iustinianus ait, m hanc actionem habe 16
re mistam causam, hoc est, in rem esse & in personam. Sed in personam potius esse
propter adiudicationes rerum partesque diuisas, ac nē ab alijs traditum est. Dixi
breuiter, quæ vis sit huius actionis, quódve officium iudicis in hoc iudicio. nunc
videamus quibus detur. Ait lex;

OMNIBVS, QVIBVS HÆREDITAS IVRE DELATA EST:

n. L. 2. fam. ercis. Vlpianus id latius explicans, inquit: n Per familiæ erciscundæ actionem diuiditur 17
hæreditas:

hæreditas: siue ex testamento, siue ab intestato, siue ex Lege XII. Tab. siue ex aliqua lege deferatur hæreditas, vel Senatusconsulto, vel etiam Constitutione. & generaliter eorum duntaxat diuidi hæreditas potest, quorũ & peti potest. Idem
18 ait; ᵒ hoc quoque iudicium locum habere, & inter bonorum possessores, & inter eum cui restituta est hæreditas ex Trebelliano Senatusconsulto, & cæteros Honorarios successores.

ᵒ L. 24. sed & eius. §. 1. fam. erciscun.

IN XXXI.

HOMINEM MORTVVM IN VRBE NE SEPELITO, NEVE VRITO.

1. Sepultura humanioris nullam rationem habens, insanus iudicandus est.
2. Ambitio sepulcrorum non toleranda est.
3. Funeraria Leges XII. Tabularum.
4. Libitinensis porta Romæ quæ?
5. 6. Athenienses intra vrbem nemini dederunt sepulturæ locum. nec Sicyonij, num. 7.
8. Tarentini, oraculo moniti, mortuos suos intra vrbẽ sepelierunt.
9. Smyrnei Castricium mortuũ in vrbe singulari priuilegio sepeliri concesserunt.
10. Campus Exquilinus Romæ siue puticuli sepulturis destinati: & ab Augusto dati Mecænati; nu. 11.
12. Adriani rescriptum contra sepulturas vrbanas: item Diocletiani; num. 13.
14. 15. Ambitiosas Christianorum sepulturas à templis prohibuerunt Gratianus, Valentinian. & Theodosius: & Carolus Magnus; num. 18.
16. Vasensis concilij canõ, ne quis in Ecclesia sepeliatur.
17. Exhedra quid?

HOminem mortuum sepelire debere, natura ipsa, ipse humanitatis
sensus docet, dictatque. Facilis, quidem, iactura sepulcri est, vt inquit
Poëta. Sed qui superstites sunt viuuntque, tam barbari esse non debent,
nullam vt ipsius humanitatis habeant rationem, quam & qui
1 moriuntur, si sani sint, aspernari non possunt. Modestinus noster [a] iudicat; insanũ
esse eum, qui in testamento suo præceperat, ossa sua & reliquias in mare proijci:
talique voluntati non obtemperandũ esse, respondit. Cæterùm magna etiam
prudentia est opus, religioni sepulcrorum tantum ne tribuatur, vt viuis res hæc
2 grauiter noceat, néne ambitio in hoc genere Reip. perniciosa vel alatur vel toleretur.
Certè M. Tullius Platonem laudat, qui præceperit, ne ex agro culto, cóue
qui coli posset, vlla pars sumeretur sepulcro: sed quæ natura agri tantummodo
efficere possit, vt mortuorum corpora sine detrimento viuorum recipiat. Ad
3 XII. Tabularum Leges sepulcrales funerariasque veniamus. Cicero lib. 2. de Legib.
testis est in ijs scriptum fuisse, quod propono, caput hoc,

a. L. pen. de condit. instit.

HOMINEM MORTVVM IN VRBE NE SEPELITO, NEVE VRITO.

Causamque adijciens, Credo (inquit) vel propter ignem, vel periculum. Itaque
& Romæ porta fuit, per quam cadauera efferebantur, & quæ propterea dicebatur
4 Libitinensis: cuius meminit Lampridius in Commodo. Legem autem hãc
ex Græcia allatam esse, dubium non est, neq; sanè vllam magis Legem Athenienses
5 retinuerunt, diutiusque & constantius obseruârunt. Nam & tempore Ciceronis,
annis post Solonem plusquam quingentis, adeò necquã intra suam vrbem
6 sepeliri non patiebantur, vt Seruius Sulpitius ad Ciceronem scribens testetur;
nunquam se potuisse ab ijs impetrare, locum vt sepulturæ darent M. Marcello intra
suam vrbem, neq; id antea cuiquam concessisse. Hanc Atheniensium Legem
non ignorabant Decemuiri. Qualem & apud Sicyonios fuisse scimus. Sic enim
Plutarchus in Arato, νόμου ὄντος ἀρχαίου, μηδένα θάπτεσθαι τειχῶν ἐντός, (veteri manente lege;
7 neminem sepeliri intra muros.) Solos autem Tarentinos morem alium obser-
8 uâsse, cùm oraculum accepissent, futuros beatiores, si cum pluribus habitarent, ac
propterea intra vrbem suos mortuos sepelijsse, scribit Polybius lib. 8. Verùm etsi
aliæ Græcorum Leges erant, nõ erant tamen omnes semper tam seueræ, quin aliquando
veluti priuilegio concederetur viris magnis sepultura in vrbe, honoris
causa. Nam & Cicero pro Flacco cùm describit Plebiscita Smyrneorum de Castri-
9 cio mortuo; Primum ait ijs contigisse, vt in oppidum introferretur; quod alijs
non cõceditur. Romani itaque & vetustas Græcorum Leges, & exemplum taliũ
priuilegiorum secuti sunt. Audiebant eos extra suam vrbem publica habuisse se-

H pulcra.

pulcra. Id imitari vtile esse duxerunt. Ac multorũ tamen clarorum hominũ vir-
tuti meritisq́;, honoris causa sæpe hoc tribuerunt Romani, vt in Vrbe sepeliren-
tur (quod & Cicero scribit) sed id vulgò passimq́; minimè permiserunt. Habuerũt
quidem aliquando intra suam Vrbem Campũ Exquilinũ, publicis cadauerũ se- 10
pulturis destinatum; vocabantq́; etiam Puticulos, quòd ibi cadauera putresce-
rent. Sed cùm eorũ, quæ ibi cremabantur, nidor Vrbi perniciosus esse videretur; 11
id amplius ne fieret, Augustus Senatu Populoq́; cõsentiente, campũ illum Mœ-
cenati dedit. Ac multi quidem sæpe Legẽ hanc XII. Tab. infringere tollereq́; co-
b. L. 3. Diuus de sepul. viol. nati sunt. Sed eorũ audacia ambitioq́; sępe etiã repressa est. Vlpianus ait; [b] Adria- 12
num rescripto suo pœnam statuisse quadraginta aureorũ & in eos, qui quem in
ciuitate sepeliunt; & in magistratus, qui hoc passi sunt; locumq́; publicari iussis-
se, & corpus transferri. Cumq́; multæ tamen deinde municipales leges permitte-
rent in ciuitatibus sepeliri; Vlpianus respondit, ad eas tollendas Imperialia ni-
hilominus statuta, quæ generalia sunt, suã vim obtinere, & in omni loco valere.
c. L. mortuorum. C. de relig. & sumpt. fun. Sed & Diocletianus Legem hãc rursus confirmans, in hæc verba rescripsit: [c] Mor- 13
tuorum reliquias, ne factũ municipiorũ ius polluatur, intra ciuitatem cõdi iam-
pridem vetitum est. Postea tamen Christianorum Principum indulgentia res eò
euasit, vt multi in ipsis etiam diuorũ templis atq; sacellis loculisq́; ambitiosè se- 14
peliri vellent. Quam, superstitionem dicam an impudentem ambitionem, Gra-
tianus, Valentinianus & Theodosius reprimere conati sunt edito hoc rescripto: 15
d. L. 2. C. de sacros. eccles. [d] Nemo Apostolorũ vel Martyrũ sedem humanis corporibus existimet esse con-
e capit. præcipiendum. 13. quæstio. 2. cessam. Sed & extat canon Concilij Vasensis, [e] ne quis in ecclesia sepeliatur, sed 16
tantùm in atrio, vel porticu, vel exhedris ecclesiæ. exhædras vocare videtur, quæ 17
nunc Capitula vocantur. Certè Vitruuius exhædram describit locum esse mul-
tas sedes habentem, in quem conueniebant Athenienses philosophi, cùm aut di-
sputare, aut conferre aliqua de re inter se vellent. Postremò & inter ipsius Caroli
Magni Leges, illud caput extat; Ne quis mortuum in Ecclesia sepeliat. 18

IN XXXII.

ROGVM BVSTVMVE NOVVM PROPIVS SEXAGINTA PEDES &c.

1. 2. Mortuum quam propè ædificium alienum inferri possit?

On modò vrbibus atq; ciuitatibus res funeraria publicè nocere non
debet: sed nec priuato cuiquam extra vrbem. Ergo vt huic quoq; pe-
riculo Decemuiri occurrerent, Legem hanc ediderunt, quam Cicero
ait priuatorum ædificijs cauere. Nam (inquit) quod rogum bustúm-
ve nouum vetat propius sexaginta pedes adijci ædes alienas inuito domino; in- 1
cendium veretur acerbum. Ac huius quidem capitis XII. Tab. quod nobis Cicero
suppeditauit, (extat enim apud eum lib. 2. de Legib.) non obscura vestigia super-
a. L. 3. De mor. infer. sunt in Pandectis. In ijs enim Pomponius significat, [a] inuito domino non posse 2
mortuum inferri propius ædificium alienum, quam sit legitimus modus. Sed si
ab initio, domino sciente id fecerit aliquis; postea prohiberi non posse.

IN XXXIII.

HOC PLVS NE FACITO ROGVM ASCIA NE POLITO. VINO ROGVM NE RESPERGITO.

1. *Sumptuosa lamentabiliaq; funera, Solonis quoq; Legibus sublata erant.*
2. *Legis huius principium explicatur.*
3. *Rogum ascia poliri, quid?*
4. *Voluntates defunctorum circa sepulturam non semper valent. & num. 5.*
6. *Monumentum ipsum ascia perpolire licuit.*
7. *Multa quæ de ratione funerum fuerunt in XII. Tabulis, desiderantur.*

Vod pertinuit ad minuendos sumptus, lamentationesq́ue funeris, in
XII. Tab. translatum esse de Solonis Legibus, inquit Tullius lib. 2. de
Legibus sumptuosaque funera & lamentabilia, non minus XII. Tabu- 1
lis. quàm Solonis Lege sublata esse: ac in decimam quidem, siue vt alij
legunt, vndecimã tabulam coniectũ fuisse caput, quod nunc proponimus, Princi-
piũ eius Legis fuit hoc; HOC PLVS NE FACITO. quasi diceret Decemuiri, 2
nihil

nihil aut fieri, aut impendi posse in hoc genere vltra hæc, quę sequenti Lege con-
3 tinentur. Rogum ascia poliri cùm vetant, significant ea ligna, quæ ad construen-
dum rogũ comparabantur, dolari perpolirię́;, quasi ad ædificium, non debuisse.
Certè & nostri Iuriscõsulti, ne funus monumentúmue nimis sumptuosum esset,
4 diligenter cauerunt. Papinianus respondit,[a] ipsorũ etiam defunctorum ineptas
voluntates circa sepulturã; veluti, vt aliquid superuacuũ ei in funus impẽdatur,
5 non valere. Et ei, cui pecunia ad faciendũ monumentum legata sit, non amplius
concedendũ esse, quàm quod sufficiat ad speciẽ modicã monumenti, dixit Mar-
6 cellus.[b] Porrò monumentũ ipsum ascia perpoliri potuisse & dedolari, ipsæ quoq;
veteres sepulcrorũ inscriptiones testantur, quibus sub ascia dedicatũ vel positũ
7 sepulcrum sæpe legimus. Illud postremò dissimulandũ non est; multa de sumptu
& ratione funerũ fuisse in XII. Tab. quæ nũc prætermittimus, quia integra descri-
bere non liceat. Cicero obiter quędã attingit. Sed quia tunc vulgò, & pueris quo-
que ipsis satis nota erant, attingit tantùm prima veluti eorũ verba. Postremam
huius capitis partẽ ex Plinio adieci, qui eam totidem verbis proponit. Ipse quo-
que Festus scribit, XII. Tabulis cautũ fuisse, ne mortuo inijceretur murrhata po-
tio. Et Cicero ait, sumptuosam respersionem hac Lege prohibitam fuisse.

a. L. seruo alieno. §. ineptas. De Lega. 1.

b. L. 2. ad Leg. Falcid.

IN XXXIIII.

MVLIERES GENAS NE RADVNTO, NEVE LESSVM FVNERIS ERGO HABENTO.

1. *Præficæ rasis genis sanguinem eliciebant; & nu. 3.*
2. *Genæ quid? item Lessus quid? num. 3.*
4. *Solon moriturus legum suarum obliuiscitur.*
5. *Lessum Iustinianus cantu, Præficas Psaltrijs commutauit: vt & Hieronymus & Paulus & olim Thraces; num. 6. 7. 8.*
9. *In Græcia hodie & Bulgaria adhuc mulieres tum Lessum faciunt tum genas radunt.*
10. *Lessus Romæ planè tolli non potuit.*
11. *Luctus tempus mulieri viduæ præscriptum annus est.*



1 OLim ante rogum effundi solebat sanguis vel captiuorũ vel gladiato-
rum. Eorũ postea loco fuerunt præficæ mulieres, quæ magnũ luctum
simulabant, & ex suis etiam genis rasis sanguinem eliciebant. Has si-
ue ineptias, siue nænias Decemuiri tollere voluerunt. Plinius lib. 11.
2 cap. 37. ait; infra oculos esse malas homini tantùm, quas Prisci genas vocabant,
3 XII. Tabularum interdicto radi à fœminis eas vetantes. Lessum autem quid pro-
priè vocârint Decemuiri, certò scire se non posse confessi sunt antiquissimi XII.
Tab. interpretes. Quidam suspicabantur fuisse vestimenti muliebris genus. Ci-
cero Lælij interpretationem magis probat, qui lessum quasi lugubrem eiulatio-
nem esse dixit. Nam & lib. 2. Tuscul. Quæst. cùm negat eiulatum esse concessum,
ait; hunc nimirum esse fletum, quem XII. Tabulæ in funeribus adhiberi vetue-
runt. Hoc autem in libris de Legibus, ait tanto magis probare se, & verum esse iu-
dicare, quia & Lex Solonis idipsum vetat. Plutarchus Legem hanc Solonis
commemorat; eandemque in Leges Rom. translatam esse fatetur. Quid autem
4 Solon in hoc genere statuerit, his verbis explicat: Ἐπέστησε καὶ τοῖς πάθεσι νόμον, ἀπείργοντα
τὸ ἄτακτον καὶ ἀκόλαστον. (Posuit etiam luctui legem, reprimentem id quod contra or-
dinem modestiamque fieret.) Item, ἀμυχὰς κοπτομένων, καὶ τὸ θρηνεῖν πεποιημένα, καὶ τὸ κωκύ-
ειν ἄλλον ἐν ταφαῖς ἑτέρων ἀφεῖλεν. (In funeribus lacerare se atque cædere, & lamentatio-
nem meditatam edere, alienisque in exequijs eiulare prohibuit.) Mirum tamen
est, Solonem ipsum moriturum longè aliter sensisse. Nam eius, quantumuis sa-
pientis, Cic. lib. 1. Tusc. Quæst. hanc fuisse orationem ait;

Mors mea ne careat lachrymis; linquamus amicis
Mœrorem, vt celebrent funera cum gemitu.

Quid verò de Iustiniano nostro dicemus; qui in Nouel. Constit. 59. qui mu-
5 liebrem lessum in funere conuertit in cantúm, & præficarum loco Psaltrias sub-
stituit? Meminit enim τῶν γυναικῶν τὴν κλίνην ἡγουμένων καὶ ψαλλουσῶν (mulierum feretrum
6 præcedentium & psallentium.) Certè & Diuus Hieronymus in epitaphio Paulæ
testis est; Christianos in funere & exequijs suorum, cecinisse ALLELV IA:
7 quæ vox est gratulantis, nõ lugentis. Et certè iam olim Apostolus veterem in hoc
8 genere luctũ Ethnicorũ damnarat, vetueratq́; nos eum imitari. Quid verò de illis

Thraciæ Populis dicã, qui nascentes lachrymis & eiulatione; mortuos verò hi-
lari cantu tripudioq́; prosequebantur? Hodie tamen in Græcia & Bulgaria con- 9
stat in funeribus mulieres & lessum facere, & genas radere, magis quàm Romæ o-
lim vnquã factum fuerit. Sed neq; Romæ hæc insania planè tolli olim potuit. Nã
& in Declamationibus quæ Quintiliano tribuuntur, fit mulieris mentio, quæ fi- 10
liũ lugens, sanguinantes lacertos, scissum laniatumq́; vultũ, liuida vbera ostẽdit.
In Pãdectis tamẽ nulla huius Romani moris supersunt vestigia. Sed marito mor-
tuo, annus ad lugendum mulieri viduæ solùm præscribitur, & ante nubere alteri 11
prohibetur, nõ tam luctus tamẽ causa, quàm propter periculũ turbãdi sanguinis.

IN XXXV.

HOMINI MORTVO NE OSSA LEGITO, QVO POST FVNVS FACIAT.

1 Cineres sepiliri voluerunt Decemuiri loco eodem quo cadauer vrebatur: excepta morte peregrina & bellica; num. 2.



Cicero caput hoc XII. Tab. commemorat lib. 2. de Legib. cùm probare
vult omnia funebria, quibus luctus augetur, per XII. Tab. sublata esse.
Voluerunt (opinor) Decemuiri eodem loco cineres condi, quo cada- 1
uer vrebatur, ne eorum translatio luctum sumptúmue nouum adfer-
ret. Fatetur tamen Cicero, excipi bellicam peregrinamq́; mortem, hoc est, eorum 2
qui vel in bello vel peregrè obierant: quorum & ossa colligi, & cineres patrijs se-
pulcris reddi condique, veteres. Rom. pium esse iudicârunt.

IN XXXVI.

QVI CORONAM PARIT IPSE PECVNIAVE EIVS, VIRTVTIS ERGO EI DVITOR.

IPSI MORTVO PARENTIBVSQVE EIVS, DVM INTVS POSITVS ESSET FORISVE FERRETVR, SE FRAVDE IMPOSITA ESTO.

1. Coronarum autoritas.
2. Duiti *pro* Dari.
3. Pecunia partum, in XII. Tabul. quid?
4. Coronare mortuos soliti sunt Romani temporibus Arnobij.
5. Castricio mortuo corona imposita ex Plebiscito Smyrneorum.
6. 7. 8. Corona longa, quas cadaueribus imponi vetuerũt Decemuiri, quæ fuerint?
9. Acerra quoq; à Decemuirijs quomodo sublata sit.
10. Corona sacra Athletarum.
11. Se *pro* Sine.
12. Dentes insititij aurati cadaueribus non detrahendi.



Hoc caput totum Plinius nobis suppeditauit, & aliqua etiam ex parte
interpretatus est. Sic enim lib. 12. cap. 3. loquens de coronis ait: Sem- 1
per autoritas vel ludicro quæsitarũ fuit. Nanq; ad certamina in Cir-
cum per ludos & ipsi descendebant, & seruos suos quoque mitte-
bant. inde illa XII. Tabularum Lex.

QVI CORONAM PARIT, IPSE PECVNIAVE EIVS, VIRTVTIS ERGO EI DVITOR.

Sic enim legendũ esse, non, vt vulgò, ARGVITOR, accepimus: & satis cõstat, 2
veteres dixisse DVIRI pro DARI. Porrò idem Plinius hanc veluti Legem de
corona mortuorũ explicans, ait: Quam serui equíue meruissent, pecunia partam 3
Lege dici, nemo dubitauit. Quis ergo honos? vt ipsi mortuo, parentibusq́; eius,
dum intus positus esset, forísue ferretur, sine fraude esset imposita. Aliâs in vsu
promiscuo ne ludicræ quidem coronę erant. Hęc Plin. Sanè Arnobius lib. 8. signi-
ficat, suo tempore Romanos solitos esse coronare mortuos; & accusâsse Chri- 4
stianos, qui id non facerent. Sed & videntur veteres Gręci suos mortuos coronâs-
se. quod indicat Aristopha. ἐκκλησ. Cic. pro Flacco narrat plebiscito Smyrneo- 5
rum placuisse, vt imponeretur aurea corona mortuo Castricio. quanquam hoc
priuilegium fuisse videri possit. Sed quid Decemuiris placuerit, videmus. Cicero
quoque

quoqne lib, 2. de Legib. hulus rei testis esse potest. Cùm enim dixisset; per XII. Tabulas sublatam seruilem esse vnctura m,& circumpotationem funebrem, & sum-
6 ptuosam respersionẽ; addit, longas quoq; coronas esse sublatas. Tum verò subijcit: Illa iam significatio est landis, ornamenta ad mortuos pertinere, quòd coronam virtute partam,& ei, qui peperisset,& eius parenti, sine fraude esse Lex impo-
7 sitam iubet. Quæ fuerint antem coronæ longæ, qnas cadaueribus imponi vetuerunt Decemuiri, obscurius est. Ex Cicerone & Plinio satis apparet potuisse honoris causa ijs imponi coronas Circenses, Ciuiles, aut Nauales, quas sua virtnte
8 promeruerant: non tamen longas. Sed lubenter Turnebum seqnor, qni existimat ita eas appellari, quæ Deorum propriæ erant. vt eas propterea mortuis & ca-
9 daueribus minimè conneniisse intelligamus. Sicuti & Cicero subijcit, eum longis coronis acerras esse sublatas: qnia Decemniri noluerint aras coram cadaueribus
10 excitari ad odotes adolendos vel thus incendendum. Coronarnm sacrarum, qui-
11 bus Athletæ victores ornabantur, frequens etiam nũ est mentio in libris Iuris Ciuilis. a Porrò SE FRAVDE, pro, SINE FRAVDE, hîc scribi facilè passus sum, cognita veterum Rom. lingua, qui SE, pro SINE sæpe dicebant, Et in melioribus Cic. de Leg. hæc quoq; proponnntur capita XII. Tab. qnę huc pertinent, NEVE AVRVM ADDITO, QVOI AVRO DENTES VINCTI ESSENT, IM CVM ILLO SEPELIRE VREREVE SE FRAVDE ESTO.

a. L. 40. commodis. De re iud. L. 5. De excus. tut. L. fin. C. quares pig. L. 1. C. de Athlet.

Cicero ait; humanè hoc exceptum esse, enm nempe eum suis illis dentibus sepeliri posse, ne scilicet insititij dentes, quòd auro fortassis deuincti & obligati
12 essent, cadaueribns detraherẽtur eximerentúrue. quanquam alioqui auro cadauera ornanda non essent.

IN XXXVII.

FORVM BVSTVMVE NE VSVCAPITO.

1. 2. Forum quid?
3. 4. Sepulcrum vsucapi non potest.
5. De Sepulcro violato legem Solonis Decemuiri prætererant.



1 [C]Vm Cicero lib. 2. de Leg. dixisset; Legem esse XII. Tab. quæ ipsis sepulcris caueat, ait; Qnod enim Forum, id est, vestibulum sepulcri, bustúmue vsucapi vetat, tuetur ius sepnlcrorum. Fornm autem hîc legendũ esse admonnit nos Adr. Turnebus, vir doctiss. ex Festo Pom-
2 peio, qui scripsit, Fornm antiqnos appellâsse, vestibulum sepulcri. Atqne huius
3 quidem Legis non obscnra vestigia, & reliquiæ in Pandectis supersunt. Vlpianns enim ait; a Longam possessionem Ius sepulcri non tribuere ei, cui iure non competit. Sed & religiosam rem in vnlnersum vsucapi vetant Leges Rom. Neque hîc prætermittendum est, qnod Cicero in Orat. de Arusp. respon. ait, si minus Iure
4 Ciuili pręscriptnm sit, Lege tamen Naturæ, communi Gentium iure, sancitũ esse, vt nihil mortales à dijs immortalibus vsucapere possint. De sepnlcro violato, Prętoris edictũ suo loco ptoponemns interpretabimnrque, quod & ex Solonis Le-
5 ge, quam Decemuiri prætererant, sumptum esse ostendemus. Nunc quod instat agamus, tandemque ad superstites mortuorum hæredes veniamus.

a. L. 4. De mor. infer.

IN XXXVIII.

INTER HAEREDES PRO HAEREDITARIIS PORTIONIBVS &c.

1. Vtilitas huius capitis; & necessitas; num. 3. 117.
2. Mortuis in mortuos, ad reposcendũ creditum, actionem dari apud Manoëm, credebant olim Galli.
4. In nominibus quæ sunt, ipso iure diuisa intelliguntur.
5. 6. Aes alienũ pro portione, ex qua quisq; defuncto heres extiterit, præstari oportet.
7. Hypothecariæ actionis natura quæ? & num. 9.
8. Hæreditariæ res nõ intelliguntur legati nomine obligatæ, nisi pro qua parte quisq; heres est.
10. 11. Quid, si hæreditaria obligatio personalis quidẽ sit, sed pertineat tamen non ad quantitatem dandã, sed speciem restituendam?
12. Ex interdicto De vi, & vi armata; item Quod vi aut clam; contra vnum ex cohæredibus vt agi possint in solidum?
13. Quid si de pecunia siue quãtitate agatur, obligatioq; re contracta sit?
14. Obligationes quæ inter heredes diuiduntur pro hæreditarijs portionibus, oportet esse hæreditarias; & diuiduas; num. 49. 61. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. Hæreditariæ obligationes quæ?
24. Familiæ erciscundæ actio in quem finem prodita? & num. 37.

 25. 26. Vt

25.26. Vt Obligatio per vnum ex heredibus promissoris, ipso iure inter omnes diuiditur; Sic & per vnũ ex heredibus stipulatoris cõmissa acquiritur eius cohæredibus omnibus. & num. 41. 47.

27. Pœna sæpe, licet summo iure in solidum commissa sit, tamen ex æquo & bono temperatur.

28. Hereditariam istam diuisionem Decemuiri quorsum introduxerint? & num. 40. 83. 84 90. 91.

29. Heredes debitoris an teneantur supra vires hereditatis? & num. 70. 71. 72. 73.

30. Ex heredis persona an Obligationis conditio immutetur? & num. 31. 32. 33. 34. 60.

35.36.37. Conditio pro parte impleri non potest; neq; ex accidente scindi debet; num. 38.

39. Inter heredes obligatio diuiditur quoties diuidua est; solutionis causa manente ferè indiuidua.

42. Quid, si vtrinq; concurrat heredum caussa?

43.44. Quid; si reus non nisi ex triente heres est debitoris, actor vero ex semisse heres creditoris? & num. 45. 46.

48. Actionis in solidum mota vis restringi magis nequit, quam ad hereditariam partem agentis.

50. Vt Res, ita & facta modò diuidua dicuntur modò indiuidua. & num. 51. 52. 53.

54. Facta, propriè loquendo, semper indiuidua sunt.

55. 56. Res diuisionem vbi recipiunt, inter heredes fit diuisio per legem XII. Tab.

58. 59. Quid, si genus stipulanti promiserim; vel species plures sub alternatione?

62. Heredes Emptoris omnes consentire debent ad redhibendum, quid verò, si venditori plures heredes extiterint? num. 63. 64.

65. Obligationes inter heredes quomodo diuidãtur? (de.

66. Legatarij nõ onerãtur æris alieni hereditarij incõmo-

67. Vbi debitoris creditor heres est, pro ea parte pro qua heres, obligatio confunditur.

68. De peculiari obligatione: & peculiari Creditore; num. 69.

74.75. An heres, soluens per errorem supra portionẽ suã, repetat, tanquam soluerit quod non deberet? & num. 76. 77. 78. 79.

80. 81. Diuisio ex epistola D. Adriani inter fideiussores; & diuisio inter heredes ex Lege XII. Tab quid differant? & num. 82. 3

85.86. Quid, si Testator vnum ex heredibus suis iusserit totum æs alienum soluere?

87.88. Quid, si maritus alterum ex heredibus onus dotis soluendæ suscipere iusserit? & num. 89.

92. Fisci priuilegium; ne, venditâ hereditate, amplius ipse teneatur, sed solus emptor.

93.94.95. Fiscus, dum tenet bona alicuius, non minus tenetur, tum creditoribus tum legatarijs, quã heres ipse teneretur.

96. Ἀνακεφαλαίωσις *& quasi recapitulatio eorum quæ hactenus fusius dicta sunt.*

97. De obligatione qua heredes astringuntur ad legata præstanda: & quæ similia cum obligatione æris alieni habeat, quæ dissimilia? num. 98. 99 100. 101. 102. 103.

104. Legatorum præstatione Testator quos heredes onerare vult, eos nominare debet.

105. Heredes qui legata præstare debent, vtrum in viriles æqualiter teneantur? an verò pro portionibus hereditarijs? & num. 106.

107. Nominatim, *quid? & num. 108. 109. 110.*

111. Quid, si nomina appellatiua & propria iuncta sint?

112. Si decem hæredibus dedisset; *hereditariæ partes intelliguntur.*

113. Quid, si heredibus inuicem à cohæredibus legatum sit.

114. Voluntas Testatoris semper inspicienda est.

115. Quid, si pars heredis deficiens accrescat cohæredibus cum onere præstandorum legatorum?

116 Quid, si legata sint indiuidua?

118. Quid, si inter heredem & fideicommissarium, cui ex S.C. Trebell. restituitur, diuidatur hereditas?

119. Creditores fraudati agere possunt aduersus possessorem rei legatæ.

SI quod est caput XII. Tab. quod & latissimè pateat, & Iuris Ciuil. ma- 1
ximam partem complectatur, vberesq; adeo reconditæ Iurisprudentiæ thesauros, fontesq; non vtilium minus, quàm subtilium quæstionum: hoc certè vnum esse, quod nunc propono, & profiteri & omnino adfirmare possum. neq; sanè aliud dignius vllum est, quod & diligenter excutiatur, & fusius expliceter. quanquam interpretem, ne rerum copia obruat, periculum sit. certè quem modum tenere, vnde incipere, vbi desinere debeat, non est admodum expeditum. Quod tamẽ in hoc genere possum, in eo operã meam desiderari non patiar. atq; etiam conabor meliori, quàm in priori harũ annotationum editione factum sit, & ordine, & methodo rem hanc totam iterum explicare: præsertim cùm tot locis Iuris Ciuilis admoneamur, eam omnibus tẽporibus sæpe agitatam esse. Non fuerunt tam vani, tamq; fatui Romani, quam olim vete- 2
teres Galli, qui ex suorũ Druidum doctrina, æris alieni exactionem apud inferos integram esse credebant: & mortuis in mortuos ad reposcendum creditũ actionem dari apud Minoem, aut alios inferorum iudices fabulosos, existimabant. Decemuiri rem hanc ad superstites pertinere prudenter iudicãrunt, quorum in hoc genere iudicia, tãto etiam magis excutere diligenter est necesse, quòd audiamus 3
hanc Legem nõ minus pertinere ad creditoris, quàm debitoris hæredes. Diuidit enim inter hæredes, non minus quod defuncto debetur, quàm quod is debet. Ea, quæ in nominibus sunt, ipso iure pro portionibus hæreditarijs intelligi diuisa, 4
generaliter rescribit Gordianus.a & vtrunque illud quod dixi, vno Diocletiani rescripto

a. L. ea quæ C. Fam. excis.

scripto[b] probare facilè possem. Sed & alijs Principum rescriptis vtrunq;, & sepa *b.L.pactum.C.de*
ratim, & perspicuè traditum est. Ac imprimis occurrit quod Valerianus Galie- *pact.*
5 nusq; aiunt;[c] manifesti & indubitati iuris esse; defuncto creditore multis relictis *c.L.1.C.vnus ex*
hæredibus, actionem personalem inter eos ex Lege XII. Tab. diuidi. Sic & alibi *plur.hær.*
rescriptum est;[d] debitores hæreditarios vnicuiq; hæredum, pro portione hæredi- *d.L.1.C.De ex-*
taria, antiqua Lege obligatos esse. Sed & Diocletianus,[e] Lex XII. Tab. (inquit) eui- *cept.*
dentissimè facit hæredes, creditoribus hæreditarijs obnoxios. Seuerus quoque & *e.L.vlt.C.de act.*
Antoninus rescripserunt,[f] explorati iuris esse; hæreditaria onera ad scriptos hæ- *hæredit.*
redes, pro portionibus hęreditarijs, pertinere. Quod secutus Decius Imp. ait,[g] pla- *f.L.1.C.si cer.pe-*
cuisse; pro hæreditarijs partibus, hęredes onera hæreditaria agnoscere, etiā in fisci *ta.*
6 rationibus. Deniq; Valerianus Galienusq;,[h] æs alienum (inquiunt) pro portione, *g.L.2.C.de act. hæred.*
ex qua quisq; defuncto hæres extiterit, præstari oportere. Si quis ex Pandectis loca *i.L.1.C.de annon. & tribu.*
huius generis requirat, vnum ex multis proferam. Paulus[k] loquens de pecunia à *k.L.hæredes.§.idē*
testatore, qui plures hæredes reliquit, promissa; Hæc obligatio (inquit) diuiditur *iuris.Fam.ercis.*
per Legem XII. Tab. Nunc rem ipsam videamus, & ordine singula proprius ex-
cutiamus.

Principio autem quę iam protuli Principū rescripta, eò ferè omnia pertinent,
vt ostendant; hāc legem propriè pertinere ad obligationes personales, ex quibus
neq; creditoris hæredes agant, neq; debitoris hæredes cōueniantur, nisi pro por-
7 tionibus hæreditarijs. Cæterùm hypothecaria actio, quę in rem est, singulis credi-
toris hæredibus in solidum datur, & aduersus eum solum hæredem, qui rem ob-
ligatā possidet.[l] Quòd si res ipsa diuisa sit, & à pluribus pro parte possideatur, ta- *l.L.1.& 2.C.si v-*
men actio hypothecaria nō diuidetur, sed aduersus eum quoq; in solidum dabi- *nus ex plu. hære.*
tur, qui partem possidet. quanquam de tacita illa hypotheca, quæ legati nomine *L.2.C.de act.*
datur, non idem dicamus. Hæc enim cùm primum constituatur in eas res, quæ ab *hær.*
defuncto ad hæredes iam peruenerūt: vt diuiditur inter hæredes principalis actio
personalis, quæ legati nomine cōpetit, sic & hypothecaria; vt non obligatæ intel-
8 ligantur res hæreditatiæ, quæ ad hæredes peruenerunt, nisi pro qua parte hæredes
sunt.[m] Neq; dissimile illud est, quod Constantinus statuit;[n] Vt, si ciuitas mutuam *m.L.1.C.comm.*
pecuniam crediderit, bona debitoris, qui soluendo non est, in alios etiā translata, *de lega.*
quodammodo teneantur, sicvt possessores conueniri possint, nō in solidum, sed *n.L.2.C.de debi-*
pro rata parte, pro qua res illas possidēt. Cæterùm alioqui tam indiuidua est actio *tor ciuit.*
9 hypothecaria, vt, etiam si res obligata sit, non tamē diuidatur, sed in partem quo-
que rei detur in solidum. Sanè cùm rem hæreditariam pignori obligatam hære-
des debitoris vendidissent, & euictionis nomine pro portionibus hæreditarijs
spopondissent; & alter creditori pro sua parte soluisset quod debebat; sed pro al-
tera parte nihilominus creditor rem in solidum euicisset; placuit propter indiui-
sam pignoris causam, vtrunque ab emptore conueniri posse: ei tamen, qui iam
soluerat, dari iudicium familiæ erciscundę contra cohæredem.[o] Porrò & tributa, *o.L.65. rem here-*
quæ ratione rei debentur, in solidum ab eo hærede exiguntur, qui rem possidet.[p] *ditariā.De euict.*
Sed & vbi hæreditaria obligatio personalis quidem est; pertineret tamen non ad *p.L.1.C. de ann. & tribu.*
10 quantitatem dandam, sed speciem aliquam certam restituendam; veluti depo-
siti aut commodati; certè hisce bonæ fidei obligationibus hoc tributum esse vi-
detur, vt ex ijs in solidum condemnetur vnus etiam ex hæredibus, qui facultatem
rei in solidum restituendæ habet, nec restituit. Sic enim Vlpianus;[q] Hęres (inquit) *q.L.3.§.hæres.*
11 eius, qui commodatum accepit, pro ea parte, pro qua hæres est, conuenitur: nisi *Commod.*
fortè habeat facultatem totius rei restituendæ, nec faciat. Tum enim condemna-
tur in solidum, quasi hoc boni iudicis arbitrio conueniat. Idem & de iudicio de-
positi,[r] alio loco traditur. Sed & ex interdicto de vi, & vi armata, quòd recupera- *r.L.22.si duo. De*
12 torium est, & rei persecutorium (vt populariter loquar) contra vnum hæredem, *pos.*
quamuis ex parte hæres sit, agi potest in solidum,[p] si ad eum peruenerit res tota. *p.L.si plures. de*
Nam ex causa eius interdicti, in factum actio competit contra hæredes in id, *vi & vi arm.*
quod ad eos peruenit, sicuti[q] & ex causa interdicti QVOD VI AVT *q.L.1.§.vlt. eod.*
13 CLAM. Cæterùm si de pecunia siue quantitate agatur; fateor eam quoque *tit. L.2.C.vnde vi.*
obligationem, quæ re contracta est, non dari in hæredes, nisi pro portionibus
hæreditarijs, sicuti & condictione ex causa furtiua hæredes conueniuntur pro

ea solùm parte, pro qua hæredes sunt,[r] non autem in quantum ad eos peruenit.
Obligationes, quæ inter hæredes diuiduntur pro portionibus hæreditarijs, opor- 14
tet præterea esse & hæreditarias & diuiduas. Hæreditarias voco, quæ à defuncto 15
contractæ & in hæredes transmissæ sunt, saltem quæ ex promissione defuncti de-
pendent, ex eiusque conuentione proficiscuntur, quamuis ab ipso primùm hæ-
rede commissæ sint. Nam & Caius[s] ait; hæreditarium æs alienum intelligi id 16
quoque, de quo cum defuncto agi non potuit: veluti quod is, cùm morere-
tur, daturum se promisisset: item quod is, qui pro defuncto fideiussit, post mor-
tem eius soluit. Ergo & si testator promiserit, per se hæredemque suum non
fieri, quo minus mihi ire agere liceat: & vnus ex hæredibus contrà faciat: com-
missa eius facto aduersus omnes hæredes in solidum obligatione, agam contra
singulos pro portionibus hæreditarijs ad id, quod interest; vel ad pœnam pecu-
niariam, cùm ea promissa sit, si contrà fiat. Paulus ait,[t] vno prohibente, in so-
lidum committi hanc stipulationem. Idem scribit,[v] vnius facto omnes hære- 17
des hîc teneri. Alio loco respondit;[x] si vnus ex pluribus hæredibus prohibuerit,
teneri cohæredes eius. Vlpianus[y] ait; omnes hæredes teneri. Apud Catonem
legimus;[z] si ex pluribus hæredibus vnus contrà fecerit, ab omnibus pœnam 18
committi pro portione hæreditaria. Item, omnes commisisse videri. Item, non
nisi in solidum peccari in hac stipulatione. Obseruemus autem, rectè quidem
dici, omnes teneri, & in solidum committi stipulationem. Sed non dicitur,
(quod alibi rectè dixit Paulus,[a] agens de obligatione seruitutis præstandæ) sin- 19
gulos in solidum teneri. Imò verò Cato ait, ab omnibus hæredibus pœnam
hîc committi pro portione hæreditaria. Poterat dicere, ab omnibus deberi pœ- 20
nam in solidum, nihilominus enim intelligeremus, à singulis deberi pro portio-
ne hæreditaria, quod ab omnibus simul debetur in solidum. Sic enim & Vlpia-
nus cùm dixisset,[b] hæredes ex dolo eorum, quibus successerunt, teneri in soli-
dum, similem subiecit interpretationem. hoc est, (inquit) vnusquisque pro ea
parte, pro qua hæres est. Certè & alibi legimus;[c] aliud esse, duobus in assem siue
in solidum rem aliquam pignori dare aut vendere; aliud, singulis in solidum. Sic
itaque & Paulus cùm dixisset;[d] si testator opus fieri iusserit vel promiserit, singu-
los hæredes in solidum teneri, quia operis effectus in partes scindi non possit:
subiecit alteram tanquam diuersam, vbi scilicet pro parte petitur, stipulationem
hanc, PER TE HAEREDEMQVE TVVM NON FIERI: at-
que, si ita stipulatus fuero, & vnus ex hæredibus tuis me prohibeat, vnius facto 21
omnes teneri: non ait, singulos in solidum, sed omnes simul; nempe singulos
pro suis portionibus. Quod equidem tanto magis inculco, quòd in eo magnos
etiam & eruditos viros hallucinari videam. Et sanè cùm hîc agatur ad id, quod
interest, vel ad pœnam: atque ita ad id, quod diuiduum est: cur hîc locum non
haberet diuisio introducta per XII. Tab.? Si obligatio primùm esset inita & con-
tracta ab ipsis hæredibus, tanquam principalibus promissoribus: tum certè quis-
que ex suo solùm facto teneretur, & quidem in solidum. neque ad alios pertine-
ret vllo modo, neque ij eo nomine conueniri possent.[e] At hîc agimus de obliga-
tione, primùm quidem in persona hæredis commissa eius facto: sed prius tamen
sub ea conditione à defuncto contracta, & ex eius conuentione proficiscente. 22
itaque & hæreditariam hanc obligationem vocat Paulus.[f] Fateor non transire
ad hæredes, nisi si eorum sit facta mentio: & in eorum persona nouam veluti esse
obligationem. Sed quia tamen dependet ex conuentione à defuncto inita; dico
per Legem XII. Tab. ipso iure diuidi inter hæredes, cùm ab vno eorum in soli- 23
dum commissa est, non secus atque si defunctus promissor ipse contrà fecisset,
eamque iam commisisset.

Cæterùm quia summum hoc ius, summa esse posset iniuria: & iniquum
sit, eos, qui non peccârunt, ex alterius facto damnum ferre: ex ijsdem duodecim
Tab. remedium quæsitum est; nempe vt actio familiæ erciscundæ, quæ hisce
quoque Tabulis prodita est, detur ijs, qui, cùm nihil peccâssent, pro sua tamen 24
parte soluere coacti sunt: vt repetant ab eo, qui contrà fecit, & commissæ stipula-
tionis causa est.[g] quanquam is, qui propter suum factum præstat ex stipulatione
hæreditaria,

r L. in conditio-ne. De condi. fur.
s L. hæreditarij. De reb. aut. iud. poss.
t L. hæredes. §. in illa. Fam. ercisc.
v L. in executio-ne. §. quod si. De verb. oblig.
x L. 2. item & si. Illo titu.
y L. 3. Illo titu.
z L. 3. §. Cato. Illo titu.
a L. 2. §. ex his. De verb. oblig.
b L. ad ea. §. vlt. De regu. iur.
c L. Titius. quibus mod. pig. vel hyp. sol.
d L. in executio-ne. De verb. oblig.
e L. de pupillo. §. si plures. De ope. no. nunc. L. vlti. Ad senat. Syllan.
f L. inter cohære-des. §. quod ex facto. Fam. ercisc.
g L. 2. §. item & si in facto. L. in executione. §. quod si ad si. De verb. oblig.

hæreditaria, à cohærede non repetat, vt inquit Paulus.[h] Porrò vt obligatio ex eô- *h. L. inter. §. quod*
25 tractu conuentioneque defuncti dependens, in solidum commissa per vnum ex *ex facto. Famil.*
hæredibus promissoris, ipso iure diuiditur inter omnes hæredes, pro suis portio- *ercis.*
nibus, vt pro ijs conueniri possint à stipulatore: sic & propter vnum ex hæredibus
26 stipulatoris in solidum commissa, summo iure acquiritur omnibus eius cohære-
dibus, pro suis portionibus: & inter eos tāquam hæreditaria diuiditur per Legem
XII. Tab. veluti si stipulatus sim mihi, hæredique meo ire agere licere: & si contrà
fiat, centum pœnæ nomine dari. si vnus me mortuo ex meis hæredibus ire agere
prohibeatur: pœna in solidum committitur, & commissa debetur singulis hære-
dibus, pro suis portionibus. Quia tamen vidit Prætor, iniquum esse, eos, qui pro-
hibiti non erant, nullaq; iniuria affecti, quorumq; nullo modo intererat, pro sua
quoque parte pœnam commissam cōsequi; exceptione doli, eos summoneri vo-
luit.[i] Non potuit quidem summum illud & subtile ius Legis XII. Tab. planè tol- *i. L. 2. §. vlt. De*
lere: sed effecit tamen, ne vim suam exerceret, vbi æquum non erat. neq; sanè no- *verb. oblig.*
uum est, vt, licet pœna summo iure in solidum commissa sit, tamē ex æquo & bo-
27 no detur exceptio, vt non nisi quatenus peccatum est, exigatur.[k] Priusquam au *k. L. si seruus. §. si*
rem aliò progrediamur, si quis requirat, quid Decemuiros hæreditariæ diuisionis, *plurium. Si quis*
de qua nūc agimus, autores, mouerit: certè cùm intelligerent, debitoris hæredes *cautioni.*
28 teneri ad persoluendum totum æs alienum hæreditarium, etiam cùm soluendo
alioqui nō esset hereditas: æquissimum, vt est, esse iudicârunt, vt hoc tale tantum-
que onus saltem inter eos diuideretur, quò leuius fieret, & singulis esset tolerabi-
lius. Satis iam satis creditoribus consultum esse: quibus, qualiscunque etiam es-
set hæreditas, in solidum persoluebatur. Neque queri posse, diuisam suam actio-
nem in plures spargi. Nam hac etiam ratione melior erat, quòd in reos nō modò
plures, sed plerunque etiam locupletiores dabatur. Et quanquam postea magis
29 etiam hæredibus debitoris consultum sit, vt non tenerentur supra vires hæredi-
tatis (quod primum separatione impetrata à Prætore, postea cōmuni etiam be-
neficio inuentarij consecuti sunt) tamen retenta est æquitas diuisionis hæredi-
tariæ, de qua loquimur. Neque huic repugnat, quod Paulus dixit,[l] ex persona he- *l. L. 2. §. ex his. De*
30 redum, conditionem obligationis non immutari. Nam & eo loco fatetur, in ijs *verb. oblig.*
etiam obligationibus, quarum solutio, quod ad vim liberationis attinet, alioqui
indiuidua est propter vtilitatem contrahentium, diuisionem tamen ex XII. Ta-
bulis locum habere. Illud verò solum contendit, quod & æquum est; eandem so-
31 lutionis, liberationisque rationem esse, & esse debere in persona hæredum, quæ
fuit in defuncto debitore generis: præsertim cùm alioqui non impediatur ipsius
obligationis diuisio. Sic &, cùm agitur de implenda conditione dandi, siue vt
pœna euitetur, siue vt aliquid acquiratur; diuiditur quidem principalis obliga-
32 tio, vt hæredes reuera non nisi ad partem suam dandam obligati intelligantur:
Sed solutio ipsa, eiusque vis non item diuiditur hoc casu, & partem solam dando
nihil agitur. Itaque & ipse Paulus,[m] Quamuis (inquit) obligatio quantitatis di- *m. L. hæredes §.*
33 uidatur inter hæredes per Legem XII. Tab. si tamen à testatore sub pœna promis- *idem. Fam. ercis.*
sa sit, nihil eum prodest ad pœnam euitandam, soluere suam partem. Si ageretur
de re legata sub conditione dandorum decem, nihil prodesset, vnum legatarij
hæredem, dare quinque, hoc est, suam partem, vt rei relictæ partem consequatur,
non enim inter hæredes scinditur conditio.[n] Sic etiam & vbi non ageretur de re *n. L. cui fundus.*
aliqua acquirenda, sed de pœna vitanda. Rectè itaque & Pomponius,[o] Si fortem *De condi. & de-*
34 (inquit) promiseris, & si ea soluta non sit, pœnam; etiam si vnus ex hæredibus *mon.*
tuis, portionem suam ex sorte soluerit; nihilominus pœna committetur, donec *o. L. 5. §. vlt. De*
portio cohæredis soluatur. Certè & si stipulatio ita facta sit, Si fundus datus non *verb. oblig.*
erit, dari centum? Paulus respondit:[p] nisi totus detur, pœnam committi cen- *p. L. in executio-*
35 tum: nec prodesse, partes fundi dari, cessanti vna. Conditio itaque pro parte *ne. §. penu. De*
impleri non potest, siue de acquirendo agatur, siue de pœna vitanda. Cùm is, *verb. oblig.*
qui fundum ea lege emerat, vt soluta pecunia traderetur ei possessio, duobus
36 hæredibus relictis decessisset; responsum est;[q] si vnus tantùm partem offert, ex *q. L. fistulas. §.*
empto non posse agere cum venditore; quoniam ita contractum æs alienum di- *qui fundum. De*
uidi non possit. nempe, quia de conditione implenda agitur, quæ frustra pro par- *con. emp.*
te impleretur,

re impletur, non modò (vt dixi) vt aliquid quæratur, sed vt pœna enitetur. Omnino enim si quid eorum, quæ promissa sunt, factum non sit: pœnalis stipulationis
conditio euenisse intelligitur. & conditio vni personæ ascripta non diuiditur, 37
r. L. si is qui ducenta. §. cum ita. De rebus dub. s. L. cui fundus. De cond. & demonst.
r licet is, cui ascripta est, decesserit pluribus hæredibus relictis. non enim ex accidente scindi debet conditio, inquit Iabolenus. s Sed hæc hoc loco longius non 38
persequar. Illud verò tantùm inculco, & imprimis intelligi volo; obligationem
inter hæredes diuidi, quoties diuidua est: tametsi plerunque etiam sit, & maneat 39
solutionis ratio & causa quodammodo indiuidua, propter vtilitatem creditoris, cui iniuria fieret, si non omnino ab hæredibus consequatur, quod abs defuncto consequuturus esset. Ergo si homo deberetur in genere; donec solutio in vna aliqua specie certa fuerit perfecta, nulla, ne pro parte quidem, continget liberatio, quandiu periculum alioqui subest, ne in diuersis speciebus solutio pro parte fiat. Neque sanè voluerunt Decemuiri, diuisionem obligationis, quam inter 40
hæredes debitoris hac sua lege introduxerunt, fieri in fraudem creditoris, aut ad iniquam conditionem trahi. Imò verò, in huius diuisionis causa, non modò hæredum, sed & creditoris ipsius habitam esse rationem: & huic, vt illis, in hoc genere ius aliquod tributum esse, vel inde intelligi potest, quòd in illorum hæredum potestate non sit, sua inter se conuentione, suoque pacto hanc diuisionem inhibere. Nam & si inter eos conuentum sit, vt vnus eorum aliquis totum æs alienum persolueret, personamque defuncti hac in re solus in solidum repræsentaret; nihil hoc ad creditorem pertinet; & is nihilominus suo quodam iure propter diuisionem ex hac Lege descendentem, suam contra singulos hæredes ha-
t. L. pactum. C. de pact.
bet actionem. t Porrò cùm suprà quoque dictum sit; non minus hanc diuisio- 41
nem pertinere ad hæredes creditoris, quàm debitoris: meritò quæri potest; si v-
trinque concurrat hæredum causa; hoc est, res sit inter vnum è multis hæredem 42
creditoris, & debitoris hæredem vnum: cuius sit potior causa. Finge creditoris hæredem ex semisse, agere aduersus debitoris hæredem ex triente: vel ediuerso, creditoris hæredem ex triente, impetere debitoris hæredem ex semisse. Certè posteriori hoc casu satis manifestum est, non nisi in triente fieri condemnationem. id enim actori satis est, neq; plus petit, nec posset: non enim plus ei debetur. Reo verò minimè id graue est, cùm etiam plus debeat. Ac rectè quidem tum dicimus, ex iure & persona agentis metiri nos debere modum condemnationis. Sed
priori casu; vbi reus nō nisi ex triente hæres est debitoris, actor verò ex semisse hæ- 43
res creditoris; difficilior est quæstio. Fiétne cōdemnatio in semissem? Atqui reus non nisi trientem debet. Fiétne solùm in trientem? Atqui semis debetur actori. Vellem equidem nostros Iurisconsultos, non dissimulâsse, neque dissimulando prætermisisse hunc locum; cùm quidem alioqui tam multa, quæ minus aut necessaria aut obscura erant, & dixerint & scripserint, de diuisione hæreditariarum
obligationum. Mihi certè (si meam sentētiam dicere cogor) æquius esse videtur; 44
hoc casu non fieri condemnationem nisi in trientem; hoc est, pro qua parte hæres est reus, qui condemnatur: non enim plus debet, neque plus ab eo petere pos-
set vel creditor ipse principalis, cui solidum debetur. Si hîc contendat actor, se- 45
missem sibi deberi. saltem fateatur necesse est, eum totum ab hoc reo non deberi. Reliquum ergo petat ab alio debitoris hærede. Sanè si in solidum actio mota sit ab vno stipulatoris hęrede aduersus vnum promissoris hæredem, veluti de seruitute, quæ à singulis in solidum debetur, & peti potest (est enim res indiuidua) quia verò ea non præstaretur, ventum esset, vt fit, ad pecuniariam æstimationem
condemnationemque: iam certè fateor, hanc saltem fieri condemnationem, & 46
nos eam metiri debere ex iure & persona eius qui agit, vt si hic actor sit stipulationis hæres ex semisse: reus condemnetur in semissem totius æstimationis, licet sit solùm promissoris hæres ex triente. Reuera enim à principio rectè in solidum aduersus eum litem mouit actor. Si postea ex accidenti, pecunia in condemnationem veniat: satis superq; reo tribuitur, quòd eam in solidum non præstet, sed
solùm quatenus actor hæres est, eiúsve interest. Si stipulator ipse viueret, & age- 47
ret ad seruitutem promissam: non posset non semper in solidum fieri cōdemnatio, quatenus eius interest & ei debetur, siue contra promissorem agat, siue cōtra

eius

eius hæredem. Ergo & si quis huius stipulatoris hæres itidem agat in solidum, pe-
tens seruitutem:& pecunia, quæ diuidua est, veniat in condemnationem: saltem
consequatur æstimationem quatenus sua interest, hoc est, pro portione sua hæ-
reditaria, potius quàm rei conuenti: vt hoc casu diuisio, quæ ex accidenti & velu-
ti in subsidium ex æquo & bono admittitur, non fiat simpliciter, vt fieret si prin-
cipalis obligatio omnino diuidua esset, nempe pro portionibus hæredum debi-
toris: sed ita fiat, vt interea imprimis hæredibus stipulatoris satis fiat. neque sanè
48 potest, neque debet actionis in solidum rectè motæ vis restringi magis, quàm ad
hæreditariam partem agentis. Quid multis? Ita hoc casu fieri debere Vlpianus
non obscurè significat.[v] Ait enim: Si fundus, cui iter debetur, plurium sit: in so- v. L. 4. §. si fun-
lidum competit actio: sed in æstimatione, id quod interest, veniet: scilicet, quod dus. Si ser. vind.
eius interest, qui experietur. Paulus[x] quoque respondit, si is decesserit, qui viam, x. L. 25. heredes.
iter, actum stipulatus est: singulis hæredibus in solidum actionem dari: & si non §. an ea. Fami.
præstetur vla, pro parte hæreditaria condemnationem fieri oportere. Manife- erc.
stum est autem, eum intelligere partem hæreditariam eius, qui experitur: neque
hîc interesse; vtrùm agatur aduersus ipsum promissorem, an verò aduersus eius
hæredem.

Superest vt illud magis explicemus, quod dicimus; nō modò hæreditariam,
49 sed & diuiduam esse debere obligationem, vt diuisio, de qua loquitur hæc Lex
XII. Tab. locum habeat. Ac imprimis quidē necesse est, discernere res indiuiduas;
50 veluti seruitutes; ab diuiduis: sicuti & facta ipsa distinguimus. Ac indiuiduas qui-
dem res esse seruitutes, & manifestum est, & sæpe traditum. In factis plus est diffi-
cultatis. Factorum nomine hîc complector etiam ea, quæ vulgò dicuntur facta
negatiua: vt cùm est stipulatio, ne quid fiat. quibus quidem commissis certè tan-
tùm agitur ad rem diuiduam: nempe ad pœnam pecuniariam (vt pecuniaria so-
let adijci pœna) vel ad id quod interest. Ac huius quidem generis facta, modò di-
51 uidua sunt, modò indiuidua. Indiuidua sunt & vocantur, quæ ab vno commissa
tam nocent, quàm si ab omnibus committerentur. Iam autem suprà dictum est,
vnius hæredis facto indiuiduo; veluti, si vnus prohibeat me ire agere; committi
in solidum pœnalem stipulationē. Hanc verò, quia diuidua sit, nempe pecunia-
52 ria, & hæreditaria, diuidi inter hæredes, vt stipulator eam petens, non nisi singu-
los pro sua parte cōueniat. Facta, de quibus loquimur, diuidua & erunt & appel-
53 labuntur, quæ non, vt illa, in solidum, sed pro parte committi ab vno possunt: &
ab vno commissa non tam nocent, quàm si ab omnibus pluribúsve cōmitteren-
tur; nempe in quibus vnus hæres, nihil nisi pro sua parte potest obesse. Hîc certè
solus eo nomine tenebitur, qui peccat. Quòd si pœna etiā promissa sit, SI CON-
TRA QVAM CONVENERIT, FIAT: in solidum tamen vnius facto cō-
mitteretur, & commissa inter hæredes diuideretur, si descendat ex conuentione de-
functi. quanquā si is hæredum suorum eam fecisset mentionem, vt stipulatio pluri-
bus personis ascripta, & conditio inter eas diuisa intelligatur: possit tū rectè dici,
quod Cato dixit, pro eius tantùm hæredis qui contrà fecit portione, pœnam cō-
mitti. Porrò autē, quæ verè propriéq; facta dicuntur, semper indiuidua sunt. itaq;
54 ex meris stipulationibus faciendi; veluti, insulæ ædificandæ; cōstat obligationem
omnino esse indiuiduam. Constat itaq; ad eam nō pertinere diuisionem, de qua
agit hæc Lex XII. Tab. Si promisissem domum ædificare: singuli hæredes mei te-
nebuntur in solidum. & quandiu vel minima pars superest ædificanda, nullus eo
rum liberatur, neq; dici quisquā poterit pro parte sua fecisse.[y] Nam & pro parti- y. L. si is qui qua-
bus indiuisis totius, singuli tenentur, vt in tota hæreditate habent suas partes in- dringenta. §. qua
diuisas. Eadēm est obligatio rerum indiuiduarum. Si seruitutem promisissem: ad dam. Ad leg. Fal.
55 eam in solidū contra singulos meos hæredes ageretur.[z] quanquam si seruitus nō L. fideicommissa.
præstetur, sic vt ad condemnationem pecuniariam veniēdum sit, iam certè, cùm §. si in opere. De
hæc diuidua sit, si agat vnus ex hæredibus stipulatoris, pro eius tantùm portione leg. 3.
56 condemnatio fiet, nō etiam cohæredi eius.[a] Adeò, vbicunq; diuisionem recipit z. L. 2. §. ex his.
res, diuisio fit inter hæredes per legē XII. Tab. eiúsq; vis statim se exerit. Sed & vbi De verb. obl.
res indiuidua est, & vnus ex hæredibus promissoris in solidum condemnatus est, a. L. loci corpus. §.
præstitit q; vel etiam ab ipso stipulatore cōuentus soluit in solidum pecuniariam si fundus. Si ser.
æstimationem: vind. L. heredes. §. an ea. Fam. erc.

æstimationem: Iudicio familiæ erciscundæ repetit à cohæredibus pro eorũ por- 57
tionibus hæreditarijs. Sic eorum saltem respectu, huius quoque obligationis
omnis diuiditur,& in effectu(vt ita loqar) pro portionibus hæreditarijs inter eos
scinditur. Illud iam antea dictum est; si obligatio natura quidem diuidua sit, sed 58
propter vtilitatem contrahentium solutione fit indiuidua: hæredes non nisi pro
portionibus suis tenentur: nec amplius ab ijs peti posset: partes tamen suas sol-
uendo, non liberantur, donec in vna eademque specie omnes persoluerint suas 59
partes, quod accidit, cùm genus stipulanti promisi, vel species plures sub alterna-
tione. Tractauit hanc rem diligentissimè Paulus:[b] & rationem addidit, quæ hîc
prætermitti non debet, & quam alio quoque loco repetit; ex persona hæredum 60
non immutari conditionem obligationis.[c] ac nisi vel longior hîc esse vererer, vel
sperarem de hisce Pauli responsis dicere aliquando copiosius; equidem pluribus
nunc verbis totam eius sententiam in hoc genere patefacerem, sicuti & Catonis 61
distinctionem de diuiduis & indiuiduis obligationibus fusius excuterem. Perti-
nent enim ea ad hoc caput XII. Tab. eiusq; illustrandi causa à veteribus Iuriscon-
sultis scripta sunt. Sed quando ad eos quoque iuris autores suo ordine venire in-
stituimus; reijciam in eum locum longiorẽ de eorum responsis disputationem.
Sed & si persequi omnes Iuris Ciuilis locos velim, in quibus huiusce capitis vesti-
gia non obscura apparent; nullum nostra finem inueniret oratio. Illud saltẽ hoc
loco non prætermittam, quod Vlpianus ait;[d] si plures hæredes sint emptoris, o 62
mnes consentire debere ad redhibendum, ne fortè venditor iniuriam patiatur,
dum ab alio partem recipit hominis, alij in partem precij condemnatur, quanto
minoris is homo sit. Homine autem redhibito, singulos pro suis portionibus re-
ctè agere, preciumq; & accessiones pro parte recipere: sicuti & fructus, & si quo
deterior homo factus est, pro parte præstare. Cæterùm si venditori plures extite- 63
rint hæredes: singulis pro portione hæreditaria posse rem redhiberi. Discriminis
huius inter venditorem venditorisque hæredes non adijcit Vlpianus. Sed ob-
scura ea non est. Hæredes non nisi pro parte sua hæreditaria ius in rem erant ha- 64
bituri. At venditor in solidum erat dominus: ei itaque magis quàm eius hæredi-
bus, rem solidam integramque redhibere non minus emptoris hæredes debent,
quàm emptor ipse.

b L.2.§.ex his. L. in executione. §. pro parte. de ver. ob.
c L.2.§.incertã. De præt. stip.
d L.31. quòd si no lit. §. si plures. & §. si venditori. de adil. edic.

Porrò posteaquam dictum est, quæ obligationes diuidantur inter hæredes; 65
videamus quomodo diuidantur. Et quidem ait lex, diuidi pro portionibus hæ-
reditarijs: non etiam pro modo emolumenti, quod ex testamento percipitur.
Itaque si duo sint hæredes ex æquo instituti: quamuis alteri multa prælegata sint:
ex æquo tamen inter eos diuidetur æs alienum hæreditarium.[e] quod enim legati 66
nomine percipitur, non oneratur vllo æris alieni hæreditarij incommodo. sicuti
nec legatarij tenentur ad vllam eius partem exoluendam.[f] Vnde non minus is
hæres tenetur, cui nihil prælegatum est, quàm is cui est prælegatum. Hucq; etiam
pertinet, quod Papinianum in nobili quæstione respondisse accepimus.[g] Vt au-
tem pro portionibus hæreditarijs obligationes hæreditariæ vel acquiruntur cre-
ditoris hæredibus, vel onerant debitoris hæredes: sic & vbi vel debitoris creditor, 67
vel creditoris debitor hæres est,[h] pro ea parte, pro qua hæres est, confunditur ob-
ligatio: non enim potest simul esse & debitor & creditor. Cæterùm obligatio pe-
culiaris, quæ etiam extingui & confundi dicitur obuentione peculij, nõ ita sem 68
per ad rationẽ portionis hæreditariæ reuocatur, sed aliquando etiam ad id, quod
ex peculio obuẽnit, prout reo commodius esse videbitur.[i] Si locuples sit pecu-
lium, tamen hæres vnus, cui ex peculio plurimum obuẽnit, non potest conueni-
ri nisi pro sua portione hæreditaria. non enim creditor plus Iuris aduersus eum
habet propter hanc legem XII. Tab. Si verò peculium tenue sit & inops; hæres, qui
oneraretur, si pro portione hæreditaria teneretur, poterit peculiarem creditorẽ 69
reuocare ad vires peculij, vt non plus ei soluere cogatur, quàm ex peculio conse-
cutus sit. Qua de re latius aliquando disputauimus ad nobile responsum Africa-
ni.[k] Rursus notandum est, quod ait Lex; hæredes obligari pro portionibus hæ- 70
reditarijs, non etiam pro viribus hæreditarijs. Nam & si hæreditas soluendo non
sit, & supra eius vires longè sit æs alienum hæreditarium, hæredes nihilominus
tenentur.

e L.1.C. si cer. petat.
f L. vlti. C. de actio. hære. L. quoties. C. de hær. instit.
g L.35. ex facto. §. vnde scio. De here. instit.
h L. debitori creditor. 50. De fideiuss. L. si ab eo. C. de neg. gest. L. licet C. ad leg. Falci. L. si adulta. C. de hered. act. L. si vxor. C. de bon. au. iud. poss.
i L.30. quæsitum. §.1. De pecul.
k L. frater à fratre. De cond. indeb.

71 tenentur. Ac Prætor quidem cùm id durũ esse iudicaret, aliquãdo separationem
hæredibus permisit: vt creditores hæreditarij contenti essent bonis à defuncto
relictis: & perinde ea vænirent, ac si hæreditas adita non esset: hæredis verò ipsius
72 bona non attingerent. Sed hoc Prætor hæredibus rarò concessit, nec nisi ex magna causa: veluti si quis suspectam hæreditatem dicens compulsus fuerit adire,
l & restituere: deinde non sit, cui restituat. vel si sit necessarius hæres, veluti seruus *l. L.1. §. sed si quis.*
73 cum libertate institutus, Postea Gordianus Imp. hoc singulari iure tribuit militi- *& §. vlt. De separ.*
bus, vt si imprudentes hæreditatem, quæ soluendo non sit, adijssent, non nisi pro
viribus eius hæreditatis conuenirentur à creditoribus hæreditarijs. Sed Iustinianus m tandem inuentarij beneficium inuênit, omnibusq́; passim commune esse *m. L. vlti. C. de iure delib.*
voluit, vt qui eo vterentur, non conuenirentur supra vires aditę hæreditatis.

Ipso iure inter hæredes pro hæreditarijs portionibus, diuidi obligationes
hæreditarias per XII. Tab. dixi. Dixit enim id Diocletianus Imp. n Quæ sit autem, *n. L. pactum. C. de pact.*
quantaq́; vis eius rei, videndum est. Quid enim? si vnus ex hæredibus debitoris,
74 per errorem vltro soluerit totum æs alienum hæreditarium: an quod supra partem suam hæreditariam soluit, tanquam indebitum possit à creditore repetere?
Certè Pomponius ait, o quamuis debitum sibi quis recipiat: tamen si is, qui dat, *o. L. si pœna. §. quamuis. De cõdic. indeb.*
non debitum dat: repetitionem competere. Nunc quærimus; an hæres soluens
75 per errorem supra portionem suam, repetat, tanquam soluerit, quod ipse nõ deberet? Pomponius respondit; p ex parte hæredem institutum, si decem, quæ de- *p. L. ex parte. de solution.*
functus promiserat, tota soluerit: pro parte quidem, qua hæres est, liberari: pro
parte autem reliqua, ea condicere. quamuis, si antequam condicat, ei accreuerit
reliqua pars hæreditatis, condicenti obstatura sit exceptio. Papinianus, q quod *q. L. si testamento. 49. §. 1. De fideiuss.*
76 quærimus, quodq́; Pomponius non obscurè definijt, significat suo tempore cõtrouersum fuisse; maluisseq́; videtur in hoc genere aliorũ sententias referre, quàm
suã simpliciter edere. Ex duobus (inquit) fideiussoris hæredibus, si per errorẽ alter
in solidum dissoluat; quidam putãt, eum habere condictionem; & ideo manere
obligatum cohæredem. Deinde quasi hanc rationem consequentiamq́; non probaret, subijcit; condictione quoque cessante, durare obligationẽ cohæredis, probari: propter quod creditor, qui dum se putat obligatum, partem ei, qui totũ dedit exsoluerit, nullam habeat cõdictionem. Sic Papinianus primùm ait quosdam
putare, vnum hæredem, qui totum soluit, condicere posse, deinde significare videtur, eius condictionem cessare posse, sic vt creditor ipse, qui per errorem reddiderit, id ab eo, cui reddidit, repetere possit. Atqui paulò pòst subijcit, quod dubitationem augeat. Duo erant fideiussores in viginti: alter moritur relictis duo-
77 bus hæredibus. vnus hæres totum per errorem exsoluit. hic primùm ait Papinianus, eum condicere decem posse, quæ ipso iure non debuit. deinde quærit; an &
alia quinq; repetere possit, si fideiussor alter soluẽdo est. ab initio enim hæredem
fideiussoris, vt ipsum fideiussorem, audiendum esse: nempe, vt tantùm pro parte
conueniatur, cùm alter est soluendo, propter epistolã Diui Adriani. Tandem Pa-
78 pinianus, Sed (inquit) verior & vtilior est in vtroq; casu illa sententia, solutionem
non indebitæ quantitatis nõ debere reuocari. Meritò aliquis dubitauerit, an hęc
verba referantur ad vtrũq; superiorem casum: hoc est. nõ modò fideiussoris vnius
totum per errorem persoluentis, nec vtentis diuisione ex epistola D. Adriani: sed
& hæredis vnius totum æs alienum hæreditarium exsoluentis, diuisioneq́; Legis
XII. Tab. per errorem non vtentis. Sed vbi omnia circumspexerimus; verius est,
referri tantùm, & pertinere ad diuisionem ex epistola D. Adriani: vt, si vel fideius-
79 sor vnus, vel hæres fideiussoris vnius, ea fortè vsus nõ sit, cesset condictio; atq́; ita
accipiendum esse vtrunq; casum. cuius meminit Papinianus. Nam & postquã dixit; solutionem nõ indebitæ quantitatis, non debere reuocari: subijcit, id etiam
80 significari epistola D. Adriani, in persona fideiussoris, qui totum exsoluerat. Sic ergo manebit discrimen, inter diuisionem ex epistola D. Adriani inter fideiussores,
quæ non ipso iure vim habet, sed opposita tantùm exceptione antequam solua-
81 tur: & inter diuisionem inter hæredes ex Lege XII. Tab. quæ ipso iure fit, valetque
adeò, vt si totum exsoluatur ab vno per errorem, detur partis tanquam indebitæ
r repetitio. quod manifestissimè Pomponius ostendit. r Vt autem in eo, quod dixi, *r. L. ex parte. De solut.*

dissimilis est ratio diuisionis inter hæredes & inter fideiussores; sic in hoc saltem 82
similis est, quòd hoc Iuris beneficium vtriq;, propter improbam infieiationem,
amittant. Nam vt, si vnus fideiussor negârit se fideiussisse, mendacij cõuictus, in
f. L. si dubitetur. solidũ condemnatur; [f] sic & qui hæredem se negauit, aut qui mentitus est ex mi-
11. §. ita demum. nori parte hæredem esse; condemnatur in solidum, etsi nõ nisi pro parte hæres
De fideiuss. [t] sit. Porrò diuisio inter hæredes ex lege XII. Tab. adeò rata est, fitq; ipso iure, vt 83
t L. de ætate. §. si eorum pacto & conuentione impedire nõ possit, si creditor ea vti velit, & singu-
cum esset. De in- los conuenire mâlit pro suis portionibus, quàm vnum, qui in solidum conueniri
terr. in iu. fac. non recusat, in solidũ conuenire. vnde apparet diuisionem hanc non minus re- 84
spectu hæreditarij creditoris, quàm hæredum debitoris, à Decemuiris esse intro-
ductã. Si tamen hæredes inter se conuenerint, vt vnus eorum totum æs alienum
hæreditarium exoluetet: quamuis hæc pactio non immutet actionem creditori
quæsitam aduersus singulos pro suis portionibus: tamen inter ipsos hæredes pa-
ciscentes inutilis futura non est, neq; inefficax. Vtrunque duobus locis tradidit
Diocletianus Imp.

v. L. pactum. C. [v] illud postremò quæsitum est; an, vt talis hæredum conuentio non immu- 85
de pact. L. licet. tatius, actionemque creditoris: iussus iii dem testatoris, vnum ex suis hæredibus
C. Famil. ercisc. totum æs alienum hæreditarium exoluere damnantis, non infringat diuisionem
Legis. XII. Tab. creditorisq; actionem aduersum singulos nõ impediat. Certè in
hoc genere iussum testatoris, qui cohæredum causa potius, quàm creditoris fieri
intelligitur, cum hæredum conuentione, de qua suprà dictũ est, conferre videtur
x L. seruo lega- Caius [x]. Si testator (inquit) quosdam ex hæredibus iusserit ęs alienum soluere: nõ
to. §. si testator. creditores habebunt aduersus eos actionem, sed cohæredes, quorũ interest hoc 86
De leg. 1. fieri. Sic ex testamento alius habet actionẽ, quàm is, cui testator directò dari ius-
y. L. si filia. §. si sit. Sed & Vlpianus respondit; [y] Si maritus alterum ex hæredibus onus dotis sol- 87
pater. Famil. er- uendæ suscipere iussit: mulierem aduersus vtrunque nihilominus dirigere dotis
ciscun. petitionem: sed cohæredem esse defendendũ ab eo, qui suscipere onus iussus est.
Sanè tamen, si mulier aduersus eum solũ, qui soluere dotem iussus est, mâlit in so- 88
lidum agere; non admodum repugnârim: quia dotis fauor singularis facilè eam
interpretationem recipiat, vt mulieris etiam causa testator maritus ita iussisse in-
telligatur. Certè cùm quid mulieri pro dote, animo compensandi, legatum esset,
ab vno hærede: & mulier dotem suam ferre, quàm legatum mâllet: Iulianus di-
z. L. [illegible]um ab vno. de leg. 2. xit; [z] in eum primum à quo legatum est, actionem dari, vt vsq; ad quantitatem le-
gati sustineat onus huius æris alieni. Porrò si creditor testator vni ex suis hæ-
reditaria adscripserit, dederitq;: nihilominus ex Lege XII. Tab. singuli eius hære- 9[illegible]
des agere possunt pro suis portionibus cõtra debitores hæreditarios: sed si ij sol-
a. L. 1. C. de ex- uerint, aduersus eum, cui testator solui voluit, exceptione defendentur. [a] Hæc sa-
cep. tis superq; ostendunt, quæ sit quantaq; vis legis XII. Tab. ipso iure inter hæredes
tam creditoris quàm debitoris obligationes hæreditarias diuidentis pro portio-
b. L. 3. Famil. nibus hæreditarijs. Adde, quod cũ Caius dixisset [b]; ad officiũ iudicis familiæ erci-
erciscun. scundæ pertinere, vt debita & credita singulis pro solido, alijs alia attribuat: quia
sæpe & solutio & exactio partiũ, nõ minima incõmoda habet: fatetur tamen hãc
attributionem illud nõ efficere, vt quis totũ solus debeat, vel totũ alicui soli de-
beatur: sed vt siue vnus agat, partim suo, partim procuratorio nomine agat: siue
cũ vno agatur, partim suo, partim procuratorio nomine is cõueniatur. ac mane-
re quidem creditoribus liberã potestatem cũ singulis experiundi: sed & debito-
c. L. 2. C. de hæ- ribus liberã potestatẽ esse tunc suo loco substituendi eos, in quos onera actionis
red. vel act. vend. officio iudicis translata sunt. Postremò adeò Lex XII. Tab. hæredes debitoris ad 91
L. 1. C. de reuoc. his æs alienum hæreditarium pro suis portionibus persoluendũ obligat, vt licet hæ-
quæ in frau. cre- reditatem vendiderint, nihilominus teneantur creditoribus sicuti & legatarijs.
dit. L. 2. C. de le- quinimo & si alteri donârint hæreditatẽ, manent obligati. [c] Si inter scriptũ hære-
ga. 10. L. hæredi- dẽ & legitimũ, inter quos de hæreditate controuersia erat, transactione diuisa sit
tatem. De d. nati hæreditas, vterq; pro sua parte tenetur hæreditarijs creditoribus. [d] atq; hîc quoq;
d. 1. cõtrouersia. se exerit vis Legis XII. Tab. Illud prætereundũ non est; singulari iure tributum 92
De transf. hoc esse fisco, [e] vt si vendat hæreditatẽ, aut bona vacantia, ipse amplius nõ tenea-
e. L. 1. C. de hære- tur, sed solus emptor quanquã antea, & quandiu tenet bona alicuius damnati, 93
di. vel act. vend. L. eum qui bona. De iure fisci.
quæ publi-

quæ publicata sunt, tanquã hæres teneatur ad æs aliennũ. Nã & satis constat eandẽ
hic esse fisci causam, quæ hæredis esset, nõ modò si de ęre alieno soluendo agatur,
94 sed & si de legatis præstandis, si fortè fiscus alicui tanquã indigno abstulerit hære-
ditatẽ. Quòd si nõ nisi certã bonorũ partem occupet: pro ea saltem, vt hæredem,
teneri constat. Sed & cùm quidã Lysias adempta tantùm bonorũ suorũ parte de-
portatus est; rescriptũ [f] est; nõ nisi pro parte, quã retinuerit, creditoribus obliga- f. L. 1. C. de fide-
95 tũ esse. Quibus verbis satis significatur; fiscũ pro altera parte, quã habet, ijs teneri. iuss.
96 Dictũ est de diuisione obligationis hæreditariæ; quod ad æs alienum attinet:
eã nempe, qua in personã agitur, diuidi ipso iure inter hęredes pro eorũ portioni-
bus hæreditarijs, si de re diuidua agatur, sin indiuidua sit, teneri singulos, & posse
cõueniri in solidũ. ac si tũ pecunia in condemnationẽ veniat, diuisionem aliquã
fieri, nempe pro portione actoris, si vnus hæres stipulatoris agat aduersus hæredẽ
97 promissoris. Proximũ nũc est; vt videamus de ea obligatione, qua hęredes astrin-
guntur ad legata præstanda. De his enim quæri solet, postquam æs alienum iam
persolutum est. Et hæc quidem obligatio appellari aliquo modo potest hæredi-
taria, quia hæredes ipsos obliget. quanuis abs defuncti voluntate magis pendeat
atq; proficiscatur, quàm eum vnquam astrinxerit. Quædam autem, cùm de eius
diuisione inter hæredes agitur, habet similia cum obligatione æris alieni; quæ-
98 dam dissimilia; vt ex collatione satis intelligi poterit. Ac si quidem legatũ sit per
vindicationem relictum, vel talis legata res sit, quæ ex Iustiniani constitutione
vindicari possit; certum est, quia tum in rem agatur non in personam, possesso-
rem simpliciter conueniri; sicuti & de hæreditarijs obligationibus dictũ est, qui-
99 bus in rem agitur. Cæterùm si sit legatum per damnationem, vel talis legata res
sit, quæ non vindicetur, sed actione in personam petatur, vt si sit legata quantitas;
100 iam certè rectè quæri potest, de diuisione huiusce obligationis. At pendet qui-
dem ex voluntate defuncti; aliter atq; obligatio æris alieni, quæ ipsum etiam de-
functum obstringebat. Sed vbi de hac voluntate aliter non apparet: eodem pro-
pè iure in onere legatorum diuidendo inter hæredes vtimur, quo in diuisione
101 æris alieni. Legatorũ petitionem aduersus hæredes pro portionibus hæredita-
rijs cõpetere. nec pro ijs, qui soluendo non sunt, onerari cohæredes, responsum
[g] est. Vnde satis intelligimus, diuisionem hîc quoq; locum habere: nec esse hęre- g. L. 33. Legatorũ.
des tanquã reos debendi, vt in solidum singuli teneantur legatarijs. quod & alio De leg. 2.
102 loco [h] disertè expressum est. Si tamen aliud sensisse testatorem appareat, non du- h. L. 17. siue. De
bium est, ex hac voluntate, eiúsue coniectura, singulos in solidum, vt reos deben- duob. reis.
di, obligari posse. vt, si non copulatiuè aut coniunctim, sed disiunctim siue alter-
natiuè suos hæredes aliquis legatũ dare damnârit, veluti; LVCIVS HAERES
MEVS, AVT MAEVIVS HAERES MEVS SEIO DECEM
DATO: effici eos reos debendi. vt Seius in solidũ agat, cum vtro velit: & si cum
vno ita actum sit atq; solutum, alter liberetur, non obscurè traditum [i] est. Cæte- i. L. 8. si ex toto §.
103 rùm vbi testator legando non obstringit in solidũ singulos suos hæredes, nullaq; 1. De lega. 1.
coniectura est, id eum voluisse: sed inter eos, qui dare debent, onus hoc legatorũ
diuisum esse, intelligi potest: rectè quæritur, quomodo fiat hæc diuisio. Ac qui-
104 dem satis constat, quod inquit [k] Paulus; si quis velit non omnes hæredes onerare k. L. 98. si plures.
legatorum præstatione, sed aliquot ex his; nominatim hos damnare debere. Sed De lega. 3.
siue omnes onerati sint, siue tantùm ex his quidam dare damnati; semper quæri-
105 tur; an qui dare debent, in viriles æqualiter teneantur, an verò pro portionibus
hæreditarijs. Pomponius [l] ait; Si pars hæredum nominata sit in legando, viriles l. L. 54. turpia §.
partes eos debere; si verò omnes, hæreditarias. Sed hæc distinctio parum distincta vlt. De lega. 1.
esse videtur, & valde confusa responsio. Amplius enim fortasse & apertius respõ-
106 deri poterat: Si vel omnes, vel quidam ex hæredibus dare simpliciter damnati
sint, dare eos debere pro portionibus hæreditarijs: Si verò nominatim; in viriles
teneri. Vt autem rem hanc rectius intelligamus, imprimis admonendi sumus,
107 quid sibi velit hęc vox, NOMINATIM, in qua maximè vertitur cardo huiusce
quæstionis. Et quidem, vt quidam ex hæredibus onerentur legatis præstandis, alij
verò exonerentur, potest id fieri; siue nominibus proprijs eos, quos onerare solos
vult testator, demonstret; siue etiam communi appellatione hæredum; veluti,

QVI PRIMO ET SECVNDO LOCO SCRIPTI SVNT HAERE-
DES LEGATA DANTO. Atqueita quidem etiam aliquando nominatim 108
dicuntur hæredes damnati m. Ceterùm cùm quæritur quomodo & illi, qni dare
damnati sunt, teneantur, & inter eos legatorum onus diuidatur: multum inter-
est, an cõmuni nomine hæredum, an verò proprijs suis nominibus demonstren-
tnt, dareq́; damnentur. Nam cùm simpliciter damnantur tanquam hæredes, pro
pottionibus hæreditatijs damnati videntur. Cùm verò suis nominibus (quod 109
nominatim propriè hîc dicitur) in viriles æqualiter obligantur. Idq́; dici potest,
siue omnes iussi sint dare, siue ex ijs quidã tantùm. Inquit enim generaliter Ne-
ratlus n: Si hæredes nominarim enumerati, dare quid damnati sunt; propins est,
vt viriles partes debeant: quia personarum enumeratio hunc effectum babet, vt
exequentnr in legato præstando: qni si nominati non essent, hæreditarias partes
debituti forent. Nominatlo siue enumeratio hîc intelligitur, quę proprijs nomi- 110
nibus expressis fit; quæ significet, testatorem nõ considerâsse, ex qua parte singu-
li bætedes essent, sed numerum tantùm personarum simplicirer cõputâsse, & sin-
gulos æqualiter dare voluisse. Et hanc esse coniecturam voluntatis, si non sub ap-
pellatione hæredum, sed proprijs nominibus expressis, legatum relinquatur, ait
Papinianus. o Quod etiam dicimus, etsi nomina expressa non sint; sed aliunde id
satis colligi potest, vt Paulus p respondit, cùm de hac voce NOMINATIM, lo-
quitur. Quid igitur, si appellatiua (vt appellantur) & propria nomina iuncta sint?
Certè in dubio inspiciemus, vtrũ priori loco positum q sit; LVCIVS HAERES si
MEVS, ET TITIVS HAERES MEVS DANTO CENTVM: singu-
guli teneantut in vIriles. Sin autem ita, HAEREDES MEI LVCIVS ET
TITIVS DANTO: magis pro portionibus hæreditarijs. Neque verò tantùm
cùm legata danda sunt, sed & cùm ijs, à qnibus relicta sunt, legatarij aliquid dare
iussi sunt, superiori distinctione vtimur: eamq́; tanquam iustam voluntatis con-
iecturam sequimur. Cùm quis ita liber esse iussus esset; SI DECEM HAERE- 111
DIBVS DEDISSET: hæreditarias partes dare debere, hoc est, singulis pro qua
parte hæredes sunt: Si verò nomina bæredum expressa sunt, viriles partes eis dan-
das, tesponsum r est. Idq́; sine dubio dicitur, vbi omnes ita nominati sunt. Alio-
qui fortassis magis diceretur dandum singulis esse pro portionibus bæreditarijs s.
Sed & cùm hæredibus inuicem ab cohæredibus legatũ est: primùm obseruemus; 112
capi id pro portione hæreditaria cohęredis, à quo legatum est, & pro qua demum
valet ac consistit hoc legatum. Inter eos verò, qui capiunt, & quibus legatum
est, diuidetur, vt suprà dixi. Si cùm plures hæredes ab me scripti essent ex dispari-
bus parribus, veluti Primus ex tribus vncijs, Secundus ex triente, Tertlus ex qna-
drante, Quartus ex vncia: Secundo & Tertio rem eandem legâssem: valebit hoc 113
legatum, & præstabitur pro parte primi & quarti, à quibus legatum est, & ij hoc
præstabunt singuli pro suis portionibus. Sed Secundum & Tertium, qui capiunt,
non pro hæreditaria portione, sed pro virili id legatũ babituros, ait Caius t: nem-
pe cum nominatim his legatum est. aliud enim dicendum esset, si non nisi com-
muni appellatlone hæredum, ijs esset legatum. Nam tum magis videretur testa-
tor easdem partes in fideicommisso, siue prælegato dedisse quas in hæreditate di-
stribuenda fecit, ac secutus est. quanquam semper, si aliunde appareat, aliud sen- 114
sisse testatorem, imprimls tota hac in re sequamur eius voluntatem, vt si pro hoc
legatl iussi essent dare aliquid æqualiter, quamuis alioqui sint hæredes instituti
ex disparibus partibus, capient hoc legatum in viriles. Sed si summa pecunię dan-
dæ congruit portionibus; hæreditarias partes magis eos accipere, prudenter re-
sponsum v est.

Illnd postremò prætereunndum non est; cùm pars alicuius hæredis deficiens
accrescit pluribus cohæredibus cum suo onere legatorum præstandornm, quæ 115
ab omnibus relicta erant: onus hoc diuidi inter eos, quibus accrescit, pro hæredi-
tarijs quoqne portionibus x, pro quibus ilia etiam deficiens pars accrescit. Si ta-
men onus illud non nisi vni nominatim ascriptum ita esset, vt satis appareret te-
statorem non nisi eum onerari voluisse, minimè verò alios etiam bæredes; certè
eo deficiente legatũ intercideret, nec ab his præstaretur, y quibus etiam illius hæ-
redis

m. L. fiue. De dub. reis.
n. L. 124. si hæredes. De lega. 1.
o. L. 24. nonnunquam. Ad Trebel.
p. L. 90. nominatim. De lega. 3.
q. L. 37. si commu-nis seruus ita. De stipul. seru.
r. L. 8. ita liber. §. vlt. De statulib.
s. L. 12. si quis testa. L. 22 qui pecuniam. De statulib.
t. L. 67. seruus vus. §. vlt. De lega. 1.
v. L. 23. quoties ad Trebel. L. 7. verum §. vlt. De reb. dub.
x. L. 49. mortuo bone §. vlt. De lega. 2.
y. L. 29. Celsus. §. vlt. De lega. 2.

116redis deficientis pars accresceret. Sed illud magis huius loci est, vt adijciamus; si
legata sint indiuidua, inter hæredes, qui ea dare debent, nō diuidi; sed singulos in
solidum teneri: vt & de hæreditarijs obligationibus ex contractu indiuiduis, su-
prà dictum est. vt si hæredes opus aliquod facere damnati sint, vnumquemque in
solidum teneri responsum z est. Eum tamen, qui id fecerit, imputaturum cohære-
di sumptum pro parte eius. Longior fui, quàm putâram, in explicatione nobi-
117 lissimi huius capitis. Sed rei, non satis alioqui vulgo (vt existimo) explicatæ, & la-
rissimè tamen patentis vtilitas, longiorem me fecit; neque alioqui diuisionem
118 hæreditariarum obligationum satis intelligi posse existimaui. Itaque facere non
possum, quin & illud adijciam; quoties inter hæredem & fideicommissarium, cui
& ex S. C. Trebelliano restituitur, diuiditur hæreditas; pro ijsdem portionibus
diuidi & onera hæreditaria; siue de ære alieno creditoribus persoluendo agatur,
siue de legatis præstandis. Vt; si hęres, qui restituere rogatus est, retineat quadran-
tem ex Trebelliano, sic vt eum habeat iure hæreditario; conuenietur pro qua-
drante & abs creditoribus, & abs legatarijs: fideicōmissarius verò pro a dodrante,
cùm quidē dodrantē hæreditatis habeat. Cæterùm si hæres restituere rogatus ha-
beat suū quadrantem tanquā legatum, nullo modo tenetur: vt neq; legatarij te-
nentur: sed totum onus in fideicommissarium, qui solus est in solidum loco hæ-
redis, recidit. Quòd si partim iure legati, partim hæreditario iure suam quartam
habeat: pro qua parte eam habet iure hæreditario, obstringetur oneribus hære-
ditarijs. Vt cùm minus quadrante legatum ei est, & quod quadranti deest, detra-
hit ex Trebelliano. Quod si supra quadrantem ei legatum est, certè quod supra
eum habet, saltem in subsidiū, subijci quoq; debet pro portionibus hæreditarijs,
vt si portio fideicommissarij non sufficiat legatis. Quod ad creditores attinet, vt
eorum maius est, & certius ius, quàm legatariorum: sic magis semper ijs cautum
est. Nam & si fraudati viderentur, agere possent aduersus possessorem rei legatæ.
119 Sed hæc latius peti possunt, partim ex S. C. Trebelliano, partim ex edicto de ijs,
quæ in fraudem creditorum facta sunt, vt restituātur. Nos quod instituimus, per-
sequamur. Ex obligationibus actiones nascuntur: frustraque Decemuiri de illis
sine his tractarent. & post æs alienum, de iudicijs, quibus id exigatur, proxima est
quæstio. De ijs itaq; nunc videamus, quid statuerint XII. Tab.

z L. 11. Fideicommissa. §. vlt. De lega. 3. L. heredes. §. non tantū. Fami. ercisc.

a L. si legatus. §. multum interest. Ad Sen. Treb. & si quis vna. De fideicō. hered.

IN XXXIX.

SI QVIS LEGE AGENDO PLVS PETIERIT, CAVSA CADITO.

1. *Formulæ actionum, siue Legis actiones, ex XII. Tabulis olim compositæ sunt: & quales fuerint? quando exoleuerint? num. 6. 7.*
2. *Lege agere quid? & num. 3.*
4. *Legis actionem habere Magistratus qui dicatur?*
5. *Condictio ex lege, est cum quis alicui noua aliqua lege obligatur.*
8. *Plus petens, causa cadebat; idq; quomodo? num. 9. 10. eaque seueritas quando & à quibus sublata? num. 11. 12. 13.*

DE ordine iudiciorum exercendorum, non tam multa quidem, quàm
postea Prætores, qui suis edictis totam rem iudiciariā complexi sunt,
eiusq́ue constituendæ partes omnes perfectissimè descripserunt, De-
cemuiri nostri ediderunt: sed præcipua tamen capita attigerunt;
vt etiam eo tempore, ex XII. Tabulis, compositæ sint certę & solennes actionum
1 formulæ, quæ Legis actiones dicebantur, quibus inter se homines disceptarent,
vt ait noster Pomponius. nam & paulò pòst adijcit, eas continuisse agendi for-
mam. Legis itaq; actio erat, cùm quis iure XII. Tabulis introducto experiretur,
2 ageretq; certa quadam præscriptæ petitionis formula adhibita. Sic, Lege agendo
petere, dixit Cic. lib. 1. de Oratore. & Valerius Max. lib. 7. cùm ait; Calphurnium
Prætorem non esse passum quendam hæredem Lege agere; intelligit, prohibuisse
eius suū solenniter persequi. Apud Senecā lib. 5. Cōtrou. dicitur & Prætor Lege
3 agere, cùm verbis legitimis sententiam concipit: & apud Liuium sæpe legimus;
Lictorē Lege agere; cùm, verbis legitimis ac solennibus adhibitis, executionem
capitalis sententiæ aggrederetur, & de damnatis legitimam pœnam, veluti ipsius
legis iussu, sumeret. Vlpianus dixit; a Iuridico Alexandriæ datam esse legis actio-

a L. 1. De offic. Iurid. Alexan.

b. L. 4. De adopt. nem; & ideo apud eum adoptari aliquẽ posse: sicuti & Modestinus scripsit; [b] ma-
gistratum, apud quem Legis actio est, & emancipare filios suos, & in adoptionem
dare apud se posse. Dicitur habere Legis actionẽ Magistratus, qui & audire & ex- 4
pedire poterat negocia, quæ certas & solennes formulas habuerũt; siue ad iuris-
dictionem cõtentiosam, siue ad voluntariam pertinerent. Adoptiones autem &
emancipationes olim habuisse suas eius generis formulas, dubiũ non est. In Pan-
dectis, condictio ex lege appellatur, cùm quis cui noua aliqua lege obligatur; ex 5
qua nouum aliquod ius agendi datur, nõ expressa alioqui certa aut speciali actio-
ne. At nos Legis actiones ex XII. Tabulis compositas, hîc appellamus certas & so- 6
lennes ex eo iure agendi formulas, legitimis præscriptisq; etiam verbis cõceptas:
quas qui penitus non obseruaret, causa caderet. Cic. in Orat. pro Muræna, earum
quidem aucupia ridet. sed ijs tamen & ipse uti cogebatur; & diutissimè Romani
c. L. 1. C. de Iur. form. vsi sunt. certè octingentis ferè annis post Decemuiros Constantius Imp. [c] de iuris 7
formulis planè sublatis primus Legem edidit: quanquam & iam antea exoleuis-
se sensim videantur.

Crassus apud Cic. lib. 1. de Orat. ait; plus Lege agendo petere neminem po-
tuisse, quàm quantũ Lex in XII. Tab. permiserat; & si quis plus petijsset, causa ce- 8
cidisse: sicuti & causa cadebat, qui ante tempus aut diem petijsset. Primùm enim
reus petentem summouebat dilatoria illa exceptione CVIVS PECVNIAE 9
DIES NON FVISSET, &c. Et postea si, cùm venisset dies petendæ pecuniæ,
creditor rursus agere vellet, exceptione prioris iudicij repellebatur: quòd iã actio
nem suã, ante diẽ agendo, planè cõsumpsisset, quæ res latius explicatur apud Iu-
stinianum in tit. de Actionibus & de Exceptionib. Sic igitur Decemuiri, &, qui eo
tempore fuerunt, Iuriscons. vt necessariam esse voluerunt solutionem rerum cre-
ditarum debitarumq;, ita minimè tolerârunt iniquã exactionẽ. vtq; tergiuersan-
tem debitorẽ, vel confessum vel cõdemnatũ grauiter coërcuerunt; quod suo po-
stea loco videbimus; sic & creditorem plus aliquid, quàm ei ius sit, audentem, se- 10
uerissimè represserunt. Deniq;, vt debitoris in ius vocati cõtumacia damno litis
tandẽ plectitur; sic & agentis creditoris impudens audacia. Ac videtur quidem
hæc veterũ Rom. seueritas aduersus eos, qui plus, Lege agendo, peterent, diutissi- 11
mè durâsse. Primus Zeno Imp. annis post Decemuiros plusquã nongentis, eã mi-
tigauit: vt qui ante diẽ ageret, repelleretur quidẽ; sed postea, si agere vellet, non
prohiberetur; si & prioris iudicij sumptus omnes præstitisset, & quantũ tempo-
ris prius agendo præuenire voluerat, tãdundem debitori indulsisset. Sic enim in-
d. l. hodie Instit. De except. ducias duplicari voluit Zeno. [d] Scribit quidem Suetonius, Claudium Cæsarẽ sæ- 12
pe restituisse actiones ijs, qui plus petendo exciderant iure agendi. sed singulare
erat hoc beneficiũ, nõ autem ius cõmune. Nam nec Prætor quenquã, qui plus pe-
tẽdo, causa cecidisset, in integrũ restituebat; nisi ex magna causa & singulari. Hu-
manitatẽ Zenonis secutus Iustinianus est, vt ijs quoq; succurreret, qui plus quãti- 13
e. §. sed hæc quidẽ. De actionib. tate vel alio modo petierant. quanquã impunè id eos facere passus nõ sit. [e] Vt re-
liqua ordine persequamur, quæ de forma iudiciorũ statuerũt Decemuiri, quid de
in ius vocatis iudicâtum, videamus. est enim hoc omniũ iudiciorum principium.

IN XL.

SI QVIS IN IVS VOCATVR, SI MORBVS AEVITASVE VITIVM ESSET, &c.

1. *Lege XII. Tabularum ius erat, vt in ius iret qui vocaretur. & num. 9.*
2. *Morbus in Lege XII. Tab. quid? & num. 4.*
3. *Iumentum quid? & num. 5.*
6. *Arcera quid?*
7. *Legis huius interpretatio Phauorino opposita à Cæcilio. & num. 8.*
10. 11. 12. *Qui in ius vocati neq; sequi cogantur, neq; duci possint?*
13. *In ius vocatus si domi se contineat, Edicto euocatur.*



Icero lib. 2. de Legib. significat fuisse quoddam XII. Tabularum ca-
put, quod etiam in omnium puerorum ore erat, hoc principio; SI IN
IVS VOCET ATQVE EAT. sed reliqua non ascribit. Au-
tor quoque Rhetoricorum ad Herennium; Lege ius fuisse, quod po- 2
pulo iussu sancitum erat, vt in ius eas, cùm voceris. Sed quibus verbis id sanciretur

XII. Ta.

XII. Tabulæ, certò dicere non possum. Quod verò nunc proposui caput, ad huius veluti temperamentum, & humanam veluti exceptionem, descriptum est ex Ausi Gellij lib. 20. cap. 1. quo loco Phauorinus philosophus existimans morbum hîc
3 appellari ægrotationem grauẽ cum febri rapida; & iumentum dici pecus aliquod vnicum tergo vehens; inhumanam esse hanc Legem iudicat, vt quę ægrotum domi suæ cubantem, iumento impositum in ius rapi, & veluti efferri noua funeris specie, iuberet. Sed Cæcilius Iurisco ns. nequaquam ita esse probat. Nam (inquit)
4 morbus in Lege ista non febriculosus, neque nimium grauis; sed vitium aliquod
5 imbecillitatis, atque inualentiæ demonstratur; non periculum vitæ ostenditur. Iumentum quoque, non id solum significat, quod nunc dicitur; sed vectabulum
6 etiam, quod adiunctis pecoribus trahebatur. Veteres enim nostri iumentum à iungendo dixerunt. Arcera autem vocabatur plaustrum tectum vndique, & munitum: quasi arca quædam magna vestimentis instrata, qua nimis ægri aut se-
7 nes portari cubantes solebant. His explicatis sic Phauorino respondet: Quænam tibi igitur acerbitas esse visa est, quòd in ius vocato pauperrimo homini vel inopi, qui aut pedibus fortè ægris esset, aut quo alio casu ingredi non quiret, plaustrum esse dandum censuerunt; neque insterni tamen delicatè arceram iusserunt: quoniam satis esset in ua'ido eiusmodi vectabulum. Atque id fecerunt, ne causatio ista ægri corporis perpetuam vacationem daret fidem detrectantibus. Iurisque actiones declinantibus. Hæc Cæcilius. neque enim meliorem interpretem aut quærere debemus, aut habere possumus. Adijcerem quod Vlpianus ait; a neque onerosum creditorem, neque delicatum debitorem esse audiẽdum. sed hoc *a L. si servum. De pign. act.*
8 dictum aliò spectat. Vt autem magis intelligamus, quod Phauorinus ignorauit; Decemuiros humanissimè rationem habuisse grauioris morbi vehementiorisque, subijciam sequenti capite ex eodem Vlpiano, quid illi de eo statuerint. Interea autem hanc iuris Romani partem de in ius vocando, dignam fuisse, quæ à Decemuiris diligenter constitueretur, tacere non debemus. Plato lib. 8. de Legib. itidem iudicat; Leges in Rep. imprimis ferri debere περὶ προσκλήσεων καὶ κλήσεων (de in ius vocationibus, & de ijs quos attestari oportet) quanquam eas tanti facere nõ videatur, vt in ijs valde occupari velit legislatorẽ maioribus negocijs addictum. Sed Romani, qui nihil prætermiserunt eorũ quæ in Rep. necessaria esse videbant, sit maxima quæque procurârunt, vt minima perfecenti etiam sint. Itaq; & Prætores in suis Edictis, quicquid de in ius vocando queri posset, complexi sunt. Imprimis autem, vt opera danda fuit, ne frustra quis in ius vocaretur, aut facilè eludere vel impunè non sequi vocantem posset; sic habenda etiam fuit ratio iustę excusationis. Vtrunque Romani diligenter obseruârunt. Primùm Lex fuit, IN IVS
9 VOCATVS EAT, AVT DVCATVR. Eam temperârunt Decem-
10 uiri; vt neque sequi cogatur, neque duci possit, qui morbo sontico impeditur.
11 Prætores deinde alteram, vt loquimur, exceptionem adiecerunt; vt qui satis dederit in ius vocatus, non ducatur. Huc; pertinuit ille qui in Edicto perpetuo fuit titulus QVI NEQVE SEQVANTVR NEQVE DVCANTVR. Postremò Prudentes addiderunt; vt in hoc quoque genere parceretur ei, qui domi
12 esset suæ. Neq; id Caius prætermisit, cùm hoc caput XII. Tab. interpretaretur. Sic enim li. 1. ad Legem XII. Tab. scripsit b: Plerique putauerunt nullum de domo sua in ius vocari licere: quia domus tutissimum cuique refugium atq; receptaculum sit: eumq; qui inde in ius vocaret, vim inferre videri. Cui in Pandectis subijcitur ex Pauli li. 1. ad Edictum; satis pœnæ subire eum, si non defendatur & latitet. certũ enim esse, quod mittitur aduersarius in possessionem bonorum eius. Sed si aditũ ad se præstet, vel ex publico conspiciatur; rectè in ius vocari. Sed & si is qui domi est, interdũ vocari in ius possit; tamen de domo sua neminẽ extrahi debere. Ergo vt Romani iudicârunt grauissimam esse iniuriam, si quis vi domum cuiusquã introiret, sic ne in ius quidẽ vocandi causa temerè id passi sunt. aut verò si qua iusta causa esset, cur id interdum fieri paterentur; saltem nunquam passi sunt aliquem de domo sua extrahi aut vi abripi. Quod & Cicero in Orat. pro domo sua, & cõtra Vatiniũ eleganter grauiterq; scribit. Quid igitur? an qui in ius vocatus est, si domi *b L. 18. plerique. De in ius voc.*
13 se cõtineat, eludere impunè iudiciũ poterit? Edictis euocabitur. si nõ veniat, mit-

I 4 tetur

tetur aduersarius in possessionem bonorum eius; tandemq́; etiam ea vendentur
propter longiorem contumaciam latitantis. Et qui ius dicenti non obtemperat,
pœnali iudicio damnatur, vt præstet quanti res est, quæ petitur: sieque eius con-
tumacia damno litis coërcetur.[c]

c. L. vna. Si quis ius dic. non obt. L. 53. contumacia. De re iud.

IN XLI.

SI IVDEX VEL ALTER EX LITIGATORIBVS MORBO SONTICO IMPEDIATVR, IVDICII DIES DIFFISSVS ESTO.

1.2. Diffissi dies olim qui?
3. Morbus sonticus qui? & num. 4.5.6.
7.8. Morbo impeditus qui adesse non potuit, in eum actio deneganda est: & num. 15.17.
9.10. Mutata promittentis conditione, mutatur etiā consilium.
11. Milites ob aduersam valetudinem excusantur? & num. 12.
13. Auspicium praeterire militibus religio erat.
14. Tutores quoq; morbus excusat.
16. Ob morbum transferre litem licet in alium.



VLpiani lib. 74. ad Edictum verba, quæ lib. 2. Pandect. extant, sunt hæc:
Si Iudex vel alter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, Lex
XII. Tab. iubet iudicij diem esse diffissum. Alij legunt DIFFVSVM:
sed parum interest, quanquam DIFFISSVM mālim, sicuti & in Pan-
dectis Florentinis legitur, & apud alios autores Latinos. Gellius lib. 14. de se lo- 1
quens iudice dato, Iussi (inquit) diem diffindi. & paulò post: In diffissionibus
comperendinationibusque. Liuius quoque lib. 9. Legem Curiatam (inquit) de
Imperio ferenti triste omen diem diffidit. Denique Horatius lib. 2. Serm.: Nihil
diffindere possum; hoc est, nihil differre vel rem producere, quin pronuntiem. Ac
propriè quidem diffissi dies olim dicebantur intercisi, nempe partim festi, partim 2
nefasti. Sed deinde vox hæc generaliter accepta est de die prolato atque compe-
rendinato. Quod ad morbum sonticum attinet; Cæcilius ait; hîc ita appellari
morbum vehementiorem, vim grauiter nocendi habentem. Festus lib. 17. de Ver. 3
ver. signif. citat vetustiorem interpretem AElium, qui morbum sonticum in XII.
Tab. significare dixerit certum cum iusta causa. Addit autem, nonnullos putare, 4
esse qui noceat; quod sontes dicantur nocentes. Certè nostri Iurisconsulti ita ex-
istimârunt. Sic enim est apud Venuleium,[a] qui & Cassium huius interpretationis
autorem laudat. Et Iabolenus ait;[b] sonticum esse morbum, qui rei cuique nocet. 5
Marcellus quoq;,[c] Morbus sonticus (inquit) etiam inuitis litigatoribus ac Iudice
diem differt. Sonticus autē existimandus est, qui cuique rei agendæ impedimēto
est. Tum subijcit: Litiganti porrò quid magis impedimēto est, quàm motus cor-
pòris contra naturam, quam febrem appellant? hinc probat; si, cùm alter ex liti- 6
gatoribus febricitans abesset, Iudex pronuntiauerit, nō videri iure pronuntiâsse. 7
Sanè Vlpianus,[d] cùm quis ex litigatoribus, qui in arbitrum cōpromiserant, ideo
non adfuisset, quòd valetudine fuisset impeditus; fatetur quidem, pœnā ipso iure ni-
hilominus cōmitti: sed ait; Prætorem aut de ea non daturum actionem, aut exce-
ptionē additurū, SI NON VALETVDINE IMPEDITVS &c. Simile est
quod Paulus notat;[e] Si morbo impeditus adesse nō potuit reus, actionē iudicati 8
in eum denegandam esse, Prætoremq́; exequi ita iudicatū non debere. Certè nec
contumacem esse, nec contumacis pœnam pati debere, quem aduersa valetudo
defendit, ait Hermogenianus.[f] Rectè ergo Vlpianus,[g] Inter iustissimas deserti va- 9
dimonij causas, quæ excusationem merentur, primo loco numerat aduersam va-
letudinem. quod & Seneca li. 4. de Benef. confirmat; probans, mirum non esse, si eùm 10
promittentis conditio mutata sit, cōsilium etiam mutetur. Vadimoniū (inquit)
promittimus. tamen deseritur. non in omnes datur actio. deserentē vis maior ex-
cusat. Neq; verò mirabimur litigatorem hoc nomine excusari, si meminerimus & 11
militē, qui ad diē non adfuit, eandē ob causam excusari. Certè cùm dixisset Arria-
nus Iuriscons. eos, qui ad delectū non respondent, vt proditores libertatis in ser-
uitutē redigi; adiecit;[h] rationem afflictę valetudinis excusare militem emansorē. 12
Polybius quoque lib. 6. cùm diceret; descriptos milites ad diem omnino adesse
debuisse; excipit solàm causam auspicij, & vt ita loquar, impossibilitatis, quam in-
terpretor

a. L. vlt. de ædil. edic.
b. L. morbus. de verb. sign.
c. L. quæsitum. de re iudic.
d. L. 21. quid tamen. § si quis. de rec. arbi.
e. L. 65. si prætor. ad fi. de iudic.
f. L. 53. contumacia. § pœnam. de re iudic.
g. L. 2. § si quis. si quis cautionib.
h. L. 4. § vlt. de re milit.

terpretor aduersam valetudinem. Ac ne alia probatione sit opus; cùm militibus scriptis dies præfiniretur, ad quem adessent citatique Consuli responderent; iusiurandumque eo nomine præstarent; in ipsa huius iurisiurandi formula disertè
13 nominatimque excipiebatur morbus sonticus, & auspicium, quod sine piaculo præterire non liceat. testis est Gellius lib. 16. cap. 4. Sed vt ex castris ad forum redeamus: Modestinus,[i] cùm enumerat causas, propter quas excusatur tutor, qui
14 intra tempora constituta suam à tutelis excusationem in iudicio non proposuit,
15 primo loco morbum recenset. Porrò & eandem ob causam Iudicem arbitrúmve excusari, vt rebus iudicandis operam dare nō cogantur, nostri quoque Iuriscon-
16 sulti Decemuiros secuti disertè responderunt.[k] Sed & propter aduersam valetudinem permissum esse litem in alium transferre, responsum est: neque tum locū habere Edictum, de alienatione mutandi iudicij causa facta.[l] Et qui Reip. causa profectus, confectis Reip. negocijs quandiu propter morbum redire non potest, habetur pro absente Reip. causa.[m] Quid multis? Seruum etiam, qui graui morbo
17 impeditus periclitanti domino succurrere non potuit, excusari traditū est.[n] Hæc vt occurrunt, obiter congero, quæ exemplo Legis XII. Tab. prodita sunt: vt magis intelligamus, quàm multa ex illo fonte in omnes Iuris Ciuilis partes promanent. Porrò excepta sontici morbi causa, quàm passi non sint Decemuiri in ius vocatum non adesse, Lex sequens ostendet.

i. L. à diuis, id est scire. de excus.

k. L. si longius. de Iudic. L. licet antem. & L. seq. De rec. arbit.

l. L. 4. §. si quis an tē. De alien. mut. iud.

m. L. si cui in prouincia. ad fi. Ex quib. cau. maio.

n. L. si quis grauis. Ad Syll.

IN XLII.

SI STATVS DIES SIT CVM HOSTE, VENITO.

1. *Hostis olim dicebatur peregrinus: & num. 3.*
2. *Status dies qui? & num. 5. 6.*
4. *Hostire pro æquare.*
7. *Lex illa, Si caluitur: ad quos pertinuerit? & nu. 8.*

1 ALlegat hoc caput Cic. lib. 1. Offic. probare volens, hostem olim vocarum omnem peregrinum. Videturque sanè hæc Lex agere de eo, qui sisti promisit suo aduersario: nempe, vt fidem datam non fallat, sed omnino ad diem se sistat, secundum suam suorúmve fideiussorum promissionem. Et ad hanc quidem Legem Festus respiciebat, cùm lib. 17. de Verb.
2 vet. signific. scriberet; Statum diem vocari, qui iudicij causa præconstitutus est
3 cum peregrino. Sic enim ab antiquis vocari hostem, quòd erat pariiure cum Po-
4 pulo Romano, sicuti & hostire pro æquare dicebant. Sanè Gellius lib. 16. cap. 4.
5 nonnulla ex libro Cincij de re militari describit, ex quibus apparet, ad hunc diem statum potius veniendum esse, quàm ad delectum respondendum. Cùm enim conscripti milites iurarent se ad diem adfuturos; inter alias causas & hæc excipiebatur; si status condictúsve dies cum hoste &c. Neque hîc prætereundum est, quod apud Plautum in Curculione, amator Phædromus cùm dicere vult, nullam omnino esse causam, quæ eum impedire possit, quominus ad amicam eat,
6 ait; Si media nox est, siue est prima vespera, Si status condictus cum hoste intercedit dies, tamen est eundum. Porrò quomodo coërceatur, si quis cautionibus iudicio sistendi causa non paruerit, pluribus verbis dicam libro sequenti, vbi ad Prætorium eius generis edictum ventum erit. Interea scire velim; quid sibi voluerit Lex illa celebris XII. Tab. cuius principium fuit: SI CALVITVR: an
7 pertinuerit ad fugitantes reos, cauillatorésque atque calumniatores sistendos: quia enim integra Lex non extat, certè dicere non possum quæ fuerit eius sententia. Sed qui eius nos capitis admonuit, rem aliquando totam patefaciet, vt &
8 spero & opto. Certè pertinuisse ad calumniatores, qui per fraudem & frustrationem alios vexarent litibus, Caius noster significat scribens ad illud caput XII. Tab.

IN XLIII.

ASSIDVO VINDEX ASSIDVVS ESTO, PROLETARIO CIVI QVIVIS VOLET, VINDEX ESTO.

1. *Legem simpliciter cum profert Cicero XII. Tab. intelligi vult.*
2. *Sex. Aelius Catus interpres fuit XII. Tab.*
3.4.5.6. *Assiduus; locuples; proletarius; vindex; qui? & num. 7.8.*
9. *Qualiscunq; fideiussor; & quiuis vindex; quomodo accipiantur?*

HOc caput ita scriptum fuisse in XII. Tab. testis est Gellius lib. 16. cap.
10. Sed & Cicero in Topic. Cùm (inquit) Lex assiduo vindicem assidu-
um esse iubeat, locupletem iubet locupleti, &c. Legem cùm simplici-
ter profert Cicero, XII. Tab. intelligit. Scio eo loco in vulgatis codi- 1
cibus legi, CVM LEX AELIA SENTIA. Sed vidi vetustum ma-
nuque scriptum Topicorum exemplar, quod veriorem illam, quam sequor, le-
ctionem habet. Et sanè eo ipso loco Cicero Sex. AElium Catum; qui dixit; assidu-
um dici ab ære siue asse dando; citat, non vt latorem Legis, sed interpretem. Fuit a 2
enim XII. Tab. interpres. Assiduum dici loci locupletem ab asse dando sine tribu- 3
to conferendo, dubium non est. Noster Caius lib. 2. ad Leg. XII. Tab. ait; [a] locuple-
tem esse, qui satis & idoneè habet pro magnitudine rei, quam actor restitui petit. 4
Proletarium vocârunt veteres Romani inopem tenuisq; fortunæ, quasi prole gi 5
gnenda tantùm iuuare Remp. posset, nō etiam pecunia. Sed quis in hac Lege vin-
dex dicatur, minus notum est. Boëthius, Topic. Ciceronis interpres, existimat, 6
vindicem dici quasi forensem procuratorem aut patronum, qui alterius causam
suscipit vindicādam. Quasi Lex hæc statueret; pauperis causam in iudicio quem-
nis, etiam pauperem, agere posse; neque in opiæ exceptione agentem summoue-
ti. Locupletis verò hominis causam agendam per locupletem. Aut si quis mâlit;
vindicem dici liberalis tantùm causæ assertorem; vt si is, de cuius statu & liberta- 7
te agitur, locuples fuerit, locupletem habeat assertorem. Ego verò vindicem hîc
potius intelligendum esse existimo, fideiussorem iudicio sistendi causa. Obserua- 8
ui enim in Pandectis nonnulla huiusce rei vestigia. [b] Vlpianus ait: Fideiussor iu-
dicio sistendi causa locuples iubetur dari, non tantùm in facultatibus, sed etiam
ex conueniendi facilitate. Deinde subijcit edictum Prætoris; vt, si quis parentem,
liberos, vxorem, nurum in iudicium vocet; qualiscunq; fideiussor iudicio sisten-
di causa accipiatur. Et qualemcunque interpretatur fideiussorem, etiam non lo- 9
cupletem. sicuti in XII. Tab. dicitur vindex quiuis. Sanè si quis propter inopiam
in iudicio non possit locupletem omninoque idoneum fideiussorem dare, dare
posse qualemcunque sæpe traditum est. Nunc de vindicijs possessorijsque iudi-
cijs si quid Decemuiri statuerint, videamus.

a. L. 234. quos nos. §. 1. De verb. signif.

b. L. 2. Qui satisd. cog.

IN XLIIII.

SVPERSTITIBVS PRAESENTIBVS VINDICIAE SVMVNTOR AB IIS, INTER QVOS CONTROVERSIA EST.

1.2. *Superstites olim qui?*
3. *Quid fuerit cū superstitibus sumi vindicias? & nu. 4.*
5. *Vindicia quid? & vnde dicta? num. 6.9.10.*
7. *Vindicatio, siue actio in rem, qua forma olim intendebatur?*
8. *Manum conserere olim quid?*

DEscriptum est hoc caput ex Pompeij Festi lib. 17. de Verb. vet. signifi.
qui ex eo probat, Superstites dictos olim testes præsentes: sicuti & 1
dictum Plauti in Artemone citat; Nunc mihi licet quiduis loqui: ne-
mo hîc adest superstes. Ergo superstites dici intelligimus, qui præsen
tes aderant, vt testes esse possent; quasi qui starent superrem, dum fiebat. Nam & 2
apud nostros sæpe Iurisconsultos [a] superesse dicitur, qui adest, suaque præsentia
regit & tuetur aliquod negocium. Quid igitur est, quòd Lex iubet, cum supersti- 3
tibus sumi vindicias? Sunt sanè qui non ineptè interpretantur, rei controuersiæ,
cuius adhuc incertum est qui dominus sit, vetuisse possessionem antè cuiquam
tradi, quàm qui prædibus, litisque fideiussoribus datis & sponsione facta co-
ram testibus, qui adsint præsentes, cauisset, deteriorem se causam rei possessæ
non facturum.

a. L. 1. De procur. L. huqui, ad tut. De tu. & cur. da. L. 2. cur. fur.

4 non factorum. Quo iure & nunc quoque vtimur. Sed si rem paulò diligentius ex-
5 cutiamus; fortasse intelligemus potius hic significari nescio quid antiquitatis
obsoletæ. Festus scribit, vindicias appellari res eas, de quibus controuersia est, ad-
iicitque dictum Cincij: Vindiciæ olim dicebantur, quæ ex fundo sumptæ, in ius
6 allatæ erant. Citat & Seruium Sulpitium, qui dixerit, vindiciam esse dictam abeo,
quòd vindicatur res ex controuersia. Sanè vindicare propriè esse videtur, aliquid
ex alterius possessione auferre. sicuti & actio in rem, vindicatio dicitur, quæ quid
7 possessori eripit, & domino reddit asseritque. Ea verò olim cùm intenderetur,
oportebat ex XII. Tab. manum cōserere in re præsenti apud eum, qui Iurisdictio-
ni præerat. Nam in XII. Tab. scriptum fuisse; SI QVI IN IVRE MANVM
CONSERVNT; ait Gellius lib. 20. cap. 9. & interpretatur (quanquam is locus
8 apud eum vulgò sit corruptus) manum conserere, fuisse, in re præsenti, de qua di-
sceptabatur, aduersarium manu prehendere. addit deinde: Cùm Prætores, pro-
pagatis Italiæ finibus latis Iurisdictionibus, negotijs occupati, proficisci vindi-
ciarum dicendarum causa in longinquas res grauarentur; institutum esse, contra
XII. Tab. tacito cōsensu, vt litigatores non ex iure apud Prætorem manum con-
sererent, sed ex iure manu consertum vocarent; id est, vt alter alterum ex iure ad
conserendam manum in rem, de qua agebatur, vocaret: atque profecti simul in
agrum, de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, vti vnam glebam, in ius in Vrbem
ad Prætorem deferrent, & in ea gleba tanquam in toto agro vindicarent. Talem
9 glebam si vindiciam appellemus, cōueniet cum interpretatione Cincij. Sed tum
quod ait Festus; Leges veteres voluisse vindicias sumi superstitibus præsentibus;
non posset referri ad XII. Tab. Itaque in re tam obscura si cui magis placeat prio-
rem interpretationem sequi, donec se melior certiorque offerat, equidem vehe-
10 mentius non repugnabo. Illud constat, veteres Rom. etiam appellâsse vindicias,
de rei possessione quæstionem, quæ iudicio proprietatis prior est. De ijs quid De-
cemuiri statuerint, mains erit operæ precium audire.

IN XLV.

VINDICIAE SECVNDVM LIBERTATEM DANTOR.

1. *In possessorijs quæstionibus idem iudicârunt Decemuiri, quod edicto illo,* Vti possidetis, *prætores & num. 3. 14.*
2. *Atheniensium & Lacedæmoniorum conuentio;* Vti possidemus.
4. *Vindicias cur dari secundum libertatem voluerint Decemuiri? & num. 6. 7. 8. 9. 10.*
5. *Vindiciæ quæ fuerit?*
11. 12. *Appius Claudius legem abs se latam ipse vult infringere. & num. 13.*
15. *Edicti perpetui forma quæ? & num. 16.*

1 IN possessorijs quæstionibus dubium non est Decemuiros iudicâsse,
quod Prætores deinde suo illo edicto VTI POSSIDETIS aper-
tius explicuêre, possessionem præsentem, quæ nec vi, nec clàm, nec
precariò teneretur, loco suo mouendam non esse, sed tuendam po-
tius, pendente proprietatis quæstione. Potuerant Romani audire, quod Pericles
2 apud Thucydidem lib. 1. commemorat, inter Athenienses & Lacedæmonios ali-
quando ex vetustissimi Iuris formula, in hunc itidem modum conuenisse: δίκας
μὲν διαφόρων ἀλλήλοις διδόναι καὶ δέχεσθαι, ἔχειν δὲ ἑκατέρους ἃ ἔχομεν. hoc enim est perinde, atque
si conuenissent; vti possidemus vt possideamus interea dum iudicio disceptabi-
mus. Neq; sanè ignorabant Decemuiri, quod ipse Arist. in Probl. iure fieri intelle-
xit, & veluti edixit; νέμεσθαι τὸν κατειλημμένον ἕως ἂν κριθῇ. (retinere possessionem qui eam ap-
3 prehendisset, tantisper dum à Iudice ferretur sententia) Sic vindicias secundum
iustum possessorē dandas esse ex Iure cōmuni intelligebant. Sed libertatis fauore
quid in hoc genere statuerint iure singulari, audiamus. Statuliberos, væ nundari a.L. 25. statulibe-
4 quidē posse existimârunt, vt testis est Modestinus; sed in vniuersum tamē cauerūt ros. De stat. lib.
voluerūtq; vindicias dari secundū libertatē. Pomponius noster ait; Ap. Claudiū
Decemuirū hoc ius ex veteri Iure in XII. Tab. transtulisse, Cumq; probare vult, ve-
tustissimam fuisse hanc iuris obseruantiam, cōmemorat; Brutum vindicias secun
5 dum libertatē dixisse, in persona Vindicij Vitelliorum serui, qui proditionis con-
iurationem

iurationem indicio suo detexerat. Quòd Brutus Vindicio seruo vindicias dederit secundum libertatem, interuersa dominorum possessione, singulari quadam ratione & Reip. fauore factum est, vt Vindicio, qui de Rep. bene meritus erat, cuique tutum non erat, in potestate dominorum quos indicio suo iritarât, manere. Sed Decemuiri generaliter ita statuendum esse existimârunt. Nam quòd in vniuersum volunt vindicias dari secundum libertatem, ita accipiendum est, vt non modò liber homo, qui status controuersiam pateretur, relinquatur suę libertati, & eius possessionem retineat, interea dum hæc quæstio status causáque liberalis pendebit; sed etiam, vt seruus, qui in libertatem ab aliquo legitimo & iusto vindice asseritur, interea pro libero habeatur, & libertatis assertori dominus possessione cedat. Id enim fauori libertatis tribui, non iniquum esse existimârunt; præsertim cùm satisdatione hæ vindiciæ onerentur. Cæterùm, si agatur tantùm de homine libero, sua in possessione libertatis interea relinquendo; nemo dubitat, iure communi, multò magis secundum libertatem vindicias dari. Quod & ex Iure Gentium in XII. Tab. translatum esse probat Dionys. Halic. lib. 11. cùm hanc Legẽ his verbis edit; Σώματος ἐκ ἐλευθερίας εἰς δουλείαν ἀγομένου, μὴ τὸν ἀφαιρούμενον τὴν ἐλευθερίαν, ἀλλὰ τὸν φυλάττοντα κύριον εἶναι μέχρι δίκης (Si asseratur corpus aliquod in seruitutem ex libertate; non eum qui auferre libertatem, sed eum qui ipsam custodire vult, dominũ esse vsq; ad finem iudicij) Nostri quoque Iurisconsulti Paulus & Caius responderunt; [b] ordinato liberali iudicio, interea pro libero haberi hominem, cuius de statu controuersia est. Porrò hanc XII. Tab. Legem, Ap. Claudius Decemuirorum princeps, qui eam tulerat, ipse infringere conatus est, cùm Virginia virgine potiri vellet homo libidinosus & impurus. Subornauit quendam suum clientem Claudium, qui eam suam esse seruam diceret, & ex libertate in seruitutem reuocaret; vindiciásque secundum seruitutẽ dari postularet. Iudex erat Appius ipse. Cumque obijceretur Lex hæc; quam paulò antè tulerat de vindicijs secundum libertatem dandis; calumniosa quadam, sed tamen arguta interpretatione, eam eludere conabatur. In ijs, qui asserantur in libertatem, quia quiuis Lege agere possit, id iuris esse dicebat. In ea, quæ in patris manu sit, neminem esse alium, cui dominus possessione cedat. Sic fatebatur quidem Appius; vbi pater præsens adesset defensor assertorq; libertatis filiæ: & eum eo', is qui puellæ se dominũ diceret, contenderet: dominum interea non possessurum. Sed cùm pater absit: dominum esse debere potiorem. Adijcere poterat; Virginiam ipsam, non posse libertatem, secundum quam vindiciæ petebantur, interea possidere, cùm quidem ipsa ab alio, in cuius erat potestate, nempe suo patre, possideretur. Sed audiamus Appium ipsum, suam hanc Legem apud Dionysium pluribus verbis, hunc in modum explicantem: Ἐγὼ τὸν μὲν νόμον οὐκ ἀγνοῶ τινά, ὑπὲρ τῆς ἐγγυήσεως τῶν εἰς δουλείαν ἀγομένων κείμενον, ὃς οὐκ ἐᾷ παρὰ τοῖς ἀφαιρουμένοις εἶναι τὸ σῶμα μέχρι δίκης. οὐδὲ καταλύσαιμ' ἂν, ὃν αὐτὸς ἔγραψα, ἑκών. ἐκεῖνο μέντοι δίκαιον ἡγοῦμαι, δυεῖν ὄντων τῶν ἀντιποιουμένων, κυρίου καὶ πατρός, εἰ μὲν ἀμφότεροι παρῆσαν, τὸν πατέρα κρατεῖν τοῦ σώματος μέχρι δίκης. ἐπεὶ δ' ἐκεῖνος ἀπέστι, τὸν κύριον ἀπαγαγεῖν, ἐγγυητὰς ἀξιόχρεως δόντα, καταστήσειν ἐπὶ τὴν ἀρχήν, ὅταν ὁ πατὴρ αὐτῆς παραγένηται (Equidem legem illam non ignoro, de vadatione in seruitutem assertorum latam; quæ non permittit apud auferentes esse corpus, vsq; ad finem litis. neq; dissoluerim sanè quam ipse scripsi volens. Veruntamen illud iustum puto; cum duo sint qui hoc sibi corpus vendicant, dominus & pater; si vterq; adesset, penes patrem remanere possessionem corporis, dum litis pendet: sed cum is absit, dominum id abducere, vades idoneos dantẽ, sistendi illud ad magistratum, quandocunq; pater eius affuerit) Reliquam eius iudicij tristem historiam, & tragicam catastrophen non commemoro, nota enim est satis. Sed obseruandum est; satisdationis in hisce vindicijs meminisse Dionysium. quod postea Prætores transtulisse videntur in suum interdictum VTI POSSIDETIS. Extat quoddam huius generis rescriptum Diocletiani, his verbis; [c] Vti possidetis fundum, de quo agitur, cùm ab altero, nec vi, nec clam, nec precariò possidetis; Rector prouinciæ vim fieri prohibebit, ac satisdationis vel transferendæ possessionis Edicti perpetui forma seruata, de proprietate cognoscet. quænã illa sit forma, interpretes ignorant: & tamen, vt audax est inscitia, ne quid videantur ignorare, nihil non securè comminiscuntur. Rectius ij, qui docent; Iudicem de hoc

6 7 8 9 10 11 12 13 14 15

[b] L. ordinato. L. fiscus. §. licet. de lib. caus.

[c] L. 1. C. vti possi.

de hoc interdicto cognoscentem, ita debuisse possidentem tueri, vt aduersarium, qui eum (vt ita loquar) inquietauit, etiam iubet satisdare, nullam amplius
16 molestiam sese possidenti exhibiturum, pendente iudicio. At quid, si etiam intelligamus; ipsum possidentem ex causa satisdare debere, sese rem deteriorem non facturum, vel eam, cùm opus erit, bona fide restituturum? [d] Sanè Paulus, Si de via (inquit) itinere, actu, aquæductu agatur; huiusmodi cautio præstanda est, quandiu quis de iure suo doceat, se non impediturum agentem, & aquam ducentem, & iter facientem. Quòd si neget ius esse aduersario agendi aquámue ducendi; cauere sine præiudicio amittendæ seruitutis debebit, donec quæstio moueatur, non se vsurum. Idem Paulus lib. 1. Sentent. tit. 11. ait; quoties hæreditas petitur, satisdationem iure desiderari. & si satisdatio non detur, in petitorem hæreditatem transferri. Sed & Papinianus [e] scribit; M. Antoninum rescripsisse; eum, à quo res fideicommissæ petebantur, cùm appellâsset, cauere: vel si non caueat, ad aduersarium possessionem transferri debere.

d. L. penulti. de aqua quot. & aestiu.

e. L. 5. §. 1. vt leg. nom. cau.

IN XLVI.

AERIS CONFESSIS REISQVE IVRE IVDICATIS XXX. DIES IVSTI SVNTO, &c.

1. *Fides Romanis sacrosancta fuit: idq; ob quam rem? num. 2. 3. 4.*
5. *σεισάχθεια Solonis apud Athenienses qualis?*
6. 7. 8. 11. 12. *Nouæ tabulæ Prudentioribus Romæ nunquam placuerunt: neque prudentioribus Græcorum; num. 9. 10.*
13. *Rei iudicatæ vbi non paretur, Ius ciuile manum militarem adhibet.*
14. *Edicti Prætoris de re iudicata reliquia.*
15. *Debitoribus ad conquirendam pecuniam aliquod concedendum tempus. & num. 16. 17.*
18. *Iustos dies iudicatis Decemuiri quot dederint? & vnde dicti? num. 19.*
20. 21. *Iustos dies posteriores Romani quomodo auxerint?*
22. *Quid, si iudicatus intra iustos dies non soluat? & num. 43.*
23. *Pro tribunali qui cognoscit, non semper seruat tempus iudicati. & num. 24.*
25. *Iudicati tempus prorogandum potius quam arctandum. & num. 26.*
27. 28. *Iudicati tempus obligationem non suspendit.*
29. *Confessi & Iudicati eodem loco habendi sunt.*
30. 38. *Confessi pro iudicatis haberi intelliguntur, vbi de caussa ciuili lis est: non itidem vbi de criminali: num. 31. 32.*
33. *Aes confessum;* & Confiteri; *quid?*
34. *Confessis non minus quam iudicatis dari tempus ad soluendum.*
35. *Pro iudicatis vt habeantur res confessæ, quæ requirantur? & num. 36.*
37. *Actio interrogatoria ex edicto prætoris de interrogat. in iure faciendis, qualis?*
39. *Inficiationis pœna quæ? & num. 40. 41. 42.*
44. *Executorem esse volebant Decemuiri eum cui quis condemnatus erat: & num. 64. 66.*
45. *In ius vocari quis Romæ poterat duciq; priuatim ab aduersario: & num. 52. & num. 53.*
46. *Creditori non licet, manum statim iniicere debitori.*
47. 48. *Manus iniectio quo exemplo introducta à Decemuiris?*
49. 50. *Oppigneratio corporum à Solone Athenis sublata; & ab Aegyptijs olim repudiata; num. 51. & à Romanis; num. 65. 68. 74. 76.*
54. *Carceres priuati à Zenone prohibiti.*
55. *Bonis cedens condemnatus liber esse permittitur: & num. 77. 78.*
56. *Constantini Imp. in debitores humanitas. & num. 57. 60.*
58. *Carcere contineri non puniri debent homines.*
59. *Vinctis victus est suppeditandus. & num. 62.*
61. *Licinij tyranni; ne quis Christianis carcere clausis victum suppeditaret.*
63. *Ex carcere, ab A. CL. Decemuiro extructo templum Pietatis Romani fecerunt.*
67. *Debitorum Addictorum conditio olim quæ?*
69. *Redemptus ab hostibus, Redemptori oppigneratus est.*
70. 71. *In Debitores iudicatos Decemuirorum acerbitas, & num. 72. 73.*
79. *Hypotheca expressa priores tempore, potiores sunt iure.*
80. *Hypotheca tacita caussa non tempus consideratur.*
81. *Quid, si res in caussam iudicati capta, prius alteri obligata sit?*
82. *Quid, si plures Creditores personales sint?*



1 Commemorat totam hanc Legem, eamque etiam explicat atque tuetur Sex. Cæcilius Iurisconsultus apud Au. Gellium lib. 20. præfaturq;
2 veteres Romanos fidem; quam omnium maximè ac præcipuè coluerunt, sanctamque habuerunt; non modò in officiorum vicibus, sed & in negociorum quoque contractibus sanxisse, maximeque in pecuniæ mutuæ vsu atque commercio. Existimâsse enim, adimi, subsidium hoc inopiæ temporariæ,

poratiæ, quo communis hominum vita indiget, si perfidia debitorum sine graui
pœna eluderet. Sanè Isocrates in Areopagitico idipsum prudenter vidisse veteres
Athenienses, elegantissimè scribit. neque modò (quod noster Vlpianus a ait) gra- 3
ue esse, fidem fallere; sed & vniuersæ Reip. valde perniciosum. Quid multis? Di-
xit Seneca lib. 3. de Benefic. æquissimam esse & Ius Gentium præleferre, hanc vo-
cem; Redde quod debes. Dixit Cicero lib. 2. de Offic. nullam esse rem, quæ vehe- 4
mentius Remp. contineat, quàm sit fides. Sed fidem esse nullam posse, nisi sit ne-
cessaria solutio rerum creditarum. Vtrunque verò multis ante Senecam Cicero-
nemque annis rectè intellexerunt, prudenterque considerârunt Decemuiri. Au- 5
diebant multa variaque dici atque iactari de illa Solonis apud Athenienses σεισαχθείᾳ
(tabularum omnium abolitione; per quam æs alienum, à pauperibus cõflatum,
dissoluebatur.) Sed si publica illa fuit quædam æris alieni, sine consensu credito-
rum, remissio atque condonatio; intelligebant rem esse iniquam, iniuriæque ple-
nam. Nouas eius generis tabulas Romæ quoque aliquando quidam viri princi- 6
pes valde populares, deque alieno nimium liberales, inuehere conati sunt. Sed
prudentioribus viris, & iuris Reipublicæque amantibus, nunquam eam rem pla-
cuisse, vel vnus nobis Cicero testis esse potest. Nunquam (inquit) vehemen-
tius actum est quàm me Consule, ne solueretur. Armis & castris tentata res est 7
ab omni genere hominum & ordine. Quibus ita restiti, vt totum hoc malum
de Rep. tolleretur. Nunquam nec maius æs alienum fuit, nec melius aut facilius
dissolutum est. Fraudandi enim spe sublata, soluendi necessitas consecuta
est. Hæc ille. Plutarchus de Cæsare loquens ait; σεισαχθείᾳ τινὶ ἐκούφισε τοὺς χρεωφειλέτας
(Seisachthia quandã subleuauit debitores.) Sed ne quis existimet, fuisse hanc æris
alieni generalem quandam remissionem atque abolitionem, audiamus Sueto-
nium de Cæsare loquentem; De mutuis pecunijs (inquit) disiecta nouarũ tabula-
rum expectatione, quæ crebrò mouebatur, decreuit tandem; vt debitores credi-
toribus satisfacerent per æstimationem possessionum, quanti quasque ante ciui-
le bellum comparâssent, deducta summa æris alieni, si quid vsuræ nomine nume-
ratum fuisset: qua conditione quarta pars ferè crediti deperibat. Hoc Cæsaris 8
decretum etsi duobus modis contra ius edium esse videretur, & creditoribus
graue & damnosum esset; erat tamen in illa temporũ confusione vtcunque tole-
rabile. Rep. tranquilla & bene composita tam non placuit posterioribus Iuriscõ-
sultis, quàm veteribus Romanis iniquum visum fuisset. Neque verò dubito, quin
& apud Græcos viri prudentes atque graues intellexerint, ad Remp. continen-
dam omnino esse necessarium; ius vt creditorum integrum maneat; & Decem- 9
uiros Rom. secuti, cùm æris alieni necessariam solutionem retinuerint, tum verò
rerum iudicatarum vim atque autoritatem infringi atque labefactari, vel perfi-
dia debitorum condemnatorum eludi, minimè passi sint. Cuius rei testem habeo
grauissimum eorum Oratorem Andocidem ita loquentem: τὰς δίκας καὶ τὰς διαί- 10
τας ἐποιήσατε κυρίας εἶναι, ὁπόσαι ἐν δημοκρατουμένῃ τῇ πόλει ἐγένοντο. ὅπως μήτε χρεῶν ἀποκοπαὶ εἶεν, μήτε δίκαι
ἀνάδικοι γίγνοιντο, ἀλλὰ τῶν ἰδίων συμβολαίων αἱ πράξεις εἶεν. (Iudicum atque Arbitrorum sen-
tentiæ fecistis vt ratæ essent, quotquot in ciuitate populariter administrata fer- 11
rentur; ne nouæ tabulæ & æris alieni quasi decisiones fierent, & res iudicatæ re-
scinderentur, sed dicta conuentaque in actum deducerentur.) M. Tullius contra
Rullum ait; tolli de foro fidem perturbatione iudiciorum, & infirmatione re-
rum iudicatarum: &, iudiciorum perturbationes; rerum iudicatarum infirma-
tiones; restitutionem damnatorum; esse solere afflictarum ciuitatum perditis
iam rebus extremos exitiorum exitus. Idem Cicero, Verri. 7. grauiter certè & pru-
denter ait: perditas Ciuitates deploratis omnibus rebus hos solere exitus exitia-
les habere; vt damnati in integrũ restituantur; res iudicatæ rescindantur. Cùmque
ea accidunt, neminem esse, quin intelligat, ruere illam Remp. Hæc vbi veniunt,
neminem esse, qui vllam spem salutis reliquam esse arbitretur. Idem Cicero pro
Cluentio illud ipsum tractat. Et Quintil. lib. 5. Nostri quoque Iurisconsulti 12
sæpe significant; publicè etiam interesse, autoritatem rerum iudicatarum, etsi
fortè in vna aliqua causa perperam iudicatum esse videatur, ratam haberi. b Cer-
tè rei iudicatæ vim & autoritatem quantopere tueatur Ius Ciuile ignotum non 13
est. Potius

a L. 1. De const. pecu.

b L. 65. cum ser- uo. d. cum Prætor. Ad Trebel. L. 12. si patronus. ổ. si quu. De bonis li- bert. L. 29. si fi- deiussor. ổ. in o- mnibus. Mand.

est. Potius quàm ei non pareatur, manum militarem adhibet.[c] neque post eam
quæri amplius quicquam patitur.[d] Eã enim habet pro veritate.[e] Frustraq; contrà
obtendi Principis rescripta, aut instrumenta de nouo reperta.[f] Quid multis? Ait
14 imp. Antoninus:[g] rebus iudicatis standũ est. Edictum denique Prætoris de re iu-
dicata, eódem pertinebat: neque minus, quàm Lex XII. Tab. de effectu sententia-
rum, & executione rerum iudicatarum seuerè, quicquid ad hanc rem pertineret,
præcipiebat. vt intelligamus eam non modò Legẽ Decemuirali, sed & Prætoria
pulchrè communitam fuisse. Non extat integrum hoc Prætoris edictum. Sed il-
lud saltem ex eo superest;

SI QVIS CONDEMNATVS FVERIT, VT PECVNIAM SOLVAT, AB EO, CVIVS DE EA RE IVRISDICTIO EST, PIGNORIBVS CAPTIS SOLVERE COMPELLAM.

Et quidem, cùm hæc verba, CONDEMNATVS, VT PECVNIAM
SOLVAT, interpretatur Vlpianus,[h] significat; pecuniam omnino soluen-
dam esse: neque satis esse, si iudicatus satisdare paratus sit.

15 Cæterùm aliquod tamen semper tempus benignè concessum fuit debitori-
bus, ad pecuniam conquirendam. Pauli nostri[i] verbum est: Quod dicimus hære-
dem debere statim soluere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum
est. nec enim cum sacco adire debet. Siue intelligat Paulus hæredem non adire
hæreditatem cum sacco siue marsupio, quo pecuniam statim concludat: siue cre-
ditorem ipsum non ita debere adire accedereque ipsum debitorem: significat
16 aliquã debitoribus dilationem humaniter indulgeri. Sic etiam Vlpianus,[k] In pe-
cunia legata (inquit) confitenti hæredi, modicũ tempus ad solutionem dandum
17 est, nec vrgendus ad suscipiendum iudicium. quod quidem tempus Prætorem ex
æquo & bono obseruare oportebit. Decemuiri, vt in iudicatis totã eam rem de-
18 finirent, censuerunt, confessis condemnatísne 30. dies iustos dandos esse. Iustos
dies vocabant (inquit Cæcilius Iurisconsultus.) velut quoddam iustitium, siue iuris in-
19 ter eos quasi interstitionem quãdam, & cessationem; quibus diebus, nihil cũ iu-
dicatis agi posset. Sic legitima quædam erat & iure concessa dilatio. Hoc postea
20 tempus Romani duplicârunt: duos enim menses iudicatis dederunt: sicuti &
21 eos rursus duplicauit Iustinianus.[l] Quatuor enim menses continuos dari voluit,
neque ipsis modò reis iudicatis, sed & eorum fideiussoribus. quod tamen antea
ijs tributum non erat. quanquam ne etiam diutius possit is, qui iudicatus est, im-
22 punè ludificari actorem, voluit Iustinianus, vt saltem sortis principalis vsuras
centesimas soluat, si nec intra tempus legitimum rebus iudicatis paruerit. Il-
23 lud porrò meminerimus, quod Vlpianus[m] admonet; eum, qui pro tribunali co-
gnoscit, non semper seruare debere tempus iudicati: sed nonnunquam arctare;
nonnunquã prorogare; pro causæ qualitate & quantitate; vel personarum ob-
sequio aut contumacia. Callistratus,[n] cùm diceret; debitoribus non tantùm pe-
tentibus dies ad soluendum dandos esse, sed & prorogandos, si res exigat; subij-
24 cit rescriptum hoc Diui Pij ad Cassium Proconsulem: His, qui fatebuntur se de-
bere, aut ex re iudicata necesse habebunt reddere; tempus ad soluendum detur,
25 quod sufficere pro facultate cuiusque videbitur. Porrò ad prorogandum, quàm
ad arctandum iudicati tempus, procliuiores fuisse Romanos, Vlpianus significat,
cùm ait; Perrarò intra statutũ tempus sententias exequutos esse, nec nisi ex ma-
gna causa, veluti si de alimentis ageretur. Et sanè, nisi nominatim & ex causa, is
qui pro tribunali cognoscit, testaretur, scientem se & prudentem tribuere, præ-
stituereque condemnato arctiorem breuioremque diem soluendi: tempus legi-
26 timum repleretur ex Lege, quod sententię iudicis deest.[o] Porrò tempus quod iu-
dicato datur, in eius fauorem esse introductum, vt, si velit eo non vti, & se interea
liberare, possit, apertè etiam responsum est.[p] Sed neque obligationem hic dies
27 suspendit, aut compensationem impedit. Itaque si intra hunc diem iudicatus
Titio, agat cum eodem Titio, qui & pridem illi iudicatus est, compensationem
28 admitti Papinianus ait[q]: hancque rationem adijcit: Aliud esse diem obligatio-
nis non venisse, aliud humanitatis gratia tempus indulgeri solutionis.

c. L. qui restituere. de rei vend.
d L. post rem. de re iudic.
e. L. res iudicata. De regu. iur.
f. L. 1. C. quan. pro nõ est nec. L. Imper. de re. iud.
g. L. 1. C. de re iud.
h. L. 4. §. ait. de re iudic.
i. L. quod dicimus. de solut.
k. L. si domus. §. in pecunia. L. de lega. 1.
l. L. vlt. C. de vsur. rei iud.
m. L. 2. de re iud.
n. L. 31. debitorib. de re iud.
o. L. 4. §. si quis condemnatus. de re iudic.
p. L. 7. De re iud.
q. L. 16. §. cũ milites. §. vlt. De compens.

Porrò obsernandum est; Decemuiris eodem loco habuisse confessos, quo 29
iudicatos. Sicuti & in hoc genere D. Pius in suo, quod antea retuli, rescripto, con-
fert eos, qui fatentur se debere, cum ijs, qui ex re iudicata necesse habent soluere.
Vlpianus duobus locis meminit orationis D. Marci,[r] cùm ait; Confessos pro iu-
dicatis haberi. Paulus quoque, [s] confessum ait pro iudicato esse: quia quoddam-
modo sua sententia damnatur. Extant & multa huius generis Principum rescri-
pta[t] in Codice Iustiniani: quæ si ex hoc XII. Tab. capite pendêre dicamus, & ve-
luti originem ducere, cùm illa magis confirmabimus, tum verò XII. Tab. vim &
vsum latissimè patêre ostendemus. Obseruemus autem, de causa ciuili siue pe- 30
cuniaria semper agi, cùm pro iudicatis haberi confessos legimus. Neq; enim con- 31
fessiones reorum itidem pro exploratis criminibus habentur. Si confessus erim en
sit reus, in vincula quidem conijciendus [v] est: sed non ideo statim condemnatur.
Siquis (inquit Vlpianus[x]) vltro de maleficio fateatur; non semper ei fides ha-
benda est. Nonnunquam enim aut metu, aut qua alia de causa in se rei confiten-
tur: & extat epistola Diuorum Fratrum, qua continetur; liberandum eum, qui in 32
se fuerat confessus, cuius de innocentia postea constitisset.

r. L. post rē. De re iud. L. certum. §. sed & si & §. seq. De confess.
s. L. 1. De confess.
t. L. vna. C. de cō-fess. L. sicut. C. de repud. here. L. 3. C. de fi. instrum.
v. L. si confessus. De custod. & exhib. reor.
x. L. 1. §. si quis vltro. De quæst.

Vt ad æs confessum redeam, cuius XII. Tabulæ meminerunt, Gellius lib. 15, 33
cap. 13. admonet, id ita appellari, de quo facta est confessio. Verbum enim CON-
FITEOR, esse commune; & passiuè quoq; accipi. Porrò vbi talis erat confessio,
quæ pro condemnatione haberetur; Prætor, coram quo in iure aliquis confes-
sus erat, intra tempus constitutum soluere iubebat; nec iudicem dabat: aut, si
quem aliquando daret, quia res æstimanda esset, certè dabat nō tam rei iudican-
dæ, quàm æstimandæ, vt loquitur Vlpianus.[y] Vnde cùm quis cōfessus est, certum
se debere legatum, quod tamen in rerum natura esse desijt; responsum est;[z] dari
iudicem, vt in æstimationem, quā faciet, eum damnet. Confessis autem, vt iudi- 34
catis, dari tempus ad soluendum, Iurisconsulti Decemuiros secuti, sæpe respōde-
runt. [a] Sed priusquā res confessæ pro iudicatis habeantur, oportet confessionem 35
esse rei certæ factā in iure Iudicióue, ab eo qui non errat, & qui iudicio valet, nam
pupillus sine tutore frustra cōfitetur. Denique aduersariū esse præsentem, eiúsue
procuratorem. Sed neque confessiones aliter ratæ sunt, quàm si id quod in con- 36
fessionem venit, & Ius & natura recipiat; vt intelligamus falsas confessiones de-
bere naturalibus conuenire. [b] Ac quidem edidit aliquando Prætor edictū de in- 37
terrogationibus in iure faciendis: ex quo dabatur actio interrogatoria siue con-
fessoria de eo, quod quis confessus erat, quod pro veritate habetur; vt cuiq; fides 38
contra se habetur. Extatq; in Pandectis non modò tit. de confessis, sed & de inter-
rogationibus, qui huc pertinet. Sic enim Iurisconsulti pluribus explicuerunt,
quod breuiter attigerant Decemuiri de ære confesso. Sed neque pœnam infi- 39
ciationis ementitæ prætermiserunt: quanquam diligentius Id persecutus sit Iu-
stinianus Nou. Constit. 18. Et nescio, an de inficiationibus nihil statuerint XII.
Tab. Gellius lib. 15. cap. 13. ex ijs citat mutilum hoc fragmentum:

y. L. proinde. §. notandum. Ad leg. Aquil.
z. L. 3. De cōfess.
a. L. 31. debitorib. De re iud. L. certum. §. vlt. De confess.
b. L. confessionib. §. 1. L. si is cuius. §. vlt. De interrog.

QVÆ SI ERIT TESTATIOR, LIBRIPENSVE FVERIT, IN TESTIMONIVM FERIATVR, IMPROBVS, INTESTABILISQVE ESTO.

Si ea Lex agebat (quod equidem adfirmare non ausim) de debitore inficia-
tore, cùm quidem pecunia credita probaretur vel à libripende, qui interfuerat,
eùm daretur, vel ab alijs testibus: improbæ inficiationis pœnam fuisse infamiam 40
intelligeremus, eamq; non vulgarem. Iustinianus tamen in Nou. Constit. 18. eius
loco mâluit condemnationem in duplum substitui. Certè qui se negauit socium, 41
amittit priuilegium[c], quod alioqui societatis nomine habebat, ne conueniatur
vltrà quàm facere possit. Qui se negauit fideiussorem [illegible], perdit beneficium di- 42
uisionis. [d] Qui negat suam esse quadrupedem, quæ pauperiem fecit; postea eam
dedere noxæ non potest. [e] Sed de his alio loco. Nunc ad tetum iudicatarum exe-
cutionem veniamus.

Vbi condemnatus erat reus, nec intra dies iustos iudicatum fecerat; manus 43
in eum iniectionem creditori tribuunt XII. Tab. Executorum, siue apparitorum,
sententias

c. L. sed si hoc. §. vlt. De re iud. L. si vnus. §. vlt. Pro soc.
d. L. si dubitetur. §. ita demum. De fideiussorib.
e. L. 1. §. interdū autem si quæ. Si quadr. paup. fec. dic.

44 sententias exequentium, meminderūt alię Rom. Leges.[f] Decemuiri eum, cui quis *f. L. si pignora. De*
condemnatus est, executorem esse voluerunt: illud semper Romæ obtinuit, vt; cùm *euict. L. 3. §. si*
45 primùm in ius aliquis vocabatur ad Prætorem; vocari posset priuatim à suo ad. *executor. De ne.*
uersario, sine alio Magistratus mandato: ac nisi vocatus in ius iret, inuitus duci *gest. L. executo-*
trahiq; nisi si satisdaret iudicio sistendi causa. Nam duci in ius eum, qui satis ido- *rem. C. de execu-*
neum fideiussorem det, non quælibet iniuria est, inquit Caius. Et ad eum quoque *tret. iud.*
pertinebat caput illud Edicti perpetui,

QVI NEQVE SEQVANTVR, NEQVE DVCANTVR.

Vt autem ducere dicebatur actor reum in ius, quem inuitum trahebat; sic
& iudex ducere iubebat, cùm reum in carcerem aut ad supplicij locum abduci iu-
bebat. Itaque Cicero pro Cluentio, vtramque huius verbi significationem ele-
ganter coniunxit. Cæterùm, tametsi actori permittebatur reum nō sequentē; du-
cere creditori tamen manū statim inijcere debitori, nō item semper fuit permiss-
46 ium. Fugientem pecuniamque secum ferentem insequi creditor potest,[g] & id ei *g. L. ait Prætor. §.*
auferre, quod debet. Duorū præterea in Pandectis locorum memini, vbi fit men- *si debitorem. De*
47 tio iniectionis manus, cùm significatur illa rei auferendæ ac sine iudice occupan- *iis, quæ in fraud.*
dæ potestas,[h] quam venditor manciplorum excipere solebat, si quid contra cō- *cred.*
uentionem fieret. Sed manus iniectionem, quam Decemuiri in vniuersum tri- *h. L. sed si hæc. §.*
48 buerunt creditori in debitorem non facientem iudicata, ne quis aut nouam, aut *prostituta. De in*
sine exemplo ab ijs primùm introductā esse existimet; moris olim Athenis fuisse *ius voc. L. Titius.*
audierāt, vt qui mutuū suscepissent, oppigneraris corporibus, possent à credito- *De ser. export.*
49 re abduci, si fallerent, abductiq; etiā creditori addicerentur. Notus est ille Plutar-
chi in Solone locus: ἐχρέα λαμβάνοντες ἐπὶ τοῖς σώμασιν, ἀγωγίμοι τοῖς δανείζουσιν (pecunias
mutuo sumentes corporaq; debito opponentes, nexi erant eius caussa creditori-
bus.) Id ante Solonem Athenis vsitatum fuisse scribit eo loco Plutarchus. à So-
50 lone verò sublatum significat. quod apertius testatur in libello de Vitanda vsura.
ὁ Σόλων (inquit) Ἀθηναίους ἀπαλλάξας τῶν ἐπὶ τοῖς σώμασιν ὀφειλῶν (Solon Athenienses liberauit
istis corporum oppignerationibus) hancque Legem ex Aegypto Solonem trans-
51 tulisse, testis est Diodorus lib. 2. & appellâsse σεισάχθειαν. Nam & veteres Aegyptios
itidem statuisse; corpora debitorum, quibus Respublica in bellis opus haberet,
libera esse debere; solas verò possessiones & facultates debitorum creditoribus
obnoxias esse: ex ijsque tantùm peti posse solutionem æris alieni. Hanc igitur
Legem Athenas trāstulit Solon. Romani Decemuiri, Solonis iudicia secuti sem-
per non sunt. Certè hunc morem à Solone sublatum, & illam veterem Græco-
52 rum ἀπαγωγὴν (abductionem) quo magis rei iudicatæ pareretur, in vsum reuocare,
non dubitârunt. neque modò manu iniecta debitorem iudicatum prehendere
sed & prehensum domi vincire iustis compedibus, & priuato carcere concludere
permiserunt. Non carebant eo tempore Romani publicis carceribus, Tullianum
iam olim extruxerant Ancus Tulliusque Reges in capite fori sub Capitolio. Ipse
53 Ap. Claudius Decemuir alterum carcerem prope Iani templum adiecerat. Sed
custodiam & coërcitionē debitoris condemnati priuatim creditoribus reliquê-
54 runt. Id posterioribus deinde principibus non placuisse, indicio est Zenonis Imp.
Constitutio de priuatis carceribus inhibendis, quæ extat lib. 9. Codicis. Sed pub-
lico carcere coërcendum esse debitorem, iudicatum non facientem; nisi si bonis
cederet; facilè consenserunt.[i] Bonis vt cedere posset condemnatus, & liber esse, *i. L. 1. C. qui bon.*
55 permiserunt. Sed nisi bonis cederet, in carcerem conijci voluêre; etiam si soluen- *ced. poss.*
do non esset. Cur enim bonis non cedit, si tam inops est? Fuit tamen tam huma-
nus & indulgens Constantinus Imp.[k] vt suos debitores propter tributa nón so- *k L. 2. C. de ex-*
56 luta noluerit statim carcere claudi. & hac eius humanitate contumaciter abu- *act. trib.*
tentes, non nisi aperta & tantùm non libera, inque vsum hominum instituta cu-
57 stodia militari contineri voluit. Prætereo humanissimam eius constitutionem
[l] de custodia reorum, qua edixit; carceres tales esse debere, vt præter fidam custo- *l. L. 1. C. de cust.*
58 diam nihil habeant. Sciebat enim quod à Iurisconsultis responsum[m] est; carce- *reor.*
rem habendum esse ad homines continendos, non autem puniendos. Si seue- *m. L. aut damnū.*
riores fuisse videntur Decemuiri, qui carcere & compedibus debitorem conde- *§. solent. De pœ-*
mnatum vincire creditori permiserunt; factum id esse videtur, quòd priuatim *nis.*

domi

domi aliter continere constringereque non possit. Ceterùm quòd victum vincto
suppeditari curârunt, vt est humanitatis plenissimũ, sic & posteritati semper pla- 59
cuit. Vnde & illud Phormionis apud Terentium: Dices, ducent damnatum do-
mum. Alere nolunt hominem edacem: & sapiunt mea quidem sententia; Pro
n. dic. L. 1. C. de cust. reor.
maleficio si beneficium summum nolunt reddere. Sanè & Constantinus,ⁿ Magi 60
stratum grauiter puniri voluit, nisi si is custodem carceris, eiúsue ministros, qui
reum vinctum inedia exhausissent, statim capitali supplicio coërceat. Narrat Eu-
sebius, impium illum tyrannum Licinium paulò antè edixisse; ne quis Christia-
nis carcere clausis cibum daret. Tam crudele & barbarum edictum an toleraret 61
Constantinus? Sed Ethnicos Romanos audiamus, Extat Licinij Rufini Iurisconsul. 62
o L. 34. si victum. De re iud.
responsum in hæc verba: ° Si victum vel stratum inferri quis iudicato non patia-
tur, vtilis in eum pœnalis actio danda est: vel (vt quidã putant) iniuriarum cum
eo agi poterit. Non dubium est, cùm id diceret Rufinus, XII. Tab. memoria repe-
tijsse. An de alendis vinctis reis tam valde soliciti semper Romani fuerint, dicere
non possum. Sed illud tamen notum est; cùm quædam Romæ pia puella, quæ pa-
tri carcere clauso victum inferre prohibebatur, vberibus eum suis aluisset; tam
valde Romanis hanc pietatem placuisse, vt ex eo carcere, qui primùm fuerat ab 63
Ap. Claudio Decemuiro extructus, Pietati ædem sacram & liberã erexerint. Por-
rò debitorem, qui iudicatum non faceret, non modò creditori vinciendum da- 64
bant Decemuiri, sed & planè addicebant. Ac verus quidẽ Romę fuisse videtur hic
mos nectendorum addicendorumq; debitorum, ac vix tandem exemplo Solonis
sublatus. Quinquaginta propè annis ante XII. Tabulas propter Volscorum bel-
lorum, & Plebis tumultũ, edixit Consul Seruilius; vt militiæ nomen daturi, liberi 65
ab nexu & pignore creditorũ essent cum suis & possessionibus & liberis. Sed alio-
qui ius nexus & addictionis præsertim in iudicatos retinuerunt XII. Tabulę. Post
has annis 125. rursus Senatusconsulto cautũ est, ne quis ciuis propter æs alienum
necteretur. Sed tamen quæ propter rem iudicatam addictio fuit, sublata non est.
Nam & Cicero pro Flacco, loquens de quodam Heraclide condemnato, Cùm (in 66
quit) iudicatum non faceret, addictus Hermippo, & ab hoc ductus est. Quæ fuerit
autem cõditio addictorum debitorum, & quàm valde differrent à seruis, elegan-
ter docet Quintilianus lib. 7. cap. 4. Nempe addictos, quandocunque soluerent 67
debitum, ita liberatos fuisse, vt ingenui manerent, & ciues. Ac Leges quidem po-
stremæ Romanorum, cùm vetuerunt, liberos propter æs alienum seruire credi- 68
p. L. ob æs. C. de act. & oblig.
toribus, tùm verò eos pignori etiam dari noluerunt. ᵖ Quanquam in eum qui re-
q. L. Senatus. §. vlt. De le. 1. L. 2. C. de postlim. reu.
demptus esset ab hostibus, redẽptori dederunt ius ᵍ quoddã pignoris, donec red- 69
didisset precium suæ redemptionis. Nam & veteres Leges Græcorũ plus aliquid
iuris in eum olim dabant, vt testis est Demosthenes πρὸς Νικόστρ. Vtinam Decemuiri
vel nexu vel addictione contenti fuissent, neq; acerbius aliquid infœlicẽ debito- 70
rẽ, qui iudicatũ nõ faceret, pati arbitrio crudeliũ creditorũ, passi essent. Quid au-
tem tortum illud sit, quod præterea permiserunt, & eo quemadmodũ vsi Romani
sint, mâlo Sex. Cæcilij Iuriscons. verbis, quàm meis referre. Vinctis debitoribus
(inquit) ius erat paciscẽdi. Ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies LX. In- 71
ter eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem ad Comitiũ producebantur:
quantæq; pecuniæ iudicati essent, prædicabatur. Tertijs autem nundinis capite
pœnas dabant, aut trans Tyberim peregre vænũ ibant. Sed eam capitis pœnam
sanciendæ fidei gratia, horrificã atrocitatis ostentu nouisq; terroribus metuen-
dã reddiderunt. Nam si plures forent, quibus reus esset iudicatus; secare si vellent
atq; partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt. Et quidam verba ipsa Legis
dicam, ne existimes inuidiam me istam fortè formidare: TERTIIS (inquit)
NVNDINIS PARTEIS SECANTO. SI PLVS MINVSVE
SECVERVNT, SINE FRAVDE ESTO. Nihil profectò immi- 72
tius, nihil immanius, vt re ipsa apparet, eo consilio tanta immanitas pœnæ de-
nunciata est, ne ad eam vnquam perueniretur. Addici nanque nunc & vinciri
multos videmus; quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt.
Dissectum esse antiquitus neminem neq; legi, neq; audiui; quoniam sæuitia ista
pœnæ contemni non quita est. Hæc Cæcilius. Sed & Quintil. lib. 3. Sunt (inquit) 73
quædam

quædam non laudabilia naturâ, sed iure concessa; vt XII. Tab. debitoris corpus
74 inter creditores diuidi licuit. Quam Legem mos publicus repudiauit. Iam verò si
his nostrum Tertullianum subiecero, veterum hac rota de re iudicium satis pate-
75 fecero. Eius in Apologetico verba sunt hæc. Sed & iudicatos in partes secari à cre-
ditoribus Leges erant; consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, & in
pudoris notam, capitis pœna côuersa est, bonorum adhibita proscriptione. Suf-
76 fundere maluit hominis sanguinem, quàm effundere. Hæc ille. Aliam igitur rei
iudicatæ executionem posteriores Rom. Leges esse voluerunt[r] & humaniorem
& benigniorem, quæq; bona condemnati prius quàm corpus attingeret, nempe;
vt autoritate Prætoris in causam iudicati caperentur primùm res mobiles, dein-
de immobiles, postremò nomina: ac si quidem res emptorem inuenerunt, ei pre-
cium numeranti addicerentur. Si emptorem non inuenirent idoneum: ei, cui
reus condemnatus esset, in solutum darentur addicerenturque. Atque vt eas per-
sonas non commemorem, à quibus non nisi in quantum commodè facere pos-
sunt, exigitur; qui condemnatus est, etsi soluendo non sit, si tamen bonis cedat, in
77 carcerem non trahetur[s]: neque vlla ob inopiam pœna infœlix debitor affligitur,
quamuis nouum non sit, vt extra ordinem puniantur, qui mulctas pœnásve pe-
cuniarias propter inopiam dissoluere non possunt.[t] Nunc itaque rectè dicimus;
78 inanem esse actionem propter inopiam aduersarij.[u] Porrò, vbi ex bonis conde-
mnati aliquid in causam iudicati captum erat, vt distraheretur; si qui alij credi-
tores hypothecarij intercedant, (sicuti intercedere debent, nisi si ius suum remi-
sisse videri[x] velint) executor ante omnia eos audiet, & hypothecarum ex côuen-
79 tione expressim descendentium potiorem esse earum causam pronunciabit, quæ
80 tempore priores sunt. In alijs tacitis, quæ ex priuilegio quodam nascuntur, con-
siderabit causam, non tempus. Personalis (vt vocant) creditoris intercessionem
81 nihili facere iubetur.[y] Et si autem res in causam iudicati capta, prius alteri credi-
tori obligata sit, nihilominus vendetur: sed huic creditori de precio ante omnia
fiet satis.[z] Denique si personales siue chirographarij sint plures creditores, quibus
82 ex simili causa debeatur, quique in executione iudicati q; actione côcurrant: par
est omnium conditio, nec est potior is, cui reus prior est condemnatus.[a] Sed si ex
ijs vnus aliquis sententiam solus obtinuerit; eius occupantis melior esse poterit
causa: vt ei ante alios, qui nullam adhuc sententiam obtinuerunt, satis fiat.[b] Hæc
& id genus alia quæ nos alio loco descripsimus copiosius, & fusius pertractaui-
mus, de re iudicata & bonis côdemnati distrahendis, posteritas maluit & tradere
& amplecti, quàm quæ Decemuiri acerbè statuerant de corpore debitoris con-
83 demnati dissecando, & inter plures creditores veluti partiendo. Porrò de re iudi-
ciaria, plura quæ nunc nos latent, XII. Tab. comprehensa præclarè fuisse, dubium
non est; siue de iudicijs ciuilibus & pecuniarijs, siue etiam de criminalibus agere-
tur. Sed non nisi superstites reliquias nunc edere possumus. Extat quædam M. Cæ-
cilij ad Ciceronem epistola, in qua veteris cuiusdam Legis vnum & centesimum
hoc caput recitatur: QVOD EORVM IVDICVM MAIOR PARS
IVDICARIT, ID IVS RATVM ESTO. Sed neque alioqui satis sci-
re possum, quibus de Iudicibus propriè loquatur, aut ex qua Lege id descriptum
sit. Nam affirmare, Legem XII. Tabularum fuisse, cùm id certò non sciam, mihi
religio est.

r. L. à diuo Pio. De re iud.
s. L. 1. C. qui bo. ced. poss.
t. L. 1. §. vlt. De poen. L. si quis. De iurisd. L. vlt. De in ius voc. L. si quis iniuriam. De iniur. L. vlt. C. de sep. vio.
u. L. nam is. De dolo.
x. L. si eo tempore. C. de rem pig.
y. L. priuilegia 32. De bon. auto. iud. possid. L. 3. C. qui pot. in pign.
z. L. à diuo Pio. §. quod si res. De re iud.
a. L. 61. in indicati. De re iudic.
b. L. 19. inter eos. De re iud.

IN XLVII.

DE CAPITE CIVIS, NISI CENTVRIATIS COMITIIS, NE ROGATO.

1. *Reip. interest, vt delicta puniantur: & num. 13.*
2. *Athenis capitalibus causis qui præfuerint?*
3. *Centuriata comitia qualia?*
4. *Consules iniussu populi de capite ciuis non ferebant sententiam. & num. 6. 7.*
5. *Quæstores parricidij qui?*
8. *Damnatis licebat prouocare ad populum.*
9. *Lege Sempronia & Porcia, supplicium capitis ciuibus remittebatur.*
10. *Decemuiri cur paucas res capite sanxerint.*
11. *Romanis semper mitiores placuerunt pœnæ.*
12. *Immunitatis spes, peccandi illecebra est.*

a. L. ita vulneratus. Ad legem Aquil.

AD Rempublicam continendam cōseruandamque, nihil est publicis capitalibusque iudicijs necessarium magis. neque temere ab Vlpiano dictū est,[a] Reipublicæ interesse, delicta vt puniantur. Quid enim? Verissimum sanè est quod AEschines grauissimè dixit, & ab ipso etiam eius aduersario Demosthene laudatum atq; repetitum est; neque ab eo modò, sed & omnibus qui aliquo sunt iudicio: [illegible] (Nullius precij ciuitas est, quæ neruos contra nocentes atque sceleratos non habet) id cùm intelligerent Romani, aliquem in sua ciuitate veluti Areopagum, exemplo Græcorum, esse voluerunt. Certè Cæsar apud Sallustium ait, eos Græciæ morem imitatos, verberibus animaduertisse in ciues, & de condemnatis summum supplicium sumpsisse. Addiebant Decemuiri, Athenis Areopagitas cum Vndecimuiris, & eo Rege Sacrificulo, quem ΒΑΣΙΛΕΑ vocabant, capitalibus 2
causis præesse. In suis Centuriatis comitijs, quæ ita erant popularia, vt magis tamen essent aristocratica, non minus & prudentiæ, & grauitatis, & religionis fore 3
existimârunt. neque omnino Ius Populi Rom. qui pœnarum præmiorumq; arbiter erat, imminuere volebant, neque poterant. Scribit noster Pomponius, non potuisse Consules iniussu Populi de capite ciuis Ro. sententiam ferre. quoties au- 4
tem criminalis animaduersio necessaria esset, Quæstores à Populo constitutos, qui capitalibus rebus præessent; ac ipsorum quidem etiam Quæstorum parrici- 5
dij meminisse XII. Tab. Sed de Quæstionibus publicis, & tota ratione atque ordine capitalium apud Rom. iudiciorum aliàs copiosè dicemus. nunc ad primos fontes veluti digitum intendisse sit satis. Est autē hoc caput XII. Tab. quod proposui, descriptum ex M. Tullio: qui in Orat. pro P. Sestio ait, & sacratis Legibus & XII. Tab. sancitum esse; vt neque priuilegium irrogari liceret; neque de capite ci- 6
uis, nisi Centuriatis comitijs, rogari. Et rursus in eadem Oratione, Princeps (inquit) rogatus sententiam Cotta dixit Id, quod dignissimum Rep. fuit; nihil de me actum esse iure, nihil more maiorum, nihil legibus: non posse quenquam de ciuitate tolli sine iudicio: de capite non modò ferri, sed ne iudicari quidem posse, nisi comitijs Centuriatis. Idem in Oratione pro C. Rabirio perduellionis reo, ait; C. Gracchum Legem tulisse; ne de capite ciuium Rom. iniussu Quiritum iudica- 7
tur. Certè secures, quæ Consulibus aliquando ademptæ fuerunt, ea demum Lege & conditione à Largio Dictatore restitutæ dicuntur, ne ijs in caput ciuis Rom. iniussu Populi animaduerterent. Ac quidem ante XII. Tab. statim post reges exactos lata Lex fuit abs Valerio Publicola, vt damnatis ius esset prouocandi ad 8
populum. vnus Iulius Cæsar contrà tulit aliquando legem, vt damnati Maiestatis vel de vi, prouocare nō possent. Hancque Legem Cicero aduersus Antonium tuetur. Sed negate certè non passet, ius populi ita imminui, & veteres leges in- 9
fringi. De Lege Sempronia & Porcia, quæ capitis supplicium ciuibus Ro. remittebant, multa leguntur apud eundem Ciceronem. Sed multa sciens hîc prætereo, quæ alio loco latius tractari & liberius poterunt. Porrò Decemuiros in suis XII. 10
Tab. perpaucas res capite sanxisse, testis est Cicero in libris de Rep. siue quòd Populi arbitrio atque iudicio, Centuriatisque ipsis Comitijs, multorum criminum pœnas relinquere maluerint; siue (quod Cicero pro Rabirio scribit) quod expulsis Regibus nullum in libero populo vestigium crudelitatis Regiæ retinerent, & ciuium libertatem non acerbitate suppliciorum infestam, sed lenitate legum munitam esse voluerint. certè suo suorumque sanguini lubenter pepercisse mirum non est. Ac Liuius quidem gloriatur; nullis vnquam populis mitiores pla- 11
cuisse pœnas, quàm Romanis. Sed qui intelligebant maximam peccandi illece- 12
bram esse impunitatis spem; nequaquam passi sunt impunita manere delicta, 13
suósve ciues nimia indulgentia corrumpi. Interea, quòd tantam & curam & religionem hisce iudicijs adhibuerint, laudati satis non possunt. certè & eorum exemplo videntur posteriores Cæsares in hoc genere admodum religiosi fuisse. Testis est Iustinianus Nouella Constit. 13. Testes Constantini, Theodosij, huiusque filiorum Honorij & Arcadij Constitutiones.[b]

b. L. qui sententiā. L. si vindicari. C. de pœn. L. vlt. C. de probat. L. addictos C. de appell.

IN

IN XLVIII.

QVI HOSTEM CONCITAVERIT, QVIVE CIVEM HOSTI TRADIDERIT.

1. *Perduellis quis? & num. 2.3.5.6.*
4. *Populi esse volebat Romulus, hostibus bellū decernere.*
7. *Desertores olim Romani vltimo supplicio afficiebant.*
8. *Metij Suffetij supplicium hanc legem illustrat.*

MArtianus noster dicturus de Lege Iulia Maiestatis ait;a Legem XII. a.L.3.Ad leg.Iul.
Tab. iubere eum, qui hostem concitauerit, quíve ciuem hosti tradi- Maie.
1 derit, capite puniri. In eodē illo tractatu Vlpianus, perduellionis reū
definire videtur, qui hostili animo aduersum Rempublicam vel Prin-
cipem animatus est. Notū est, à veteribus dictos perduelles, qui nunc
hostes dicuntur. Sed qui perniciosiores hostes sunt aut esse possunt, quàm qui,
2 cùm ciues se esse simulant, in Rempublicam aliosq́ue ciues hostili animo sunt?
Olim & qui ciuem vnum occidisset, propter admissam eædem perduellionis reus
erat. Vt ille Horatius, qui sororem suam occidit. Ac superius quidem in Romulo
retulimus veterem Legem horrendi carminis in hos perduellionis reos. Sed gra-
3 uius crimen est, de quo hîc agitur, eius nempe, qui nō modò ciuem priuatim, sed
4 in eo etiam ciuitatem & Rempublicam lædit. Populi erat ex Lege Romuli; hosti-
bus bellum decernere indicereve, teneturq́ue ideo Lege Iulia Maiestatis, qui in-
iniussu populi, vel Principis, bellum gesserit, delectum habuerit, exercitúmve com-
parârit.b Quanto puniendus est magis, qui cum hostibus ipsis conspirat, eiuęmq; b.D.3.0.1. Ad leg.
5 ijs etiam tradit? In tractatu Legis Iuliæ Maiestatis, iurisconsulti inter reliqua eius Iul.Maiesta.
generis crimina commemorant; si quis exercitum hostibus tradiderit. Et sanè Ci-
cero in Oratore eodem modo loquitur: Si (inquit) Maiestas est amplitudo & di-
6 gnitas Ciuitatis, is eam minuit, qui exercitum Pop. Ro. hostibus tradidit. addunt
Iurisconsulti, & eum, qui in bellis cesserit, hostémve arcere noluerit, aut castra
7 concesserit, aut exercitū desetuerit, aut ad hostes perfugerit. Certè Polybius lib. 1.
8 testis est; veteres Ro. vltimo supplicio affecisse desertores. Sed supplicium Metij
Suffetij, cuius & nota est historia, & memoria tempore Decemuirorum Romæ
obscura non erat, magis illustrat hoc caput XII. Tab.

IN XLIX.

SANATIBVS IDEM IVRIS ESTO QVOD FORTIBVS.

1. Sanates *olim qui? & num. 4.6.*
2. *Dedititij quomodo à Romanis olim recepti?*
3. *Liberti deditītij qui?*
5. *Athenienses decretū de Mitylene delenda retractant.*
7. *Nouatianorum hæresis qualis?*
8. *Theodosij constitutio aduersus Apostatas qualis?*
9. *Fortibus Romanorum socijs olim quid iuris fuerit?*
10. *Fundi populi qui?*

CVM hoc insigne XII. Tab. caput, ciuilis clementiæ atque humanita-
tis plenum, quod hactenus vulgò non satis cognitum fuisse videtur,
eum sua etiam interpretatione reperissem, visus sum mihi incidisse in
reconditum aliquem nec vulgarem thesaurum. Occurrit autem mi-
hi omnia peruestiganti, apud Sex. Pompeium Festum: cuius lib. 17. de Verborum
1 veterum significatione, verba sunt hæc: Sanates dicti sunt, qui supra infraque Ro-
mam habitauerunt. quod nomen ijs fuit, qui cùm defecissent à Romanis, breui
pòst redîere in amicitiam, quasi sanata mente. Ideoque in XII. cautum est, vt idem
iuris esset Sanatibus, quod fortibus, id est, bonis, & qui nunquam defecerant à
Populo Rom. Hæc Festus. Traditum quidem est; multos olim populos, qui cum
à Romanis defecissent, iterum victi sese dedere cogebantur, tam benignè rece-
2 ptos non fuisse. Hi enim Dedititij, vt vocabantur, quales fuisse dicuntur Gabij, re-
linquebantur suę quidem libertati; sed vix ijs spes vlla erat adipiscendę etiam ali-
quando ciuitatis Ro. & ad eorum quidem exemplum ex Lege AElia Santia, ser-
3 ui, qui manumittebantur, posteaquam ob nequitiam pœnas luissent, Liberti de-
ditītij dicebantur; quòd infimam quandam, & tantùm nō ignominiosam liber-
tatem consequerentur: fieri autem Ciues Romani non poterant. quinimo suam
cum vita libertatem amittebant, nec de suis testabantur bonis; sed ijs, tanquā ser-
uorum pecul‍ijs, qui manumiserat, potiebatur. Cæterùm tam seueri erga suos Sa-
4 nates esse noluerunt Decemuiri; & clementia magis alliciendos ad societatē vi-
cinos,

ciuos, atque ad saniorem mentem, si quadam fortè leuitate desciuissent, reuo-
candos, quàm seueriori asperitate deterrendos esse, iudicârunt: Illudque, quàm
hoc, nouæ nascentiq; Reip. & gloriosius fore, & vtilius ad suam potentiam am-
plificandam. Sanè cùm aliquando Athenienses, recuperata Mitylene, quæ defe- 5
cerat, præcipiti quodam calore decreuissent, vt ciuibus omnibus interfectis fun-
ditus vrbs deleretur, nauemque ad exercitum misissent cum his mandatis; statim
eos sui decreti pœnituit: nec puduit, eo rescisso, humanius decernere, ne pœna
per omnes vagaretur; sed pauci defectionis autores plecterentur, ciuitas ipsa ser-
uaretur. Quanto oportuit magis veteres Romanos benignè cum vicinis suis age-
re, ijs præsertim, qui ad saniorem mẽtem vltro redibant? Quòd si etiam sacra pro- 6
fanis miscere liceat, scimus, veterem hæresim Nouatianorum nullum resipiscen- 7
tiæ locum ijs, qui peccâssent, relinquentium, semper à pijs hominibus in Ecclesia
a.L.3.C.de pact. damnatam esse. Extat quidem in Codice Iustiniani,[a] quædam ad hanc acerbita-
tem accedens Theodosij constitutio aduersus Apostatas. Sed an sanioris iudicij, 8
& religionis pietatisque maioris hominibus placuerit, nescio. Certè epistola Cy-
priani lib. 2. ad hanc seueritatem minimè accedit. Et Augustinus ipse Theodosij
temporibus, Donatistas, qui ab Ecclesia desciuerant, nõ modò recepit amplexus-
que est resipiscentes, sed & statim etiam ad Episcopi munus admisit. Sic vir ille
pius & prudens, in causa religionis secutus est, quod Decemuiri in constituenda
Rep. decreuerant; Sanatibus nõ minus esse tribuendum quàm fortibus constan-
tibusque. Non dicam pluribus, an hanc semper Legem secuti Romani sint, con-
stanterque seruauerint. Eorum, in omnium manibus sunt historiæ. Sed vt intelli-
b.L.7.non dubito. §.1. De capt. & postlim.reuers. gamus, quid iuris fuerit fortibus socijs Rom. atque fœderatis; noster Proculus,[b] vt 9
omittam quod ex multis Ciceronis orationibus copiose dici hac de re posset,
significat; socios quidem & fœderatos omnes liberos fuisse; sed alios æquo pari-
que iure cum Romanis coniunctos; alios ita cõuenisse, vt paulo inferiores essent,
& maiestatem Populi Romani comiter conseruare deberent. Fundi verò populi
appellabantur, vbi etiam cõcessum liberalitate & beneficio Rom. ius populi Ro- 10
mani asciuissent ac recepissent; quòd in ijs tanquam in fundis resideret beneficiũ
commodumque à Romanis profectum. Cicero in Oratione pro Lucio Cornelio
Balbo totam hanc rem copiose explicat. Plura inde repetat, qui volet. Nunc reli-
qua persequamur capitalia XII. Tab. Iudicia.

IN L.

SI QVIS IN VRBE COETVS NOCTVRNOS AGITET, CAPITE PVNITOR.

1.2. Conciones clandestinas in vrbe conflans, capitali supplicio multabatur.



Vm omnes veterum monumentorum sinus perlustro, & ipsos quoque recessus perscrutor, si quod in ijs fortasse reliquum deprehendi vestigium possit XII. Tabularum, commodè incidi in Porcij Latronis declamationem, olim scriptam aduersus Catilinam, ex qua caput hoc deprompsi. Sic enim ille scribit: Primùm XII. Tab. cautum esse cognoscimus, ne quis in Vrbe cœtus nocturnos agitaret: deinde Lege Gabinia promulgatum; qui conciones vllas clandestinas in Vrbe conflauisset, more Maiorum, capitali supplicio multaretur. De te itaque Catilina sciscitor, túne cœtus istos commilitonum tuorum contra præcepta XII. Tab. contra Leges nostras, contra Senatus ac Plebis autoritatem, noctu cogendos esse putauisti? Hæc ille. Neque, opinor, alio nunc opus est testimonio, alióve huius Legis interprete. De collegijs illicitis dictum quoque ante fuit cap. 6.

IN LI.

QVI FALSVM TESTIMONIVM DIXERIT, E SAXO TARPEIO DEIICITOR.

1. *Hoc caput vnde descriptum. & num. 3.*
2. *In Falsi testimonij reos pœna hæc posterioribus Romanis displicuit: & num. 8. 10.*
4. *Falsi testimonij pœnam Decemuiri Græcorum exemplo sanxerunt: & num. 7.*
5. *Falsis testibus Græci cur pœnas acerbiores statuerint? & num. 6.*
9. *Falsi testimonij pœna in castris Romanorum qualis?*
11. *Falsi, vel quasi falsi, pœna quæ?*
12. *Falsa testimonia leges Romanæ quomodo coërceant?*
13. *De testium fide examinanda.*
14. *Falsis testimonijs quod quis euicerit, firmum non est. & num. 15.*

1 Hoc caput descriptum est ex Noctibus Auli Gellij; apud quem ijsdem
verbis eius meminit Sex. Cæcilius: nec meminit modò, sed & tam gra-
uem pœnam in falsi testimonij reos non temere Decēuiros instituis-
2 se cōtendit. Ac displicuisse quidem posterioribus Romanis, ac obso-
leuisse fatetur; sed magno illud quidem Reip. malo. Eius ad Phauori-
3 num philosophum verba sunt hæc: An putas Phauorine, si non illa etiam ex XII.
Tab. de testimonijs falsis pœna aboleuisset; & si nunc quoq;, vt antea, qui falsum
testimonium dixisse cōuictus esset, è saxo Tarpeio deijceretur, mentituros fuisse
pro testimonio tam multos, quàm videmus? Acerbitas plerunque vlciscendi ma-
4 leficij, bene atq; cautè viuendi disciplina est. Non dubiū est, Decemuiros in san-
cienda falsi testimonij pœna, Græcorū exemplū secutos esse. Audiebant Athenis
in Areopago grauissimū esse iudiciū ψευδομαρτυριῶν (falsorum testimoniorū) cuius
est apud Demosthenem mentio perquàm frequens. Atq; ex eius quidem oratio-
nibus manifestum etiā est; non modò in testes falsi testimonij reos, sed & in eum,
qui eos subornârat produxerátve, & iudicium datum esse, & animaduersionem
fuisse non vulgarem. Demosthenis verba sunt: ὃν ἐπιδείξω ψευδόμενον τοὺς μάρτυρας ὁ λανθάνεις,
καὶ ἀσελγῶς εἰς ὑμᾶς, καὶ ἐπιδείξω τοὺς μάρτυρας περὶ τῶν πραγμάτων τὰ ψευδῆ μεμαρτυρηκότας, παρά τε τούτων
δίκην λαβεῖν, καὶ τὸν προβαλλόμενον ὑπόδικον ἔχειν τῶν κακοτεχνιῶν.
5 Tanto autem fuisse videntur Græcorum Leges in hoc genere acerbiores, quod
in Græcia valde multi essent ad falsum testimonium dicendū, sine vlla religione,
tanquam ad ludicrū aliquod, valde parati. Exacerbanda autem esse maleficiorū
supplicia, quoties nimiū multis personis grassantibus exemplo est opus, Roma-
6 ni etiam Iurisconsulti responderunt.[a] Quod de Græcis testibus dico, Ciceronis *a. l. 16. aut facta. § vlt. de pœn.*
grauissimo testimonio confirmare possum; cuius in Oratione pro L. Flac. eorum
fidem eleuantis, verba sunt hæc: Veruntamen hoc dico de toto genere Græcorū:
Testimoniorum religionem & fidem nunq̃ ista natio coluit: totiusq; huiusce rei
quæ sit vis, quæ authoritas, quod pōdus, ignorat. Vnde illud est; Da mihi testimo-
nium mutuum? Non Gallorum, non Hispanorum putatur. Totum istud Græ-
7 corum est; vt etiā qui Græcè nesciunt, hoc quibus verbis à Græcis dici soleat, sci-
ant. Ergo Decemuiri, ne hoc quoque malum Romæ grassaretur, & impunitatis
8 spe inualesceret, seuerissimè coërcendum reprimendumq; esse, rectè iudicârunt.
Qui factum sit, aut quando, vt eorum deinde seueritas in hoc genere minus pro-
baretur, & hęc falsi testimonij pœna suppliciumq; obsolescerent, dicere non pos-
sum. Scio Modestinum respondisse[b]; non posse quem sic damnari, vt de saxo prę- *b. L. si diutino. 25.*
cipitetur. Sed iam pridem ante Modestinum, desierat pœna illa præcipitis deie- *§. vlt. de pœ.*
9 ctionis è rupe Tarpeia. Vtcunq; sit, multis tamen post XII. Tab. annis, saltem in
castris Rom. non minor fuit pœnæ acerbitas. In ijs enim, qui falsum testimonium
dixit, ξυλοκοπεῖται (fustibus cæditur) inquit Polybius li. 6. Huius supplicij genus tale
11 fuit. Falsi testimonij conuictum Tribunus primùm fuste tangebat, deinde mili-
tes vndiq; irruentes non modò fustibus cædebant contundebantq;; sed & saxis,
10 si poterant, obruebant. Si fortè reus effugisset, patria illi erat interdictum. Cæte-
rùm domi & in Ciuitatibus Romani in hoc genere indulgentiores fuisse vidētur.
Certè capitalē pœnam falsis testibus vix irrogârunt: sed eos variè, nec eodē sem-
12 per omnes modo coërcuerunt. Extat in Pandectis hoc Pauli respōsum:[c] Qui falsa *c. L. qui falsa. de*
vel varia testimonia dixerunt, vel vtrique parti prodiderunt; à iudicibus compe- *testib.*
tenter puniantur. Fatetur quoq; Martianus;[d] pœnam Legis Corneliæ irrogari ei, *d. L. 1. & 9. ad le.*
qui in *Cornel. de fals.*

qui in falsas testationes faciendas, testimoniáve falsa inuicem dicenda, dolo ma-
lo coierit. Item; ex Senatusconsulto coërceri, qui ob instruendam aduocationem
testimoniáve, pecuniam acceperit, societatémve coierit ad obligationem innocentium.
Sed subijcit; pœnam falsi vel quasi falsi, deportationem esse & omnium
bonorum publicationem. Cæterùm Romanæ Leges satis diligenter cauisse vi- 11
dentur, ne facilè obrepant, aut fallere possint veritatemq; obruere falsa testimo 12
nia. Nam ea demum, quæ omni suspicione carent, quæ rei aptiora & vero proxi-
miora sunt, & cum quibus qualitas negotij ac iudicis motus concurrit, sequen-
da esse admonent. nec ad multitudinem respici oportere, sed ad syunceram testi-
moniorum fidem.[e] De testium porrò fide diligenter examinanda, eorumq; per- 13
sona & conditione exploranda, noster Callistratus[f] obseruanda esse ostendit,
quæcunque ferè in hoc genere M. Tullius desiderat, tamque copiose describit in
sua pro Flacco Oratione. Sed & ne quis admodum confidat falsis testimonijs; 14
quod ijs euicerit, minimè firmum esse volunt. atque, vt omittam illum, qui huc
fortassis pertinet, tractatum li. 7. Cod. Si ex falsis instrumentis vel testimonijs in-
dicatum sit; extat in Pandectis D. Adriani rescriptum,[g] quo præcipit; vt, si falsis te-
stimonijs, testibúsve pecunia corruptis, oppressus quis fuerit conspiratione ad- 15
uersariorum; aut iudicantis religio circumuenta; & res seuerè vindicetur, & si quid
à iudice tam malo exemplo circunscripto iudicatum sit, in integrum restituatur.

e. L. ob carmen. §. vlt. de test.
f. L. 3. de test.
g. L. Diuus. de re iudic.

IN LII.

IVDEX QVI OB REM DICENDAM PECVNIAM ACCEPISSE CONVICTVS EST, CAPITE PVNITOR.

1. 2. Iudicis perfidi pœna quæ? & num. 6. 7. 8. 9.
3. Cambyses Sisamnem iudicem vt punierit? & quando? num. 4.
5. Pescennij Nigri dictum de Iudicibus.
10. Alexander Seuerus Imp. Iudici furi eruebat oculum.

HOc quoque XII. Tab. caput nobis suppeditauit Cæcilius Iurisconsultus,
qui apud Gellium li. 20. cap. 1. itidem contendit; Legem hanc duram
videri non debere, Iudicis enim perfidiam, contra omnia iura diui-
na atque humana iusiurandum suum pecunia vendentis, dignam 1
esse capitis pœna. Quanquã Phauorinus respondeat: Populo Rom.
pœnam hanc nimis duram esse visam, qui passus sit Legem huius generis, de tam
immodico supplicio, situ atque senio emori. Primum ac vetustissimum iudicis,
qui pecunia corrumpi se passus est, seuerissimè puniti exemplum extat in histo- 2
ria Cambysis Persarum Regis. Is Sisamnem iudicem, quem priori Asiæ parti præ- 3
fecerat, cùm audisset pecunia corruptum iniquè iudicâsse, occidi iussit, eiusque
cutem cadaueri detractam, instar pellis in tribunali extendi, in eoque sedere Ota-
nem Sisamnis filium, vt paternæ pœnæ consideratione admoueretur; quid ma-
neat iniquos iudices pecunia corruptos. neq; quicquam gessit Cambyses, cuius
nomine magis laudetur. Factum id est viuente adhuc Athenis Solone, Romæ 4
imperante Tarquinio Superbo, vix octoginta annis ante Decemuiros. Eius ita-
que & hi meminisse potuerant, eiusque etiam memoria & exemplo commoueri.
Et quæ tandem maior esse potest in Rep. pestis, quàm si tales corruptelæ impunè
grassentur? Quid à latrocinijs Iudicia different? Laudatur Pescennij Nigri Princi-
pis Rom. qui Iudicibus publica salaria constituit, memorabile dictum: Iudicem
nec dare quicquam debere, nec accipere. eoque etiam tota pertinet Iustiniani
nostri Constit. Nou. 8. Sed post XII. Tab. quid statuerint Rom. Leges, quæ nunc
extant, videamus. Diocletianus iampridem à Diuis Principibus decretum fuisse
ait,[a] venales sententias, quæ in mercedem à corruptis iudicibus proferuntur, ipso 6
iure infirmas esse sine prouocatione. Antoninus Imp. ait,[b] eum amittere actio-
nem, qui iudici pecuniam dedit, & diffidentia iustæ sententiæ in pecuniæ corru- 7
ptelam spem negotij reposuerit. fieri &, ex hac causa litem perire iussisse suum
Imperatorem, scripsit Vlpianus.[c] Quod ad ipsius iudicis pecunia corrupti pœnã
attinet: Constantinus statuit[d] eum & infamem fieri, & ei, quem iniqua læserit 8
sententia, æstimationem litis præstare. Sed molliora hæc sunt, & quæ ad XII. Ta-
bularum seueritatem minimè accedunt, Principum rescripta. Proprius accedit

a. L. venales. C. quando prou. non est nec.
b. L. 1. C. de pœn. iud. qui ma. iud.
c. L. 1. de calum.
d. L. vlt. C. de pœnis iud. qui ma. iud.

Lex Iulia

9 Lex Iulia repetundarum aduersus eos lata, qui pecuniam ob iudicandum accepe-
rint. Ex ea enim Lege puniuntur vel deportatione, vel etiam durius prout admi-
serint. interdum etiam capite plectentur. * vt si ob hominem necandum pecu- *e. L. Lex Iulia. §.*
niam acceperint, & innocentem damnârint, vt est apud Vlpianum. Vellem & il- *vlt. Ad leg. Iul.*
lud de suo Imperatore Alexandro Seuero addidisset, quod de eo commemorat *repet.*
10 Lampridius; illum si vnquam furem iudicem vidisset, paratum habuisse digitũ,
vt illi oculum erueret. At quot nunc digitis opus haberet Alexander? non, si cen-
timanus esset, qualem Poëtæ suum Briareum fingunt, esset satis.

IN LIII.

SI QVIS ACTITAVERIT SIVE CARMEN CONDIDERIT, QVOD INFAMIAM FLAGITIVMVE ALTERI PRECETVR, CAPITE PVNITOR.

1. *Verberum seuerius quam verberum iniuriam puniuerunt Decemuiri. & cur? num. 2. 3.*
4. *Comœdiæ veteris licentia Decemuiris displicuit teste etiã Arnobio & Ciceronis Africano; nu. 5. 6. 7. 8.*
9. *Thuriorum legibus Poëtarũ licentia refrenabatur.*
10. *Comœdiam veterem Græcorum & Fescenninã Romanorum reprehendit Horatius.*
11. *Famosis de libellis iudiciũ quale sanxerit Augustus.*
12. 13. 14. 16. *De famosis libellis Vlpianus quid, item Caius quid responderint?*
15. *Intestabilem fieri quid?*
17. 18. *Famosos contra libellos edictum Valentiniani & Valentis acerbius quàm Decemuirorum.*
19. *Constantini & Constantij Imp. constitutiones de famos. libel.*
20. *Famosos libellos Elibertinũ quoq; conciliũ damnat.*

DEcemuiri quàm lenes, vel molles potius atq; indulgentes fuisse viden-
tur in coërcendis ijs etiã iniurijs, quæ verbera circunferebant, vt suo
1 postea loco intelligemus; tam fuerunt certè seueri & vehementes in
puniendis famosis libellis, quibus quis alterius nomẽ infamaret. Et sa-
2 nè bono & honesto viro, vt nihil est antiquius nomine bono; sic acerbius nihil
esse potest infamia: nullaq; ei inferri iniuria grauior potest, quàm nomen eius nõ
modò palàm proscindi, sed scriptis etiam duraturis ignominiosè notari. Ergo &
3 Decemuiri atrociorem esse hanc, acerbiusq; vindicandam, quàm verberum iniu-
riam, iudicârunt. neque illam, quam Græci tolerabant, tolerari debere putârunt
4 veteris Comœdiæ licentiam; quæ nimium petulanter in cuiusuis nomen & fa-
mam inuehebatur. Plaustris circumuehi iuuenes laruatos, qui in obuium quem-
que conuitia iacerent, nec Dijs, nec hominibus vllis parcentes; confingi, in opti-
mos etiã viros, & spargi probrosa carmina, an ferendum erat? Decemuiralem in
5 hoc genere Legem XII. Tab. ipse Arnobius lib. 4. contra Gentes commemorat;
Carmen (inquit) malum conscribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, De-
cemuiralibus scitis euadere noluistis impune. ac ne vestras aures conuitio aliquis
petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis iniurijs. Sed huius,
6 quam proponimus, legis memoriam meliorem, atque adeò explicationem vbe-
riorem repetere possumus ex Ciceronis li. 4. de Repub. apud quem Africanus ita
loquitur: Apud Græcos fuit etiam Lege concessum, vt quod vellet Comœdia,
nominatim, vel de quo vellet, diceret. Itaq; quem illa nõ attigit? vel potius quem
non vexauit? Esto, populares homines improbos in Repub. seditiosos, Cleonẽ,
Cleophontem, Hyperbolum læsit. patiamur. etsi huiusmodi ciues à Censore me-
lius est, quàm à Poëta notari. Sed Periclem, cùm iam suæ ciuitati maxima autori-
tate plurimos annos domi & belli præfuisset, violari versibus, & eos agi in scena
non plus decuit, quàm si Plautus voluisset, aut Næuius P. & Cn. Scipioni, aut Cæ-
7 cilius M. Catoni maledicere. Nostræ contrà XII. Tabulæ, cùm perpaucas res ca-
pite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putauerunt; Si quis occentauis-
set, actitauisset, siue carmen condidisset, quod infamiam faceret, flagitiúmue al-
teri precaretur. Iudicijs enim ac magistratuum disceptationibus legitimis pro-
positam vitam, non Poëtarum ingenijs, habere debemus; nec probrum audire,
nisi ea lege, vt respondere liceat, & iudicio defendere. Hæc Africanus in libris Ci-
8 ceronis de Repub. Idem Cicero lib. 4. Tusc. Quæst. Declarant (inquit) XII. Tabu-
læ, condi iam tum solitum esse carmen. Quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam
9 Leges sanxerunt. Sed & Plutarchus περὶ νόμων, scribit Thuriorum Legibus cau-

L tum fuisse;

rum fuisse; ne in Comœdijs taxarentur ciues, præterquam adulteri & curiosi. Legem XII. Tab. de qua nunc agimus, illustrat ipse quoque Horatius, cùm illam scurrilem & nimium dissolutam veteris apud Græcos Comœdiæ licentiam, sic- 10
uti & illam apud Romanos aliquando Fescenninam, Lege lata coërcitam fuisse, coërcerique debuisse; etsi initium fortasse, cùm nondum excederet modum, tolerabile esse potuerit; multis locis ostendit. Locos describam, Erunt enim veluti commentarij ad hoc Caput XII. Tab. Lib. 1. Sermonum.

Eupolis atque Cratinus, Aristophanesq; Poëtæ,
Atque alij, quorum Comœdia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi; quòd malus, aut fur,
Aut mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus; multa cum libertate notabant.

Idem in arte Poëtica:

Successit vetus his Comœdia non sine multa
Laude, sed in vitium libertas incidit, & vim
Dignam Lege regi. Lex est accepta; chorusque
Turpiter obticuit sublato iure nocendi.

Idem lib. 2. Epist. ad Augustum, loquens de Fescennina veterum petulantia,

Libertasq; recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter, donec iam sæuus apertam
In rabiem verti cœpit iocus, & per honestas
Ire domos impunè minax. doluêre cruento
Dente lacessiti. fuit intactis quoque cura
Conditione super communi. quin etiam Lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Describi. vertêre modum formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque Poëtæ.

Huc quoq; pertinet, quod significat sese à Trebatio Iurisconsulto prudenter admonitum fuisse his verbis:

Sed tamen vt monitus caueas ne fortè negoti
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia Legum.
Si mala condiderit in quem quis carmina, Ius est
Iudiciumque.

Non possum hac in re vel grauiores autores eligere, vel melioribus vti interpretibus. Certè hanc XII. Tab. Legem secutus Augustus videtur, cùm iudicium de li- 11
bellis famosis nō minus vehemens quàm Maiestatis esse voluit. Sic enim Cor. Tacitus lib. 1. scribit; cum Legem Maiestatis reduxisse, vt non solùm facta arguerentur, sed & dicta; primumque cognitionem de famosis libellis, specie Legis eius tractâsse, commotum Cassij Seueri libidine, qua viros fœminasque illustres pro-
cacibus scriptis diffamauerat. Sanè in Pandectis ex Vlpiano a commemoratur 12
Lex siue Senatusconsultum in hæc verba: Si quis librum ad infamiam alicuius pertinentem scripsit, composuit, edidit; dolóue malo fecit, quo quid eorum fieret; etiamsi alterius nomine ediderit, vel sine nomine; vti de ea re agere liceat, &
si condemnatus sit, qui id fecit, intestabilis ex Lege esse iubetur. Vlpianus b alio 13
loco, Si quis (inquit) ob carmen famosum damnetur; Senatusconsulto expressum est, vt intestabilis sit. ergo nec testamentum facere poterit, nec ad testamen- 14
tum adhiberi testis. Extat quoque & hæc Caij interpretatio c: Cùm Lege quis intestabilis iubetur esse, eò pertinet, ne eius testimonium recipiatur; & eo amplius, vt putant quidam, ne ipsi dicatur testimonium. Ex his verbis colligere possumus; nec testem esse posse; nec testamentum facere; sed & nec ex aliorum testamentis quicquam capere. Quomodo enim hæreditatem testamento relictam consequeretur, nisi subsidio alieni testimonij? Atqui id ei ademptū est. Et sanè dignus est, vt qui aliū turpiter infamare studuit, ipse non modò infamis fiat, sed & (quod
longè grauius est) intestabilis. Ergo, sacer atque intestabilis esto. Sic intelligimus 15
quid illud sit, quantumque valeat, quod Arcadius respondit, d ob carmen famo-
sum damnatum, intestabilem fieri. Porrò Vlpianus adijcit e eâdem pœna ex Se- 16
natuscon-

a L. [illegible] vlt. de in. & lib. famo.
b L. is cui. §. si [illegible] de testa.
c L. cum Lege. de testamen.
d L. ob carmen. de testib.
e L. 5. §. vlt. de iniur.

natuſconſulto teneri etiã eum, qui ἐπιγράμματα aliúdue quid ſine ſcriptura in no-
tam aliquorum produxerit: item qui emendum vendendúmue curauerit. Quo
verò tempore, aut quo autore factum ſit illud Senatuſconſultum, certò adfirma-
re non poſſum, niſi ſi Auguſto vel Tyberio aſcribas. Illud certum eſt; annis
17 CCCLXX. poſt Auguſtum editum eſſe acerbius quoddam Valentiniani Va-
lentiſq; edictum, ſ vt qui quocunq; loco famoſum libellum inuenerit, nec ſtatim f. L. vna. C. de fa-
corruperit, ſed alicui patefecerit; capitali ſupplicio coërceatur. Sic in hoc genere mo. lib.
18 ſanctio XII. Tab. poſt annos ſeptingentos & ſeptuaginta non modò confirma-
ta eſt ſed etiam aucta atq; producta. Adeò viſa eſt publica vtilitas inde emergere,
vt loquitur Vlpianus. g Si quis plures requirat Cæſarum Leges de famoſis libellis, g. d. L. 5. §. vlt.
19 quæ in Iuſtiniani Codice deſiderantur, extant libro nono integri Codicis Theo-
doſiani. Vbi & Conſtantini Imp. eiúſq; filij Cõſtantij Conſtitutiones leguntur,
20 ne quis libello famoſo notatus veniat eo nomine in aliquod periculum aut vitæ
aut famæ. Nam & (inquit Conſtantius Imp.) innocens potius, cui defuit accuſa-
tor, cùm non defuerit inimicus. Porrò & veteribus Eccleſiæ Chriſtianæ Synodis
fuiſſe hanc rem curæ, palàm eſt. Nam, & Elibertinum concilium in Hiſpania gra-
uiter damnare famoſos libellos, notum eſt.

IN LIIII.

QVI MALVM CARMEN INCANTARIT, FRVGESVE EXCANTARIT, COERCETOR.

1. 12. Magiam olim Romani quod reiecerint laudantur ab Auguſtino; & Plinio.
2. Magiam ex Perſide in Græciam Oſthanes quando attulerit?
3. Democritus magiæ cultor.
4. Virgilij autoritas de Magia.
5. 6. Magia procuratam fertilitatem Imp. probarunt.
7. 8. 11. Exorciſtas vocat Vlpian. Impoſtores.
9. Diuinationem illicitam an intellexerint Romani?
10. Diuinationem ſublaturi Cæſares, Mathemata ipſa propè ſuſtulerunt.
13. Leonis Imp. prohibitio artis magicæ.
14. Tyanæus incantator apud Lucianum qualis?

1 DIuus Auguſtinus in libris de Ciuitate Dei, laudans veteres Romanos,
quod licet multa impia ſacra amplexi ſint, ſemper tamen reiecerint
magiam, omneſq; Chaldæorum præſtigias, ait; Legem fuiſſe in ipſis
XII. Tab. aduerſus artes magicas. Plinius quoq; lib. 30. cap. 1. loquens
de magia, ſcribit in hæc verba: Extãt & apud Italas gentes veſtigia eius in XII. Ta-
bulis noſtris. Idem lib. 28. cap. 2. cùm probare vellet, magicarum incantationũ ali-
quam eſſe vim, ait; Legum ipſarum in XII. Tab. verba fuiſſe, QVI FRVGES
EXCANTASSET. &, QVI MALVM CARMEN INCANTAS-
SET. Quales primùm in Perſide Magi fuerunt, ignotum non eſt. Ex Perſide Ma-
2 gia in Græciam allata primùm dicitur per quendã Oſthanem, qui Xerxem in eo,
quod Græciæ intulit, bello comitabatur. Paulò pòſt Romani ſuos Legatos ad Le-
3 ges petendas in Græciã miſerunt, quo tempore magia, quæ iam degenerârat, ma-
ximè colebatur à Democrito. Romani rectè intelligentes eam eſſe, quæ & eſſet, &
dici verè deberet κακουργία (ſubdolum maleficium) ſiue γοητεία (præſtigias) totũ hoc
4 malum tollere, & ex ſua vrbe profligare voluerunt. Virgilius de magicis incanta-
tionibus loquens ait; Atque ſatas aliò vidi traducere meſſes. An multas eius generis
incantationes Romani viderint, neſcio. ſed de ijs coërcendis vehementer ſollici-
tos fuiſſe, vel vnius C. Furij Craſini exemplum teſtimonio eſſe poteſt. Poſtea Cæ-
5 ſares, qui alioqui ſeueriſſimi erant aduerſus omnes magos & incãtatores; viden-
tur tamen aliquando fertilitatem, aliqua huius generis arte procuratam, vel ſteri-
litatem depulſam non improbâſſe. Nã Conſtantinus, ipſe a poſtea quàm eos gra-
6 uiter puniri iuſſit, qui magis artibus cõtra ſalutem hominũ aliquid moliti ſunt, a. L. 4. C. de ma-
aut pudicos animos ad libidinem deflexerunt, adijcit; Nullis verò criminationi- le.
bus implicanda ſunt remedia humanis quæſita corporibus, aut in agreſtibus lo-
cis innocenter adhibita ſuffragia, ne maturis vindemijs metuerentur imbres, aut
ventis, grandiniſque lapidatione quaterentur. Sanè noſter Vlpianus b exorciſtas b. L. 1. §. medicos.
7 videtur impoſtores appellare, quamuis fateatur ſe audiuiſſe quaſdam ab ijs ſana- De extra. ord.
tos eſſe: neque medicorum nomine ornari patitur; ſed nulla tamen alioqui pœ- cog.
8 na afficit. Idem, conſtitutionibus Principum eos teneri ait, c qui aliquam illici- c. L. item apud
ram dini- Labeonem. §. ſi
quis. De iniur.

tam diuinationem pollicentur. Sed quænam fuerit illicita diuinatio, nõ satis intellexerunt Romani, cùm suos tantopere colerent Augures atque Aruspices. Et quàm Cicero in hoc genere titubet, testes sunt eius libri de Diuinatione. Cæsares qui postea secuti sunt, dum totũ vsum diuinationis tollere volunt, ipsa etiã pro- 10
pè mathemata sustulerunt. Sed rerum bonarum vsum ab abusu discernere oportet. Sanè Vlpianus d in vniuersum pronunciat; libros magicos esse improbatæ 11
lectionis, protinusque esse corrumpendos. Et Liuius cùm de Bacchanalibus lo- 12
quitur, testis est; olim ex Senatusconsulto conquisitos Romę fuisse omnes veneficiorum & vaticiniorum libros, vt comburerentur. Ergo curiosus non ero, aut longior in ijs magicis artibus explicandis, quas ignorari volunt Leges Rom. Ne quis autem miretur; fas non esse, incantationibus fruges abigere, vel etiam pelli- 13
cere; prohibuit quoque Leo Imp. e ne quis in suo etiam fundo arte aliqua magica reconditos thesauros conquirat. Credo multos tum fuisse eius generis incantatores, qualem in Alexandro Lucianus scribit quendam Tyanæum, quem, cùm 14
infami nota insignire vult, vocat ἱερέα τῶν γοητειῶν, μαγείας καὶ ἐπῳδὰς θεσπεσίους ὑπισχνούμενον καὶ θησαυρῶν ἀνακαλύψεις (cultorem imposturarũ & ludificationum; præstigias & carmina mirifica rationemque inueniendorumq; thesaurorum profitentem.)

d. L. 4. §. 1. famil. ercifcun.

e. L. 1. C. de Thesaur.

IN LV.

QVI INIVRIA CECIDERIT ALIENAS ARBORES, LVITO IN SINGVLAS AERIS XXV.

1. Arbores quoq; Decemuiris curæ erant.
2. 3. Arbores maioru æstimabantur post Decemuirorum tempora. & num. 4. 5.
6. Arbores si furtim cæsæ sint quæ detur actio? & nu. 7. 9. 10. 11. 12. 14. 15.
8. Mosaica lex arbores hostium cædi non permittebat.
13. Quid, si quis per vim, domino sciente, arbores succiderit?
16. Oleam vitemq; appellatione arboris contineri.

DEscriptum est hoc caput ex Plinio, cuius lib. 17. cap. 1. verba sunt hæc: Fuit & arborum cura Legibus priscis; cautumque est XII. Tab. vt qui 1
iniuria cecidisset alienas, lueret in singulas, æris 25. Miratur autem Plinius, Decemuiros tanti solùm taxâsse frugiferas arbores. admonetq; minimè existimâsse futurũ, quod Romæ postea euenit, vt etiam infrugiferæ ma- 2
ximo æstimarentur. Quid enim? Trecentis & sexaginta circiter annis post XII. Tab. Domitius AEnobarbus cùm Crassi Oratoris magnificentissimam domum emere vellet, & millia numorum offerret, Crassus respondit se non recusare, exce- 3
ptis sex arboribus. Tum Domitius, si eæ adimerentur, ne vno quidem denario domum velle se dixit. vterq; pluris fecisse videtur aliquot arbusculas, quàm ædes ipsas alioqui pulcherrimas. Arbores autem illæ fuisse dicuntur loti patulæ. An hi 4
æstimâssent sibi factum esse satis, si in singulas cæsas aliquis soluisset æris 25? Id verò multò etiam minus dicemus, si Valerium Maximũ lib. 9. historiam narrantem audiamus. Narrat enim cùm Domitius emere vellet sexagies sestertio: rogâsse Crassum, quo minoris fore æstimaret domum, si decem arbusculas inde succidis- 5
set; respondisseq; Domitium, Tricies sestertio. Porrò Paulus quoque ait; a si fur- 6
tim arbores cæsæ sint, & ex XII. Tab. & ex Lege Aquilia dari actionem: huiusque condemnationem continere duplum, ait Vlpianus. Cæterùm addit Caius; b eos etiam, qui arbores & maximè vites ceciderunt, tanquam latrones puniri. Loqui- 7
tur (opinor) de arboribus frugiferis, quas nõ succidi Reipub. etiam interest. Certè 8
Lex Mosaica ne in bello quidem frugiferas hostiũ arbores excidi patitur. Et quis tam furiosam barbariem ferat? De arboribus furtim cæsis si quis plura desiderat, legat lib. Pandect. 47. tit. 6. & conferat eiusdem generis Georgicas Iustiniani Le- 9
ges, quas aliquando edidimus interpretatique sumus. Illud præcipuè hîc obser 10
uandum est; Prætores cùm intelligerent, Decemuiros parum consideratè in singulas arbores succisas non nisi 25. assium pœnam constituisse, omnesque eodem modo æstimâsse: eius loco prudenter substituisse actionẽ pœnalem in duplum, 11
facienda (inquit Paulus) æstimatione, quanti interfit domini non lædi; & vt ipsarum arborum pretium deducatur, & eius quod superest, fiat æstimatio. Ergo si arbor antequã cæsa succisáue esset, decem aureis æstimaretur: inspiciemus, quanti

a. L. 1. arb. fur. cæs.

b. L. 7. §. vlt. illo titu. L. 2. illo titu.

nunc æstimetur succisa. Si duorum fortè aureorũ esse videatur: cùm id dominus
habeat, reliqnum tantum duplabitur, vt sedecim aureorum condemnatio sit. Sic
12 hoc duplo continetur & rei ipsius, hoc est, damni dati acceptiq; persecutio. Por-
rò & illud obseruandũ est, hanc in duplum actionem habere locum, cùm furtim
13 cæ æ arbores sunt. Si quis verò per vim, sciente domino, eas ceciderit; agetur po-
tius ex interdicto. QVOD VI AVT CLAM, aut VI BONORVM RA-
PTORVM. Postremò prætereundum non est, quod Paulus ait; d Si de arbori- c. L. furtim ar-
bus cęsis lege Aquilia actum sit; interdicto quod vi aut clam reddito, absolui reũ, bores. §. 1. arbo.
si satis eũ prima condemnatione Index granauerit; manente nihilominus actio- fur. cæs. L. si alius.
ne ex Lege XII. Tab. Sed hãc ita remanere intelligimus, si quid in ea plus sit. Nam §. notauimus.
quod dicit Labeo, si furtim arbores cæsæ sint, & ex Lege Aquilia & ex Lege XII. quod vi aut clam.
14 Tab. dari actionem; Trebatius sic accipiendum esse docet, vt Iudex in posterio- d. L. pen. Arb. fur. cæs.
rem deducat id, quod ex prima consecutus sit actor; & ex reliquo condemnet
reum. Idq; etiam dictat vulgaris regula iuris. Ergo & Caius e cum dixisset, si colo- e. L. si colonus.
15 nus sit, qui ceciderit arbores, etiam ex locato cum eo agi posse, subiecit, planè vna arb. fur. cæs.
actione contentus debet esse actor, nempe ne bis idem consequatur. Idem Caius
respondit; f Colonum cum quo propter succisas fortè arbores agebatur ex loca- f. L. 28. duobus. §.
to, si, deferente actore, iurauerit, se non succidisse; per exceptionem iurisiurandi colonus. De iu-
deinde defendi posse; siue ex Lege XII. Tabularum de arboribus succisis, siue ex reiur.
Lege Aquilia damni iniuria dati, siue ex interdicto. Quod vi aut clam, postea cõ-
ueniatur. Nempe, si arbores non succidit, nõ est aliquod in eum de arboribus cæ-
sis dandum iudicium. Arborum cæsarum mentio non patitur obliuione præteri-
re me vetustissimam illam, quam Plinius lib. 15. cõmemorat Legem, olim antibus
olim datam; OLEAM NE STRINGITO, NEVE VERBERATO.
16 Vitem oleamq; arboris appellatione contineri, cùm de arboribus cęsis quæritur,
Vlpianus docet. g Cæterùm si quid adeò tenerum sit, vt herbæ loco sit, non debe- g. L. 3. arb. fur.
re arboris numero haberi, ait Caius. neque tamen frugibus minus quàm arbori- cæs.
bus cauerũt Decemuiri. Imò verò multò etiã magis, & grauiori proposita pœna.

IN LVI.

FRVGEM ARATRO QVAESITAM FVRTIM NOCTV SI PAVERIT SECVERITVE PVBES, &c.

1. 2. Frugibus quoq; cauerunt Decemuiri; imitati Draconem Atheniensem.
3. Vt Furti pœnam mitigârunt posteriores, sic & frugũ furtim demessarum. & num. 4.
5. Suspensum necari quomodo velint Decemuiri?
6. Laquei pœna apud Rom. ignominiosiss.

Escriptnm est hoc caput ex Plinij lib. 18. cap. 3. Ac videntur in hoc ge-
1 nere Decemuiri illã Draconis Atheniensis seueritatem acerbissimam
imitari voluisse. Plutarchus autor est; eius Legibus nõ minorem san-
2 citam esse pœnam aduersus fures vuarum vel olerum, quàm aduersus
homicidas vel sacrilegos, Sic enim scribit eum statuisse; Τοὺς λάχανα κλέψαντας ἢ ὀπώρας
ὁμοίως κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις καὶ ἀνδροφόνοις (vt, qui olera furati essent aut poma, pari sup-
plicio afficerentur cum sacrilegis & homicidis.) Cæterùm vt in vniuersum pœna
3 furti per XII. Tab. cõstituta, postea mitigata est, sic & hoc in genere frugũ furtim
depastarum, aut demessarũ. Vlpianus inquit: a Si olinam immaturam decerpse- a. L. 27. si seruus
4 rit, vel segetem desecuerit immaturam, vel vuas crudas; Aquilia tenebitur. Quòd seruum. §. si oli-
iam maturas; cessat Aquilia. nulla enim iniuria est, cùm tibi etiam impensas do- uã. ad leg. Aquil.
nauerit, quæ in collectione huiusmodi fructuum impenduntur. At si collecta hęc
intercepерit, furti tenetur. Hæc ille. De pastu pecoris quid statuerint XII. Tab. suo
suprà loco dictum est. Porrò impuberes quatenus ex delicto teneantur punian-
5 túrue, dixi ad cap. 23. De Aedil. edict. cùm suspensum necari iubent Decemuiri, an
laqueo strangulari velint, equidem adfirmare non possum. Suspendiosos tamen
6 tam fuisse infames, vt à suis lugeri non soleant, ait Vlpianus. b & laquei nõ minus b. L. liberorum.
quàm crucis aut furcæ pœnam fuisse apud Romanos quoq; ignominiosissimam, §. non solent. de
sæpe traditum est. Et notum est illud Euripidis ἀσχήμονες ἀγχόναι μετάρσιοι (fœdi sunt his qui notat. in-
ac turpes laquei sublimes.) fam.

IN LVII. & LVIII.

SI NOX FVRTVM FAXIT, ET IM ALIQVIS OCCISIT, IVRE CAESVS ESTO.

FVR MANIFESTO FVRTO PREHENSVS INTERDIV, SI SE TELO DEFENDERET, IM ALIQVIS OCCISIT, IVRE CAESVS ESTO.

1. 2. *Nox pro noctu; & Im pro eum, dixerunt Decemuiri.*
3. *Solon dupli pœnam furibus indixit.*
4. *Furta impunita apud Lacedæmonios & Aegyptios.*
5. *Decemuiri in statuēda furtorum pœna mediā viam delegerunt.*
6. 7. *Platonis & Stagiritarum lex; quò nihil reposuisti, nihil inde tolle.*
8. *Inter Furem nocturnum & diurnum quomodo discernendum, & num. 9.*
10. *Furti pœna ad pecuniariam condemnationem reuocata est. & num. 11.*
12. *Furti criminaliter agebatur Vlpiani temporibus: & ciuiliter; num. 13.*
14. *Vindicatio, & condictio furtiua, domini aduersus furem.*
15. Furi parci non debet. *de pœna eius.*
16. *De furto nec manifesto. & num. 17. 18.*

HAEC duo capita collegimus ex Gellio & Macrobio. Hic Saturn. lib. 1. cap. 4. inquit: Non esse absre puto, hoc loco id quoque admonere, quod Decemuiri XII. Tab. inusitatissimè NOX pro, NOCTV dixerunt. Verba hæc sunt: SI NOX FVRTIM FAXIT, ET IM 1
ALIQVIS OCCISIT, IVRE CAESVS ESTO. In quibus verbis id etiā 2
notandum est, ab eo, quod est is, non EVM casu accusatiuo, sed IM dicere? Hæc Macrob. Reliqua suppeditat Gellius, suarum Noctium lib. 11. cap. 18. cùm probare vult, Decemuiros neque pari seueritate in puniendis omnium generum furibus, neque remissa nimis lenitate vsos esse. Audiebant illi quàm acerbè Draco Athenlensis furta omnia puniri voluerat, quàm leniter Solon, qui sublato mortis sup- 3
plicio, dupli tantùm pœnam furibus indixit. Audiebant, apud Lacedæmonios sicuti & apud Aegyptios, quanta esset furtorum & quàm impunita licentia. Pru- 4
denter ipsi delegerunt mediam quandam rationem puniendi coërcendiq; furti; 5
quòd quidem impunè grassari nō potest, quin omnis tollatur humana societas. Plato lib. 11. de Legib. ait hanc & antiquam esse & perpetuam Naturæ Legē, ἃ μὴ 6
κατέθου, μὴ ἀνέλῃ (quæ non deposuisti ne sustuleris.) quam apud Stagiritas, hortatore, 7
opinor, eorū ciue Aristotele, imprimis celebrem fuisse, testis est Aelianus. Ea autem furtū prohiberi quis non videt? Sed apertior est illa huius generis Lex, quam Moses edidit verùm vt nunc quod instat, agamus; primum caput huius, de qua agimus Legis Decemuiralis, extat quoq; apud Ciceronē. is enim in Oratione pro Milone, Duodecim Tabulæ (inquit) nocturnum furem quoquo modo; diurnum 8
autem, si se telo defenderet, interfici impunè voluerunt. Sed & Caius noster scribit; [a] Legem XII. Tab. furem noctu deprehensum occidere permisisse; vt tamen id ipsum cum clamore testificetur. hancque Legem enarrans lib. 1. ad Leg. XII. Tab. quid hîc telum appelletur, quamquè latè pateat eius significatio, pluribus verbis explicuit: extatque eius interpretatio in Pandectis,[b] & à Iustiniano repetita in Institutionibus.[c] Sanè tamen Vlpianus adijcit; [d] furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impunè ferre, si parcere ei, sine suo periculo, non potuit. 9
Porrò, vt Romani post Decemuiros prohibuerunt aliquem de saxo præcipitari, [e] sic & liberum hominem alicui addici, seruumque illi fieri pœnæ causa, noluerunt. Ergo furti pœna mutata est, & ad pecuniariam condemnationem reuoca- 10
ta. Capitalem aliquādo fuisse apud Athenienses, ex Aeschine κατὰ Τιμάρχ. intelligere possumus. οἱ νόμοι (inquit) κελεύουσι τῶν κλεπτῶν τοὺς μὲν ὁμολογοῦντας θανάτῳ ζημιοῦσθαι, τοὺς δ' ἀρνουμένους κρίνεσθαι (Leges volunt, fures quidē cōfessos morte mulctari, de negātibus vero iudiciū ferri.) Decemuiri eas Leges secuti sunt, sed alias nō multò leniores tulerunt, quę postea visę etiam sunt duriores. Testis quidē est Polybius, extremū illud suppliciū ξυλοκοπίας, (fustuariū.) (quod, quale fuerit, aurea dictū est) mansisse in castris Rom. aduersus eos, qui quid in ijs furarentur. Sed aliorū furtorū, quę quidem priuata essent (nam peculatus & sacrilegij grauior pœna est) non nisi mulctam pecuniariam

a. L. 4. ad leg. Aquil.

b. L. 233. si caluitur. §. telum. de verb signif.

c. §. telum. inst. de pub iud.

d. L. furem. ad leg. Corn. de sicar.

e. L. si diurno. §. vlt. de pœnis.

11 cuniariam esse voluerunt. Pœna manifesti furti (inquit Iustin.) quadrupli est, tam
ex serui, quàm liberi persona: nec manifesti, dupli. quanquam fateatur Vlpianus;
12 f suo tempore plerunque furti criminaliter actum esse, & eum, qui ageret, in cri- *f. L. vlti. de furt.*
men subscripsisse; non quasi publicum sit iudicium; sed quia visum est, temerita-
tem agentium etiam extraordinaria animaduersione coërcendam. Addit autē,
13 non ideo tamen minus eum, qui velit, posse ciuiliter agere. Intelligit, opinor, ci-
uilem furti actionem, quanquam pœnalem, dupli nempe vel quadrupli; de qua
14 in eo tractatu agitur. Porrò quod ad ipsius rei persecutionem attinet, datur do-
mino aduersum furem, non modò rei vindicatio, sed & condictio furtiua, etiam
si res extet. Nam & condictio hæc magis deteget flagitium atque turpitudinem
15 furis, cui parci non debet, & agentem minus onerabit. Qui enim condicit, proba-
re aliud non debet, quàm furtum esse factum. Denique in eam condictionem e-
tiam veniet, quod agentis interest. g Sed de vi & vsu actionum, quæ aduersus fures *g. L. 3. De cond.*
dantur, pluribus verbis suo loco agendum est. De furto nec manifesto quid ex *furt.*
16 XII. Tabulis nunc reperam, non satis scio. Eius in XII. Tabulis factam mentio-
nem fuisse, dubium non est. Nam & Festus, cùm docet veteres dixisse NEC pro,
NON, allegat hoc earum caput:

SI ADERIT FVRTO QVOD NEC MANIFESTVM ERIT.

Et fortassis ex eo capite descendebat vetus illa, quam Cicero lib. 3. de Nat. Deor.
commemorat, actio,

OPE CONSILIOQVE TVO FVRTVM AIO FACTVM ESSE.

Sed quam furti nec manifesti pœnam esse vellent XII. Tabulæ, obscurius est. Cer-
17 tè verba Gellij significare videntur; Decemuiros, furtis, quæ nec manifesta appel-
lantur, pœnam imposuisse dupli. Id si ita est, nihil hac in re mutatum esset, & hæc
18 actio dupli ciuilis esset, non Prætoria. Sed mirum est; si tam lenes fuerint in vindi-
cando furto nec manifesto, qui tam erant acerbi in puniendo manifesto.

IN LIX.

FVRTA PER LANCEM LICIVMQVE CONCEPTA, SICVT MANIFESTA VINDICANTOR.

1. Furta per lancem & licium concepta, quæ? deq; ijs coniectura Tatij Alpini; num. 2.
3. Sacrifici olim licio succincti erant; vnde & lictores dicti.
4. Lances olim adhibitæ sacrificijs.
5. 6. Exemplum furti per lancem & licium, apud Iosephum: ob quod Iudæi vrbe pulsi.
7. Stipem Cicero an omnem sustulerit?

DEcemuiros furta, quæ per lancem liciumque cōcepta essent, perinde
ac si manifesta forent, vindicauisse, testis est Gellius lib. 11. cap. 18. Sed vel-
1 lem etiam addidisset atq; explicuisset, quæ tandem ea furta sint, ma-
gna certè molestia posteritatem liberâsset, quam tanto etiam magis
id ignorare puduit: quod idem Gellius alio loco, vehemēter rideat quendam Iu-
risperitum, qui vt ignorantiam in hoc genere suam excusaret, causabatur furtorū
quæstiones cum lance & licio euanuisse, omnemque illam XII. Tab. antiquita-
2 tem. Tatij Alpini coniectura, aliorum interpretum commentis probabilior esse
videtur; furta hæc fuisse, quæ, religionis obtentu, Impostores quidam, tanquam
sacrificuli, licio succincti & lancem ad colligendas stipes circunferentes, com-
mittebant sacrilegijs proxima; nempe rerum si minus ad ministerium Dei iam
3 consecratarum, collectarum tamen ad sacrificia, & eorum nomine. Sacrorum
ministros licio succinctos fuisse, ideoq; etiam Lictores dictos esse, ostendit Oui-
4 dius lib. 2. Fast. Lances quoque inter sacrificia fuisse vel illud Virgilij libro 8.
AEneid. indicio est. Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras. Exemplum si
5 quis requirat furtorum huius generis per lancem & liciū, extat apud Iosephum
lib. 18. Antiquit. Narrat quosdam impostores Iudæos, nobili matronæ Romanæ,
Fuluiæ, specie religionis persuasisse, vt aurum & purpuram ad Templum Hie-
6 rosolymitanum daret. Ea autem cùm accepissent, in proprios vsus vertisse. Pro-
pterque hoc vnum furtum, Tiberium omnes Iudæos Vrbe expulisse. Si sacrile-
gos huius generis fures atque impostores, coërcere voluerunt XII. Tab. & pru-

denter & religiosè factum id est. Eorum nequitiæ si posteà indulsit posteritas vel superstitione fascinata, vel talium nebulonum furtia iam assueta; nimium certè vecors fuit. Sanè Cicero lib. 2. de Legib. edit hanc Legem:

PRÆTER IDÆÆ MATRIS FAMVLOS, EOSQVE IVSTIS DIEBVS, NE QVIS STIPEM COGITO.

Deinde subijcit: Stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies propriã Idææ 7
Matris excepimus. Implet enim superstitione animos, & exhaurit domos. Tolerat ergo Cicero Μητραγύρτας (sic enim vocabantur) cum sua mendicitate, cum suis stipulationibus. alios eius farinæ non tolerat stipulatores.

IN LX.

DE FVRTO PACISCI LICITVM ESTO.

1. *De furto pacisci an liceat? & an ratio legis huius adhuc daret? & num. 7. 8. 10.*
2. *Furti actiones per pactum tolluntur, idq; ipso iure; num. 3.*
4. *De crimine transigens pro confesso habebatur.*
5. *In capitalibus criminib. quatenus pacisci liceat? & num. 9*
6. *Adulterium præ cæteris criminibus coërcendum.*
11. *An accusatori pecunia accepta ab accusatione liceat desistere?*



VLpianus ait: a De furto pacisci Lex permittit. Intelligit autem Legem XII. Tab. quæ de furto, vt de iniuria, pacisci permisit: non quidem an- 1
requam illud fieret, sed postquam factũ esset. Paulus, b Pacta (inquit) quæ turpẽ causam continent, non sunt obseruanda: veluti si paciscar ne furti agam vel iniuriarum, si fecerim. Expedit enim timeri furti vel iniuriarum pœnam. Sed post admissa hæc pacisci possumus. Idem Paulus alio loco, c Quædam (inquit) actiones per pactum ipso iure tolluntur; vt iniuriarũ, item 2
furti. Nempe, cùm Lex ipsa XII. Tab. & non tantùm Prætor, hoc pactum probet,
omninoque tueatur; non exceptione modò Prætoria actionem elidet, sed ipso 3
etiam iure tollet. Sanè Vlpianus ait, d Principes censuisse, ei esse ignoscendum, qui suum sanguinem qualitercunque redemptum voluerit; & propterea ab ijs decretum esse; in capitalibus criminibus; ijs saltem, quæ pœnam mortis ingerunt; non
nocere reo si aduersariũ corruperit. Saltem hoc veteres benignè iudicabant; eos 4
quidem, qui de crimine paciscebantur aut transigebant, pro confessis habendos esse. Sed talem cõfessionem, quæ obscura & incerta est, non esse satis, vt pœna capitalis irrogetur; ne quis sibijpsi mortem consciuisse videatur. Sic itaq; & Diocle-
tianus Imp. ait e, in capitalibus criminibus, quæ sanguinis pœnam ingerunt, non 5
etiam in alijs, pacisci & transigere licere. Excipit tamẽ adulteriũ. Id enim vt coër- 6
ceretur præ cæteris criminibus, optabat. Nam & alibi f profitetur sibi cordi esse pudorem, neque olim patiebatur Lex Iulia temere aliquem desistere ab adulterij
accusatione instituta g Cæterùm cùm iam pœna furti pecuniaria sit, nempe du- 7
pli vel quadrupli: videtur cessare ratio legis, de furto pacisci permittentia. Vlpia-
nus tamen id dissimulat; neque patitur illam XII. Tabularum humanitatem eo 8
prætextu tolli; præsertim cùm alio etiam loco fateatur, suo tempore plerunque
furti criminaliter actum esse. h Sed & Diocletianus, qui de crimine, quod pœnam 9
sanguinis non irrogat, dixit, non posse transigi, i meminit alio loco, decisionis
furti. k Et quidem tanto facilius iam de furto pacisci licet, quòd transactum vi- 10
deatur non tam de crimine quàm de re priuata & familiari, atque adeò de actio-
ne ciuili. Porrò si non de reo quæratur, sed de accusatore; an huic quoque liceat 11
pacisci & transigere, vt pecunia accepta desistat ab accusatione; ex tit. de Calumniatori. vel S.C. Turpil. repetendum est.

a. L. iurisgentiũ. §. si paciscar. de pact.
b. L. si vnus. § pacta. de pact.
c. L. si tibi decem. §. 1. de pact.
d. L. 2. de bo. eor. qui ante sent. si mor. cons.
e. L. transigere. C. de transact.
f. L. ita nobis. C. ad leg. Iul. de adult.
g. L. 2. §. 1. L. miles §. socer. ad le. Iul. de adult.
h. L. vlti. De furt.
i. L. transigere. C. de transact.
k. L. post decisionem. C. de furt.

IN LXI.

SI MEMBRVM RVPIT MEVM, E PACTO, TALIO ESTO.

1. *E pro sine siue extra.*
2. *Talionem iniurijs atrocioribus Decemuiri cur apposuerint?*
3. *Talio ad æstimationem Iudicis redigi solebat.*
4. *Talio, in politia Mosaica etiam vsitata: & à Rhadamantho approbata; num. 5.*
6. *Pythagoreis talionis vsus placuit; sed Aristoteli displicuit, vt & Phauorino; num. 7 8.*
9. 10. *Talionis an, & quæ vestigia in Iure nostro supersint?*

Hoc


Oc capite significant Decemuiri, etiã de hac ram atroci illata iniuria
pacisci licere. sed è pacto, hoc est, sine pacto, vel extra pactum, talionẽ
1 esse pœnã. Non vtar alio quàm Sex. Cæcilio Iurisc. interprete. Pha-
norinus philosophus hanc Legem reprehendebat, præsertim quòd In
ea quoq; scriptum esset, QVIN ET SI MEMBRVM ALTER
2 IMPRVDENS RVPERIT. Cæcilius respondet; Decẽuiros iniurijs atrocio-
ribus talionem apposuisse, dum eo metu coërcere homines volunt, & minuere
extinguereque violentiam pulsandi atq; lædendi. Neque eius, qui membrũ alteri
rupisset, & pacisci tamen de redimenda talione nollet, tantam esse habendam ra-
tionẽ, vt, an prudens imprudẽnsve rupisset, spectandũ putarent. Deinde subijcit:
Et quæ, obsecro te, ista acerbitas est, si idem fiat in te, quod tute in alio feceris? præ-
sertim cùm habeas facultatẽ paciscendi, & non necesse sit pati talionem, nisi eam
tu elegeris. Quod edictum Prætorium de æstimandis iniurijs probabilius esse his
potest? Nolo ignores, hanc quoque ipsam talionem ad æstimationẽ iudicis redigi
3 necessariò solitam. Nam si reus qui depacisci noluerat, iudici talionem imperan-
ti non parebat; æstimata lite Iudex hominem pecuniæ damnabat: atque ita si reo
& pactio grauis, & acerba talio visa fuerat, seueritas Legis ad pecuniæ mulctam re-
dibat. Hæc Cæcilius. Legem talionis in politia quoque Mosaica olim vsitatam
4 fuisse scimus. Et Aristoteles li. 5. Ethic. testis est Rhadamanthum ipsum ita ius di-
5 xisse, hancque Legem edidisse; εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο.
quam his versibus non malè redditam accepi,

Si, quod quisque facit, idem patiatur & ipse,
Id iustum fiet denique iudicium.

6 Pythagoræos quoque, quos in magna Græcia audire potuerunt Decemuiri, ius &
vsum talionis maximè probâsse constat. De ijs enim loquens Aristoteles,
(inquit) ἁπλῶς τὸ δίκαιον, τὸ ἀντιπεπονθός. Quibus verbis significat; eos definisse omnino
id ius esse, quod vicissim quisq; pateretur. Quanquam Aristoteles ipse id probare
7 non videatur; existimans non conuenire cum iustitia vel distributiua vel cõmu-
tatiua, hoc est, cum iure, quod vel in rerum commutationibus versatur, vel puni-
endi causa comparatum est. Phanorinus quoq; hanc puniendi rationem iniquã
8 esse contendit. Sed audiuimus, qua & moderatione & cõditione Decemuiri eam
introduxerint. Abijsse tamen in desuetudinem, quod Iustinianus ait, adeò verum
est, vt in toto Iure Ciuili vix vlla talionis vestigia supersint; nisi si calumniatorem
9 dicas idem iudicium, quod innocenti reo intendit, subire debere, ideoq; sese in-
scribere credas. & simul excipias, quod in quadam Theodosij Valentinianique
10 constitutione legimus; a Iudicem qui delatum ad se crimen neglexerit, id ipsum   *a. L. vlt. C. de fal. bap. iter.*
pati debere, quod alijs induiserit & dissimulando concesserit.

IN LXII.

SI INIVRIAM ALTERI FAXIT, XXV. AERIS POENAE SVNTO.

1.2. Iniuriarum atrociorum pœna an semper fuerit pecuniaria?	*10. Iniuriam iniuriatos ipsos æstimare permiserunt Prætores: & num. 17.*
3. Lex Aquilia & Iniuriarum actio quò pertineant?	*11.12.13.14. Cornelia, de iniurijs manu factis, quid continuerit?*
4. Αἰκίας δίκη quæ?	*15. De omni iniuria tum ciuiliter tum criminaliter agi posse statuit Iustinianus.*
5. Κακηγορίας δίκη qualis? & num. 6.	*16.18. Delictorum priuatorum aliorum pœna quæ?*
7. Pericles conuiciantes contempsit.	
8.9. Q. Labeo legis huius XII. Tabularum abolendæ causa.	


Oc caput ita scriptum fuisse in XII. Tab. legimus apud Gellium lib.
20. quo tamen loco Cæcilius ait; Decemuiros iniurias atrociores; vt
1 de osse fracto; non liberis modò, verùm etiã seruis factas, impensiore
damno vindicauisse. quanquam pecuniariam semper fuisse pœnam
2 constet. Sic enim Iustinianus ait; a ex Lege XII. Tab. propter os fra-   *a. §. pœna autem. de iniur.*
ctum, numarias pœnas esse constitutas, quasi in magna veterum paupertate. ac in
Legis quidem Aquiliæ tertio capite scriptum fuisse accepimus; b   *b. L. si seruus. §. tertio, ad leg. Aquil.*
CÆTERARVM RERVM PRÆTER HOMINEM ET PE-
CVDEM OCCISOS, SI QVIS ALTERI DAMNVM FA-
XIT, QVIDVE VSSERIT, FREGERIT, RVPERIT INIV-
RIA:

RIA: QVANTI EA RES FVIT IN DIEBVS XXX. PRO-
XIMIS, TANTVM ÆS DOMINO DARE DAMNAS ESTO.
Sed Lex Aquilia non nisi ad damnum datum pertinet. Cæterùm & vbi ea cessat, 3
iniuriarum iudicio locus esse potest, sic & apud Athenienses fuisse δίκας βλάβης, καὶ
αἰκίας, ait Demosthenes. Erat autem αἰκίας δίκη propriè actio iniuriarum ob verbera. 4
quam quidem iniuriam seuerissimè coërceri quàm intersit Reip. grauissimè ali-
quando atq; elegantissimè dixit Isocrates, cuius extat in hoc genere Oratio κατὰ
τοῦ λοχίτου. aut si quis Demosthenem mâlit, extat quoque grauissima eius contra Mi-
diam Oratio ὑπὲρ τοῦ κονδύλου. ac commemorat quidem in ea ipsa Oratione; Euεona
Laodamantis fratrem publicè obtruncatum à Beoto, ob vnum colaphum quem
iniuria inflixerat. Sed hanc Græcorum seueritatem secuti Decemuiri non sunt.
Conuicij siue κακηγορίας iudicium apud Athenienses leuius fuit. Scribit enim Plu- 5
tarchus Solonem tulisse Legem; vt, si cui quis cõuicium dixisset, vel in sacris locis
vel in foro; is priuatim illi tres drachmas, fisco duas penderet. Sic non nisi drach- 6
mis quinque hæc iniuria vindicabatur Athenis, sicuti Romæ non nisi 25. assibus.
neq; sanè miror hoc exemplum in hisce iniurijs secutos esse Decemuiros; cùm et- 7
iam Periclem audirent, tanta animi moderatione tulisse contempsisseque con-
uiciantem. Sed verbera quoque acerbius non repressisse, mirum est. neque enim
negari potest, non nisi 25. assium pœnam ad summum constituisse; saltem vbi nec
membrum ruptum nec os fractum erat. Certè ad reprimendam insolentiũ homi-
num petulantiam, quàm nihili fuerit hæc pœna, ipse rerum vsus paulò post De-
cemuiros facilè ostendit. Quid enim? Q. Labeo in libris, quos ad XII. Tab. scripsit, 8
retulit (eius enim verbis quàm meis id referre narrareque mâlo) fuisse quendam
L. Neratium hominem improbũ atque immani vecordia, qui pro delectamento
haberet, os hominis liberi manus suæ palma verberare, habuisseq; seruũ sequen-
tem, & crumenam plenam assium portitantẽ; ac quemcunq; depalmauerat, nu-
merari statim secundum XII. Tab. 25. asses iussisse. itaque Prætores laudat Labeo, 9
qui hanc & Legem & pœnã aboleri relinquique voluerunt, iniurijsque æstiman-
dis Recuperatores se daturos edixerunt. Certè noster Iulianus ait; Prætores per-
misisse ipsis, qui iniuriam passi sunt, eam æstimare: vt iudex vel tanti reum con- 10
demnet, quanti iniuriam passus æstimauerit; vel minoris, prout ei visum fuerit.
Edictum Prætoris secuta est Lex Cornelia de iniurijs manu factis; quam tulit Cor- 11
c. L. lex Cornelia. de iniur. nelius Sylla, c si quis se pulsatum, verberatúmve dicat, domúmve suam vi introitã.
De his enim tribus capitibus agebat. Opinor Cornelium Syllam hac lege se, do- 12
mumque suam, quam in agris habebat, & in qua priuatus, deposita Dictatura, vi-
uere instituerat, etiam tueri voluisse. De iniurijs propter conuicia, nihil edixit. At
cùm priuatus ageret, hanc solam perpessus est iniuriã. Videtur autem huius Le- 13
gis Corneliæ grauior fuisse pœna, sicuti & ad atrociorem iniuriam pertinebat, &
propter XII. Tabularum in hoc genere nimis mollem lenitatem lata fuerat. Mar- 14
d. L. 37. constitutionibus. §. 1. de iniur. tianus tamen respondit d etiam ex Lege Cornelia iniuriarum actionem ciuiliter
moueri posse, condemnatione, æstimatione iudicis, facienda. Iustinianus noster 15
ait; in vniuersum, de omni iniuria, eum, qui passus est, posse vel criminaliter agere
vel ciuiliter. Et si quidem ciuiliter agatur; æstimatione facta, sicuti dictum est, pœ-
nam reo imponi. Sin autem criminaliter; officio iudicis extraordinariã pœnam
reo irrogari. Obseruandum autẽ est; aliorum priuatorum delictorum pœnas vl- 16
tionesque, criminales extraordinariásve tantùm, non pecuniarias aut ciuiles esse
solere; iudicium tamen iniuriarum non omnino esse huius generis. Ei enim qui
iniuriam passus est, hanc actionem æstimare liberum est vel capitis vel pecuniæ. 17
Ac si quidem pecuniariam æstimationem elegerit, atrocior pœna non erit, & ea-
tenus saltem tum seruabatur Lex XII. Tab. Quod enim ad criminale iudicium in-
iuriarum attinet, non potest, altero electo, simul intendi. Nam alterũ altero tolli-
tur, cùm quidem vtrunque pertineat ad vltionem, neutrum ad rem familiarem.
e. L. Pretor edicto. §. 1. de iniur. Cæterùm si de alijs delictis agatur, e ex quibus duplex quoque iudicium nascitur, 18
constat vnum non tollere alterum, cùm quidem vtrinsque non idem sit aut sco-
pus aut finis: vt quia ciuile iudicium ad rem familiarem sarciendumque damnũ
datum pertineat, criminale verò ad ipsius maleficij vltionem.

IN LIII.

SI SERVVS FVRTVM FAXIT, NOXAMVE NOCVIT SCIENTE ETIAM DOMINO, SERVI NOMINE ACTIO NOXALIS ESTO: DOMINVS SVO NOMINE NON TENETOR.

1. An dominus teneatur, si seruus eius ipso non prohibente delinquat?
2. Scientia domini in delictis seruorum quomodo accipienda sit?
3. Seruus domino in delictis an parere debeat? & num. 4. 5. 6. 7. 8.

HOc caput collegimus ex quodam Vlpiani [a] responso, siue potius ex *a. L. Si seruus. 2. De noxal. action.*
Celsi distinctione. Cùm enim quæreretur; an, sicuti dominus suo no-
mine in solidum teneri dicitur, si eo iubente seruus deliquerit; ita &
1 si eo non prohibente? Celsus differentiam faciendam esse respondit,
inter Legem Aquiliam & Legem XII. Tab. Nam (inquit) in lege anti-
qua, si seruus sciente domino furtum fecit, vel aliam noxam commisit; serui no-
mine actio est noxalis; nec dominus suo nomine tenetur. At in Lege Aquilia, do-
minus suo nomine tenetur, non serui. Ac vtriusque quidem Legis reddit hanc ra-
tionem: Duodecim Tabularum; quasi voluerit seruos dominis in hac re non ob-
temperare: Aquiliæ; quasi ignouerit seruo qui domino paruit, periturus, si non
fecisset. Quia tamē placuit probatumque est, quod Iulianus scripsit, serui furtum
noxámve, non modò ad XII. Tabulas, sed & ad posteriores leges pertinere; posse
dici ait Vlpianus, etiam serui nomine cum domino agi posse noxali iudicio: vt
quod datur Aquilia aduersus dominum, non seruum excuset, sed dominū one-
2 ret. Porrò autem quomodo in delictis seruorum scientia domini accipienda sit;
pluribus verbis explicant Iurisconsulti, quorum interpretatio ex Pandectis repe-
ti potest. De noxali actione, quæ ex XII. Tabulis datur, si quadrupes pauperiem
fecerit; suprà dictum est ad caput 15. Sed quod pertinet ad rationem Legis XII.
Tab. volentis seruum in delictis domino non obtemperare; minimeque eius fa-
3 ctum excusantis, si domino paruerit in re flagitiosa; adijcienda sunt Prudentum
responsa, qui hanc distinctionem adhibuerunt, vt in ijs, quæ verè flagitiosa sunt,
atque atrocitatem sceleris habent, seruis nō ignoscatur, qui dominis suis obtem-
perauerint; in alijs leuioribus facilius ignoscatur. Sic enim inter regulas Iuris, ex
Vlpiano relatum [b] est. Ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris vel sceleris, *b. L. ad ea 157. De regul. iur.*
4 in ijs agnosci seruis, si vel dominis, vel ijs, qui vice dominorum sunt, veluti tuto-
ribus & curatoribus, obtemperauerint. quod & ex eodem Vlpiani libro, in Pan
dectis alio loco repertum est.[c] Idem Vlpianus [d] alio loco rem hanc pluribus ver *c. L. is qui in pute um. §. si tutoris. Quod vi aut clā.*
5 bis explicat. Seruus (inquit) non in omnibus rebus, sine pœna, domini dicto au-
diens esse solet; sicuti si dominus hominem occidere, aut furtum alicui facere ser-
uum iussisset. Quare quamuis domini iussu seruus piraticam fecisset, iudicium in *d. L. seruus non. De obliga. & action.*
6 eum post libertatem reddi oportet; & quodcunque vi fecisset, quę vis à maleficio
non abesset, ita oportet eum pœnas pendere. Sed vbi facinus abesset, non conue-
7 nit Prætorem, quod seruus iussu domini fecisset, de ea re in liberum iudicium da-
re. Callistratus [e] quoque ait; in hisce leuioribus seruos qui dominis suis parent, *e. L. Diuus. §. ite Senatus. Ad leg. Cor. de fals.*
necessitate potestatis excusari. Paulus[f] verò pronunciat; seruum in facinoribus
domino non debere esse dicto obedientem. Vlpianus quoq; cùm de seruo quæ-
reretur, qui iussu domini iniuriam fecerat, respondit; [g] vtrique dominum conue- *f. L. si mulier. §. 1. Re. amot.*
niri posse, etiam suo nomine: sed si seruus sit manumissus, in eum dari actionem,
quia noxa caput sequatur, nec in omnia seruus domino parēre debeat. Itaque & *g. L. sed si vnius. §. si iussu domini seruus. De iniur.*
si aliquem occiderit iussu domini, nec domini defendendi causa, non eximi Lege
8 Cornelia. Vt Iurisconsultos omittā, rescripserunt Imppp. Valentinianus, Theo-
dosius, & Arcadius;[h] seruos, qui metu & exhortatione dominorum violentiam *h. L. seruos. C. ad leg. Iul. de vi.*
admiserint, metallo dedendos esse. Quis hæc & huius generis alia plurima in Iu-
re Ciuili, promanare ex fontibus XII. Tabularum negabit? Sed longior essem, si o-
mnia, quæ ex ijs descendunt, ostendere nunc velim. Ea nunc solùm attingere vi-
sum fuit, quæ palàm Decemuiros autores præ se ferebant.

IN LXIIII.

SOLIS OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO.

1 *Diei Ciuilis apud Romanos diuisio quæ? & num. 3.*
2. *Horarum nomen Romanis olim ignotũ fuit. & nu. 5.*
4. *Crepusculum vnde dicatur?*
6. 7 *XII. Tabularũ memoria quomodo sensim exoleuerit.*

Visum est pro suprema harum Tabularum coronide adijcere hanc appendicem. Nam & si incertũ sit, quorsum propriè spectaret hæc clausula; tamen certum est fuisse hoc vnum caput XII. Tabularum, quod ex Macrobio & Censorino descripsimus. Neque sanè alijs interpretibus opus est, Macrobius li. 1. Saturn. cap. 3. describens diuisionem diei, quem Ro-
mani appellabant Ciuilem, Primum (inquit) tempus diei dicitur Mediæ noctis In- 1
clinatio; Deinde Gallicinium; inde Conticinium, quum & galli conticescunt, &
homines etiam tum quiescunt; Deinde Diluculum, hoc est, cùm incipit dignosci
dies; Inde, Mane, dum dies clarus; Deinde à mane ad Meridiem, hoc est, ad mediũ
diem; Inde iam suprà vocatur tempus Occiduum: & mox Suprema Tempestas,
hoc est, diei nouissimum tempus; sicut expressum est in XII. Tabulis;
SOLIS OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO;
Deinde Vespera. Ab hoc tempore prima fax dicitur: deinde Concubia: & Inde Intempesta, quæ non habet idoneum tempus rebus gerendis. Hæc ex Macrobio.
Nunc Censorinum audiamus, qui rem eandem diligentius etiam tractat. Is in li- 2
bro de Die natali, cap. 19. posteaquam dixit; horarum nomen non minus annos
CCC. Romæ ignoratum esse, cum in XII. Tabulis nusquam nominatæ horæ inueniantur; & mediæ noctis tempus fuisse principium & postremum diei Roma-
ni; Tempus (inquit) quod huic proximum est, vocatur De media nocte. Sequitur, 3
Gallicinium, cùm galli canere incipiunt: deinde Conticinium, cùm conticuëre,
Tunc Ante lucem, & sic Diluculum vocatur. Mane, cùm lux videtur solis. Post hoc,
Ad meridiem. Tunc Meridies: quod est mediæ diei nomen. Inde De meridie: hinc,
Tempestas suprema: quamuis plurimi supremum post occasum Solis existimēt,
quia est in XII. Tabulis scriptum sic;

SOLIS OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO.

Sed postea M. Plectorius Tribunus p. Plebiscitum tulit, in quo scriptum est;

PRÆTOR VRBANVS QVI NVNC EST QVIQVE POSTHAC FVERIT, DVOS LICTORES APVD SE HABETO. ISQVE SVPREMVM AD SOLIS OCCASVM IVS INTER CIVES DICITO.

Post supremam dicitur Vesper. Inde Porrò Crepusculum; sic fortasse appellatum, 4
quòd res incertæ, Creperæ dicuntur; idque tempus, noctis sit an diei, incertũ est.
Post id sequitur tempus, quod dicimus, Luminibus accensis: antiqui, Prima face,
dicebant. Deinde Concubium, cùm itum est cubitum. Exinde Intempesta, id est,
multa nox, quia nihil agi potest tempestiuum. Tunc ad mediam noctem dicitur,
& sic media nox. Hæc Censorinus. His ego tantùm adijciam, quod & suprà an-
notaui; Plinium quoque lib 7. cap. 60. scribere; serius Romæ obseruata sesse ho- 5
ras: Duodecim Tabulis ortum tantùm & occasum nominari; Post aliquot annos
adiectum esse & meridiem.

1 Hæc hactenus habui, quæ de XII. Tabulis, vel earum potius reliquijs dicerem.
Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 17. ait; cùm earum cõtemni cœpit antiquitas, eadem 6
illa, quæ ijs cauebantur, in alia Latorum nomina transijsse. Factum est itaque, vt
tanto magis earum memoria sensim exoleuerit, & nos in tanta veterum monu- 7
mentorum iactura non possimus non multa, quæ accepta his Tabulis ferenda
sunt, planè ignorare. Sed quod superest tamen, quantulumcunque illud sit, tan-
to est etiam maiori & diligentia colligendum, & cura studioque conseruandum.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM QVÆ ROMVLI ET XII. TAB. LEGIBVS CONTINENTVR.

A:



Coronarum

D.

E.

F.

G.

H.

I.

Paperus

Q.

R.

Suspecti

Vindicta

FINIS.

Venundantur Lugduni,

APVD CAROLVM PESNOT. ET

DVRARE MORI NON PERIRE.

M. D. LXXXIII.